

CODEX
THEODOSIANVS
IACOBI GOTHOFREDI
TOMVS SECVNDVS.

CODEX
THEODOSIANVS

CVM

PERPETVIS COMMENTARIIS

IACOBI GOTHOFREDI

VIRI SENATORII ET IVRISCONSVLTI SVPERIORIS SECVLI EXIMII.

PRAEMITTVNTVR

CHRONOLOGIA ACCVRATIOR

CHRONICON HISTORICVM ET PROLEGOMENA

SVBIICIVNTVR

NOTITIA DIGNITATVM, PROSOPOGRAPHIA, TOPOGRAPHIA

INDEX RERVM ET GLOSSARIVM NOMICVM.

OPVS POSTHVMVM

DIV IN FORO ET SCHOLA DESIDERATVM

RECOGNITVM ET ORDINATVM AD VSVM

CODICIS IVSTINIANEI

OPERA ET STVDIO

ANTONII MARVILLII

ANTECESSORIS PRIMICERII IN VNIVERSITATE VALENTINA

EDITIO NOVA

IN VI. TOMOS DIGESTA

COLLATA CVM

CODICIBVS MSS. ANTIQVISSIMO WVRCEBVRGENSI GOTHANO ET LIBRIS EDITIS

ITERVM RECOGNITA EMENDATA

VARIORVMQVE OBSERVATIONIBVS

AVCTA

QVIBVS ADIECIT SVAS

IOAN. DAN. RITTER, P.P.

TOMVS SECVNDVS.





LIPSIÆ

SVMPTIBVS MAVR. GEORGII WEIDMANNI.

MDCCXXXVII.

IN HOC TOMO
LIBRI TRES CONTINENTVR.

LIBRO SEXTO agitur de Notitia Dignitatum vtriusque Imperii, de Officiis Palatinis.

LIBRO SEPTIMO agitur de Re Militari tam armata quam Palatina.

LIBRO OCTAVO agitur de Officiis seu de Officialibus Iudicum, de Cursus publici cura, de Donationibus, de Maritorum & Parentum priuilegiis circa bona & Successiones.

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

FRIDERICO III.

DVCI SAXONIAE,

IVLIACI, CLIVIAE ET MONTIVM,

ANGRIAE ITEM WESTPHALIAEQVE,

LANDGRAVIO THVRINGIAE,

MARCHIONI MISNIAE,

PRINCIPI HENNEBERGICO,

COMITI MARCAE ET RAVENSBERGAE,


DYNASTAE RAVESTEINII

ET TONNAE,

DOMINO CLEMENTISSIMO



SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE GRATIOSISSIME



TAm singularibus gloriae TVAE argumentis plane abundas, vt mihi etiam in praesenti non diu sit exponendum, vel ex longinquo repetendum cur TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, Theodosianum hoc opus offerre non dubitauerim. Quoties enim cunque in summum illum ac vere principalem TVVM splendorem intuemur, toties vna eiusmodi gratiae, & Sapientiae TVAE monumenta statim elucescunt, quae non solum cunctos tam externos quam intidem natos in amorem TVI & admirationem aeternam pio quodam impetu rapiunt, sed etiam praesertim litterarum studiis eorumque cultoribus certissimum decus ac praesidium pollicentur. Quare omnino non mirum, eos qui cum omnibus musis rationem aut saltem commercium aliquod habere cogitant,

gitant, ad TE, SERENISSIME PRINCEPS, tanquam ad ſalutarem ac hoſpitalem quaſi ſtatorem, eo confidentius accedere & vel Nominis TVI gloria operae ſuae pretium commendare.

Profecto autem, per TVAM hanc, SERENISSIME PRINCEPS gloriam, ipſamet inſimul Majorum TVORVM ſumma laus & omnimodo perfecta gloria ad ſempiternam plane memoriam propagata manebit. Nam quoad longiſſime velimus reſpicere ſpatium elapſi temporis & priorum Principum eximia in rem publicam literariam merita recordari, inde vsque repetentes, videmus certe SERENISSIMAM DOMVM GOTHANAM omnes omnino artes, quibus doctrinae liberales continentur, Sanctiſſimae SVAE Tutelae per tot iam aetates & ſecula inprimis commendatas habuiſſe, adeo vt cum ipſo Principatu perpetuum florem & incrementa cepiſſe videantur. Ac tam etſi eorundem indicia luculenta hodienum fere vbiuis occurrant, nemo tamen eſt, qui non praecipue magni aeſtimauerit ſplendidiſſimam Bibliothecam Gothanam, a longiſſimis inde temporibus conſtitutam, vbi praeſtantiſſimorum librorum abundans copia, magnis ſane impenſis vndique ac diu collecta, reſeruatur, ita vt in eadem nihil deſit quod ſummum reddere poſſet ſplendorem, praeſertim ſi quis MSS. Codicum exquiſitiſſimum prorſus apparatum ſpectare velit, quippe qui & ob antiquitatis ſuae notam & ob eximium ſane commodum cunctos antiquitatum ſtudioſos cum admiratione ſingulari delectat. Maximi denique Ornamenti loco accedit inſignis illa collectio numiſmatum rariorum, cuius famae celebritas vbique adeo percrebuit, vt non ſolum illi, quibus vel fugitiua perluſtratio conceſſa fuit, ſibi ſe vidiſſe gratulentur, ſed etiam haud pauci eandem ſcriptis ſuis elaborauerint condecorare. Quae clariſſima monumenta ſatis de ſtudiorum incrementis in orbe Gothano teſtantur, ac de eiusdem Principibus idem confirmant, quod de Demetrio, Tullio teſte, praedicatur, eos vtraque re excelluiſſe, cum & doctrinarum ſtudiis, & regenda ciuitate, vere principes extitiſſe reperiantur.

Ergo igitur feliciſſimam depraedicamus SERENISSIMAM DOMVM GOTHANAM cum in TE, SERENISSIME PRINCEPS, tam pium tamque perfectum acceperit ſucceſſorem, qui feliciſſimo Maiores imitandi ſtudio patritam atque auitam gloriam non ſolum conſtantiſſime tueri

&

& exaequare, quam potius longisſime ſuperare admirabili ſuae virtuti conuenientisſimum arbitratur. Quis etenim neſcit, qua religione in Summi Numinis honorem ductus laudatisſima coepta inſtitutaque Maiorum veteri conſuetudine proſequeris, & palam indicas, cuius nutu & auxilio rempublicam TVAM gubernes. Et cum erga ſubditos TVOS eximia pietatis documenta edere non deſiſtas: non certe mirandum, ſi iidem illi pietate & officio ſuo in referenda gratia TIBI ſe ſatisfacere haud poſſe agnoſcunt. Quin etiam omnes exteri, præſertim Germanici imperii ſtatus, prioribus annis luculenter experti ſunt, qua pietatis aemulatione pro reſtituenda imperii noſtri communi pace vigilaueris. Quemadmodum vero a SERENISSIMO PARENTE TVO, cuius cineres adhuc perenni cultu veneramur, in publicum Imperii ac Reipublicae commodum nobis relictus es: ita etiam præſertim ſuperſtitis GENTIS TVAE ſalutem & incrementum, omni quauis ratione, curae cordique habuiſti. Id quod, præter alia grauiſſima argumenta, ſatis confirmat arctiſſimum illud vinculum affinitatis, per connubium SERENISSIMI PRINCIPIS Walliae, trium potentiſſimorum regnorum heredis cum SERENISSIMA TVA SORORE TE vnico duce & auctore contractum, cuius coniunctionis ſaluberrimos fructus prouenientes & nobis & poſteris ex animo precamur. Conſulto hic prætermitto reliqua ſapientiæ TVAE in rem publicam ac ciuilem exempla, quorum licet copioſa enarratione nimis parum nihilominus dixiſſe viderer.

Interim tamen ſi mirificam TVAM in bonas literas propenſionem conſideramus, qua non Tuos modo ſed exteros quoque TIBI deuinctos tenes, vident ac mirantur omnino omnes, quanta ſit magnitudo virtutum TVARVM, quibus de republica literaria ornanda conſeruandaque nunquam non optime meruiſti. Laudatiſſimis enim veſtigiis Maiorum hac etiam ex parte inſiſtens, non ſolum cunctos literarum cultores gratia TVA ſingulari complecteris, ſed etiam in eo ſemper fixam habes curam, vt conatus illorum ac ſtudia modis omnibus promoueantur. Vnde nimirum euenit, vt iuxta regiminis TVI vigilias ad muſarum caſtra perpetuo reſpiciens de incomparabili TVO in cunctas liberales artes fauore illuſtriſſima teſtimonia edere labores. Auges & exornas incredibili ſtudio ſplendidiſſimam Bibliothecam Gothanam, eidemque omnis generis libros praeſtantes, cum nullis plane ſumtibus parcere velis, vndique coëmtos ſimillimo, Romani Decoris, Luculli exem-

exemplo, inferi curas. Cuius rei, inter tot clarissima indicia, ego quoque ipsemet mihi certissimus sum testis, quippe qui a longissimis abhinc annis ad præsens vsque tempus præter alia gratiæ DOMVS GOTHANAE signa & a SERENISSIMO TVO PARENTE, & a TE ipso haud fui dedignatus, quin etiam ex officina mea libraria accessiones quædam prouenire potuerint. Neque vero incomparabilem illum Bibliothecæ TVAE Thesaurum TIBI soli TVOque vsui tantum conseruas, sed potius commune veluti Musarum hospitium exstare voluisti, hospitibus semper paratum & obuium, quo ibidem oculos & animos pascere valerent, ita vt quemadmodum in aliis rebus felicissimus aditus cunctis patet, ita etiam huius literariæ sedis facillimus vsus & commercium præbeatur. Quam singularem prorsus gratiam ego pariter sat luculenter expertus submissa veneratione prædico, cum hucusque pretiosissimum illud Codicis Theodosiani MSS. exemplum nobiscum indulseris communicari, cuius ope quantum lucis ac splendoris operi huic nostro accesserit, omnibus doctrinæ solidioris amatoribus abunde iam constat.

Quo magis aptum piumque est, vt eiusmodi munus TVVM insigne acceptum ferentes TIBI potius laboris nostri fœtus in gratissimæ mentis documentum offeramus, TVOque nomine nuncupatum literario orbi commendemus. Accipe igitur illud, SERENISSIME PRINCEPS, eo, quo antea erga me vsus es, serenissimo vultu, TVOque aspectu præsentes meos conatus non dedignare, meque denique ipsum gratiæ TVAE commendatum esse & manere patere. Ita Deus Optimus Maximus TE, SERENISSIME PRINCEPS vna cum SERENISSIMA DOMO TVA per plurimos annos saluum & incolumem conseruet ac res spesque TVAS omnes & singulas domi forisque pace belloque perpetuo prouehat, perpetuo fortunet.

SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE GRATIOSISSIME

SERENITATI TVAE

Lipsiæ A.O.R. cIↄ Iↄ CCXXXVII.
IX. Kalend. April.

deuotissimus subiectissimusque
MAVRIT. GEORG. WEIDMANN.



LECTORI BENEVOLO

SALVTEM

IOAN. DAN. RITTER

IN ACADEM. LIPSIENS. PP.



Vperiore anno cum in *præmissa* primo Operis huius volumini *Præfatione* antiquissimum commendarem *MS. Codicem* Legis Romanæ, in Tabulario Ecclesiæ Cathedralis *Wirceburgensium* extantem, reiecta *folio tertio* CL. ECCARDI opinione, qui rarissimum illud Codicis Theodosiani exemplar (vti appellat) S. Burchardum Roma attulisse, pronuntiauit, statui; nullum Breuiarii Wisigothici vsum tum fuisse in Italia, verum secundum *Edictum Theodorici* Ostro-Gothorum Regis causas in foris Italiæ decisas. *Folio* tandem *nono*, cum paucis admodum verbis de vsu Romanæ Legis, dominantibus per Italias Longobardis, edisseruissem, addidi, *a Francis* demum occupato atque destructo Longobardorum regno, *legum Corpus*, quod quondam Alarici iussu confectum fuerat, *importatum in Italiam*, iudicibusque commendatum videri. Sed hæc, quæ tum in transcursu quasi a me dicta fuerant, ne quis temere asserta fuisse statuere posset, animus iam est, latius paullo exponere, sententiamque, quantum licebit in penuria Scriptorum coæuorum, confirmare. Atque id scio, neminem ignorare, eo ipso tempore, quo *Odoacer Herulus*, pulso *Augusto* siue *Augustulo*, occupauit Italiam, quod factum A. D. CCCCLXXVI. testibus MARCELLINO & CASSIODORO *in Chron.* & ANONYMO *Cuspiniani*, remque referentibus JORNANDE *de Rebus Get. cap. 46.* & ANONYMO *Valesiano*, qui cum Marcellino editus est, *pag. 716. edit. Gronou.* secundum *Theodosianum Codicem*, qui iis temporibus simul cum *Nouellis* Principum, qui post Theodosium imperarunt, *Constitutionibus*, solus pro lege erat, in iudiciis pronunciatum fuisse per Italias. Nihil vero memoriæ est traditum, quomodo se circa administranda iura *Heruli* tum gesserint. Grauiter accusat apud Zenonem Orientis Augustum *Odoacrum* eiusque imperium *Theodoricus* Rex ficta oratione, quam habes apud JORNANDEM *de Reb. Get. cap. 57.* ibi: *Hesperia plaga, quæ dudum Decessorum prædecessorumue vestrorum regimine gubernata est, & vrbs illa caput orbis & domina, quare nunc regis Turcilingorum & Rugorum tyrannide fluctuat.* & mox: *quem non nostis, tyranni iugo Senatum vestrum, partemque reipublicæ captiuitatis seruitio premat.* Et Romanos etiam re vera impatienter tulisse Odoacri imperium, docet me MALCHVS *Rhetor Philadelphensis in Excerpt. de Legat. p. m. 63. Tom. I. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* qui refert *Augustulum* (quem Odoacer depositum neque vita spoliauerat, neque ad vltimas truserat miserias, sed lautissime adsignatis reditibus sex millium solidorum alebat, referente ANONYMO *Valesiano pag. 716.*) postquam audierat, Zenonem recuperasse expulso Basilisco Orientis imperium, *Senatum* vrbis veteris *coegisse*, vt Legatos ad Zenonem mitteret, peteretque Odoacro *Patriciatus* dignitatem. Ita autem MALCHVS *l. c.* Ὅτι ὁ Αὔγουστος ὁ τοῦ Ὀρέστου υἱός, ἀκούσας Ζήνωνα πάλιν τὴν βασιλείαν ἀνακεκτῆσθαι τῆς ἕω, τὸν Βασιλίσκον ἐλάσαντα. ΗΝΑΓΚΑΣΕ τὴν βουλὴν ἀποστεῖλαι πρεσβείαν Ζήνωνι σημαίνουσαν, ὡς ἰδίας μὲν αὐτοῖς βασιλείας οὐ δέοι, κοινὸς δὲ ἀποχρήσει μόνος ὢν αὐτοκράτωρ ἐπ᾽ ἀμφοτέροις τοῖς πέρασι. τὸν μέντοι Ὀδόαχον ὑπ᾽ αὐτῶν προβεβλῆσθαι, ἱκανὸν ὄντα σώζειν τὰ παρ᾽ αὐτοῖς πράγματα, πολιτικὴν ἔχοντα σύνεσιν ὁμοῦ καὶ μάχιμον. καὶ δεῖσθαι τοῦ Ζήνωνος, πατρικίου δὲ αὐτῷ ἀποστεῖλαι ἀξίαν, καὶ τὴν τῶν Ἰταλῶν τούτῳ ἐφεῖναι διοίκησιν. *Augustus*

Orestis

Orestis filius, vt audiuit Zenonem iterum Orientis imperium, expulso Basilisco, recuperasse, senatum (veteris romæ) Legationem ad Zenonem mittere COEGIT, *quæ illi significaret vrbem proprio Imperatore non indigere. Vnum quidem Imperatorem sed communiter illi vtriusque imperii fines tutandos esse: Odoachum sibi Præpositum adsumpsisse idoneum, qui saluas res faceret. Ille enim & scientia Respublicæ administrandæ, & rei militaris peritia præstat. Itaque orare, vt illum Zeno Patriciatus dignitate ornet, & Italiam diœcesim regendam committat.* Sed si quis hæc accuratius intuetur, mox ille sentiet, *Herulum* Zenonis Augusti, intercessione vsum, & Senatus Romani, & Augustuli, gratiam cupiisse, exoptasseque ab eo confirmationem regni Italici, quod quasi iure clientelari obtinere volebat. Idem MALCHVS *l. c.* pergit referendo, Legationem ad aulam Constantinopolitanam successu exoptatissimo res suas expediisse, & *Odoacrum* a Zenone *Patriciatus* maxima dignitate fuisse exornatum. Vide inter recentiores hæc quoque tradentem Virum nunquam sine laude nominandum ANTONIVM PAGIVM *Critic. ad Annal. Baron. an. 480. num. 5.* His autem ita sese habentibus, nullum apud me est dubium, quin *Herulorum Rex*, qui tanto ab Augusto Constantinopolitanorum adfectum se videbat honore, *Romanos Italosque*, quos sub iugum quasi seruitutis barbaræ traxisse videbatur, *auito iure*, *Constitutionibus* nimirum *Principum* inde a Constantini æuo datis collectisque a Theodosio, & auctis ab eius successoribus, viuere passus sit. Erat enim *Patricius* quasi ADIVTOR *imperii*, quod testatur forma constitutionis eius in *histor. Paulli Foroiuliani de Gestis Longobardorum*, ibi: *Nobis*, inquit Imperator, *nimium laboriosum esse videtur concessum nobis a Deo ministerium solum procurare: quocirca Te nobis* ADIVTOREM *facimus, & hunc honorem Tibi concedimus, vt Ecclesiis Dei & pauperibus legem facias, & inde apud altissimum iudicem rationem reddas.* Vide hæc excerpta ex Codice Vaticano apud CL. DV FRESNE *Glossar. Latin. voc. Patriciatus.* Idem vero elicere poteris ex *Patriciatus formula* apud CASSIODORVM *VI. 2.* quocum iunge CONSTANTINI PORPHYROGEN. quæ tradit *de administ. imper. cap. 27.* Sed hæc forte nondum satisfaciunt, hinc nonnulla ex *Præfatione Edicti* Theodorici Ostro-Gothorum Regis, qui Herulos pepulit, tecum communicare lubet. Ita autem Rex memoratus. *Nos tamen cogitantes generalitatis quietem, & ante oculos habentes, illa quæ possunt sæpe contingere, pro huiusmodi casibus terminandis, præsentia iussimus edicta pendere; vt* SALVA IVRIS PVBLICI REVERENTIA, *&* LEGIBVS OMNIBVS *cunctorum deuotione seruandis, quæ barbari Romanique sequi debeant super expressis articulis, edictis præsentibus euidenter cognoscant.* Vides *Ius Publicum* Romanorumque *Leges*, conseruandas esse, Regem statuisse: atque simul non potes non concludere, Italos *receptum Ius*, quod iam confirmat Theodoricus, Herulis dominantibus negligere non fuisse coactos.

Haut diuturnum fuit *Herulorum imperium;* fuerunt enim per *XVI.* tantum *annos* Italiæ Domini. Neque hi elapsi erant, cum iam *Theodoricus OstroGothus*, quem *Zeno* Imperator auxerat multis honoribus, teste PROCOPIO *de bell. Goth. lib. 1. c. 1.* & AVCT. HIST. MISCELL. *lib. XV. p. m. 99. Tom. I. Scrips. Rer. Ital.* ab eodem ad vindicandam Italiam mitteretur, *Eusebio & Probino Coss. A. D. CCCCLXXXIX.* CASSIODORVS *in Chron.* MARCELLIN. *in Chron.* ANONYMVS *Cuspinian.* & *Valesian.* a quo Odoacer *Eusebio II & Albino Coss. an. CCCCXCIII.* trucidatus est. *Rex Italiæ Theodoricus* Zenone morte iam defuncto, confirmatus, quod docere Te etiam poterit præter alios CASSIODORVS *l. Var. 1.* Statum Italiæ eo imperante exposuit optime ANONYMVS *Valesianus pag. 719. Cuius temporibus*, inquit, *felicitas est secuta Italiam per annos XXX. ita vt etiam pax pergentibus esset. Nihil enim perpere gessit. Sic gubernauit duas gentes in vno Romanorum & Gothorum, cum ipse quidem Arianæ sectæ esset, tamen militia Romanis sicut sub Principes esset.* Quæ autem tum iura obtinuerint, poterunt facili via illi indagare, quibus iucundum est legere CASSIODORI *Varias*, ex quibus simul intellecturos esse existimo, *Theodoricum* clientelari quasi iure possedisse Italiam, & maiestatem aulæ Constantinopolitanæ continuo esse veneratum, quod vel sola testari potest *prima* Theodorici ad Anastasium August. *Epistola*, quacum iungas velim JORNANDEM, qui *c. 59. de Reb. Get.* scripsit Theodoricum proximum morti Comitibus in mandatis dedisse, *vti senatum Populumque Romanum amarent, Principemque Orientalem placatum semper propitiumque haberent.* Alia docebit *Epistola* CL. ECCARDI *de Num quibusdam sub Regimine Theodorici Gothorum Regis, in honorem Impp. Zenonis & Anastasii cusis*, quæ lucem vidit *Hanou. MDCCXX.* Et ego iniurius essem in manes Gothofredianos, si multa ex CASSIODORI *Variis*, Thesauro huius æui incomparabili, repetere hic loca tentarem, probaturus *Codicis Theodosiani* atque *Nouellarum Constitutionum* regnante Theoderico in Italia, *auctoritatem*, cum id in *Prolegomenis Cap. III.* tam late ex iis videre possis expositum, vt si quid adderem, profecto chartæ nescirem parcere. Confici iusserat inprimis studio *Cassiodori*, OstroGothorum Rex, *Edictum*, siue *legem* quandam *generalem*, quæ vniuersos *Barbaros* atque *Romanos* teneret, quod ex dictis paulo ante clarum est, ibi: *Nos tamen cogitantes generalitatis quietem, & ante oculos habentes illa, quæ possunt sæpe contingere.* Nimirum vti *Romani Romanis Legibus* viuebant, ita *Gothi patriis auitisque;* sed cum omni fere die noua emergerent, nondum determinata inter vtrumque populum, atque incerto iure quasi fluctuandum esset, *generali lege*, i. e. *Edicto* pleraque comprehendere Rex voluit, suppleturus & Legum Romanarum defectus & aucturus patrias. Ita enim fine Edicti: *Hæc quantum occupationes nostræ admittere vel quæ nobis ad præsens occurrere potuerunt, a victis tam barbaris quam romanis sumus profutura complexi: quæ omnium barbarorum siue Romanorum debet seruare deuotio.* Pergit: *Quæ comprehe-*

pre-

prehendere nos Edicti breuitas, vel curæ publicæ non fuerunt, quoties oborta fuerint custodito legum tramite terminentur, quibus & *Gothorum Ius consuetudinarium* siue *patrias leges*, & *Romanas* innuit, quas paullo post speciatim memorat, significaturus Edictum ex parte ex iis compositum esse, ibi: *quæ ex nouellis legibus ac veteris Iuris sanctimonia* (Cod. Theodos.) *pro aliqua parte collegimus*, quod scriptum nemo non videt ad captandum Romanorum fauorem, deliniendosque animos eorum, qui spem forte, optime administratum iri Italiæ regnum regnante barbaro, posuerant. Addo hoc *Edictum* ferme ad ordinem Codicis Theodosiani, quem habebant integrum, compositum fuisse videri, hinc inde immixtis capitibus ex nouello iure & consuetudinibus Patriis. Quod eo magis erat necessarium, cum vtramque obligaret gentem, non Romanos tantum. Cumque Vniuersale illud Ius vel ipso fatente Rege non sufficere posset omnibus obuenientibus in foris casibus, essetque *subsidiarium* quasi, relictum Romanis, quod Codice Theodosiano atque Nouellis continebatur, Barbaris patrium, quid quæso erat magis regali conueniens iustitiæ, quam vt gens vtraque suum ex gente sua iudicem haberet, qui & *Leges* & *Mores* nouerat? Hinc in Edicti *Tit. IV. Officium cuiuslibet iudicis* memoratur, & in *Epistola* Athalarici Regis *Variar. VIII. 28.* vides Tancanem siue Rancanem barbarum, romano proprium abstulisse agellum, atque ne vnquam posset rerum suarum imminere possessioni, libero condirionem vltimæ seruitutis imposuisse, tracto eo forte per vim ad Iudicem barbatum, qui in hoc liberali iudicio pessime pronuntiauerat. Quid Rex? improbans omnia scribit: *Magnitudo Tua Decretis obsecuta præsentibus, præfatum* SVO *iubeat adesse* IVDICIO, *& omni inter partes veritate discussa, iuri consentaneam & amicam vestris moribus proferre sententiam.* Et *lib. IX. epist 14.* idem Rex ad Gildiam Comitem Syracusanæ ciuitatis datis literis, *Duorum*, inquit, *negotia Romanorum, etiam his inuitis ad tuum diceris vocare iudicium. Quæ si cognoscis facta, vlterius non præsumas.* Sufficiant hæc; puto enim liquere de statu Iuris regnante Theodorico per Italiam. Sed dum ad alia propero, a me tamen impetrare non possum, vt intactum relinquam locum PROCOPII *Lib. II. de bell. Goth. cap 6.* quem licet paullo longiorem exscribere debui, cum & huc apprime faciat, & notatu dignissima plurima, statum Italiæ Theodorico regnante concernentia, contineat. Ita vero *Vitigis* OstroGothorum Regis Legati ad Belisarium ficta oratione: Ἠδικήκατε ἡμᾶς, ἄνδρες Ῥωμαῖοι, ἐπὶ ΦΙΛΟΥΣ τε καὶ ΞΥΜΜΑΧΟΥΣ ὄντας, ὅπλα οὐ δέον, ἀράμενοι. ἐροῦμεν δὲ ἅπερ καὶ ὑμῶν ἕκαστον οἰόμεθα ξυνεπίστασθαι. Γότθοι γὰρ οὐ βίᾳ Ῥωμαίους ἀφελόμενοι γῆν τῆς Ἰταλίας ἐκτήσαντο. ἀλλ' Ὀδόακρός ποτε, τὸν αὐτοκράτορα καθελὼν, ἐς τυραννίδα τὴν τῇδε πολιτείαν μεταβαλὼν εἶχε. Ζήνων δὲ τότε τῆς ἑώας κρατῶν καὶ τιμωρεῖν μὲν τῷ ξυνβεβασιλευκότι βουλόμενος κατὰ τοῦ τυράννου, τὴν δὲ χώραν ἐλευθεροῦν, Ὀδοάκρου δὲ καταλῦσαι τὴν δύναμιν οὐχ οἷός τε ὤν, Θευδέριχον ἀναπείθει τὸν ἡμῶν ἄρχοντα (καίπερ αὐτόν τε καὶ Βυζάντιον πολιορκεῖν μέλλοντα) καταλύσειν μὲν τὴν πρὸς αὐτὸν ἔχθραν τιμῆς ἀναμνησθέντα, πρὸς αὐτοῦ ἧς τετύχηκεν ἤδη, καὶ πατρίκιός τε, καὶ Ῥωμαίων γεγονὼς ὕπατος, Ὀδόακρον δὲ ἀδικίας τῆς ἐς Αὐγουστοῦλον τίσασθαι. καὶ τῆς χώρας αὐτόν τε καὶ Γότθους τὸ λοιπὸν κρατεῖν ὀρθῶς καὶ δικαίως. οὕτω τοίνυν παραλαβόντες τὴν τῆς Ἰταλίας ἀρχὴν, τούς τε ΝΟΜΟΥΣ καὶ τὴν ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ διεσωσάμεθα τῶν πώποτε βεβασιλευκότων οὐδενὸς ἧσσον. καὶ Θευδερίχου μὲν, ἢ ἄλλου ὅτου οὖν διαδεξαμένου τὸ Γότθων κράτος, νόμος τὸ παράπαν οὐδεὶς, οὐκ ἐν γράμμασιν, οὐκ ἄγραφός ἐστι. τὰ δὲ τῆς εἰς Θεὸν εὐσεβείας τε καὶ πίστεως, οὕτω Ῥωμαίοις ἐς τὸ ἀκριβὲς ἐφυλάξαμεν. ὥστε Ἰταλιωτῶν μὲν τὴν δόξαν οὐδεὶς, οὐχ ἑκὼν οὐκ ἀκούσιος, ἐς τήνδε τὴν ἡμετέραν μετέβαλεν. Γότθων τε μεταβεβλημένων, ἐπιστροφή τις οὐδαμῶς γέγονε. καὶ μὴν καὶ τὰ Ῥωμαίων ἱερὰ τιμῆς παρ' ἡμῶν τῆς ἀνωτάτω τετύχηκεν. οὐ γὰρ οὐδεὶς, εἴς τι τούτων καταφυγὼν πώποτε, πρὸς οὐδενὸς ἀνθρώπων βεβίασται. ἀλλὰ καὶ ΠΑΣΑΣ ΤΑΣ ΤΗΣ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ΑΡΧΑΣ αὐτοὶ μὲν διαγεγόνασι ἔχοντες. Γότθος δὲ αὐτῶν μετέχει οὐδείς. ἢ παρελθών τις ἡμᾶς ἐλεγχέτω, ἢν μὴ μετὰ τοῦ ἀληθοῦς ἡμῖν εἰρῆσθαι οἴηται. προσθείη δ' ἄν τις, ὡς καὶ οἱ τὸ ΥΠΑΤΩΝ ΑΞΙΩΜΑ Γότθοι ξυνεχώρουν Ῥωμαίοις πρὸς τοῦ τῶν ἑώων βασιλέως ἐς ἕκαστον ἔτος κομίζεσθαι. i. e. *Inique fecistis Romani, cum in nos amicos licet sociosque vestros, arma, contra quam fas erat, sumpsistis. In eam rem proferre satis habebimus, quæ cuique vestrum nota esse existimamus. Non ita Gothi Italia potiti sunt, vt ea Romanos per vim spoliauerint. Sed olim Odoacer sublato Imperatore, rei administrationem publicæ, hic tyrannide mutatam, obtinuit. Tunc temporis Zeno Orientis Imperator in animo habens, ei, qui consors principatus fuerat, factam a tyranno iniuriam vlcisci, atque has oras in libertatem restituere; cum Odoacri potentiam euertere non posset; Theodorico Principi nostro, paranti ipsum ac Byzantium obsidere, persuasit, vt in gratiam secum rediret, honorum memor, quos ab ipso consecutus iam esset (quippe adscriptus Patriciis, & factus Consul Romanus fuerat) Augustulo illatam ab Odoacro iniuriam vltum iret, ac prouincias ipse & Gothi deinceps iure optimo possiderent. Hoc igitur pacto Italiæ regnum adepti, leges ac regiminis formam haut minori studio, quam quiuis Imperatorum veterum, conseruauimus. neque vlla prorsus Theodorici, aliusue cuiuspiam Gothorum Regis lex scripta exstat, vel non scripta. Quod ad diuinum cultum fidemque attinet, Romanis in integro rem sic esse voluimus, vt Italorum nemo religionem, nec volens, nec coactus, ad hanc diem mutauerit, neque in Gothos, qui ad illorum sacra transierunt, vllo sit modo animaduersum. Imo vero honorem summum templis Romanorum impendimus. Quisquis enim salutem suam eorum cuiquam aliquando commisit, ei vim nullus mortalium attulit. Præterea ciuiles omnes magistratus gessere ipsi, neque illos cum Gothorum quopiam communicarunt: quæ si quis falso a nobis dicta putat, nos palam confutet. Accedit huc, quod Romanis per Gothos licuit ab Orientis Imperatore quotannis Consulatum accipere.* Vides φίλους καὶ ξυμμάχους fuisse *Gothos* Constantinopolitanorum Impp. & obligatos ex fœderis legibus, vt ingruente necessitate Romanis præstarent auxilia. Solebant

enim Imperatores, aduertentes perpensa deliberatione ad animum, barbaros, qui in cultissimas imperii prouincias irruptionem fecerant, expelli armis non posse, gentium *Duces* iis afficere *dignitatum generibus*, quibus proprium erat *iura maiestatemque Augusti* defendere, vt viderentur nationes exteræ *auspiciis* quasi *Imperatoriis* administrare prouincias. Elegantissimus est in hanc rem locus ZOSIMI *lib. V. cap. 48.* vbi *Iouius* Prætorio Præfectus, postulante *Alaricho* Gotho vtramque Venetiam, Noricos & Dalmatiam inhabitandam, literis ad *Honorium Augustum* datis suadet, κατασῆσαι δυνάμεως ἑκατέρας Στρατηγὸν Ἀλλάριχον. ὥστε ταύτης αὐτὸν τυχόντα τῆς θεραπείας, χαλάσαι τὶ τῆς βαρύτητος τῶν συνθηκῶν, καὶ ἐπὶ Φορητοῖς καὶ μετρίοις ποιήσασθαι τὰς σπονδάς, *Alarichum vtriusque militiæ Magistrum constitueret* Imperator; *vt hoc modo delinitus, de conditionum asperitate nonnihil remitteret, ac tolerabilibus moderatisque legibus pacem faceret.* Idem *Zeno* intendit, cum *Theodoricum Numeris Præsentalibus* præficeret, quod vide apud MARCELLINUM *in Chron. sub Fausti Cons.* Idem volebant etiam *Anastasii Consularia insignia* ad *Chlodouechum* Francorum Regem transmissa, quæ memorat GREGORIUS TURONENSIS *lib. II. c 38.* Denique id notatu est dignissimum, quod de Consulibus tradit PROCOPIUS, eos nimirum in Occidentis partibus licet, ab Imperatoribus tamen Orientis fuisse nominatos, quod factum præterea confirmat CASSIODORUS *VIII. Var. 1.* ibi enim *Athalaricus* Rex ad *Iustinum* (ita enim scribendum, non *Iustinianum* vt male editum) scribit: *Vos genitorem meum in Italia palmatæ claritate decorastis*, innuens *Eutharicum* Patrem *Amalasuentæ* coniugem, qui Consulatum gessit simul cum *Iustino Aug.* A. D. DXIX. Vide hanc in rem etiam disputata ab ANT. PAGI *Differt. Hypat. Prolegom. num. XLI.* Et hæc hactenus a PROCOPIO adducta, quo magis cum veritate sunt consentanea, eo maiorem existimo, apud omnes illa excitatura admirationem, quæ de *Theodorico* scripsit, eum neque *scriptas* dedisse *leges*, imo ne Gothos quidem *iure* vsos esse *consuetudinario*, id enim indicant illa, νόμος ὐκ ἄγραφος ἐςι. Verum decantata res est, hallucinasse Procopium, atque Gothorum Legatis ea adfinxisse verba, quæ a viris sanæ mentis expectari non poterant. Certe in tanta hodie versamur luce, vt non modo tutissime affirmare valeamus *Leges* a Theodorico confectas esse, sed & pronunciare de tempore, quo *Edictum* ab OstroGothorum in Italia Rege promulgatum est. Occasionem eius conficiendi narrat AUCTOR *Chronici Alexandrini pag. 757. edit. Raderi*, cuius integra verba iuuabit nosse.

INΔ. ή, ιά, ὑπ. Συμμάχȣ μόνȣ.

Τȣ́τῳ τῷ ἔτει Θεοδερίχῳ τῷ γενομένῳ Ρηγὶ Ρώμης, προσῆλθεν μία γυνὴ συγκλητικὴ Ρώμης ὀνόματι Ιȣβεναλία, διδάσκȣσα αὐτὸν, ὅτι τρία ἔτη ἔχω δικαζομένη μετὰ τȣ̃ Πατρικίȣ Φόρμȣ, καὶ ἐυλύτωσόν με. καὶ ἐνεγκὼν τȣ̀ς δικολόγȣς αὐτῶν ἀμφοτέρων μερῶν εἶπεν αὐτοῖς, Οτὶ εἰ μὴ διὰ τῆς αὔριον δώσετε αὐτοῖς ὅρον, καὶ ἀπαλλάξετε αὐτȣ̀ς, ἀποκεφαλίζω ὑμᾶς. καὶ καθίσαντες διὰ τῶν δύο ἡμερῶν εἶπαν τὰ δόξαντα τοῖς νόμοις, δεδωκότες αὐτοῖς ὅρον, καὶ ἀπηλλάξαντες αὐτȣ̀ς, καὶ ἅψασα κηρȣ̀ς ἡ Ιȣβεναλία προσῆλθεν αὐτῷ εὐχαριςȣ̃σα, ὅτι ἐυλυτώθη ἡ δίκη αὐτῶν. καὶ ἠγανάκτισεν ὁ αὐτὸς Ρὴξ κατὰ τῶν δικολόγων, καὶ ἀγαγὼν αὐτȣ̀ς εἶπεν αὐτοῖς. Διὰ τί ὁ ἐποιήσατε εἰς δύο ἡμέρας, καὶ ἀπηλλάξατε αὐτȣ̀ς, εἰς τρία ἔτη ὐκ ἐποιήσατε; καὶ ἀπεκεφάλισεν τȣ̀ς δύο δικολόγȣς ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν. καὶ ἐγένετο φόβος. καὶ ΕΠΟΙΗΣΕ ΔΙΑΤΑΞΙΝ ΠΕΡΙ ΕΚΑΣΤΟΥ ΝΟΜΟΥ. καὶ ἐξελθὼν οἴκησεν τὴν Ράβενναν πόλιν παραθαλάσσιον ἕως θανάτȣ αὐτȣ̃. IND. *VIII. Zenon A XI. Symmacho solo Consule. Hoc anno ad Theodoricum Romanorum Regem accessit patricia fœmina Romana Iuuenalia nomine, docuitque Regem, se iam tertium annum cum Patricio Formo controuersiam habere: Expedi (inquit) causam meam. Rex accersitis vtriusque partis iudicibus; quod nisi, inquit, crastino die litem finieritis & pronunciata sententia dimiseritis litigantes plectam vos capite. Congressi illi, biduoque in agnoscenda causa consumpto, ex lege sententiam pronunciarunt, & vtrumque dimiserunt. Iuuenalia accensis cereis venit ad Regem & gratias egit, quod a lite esset absoluta Indignatus Rex, iudicibus vocatis dixit. Quare quod vno biduo fecistis, in triemium traxistis? Binosque vtriusque partis iudice. securi percussit. Vnde timor in reliquos manauit. Rex* DECRETO (Edicto) DE SINGULIS LEGIBUS EDITO *Roma discessit, & Rauennæ maritima ciuitate, vsque ad vitæ finem habitauit.* Vltima ostendunt *Edictum* Theodorici fuisse editum A. D. *D* & ab Auctore huius Chronici male ad Symmachi Consulatum id referri A. D *CCCCLXXXV.* quo Theodoricus neque Italiæ Rex, neque in Italia erat. Sed anno *D.* Rex OstroGuthorum *Romam* venit, ibidemque per sex mensium spatium consistens, tandem ad *Rauennam* adiit. CASSIODORUS *in Chron. Patricio & Hypatio Coss* scribit: *Hoc anno* (D) *Dominus noster Theodericus,* ROMAM *cunctorum votis expetitus aduenit, & senatum suum mira affabilitate tractans, Romanæ plebi donauit* ANNONAS, *atque admirandis* MOENIBUS *deputata per annos singulos maxima pecuniæ quantitate subuenit* &c. Et huc pertinent ANONYMI *Valesiani* verba *pag. 720. edit. cit. Post facta pace in vrbe Ecclesiæ* (inter Symmachum Papam & Laurentium schismaticum) *ambulauit Rex Theodoricus* ROMAM, *& occurrit B. Petro deuotissimus, ac si Catholicus. Cui Papa Symmachus & cunctus senatus, vel Populus Rom. cum omni gaudio extra vrbem occurrentes. Deinde veniens ingressus vrbem, venit ad Senatum, & ad Palmam populo, adlocutus, se omnia Deo iuuante, quod retro Principes Romani ordinauerunt, inuiolabiliter seruaturum promittit. Per* TRICENNALEM TRIUMPHANS *populo ingressus Palatium, exhibens Romanis* LUDOS CIRCENSIUM. *Donauitque populo Romano & pauperibus* ANNONAS *singulis annis, centum viginti millia modios, & ad restaurationem Palatii, seu ad recuperationem* MOENIÆ *ciuitatis singulis annis libras ducentas de arca vinaria dari præcepit.* Paullo post inquit: *Deinde sexto mense reuertens*

RAVEN-

RAVENNAM &c. Ita hic accuratus auctor in omnibus conspirat cum CASSIODORO simulque docet hoc *Anno D.* demum Theodoricum *Rauennam* iuisse, Romæque edidisse *Circenses*, vt adeo facilis sit emendatio Alexandrini Chronici, atque affirmari tuto possit, *Edictum Romæ* editum nonnisi *anno D.* fuisse, quo demum vrbem Rex ingressus est. Sed & alia adest ratio, quæ hanc ipsam supputationem multum stabilire debet. Nimirum in annum sæpius memoratum incidunt *Decennalia* Theodorici Regis, Romæ ab eo cum pompa celebrata. Innuit ea AVCTOR ANONYMVS, quando scribit, *per tricennalem triumphans;* vbi nemo non videt reponendum esse, per *Decennalem*, vti iam olim emendauit CL. VALESIVS, qui tamen in eo falsus est, quod statuit Ostro Gothorum Regem, Romæ constitutum, *Decennalia* per biennium anticipasse, numerando nimirum ab *an. CCCCXCIII.* a secunda Epocha Theodorici, Odoacre trucidato & regno Herulorum penitus euerso. Neque enim hoc insolens factum reputabat vir laudatus. At confutata est eius opinio a CL. ANTONIO PAGIO & in *dissert. hypat. Part. II. Cap. II. n. 15. pag. 97. edit. Lugdunens.* in *Prolegom num. XL.* & *Critic. ad Annal. Baron. an. D.* qui docuit, neque Theodoricum, neque vllum alium Romanum Principem per biennium anticipasse Decennalia. Celebrauit certe ea *Anno* tantum *D.* anticipata per annum vnum, numerando ab initio anni *CCCCXCVII*, quo ediderat *Quinquennalia.* Vide ANTONII PAGII canonem tertium Quinquennalium, Decennalium & id genus Festorum, *Dissert. Hypat. Part. II. c. 2. num. 7. pag 89. edit. cit.* adde *Prolegomena l. c.* Et omnino de *Decennalibus* editis intelligenda esse citata ANONYMI verba, docent, exhibiti Romæ *ludi Circenses, actus Triumphus, facta populo donatio, mœnium refectio*, cuius generis res, annis his festiuitatibus dicatis, tantum fieri solebant. Denique certum est hæc solemnia plerumque illustrium legum promulgatione celebriora fuisse reddita, quod satis testantur *Quindecennalia* Hadriani, in quibus *Edictum Perpetuum* publicatum, & *Tricennalia* Theodosii iunioris, in quibus *Codicem* suum edidit. Hinc Theodoricus, qui retinuit omnia, quæ quondam in Italia Augusti facere consueuerant, in *Edicto* publicando secutus est morem Romanorum Principum. Et ad Decennalia hæc, videtur mihi etiam respicere laudatus ANONYMVS pag. 722. scribens: *Igitur Rex Theodoricus illiteratus erat, & sic obruto sensu* (bruto sensu) *vt in* DECEM ANNOS *regni sui, quatuor literas subscriptionis* EDICTI *sui discere nullatenus potuisset.* Tenemus *occasionem* ex auctoritate *Chronici Alexandrini*, qua *Edictum* confectum fuit, & forte ea lucem affundere potest primis præfationis *Theodoricianæ* ad Edictum suum verbis. *Querelæ ad nos plurimæ peruenerunt, intra prouincias nonnullos legum præcepta calcare. Et quamuis nullus iniuste factum possit sub legum auctoritate defendere* &c. Facile etiam mihi persuadeo, Regem ira adhuc recenti aduersus Iudices iniquos exacerbatum, *primo* mox *Edicti capite* seuerissime in eos animaduertendum statuisse: *Priore itaque loco statuimus, vt si iudex acceperit pecuniam, quatenus aduersum caput innocens contra leges & iuris publici cauta iudicaret, capite puniatur.* Denique etiam *Tempus* quo Edictum publicatum est, tenemus memoria, simulque iudicare possumus, ex genuino atque integro *Codice Theodosiano* illud excerpi debuisse, cum *Breuiarium Aniani*, vt vulgo vocatur, siue *Lex Romana* iussu Alarici Wisigothorum Regis in Gallia promulgata demum *Anno D. DVI.* fuerit.

Hæc erat fori facies per *annos XXXIII.* quibus *Theodoricus* iure pleno obtinuit Italiam: cuius sub felici imperio *plurimæ renouatæ vrbes, munitissima condita castella, admiranda extructa Palatia, magnisque operibus antiqua miracula superata sunt*, teste CASSIODORO *in Chronico;* quamuis negari non possit, vltimis imperii annis, in *Ecclesiam* & *Senatum Romanum* Regem fuisse paullo iniquiorem, qua de re agit sæpe laudatus ANONYMVS *Valesianus.* Succedebat *Theodorico* Nepos ex filia *Amalasuentha, Athalaricus Eutharici* filius *A.D. DXXVI* octo annorum puer, docente JORNANDE *de Regnor. Succes. pag. 241. Tom. I. Script. Rer. Ital.* PROCOPIO *de bell. Goth. lib. 1. c. 2.* cuius mater sapientissime administrauit regnum, quam *Reginam* appellatam fuisse videbis apud CASSIODORVM *Lib. X. Ep. 1. 3. 8. 10.* & *Ep. 4.* de ea *Theodahadus* Rex, *vt quæ cum paruulo filio imperauit sola, nunc mecum decreuit regnare sociata*, & AVCTOR HIST MISCELL. *Lib. XV. pag. 103. Tom. 1. Script. Rer. Ital Gothi sibi Athalaricum ex Theodorici Regis filia procreatum cum eadem Amalasuinta matre sua in regnum præficiunt.* His imperantibus *Senatui Populoque Romano* iura omnia conseruata sunt. CASSIODORVS *VIII. 2. 3. 4.* Commendauerat hoc in Senatum studium, simulque amicitiam cum Principibus Orientis sancte colendam, Nepoti auus. JORNANDES *de Reb. Geth. cap. 59. Eisque in mandatis dedit, ac si testamentali voce denuncians, vt regem colerent* (rectius Cod. Ambros. Mediol. *ac si testamentali lege denuncians, vt legem colerent*) *Senatum Populumque Romanum amarent, Principem Orientalem placatum semper propitiumque haberent*, qua de re supra etiam ex iisdem auctoris verbis nonnulla iam a me fuerunt monita. Erant imperantes audientes dicto; *ibidem: Dum ergo ad spem iuuentutis Athalaricus accederet, tam suam adolescentiam, quam matris viduitatem Orientis Principi commendauit.* Vbi *Iustinus* Augustus intelligendus, quamuis plerique & inter hos etiam SIGONIVS *Iustinianum* velint, & Inscriptio *Epistolæ 1.* apud CASSIODORVM *Lib. VIII.* præferat, *Iustiniano Imperatori Athalaricus Rex.* Sed notauit iam olim GVIL. FORNERIVS Codices quosdam probæ notæ præferre *Iustino*, quam lectionem postea NICOL. ALEMANNVS *in not. ad Procop. hist. arcan. cap. 6.* non tantum in Codice Vaticano vidit, verum etiam vindicauit ex Epistolæ verbis, in qua audit *Imperator* Orientis, *Princeps longæuus*, cum *Iustinianus* esset iuuenis, scribatque *Athalaricus*, *Vos Genitorem meum* (Euthariçum) *in Italia palmata*

claritate decorastis, & mox, *factus est per arma filius quamuis vobis pene videbatur æquæuus*; quæ in *Iustinum* non in *Iustinianum* cadere debent. In ea præterea epistola Rex nouus *Iustino* commendatum regnum Italiæ vult, & in fidem sese Augusti Orientis tradidit: *Sit Vobis*, inquit, *regnum nostrum gratiæ vinculis obligatum. Plus in illa parte regnabitis, vbi omnia caritate iubetis.* Nolo cumulare plura: ostendam potius, regnante *Athalarico* cum matre, supplementum nouum accessisse ad Constitutiones Romanorum Principum, quas aut explicitas denuo, aut neglectas forte in vsum reuocatas, videre licet. Auus quod *Edicto* cauerat, id volebat Nepos. Vide CASSIODORVM *IX. Var. 14. Edicta gloriosi Domni aui nostri, vel vniuersa præcepta* &c. *sub tanta volumus obedientia custodiri* &c. Cumque Theodoricus *Leges Romanas seruandas deuotissime* constituisset, Athalaricus Antecessorem sequens idem sanxit. CASSIODORVS *IX. Var. 14. Vos* (Gothi) *armis iura defendite, Romanos sinite legum pace litigare.* Imo facile quis animaduertere poterit, euoluens huius æui historicos, *Athalarico* in solio regio constituto, plus Romanis omnibusque Italis tributum fuisse, quam cum ad gubernacula resideret Theodoricus. Erat enim mater regis tanto prædita animo, eaque instructa præterea imperandi prudentia, (ad quam ingenii rara accedebat vis) vt non tantum antecelluerit reliquos omnes Gothorum Reges, sed & Romanis Principibus virtute clarissimis, par fuerit. Primo mox regiminis anno *DXXVI* de *Episcopatus Electione* Rex erat sollicitus, quod ostendit *Epistola* CASSIODORI *15. Lib. VIII.* ad Senatum Romanæ vrbis. Theodoricus enim *Iohanne* Pontifice mortuo anno recitato, eligendi Romani Pontificis Ius sibi sumpserat, *Felicem IV.* Clero, Senatui Populoque Romano commendans, quem electum Athalaricus confirmauit. Successit in hoc ius Pontificis eligendi, *Iustinianus Augustus* pulsis Gothis, idque post eum longo ordine Successores obtinuere. Vide hac de re differentem ANTON. PAGIVM *in Crit. ad Annal. Baron. an. 526 num. 8.* Fuerat tum etiam *de foro Clericorum* disputatum. Romanus enim Clerus, pulsatus actione, iudicem habuerat semper Romanæ Sedis Antistitem, quod Priuilegium forte vltimis Theodoriciani regiminis annis, denegatum, Athalaricus restituit apud CASSIODORVM *Epist. 24. Lib. VIII. Definimus*, inquit, *vt si quispiam ad Romanum Clerum aliquem pertinentem, in qualibet causa probabili crediderit actione pulsandum, ad Beatissimi Papæ iudicium prius conueniat audiendus* &c. *Et si forte, quod credi nefas est, competens desiderium fuerit petitoris elusum, hinc ad secularia fora iurgaturus occurras, quando suas petitiones probaueris a supradictæ sedis Præsule fuisse contemptas.* Qua constitutione OstroGothorum Rex reuocat ius Clericis olim in lultum a *Gratiano Augusto*, Constitutione data Treuiris anno CCCLXXIII. *L. 23. C. T. de Episcop. Eccles. & Cleric.* ab *Honorio Aug. Leg. 41. C. T. d. t.* data an. CCCCXII. ibi: *Clericos non nisi apud Episcopos accusari conuenit*, & *Valentiniano* constitutione Aquilegiæ data an. CCCCXXV. ad Bassum Com. R. P. *L. 47 C. T. d. t.* ibi: *Clericos etiam quos in discretim ad seculares iudices debere deduci infaustus Præsumptor* (Joannes Tyrannus) *edixerat, Episcopali audientiæ reseruamus: fas enim non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Imo eiusdem Valentiniani *Nouellam XII.* & Maioriani *II. de Episcopali iudicio*, denuo Rex commendare videatur. *Edictis* postea emissis, *Athalaricus* Leges Romanas & in forum reduxit & inculcauit Iudicibus. Legitur *Edictum Primum* apud CASSIODORVM *Lib. IX. epist. 2. Quocirca*, inquit Rex, *edictali Programmate definimus, vt si quis vexatus fuerit, aut iniuria, aut in dispendio Curialis, vel aliquid ei (præterquam iussum fuerit a nobis, vel ab aulicis, quorum intersunt potestatibus) imponere fortasse præsumpseris, aut decem librarum auri dispendio feriatur, ipsi, qui tale aliquid pertulerit, nihilominus profuturum: aut si facultas vindictæ non sufficis, per fustuaria supplicia laceretur.* Et mox de Curialium prædiis: *Prædia curialium, vnde maxime mediocribus parantur insidiæ, nullus illicita emptione peruadat. Quia contractus dici non potest, nisi qui de Legibus venit* Immunitatem autem Curialium ab iniuria corporali iam olim voluerat *Constantius Augustus*, editis duabus constitutionibus, altera an. CCCXLIX. *Leg. 39. C. T. de Decurion.* altera CCCLIX. *leg. 47. C. eod. d. t.* qua iudici pœna auri pondo quinque, & officio eius decem fuit imposita, si quando vltra licitum aduersus Curialem exarserit. Voluit idem *Valentinianus* anno CCCLXIV. *Leg. 61. C. T. d. t.* vetans præterea, ne quis auderet imponere aliquid Curialibus contra consuetudinem, quod vides *Leg. 68. C. T. d. t. Theodosius* autem *Data* an. CCCLXXX. *Lege 80. C. T. d. t.* non modo iis eorumque Priuilegiis optime prospexit, sed & in primis *Leg. 1. C. T. de præd. & mancip. Curial.* eorum prædia sine decreto noluit alienari. Verum Diui Maioriani A. *Nouellam 1. De Curialibus, & agnatione vel distractione prædiorum & diuersis negotiis*, fundamentum quasi esse *Edicti Athalariciani* inspicienti patebit, & annuente numine olim latius ibidem ostensurus sum. *Edictum alterum*, quod legitur apud CASSIODORVM *Lib. IX. epist. 19.* vel vnicum sufficere potest ad probandum quam sancta Principum Romanorum apud OstroGothos fuerit memoria, & quam sollicite Leges ab iis traditæ, custoditæ sint. *Peruasionem* damnat ibidem Athalaricus, renouata *Valentiniani* Augusti *lege: Vt Sanctio*, inquit, *Diui Valentiniani aduersum eos* (peruasores) *diu pessime neglecta consurgat, qui prædia vrbana vel rustica despecto iuris ordine, per se suosque præsumpserint, expulso possessore violenter intrare. Nouellam* Valentiniani quæ inter Theodosianas est *XIX.* hic indicat, qua inuasoribus pœna statuta: *Vt quisquis possessorem de prædio rustico vrbanoque depulerit, possessione protinus restituta, caussæ totius sicut dudum constitutum est, amissione multatus, æstimationem rei occupatæ mox cogatur inferre.* Verum cum hactenus transgressoribus pœnatum omne genus

forte

forte leniùs visum esset, Athalaricus addidit ibidem: *Vt si quis ingenuorum ad satisfaciendum legi superius definitæ idoneus non habetur, deportationis protinus subiaceat vltioni. Quia plus debuit cogitare iura publica, qui se nouerat alibi non posse sustinere vindictam.* Præterea *de titulorum affixione* ibidem actum vides: *ne quis nomine publico titulos præsumpserit affigere:* quod olim prohibuerat *Honorius* Aug. *L. 1. C. T. de his qui potent. nom. in lit.* & auus *Theodoricus* Edicti sui *Cap. XLV. XLVI.* Quæ denique adiecta sunt de *donationibus*, & aduersus *Concubinatum*, *Maleficos*, *Latrones*, Theodosii legibus in omni Italia diu introducta fuisse, iamque modo, vt neglecta, iterum renouata, & inculcata omnibus Italiam inhabitantibus, paucissimi nesciunt. Addo ex CASSIODORI *Lib. VIII. ep. 28.* de liberali caussa illa: *nostris est Seculis inimicum, seruitutis iugo libera colla deprimere,* quæ respondent accurate iis in Valentiniani *Nouella XI.* *Cui non ingenuo mori satius est, quam iugum seruile perferre.* GVILIELMVS FORNERIVS olim Athalarico regnante de *panibus* etiam *gradilibus* constitutionem emissam putabat apud CASSIODORVM *Lib. IX. ep. 5.* ibi: *vt siue in gradu, siue in aliis locis frumentorum condita potuerint inuenire, tantum sibi vnusquisque Dominus, vel familiæ suæ domus retineat, quantum se expendere posse cognoscit.* Sed hæc de annonæ flagellatoribus intelligenda, qui panici coemptam speciem in propriam redigebant substantiam, caritatem expectantes mediocribus grauem. In *gradibus* illi occultabant panes, quos Rex portitoribus inuestigatum missis, moderata pretii quantitate, mox distribuendos iubet. Quid *Gradus* sint, non ignorant illi, quibus nota sunt pistrina veterum, in profundo sita (κατὰ βάθος τὴν θέσιν ἔχοντες. SOCRATES *Hist. Eccles. V. 18.*) & in quæ per gradus erat descendendum.

In ætatis flore constitutus Athalaricus *Iustiniano Aug. IV. & Paullino Coss.* A. D. DXXXIV. tabe exesus obiit, postquam regnasset annos VIII. PROCOPIVS *de bell. Goth. Lib. I. cap. 4.* AVCT. HIST. MISCELL. *Lib. XV. pag. 104.* Cui eodem adhuc anno successit annuente *Amalasuentha* Regina, *Theodatus* siue *Theodahadus* Theodorici Regis ex sorore Amalafrida Nepos. IORNANDES *de Reb. Get. c. 59.* PROCOPIVS *de bell. Wandal. Lib I c 8.* CASSIODORVS *X. 3. 4.* qui datis ad Iustinianum Aug literis petiit eius gratiam, promisitque seruaturum se omnia Antecessorum suorum. *Vestram gratiam securus expeto, quam præcellentissimam Domnam sororem nostram vobis pepigisse agnosco Ab eius enim iudicio me nullatenus deuiare certissimum est.* Mox: *Nam si me similiter diligitis, Regem quodammodo pariter efficitis* Vide *Epist 2. Lib. X.* De seruato autem romano iure habes locum *lib. cit. Ep 5.* ad Theodosium data: *Si quis habuerit cum altero forte negotium, ad communia iura* (Edictum Theodorici) *descendite, fora vos tueantur, non iniqua præsumptio.* adde *ep 16. 17. lib. cit.* quibus Senatui Populoque Romano interposito iure iurando fidem promittit atque securitatem. Verum vix viderat se Theodohadus in regio constitutum solio, cum mutato mox animo sæuiret in reginam Amalasuentham, eamque custodiæ mancipatam, satellitum ope in balneo suffocaret. IORNANDES *de Reb. Get. c. 59.* MARCELLIN. *in Chron. Iustiniano IV. & Paullino Coss.* Reginæ vindex grauissimus erat *Iustinianus Aug.* qui anno statim sequente DXXXV. & *Mundo* Militum Magistro per Illyricum imperauit, vt in Dalmatiam irrueret, & *Belisarium* cum classe misit ad inuadendam Siciliam. PROCOPIVS *Lib I. c. 5. de bell Goth.* Hinc per *annos XVIII.* turbis strepitibusque omnia bellicis per Italiam facta plenissima, quibus Rex ipse, cum vix per triennium præfuisset regno *A. D DXXXV.* a suis occisus est, OstroGothis sibi *Vitigem* Regem præficientibus. CASSIODORVS *Lib. X Ep. 31. 33.* Hic non modo Iustinianum orat pacem Italiæ vellet reddere, sed & ab eo in regno confirmari vult. CASSIODORVS *X. 32.* *Vt omnia more vestro cogitetis, quatenus vtrique Respublica restaurata concordia perseuerent: & quod temporibus retro Principum laudabili opinione fundatum est, sub vestro magis imperio diuinis auxiliis augeatur.* Et cum Legatos in vrbem misisset ad Belisarium, Romanis reuocat in memoriam benignitatem, qua complexus eos fuerit, PROCOPIVS *de bell. Goth. Lib. I. c. 20.* vbi sub finem videre licet, ciues non habuisse, de quo queri poterant. Accedit Papæ *Syluerii*, benignissimus in Vitigem animus. IDEM *lib. cit. c. 25.* imo & huc illa pertinent, quæ supra ex oratione Legatorum, qui ad eundem Belisarium missi fuerant, recitata sunt. Infelix autem Rex, qualis futurus esset, ostendere satis non potuit. Inter medias enim turbas, cum per quatuor annos parum fauente fortuna OstroGothorum studeret restituere imperium, captus Belisarii astu *A. D. DXL.* & Constantinopolin abductus est. *Hildebaldum* & *Eraricum* succedentes, cum vterque ne per annuum quidem spatium ad gubernacula reipublicæ residere potuerit, neque de ferendis, neque conseruandis legibus, turbulentis maxime temporibus, multum sollicitos esse potuisse, probabile est. Sed qui anno *DXLII* hos excipiebat *Totilas*, restitit Iustiniano Aug. per annos *XI.* Eius moderatissimum animum iustitiæque cupidum, vide apud PROCOPIVM *de bell. Goth. lib. 3. cap. 21.* Romam cum in potestatem suam iterum redegisset, Senatu conuocato, cœpit exprobrare ingratissimum in Gothos animum, a quibus affecti romani beneficiis atque ornati cunctis fuerint honoribus, καὶ ἀπεπυνθάνετο μὲν, ὅ τι πρὸς τούτων πάθοιεν αὐτοὶ κακὸν πώποτε; λέγειν δὲ ἠνάγκαζεν, ὅ τι ἀγαθὸν σφίσι πρὸς Ἰουστινιανοῦ βασιλέως ξυμβαίη; καταλέγων ἐφεξῆς ἅπαντα, ὅτι δὴ τὰς μὲν ἀρχὰς ἀφῄρηντο σχεδόν τι ἁπάσας. *Tum quærere, quid mali vnquam Gothi ipsis irrogassent? instare vt dicerent, num quid boni a Iustiniano Augusto accepissent, ac singula recensendo commemorare, honores fere omnes illis ereptos.* Quæ satis indicant nihil Gothos licet ab Imperatoribus Orientis lacessiti essent, mutasse quoad statum publicum, imo *Epistola* a Totila ad Iustinianum scripta, & ab eodem

historico *ibidem* nobis conferuata, omnino fidem facit, nil magis habuisse in votis Totilam, quam vt eodem iure, quo Theodoricus antea, id est, fœderis nexu, & ex arbitrio Iustiniani possidere posset Italiam. Αἰτούμεθα τὰ ἐκ τῆς εἰρήνης ἀγαθά σέ τε προσίεσθαι αὐτὸν, καὶ ἡμῖν ξυγχωρεῖν. ὧνπερ μνημεῖά τε καὶ παραδείγματα κάλλιστα ἔχομεν Ἀναστάσιόν τε καὶ Θευδέριχον. οἱ βεβασιλεύκασι μὲν ἐ πολλῷ πρότερον, εἰρήνης δὲ καὶ ἀγαθῶν πραγμάτων ἅπαντα ἐνεπλήσαντο τὸν κατ' αὐτὰς χρόνον. Ἢν, γάρ σοι ταῦτά ποτε βουλομένῳ εἴη, ΠΑΤΗΡ τε ἂν ΕΜΟΣ εἰκότως καλοῖο, καὶ ΞΥΜΜΑΧΟΥΣ ΗΜΑΣ ἐφ' οὓς ἂν βούλοιο, τολοιπὸν ἕξεις. *Petimus, vt pacis commoda & complectaris ipse, & nobis concedas: quorum monumenta atque exempla præclarissima nobis suppeditant Anastasius ac Theodoricus: qui nuper ita regnarunt, vt pace & felicitate ætatem suam impleuerint. Hoc tibi si collibitum erit, merito* PATER MEVS *vocaberis, ac nos deinceps in quemcunque voles, habebis* ARMORVM SOCIOS. Reuoca velim hic in animum *adoptionem per arma*, & in loco illustrando intelligendoque recte versaberis. Verum Iustinianus, qui Africa vindicata Italiam quoque cum imperio iterum sociare constituerat, negata pace, bellare voluit, & persequi Totilam: quem prælio etiam superatum anno *DLII* occidit. PROCOPIVS *lib. IV. cap. 32.* mox & *Teias* fortissime dimicans cecidit, & Italia omnis, per *LX* annos auulsa ab imperio, Iustiniani Aug. victricibus armis succubuit.

Et ab hoc ipso tempore *Theodosiani Codicis* atque *Edicti Theodoricani* auctoritatem desiisse in Italia, vulgaris opinio. Rem fere extra dubitationem omnem positam plerique autumant, ego vero alia omnia censeo. Taceo eos, qui statuunt, nec viuo *Iustiniano* nec multo post, vel *Romam* vel in *Italiam* peruenisse Pandectas, quorum in numero est FRANCISCVS BROEVS *in hist. Iur. Chronolog.* Sed laudo potius magni Viri CARDINALIS DE LVCA iudicium, qui media insistens via, *de seruit. prædial. discurs. 1. num 11.* & *de Feudis discurs. 36. num 11.* ait: *Eo tempore, quo Corpus Iuris confectum, modica erat Imperatoris* (Iustiniani) *potestas in Italia, illaque ipsa circa obitum eius cessauit. Vnde dictæ leges licet ad has partes traductæ vel nunquam receptæ fuerunt, vel ob diuersas dominationes abolitæ.* Liquebit ex paullo post dicendis, multa esse, quæ Eminentissimi Viri stabilire possunt sententiam. Certe, quoties ego intueor Iustiniani *Constitutionem ad Antecessores de Conceptione Digestorum*, toties nescio quid mirabile mihi videre videor § 7. ibi: *Hæc autem tria volumina a nobis composita tradi eis tam in* REGIIS VRBIBVS, *quam in Berytensium celeberrima ciuitate volumus.* Et mox: *Si ausi fuerint in posterum in hoc perpetrare, & extra* VRBES REGIAS, *& Berytensium metropolim hoc facere* &c. *pœna plectentur, & reiicientur ab ea ciuitate.* Data est Constitutio *XIII. Kal. Ian. Dom. Iustiniano Perpet. ter Consul.* qui annus est *DXXXIII.* Et id quidem non nescio, tum in Romana ciuitate eiusque Gymnasio præter *Professorem Grammaticæ, Rhetoricæque Artis*, fuisse *Iuris Expositorem*, quibus viria a Senatu Romano stipendia persoluebantur, docente CASSIODORO *Epistola ad Senatum Rom. Lib. IX. 21.* *Vt successor*, inquit, *Scholæ liberalium literarum, tam Grammaticus, quam Orator, nec non &* IVRIS EXPOSITOR *commoda sui decessoris ab eis, quorum interest, sine aliqua imminutione percipiat.* Sederat *Roma* sub potestate Athalarici Regis, quo tempore mox memorata Constitutio emissa est; neque perspicere possum, quo iure scribere potuerit Augustus Orientis, *tradi eis* VOLVMVS. Suspicio fere apud me oritur, scriptum fuisse, *in regia vrbe*, idque occupata Italia postea mutatum. Vtrum publica, an priuata auctoritate, nescio. Certe late videas in hac *Constitutione* actum de Priuilegiis Academiarum, Constantinopolitanæ & Berytensis, sed altum quid sibi vult de Romana silentium? Vtraque & Præfecto Vrb. Constantinop. & Phœnicum Præsidi, Episcopoque Berytensium commendata, vt curam earum gererent. Sed cur *Romanam Academiam* nemini commendauit? Si Legum Corpus ad Athalaricum misisset, vt publicaret subditis Romanis ex fœderis lege, qua obligatus erat Ostro Gothorum Rex Orientis Principi; idne putas Cassiodorum, qui quæ ad statum publicum faciebant omnia diligentissime curabat, tacuisse? Sed ne vestigium quidem apud eum *Iuris Iustinianei.* Et quod maius est: sibine quis persuadere poterit, *Iustinianum* Principem famæ studiosissimum silere potuisse auctoritatem, qua inter Gothos exsplenduerit? Vix *Lybiam* superauerat, & ad nauseam vsque fere vbique victorias de gente reportatas memorauit. Et qui vbique sibi similis est, magnifica & heroica facinora, & tot tantumque decantando pro republica curas, hunc quis statuere posset, hic sibi omnino dissimilem fuisse. Sed forte crederent nonnulli, *Legum Corpus*, Iustinianum *Senatui* tantum *populoque Romano* commendasse, cui erat vinculum arctius cum aula Constantinopolitana. Verum & hic ego dissentio. *Academia* enim *Romana*, olim tot munita Priuilegiis ab Imperatoribus, & ad quam frequentissime, non tantum Itali sed & exteri adierant, hoc ipso tempore ita ab ipso Senatu neglecta fuit, vt necesse habuerit Rex instinctu matris *Amalasuenthæ* doctissimæ fœminæ, hortari Senatum, curam eius gerere vellet, & de commodis Professorum esse sollicitus. Neque etiam certi quid possum elicere ex Epigrammate Digestis præfixo, valuerint iura Iustinianea in Italia, nec ne; siue statuam auctorem eius σύγχρονον Iustiniano, siue per aliquod temporis interuallum post Imperatorem vixisse. Ita autem ille canit:

Ἄνθρωποι δ' Ἀσίης τε δορυκτήτου τε Λιβύσσης
Εὐρώπης τε πίθωνται ὅλου σημάντορι κόσμου.
Europæ vero atque Asiæ, Lybiæque subactæ,
Vnum omnes populi Regem Dominumque tuentur.

Sequi-

Sequitur enim Poëta exactissime illa *Iustiniani* in Constitutione *de Confirmat. Digest. ad Senat.* quæ *data* etiam *anno D.XXXIII.* (quo nihil possidebat Orientis Augustus in Italia) §. 23. *Post Europam enim & Asia & tota Lybia nostro imperio adiuncta est*, & iterum illa, *Leg. 2. §. 23. de veter. Iur. enucleand.* eodem etiam anno data, *post Europam enim & Asiam, & tota Lybia nostro imperio adiuncta est.* His ductus rationibus per *Europam* Italiam non intelligo, quam Gothis nondum extorserat, sed *Thraciam*, *Macedoniam*, *Thessaliam*, *Græciam*, *Dalmatiam*, *Daciam*; & *Illyricum* maxime, cuius Præfecto Prætorio legum corpus vbique commendatissimum voluit. Verum quid tandem, dum tantopere fluctuo, a me expectandum est? En liberrime iam, quid sentiam exponere volupe. Atque negare non possum, admodum mihi placere Cardinalis DE LVCA sententiam supra recitatam, a qua tamen discedo, vbi existimat magnus Vir, Ius Iustinianeum nunquam in Italia receptum fuisse. Reliqua enim nobis sunt maximi momenti testimonia, quibus docemur contrarium. Rem omnem hoc modo concipiendam esse, iudico. *Iustinianus Aug.* recuperata *Sicilia* & parte Italiæ inferioris, quod factum *primo* mox *anno* belli Gothici, *A D. DXXXV*, & *anno sequente* occupata *Roma*, vt probatum est ab ANT. PAGIO *in Crit. ad Annal. Baron. an. 537. num.* 4. sub edictali forte Programmate *Corpus legum* ad occupata loca transmiserat, quod docet verbis expressis eius *Pragmatica Sanctio* de statu Italiæ, quam Iulianus Antecessor nobis conseruauit, *cap. XI. Iura insuper vel leges Codicibus nostris insertas, quas iam sub Edictali Programmate in Italiam* DVDVM *misimus.* Subscripta est Pragmatica *Idib. Aug. Const. Imper. D. N. Iustiniano PP. Aug. Anno XXVIII. P. C. Basilii Anno XIII. Narsi Vr. Ill. Præposito Sacri Cubiculi: Antiocho Vr. Magnifico Præfecto per Italiam*, qui Consulatus incidit in annum *D. DLIV.* Et licet in ea dicat imperator, *dudum* missas esse in Italiam Leges, fieri tamen id prius nullo modo potuit, quam annis supradictis, quibus demum potissima eius prouinciæ para fusis Ostro Gothis, sub potestatem redacta est. Hæc ipsa Sanctionis verba, magis suspectum faciunt locum *Constitutionis ad Antecessores* superiorem, cum hic profiteatur *Iustinianus* leges se sub *Edictali Programmate* misisse in Italiam, quod iis temporibus, quibus illa constitutio data nequaquam, sed his demum annis fieri debuit. Atenim vero, cum per tot annos, (quod supra sæpe memoratum) bellum per omnem gereretur Italiam, modo Imperatoris exercitu longe lateque victricia circumferente arma, modo Ostro Gothis, qui ad desperationem adacti erant, hostes suos pellentibus, facile est ad intelligendum, *Leges* non prius, quam per Italiam firmissima *pace stabilita*, proponi atque in iudicia introduci omnia potuisse. Id autem factum demum statuo *A D. DLIV. post Cos. Basilii XIII.* aut secundum alios *XIIII* Licet enim *Totilas* iam *anno DLII.* fusus & vita spoliatus fuisset, remotus quoque esset *Teias* aut anno eodem, aut certe sequentis initio, finis tamen bello in Italia non nisi *anno DLIV.* impositus, quo Gothorum reliquiæ ad vltimas redactæ miserias, ex Italia deportatæ sunt, & Pax restituta. Vide AGATHIAM SCHOLASTICVM *lib. 2. hist. pag. 49. 50. edit. Paris. pag 36. edit. Venet.* qui narrat, Gothorum bellatorum ad septem millia, qui in castellum Campsas se receperant, tandem deditione facta, ne nouis imposterum rebus studerent, Byzantium ad Imperatorem transmissa esse. Memorata autem Pragmatica Sanctio non tantum hoc anno data est ad *Antiochum Præf. Ital* sed expressis etiam insuper verbis fidem facit, tum demum & Italiam post diuturnam auulsionem cum Imperio Romano iterum vnitam esse, & communes leges habere cœpisse. Ita autem *Cap XI. vt* VNA *volente Deo facta* REPVALICA, *legum etiam nostrarum vbique prolatetur auctoritas.* Accedit momentum aliud non minoris ponderis. Nimirum in *annum DLIV.* incidunt *Tricennalia Iustiniani Augusti.* In iis autem, quæ ad Principis gloriam atque ad vniuersi imperii bonum videbantur conducere, facta scimus. Hinc Iustinianus *Cap. I Pro petitione Vigilii venerabilis antiquioris Romæ Episcopi, quædam disponenda censuimus* AD VTILITATEM OMNIVM *pertinentia, qui per Occidentales partes habitare noscuntur.* Vidimus supra iisdem annis addictam fuisse quoque legum publicationem, eundemque Iustinianum in *Quinquennalibus* prouulgasse Codicem, certo constat. Hoc ideo anno, quo sidere felici Orientis Augustus Romanarum prouinciarum præcipuam liberauerat a barbaris, eam romanis suisque legibus imbui voluit. Vide integrum *cap. XI* ex quo iam aliqua superius excerpsi: *Iura insuper vel leges Codicibus nostris insertas, quas iam Edictali Programmate in Italiam dudum misimus, obtinere sancimus; sed & eas, quas postea promulgauimus Constitutiones, iubemus sub Edictali Programmate vulgari, & ex eo tempore, quo sub Edictali Programmate vulgatæ fuerunt, etiam per partes Italiæ obtinere, vt vna volente Deo facta Republica, legum etiam nostrarum vbique prolatetur auctoritas.* *Tributa*, quæ iis annis quoque relaxabantur ex more, vt patet ex *Tit. Cod. Theodos. de annon. & tribut.* hoc anno etiam in Italia in his Iustiniani *Tricennalibus* relaxata sunt, vide *Pragmat. Sanct. cap. IX.* *Beneficia* de more concessa & indulta ab anterioribus Principibus, collata etiam iam in Italos, & in specie Romanos, vid *Sanct Prag. C. XXII.* Et cur plura cumularem? Omnia enim exactissime sibi respondent, *Solenne Tempus*, Tricennalia, & maxime adcommodatum Legum publicationi, *Pacata Italia*, & ipsius tandem Pragmaticæ *Subscriptio*.

Puto constare, *Ius Iustinianeum* in Italiæ fora introductum fuisse, quod sibi tamen vix persuadere poterat Eminentissimus *Cardinalis* DE LVCA. Vtrum vero post hæc tempora, *ob diuersas dominationes Ius illud sit abolitum*, quod Idem existimabat, an neglectum modo barbaris in Seculis iacuerit, iam inquirendum venit. *Iustinianus Augustus* per *XI.* tantum annos absoluta & summa cum potestate tenuit Italiam, excessit enim e viuis *A. D. DLXV.* quo eodem *Iustinus* Orientis imperium tractare cœpit, Hic nondum per *IV.* annos imperauerat Italiæ,

liæ, cum in eam prouinciam *Longabardi A. D. DLXVIII.* a Narſete euocati irruptionem facerent, firmiſſimamque ibi conſtituerent ſedem. Vix itaque per *XV. annos* Ius Iuſtinianeum ſolum auctoritatem in ea imperii parte obtinuit. Quid Longobardi? Barbara gens, & partim gentilium ritibus addicta, non niſi cædes facere, furere inmenſum in modum, contemnere veteres incolas & fugare. Quis ergo dubitare poterit, altum diu legum fuiſſe ſilentium? Tandem autem mitiores mores, in cultiſſima ſedentes terra, optimam moratiſſimamque viuendi romanorum videntes conſuetudinem, ex continua conuerſatione induerunt; cumque antea non ſcriptis legibus, ſed conſuetudinibus regerentur, circa *annum DCXXXVIII. Edictum* a Rothare Rege publicatum, acceperunt. In eius *Prologo*, quem præpoſuit Editioni legum Longobard. CL. MVRATORIVS, quemque vulgauit etiam CL. SIGONIVS *de Regno Ital. Lib. II. p. 39.* romanarum quidem legum nulla fit mentio, nihilominus tamen ex iis, quæ ibi dicta ſunt, concludere licet, *Romanis ſubditis Longobardorum Regem, opitulari cupiiſſe,* ibi: *Et ob hoc conſiderantes Dei miſericordiam, neceſſarium eſſe proſpeximus præſentem corrigere & componere legem, quæ priores omnes & remouet & emendet, & quod deeſt adiiciat, & quod eſt ſuperfluum abſcindat. Et in vnum prouidimus volumen complectendam, quatenus liceat vnicuique Salva lege & Iuſtitia, quiete viuere, & propter operationem contra inimicos laborare, ſeque ſuosque defendere fines.* Antecedentia vero, ſiquid ego video, docent ſatis, noluiſſe Rotharin, vt a Longobardis, qui nullis alligati legibus viuebanr, Romanorum reliquiæ opprimerentur. Dicit enim Rex, *maximam ſe gerere ſollicitudinis curam pra ſubiectorum commodis*, præcipue *propter aſſiduas fatigationes pauperum*, romanorum ſcilicet, quos tractabant barbare, *& propter ſuperfluos exactiones ab his*, quas iidem Longobardi faciebant contra ius æquumque, & contra eos, *qui minorem habebant virtutem, quosque etiam vim pati* Rex ait. Vbi nemo non videt, indigitare Prologum Romanos, quos elatiſſimo animo altoque ſupercilio, vt imbelles, vecordes, ſegnes minusque ſtrenuos contemnebat Longobardorum fera gens, atque tantum non omnibus incommodorum premere cogitabat generibus. Firmant autem ſententiam meam ſequentia verba, adſcripta paulo ante, *Et ob hoc conſiderantes Dei miſericordiam*, quæ Regis animum in Romanos clementiſſimum indicant, & pacis quietisque publicæ ſtudioſum, quo pertinent illa etiam: *quatenus liceat vnicuique ſalva lege & Iuſtitia quiete viuere*, quæ neſcio quid commune habere mihi videnrur cum illis Theodorici in Prologo, *Salua Iuris publici reuerentia, & legibus cunctorum deuotiane ſeruandis*; ſed nolo diuinare; admittunt enim aliam & commodam quoque verba inrerpretationem. Licet autem extra dubium ſit, in Prologo Rotharis Regis de Romanis ſubditis agi; id tamen affirmare non audeo, vtrum Theodoriciani *Edicti* exemplo idem titulus legibus Longobardorum præfixus ſit, an vero illud legum Corpus minus rum notum fuerit. Tacent enim coæui, ſine quibus deliramus. Neque temere pronuntio, veſtigia hinc inde legum Romanarum in legibus Longobardicis apparere, in qua ego hæreſi dudum fui, quam recte, neſcio. Certe quoties vel primam legum Longobardicarum paginam intuebar, mox neſcio quid romani indicare videbatur *cap. IV. Leg. Rotharis, pag. 17. edit. Murator.* al. *Lib. I. t. 3. Si quis inimicum publicum intra prouinciam inuitauerit, aat introduxerit animæ incurrat periculum.* Magnam hic conuenientiam cum illis, quæ continenrur *leg. 9. Cod. Iuſt. de re militar.* me deprehendiſſe putabam. Sed mitto hæc aliis ingeniis, quibus iucundum erit per otium hæc inueſtigaſſe. Ex indubitato potius loco oſtendendum eſt, *Longobardos* clementiores factos, facultatem dediſſe Romanis ſua viuendi lege. Ita enim Liutprandus Rex *Lib. VI. cap. 37. edit. Murat.* al. *lib. I. 30. 2.* de ſcribis; *De ſcribis hac proſpeximus, vt qui chartam ſcripſerit, ſiue ad legem Longobardorum, quæ apertiſſima & pene omnibus nota eſt, ſiue ad legem Romanorum, non aliter faciant, niſi quomodo in illis legibus continetur. Nam contra Longabardorum legem aut Romanorum non ſcribanc. Quia ſi neſciuerint, interrogent alios; & ſi non potuerint ipſas leges plene ſcire, non ſcribanc ipſas chartas. Et qui aliter præſumpſit facere, componat guidrigeld ſuum, excepto ſi aliquid inter conlibertos conuenerit. Et ſi vnusquisque de lege ſua deſcendere voluerit, & pactiones & conuentiones inter ſe fecerint, & ambæ partes conſenſerint, iſtud non reputetur contra legem, quod ambæ partes voluntarie faciunt.* Atque hæc fidem faciant: *primo*; ſecundum vtramque legem Longobardam Romanamque fuiſſe contractus factos: *ſecundo*; neceſſe fuiſſe, vt infererent notarii contractibus, ad quam legem ii eſſent confecti, quorſum pertinent illa, *de lege ſua deſcendere: tertio;* rariorem vſum fuiſſe romanarum legum in ditionibus atque terris, quæ Longobardis erant ſubiectæ, quo illa pertinent, *quæ apertiſſima & pene omnibus nota eſt.* Sed quæ illa tandem eſt Romanorum lex, quam hic Longobardorum Rex innuit Luitprandus? Profecto non poteſt eſſe alia, quam a Iuſtiniano Auguſto transmiſſa ſub Edictali Programmate in Italiam. Breue vero inquies, fuit tempus, & nondum annorum XV. quo publicatum fuit, gauiſumque id legum Corpus publica eſt in Italia auctoritate, cum iam irruerent in eam prouinciam barbari. At ſi ita Tibi videtur, cogites velim, quid cum veritate magis ſit conſentaneum, leges eas valuiſſe, hæſiſſeque incolis, atque in foris receptas fuiſſe, quæ proxime fuerant introductæ; ſed & ea præterea auctoritate munitæ, vt aliarum omnium ceſſare vſus deberet: aut illas obtinuiſſe *Theodoſii* vel *Theodorici*, quæ per *XXXIV. annos* fere in Italia floruerant, numerando nimirum a cœptis bellis cum Oſtro Gothorum gente, *A. D. DXXXV.* ad annum vsque *DLIV.* quo pacata, vt ſupra oſtenſum eſt, fuit Italia, & addendo demum *annum DLXVIII.* quo in eam prouinciam intrarunt Longobardi. Illæ Prouinciæ præterea, quæ reſiduæ in Italia Orientis Principes Dominos venerabantur,

tur, satis euincunt *Ius Iustinianeum* omnino fuisse receptum. Considera illam Exarchorum valentissimam sedem *Rauennam*, quæ demum ab *Aistulpho Anno* Seculi octaui *LII.* expugnari potuit, XXII. annis ante, quam omne Longobardorum regnum a Carolo Francorum Rege destructum est. Cogita *Romam* a Longobardis nunquam sub iugum missam, cuius vrbis Episcopi, Senatus Populusque, maiestatem aulæ Constantinopolitanæ continua suspiciebant submissione. Videbis *Iustiniani* Leges in foris perstrepere, videbis Sanctissimum Episcopum Gregorium ad Codicem & Nouellas prouocare. Nonne mox concludes, si Iustiniani leges in vrbe valuere, etiam secundum eas viuere debuerunt, qui erant ante portas, quales erant romanorum reliquiæ a Longobardis iam subactæ? Noli autem a me quærere, quæ iudiciorum tunc temporis fuerit forma, romanisne sui iudices, vti quondam sub Ostro Gothis, fuerint; qui valuerint libri, Codexne solus cum Nouellis, an Digesta quoque, id enim scimus iuxta cum ignarissimis: tantus hic in historica re hiatus. Sufficit nos intelligere posse, valuisse *Ius Romanum* sub Longobardis, & id quidem *Iustinianeum.*

Longobardorum Regnum *Carolus* Francorum Rex attriuit, captoque *Desiderio*, ipse ab *anno DCCLXXIV.* in Italia regnare cœpit. Vide SIGONIVM *de Regno Ital. Lib. IV. pag. 90.* Iam quæ Legum Romanarum fuerit facies imperantibus Francis, disquirendum venit. Nouerat hæc gens Romanam legem, cuius rei insignem testem adduco Aduocatum Constantinopolitanum AGATHIAM *Histor. Lib. I. pag. 10. edit. Venet.* Εἰσὶ γὰρ οἱ Φράγγοι, οὐ νομάδες, ὥσπερ ἀμέλει ἔνιοι τῶν βαρβάρων, ἀλλὰ καὶ πολιτείᾳ ὡς τὰ πολλὰ χρῶνται Ρωμαικῇ, καὶ ΝΟΜΟΙΣ ΤΟΙΣ ΑΥΤΟΙΣ. *Sunt enim Franci non campestres, vt fere plerique barbarorum, sed & Politia vt plurimum vtuntur Romana*, & LEGIBVS IISDEM. Non solum *Ecclesiasticos* homines romanam legem amplexos esse scimus, vti patet ex *Lege Ripuariorum tit. LVIII §. 1.* ibi: *Hoc etiam iubemus, vt qualiscunque Francus Ripuarius seu tabularius seruum suum pro animæ suæ remedio, seu pro pretio secundum legem Romanam libertare voluerit, vt in Ecclesia coram Presbyteris Diaconis, seu cuncto Clero & plebe, in manu Episcopi seruum cum tabulis tradat, & Episcopus Archi-Diaconum iubeat, vt ei tabulas secundum legem Romanam, qua Ecclesia viuit, scribere faciat*: sed romanorum etiam reliquiæ inter Francos degentes, ex indulgentia Regum, sua gaudebant lege. Audi Regis Chlotharii Constitutionem generalem, datam circa *annum DLX. cap. IV. pag. 7. Capitular. edit. Baluz. Inter Romanos negotia causarum romanis legibus præcipimus terminari.* Adde *Cap. XIII. in fin.* vbi vult, *Iudices necquicquam aliud agere aut iudicare, quam vt hæc præceptio secundum Legum Romanarum seriem continet.* Neque iam arcessere alia ex *VI. & VII Seculo* loca, neque etiam de recentiori æuo disserere vacat, satisfaciet autem tibi vel vnus ICtus, IO. GOTTL. HEINECCIVS in libello molis non magnæ, sed ponderis si res spectes, maximi, quem de *Historia Iuris* concinnauit, *Lib. II. §. 18 pag. 369.* vbi de Lege Romana sub Francis vel inde a V. Seculo docte disputat. Est autem *Lex* illa, quod silentio non prætermittendum, notissimum Compendium Legum Romanarum ex Codice Theodosiano iussu Wisigothorum Regis Alarici confectum. Hoc in Italiam nunquam antea inuectum, vt ex eo forenses deciderentur caussæ. Repete *Ostro Gothorum* regnum, & non poteris non mecum sentire; intuere dein in *Iustinianum* Triumphatorem, & in *Edictale* illud *Programma*, quo Legum Corpus suo iussu factum, in Italia valere voluit. Longobardorum autem regnum, de quo paullo ante, si pensitaueris, non tantum nullum inuenies vestigium huius Wisigothici Compendii, sed & considerando per singula fere lustra aut felitationes, aut bella cum Gente Francica, animaduertes facile, Legem inter Francos vsitatam, Romanis subditis suis, Longobardos vix permissuros fuisse. Et quid opus tandem erat accipere Legem a peregrina natione, cum Italiæ incolæ proprias familiaresque sibi dudum haberent. Male profecto faciunt, qui, respicientes ad illa tempora, quibus *Ius Iustinianeum* iterum reductum in fora Italiæ, nescio, quæ sibi fingunt dubia, & multum clamitant, qui fieri potuisset, vt Ius plane neglectum, nulliusque vsus per aliquot secula, tandem subito reuiuiscere potuerit. Debebant enim illi cogitare, id forte furtuna factum, vt *priuati Doctores*, qui iura romana in Academia Constantinopolitana nota sibi reddiderant, tot plausibus excepti fuerint, quodque tantus hominum numerus, qui e scholis eorum prodiere, inundauerit quasi Italiam. Sed inferius hac de re etiam paucis. A *Caroli M.* æuo certe cessauit Iuris Iustinianei vsus in Italia, a quo *Lex Romana*, id est, Codicis Theodosiani, Gregoriani etiam, atque Hermogeniani ICtorumque nonnullorum fragmenta, in forum introducta. Videas monumenta publica hoc æuo condita, in quibus facta Legum romanarum mentio, & non aliud nomen nisi *Legis Romanæ* vsurpatum obseruabis. Sed ita tantum audit, sæpius memoratum Wisigothicum Breuiarium, de quo operose disputasse, labor foret inutilis. Accedebat; Francos, ante occupatam Italiam, didicisse sapienter & cum laude regere secundum hanc Legem romanorum in Gallia reliquias, eam sibi reddidisse familiarissimam, tantoque maioris fecisse pretii, quo maius videbant eius æstimium apud Clericos, & tot encomia in Conciliis, in consensu illo venerabili Episcoporum, qui simul in aula erant potentissimi. Ii, qui euoluunt historicos huius temporis, sciunt in Italia secundum *triplicem legem* vixisse homines. *Franci* enim, qui magno comitabantur numero Reges suos, dignitatibusque afficiebantur in Longobardia, aut priuatam degebant in his terris vitam, allecti aeris clementia & vbertate soli, *Salicam* profitebantur Legem. *Longobardorum* autem reliquiæ humanissime a victoribus Francis habitæ, sua, id est, *Longobardica* viuebant: & his mixti *Romani*, *Romanam* amplectebantur. Præfatio Capitulorum, quæ addita sunt a Carolo M. ad Legem Longobardorum

pag.

pag. 345. 346. Tom. I. Capitular. Baluz. *Cum in Italiam venissem, & multæ atque diuersæ per vrbes singulas ante conspectum nostrum quæstiones, tam de Ecclesiasticis, quam & publicis & priuatis rebus discuterentur, pleraque statuta recitata ex Romana seu Langobardica lege competenti sententia terminata sunt, quædam vero in nostri examinis arbitrium ad tempus dilata, quorum iudicialis sententia a Legislatoribus, aut penitus omissa est, aut a posteris obliuioni tradita.* Et Cap. VIII. de Seruis fugitiuis *pag. 348. Tom. I. ed. cit.* *Si vero* (Dominus) *Langobardus aut Romanus fuerit, ea lege seruos suos vel acquirat, vel amittat.* Capitulum Karoli M. de honoranda sede Apostol. *pag. 357. 358. Tom I. ed. cit.* *Si vero Presbyter siue Diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando, redarguatur falsum ab Apostolica sede detulisse epistolam vel aliud quid, quod inde non conuenerit, salua fide & integra circa Apostolicum humilitate, penes Episcopum sit potestas, vtrum eum in carcerem aut in aliam detrudat custodiam, vsque quo per epistolam aut per idoneos suæ partis legatos Apostolicam interpellet sublimitatem, vt potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine Lex Romana statuat definire.* Idem Carolus in Capitulis excerptis ex lege Longobardotum *Cap 36. pag. 354. Tom. I. Capitular. ed cit.* *Sicut consuetudo nostra est, vt Romanus aut Longobardus, si euenerit, quod causam inter se habeant, obseruamus, vt Romani successionem eorum iuxta illorum Legem habeant, similiter vt omnes scriptiones iuxta legem suam faciant. Et quando iurent, secundum legem suam iurent. Et alii illis similiter faciant.* Capitulare Sextum anni DCCCIII. ad interrogationem cuiusdam Comitis datum, aut Missi Dominici, quod primus in lucem protulit Baluzius *p. 402. Tom I. Capitular.* Cap. II. *De secundo, vnde me interrogasti, si Comes de Notitia solidum vnum accipere deberet, & Scabinii siue Cancellarius, lege Romanam legem, & sicut ibi inuenies, exinde facias. Si autem ad Salicam pertinet legem & ibi minime repereris, quod exinde facere debeas, ad placitum nostrum gerale exinde interrogare facias.* Si vero dubitas adhuc in his Capitularibus Codicem Theodosianum per Legem Romanam esse intelligendum, vide notas marginales Stephani Baluzii, qui magna industria vbique te remittit ad ipsos fontes, mihique otium hic fecit. Exemplum habe. in Additione IV. Capitular. c. 160. est: *Scimus enim quoniam talium criminum patratores* (qui cum masculis & pecudibus rem habent) *lex Romana, quæ omnium humanarum mater legum, igne cremari iubet.* Quo loco indicat *legem 6. Cod. Theod. de adulter.* Adde hic Capitulum Hlutharii Imp Tit. I. cap 5 *p. 318. T. II.* Tit. II c. 4. *p. 320.* & Tit. III. c. 14. & Cl. Baluzium *in not. p. 996. 1291. 1292.* & *ad Saluianum p. 394.* Cl. Muratorius autem, *Præfat. ad Leg. Longobard. p 2.* non tantum antiquas se plurimas vidisse testatur chartas, in quibus expressi sint legum singularum Sectatores, sed *Longobardicam* atque *Salicam* maiorem hominum numerum secutum leges esse, in iisdem monumentis apparete, scribit. Idem *ibid. p. 1.* pet *Legem Romanam* intelligere videtur, *Iustiniani Corpus Iuris*, vbi eius opinioni non possum subscribere, sed in alia omnia eundum censeo, & mecum forte alii, quibus modo dicta non displicuerint. Tantoque magis venia concedi potetit dissentienti, quo maiori luci ego cuncta exposita, non sine ratione autumo. Verum admodum placent illa, quæ laudatus Vir *p. 4.* monuit, illis nimirum Seculis diuersitatem Legum, diuersitatem quoque iudicum induxisse. Quæ res cum ex multis aliis locis probari facile possit, lubet in primis *Placitum antiquum* a Bonifacio Marchione, Comitissæ Mathildis patre habitum, & ab eo *ibidem* editum, huc transferre. *Pontificatus Domni nostri Benedicti Summi Pontificis &c. Anno Quarto Regni Henrici Regis, qui antea regnabat, quam coronam imperii suscepisset XI. sed postquam coronam imperii suscepisset, secundo, die XIV. mensis Decembris Indictione XIV. Ferrariæ, (an 1015.) dum resideret in generali Placito, atque in Iudicum iudicio Domnus & inclytus, & Illustris Bonefacio Marchio ad legis Iustitias faciendas ac deliberandas, & cum eo pariter residebant Demetrius, & Alfredus, & Martinus, & Sichelmus & Gariardus, & Guido, qui vocatur de Macaritico Iudices Romani, & Vbertus, & Wido Iudices Longobardorum Petrus Consul* &c. Addas velim Cl. Brenckmanni *hist. Pandect Lib I. c. 9. pag. 55.* quo loco videbis, ex *Lege Romana*, Longobardica, patriisque aliis consuetudinibus ciuitates Italas, Iura sibi scripsisse municipalia, legemque eam, iis adhue valuisse temporibus Pisana in ciuitate, cum Ius Iustinianeum dudum iam esset resuscitatum. Est apud me *Codex MS Legis Romanæ* ex Bibliotheca Ducali Gothana; eum ex indulgentia *Serenissimi Principis*, quem *Maximum dulcissimumque Musarum Decus, Præsidiumque* venerari iubet piissimus animus, cum impresso Codicis Theodosiani exemplo confetre licuit: fauente etiam desideriis meis, & qualibuscunque conatibus, Viro Summe Reuerendo Ern. Sal. Cypriano, cuius admirabilem doctrinarum copiam, mira cum humanitate coniunctam, melior orbis pars dudum nouit. Codex hic in Italia conscriptus, vt docet, quam hinc inde expressit librarius (etiam Longobardus, vt ex Chronico addito patet) vocum pronuntiatio genti propria, mirifice iuuat ea, quæ de Legis Romanæ vsu ante disputata a me sunt. Cum enim non multo post, quam Carolus M. legem eam introduxerat, exaratus fuerit, omnia in honorem & decus Francorum a librario facta video. Ita loco *Tituli*, vbique scripsit *Kapitulum*; quod hoc nomine Francorum veniebant Leges: Vtque potuerit decantare laudes Caroli atque Pipini Regis, imitatur exemplum Regis Longobardum, *Rotharis* (qui in Edicto Catalogum Antecessurum pertexuerat) & in fine Chronicon breue ad sua vsque tempora continuatum addit. Continet id nonnulla quæ ad illustrandum Regum Longobardorum Genealogiam conducent, hinc in lucem protrahendum duxi. Ea quæ lineis inclusa sunt, ab alia manu, antiqua tamen, superius addita: quæ autem emendata ego voluerim, facile quis internoscere valebit.

Series

Series
REGUM LANGOBARDORUM
ex
Codice MS. membranaceo Seculi IX. Bibliothecæ Ducalis Gothanæ.

Asserunt antiqui parentes Langobardorum per Gambaram parentem suam, pro quid (leg. per quam) exitus aut monicio seu visitotio eorum fuisset: de inter (leg. deinde) serpentibus parentes eorum breniati (leg procreati) exissent: sanguinea & aspera progenies, & sine lege in terra Italiæ aduentantes, fluentem lac & mel. Quod amplius est, salutem inuenerunt baptismatis, & vestigia sanctæ trinitatis recipientes, inter numerum bonorum effecti sunt. In illis impletum est, non inputatur peccatum, cum lex non esset. Primis (In primis) lupi rapaces, postea agni inter dominicum gregem poscentes. Proinde laus & gratia referenda est Domino, qui illos de stercore inter iustorum numerum collocauit. Nisi (in his est) dauitica impleta prophetia; & de stercore erigens pauperem, sedere facit eum cum principibus populi sui. Sic superscripta Gambara cum eisdem mouita adserebat non vt prophetaret, quæ nesciebat, sed phitonissa inter Sibillæ cognomina dicens, eo quod illi superna visitotione monissent, vt de spina roso efficeretur, nesciens in qnalia, nisi diuinondnm perspicerit (perspexerit.) Monits itaqne non ex necessitate, ant duritia cordis, aut parentum oppressione, sed vt ex alto salutem consequeretur, asserit exituros. Mirumqne est omnibns & inauditum videre, vbi non fuit meritum parentum, talis salus resulgere quidem inter mucrones spinarum odoramenta æcclesiarum inuentis, sicut ipse misericors filius Domini antea prædixerat, non veni vocare iustos sed peccatores. Illi fuernnt, vnde ipse saluator ad iudæos in prouerbiis dicens (oit:) habeo alios oues, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas me oportet adduci ad aquom viuam poscendam. Hic incipiens (hic incipiam) origiuem & nationem seu parentelam Langobardornm, exitus & conuersationem eorum, bella & vastationes qnæ fecernnt reges eornm, & patrias quas vastarnnt. Vindilicus dicitnr amnis ab extremis galliæ finibus iuxta rnudem flunio (fluuium) primis (inprimis) habitatio & proprietos eorum fnit. Primis Winili proprio nomine sen & parentela, nam vt asserit Hieroninns, postea ad vulgornm vocem Longobardi nomminati sunt, pro eo ad (qnia) barba prolixa & nunqnam tonsa. Hic supradictus Ligurins flnuius, albiæ flunii cannalis inundans, & nomen finitnr. Postqnam de eadem ripa, vt supradictum est, Langobardi exierunt, sic Scatenauge albiæ fluui ripa primis nouam habitotionem posuernnt. Sic deinde certantes Saxoniæ patriam attigernnt. Locus vbi patespruna cognominontur, vbi sicut nostri antiqui patres longo tempore assernnt habitasse, & in multis partibus bella & pericula generarunt. Ibique primum Regem leuauernnt nomine Agelmund. Cum ipso de hoc loco in antea patrias ad snam partem expugnare cœpernnt. Vnde in Beouinidis actem & clauses (classes) seu tuba clangentium ad suam proprietatem perdnxerunt, vnde vsque hodie presentem diem Wachoni regi eorum domus & hobitatio apparet signa. Deinde meliorem vbertatem patriæ requirentes, ad traciam proninciam transierunt, in Pannoniæ vrbis patriam suam hereditatem affixerunt. Vnde cnm Abaris reluctantes, seu bella plurima ardentissimo animo ipsam Pannoniam expugnauerunt, & Abari cum illis fædns omiciciæ emisernnt (inîernnt) & XX & duos annos ibi habitare perhibentur. Illo vero tempore exiit Rex Odoiacer de Rauenna cum exercitu Alanorum, & venit in Rndilanda & expngnauit cum Rugiis, & occidit Fewane regem Rngorum, & secum mnltos captiuos in Italiam adduxerunt. Tnnc exierunt Langobardi de Pannonia & venerunt & habitauerunt in Rudilanda annos plurimos, & ad suam dogmam perduxerunt. Ante Peronem regnauit Godoin, post Peronem tenuit Principatum Langobardorum Classo, & post Classonem regnauit Tatto, eo tempore redierunt Langobardi in campis filda, fecerunt ibi annos tres. Et post hæc pugnauit Tatto cum Rostulfo rege Herolorum & occidit eum, & tulit bandonem ipsius, & populum ipsius in fugam misit. Ibi prædonit omnia bona eorum, postea Heroli Regem non habuernnt. Deinde occidit Wacho filius Vnichis Tattonem regem barbane suo cum Vinfilane, & regnauit Wacho, & expugnauit Heldechis filium Tattonis, & fugit Heldechis ad Gibidos, & ibi morinus est iniuriam vindicandnm. Gibites scandalum commiserunt cum Langobardis. Eo tempore inclinauit Wacho Suauus sub regno Langobardorum. Wacho habuit vxores tres. Ranigundom filiam Pisen regis turingorum, & post ipsam accepit vxorem nomine Austrecusam filiam Gibedorum. Et habuit Wacho ex eis filias duas, nomine Wischarda, quam tradit in matrimonio Teodeperto regi Francorum. Nomen secundæ Walderata, quam habuit vxorem Chusubold Rex Francorum. Postea accepit Wacho tertiam vxorem filiam Regis herolornm nomine Silenga, de qua habuit nomine Walterenem. Et mortuus est Wacho, & regnauit filius ipsius nomine Walteri, annis VII. fargaetum. Isti omnes adelingi fuerunt, & post Waltarene regnanit Andoin. Mater autem Audoin. nomine Menia vxor fuit Pissæ regis. Audoin ex genere fuit Gansus, ipse adduxit Langobardos in Pannoniam, & mortuus est Andoin in Pannonia. Et regnauit Albuin filius eius pro eo. Cui mater fuit Rodelenda. Eo tempore pugnauit Albnin cum rege Gebedorum nomine Cunimundo, & occidit eum Albuin in ipsa pugna, & debellati sunt Gebeti validissime vehementer. Tunc tulit Albuin rex vxorem nomine Rosemoniam filiam Chummundi, quem ipse occiderat, & ipse prædauerat. Antea habuit mulierem nomine Ludnsendam, qnæ fuit filia Flothari regis Francorum, de qua habuit filiam nomine Albsuinda. Iste Albuin mouit

& adduxit Langobardos in Italiam, inuitatus ad Narside Proconsule & Præside Italiæ, qui minas Suffiæ reginæ erat perterritus. Eo tempore cum exire cœperunt Langobardi a Pannonia, tunc fecerunt pactum & fœdus amiciciæ Abari cum ipsis Langobardis, & cartam conscriptionis, vt vsque ad annos ducentos, si eorum oporteret Pannoniam requirere, sine omnia bella certaminis ad eorum partem ipsam terram relaxarent. Et in Italiam in quam ipsi perrexerant, vsque ad plenos ducentos annos in eorum auxilium essent parati. Et mouisse (mouit se) Albuin Rex Langobardorum de Pannonia cum exercitu suo valde copioso, mense Aperile in Pascha indictione prima, secunda vero indictione incipiente, cœperunt prædare finem Italiæ, tertia autem factus est Dominus Italiæ. Nam Narsis Proconsul Italiæ, si quid eorum promiserat relinquens Italiam ad Spaniarum (Hispaniarum) prouinciam est reuersus. Tunc Papiæ ciues (ciuitas) & Mediolanum metropolim, cum reliquæ aliæ ciuitates Italiorum videntes se vacuæ (vacuas) sicut a domino fuerat prædestinatum, colla sua ipsi Albuin regi subicierunt. Et cum regnasset Albuin in Italia annos tres & menses sex, malo inito contra eum consilio, per Rosemoniam vxorem & consilio Peredei cubicularii sui, Abelmechis Spatario suo occisus est in Verona ciuitate. Et volebat Helmechis regnare, & non potuit propter metum Langobardorum & necem Albuini. Tunc mandauit Rosemonia festinanter Longino præfecto militi rauennensi, vt eam in fugam susciperet ad Rauennam. Vt autem audiuit Longinus hæc verba, misit mouere angarias & tulerunt Rosemoniam & Alsuendam filiam Albuini regis & omnem thesaurum Langobardorum secum duxerunt & Helmechis. Vnde plures annos scisma & bella inter Langobardos & Romanos fuerunt. Tunc vt per fœmineum primum exordium accidit mala suasio peccati, inde vsque ad presentem diem feminalis tenet consuetudo peccandi. Suasit ipsa Rosemonia Longino militi, sicut prius Abelmechis, vt & ipsa occideret Helmechis, & Longino esset vxor. Inito isto consilio venenum Rosemonia, & dedit Helmechis cumque gustasset, intellexit, quod malignum biberat, præcepit, vt & ipsa Rosemonia cum eo biberet inuita, & mortui sunt ambo. Tunc Longinus Præfectus tulit omnes thesauros Langobardorum, & Albsuendam filiam Albuin regis iussit ponere in naues, & transmisit eam Constantinopolim ad Imperatorem suum. Eo tempore leuauerunt Langobardi sibi regem, nomine Cleps, de genere Peleos, & regnauit annos duos & menses sex, & mortuus est. Et iudicauerunt Iudices Langobardorum sine rege Italiam annos XII. Post hæc leuauerunt sibi regem nomine Autarenem filium Cleffonis, & accepit Autaren vxorem nomine Teodelendam filiam Garibaldi & Walderadæ, & venit cum Teodelenda frater eius nomine Gundwald, & ordinauit eum Authari Rex Ducem in ciuitatem Austense. Et regnauit annis septem & mortuus est. Et venit Agilwald dux Turig (thuringorum) de taurini, & iunxit se Teodelindæ reginæ, & factus est rex Langobardorum, & occidit tres duces rebelles suos, Langrulf de Verona, Mimolfo de insula sancti Iuli, & Gaidulfo de Bergamo, & alios plures rebelles suos, & genuit Awald (lege, Agilwald) rex de Teodelinda filium nomine Gudebergam, & filium nomine Adelwald, & regnauit Agilwaldo annos XX & V. Adelwald filius eius regnauit annos X. Arioaldus regnauit annos decem. Rothari regnauit annos sedecim, per quem leges & iustitia Langobardis est inchoata, & per conscriptionem primis iudices percurrerunt. Nam antea per Cadarfada & arbitrio seu ritus finierunt causationes. Istius Rothari regis (temporibus) ortum est lumen in tenebris. Per quem supra dicti Langobardi ad cannonica tenderunt certamina, & sacerdotum facti sunt adiutores. Rodoald regnauit menses sex. Aribertus regnauit annis VIIII. Grimwald regnauit annos VIIII. Berthari regnauit annis X & VII. Canibert regnauit annis XIII. Liupert regnauit annos duos. Aribert regnauit annos XII. Anspradoregnauit menses tres. Liutprando regnauit annos XXXI. & menses VII. Hildeprand regnauit menses VII. Ratgis regnauit annos IIII. & menses VIIII. Aistulfus regnauit annos VII. Desiderius cum filio suo Adelchis regnauerunt annos decem & VII. & menses tres. Hic finitum est regnum Langobardorum & incoauit regnum Italiæ per gloriosissimum Carolum regem Francorum, qui adiutor & defensator Domni Petri principis Apostolorum ab Italia perrexerat (ad) eius iusticiam requirendam. Nam nulli lucri cupiditas peragrare sed bono pius & misericors factus est adiuuator, & sicut poterat omnia demollire, factus est clemens indultor, & paternæ patriæ leges, Langobardis misertus concessit, & suas vt voluit, quæ necessariæ erant Langobardis adiunxit, & innumerabilibus viris, qui eidem culparum incessanter culpas dimisit. Pro quod illi omnipotens Dominus centies multiplicauit vbertates. Postquam Italiam cepit Spaniam (in hispaniam) suos terminos posuit, deinde Saxoniam perdomuit, post Bauariæ dominator existet, & super innumerabiles gentes eius timor irruit. Ad vltimum vero, vt dignus fuit imperii honor adeptus est coronam imperii. Dignitates romanæ potestatis accepit, factus est Domni Petri Apostoli subditissimus filius, & eius facultates ab inimicis defensabat. Post hæc autem omnia regnum Italiæ tradidit magno & glorioso filio suo Domno Pippino magno regi, & sicut omnipotens dominus patri concessit fortitudinis gratiam, ita & in filio habundauit. Per quem Tratia prouincia vnu cum Abaris ad Francorum seruitutem est redacta. Illi qui ab inicio malorum stirpe progeniti inimici æcclesiarum, persecutores Christianorum semper fuerunt. Per isto (istum) vt diximus domno Pippino seu & patri suo solatium, supradicti Abari sunt euacuati & superati, & sanctæ æcclesiæ defensatæ, & multa vasa sanctorum, quæ illi crudeles & impii rapuerunt, per istum defensatorem sunt ad propria reuersa; deinde Beneuentana prouincia, vt digni fuerunt suæ præuaricationis sacramenti, ciues eorum igne sunt examinati & consumpti, & populus eorum capitalem subierunt sentenciam. Sequuntur verba finalia in æs incisa:

Post haec &beouuiudis cū
exercitu suo prexit eamq; uastauit · &
populos terre eius predauit &captiuos
adduxit · Igitur corsicam insulā amau
ris oppressā suo iussu elq; exercitu libe
rauit · presentē diem pēta duitoriū splen
duit italia · sicut fecit antiquissimis
dieb· Leges &ubertatē · &quietudinē
habuit p domini nr̄i merita prestante
dnō nr̄o ihū xpcto AMEN · 7

Fuit, qui Chronicon hoc dictauit vir ex Longobardica gente, quod intelliges ex illis: *vbi sicut nostri antiqui patres longo tempore asseruit habitasse*, & ex loco quo laudat *Carolum M.* quod leges Longobardis suas concesserit: *& paternæ patriæ leges Langobardis misertus concessit, & suas vt voluit quæ necessariæ erant Langobardis adiunxit, &c pro quod illi omnipotens Dominus centies multiplicauit vbertates.* Sed alia omnia, vel mox ab initio Chronici, vel in fine prolata, arguunt *Clericum* fuisse, qui hunc *Romanæ legis* Codicem tanta cura describi iussit. Vti enim in Gallia Clerus secundum Legem Romanam viuebat, ita & in Italia, cuius rei cum sint innumera testimonia, vnum sufficere poterit de Clericis Italis Longobardici generis, quod ex Charta depromtum Anni MXCV. edita a DVRANTE DORIA *in histor. Famil. Trinciæ pag. 90.* excitauit CL. STEPH BALVZIVS *in not. ad Capitular. Tom. II pag. 996.* ibi legitur: *Anno ab Incarnatione D. N. 1095. Indictione tertia, mense Februarii. Acto q. Berardi & Presbyter Ioannes q. Ioannis, qui professi sumus ex natione nostra legem viuere Langobardorum, sed nunc pro honore Sacerdotii nostri videmur viuere Legem Romanorum* &c. Et certe Clericum meum obseruaui ea, quæ ad rem spectebant Ecclesiasticam scribis maiori cum sollicitudine dictasse (sed & forte magis fuerunt nota, quorum continuus in foro Ecclesiastico vsus) secundis curis relegisse & emendasse nonnulla, & nota in margine addita, leges *Ecclesiarum priuilegia* concernentes, indicasse. Exemplum est ad *legem 7. de denunciat. vel Edit. Rescript.* vbi in margine apparent illa; *Defensio Ecclesiæ.* Constat autem hic Codex forma maxima, & fere quarto quadrato, habetque in longitudine pollices *XVII.* in latitudine *XIII.* Membranæ elegantissime politæ sunt, & raiæ pumice; Binæ paginarum columnæ, & literæ in iis, ductis lineis ad regulam omnes scriptæ, earumque primariæ, cum titulis minio pictæ. Nulla vides commata, sed est quædam tantum in periodos facta distinctio, sæpius non accurata satis. Compendia literarum siue abbreuiationes frequentes occurrunt in præpositionibus, nominibus relatiuis, & nominum verborumque terminatione. Quod spectat ad orthographiam, inuenies hic, *e.* pro *i. f.* loco *ph.* consonantes duplicatas, diphthongum *æ* per *e* caudatum expressam, literam *b.* pro *p.* quod ex Scioppii mente proprium fuit Longobardis; frequentissimam denique adspirationem cernere licet, v. gr. *fischus, nichil, nichilhominus*, & raro præpositiones in compositis mutatas, vt exempla copiosa edocebunt in Variantibus ad calcem libri reiectis.

Continet MS. *Compendium* Legum Romanorum Wisigothicum. Ex *Codice* vero *Hermogeniano* non tot excerptæ leges, quot quidem in aliis apparent *Codd.* Et cum variantes colligerem ad Iurisprudentiam Anteiustinianeam obseruaui, *Iurisconsultorum* veterum *fragmenta*, quæque supersunt ex Codicibus *Gregoriano* atque *Hermogeniano*, eadem non fuisse descripta cura, vt leges ex *Codice Theodosiano* & ipsæ *Nouellæ* Principum Constitutiones. In his enim idem verborum positus retentus est, quem accuratissimi seruant libri, & cum genio æui conuenit, in illis autem vidi pedestrem latinitatem & rusticam, quæ eis Seculis erat propria, eandemque omnino cum illa, qua vtitur auctor Chronici; moxque conieci, viros in forensi strepitu versantes, & ad vsus suos describentes hæc fragmenta, nunquam fuisse sollicitos, vt leges puro constarent sermone, atque illorum temporum, quo erant confectæ latinitatem præ se ferrent, sed vt modicam sibi tantum earum parare possent cognitionem. Forte etiam tam multa in pedestrem abierunt sermonem, quod eius temporis ICti plurimas huius generis glossas ad marginem adscribere solerent, quæ dum rudioribus in lingua latina magis placuissent, quam ipsæ leges, loco textus sunt adhibitæ. Mecum certe mox sentiet, cui datum erit aliquando MS. hunc Codicem inspicere. Ceterum, hic liber mutilus multis foliis, nam ab interpretatione media *legis secundæ Lib. III.* desunt omnia, vsque ad *medium interpretationem Leg. 1. de liberali cauß. Lib. IV. tit. 8.* Octo est foliorum iactura, quod apparet ex numeralibus notis arabicis, ab antiqua manu foliis additis.

additis.

additis. Exemplar auctoritatis, quod seruant antiquissimi Galliæ Codices, neglectum; est enim eius loco, exscripta a me, illa series Regum Langobardorum posita. Et poterat tuto negligi, cum *Lex Romana* auctoritate Regum Francorum esset in Italia introducta. En hic initium Codicis Theodosiani:

∴ Liber primus de constitutionib. principum et edictis LIB.

INCIPIT LIB. THEODOSIANI ∴
IMPERAT.
Constantinus aug. ad lusian.
Siqua post hec edicta siue
constitutiones sine die, et consule
fuerint deprehensa, auctoritate
careant. dat. septimo. kl. aug. sabarie.
robiano. et iuliano. consulibus. Interpr.
quecumque leges sine die. et consule. fuerint
plate, non ualeant.

Obseruaui præterea *Codicem* a diuersis conscriptum librariis fuisse, eiusdem tamen æui hominibus, quod idem vbique literarum ductus prodit. Sed maxima incidit in oculos atramenti diuersitas; etiam hinc inde neglectam regulam videas, atque a ductis lineis alios in efformandis characteribus discessisse, cum ii mox maiores mox minores efformati sint. Fuerunt enim inter eos indocti & rudes literarum linguæque latinæ, qui aut dictantem intelligere non potuerunt, aut male auscultabant. Specimen sequens dictis fidem faciet, in ipso MS. enim magna hic diuersitas literarum atque atramenti.

Erunt multa condempnatione secum.
quia non in auctoris sui uicium prestiterit
quod si forte minores sint. et tutor eorum t auctor
ut curator causas eorum aduersus ingenuitatem
persequi uelit. et fuerit superatus. ipse de
propria facultate ad satisfactionem
tenendus est. si uero post secundam reparati
onem adsertor inuentus periculi sui. addicti
causam crediderit replicandam. ut si uincatur
peculium aut seruitia subscriptorum ut ipsas
reddere debeat. similiter et ille qui pulsat dato
fideiussore promittat se praedictum nume
rum ut meritum mancipiorum ut quod ab his
de peculio reposcit. satisfaciat cum fuerit sup
atus.

De ætate Codicis nonnulla quoque monenda sunt. Patebit intuenti in literas, *Seculi IX.* scripturam esse, quo felicissimis Caroli auspiciis factum est, vt maxima cum cura libri omnes describerentur remouereturque illa *Seculis VI. & VII.* grauis librariorum oscitantia, sacris profanisque Codicibus minitans ruinam. Magnum certe reputabat Carolus munus, eleganter scriptus Codex, si quando a monachis; ipsi oblatus esset, quod illi non nesciunt, qui Carolum nouerunt. Et elegans quoque est in Goth. MS. gratissimusque oculis literarum ductus, respondens omnino tantis Imperatoris curis. Confer eum cum aliis

Seculi

Seculi IX & in primis cum specimine *Rabani Corbetiensis*, quod in æs incisum publicauit CL. MABILLONIVS *de Re Diplomat. Tabul. X. Num. 4.* & maximam non poteris non cernere conuenientiam. Aliud autem, & id quidem indubitatum argumentum superest, quod de tempore, quo MS. Codex exaratus, reddere nos certissimos potest. Postquam enim Chronici auctor memorauit, Pippinum Caroli M. filium, Regem Italiæ creatum, narrat restitutam eius auxilio, per Italiam pacem, Beneuentanos punitos per Beowinidem, & Corsicam insulam oppressam a Mauris libertatam fuisse. Pergit mox: PRAESENTEM DIEM *splenduit Italia sicut fecit antiquissimis diebus, leges & vbertates & quietudinem habuit per Domni Nostri merita.* Fuit autem cum Beneuentanis Regi Pippino bellum *Anno D. DCCCII.* & sequentibus, quod administrabat maximam partem fortissimus Spoletanorum Dux *Vingisus.* Sitne hic *Beovvinidis* ille, in Chronico laudatus, an alius longe, nescio, neque iam vacat tempus, vt curiose inquiram. Sed *Anno DCCCVI.* Pippinus classe in *Corsicam* insulam missa, Saracenos, partim ex Africa, partim ex Hispania euectos, insulamque infestam latrociniis habentes, expulit. Vide SIGONIVM *de Regno Italiæ Lib. IV. pag 100. 101.* Et post hos annos Codex noster scribi debuit, vt indicat, auctor Chronici, *præsentem diem*, inquit, *splenduit Italia.* Pippinus vero *Anno D. DCCCX.* vitam cum morte commutauit. Fruere hac antiqui libri notitia, quæ eo est accuratior, quo magis constat, characterem, quo is conscriptus est, eiusdem æui esse; hoc enim nisi esset, magna profecto esset residua dubitatio; cum potuisset facile Chronicon, ad id temporis punctum ab antiquo scribi, describi vero a recentiore. Addo tandem ea, quæ de Legibus, quibus Pippino regnante splenduerit Italia, dicta ibidem, egregie illustrare *Caroli M. Epistolam*, quam ad filium Italiæ Regem, dedit. Legitur illa apud SIGONIVM *de Regn. Ital. l. c.* apud STEPH. BALVZIVM *Capitular. Tom. I. pag. 461. 462.* & inter *Caroli M. Leges Longobard.* a CL. MVRATORIO editas *pag. 112.* Eam putat scriptam laudatus BALVZIVS *A. D. 807.* quod confirmat Chronici nostri auctor, quando post liberatam anno antecedente Corsicam, ita claudit; Italiam leges & vbertates & quietudinem habuisse per Pippini merita. *De Pace* enim *Ecclesiarum Dei & seruientium earum* epistola illa dispositum est; ad quam ego eum puto respicere, cum nihil magis potuerit Clericus in votis habere. Sed & Tibi forte B. L. non displicebit eam legisse. *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Karolus Serenissimus Augustus a Deo coronatus, Magnus, Pacificus Imperator, Romanum gubernans imperium, qui est per misericordiam Dei Rex Francorum, & Langobardorum, dilectissimo filio suo Pippino glorioso Regi sempiternam in Domino salutem. Peruenit ad aures clementiæ nostræ, quod aliqui Duces, & eorum Iuniores Gastaldii, Vicarii & Centenarii, seu reliqui ministeriales, Falconarii, Venatores, & ceteri per singula territoria habitantes, ac discurrentes mansionatica & parauereda accipiant, non solum de liberis hominibus, sed etiam de Ecclesiis Dei, Monasteriorum videlicet virorum, & puellarum, & senodochiorum, atque per diuersas plebes, & seu per reliquos seruientes Ecclesiarum Dei. Insuper homines, atque seruientes Ecclesiarum in eorum opera, id est in vineis, & campis, seu pratis, nec non & in eorum ædificiis illos faciant operari, & carnaticum & vinum contra omnem iustitiam ab eis exactare non cessent, & multas oppressiones patiuntur ipsæ Ecclesiæ Dei, vel seruientes earum. Ideoque Karissime fili, has literas ad tuam dilectionem direximus, vt hoc anno causam diligenter ac prudenter facias inquirere. Et si veritas est, quod ita factum sit, deinceps omnimodis emendare, & corrigere studeas, quatenus in diebus nostris, ac tuis Pax Ecclesiarum Dei, sine illarum seruientium in Domino conseruetur, & vt merces copiosa nobis, ac tibi exinde iugiter accrescat. Audiuimus etiam, quod quædam Capitula, quæ in Lege scribi iussimus, per aliqua loca aliqui ex nostris ac vestris dicunt, quod nequaquam illa prouecta sint ad nostram notitiam, nec per nosmet ipsos esse condita, & ideo nolunt ea obedire, nec consentire, nec pro Lege tenere. Tu valde nosti, quomodo vel qualiter tecum locuti sumus de ipsis Capitulis. Et ideo tuam admonemus amabilem dilectionem, vt per vniuersum regnum tibi a Deo commissum ea nota facias, & obedire, atque implere præcipias.*

Ita tandem seruato temporis ordine, me probasse puto, quæ Iura in Italia obtinuerint, inde ab *Herulorum* irruptione in eam prouinciam, ad illa vsque tempora, quibus *Ius Iustinianeum* denuo resuscitatum est. Sed erat vindicanda sententia, quam antea obtrudere tantum Lectoribus visus sum, cum non expressa ratione, de antiquitate Codicis Wirceburgens. differens, pronunciarem, id Iuris Romani Compendium a Wisigothis factum, apud Italos non obtinuisse auctoritatem, sed demum e Gallia aut Francia allatum hodie videri in Bibliothecis Italiæ plurimis. Respiciebam autem potissimum *fol. 3.* supra allegato, ea tempora, quibus antiquissimum rarissimumque Breuiarii Wisigothici Exemplar, quod seruat Ecclesia Cathedralis Wirceburgensium, scriptum fuit. *Seculo* autem id *VI.* factum, & ibi probaui variis argumentis, & consentientes habeo maximos viros, in perscrutandis antiquissimis chartis diiudicandisque charactere literarum æui medii, multum exercitatos. Imo cum scriptura Libri accedat proxime ad *Seculum V.* & ab Alarico *Anno D. DVI.* id Corpus Legum publicatum sit, prima sine dubio inter exemplaria Codex ille referendus, quo Romani vsi, aut Wisigothis adhuc dominantibus, aut Francis, destructo regno Wisigothico. Iura autem Iustinianea tantum valuere ab *anno DLIV.* vt supra probatum, & antea *Edictum Theodorici* simul cum *Codice Theodosiano* & *Nouellis Principum Constitutionibus*, qua de re etiam supra actum: Inde probabile omnino, tunc temporis, quo Codex Wirceburgens. conscriptus est, in Italia *Theodorici Edictum* adhuc fuisse obseruatum,

uatum, id quod ego *l. c.* ſtatueram. Verum ne tibi perſuadeas, me animo quaſi obſtinato velle, vt pedibus est quis in meam ſententiam: ipſe enim ſatis ſcio, coniecturam eſſe, quam propono. Librorum ætatem quando definire tentamus, id nobis ſæpe ſolet accidere, quod iis, qui cœlum menſurant & per multas noctes calculum ducunt. Librarius enim calligraphus & literarum non expers, (quales olim Roma multos vidit) imitari potuit ſcripturam, quæ ante annos quinguaginta & plures in vſu fuit, ſed ſi manus admouit, homo ignauus, rudisque, ille ne ſui quidem temporis characteres eleganter ſormare, atque recte exprimere valuit. Sed ſi concedam etiam, ſcribi potuiſſe Wirceburgenſem Codicem poſt *Seculi VI.* medium, inde quidem corruet, quod ſtatui, ſecundum *Theodorici Edictum* Iura fuiſſe dicta in Italia. Sed corruat; licet. Id enim, quod ego tantum volebam, *S. Burchardum* Codicem non attuliſſe Roma, ad Wirceburgenſem ciuitatem, nunquam corruet. Cum enim *ab Anno DLIV.* Iura Iuſtinianea & introducta ſint diutiſſimeque valuerint, atque a *Caroli M.* demum tempore, Codex Wiſigothicus, Francis & notus, & amabilis inprimis Clero, in fora Italiæ admiſſus ſit, patebit mox, ex vicina potius Francia petendum fuiſſe rariſſimum eius Codicis exemplar. *S. Burchardus* enim, ſuaſu aut iuſſu S. Bonifacii ad Zachariam Papam, conſultaturus de rebus Eccleſiaſticis, *Anno DCCXLVIII.* Romam iuit. Vid. ECCARDVS *Rer. Francicar. Lib. XXIII. num. 109. Tom. II. pag. 488.* adde *pag. 512. Tom. eod.* abdicauit ſe Epiſcopatu *Anno DCCLII.* IDEM *Lib. XXIII. n. 141. pag. 520.* & obiit anno ſequente ineunte. Prius ergo Sanctus Vir vitam cum morte commutauit, quam Codex Alaricianus introductus eſſet in Italiam, ſed quo tempore adhuc ſub Longobardis Itali atque Romani, viuebant Legibus Iuſtinianeis: qua de re ſupra. Eæ autem Leges, quæ diu in Italia ſiluere, qui tandem factum, ut altiſſime ex improuiſo caput extulerint? Nulla hic Lotharii III. Imperatoris Conſtitutio, incerta etiam omnia de Pandectis inuentis, & fabulæ, quæ circumferuntur de Codice Iuſtinianeo Rauennatenſe. Sunt qui ſtatuunt, Ius Iuſtinianeum, nunquam ceſſaſſe in Italia, ſed rudibus ſeculis a nemine tradi potuiſſe: ſed huic opinioni, omnia ſunt contraria, quæ ſupra de introducta *Lege Romana*, in foris Italiæ, ſcripſi. Et quo tandem fato factum putabis, vt eius Iuris, ſecundum quod tamen in foris pronunciandum fuit (cum ſciamus *Legem Romanam* ſub Longobardis valuiſſe) ne quidem ſcriptum exemplar diu cognitum fuerit? Non meam facio litem, vtrum ex Florentinis Digeſtis reliqua exemplaria deſcripta, an vero plura aliunde aduecta, aut in Italia inuenta ſint. Id ſcio Breuiarii Wiſigothici quam plurima, & in ſplendidiſſima Vaticana Bibliotheca, & per Italiæ vrbes priuatim atque publice aſſeruari: magno argumento, eius Libri quondam maximam fuiſſe auctoritatem. Certe ſi poſt Longobardicum regnum a Carolo euerſum, Iuri Iuſtinianeo ſuperfuiſſet quædam dignitas, putasne Romam venerandam illam Eccleſiarum omnium matrem eo carere potuiſſe? Cum *Clerici* Romanam Legem obſeruarent ſanctiſſime, qua de re ſuperius. Vti autem ego facio cum CL. BRENCKMANNO, qui contendit Pandectarum Exemplar a priuato quodam, ſed pecunioſo homine, noſtræque ſcientiæ non experte, in ipſam Amalphitanam ciuitatem fuiſſe inuectum ex Orientis partibus; ita puto alios, qui iis Seculis copioſe ex Italia in Conſtantinopolitanam concedebant Academiam ſtudiorum cauſſa, non tantum Iuris Iuſtinianei accuratam habuiſſe cognitionem (cum non potuerint non Profeſſores Conſtantinopolitani, vel ad πρόχειρα τῶν νόμων, vel ad ipſos βασιλικῶν Libros Prælectiones inſtituentes, ad fontes quandoque recurrere, & Iuris Iuſtinianei Corpus extollere laudibus) ſed & Italis ea Iura magis omnino placuiſſe, quæ lingua ſibi familiari erant conſcripta. Hinc ſtudium in Ius Iuſtinianeum ſenſim cœptum atque prolatatum. Si verum quod ſcripſit CIRONIVS, ipſum *Irnerium* Conſtantinopoli Ius didiciſſe, cum ſciamus illum, ante inuentum Digeſtorum Codicem, Iura Iuſtinianea profeſſum eſſe Bononiæ, non dubitandum, habuiſſe eum, & forte antea Peponem, iam quaſdam lacinias ex Iuſtinian. Iure decerptas. (ſi non integrum Codicem) Sed quales, omnes ignorant.

Et tantum licuit, cum nec tempus aliis ſufficeret, nec optima vterer valetudine. Addenda iam alia, vt iudicium ferre poſſis, quid præſtiterim in noua *Tom. II.* Codicis Theodoſiani editione. Pauciſſimi erunt, qui, dum hæc antiqui iuris ſtudia æſtimant ipſi, non experientia edocti eſſent, quam diffuſa requiratur lectio, ad intelligenda *Officia Dignitatum vtriusque imperii*, ad inquirenda, quæ ad *rem militarem* pertinent *Armatam* atque *Palatinam* huius æui, ad internoſcenda *Iudicum Officia*, & vt *Curſus Publici* inde a Conſtantini temporibus & altius adhuc, quis poſſit repetere formam. Et hæc me cum multis aliis, hic obuenientibus, per annuum hoc ſpatium tenuere occupatiſſimum, quo tempore in emaculandis, emendandis & reſtituendis Gothofredianis ſchedis, omnem poſui diligentiam. Non dicam, innumerabiles leges, quas reſtitui, ea certe adhibita accuratione & attentione ad res, vt neminem habiturum, exiſtimem, de quo queri poterit: Lacunas pleraſque taceo, quas cunctas ſuppleui, non ſuperficiario ſtudio, ſed diuturno inſtituto examine. Et erat earum numerus haut exiguus; ſi cui enim placebit inſpicere editionem primam, folium vix videre poterit, in quo non inſignis aliqua appareat lacuna. Quæ tumultuario ordine ex ſchedis Gothofredianis typis exſcribi curauerat *Maruillius*, digeſſi, correxi, ſuppleui ex genuinis fontibus, vt nouum quaſi Opus putares, & Gothofredo dignum. Sed non ſum ex eorum numero, qui vt quandam ſibi celebritatem nominis concilicent, cœlum atque terram mouere videntur, & omne librorum genus, notulis conſpurcant miſerabilibus, in quibus nil agunt aliud, quam vt indicent capita, male allegaſſe auctorem profiteantur

teantur, neque rem ordine tradidisse, & quæ sunt reliqua huius farinæ Id ego si agerem inposterum hæc Codicis Theodosiani editio, non in VI. sed IX. digesta volumina prodiret. Cum vero ab ineunte ætate iuris nostri inhæserim deliciis, totusque fuerim in perscrutandis rebus, quæ maximum addunt momentum ad illustrationem eorum temporum, quibus aut collectus est ipse *Codex Theodosianus*, aut datæ sunt *Principum* Romanorum *Constitutiones*; & in eum relatæ; latissimum vidi apertumque campum mihi oblatum, in quo decurrere possem, vt postumum *Gothofredi* mei opus, omnia omnium veterum auctorum, profanorum æque ac sacrorum, scripta euoluendo, diiudicandoque, ita orbi erudito exponerem, vtiquidem ipse quondam in votis habuerat. Egi autem me modestissimum: & cum alienissimus essem a gloriolæ vanæ captatione; ipsis viri beati commentariis addidi loca classica, quæ viuus nunquam neglexisset, & ad quæ digitum iam intenderat. Vellem quidem essent mihi ad manus exempla ex innumeris: verum iis colligendis tempus neque antea, neque in præsenti sufficiens fuit. Excussi tamen aliquot plagulas, vt in manus eæ incidebant, quo de iis iudicium ipse ferres, & ex membris quasi detruncatis totum corpus æstimares. Scias itaque per hunc Tomum notas a *Maruillio* plerasque ita collocatas fuisse, vt quilibet ridere Gothofredum debeat, & pro cerrito traducere & in latinis & græcis. Imo in Commentarium admissa quædam aduersus ipsius auctoris mentem. Ita ad leg. 13 de re militar. ad verba *commune poculum not. h.* scripserat Gothofredus *Commune poculum flumen eleganter vocatur*, & adductis locis ex *Virgilio, Apuleio, Lampridio, Solino*, tandem claudri, *quomodo & infinitis locis apud Marcellinum Empiricum.* Sed sequentia verba in priori editione eadem in nota, *Donatus Adelphis Act. 4. Scen. 6. De valde significat. Item Hecyram Act. 5. sc. 2. Deierat si producte, valde iurat.* & quæ plura sequuntur, quis non mirabitur hic stare. Certe supinam indicabant editoris negligentiam, retrahenda enim sunt ad *not. l.* vbi de voce, *deproperus, deproperans, quod valde properum indigitat*, noster disserere constituit. Adi ipsum locum, & non displicebit restitutio singulorum verborum ex auctorum fide. Negligentia etiam apparet *Leg. 25. de Curs. publ.* vbi cum *not.* * *Lex 5. Cod. Iust.* cohærebant verba omnia, minoribus expressa literis, quæ Gothofredus tamen Commentarii loco adiecerat Item *Leg. 11. d. tit. not b.* de *Helpidio* legebatur, *Meminit & Libanius oratione aduersus Polyclem, & Ammianus Marcellinus in gestis anni 360. vel 361. lib. 21. p. 200 qui vbique eum proscribit, quia Christianus est.* Sed vltima verba ad superiorem Libanii locum sunt retrahenda. Marcellinus enim tantum *cap. 6. lib. cit.* de eo loquitur, neque eum proscribit, sed id fecit *Libanius* per integram orationem. Debebat considerare *Maruillius τὸ vbique*, quod *Gothofredus* sollicite apposuerat, & VALESIVM *in not. ad Marcellin.* adire, qui dudum hæc de Libanii odio in Helpidium notauerat. Et quid illa voluit in *Commentar. Leg. 35. de Curs. publ.* Gothofredi emendatio? *Ne supra assium numero reda moueatur: Quæ procul dubio corrupta sunt: vbi putet quis reponendum supra assignatum, vel supra adscriptum numerum. MS. habet* SVPRA ASSIVM, *forte ita scriptum oportuit* SVPRA ASSIVM. Sed hic nihil emendatum. Ex mente autem *Gothofredi* scribi oportuit SVPR ASIGN. Vide quæ ibidem notavi. In *not. g.* ad *leg. 50. d. t.* exstabat Veredarios sumi, *pro his qui* . . . . . *Hieronymus in Histor. Esther & ad Eustochium.* Verum hic omnia male se habent, neque exstat Sancti Patris commentarius in histor. Esther, verum *Præfatio* tantum, in qua nihil quod ad *Veredarii* pertinet illustrationem. *Lacunarum*, quarum maximum numerum expleui, aliquot etiam habe exempla. *Lege 22. de C P.* in Commentar. illa: *Nempe Parhippus, qui præter veredum . . . . & sarcina . . .* ex nostri mente, quam in Gloss. Nom satis aperuit, ita legi voluit: *nempe Parhippus erat equus auertarius, qui sarcinæ siue auertæ ferendæ adsumebatur.* Hoc forte nullius difficultatis, verum maioris illud *Leg. 11 de Cohortalib in Commentar.* vbi de Festo Syriæ Proconsule exponere voluit, ibi: *Hic idem Festus post administratam Syriam Magister Memoriæ fuit, vt idem Marcellinus docet & Suidas in v.* Φῆστος, *ex Eunapii historia ibi:* τὴν δὲ βασιλικὴν γλῶσσαν ἐπεπίστευτο: *quæ alioquin verba, non cepit interpres eius, imo & mutare instituit: Sic de Nimphodiano . . . . epistolam Græcam,* ὁ αὐτοκράτωρ αὐτῷ καὶ τὴν βασιλικὴν γλῶσσαν ἐπέτρεψε. Quæ verba ita restitui debebant: *Hic idem Festus post administratam Syriam Magister memoriæ fuit, vt idem Ammianus Marcellinus docet, & Suidas in v* Φῆστος, *ex Eunapii historia, ibi:* τὴν δὲ βασιλικὴν γλῶσσαν ἐπεπίστευτο: *quæ alioquin verba non cepit interpres eius, quando vertit, fisci regii curator; imo & mutare instituit. Sed sic & de Nymphidiano, qui Iuliano etiam ab Epistolis græcis fuit idem Libanius in Vit Nymphidian. pag. 177. edit. Commelm.* ὁ αὐτοκράτωρ Ἰουλιανὸς αὐτῷ καὶ τὴν βασιλικὴν γλῶτταν ἐπέτρεψε, *huic magistri memoriæ munus commisit Iulianus.* Ibidem, cum probare voluit, hunc eundem esse Festum, cuius Breuiarium exstet ad Valentem Imperatorem, aliis adductis argumentis, tandem pergit: *Quibus addo, quod forex indicio suo se prodit, cum extra propositum suum notat, Alexandrum Imp. scriniorum Magistrum habuisse Ulpianum Iurisconsultorem. Quod extra . . . . . ab eo notat . . . . ta seque quoque . . . . .* Ita autem Gothofredus voluerat: *Quibus addo quod forex indicio suo se prodit, cum extra propositum suum cap. 22. notat, Alexondrum Imperatorem scriniorum Magistrum habuisse Vlpianum Iurisconsultum Quod extra propositum ab eo factum, notat, ita sese quoque Valenti Augusto commendare voluisse.* Leg. 5. *de C. P.* probaturus Musonianum Anno demum CCCLIV. Prætorio Præfectum factum, aliis adductis scribit: *Et certe tantum abest, vt Constantinus eum Præfectum Prætorio fecerit, vt contra tempore Concilii Sardinensis non nisi Comes fuerit. vt docet A. . . . . .* vbi emendato insigni etiam errore typographico, locum ex *Athanasii Epist. ad solitar. vit. agent. pag. 818. Tom. I. Oper. edit. Lips.* & *Apolog. II. ad Constantium pag. 754. Tom. I.* suppletum videre potes. Magis me vexabat

illud

illud in Commentar. *Leg. 6. de diuerſ. Off.* vbi de Pædagogianis: *Erant ſcilicet ſcita forma & egregio cultu ſiue Adulti. Adultus* (*inquit Ammianus Marcellinus lib. 29.*) *quidam ex his, quos Pædagogianos appellant; ſiue pueri. Inſcriptio vetus 585. 7.* T. FLAV. AVG. LIB. GANYMEDI PÆDAGOGO PVERORVM. *Et exinde . . . . . . torum principum.* Deſperabam, me vel omni diuinationis genere adhibito, mentem Gothofredi exprimere poſſe. Sed Gutherius ſuccurrebat, quem dum intueor, non tantum loca in noſtri Commentario omnia eodem ordine exſcripta; verum etiam inſcriptione recitata, lego apud eundem, *& exinde in deliciis perditorum principum*, quæ huc referenda erant. Hæc ex innumerabilibus, quod iterum repeto, vt ſeſe primis obtutibus, vltima huius Tomi folia offerebant, habeas, & pro lubito iudices. Errores apertos, ſiue typothetarum, ſiue ipſius ſcribentis, noli vt in vnum quaſi congeſtos cumulum, oculis hic tuis ſubiiciam: certe hos charta non caperet, quod facile ſibi perſuadebunt, quibus familiare eſt euoluere Commentarios Gothofredianos. Dudum hi ſciunt græca ibi loca, omnia eſſe falſa, & tam confuſa admiſſa citata, vt dum adminiculum quæris, quod res tuas atque meditationes iuuare debeat, incidas in ſcopuloſum mare, in quo non poſſis non offendere, niſi maturo iudicio, & continua rerum inueſtigatione vitare didiceris, cacoethes Seculi noſtri, quod cum aliis ſapere atque omnia negligentiſſime tranſcribere ſuadet. Ego quo omnium ſatisfacerem deſideriis, non tantum indicaui loca, ex quibus profecerat Gothofredus, ſed & integra ea adpoſui, neglectis aut reiectis, quæ confuſa extabant. Nonnullis, quæ medicam manum non admittebant, locum quidem dedi, ſed incluſa lineolis, palam cunctis oſtendi, ne peccare poſſent, veſtigiis alienis inſiſtentes. Profecto, qui pauciſſimorum labor eſt, omnia curua reſtituere, id me præſtitiſſe, gaudere poſſum, ſed moleſtiſſimo conatu. Erunt enim pauciſſima quæ per diuturnam inueſtigationem non eruerim, emendauerim, reſtituerim. Nolo vero hæc dicta, vt imminuatur diuinus ille labor, quo expoliuit Gothofredus Theodoſianum Codicem, ſed ideo monenda erant, vt iudicare valeas. Sunt enim pignora firmiſſima & experientiæ indubitabilis fulcra, vnde de noua editione pronuncies. Me etiam hominem profiteor, atque humani nihil a me alienum eſſe dudum didici; Sed ſi quid peccaui, peccaui excuſatius in tanta rerum male diſpoſitarum mole egerenda. Et ſi quid viderint acutiores, moneri me patiar, conſulam eorum dignitati, placidiſſime ſed maſcule reſpondebo, dum modo ſint aduerſarii, cum quibus certaſſe eſt gloria. Si experiundæ vires ſunt, optem ego, cum maximo in toga Heroe, & Principe in hac noſtra arte viro, non

- - - - - iners pecus
Sed aut aprum, aut fuluum deſcendere monte leonem

quod olim puer Aſcanius in votis habuerat. Ne putet vero quis ex ordine fratrum minimorum me cum eo congreſſurum eſſe, etenim non vacat vel cacatas omnium ſchedas perlegere, & ſi vacarer, tempus impenderem grauioribus & ſcitu magis neceſſariis rebus. Eo enim abit hodie vanitas nonnullorum, & ſtulta ambitio, vt nihil fere ſcriptorum in lucem prodeat, vbi non extemplo quidam, inſigni illa ingenii vi & iudicii mira perſpicacitate, qua ſe inſtructos male opinantur, palam conantur oſtendere, quid recte, quidque male poſitum ſit, effutientes quædam verba aut benigna aut maleuola. Horum tamen plerique ne primis quidem labris literarum ſacra attigere. Neſcio, quo illos ornem elogio, qui totis viribus nituntur, vt perſuadere poſſint infimæ plebecolæ, tot ſe ſudare noctes, tamque pertinaci induſtria omnem nauare operam, quo habeat eruditus orbis, de quo gaudere poſſit. Æſope hodie viueres, plures videres graculos! Sed hi deplumati, quam lamentabiles flebilesque edunt elegos! Dum hæc ipſa ſcribo, audio, fuiſſe quoque, qui ſe neſcio quos, in emaculando hoc opere toleraſſe labores, apud exteros gloriati ſunt, quos aut ego vix noui, aut ſi noui, tanti æſtimare ſolitus ſum, quanti ſunt, vel quanti mihi viſi ſunt, & iis admoui, quæ poterat expedire quilibet, vel primorum rudimentorum in lingua latina non ignarus. Mordebant tamen Bibliopulam thraſones, volebatque vt aſperis facetiis depexos in triumphum ducerem: ſed dedi ego id eorum imbecillitati, & tanto quidem lubentius, cum dulciſſimi hi magiſtri ſatis benignam tribuerint mihi ridendi materiam. Paucis adhuc Te volo L. B. tangenda enim duo, de quibus publice admoneri refert. Primum attinet *Macrobium*, cuius fit mentio *leg. vn. de Præpoſ. S. Cubicul.* Hunc Gothofredus in *Commentar. ibid.* eum eſſe ſtatuit, ad quem *Auianus*, Epiſtolam fabulis præfixam dedit, quique *Theodoſium* vnico tantum nomine appellauit. Diſſentit CL. HENR. CANNEGIETERIVS *in diſſert. de ætat. & ſtilo Flau. Auian. c. 4. pag. 241.* qui putat, non videri, ibi *Macrobium* Virum clariſſimum maximisque honoribus ornatum intelligendum eſſe; cum Auianus nullam iniiciat honorum mentionem, omne præterea verborum, ad gratiam aut amicitiam captandam negligat lenocinium, nudum tantum hominis nomen exprimens. Certe, cum ipſe Macrobius, operi ſuo addiderit honoris titulum, quo exſplenduit, id faciendum omnino fuiſſet Auiano, ſi quidem libro ſuo ornamentum a tanti Viri nomine voluiſſet quærere. Alterum, quod Te ignorare nolo, concernit *Antonini Itinerarium.* Gothofredus enim *Commentar. ad Leg. 10. de Metat.* Antoninum ſiue Antoninum, fuiſſe ex Togatorum ſeu Menſorum numero autumat, qui a Theodoſio in prouincias miſſi fuerant. Sententiam ex MS. Regio huius Itinerarii confirmare voluit, ex quo verſus quosdam recitat, quos vide *l. c.* Sed CL. WESSELINGIVS *Præfat. ad Antonin. Itiner.* incertiſſimam iudicat coniecturam, cuique nullum plane ex MS. regio ſit præſidium. Verſus ſequentes

Æquora quo montes, fluuii, freta, portus & vrbes
Signantur: cunctis vt ſit cognoſcere promptum,
Quicquid vbique latet.

aliud requirere opus, neque in Itinerarium quadrare, in quo fruſtra quis hic prædicata quæſierit, pronuntiat. Ea vero mens eſt Viro Clariſſimo, reſpici *Codicem Miſſorum Theodoſii*, non Itinerarium, quod verba id non tantum ſuadeant, ſed & CL. SALMASIVS *in Exercitat. Plinian. p. 48.* aſſeueret, XV. anno Theodoſii, Miſſos Orbis Romani prouincias metiri inſtituiſſe. Addit, liquere id euidentiſſime, ſi quis plura ex ſchedis illis quas publicauit EM. SCHELSTRATENVS *Antiquit. Eccleſ. Tom. II. p. 5.* legat. Ego certe CL. WESSELINGIO aſſenſum præbeo, poſtquam ipſa verba ſatis ponderaui. Hactenus Te moratus ſum Lector Beneuole: ſed dimittere prius non poſſum, quam didiceris, me in *Notitia Dignitatum* reſtituenda, vſum eſſe editione *Venet.* 1593 *f.* apud Franciſcum de Franciſcis Senonenſem. Vale & faue. Dabam Lipſiæ ex Muſæo XII. Kal. Mai. A. O. R. MDCCXXXVII.

CODICIS



CODICIS THEODOSIANI LIBER SEXTVS.

QVO CONTINENTVR CONSTITVTIONES,

QVÆ AD

NOTITIAM DIGNITATVM vtriusque Imperii, OFFICIAQVE Palatina pertinent.

HVIVS LIBRI TITVLI.

PARATITLON.

GENERALIA quædam de dignitatibus hoc paratitlo apponemus. Ac primo quidem, & ante omnia, variæ DIVISIONES, seu SPECIES Dignitatum obseruandæ. Promiscue primum cuiuscunque loci, dignitatis, Ordinis dignitates memorantur, *l. 4. de accusationib.* cuilibet culmini honoriue præsidentes: *l. 2. vt intra annum.*

P. 2. Prima diuisio hæc est. Alii ciuiles Magistratus erant, *l. 11. de diu. off.* seu Iudices ciuiles, dignitates: *l. 36. de cursu: l. 7. de honor. Codic.* veluti Præfecti Prætorio, Vicarii, Rectores prouinciarum, *l. 11. de diu offic.* Alii, Militares: *d. l. 39. de cursu: l. 7. de honor. Cod. l. 11. de diu. offic.* puta, Magistri militum, Comites, Duces: *d l. 11.*

Secunda diuisio. Aliæ dignitates ingenitæ, aliæ collatæ *l. 5. de Apostatis.*

Tertia. Aliæ legitimæ dignitates, *l. 2. ad leg Iul repet.* Aliæ honorariæ, *d. l. 2.* de quibus *tit. expresso 22. lib. 6. de honor. Codicillis:* quas beneficio quis consecutus, quæ & ipsæ suo sensu legitimæ dictæ, *l. 15. de Tironib.*

Quarta. Alii sunt Iudices sæculares, *l. vlt. de Episcopis:* seu Temporales potestates, *d. l. vlt.* Alii Ecclesiastici.

Quinta. Alia officia ad Principis vsum, alia ad Reipublicæ disciplinam: *l. 47. de operib. publ.*

Sexta. Alia dignitas senaroria, de qua *tit. 2. lib 6* alia Equestris, *tit. 36.* alia Perfectissimatus, *tit. vlt.* Egregiatus quoque dignitas aliquando fuit: Ducenæ item & Centenæ.

Septima. Iudices alii ex appellatione; Alii ex delegato; Alii ex ordine iudicabant, *l. 16. de appellat.* Quod ad Delegatos attinet, quandoque ex delegatione vnius Magistratus alteri Iurisdictio delata, veluti a Comite R. P. Rectori prouinciæ: *l. 45. de appellat.*

Octaua. Ratione gradus; In genere: Aliæ altissimæ dignitates, *l. vlt de lustrali conlat. l. 4. de honor. Codic. l. 1. de Comitib rei mil.* veluti Magistri equitum, *d l. 4 de hon. Codicill.* seu Eminentes, *l. 74. de Decurionib.* [vnde Eminentium elati tituli dignitatum, *d. l. 74.*] Altiores Iudices, *l. 5. de iis quæ administr.* Maximæ dignitates *l. 15. de extraordin.* Inclytæ potestates, veluti Præfectus Prætorio & P. V. *l. 13. de accusat.* sublimissimæ administrationes, *l. 44. de cursu:* In summa administrationis potestate positi: *l. vn. ne sine iussu Principis.* Maiores Iudices, *l. 8. de exactionib.* Maiores potestates, *l. 3. de suariis.* Potiores Iudices, *l. 56. de cursu:* Alii Iudices inferiores, *l. 56. de cursu:* inferioris gradus, *l. 13. de appellat.* mediæ dignitatis. Alii minimi, *d. l 5. de iis quæ administr.*

Nona diuisio: Alii Illustres erant, *l. vn. de Comitib qui Inlustrib. agent. adsid. l. 52. de hæreticis:* Illustres dignitates, *l. 14. & vlt. de Metatis, l. 4. de itin. mun.* Inlustrium dignitas, *l. 187. de Decurion* Inlustres potestates, *l 23 de cohort. l. 23. de Episcopis:* Inlustres Viri, *l. 5. de metatis:* Inlustres personæ *l. 15. 18. & vlt de extraordin. mun.* Horum alii erant in actu positi vel in prouinciis, vel in sacro Comitatu, *l. vn. de Comitib. qui Inlustr. ag adsid.* Cuiusmodi erant Consules, Præfecti, Magistri militum, Præpositi Cubiculis alii, *l. vlt. de Metatis:* Horum etiam non vna quadriga erat, id est, plures non eodem gradu censebantur, sed diuerso.

Alii vero Spectabiles, *l. 52. de hæreticis:* hinc Spectabilium dignitas, *l. 187. de Decur.* qui ordinariis Iudicib. opponuntur, *l. 16. de proximis.* Alii Senatores, *d. l. 52.* Alii Clarissimi, *d. l. 52.*

Decima diuisio. Alii administrationem vnius prouinciæ habebant. Alii plurium: *l. 6. de iis quæ administr.* Alii vnius diœceseos; Alii plurium, vt Præfecti Prætorio.

ORDO certus Dignitatum erat, seu PRÆCEDENTIA de quo *tit. 5. infr. vt dignitatum ordo seruetur:* vbi vide Paratitlon: quam in rem sex insignes constitutiones olim editas *ibi* vide: vbi vero, seu in quibus actibus is seruatus? vide *ibid.* In Constitutionibus vero quanduque a minoribus ad potiores conscendendo fit progressus, vt *l. 13. de accusat.* Non *omnibus* dignitatum aditus patebat, etiam honorariarum, veluti conuictis Repetundarum: *l. 2. ad l. Iul. Repetund.* Libertinæ etiam conditionis homines ad honores vel Palatinam militiam adspirare prohibiti: *l. vlt. de libertis,* vt & vltimis negotiaroribus, monetariis, abiectisque officiis, vel deformibus ministeriis, vel stationariis, omnique officiorum feci, diuersisque pactis turpibus lucris, aliqua fuit dignitate prohibitum, *l. 6. Cod. Iust. eod tit.* quæ proculdubio *hoc* quoque *titulo hoc Codice* posita fuerat. Neque omnibus concessi proderat, veluti quibus ea concessa a Tyrannis, *l. 6. de infirm. his quæ sub Tyr.*

Ad quasdam etiam administrationes nonnisi cum certis fideiussoribus singuli quique veniebant *l. 10. de Veteranis:* De Codicillis Dignitatum, seu Epistolis, vide *l. 5. de Agentibus in reb. l 8 de infirm. his quæ sub tyr. l. 23. de Prætoribus: l. 1. de Præfectis prætorio,* de honorariis Codicillis est titulus expressus *infr. tit 22.*

Insignia Magistratuum, quædam fuerunt, *l. vlt. de honor. Codicillis:* hinc Insignia Proconsulatus, *l. 4 de honor. Codicill.* Consularium insignia, *l. 5 de honor. Codicill.* Præturæ insignia, *l. 74. de Decurion.* In his, secures, & fasces Proconsularibus Viris tribuuntur, *l. 7. de honor. Cod.* Splendidi fasces Præturæ, *l. 15. de Prætorib.* Præcones *d. l. 74. de decurionibus,* vehicula singularum Dignitatum, & in his Carrucæ biiugæ, *l. vn de honor. vehiculis,* vestis seu

P. 3. habitus suus & consuetus in solemnibus, *l. vn. de Præpos. Sacri Cubic.*

Annonæ dignitati suæ cuique, & cellaria de publico tributa: *l. vlt. de off. Iud. omn. l. 1. 32. & vlt. de erog. mil. annonæ: l. 11. de palat. S L.*

Honores

Honores his varii delati. Adclamationibus excepti Magiſtratus, ſeu dignitates quædam. *l. 2. de Quæſtoribus.* Reuerentia non ſolum ab Inferioribus, ſed etiam a maioribus debebatur, & deferebatur Rectoribus prouinciarum, *l. 4. de Palatinis S. L.* De *Priuilegiis* dignitatum.

Officia celebrata cum Magiſtratus auſpicarentur: quæ ſolennes feſtiuitates dicuntur, *l. vn. de præpoſ. S. Cubic.* publica officia, *l. 7. vlt. de honor. Codic. l. 1. de expenſis Ludor.* officia ſimpliciter, *d. l. vn.* & *d. l. vlt.* velut Conſularia, de quibus *d. l. 1.* quibus munera miſſitabant amicis, *d. l. 1.* veluti ſportulas, dyptica, *d. l. 1. Conſidendi* cum his ac nominatim cum Iudicibus ordinariis ius quibuſdam conceſſum; veluti honoratis, *l. vn de off. Iudic. ciuilium*, in ſcriniis militantibus, *l. 5. de proximis*, his qui muneribus omnibus patriæ defuncti eſſent, *l. 109. inf. de Decurionib.* item ſedere, ſtantibus aliis in cenſibus Decurionum, Præſidatus prærogatiua decorati poterant: *l. 4. de decurionib.* De *Salutationibus* Iudicum publicis intra ſecretarium: vid. *l. vn. de præpoſ. S. Cubiculi: l. vn. de Comitib. vacantib. l. 1. de Præfecto prætorio, l. 1. de Decur. & fil. l. 5. de proximis. l. 7. de honor. Codicill. l. 4. de domeſticis.* In his ordo quidam obſeruatur, & dignitatum habitus, *dictis legibus.* In his oſculum quoque, *l. 4. de domeſticis, l 109. de decurionib.* Et quoſdam ex officio ſalutationum cura conſtringebat, *l. vn. de Comitib. vacantibus: l. 5. de proximis.*

Dignitate functis munera quædam ſæpe publice mandata *l. 1. de primicerio & Notariis: l. 3. de honor. Codicill.* Renunciare Senatoriæ quoque dignitati licuit ad euitanda eius onera, *l. 4. l. 11. de Senatorib. l. vn. de Comitib. ord. pr. art. diuerſ.* & quæ *ibi* a me notata. De *Officiis* ſeu *Officialibus*, & Apparitoribus eorum: vide *lib 8.* De *vxoribus*, & *Filiis* in dignitate poſitorum, vide vel *legem 7. ſupr. de Iuriſdict. l. 1. inf. tit. prox. de Senatoribus*, & quæ *ibi* a me notata.

DE DIGNITATIBVS.

TITVLVS I.*

* Intercidit hic titulus primus: quem generalem *de Dignitatibus* fuiſſe oportet: qualem etiam in Codice Iuſtinianeo præmitti videmus *lib. XII. Cod. Iuſt. tit. I.* Cæterum quæ dignitatum Notitia, quæ ratio fuerit, docent *Tituli huius libri:* Ex quorum Paratitlis ſingularibus, Paratitlon ſeu NOTITIA DIGNITATVM integra confici poteſt, quod & ipſum præſtamus partim in *Notitia Dignitatum* noſtra, partim in *Imper. Rom.* quomodo *libro* mox *proximo* exemplum præbebimus generalis Paratitli *de Re militari.* De Ordine dignitatum ex ipſa *titulorum* ſerie conſtare poteſt: de quo ipſe etiam dico ad *tit. vt Dignitatum ordo ſeruetur.* Verum vt dixi ſeparatam Dignitatum Notitiam, quia ea prolixior eſt, ex hoc Codice confectam, peculiari Indice ſeu Notitia complecti malui: quam vide inter alios Indices.

P.1. DE SENATORIBVS, ET DE GLEBALI VEL FOLLIVM SEPTEMVE SOLIDORVM CONLATIONE, ET DE AVRO OBLATITIO.

TITVLVS II.*

* Huius quoque Tituli *Rubrica*, vna cum primis *eiuſdem tituli* conſtitutionibus intercidit. Et ex iis tamen quæ ſuperſunt ipſis, Rubrica, ita omnino vt feci, reſtituenda videtur: Reſpondet vero illi *Titulus II. Cod. Iuſt. lib. XII. de Prætoribus & honore Præturæ, & collatione, & gleba & folli, & ſeptem ſolidorum functione ſublata.*

PARATITLON.

SENATUS vrbis Romæ [vt & Constantinopol.] dicitur Amplissimus Senatus, *l. 1. de Prætorib l vlt de domest & protector. l. 14. de tyronibus: l. 3. de tutoribus:* Egregius Senatus, *l. 21. de Prætoribus:* splendididissimus Senatus, *l. 82. de Decurion.* Cœtus amplissimus, *l. vn de professor. qui in vrbe Const. l. 180. de Decurion.* Cœtus Senatus Amplissimi consortiumque *l. 8. hoc tit.* Senatus cœtus, *l. 7. de proximis Comitib. disp.* Florentissimus cœtus, *l. vlt. de vsuris*, sacratissimus cœtus Senatus, *l. 5. de Princip. agentium:* venerandus cœtus Senatus: *l. 12. de proxim. Comitib.* Consilium amplissimorum virorum, *l. 4. hoc tit.* Consortium Senatus, *l 73. 74. de Decurionib.* Consortium Senatoriæ dignitatis, *l. 129. de Decurion.* Curia, *l vlt. de Decur. & Sil l. 10. de Prætoribus:* Curia Senatoria, *l. vn. de Consulibus:* Vrbis Romæ Curia, *l. 11. de Prætorib.* Curiæ nostræ amplissimus, intimusque consessus, *l. 1. de Præfect. Prætor.* Nobilior Curia, *l. 155 de Decurionib.* eiusque consortium, *d. l. 155.* Nobilissima Curia, *l. 172. de Decurionibus.* Præclara Curia, *l. 3. de fide testium:* Splendidissima Curia, *l. 12. de Agentibus.* Senatus Orbis inclytus, *l. 14. in fin. de Decurion.* Ordo Amplissimus, *l. 13 14. de tyronib. l 1. de Decur. & silentiar. l. 6. de scænicis: l. 5. 22. de Agentib. in reb. l. 74. de Decurionibus: l. 3. 4. 14. vlt. hoc tit.* Senatorius Ordo, *l. 2. in fin. h. t. l. 10. de pœnis: l. 10. de maleficis, l. 57. 58. 65. 101. 111. 130. de decurionibus: l. 7. de domesticis: l vn. de Equestri dignit.* Splendidissimus Ordo, *l. 122. 155. de Decurionib. l. 4. de pistoribus.* Societas Senatorii Ordinis, *l. 2. h. t.* Venerabilis Ordo, *d l. 1. de Decurionib & silentiariis:* [*l. 5. de Agentib. in reb.*] venerandus Ordo, *l. 12. de proximis Comitib. dispos.* Senatum Principes ita compellabant Orationibus suis vel constitutionibus, Patres conscripti, *l. 5. de indulg. crim l. 8. de metallis: l. 10. 14 15. de Prætoribus: l. 3. de Canone frum. V. Romæ.* Item vestra sanctitas, *l. 4. de infirm. bis quæ sub Tyrannis.*

SENATORES dicti, Proceres, *l 1. de nuptiis, l. 12. de Prætoribus.* Amplissimi Viri, *l. 4. h. t.* Clarissimi, *l. 10. de pistoribus: l. vn. de præpos. labor. l. 7 de domesticis: l. 4. 9. de Prætoribus: l. 23. de appellat. l 16. de proximis:* Clarissimo præditi nomine, *l. 11. de Prætoribus:* vnde Clarissima dignitas, & insulæ clarissimæ dignitatis, *l. 42. de decurionib.* Clarissimum nomen, *l. 8. de domesticis:* vnde Clarissimatus, *l. 74. 180. 183. de decur.* Clarissimatus dignitas, *l. 94. de decurionib. l 16. de proximis:* Honor Clarissimatus, *l. 8. 10 de domesticis:* Clarissimæ domus, *l. 3. de prædis senator.* Item Nobiles, *l. 1. de nuptiis:* vnde & Nobilitatis obliti dicuntur quid aduersus Senatoriam dignitatem admittentes, [*l. 5. de Prætoribus.*]

DIGNITAS autem magna Senatus, Senatorumque hac tempestate fuit: etiam apud Principes seu Imperatores. Omitto senatus elogia, quæ *supra.* Senatorum splendor & collegium vocatur, *l. 93. inf. de decurion.* Ipsi Principes Senatorum numero sese censebant: Hinc Iulianus *l 1 de exhib. reis.* Ius Senatorum & auctoritatem eius ordinis, in quo nos quoque ipsos esse numeramus. Valentinianus Sen. *l. 32. de cursu publ* ait, se Senatores collegii merito frequentius videre cupere: Arcadius in *l. 3. ad leg Corn. de sicar.* Senatorum, nam & ipsi pars corporis nostri sunt: Theodosius Iun. *l. 180. de Decurionib.* Cœtum amplissimum, cuius consortio gratulamur. Qua causa & domus Principis, glebalem collatio-
P. 5. nem agnoscebant: *l. 11. h t.* Huc pertinent illa; Æternæ Vrbis meritum reuerendam nobis Amplissimi senatus effecit voluntatem; Honorius *l. 14. de tyronibus.* Item illud Constantini, Religiosis vocibus Senatus amplissimi persuasi decernimus: *l. 1. de Prætoribus:* sed & illud quod Legatis ad Principem a Senatu Rom. missis sponte arbitrioque proprio cursum publicum vsurpare sine euectione licuit, *l. 32. de cursu publ.*

Quod Senatus *Actus* attinet: Memorantur illi in genere, *l. vn. de consulibus:* & *l. 5. de Princip ag. in reb.* In specie Prætores seu Prætorum nominationes fiebant senatus arbitrio *l. 8. 9. 10. 12 13. 14 15. de Prætoribus*, solemniter *d. l. 13.* Senatusconsulto legitime celebrato, *d. l. 12.* legitimo Senatusconsulto, *d l. 13* certo numero Senatorum, *d. l. 9. & 12.* latis per ordinem sententiis, *d. l. 12.* Senatusconsulta item alia condebat de modo Senatoriæ functionis, *l. 4. hoc tit.* & de expensarum in ludos modo: *l. 1. inf. de expensis ludorum.* vid. & Symmachum, *lib. 10 ep. 21.* sic tamen vt ea ad Principem referrentur, qui ea confirmabat, *d l. 1 & d. l. 4.* Repurgium item Senatorum quandoque facere iussus, vt ipse elegerit, qui splendori Senatus responderent: sic tamen, vt nomina per Præfectum vrbis ad Principem referrentur, vt Senatus iudicium comprobaret, *l. 4. de infirm. his quæ sub Tyrannis:* Professores etiam Senatus iudicio electi: *l. vn. de Professoribus qui in Vrbe Constanti nop.* Omnes vero actus, qui in Senatu tractari censuerunt, censualium solicitudine celebrabantur, exceptis citatoriis: *l. 5. de Princip. Agentium in rebus*, vbi plene dico. De oblatione quoque Principi prompta liberalitate facienda decernebat, *l. 14. hoc tit.* Sententiarum porro dicendarum in Senatu ordo quidam erat, *l. vn de consulibus.* Album denique Senatorum eorum erat, *l. 57. de Decurionib.* Variis e contra de rebus Imperatores orationes seu constitutiones ad Senatum emittebant: qualis est Valentiniani Tertii; quæ oratio diserte vocatur *l. 1. de cretione, l. 3. Cod. Iust. de Legibus:* cuius orationis partes sunt *lex vn. de responsis prud. l. 9 10. de matern. bonis: l. vn de bonis quæ filiisfam. l. 6. de donation. l 8. de legitimis hæredit.* Huius generis sunt constitutiones omnes, quæ *ad Senatum* datæ dicuntur, de quibus in *Prolegomenis:* Quæ & ideo dicuntur in Senatu lectæ, *leg. 1. de maternis bonis, l. 8. de metallis: l. 13. de accusat.* Recitatæ, *l. 14. h. t.* Ad Senatum etiam Vrbis Constantinopolitanæ augendum nonnulla constituta, vt *l. 1. 3. hoc tit.* Retro repurgium Senatus subinde fieri voluere Principes, si vide-

si videlicet incondita turba contaminetur: de quo est Constantini M. egregia *lex 4. de infirm. his quæ sub Tyr.*

GENERA Senatorum hæc erant: Primum, Alii Senatoriam dignitatem felicitate generis sortiebantur: *l. 2. hoc tit.* sic vt ante patris dignitatem quoque suscepti susceptæque Senatorii censerentur, quoad honores *l. 1. h. t.* Alios Palatinæ honore militiæ, & stipendiis adprobatos debita potius quam postulata Senatorii Ordinis Societas aduocabat, *l. 2. inf.* Alii largitate Principis, ad postulationem; *d. l. 2.* Seu cœlesti oraculo, *l. 1. h. t.* [Symmach. *9. ep. 108.*] Item alii Senatores nudi, qui ab Illustribus, Spectabilibus, & Clarissimis separati, nullo extrinsecus muniti priuilegio dignitatis: *l. 52. 54. de hereticis.* Alii sub præconio administrationis facti Senatores, *l. 52 de Decurionibus:* vid. & *l. 1. de honor. Cod.* & *l. 25. de Decurionibus.* Ex Senatoribus alii Romæ consistebant, alii in prouinciis larem fouebant: *l. 5. 9. hoc tit.*

Nunc de cæteris quæ ad Senatores pertinent. Roma, propriæ dignitatis Senatoribus sedes erat, *l 11. de Prætorib.* Census Senatorum mentio fit *l. 1. de protostasia*, & apud Symmachum, *lib 10. ep. 60* proque eius diuersitate, varius Senatoriarum functionum modus fuit, *l. 2. 4. h. tit.* Priuilegia & iura Senatorum sequuntur. Appellare Senatoribus a Præfecti Vrbis sententia licuit aliquando, aliquando non; *l. 23. de appellotionibus.* Curiales, Senatores fieri non poterant, nisi expletis omnibus Curiæ muneribus: *l. 14. inf. l. 18. 19. in f l. 48. 52. in f. l. 57. 58. 69. 73. 74. 82 90 93 110. 111. 118. 123. 129. 130 160. 180. 183. 188. de Decurionibus*, vt nec pistores, nisi in casu *l. 4. de pistoribus*, vt nec Principes officiorum relicto officio, *l 14. de cohortalib.* Equorum vsus Senatoribus ad itineris necessitatem concessus erat, etsi plerisque aliis interdictus esset: *l. 1. quibus equorum vsus.* In ciuili causa vel pecuniaria fori præscriptionem habebant, non in criminali, ex Constantini M. *l. 1. de accusat.* De Senatoribus enim propria Præfecti vrbis notio fuit, seu Præfectus vrbi Iudex Senatorum erat: *l. 10 de maleficis; l. vlt de vsuris: l. 3. 4. 5. 9. 12. 14. hoc tit.* sic vt prouincialis [Tusciæ pone] a Senatore poscens coram Præfecto vrbis agere cogeretur: *l. 4 de Iurisdict.* veniam etiam qui Senatores impetrauerant, apud Præfectum vrbis de suis moribus & honestate perdocere debebat: *l. vn. de his qui veniam ætatis.* Quod criminales causas attinet, ex Constantini M. *l. 1. de accusat.* criminis reus Senator intra eam prouinciam, intra quam crimen admiserat, puniendus statim erat, deque eius nomine ad Principem referebatur: Atenim ex *l. vlt. de iurisdict.* & *l. 13. de accusationibus*, cognoscere quidem Iudex seu Rector prouinciæ poterat, verum de eo statuere non poterat, sed de eo vel ad Principem, vel ad Præfectum vrbi, vel ad Præfectum Prætorio referre debebat, ad Præfectum vrbi ex suburbanis prouinciis: P. 6. quo casu Quinque Viri forte ducti, non electi ex Senatorio Ordine in Consilium adhibebantur: vnde Quinqueuirali iudicio nomen, *d. l vlt.* & *d. l. 13.* Accusatus vero Senator, antequam conuincatur, statum & dignitatem omnem interim retinet: conuictusque demum, vel confessus, dignitatem amittit: *l. 1. de exhib. reis.* Honor his delatus in prouinciis a Iudicibus [vnde & *Honorati* dicti] varius; de quo honore vid. *l. 5. in f. de Agentibus: l. 16. de Palatinis.* Ad Salutationem scilicet publicam admissi: *l. 1. de Præf. præt. l. vn. de præpos. S. Cubiculi, l. vn. de Comitib vacant. l. 7. de honor. Cod. l. 1. de decurion. & silent. l. 4. de domesticis: l. 5. de proximis: l. 2. & vlt. de Princip. agent.* In consessum, *l. vn. de off. Iudic. ciuil. l. 5. de proximis: l. vlt. de honor. Cod. l. vlt. de Principib. agent. in reb.* Vid. & *l. 13 de priuil. eor. qui in S. P.* In conuentibus, cœtibus, *d. l. 1. de Præf. prætorio; d. l. vn. de præpos S. Cub.* In prouinciis & in vrbe Senatum, aliosue conuentus frequentare tenebantur: *l. vn. de Comitib. ordinis primi art. diuers.*

Quod publicas functiones attinet, ab auro coronario immunes erant, *l. 1. 2. de auro Coronario*, ab onere metati, *l. 1 de metatis:* a collatione ad opera publica, *l. 7. de operib. publicis:* a Synoncti item onere actores & procuratores Senatorum per prouincias immunes erant, *l. 1. de publica comparat.* lapidicinas exercentes, lapides inde transferentes a vectigalis onere & portorio immunes erant, *l. 8. de metallis.* Viceuersa, a Senatoribus quoque tirones exacti, vel aurum tironicum: *l. 7. 13. 14. de tyronibus.* Protostasiæ functioni obnoxii quoque erant, *l. 1. de protostasia*, quod a Iuliano abrogatum, *l. 2. eod. tit.* Fuit & hoc Senatorum priuilegium, vt a quæstionibus immunes essent: *l. 1. 3. de Quæstionib.* vt fidiculis subiici inconsulto Principe non possent: nisi in Maiestatis crimine, & proximis, *d. l. 1. de Quæstionib.* De prædiis Senatorum, est *infra* peculiaris *titulus 3.* Nempe Senatores vrbis Romæ per longinquas prouincias & diuersas possessiones habebant, *d. l. 5. h. t. l. 7. de annona & trib.* In his procuratores & Actores habebant, *d. l 5. h. t. l. 2. quib. equorum vsus:* rusticanos & colonos, *l. 3. de lustrali conlat.* & *d. l. 7.* Contumaces vero hi sæpe sese præbebant: Ideo pro his tributa & annonas Senatores ipsi agnoscebant, nisi coloni profugi essent; *d. l. 7. de annona & trib. l. vlt, §. 4. de patrociniis vicorum:* Latebras reis præbebant *passim:* vicissim rusticani & coloni non magis quam aliorum ad lustralem conlationem tenebantur, id est, a lustrali collatione immunes erant, *l. 3. de lustrali conlat.*

Vt multa vero in Senatoriæ dignitatis honorem tributa, ita contra æquo iure in multis cum aliis agebant. Ne quidem Senator vnus testis fidem facit, *l. 3. de fide testium.* Fraudibusque eorum occursum: Longinqua peregrinatio Senatoribus interdicta ad euitandas Senatorias functiones, *l. 11. de Prætorib.* Patrimonium suum nisi causa actis probata diminuere in fraudem Senatoriarum functionum vetiti: *l. 7 h. t.* Imo vsuræ his vel in totum in-

terdictæ, *l 3. de vsuris:* vel vltra semissem, *l. vlt. eod. tit.* Seruus Senatoris gladiator fieri vetitus, *l. vlt de gladiatoribus.*

De *Filiis* Senatorum, vid. *l. 1. hoc tit. l. 69. 74. de Decurionib.* & *d. l. 3. de vsuris.* De *veste* Senatoria, *l. 1. de habitu quo vti oportet intra vrb.*

Nunc de Senatoriis *Functionibus*, quod huius tituli proprium est, vbi inter initia notandum est, nonnullos etsi Senatores singulari priuilegio immunes fuisse a Senatoriis oneribus. Hi vero *Adlecti* & Immunes dicti. Vnde, inter Adlectos & Immunes haberi, *l. 1. de Decurion & silentiariis.* Item inter Adlectos, velut ex Consularibus, *l 8. 9. 10 de domesticis:* vbi vide quæ dicam: *l. vn. de præpos labor l. 8. de proximis. l. 19. & vlt. de Palatinis S. L.* Consularis inter Adlectos, *l. 7. de proximis:* inter Adlectos Consulares, *l. 5. de Agentibus:* cum prærogatiua Consulari, vt Symmachus *lib. 10. ep. 18.* vnde Adlectio, *l. 7. de domesticis: l. 7. de priuil. eorum qui in S Pal.* Adlectionis honor, *l. 10. de Prætorib.* Hac immunitate seu adlectione fruebantur Decuriones Palatii post emensum obsequium: *d l. 1. de Decurionib & silent* Domesticorum & Protectorum Primicerii & Decemprimi, *d. l. 8. 9.* Præpositi laborum, *d. l. vn.* in sacris scriniis qui viginti annis militarunt, *d. l. 7. 8.* Principatu Agentium functi, *d l. 5. 6. 10 12. 13. de Agentib. in reb l. vlt. h. t.* Primicerii totius officii Comitis S. L. *l 19. de palat. S. L.* & rerum priuatarum, *l. vlt. eod* Primicerii singulorum scriniorum, *d. l. vlt.* Aliique quibus hæc prærogatiua a Principe nominatim tributa: vt apud Symm. *lib. 10. ep. 18.*

SENATORIÆ FVNCTIONES, *l. vlt. hoc tit. l. 22. inf. de Agentibus: l. 8. & 10. inf. de domesticis.* Symmachus *lib. 10. ep. 8. & 21. & 43.* Descriptiones *d l. vlt. & l. 1. inf. de decurionib. & silentiar. l. 15. inf. de Medicis & Professoribus:* scriptiones *l. 12 de proximis. [l. 7. de domesticis.]* Sumptus *l. 7. inf. de priuil. eorum qui in sacro Pal.* Munera, *l 9 infr. de domesticis:* Expensæ, *l. 12. inf. de Medicis & Prof.* Senatorii ordinis, *l. 7. inf. de domesticis:* Senatorium nomen, *l. 2 h. t.* Senatorius Canon, *l. vlt. inf. de Prædiis Senatorum:* denique indictiones
P. 7. erant quædam, quæ Senatorium ordinem manebant, *l. vn. inf. de Equestri dignit.* inter alias conlationes, *l. 4 h. t.* functiones, *l. 10 h. t.* publica compendia, *l. 2. h. t.* perennis ærarii, *d. l. 2. h. t.* seu auri ærario profuturi, *l. 5. h t.* emolumenta, *d. l. 2.* Graues sane illæ: vnde & Ordo Senatorius sumptuosus dicitur, *l. 58. inf. de Decurionib.* & enormia patrimonii subire dispendia, *l. 111 inf de Decurionib.* Qua causa & quidam Senatoriæ dignitati renunciabant, *l. 4 & vlt. hoc tit. & l. vn. de Comit. ord. pr art. diu.*

Harum functionum & expensarum numero erat illa, quæ Senatorius FOLLIS dicitur *Nouella* Martiani *de indulg Reliquorum 2.* & simpliciter *follis* dicitur a Zosimo *lib. 2 cap. 38.* vbi de instituta hac a Constantino M. collatione agit, in eamque inuehitur: eademque & GLEBA dicebatur; *l 6. & 10 h t. l. 17 inf de Prætoribus, l. 10. inf de pistoribus:* Senatoria gleba, *l. 74 & 138. inf de Decur.* & a Symmacho, *lib. 4. ep. 62.* Glebæ Senatoriæ præstatio, onus *l. 13. h t.* Glebæ collatio, *l. 6. inf de patrocin vicor.* glebæ professio, *l. 12 inf. de annon. & trib.* Glebæ sarcina, *l. 12. inf. de censitoribus:* Glebalis collatio, *l 19. inf. de Medicis & profess.* Glebalis auri conlatio, *l. 11 h. t.* Glebalis auri solutio, *l. 14. inf. de proximis*, Glebalis descriptio, *l. 1. inf. de decurion. & silent. l. 16 inf de Medicis & professor.* Descriptio absolute, *fine l. vlt. h. t.* Descriptio Senatoria, *l. 15. inf de Medicis.* Scriptionis iniuria, *l. 12. inf. de proximis:* Adscriptio Amplissimi Ordinis, *l. 22. inf. de Agentibus in reb.* Glebalis functio, *l. 8. & 15. hoc tit.* Glebalis necessitas, *l. 1. h. t* Glebalis præstatio, *l. 3. h. t. & l. 2. inf. de Auro coronar.* Glebalis pensio, *l 4. inf de indulg debitor.* Glebale onus, *l. 4. h. t. & l. vlt. inf. de decurion. & silent.* Glebatio Senatoria, *l 12 h. t.* Item auri professio, *l. 10. h. t.* Follium præbitio, *l. 4. h t.* Senatorius follis, *d. Nou Martiani.* Qui & opponitur septem solidorum præstationi. Erat autem ea glebæ conlatio recognoscenda a Clarissimis Viris, *l. 10. inf de pistoribus*, id est, a Senatoribus, *l 2. inf. de auro coronario*, quos λαμπροτάτους Zosimus *d. loco*, & Synesius, *ep. 38.* vocant, id est. iis qui Senatorium consecuti Principis largitate fastigium, vel generis felicitate sortiti essent: *l. 2. h. t.* quos Dignitas Consularis, vel clarior aliqua, aut sublimior potestas erexisset: *d. l. 2. & l. vn infr. de Comitib. ord. primi art. diuersar.* qui ex Amplissimo Ordine *l. 14 h. t.* qui clarissimi essent, *l. 3. inf. de prædiis Senator.* etiam fœminæ, *l. 17. inf de Prætoribus*, & arg. *l. 1. h t.* Idque possessionum suarum nomine, *l. 10. h. t.* pro suis viribus, *l. vlt. h. t.* Eum in finem Senatores, possessiones suas Senatui profiteri debebant, *l. 2. h. t.* vnde possessionis professio, *d. l. 2.* professione se vincire, *d. l. 2.* professionis modus, *d. l. 2.* vnde & glebæ Senatoriæ Breues dicuntur, *l. 74. inf. de Decurionib.* scriptionis iniuria, *l. 12. inf. de proximis:* Ideoque onus id fundum manere, *l. 13. h. t.* dicitur item possessionum non personarum onus esse, *l. 10 h. t.* Ab iis enim qui exinde reditus consequebantur, exigebatur: *d. l 10.* Etiam libertini Catabolenses, in. sp *l 10. inf. de pistoribus:* Sic quidem vt nullus ab hac præstatione immunis esset, *l 11. & 14 & 15. sen vlt. h t.* ne Diuinis quidem, [id est, Principis] domus, *d. l. 11.* quia in ordine Senatorum se ipsos Principes quoque numerabant, *l. 1. infr. de exhib. reis:* Nisi Senatoriæ dignitati renunciandum quod licuit putarent: *l. 4. 15.* seu *vlt. h. t. l. vn. de Comitib ord primi art. diu.* Excepti tantum paucissimi: de quibus *l. 1. 2. in f. l. 3. 12. 13. & d. l. vlt hoc tit. & l. 1 & vlt. inf. de Decur & silent. l. 7. 8. 12. inf. de proximis: l. 7. inf. de priuil. eorum qui in Sacro pal. l. 138. inf. de Decurionib. l 12 15. 16. 17. vlt. inf. de Medicis & profess.* & qui inter *Adlectos* vocantur, *d. l. 1. & d. l. 7. 8.* vnde *Adlectionis honos*, in *l. 10. inf. de Prætoribus*, vbi plene dico; qui nil aliud est, quam vt qui Sena-

toriam

torism dignitatem indeptus est, Senatoriis tamen functionibus seu sumptibus non subiaceat: *d. l. 7. inf. de priuil. eorum qui in S. P.* Et hæc de Senatoribus qui possessiones habebant.

Nam qui Senatorum possessionem penitus non habebant, Dvorvm tantum Follivm professio seu collatio iis imminebat ex Valentiniani Sen. constit. *l. 21. inf. de prætoribus*, & Valentiniani Iun. *l. 2. h. t. vers. duorum:* A qua tamen ipsa præstatione nonnulli excipiebantur, *d. l. 2. inf.* vel etiam Qvatvor, *d. l. 21.*

Fuit & tertia Senatoriæ collationis species, quæ quibusdam Senatoribus imminebat: puta, *Septem solidorum*, seu Septenorum Solidorum, de qua extant tres Constitutiones, puta *lex 4. 12. h. t.* & *l. 12. inf. de proximis.* quæ quidem *l. 4.* septenorum solidorum collatio, præbitioni follium diserte opponitur. Iis igitur Senatoribus hæc collatio incumbebat, quibus census esset angustia, *l. 4. h. t.* seu præstatio hæc adsolebat obligare tenuissimos Senatorum, *l. 12. h. t.* quorum paupertatis exploratio facta esset, inquit Symmachus, *lib. 4. ep. 62.* Item iis, de quibus *l. 12. inf. de proximis:* quemcunque censum haberent. Et hæc ita, nisi Senatoriæ dignitati renunciandum putarent, *d. l. 4. h. t.* Sed & quidam etiam ab hac collatione excipiebantur, *d. l. 12 h. t.*

Hæ functiones seu collationes omnes, siue glebæ, folliumue, siue septem solidorum,
P. 8. cum longo tempore post Constantinum durassent, quod huius *tituli* Leges ostendunt, vt & Libanius in *Epistolis*, Symmachus vt & Zosimus, a Iustiniano funditus abolitæ fuerunt, *l. 2. Cod. Iust. de Prætoribus, & de honore Præturæ, & glebæ & follis & septem solidorum functione sublata*, *lib. 12. tit. 2.* quæ perperam tribuitur Arcadio & Honorio. Ideo etiam omnes huius *tituli* constitutiones a Codice Iustinianeo Tribonianus abesse voluit: Detractaque ab eodem glebalis collationis mentio in *l. 16. inf. de Medicis*, vel alio translata.

Fit *hoc* quoque *titulo* mentio Avri Oblatitii, *l. 5.* & *9. h. t.* quod etiam Oblatio Amplissimi Ordinis simpliciter vocatur, *l. 14. h. t.* & a Symmacho, *lib 2. ep. 57.* & *lib. 10. ep. 26.* & *36.* & moles promissionis, *l. 12. inf. de proximis* Erat autem id quod Senatores Imperatori prompta liberalitate promittebant. *d. l. 14. h. t.* vltro offerebant: veluti post victoriam ab eo de Tyranno aliquo partam, vt ad *l. 14. h. t.* dicetur: vel etiam Quinquennalibus aut decennalibus, tertioue Imperatoris lustro; ipsius Imperatoris, vt ex elegantissima Symmachi *ep. 26. lib. 10.* constat. Proinde minus penso consilio Cuiacius *oblatitium aurum* cum glebali conlatione confudit, idemque credidit. Certe *oblationum vniuersarum* appellatione in *l. 17. inf. de Prætoribus*, vtrumque comprehendi videtur. Ab hoc auro oblatitio diuersa quoque fuit oblatio votorum, de qua *lib. 7. tit. 24.*

---

* * * * * *

Liberos *ante Senatoriam patris dignitatem susceptos, vtriusque sexus, a glebali collatione immunes esse.*

(a) Imppp. Valens (b) Gratianus & Valentinianus AAA. ad Procopium. (c)

* * * * * * * * * * *

Leg (d) .... e cælesti (e) oraculo glebalis necessitas auferatur. Quod * non solum circa viros (f) dinoscitur constitutum, verum etiam circa filias simili condicione seruandum. Dat. XVIII. (g) Kalend. Hierapoli, (h) Gratiano A. IV. & Merobaude Conss. [377.]

NOTAE.

(a) Intercidit huius constitutionis initium, vna cum initio libri. Consules subscripti satis docent, horum Imperatorum nomina huic *legi* inscribenda esse, præterquam quod *lex 11. Cod. Iust. de dignitatibus*, quæ hinc desumpta est, ea nominatim præfert. *GOTHOFREDVS.*

(b) VALENTI hanc *leg.* tribuendam docet *Hierapoleos* nomen in subscriptione. *IDEM.*

(c) Ita habet Cod. Iust. *d. l. 11.* Hic porro idem Procopius videtur, ad quem extat Libanii *ep. 826* seu 817. in *Cod. Regio*, & Gregorii Nazianzeni epistolæ sex, 55. 56. 57. 58. 157. 58. vbi eum in Dignitate constitutum fuisse indicat. Et quidem Libanius ostendit, eum eo tempore fuisse, quo Sophronius P. V. Constantinop. fuit, *ep. 832.* collata cum *d. ep. 837.* & 840. qui certe sub Valente fuit. v. *Am. Marcellinum. lib. 26. cap. 10.* *IDEM.*

(d) Quomodo hæc lacuna explenda videatur, mox dicam. *IDEM.*

(e) *Cælesti*, id est, Imperatorio; ita similiter cælesti oraculo, *l. 9. supra, de Iurisdict.* cæleste responsum, *l. 17. de re mil. v. Gloss. Theod. & Imper. Rom. in gradu.* *IDEM.*

* *Lex 11. Cod. Iust. de dignitatibus*, sequentem sententiam continet. *IDEM.*

(f) *Masculos*, Cod. Iust. quod eodem redit. *Viri*, pro masculis hic, & *l. 3. inf. ad leg. Iul. de adulteriis.* *IDEM.*

(g) Cod. Iust. XV. *IDEM.*

(h) *Hiera-*

(h) *Hierapoli* constitit hoc anno Valens Imper. vbi datæ ab eo pariter duæ aliæ leges: puta *lex 3. infr. de fisci debitorib.* & *lex 3. infr. de militari veste.* Ibi vero constitit Valens, propter Persas, & Armeniæ statum. vid. *Am. Marcel. lib. 31. cap. 7.* IDEM.

COMMENTARIVS.

FILIOS Senatorum, ante Senatoriam patris dignitatem editos, a Glebali collatione immunes esse definit hac Constitutione Valens Imp. (hunc enim *huius l.* auctorem esse ostendit, *Hierapoli* nomen *legi* subscriptum, de quo iam *in Notis*:) neque primus tamen, si illa recte capio, *dignoscitur* CONSTITVTVM, id ita Valens constituit; Filios, inquam, non masculos modo, sed & fœminas esse immunes: nam & fœminæ senatoriæ, alioquin senatoriæ glebæ adstrictæ erant, quomodo & Præturæ in specie *l. 17. inf. de Prætoribus.* Hæc inquam huiusce constitutionis mutilæ, sententia omnino est, quam nos nunc educimus, non sine aliquo Codicis Iustinianei subsidio, cuius *legi 11. de dignitatibus*, posterior *huius legis* sententia inserta est; prioribus, quæ de glebali collatione, vtpote a Iustiniano sublata, loquebantur, recisis: quæ sane, si addita ibi fuissent, haud adeo laboratum hactenus fuisset, in conciliandа *illa l.* cum *l. 5. D. de senatoribus*, & similibus: imo & in semetipsa concilianda. Eius verba sic habent omnino recte vt a Triboniano deformata: neque verba, aut sententiæ turbandæ sunt, *Senator* (perperam alii habent, *si Senator*, quod perplexum *illius l.* intellectum, & constitutionem difficilem reddidit) *vel alius Clarissimus, priuatos habeat filios, quippe* (vtpote) *editos, antequam susciperet dignitatem. Quod non solum circa masculos dignoscitur constitutum, verum etiam circa filias simili conditione seruandum. Cum autem paternos honores inuidere filiis non oporteat, a Senatore, vel solo Clarissimo susceptum, in Clarissimatus sciendum est dignitate mansurum.* De cuius *legis* sententia postea viderimus. Huius vero legis nostræ lacuna quomodo expleri possit, videndum est; quæ quidem etiam in MS. extremis vocibus per singulas lineas erosa, magis adhuc, quam cum primum hic liber ederetur, hodie
P. 9. apparet. MS. cuius copiam mihi perhumaniter fecit Vir CL. P. Pithœus, Petri & Francisci nepos, fidem hic exprimere iuuat; vbi nonnulla quoque apparent quæ Cuiacii aciem fugerunt, & vt restituere ea possimus, litterarum erosarum numerus subducendus nobis est. Igitur sic habet MS.

LEGATVR.... E CÆLESTI ORACVL.........
GLEVAL... NECESSITAS AVFFERATVR: QV.....
CA VIR. S. F. NOSCITVR CONSTITVTVM, V........
FILIAS SIMIL.. ONOICIONE SERVANOV.......
HIERAPOLI GRATIANO A. IIII. ET MERO.......

Nos sic hanc legem restituimus.

Si qui Senator, vel alius Clarissimus, priuatos habeat filios, quippe editos, antequam susciperet dignitatem, posteaque is in Amplissimum ordinem allegatur, iubente, vel *mediante cælesti oraculo, ab hisce filiis glebalis necessitas auferatur: Quod non solum circa viros dignoscitur constitutum, verum etiam circa filias simili conditione seruandum est. Dat. XVIII.* vel XVI. *Kal..... Hierapoli Gratiano A.* IIII. *& Merobaude Coss.* Et ita quidem hanc *legem* repleo, plano iam & perspicuo, quem initio dixi, sensu. Huius vero *leg.* occasione, de ea in genere quæstione, an & quando liberi ante Senatoriam patris dignitatem suscepti Senatorii censeantur, accuratius videndum nobis nunc est: quandoquidem vt dixi, *lex 11. Cod. Iust. de dignitatibus*, quæ hinc desumpta est, hac parte cum aliis legibus pugnare vulgo creditur; ac maxime cum *d. l. 5. D. de Senatoribus*: & *l. 22. §. 5. D. ad Municipalem.* Res tota igitur hac distinctione paucis absoluenda est: vel de iis quæritur, quæ in Senatoriæ dignitatis, seu Senatorum *fauorem* constituta sunt, seu de honoribus & commodis vel de *oneribus* Senatoriæ dignitati impositis agitur. Priore casu, in honorificis, inquam, & vtilibus proculdubio liberi ante Senatoriam patris dignitatem editi, Senatorii quoque censentur: idque est quod *fine d. l. 11.* a Triboniano proculdubio adiectum, PATERNOS HONORES *inuideri filiis non oportere.* Hac eadem ratione, huiusmodi liberi nuptias contrahere cum libertina, non minus quam parentes ipsi prohibentur: quo pertinet *d. l. 5. de Senatoribus*, quæ desumpta est ex libro primo Vlpiani *ad l. Iuliam, & Papiam*: Prohibitio quippe illa nuptiarum inter Senatorem & libertinam, *lege Papia* facta fuit, ad decus & honorem Senatorii Ordinis tuendum, ne Nobilissimus Ordo, viliorum fœminarum contubernio, magis quam connubio, contaminaretur. Et hæc quidem de honoribus Liberis communicandis, etsi ante patris dignitatem susceptis: si vero de *oneribus* Senatoriæ dignitati adnexis agatur, filii ante Senatoriam patris Dignitatem editi, Senatoriis oneribus non adstringuntur; & ideo, quod proprium est *huius legis* argumentum, ac proinde & *d. l. 11. in principio Cod. Iust. de dignitatibus*, etsi quantum ad paternos *honores* attinet, hi liberi Senatorii censeantur & maneant, a glebali tamen *onere* sunt immunes. Et sic priuati omnino filii sunt, & pater *Priuatos habet filios*, vt hæc *lex* loquitur: quomodo e contra (*l. 58. sup. de Prætoribus*:) *liberos quos postea ediderit, habent senatores.* Breuiter, quod de iis qui in vtero sunt, dici solet, eos pro natis haberi, vbi de commodis eorum agitur, non item vbi de oneribus & incommodis; de huiusmodi liberis antesenatoriis, simile quid prorsus dici possit, Senatorios videlicet non censeri, sed priuatos, quoad *onera*, & sic quoad glebalem collationem: quoad honores vero Senatores haberi, censeri, & in Senatoria dignitate manere. Quæ *onerum* & *honorum* differentia apertissime indicatur *d. l. 11.* Nam posteaquam *initio legis* negatum est, quod ex *hac l.* desumptum est, quodque in *sp. huius l.* quærebatur, Antesenatorios huiusmodi liberos, Senatorios esse, mox subiicit Tribonianus de suo peculio. *Cum* AVTEM *paternos* HONORES *inuidere filiis non oporteat, susceptum, in Clarissimatus sciendum est* DIGNITATE MANSVRVM: dicit *in Senatoria* MANSVRVM *Dignitate*, id est, Senatoriam dignitatem his constitutam, nihilo secius quoad *honores*, etsi priuati habeantur quoad *onera.*

Et hæc quidem aperta est, super hac quæstione Decisio: hicque *dicta l. 11. Cod. Iust. de dignitatibus*, sensus est manifestissimus, quæ necquicquam emendatione labefactanda, vt faciunt nonnulli: Vnde iam constat, quam bene prædictis *Legibus* conueniat, & nec quicquam inter se committantur. Vice versa, ex his elucescit, de inani Interpretum & ἐναντιοφανῶν Conciliatorum labore, in concilianda *hac l.* cum *aliis*, imo de falsis *huius leg.* interpretationibus. Paucas memorare iuuat. Est qui tradit, filios Prosenatorios frui quidem patris dignitate, sed non eius priuilegiis gaudere. Est qui ita distinguit, inter Senatoris filium esse, & filium ex Senatore natum. Alii distinguunt, inter conceptum ante patris dignitatem, & inter natum. Duarenus 2. *Disp. ann. c. 29.* quem secuti alii, putabat initium *huius legis* mutari posteriore eius parte.

Varius quoque admodum & multiplex CL. *Hotomanni* error est, *secunda Quæstione illustri*: partim dum *dicta lege 11. legem 5. D. de Senatoribus* abrogatam prodidit; partim, dum *dictam leg. 11. in fine*, ad illos liberos referendam scripsit, qui in paterna dignitate suscepti sunt. Denique dum putauit nihil certi hac in quæstione definiri posse. Sed & Lucas de Penna *ad hanc legem*, vt & Cuiacius *notis ad l. 65. Cod.*

Cod. Iust. de decurion. in errore versantur, qui argumento quoque *legis 61. 63. 64. penult. vlt. Cod. Iust. de Decurionibus* (quibus videlicet constituitur, vt Illustris filius non sit, qui na us est ante Illustrem patris dignitatem) vel colligunt, vel etiam fortiter defendi posse putant, Filium Regis non esse eum qui natus est antequam pater Regno potiretur. Est enim vt postea quoque monebo, illarum Legum species, seu casus a nostro diuersus: vbi videlicet liberi conditioni alicui nascendi sorte obstricti, semelque innexi conditionem originalem propter nouam & superuenientem patris dignitatem euitare non possint: ratione notissima. Igitur contrarium ex *Regula* superius stabilita fortissime defenditur, Paternos scilicet honores filiis inuideri non oportere. Neque minus labitur *Notarum & Animaduersionum* Scriptor *tomo 1. p. 738.* cum scribit, In decidenda hac quæstione satis momenti non habere leges iuris nostri, cum tamen apertissima sit hæc Regula, *Paternos honores communicari liberis quandocunque susceptis oportere, d. l. 11.* Item labitur, cum *d. l. 5. D. de Senatoribus* (& quidem in eo Hotomannum quoque secutus) ius singulare quoddam seu priuilegium continere scribit. Non est enim ius illud singulare, sed *exemplum* tantum, & effectus regulæ seu iuris regularis de honoribus liberis quibuscunque communicandis: Quem ICtus ad *leg. Papiam* scribens ea lege notauit. Postremum vterque labitur, cum scribunt, hæc quæ de communicandis liberis omnibus patris honoribus viuo patre prodita sunt, non recte applicari, vbi de successione agitur: Quasi vero qui patris dignitate secuta Senatorii semel facti sunt, viuo tantum patre Senatorii sint, & habeantur quoad nudos honores: ac non etiam mortuo, quoad beneficium successionis, aliaque emolumenta & commoda. Quibus aperte refra-
P. 10. gantur verba illa, quæ superius quoque expendi, *Susceptum, in Clarissimatus sciendum est dignitate* MANSVRVM. Nam & sic quæsita dignitas liberis propter casum patris auferenda non est, *l. 9. D. de senatorib.* & qui dignitatem semel a patre adeptus est, eiusdem facto vel fato non amittit. Superest igitur, vt & antea dicebamus, fortissimum argumentum duci, neque aliud temere fortius ex hac singulari Constitutione, a Senatorum liberis ad Regum & Principum filios.

Cæterum, quia in hoc argumento versamur, de filiis ante Senatoriam patris dignitatem, & sic a patre plebeio susceptis: age deinceps ea hic cumulemus omnia, quæ de liberis, quorum parentes statum vel conditionem post susceptos liberos mutarunt, & sic de liberis ante status vel conditionis patris mutationem editis, iure prodita sunt. Primum de *statu personarum* videamus. Igitur si de statu liberorum quæritur, is omnino parentum status spectandus est, in quo suscepti ii sunt. Hinc adeo fit, vt liberi ex eo qui officium in prouincia gerit & prouinciali muliere aduersus mandata ducta suscepti, illegitimi sint, etsi post officium depositum nati, legitimi sint: *l. 65. D. de ritu nuptiarum*, & *l. 6. Cod. Iust. de nuptiis.* Hinc, ex libera conceptus & seruo, etsi pater postea manumissus, moxque natalibus restitutus honorem decurionatus adeptus fuerit, non ideo vt Decurionis filius habetur, sed velut spurius, *l. 6. Cod. Iust. de suis:* Hinc ex scenica natæ, etsi mater prioris vitæ expurgationem postea fecerit, summo iure quasi scenicæ filiæ habentur: *l. 23. §. 5. Cod. Iust. de nuptiis:* Nævus denique seu vitium nascendi momento contractum, non eluitur mutata quamlibet parentum conditione vel statu: vno casu excepto, videlicet subsecuti matrimonii: liberi quippe ante suscepti per subsequens matrimonium legitimi fiunt. Retro hinc fit, vt si in deteriorem postea statum lapsus fuerit pater, priorem tamen statum ante patris casum, liberi ante suscepti retineant, vt in sp. *l. 2. Cod. Iust. de libertis & eorum liberis:* vbi hæc eleganter: *Quoniam illis delicta parentum non nocent, quos tunc esse ortos constiterit, dum libertate illi potirentur.* Item retro hinc fit, quod huic proximum, vt calamitas matris nocere filio non possit, de quo vel Institutiones monent. Et hæc quidem de statu personæ.

Nunc tertio loco de *conditione, officio, nexuque persona*, semel nascendi momento contracto, puta Curiali & Cohortali. Notum est, Curialium & cohortalium liberos patris conditionem nexumque olim secutos, Curiisque adeo & cohortibus obnoxios fuisse. Finge igitur, patrem Curialem vel Cohortalem ad dignitatem aliquam postea Senatoriam, vel officium liberum promotum: Certe liberi ante suscepti, priorem patris conditionem retinent: *l. 58. 69. inf. de decurionib. l. 64. 65. 66. Cod. Iust. eod. tit. l. 7. Cod. eod. de Principib. Agentium: l. 14. de priuil. cor. qui in S. Pal.* Imo & postea suscepti, si in adumbrata dignitate, non vera, puta ante munia Curialia a patre expleta suscepti fuerint, vt in specie *d. l. 58. inf. de decurionib.* contra *l. 69. eod. tit.* vbi post Senatoriam patris dignitatem suscepti, etsi non expletis muneribus curialibus Senatorii censentur, aliquando tamen eodem iure habiti liberi hoc casu, siue ante, siue post Senatoriam patris dignitatem suscepti; *l. 93. 122. 123. 187. 188. infr. de decurionib.* Certis etenim quandoque personis singulari priuilegio vel Rescripto Principis id tributum, vt secuta patris dignitate potirentur, vt in sp. *l. 61. Cod. Iust. de decurionibus:* Item certis officiis & professionibus veluti Aduocatis fisci *l. 66.* seu *vlt. Cod. eod. de decurionibus: l. 8. Cod. eod. de Aduocatis diuers. Iudiciorum: l. 2. Cod. eod. de Aduocatis diuers. Iudicum.* Quod sublatum tamen mox *d. l. 66. vers. ex eo.* Quinimo & ad pœnas euitandas (quod huic *legi* nostræ proximum est) ante Decurionatum patris suscepti, seu in plebeia familia nati, pro Decurionum liberis habentur: *l. 9. §. 14. D. de pœnis:* & *l. 2. §. 2. D. de decurionibus.*

Nunc ad constitutionem nostram reuertamur: vbi notanda quoque *Ampliatio*, quod Valens Imper. *fine legis* addit, hoc ius etiam pertinere ad filias, *non modo ad viros*, seu masculos; puta, vt ante senatoriam patris dignitatem susceptæ filiæ (etsi quod ad honores attinet, senatoriæ censeantur) a glebali collatione immunes sint, & sic hactenus quoad onera pro Senatoriis non habeantur. De quo tamen dubitatum fuisse videtur, siue quoad honores, siue quoad onera, quod postremum *hic* exprimitur: Nempe, quod vt in multis aliis iuris articulis, ita & hoc casu non eadem, imo deterior fœminarum conditio esse debere videretur; vtpote quæ Senatoria dignitate censerentur, illustrarenturque, neque hilum tamen Senatui commodarent, vel Reipublicæ. Sic enim olim & cum ex SC. libertus vnus qui negotia Senatoris patroni procurabat, vacationem tutelæ haberet, *l. 17. §. 1. D. ad municipalem:* & *l. 13. Cod. Iust. de excusat:* sane qui masculi, non qui fœminæ negotia procurabat, vacationem tutelæ habebat, *l. 15. §. 8. D. de excusationibus.* Sic & consulari olim fœminæ, non Consularis tantum vir, sed etiam Præfectorius præferebatur: quia inquit I. C. in *l. 1. D. de Senatoribus, maior dignitas est in sexu virili.* Vbi, vt id obiter moneam, *Præfectorii* vox retinenda omnino est, neque mutanda, quod quidam faciunt temere, cum voce *Prætorii.* Id enim vult I. C. etiam minori dignitati cedere fœminam Senatoriam, puta Præfecto prætorio, qui certe sub Antonino Caracalla, sub quo Vlpianus I. C. legis illus author scribebat, Senator vel Clarissimus non erat: de quo extat insignis apud Lampridium locus, *in Alexandro Seuero cap. 21.* verum Equestri tantum dignitate, quæ altera erat a Senatoria. Et notandum, speciem *illius leg.* pertinere ad Edictum Prætoris, *de rebus auctoritate Iudicis possidendis:* vbi cum creditores in possessionem rerum debitoris mittebantur, in numero pari creditorum, si ambigeretur de Curatore seu Magistro eligendo, Prætor eius auctoritatem sequi

ſequi debebat, qui Dignitate inter eos præcelleret, quod etiam Papinianus dixit *l. 8. D. de pactis.* Cæterum, dum in eo eſſet Vlpianus, indicauit, *Maiorem* vtique *dignitatem eſſe in ſexu virili:* atque ideo præferendum hac in re virum Senatorium, imo & Præfectorium quoque fœminæ Senatoriæ. Quod & ipſum notandum. Et ſic interim quoque duas potiſſimum Codicis & Pandectarum leges illuſtraſſe mihi videor, eaſque a falſis Interpretationibus & Emendationibus vindicaſſe.

P. n.

De PROFESSIONE *poſſeſſionum a Senatore facienda, deque* DVORVM FOLLIVM *præbitione.*

II. (a) Imppp. Grat. VAL. & Theod. AAA. ad Hipatium. (b)

SI quis Senatorium conſecutus noſtra (c) largitate faſtigium, (d) vel generis felicitate ſortitus, poſſeſſionis alicuius profeſſionem Senatui crediderit occulendam, prædium fiſco nouerit vindicandum, quodcunque ſubtractum publicis iure (e) conpendiis erit. Quique * Conſularitatis inſignia (f) fuerit adſecutus, dignitatis (g) obeundæ atque exercendæ adminiſtrationis huius copiam non habeat, niſi propria adnotatione digeſſerit, (h) *Senatorium* (i) *nomen* (k) *agnoſcere, & larem habitationemque vel ſedes certas* (l) *in prouincia atque oppido conlocaſſe, nihilque amplius quam certum* (m) *profeſſionis modum variat intra prouincias poſſidere;* cuius indicio Palatinis (n) ſcriniis quæſito, quamprimum omnis inſtructio (o) facile declaret, *Quibus quantiſue nominibus quoue in modo perennis ærarii emolumenta ſubcreuerint.* Duorum * vero follium maneat cunctos indiſcreta profeſſio, etiamſi poſſeſſionem forte non habeant, quos dignitas Conſularis, vel carior atque ſublimior poteſtas vlla prouexerit, neminem (p) ad inſignia poteſtatis admittendo, niſi profeſſionem (q) vinxerit: Et his tantum a neceſſitate huiuſmodi (r) ſegregandis, quos Palatinæ honore militiæ & ſtipendiis adprobatos, debita potius quam poſtulata Senatorii ordinis ſocietas aduocauerit. Dat. IV. Id. Ian. Merobaude II. & Saturnino CONSS. [383.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex*, pariter vt reliquæ *leges* huius tituli, a Cod. Iuſt. propter glebalem collationem ſublatam. Quod hic ſemel notaſſe ſufficiat. GOTHOFREDVS.

(b) *Hypatius* hic PP Italiæ erat. vt oſtendo ad *l. 19. inf. de ſusceptoribus*: & in *Proſopogr.* IDEM.

(c) De hoc dicam *in Commentario, infr.* IDEM.

(d) *Faſtigium* Senatorium. IDEM.

(e) Forte, *ea re*, id eſt, ob profeſſionem poſſeſſionis Senatui occultatam: vel *non iure:* vel denique *curia.* IDEM.

* *Secunda* ſententia, abrupta. Certe in MS. maior hic lacuna exſtat, vt non amplius aliquid ſupplendum videatur. IDEM.

(f) Inſignia Conſularium *h. l. & l. 5. inf. de honor. Codicill.* Faſces Conſularitatis, *l. vlt. inf. ad Leg. Iul. de ambitu.* IDEM.

(g) In MS. *dignitates.* IDEM.

(h) *Digeſſerit*, id eſt, declamauerit, expreſſerit. v. *Gloſſ. Theod.* IDEM.

(i) *Se Senatorium.* IDEM.

(k) *Nomen* Senatorium, id eſt, onus Senatorium, follis Senatorius. IDEM.

(l) *Certas*, id eſt, fixas. IDEM.

(m) *γρ. quam inſertum profeſſioni modum:* niſi, *certum modum* pro expreſſo, deſignato etiam accipias. IDEM.

(n) *Palatinos* ſacrarum largitionum intelligit, de quibus *ſuo tit.* vnde illa mox, *perennis ærarii emolumenta.* IDEM.

(o) *Inſtructio*, h. l. & *l. 6. inf.* eſt notitia breuis, v. *Gloſſ.* IDEM.

* *Tertia* ſententia, *de duorum follium præſtatione.* IDEM.

(p) *γρ. Nemine.* IDEM.

(q) Sic omnino habet MS. *γρ. profeſſione ſe vinxerit.* Quanquam & hoc ſuſtineri poſſe videtur: ſic & *l. 21. inf. de Prætoribus: in profeſſionem habebunt.* IDEM.

(r) Duorum ſcilicet follium & glebali conlatione ſeptemque ſolidorum. breuiter a Senatoriis functionibus. IDEM.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iunioris hæc conſtitutio eſt: qua id agit, vt ne Senatorum quiſquam Senatoriam functionem ſeu collationem euitare aliqua poſſit, in fiſci ſeu ærarii diſpendium: ſiue ipſos Senatores reſpicias, ſiue eorundem cenſum: ſiue, inquam, ipſos Senatores inſpicias, id eſt, ſiue Senatoriam dignitatem felicitate generis ſortiti ſint, id eſt Senatore orti; ſiue Principis beneficio eam conſecuti ſint. Senatores ſcilicet alii ſunt Principis beneficio, quos Senatui recens ortus adiecit, Senatores noui: vt Symmachus in hac ipſa re loquitur *lib. 10. ep. 59. 60.* quam mox exhibebo. Alii generis felicitate: quia Senatorii ſeminis ſunt, vt loquitur Sidonius Apollinaris, *lib. 1. ep. 6.* ſeu germinis, vt Caſſiodorus, *lib. 4. ep. 42.* & *lib. 9. ep. 23.* Synesius *ep. 38.* de hac ipſa Senatoria collatione agens; ὅς τις ἐκ προγόνων, inquit, λαμπρότατος ὢν καὶ τὴν πατρῴαν βῶλον ὑποτελῆ τῇ συγκλήτῳ διαδεξάμενος. *Qui a maioribus cum ſit illuſtriſſimus, & paterno*

no agro curia vectigali successerit. Et hæc de Senatoribus, quos omnes promiscue glebalem functionem agnoscere vult Valentinianus.

Idem vero, ne quis census huic collationi detrahatur, imo vt census omnis ad hanc collationem bona fide veniat, *secundo* loco cautè agit. Primum scilicet constituit, vt quilibet Senator, possessiones suas Senatui profiteatur: vt ita pro modo possessionum, pro patrimonii viribus Senatorias functiones agnoscat: pœna Commissi indicta, si qui Senatorum improfessas, inscriptas, id est, non scriptas, habeant & occultent possessiones; Quæ utique inscriptæ seu improfessi alias vetus & ordinaria pœna est, puta vt fisco committatur: de quo *Titulus* vtriusque Codicis *de vectigalibus & Commissis.* Varro *de re rustica: Lib. 2. cap. 1. ad publicanos profitentur, ne si inscriptum pecus pauerint, in legem censoriam committant.* Quintilianus *declam. 341. Quod quis professus non est apud publicanos, pro Commisso tenetur.* Lucilius *lib. 27. apud Nonium cap. 1. n. 169. Facit idem, quod illi, qui inscriptum e portu exportant clanculum, ne portorium dent.*

Secundo de *Consularibus* id nominatim constituit; ne quis Consularitatis insignia fuerit consecutus, dignitatem obire administrationemque prius exercere possit, quam sequentia quatuor facta fuerint: *Primum* scilicet propria adnotatione, seu scriptura profiteri debet, *se Senatorium nomen agnoscere diuP. 11. tius* velle, id est, promittere scripto, se glebalem seu Senatoriam deinceps functionem præstiturum. *Secundo* profiteri debet, se larem habitationemque & certas fixasque sedes, in prouincia vel oppido constituisse, vt ibi videlicet exigi possit; *doit faire election de domicile.* Tertio profiteri debet, se nihil amplius possidere, quam quod professus est. Hoc facto, *Quarto* iam *loco*, relationem seu instructionem, *breuem*, ad Palatina Scrinia, id est, ad Palatinos Sacrarum largitionum mitti iubet, vt ita liquido constare possit, quid & quantum hac noua noui Consularis professione fisco accesserit. *Instructio*, est Breuis: quo ipso sensu ea vox effertur, *l. 6. inf. hoc tit.* & apud Symmachum *lib. 10. ep. 60.* quam mox sternaot: Vnde & breues glebæ Senatoriæ, *l. 74. inf. de Decurionibus.* Huc vero apprime conuenit Symmachi P. V. ad hunc eundem Valentinianum Iun. (male Theodosii nomen inscriptum) *ep. 60. lib. 10. Etiamsi prisca institutio* MITTENDIS *ad Clementiam vestram Censuum* BREVIBVS, *cursum vel ordinem non dedisset, D. Imperator: diligentia tamen boni seculi fidem publica* INSTRVCTIONIS *exigeret: si quidem conuenit Principes, & parentes humani generis edoceri, quid reuerendo Ordini vel Senatorum* NOVORVM *accessus adiiciat, vel* EXCVSATIO *detrahat. Harum rerum Æternitati vestræ fidum exhibebit* INDICVM *trimestris* INSTRVCTIO, *quam solemniter sumptam de officio Censuali, paginis Relationis annexui: vt Maiestas vestra cognoscat, quis in Amplissimam Curiam Collegarum numerus influxerit, & quid* CENSIBVS *Senatoriis, aut* NOVA PROFESSIO INCREMENTI *dederit, aut* EXEMPTIO *vetus amputarit.* Hactenus Symmachi verba: in quibus & res & verba *huic legi* omnino congruunt: ac nominatim illis, *cuius* INDICIO *Palatinis Scriniis quæsita, quamprimum omnis* INSTRVCTIO *facile declaret, Quibus quantisue nominibus quoue in modo perennis ærarii emolumenta* SVCCREVERINT. Eodem quoque pertinet eiusdem Symmachi *epistola 59. eiu. lib.* pars posterior.

Et hæc quidem de *Consularibus* nominatim Valentinianus Iun. quos & duum generum facere videtur, his verbis; *dignitatis obeundæ, atque exercendæ Administrationis:* Nempe quia Alii reuera seu administratione Consulares prouinciarum erant; Alii vero Consulares Codicillos seu insignia Consularium adepti: de quo *inf. tit. de Consularibus:* vid. saltem *l. 5. infr. de honor. Codicill.* Eaque potissimum dignitate inter Consulares, seu ex Consularibus, decorati tum alii, tum qui palatina aliqua militia defuncti erant: vid. *l. 8. 9. 10. infr. de domesticis: l. vn. de præpositis laborum: l. 7. 8. de proximis: l. 5. 6. de Agentibus: l. 19. & l. vlt. inf. de palat. S. L.* Quare in Consularibus exemplum *hic* ponitur, velut in passiua & frequentissima dignitate Senatoria: Etsi in sequentibus, *vers. duorum*, mentio quoque fiat clarioris & sublimioris potestatis & dignitatis collatæ: vt sane Vicaria dignitas erat: vt *l. 12. infra hoc tit.* vbi dicam.

Hi igitur hoc tempore Senatoriam & glebalem collationem agnoscere tenebantur: quod postea mutatum; inter *Adlectos* quippe postea immunesque habiti: quod illis *legibus* omnibus sancitur, vt & *l. 12. & l. vlt. h. t.* & prædictis *legibus*, quas modo cumulaui. Et hæc quidem ita Valentinianus Iun. de Senatoribus, qui possessiones aliquas habebant: At enim iis adhuc qui possessionem non habebant, *duorum follium* præstatio imponitur. De qua præstatione seu professione duorum follium, est anterior Valentiniani Sen. constitutio, *l. 21. inf. de Prætorib.* Eodem pertinere creditur locus hic ex Hesychio Illustrio Milesio, *sexto Historiarum*, apud Auctorem Glossarii Nomici, *p. 1817. 18. Tom. III. Thesaur. Otton.* ἕτερος δὲ ὁ κληθεὶς Φόλλις τὰς τῶν ἀξιολογοτέρων κατὰ πόλεις οἰκίας κατέλαβεν, ὅτι ἦν αὐτοῖς τὸ γένος ἄνω τῆς ἀξιώσεως τετυχηκός· καὶ ἦν ἀτύχημα, τὸ κρεῖττον ἐν τοῖς γένεσι, πρὸς τὸ μέγεθος τῆς ἀξιώσεως διακρινόμενον τῷ ποσῷ· τοῖς μὲν τοῦ πρώτου τέλους, ὀκτὼ χρυσίου λίτραι, οἷς δὲ τοῦ δευτέρου τέσσαρες, καὶ δύο τοῖς τρίτοις, ὥς φησιν Ἡσύχιος ὁ Ἰλλούστριος ὁ Φιλοσοφίας τῆς Μιλησίας, ἐν τῷ ϛ χρονικῷ διαστήματι τῆς ἱστορίας. Et mox: ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Φόλλις διαφόρους ἔχων ποσότητας: ἀπὸ γὰρ δύο, χρυσίου λιτρῶν ἀρχόμενος, εἰς ὀκτὼ προήει κατὰ τὴν ἀξίαν, καὶ τὴν εὐπορίαν τῶν ἀπαιτουμένων· οὗ μέμνηται μὲν καὶ Ἡσύχιος ὁ Ἰλλούστριος ἐν τῷ ϛ χρονικῷ διαστήματι τῆς ἱστορίας, μέμνηται δὲ καὶ Θαλελαῖος. Nempe tres τῶν ἀξιολογωτέρων gradus seu classes hoc loco constituuntur; κατὰ τὴν εὐπορίαν τῶν ἀπαιτουμένων secundum cuiusque facultates: nempe, qui maximum censum habebant, octo libras Auri contulisse ait: qui proximi his, quatuor: qui post hos, duas libras. Quare hinc colligunt Viri Docti, *duos folles, & duas libras* pro eodem hic accipienda. Ego vero valde dubito, & Hesychii locum ad Orientem seu Senatum Constantinopolitanum pertinere contendo. At verum illud, *l. 21. de Prætoribus*, tres pariter collationis gradus constitui: *cum* DVOS FOLLES, inquit, *aut* QVATVOR, *aut certe amplius professionem habebunt:* de quo *ad l. 4.* plene. Illud etiam verum, *follium* in genere præbitioni seu grauiori, opponi septem solidorum collationem velut minorem, *l. 4. inf. h. t.* Imo & illud, *Follis* appellatione Senatoriam seu glebalem collationem omnem indicari: Zosimus *lib. 2. cap. 38.* de Constantino M. glebalis collationis auctore scribens: ἀπεγράψατο δὲ τὰς τῶν λαμπροτάτων οὐσίας: τέλος ἐπιθεὶς ᾧτινι Φόλλιν αὐτὸς ἐπέθηκεν ὄνομα. *Habebat autem descripta virorum clarissimorum nomina: quibus & tributum imposuit, quod ipse follem nuncupauit.* Eodemque modo *Senatorius follis* dicitur, Martiano in *Nouella de indulgent. Reliquorum 2.* his verbis *Quidquid ex titulo Senatorii Follis in prouinciis debetur, hoc quoque remitti iubemus.* Quomodo Hesychius quoque dicto loco generali *Follis* appellatione omnem illam collationem complectitur, sic vt ποσότητος seu ὁλκῆς id nomen fuerit: vel certe a genere modoque solutionis ipsa collatio *Follis* nomen indigitata. *Follium* alioquin in commune mentionem fieri obserua non *hac* tantum *leg. & l. 4. h. t.* Sed & *l. 5. 21. inf. de Prætoribus: l. 3. inf. de suariis: l. vn. inf. de mensis olearii: l. 2. 3. inf. quo-*

rum appellationes: *l. 1. inf. si quis pecunias conf.* vbi dicendi locus erit, *l. 3. inf. de veteranis.*

Cæterum de hac duorum follium præstatione duo adhuc *hac leg.* statuuntur. Primo & hoc casu neminem ad dignitatem Consularem, vel clariorem aut sublimiorem potestatem promotum, ad insignia dignitatis admittendum, nisi *professione se vinxerit*, id est, nisi promiserit sese duos illos folles soluturum, eaque omnia fecerit, quæ de integra glebali collatione *supra* cauta sunt. Secundo excipi ab hac, si recte capio, duorum follium necessitate, seu collatione, qui Palatinæ militiæ honore & stipendiis adprobati seu defuncti, in Senatorium Ordinem adsciti seu promoti sunt: & sic, quæ ratio indicatur, quos adprobatos debita potius quam postulata Senatorii Ordinis Societas aduocauerit, vel vt Honorius in *l. 7. in f. de domesticis*; *quibus non ambitio, sed meritum & nostrum spontaneum cognoscitur iudicium detulisse.* De quibus est & Symmachi Locus *lib. 3. ep. 87.* vbi agit de Principe cohortium Præfecturæ vrbanæ, *in ordinem Senatorum lege transcripto.* Quod in vniuersum de Senatoria, seu Glebali collatione variis legibus definitum, quas paulo ante cumulaui: Etsi hoc priuilegium immunitatis postea immutatum: Vid. *l. 8. inf. hoc tit.*

P. 13. *De Senatoribus Vrbis Romæ e* MACEDONIA THRACIAQVE *in Senatum Constantinopolitanum translatis nouiter adscitis, deque eorum Immunitate a glebali collatione.*

III. (a) Iidem AAA. Clearcho P. P. (b)

OMNES, qui ex Machædoniæ (c) erar. (d) Amplissimo Constantinopolitanæ vrbis Ordine nati (e) sunt (f) similitudinem Senatorum, gleuali iubemus præstatione reddi immunes. Dat. Sept. Constantinop. Richomere & Clearcho CONSS. [384.]

NOTAE.

(a) Tribuenda hæc lex non iisdem Impp. quibus lex superior: verum inscribendi *Imppp. Valentinianus* THEODOSIVS *& Arcadius, AAA.* vid. *Chronolog.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *γρ. P. F. V.* Et vero ita legere mihi videor in MS. Idque ostendunt quoque aliquot constitutiones anni 383. & 384. ac nominatim *l. 3. de Aquaeductu. lex* *. *inf. vt dignit. ordo:* & Socrates *lib. 4. cap. 8.* qui huius Clearchi P. V. meminit. Imo & argumentum ipsum *huius leg.* persuadet, ibi enim agitur de vrbe Constantinopolitana, eiusque Ordine: cuius vtriusque cura ad Præfectum vrbis pertinebat. Sed & hanc in rem attendi quoque velim inscriptionem *Legis 4. 5. 9. 12. vlt. h t.* Imo & *legem 5. Cod. Inst. de dignitatib.* quæ ad Clearchum data agit de *Præfecto vrbis*, & forte etiam *huic* iungenda est. *IDEM.*

(c) De Macedonia agitur quoque *l. 11. inf. de Prætoribus.* *IDEM.*

(d) Hic erosus est MS vbi hæc ita habentur MACHEDONI ÆRAR. Alioquin vt hic editum, ita habet Cuiacii editio, vt & quæ in *Quarto* prodiit Parisiensis editio vltima, *ex Machedon æ rar.* Alii *Machedonia ar. ampl.* *IDEM.*

(e) *γρ. Ordini dati sunt.* *IDEM.*

(f) Ita Cuiaciana, & quæ in *Quarto* prodiit. At enim Parisiensis postrema paulo plenius *nati sunt. . . . dum similitudinem*, vnde efficiebam olim, *secundum similitudinem*, quod nunc damno, de quo mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

SENTENTIA huius mutilæ *Theodosianæ* constitutionis quænam sit, liquidum ex ea auspicium haberi minus potest, quomodo hariolandum nobis erit. Difficultatem auget, quod ea Senatores quidam dici videantur a Glebali præstatione immunes esse, cum tamen nil tam proprium Senatorum fuerit, quam nomen, & onus istud Glebale. Illud statim internoscere licet, æquari nescio quos ex Macedonia, cum aliis Senatoribus. Quare hanc *leg.* ita olim accipiebam, eos Senatores, qui ex Macedoniæ diœcesi, in Senatum Constantinopolitanum recenter adsciti sunt, certo temporis spatio a Glebali collatione seu præstatione immunes esse, ad similitudinem quorundam aliorum Senatorum. An quod ita hoc priuilegio illecti fuerint Macedones vicini, ad replendum Senatum vrbis Constantinopolitanæ: & quidem a Iuliano forte, si verum est quod Zosimus dicit, *lib. 3. cap. 11.* Iulianum Constantinopoli natum & educatum, potestatem fecisse vrbi habendi Senatus: ἔδωκε μὲν τῇ πόλει γερουσίαν ἔχειν, ὥσπερ ἐν τῇ Ῥώμῃ: vel certe ab ipsomet Constantino. Nam alii, puta Libanius, *Orat. ad Theodosium de seditione*, (a) & excerpta de Gestis Constantini, *ad calcem Marcellin. edit. Gronou. p. 715.* item Sozomenus *lib. 2. cap. 2.* & Auctor Chronici Alexandrini, aiunt, Constantinopolim a Constantino M. maximo Senatu illustratam, & donatam βουλευτηρίῳ μεγάλῳ ἢ συγκλήτῳ. Certe Zosimus quoque scribit, *l. 2. c. 31.* Constantinum M. Senatoribus quibusdam eum Constantinopolim secutis, ædes excitasse κατασκευάσας δὲ οἰκίας τισὶ τοῖς ἐκ τῆς γερουσίας ἀκολουθήσασιν αὐτῷ. *Roma sequutis eum Senatoribus domos ædificauit.* Videatur igitur hoc Macedonibus istis, vel ex Macedonia translatis Senatoribus tributum, ad decus numerumque Senatus vrbis Constantinopolitanæ augendum: Quemadmodum alterum illud, quod ad eius vrbis decus, Constantinus M. exegit a fundorum patrimonialium dominis per Asianam & Ponticam Diœceses,

---

(a) Iulianum non Constantinum indigitat LIBANIVS *dict. orat. pag. 397. edit. Morell.* ibi: νῦν δ' ὁρῶν ἐξεῖναι καὶ τὸν Ἰουλιανὸν, ὅντινα ἐνταῦθα γενόμενον ... *nunc vero si et etiam videre Iulianum, qui inde celebritatem nominis sibi parare studuit & Romano Senatui nouum opposuit.* IDEM vero *orat. altera ad Theodos. post conciliat. pag. 42. ed. cit.* in laudes Constantini M. excurrens, nostri videtur sententiam stabilire, ibi: ὁ τῇ Ῥώμῃ μὲν ὁμώνυμον ἐγείρας πόλιν, τὸ σχῆμα δὲ τὸ ἐκείνης ἅπαν εἰς ταύτην εἰσαγαγών, *qui Romæ cognominem instaurauit ciuitatem, qui ornatum antiquæ Romæ omnem in hanc suam vrbem introduxit.*

veses, ad ædes ibi excitandas: de quo singularis exstat locus in *d. Nouella Theodosii ta.* Hoc verum equidem, nondum tamen sufficiens est. Quid igitur? Visa quoque mihi hæc iam olim sententia; scilicet Senatores quidam Romani, in Macedonia diœcesi vicinisque prouinciis commorantes, in Senatum vrbis Constantinopolitanæ recenter allecti fuerant: De his vero nouis Senatoribus, *νεοβούλοις* quæsitum, an eadem immunitate potiri deberent, qua noui nunc primum Senatores qui facti fuerant, cumque in Senatum recenter allecti fuissent? Id quod *h. l.* affirmatur: Quidam, inquam, Senatores Romani, qui relicta vrbe Roma in Macedoniam sese totumque Illyricum hoc tempore contulerant, quod exerte testatur *lex 11. inf. de Prætoribus.* Verum post hæc ita a me scripta, peruenit in manus meas beneficio Amplissimi, & Integerrimi Viri P. Pithœi Senatoris Parisiensis, vt iam indicaui *ad l. 1. sup.* Authenticum huius libri, vnde Cuiacius primum hunc librum vna cum septimo & octauo eduxit, primis paginis adhuc quam antea cum Cuiacius eos ederet, magis erosis. In eo vero MS. vbi in editis lacuna hactenus notatur, Syllabaque * *dum*, exprimitur literis etsi fugientibus, lego. . . d. *Trachum similitudinem:* id est, *ad Trachum similitudinem. Trachum* scilicet pro *Thracum* scriptum, vt passim alibi: vt in inscriptione *legis vn. inf. de Lusoriis Danubii*, per *Trachias*; & *in l. 3. inf. de militari veste*, scriptum, *Prouincia Trachiarum:* & *Nouella Theodosii 31.* de ambitu, *tam Trachi quam Illyrici.* Sic & retro *Trachia*, pro *Trachea* apud Suetonium, *Vespasiano, c. 8.* quæ similitudo alioquin Pæanium in errorem induxit, vt *Θρᾴκας* pro *Trachea* Ciliciæ scilicet verteret. Idemque error residet in scriptis & excusis siue Hieronymi, siue Eusebii Chronici libris *n. 2082.* Ergo aspirationis *hic* sedes mutata: quomodo & *l. 17. inf. de Prætoribus*, scriptum fuerat. *Carbonariam*, vnde *Carbonariam* effecerunt, pro *charonariam: eutecha.* pro *euthеca*, *l. 12. inf. de operibus publicis.* Diacathoci, pro *Diacatochi l. 1. de fisci debitorib.* Hic igitur iam *huius leg.* sensus omnino fuerit, Senatores non minus ex *Macedonia* in Senatum Constantinopolitanum adscriptos, seu nouiter allectos, quam ex Thracia a Glebali præstatione immunes esse. Quare notandum fuerit, hoc pristinum seu priscum *Thracum* Senatorum priuilegium, quod
P. 14. nunc quoque ad Macedonas a Theodosio M. producatur, porrigatur. Non dubito Senatores Romanos in Thracia commorantes, vbi ipsa quoque Constantinopolis erat, illectos, ad sese dandos Senatui Constantinopolitano, hac Glebalis collationis immunitate proposita, quod & ipsa Senatoribus Romanis in Macedonia nunc degentibus a Theodosio M. datur, qui & ipsi Thraciæ vicini erant; E vicinis scilicet diœcesibus, terra, Senatores ita in Senatum Vrbis Constantinopolitanæ compellere visum, eaque re Senatum frequentare: qui frustra, aut non tam facile e remotioribus haberi poterant. Haud absimile vero erat, vt iam indicaui, quod Constantinus M. in diœcesibus vicinis trans mare sitis, puta in Asiana, Pontica, fundorum patrimonialium possessores ad ædes per vrbem Constantinopolitanam excitandas adegerat, atque adeo ad augendam vrbem, proposita pœna, de quo Theodosius *Nouella ta.* vbi id abrogatum. Sed quid amplius moror? ex Libanii quoque epistolis, quarum copia mihi facta ab Amplissimo Viro Nicolao Rigaltio, Regiæ bibliothecæ curatore, ad *huius legis* sensum, peruenire licet: puta ex *epist. 63. 246. 247.* His scilicet omnibus de Olympio, qui Senator Romanus Macedoniæque Præses, inde in Senatum Constantinopolitanum adscitus fuerat, pro quo Libanius *illis epistolis* Themistium & Honoratum rogat, antequam hæc *lex* lata fuisset, non quidem vt omnino immunis esset, verum vt secundum facultates suas censeretur: ibidemque constitutionem memorat Imperatoris, qua *certi temporis immunitas huiusmodi Senatoribus Romanis recenter, in Senatum vrbis Constantinopol. allectis data fuerat:* Epistola nempe 246. ad Honoratum P. V. Constantinop. sic scribit: *τῷ νόμῳ μεμνημένοι, ὃς τοῖς ἄρτι δεδεγμένοις ὑμῖν ἔδωκεν ἀναβολὴν*, & *ep. 247* ad Themistium. *ὡς γὰρ νῦν παρειλήφατε παρὰ τῆς μητρὸς (οὕτως γὰρ σὺ ποιεῖν τὰς καλεῖτε τὴν Ῥώμην) τούτους ἀναβολὴν δεδώρηκε βασιλεύς.* Ergo primum certi temporis immunitas in Senatum Constantinopolitanum recenter allectis data: postea *Thracibus* Senatoribus in vniuersum; data deinde & ex Macedonia in Senatum Constantinopolitanum adlectis: Et id quidem a Valente & Theodosio Impp. Cæterum, illa MACHEDONIA-ERAR. quæ lineam in MS. finiunt, quomodo replenda vel legenda sint, diu laboraui: clare certe *in fine* ita Scriptum RAR. Tandem sic existimo legendum ibi PARTIAVS: *Ex Machedoniæ partibus*; *partes*, pro diœcesi: quomodo diœcesis Macedonica dicitur *l. 7. de metallis:* vbi plura ex Notitia & aliis: quæ quidem septem prouinciis constabat, Achaia, Macedonia, Creta, Thessalia, Epiro veteri, Epiro noua, & Macedoniæ Salutaris parte. *Partes* pro tractu & diœcesi passim hoc Codice *l. 14. inf. de nauicul. l. 25. de petitionib. l. 49. de operibus publicis, l. 3. de milit. veste, l. 12. de extraord. mun. l. 3. de fide Cathol. l. 15. de Episcopis, l. vlt. de Episc. Iud.* Quomodo & Græcis *μοῖρα* pro diœcesi, sic Gregorio Nazianzeno *orat. 20. p. 353. edit. Weidman. τῆς ποντικῆς μοίρας ὕπαρχος, pontica prouinciæ præfectus.* Nunc ad rem.

Ab hoc vero alienum est quod definitur *l. 5. Cod. Inst. de dignitatibus*, Præfectum vrbis citra præceptionem vel Scientiam Principis nulli muneri subiugare posse Senatorem, neminemque Curiam illam immani iniuria pulsare posse, &c. etsi id de Curia seu Senatu Constantinopolitano omnino accipiendum putem, inscribitur enim & illa lex *Clearcho*, sed Constantii Imper. nomine inscripto. Ad rem. Igitur Constantinopol. Senatus, & Senatorum priuilegium continet hæc Theodosii M. constitutio, ad Clearchum P. V. emissa: ad quem alioquin eundem extant & Valentis Constitutiones plures de priuilegiis vrbis Constantinopolitanæ. Nempe Valens *l. vn. inf. de iure Italico:* quæ data dicitur ad Clearchum P. V. Constantinopolitanæ, Italici iuris auxilium vrbi Constantinopolitanæ, arbitra æquitate renouat, concessique beneficii gratiam publicis actibus intimari, incisamque Tabulis debita solemnitate permanere ibi iubet. Eiusdemque Valentis ad eundem Clearchum P. V. extant & aliæ Constitutiones plures, vrbi Constantinopolitanæ consulentes, annonæ inquam eius & voluptatibus, studiisque, *l. 7. inf. de annonis ciuicis, l. 2. inf. de stud. lib. V. R. & Const. l. 2. inf. de Prætoribus.* Et hæc de Valentis Constitutionibus ad hunc Clearchum P. V. Ad eundem, Theodosii M. constitutiones aliæ extant, operibus publicis vrbis illius consulentis, *l. 3. inf. de aqueductu.* Imo & Ordinum dignitati, *l. 1. inf. vt dignitatum ordo:* Tandem & Senatus Constantinopol. dignitati, *d. l. 5. Cod. Inst. de dignit. & l. 93. (132.) inf. de Decurionibus:* Ingens scilicet vt Valentis, ita & Theodosii M. circa vrbem Senatumque Constantinopolitanum studium fuit; & singulare etiam *Clearchi P. V.* ad quem leges illæ, & hæc nostra, datæ sunt: De eius aquæductu, & aqua per eum Constantinopolim inuecta, testis Hieronymus *in Chronico*; Socrates, *lib. 4. cap. 8.* vid. & *d. l. 3. de Aquaductu*, vbi dicam.

Ex *hac l.* iam ad *σύνεσιν πολιτικὴν* & ad praxin hoc axioma recte conficias: *Aliunde, seu ex alio Corpore translatos in aliud Corpus simile, ad id replendum, velut nouiter adscitos, priuilegiis & immunitatibus potiri, quæ nouis ibi conceduntur.*

De SEPTEM *Solidorum collatione a tenuissimis Senatorum facienda.*

IV. (a) Imppp. Valent. (b) Theodosius & Arcadius AAA. ad Aurilianum P. V. (c)

QVOD ad eorum (d) querimonias, qui se glebalia non posse ferre onera testabuntur, (e) Amplissimorum (f) virorum consilio definitum est, scilicet vt septenos (g) quotannis solidos pro sua portione conferret, quid (h) præbitiones implere follium (i) non valeret, eatenus confirmamus, vt omnes quibus est census angustia, contemplatis patrimonii sui viribus, liberam habeant optionem, quatenus si conlatio ista (k) non displicet, a consortio Amplissimi ordinis non retendant. (l) Sin vero graue, id est (m) damnosum videtur, dignitatem Senatoriam non requirant. Dat. prid. Kalend. Septemb. Constantinop. Theod. August. III. & Abundatio VR. CL. CONSS. [393.]

P. 15. NOTAE.

(a) Abest e Cod. Iust. GOTHOFREDVS.

(b) Emendanda *huius leg.* inscriptio: Inscribendi quippe hi Imperatores THEODOSIVS *Arcadius & Honorius AAA.* IDEM.

(c) *Aurelianus* P. V. Constantinopol. vid. *Prosopogr.* IDEM.

(d) Senatorum scilicet. IDEM.

(e) Ita MS. forte *testabantur*: quanquam & illud sustineri potest: *testabuntur*, deinceps. IDEM.

(f) Id est, Senatus vrbis Constantinopol. IDEM.

(g) Dicam mox in *Commentario*. IDEM.

(h) Ita MS. γρ. *qui*, vt in aliis libris legi ad marg. ed. Paris. adnotatum: & mox, *præbitionis*, pro *præbitiones*. IDEM.

(i) Reponebat hic Vir Doctus *follium* II. id est, duorum: de quo mox. IDEM.

(k) Septem solidorum. IDEM.

(l) Ita MS. forte γρ. *non recedant*, quod ad marg. ed. Paris. quoque adnotatum; nisi forte *retendere*, est recedere, retro tendere. IDEM.

(m) Ita MS. sed repone *id est*. IDEM.

COMMENTARIVS.

DE SEPTEM SOLIDORVM collatione, quæ certis Senatoribus incumbebat loco Glebalis collationis, est hæc Theodosii M. per Orientis Imperium constitutio: pariter vt altera filii eius Arcadii *l. 12. inf. de proximis*: & tertia Theodosii Iun. nepotis *l. 12. inf. hoc. tit.* Nempe iis quibus census erat angustia, seu tenuissimis Senatorum, qui Glebalia onera ferre non poterant, qui implere præbitiones follium non poterant, septem saltem solidorum annuorum præbitio incumbebat. Et sic collatio hæc, succedanea seu subsidiaria erat follium præstationis seu Glebalis collationis: septem, inquam, solidorum. Id quod per Orientem nominatim institutum & obseruatum, ex illis tribus legibus obseruo: cum in Occidente duorum follium præbitio tenuissimis Senatorum incumberet, *l. 2. sup. hoc tit.* quod primo loco notari cupio.

Vnde patet Secundo, pariter vt ex *d. l. 2. sup.* & *l. vlt. hoc tit.* Senatoribus pro viribus cuiusque, pro modo facultatum, Senatoriæ functionis certum canonem modumque impositum. Quo per Occidentem pertinebat *lex 2. sup.* & pertinet *l. 21. inf. de Prætoribus*, vbi tres collationis istius gradus constituuntur, *cum duos folles, aut quatuor, aut certe amplius in professionem habebunt*: per Orientem vero, seu de Senatoribus Vrbis Constantinopol. hæc *lex*, & *d. l. 12. inf. de proximis*: & *lex 12. inf. hoc tit.* Quo pertinet etiam locus ex Hesychio Illustrio & Thalelæo *supra ad l. 2.* citatus, vbi tres gradus ποσότητας modosque constituit κατὰ τὴν εὐπορίαν τῶν ἀπαιτουμένων. De quo ipso non vnus locus occurrit apud Libanium *in epistolis*, vbi de Olympio agit e Senatore Romano, cum Macedoniæ præfuisset, in Senatum Vrbis Constantinopolitanæ translato, *ep. 63.* ad Themistium: & ad Honoratum, de quo *ad leg. Superiorem*, *ep. 246.* & ad eundem Themistium *ep. 247.* vid. & *ep. 778. ad Eusebium*. Ex *ep. 63.* hæc nota: μήτε μείζω τῆς δυνάμεως ζητῆτε· ἐν μὲν γὰρ ἐξετάσει τῶν ἀρίστων πρῶτος Ὀλύμπιος, οὗ δὲ εἰσενεγκεῖν δεῖ, ὕστατος· γνώμη δέ σοι ῥᾶστον τῆς οὐσίας τὸ μέτρον παρὰ τῶν ἐπὶ τοῦτο τεταγμένων, (intelligit Censuales, de quibus *l. 6. inf.*) δεῖ δή σε παρατηρεῖν ἡνίκα ἂν δέῃ, χρήματα φέρειν ὅπως μὴ ἀδικήσητε, καὶ ἔτι γε πρότερον ἡνίκα ἂν καλῆτε τοὺς βουλευτὰς, ὅπως εἰθέντα μὴ κινήσητε. Ex *epist. 246.* ἐν ταῖς φοραῖς μὴ μείζων ἔστω τῆς νεὼς τὸ φορτίον· ἐν γὰρ τοῖς τοιούτοις εἰς τὸ μέτρον τῆς οὐσίας βλέπτέον. mox. τούτῳ οὖν δεόμεθα σύμμετρον εἶναι τὴν φοράν. κἄν τις εἰς τὸ λειτουργεῖν ἄγῃ νῦν διακωλύων τοῦ νόμου μεμνημένον, ὃς τοῖς ἄρτι δεδεγμένοις ὑμῖν ἔδωκεν ἀναβολήν· οὐ νομίζειν καλῶς ἂν ἔχειν πρὸ τῶν προτέρων, τὰς δευτέρας δαπανᾶν πολλὰ τῇ πόλει, νῦν ἐπὶ βέλτιον μετέστη. Ex *epist. 247.* vbi de eodem semper Olympio, καὶ ταῦτα εἰδότες οἱ Ῥωμαῖοι κατέλεξαν μὲν εἰς αὐτοὺς, ἀφῆκαν δὲ ἀτελῆ λέγω δὲ τοῦτο. οὐ τῷ καὶ παρ' ὑμῶν αὐτῶν γενέσθαι τινος ἀτέλειαν, οὕτω γὰρ τὰ τοιαῦτα ὑμῖν ἡ πόλις πεπαίδευται, καί τοι χρῆν ἐν ᾗ συζῆς καὶ πολιτεύῃ· ἀλλ' ὅτι τὸν μηδὲν ἐκεῖ τεθέντα δίκαιοι παρ' ὑμῖν μήτοι μείζω τῆς δυνάμεως φέρειν; ὁ δὲ οὐ μείζω μόνον, ἀλλὰ καὶ ὧν ἕτερος ὀφειλέτης ταῦτα ἀναγκάζεται φέρειν· & mox. φασὶ δὲ αὐτὸν καὶ χορηγὸν ἐπιπέχθαι τῆς τὰ μέγιστα δαπανώσεως· ὁ δὲ οὔτε ταύτην, οὔθ' ἣν δευτέραν νομίζετε, δύναιτ' ἂν ἀνασθαι. φαίην δ' ἂν ὡς οὐδὲ τὴν τρίτην ἄνευ πόνου, καὶ ταῦτ' ἤν τις αὐτὸν κατὰ τὸν νόμον καλῇ. Vbi vides diserte tres Senatoriæ functionis modos, pariter vt *d. l. 21. inf. de Prætoribus*: & apud Hesychium & Thalelæum. Tertio notandum, hanc septem solidorum

dorum collationem Senatusconsulto, a Senatu Constantinop. institutam, *hac l.* a Theodosio M. indicari, confirmarique: vt ferme hoc æuo, a Senatu vtroque, seu vtriusque Romæ, modus Senatoriarum expensarum, & collationum definiri Senatus decreto solitus: Cuius moris, & Senatusconsulti exemplum quoque extat apud Symmachum *lib. 10. ep. 21.* de sumptuum in Prætorias editiones moderatione a Senatu pariter facta: quo pertinet etiam *lex t. inf. de expensis ludorum*, & *lex vn. Cod. Iust. de Senatusconsultis*: de quo ad *eam l. 1.*

Quarto notandum, *hac l.* a Theodosio M. id Senatusconsultum *confirmari.* Nempe huiusmodi Senatusconsulta hoc æuo ad Imperatorem mitti solebant, vt ab eo confirmarentur. Quod & ipsum cernere est in *ea epistola* Symmachi. *Superest*, inquit, *vt ea quæ Serenitas vestra Patribus deliberanda legauit, cognita Senatusconsulto lex Augusta* CONFIRMET: *Nullo enim dissentiente quis modus censitum semel aut sapint, qua fungendis mediocritas editionibus applicetur.* Et mox: *Hac Æternitas vestra venerabilis cum Senatui statuenda mandaret, referri ad se protinus imperauit, vt placita cunctis immortali lege* SOLIDENTVR. *Iussis paruimus: Expectamus Oraculum, quo Salutariter, vt Vestro Numini familiare est, Patrum Decreta* FIRMETIS. Eodemque pertinet quod Imperator Oratione sua ad Senatum ait, *d. l. 1. inf. de expensis ludor. Illud etiam constitutione* SOLIDAMVS. Nempe Senatorii census, vel censuræ tamen hoc æuo Principes ad Senatum remittebant, superque eo Senatum deliberare iubebant: Senatus decernebat: mox Senatusconsultum ad Principem mittebatur, qui id confirmabat.

Neque hic etiam omittendum *hanc leg.* datam *ad Aurelianum* P. V. (qui & PP. fuit) qui proculdubio huius rei Senatui auctor fuit: quique adeo Senatorium Ordinem hac parte subleuauit: pariter vt aliæ hoc ipso anno, & proximo ad eum leges datæ: quibus Senatorius Ordo pariter subleuatus; puta *lex 1. de prædiis Senatorum*: *lex 132. 138. de Decurionib.* Vt proinde Aureliano hæc ferme omnia accepto ferri oporteant. Quo omnino pertinet Epigramma incerti Authoris *lib. 4. Ἀνθολογ. c. 4. εἰς εἰκόνας βασιλέων.*

Οὗτος ὁ κοσμήσας ὑπάτων θρόνον, τὸν τρισέπαρχον

P. 16. Καὶ πατέρα βασιλῆες ἑὸν καλέσαντα μέγιστοι,

Χρύσεος ἕστηκεν Αὐρηλιανός· τὸ δὲ ἔργον

Τῆς βουλῆς, ἧς αὐτὰς ἑκὼν κατέπαυσεν ἀνίας.

id est:

Hic, qui ornauit Consulum thronum, quem ter Præfectum,

Et Patrem Imperatores suum appellarunt maximi,

Aureus stat Aurelianus: Opus vero (hoc est)

Senatus, cuius ipse lubens sedauit dolores.

Fuit hic scilicet Aurelianus ter Præfectus, vrbi scilicet, & Præfectus Prætorio, iterum idemque Patricius, sub Theodosio M. Arcadio & Theodosio Iun. de quo consule *Prosopographiam*: Cui & Senatus auream statuam posuit, quomodo & An. 414. tria statharia in Senatu Honorii & Theodosii AA. & Pulcheriæ A. vt & Theodosio Iun. Imp. dedicata An. 415. statua aurea in Senatu, ab hoc Aureliano II. PP. & Patricio, vt testatur Chron cum Alexandrinum.

Quarto obseruandum, confirmationi Senatusconsulti huius de septem solidorum præbitione, addi *hac leg.* a Theodosio M. comminationem sanctionemque: Nempe statuit, vt qui hanc septem solidorum collationem seu functionem agnoscere nollet, Senatoriæ dignitati *Renunciaret.* Sic & alias Principes Orationibus suis quibus Senatusconsulta firmarent, quædam addere, eaque Sanctione sancire soliti: Sic apud Symmachum prædicta epistola: *Patrum*, inquit, *decreta firmetis.* ADIECTA COMMINATIONE *si vllus aliquando ambitus hac vel illa corruperit, qua consilia cælesti pro Ordinis dignitate finxistis.* Sic *l. vn. Cod. Iust. de Senatusconsultis*, quæ ad illam Symmachi epistolam omnino pertinet, Theodosius Imper. oratione sua seu confirmatione, *Legibus etiam idem prosequimur.* ADIICIENTES, *vt si quisquam speciali supplicatione eliciendum aliquod Rescriptum tentauerit, vt transire ea formam liceat statutorum, tertia patrimonii parte mulctetur, & damnatus ambitus crimine maneat infamis.* Senatus scilicet decernebat, suggerebat, modum ponebat, Senatusconsulto facto: Imperator vero SANCTIONE firmabat, penes quem imperium erat. Quod ipsam *Renunciationem* Senatoriæ dignitati attinet, similia exempla vid. *l. vlt. h. t. l. vn. de Connub. Ordin. prim. art. dim. l. 58. de Decurionib.*

Sexto de hac septem solidorum collatione notandum, singulari priuilegio nonnullos Senatores, quemcunque tandem, & quam amplum censum haberent, hanc saltem functionem seu collationem agnouisse, non vero Glebalem, seu follium: *L. 12. inf. de proximis.* Imo fuere, & qui in totum ab hac etiam septem solidorum functione immunes essent: vt *l. 12. inf. h. t.*

Septimo notari cupio, & alteram adhuc *leg.* Theodosii eatate ad hunc eundem Aurelianum, de eadem Glebali collatione *l. 138. inf. de Decurionib.* vt & Synesii *epistolam 38.* ad hunc ipsum Aurelianum, in qua de hac Senatoria collatione agit. De cuius sententia hac occasione paulo plenius nunc videndum. Queritur *ea Epistola* Synesius, quod Herodes quidam, clarissimo genere, id est, Senatorio, oriundus, ἐκ προγόνων λαμπρότατος, atque adeo Glebali collationi obnoxius, τὴν πατρῴαν βουλὴν ὑπατελῆ τῇ συγκλήτῳ διαδεξάμενος. nihilominus, posteaquam ἡγεμὼν factus fuisset, & Magistratum gessisset, ἀρχὴν ἦρξεν, altero adhuc nomine conueniretur: dupliciterque adeo munificus esse cogeretur διπλῆς λειτουργός: nempe & propter substantiam Senatoriam, διὰ τὴν οὐσίαν, (supra πατρῴαν βουλὴν vocauit) & propter gestum Magistratum, δι' ἣν ἦρξεν ἀρχήν. Nempe Synesii mens est, Herodem nonnisi ad Senatoriam functionem seu Glebalem teneri, non vero ὥσπερ νεόβουλον, tanquam nouum Senatorem ad alteram adhuc præstationem seu functionem, quæ tamen ab eo exigebatur extra ordinem, eo more scilicet quo ab iis qui honore seu administratione aliqua, functi fuerant, vel certe ab honorariis, aliquid extra ordinem exigebatur, vt ex *tit. de extraordin. mun.* & *tit. de Equorum collat.* & *tit. qui a præbitione equorum*, liquet. Hæc inquam Synesii sententia est. Vnde apparet, de variis Interpretis Synesiani erroribus: qui ibi ἡγεμόνα *Ducem* interpretatur, & νεοβούλους, pro *allectis in Ciuitatum consilium* (seu Curiam) accipit: Perperam omnino; nam & ἡγεμὼν ibi est Administrator prouinciæ, vnde & ἀρχὴ mox vocatur: & νεόβουλοι sunt in Senatorium Ordinem recenter allecti, de quibus iam aliquid ad *l. 3. sup. prox.* non vero in Curiam, quod facile conicere potuisset Interpres, si attendisset, hunc Herodem dici ἐκ προγόνων λαμπρότατον, id est, Senatoria seu Clarissima stirpe editum: λαμπρότατοι sunt Clarissimi, Senatores, atque ideo patrimonii sui nomine, propter paternam Glebam, Senatoriæ functioni obnoxii: Quare putidum, Senatorium aliquem in Curiam ciuitatis regradatum ponere: Iniuriosque hic obseruatio, de Christianis olim, ob confessionem Christiani nominis supplicii loco, non inter Senatores (vt ipse vult) proprie loquendo, verum inter Curiales censitis, Curiæque addictis. Synesii proinde mens hæc est, vti Herodis Senatorii viri substantia quidem ad Senatoriam Glebam & collationem teneatur, non vero ob gestum simul magistratum, ad alias collationes tanquam νεόβου-

πατρόβουλος. Verum error hic similis est alteri: cum idem *epistolam 11.* Iuliani *ad Byzantios*, qua Iulianus Curiales qui Christiani nominis obtentu aliaue qua ratione Curias effugerant, Curiæ Byzantinæ restitui iubet, ad Senatores retulit, & nescio quæ de Glebali collatione ad eum locum tractauit, vt πατροβούλους nobis efficeret loco πατροκόλωνας: Est enim loci illius idem omnino sensus, qui eiusdem Iuliani *l. 50. inf. de Decurionib.* quæ repetita extat *l. 4. de lustrali collat.* de quo *ad eam l.*

De OBLATITIO *auro: vbi id soluendum sit, & per quos exigendum.*

V. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Florentio (b) P.V.

OMNES Senatores, qui in Sacratissima Vrbe consistunt, licet habeant per longinquas (c) prouincias atque diuersas, possessiones, aurum Oblaticium in Vrbe persoluant, quod a Procuratoribus & Actoribus suis ad Vrbem reditus perferuntur. Sane (d) his Senatoribus, qui in prouinciis (e) larem fouent, per prouincias, Censuales qui plenam habent notitiam, (f) immineant, quo cognoscant sine dilatione aurum profuturum ærario (g) nostro quantocius inferendum. Dat. XVIII. Kalend. Octob. Olybrio & Probino CONSS. [395.]

P. 17. NOTAE.

(a) Memorat *hanc l.* suam, & ex parte emendat Honorius *l. 9. inf.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *vt. Florentino.* Florentinus hic PF. V. Romæ fuit triennio A. 395. 396. 397. vid. *Prosopogr.* Ad eundem extant Symmachi epistolæ sex *libro 4.* puta *ep. 50. 51. 52. 53. 54. 55.* Ad eundem est scripta *d. lex 9.* qua hæc, vt dixi, memoratur & emendatur ex parte. *IDEM.*

(c) *Longinquæ* prouinciæ, vltra suburbicarias. *IDEM.*

(d) *Secunda* sententia. *IDEM.*

(e) Augustinus (*lib. 15*) *de ciuitate Dei* scribit e Senatoribus quosdam in vrbem nunquam venisse: vide & *l. 11. inf. de Prætoribus.* *IDEM.*

(f) Censuum scilicet & nominatim Senatorii vid. *l. 6. prox inf.* *IDEM.*

(g) Ita quoque Symmachus, *lib. 10. ep. 26.* ad Valentinianum iun. de oblatione 1600. auri librarum, decennalibus Imperii eius: *Ergo & nunc libens sume* SACRO ÆRARIO *decreta subsidia.* *IDEM.*

COMMMENTARIVS.

DE OBLATITIO AVRO, seu de OBLATIONIBVS Senatoriis est hæc Honorii constitutio: de quo sunt quatuor præterea aliæ Constitutiones, puta Valentiniani Senioris, *l. 17. inf. de Prætoribus*: Arcadii, *l. 12. inf. de proximis*: eiusdem Honorii, *lex 9. inf.* & Valentiniani Tertii *lex 14. inf.* Quid oblatitii vero auri appellatione intelligendum sit, videamus. Putabat CL. Cuiacius *in notis ad l. 2. Cod. Iust. de Prætoribus, & honore Præturæ*, aurum oblatitium idem esse cum auro Glebali, seu collatione Glebali: eo quod Glebalis collatio, oblationis genere quodam a Senatoribus exigeretur, sicut aurum Coronarium a Decurionibus. Addi possit & argumentum ex *l. 6. prox.* qua Censualibus Glebæ exactio remittitur, sicut *hac l.* auri oblatitii exactio his imponitur, vt proinde eadem videri possint. Verum, distinctum omnino, oblatitii auri collatio, functionis genus fuit, a Glebali; vt ex *legibus* illis constat, simul & ex Symmacho, qui eius meminit tribus locis: *lib. 2. ep. 57.* & *lib. 10. ep. 26.* & *36.* E quibus de hac oblatione accuratius nobis videndum est, etsi in *Paratitlo* iam nonnulla delibata sunt. Vocatur id Aurum Oblatitium *h. l.* & *l. 9. inf.* Oblatio Amplissimi Ordinis simpliciter, *l. 14. inf. h. t.* & a Symmacho *dictis locis*: vocatur & *promissio*, & moles promissionis, *d. l. 14. inf.* & *l. 12. inf. de proximis*: sponsio Symmacho, *lib. 10. ep. 26.* eidem & munus, munificentia, largitio, decreta subsidia: *ibid.* Id vero separatur *d. l. 12. inf. de proximis*, disertè a *scriptionis iniuria*: vbi *scriptionis* iniuria est collatio & professio Glebalis: pariter vt *descriptio* de ea dicitur, *l. vlt. h. t. l. 1. inf. de Decurionib.* & *silentiar. l. 15. inf. de Medicis*: Adscriptio *l. 22. inf. de Agentib. in reb.* quia scilicet Senatores in id possessiones suas profiteri debebant & describere. Vnde patet iam Auri oblatitii oblationem spontaneam omnino fuisse, & largitionis cuiusdam seu munificentiæ speciem, quam Senatus vltro Principi faciebat, & solus: non ex necessitate vel ordinaria collatione, vt Glebalem oblationem; non vna cum aliis, vt Aurum Coronarium, de quo *suo titulo inf. lib. 12.*

Nempe, quod secundo loco notandum, oblatio hæc fiebat a Senatu priuato amore, studio & affectu: veluti Principatus initio, vel quinquennalibus, aut Decennalibus, vel tertio lustro Imperii, quod postremum constat ex *Epistola* Symmachi 26. Item, post victoriam a Principe partam, vt ex iis constabit quæ *ad legem 14. infra* dicemus. Hæc nostra, quæ data est XVIII. Kalend. Octob. A. D. 395. anno ferme post Eugenium deuictum, id est octo mensibus postquam Honorius ad Imperium venit: & sic in huius rei memoriam. Neque ab hoc abludit Oblatio votorum, quanquam & paulum diuersa, de quo *suo titulo lib 7.* Et hæ quidem oblationes sunt in gratiam Principum. Aliæ enim oblationes Senatus fuerunt in gratiam vrbis Romæ, de quibus Symmachus *lib. 6.* & inter alias *ep. 12.*

De hac Oblatitii Auri collatione sequentia adhuc notanda sunt. Tertio nempe obseruandum, cum ad hanc Oblationem deueniendum erat, Præfectum vrbi Senatores, seu Summates Romæ vel in proximis positos, in Senatum conuocasse, seu coegisse, tractaturos de modo oblationis, vt discere est ex Symmacho *lib. 2. ep. 57.* & *lib. 10. ep. 36.* Quorum priore loco lego *tractum in tractatum Senatum commoueri*: vbi editi simpliciter habent *tracta*, in MSS. *in tractu.*

Quarto hanc collationem necessitatis speciem aliquam in se iam habuisse, vbi decretum Senatus semel de eo factum fuerat: Sic vt omnes Senatores ad id tenerentur, adsensumque absentes præbere cogerentur: de quo vel hæc *lex* fidem facit, & Symmachus *lib. 2. ep. 17.*

Qui ideo

Quinto notandum, cum alius atque alius istius oblationis modus fuerit, *mille sexcentas auri libras*, & quidem vrbanis ponderibus, id est, trutinæ largioris examine Valentiniano Iun. eius decennalibus oblatas, quod Symmachus diserte scribit, *d. ep. 26.* cum aliis Imperatoribus Valentiniano & Gratiano nonnihil minus oblatum fuisset: Quæ summa efficit *centum triginta quatuor millia quadringentos solidos, siue aureos:* si videlicet veterem, non occiduam & imminutam libram spectes, quam Romæ obtinuisse colligo ex *hoc* Symmachi *loco*; de quo ad *l. vn. inf. de oblatione votorum.*

Nunc de sententia *huius leg.* quæ est de *Forma solutionis* huius Auri oblatitii, quod sextum hic de eo notandum. Definit igitur *hac l.* Honorius, Senatores in vrbe Roma consistentes, in ipsa vrbe id soluere debere: non vero in prouinciis, vbi possessiones habent, vt ferme Senatores per longinquas diuersasque prouincias, possessiones habebant, vt vel hæc *lex* docet, & *lex 7. inf. de annona & trib.* idque ex Symmacho quoque discere est, Et rationem addit Honorius, quod a Procuratoribus & Actoribus, de quibus consule Indicem possessionum illarum Senatoriarum, ad vrbem reditus perferantur. Quod vtiliter in praxim deduci potest: Nempe in hoc collationis spontaneæ genere, non loci, vbi possessiones sitæ sunt, ratio habenda est, verum vbi Domini earum sunt, quoque reditus inde perferuntur.

Istius autem exactionis curam in Vrbe quinam habere deberent, non exprimit hic Honorius: verum satis indicatur, vel solo inscriptionis indicio, *ad Florentinum P. V. Præfectianis*, id est, Officialibus Præfecti Vrbi eam incubuisse; hic enim Senatorum Præsul erat, isque Senatum, vt ante dixi, ad decretum super hoc faciendum, cogebat, ac nominatim a Censualibus: Et hæc de Vrbe. In prouinciis vero Senatores a *Censualibus* exigi iubet Honorius: quod ii plenam harum rerum notitiam haberent: Quod & ipsum idem ait *l. 6. prox.* in argumento Glebalis collationis, Et tamen idem Honorius biennio post, *l. 9. inf. hoc tit.* quæ ad eundem Florentium
P. 18 P. V. emissa est, hanc *legem* suam memorans, constituit, vt quoniam cognouisset officium Censualium non posse executioni sufficere, ad prædictum negotium congrua auxilia ab Ordinariis Iudicibus, id est, Rectoribus prouinciarum, ministrarentur: de quo *ad eam leg.*

Nobis de *Censualibus* istis in vniuersum nunc hic videndum est, neque tamen prodige: nam de his est *infra, lib. 8.* pars *tituli 2.* ac nominatim *lex 4. eo tit. de Tabulariis, Logographis & Censualibus.* Censuales igitur alii erant in Vrbe; alii per prouincias: De Censualibus in vrbe est *lex 13. 21. 26. 27. inf. de Prætoribus:* & *lex 4. supr. de testamentis*, & *lex 5. inf. de principibus agentium in rebus*, & *lex 1. inf. de liberalibus studiis vrbis Romæ.* De iisdem agit Symmachus, *lib. 4. Epist. 8.* & *lib. 10. Epist 36.* & Capitolinus *in Gordiano seniore cap. 12.* Erant huiusmodi Censuales in vtraque Vrbe Roma sub magistro census, & sub dispositione Præfecti Vrbi, vt ex *plerisque superiorum legum* constat, & *Notitia Imperii.* Horum munus varium erat. Primum actus qui in Senatu tractari consueuerunt, eorum sollicitudine celebrabantur, solis citatoriis exceptis, vt ait *lex 5. inf. de principibus agentium in rebus.*. Quo pertinet Capitolini locus *cit. in Gordiano*, vbi de SCto tacito scribit: *Hunc morem*, inquit, *apud Veteres necessitates publicæ repererunt, vt si forte aliqua vis ab hostibus immineret, quæ vel cogeret humilia captare consilia, vel aliqua constituere, quæ prius oporteret dici, quam effici, vel si nollent ad amicos aliqua permanare, Senatusconsultum tacitum fieret, ita vt non scribæ, non serui publici, non* CENSVALES *illis* ACTIBVS *interessent, Senatores exciperent, Senatores omnium officia Censualium scribarumque complerent, ne quid forte proderetur.* Iidem Censuales studiosis studiorum liberalium Vrbis Romæ imminebant, eorum hospitia nosse illos oportebat, quo & studiis operam nauarent, eorundemque modestiæ inspectores essent; Iidemque breues conficiebant per singulos menses studiosorum: *d. l. 1. inf. de studiis liberalibus V. R.* Iidem Prætorum denominationem ad hanc vel illam Præturam aliquando habuere, eo quod census Senatorii plenam cuiusque notitiam haberent: *l. 13. 26. inf. de Prætoribus.* Iidem absentium Prætorum nomine munera seu ludos edebant, vt testatur Symmach. *lib. 4. ep. 8.* de quo ad *tit. de Prætor.* Iisdem Prætores seu Editores argentum ad munus edendum conferebant, eodem teste *lib. 10. ep 36.* & aliquid insuper pro notitia *l. 27. inf. de Prætoribus.* Iisdem quoque imminebat, vt decenti quisque habitu propriaque veste intra vrbem vteretur, puta Senatores, Officiales, seruique: *l. 1. inf. de habitu quo vti oport. intr. vrb.* Neque tamen citatoria, etiam Senatoriarum caussarum ad eos pertinebant, *l. 5. inf. de Princip. agen. in reb.* Apud eosdem testamenta cæteraque publicari seu reserari oportebat, *l. 4. supra de testamentis.* Iidem honestatis studiorum in vrbe Roma curam agebant. *l. 1. inf. de stud. lib. V. R.* Et hæc quidem de Censualibus in vrbe Roma. Per prouincias alii erant Censuales, de quibus est proprius titulus *inf. lib. 8. de Tabulariis, Logogr. & Censualib.* ac nominatim *lex 4. illius tituli*, vbi dicendi locus erit amplius. Illud enim iam satis constat, Censuales notitiam census cuiusque, & nominatim Senatorum plenam habuisse: & ideo Auri oblatitii, Glebæque aliquando exactionem illis incubuisse, vel saltem ob plurimam harum rerum notitiam, disquisitionis curam, & instructionis rationem eis impositam, de quo *l. prox.* rursus. De his Censualibus vid. & *l. vlt. inf. de Princip. ag. in reb.* *Nouellam Iustin. 17.* &. *128.* Meminit & Firmicus 3. *Astron. c. 11. §. 10.* Tandem penulati hi fuere, teste Sidonius Apollinaris *lib. 8. ep. 6.* de quo plenius ad *l. 1. inf. de habitu:* vbi de Officialibus.

EXACTIO, DISQVISITIO, INSTRVCTIO *collationis glebalis a quibus facienda.*

VI. (a) Iidem AA. ad Senatum & populum. Post alia.

CENSVALIBVS, quibus onerosa glebæ (b) adfirmatur exactio, onus quidem negotiosum mouemus, (c) sed quia eis plurimam scimus harum (d) rerum esse notitiam, & disquisitionis (e) curam, & rationem manifestæ instructionis (f) eis inponimus. Dat. XVII. Kal. Mai. Med. Cæsario & Attico CONSS. [397.]

NOTAE

(a) Iungendæ *huic legi* sunt *lex 7. prox. inf. lex 31. inf. de Prætoribus : l. 24. inf. de susceptoribus : l. 27. inf. de nauicular. l. 5. inf. de naufrag. l. 3 de canone frum. vrbis Romæ.* GOTHOFREDVS

(b) De hac *Gleba* voce satis ex Paratitlo disces. Adde apud Hesychium. γλέβα, βῶλος γεωργική. *IDEM.*

(c) *Mouemus*, id est, amouemus, remouemus, *submouemus* : quomodo etiam *hic* legi possit *IDEM.*

(d) Id est, census Senatorii. Porro similia *l. 5. prox. sup.* *IDEM.*

(e) *Disquisitio.* *IDEM.*

(f) *Instructio*, h. l. vt & *l. 2. sup.* notitia. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

CENSVALIAVS, de quibos ad *l. 5. sup. prox.* Glebæ exactionis onus remittit, amouet, *hac l.* Honorius Imp. quæ videl. his antea imposita fuerat, quod comperisset nimis negotiosum onus istud Censualibus esse; sed tamen iis imponit disquisitionis curam, & instructionis, id est, vt disquisitione habita possessionum Senatoriarum, modum glebæ cuiusque Senatoriæ, breuesque adeo & instructiones ea de re faciant: de quibus breuibus & Instructione iam ad *l. 2.* Et huius rationem *hic* eandem reddit, quam *supra, l. 5. prox.* quod scilicet harum rerum plurimam hi herent notitiam. Atque hi sunt, quos Libanius *ep. 63.* ad Themistium, vbi de Glebali collatione agit, ait, γνῶναι δεῖ σαφέστερον τὰς P.19. οὐσίας τὸ μέτρον παρὰ τῶν ἐπὶ τοῦτο τεταγμένων. Obscura interim hoc tempore differentiam inter Glebalem collationem hac parte, & Aurum oblatitium: Nempe huius exactio Censualibus imposita, *l. 5. sup.* illius *hac l.* remissa, verum biennio post æquata ea *l. 9. inf.* Est porro hæc lex prolixæ admodum Honorii ad Senatum & populum Orationis seu Constitutionis pars: cui coassandæ velut inidem decerptæ præter *l. prox. 7.* quinque præterea leges: quas *in Notis* indicaui: qua quidem Oratione in vniuersum Honorius, & Senatui, & populi tum annonæ, tum voluptati enixe consulrum iuit. Quo etiam pertinet illa eius Orationis præfatio, quæ continetur *d. l. 3. inf. de Canone frum. V. R. Certum habetis, Patres Conscripti, quantum curarum impendimus pro* VASTRIS, *ac populi* COMMODIS. Et vero ad Senatus commoda pertinet *hac lex*, cum proxima: ad Populi voluptates, *lex 31. inf. de Pratorib:* ad annonæ commoda (quæ & ipsa proprie *commoda* dicta) *lex 24. inf. de susceptoribus: lex 27. inf. de nauicular. l. 5. infr. de naufragiis:* & *d. l. 3. inf. de Canone frum. V. R.*

De ALIENATIONE *patrimonii in fraudem designationis Prætoriæ.*

VII (a) Iidem AA. ad Senatum & populum. Post alia.

SENATOR (b) patrimonium proprium in quemcunque qualibet ratione transtulerit, imminutio, .. (c) .... signationis tempore probata (d) non valeat: sed causa prius erit actis prouincialibus adprobanda. Dat. XVII. Kalend. Mai. Med. Cæsario & Attico CONSS[397.]

NOTAE.

(a) Quibusdam legibus hæc iungenda sit, constat iam ex dictis *ad leg. superiorem*, quæ & ipsa de illarum numero est. Est autem fugitiua hæc lex. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Si Senator. IDEM.*

(c) *Imminutio eius designationis tempore. IDEM.*

(d) Id est, si probatus fuerit Senator imminuisse. Quare errat qui *hic* reponit, *non probata. IDEM.*

COMMENTARIVS.

ALIENATIONE fraudulentæ, imminutionique patrimonii a Senatore factæ, in fraudem *Præturæ*, occurrit hac Orationis suæ parte Honorius Imp. quemadmodum & fraudulentæ professioni in fraudem Glebalis collationis occurritur, *l. 2. sup.* In fraudem inquam Præturæ, eo quippe pertinet ἀπόμοιρον seu lex ista, non ad Glebalem collationem, vt DESIGNATIONIS vox ostendit: de quo mox; ac proinde hoc *titulo* fugitiua, quæque in *tit. de prætoribus* melius relata fuisset: cuius etiam tituli *lex 31.* huic inter alias coassanda venit. Prætura scilicet inter Senatoria olim onera fuit, de qua est titulus ille *de Pratoribus*, & quidem onus grauissimum: Ludis scilicet & voluptatibus Romani populi edendis destinatum: ita quidem vt pro Præturæ qualitate modo maiores, modo minores faciendi essent. Cæterum, vt istud Præturæ onus Senatores euitarent, varias olim fraudes commenti sunt, tum Nominationis ad Præturam tempore, tum Designationis ad certum Præturæ genus: de quibus omnibus *suo illo titulo*. Inter cæteras fraudes hæ erant: quod vrbe Roma recederent, vt Præturam euitarent: de quo *l. 1. 2. 3. 4. 6. 7. inf. de Pratoribus*: & Symmachus *lib. 4. ep. 8.* & *lib. 10. ep. 4.* Altera fraus erat, cui *hac l.* occurritur, quod Designationis ad Præturam tempore Patrimonium suum in alios transferrent, fine vlla causa probabili, vt ita leuiorem Præturam sortirentur: Nam, vt inopes & pauperes a Præturæ onere immunes erant; Inopiæ quippe excepto immunitatem Prætoræ tribuebat, de quo *l. 22. inf. de Pratorib.* Ita cum designationis ad certum Præturæ genus tempus in proximo erat, callide bona sua imminuebant, vt ita ad leuiorem Præturam designarentur: Erat scilicet vna Prætura alia sumptuosior: *l. 3. 5. 13. 21. 24. 25. 30. & vlt. inf. de Pratorib.* Dixi, *Designationis tempore:* ita enim hic restituendum esse, tum reliquiæ veteris lectionis, tum *lex 31. inf. de Pratoribus*, quæ *huic* inter alias coassanda venit, ostendunt: *Neminem*, inquit lex illa, *Editorum, quos votiui sumptus* DESIGNARIT *electio, Responsum nostra Tranquillitatis soluat, sed* DESIGNATIONVM *ordo seruetur.* Sed & lex 10. 12. 13. 14. 15. 21. 31. *eodem tit. de Pratorib.* Symmachus quoque in eadem ipsa re *lib. 10. ep. 59. Deuotione & more commonitus, Magistratuum nomina, quibus varias functiones* DESIGNATIONVM TEMPORA *Amplissimus ordo mandauit, ad Æternitatis vestra perfero notionem: vt Muneribus exhibendis, aut subeundis fascibus destinatos, cognitio Imperialis accipiat. Hi copulati sunt, quos Senatus vestre recens ortus adiecit. Prolixus in talibus rebus esse non debeo, cum* DECRETI *publici fides Gestorum potius insinuationem postulet, quam largum referentis eloquium.* Eadem voce in hac ipsa re idem vtitur *lib. 2. ep. 59. Candidati mei designatio:* & *lib. 4. ep. 60. Designatum tibi ad vrbanam Præturam filium meum nuncio.* Quanquam & *designationis* appellatione accipi quoque possit ipsa prima ad Præturam nominatio, nullo adhuc Præturæ genere designato; quo sensu passim quoque ea vox accipitur. Ad rem. Ergo *hac l.* id statuitur, ne cuiquam Senatorum patrimonium suum designationis tempore imminuere liceat, nisi causa prius actis prouincialibus adprobata: id est, apud acta seu gesta Rectoris prouinciæ. Ex his iam apparet, rectius *hanc leg.* sub titulo, *de Pratoribus*, stituram. Neque otiose id hic repetatur, hanc *leg.* partem esse prolixæ Honorii Imp. ad Senatum populumque vrbis Romæ, Orationis: qua ioter alia & Senatui prospectum iuit, & Populi qua Voluptatibus, qua Annonæ: quas duas res, *panem*, inquam *& Circenses*, id est ludos populus anxius maxime iam dudum, teste Iuuenale *Satyr. X. v. 80.* & hac tempestate optabat: ad quod posterius præter *hanc leg.* ex eadem Oratione spectat *d. lex 31. infr. de Pratoribus.* Cætera repete ex dictis *ad leg. super.*

Eos

Eos qui in PALATIO *militarunt, Senatores factos glebali præstationi obnoxios esse, non & Præturæ.*

VIII. (a) Iidem AA. Cæsario PP. (b)

QVI in Sacro (c) Mansuetudinis nostræ Palatio militarint, si cœtui Senatus consortioque fuerint sociati, iuxta latam dudum Legem, † Glebalem tantum sustineant functionem, ad Præturæ (d) veræ functionem atque onera non vocentur. Dat. III. Kal. Mai. Constantinop. Cæsario & Attico CONSS. [397.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc lex a Cod. Iust. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Cæsarius* Orientis PP. v. *Prosopogr. IDEM.*

(c) *Sacrum Palatium v. Gloss. & Imper. Romanum.* Claudianus quoque 2. *in Rufinum: v. 142. sacrasque fores prædiuitis aulæ. IDEM.*

† Intelligitne *Legem 18. inf. de Prætoribus? IDEM.*

(d) De hoc suo titulo, *de Prætoribus. IDEM.*

COMMENTARIVS.

IN PALATIO Principis qui militarunt, postque peractam militiam Senatores facti sunt, eos glebali tantum functioni, at non & Præturæ subiici oportere, definit *hac l.* Arcadius Imp. Idque aduocata anteriore quadam, imo antiquiore etiam lege, *iuxta latam* DVDVM *legem*, inquit: quæ tamen lex nuspiam apparet: Exstat equidem eiusdem Arcadii, verum posterior adhuc, *lex 13. inf. de proximis Comitib. dispos.* qua testatur, se iampridem a Prætura immunitatem, his, qui post emeritam in armis militiam, ad honorem Ducatus prouecti sunt, tribuisse: eamque ibidem porrigit ad Proximos scriniorum, post depositam militiam. Qui & ipsi tamen Proximi scriniorum inter eos qui in Palatio militant, censentur. Ad rem.

Hos igitur Glebali tantum collationi obnoxios reddit *hac l.* Arcadius: sicut & filius eius Theodosius Iun. *l. vlt.* (quod tamen antea secus ferme fuit, vt testatur *lex 2. sup. inf.*) a Prætura vero immunitatem his tribuit: quod nominatim quoque cautum de Decurionibus & Silentiariis, *l. vlt. inf. de decur. & silent.* de Domesticorum item & Protectorum Primiceriis, & Decemprimis, *l. 7. 8. 9. inf. de domesticis & protect.* Vt & de Proximis sacrorum scriniorum. *l. 13. inf. de proximis.* Qui omnes in palatio militabant. Notanda igitur hic differentia inter Glebalem collationem, & functionem Præturæ; huius videl. immunitatem facilius tribui, quam illius. Rationem differentiæ hanc adsigno; quod populi voluptatibus facilius quid detrahi Principes voluerint, sumptusque adeo pene inanes in ludos remitti, quam subsidiis ærarii quidquam subduci: cuiusmodi est Glebalis collatio: vnde & perennis ærarii emolumentum dicitur, *l. 2. sup.* cui similia vide, & de Auro oblatitio *l. 5. sup.* & apud Symmachum, *lib. 10. ep. 26.*

OBLATITII *auri exactio quibus immineat.*

IX. (a) Iidem AA. Florentino PV. (b)

DVDVM † præcipimus, (c) vt aurum Oblaticium Senatores, qui in Sacratissima Vrbe degunt, in Vrbe conplerent, hii vero qui in prouinciis larem fouerent, per Censualium Officia in prouinciis soluerent. Sed quoniam cognouimus prædictum Officium non posse exsecutioni (d) sufficere, ad prædictum negotium auxilia congrua ab Ordinariis (e) Iudicibus volumus ministrari. Dat. VII. (f) Kal. Ian. Med. Cæs. & Attico CONSS. [397.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abest a Cod. Iust. Iungendæ forte huic legi, *lex 153. 154. 155. 156. inf. de decur. & lex 2. inf. de Comitib. rei milit. l. 19. inf. de diu. officiis*, si modo subscriptus dies in hac emendetur: Imo & *lex 1. Cod. Iust. vbi qui. de Curiali. GOTHOFREDVS.*

(b) *Florentinus* hic P. V. de quo iam ad *l. 5. sup. IDEM.*

† *Dudum*, id est, ante biennium. v. quæ dixi *ad l. 6. & Legem 5. sup.* indicat. *IDEM.*

(c) *Præcepimus. IDEM.*

(d) *Exactioni* vt *l. 6. sup. IDEM.*

(e) *Ordinarii Iudices*, id est, Rectores prouinciarum. v. *Gloss. IDEM.*

(f) XII. *Kal. Ian.* in sex illis *Legibus. IDEM.*

COMMENTARIVS.

OBLATITII AVRI, de quo plene *l. 5. sup.* exactioni per prouincias ab Honorio Censuales *ea l.* quæ ad hunc eundem Florentinum P. V. data est, cuiusque hic mentio fit, incumbere iussi fuerant ante biennium. At nunc idem Honorius cum comperisset, prædictos Censuales non posse Executioni isti sufficere, ad prædictum negotium congrua auxilia ab Ordinariis Iudicibus, id est, a Rectoribus prouinciarum, ministrari iubet. Quomodo & pariter idem Honorius cum Censualibus Gle-

P. 21.

bæ exactionem imposuisset, pari relatione edoctus iisdem consuluit *l. 6. sup.* Porro *huius leg.* duplex sensus afferri posse videtur: Prior, quasi relicto Censualibus semper executionis seu exactionis officio, iubeat Honorius tantum auxilia his a Iudicibus ministrari, ad exactionem faciendam: vt alias sæpe, publicum officium gerentibus auxilia congrua suppeditari, ministrari, olim variis legibus iussa: vt (*l.* ....) Alter sensus, quem ipse prætulerim, Honorium liberatu penitus hoc Executionis seu Exactionis onere, id oneris impegisse Ordinariis Iudicibus eorumque officiis. Cæterum videtur omnino hæc *lex*, sex illis Legibus quas *in Notis* apposui, imo & *legi 1. Cod. Iust. vbi quis de Curiali.* coaſſanda; a quibus hæc nonnisi in die discrepat, vt *ibidem* notaui: Certe inter eas, *lege 10. infr. de diuersis officiis*, de Iudicum Apparitoribus quoque agitur: & *d. l. 1. Cod. Iust. vbi quis de Curiali*, cauetur, vt, si quis Curiæ vel officiis Iudicum aut aliis quibuscunque corporibus obnoxius probetur, Iudex loci vbi comprahensus fuerit, submota penitus emendicati honoris præscriptione, & non expectata Iudicis notione, sub quo per ambitum cœpit militare, eum eorum societati, quos declinauerat, aggreget. Et sic *ea l.* Ordinaris Iudicis iurisdictio sancitur, pariter vt *hac l.*

HISPANIIS *adimitur priuilegium immunitatis quibusdam indultum a glebali collatione.*

X. (a) Iidem AA. Felici PV. (b)

GLEBAM, possessionum, non personarum, (c) esse perspicimus: ac propterea necesse est, vt illis immineat exactio, qui ex re eadem reditus consequuntur: (d) nam eum censibus deferantur, (e) non potest auri professio (f) perire (g) domino. Hac itaque sanctione decernimus, vt Hispaniæ (h) in præsens (i) tantum tempus beneficiis (k) indultis vtantur: seruaturi posthac in soluendis functionibus prouinciarum (l) consuetudinem ceterarum. Dat. IV. Kal. Apr. Mediol. Honorio A. IV. & Eutychiano CONSS. [398.]

NOTAE.

(a) Abest a Cod. Iust. velut historica. *GOTHOFREDVS.*

(b) *γρ. PP. P.* & quidem Galliarum: de quo mox. *IDEM.*

(c) Et ideo beneficium seu priuilegium personale hic spectandum non esse. *IDEM.*

(d) Hanc rationem mox explicabo. *IDEM.*

(e) Ita diserte MSS. editi habent, *deferuntur.* *IDEM.*

(f) Glebæ *professio l. 12. inf. de annona & trib.* de hoc v. *Paratitlon.* *IDEM.*

(g) Personæ, vel possessiones. *IDEM.*

(h) *Hispaniæ*: vel hic reponendum *Hispani*, vel infra restituendum, *Seruatura:* quod malo, propter illa, *prouinciarum ceterarum.* *IDEM.*

(i) Hoc adhuc tempore, in præsenti casu, ad hoc vsque tempus. *IDEM.*

(k) *Beneficia* sunt priuilegia, in materia nominatim tributorum & functionum collationumque publicarum: dixi plene, ad *l. 4. sup. de Constit. Principum.* *IDEM.*

(l) Vel totius Imperii, vel cæterarum quæ, sub dispositione PP. Galliarum fuerunt, id est, septemdecim prouinciarum & Britanniarum. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIO seu BENEFICIO vllo a Glebali collatione nullum vllibi in quadam facti specie excusari definit Honorius hac constitutione: Addita ratione, quod hæc collatio sit non personarum, sed possessionum: Onera scilicet possessionum ratione indicta personæ priuilegio non euitantur, sed quisquis possessiones habet in censum relatas seu professas (de qua professione dixi ad *l. 2. supr.*) & ex iis reditus consequitur, huiusmodi onera detrectare non potest. Atque ita in orbe Romano ferme obseruatum fuit. *Hispaniarum* Prouinciis vt sua & peculiaria sæpe quarundam prouinciarum iura fuerunt: (vt in sp. *l. 2. de tironib. l. 19. de erog. mil. ann. l. 5. de cursu publ.*) singulari priuilegio vacatio seu immunitas quædam ab hac collatione indulta fuerat, vt scilicet personæ priuilegio glebalem quandoque collationem euitare possent: id quod *hac* Honorii *lege* aboletur: & ad commune ius Hispani reuocantur. Cæterum, ad hanc prorsus *legem* pertinet, eiusque ferendæ occasionem commonstrat, denique eam commodissime explicat *Epistola 62.* Symmachi *lib. 4.* quam hic inseri oportet. *Symmachus Eufrasio.* Alii habent; *Eupraxio.* *Euenitus tuus in vtramuis aurem somnum capessat: Nihil enim magna dignitas a paupere petit. Sit fortasse plerisque ipsa inopia gratus, habet tamen* ALIENI ONERIS EXCEPTIONEM. *Adiice si placet securitati eius* SACERDOTII PRIVILEGIVM, & VNIVS HOMINIS MVNIMENTA MVLTIPLICIA. *Mihi videtur validior esse omnibus vacationum remediis, exhausta fortuna. Sed velim noueris,* QVÆSITORES GLEBÆ SENATORIÆ *protinus affuturos, sperandamque Euentii* VENIAM PLENIOREM, *si fidem paupertatis eius exploratio ratam fecerit. Interea tuus prioribus gestis agat liberum: Nihil nouabitur Præillustris Viri* FELICIS *pro illo iudicatione, modo allegatas dudum Senatoris angustias astruat examinis diligentia. Nunc mihi amice obiurgandus es, qui cum vicina itinera perstrinxeris, flectere ad nos habenas longum putasti: Dedisset* HISPANIA *Romæ posito more veniam. Nouit enim summittere desideria sua cunctarum Prouinciarum parenti*, (id est Romæ,) *Nec ita auara est, vt nobis propria bona nolit ostendere, &c.* Omnia egregie hic respondent, & *Felicis* (Præfecti prætorio Galliarum) nomen, & *Hispaniæ* mentio, & *Glebæ Senatoria*, & *priuilegii sacerdotalis* & *paupertatis* exceptio. P. 22. Species scilicet hæc est: ab Euentio Hispano Senatore, sed paupere, vt dicebatur, & Prouinciæ Sacerdote, & aliis etiam forte personæ munimentis seu priuilegiis subnixo, possessionum nomine, quarum dominus erat, & ex quibus reditus consequebatur, glebalis collatio petebatur: Excipiebat is, alienum a se onus esse, atque inter alia allegabat paupertatem & tenuitatem suam: tum etiam, Sacer-

cerdotium quoque, videlicet Sacerdos Prouinciæ esset. Cæterum id indultum fuisse Sacerdotibus prouinciarum Hispaniæ, vt a collationibus, ac nominatim a Glebali immunes essent: (de cuiusmodi alioquin Sacerdotii priuilegiis, & inter alia etiam a muneribus ciuilibus dicendi locus erit plene ad *l. 75. de Decurionib. V. & paratitlon de paganis*, & quidem ex veteri quoque inscriptione, & ex Symmacho, *lib. 10. ep. 54.*) itaque super ea re, deque hac controuersia itum ad Felicem Præfectum prætorio Galliarum: Is, re cognita secundum Euentium dedit, id est, eum immunem a Glebali collatione pronunciauit. Imperator Honorius, ea de re aditus, nihil de Felicis Præfecti prætorio pro Euentio iudicatione innouauit, atque adeo ob sacerdotii priuilegium paupertatemque collationis glebalis immunitatem Euentii confirmauit; nihilque de priuilegio Hispanis dato in præsens saltem tempus, seu in præsenti casu immutauit: sed in posterum Hispanias, vel Hispanos, communi cæterarum prouinciarum iure, immunitate seu beneficio omni cessante, viuere iubet.

Illud in summam ex *hac l.* notandum, quod ait, Glebam, id est, collationem glebalem, esse onus possessionum; non personarum: vnde & onus id *fundum manere* dicitur: *l. 13. inf. hoc tit.* qua etiam causa, glebæ, & glebæ collationi nomen: seu βῶλος apud Synesium, *ep. 38.* de cuius loco dixi ad *l. 4 sup.*

Ad historiam vero, obseruandum, nonnullis quandoque prouinciis peculiaria beneficia indulta, aduersus cæterarum prouinciarum consuetudinem: sed quæ facile etiam reuocata: vt in causa proposita; cuiusmodi istud fuit, Hispanicis prouinciis in orbe Romano atque in occidentis Imperio proprium. Vnde vero id emanarit, non nostrum est diuinare: forte a Theodosio M. Honorii nostri parente id Hispaniis, vnde ipse erat, datum. Atque ita deinceps, insignis hæc lex in *Gallica & Hispanica* historia steterni poterit: non tantum ob expressam Hispaniarum mentionem, verum propter inscriptum huic legi *Felicis PF. P.* (nam ita reponendum loco *PF. V.*) nomen, & quidem Galliarum, vt ex hac ipsa *leg.* discimus, vt & Symmacho *d. epistola*. Hispaniæ quippe hac tempestate sub *PP. Galliarum* egere; vt ex variis *legibus*, *Claudiano*, & *Notitia imperii* discere est, & vel hoc ipso anno ex *l. vn. de burgariis*; de quo plura ad *l. 14. inf. de accusationib.* Certe Symmachus *d. loco*, vt & *lib. 7. ep. 58.* hunc Felicem *Illustrem Virum* vocat. Et ad eundem eiusdem extant octo Epistolæ *lib. 5.* ab *ep. 47.* ad *54.* qua postrema *Amplitudinis* titulum ei tribuit, & Collegam Ampelii, qui sane P. V. fuit, facit: & tum cum eam epistolam scriberet A. D. 397. Quæstorem fuisse indicat.

DOMVM PRINCIPIS *quoque Glebalem collationem agnoscere.*

XI. Iidem AA. Troino (a) C. S. L.

A conlatione gleualis auri, vel t...n (b) ...ij tituli (c) ne Domum (d) quidem Nostram inmunem .. (e) esse præcipimus. PP. IV. Kal. Mart. Med. Vincentio & Auito (f) VV. CC. CONSS. [401.]

NOTAE.

(a) γϱ. *Troilo*: Ad eum Synesius scripsit epistolas 26. 71. 91. 112. 118. Deque eodem agit *ep. 47. & 73.* GOTHOFR.

(b) γϱ. *conparatitii*, vt *l. 3. inf. de militari veste.* vel, *Oblatitii*, vt *l. 5. & 9. sup.* Neutrum ferunt reliquiæ & spatia fugientis vocis: quæ vt nos fecimus exprimenda sunt. *IDEM.*

(c) *Titulus. v. Gloss. IDEM.*

(d) Id est, possessiones v. *Gloss. & Imp. Rom. IDEM*

(e) Ad plenum sensum nihil hic deest. *IDEM.*

(f) γϱ. *Frauito*, vel *Prauita*: v. *Chronolog. IDEM.*

COMMENTARIVS.

PRINCIPIS quoque DOMVM seu possessiones duobus titulis seu collationibus quæ hac *leg.* commemoratæ fuerant, subiacere definit Honorius Imp. si modo Honorius: quandoquidem Troilum, cui hæc *lex* inscribitur, Comitem S. L. per Orientem fuisse ex Synesio discimus. Duobus inquam titulis: quorum alterius memoria seu nomen intercidit: alter vero est, collatio Glebalis: Igitur a collatione Glebali immunis non est Domus Principis, id est, res priuata Principis. Nempe & ipsi Principes instar Senatorum glebam e rei suæ priuatæ nomine præstitere: nempe quod se ipsos in Senatorum numero censerent: *l. 1. inf. de exhib. reis*: *l. 32. inf. de cursu publ. l. 3. ad leg. Corn. de sicariis*: de quo *ad eas leges.* Notandum vero *Comiti S. L.* hanc *legem* inscribi, ideo quia de domo Principis in ea agitur.

P. 23.

PROXIMOS *Scriniorum*, COMITES *Dispositionum*, *Magistros* ADMISSIONVM *a glebali septemque solidorum collatione immunes esse.*

XII. Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. ad Monaxium PV. (a)

SI quis... (b) ......Nostris tota impleta militia ad Proximatum, (c) & Comitiuam (d) dispositionum vel Magisterium (e) admissionum peruenerit, nulla penitus functione vel Glebatione (f) Senatoria tum primum, ob dignitatem Vicariam, fatigetur, sitque immunis a Septem (g) quoque solidorum præstatione, quæ tenuissimos Senatorum adsolet obligare. Dat. VI. Id. Maii. Constantinop. Constantio & Constante Coss. [414.]

NOTÆ.

(a) *Monaxium* hunc Præfectum Prætorio faciunt omnes aliæ *leges* anni 412. 414. 416. 417. 418. 419. 420. & quidem eo ipso anno 412. quo hæc *lex 16. inf. de medicis & Prof.* Anno equidem 408 & 409. Monaxius P. V. fuit, quod præter sex Leges, discimus ex Chronico Alex. *in anno* 409. *GOTHOFREDVS.*

(b) Supple *ex scriniis*, vel *de scriniis*. *IDEM.*

(c) Scriniorum scilicet. *l. 2. inf. de proximis*: puta Memoriæ, Epistolarum, Libellorum, *l. 4. eod. tit.* v. quæ noto ad *l. 4. eius tit.* *IDEM.*

(d) *Dispositionum Comites* seu Magistri cum Proximis scriniorum dignitate æquabantur, v. *l. 8. 10. 12. 14. inf. de proximis Comitib. dispos.* *IDEM.*

(e) *Magisterium*, & *Magisteria*: v. quæ notabo ad *l. 2. inf. de Quæstorib.* *IDEM.*

(f) *Glebatio* Senatoria. *IDEM.*

(g) De *septem solidorum* præstatione, *l. 4. sup. & l. 12. inf. de proximis.*

COMMENTARIVS.

PROXIMOS Scriniorum, COMITES Dispositionum, MAGISTROS Admissionum, post impletam militiam factos, & sic vicaria dignitate auctos, ab omni functione seu Glebali collatione, imo & septem solidorum præstatione immunes esse iubet *hac l.* Theodosius Iun. De Proximis scriniorum, Comitibusque dispositionum *suo proprio titulo infra 26. & tit. de Magistris scriniorum*, vbi vel Paratitla consulenda. Magistri admissionum fit quoque mentio, *l. vn. inf. qui a præbit. tyronum vel equorum*: apud Vopiscum in *Aureliano*. Amian Marcellinum *lib. 15. c. 5.* qui scilicet Admissionibus seu officio Admissionum, seu Admissionalibus, de quibus qui sub Magistro officiorum erant, pariter vt scrinia, de quo *Notitia* & nos *alibi*. Horum igitur immunitatem *hac l.* sancit Theodosius. Vbi Tria notanda sunt: Primo, eos qui post impletam militiam vel Magistri scriniorum fiebant, vel Comites dispositionum, vel Magistri Admissionum, vicaria dignitate fuisse honoratos: quod etiam constituitur *l. 2.* (vbi dicam) *10, 15. 17. inf. de proximis*: & *l. 19. inf. de Palatinis S. L.* Secundo notandum, Comites seu Magistros dispositionum cum Proximis scriniorum dignitate exæquatos: quod etiam docet *lex 2. 10. 12. 14. inf. de proximis Comitib. dispositionum.* Tertio *hac* Theodosii Iun. *lege*, supradictos, etiam a septem solidorum præstatione immunes reddi, quæ tenuissimos Senatorum alioquin tenet obligatos, de quo agitur & *l. 4. sup.* & *l. 12. inf. de proximis*: cum tamen non pauperrimi tantum hanc collationem agnoscere deberent, verum etiam nonnulli, qui alioquin priuilegio a Glebali collatione immunes sunt, illam præstare teneantur. Et vero Arcadii patris constitutione *l. 12. inf. de proximis*: Ex-Proximis his & Ex-Comitibus Senatui adgregatis, etsi Glebalis collationis immunitas tributa fuerit, iidem tamen ad septenos solidos annuos eadem lege teneri iubentur. Verum, vt dixi, plenaria *hac leg.* immunitas Senatoriæ functionis illis tribuitur, etiam septem solidorum.

DESERTVM *prædium alteri opimo adiectum per* ἐπιβολὴν *a glebali collatione immune fit.*

XIII. (a) Iidem AA. Sebastio Com. (b)

SI quis desertam possessionem sub Peræquationis (c) sorte (d) perceperit, eum a præstatione gleuæ Senatoriæ, etiamsi antiquitus hoc onus fundum manebat, alienum esse præcepimus. (e) Illa (f) vero prædia, quæ naualem sustinent (g) functionem in desertis huc (h) vsque tacuerunt, (i) meliore condicione in omnibus titulis conuenit releuari, (k) vt grauis (l) sors pro ea qua (m) resederit (n) portiuncula naualis esse non possit, cum aliis fuerit dispendiis liberata. Dat. prid. Id. Maij. (o) Rau. Honorio A. XI. & Constantio II. CONSS [417.]

NOTAE.

P. 24.

(a) Lex 15. *Cod. Iust. de omni agro deserto*, hinc desumpta est, recisa sententia, quæ est de Gleba Senatoria, vtpote sublata. Iungendæ sunt illi duæ *Leges*, de quibus mox. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Primi ordinis*, adde ex *l. 14. 15. 16. inf. de censitor.* quæ huic inter alias iungendæ sunt: & ex *d. l. 15. Cod. Iust.* quæ hinc desumpta est. De qua dignitate titulus est inf. *de Comitib. Ordinis primi.* *IDEM.*

(c) De *Peræquatione*, suo titulo *inf. de Censitoribus, Peræquatoribus, & Inspectorib.* v. & *l. 2. 3. infr. de prædiis Senatorum.* *IDEM.*

(d) *Iure* C. Iust. *d. l. 15.* fors vero peræquationis contraria *forti subhastariæ*: de qua *l. 9. inf. de præd. nauicul.* quæ & ipsa *huic* iungenda est. *IDEM.*

(e) γρ. *Præcipimus*, vt probabunt ea quæ mox dicam. *IDEM.*

(f) Hinc proprie desumpta est Cod. Iust. *d. lex 15.* *IDEM.*

(g) Vel hic reponendum, *sustinentia*: vel reponendum vt in Cod. Iust. *sustinent functionem & in desertis*, &c. *IDEM.*

(h) *Nunc vsque* C. Iust. *IDEM.*

(i) γρ. *iacuerunt*, & ita omnino habet MS. authenticus. In. Cod. Iust. *remanent.* *IDEM.*

(k) *Releuari.* Releuandi vox propria: v. *inf. de collat. donat. vel releuat.* *IDEM.*

(l) *Grauis* fors opposita desertæ. *IDEM.*

(m) Ita MS. γρ. *quæ.* *IDEM.*

(n) Id est, reses fuerit, iacuerit deserta. *IDEM.*

(o) Ita quoque *d. l. 9. inf. de præd. nauicul. & l. 7. inf. de locat. fundor.* Atenim in *d. l. 14. 15. 16. inf. de censitoribus*, Mart. *IDEM.*

COM-

COMMENTARIVS.

DESERTVM prædium, Senatoriæ seu glebali collationi obnoxium, si per peræquationem, & *ἐπιβολὴν*, alicui opimi fundi domino adiectum sit, a Glebali collatione immune esse iubet *hac l.* Honorius Imp. In prædiis nauali functioni obnoxiis, meliore & pleniore quodam iure constituto: de quo mox. Vt hæc *lex* intelligatur, Primo notandum est, extra ordinem sæpe *Peræquatores*, *ἐξισωτὰς*, in prouincias missos, qui videl. inspectis prædiis, & inuicem adæquatis releuarent ea, quibus grauius onus erat adscriptum: vicissim grauarent, si quæ per ambitionem vel aliter leuius censita vel immunia facta fuissent: Item eo fine, vt deserta a dominis destitutaque prædia, aliis traderent, atque ita dominos mutarent, adiectis videl. prædiis desertis ad opimos fundos: factaque adeo *ἐπιβολῇ*, nam ita proprie id vocabatur: de quo *tit. de annona & tributis*, *non vna l.* & *tit. de censitoribus*, *peræquatoribus*: sub duabus tamen legibus seu conditionibus. Primo noui domini, quibus adiecta fuerant noua prædia deserta, eorum nomine ad reliqua temporis præteriti non tenebantur, *l. 15. inf. de Censitoribus*, quæ vt mox dicam, inter alias *huic* coniungenda est. Altera conditio est, quæ *hac l.* continetur: nempe, quod huius deserti prædii, per *ἐπιβολὴν* adiecti, nomine, Glebalem præstationem non præstent. Quæ duplex immunitas notanda est, singularibus rationibus subnixa. Secundo notandum, *hanc legem* partem esse formulæ seu mandatorum datorum ab Honorio Imp. Sebastio peræquatori & Inspectori, misso hoc tempore in quandam prouinciam, ad eam peragrandam & inspiciendam (forte in Africam, argumento eorum quæ de fundis Nauiculariis adducuntur) vnde supersunt adhuc quatuor præterea fragmenta in *l. 9. inf. de præd. nauiculariorum*: & *l. 14. 15. 16. inf. de Censitoribus & peræquatorib.* quæ proinde *huic* omnes coassandæ veniunt, coassatæque inuicem mutuam lucem fœnerantur: Imo & præterea coniungenda videtur *lex vlt. infr. de locatione fundorum*, etsi *Vrsacio Com. R. P.* ea inscribatur, propter materiæ subiectæ rationem. Ergo ex his apparet, Sebastium peræquatorem cum Mandatis his in aliquam prouinciam missum: Et quidem cum *Comitis primi ordinis* dignitate, vt ferme cum ea dignitate emissi peræquatores, quod præter hanc *leg.* & eas quas huic coniungendas dixi, docet *lex 10. inf. de censitorib. & peræquator.* Nunc de hac Mandatorum parte seu de lege nostra: Ea scilicet ostendit Honorius, qua lege & *conditione* deserta prædia, quæ Senatoriæ vel Nauiculariæ functioni sunt obnoxia, per *ἐπιβολὴν* adiicienda sint a Sebastio peræquatore, opimos fundos habentibus: Nempe illos fundos ita adiiciendos, vt a Glebali præstatione immunes sint: aliis vero titulis & tributis tanquam communes fundi subiaceant: id enim addi oportet. Et hæc sententia est primæ partis *huius l.* Atenim, aliam quandam esse oportere rationem fundorum nauiculariæ functioni, *ἀπόρων* & conditioni olim obnoxiorum, si deserti aliis per *ἐπιβολὴν* adiiciantur: Quæ quidem sententia ab hoc *titulo* aliena est, & in *titulum de prædiis nauiculariorum* potius referri debuit, *legique 9. ead. tit.* quæ *huic* inter alias, vt dixi, coassanda est, connectenda erat. Id vero ea statuitur; nempe, non tantum *grauem sortem*, id est, opimum fundum, cui desertus nauicularius adiectus est, nauicularium non effici: verum etiam desertum ipsum fundum soli nauali conditioni adstringi oportere, omnibus aliis titulis releuatum, id est, ab omni alia conditione & collatione liberum & immunem: Suam igitur tantum conditionem & naualem hæresim agnoscere vult Honorius *hac leg.* quod etiam expresse ait *d. l. 9. de præd. nauicular.* Vbi pariter subhastaria forte distractas possessiones, quæ per contractum publicum nauali fuerant hæresi separatæ a viginti annis, ad pristinam functionem naualem reuocari iubet. Ergo liberum prædium tantum abest nauiculariæ functioni obligetur propter *ἐπιβολὴν* nauicularii, vt contra hoc ipsum omnibus aliis functionibus liberetur. Atque hæc est huiusce obscurissimæ legis sententia, quam neque Accursius, neque Cuiacius cepere: vbi hæ voces in id spectandæ veniunt: Primo, *Releuandi*: qua non significatur hic leuiora onera imponi, verum, quod *ipsa l.* exprimitur, vnica hæresi nauali excepta, *omnibus titulis* releuari seu *aliis dispendiis liberari*: *Sors* item *grauis* hac *leg.* est opimum prædium, cui desertum adiectum est; *Sors* & *sortes*, pro spatio terrarum, quod etiam ad totius gentis possessionem postea translatum, veluti *sortes Gothorum* dictæ: & *Graue*, pro opimo, fertili, fœcundo: de quo consulendæ Glossæ: *Graue*, ait Nonius Marcellus *cap. 4. num. 218. fœcundum, frugiferum*: Virgil. *Georg. lib. 3. v. 525.* *Quid labor, aut benefacta iuuent? quid vomere terras inuertisse graues?* *Particuncula* denique *hac l.* est prædium, & quidem desertum, in sp. *huius leg.* adiectum per *ἐπιβολὴν* opimo & *fœcundo*.

P. 25. OBLATITIVM *aurum sibi a Senatu Rom. promissum Valentinianus Tertius partim remittit, partim Vrbi Romæ largitur.*

XIV. (a) Impp. Theod. & Arcad. (b) AA. ad Senatum vrbis Rom. Post alia.

OBLATIONEM nobis Amplissimi Ordinis, prompta liberalitate promissam, (c) partim remittimus vobis, partim Patriæ (d) communi Vrbique largimur. Dat. VI. Kal. M. (e) Recitata (f) in Senatu per Theodosium Primicerium Notariorum, DD. NN. Theod. XII. & Valentiniano II. A. CONSS. [426.]

NOTAE.

(a) Iungendæ *huic l.* omnino videntur *lex 33. inf. de petitionib. & vltro datis*: & *lex 2. inf. de conductor. & homin. dom. Aug.* etsi in die & mense nonnulla sit diuersitas. *GOTHOFREDVS.*

(b) *vg.* VALENTINIANVS: vt ipsa temporum ratio ostendit, & præferunt *d. l. 33.* & *d. l. 2.* *IDEM.*

(c) Hinc & moles promissionis, *l. 12. inf. de proximis.* *IDEM.*

(d) *Vrbs Roma*, patria communis. Ita quoque *l. 21. inf. de Prætoribus*: & passim Veteres, & in his Symmachus variis locis: ad quem vide quæ Doct. Iuretus, *lib. 5. ep. 92.* *IDEM.*

(e) Ita

(c) Ita MS. *vg. Ian.* vt *d. l. 33.* & *d. l. 2.* *IDEM.*

(t) *Orationes* Principum ad Senatum recitatæ in Senatu, *b. l.* & *l. 1. inf. de maternis bonis*: siue lectæ, *l. 8. 9. inf. de Pretorib. l. 8. inf. de metallis. l. 13. de accusat.* Idque aliquando per Primicerium Notariorum (de quo *titulo 10. inf.*) aliquando a Proconsule, *d. l. 8.* & *9. inf. de Pretoribus*: Mox dicam plura. *IDEM*

COMMENTARIVS.

OBLATIONEM, seu oblatitium aurum, (de quo fuerunt iam duæ *leges* supra, puta Honorii *lex 5.* & *9*) quod Senatus vrbis Romæ *prompta liberalitate*, seu vltro, sibi *promiserat* (quo pertinet *moles promissionis* in *l. 12. inf. de proximis*, quæ quarta est in hoc argumento constitutio) Valentinianus Tertius, Placidiæ F. hac oratione ad Senatum emissa accepto equidem fert: verum eam oblationem partim ipsi Senatui, partim vero vrbi Romæ (quam & *communem parentem* vocat, elogio protrito; quod vsurpatur & *l. 21. inf. de Pretoribus*) largitur: Beneficio ita cum Senatu certans. Quanam vero occasione hanc oblationem Senatus vrbis Romæ Valentiniano nunc promiserit? videndum est: Id vero ipsa temporum ratio satis ostendit. Nempe Ioanne Tyranno cæso, cum Romam Valentin. Roma potitus, ingressus, ibi sepiennis iam Augustus creatus fuisset X. Kal. Nouembris anni superioris 425. de quo Olympiodorus *fine Decadis 2.* apud Photium *in Bibliotheca pag. 198. 99. edit. Schotti*: Frigeridus *lib. 12. historiar.* apud Gregor. Turon. *lib. 2. c. 8.* Socrates *lib. 7. c. 24.* & Chronicor. Scriptores, Marcellinus, Prosper, Idacius, Chronicum Alexandr. Vbi & per quadrimestre egit, mense ad finem decurrente Octobri, Nouembri, Decembri, anno 425. & mense Ianuario & Februario huius anni 426. quo quidem mense Ianuario hæc lex data est: Quæ quidem lex ipsa pars est prolixioris Valentiniani Tertii Orationis ad Senatum: vnde duo adhuc fragmenta supersunt *huic legi* coassanda, puta *lex 2. de conductor. domus Aug. l. 33. inf. de petitionibus.* Qua quidem oratione Valentinianus hinc turbatum vrbis Romæ statum erexit, pacemque publicam stabiliuit: Inde vero Munificentiam Senatus Romani, & ipse beneficus certando pensare instituit: inter alia remissa oblatitii auri promissione ab eo sibi facta. Nam & ciuilem animum suum ea Oratione testatum iuit, conductoribus videlicet domus suæ, atque adeo seipso iisdem Legibus adstricto cum cæteris priuatis *d. l. 2. de conductorib.* & delatoribus, & competitoribus, qui scilicet Tyrannis cæsis emergere solebant, repressis, *l. 33. de petitionibus & delatoribus*, de quo ad *eam leg.* Eadem igitur ciuilitate nunc, inque vrbem Romam studio, oblatitium aurum sibi a Senatu promissum, vrbi Romæ pro parte largitur: quæ vrbs per Ioannem Tyrannum desolata recenter fuerat. Quo pertinet, quod in veteri descriptione vrbis Romæ, quæ Notitiæ Imperii præmittitur, (quæ vel hoc ipso anno, 426. vel, vt ipse supputo, anno prox. 427. scripta fuit) leguntur *fol. 4. Vrbs qua aliquando desolata, nunc gloriosior piissimo Imperio restaurata.* Subscriptionem etiam *huius l.* perpendi cupio: non in eo tantum quod hæc lex recitata dicitur, & quidem in Senatu, de quo more dixi in *Prolegomenis*, & in *Paratitlo huius Tituli*: verum in eo maxime, quod hæc *lex* recitata dicitur in Senatu per *Primicerium Notariorum*: quomodo & a Braxio *Proconsule* recitata dicitur oratio, cuius partes sunt, A. D. 356. *lex 8.* & *9. inf. de Pretoribus*; & Constantii oratio de Themistio Philosopho, A. D. 355. a *Iustino Proconsule*: Subscriptio ita habet, *p. 23. edit. Hard. Allata est epistola pro Themistio clarissimo Philosopho: Lectaque in Senatu Kal. Septemb. Arbetione & Lolliano: legit autem Iustinus Clarissimus Proconsul.* Nempe id Senatus honori datum, vt per præcipuos Viros Principes orationes suas in Senatu legi, recitari vellent; veluti per *Proconsulem* (de qua *Proconsulis* appellatione dicam ad *l. 9. 16. inf. de Pretorib.*) Constantius *d. l. 8.* & *9.* & *d. orat. pro Themistio*: quem προφητὴν καὶ ἐξηγητὴν τοῦ γράμματος intelligere videtur & ipse Themistius *orat. 2. p. 26. edit. Hard.* qua Constantio gratias agit ob illam epistolam seu orationem: vel per *Primicerium Notariorum*, vt Valentinianus Tertius hanc orationem: Quæ quidem magna dignitas erat & prima quidem inter Spectabiles, sic vt Vicariis anteponeretur & Proconsulibus æquaretur: V. *l. 2.* & *3. inf. de Primicerio & Notar.* & *Notitiam Imperii.* Imo & pro magno honore habuere ipsi illi, quos ad id Principes eligerent: Symmachus *lib. 10. ep. 2. Scio amore factum, quo Summates Viros plerumque dignamini, vt Sacra oratione vestra Lector adhiberer.* Idem *lib. 1. ep. 89. cum mihi a Principibus æternis legenda in Concilio Patrum delegaretur oratio.* Et mox; *Contestare apud Inuictos Principes gaudium meum, qui humana voce diuinas literas crediderunt, quorum victorias ex mei oris promptuario Senatus audiuit.* Notum, hoc olim Quæstorum seu Candidatorum Principis munus fuisse. Ergo & Primicerium Notariorum ad id nunc delegit Valentinianus Tertius, non quasi vice Quæstoris, munere hoc fungeretur, quod P. 26.
scribit auctor *de off. dom. August. lib. 3. c. 9. p. 582. edit. Lips.* Neque enim hoc æuo Quæstoris munus id fuit, verum quia, quomodo Secretorum Notarium vertit Zosimus *lib. 1. c. 26.* hic notarius erat τῶν ἔξωθεν φερομένων ἀποκρίσεων μηνυτής: de quo ad *l. 1. inf. de Primicerio, & Notariis.*

De IMMVNITATE *nulli concedenda a Glebali collatione quatuor scholis exceptis ne quidem Adnotatione Principis.*

XV. (a) Iidem AA. Proculo PV. (b) Post alia.

PRÆTER (c) eos, qui Notariorum (d) nostrorum Scholæ præclaro (e) sunt sacrati collegio, vel silentiariorum (f) prærogatiua nostrorum, aut etiam Sacri Consistorii Decurionum (g) militia muniuntur, vel qui e schola Agentium (h) in rebus expletis stipendiis ad Principatum (i) Ducenæ peruenerunt, Togati (k) prætorianæ atque etiam Vrbicariæ (l) præfecturæ, ceterique omnes, qui delatis sibi Senatoriis dignitatibus fruuntur, pro (m) suis viribus (n) gleuales tantum (o) functiones agnoscant; Palatinis (p) sacrarum & priuatarum largitionum, quoniam renunciandum (q) Senatoriæ dignitati adita nostra Clementia crediderunt, Senatoriis functionibus eximendis; (& quamuis Senatorum consortio segregentur, in omni securitate mansuris, nec non etiam filiis eorum atque nepotibus,

fecun-

fecundum diui Conſtantini † atque Conſtantii † Conſtituriones) Ita vt omne beneficium, omniſque Adnotatio (r) ſpecialis, ſuper immunitate contra huius ſanctionis formam, a quocunque Officio, Perſona, Schola, vel Profeſſione elicita, nullam habeat firmitatem; ſed allegata quoque, & ab Ampliſſimo, ſi ita contigerit, ſuſcepta Ordine, (s) denuo cum libuerit retractetur; totius temporis, qui (t) interea fluxerit, ab eo qui hoc impetrare ſtuduerit, deſcriptionibus (v) extorquendis; & ſi (x) hoc idem præiudicium Annotationis tenore elicitæ remittatur. Dat. Prid. Kalendas Feb. Conſtantinop. Felice & Tauro CONSS. [428.]

NOTAE.

(a) Meminit huius Nouellæ Legis ſuæ Theodoſius Iun. *l. vlt. inf. de Medicis & profeſſor.* Iungenda vero illi *lex 22. inf. de Agentib. in reb.* GOTHOFREDVS.

(b) Proculo huic P. V. præter *hanc l.* & *d. l. 22.* inſcribitur & *d. l. vlt. de Medicis.* IDEM.

(c) *Præter eos*, id eſt. IDEM.

(d) De *Notariis*, V. inf. *tit.* 10. IDEM.

(e) Notariorum præclarum collegium *h. t.* nobilis militia: *l. vlt. inf. de Notariis:* plura ad *l. 1. illius tit.* IDEM.

(f) De *Silentiariis* V. inf. t. 23. Quanquam vix hæc vox *hic* ſtetiſſe videtur. Quandoquidem poſt vocem collegio nonniſi quinque literæ interciderunt ante ſyllabam *rum.* IDEM.

(g) De *Decurionibus.* vid. d t. 23. Porro in MS ita hæc vox expreſſa. IDEM.

(h) De *Agentibus* in rebus. v. inf. t. 27. & nominatim ad hanc rem *d. l. 22.* & *l. 5. eod.* IDEM.

(i) *Principatus Ducena h. l.* & *l. 8. 20. inf. d. t. 27. de Agentibus in reb.* vbi dicam. IDEM.

(k) Antea male *rogoti. Togati* ſunt Aduocati. ſic Corpus Togatorum *l. 152. inf. de Decurionib.* Qui plura volet, conſulat *Gloſſ. noſtr.* & miſcellanea in Symmachum, *lib. 9. ep. 30.* & Sauaronem in *Sidonium lib. 2. ep. 13.* IDEM.

(l) De *Vrbicarii* voce conſule *Gloſſ.* ſic Præfectura vrbicaria, & Regiones Vrbicariæ. IDEM.

(m) Id eſt, pro poſſeſſionum modo. IDEM.

(n) Græci etiam *ἀνάμεως* voce in hac re vtuntur. V. Libanium *ep.* IDEM.

(o) Non etiam alias functiones Senatorias, veluti Præturam. IDEM.

(p) De *Palatinis* S. L. & R. P. inf. tit. 30. IDEM.

(q) De hac Renunciatione *l. 4. ſup.* & *l. vn. inf. de Comitib. ord. pr. artium diu.* IDEM.

† Innui videntur conſtitutiones, quæ huius tituli initio exciderunt: Et inter alias quoque *lex 6. inf. de extraordinar.* IDEM.

(r) Vide ſupra Paratitlon *de diuerſis reſcriptis.* IDEM.

(s) *Ampliſſimus Ordo*, pro Senatu. v. Paratitlon, Symmachum, & *Gloſſ.* IDEM.

(t) *γρ. quod.* IDEM.

(v) *Deſcriptiones* ſunt functiones, & quidem Senatoriæ hic. Sic Senatoriæ deſcriptiones, & deſcriptio Glebalis: *l. 1. inf. de Decur. & ſilent. l. 15. 16. inf. de Medicis.* Scriptionis iniuria: *l. 11 inf. de proximis.* IDEM.

(x) *γρ.* compulſis literis, *etſi:* Quomodo etiam in MS. literæ cohærent: de huius *verſiculi* ſenſu mox. IDEM.

COMMENTARIVS.

DE IMMVNITATE a Glebali collatione, nulli officio, Perſonæ, Scholæ, Profeſſioni concedenda, (etſi a Prætura multi excuſentur) eſt hæc Theodoſii Iun. *lex* (cui coaſſanda venit *lex 22. infr. de Agentibus in rebus:*) Quæ quidem obſcura videri poſſit, pariter vt *lex 10. ſeu vlt. inf. de Medicis & Profeſſoribus*; quandoquidem contrarios illæ ſenſus priori huius *leg.* noſtræ ſententiæ affingunt. Dubium ſcilicet videtur his verbis, PRÆTER EOS, *&c.* num exceptio a regula contineatur, vt ita verba illa *præter eos* accipiamus pro *exceptis iis:* an vero incluſionis vim habeant & incluſiue ſtent, ſic vt negetur etiam hos qui hic deſignantur a Glebali functione immunes eſſe? Sane Theodoſius in *d. l. 22. de agentibus in reb.* incluſionis vim ea habere indicare videtur: nam cum hic inter alias perſonas & dignitates, quæ continentur ſub his verbis *præter eos*, &c. etiam Principes e ſchola Agentium in rebus deſignentur, *dicta l. 22.* hi Principes Agentium in rebus iubentur Ampliſſimi Ordinis adſcriptioni parere, ſeu Senatoriis functionibus: Vnde colligitur, verba P.27. illa, *præter eos*, incluſiue *hic* ſtare. Contra idem Theodoſius Iun. *d. l. vlt. de Medicis & Profeſſoribus*, qua huic *leg.* (quam *nouellam* legem vocat, vtpote ante quinque menſes latam) derogat, hæc verba *præter eos* exceptionis vim habere & excluſiue ſtare oſtendit, *Archiatri*, inquit, *a Glebali collatione ſpectabiles immunes ſint: non præiudicare eis Nouella lege, per quam iuſſimus*, EXCEPTIS *quibuſdam dignitatibus quæ illic nominatæ ſunt, Senatoria munera* OMNES *agnoſcere.* Et vero iſtud verum, & quidem etiam hoc argumento, quod eas dignitates quæ hac ſententia comprehenduntur, Theodoſius cum elogio memoret, quod vtique oſtendit, tribui eis ſingulare aliquid: ecce enim Notariorum *præclarum Collegium* vocat, eique collegio Notarios *Sacrari*; item Silentiariorum *prærogatiuam* vocat; & S. conſiſtorii Decurionum *militia muniri dicit.* Denique ait, qui e *ſchola Agentium in reb. expletis ſtipendiis ad Principatum*-ducenæ peruenerunt: Sed quid fiet, aut quomodo reſpondebimus ad *d. l. 22. de Agentibus in rebus?* Cum eo peruenerimus, ſcrupulum iſtum eximemus

Nunc ad rem. Immunitatem igitur a Glebali collatione nulli Officio, perſonæ, ſcholæ vel Profeſſioni datam vel conceſſam valere vult *hac l.* Theodoſius Iun. exceptis dignitatibus quæ hic memorantur, ſub variis ampliationibus, de quibus mox: Prius enim de Exceptis illis dignitatibus videndum eſt. Ergo, quatuor dignitates hic velut immunes a Glebali collatione, neque plures excipit Theodoſius Iun. expleta videl. militia: puta Notarios, Silentiarios, Decuriones, & Principes Ducenæ ex ſchola Agentium in rebus, de quibus omnibus, *ſuis titulis:* & quidem de Agentibus in reb. *l. 22. inf. de Agentib.* Quod & ipſum ab eodem Theodoſio Iun. cauetur de decurionibus, duabus Legibus, puta *l. 2.* & *l. vlt. inf. de decurionib. & ſilent. Præter hos* igitur, id eſt, his tantum exceptis, cæteros *Omnes* pro ſuis viribus Glebales functiones agnoſcere vult Theodoſius Iun. *hac l.* quam *huius leg.* ſententiam, vt dixi, expreſſit quoque idem conſtit. ſua *l. vlt. de Medicis & Profeſſoribus* (vbi exceptionem iam addit) Cæteros, inquam, omnes, etiam Togatos, id eſt, Ad-

uocatos io foro Præfecti Prætorio & Præfecti vrbis: cum alias Aduocati hi præ cæteris præcipuo aliquando iure fuerint: vt constat ex *l. vlt. sup. de postulando: l. 188. inf. de Decurionib. l. 5. Cod. Iust. de aduoc. diuers. Iudiciorum:* pariter vt alii qui sub Præfectis prætorio agebant, de quo dicam ad *l. 11. inf. de Numerariis.* Hinc scilicet Aduocatis P. Prætorio solis aliquando, non etiam alits Aduocatis, peculium castrense concessum fuit: arg. *d. l. vlt. inf. de postulando.* Hinc & varia priuilegia sese his tribuisse, testatur idem Theodosius Iun. *d. l. 5. Cod. Iust. de Aduoc. diu. Iudiciorum.* Hioc causidicina in foro Præfecti Prætorio Curialis eo ditio nexusque facilius euitata, vt docet eiusdem *lex 188. inf. de Decurionib.* Quæ & ipsa *προνόμια* ad Aduocatos Præfecti vrbis pertinuere, vel porrecta docet *d. l. 5.* & *d. l. 188.* vnde & *hic* quoque vtrique iunguntur, iureque sociantur. Et hi tamen ipsi *hac l.* ad communem modum reuocantur, Glebalique collationi subiiciuntur, si Senatores facti fuerint; Quo interea docemur, Aduocatis his Senatoriam dignitatem collatam, quod & ipsum inter *προνόμια* ipsorum ponendum est. Nulli igitur præter superius designatos a lustrali collatione excusantur: Quinimo & *Palatini* S. L. & R. P. in eodem censu haberentur Senatoria dignitate aucti, quibus alioquin magna priuilegia delata, de quo suo *tit. de Palatinis:* nisi hoc tempore, quod hæc lex testatur, adito Theodosio Imp. Senatoriæ dignitati renunciassent. Nempe hoc æuo multi ad euitanda onera Senatoria, Senatoriæ dignitati renunciabant: neque singulares tantum personæ, vt *l. 4. sup. h. t.* verum etiam Scholæ integræ, veluti Palatini S. L. & R. P. in *sp. huius leg.* pariter vt Principes Agentium in rebus *d. l. 22. de Agentibus in rebus,* qui tum erant, vicarianæ dignitati renunciarunt, vti pristina immunitate fruerentur, inter Consulares videlicet Adlectos. Pariter vt Palatini, quibus *h. l.* a Theodosio Iun. pristinæ immunitates seruantur, quæ Palatinis eorumque filiis & nepotibus a Constantino & Constantio tributæ fuerant: Quarum constitutionum nullum alibi vestigium occurrit, *vnica* tantum *l. 6. inf. de extraord. mun.* excepta, vbi Palatini extraordinariis & sordidis oneribus liberantur. Et hactenus quidem de Exceptionibus: dein de Regula ipsa qua omnes Senatores glebali collationi subiiciuntur.

Sequuntur nunc variæ istius vniuersalis Regulæ & quidem quinque *Ampliationes.* Nempe Theodosius Iun. in tantum generalem & communem eam collationem esse vult, vt immunitatem ab ea peremptoriis verbis *A quocumque* impetratam valere vetet: *a quocumque,* inquam, Officio, persona, schola, vel Professione: cui postremo tamen idem derogauit *d. l. 19. de Medicis* in fauorem Archiatrorum S. Palatii. Secundo, etsi *Adnotatione* speciali Principis hæc venia seu immunitas tributa fuerit: cum alioquin magna huiusmodi specialium adnotationum vis fuerit, de quo *sup. tit. de diuersis rescript.* Tertio in tantum etiam, vt allegatam Adnotationem (vt omnia Rescripta Principis in iudiciis allegari actisque insinuari mos erat, de quo ad *l. 2.* & *l. vlt. sup. d. t. de diuersis rescript.* & *tit. de denunciatione vel editione Rescripti*) & a Senatu ipso susceptam, denuo, cum Senatui libuerit, retractare permittat, Quod & ipsum singulare admodum est. Imo & quarto in tantum, vt retractata ita Rescripto, is qui immunitate aliquando potitus est, intermedii seu præteriti temporis glebam soluere cogatur. Quod rursum singulare est valde. Tandem in tantum id obtinere iubet, vt etsi nominatim Adnotatio interdicto non reuocandæ eius munita fuerit, id est, etsi Rescripto additum fuerit, *Nunquam reuocaretur,* id tamen adhuc retractari possit: hic enim sensus est *huius leg. infr.* Tot scilicet singularibus hanc sanctionem suam cumulauit Theodosius Iun. ne alioquin importunis precibus, paulatim concideret egregium ærarii subsidium: de quo *l. 2.* & *5. sup.*

P. 28 # DE PRÆDIIS SENATORVM.

TITVLVS III.

PARATITLON.

PRÆDIA Senatorum *Rubr. huius tit.* seu possessiones Senatoriæ *l. 1. h. t.* Fundi Senatorii *l. 2.* & *vlt. h. t.* functionibus præterea aliis (non modo glebali collatione, de qua *superiore titulo*) *l. 2.* & *3. h. t.* Seu conlationibus annuis, *l. 1. h. t.* tributis & canoni, *d. l. vlt.* tenebantur. Inter alia erat id quod Syriarchiæ [nomine] annua conlatione conferebatur: quæ tamen a Theodosio M. abolita *l. 1. h. t.* Porro functiones istæ vel collationes Senatoriæ exactæ olim modo per Curiales, *l. 2. 3. 4. h. t.* modo per Officia, *l. 4. h. t.* id est per Apparitores Rectorum prouinciarum *l. 2. h. t.* Variatum quippe ea in re Arcadio.

SYRIARCHIA *Senatoriis prædiis submouetur.*

I. (a) Imppp. THEOD. Arcad. & Honor. AAA. Aureliano P. V. (b)

SI quid Syriarchiæ (c) a Senatoriis possessionibus annua conlatione confertur, iubemus aboleri. Dat. III. Kal. Mart. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio CONSS. [393.]

NOTÆ.

(a) Quænam Leges huic coniungendæ sint, mox dicam. *GOTHOFREDVS*

(b) Nonnullæ *leges* huius anni, quæque *huic* coniungendæ sunt, habent *P. P.* veluti *lex 130. 131. 132. 138: de Decurionib.* Atenim aliæ, habent P. V. *lex 4. sup. de Senatorib. lex 11. & 12. de annonis Ciuicis: l. 29. & 30. de operib. publ. l. 26. de Prætoribus: lex vlt. Cod. Iust. de Tutoribus & Curatoribus Inlustrium.* certe hoc anno PP. Orientis (in quo Syria) erat Rufinus. Forte eodem exemplo ad vtrumque hæc lex scripta *ἰσοτύπως*: de quo more vid. quæ *in Prolegomenis,* & ad *l. 5. 3. h. t.* *IDEM.*

(c) Nomine scilicet. *IDEM.*

COM-

COMMENTARIVS.

Syriarchiæ quoque nomine aliquid, in Syria, annuatim ex Senatoriis possessionibus conferebatur: atque adeo hæc quoque inter alias Senatoria collatio & functio erat. Verum hanc collationem Theodosius M. hac constitutione aboleri iubet. Syriarchia & muneris, & sacerdotii, & ludorum nomen per Syriam, Orientis prouinciam, fuit. De vtroque Seldenus quoque post alios quædam delibauit in *marmora Arundeliana p. 163. 164. & obiter in Eutychium*. Et nos de eo videamus. De Syriarchiæ igitur munere agitur *l. 103. inf. de decurionibus:* & *l. 1. Cod. Iust. de naturalibus liberis:* & *l. vn. Cod. eod. de Officio Comitis Orientis & Nouell. Iustin. 89. c. vlt.* Igitur sciendum est, *Syriarchia*, & *Syriarchorum* nomen, fuisse nomen sacerdotii: atque adeo *Syriarchiam* sacerdotium prouinciæ Syriæ, *Syriarcham* vero sacerdotem istius prouinciæ: de quo omni sacerdotii genere consule Paratitlon *tituli inf. de paganis, sacrificiis, & templis*. A prouincia scilicet, cui præerant, sacerdotes, & sacerdotia ita cognominari solita. Hinc igitur Syriarchia, Phœniciarchia *d. l. 1. Cod. Iust. de naturalib. lib.* & *d. Nouella 89. Iust. c. vlt.* & similes *l. 6. §. 14. D. de excus. tut.* Ad eum modum *Asiarchi*, quorum in Actis quoque fit mentio *cap. 19. v. 31.* vid. & apud Eusebium, *lib. 4. Histor. Eccles. c. 15.* Sed & Papinianus meminit *l. 8. pr. D. de vacat. & excus. munerum:* & vocat *in Asia sacerdotium prouincia.* & Modestinus *l. 6. §. 14. D. de excusation. tut.* ἔθνους ἱερωσύνην veluti Ἀσίας, Βιθυνίας, Καππαδοκίας. Eademque ratio Cappadocarchiæ, Bithyniarchiæ, de quibus *d. l. 6. §. 14.* Lyciarchorum item apud Strabonem, *lib. 14.* His addi potest & *Alytarcha* vrbis Antiochenæ de quibus dicendi locus erit, *l. 12. inf. de iure fisci:* De his vero recte notatum, eos consessus & concilii totius prouinciæ Primates quoque fuisse, πρωτεύοντας κατὰ τὴν ἐπαρχίαν: vt docet Strabo, de Syriarchis agens, de quo alibi plenius. Cæterum eiusmodi sacerdotes ludis edendis præerant, & nominatim κυνηγεσίων, seu muneribus ferarum, vt ex *d. cap. 19. Actorum* constat, τινὲς δὲ καὶ τῶν Ἀσιαρχῶν παρεκάλουν μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον; & ex Eusebii *d. loco* καὶ ἠρώτων τὸν Ἀσιάρχην Φίλιππον, ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα: ὁ δὲ ἔφη μὴ εἶναι ἐξὸν αὐτῷ, ἐπειδὴ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια. *Et rogabant Philippum Asiarcham, vt leonem aduersus Polycarpum emitteret. At ille negauit id sibi licere, quippe qui amphitheatrale spectaculum iam edidisset.* Ideoque recte eo loco *Asiarcham* vertit Rufinus (quod Cuiacius iam monuit) *Munerarium lib. 4. Eccles. Histor. cap. 14.* Idemque de Lyciarchis testatur Straho, *lib. 14.* Et stetit munus istud etiam sub Christianis Impp. Vnde Alytarchiæ & Syriarchiæ munera in *l. vn. Cod. Iust. de officio Com. Orientis*, & *hac l. nostra*, Syriarchia simpliciter. Quare hi fuere Agonothetæ, quomodo vocantur *l. vlt. inf. de expensis ludorum*; *Exceptis*, inquit, *Alytarchis, Syriarchis, Agonothetis, itemque Asiarchis, quorum nomen votiua festiuitatis solemnitas dedicauit.* Eoque sensu Syriarchiæ munus, *d. l. 103. inf. de Decurionibus.*

Grauis porro est eorum error, qui aiunt, *Syriarchas*, Asiarchas, similesque, quæ olim prouinciarum
P. 29. sacerdotia dicebantur, Christianos quoque fuisse; imo, si Deo placet, iam ab antiquo D. Pauli temporibus. Primum enim, vt a postremo initium faciamus, idebne Asiarchæ illi, de quibus Actorum *c. 19. v. 31.* Christiani fuere, quia in tempore salutare consilium dedere? Imo dedere quoque illi, quia nempe Pauli amici erant, vt ibi dicitur, ὄντες αὐτῷ φίλοι, Paulumque in theatrum sese dare nollent, quod locus ille Christianorum ad supplicium depostulationibus opportunus esset, & turbulentus. Deinde, quis fundus vel auctor illis, Christianos quoque Syriarchas & similes fuisse, quod nuspiam lego? Verum, esto, fuerint, non ideo tamen isthæc cum Gentilibus seu Gentilitii ritus participatio seu communio fuisset. Hoc autem munus Agonotheticum per varios ambulauit; Curialibus quippe aliquando munus id impositum; vt constat ex *d. l. 103. & 109. de Decurion.* & *d. l. vn. Cod. Iust. de off. Com. Orientis.* Postea ad Iudices & Rectores prouinciarum id transiit *d. l. vlt. inf. de expensis lud.* & *d. l. vn. Cod. Iust. de officio Com. Orientis.* Qui & inde *Alytarchi, Syriarchi, Asiarchi, agonotheta d. l. vlt. de exp. ludorum.* Ad expensas autem huiusmodi ludorum collatio quædam facta ex possessionibus priuatorum: veluti Curialium, vt docet *d. l. vlt. inf. de exp. ludorum*, imo etiam Senatorum, vt hæc ostendit: verum collationem huiusmodi Senatorum possessionibus *hac l.* remittit Theodosius M. Quæ forte a Tatiano PP. Senatoribus indicta fuerat. Nam & ita *l. 131. inf. de decurionib.* quæ inter alias *huic* coassanda venit, aboletur noua adiectio ad calefaciendas Antiochiæ (quæ Syriæ Metropolis erat) Thermas a Tatiano facta: de quo *ad eam leg.* Quidquid huius sit, quod munus ipsum attinet, id voluntate propria quisque suscipiebat, non necessitare imposita, *l. 103. inf. de Decurionib.* & sic muneris istius indictio suscipiendique necessitas sublata *ea l.*

Ergo Syriarchia, Asiarchia, &c. munus fuit ludorum edendorum: Nam etsi verum sit, dignitatis quoque seu ἀρχῆς nomen fuisse, quod discimus ex *l. 8. D. de vacat. munerum:* & ex Strabone, *l. 14. p. 980. edit. Almeloveen.* vbi de Lyciarcha agens, exerte eos concilii totius prouinciæ primates fuisse testatur, ἐν τῷ συνεδρίῳ πρώτην ἀρχὴν τοῦ συστήματος, verum nihilo minus est, prouinciarum sacerdotia hæc fuisse, atque ita diserte vocari, ἔθνων ἱερωσύνας, *l. 6. §. 14. D. de excusat. tuter.* imo & in Constantini M. adhuc *l. 1. Cod. Iust. de natural. liber.* Quomodo & illo respectu non omnino male vetus Interpres Actorum, Ἀσιάρχας *Principes Asiæ* vertit: *principes*, inquam, id est (vt Aurelianensis Episcopi hæsitationi satisfiat *lib. 1. Obseruat. cap. 22. p. 161.*) principales prouinciarum: quomodo *principes ciuitatum* hoc æuo dicti, *principes officiorum:* item, *principes agentium in rebus*, & similes. Tria igitur circa hoc sacerdotii genus notanda sunt. Primo quidem *Nomen* ipsum, *Asiarcharum, Syriarcharum* & similium, nihil superstitionis præ se ferre, seu in nominis notatione nullam sacrorum vel cultus rationem expressam. Secundo, certum & illud, præcipuum eorum munus fuisse Munerum & ferarum editionem: vnde & (quæ vulgaris iam obseruatio est) Rufinus *lib. 4. cap. 14.* Asiarcham *munerarium* recte vertit. Postremo, persuasissimum mihi, eos hoc tempore, sub Christianis inquam Principibus, nihil aliud fuisse, quam meros ferarum munerumque editores, & Agonothetas, quomodo etiam vocantur *l. 109. inf. de Decurionibus:* Sic quidem etiam, vt Theodosius M. munus id voluntarium esse voluerit, ad quod scilicet nemo cogi posset, *l. 103. & d. l. 109. de Decur.* cuius alioquin Theodosianæ constitutionis meminit quoque Libanius, Orator Antiochenus, duobus locis: puta, *Oratione περὶ ἀγγαρειῶν, pag. 36. edit. Gothof.* & *Oratione in Tisamenen. pag. 447. edit. Merell.* Et certe, cum post dictam *legem 1. Cod. Iust. de naturalibus liberis*, variis locis eorum mentio fiat, & nominatim Syriarcharum & Syriarchiæ hac l. & *d. l. 103. de Decurion. l. vlt. de expensis ludorum*, vt & Codice Iustinianeo *l. vn. de officio Com. Orient.* & *Nouella Iustin. 89. c. vlt.* nullibi tamen vllum, vel minimum, superstitionis Gentilitiæ in hoc munere, non magis quam in nomine, vestigium apparet: sed *Agono-*

thesia tantum, vt dixi, nomine designantur: itemque horum nomen votiua festiuitatis solemnitas dedicasse dicitur *d. l. vlt. de expensis ludor.* ludique & munera Syriarchiæ & Alytarchiæ appellantur *d. l. vn. Cod. Iust. de off. Com. Orient.* Ac proinde sæculare hoc iam prorsus munus extitit, ab omni superstitione vacuum, vt nomine iam olim, ita & nunc quoque re ipsa; quod scilicet sumptum tantum exigeret, atque inter patrimonialia munera censebatur. Quare etiam; non Syriarchiæ tantum nomine aliquid a Senatoribus & Curialium possessionibus aliquando collatum, *hac l. d. l. vlt. de expensis ludor.* sed & munus istud, quod Curialibus initio impositum, *d. l. 103. 109. inf. de Decurionib. & d. l. vn. Cod. Iust. de off. Com. Orient.* ad Iudices & Rectores prouinciarum transiit: *d. l. vlt. de exp. lud. & d. l. vn. de offic. Com. Orient.* Igitur nulla iam communio huic muneri cum sacris Gentilium, verum festiuitatibus tantum publicis dicatum erat: vt pleraque etiam spectacula, quæ prima sui origine sacrorum causa, in Deorum honorem sacrilego ritu instituta fuerant, hoc tempore superstitione omni, superstitiosoque fine sublato, voluptatibus tantum publicis ludicrisque artibus seruiebant, quarum hæc ætas cupidissima erat, & Antiochiæ quidem, quæ Syriæ caput fuit, vbi Syriarchæ isti fuere, & Syriarchia exhibita. Et post omnia, si quis pertinaciter contendat, hoc adhuc æuo huic muneri superstitionis aliquid & *adsacrificii* adhæsisse, quod nuspiam apparet, tum aio, Christianos id sub Theodosio M. obire non potuisse: cum iam supra viderimus, eundem Principem ab Archierosyna, seu Templorum & solemnium Gentilitiorum cura Christianos submouisse: inter quæ sane *solemnia Templorum* fuere & festiuitates ludique, quibus superstitionis aliquid adhæreret.

Illud tandem monendum, huic *legi* varias admodum leges coassandas: puta *leg. 3. sup. de Constitution. Principum: l. 26. inf. de Prætoribus. l. 130. 131. inf. de decur. l. 29. 30. de operib. publicis:* Imo *l. 132. de decurionib. l. 11. de annonis ciuicis*, emendata subscriptione: sunt enim hæ leges omnes vnius eiusdemque Theodosianæ constitutionis partes: qua Senatorium Ordinem erectum iuit, vt patet *ex h. l. & d. l. 130. 132. de decurionib. & l. 26. de Prætoribus:* Ciuitatumque Curiis, ornatui & Annonæ consuluit: vt ex cæteris videre est, abrogatis nominatim nonnullis quæ Tatianus PP. perperam inuexerat.

Quinimo notandum: hanc *leg.* aliasque quæ illi coassandæ, datas ad *Aurelianum* P. V. vel P. P. pariter vt *l. 4. sup. de Senatorib. & glebali collat. l. 130. 132. 138. inf. de decurionib. & d. l. 26. de Prætoribus:* nempe hic ille est Aurelianus ter Præfectus, semel vrbi, iterum Prætorio, sub Theodosio M. Arcadio & Theodosio Iun. qui Senatum erectum iuit, de quo extat Epigramma incerti Auctoris: de quo v. plene quæ dixi ad *d. l. 4.*

P. 30.

II. (a) Impp. ARCAD. & Honor. AA. Cæsario PP.

SENATORIÆ functionis Curiæque sit nulla coniunctio: & ne lædendi Curialibus præbeatur occasio, per Apparitores Rectorum prouinciæ de Senatorum fundis fisco postulentur: (b) habeatque hanc disponendi curam, cui Defendendi Senatus sollicitudo mandata est. Si Curia sibi Censitorem (c) vel Peræquatorem voluerit postulare, sibi postulet, non Senatui. Dat. Prid. Id. Aug. Constantinop. Arcad. IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTAE.

(a) Hæc & *sequens lex* de eadem prorsus re sunt, eodemque die datæ: sed ad diuersos tantum Magistratus: Cuius moris exempla plura in *Prolegomenis* notabo. Vtriusque legis meminit *lex vlt. inf.* quæ etiam vtramque confirmat, vnico capite excepto. *GOTHOFREDVS.*

(b) *γρ. postuletur*, senatoria scilicet functio. *IDEM.*

(c) Vide infra *Tit. de Censitoribus, Peræquatoribus lib. 13. Tit. 11.* v. & *l. 1. inf. de Primicerio & Notariis:* & *l. 13. sup. de Senatoribus.* *IDEM.*

III. Iidem AA. Africano PV.

A Curialibus terris, Senatoria gleua (a) discreta sit, nec vlla fiat in possidendo (b) Clarissimarum (c) domorum Curialiumque coniunctio; nec vllo exactionis genere vinciantur: idque curent hii qui per ciuitates Defensorum Senatus officium susceperint, quorum periculo teneatur, si quid dispositum fuerit in dispendium Senatorum. Sin vero Curiales Censitorem vel Peræquatorem suis terris voluerint postulare, ab eorum petitione sit Senatus alienus. Dat. Prid. Id. Aug. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTAE.

(a) Id est possessio: neque enim eo sensu *hic* accipiendum quo *titulo superiore.* *GOTHOFREDVS.*

(b) An in *deponendo*, vt hac eadem *lege* mox *si quid dispositum*, & *l. superiore, hanc disponendi curam:* an vero *in possidendo?* id est, circa possessiones? Omnino. *IDEM.*

(c) *Clarissimarum domorum*, id est, Senatoriarum: v. Paratitlon, *supra de Senatorib. & Glossar.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DISCRETA a Curialibus prædiis, Senatoria prædia prorsus, nihilque illis commune, nulla coniunctio, nullum commercium esse debet: Nam etsi Curiæ Senatus quoddam simulacrum sint, & effigies

effigies paruæ (vt de coloniis loquitur Gellius *lib. 16. cap. 13.*) & institutæ *κατὰ τῆς βασιλευούσης πόλεως μιμητα*, vt ait Iustin. *Nouella 38. pr.* atque adeo ipsum Senatus nomen adsciscerent, Ausonius, *in Mosella. Edyl. X. v. 401.*

- - - - - - Quæ Curia summos
Municipum vidit proceres, propriumque Senatum.

Et multa forent in quibus Curiales cum Senatoribus quodammodo componerentur, & Ordines Ciuitatum amplissimum ordinem imitarentur, denique Curia minor Senatus esset: quod Maiorianus dixit, & ex eo non vno loco Cassiodorus, tamen in plerisque aliis toto cœlo discrepabant; ac nominatim in functionibus seu collationibus possessionum suarum nomine: Breuiter, possessiones Curialium & Senatorum nil commune prorsus habebant, neque exactione, neque censu. Non *exactione:* scilicet his duabus legibus prohibentur Curiales exigere canonem, i. e. functiones seu collationes de Senatoriis possessionibus seu fundis: ne Senatores lædendi Curialibus præberetur occasio, ait *lex 2.* Nam quod a Saluiano paulo post hæc tempora eleganter & vere dictum est, *l. 5. de Gubern. Dei n. 147. ed. Bremens.* quot Curiales, tot tyranni erant: *Quæ enim sunt, non modo vrbes, sed etiam municipia atque vici, vbi non quot Curiales fuerint, tot Tyranni sunt?* & mox: *Quis ergo vt dixi locus est, vbi non a Principalibus ciuitatum, viduarum & pupillorum viscera deuorentur, & cum his ferme omnium sanctorum?* & post: *Nemo itaque horum tutus est, nec vlli admodum præter summos a vastatione latrocinii populantis immunes.* Senatoriarum proinde functionum exactionem Apparitoribus Rectoris prouinciæ Arcadius committi voluit, *l. 2. & 3.* Quod tamen sequente mox Consulatu *l. 4. inf.* ad Eutychianum Cæsarii, cui *lex 2. h. tit.* inscribitur, in Præfectura Prætorii, successorem, recantauit, cum videret Officiales haud satis efficaces ad eam exactionem: eoque Curialibus eam rursum commisit: in ceteris alioquin his duabus legibus confirmatis. Et hæc de Exactione. Sed neque *Censu* possessiones Curiales & Senatoriæ componi debent: Quare si Censitorem vel Peræquatorem de quibus *inf. lib. 13. vlt.* Curiales sibi suisque terris postulent, & impetrent ad subleuandum & retractandum censum, vel ad adiectionem seu *ἐπιβολῆς* faciendam (de quo iam dictum aliquid *l. 13. sup. de Senatoribus:*) ad Senatorum possessiones id nil pertinet. Tandem constituitur, vt Defensores Senatus, huiusce rei curam gerant periculo suo: scilicet hæ leges ostendunt, vt suos habuit Curia, plebsque, Defensores (de quibus *suo tit.* dictum *sup. de defensorib. Ciuitatum*) vt Ecclesiæ suos: de quibus *l. 3. 8. inf. de Episcopis:* & *can. 97. Cod. Africani Tom. I. Concil. Harduin. p. 922.* Possidius in *vit. S. August.* & pauperes suos, de quibus *canon. 75. Concil. Africani Tom. I. Concil. p. 903.* ita etiam Senatores suum habuisse defensorem, cui defendendi Senatus P. n. sollicitudo mandata erat, per singulas Ciuitates. Horum certe Defensorum, nulla quod sciam alibi, præterquam his duabus *legibus* mentio extat. Nisi quod ad eosdem pertinere videri possit omnino *lex 7. inf. de operibus publicis.*

Exactio *glebæ Senatoris, &c. Curialibus redditur.*

IV. (a) Iidem AA. Eutychiano (b) PP.

Docvit Tua Sublimitas, *Exactionem tributorum Senatus non posse concurrere,* (c) *adeo vt in nonnullis prouinciis Senatorii canonis* (d) *medietas in debitis* (e) *resideret;* (f) Atque ideo, ceteris in prioris Legis * serie permanentibus, id solum corrigi atque emendari iubemus, vt Senatorii fundi, non per Officia, (g) sed per Curiales potius exigantur, ad eosque iterum sollicitudo recurrat. Dat. Prid. Non. Septemb. Ancyra, (h) Cæsario & Attico Conss. [397.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic est famosa *lex 3 inf. ad Leg. Cornel. de sicariis:* seu *l. 5.* Cod. Iust. *ad Leg. Iul. Maiestatis.* *GOTHOFREDVS.*

(b) De hoc *Eutychiano* P.P. dixi *in Prosop.* & ad *d. l. 3.* *IDEM.*

(c) *Concurrere* exactio tributorum dicitur, quæ respondet breuibus tributorum seu canonis, neque quidquam in reliquis residet: vel simpliciter, pro *currere.* *IDEM.*

(d) *Canon* est functio, collatio, solemnis, annua. *IDEM.*

(e) *Debita,* sunt reliqua tributa: hinc *de indulgentiis debitorum* titulus: dixi plene ad *l. 6. de diuers. rescriptis.* *IDEM.*

(f) *γρ. resederit.* *Residere* in debitis, est in reliquis manere, *demeurer en restans.* *IDEM.*

* Intelligit *legem 3. sup.* ac maxime *legem 2.* quæ Cæsario Eutychiani PP. decessori inscripta. *IDEM.*

(g) *Officia,* id est Apparitores Rectoris prouinciæ, vt vocantur *d. l. 2. sup.* vid. *Gloss.* & *tit. de diu. officiis.* *IDEM.*

(h) *Ancyra* data hæc *lex* ab Arcadio, vbi is non semel etiam constitit: de quo dixi *ad d. l. Quisquis*, seu *5. Cod. Iust. ad L. Iul. Maiest.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Exactio Senatorii canonis seu Glebalis collationis, &c. Curialibus adempta, inque Officiales translata, *l. 2. & 3. sup.* iisdem redditur *hac l.* ab eodem Arcadio: quæ quidem *lex* (quod notandum) data est ad Eutychianum PP. Cæsarii, cui *d. lex 2.* inscribitur, successorem, Veteri iure reducto: Ceteris interim, quæ *illa l.* comprehensa fuerant, capitulis confirmatis. Non efficaces scilicet satis eam ad rem visi Officiales, adeo quidem vt media tum pars Senatorii Canonis in debitis seu reliquis resedisset, neque exacta fuisset: Quare hac causa ad veterem modum reditum, efficacioresque denuo ad hanc rem visi Arcadio Curiales. Cæterum, quia hæc *lex* coniungenda est cum famosa *l. Quisquis*, in eius gratiam, & ad maiorem eius lucem, hanc illustrare paulo prolixius iuuat, quod iam etiam fecimus peculiari *ad eam l. Diatriba.* Repetendum initio nobis est, collationem Glebalem Senatoribus & Senatoriis fundis olim incubuisse, seu ex Senatoriis fundis canonem aliquem publice collectum, de qua plene supra, *titulo de Senatoribus & glebali collat.* & Symmachus, *libro 10. epist. 21.* vt & Zosimus

lib. 2. cap. 38. de qua hoc ipso anoo est altera quoque Arcadii constitutio, puta *lex 8. eod. tit. de Senatorib. & glebali collat.* Hic scilicet nouus fisco locupletando, seu ærarii peteonis emolumento, sinus adinuentus olim fuit, quod & magnus Senatorum tum numerus esset: iique opimos quosque maxime fundos per prouiocias ad se traxissent. Huic igitur Senatoriæ functioni seu Glebali collationi exigendæ olim Curiales (qui & ipsi βελευταὶ seu Senatores quidam municipiorum fuere, & Curia minor Senatos.) præpositi erant; verum id eis ademptum fuerat ab Arcadio anno superiote CCCXCVI. *l. 2.* (quæ data est ad Cæsarium PP. Orient s, Eutychiani in ea Præfectura decessorem) & *l. 3. eod. tit. de præd. Senatorum*, translata videlicet ea exactione in Officiales Rectorum prouinciarum: Nempe, ne Curialibus Senatores lædendi seu superexigendi occasio præberetur; vt alioquin Curiales, (& in his Principales) superexactionis crimine laborabant. & tyrannidem quandam exercebant, de quo fidem faciunt variæ coostitutiones, & Saluiani quoque Massiliensis locus insignis *lib. 5. de Gubern. Dei*, quem *vid. in Comment. leg. antecedent.* Verum mox idem Arcadius, cum ab Eutychiano PP. edoctus fuisset, id in perniciem publicam cessisse (nempe, quod Officiales Rectorum prouinciarum, quibus Senatorii canonis exactionem nuper indixerat, haud satis efficaces io exactione fuisseot, sic quidem vt in nonnullis prouiociis Senatorii canonis dimidia pars in debitis seu reliquis resideret, seu adhuc deberetur) Arcadio id nunc reuocare seu *corrigere* visum, impacto rursum Curialibus hoc exactionis onere: *Cæteris* tamen, addit, *in prioris Legis serie remanentibus*, id est salua in cæteris Senatoria dignitate, ac nominatim ne commixtione Senatorum & Curialium, Senatoria dignitas Curialium vilitate vilesceret: Huius rei cura speciali per ciuitates *Defensori Senatus* delegata. Quod singulare admodum est. Quomodo scilicet, miseræ plebi a potentiorum & Curialium iniuriis vindicandæ per ciuitates Defeosores hac tempestate constituti eraot, ita & per ciuitates & prouincias defendendi Senatus cura nonnullis mandata erat: defendendi, inquam, ioter alia, ab impotentia & vilitate Curialium; de quo ad *legem superiorem*.

Hæc perspicua est *huius legis* senteotia. Quæ si iam *legi 3. ad leg. Corn. de Sicar.* coalsetur, cumque ea componatur: ex iis coniunctis, hæc conficientur. Primo, Arcadium de Senatoribus integra illa constitutione sua, vnde vtraque lex desumpta est, egisse. Secundo, Legem *3. dict.* exinde desumptam, accipiendam quoque de Senatoribus per prouincias constitutis. Tertio, varias aduersus Senatores querelas ad Arcadium hac tempestate perlatas: quæ fisci partim rationes spectarent. quibus mederi voluit *hac l.* partim vero cum mederi nullet, vel certe mederi haud adeo posset, factionibus; quibus *d. l. 3.* occurritur, occasionem præbuerint. Quarto, vt Senatoriæ dignitati *hac leg.* ita & securitati *d. l. 3.* prospectum iuisse Arcadium. Quinto, ex *hac* quoque *Lege* conficitur. constitutionem totam esse rescriptum ad *Relationem* Eutychiaoi PP. qui Arcadium super noonullis docuerit: *Docuit*, inquit *hac lex*, *Tua sublimitas:* Relationem, inquam, de casibus aliquam multis singularibus, quod colligere est ex illis verbis, *Post legem duntaxat latam:* cuius occasione, generale hoc Edictum Arcadius emiserit. Quare, quod alias idem Arcadius ad eundem Eutychianum PP. anno proximo CCCXCVIII. scripsit, *l. 9. sup. de diu. rescriptis. Rescripta ad Consultationem emissa, vel emittenda, his tantum negotiis opitulari, quibus effusa docebuntur* (cui quoque oon absimile fuit olim Macrini Imper. institutum, quod memorat Capitolinus *c. 13.* concordat & *lex 2. & 3. Cod. Iust. de Legib.*) id huc non pertinet; vbi iam Generalis Legis, & sic Edicti formula occurrit: *Quisquis*, inquit, *dict. lex 3. ad leg. Corn. de Sicar.* etsi Relatio *Legi* occasionem præbuerit. Et sic ad similes casus producenda venit. P. 32.

DE PRÆTORIBVS ET QVÆSTORIBVS.*

TITVLVS IV.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. II. *De Prætoribus & de honore Præturæ, & collatione, & Gleba, & Folli, & septem solidorum functione sublata.*

* Dicam *ad l. 1. h. t.*

PARATITLON.

PRÆTORES de quibus & *l. 58. inf. de Decurion.* quoque e Senstorio ordine eligebantur: *Prætura* scilicet, *l. 13 inf. de proximis Comitib. dispos.* Præturæ munus *Nouell. Theod. 8.* Senatorium quoque onus erat: quæ & *Prætorianum nomen* vocatur, *l. vlt. inf. de Decurionibus & silentiariis:* proprium decus Senatus, (*l. 34. inf de Decur.*) Destinatum ferme Editioni, *l. 6, 11. 13. 14. 15. 18. 19. 20. 21. 22. 25. 29 32. h. t.* seu editioni muneris; *l. 1. h. t.* editionis necessitati populique voluptatibus: *l. 13 h. t.* festiuitatibus, *l. 30 h. t.* id est ludis Circensibus, & scenicis exhibendis. *l. 2 4. h. t.* Theatralibus & Circensibus ludis, *l. vlt. h. t.* theatrali depensioni faciendæ, *l. 29. h. t.* scænicis Populo voluptatibus præbendis, *d. l. 29.* muneris ratione, *l. 4. h. t.* Hinc Prætores, *editores* dicuntur, *l. 5. 7. 31. h. t.* Editores munerum siue ludorum, *l. 18. h. t.* Et hæc omnis, cura P. V. vt probant inscriptiones, *l. 1. 2. 7. 17. 18. 20. 21. 26.* & *l. vlt. h. t.* [& Symmachus *lib. 10. Epist. 36.*] Porro quæ de his hoc *titulo*, & *Codice* constituuntur, ad sex sequentia capita commode referri possunt.

I. Primum est, de DESIGNATIONE Prætorum. *Designabantur Prætores l. 10. 12. 13. 14. 15. 21. 31.*

l.31.b.t. [vnde designatio hoc sensu *l. 7. sup. de Senatoribus*, & *l.31. de Prætoribus*, & apud Symmachum *lib. 10. Ep.59.*] eligebantur, *l. 14. 15. 31. h. t.* certo ordine *d. l. 31.* nominabantur Prætores, *Nou. Theod 8.* non a Iudicibus, *l. 8. h. t.* verum Senatus arbitrio, *l. 8. 9. 10. 12 13. 14. 15. h. t.* ab amplissimo Ordine, Symmachus, *d. ep. 59.* Amplissimi cœtus sententia, *d. Nouell. Theod. 8.* solemniter, *l. 13. h. t.* Senatusconsulto legitime celebrato, *l. 12. h. t.* legitimo Senatusconsulto, *l. 13. b t.* certo numero Senatorum, procerum, *l. 9. 12. h. t.* & eorum tantum qui aliquibus editionibus functi essent, *l. 14. h. t.* qui ipsi præturæ insignia honoresque ante susceperant, *l. 12. h. t.* latis per Ordinem sententiis, *d. l. 12.* [sic vt potior numerus in eligendo prævaleret, *l. 14. h. t.*] certis diebus *d. l. 10. h. t.* per annos singulos, *l. 21. h. t.* vid. & *l. vlt.* [quod ipsum & in subrogationibus obseruatum, *l. 12.* & *l. 21. h. t.*] Ante decennium cuiuslibet editionis, id est, ante quam Præturas ipsas & editionem sortirentur, *l. 13. l 21. 22. h. t.* etiam Proconsulari ac vicariæ Præfecturæ præditi potestate, *l. 15. h. t.* nec Principis rescripto designatus quis solui poterat, *l. 31. h. t.*

Excipiebantur tamen quidam, qui ad editionum onera deuocari non poterant, *l. 11. h. t.* a quibus editionis ordo peti non debebat, *l. 23. h. t.* ad editionem vel nominationem Præturæ non pertinebant, a Præturæ munere alieni erant, *l. 28. h. t.* Primo, Magistratibus in vrbe Roma perfuncti, *d. l. 11.* Secundo, Consulares ac Prætorios Codicillos suo merito ac Principis beneficio consequuti, *l. 10.* & *23. h. t.* Tertio, qui Ducatum, seu grauissimam armatæ militiæ sollicitudinem longa temporum serie pertulerant, *l. 28. h. t.* & *l. 13. inf. de proxim. Comitib. disp.* Quarto, qui in Palatio militarunt, Senatoresque facti sunt, *l. 8. sup. de Senatoribus:* & Sacri consistorii Principis arcanis interesse qui meruerant, *d. l. 28.* Quinto P.33 Decuriones & Silentiarii, qui post aptatam quietem inter Senatores cœperunt numerari, *l. vlt. inf. de Decurionib. & Silentiar.* Sexto, functi, aut inter functoa meritis suffragantibus a Principe allecti, *l. 10. h. t.* Septimo, Domesticorum & protectorum Primicerii & Decemprimi, *l. 7. 8. 9. inf. de domesticis & protectoribus.* Octauo, Sacrorum scriniorum proximi etiam deposita militia, *l. 13. inf. de proximis.* Hi qui immunes erant dicebantur *Adlecti* & Immunes, *l. 1. inf. de Decurionib. & Silentiariis.* Vnde allectio, *l. 7. inf. de Domesticis*, & Adlectionis honor, *l. 10. h. t.*

II. Postquam designatio facta fuisset, *Nominotio celebrabatur*, id est, publicabatur, *l. 22. h t.* in scientiam Principis eorum nomina deferri debebant, *l. 21. h. t.* Conuentio fiebat *d. l. 21.* denunciatio, *leg. ead.* Notitia, *l. 27. h. t.* Ideo designati ipsi intra quinque menses commonebantur, *l. 22. h. t.* conueniebantur, ab officio P. V. *l. 21. h. t.* [id est, Censualibus, *l. 27. h. t.*] qui intra septem menses allegationes seu defensiones suas coram P. V. ventilandas proponere debebant, *l. 22. h. t.* Ad officia, ex hac denunciatione, *l. 21. h. t.* pro notitia, *l. 27. h. t.* munus aliquod, *d. l. 27.* quæstus aliquis perueniebat, *d. l. 21.* At si remorarentur designati, ad inquirendos eos Officium Prouinciale operam præstabat: dum & ipse Princeps Inquisitores indicesque mittebat, *d. l. 21.*

III. *Numerus & Nomina* Prætorum editorum varia fuere. Maximarum editionum Prætores aliquos fuisse docet *l 19. h. t.* & inter Prætores alios primos, *l. 26. h. t.* seu loco primo extitisse, *l. vlt. h. t.* alios secundo, alios tertio: *d. l. vlt.* Primum enim tres nonnisi Præturæ fuere hoc ordine; Prima Flauialis: Secunda, Constantiniana: Tertia Triumphalis; *l. 5. h. t.* Postea quinque Prætores designati editionem celebrare consueuere, in quibus Prima erat Constantiniana, Tertia Flauialis, *l. 13. h. t.* Tum quatuor *l. 20. h. t.* Tum octo 1. Constantiniani, 2. Constantiani, 3. Theodosiani, 4. Arcadiani, 5. Triumphales, 6. Augustales, 7. Romani, 8. Laureati, *l. 25. h. t.*

At non omnes editionis necessitati & voluptatibus populi se dabant, *l. 13. h. t.* sed quidam argentum inferebant vrbis Constantinopoleos fabricis, *d. l. 13.* & quidem Aquæductus Theodosiani Fabricæ, *l. 29. 30. h. t.* Aliquando qui primo fuerant editioni attributi, aliis immutabantur, *l. 32. h. t.* Tenendum & Prætorios alios vere fuisse, alios allectione præturas accepisse, V. *l. 10.* & Capitolinum, *in Pertinace. c. 6.*

IV. Vt nomina & gradus Prætorum varii, ita & *Erogationis sumptusque* & expensionum modus varie præstitutus erat: *l. 3. 5. 13. 21. 24. 25. 30.* & *l. vlt. h. t.* Ideo prætores, ante Decennium legitimo Senatusconsulto designati, rursus editionem, id est, editionis modum, præturasque ipsas Senatus arbitrio sortiebantur, *l. 13. h. t. vers. in potestate*, denominabantur: hinc eo sensu nominatus, *l. 1. 17. h. t.* nominatio, *l. 8. h. t.* & denominatio, *l. 13. h. t.* nominandi, *l. 26. h. t.* Amplissimi cœtus sententia præturæ muneri mancipabantur obnoxii, *d. Nou. Theod. 8. in f.* Denominatio in Iudicum potestate non erat, *l. 8.* & *22. h. t.* vt nec in Censualium potestate, *d. l. 13.* verum Censualibus ea sollicitudo postea reddita, *lege 26. h. t.*

V. Cæterum nominati, & vt dixi, conuenti, si in Prouinciis degerent, ad vrbem Romam venire debebant, cum id ludorum editio posceret, *l. 4. h. t.* Alioquin si absentes essent, *l. 1.* & *6. h. t.* si præsentes esse negligerent, *l. 7. h. t.* si copiam sui non facerent, *l. 2. h. t.* si conuenti venire negligerent, *l. 13. h. t.* Si abesse vellent, *l. 18. h. t.* tempore præstituto, *l. 7. h. t.* cum editio muneris celebratur, *l. 1. h. t.* tempore editionis, *l. 6. 28. h. t.* tempore ineundi Magistratus, id est, Kalend. Ianuariis, *l. 20. h. t.* his pœnis subiacebant. Neque enim erogationem tantum debitam fiscus pro iis expendebat, post aduentum eorum cuncta quæ prorogata fuerunt ipsi soluturi, *l. 6. h. t.* statutum editioni pretium exsoluturi, *l. 20. h. t.* sed & certo

genere

genere multationis obiecti erant, *l. 2. h. t.* Nam & condemnationis frumentariæ nexibus tenebantur, *l. 1. h. t.* certa tritici quantitate condemnabantur, *l. 18. h. t.* pro gradu dignitatis, *d. l. 18.* quidam, quinquagena millia modiorum tritici vrbis Romæ horreis inferre compellebantur, *l. 7. h. t.* Postea dimidium extrinsecus pretii statuti coacti fuerunt exoluere, *l. 13. vers. ita vt si:* & *l. 20. h. t.*

Excipiebantur tantum ab huius multæ nexibus, Primo Minores 16. annis, *l. 1. h. t.* [Minores 20. annis postea, *l. 2. h. t.*] Secundo, quibus liberum commeatum Princeps concessisset, *l. 18. h. t.* Tertio, qui ætate vel ægritudine retardarentur, *l. 13. h. t.* Hi sane per Procuratorem argenti pondus quod statutum erat ad Officium P. V. mittere debebant, *d. l. 13.* ad Censuales qui absentium nomine munera exhibebant, quod Symmachus *l. 4. ep. 8.* & *lib. 10. ep. 36* testatur, vel opera extruebant, *d. l. 13.*

Illud etiam notandum, Prætore nominato diem functo, eius nomine hæredes Præturam edere oportuisse: quæ ideo *Choronaria* dicta *l. 17. h. tit.* vid. & *l. 12. inf. de Medicis & Professor.*

Illud Paratitli quoque vice *hic sub finem* adnotare iuuat, huiusce quoque Præturæ seu
P. 34. Prætoriani muneris & editionis meminisse Vopiscum *in f. Carini.* Am. Marcellinum *lib. 27. c. 3.* Symmachum *variis locis*, Zosimum *lib. 2. cap. 38.* Olympiodorum *apud Photium*, Theodosium Iun. *Nouella ne decurio ad Senatoriam. 8.* Sed & Quæsturæ idem Symmachus meminit *variis locis.* Tandem non vna *lex* occurrit *tit. de Decurion. infr.* vbi de Decurionibus ad Præturam nominatis, vel Prætura functis.

Postremum, neque id omittendum Prætores & Quæstores ad dispositionem & curam Præfecti vrbis spectasse: quod docet *lex 1. 2. 7. 13 17. 18. 20 21. 22. 29. 33. hoc titulo.*

MINORIBVS *sedecim annis Quæstoribus etiam nominatis, editionis tempore* ABSENTIBVS MVLTA *frumentaria remittitur.*

I. (a) Imp. Constantinus (b) A. Æliano PV. (c)

RELIGIOSIS (d) vocibus Senatus Amplissimi persuasi, decernimus, vt Quæstores (e) ea prærogatiua (f) vtantur, qua Consules (g) & Prætores, ita vt si quis intra annum sextum decimum (h) nominatus, fuerit absens, (i) cum editio Muneris (k) celebratur, condemnationis (l) frumentariæ (m) nexibus minime teneatur, quoniam memoratæ ætati placet hoc priuilegium suffragari. Dat. VII. Id. Mart. Sirmio, Constantino A. VI. & Constantio (n) C. CONSS. [320.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a Cod. Iust. vt & reliquæ *huius tituli*, quod hic semel monuisse sufficit propter Præturam accisam, mox & sublatam *l. 2. Cod. Iust. de off. Pratorum* & *lib. 12. Tit. 2. Cod. eod. de Pratoribus & honore Pratura.* Vnica tantum *l. 16. inf.* excepta, quæ constituit *Legem 1. Cod. eod. de offic. Pratorum*: eo quod ea de Prætorum Iurisdictione est, non de Præturæ ludis. *GOTHOFREDVS.*

(b) De *Constantino* hoc mox in *Commentario*, *IDEM.*

(c) *Æliani P. V.* hoc anno 320. non meminit Auctor Notitiæ Præfectorum vrbi: Imo nominat Valerium Maximum, quod comprobant etiam aliæ huius Codicis constitutiones: Sed & hoc ipso anno Ælianum non P. V. sed Proc. Africæ præfert *lex 1. inf. de famosis libellis*: & *lex 1. quorum appellationes.* Forte rescribendum hic, *Iuliano.* quod si est, tum hæc *Lex* referenda fuerit ad Constantinum A. VIII. & Constantinum C. IV. coss. id est ad A. D. 329. quo anno vsque ad VII. Id. Sept. Iulianus P. V. fuit, vt testatur idem Auctor: quod non puto. *IDEM.*

(d) *Religiosus* Senatus ipse. *IDEM.*

(d) De *Quæstoribus*, & *Quæstoriis* editionib. *hoc titulo* tribus tantum locis agitur, *Rubr. hac l. 1. & l. 27. inf.* ac præterea *l. 5. . inf. de Decurionibus.* *IDEM.*

(f) Immunitate, vel potius impunitate. *IDEM.*

(g) De *Consularibus* editionibus mox. *IDEM.*

(h) Vicesimum, *l. 2. prox.* *IDEM.*

(i) Veluti in Africa: in qua Editores latitare soliti, *l. 2. inf.* Symmachus, *lib. 10. ep. 4.* *IDEM.*

(k) De Munere ad *l. 4. inf.* *IDEM.*

(l) *Condemnatio*, pro multa: vid. *Gloss.* *IDEM.*

(m) De hac multa frumentaria agitur etiam *l. 2. 7. 18. infra.* *IDEM.*

(n) *γρ.* Constantino. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. duæ de Prætura & Quæstura *hoc titulo* constitutiones, primo loco occurrunt: In vniuersum vero colligamus, quid Constantinus M. circa Præturam & Quæsturam, imo & Consulatum constituerit. Duo igitur hæc capita Constantinianeæ constitutionis notentur: Primum caput fuit *de Absentibus* editionis tempore; His vero multam frumentariam imposuit, & diuersam tamen, pro dignitatis gradu: excepit etiam ab ea minores, vt hæc eius constitutio & altera *lex 2.* ostendit, ostendunt & *lex 3. 18. inf. h. t.* Alterum caput fuit, de *Mortuis* editoribus, ante editionem seu ludos

dos editos: an & quando hæredes defuncti nomine teneerentur, de quo fidem facit *lex 17. h. t.* Adde his, & quæ de Constantiniana Prætura dicuntur. *l. 5. 13. 25. h. t.* Zosimus certe *lib. 2. cap. 38.* Coostaotinum eo nomine perstringit, quod grauem & onerosam hanc Præturam fecerit, sic vt multi sese subducerent euitandæ eius causa. Βυλόμενος δὲ καὶ τοῖς ἐν λαμπρᾷ τύχῃ περιοῦσαί τι λυπηρὸν, ἕκαστον εἰς τὴν τῦ Πραίτωρος ἀξίαν ἐκάλει, καὶ τῷ προκαλύμματι τῆς τιμῆς ἀργύρυ σαθμὸν ἀπῄτει πολύν. ἦν ἐν ἰδεῖν, τῶν εἰς τῦτο τεταγμένων ἐπιδημέντων τᾶς πόλεσι, φυγὴν ἁπάντων καὶ ἀποδημίαν ἀλλόφυλον, δέει τῦ μὴ σὺν ἀπωλείᾳ τῆς ὐσίας ταύτης τυχεῖν τῆς ἀξίας. *Quumque splendidioris etiam fortuna hominibus excogitare quiddam vellet, quod eis dolorem adferret; quemlibet horum ad Præturæ dignitatem euocabat, & honoris prætextu magnum pecuniæ pondus exigebat. Idcirco, quoties ad vrbes venissent, qui huius rei mandatum habebant, videre erat fugam omnium & profectionem ad extraneos metuentium, ne cum matrimonii sui detrimento dignitatem hanc adipiscerentur.* Mitto quod paganus Scriptor de Constantino, vt solens alioquin, ita & hic procul dubio acerbius scripsit perstrinxitque: Certe hæ duæ leges quoque de hac Editorum fuga sub Constantino fidem abunde faciunt. Enimuero vtraque hæc lex, *prima* inquam & *secunda*, in eodem argumento versantur, PRÆTVRÆQVE & QVÆSTVRÆ refugas persequuntur: multa proposita Prætoribus & Quæstoribus editionis suæ tempore ab vrbe Roma absentibus. MVLTA inquam, & vt loquitur Symmachus, *lib. 10. ep. 21.* damno, & quidem frumentaria multa in hos refugas & absentes a Constantino M. statuta fuit, quod diserte testantur, Constantinoque adeo multam hanc accepto ferunt Constantius filius eius, *l 3. & 7. h. t.* qui plures seu frequentes patris sui hac de re Leges memorat, & Valens Imp. *l. 18. h. t.* in refugas inquam & absentes editores munerum siue ludorum, Circensium videlicet & scenicorum, *l. 2. h. t.* vel etiam
P. 35. muneris, *l. 4. h. t.* si editionis tempore præstituto cum aditio muneris celebranda est, præsentes esse neglexissent, & absentes fuissent, *h. l. & d. l. 18.* trans mare forte vel in prouinciis aliis, *d. l. 2.* De hac vero multa sunt in vniuersum hoc Codice constitutiones octo, puta hæc *lex 1. 2 3. 4. 5. 7. 13. 18. hoc titulo.* Eiusdem meminit & Symmachus, *lib. 10. ep. 21.* multæ, inquam, absentibus Editoribus indictæ Senatusconsulto sub Theodosio M. & Valentiniano Iun. *Censitum*, inquit, *quæ fungendis mediocritas Editionibus applicetur, quæ gladiatorio muneri, & quæ scenicis ludis sumptuum temperamenta conueniant? Quid libertatis habere mereatur præsentium expensio, quid damni absentium contumacia debeat experiri?* Ex hoc vero quoque Symmachi loco discimus, aliam atque aliam multam subinde impositam, inque ea variatum: quod testantur aperte *lex 4. 5. 7. 13. h. t.* Fuit autem hæc multa frumentaria in certa tritici quantitate, pro dignitatis gradu, & quidem a Constantino statuta: vt testantur præter *hanc* eius *leg.* & *proximam eiusdem, lex 7. 18. h. t.* Et quidem aliquando multa imposita a Constantino quinquagenorum millium modiorum tritici, quæ vrbis Romæ horreis inferrentur *d. l. 7.* Suo sane quoque æuo Symmachus, *lib. 10. ep. 4.* testatur, nonnullos editionibus obnoxios Magistratus (id est, Prætores & Quæstores) in Africa deserta vrbe Roma hæsisse: Quod de Africa sane exerte quoque testatur *lex 2. prox.* ibi *Trans mare positi.* Et hæc de multa ista in genere.

Et tamen, vt ad *legis* huius sententiam deueniamus: Multæ huius gratia facta, seu ab ea excusati immunesque facti a Constaotino ipsomet, & quidem iam ante *hanc leg.* nonnulli, Ætatis priuilegio; MINORES scilicet sedecim annis, Consules & Prætores; hos enim ab initio Constantinus ab huius multæ comminatione primum exceperat, vt hæc *lex* aperte docet: non idem priuilegium Quæstoribus ῥητῶς concesserat. Forte, quia Quæstoriæ editiones haud ita graues essent, vt eas vel ætate minores euitare vellent, aut deberent: nam vt mulcta pro gradu dignitatis absentibus imposita, vt docet *lex 18. inf.* vbi v. quæ dicam: ita & varii quinque editionum sumptus fuere, Consulum primo, dein Prætorum, tandem Quæstorum, omnium leuissimi: qua causa etiam Symmachus *lib. 4. ep. 8. ludicrat Quæstorum prælusiones* vocauit. Et tamen *hac l. 1.* ouoc Constantinus idem priuilegium, seu eandem multæ immuoitatem, tribuit Quæstoribus quoque minoribus sedecim annis, si editionis tempore abfuerint. Et quidem *religiosis vocibus Senatus* Romani *persuasus*, seu ad eius preces hac emissa constitutione ad Præfectum vrbi Seoatus Præsulem: Ratione subdita: *quoniam*, inquit, *memoratæ ætati placet hoc priuilegium suffragari*, hoc sensu, quod priuilegio isti seu prærogatiuæ & immunitati ætatis ratio locum fecerit in Consulibus & Prætoribus: quare & in Quæstoribus id ipsum locum habere oportere: quæ & ipsa *ætatis contemplatio* dicitur *l. prox. 2.* Notandum igitur hoc inter alia minoris ætatis priuilegium. Deinde, quod & ipsum in praxin deduci potest, in priuilegiis minorum solius ætatis infirmæ rationem habendam, neque aliud quid attendendum, non dignitatis gradum, aut modum sumptuum. Quinimo & postea, *l. 2. inf.* septennio inquam post, minor hæc ætas adhoc ab ipsumet Constantioo prorogata, ad vicesimum videlicet vel 25. ætatis annum, de quo ad *eam leg.* Hinc interim quoque apparet, & Consulatom & Præturam & Quæsturam hoc æuo inania adeo fuisse honorum nomina, dignitatumque vmbras, vt etiam minoribus eæ conferrentur: vt omittam Varroniani Consulatum in cunis adhuc positi, de quo Ammianus Marcellinus extremo *lib. 25.* Et quidem minoribus sedecim annis vel certe viginti *his duabus legibus.* De Consularibus tandem editionibus & ὑπατείοις agemus *infra ad leg. 1. de expens. ludor.* de quibus est & Vopisci locus *in Aureliano c. 15.* vbi de Furii Placidi consulatu sub Constantio An. D. 343. Quæstoriarum & Prætoriarum frequens mentio apud Symmachum; Est & locus Lampridii in *Alexandro Seuero. c. 43.*

Illud etiam ex *hac leg.* quæ data est An. 320. (si vera est subscriptio,) id est, Octauo post Christianam Religionem a Constantino susceptam, & Maxeotium deuictum, quaque etiam *lege* indicat anteriores a se latas super editionibus Consulum, Prætorum, Quæstorum, colligimus, Constantinum M. vt & ex *l. 2.* quæ data An. 327. ad P. V. Romæ & Acc. Romæ, neque in vrbis Constantinopolitanæ gratiam hæc constituisse, quod quidam censent; & circa primos Imperii annos hæc eum constituisse.

MINORIBVS *25. vel 20. annis* ABSENTIBVS *editionis tempore* MVLTA *frumentaria hac l. remittitur.*

II. Idem A. Iuliano (a) P. V.

MINORIS (b) XXV. (c) annis ætatis contemplatione infirmæ, hoc etiam (d) remedio subleuamus, vt eius necessitudinis (e) titulo minime teneantur, cuius laqueis vinciantur (f) hii qui post vicensimum ætatis suæ annum trans mare (g)

positi, & in prouinciis commorantes, nequaquam ludis Circensibus (h) ac Scænicis exhibendis sui copiam faciunt, & ideo certo genere multationis (i) obiecti sunt. Dat. Prid. Non. Mart. Acc. Romæ, Constantio (k) & Maximo Coss. [327.]

NOTAE

(a) *Iulianus* hic, Ancius Iullanus est P. V. Romæ: ad quem etiam extat superiore anno si recte habet, *lex 13. inf. de appellationib.* hoc anno *lex 5. sup. de dilationib.* De quo Incertus Auctor de Præfectis vrbi, tribus Consulatibus, qui congruunt anno Domini 326. 327. & 328. & hoc quidem Consulatu: *Constantio & Maximo Anitius Iulianus P. V.* GOTHOFREDVS.

(b) Ita Cod. MS pro *minores*, quomodo edidit Cuiacius. IDEM.

(c) Ita diserte in MS. Cuiacius edidit *viginti*. IDEM.

(d) Hanc vocem *etiam* mox perpendam. IDEM.

P. 36. (e) *Necessitudo*, pro necessitate. Ita apud Ciceronem, Salustium Tacitum, Plinium, vid. *Thesaurum linguæ Latinæ*. IDEM.

(f) *Vinciuntur*. IDEM.

(g) In Africa: de quo mox: V. & Notitiam nostram prouinciarum *in Geograph.* IDEM.

(h) Dicam ad *l. 4. inf.* IDEM.

(i) De hac multa plene ad *l. 1. sup.* IDEM.

(k) *γρ.* hic & apud Auctorem de Præfectis vrbi, *Constantino C. V.* IDEM.

COMMENTARIVS.

ALTERA hæc Constaotini M. constitutio *hoc titulo* est, quæ in eodem argumento versatur, in quo *lex 1. sup.* de *Multa videl. in absentes* editionis tempore ab vrbe Roma, deque eius *immunitate* tributa *Minoribus* absentibus: Nos ea hic tantum sectabimur, quæ eius sunt propria. Primo *Minoribus XXV. annis* hanc prærogatiuam *hic* concedit Constantinus, quam minoribus tantum sedecim aonis tribuerat: *d. l. 1. sup.* ante septennium: Minoribus inquam XXV. annis, vt diserte habet MS. pro quo Cuiacius edidit *Viginti*, vt mox *post vicensimum ætatis suæ annum*. Quare alterutro loco mendum hæret. Secundo, notanda *hic* vox ETIAM: *hoc* ETIAM, inquit, *remedio subleuamus*: Nempe inter reliqua priuilegia minoris ætatis etiam hoc sese tribuere ait Constantinus M. siue quia integra constitutione, vnde hæc decerpta est, plura adhuc continebantur in fauorem minorum: & ita ad alia eiusdem *leges* capita, hæc vox relatiua fit: siue quia ad alias constitutiones suas sese referret: in quibus fuit & illa, quæ data est ab eo, Aono superiore 326. vnde deflorata sunt *lex 1. sup. de Integri restitut. lex 22. Cod. Iust. de administr. Tut. l. vlt. eod. Cod. quando decreta opus non est*; forte & *lex 25. Cod. eod. de vsuris*. Tertio ootandum, quod ait de iis, qui trans mare positi erant: Nempe vt in alias prouincias ita & eo nominatim multi sese, (vnde & *Telonarii* dicti, de quibus postea) Præturæ & Quæsturæ refugæ, conferebaot: in Africam, inquam: de quo est expressa quoque Symmachi *epistola 4. lib. 10.* quæ data ad Proconsulem Africæ: vbi hæc inter alia: *Graue est, vt generosa familia viro, summis per Africam tribunalibus Præside, collegarum nonnulli (Romani populi Magistratus* antea vocauerat) *munia Romana detrectent, & annus pene Editionibus vacuus Proconsulari fastigio gignat inuidiam.* Postremo obseruandum, quod de *Circensibus* & scænicis ludis *hic* additur: Nempe hæc duo ferme ludorum genera erant, quos Prætores & Quæstores edidere: Quibus adde & tertio loco Munus (de quo ad *l. 4.*) quos & ipsos designant *lex 4. 29. & vlt. inf. hoc tit.* & passim Symmachus & Vopiscus.

De ABSENTIVM *Editorum multa.*

III. (a) Constantius A. (b) ad Mecilium Hilarianum (c) PP. (d) Post alia.

PRÆTORES, & (e) quibus inminet iudicandi (f) necessitas modo . . . . tis (g) adscribtæ, ne paruo quidem tempore copiam sortiantur abeundi ex Vrbe: Qualiter (h) fecerit, multæ (i) obnoxius sit, quam iam pridem Diuo Principi (k) placuit, & (l) perscribtam (m) omnem summam mox (n) inferre cogatur. Dat. VIII. (o) April. Constantio II. & Constante, AA. CONSS. [339]

NOTAE

(a) Meminit *huius leg. & proxima, lex 7. inf.* quæ huic forte iungenda, vna cum ea quæ memoratur & abrogatur *l. 23. inf. de appellat.* GOTHOFREDVS.

(b) Inscribenda huic *legi* trium Imperatorum nomina *Imppp. Constantinus Constantius*, & CONSTANS v. *Chronolog.* IDEM.

(c) Ad Mecilium Hilarianum PP. hunc, data est hoc ipso anno *lex prox.* de quo mox plura. IDEM.

(d) *γρ.* P V. de quo mox. IDEM.

(e) Id est, & cæteris vel tollenda vox, *&*: quia non omnes Prætores editionibus & ludis vacabant. IDEM.

(f) Ita MS. sed *γρ. ludicra dandi.* Et quid si nota voce *luditandi*, id est ludos edendi? *Luditare*, vt *monstrare* Quod non assero de voce ludicrorum. vid. *Gloss. Theod.* IDEM.

(g) Cuiacii editio prima, & quæ in *Quarto* prodiit, supplet, *modo quantitatis*, id est, secundum modum & quantitatem adscriptam: sua scilicet singulis Editoribus & editionibus quantitas præscripta erat: vel vt infra dicitur *perscripta*.

perſcripta v. & Symmachum. Verum in MS. ſpatium deficientis ſcripturæ non tantum eſt, vt eam vocem admittat: trium enim tantum literarum lacuna eſt: quare repone *forsis.* *IDEM.*

(h) γρ. *Qui aliter:* melius, quam quod ſuperiores Cuiacii editiones habeat ad marginem, *Quod ſi aliter.* *IDEM.*

(i) Frumentariæ: de qua ad *l. 1. 2. ſup.* *IDEM.*

(k) Id eſt Conſtantino M. Patri meo *d. l. 1. 2. ſup. l. 7. & 18. in fin. h. t.* *IDEM.*

(l) Id eſt *ſimul*, & vid. *l. 20. inf.* *IDEM.*

(m) Malim *præſcriptam.* Sic & ſup. *quantitatis adſcripta:* & *l. 5. inf. præſcripſimus.* *IDEM.*

(n) Non expectato etiam editionis tempore. *IDEM.*

(o) γρ. VIII. *Kal. April.* niſi putemus, hanc *leg.* cum *proxima* coaſſandam; quo caſu fuerit *hic* ſcribendum IV. *Kal. Iul.* *IDEM.*

De ABSENTIBVS *Editoribus ad vrbem Romam reuocandis.*

IV. (a) Idem A. ad Mecilium Hilarianum PP. (b)

OMNES *Clariſſimi,* (c) qui per Diœceſim (d) Sublimitatis Tuæ degunt, Noſtri auctoritate Præcepti ad Vrbem Romam venire cum inpenſis ſuis, vbi (e) ludi Scenico-
P. 37. rum vel Circenſium (f) vel Muneris ratio poſcit, cogantur: & cetera. Dat. IV. Kal. Iul. (g) Conſtantio II. & Conſtante CONSS. [339.]

NOTAE.

(a) Meminit huius *l. lex 7. inf.* Quænam ei forte iungendæ ſint iam dixi. *GOTHOFREDVS.*

(b) γρ. *P. V.* de quo mox. *IDEM.*

(c) *Clariſſimi,* id eſt Senatores: vid. Paratitlon & *d. l. 7.* *IDEM.*

(d) De *Diœceſi* hac mox. *IDEM.*

(e) Huius vocis nullum veſtigium in MS ibi enim litera *S* præcedit vocem *ludi.* *IDEM.*

(f) Id eſt, quando id popoſcerit ludorum ratio, ſeu appetente tempore editionis. *IDEM.*

(g) Ita MS. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE ABSENTIBVS Editoribus ab vrbe Roma eſt vtraque hæc *lex*, quæ ad eundem iiſdem COSS. datæ, inter ſe quoque coaſſandæ videntur, emendato tantum die in priore, veluti vnius & eiuſdem conſtitutionis partes: Cuius meminit quoque Imp. *l. 7. inf.* & quidem ſub literarum nomine: *Literis,* inquit, *ad Hilarianum PP. deſtinatis præcepimus:* Imo tertia quoque his duabus portio forte cohæſiſſe videatur, illa nempe quæ memoratur & abrogatur *l. 23. inf. de appellationib.* qua ſcilicet vetiti Clariſſimi a ſententia Præfecti vrbis appellare. Verum id non adſero. *His* vero *duabus legibus* id cauetur.

Primo *l. 3.* de *Præſentibus* nominatis ad editionem: Ne iis qui ad Editiones ſemel nominati ſunt, vel paruo temporis commeatu ab vrbe recedere permittatur, multa frumentaria propoſita, quæ a Conſtantino M. conſtituta fuit, de qua *ad ll. ſuperiores, 1. & 2.* ſimul & neceſſitate impoſita præſcriptam editioni ſuæ ſummam mox & ilico ſoluendi: ſuus enim cuique editioni modus præſcriptus erat: quod præter *l. 3.* docent & *l. 5. 7. 13. 21. 24. 25. 30. vlt. h. t.* Vnde & maximarum editionum Prætores *l. 19. h. t.* vid. plura *in Paratitlo.* Sed & Symmachus *lib. 10. ep. 21.* loco iam antea quoque laudato: vbi de Senatusconſulto ſuper ea re: *Nullo diſſentiente, quis* MODVS *cenſitum ſemel aut ſapius: qua fungendis* MEDIOCRITAS *editionibus applicetur, qua gladiatorio Muneri, qua Scenicis ludis* SVMPTVVM *temperamenta conueniant.* Cum hac vero *Lege* ſeu prohibitione nihil commune habet interdictio, qua ex Auguſti inſtituto Senatoribus, extra Italiam peregrinandi poteſtas adempta: imperio ſcilicet firmando, excepta tantum Sicilia & Narbonenſi continentibus prouinciis: de quo Suetonius *in Octauio c. 47.* Dio, *lib. 52. extremo.* Tacitus *l. 2. Annal. cap. 23.* Suidas in Κλαύδιος. (a) Item ab hoc interdicto alienum eſt, quod de Magiſtratibus vrbis Romæ cautum, ne extra vrbem eis pernoctare liceret, quo pertinet *lex 166. in fin. D. d. V. S.* Id quod de Tribuno plebis nominatim notat Gellius, *lib. 3. cap. 2.* & Dio, *lib. 37. ad an. V. C. 692.* Quomodo & Præſidi extra prouinciæ fines abnoctare non licebat, *l. 15. D. de officio Præſidis:* Nempe ob ſecuritatem & pacem publicam. Quæ tria tamen cum *hac l.* noſtra nonnulli aliquid commune habere putarunt. Ergo vt eo redeamus, *hac l.* interdicitur, ne Senatoribus qui ad Editionem nominati fuerunt, ab vrbe abeundi copia detur a Præfecto Prætorio ſcilicet (de quo v. quæ noto ad *l. 18*) id eſt, *Commeatus:* Quomodo alias in totum Senatores ſine commeatu vrbe Roma alio proficiſci non poterant: *l. 22. §. 6. D. ad municipal.* de quo plene ad *d. l. 18.* quod ſublatum a Theodoſio Iun. *l. 15. Cod. Iuſt. de dignitatib.* Et hæc de *leg. 3.* & de Præſentibus nominatis.

Nunc de *l. 4.* quæ eſt de *Abſentibus nominatis* ad Editionem; nam & Abſentes nominari poterant: ſeu *prouinciales*, vt vocantur, *l. 21. inf.* Ea igitur iubet Imp. omnes Senatores qui in diœceſi eius cui hæc lex inſcribitur, cogi auctoritate *huius leg.* ad vrbem Romam venire, ad Editiones, ſeu ludos edendos; impacta videl. illi eius rei executione. Quæ omnia confirmata hac conſtitutione ſanciuntur a Conſtantio, *l. 7. inf.*

Supereſt de Mecilio Hilariano, cui hæ duæ Leges inſcribuntur: cuiuſque mentio fit *d. l. 7. inf. hoc tit.* videamus, deque Diœceſi eius; tandem cui Imperatori hæ Leges adſcribendæ ſunt. Igitur & *his duabus legibus,* & *d. l. 7.* hic Mecilius Hilarianus dicitur PP. id eſt, Præfectus Prætorio. Id quod ſtare non poſſe videtur. Mecilium enim Hilarianum hunc *Præfectum vrbi* nominatim his ipſis COSS. facit Auctor

(a) Conſule hac de re CL. LIPSIVM ad locum *Tacit. citat.* ex quo noſter ſua habet.

Auctor peruetustus Notitiæ Præfectorum vrbi a Galieni temporibus ad A. D. 354. vsque quo primus Cuspinianus vsus est: VRSO & POLEMIO COSS. *Id. Ianuar. Mecilins Hilarianus P. V.* CONSTANTIO II. & CONSTANTE, *pr. Id. Iuliat; Turcius Apronianus P. V.* Inde apparet, Mecilium Hilarianum P.V. Romæ fuisse his COSS. *Constantio II. & Constante* COSS. ad Iulium mensem vsque, cui successerit Apronianus meose Iulio. Et vero hæ duæ Leges datæ sunt iis Consulibus mense *Aprili, Iunioque* (nisi vtraque Iunio adscribenda est.) Quid igitur? Putet quis, eundem Hilarianum eodem tempore & PP. & P.V. fuisse? Id vero oon existimo: Quaodoquidem author ille de Præfectis vrbi, quando in vnam eandemque personam vtraque digoitas concurreret, id ferme exprimere solitus. Deinde ipsum harum Legum argumentum, Hilarianum istum P.V. fuissa edocere videtur, quandoquidem agitur de Senatoribus, quorum Præsul fuit Præfectus Vrbi: qua causa etiam complures *huius tituli* Leges ad Præfectos vrbi emissæ sunt, vt *lex 1. 2. 7. 17. 18. 20. 21. 26. 29. vlt.* e quibus *Lex 7.* (quod notaodum,) ad Orfitum P.V. pariter data est; vbi harum legum mentio fit. Quare iam pronunciandum videtur, in *his Legibus & d. l. 7.* reponendum *P. V.* loco *PP.* Vode iam conficiatur, *Diœceseos* appellatione *hac l. 4.* diœcesim vrbicariam Præfecti vrbis accipiendam, quæ variis regionibus seu prouinciis vrbicariis seu suburbicariis constabat: id enim *Diœcesis* est, plurium inquam, prouinciarum in vnam admioistrationem collectio seu σύστημα, διοίκησις ἐπὶ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ, de quo plene dictum, *Coniectura & vindiciis atque Apologetico de suburbicariis regionibus.* Quare hoc iam testimonio confutabuntur, qui negabant *Diœceseos* appellationem Præfecti vrbis administrationi vnquam tributam, vel tribui posse, velut Spectabilium propriam, v.gr. Proconsulum & Vicariorum: vnicamque Diœcesin infra illustrium dignitatem fuisse: quos refutant etiam vel exempla, licet posteriora paulo, Præfectorum Prætorio Africæ, de quo *tit. Cod. Iust. de officio*
P. 38. *P. P. Africæ:* & PP. Italiæ: de quo *Nouella 69. in fin. & 70.* Imo & Præfecto Prætorio Galliarum aliquando vnica Diœcesis quoque tributa *l. 11. inf. de Medicis & Professoribus*, vbi dicam. Quin & res ipsa id adhuc coofirmat. Nempe, agitur his legibus de Prætoribus & Quæstoribus, vt ne PARVO quidem TAMPORE copiam sortiantur abeundi ex vrbe: & de clarissimis qui per diœcesin Hilariani degerent, ad vrbem Romam venire cogendis: scilicet Senatores in suburbana ferme recedere & secedere solebant vel etiam ibi larem figere: Ad quod sane *paruo tempore* opus erat, quod in ea (vt Columella ait *de Re Rust. lib. 1. cap. 1. 7.*) facilis esset & quotidianus etiam excursus, ceu locorum grata confinia, in hoc eodem argumento *l. 11. h. t.* & secessus circa vrbem, *l. 21. §. 10. D. de receptis qui arbitr.*

Nempe complurimi Senatorum vrbe Roma recedebant in suburbana, secessus aut negotii suburbani obtentu, sed reuera vt nominationes munerumque & ludorum edeodorum sumptus euitarent: de quo secessu in suburbana passim Symmachus. Et ideo COGI eos præstituto tempore ad vrbem Romam venire ab Hilariano iubet Imperator *hac l. 4.* quasi intra diœcesim suam constitutos. Et hæc quidem ita, nisi putemus has leges non ad *Constantium II. & Constantem AA.* COSS. id est, ad A. D. 339. referendas; quo sane anno Mecilius Hilarianus P. V. fuit: verum ad *Constantium A. VI. & Constantem Cæs. II.* COSS. id est, ad A. D. 353. id est, anno ante *d. l. 7. h. t.* quo tempore *Hilarianus PP.* fuerit. Quod duo suadere videantur. Primo quod Constantius *ea l. 7.* sese harum constitutionum auctorem facit: quod vtique verum oon esset, si ad Hilarianum P.V. datæ essent: *Constans* enim frater eius eo tempore Romæ potiebatur, atque adeo illi tribuendæ forent, non Constantio. Secundo, quod Constantius *d. l. 7.* literarum ad Hilarianum PP. datarum, tanquam recentium meminerit; atquin si Consules illi stent, Anni 339. tuio *Leges* hæ quindecim ferme annis ante *legem 7.* datæ fuerint: quas allegare quid opus erat, cum receotior eiusdem Constantii eadem de re coostitutio extaret, puta *lex 6. h. t.* Quod si ita est, tum alterum e duobus verum sit necesse est; vel inquam sub Hilariaoi huius P. P. dispositiooe vnicam fuisse diœcesim: vel Diœceseos appellatione totam Præfecturam Prætorianam, quæ diuersis Diœcesibus constabat, generali *Diœceseos* appellatione indicari. Quod vtique & ipsum singulare fuerit. Et hæc quidem hactenus.

Ex *his* interim *legibus* apparet, quod de Constantioi M. temporibus *supra* notabamus ad *l. 1. & 2.* id & Coostantis Imperio conuenire, oempe Præturam onerosam & sumptuosam maxime tum fuisse: quo sane pertinet Vopisci querela hoc tempore scribentis: consulatus enim Furii Placidi, qui congruit anno D. 343. id est, quadriennio post *hasce ll.* meminit, tanquam PROXIMA elapsi. Tandem, ex *l. 4.* discimus, præter scænicos & Circenses ludos, de quibus *ad l. 2. sup.* tertium ludorum genus a Prætoribus & Quæstoribus editos, nempe *Munus:* de quo & *l. 1. sup.* Et frequeos meotio apud Symmachum, vbi de Quæstoria & Prætoria editione filii sui: Hac vero appellatione, tam ludi gladiatorii quam venatio ferarum accipi potest, de quo plene V. C. Iuretus in Symmachi *lib. 10. ep. 4.* vid. *inf. tit. de Gladiatorib. & tit. de venatione ferarum:* Lactaotius *lib. 6. c. 20. venationes qua vocantur munera.* Ex *hac* etiam *Lege* id discimus, excitatum subinde Magistratuum officium, ad compellendos Prætores nomioatos ad vrbem Romam: Nam & ipsi sæpe Magistratus Prætores abesse patiebantur: quod discimus ex Symmachi *lib. 10. ep. 4.*

De MODO *sumptuum in Præturam faciendorum: deque tribus* PRÆTVRÆ *generibus.*

V. (a) Idem A. ad Senatum. (b)

PRIMÆ Præturæ, quæ *Flauiali* (c) nuncupatione signatur, (d) viginti & quinque milium follium, & quinquaginta librarum (e) argenti erogationem sumptusque præscribsimus: in secunda vero *Constantiniana*, (f) viginti milia follium & quadraginta libras argenti largienda (g) esse censemus: tertia (h) *Triumphalis*, (i) quindecim milia follium, ac triginta argenti libras sine incommodo (k) Editoris (l) expendat. Dat. V. Id. Septemb. Antiochiæ; (m) Post consulatum (n) Constanti II. & Constantis [340.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Iungenda huic *legi* est *lex prox. sequens* 6. *GOTHOFREDVS.*

(b) An Vrbis Romæ, an vero Constantinopolis? *IDEM.*

(c) *Flauialis?* Nil opus. Huius porro Præturæ mentio quoque fit *l.* 13. *inf.* *IDEM.*

(d) *Signatur*, pro, designatur. *IDEM.*

(e) Quinquaginta libræ argenti, fiunt 250. solidi: de quo mox. *IDEM.*

(f) De hac quoque Prætura, *l.* 13. & 25. *inf.* *IDEM.*

(g) De hac voce mox. *IDEM.*

(h) *Tertia*: ita diserte MS. Cuiacianæ male expresserant, *Tertia.* *IDEM.*

(i) De hac quoque voce, *l.* 25. *inf.* *IDEM.*

(k) Ratio *huius legis* his verbis indicatur. *IDEM.*

(l) *Editor* est Prætor qui ludos edit. vid *Gloss.* & Iureti *Miscell. ad Symmachum.* *IDEM.*

(m) Vid. *Chronolog. huius anni.* *IDEM.*

(n) Ita quoque *leg. prox.* Consulatus hic notatus: pariter vt *leg.* 20. *inf. de appellat.* id est. *Acindino & Proculo Coss.* si recte hoc habet. Malim enim referre ad A. D. 347. post Cos. *Constantii IV & Constantis AA.* pariter vt *leg.* 20. *inf. de appellat.* *IDEM.*

P. 39. ABSENTIVM *nomine sumptum e fisco prorogandum, mox repetendum.*

VI. (a) Idem A. ad Senatum.

PRo eo quem absentem tempus editionis inuenerit, erogationem debitam fiscus expendat. Post aduentum, cuncta quæ prærogata (b) fuerint; soluturo. Dat. (c) Id. Sept. Antiochiæ post Conss. D. N. Constanti II. & Constantis CONSS. [340.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic *l. superior* 5. similis est huic, *lex* 29. *inf de Decurionibus*, de Duumuiris. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Prærogata* id est, ante erogata pro Editore absente, sic & *d l.* 29. *prærogauit.* *IDEM.*

(c) *V. ID.* habent Editiones Cuiac. quod forte a typographis hic omissum. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. Constitutiones vndecim sequuntur: Eæque omnes, vna excepta *l.* 7. ad Senatum datæ, seu orationum Constantii ad Senatum segmenta, vtpote cum iis de Senatu, & Senatoriis editionibus agatur: Quare & *d. l.* 7. inscribitur *Præfecto vrbi*, vtpote Senatus Præsuli. Nunc de singulis.

Hæ igitur duæ, puta *lex* 5. & 6. eiusdem orationis duæ partes sunt, de Prætura, qua ludorum exhibitioni seu editioni, quæ Prætoribus incumbebat, prospectum iuit, ne immodico *Sumptu* fatigarentur: quo pertinet *l.* 5. Contra, ne absentiæ obtentu Præturæ eluderentur: quo spectat *lex* 6. Nempe eiusdem prouidentiæ est, & absentium contumaciæ occurrere, & id agere, ne immodici sumptus formidine ludi euitentur: & vt *lex* 5. ait, sine Editoris incommodo erogatio seu sumptus fiat: Quod etiam factum vtrumque eodem Senatusconsulto de quo Symmachus *lib.* 10. *ep.* 21. Enormibus quippe expensis & sumptibus id fiebat, & vero fieri amat, vt munia publica euitentur. De singulis nunc.

Igitur *l.* 5. Constantius MODVM sumptuum seu Expensarum præscribit, in ludos seu Editiones faciendorum. Quomodo variis subinde constitutionibus is præscriptus, cum plerique Editiones desugerene: vt *l.* 3. *sup. l.* 13. 21. 24. 25. 30. *vlt. inf. hoc tit.* & eo, quod dixi, Senatusconsulto: de quo Symmachus *lib.* 10. *ep.* 21. *Modum*, inquam, quo minorem scilicet facere non liceret; vltra quem impensas facere nemo cogeretur. Ita enim *hanc l.* accipiendam puto, vel solius finis quem sibi Imper. proposuit, argumento. Etsi quandoque ita modus positus, vt eum transilire non liceret, veluti *d. l.* 24. & *l. vlt. h. t.* Modus igitur a Constantio hic nunc *hac l.* 5. præscribitur, pro gradu scilicet & diuersitate Præturæ quæ triplex erat: Primi scilicet gradus Prætoribus, qui *Flauiales* dicebantur, summam præscribit, 25. millium follium, & 50. librarum argenti. Secundi gradus, id est, *Constantinianis*, 20. millium follium, & 40. librarum argenti. Tertii gradus, id est, *Triumphalibus*, 15. millium follium & 30. librarum argenti. Vbi tria obseruanda explicandaque sunt.

Primum est, de Numero Præturarum seu Prætorum, eorumque Nominibus & ordine. Igitur *Tres* tantum Præturæ *hac lege* nominantur quæ sub *Constantio* Constantinopoli fuerunt: nempe, Flauialis, Constantiniana, & Triumphalis, & quidem hoc ordine: vt Prima fuerit Flauialis, secunda Constantiniana, Tertia Triumphalis. Verum sub ipsomet Constantio Quinque factæ, *d. l.* 13. *h. t.* & ordo earum inuersus: Nempe Constantiniana prior facta: Flauialis vero Tertia, vt diserte ipsemet Constantius *ead. l.* 13. Postea Quatuor fuere sub Valente, vt docet *lex* 20. *inf.* Tandem quod docet *lex* 25. sub Theodosio M. Octo fuere, qui Quatuor Prætoribus seu Præturis totidem addidit, hoc ordine constitutos Constantiniana, Constantiana, Theodosiana, Arcadiana; Triumphalis, Augustalis, Romana, Laureata: e quibus Theodosianam & Arcadianam Senatus ipsemet primis Prætoribus addidit: Theodosius Augustalem & Laureatam iniunxit seu sociauit; de quo *ad eam l.* 25. Ex quibus apparet, in Imperatorum gratiam de ipsorum nominibus nonnullas institutas, puta *Flauialem* (procuidio in honorem generis Flauii, & quidem Constantii Chlori, e quo Constantinus M.) *Constantinianam*, *Constantianam*, *Theodosianam*, *Arcadianam*; alias vero nominibus appellarius, in Romani nominis gloriam decusque: puta *Triumphalem*, *Augustalem*, *Romanam*, *Laureatam*.

Secundo notanda proportio sumptuum & expensarum

ſarum pro gradu Præturarum: nempe talis, vt Secundus gradus quinta parte minus quam primus expenderet: Tertius, minus quam ſecundus, ſcilicet quarta parte minus. Quæ proportio poſtea immutata, *l. 13. 25. vlt. h. t.*

Tertio videndum foret de ipſomet ſumptuum & expenſarum modo, atque adeo de Follibus & libris argenti, & quænam eorum inter ea proportio ſit: Verum rem hanc remittere malo ad eos qui de re nummaria Commentarios nobis pollicentur; & interea de Follibus iſtis vide quæ Cl. Salmaſius *in not. ad Script. Hiſt. Aug. p. 8. & 9.* & *p. 191. edit. Pariſ. 1620. fol.* quæque Franeus & Cenoetius inter ſe: quæque Petauius *ad Epiphanium.* Ego hic tantum proponam ſub vnum conſpectum quæ hic Codex habet de *Folle*, omiſſis etiam iis quæ de Senatorio folle *tit. 2.* ſupra occurrunt.

Hic igitur in modo Prætorum editionibus ſumptibuſque ponendo, viginti quinque millia follium, & 50. libræ argenti coniunguntur: & deinceps 20. millia follium & 40. libræ argenti: mox 15. millia follium, & 30. argenti libræ. Vnde apparet, folles hic non fuiſſe argenteos: Item, maiorem illam ſummam follium fuiſſe, quam librarum argenti, cum ſemper præponatur:

Ad alias *leges* pergamus; *l. 3. inf. de ſuariis*, libra porcinæ, *ſenis follibus* æſtimatur. *l. vn. inf. de menſis oleariis*, menſæ oleariæ caducæ, quæ nullius poſſunt adhærere dominio, *vicenis follibus* per officium diſtrahi iubentur: pluriſque poſtea vendi prohiben-
P. 40. tur, *l. 2. & 3. inf. quorum Appellat.* appellantes a præiudicio, vel ab executione, *triginta follium* pœna multari iubetur, *l. 1. inf. ſi quis pecunias conſl.* vetantur negotiatores plus *mille follibus* pecuniæ in vſu publico conſtitutæ animalibus propriis ſumptuum gratia portare. *l. 3. inf. de Veteranis*, veteranis qui vacantes terras acceperunt, ad emenda ruri neceſſaria pecuniæ nummum *viginti quinque millia follium* conſequi iubentur: qui vero negotii gerendi habuerit voluptatem, huic *centum follium* ſummam immunem habere permittitur. Hæ ferme leges ſunt, in quibus *Follium* mentio occurrit *hoc Codice Theodoſ.* Ex quibus in vnum iunctis facile apparere poteſt, duo follium genera fuiſſe: vnum, *minorum*, cuiuſmodi ſenis follibus libra porcina æſtimari iubetur; cuiuſmodi viginti quinque millia follium veteranis ad emenda ruri neceſſaria præberi iubentur: Alterum, *maiorum*; cuiuſmodi vicenis follibus menſa caduca olearia diſtrahi iubetur: cuiuſmodi triginta follibus temere appellantes coërcentur: cuiuſmodi mille folles negotiatoribus portare conceditur. Atque huc pertinere credat quis elegantiſſima Epiphanii, & Gloſſarum Nomicarum loca, vbi duo follium genera conſtituunt: vnum quod argenteis centum 25. conſtabat; alterum duobus cum dimidio λεπτοῖς ſeu ἀργυρέοις, qui 250. denarios efficiunt, nam argenteus nummus, centum denarios efficiebat.

Verum hic ſubſiſto. Illud tantum conſicio hic, certum follium numerum, & librarum argenti certum numerum coniungi, intra quem vtrumque Prætor expenſas faceret, ad deſignandum duplicem ob ludos expenſarum ſpeciem: vnam in ipſum ludorum apparatum & exhibitionem, quo pertineat ille *Follium* numerus: alteram, in ſportulas, quo ſpectant libræ argenti: Nempe enim in ſportulis huiuſmodi (de quibus plene *ad l. 1. inf. de expenſis ludor.*) *ſolius nummi argentei* vſus eſſe poterat, aurum donare nulli licebat, exceptis ſolis Conſulibus ordinariis *d. l. 1. de expenſis ludorum* qua ipſa *leg.* Libram argenti triplici argentei nummi genere conſtitiſſe docet, ſeu tres argentei nummi ſpecies: vnam quæ conſtabat 60. argenteis: alteram quæ paucioribus, & ſic maiores iam argentei: tertiam quæ minoribus & ſic pluribus quam 60. conſtabat: Vbi vides *librarum argenti* in ſportularum argumentis *illa l.* mentionem fieri: quo eas de quibus hic agitur, etiam refero. Quare probanda non eſt viri Docti ſententia, qui numerum follium qui hic componitur, cum certo librarum genere, pro eodem accipit, quaſi 25. millia v.g. follium, quinquaginta libras argenti efficerent. Nam imo hæc duo ita diſtingui oportuit, vt fecimus nos: ſic vt expenſis ludorum ipſorum deſtinatus & deſignatus certus follium numerus in quacunque tandem pecunia erogari potuerit & impendi, dum ne in ſportulas. Hinc & videre eſt apud Olympiodorum, referente Photio, (*Tom. I. hiſt. Byzantin. pag 153. edit. Venet.*) in Præturam Symmachi expenſa viginti AVRI Centenaria: in Probi, duodecim: in Maximi, quadraginta. Ludorum denique expenſas, vel apparatum in ludos etiam in auro facere licuit, & quidni? in ſportulas & largitiones Prætoribus & Quæſtoribus non licuit. Ergo folles hic in apparatum ludorum deſignantur: Libræ argenti in ſportulas, vel etiam largitiones in ſcenicos & Aurigas: Quare & *hac ipſa leg.* non expenſarum modo ſumptuumque, ſed & LARGIENDI mentio fit. Quomodo & Amm. Marcellinus *lib. 27. cap. 3.* de Lampadio. *Hic cum magnificos* PRÆTOR *ederet* LVDOS *& uberrime* LARGIRETVR, *plebis nequiens tolerare tumultum, indignis multa donari ſæpe vrgentis, vt liberalem ſe & multitudinis oſtenderet contemptorem, accitos a Vaticano quoſdam egentes opibus ditauerat magnis.* Qui quidem locus proprie ad donationes in ſcenicos & aurigas pertinet: de quibus & Vopiſcus *duobus locis.* Et hæc quidem de priore Orationis Conſtantianæ parte ſeu de *l. 5.*

Sequitur altera eiuſdem orationis ad Senatum pars, ſeu *lex 6.* quæ eſt de *Abſentium contumacia:* Nempe, non iam condemnatione ſeu multa frumentaria eos inſequitur: verum id hactenus conſtituit, vt Fiſcus erogationem debitam ſeu ſtatutum Editionis pretium pro abſente editionis temporis expendat ſeu proroget: poſt aduentum omnia, quæ prorogata fuerint, ſoluturo. Antea ſcilicet condemnatione ſeu multa frumentaria ex Conſtantini M. inſtituto, abſentes editionis tempore multabantur: de quo ad *l. 1. & 2. ſup.* Imo & idem Conſtantius qui *huius l.* Auctor eſt, poſtea quoque multari voluit Romæ: *l. 7. prox.* Cui aliter nunc viſum Conſtantinopoli: voluptatibus plebis ita Conſtantinopolitanæ conſulens. Valens quoque poſtea *l. 20. inf.* non ſolum ſtatutum Editionis pretium ſoluere voluit, verum etiam multæ nomine dimidium extrinſecus pretii. Hinc igitur diſcimus exhibitos ludos abſentium nomine: Id quod per Cenſuales factum Romæ. Symmachus *lib. 4 ep. 8.* *Quid prærogatiua habeat.* (Amphitheatri locus) *non video, cum etiam Cenſuales* ABSENTIVM *munera illic ſoleant exhibere, quorum mediocritatem volumus imitari.* Simile vero quid a Conſtante Conſtantii fratre ſtatutum, *l. 29. inf. de Decurionib.* ſeu *l. 20. Cod. Iuſt. eod. tit.* circa Duumuiros deſertores ludos non edentes.

De absentibvs *Editoribus ad vrbem Romam reuocandis, deque* mvlta *frumentaria ab his exigenda.*

VII. Idem A. ad Orphitum (a) P. V.

Litteris (b) ad *Hilarianum PP.* (c) destinatis præcepimus, Senatores ad Vrbem Romam venire compelli, vt muneribus iniunctis operam possint præstare solemnem, & professionem (d) edere compelli. Eos autem Editores, qui tempore præstituto præsentes esse neglexerint, iuxta Leges * Venerabiles Diui [Constantini] (e) quinquagena milia modiorum tritici Vrbis Romæ horreis inferre compelli. Dat. Prid. Id. Mart. Constantino (f) A. VI. (g) & Constantio Cæs. II. Conss. [354.]

P. 41.

NOTAE.

(a) *Orphitus* P. V. integro nomine *Memmius Vitrasius Orphitus.* De quo plene in *Prosopogr.* De eo agit hoc ipso anno Am. Marcellinus *lib.* 14. *cap.* 6. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Litera* Principum. Intelligit porro *l.* 3. & 4. *IDEM.*

(c) De hoc Hilariano dixi ad *d. l.* 3. & 4. *IDEM.*

(d) *Professionem*, quam intelligit? Mox dicam. *IDEM.*

* V. *l.* 1. 2. *sup.* *IDEM.*

(e) Vox hæc non est in MS. verum ibi statim post vocem *Diui*, sequitur, *ga.* *IDEM.*

(f) *γρ. Constantio.* *IDEM.*

(g) *γρ.* VII. *& Constantio Cæs. III.* id est A. D. 354. Orphitus enim a 6. Iduum Decembris primum Constantio VI. & Constantio Cæs. II. P. V. factus est: vt diserte prodit Auctor de Præfectis vrbi. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

In absentes Senatores & Editores hæc rursum Constantii Imp. constitutio est: qua literatum ad Hilarianum PP. datarum summam complectitur, eamque adeo constitutionem confirmat: vnde desumptæ sunt *lex* 3. & 4. *sup.* Ad quas dicta sufficiant: etiam, de Hilariano hoc PP. Nos ea tantum hic sectabimur, quæ *huius leg.* propria sunt.

Primum est; quod iubet, Senatores ad Vrbem Romam compelli, vt professionem edere compellantur. Vbi *Professionem* edere, non est simpliciter possessiones suas profiteri Senatui, vt ita pro modo possessionum suarum, pro suis viribus Glebalem præstent collationem, de quo *l.* 2. *sup. de Senatorib. & de gleb. coll.* verum post professionem, impactum sibi munus edere, & solemnem operam muneribus *iniunctis* præstare: *solemnem* operam, id est, ad solemnia ludorum nominatim inter alia: solemnitatis scilicet vox propria in re ludicra: vid. *l.* 2. *infr. de spectaculis:* vbi plura.

Secundum est, quod *hac l.* memorantur plures Constantini M. constitutiones de multa frumentaria absentibus Editoribus imposita: e quibus sane est inter alias, *lex* 1. & 2. *supr.* ad quas dixi.

Postremum, maxime singulare *hac l.* istud est, quod multæ istius frumentariæ modum voa hæc designat: Nempe quinquagenum milium modiorum tritici: & ita quidem, quod alterum, vt vrbis Romæ horreis inferrentur: de quibus vrbis Romæ horreis *lib.* 14. Quæ sane ingens multa est: Quinquagenum, inquam, milium modiorum: quorum sane decem, solido ferme hac tempestate vendebantur: Valentiniani *lege*, duodecim, de quo mox: Eaque stata ferme & ordinaria hoc tempore æstimatio, erat inter vilitatem, & annonæ caritatem. Sic Iulianus Antiochensibus in annonæ penuria constitutis cum denos modios singulis aureis seu solidis vendi vidaret, ipse ex fiscali tritico quinos denos modios solido vendidit, vt ipsemet ait in *Misopogone pag.* 369. *edit. Lips. Spanhem.* Ergo stata æstimatio erat & ordinaria sub Constantio & Iuliano, cum deni modii singulis solidis vendebantur; At caritas hæc erat sub Valentiniano: Quod ex Am. Marcellino discere est, *lib.* 28. *cap.* 1. vbi de Hymettio Africæ PC. *Dems*, inquit, *modiis singulis solidis indigentibus venundatis, emerat ipse tricenos.* (a) Inde illa, quam memorat Suidas *voce* Μαυσῶμ, Valentiniani lex, vt modii duodecim non pluris solido venderentur, ἐνομοθέτησεν Οὐαλεντινιανὸς πιπράσκεσθαι τὸν σῖτον μοδίους δώδεκα τῷ νομίσματι, μηδενὸς ἀντιλέγοντος. *Valentinianus sanciuit, & duodecim modios frumenti solido vendi iussit, nemine contradicente.* Quod a Valentiniano factum; cum ipse solidi æstimationem auxisset: de quo ad *l. vn. inf. de obl. vot. l.* 13. *inf. de susceptorib.* & *l.* 4. *de metallis.* Eoque omnino pertinet, quod cauetur *l.* 2. *Cod. Iust. de veteris numism. pot.* quam peculiari Diatriba illustrauimus. Ergo quamdiu 84. *Solidi* in libra computabantur, deni modii solido æstimabantur, posteaquam libra redacta est ad 72. solidos duodeni. Ergo denis modiis in solidum computatis, quinquaginta millia modiorum efficiunt *quinque millia solidorum.* Neque tamen Constantii lege omnes ea multa multati, verum, quod discimus ex *l.* 18. *inf. pro dignitatis gradu certa tritici quantitate condemnati.* Forte Prætorum illa multa fuit: minor vero aliqua, Quæstorum. Quomodo alioquin Quæstores in hoc argumento multæ frumentariæ, alio capite aliquando, a Consulibus & Prætoribus differebant, vt docet *lex* 1. *b. t.* Vel ex hoc etiam appareret, quantus in hos ludos sumptus factus fuerit, de quo iam ad *l. superiorem.* Quid vero *modius* tritici fuerit, *alibi.*

De

(a) Ad hunc locum vide quæ VALESIVS notat, a quo sua noster mutuatus est.

De NOMINATIONIBVS *ad Præturam, Senatus arbitrio faciendis.*

VIII. (a) Idem A. ad Senatum. (b)

HAc lege sancimus arbitrio vestro Nominationes solitas fieri, vsurpatione Iudicum cessante. Dat. III. Id. April. Med. Lecta (c) a Braxio Proconsule (d) die VI. (e) Id. Maii Constantio A. VIII. & Iuliano Cæsare I. CONSS. [356.]

NOTAE.

(a) Iungendæ huic *legi* sunt duæ sequentes constitutiones: de quo in *Comm.* *GOTHOFREDVS.*

(b) An vrbis Romæ? An Constantinop? *IDEM.*

(c) Eadem subscriptio *legis 9. prox.* de qua iam ad *l. 14. sup. de Senatoribus & glebali collat.* Et mox adhuc *in Comment.* *IDEM.*

(d) Proconsul Braxius. *IDEM.*

(e) *γρ.* VII. vt duabus Legibus *seqq.* Hinc interim obserua Senatum habitum VII. *Id.* cum tamen ex Augusti instituto nonnisi Kalendis, & Idibus Senatus legitimus haberetur. vid. *Sueton. Octau. August. c. 35.* *IDEM.*

P. 41. *De* NVMERO *Senatorum ad* NOMINATIONES *faciendas.*

(a) IX. Idem A. ad Senatum.

PLACET, ne minus quinquaginta Clarissimi, (b) veniant in Senatum: (c) certum est namque hoc numero large abundare (d) substantiam (e) virtutis (f) honorandæ. (g) Dat. III. Id. April. Med. Lecta a Braxio Proconsule die VII. (h) Id. Maii Constantio VIII. & Iuliano Cæsare I. CONSS. [356.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic l.* est, vt dixi, *lex* superior: & proxime *sequens.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Clarissimi,* id est Senatores vid. *sup. tit. de Senatoribus,* & *Gloss.* *IDEM.*

(c) Ad Designationes & Nominationes Prætorum faciendas scilicet. *IDEM.*

(d) Id est, sufficere. *IDEM.*

(e) *Substantia,* pro materia subiecta & sufficiente vid. *in Gloss.* similia. *IDEM.*

(f) *Virtutis* appellatio signanter Senatui tributa. *IDEM.*

(g) Hæc vox in MS non erat, neque id spatium literarum, quæ interciderunt, fert: quinimo post vocem *virtutis* extet vestigium literæ *F.* vel *P.* *IDEM.*

(h) V. quæ *ad l. supr.* & quæ mox *in Commentario.* *IDEM.*

De TEMPORE *designationum, & de* IMMVNIBVS *a Prætura, deque onere Præturæ ab ipso designato, non ab alio eius nomine edendis.*

X. (a) Idem A. ad Senatum.

DIE Natali meo [Constanti (b) A.] Id. August. ac deinceps, (c) designationibus Curiam (d) operam dare sancimus. Quod si forsitan dies vnus alterue non sufficit, tot hæc vtilitas (e) occupet, quot esse monstrauerit necessarios negotii magnitudo: Et quicunque forsitan impetrauerit pretio (f) functorum (g) cœtibus adgregari, (h) indulta ei cesset: (i) adlectionis (k) quærendus est honor: fecerimus enim ab his, Patres Conscribti, quibus meriti suffragatio (l) conciliat nostra beneficia: & (m) quicunque cessante suffragio, inlustribus meritis, Prætorii vel aliam meruerit dignitatem, præsidio muneris nostri perpetuo perfruantur. Nemo sane in filium transferat vel nepotem aliumue quemlibet quod personæ eius incumbit, sed honorem suum capiat, designatus expleat munus inpositum. Dat. VII. (n) Id. Maii Constantio Aug. VIII. & Iuliano Cæs. I. CONSS. [356.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Iungendæ *huic l.* sunt duæ *Leges* superiores, 8. & 9. *GOTHOFREDVS.*

(b) *γρ. Constanti*, id est Constantii: de quo mox. *IDEM.*

(c) Id est, sequentibus proxime Idus Augustas diebus. *IDEM.*

(d) *Curia*, pro Senatu vrbis Romæ *hic & l 11. prox. & l. vlt. inf. de decur. & fil. l. 135. 155. inf. de Decurionibus: l. 18. inf. de Agentibus: l. 3. de fide testium:* & apud Symmachum *passim.* v. Paratitl. *de Senatorib.* *IDEM.*

(e) *Vtilitatem* vocat negotium publicum: vt mox vocat *negotii magnitudinem.* *IDEM.*

(f) *γρ. prece*, vel *precibus.* *IDEM.*

(g) Est qui legat, *Præturæ functorum*, quo nil opus. *Functi* h. l. vocantur, qui defuncti sunt seu perfuncti Magistratibus, vt vocantur, *l. 11. prox. inf.* *IDEM.*

(h) *Adgregari*, misceri apud Capitolinum, loco quem mox laudabo. *IDEM.*

(i) *γρ. cessent*, id est, nihil impetratio huiusmodi prosit. *IDEM.*

(k) De huius loci sententia mox. *IDEM*

(l) Similiter anno superiore 355. idem Constantius in *Orat. pro Themistio*, quæ est inter Themistian secunda *edit. Harduin.* *IDEM.*

(m) Est qui legat, *vt quicunque*, male: Duæ enim immunitatis species *hic* tractantur. *IDEM.*

(n) Repone hic, seu supple vt duabus *Legibus* superioribus. *Dat. III. Id. April. Med. Lecta a Bravio Proconsule die VII. Id. Maii.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc iam *hoc titulo* Constantii Imper. Oratio est ad Senatum data A. 356. De DESIGNATIONVM & NOMINATIONVM forma: vnde desumptæ sunt hæ tres Constantii Imp. Leges: quæ proinde velut vnius & eiusdem Constitutionis seu Orationis partes inter se coassandæ veniunt: quibus quinque capita continentur. Primum habetur *l. 8.* cuius videlicet arbitrio Nominationes fieri debeant. Secundum, *l. 9.* quis Senatorum numerus requiratur in Nominationibus faciendis. Tria posteriora *l. 10.* Quo scilicet tempore eæ fieri debeant. Quinam ab iis immunes sint, vel non, & de ludis edendis ab ipsis Nominatis.

De primo primum, & sic de *l. 8.* Igitur *Senatus arbitrio* Nominationes fieri iubentur: pariter vt *l. 13. inf.* id est, Præturas ipsas Editores sortiri Senatus arbitrio. de quo consule & *Paratitlon:* quomodo & designationes fiebant: *l. 10. 12. 13. 14. 15. 22. inf.* Symmachus. *lib. 10. ep. 59.* *Deuotione & more commonentis Magistratuum namine quibus varias functio-*
P. 43 *nes Designationum tempore Amplissimus Ordo mandauit, ad Æternitatis vestræ perfero notionem D. Imperator, vt muneribus exhibendis aut subeundis fascibus destinatos cognitio Imperialis accipiat.* Eam vero Nominationem ad certum Præturæ genus Iudices (in vrbe Roma) sibi aliquando vsurparunt: quod *h. l. 8.* vetatur vt & *d. l. 22. inf.* ibi; *Nominatores Prætorum Iudices esse non patimur qui dum arbitrium suum cupiunt adprobari, insolentius aliquid quam moderatio patitur sui contemplatione decernunt.* Quinimo & Censuales aliquando nominationis ius habuere: vid. *l. 13. & 26. inf.* Nominationis inquam, a qua separanda est *Designatio.* Nominatio erat, cum ad certum Preturæ genus quis antea iam designatus Prætor nominabatur: de qua nominatione *l. 8. 13. 17. 26. h. t.* & *Nouella* Theodosii *8. ne Decurio ad Senatoriam dignitatem.* Designatio vero ante fiebat, & erat, cum quis ad ipsam Præturam primum designabatur, vid. *Paratitlon.* Et hæc de *l. 8.* primoque adeo capite Orationis Constantianæ.

Sequitur secundum eiusdem Orationis caput, quod continetur *l. 9. h. t.* de *Senatorum numero*, necessario ad Senatusconsultum conficiendum. Is vero redigitur ad numerum quinquaginta Senatorum: ne inquam minus quam quinquaginta veniant in Senatum. Quod quidam de omni Senatusconsulto accipiendum putant, quasi promiscue, hic legitimus Senatorum numerus in concedendo Senatusconsulto olim requisitus fuerit, quod Cuiacius quoque ex *hac leg.* colligebat: & ex *l. 12. inf.* Et tamen est hæc *lex* proprie de eo nominatim Senatusconsulti genere, quo nominationes & designationes Prætorum fiebant. Id enim & *huius tituli* argumentum est, & Orationis Constantianæ, vnde hæc *lex* cum *l. 8. sup.* & *l. 10. prox.* desumptæ sunt. De quo Senatusconsulto etiam plenius. Senatusconsulto certe conficiendo cum ante Augustum effusior neque minor quadringentis Senatorum numerus requireretur, certus & deductior numerus ab Augusto præstitutus fuit, teste Dione *lib. 54. in fin.* & Suetonio, *in Octauio cap. 35.* varius inde & deductior numerus obseruatus, & quidem pro vario genere eorum, de quibus Senatus decerneret. Dio, *lib. 55. mox ab initio:* τόν τε ἀριθμὸν τὸν ἐς τὴν κύρωσιν τῶν δογμάτων ἀναγκαῖον καθ᾽ ἕκαστον εἶδος αὐτῶν ὥς γε ἐν κεφαλαίοις εἰπεῖν διενομοθέτησε. *Numerum etiam, qui vt ratum esset Senatusconsultum, requiritur, secundum singulas, vt paucis dicam, Senatusconsulti formas, definiuit.* Neque abludit Lampridii locus, *in Alexandro Seuero, cap. 16. Neque vllam*, inquit, *constitutionem sanciuit, sine VIGINTI Iurisperitis, & doctissimis ac sapientibus Viris, iisdemque disertissimis non minus* QVINQVAGINTA: *vt non minus in Consilio essent sententia quam* SENATVSCONSVLTVM *conficerent.* Quæ lectio alioquin varie sollicitatur. Sed enim vt hæc mens Lampridii, quod Alexander Seuerus constitutionem sanciturus tot sibi in consilio adesse voluerit, quot sententiæ alias in Senatusconsulto conficiendo requirerentur: ita distinguendus locus hic: *Vt non minus in Consilio essent*, id est non minore numero Consiliarii essent, *sententiæ, quam Senatusconsultum conficerent:* vel, *non minus in consilio essent sententiæ, quam SC. conficerent.* Nempe tot constitutionibus edendis Consiliarios & Viros adsciuit Alexander Seuerus, quot sententiæ ad Senatusconsultum requiruntur: Septuaginta igitur sententiæ hoc Alexandri Seueri æuo Senatusconsultum conficiebant: Septuaginta Viri consilium ipsius Alexandri Seueri. Cl. Salmasius ita hunc locum restituebat, vt *non minus in consilia esset sententiarum, quam Senatusconsultum cum fieret:* Quod eodem semper redit. Et hæc de secundo capite seu de *l. 9.*

Sequitur *lex 10.* qua duo capita, tertium & quartum inquam Constantianæ Orationis ad Senatum, continetur. Prius caput est de *Tempore*, quonam videlicet mense, quibus diebus Senatus Prætorum designationibus vacare deberet. Huic vero rei Constantius Natalem suum, Idus Augustas nempe, diesque insequentes, quot necessarii erunt, destinat. Natales certe Principum & alias inchoandis Officiis destinari fuere, vt *l. 11. 17. inf. de proximis:* & *l. 21. inf. de Palatinis S. L.* Hac vero *Lege* suum Natalem Prætorum designationi destinat Constantius: Nempe *Iduum Augustarum:* vnde etiam fit, vt sequente mox an. 357. cum iamiam Senatus huic rei, Idibus, inquam, Augusti operam daturus esset, pri-

die illius diei lecta fuerit in Senatu *lex 11. proxime sequens*, qua pariter Senatui designationibus vacaturo formulam præscribit Constantius. Notandus interim hic Constantii Natalis, *Idibus*, inquam, *Augusti:* quem ex hoc singulari loco seu *Lege* discimus Ammianus certe Marcellinus quoque, *lib. 21. cap. 15.* cum Constantium e vita abiisse tertio Nonas Octobris dixit, A. D. 361. addit, *imperii vitaque anno quarto &* (ita enim reponendum recte monuit Valesius ex Victoris *Epitome*, Eutropio & Socrate, aliisque: Natus enim Constantius A. D. 317.) *quadragesimo & mensibus paucis:* Pauci enimuero menses ab Augusto ad Octobrem sunt: quanquam alii diem tertium Nonarum Nouembrium in fine Constantii ponant, Socrates, Idacius, Cedrenus, Chronicon Alexandrinum, aliique. Vt ad illum Natalem redeam. Ergo si vera est huius *legis* lectio, tum natus fuerit Constantius *Idibus Augusti.* At enim in veteri Kalendario Heruuartiano Natalis Constantii adsignatur VII. Id. Augusti. *VII. Idus Augusti N. Constantii:* nam ita recte postea Bucherius edidit, cum antea editum esset *Constantini.* (a) Et vero ita quoque diserte habet Breuiculum vetus, quod illi præmittitur de Natalibus Cæsarum: vbi ita editum, *Mense Augusto. Diui Pertinacis Kalendis Augusti Domini Constantii VII. Idus Augusti.* vbi pariter vides *VII. Id.* cum in *hac l.* ipsis *Idibus* Natalem suum Constantius tribuat. Et quidem nomine suo in ipso legis contextu expresso. *Die Natali meo Constanti A.* Quæ quidem Pithœi & Cuiacii iudicio videntur abundare; quod satis sit, quod dicat *meo*, atque ideo hæc expungunt tanquam Glossema. Quos secutus & Clauerius *in Claudianum pag. 12. 6.* Sed enim ego retineo. Sic *infra* quoque Theodosius M. *l. 21. de Palatinis S. L. In venerabili Natali Perennitatis meæ Theodosii:* Sic Constantius Chlorus apud Eumenium Rhetorem, oratione pro Scholis instaurandis *c. 14. Qui hilari consensu meum Constantii Cæsaris ex Italia reuertentis suscepere Comitatum.* Quo loco pariter Viri docti nonnulli hæc duo *Constantii Cæsaris* expungunt, tanquam glossema: retinet recte Puteanus. Sic & Constantinus M. apud Eusebium *Histor. Eccles. lib. 10. cap. 5.* ὁπότε εὐτυχῶς ἐγὼ Κωνςαντῖνος ὁ Αὐγοῦςος κἀγὼ Λικίνιος ὁ Αὔγουςος ἐν τῇ Μεδιολάνῳ ἐληλύθειμεν. *Quamobrem cum nos, Constantinus ac Licinius Augusti, felicibus auspiciis Mediolanum venissemus.* Nempe Imperatores qui Collegas in Imperio habebant, vel Cæsares adsciuerant, cum illustre aliquid admodum quod priuatam & propriam personam eorum attingeret, cum solemnitates suo nomine narrarent, suum nomen exprimere in ipso constitutionum contextu soliti, ad dubitationem tollendam: veluti cum de *Natali* suo agerent, vt *h. l. & d. l. 21.* cum de *Aduentu* suo in aliquam vrbem, vt apud Eumenium & Eusebium: de quo alioquin Aduentu, vid. quæ dico ad *l. 1. inf. de indulg. crimin.*

Secundum caput *legis 10.* quod quartum est ex oratione Constantii ad Senatum, est *de Immunibus a Prætura:* vbi quatuor sententiæ continentur. Primo, *neminem impetrare posse pretio, vt functorum cœtibus adgregetur*, id est, neminem immunitatem a
P. 14. Prætura redimere posse, quasi iam functus: *Functi* scilicet sunt, qui, vt sequenti quoque *lege* dicitur, perfuncti Magistratibus. Ergo pretio id redimi non potest, a Senatu videlicet. Quid igitur? Qui immunis esse vult, quæ iam *secunda* sententia est, ei *Adlectionis honor quærendus est*, id est, vt mox explicatur, eos immunes reddi, quibus meriti suffragatio Principis beneficia conciliat, id est, qui meritis suffragantibus a Principe immunes facti sunt. Atque hic est *Adlectionis* honor, cum videlicet Principis beneficio ob merita Senatoria dignitas ita confertur, vt conferatur cum immunitate a functionibus Senatoriis inter Consulares. Huc pertinet Symmachi *ep. 95. lib. 7.* locus: *Dynamium dignum esse prædico, qui nostro Ordini* (Senatorio) *copuletur: sed adiicienda est ei prærogatiua militia, vt beneficio* ADLECTIONIS *vtatur: His quippe tantum munia relaxari Diualia constituta voluerunt, quos Castrensis honor illuminat. Si igitur & hoc insigne detulerit, quod annonarum & euectionum cumulet adiectio, prono cursu in Consulares legetur.* Vide & alterum Symmachi locum *lib. 10. ep. 18.* quem profero ad *l. 23 inf.* quæ omnino respondet. Consulares scilicet codicillos suo merito a Principe consecuti, atque adeo Adlecti a Prætura immunes erant. De his vero *Adlectionibus* est hic quoque Capitolini locus *in Pertinace c. 6. Et cum Commodus allectionibus innumeris Prætorios miscuisset, Senatusconsultum Pertinax fecit, iussitque, eos, qui Præturas non gessissent, sed Allectione accepissent, post eos esse, qui vere Prætores fuissent.* Vbi quod editum, *Prætorios miscuisset*, rectum est: Commodus Imp. scilicet Adlectos cum iis, qui vere Præturas gesserant, miscuerat, sic vt his illi nihilo inferiores essent, sed æquales: *Prætorios miscere Adlectionibus* est veris Prætoribus miscere Imaginarios seu Adlectos, & vt hæc *lex* loquitur, *functorum cœtibus adgregare:* & *innumeris Adlectionibus* est, per frequentes Adlectiones. Hinc igitur *Adlecti*, qui & omnes *l. 7. 8. inf. de proximis.* Adlecti & Immunes a Senatoriis descriptionibus, *l. 1. inf. de decurion. & silent.* Ad hos Allectus allusit Sedulius *ep. ad Macedonium*, præfixa Carmini Paschali: *Quæ superbi sanguinis nobilitatem sic humilitate prouexit ad gloriam, vt in cœlestis patria Senatū fieri mereatur Allecta:* vt recte *ibi* restituit ex vetustissimis Codicibus Iuretus. Huius Adlectionis & Adlectorum, (quos licet Senatores inter Consulares velut ex-Consularibus nulla functio tenebat, conlatio non defraudabat, vt loquitur *lex 6. inf. de Agentibus in reb.*) exempla præbet in genere, in Palatinis *lex 7. inf. de priuil. eor. qui in S. Pal.* in Decurionibus & silentiariis *lex 1. (& vlt.) inf. de decurion. & silent.* in Domesticis & Protectoribus, *l. 7. 8. 9. 10. infr. de domesticis:* in Præpositis Laborum, *l. vn. inf. de prapos. labor.* in Primiceriis scriniorum scriniariis post 20. annos, *l. 19. & vlt. inf. de palat. S. L. l. 7. & 8. inf. de proximis:* in Principibus Agentium in rebus, *l. 5. & 6. inf. de Agentibus: l. vlt. sup. de Senatoribus:* in Archiatris, *lex 12. 15. 16. 17. vlt. inf. de Medicis & professorib.* Alia exempla repete ex *Paratitlo*, & *l. 28. inf.* Huc vero pertinent ignorabiles illæ hactenus literæ in codicillis dignitatum quas *Notitia Imperii* exhibet *fol. 61. 79. 86. 88. 89. 91. 93. seqq.* FL. INT. ALL. COM. ORD. PR. eas vero sic interpretari oportet, *Feliciter lectus: inter Allectos Comes ordinis primi:* (b) Quomodo & illa *fol. 109. 110.* FL. VAL. COST. AT. IVSSI D. sic interpretanda sunt, id est, *Feliciter lectus vel Allectus Comes Ordinis Tertii Iussione diuina.* Et hæc de Adlectis.

Eadem immunitate a Prætura, *tertia* sententia, frui iubet Constantius eos, qui cessante suffragio inlustribus meritis *Prætorii*, id est, Præfecturæ Prætorii, vel aliam Dignitatem meruerint: quod & ipsum cauetur, *l. 23. h. t.*

Tandem postrema *huius l.* sententia id cauetur, non

(a) Lege, si placet, quæ notatata sunt ab ANTON. PAGI *in Crit. ad Annal. Baron. an. 361. num. 4. 5.*

(b) GVIDO PANCIROLLVS *fol. 61.* enarrans *Primicerii Notariorum* insignia, quæ munera ad eum spectantia indicabant, literas has dorso libri, qui in insignibus conspicitur, inscriptas, quæ diu multumque ipsum sollicitum tenuerant, ita interpretandas esse, conilciebat: *Felix Liber Iniunctus Notariis Tribunis a Laterculo Continens Mandata Ordine Principis*, vel *Primicerii.* & illa *fol. 109. & 110.* legenda putabat: *Felix Liber Venit & Laterculo Continens Sacros Titulos Rerum Largitionalium Iussione Diuina.* Dormitabat bonus Vir cum hæc scriberet, fingens species sine re.

non posse quemquam per alium, Filium, inquam, & nepotem aliumue quemlibet Præturam explere, id est, filium vel nepotem aliumue in locum suum substituere. Ipsius scilicet personæ ea incumbit, quare neque per coniunctam quamlibet personam, vel potestati suæ suppositam edere potest. Cuius rei hæc ratio proculdubio fuit, quod filius vel nepos Senatorius & ipse sua olim die, suo tempore ad Præturam vocandus esset: quam minus pro dignitate sustinere tum posset, si vicariam pro patre & Auo iam edidisset, atque ita patrimonium suum iam exhausisset. Et hæc quidem est *huiusce leg.* sententia, alioquin obscuræ satis: vt proinde erret vir Doctus, qui hanc *huiusce leg.* partem non de his qui pretio immunitatem a Prætura affectarent, verum contra de his qui *Præturam affectarent*, accepit: quasi id *hac l.* statuatur, præmio Præturam impetrari non posse: sed vel a Senatu conferri, vel a Principe virtutum & meritorum intuitu.

Superest subscriptio *legis 8. & 9.* quæ & ipsa *legi 10.* subiicienda est: *lecta a Braxio Proconsule:* de qua iam dixi pleoe ad *l. 14. sup. de Senatoribus & de Glebali collat.* Illud taotum hic repetendum, eodem modo eiusdem Constaotii Orationem proponi inter Themistii opera *pag. 18. edit. Harduin.* anno superiore 355. quæ fuerit *lecta in Senatu; Legis autem Iustinus Clariss. Proconsul:* Quam ipsam orationem nntandum est io eodem argumenro versari: Themistius enim ea oratione siue epistola Senatoria dignitate augetur: de quo mox *l. 12. inf.* Nescio vero, an qui *Proconsules* hac oratione, & in altera illa Constantii Orat. pro Themistio vocantur, alicuius prouinciæ Proconsulatum gesserint, an vero non potius *Duumuiri* accipiendi sint, quos Ἀνθυπάτυς vocat Socrates *lib. 2. cap. 41.* & vero io Authentico harum Orationum Græco, ita dicti videntur, qui scilicet Senatus Constantioopolitani Caput fuere, antequam Præfectus Vrbi, Duumuiris abrogatis, quadriennio ferme post *hanc leg.* A. D. 359. institueretur, de quo ad *l. 16. inf.* Certe Duumuiri in ciuitatibus & Curiis loco vireque duorum consulum fuere Romanorum, eorumque imaginem exhibuere, etiam fascium insignibus: de quo ad *l. 16. inf. de decurionib.* Quare neque Imperatores antiquitus Duumuiratum municipiorum aspernati: de quo Spartianus, & vetus inscriptio de Hadriano.

XI. (a) Idem A. ad Senatum. (b)

SI quos in Vrbe Roma perfunctos esse claruerit Magistratibus, ad nulla Editionum genera deuocentur. Vrbis autem Romæ Curiam (c) callide declinantes Clarissimo (d) præditos nomine, per Achaiam, Machedoniam, (e) totumque Illyricum iussimus
quæri, (f) raro vel nunquam sedem (g) dignitatis propriæ frequentantes, quibus Loco-
P. 45. rum (h) grata confinia possint esse iucunda, vt (i) carens moris longinquæ peregrinationis debeat dignitas (k) concupisci. (l) Lecta Prid. (m) Id. August. Constantio Aug. IX. & Iuliano C. II. CONSS. [357.]

NOTAE

(a) Abest a Cod. Iust. GOTHOFREDVS.

(b) Vrbis Romæ. IDEM.

(c) *Curia*, pro Senatu, *h. l.* & *l. 10. sup.* vbi dixi: & apud Amm. Marcellinum *lib. 16. c. 10.* in huius ipsius Consulatus gestis. *Allocutus* [Constantius] *Nobilitatem in Curia.* IDEM.

(d) *Clarissimum* nomen, id est, Senatorium, vid. *Paratitlon.* IDEM.

(e) De Macedonia. vid & *sup. l. 3. de Senatoribus.* IDEM.

(f) Cogique vt reuertantur, *l. 4. sup.* IDEM.

(g) *Roma*, Sedes dignitatis Senatoriæ: Communem patriam vocat *lex 11. inf.* IDEM.

(h) *Locorum* grata confinia, dicam de hac *Loci* appellatione mox. IDEM.

(i) Forte, &c. Et istud tamen retineri potest. IDEM.

(k) Prætoria, Prætura. IDEM.

(l) V. *l. 15. inf.* IDEM.

(m) Nota hunc diem: Data scilicet hæc *lex* pridie eius diei, quo Senatus Prætorum designationibus operam dare debebat ex Constantii instituto, *l. 10. prox. sup.* De quo mox. IDEM.

COMMENTARIVS.

TERTIA hæc iam hoc titulo Coostantii Imper. Oratio est ad Senatum: qua formam & formulam DESIGNATIONI & Nominationi ad Præturam præscriptum it: Senatu iamiam huic rei operam daturo: Obseruandum enim io subscriptione, hanc *leg.* dici *Lectam Prid. Id. Aug.* cum secuturo mox die *Id. Augustarum* ex Constantii præscripto *l. 10. sup.* Senatus coire deberet ad designationes faciendas. Duo igitur capita hae orationis Coostantinianæ parte continentur.

Primo capite definitur, IMMVNES ab Editionibus esse debere, Magistratibus perfunctos in vrbe Roma; de quo iam ad *l. 10. sup.* vid. & plura in *Paratitlo*: puta Præfectos Vrbi, Præfectos Vigilum, Præfectos Aononæ, Tribunos plebis: hi enim Magistratus vrbani ferme Romæ hoc tempore fuere. Quod quidem datum vrbis Romæ maiestati, quod & ad primarias Regnorum ciuitates si quando traduci alia in re non male possit.

Secundo capite iubet Constantius, ABSENTES Senatores, vrbem Romam *callide*, ad euitanda scilicet munera, declinantes, eamque vel raro, vel nunquam frequentantes, quæri: cogique adeo, vt ad eam reuertantur; de qua fuga dixi iam ad *l. 4. sup.* Hoc autem capite sequentia notanda sunt. *Primo*, Senatores per Achaiam, Macedoniam, totumque Illyricum indagari iuberi. Nempe in has sese prouincias vel diœceses hoc tempore multi Senatorum Romanorum contulerant. De Macedonia quoque id ipsum testatur sub Theodosio M. *lex 3. sup. de Senatorib. & Glebali coll.* Verum hi de quibus *h. l.* agitur, in Achaiam, Macedoniam & totum Illyricum sese contulerant, vt Curiam seu Senatoria munera callide declinarent.

Secundo notanda hæc prouinciarum & dioeceseon enumeratio: *Achaia, Macedonia, totumque Illyricum.* Achaia scilicet & Macedonia in Illyrico fuere, vt vel ex *Notitia Imperii* liquet, & cum Macedoniæ dioecesis Achaiam in se complecteretur, Achaia & Macedonia prouinciæ sub dioecesi Macedonia extitere. *Illyricum* porro *totum* hoc intelligendum est: totum, inquam, Illyricum, quod postea in Orientale & Occidentale diuisum: hoc vero tempore, indiuisum erat, de quo ad *l. 2. sup. de const. Principum*, & *ad l. 7. inf. de metallis.*

Tertio notanda ratio seu color, quo iussionem hanc suam Constantius velare instituit; *quibus*, inquit, *locorum grata confinia esse possint iucunda, vt carens moris longinqua peregrinationis debeat dignitas concupisci.* Id nempe vult, reuocatos ex illis longinquis prouinciis Senatores, non tantum in vrbis Romæ confinibus iucundius victuros, verum etiam e propinquo dignitatem seu Præturam vltro concupituros, vtpote qui alias in longinquis prouinciis consistentes absentesque nominati, longinqua & tædiosa peregrinatione Romam commeare cogerentur, edendorum ludorum gratia: Satius igitur, hærere eos in suburbanis, vrbique proximis, quam longe; cum semper ad editionem cogantur. Erita quidem Constantius tunc: At postea tandem Senatores in prouinciis degentes & absentes Martianus ad Præturam vocari vetuit, *l. 1. Cod. Iust. de Prætoribus.* *Nemo ex Clarissimis & Spectabilibus qui in prouinciis degunt ad Præturam postea deuocetur: maneat vnusquisque domi suæ tutus atque securus, & sua dignitate lætetur.* Simile vero quid exstat, *l. 21. vers. simul prouinciales nostri, infr. hoc tit.*

Quarto obseruanda hæc de Absentibus & Peregrinis Senatoribus querela, qui Romam vel Senatum Rom. sedem dignitatis suæ raro vel nunquam frequentabant. Et quidem in facie, callido illo, quod dixi, consilio. Haud absimili querelæ de Senatoribus peregrinis similis coramatico arcano & consilio σκέμματι Politico occursum & olim a Traiano, quomodo refert Plinius, *lib. 6. ep. 19.* *Candidatos*, inquit, *patrimonii tertiam partem conferre iussit Princeps in ea quæ solo continerentur: deforme arbitratus, vt erat, honorem petituros, Vrbem, Italiamque non pro patria sed pro hospitio aut stabulo quasi peregrinantes habere.* Item a Marco Antonino: qui teste Capitolino in *eius vita c. 11.* legem etiam addidit vel edidit, *vt Senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent.*

Quinto & illud notandum, quod Roma Curiaque Romana dicitur *Senatorum sedes dignitatis propria.* Hinc & Senatores, etsi ibi vnde oriundi sunt habere domicilium intelligantur, attamen in Vrbe domicilium habere videntur, *l. 11. D. de Senatorib. l. 22. §. pen. D. ad municipalem.* Atque vti Senatorum hæc propria sedes fuit, ita quoque & *Imperii lar* erat, vt hoc ipso anno eam vocat Am. Marcell. *lib. 16. cap. 10.* (a) v. & Themistium *Orat. 13. (quæ est in edit. Harduin. ord. 4.)* *Postremo*, peculiaris nescio cuius studii & affectus erga Vrbem Romam Senatumque Constantii indicia hic passim interlucent: vtpote qui ante trimestre ferme vrbem eam magno cum apparatu ingressus, summisque Senatus officiis exceptus, in eademque cum magna admiratione, 30. ferme dies, moratus, deque ea ornanda consilio capto ante bimestre inde profectus, Mediolanum perrexit: de quo cum alii Scriptores fidem faciunt, (quos *in Chronolog.* cumulauimus) tum Ammianus Marcellinus, *d. lib. 16. cap. 10.* qui rem omnem ac- P. 46.
curate describit: imo & subscriptio duarum legum *hoc Codice*, puta *l. 5. de Numerariis: l. 9. de Nauiculariis.*

(a) Ad hunc locum vide, quæ ex aliis auctoribus adnotauit *Valesius.*

XII. (a) Idem A. ad Senatum.

PRÆTORES designentur Senatusconsulto legitime celebrato, [ita vt adsint decem e Procerum (b) numero, qui Ordinarii (c) Consules fuerint, quique Præfecturæ gesserint dignitatem, Proconsulari (d) etiam honore sublimes.] Themistius quoque Philosophus [cuius *auget scientia dignitatem.*] Etiam his præsentibus, qui præturæ insignia honoremque ante susceperint, Latis per Ordinem sententiis designentur. (e) Ita vt si qui forte medio tempore humana sorte decesserint, alii in eorum locum, qui in eandem dignitatem [vt vtamur (f) veterum verbis] *subsortiti fuerant, subrogetur:* (g) scilicet, vt qui sequenti post eum anno eandem suscepturus Præturam fuerat in demortui locum, Senatusconsulto & sententiis substitutus, Præturæ insignia dignitatemque suscipiat. Dat. V. Non. Maii. Gysyræ, (h) Tauro & Florentio CONSS. [361.]

NOTAE.

(a) Hanc *leg.* perperam nonnulli eam putant, cui Themistius paria fecerit *Orat. 14. (2. in edit. Harduin.)* de quo mox: vt & de *Legibus* quæ *huc* coniungendæ sunt, de quarum numero est etiam *lex prox. 13.* Illud quoque notandum, ὑστερόπρωτον hic admissum ab huius Codicis Conditoribus: *lex* enim 14. 15. 16. hanc *leg.* & *seqq.* anteuertere debuerunt. GOTHOFREDVS.

(b) Proceres, *h. l.* & *l. 1. sup. de nuptiis*, sunt Senatores, & potissimi quidem, qui Summates passim Symmacho. IDEM.

(c) *Ordinarii* Consules. IDEM.

(d) Proconsulari honore sublimes. Ita apex Proconsularis dignitatis, *l. 7. inf. de Princ. agent.* vbi dicam. Vel hinc patescit, quam inanis sit obseruatio eorum, qui Ordinarios Consules post Consulatum gestum ipso iure Proconsules factos & dictos scribunt. IDEM.

(e) V. *l. 14. inf.* quæ hac nostra antiquior est. IDEM.

(f) In MS. *vtamur*, male. IDEM.

(g) *vt.* *Subrogentur.* IDEM.

(h) *Gephira* Ptolomæo & in Itin. Peuting. Syriæ vrbs XXII. lapide ab Antiochia: vnde eo digressus Constantius hoc tempore. vid. *Chronolog. Theodos.* Alia *Gephyra* Bœotiæ, de qua ex Hecatæo & Strabone Stephanus. IDEM.

XIII.

XIII. (a) Idem A. ad Senatum.

EX quinque Prætoribus, qui solemniter (b) designati editionem celebrare consuerunt, tres numero (c) editionis (d) necessitati & populi (e) voluptatibus (f) dent, (g) duo vero argentum inferant eiusdem (h) Vrbis fabricis (i) prouida ratione profuturum: Namque *Constantiniana*, (k) quæ prior est, ita deputari fabricis debet, vt libras (l) argenti Prætor expendat: *Flauialis* (m) vero, quæ tertia est, quingentas operibus eiusdem Vrbis exhibeat. Quod (n) si qui ex his qui Prætores fuerint designati, ad editionem subeundam venire non potuerint, vel ætate, vel ægritudine retardati, cum pondere (o) quod a nobis moderantibus (p) conditum (r) est, ad Officium Præfecti Vrbi procuratorem debebunt ilico destinare, scilicet, vt sub eius præsentia opus quod exerceri (s) cœptum fuerit construatur: hac pollicitatione duntaxat, (t) vt eidem operi ex eius nomine titulus scribatur. In (v) potestate Censualium (x) denominatio (y) non sit, sed ante decennium legitimo (z) Senatusconsulto Prætores designati, editionem Præturasque ipsas Senatus arbitrio sortiantur: ita (a) vt, si conuenti idem (b) venire neglexerint, dimidium plus (c) quam quanti sumptuum necessitas postulat, vel in argento, (d) vel in ipsis pigneribus (e) ad Præfecti Vrbi officium destinetur: quod quidem pondus operibus publicis debebit adscribi, sine vlla commendatione adque inscribtione eius nominis, qui officia (f) dignitatis per contumaciam detrectarit. Quod (g) si Iudices, qui Præfecti vrbi fuerint inscribtione conuenti, rem segnius exsequuntur, & nequaquam aut ipsos ad Vrbem aut pignera destinarint, per singulos Prætores ipsi Iudices denas auri libras, Officia vero eorum quinas denas inferre debebunt, ita vt exerto vigore Præfecti Vrbis libræ auri pondus exactum operibus faciat mancipari. Nec vlla protrahendi sit caussa, cum in tantum Præfecturæ Vrbi dignitatem auctam esse velimus, vt hæc condemnatio (h) ob segnitiem conuentionis inflicta missis ab eodem Præfecto Vrbi Officialibus debeat postulari. Quod (i) si qui forte Vicaria potestate perfuncti Præturam hinc (k) ceptum aferri student, statutum pondus argenti viribus (l) inferre nostræ Vrbis adigantur, videlicet vt tantum inferant, quantum eos Prætores inferre iussimus, qui editionis necessitate cessante argentum fabricarum contemplatione præbituri sunt. Dat. V. Non. Mai . . . . . næ, (m) Tauro & Florentio CONSS. [361.]

P. 47.

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* superiori coassanda est, vna cum aliis *septem*: de quo mox. *GOTHOFREDVS.*

(b) Solemni Senatusconsulto. *IDEM.*

(c) De numero Prætorum seu Præturarum, eorumque ordine iam ad *l. 5. supr.* V. *l. 10. prox. sup.* *IDEM.*

(d) *Prima* Sententia, de Genere expensarum. *IDEM.*

(e) Constantinopolitani. *IDEM.*

(f) *Voluptatum* vox hac in re propria. vid. *Gloss.* *IDEM.*

(g) γρ. *Se dent*: ad marg. edit. Paris. editum, *operam dent.* *IDEM.*

(h) Constantinopolitanæ. *IDEM.*

(i) *Aquaeductui* v. g. vt *l. 29. 30. inf.* *IDEM.*

(k) Constantiniana Prætura nunc prima, antea secunda, *l. 5. sup.* *IDEM.*

(l) Numerus *hic* librarum excidit: reponam *M.* id est, mille, de quo mox. *IDEM.*

(m) *Flauialis* Prætura: de hac *l. 5. sup.* quoque. *IDEM.*

(n) *Secunda* sententia de *Absentibus* per ætatem, vel ægritudinem. *IDEM.*

(o) Argenti. *IDEM.*

(p) *Moderantibus*, id est, modum præstituentibus. *IDEM.*

(r) γρ. *Condictum*, id est, statutum, vid. quæ notabo ad *l. 20. inf.* *IDEM.*

(s) *Exerceri* opus dicitur. vid. *Gloss.* nisi hic malis *excitari.* *IDEM.*

(t) Est qui hunc locum ita mutet. *Hac pollicitatione vt eidem operi ex eius nomine duntaxat titulus scribatur.* Verum nil mutandum: *Duntaxat* hic est ἀμελεὶ, vt in Glossis *Philoxeni*. Quo sensu & Vopiscus, horum ipsorum temporum scriptor, *in vita Probi c. 16. Addens, vt coram filii ab anno octauo decimo mares duntaxat ad militiam mitterentur, ac ante latrocinari quam militare discerent.* Vsurpata & hæc vox eodem sensu, *l. 109. de Decurionib.* *IDEM.*

(v) *Tertia* sententia, de *Nominatione* Prætorum ad Præturas, & a quo facienda. *IDEM.*

(x) De *Censualibus* dixi ad *l. 5. sup. de Senatorib.* *IDEM.*

(y) Vide *inf. l. 21.* *IDEM*

(z) V. *l. 12. sup.* *IDEM.*

(a) *Quarta* sententia, de *Absentibus* per contumaciam. *IDEM.*

(b) Pro, *iidem.* *IDEM.*

(c) V. *inf. l. 22.* *IDEM.*

(d) V. *l. 22. inf.* *IDEM.*

F 3 (e) *Pigno-*

(e) *Pignora* intelligit *hoc vers. & seq.* quæ a Rectoribus prouinciarum de Prætorum contumacium bonis capi oportet. *IDEM.*

(f) *Officia* dignitatis, sunt nnera, munia, necessitates, & quidem editionis, dignitati incumbentia. *IDEM.*

(g) *Quinta* sententia de *Iudicibus* rem segnius exequentibus. *IDEM.*

(h) *Sexta* sententia, de *Officialibus* Præfecti Vrbi pœnam Iudicum exigentibus. *IDEM.*

(i) *Postrema* sententia, de *Ex vicariis:* de quibus etiam ad *l.15.* *IDEM.*

(k) Hunc locum mox restituere conabor. *IDEM.*

(l) *Viribus*, id est, reditibus. vid. *Gloss.* & quæ de hac *virium* appellatione semel dico ad *l. vn. inf. de prab. salario.* *IDEM.*

(m) Ita editiones aliæ; sola Parisiensis expleuit lacunam ita, *Verone:* quod non probo, neque reponam *Veræa*, id est, Beroœæ, quæ vnius diei itinere distabat ab Antiochia (vbi hoc anno erat Constantius) teste Procopio, *lib. 2. Persic. c. 7.* Quid igitur? Et hic *Gefyra*, vt *l. 12. sup.* repono. Et certe in MS. euidentissime supersunt hæc, *yra. IDEM.*

COMMENTARIVS.

QVINTA hæc iam (quarta enim sequetur, ordine temporum seruato, *l. 14. & 15.* quæ ibi *ὕϛερον πρώτερον* positæ) Constantii ad Senatum *hoc titulo* oratio est, *de Pratura:* e qua præter hasce duas *leges*, puta *12. & 13.* extant insuper septem *hoc Codice:* puta *l. 1. inf. de metatis: l. 48. inf. de decurionibus: lex 1. de protostasia: l. 1. de publ. comparat. l. 7. de annona & tributis: l. 3. de lustrali collat. l. 7. de operib. publ.* (quæqoe proinde omnes hisce duabus *Legibus* coassandæ veniunt.) Ea vero oratione integra Constantius de Senatoribus eorumque priuilegiis prolixe egerat: Ac nominatim de Prætura, de qua agitur etiam *d. l. 48. de decurionib.* Nos de duabus his *Legibus* videamus.

Ac primum de *l. 12.* qua forma *Senatusconsulti Pratoriani* tum in designandis Prætoribus, tum in subsortiendis, a Constantio præscribitor. Primum igitut ea statuitut, vt Seoatusconsulto legitime celebrato Prætores designentur, seu legitimo SC. vt *l. sequ.* (quæ huic coniungenda, eiusdemque Orationis pars est) dicitur. Ceterum ad legitimum SC. requiritur, *l. 9. sup.* numerus 50. Senatorum: *Hac* vero *lege* requiritur nominatim, vt adsint e *Procerum*, id est, potissimotum Senatorum, seu Summatum numero (de qua voce dixi plene ad *l. 1. sup. de nuptiis*) decem, qui Consules ordinarii fuerint, qui Præfecti (Prætorio scil. aut vrbis) qui Proconsules (Asiæ, vel Achaiæ) itemque singulari priuilegio & beneficio Themistius Philosophus, qui in Senatum allectus fuerat, cum immunitate tamen a Præturæ ludorumque edendorum onere, vt ipse testatut *Orat. 26. pag. 328. edit. Harduin.* In cuius laudes sese diffundit quoque his verbis Constantius: *Themistius quoque Philosophus, cuius auget scientia dignitatem:* Simili prorsus ratione & sensu, quo Constantius Chlorus (huius nostri Auus) ad Eumenium Rhetorem, Magistrum Epistolarum scribens ait, *cum honesta professio* ORNET *potius omnem quam destruat dignitatem.* Vid. *Eumenium Orat. pro schol. restaurand. c. 14.* Vult scilicet Constantius *h. l.* Senatoriam dignitatem, qua insignis Themistius erat, Philosophia & scientia eius augeri, tantum abest vt eam destruat, quasi Philosophum non admittat Senatus: Quod & ipsum argumentum idem Constantius *Oratione in laudes Themistii huius, pag. 18. edit. Harduin.* cum in Senatum eum cooptari vellet, exequitur. De qua mox plura. Et hæc quidem horum verborum Sententia est: neque de alia Themistii dignitate intelligenda hæc *lex*, quam de Senatoria. Nam, vt Themistii honorum paginam decurram, *Prafecturam Vrbi* postea demum consecutus est. Qua etiam parte magnus est dissensus. Suidas voce Θεμίϛιος, eum a Iuliano in P. V. euectum insinuat. Θεμίϛιος Φιλόσοφος γεγονὼς ἐπὶ τῶν χρόνων Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου, ὑφ' οὗ καὶ ὕπαρχος προσβλήθη Κωνϛαντινουπόλεως. *Themistius Philosophus, qui vixit temporibus Iuliani Apostata, a quo etiam designatus est Prafectus Constantinopolis.* Palladas *lib. 2. Ανθολ.* a Valente eum ad summum militiæ culmen (id est P. V.) euectum docet. At ipse Themistius *sub f. orat. 17. pag. 215. edit. Harduin.* indubie ostendit a Theodosio P. V. oroatum se fuisse. Vt ad Constantium, & Themistii laudes redeamus: Etsi Themistium hac ad Senatum Oratione a Constantio laudibus efferri & singulari priuilegio decorari videmus, aosterior tamen *hac* ad Senatum Constantinopolitanum a Constantio Oratio missa fuit, & quidem solius Themistii causa, qua maximis eum laudibus mactatum in Senatum cooptari voluit. Quæ illa ipsa Oratio est, cuius meminit, simul & laudis ac honoris sibi ea Oratione in Senatu tributi gratiam Constantio refert ipse Themistius peculiari oratione, quæ inter *Petauianas est*, 14. inter *Rhe-* p. 48.
mianas prima, in edit. Harduin. 2. cuius tituli περὶ τοῦ αὐτοκράτορος ἐγκωμιάσαντος αὐτὸν πρὸς τὴν γερουσίαν εὐχαριϛήριος, αὐτὸν ἀποδεικνὺς τὸν βασιλέα μάλιϛα Φιλοσοφίας μετέχοντα. *De imperatore* (Constantio) *a quo erat in Senatu laudatus, oratio gratiarum actionem continens, ipsumque imperatorem demonstrans, philosophia cumprimis esse participem.* Illa scilicet, qua primum in Senatum cooptatus Themistius a Constantino fuit, quinque annis, octo mensibus anterior est, hac altera Oratione siue *lege* nostra: vt docet aius subscriptio hæc. *Allata est epistola pro Themistio Clarissimo Philosopho, Lectaque in Senatu Kal. Septembribus. Coss. Arbetione & Lolliano* (id est, A. D. 355.) *legit autem Iustinus Clarissimus Proconsul.* Hæc vero oratio Constantii inter Themistianas edita primum A. D. 1614. Lugduni Batauotum, addita Petri Pantini interpretatione, mox anno 1618. a Petauio. Eiusdem Orationis meminit quoque Photius *n. 74. pag. 163. edit. Schotti.* Ἐπὶ δὲ Κωνϛαντίου, inquit, ἔτι νέος ἦν: ἀφ' οὗ καὶ ἐνετάγη τῇ τῶν Ῥωμαίων ΓΕΡΟΥΣΙΑ, ὡς καὶ ἡ πρὸς αὐτὴν τὴν ἐν Ῥώμῃ γερουσίαν ὑπὲρ αὐτοῦ παρὰ τοῦ βασιλέως ἀποϛαλεῖσα ἐπιϛολὴ δηλοῖ. *Constantio imperante iuuenis etiamnum erat, a quo & in Senatum Roma lectus est, quemadmodum Casaris de illo ad Sen. Rom. missa epistola fidem facit.* Ab hac autem Oratione hæc nostra altera & posterior est, neque de Themistio Philosopho expresse conscripta de laudibus & in laudes eius, verum de Senatusconsulto Prætoriano, eiusque occasione tantum de Themistio: cui scilicet iam ante sexennium in Senatum allecto, id eximium tribuit, vt ipse Prætoriano huiusmodi Senatosconsulto intersit inter Proceres & Summates Curiæ, inter ex-consulibus, inquam, ex-Præfectis prætorio, aut Vrbis, & ex-Proconsulibus. Deoique hoc rempore Constantius & Themistius paria inter se facere contenderunt: Themistius A. D. 354. Orationem habuit tertiam in Senatu in laudes Constantii: mox A. D. 355. Themistius a Constantio in Senatum allegi iussus, laudibusque ab eo mactatus: ea quam dixi oratione: Eodem Anno 355. Themistius orationem 14. (quæ est secunda in *edit. Harduin.*) habuit, qua Constantio gratias reddidit, laudesque in eum congerit. Exinde in magna apud Constantium gratia fuit:

fuit: quod ostendit A. D. 361. vel hæc *lex* nostra. Colligere est etiam ea pluribus Libanii ad eum *epistolis*. Verum in viam. Præter Procetes, quos dixi, vult præterea Constantius, Prætoriaao SC. adesse, qui Prætores ante fuerint, quod ipsum & quidem solum iam ante constitutum fuerat, *l. 14. inf.* vbi dicam. Et hæc de iis quos SC. huiusmodi adesse oportebat. Secundo sententias per Ordinem ferri in designando Prætore iubet Constantius: sicut Lampridius *in Alexand. Seuero c. 16.* scribit & subiicit (loco, quem ad *l. 9. sup.* notaui,) in Consilio Alexandri cum de constitutionibus sanciendis ageretur, itum per sententias singulorum, & scriptum quidquisque dixisset, dato etiam spatio ad disquirendum cogitandumque priusquam diceret. Non vult igitur Exclamationibus seu acclamationibus post sententiam a Principe seu primo dictam, assensum vel dissensum testantibus inordinatis vno ferme verbo expressis rem peragi: qui mos alioquin tum obseruatus & tralatitius hac ferme voce OMNEIS OMNEIS: vid. Vopiscum *Tacito c. 7.* & in Vit. *Probi c. 12.* & Capitolinum *in Maximo & Balbino. c. 2. 3.* Idque est, quod Vopiscus in *Aureliano c. 20.* vocat, *verbo consentire*. Verba eius hæc sunt: *Posthac interrogati plerique Senatores, sententias dixerunt, quas longum est innectere: deinde aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in sententiam euntibus, plerisque verbo consentientibus, conditum est Senatusconsultum.* Pollio quoque, *in Valeriano patre c. 1.* *Quum iretur per sententias singulorum, vbi primum Prætor eum qui erat Princeps sententiam rogasset, Omnes* VNA VOCE *dixerunt, interrupto more dicenda sententia.* Talis eaclamatio adunatorum, seu vniuersorum veteranorum, *l. 1. inf. de veteranis* vbi dicam plura. Iam igitur apparet, quid sit, *per ordinem sententias ferri*, id est, ordine, singulis sententiam suam promentibus: nam male accepit Vir Doctus, qui interpretatus ita hæc verba *per ordinem*, id est, per Senatum Clarissimum: Duo scilicet Constantius exigit in SC. Prætoriano: Legitimum Procerum conuentum, & legitimum Seotentiarum ordinem: Quæ duo rursum *fine legis* inculcantur his verbis: *In demortui locum Senatusconsulto & sententiis subsituitus.* De quo vtroque rursum dicam *ad l. 14. inf.* quæ hanc nostram præcessit. Breuiter huc omnino pertinet quod Symmachus scribit *lib. 10. ep. 21.* postquam de modo Editionum egit. *Eiusdem præterea rationis salubritate, vetus dicendarum sententiarum forma reparata est, ne summum cuique decernendi locum, non ratio munerum, sed bonorum fortuna præstaret, atque id* ASSENSIO *cæterorum vel inuita sequeretur, quod ante* OMNES *felicior censuisset.* Et hæc quidem de SC. Prætoriano in designandis Prætoribus, & sic de prima parte *legis 12.*

Sequitur altera pars eius, de SC. Prætoriaoo in *subsortitione* Prætorum & subrogatione: *Subsortitione*, inquam, quod vetus & proprium hac in re verbum fuit: *qui eandem*, inquit, Constantius *dignitatem, vt vtamur Veterum verbis, subsortiti fuerint, subrogetur:* Et vero huius vocis hoc significatu exempla apud Veteres passim occurrunt, Ciceronem, Suetonium, alios. Id igitur vult Constantius, vt in Prætoris, medio tempore, ante Præturam, seu ludos editos, (de quo medio tempore dicam ad *l. prox.* & *ad l. 21. & 22 infr.*) demortui locum subrogetur alius, & quidem is qui sequenti post eum anno eandem Præturam suscepturus erat: idque rursum Senatusconsulto pariter, sententiisque decursis. De hac vero subrogatione agitur & *l. 21. in f. vers. & in subrogandis:* vbi pariter definitur, *in subrogandis certis quibusque in diem functorum locum ordinem teneri oportere.*

Sequitur *lex 13.* seu alterum segmentum Orationis Constantianæ: cuius vt septem sententiæ sunt, quibus in totum *operibus publicis* vrbis Constantinopolitanæ vnice consultum voluit Præturæ occasione, ita in vniuersum quatuor capita sunt: Primo capite, Numero obiter Prætorum qui tum erat, designato, de quo dixi plene ad *l. 5. sup.* iubet, e quinque Prætoribus, qui omnes hactenus ludis edendis destinati erant, tres tantum editionibus vacare: duas vero reliquas Præturas, certam argenti summam conferre in *fabricas* seu *Opera publica* vrbis Constantinopolitanæ. Laudabili exemplo, quod sequutus etiam postea Arcadius, qui quinque Præturas, cum iam octo essent, in fabricam aquæductus Theodosiani conuerti voluit, *l. 29. & 30. inf.* & simile quid factum a Marciano postea: vt *ad eam leg.* dicam. Quantitas autem quæ ab his Præturis in fabricas exacta, hæc est: a Constantiniano mille libræ argenti, a Flauiali quingentæ.

Secundum *huius legis* caput est *de* ABSENTIA *Prætoribus editionis tempore:* sub hac distinctione: Qui per ætatem aut ægritudinem absunt, per procuratorem ad officium Præfecti Vrbi quantitatem editioni suæ condictam mittere debent. Ad officium Præfecti vrbi, id est, ad *Censuales*, seu officium Censuale. Ii enim & absentium prætorum nomine munera seu ludos exhibebant, vt ex Symmacho constat *lib. 4. Epist. 8.* Iisdem Prætores seu editores argentum ad munus edendum conferebant: Idem Symmachus *lib. 10. Epist 36.* his verbis: *Cum pro diligentia, qua debet omnibus inesse Iudicibus argenti publici ratio quæreretur, quod Censualibus Editores munerum contulerunt, inter cæteras fraudes repertum est, quosdam functionibus absolutos sumptum debitum Reipubl. non dedisse: & vt fallacia ista tegeretur, ex alieno argento tantumdem Censualibus, falsis titulis* P. 49. *imputatis quantum duo conferre debuerant, contulerunt. Hoc cum Clarissimi Viri sponte sine adiectione dispendii reddidissent,* &c. Ad officium igitur P. V. modum seu quantitatem ab absentibus Prætoribua mitti iubet Constantius *h. l.* vt in operis publici fabricam impendatur, nomine Prætoria inscripto. Et hæc de absentibus per ætatem, aut ægritudinem. At absentes *per contumaciam* non tantum statutum editioni suæ pretium, verum etiam multæ nomine dimidium extrinsecus pretii coguntur inferre, id est, dimidium plus quam quanti sumtuum necessitaa postulat, *h. l.* & *l. 20. inf.* (Multa proinde frumentaria seu triticaria abolita, de qua *sup.* ad *l. 1. 2. 3. 7.*) Eaque multa a Iudicibus, id est, Rectoribua prouinciarum a Præfecto Vrbi monitis exigi debet, & ad officium Præfecti Vrbi mitti vel in argento, vel in ipsis pignoribus. *Pignora* scilicet capere Iudices de rebus contumacium Prætorum debebant. si argeoti copia non esset, eaque transmittere ad P. V. Atque hoc pignoris Iudicialis exemplum notatur: Eaque pecunia multatitia in operis publici fabricam impendebatur, sed citra nominis Prætoriani, id est, Prætoris cootumacis inscriptionem. Hæc *contumaciæ* pœna est, & officia dignitatis, id est, editionem Prætoriam detrectantis. Symmachus quoque loco iam sæpe laudato *lib. 10. ep. 21.* *Quid damni absentium* CONTVMACIA *debent experiri.* Quinimo & *Rectores* ipsi prouinciarum segnius rem exequentes, & Prætores vel ipsorum pigoora ad P. V. non mittentes, tam ipsi quam eorum officia certis auri libris multantur. Ad inuidiam scilicet Rectorum prouinciæ pertinuit, absentia Prætorum: iisque imminebat cura eruendorum & cogendorum ad vrbem Prætorum: vt præter *hanc l.* docuit *lex 4.* sed & insignis admodum Symmachi locus *lib. 10. ep. 4.* ad Africæ Proconsulem quendam, qui nondum recte intelligitur: *Impatienter fero*, inquit, *apparitorum notariis Senatui nuntiari, quod Romani populi Magistratus abesse patiaris, & in tuam referri iniuriam, quod patriæ functiones ab obnoxiis deseruntur. Id & si falso in aures publicas præsumo perlatum, fungor tamen admonendo parentis officio, & deprecor vt cæteris administrationis tuæ laudibus hunc quoque titulum, de quo laboramus, adiicias. Graue quippe est, vt generosæ familiæ Viro, summis per Africam Tribunalibus Præside collegarum nonnulli munia Romana* detre-

detrectent, & annus pene Editionibus vacuus Proconsulari fastigio gignat inuidiam. Audiant certe, qui deserunt functiones, quanta impendis mediocritate anni superioris Prætor Ædesius vrbanos fecerit ludos: & de exemplo colligant, quid præsentibus Magistratibus hauaris & leuaminis deferatur. Quo loco obiter monendum, Virum doctum a vero multum recessisse, cum de Africanis ludis hunc locum accepit, quos Iudices in prouinciis exhiberent: est enim locut ille, de ludis ROMANIS vrbanis a Prætoribus vel Quæstoribus exhibendis io vrbe Roma, qui per Africam delitescebant eum Proconsulis Africæ inuidia, qui eos ad vrbem cogere debebat. Negligentiæ igitur Rectorum prouinciæ hac parte sua quoque multa est præstituta *h. l.* quæ & ipsa sicut multa ab ipsismet Editoribus contumacibus exacta io opere publico impenditur. Adeo quidem vt hanc multam Officiales a Præfecto Vrbis missi exigere possint & debeant. Aucta hac ita parte a Constantio qui primus alioquin Præfectum Vrbis Constantinopol instituit ante biennium, A. D. 359. de quo ad *l. 16. inf.* & in Chronico nostro eius Anni: non parum Præfecturæ vrbis Constantinopolitanæ dignitas, vt hæc *lex* ipsa loquitur, vt extra vrbem Constantinopolitanam per omnes Orientalis Imperii prouincias Officiales suos mittere posset ad exactionem multæ ob segnitiem Iudicibus seu Rectoribus prouinciarum inflictæ: Quomodo & absentibus nominatis, conuentionem eorum Officium Præfecti Vrbis curare oportebat, eaque in re si opus esset, Officii prouincialis ad peruestigandum fide vti, *l. 21. inf.* Nempe ex quo Constantius sublatis Duumuiris Præfectum Vrbi Constantinopolitanæ dedit, sine anni 359. de quo ad *l. 16. inf.* ita & authoritatem eius quam maximam fecit & esse voluit, & deinceps quoque auctum fuit, non hac tantum parte, sed etiam in eo quod appellationes ex Bithynia, Paphlagonia, Lydia Hellesponto, Insulis, Phrygia salutari, Europa ac Rhodope Hæmimonto ei tribuit. *l. 23. Cod. Iust. de appellationibus*, quæ Senatui inscripta est, iungendaque mihi videtur cum *d. l. 16.* Appellationes scilicet ad Præfectum vrbi vt ipsa Senatui tribuuntur: vtpote cuius Senatus Princeps sit Præfectus: vt alibi a me ostensum est. Ex superioribus interim apparet, magnam operum publicorum CSP. curam hoc tempore Constantium gessisse (adeo vt hoc tempore nouum opus moliturn eum vero fit ex *h. leg.* simile) dum hæc cum io finem constituit: Primo quinque Præturis ad editiones ludorum destinatis Duas Præturas Vrbis fabricis affectat: & quidem Primam Constantinianam, sic & Tertiam Flauialem (quod idem ab Arcadio postea factum supra monui ex *l. 29. 30. inf.*) *Secundo*, absentium per ætatem aut ægritudinem Prætorum pecuniam multæ nomine inpositam in opera publica conuerti iubet. *Tertio*, Iudicibus & officialibus eorum in hac re negligentibus certum multæ genus imponit operibus publicis mancipandum. *Quarto*, Præfecto Vrbi hanc potestatem datam, Officialibus missis, huius multæ exigendæ. *Denique* proprii nominis inscriptionem Prætoribus illis operi publico ex eorum pecunia excitato permittit; quod alioquin nefas fuit, *l. 3. inf. de operibus publicis.* Themistius certe *Oratione 4* habita An. D. 354. septennio ferme ante hanc leg. nostram, meminit operum publicorum a Constantio Constantinopoli excitatorum *pag. 58. 59. edit. Harduin.* veluti, Balnearum Constantianarum, aquæductuum, Fori Regii. (a)

Tertio capite *huius leg.* & obiter tamen, de DENOMINATIONIBVS agitur. Ab eodem scilicet Senatu Constantius Præturarum sortitiones fieri iubet, a quo & designatio fit. *Denominatio* est Prætoris iam designati ad certum Præturæ genus nominatio: de quo dixi ad *l. 8. sup.* Idem proinde obseruandum in denominatione, quod in designatione, de qua *l. 12. sup. prox.* quam *huic* coniungendam dixi. In Censualium proinde potestate Constantius designationem esse prohibet: de quibus Censualibus dixi ad *l. 5. sup. de Senatoribus.* Verum Censualibus postea reddita nominandorum Prætorum potestas, *l. 26. inf.* vbi dicam. Cæterum decennio ante designationes factas hæc lex ait, pariter vt *l. 21. & 22. inf.*

Postremum caput est, de EX VICARIIS: Vicaria scilicet potestate perfuncti, seu ex-Vicariis a Præturæ onere & editionibus immunes non sunt, *h. l.* Quod iam ante simpliciter & absolute cautum fuerat, *l. 15. inf.* quæ hanc anteuertere, velut tempore prior debuit. Verum moderatio hæc nunc additur; si Præturæ onere & editionibus immunes esse velint & a Prætura liberari, tantum argenti pondus reditibus vrbis Constantinop. inferre debere, quantum Constantiniani, & Flauiales fabricis vrbis inferre iussi sunt. Hic, inquam, huius capitis sensus est: verba tantum inemendata. An sic emendanda? *Quod si qui forte vicaria potestate perfuncti, Prætura incertum a se auferri studeant:* vt Præturæ incertum opponatur, statuto certoque argenti ponderi, quod mox præstituitur: quod vtique incertum erat, ob nimium, hoc sæculo luxum, ingentesque sumptus io editiones Præturæ. Quid si ita, *præturam in acceptum ferri*, vel *referri studeat*, id est, pro præstita eam haberi, & sic a Præturæ munere liberari: sic quoque *l. 28. de susceptoribus*, Apochas in acceptum ei qui susceperit, referri. Et Symmachus *lib. 5. ep. 54.* vbi etiam de huiusmodi editionibus agit. *Ea in acceptum summa referenda est, quæ ab offerente processit.* Alias accepto ferri: *l. 6 27. 28. de operib. publ. l. 13. 26. d. tit. de susceptorib.* & acceptus ferri calculus: *l. 32. de navicular.* P. 50.

Ex his iam legibus liquet, Constantium, vt operibus publicis ornandæ vrbi Constantinopol. hoc tempore incubuisse, quod iam antea notabamus, ita & Senatus Præfectique vrbis, atque ipsius vrbis dignitatem, decus, ornamentum, sed & reditus variis incrementis auctum iuisse. De Constantii certe studio & affectu erga Senatum & Senatores vrbis Constantinopol. extat insigne testimonium Themistii, *Oratione 4.* quæ ante septennium ab eo scripta (b) A. D. 354. *pag. 53. edit. Harduin.* vt & de studio eius io augenda operib. publicis ciuitate *pag. 58. 59. 60.* vt & Libanius *ep. 246. ad Honoratum*, qui P. V. fuit A. D. 359. 360.

XIV. (a)

(a) Extat nummus Constantii cum inscriptione VIRTVS CÆS. in quo cernitur structura quædam ex lapide quadrato, cum quatuor pinnaculis, ingentique porta in medio, quam referre vrbem CP. manifestum est ex subiecta Luna falcata, quod huius vrbis insigne fuit, vt videre est in nummis Byzantii apud Antiquarios. Cum variis nimirum Constantius ornamentis vrbem decorauerit, voluit eam in suis nummis exprimi, obseruante *Cl. Harduino* in not. ad loc. cit. de Thermis Constantianis, quas mendose vulgo Constantinianas dicunt. Consule *Gyllium Lib. III. de Topograph. C. P.*

(b) HARDVINVS *in not ad cit. Oration 4.* Cum orationem proxime superiorem 3, quam *Themistius* in tempus celebritatis romanæ parauerat, iam recitasset in Senatu, neque vt Romam se conferret valetudo pateretur: aliam adornauit, veluti consolatoriam, quæ tota in hoc argumento versatur: partim, vt eam, quæ Constantinopoli instituitur solemnis gratulatio, non minus iucundam fore imperatori doceat, quam si Byzantini omnes Romam conuolarent, partim vt mutuum vrbis regiæ erga Constantium, & Constantii erga vrbem regiam amorem desideriumque prædicet. Dicta est igitur hæc oratio, eo ipso anno, quo Romæ Constantius triumphauit, hoc est *anno æræ vulgaris 357. Constantio IX. & Iuliano C. II. Coss.* Sic enim affirmant *Hieron. Chronic. Alex. Idat. in fastis*; tum vero *lex 5. de Numerariis data Romæ Prid. Non. Maii*, his Coss. Denique *Ammianus*, dum ait, id accidisse secunda Orphiti præfectura

vrbana

XIV. (a) Idem A. ad Senatum.

Placvit, Patres conscripti, eos solos (b) designare Prætores, qui aliquibus Editionibus functi sunt; si cui displicet, (c) vt prævaleat numerus, isque prædictum accipiat Magistratum, quem plures crediderint eligendum. Dat. XI. Kal. Iun. Sirmio, Eusebio & Hypatio Conss. [359.]

NOTÆ.

(a) Iungenda *huic legi* est lex sequens prox. 15. Illud obseruandum, *præposteri vitium* hic ab huiusce Codicis conditoribus admissum; debuit enim, temporum ratione seruata, hæc lex cum duabus sequentibus, anteferri seu præmitti duabus legibus superioribus; id est *legi* 12. & 13. *GOTHOFREDVS.*

(b) V. *l.* 12. *sup.* & γρ. *Designari.* *IDEM.*

(c) Forte, *sic vt displiciant*: vel potius, *sicuti id placet.* *IDEM.*

XV. (a) Idem A. ad Senatum.

Meministis profecto, Patres Conscribti, nec vllius temporis auellet obliuio, quod Facundus (b) ex-Proconsule, & Arsenius (c) ex-Vicariis Prætorum insignibus splenduerunt; nec quisquam horum putauit esse Præturam intra (d) propriam dignitatem. Quid autem inlustrius his repperitur exemplis. Debuerat (e) profecto res ista, debuerat alios etiam commonere, Proconsulari ac Vicariæ Præfecturæ præditos potestate, non esse Præturam minorem propriis meritis. Oportuit adpeti splendidos fasces, (f) decuit tanti nominis gloriam concupisci, (g) nec aliquem omnino fas erat nominationibus reluctari, quas nec ratio prohibet, & exempla confirmant. A vobis ergo Prætores placuit designari, & vestro eligi arbitrio iussimus, qui suscipiant fasces, Editionibus operam præbituri: nec ad notitiam nostram, Præfectiue Prætorio Clarissimi (h) Viri, super donationibus (i) vllis referri. Dat. XI. Kalend. Iun. Sirmio, Eusebio & Hypatio Conss. [359.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic leg.* est, vt dixi, *lex superior* 14. & vtraque *Legi* 12. & 13. anteferenda. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Facundum* Proconsulem *nota.* *IDEM.*

(c) *Arsenium* Vicarium nota. *IDEM.*

(d) *Intra.* Ferri potest: tamen mauult Iuretus in Symmach. *lib.* 10. *ep.* 4. *Infra*: vt mox, *non esse Præturam minorem propriis*, &c. *IDEM.*

(e) ἀἰτλωσιν nota, seu ἀναφορὰν: de qua mox. Similis occurrit *l.* 1. *sup. de off. Rector. prou.* *IDEM.*

(f) *Fasces* Præturæ hic, & mox rursum: quarum mentio quoque fit apud Symmachum, non vno loco: vid. locum inter cæteros, quem consignaui ad *l.* 8. *sup.* & mox laudabo rursum ex *ep.* 59. *lib.* 10. *IDEM.*

(g) Sic pariter *l.* 11. *in fin. sup.* *IDEM.*

(h) *Clarissimi* Viri titulus tributus Præfectis Prætorio: de quo mox. *IDEM.*

(i) γρ. *Denominationibus*, vel *Nominationibus.* Et certe in MS. post vocem, *super*, apparet vestigium literæ N. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Qvarta hæc (Quinta enim πρωθύστερον ab huius Codicis conditoribus præmissa fuit *l.* 12. & 13.) Constantii Oratio est ad Senatum: de Prætorum DESIGNATIONE, & Senatusconsulto super eo. QVINAM inquam 1. Prætores designare seu eligere possint? 2. QVIBVS sententiis? QVINAM item designari valeant 4. tandem QVAM absoluto Senatusconsulto id a Senatu fieri possit. Hæc scilicet quatuor capita sunt, quæ ex ea Oratione in *l.* 14. & 15. coniecta sunt: quorum duo priora capita
P. 51. continentur priori *l.* 14. duo postrema, posteriore *l.* 15. De priore lege, ac proinde & de duobus primis capitibus, prius.

Primo igitur *iis solis* designandi Prætoris, seu censendi super eo ius in Senatu datur, qui ipsi Editionibus seu Prætura defuncti sunt. Quod & ipsum postea rursus cautum, *l.* 12. *sup.* vbi iam aliquid dixi: hoc tamen hic addito, vt Senatusconsulto faciendo adessent decem de ex-Consulibus, ex-Præfectis, & ex-Proconsulibus, itemque Themistius Philosophus. Nempe, super hac re iudicium, nulli melius committitur quid quisque ferre valeat, quis

vrbana, quæ in hunc annum incidit. Quare cæterorum Chronologorum lapsus est, qui hæc ad annum superiorem referunt. Grauior autem & vix ferendus Scaligeri error est, qui quod Hieronymus de Constantii in vrbem Romam ingressu his Coss. refert, id noua quadam coniciendi ratione ad nouam Romam traduxit, quo certum est Constantium non nisi altero post anno, hoc est 359. reuertisse. Ductus est etiam errore haud sane leui IACOB GOTHOFREDVS, qui hanc orationem anno 35?. adscripsit; cum ipse vltro fateatur, Iulianum sub finem tantum anni sequentis 355. VIII. Id. Nouemb. (vid. Chronolog. ad an. 355.) Cæsarem a Constantio fuisse appellatum, ac paullo post nuptam eidem esse Helenam sororem Constantii: quæ duo in hac oratione diserte commemorari, mirum est ab erudito viro non fuisse animaduersum.

quis cuius Præturæ sumptibus par & idoneus magis sit, quam qui ipsi iam editionibus functi sunt: Expertis denique in quacunque re maior fides, quia & maior quoque notitia: atque adeo & sincerius iudicium.

Secundo statuitur, vt in Designando Prætore, Prætoriorum Senatorum *Maior numerus* vincat, maioribusque adeo suffragiis & calculis is prætor sit, quem plures elegerint. Quod in omnibus sententiis & cœtibus tralatitium est: de quo dixi nonnulla ad *l. vn. sup. de responsis Prudentum.* Quare nulli, quamlibet excelsæ dignitatis, vllam hac in re prærogatiuam tribui voluit Constantius: quin omnes æquo iure esse voluit, sic vt numerarentur sententiæ: & cum sit impar, vel dignitas, vel prudentia, par omnium ius esset: Quam in sententiam Plinii locus decantatus, *lib. 2. ep. 12.* Atque hoc tandem *legitimum* Senatusconsultum est, quod memoratur ab eodem Constantio *l. 13. sup.* legitime celebratum, *d. l. 12.* legitimo scilicet ordine, a legitimis personis, legitimo numero, sententiis decursis: qua quidem *lege 12.* quod cauetur, *latis per ordinem sententiis designationem faciendam*, eodem, quo hoc nostrum, pertinet. Et hæc de *leg. 14.*

Sequuntur duo alia capita *l. 15.* Quorum priore, quod hic tertium est ordine, cauetur, *Proconsulatu quoque vel Vicariatu functos* a Prætura immunes non esse: quod ipsum & de Vicariatu functis postea rursum a Constantio cautum fuit, sed cum quodam temperamento: *l. 13. sup.* (quæ huic temporum ordine seruato subiici debuit) Eaque in re Constantius ita rhetoricatur, vti videas sicut enixi studii, ita & pompatici styli varia argumenta: quæ omnia eo redeunt, vt quemadmodum nec ratione id prohiberi dicat, ita & exemplis confirmare satagat: propositis nempe duobus exemplis illustribus, Facundi ex-Proconsule, & Arsenii ex-Vicariis: ad quæ alias prouocat: Quod vtique indicio est, Facundum hunc & Arsenium in magna admodum dignatione & existimatione tum fuisse: Et vt ipsemet Constantius ait, *nihil illustrius, his exemplis reperiri* potuisse. Quod inter Exempla recte numerari potest: Magna scilicet in illustri loco positorum exempla vti multum valere certum est, ita & allegari vtiliter præferrique etiam Constitutionibus Principum possunt; Exemplo quoque esse potest *lex 1. infr. de annona & tribut.* Id vero ita nunc a Constantio sancitum, quod ad eum relatum fuisset quosdam Proconsulari ac vicaria Præfectura præditos, putasse Præturam esse infra propriam dignitatem, seu, minorem esse propriis meritis, atque ideo nominationibus reluctatos. Sane, Proconsules & Vicarii alias inter maiores Dignitates fuere, & primi inter Spectabiles: qua causa, vilem Præturam & infra suam dignitatem, ex his nonnulli arbitrati.

Postremum caput *d. l. 15.* est, de pleno Senatus arbitrio in faciendis nominationibus: Nempe Constantius (qui & alias Senatui plurimum detulit, de quo ad *l. sup.* & de quo Themistius *orat. 4. edit. Harduin.*) Senatui plenum & absolutum arbitrium hac in re tribuit: sic vt de nominationibus factis neque ad Præfectum Prætorio referri velit: Quomodo alioquin de rebus magni momenti ad Principem, vel certe ad Præfectum prætorio relatum: Ita quidem, vt Præfecti Prætorio ambitioni hac in re fibulam sæpe imponi oportuerit. Ad Principem tamen a Præfecto vrbis, qui Senatus Præsul est, deinceps Prætorum nomina referri mos fuit vid. *l. 25. infra* & Symmachum *lib. 10. ep. 59. Deuotione & Mora commonitus Magistratuum nomina quibus varias functiones Designationum tempore Amplissimus Ordo mandauit, ad Æternitatis vestræ perfero notionem D. Imperator, vt muneribus exhibendis aut subeundis fascibus destinatas cognitio Imperialis accipiat.* Illud sub finem notandum, *Clarissimi* titulum Præfecto Prætorio tribui *hac* Constantii *leg.* pariter vt altera eiusdem *l. 7. de extraordin.* & Valentiniani *l. 1. inf. de pascuis:* (Quomodo & idem titulus tribuitur aliis Illustribus: vt Magistris officiorum, *l. 8. inf. de cursu publ.* Comitibus S. L. *d. l. 7. inf. de extraordin.* Patriarchis Iudæorum: *l. 8. inf. de Iudæis.*) Et quidem Clarissimi simpliciter *h. l.* & *dictis duabus legibus* modo Clarissimi & Illustres iunctim, in Constantis *l. 6. de annona & trib.* Gratiani *l. 12. inf. de extraordin.* Theodosii M. *l. 19. infr. de petitionib.* & apud Symmachum *lib. 5. ep. 74. lib. 10. ep. 39. 41. 43. 47.* in veteribus Inscriptionibus, Vectii Prætextati, Ceionii Rufi Volusiani, Stiliconis; In subscriptionibus Concilii Arausicani, in Valentiniani rescripto ad Aginatium Vicarium V. R. A quo primum Imperatore hic titulus *Illustris* inuectus: de quo vid. quæ dico, ad *l. 1. inf. de Præfectis Prætorio.* Neque enim sub Constantio adhuc nomen istud *Illustrium* eo & distincto sensu, proprioque summæ dignitatis Viris, affectatum, imo nondum inter initia Valentiniani: vid. *d. l. 1. inf. de pascuis*, verum post demum, & vt videtur illa primum ad Ampelium constitutione, de qua plene ad *l. 1. inf. de Præfectis prætorio*, &c.

XVI. (a) Idem A. ad Senatum.

PRÆTORI (b) defertur hæc Iurisdictio, sancientibus nobis, Vt liberale negotium ipse disceptator examinet, adsertionibus (c) ordinatis quas iuxta Ordinem Iuris conuenit celebrari. Sane interponi ab eo decretum conueniet, vt siue in (d) integrum restitutio deferenda est, probatis duntaxat causis ab eodem interponatur decretum; Tutoris (e) dandi seu ordinandi Curatoris, impleatur ab eo interpositio decretorum: Quippe cum (f) apud eum quoque adipisci * iubeat (g) patronorum iudicio sedula seruitus libertatem: Nec sane (h) debita filiorum votis patrum vota cessibunt, vt pa-
P 52. tente (i) copia liberos suos exuant potestate, magis propriis obsequiis mancipatos, *cum se intelligant his obsequiis* (k) *plus debere quibus* (l) *sese* (m) *meminerunt* (n) *vinculis curiæ* (o) *exutos.* Dat. III. (p) Kal. Ian. Eusebio & Hypatio CONSS. [359.]

NOTAE.

(a) Vnica hæc *lex* ex hoc *titulo* in Cod. Iust. relata est in *l. 1. Cod. Iust. de officio Prætorum*, & adhuc interpolata, & pars eius in *l. vlt. Cod. eod. de vindicta libert.* Quæ vero leges illis iungendæ videantur? mox dicam. *IDEM.*

(b) In MS. *Prætoris.* *IDEM.*

(c) Quæ de *Adsertionibus* hic dicuntur, expunxit Tribonianus, propter adsertiones sublatas. vid. *sup. tit. de liberali causa.* *IDEM.*

(d) *In,*

(d) *In*, abest a MS. *IDEM.*

(e) *γρ. Seu* tutoris dandi: nam & supra, *sine in integrum restitutio.* Porro *Tutoris dandi seu ordinandi Curatoris*, scriptum pro *Tutores dandi seu ordinandi Curatores.* Quod tamen Iustinianei Codicis Interpretes nondum viderunt. *IDEM.*

(f) Stare hæc possunt: vt etiam extant *Cod. Iust.* neque mutanda in, *quin etiam apud.* *IDEM.*

* *Lex vlt. Cod Iust. de vindicta libertate*, hinc interpolata est. *IDEM.*

(g) *Debeat*, Cod. Iust. *in d. l.* 1. Malim. *iubeatur.* Imperatiua scilicet verba in manumissionibus, *Volo* &c. v. Festum *in Manumitti.* imo & vox ipsa IVBEO. vid. Plautum. *Menachmis, Actu* 5. *sc. penult* v. 9. Liuium *lib.* 22. *c.* 10. Martialem *lib. 9. ep.* 89. *IDEM.*

(h) *Sane*, stat hic quidem affirmatiue, verum ampliatiue etiam. *IDEM.*

(i) *Patente copia*, id est, data, licita potestate, non vero patente copia Prætoris. Patens copia, vt licens arbitrium: *l. 4. infr. de Episcopis.* *IDEM.*

(k) *γρ obsequii*, vt Cod Iust. *d. l.* 1. *IDEM.*

(l) *γρ. A quibus.* *IDEM.*

(m) *Se*, C. Iust. *d. l.* 1. *IDEM.* *Sese*, constanter legunt editiones impressæ, & nescio, quid velit noster. *RITTER.*

(n) *Meminerint.* Cod. Iust. *d. l.* 1. *GOTHOFREDVS.*

(o) *γρ. cura.* De quo mox. Tribon. substituit, *sacris vinculis exutes.* *IDEM.*

(p) VI. Cod. Iust. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Sexta hæc Constantii Imperatoris *hoc titulo* ad Senatum emissa Oratio est, de Prætura; non quidem quateous ea ad Editiones ludorum, vel operum publicorum fabricam pertinet, quo spectabant superiores omnes: verum, quod *Iurisdictionem* Prætoris attinet. E qua *duæ leges* in Codice Iust. extant: ad quarum proinde illostrationem adhiberi deinceps poterunt ea, quæ hic nuoc primum a nobis notabuntur: Iungendæque huic, meo iudicio, ceu ex eadem Oratione desumptæ *lex 23. Cod. Iust. de appellat.* & *l. vlt. Cod. eod. de prædiis minor.* Iurisdictio igitur seu Imperium Prætoris Constantinopolitani, (quod olim quidem Romæ amplum, ad paucissima hoc æuo reductum fuit,) hac Constantii Oratione seu Constitutione fundatur: Quid, inquam, ad Iurisdictionem eius pertinere velit. Nempe hæc quinque: Primum est, *Liberalis* causæ cognitio; Quæ *huius l.* pars relata quoque est in *l. vlt. Cod. Iust. de vindicta libert.* de quo dixi *supra titulo, de liberali causa.* Secundum, *Restitutionis* in integrum causæ, de quo vide quæ dixi *ad l. 2. sup. de integri restitut.* Tertium, *Tutoris* & Curatoris datio, de quo ad *l. 3. sup. de Tutoribus.* Quartum, *Manumissiones*: & Quiotum *Emancipationes*: Qua Emancipationum parte obiter elegans sententia subiicitur; cuius hic sensus est. Emancipatos liberos parentum obsequiis magis mancipatos & obstrictos esse: nam intelligere debere, sese eo plus obsequii parentibus debere, quo maius ab his beneficium consecuti sunt, dum scilicet vinculis patriæ potestatis hac ratione exuti sunt. Ait lex: *cum se intelligunt his obsequii* (male, *absequiis*) *plus debere quibus sese meminerunt vinculis Curiæ exutos.* Pro quibus postremis Tribonianus reposuit *sacris vinculis exutas*: Vbi rem ipsam expressit, *Sacra* scilicet *vincula* sunt, quomodo filii *in sacris patris esse* dicebantur. Sed verba hic alia suot, verum ioemendata: loco enim *Curiæ* repono *curæ.* *Cura*, & vinculum Curæ, proprium vocabulum patriæ potestati, & sollicitudini. Rutilius Numatianus, *lib. 1. Itinerarii, v. 210.* de Palladio.

> *Ille meæ secum dulcissima* VINCVLA CVRÆ.
> FILIVS *affectu, stirpe propinquus habet.*

Vbi male alii *Cuna*, vel *cunnæ*, substituuot: Claudiaous etiam de bello Gildonico: *v. 442.*

> *Non illis generis nexus, non pignora* CVRÆ.
> *Sed numera languet pietas* - - - -

Idem de bello Getico: *v 301.*

> - - - *Vestros stimulant si pignora sensus*
> *Me quoque non impar natura* CVRA *remordet,*

Et *de laudib. Stilicanis, lib. 1. v. 69.*

> *Nubilis interea natura Virginis ætas*
> *Vrgebat* PATRIAS *suspenso Principe* CVRAS.

Tom. II.

Symmachus: *vuici cura retineri.* Atque vt *vincula curæ* hic & apud Rutilium dicuntur, ita & Claudiaous *de Serena laudibus. v. 107.* eodem modo dixit, cura deuinxit:

> - - - - - - *nec carior alin*
> *Mutua Ledaas* DEVINXIT CVRA *Laconas.*

Quæ quidem Gronouius pleraque notauit in Statium, cuius industriæ & ipse vicissim hanc *leg.* nostram nunc commodo.

Prætoris igitur Iurisdictio Constantinopoli hac Orationis parte a Constantio fundatur, enumeratis quinque quæ eo pertinent: Quibus adde & Sextum, quod continetur *d. l. vlt. Cod. Iust. de prædiis minor.* quam *huic legi* vt iam dixi cohæsisse puto, nempe decretum in rebus minorum alienandis, emendata tantum eius *leg.* inscriptione, vbi pro *Constant. C.* reponendum *Iulianus C.* Quinimo & *huic legi* coassari velim singularem *legem 23. Cod. eod. de appellat.* qua Constaotius Appellationes ex Bithynia, Paphlagonia, Lydia, Hellesponto, Insulis, Phrygia salutari, Europa, Rhodope, Hæmimonto, & sic e oouem circumiacentibus seu suburbicariis prouinciis; *ad Præfectum vrbis Constantinopol.* interponi iubet: Nempe, cum Constantius Præfectum Vrbi Constantinopol. primum daret huius anni 359. fine, Eusebio & Hypatio Coss. simul potestatem Præfecti vrbis, Prætorisque Iurisdictionem determinatum iuit, hac Oratione sua ad Senatum, cuius hæ tres partes sunt, emissa; puta hæc *lex* & *d. l. vlt. Cod. Iust. de prædiis minor.* & *l. 23. Cod. eod. de appellat.* *De sorte que cette ordonnance est un Reglement de Iuges.* Hoc scilicet illud tempus est, quo Præfectus vrbi Constantinopolitanæ primum datus fuit a Constantio: cuius Præfecti Vrbis mentio fit iam A. D. 361. *l. 13. sup. hoc tit.* & Aono 362. *l. 32. infr. de appellat.* Huius, inquam, anoi fine, Præfectus Vrbis Constantinopol. primus datus a Constantio *Honoratus* ex-PP. Galliarum, III. Idus Decembris vel Septembris, his Coss. Eusebio & Hypatio Coss. id est, A. D. 359. vt testantur Hieronymus, *in Chronico*: Socrates, *lib. 2. cap. 41.* Sozomenus, *lib. 4. c. 23.* p. 58. Idacius *in Fastis Consularibus*, & Chronicoo Alexandrinum: cuius tamen Auctor alibi perperam a Constantino M. Præfectum Vrbis Constaotinopol. institutum scribit, idemque & Honoratum P. V. Romæ magno errore facit.

Hac vero parte tria singularia notanda veniunt. Primo quidem, quod Honoratum hunc attinet: Ait Hieronymus, Honoratum, *ex-Præfecto Prætorio Galliarum* fuisse. Cuius Honorati Præfecturæ Prætorianæ Galliarum meminit quoque Libaoius ad ipsummet Honoratum *ep. 382.* scribens, vbi maiorem eum Magistratum sortitum scribit, & ex Cilicia

ἐπὶ λαμπροτέρας δύναμιν subuectum: subiicit, Γαλατῶν ἀρχὴ τῶν ἑσπερίων, καὶ Κυρίνε κλῆσιν εἰς κοινωνίαν πόνων.

Secundo, cui anno cuiue diei id conueniat, videndum. Hieronymus in *Chronico*, vicesimo secundo Imperii Constantii anno id tribuit: recte, id est, A.D. 359. Socrates quoque & Sozomenus eo tempore, quo Ariminensis, & Seleuciensis Synodus, quæ vtique habitæ Eusebio & Hypatio Coss. id est Anno 359. Idacius tandem & Chronicon Alexandrinum diserte *Eusebio & Hypatio Coss.* id adsignant, qui huic *legi* subscripti sunt. In die hi variant: Idacius ait, *die III. Idus Decemb.* Chronici Alexandrini Auctor, *die III. Id. Sept.* πρὸ γ΄ Ἰδῶν Σεπτεμβρίων. Hæc certe Oratio nostra vtroque die posterior, *Data* enim *III. Kal. Iun. Eusebio & Hypatio Coss.* Et sic quo tempore Præfectus vrbi CSP. datus est & quidem primus Honoratus P.V. scripta hæc Oratio a Constantio ad Senatum, ad determinandam videl. Prætoris Iurisdictionem, eamque distinguendam a Iurisdictione Præfecti Vrbis; *Pratori*, inquit, DEFERTVR *hac Iurisdictio* SANCIENTIAVS NOBIS. Quæ vtique verba indicant manifeste, instituto *nunc* Præfecto Vrbis, Iurisdictionem Prætoris, vti necesse erat, a Constantio determinatam. Denique tota hæc *lex* nouam determinationem spirat, seu præ se fert.

Tertium singulare est, quod Socrates scribit, a Constantio Honoratum Præfectum vrbi Constantinopolitanæ datum, καὶ τότε τὸν ἔπαρχον τῆς Κωνσταντινουπόλεως κατέστησεν, ὀνομάτων ὄνομα, τὴν ἀνθυπάτων παύσας ἀρχήν. Vbi Interpres vertit, *Proconsulum Magistratu penitus sublato:* Debuerat, *sublata Duumvirarum Magistratu*, de quo iam etiam obiter aliquid dixi ad *l. 8. & 9. sup.* Duumuiri nempe ἀνθύπατοι quoque dicti, quia videlicet duorum Consulum, qui Romæ olim instar erant in ciuitatibus & municipiis, quod notissimum: Et videntur hi Constantinopoli nominatim ἀνθύπατοι vocati: de quibus etiam accipienda fuerit subscriptio *d. l. 8. & 9.* vt & in subscriptione Orationis Constantii super Themistio. Ergo Præfectus vrbi Constantinopolitanæ datus a Constantio Imp. his Coss. Eusebio & Hypatio sublatis Duumuiris, ad exemplum Præfecti vrbis Romæ: non modo eo exemplo, quo Alexandrini vnum Iudicem Iuridicum, inquam, olim habuere, teste Strabone, Spartiano, legibus nostris, aliisque: Verum peculiari Constantii erga Constantinopolim studio: qui nouis subinde incrementis eam vrbem auctum iuit, de quo Themistius, *Orat. 4. edit. Harduin.* & de quo iam *sup.* Nam vt maxime Constantius M. Constantinopolim veteri Romæ æquauerit ἰσάμιλλον τῇ παρὰ Ἰταλοῖς Ῥώμῃ, Socrates *lib. 2. cap. 3.* atque adeo ea altera Roma audiret, primaque adeo post Romam, καὶ πρὸς τὴν Ῥώμην εἰκασμένη τοῖς ἄλλοις, teste Libanio *Orat. 10. in Iul. necem pag. 263. edit. Marell.* addatur Iulianus *Orat. 1. in Constantium, pag. 8. edit. Lips. Spanhem.* quæ habita ante triennium A.D. 356. & Suidas *voce* Κωνσταντινούπολις. de quo etiam ad veterem Orbis descriptionem: Attamen, quoad Regiminis seu Administrationis formam, & quoad hoc, a veteri Roma hactenus differebat, neque vnico supremo Magistratui adhuc parebat: Id vero primus fecit Constantius, *Eusebio & Hypatio*, vt dixi, COSS. peculiari in eam vrbem studio: Inter alia, quod eodem tempore Constantinopolis a Constantino M. patre condita, ipseque Cæsar factus fuisset: qua causa Themistius *Orat. 4. pag. 58. edit. Harduin.* eam vocat πόλιν τῆς βασιλείας ἡλικιῶτιν, *aquæuam.* Igitur constat a Constantio primum institutum Constantinopoli Præfectum vrbi: Et quidem statim vt in eam vrbem rediit ex Occidente, vt testatur Socrates *lib. 2. c. 41.* quod vtique congruit huic ipsi Anno: de quo vid. Chronicon nostrum. Cæterum & illud addo, hanc Honorati Vrbis Constantinopoli Præfecturam memorare quoque Libanium cum *ep. 246.* ad ipsummet Honoratum scribit. πολλὰ τῇ πόλει νῦν ἐπὶ τὸ βέλτιον μετέστη: τί δὲ οὐκ ἔμελλε σοῦ γε ἐφεστηκότος; σχῆμα ἀρχῆς, οἰκοδομημάτων κάλλη. Vbi vides diserte Σχῆμα ἀρχῆς per eum immutatum Constantinopol. Præfecto videlicet vrbis eo constituto, non Consulari Byzantii, quod Pancirolus tradit arg. *l. 1. Cod. Iust. de officio Comitis R.P.* Consularis enim ibi *Byzacii* est in Africa: Neque quidquam iuuatur Gregorii Presbyteri authoritate, *in Vit. Gregor. Nazianzeni operibus præfixa*, quia sequioris æui scriptor ille improprie locutus est: Quid quod loco ὑπατικοῦ, reponat ὑπάρχου.

Et hæc quidem hactenus de huius Orationis scopo, fineque. Vbi etiam obiter multa ad ius pertinentia adsperguntur. 1. De *Adsertionibus* in causa liberali quas iuxta ordinem iuris conuenit, celebrari, de quo *supr. tit. de liber. causa:* 2. De *causæ* cognitione & in integrum restitutionibus. 3. De *Decreto* Prætoris in hac causa, 4. vt & in Tutoris vel Curatoris datione. 5. Tandem illa, quæ eleganter dicuntur de manumissionibus & de emancipationibus: Quæ cum aliunde facile illustrari possint, iis diutius immorari supersedeo.

FILIÆ *quando patris defuncti nomine, & pro qua parte Præturæ onus agnoscere teneantur.*

XVII. (a) Impp. Valentinianus & VALENS AA. ad Olybrium P. V. (b)

DIVINVM Parentem (c) Nostrum Constantinum * sanxisse perspeximus, *Vt quando viuo patre atque omnia cognoscente* (d) *munera Senatoria, eundem nominatum Prætorem diem functum esse proponeretur, ac superstites viderentur* (e) *esse filiæ, masculorum natura* (f) *minime extante, nullam executionem* (g) *haberent.* (h) Feminæ (i) igitur, quando euenerit, non solum masculos successuros (k) esse patri suo, verum etiam feminas hereditario iure succedentes aduenire, (l) tam Praeturam quam etiam Oblationes (m) vni-
P. 54. uersas, personis earundem nullo modo concedas, (n) si . . . . plenæ (o) ætatis, siue adultæ constitutæ fuerint, sed iuxta portionem hæreditariam singularum personarum ad (p) tributa paterna subire & ipsas conpellere curabis: Etsi iniustum enim atque dedecus videtur,

tur, mulieres ad Laticlauum (q) atque insignia procedere, tamen carbonariam (r) Præturam iuxta glebam (s) paternæ substantiæ cognoscere (t) poterunt. Dat. XIV. Kalendas Febr. ipsis AA. (v) CONSS. [370.]

NOTAE.

(a) Abest hæc lex a Cod. Iust. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Olybrius* hic P. V. Romæ fuit A. D. 368. 369. 370. v. *Prosopogr.* & quæ ad *subscript. legis.* *IDEM.*

(c) *Parentem* suum Constantinum vocat Valentinianus Sen. *h. l.* quo more & alii decessores suos, quos peculiari veneratione prosequerentur: de quo plene semel, ad *l. vn. sup. de actionib. certo temp. finiend.* *IDEM.*

* Constantini Legem obserua, quæ ipsa non extat. *IDEM.*

(d) *Cognoscere, hic & fine l.* pro, agnoscere, subire præstatione facta. v. *Gloss.* In re tributaria sæpe *h l.* & *l. 14. in fin. inf. de annona & trib. l. 4. de Censitorib. l. vlt. de patrocin. vicor. l. 2. de contrab. empt.* Hinc & *cognoscenda* pro, ipsis functionibus publicis: *l. 129. inf. de Decurion.* vbi v. quæ dico. *IDEM.*

(e) *Viderentur* esse, pro simplici, *essent*, v. *Gloss.* *IDEM.*

(f) *Natura* masculorum, id est, Sexus. *IDEM.*

(g) Vel exactionem *vel ex eo actionem: vel conuentionem.* *IDEM.*

(h) In MS *heberent*, *ye subirent.* Sic & mox inf. *paterna tributa subire.* Quanquam & istud durum alioquin satis sustineri posse videatur. *IDEM.*

(i) Sic interpunge, *nullam executionem subirent feminæ. Igitur*, &c. *IDEM.*

(k) Et hoc sustineri potest: rectius tamen *successores.* Et certe in MS. habetur, *successures*, pro *successores.* *IDEM.*

(l) *Aduenire*, id est, simul venire. *IDEM.*

(m) De hac *oblationum* voce mox. *IDEM.*

(n) *Concedas*, id est, remittas: Quomodo & *l. 3. infr. de immunitate, concessa*, pro *remissa.* *IDEM.*

(o) Ita in MS. vbi Cuiaciana editio exhibet, *fiat plena:* male: nam & sensus obstat, & oppositio adultæ ætatis id non fert: *adulta* scilicet mox opponitur, quæ ipsa certa *plena* est, & maius spatium hic vacuum occurrit. Igitur repono, *fine non plene.* *IDEM.*

(p) Vox hæc, *ad*, vel abundat, vel vna voce scribendum, *Attributa.* Alias quoque *adtributa beneficia*, pro tributa, *l. 4. infr. de itin. mun.* arbitri attributi. *l. 10. de Iurisdict.* *Adtributa paterna* sunt, quæ adstringunt. *IDEM.*

(q) *Laticlauus*, est insigne Senatoriæ dignitatis: quod notum. vid. quæ vel Casaub in *Suet. August. c. 38.* & Sauaro, *in Sidonium, lib. 1. ep. 3.* *IDEM.*

(r) *Carbonariam.* Monstrum vocis hactenus, pro qua quid reponendum sit, mox viderimus. *IDEM.*

(s) *Portionem hereditariam*, sup. Gleba, possessio: v. *Gloss.* *IDEM.*

(t) *Cognoscere*, pro agnoscere præstatione facta: vt iam sup. *initio leg.* *IDEM.*

(v) Supple III. non vero II. (id est A. D. 370.) Initio enim Anni 368. Prætextatus adhuc P. V. erat: Olybrius vero post Prætextatum deinceps, vid. *Chronol.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

FILIÆ, patre Candidato i. e. ad Præturam iam nominato moriente, ante Præturam editam, seu ludos exhibitos, an & quando Patris nomine Præturam soluere & subire cogantur, definit *hac leg.* Valentinianus Sen. De Filiis non dubitabatur; Filii quippe indubie patre ita moriente, & in hæreditate sua, sic vt dicam, Præturæ onere, ceu ære alieno relicto Præturam edere cogebantur. Quod vtique singulare est. Quo etiam pertinet *lex 12. inf. de Medicis & Professf.* cum alias si post creationem, ante diem subeundi honoris atque muneris, pater defunctus est, conueniri eo nomine hæredes eius non oporteat, *l. vn. Cod. Iust. si post creat. quis decess.* De *Filiabus* tantum dubitatum fuit: Constantinus equidem *leg.* sua (cuius alibi nullum vestigium extat) statuerat, hoc casu, moriente inquam patre post creationem ante Præturam editam, si filii nulli extarent, seu *masculis non extantibus*, filias ad Præturæ onus hoc soluendum neutiquam teneri, seu onus hoc ad eas non *transmitti* seu transire: quia scilicet non est qui Præturam gerat, seu qui ad laticlauum atque Insignia Præturæ procedat. Sed dubitatum est, quid iuris esset quo casu filiæ masculis immixtæ essent, id est si pater & filios & filias reliquisset, & vt hodie loquuntur, *stantibus masculis*, an & filiæ quoque tum pro parte sua Præturæ onus agnoscere vna cum filiis, fratribus suis, tenerentur? atque a fratribus in communionem oneris ferendi proportione successionis vocari possent? Id quod *hac leg.* affirmat, seu definit Valentinianus: vbi firmandæ definitioni suæ, Primo τὸ ῥητὸν Constantinianæ constitutionis vrget, quod scilicet illa de eo casu diserte concepta esset, vbi *superstites essent filiæ, masculis* MINIME *exstantibus.* Quod quidem τὸ ῥητὸν quam recte nunc vrgeat Valentinianus, scire melius adhuc possemus, si Constantini constitutio illa extaret: certe enim sæpe videmus τὸ ῥητὸν anteriorum constitutionum a secutis Principibus haud ita recte semper vrgeri; cuius rei exempla occurrunt passim: & in *Nouellis* huic Codici subditis. Secundo rationibus agit *fine leg.* ibi, *etsi* inquit *iniustum* &c. dubitandi etiam ratione sublata. Nempe etsi filiæ cum Præturæ insignibus procedere non possint, vel, vt loquitur, *mulieres ad laticlauum atque insignia procedere iniustum & dedecus videatur*, attamen nil obstare, neque aut iustitiam aut honestatem refragari, quominus fratribus ad Laticlauum & insignia Præturæ procedentibus, ipsæ *Sumptum* Præturæ pro parte sua vna cum fratribus agnoscere, subire possint seu debeant, inque id pro rata hæreditatis conferre. Duplicem igitur differentiam seu duplex paradoxon *hic* constituit Valentinianus: Prior differentia est, quam dixi, inter filias solas existentes, & cum fratribus intermixtas, seu concurrentes. Vnde conficitur, quod & alias Brocardicum est, vt propter aliarum personarum coniunctionem seu commixtionem & concursum ad aliquid quis teneatur, ad quod solus & ex sua persona non teneretur. Altera differentia, inter *Insignia* Honoris seu dignitatis, & inter *Onera* hæreditaria Honori seu dignitati adhærentia, idque quoad fœminas. Nempe iniustum quidem esse, imo indecens, Mulieres ad Insignia & honorem Præturæ procedere. Nempe insignia Dignitatis Masculi tantum publice gerunt, at non & fœminæ; at enim neque iniustum neque inhonestum esse, vt in consequentiam dignitatis ex partem

ſubeant & agnoſcant oneris hæreditarii. Tamen, P. 55 inquit, Carbonariam Præturam, iuxta glebam paternæ ſubſtantiæ cognoſcere, id eſt agnoſcere, ſubire, poterunt. Igitur ooeris hæreditarii pars hoc caſu contra Regulam iuris, & contra naturam onera eius rei filias ſequuntur, cuius honnrem ipſæ non participant. Vbi quid monſtri lateat ſub voce *Carbonaria*, vid:odum eſt: nam verum vt dicam, meri carbones hactenus hic congeruntur, & *πάθος ἀνίατον* hic ſubeſſe creditur hactenus.

Primo igitur eſt, qui tenrat, *Carbonariam* Præturam vel functionem forte dictam a Carbonibus pro excoctione calcis, de qua *l. 3. inf. de Decurionib. & ſilentiar* vel pro excoctione panis, de quo *l. 15. 18. inf. de extraord. & tit. de excoct. vel translat.* Verum quid hæc ad Præturam? Secundo, tentabat Cuiacius, *cur non onerariam* Præturam; quod a veteri MS. ſcriptura nimium recedit. Tertio Ego malebam aliquando, *corporariam*, id eſt, quæ corporum nomine vel ex corporibus hæreditariis præſtanda eſt: vel eodem ſenſu, *corpora earum:* nam *corpora* pro rebus hæreditariis ſeu pro patrimonio accipiuntur: vid. vel *l. 5. inf. de iis qui adminiſtrantibus: l. vn. ſup. quorum bonorum:* vbi dixi; v. & Symmachum. Non ipſæ ſcilicet tam fœminæ hoc caſu Præturam ſuſtinent, quam corpora ſeu res earum. Neque abludit Symmachi locus, *lib. 10. ep. 36.* vbi agit de editoribus munerum, *Cum ergo aditus in cauſa publica euilem conuentionem matri eius ſuper Nepotis ſui munere* (Præturæ) *detuliſſem, reſponſione ſeruata, qua retinere aſſeritur* PATRIMONIVM *Candidati.*

Verum neque hæc coniectura mihi vel emendatio placet: Quid igitur? Manuſcriptus apertiſſime habet *car... nariam:* exeſis duabus tantum literis. Itaque reſtituo ego *Charonariam* pro *Carbonariam*. *Charonaria* ſcilicet Prætura dicta, quæ nomine *diem functi* (vt hic *initio leg.* dicitur) ſeu defuncti præſtabatur, edebatur. Quod ſimilibus exemplis firmatur. Primo ſic & Orcini liberti, *Charoniani* dicti, qui poſt mortem domini ſeu diem functi liberti fiebant. Theophilus *tit. de ſingulis reb. per fideicom.* §. 2. Orcinus libertus *τουτέςι χαρωνιτὰς ἀπελεύθερος*. Vetus Gloſſarium. *ἀπελεύθερος τοῦ τεθνεῶτος, ὃς χαρωνιανοὺς λέγουσιν ἀπελευθέρους*. Qua ſimili ratione & libri Acherontici, Arnobio *lib. 2. pag. 89. edit. Lugd. Ioh. Maire 1651.* Aruſpicinæ libri, & ſacra Acherontica (Seruio, ad *8. Æn. p. 511.*) Secundo ſic etiam Plutarchus, in *Antonio*, *Tom. I. edit. Wechel. pag. 922.* *χαρωνίτας* per iocum vocatos ait Senatores, qui poſt Cæſaris mortem, & velut eius iuſſu, fraude Antonii in Senatum allecti fuerant: *ἐλεγχόμενοι γὰρ εἰς τοὺς τοῦ νεκροῦ κατέφευγον ὑπομνηματισμούς.* *Quandoquidem vbi arguebantur, ad mortui confugiebant commentarios.* Hos vero Suetonius eadem de re agens, *in vita Augusti cap. 35.* qui poſt necem Cæſaris per gratiam & præmium illecti fuerant, *Orcinos* Senatores a vulgo dictos ſcribit. *χάρων* ſcilicet *Orcus*, *Mors*. Tertio ſic & Apuleius *in Apologia, pag. 275. edit. Amſtelod. de a. 1623.* de Æmiliano accuſatore ſuo: *Neque enim diu eſt, cum to crebra* MORTES *propinquorum immeritis* HÆREDITATIBVS *fulſerunt: Vnde ſibi potias, quam ob iſtam teterrimam faciem,* CHARON *nomen eſt.* Nempe, cum Æmilianus iſte ob oris & animi diritatem, vt poſtea ruriſum ait, *Charonis* cognomento vocaretur, Apuleius figurate, ex eo potius id cognominis ei adhæſiſſe vult, quod ex *mortibus* propinquorum multas *hæreditates* nactus eſſet. Ergo *Charon* ob hæreditatis ex morte aliena commodum. Quomodo hic *Charoniana* Prætura, ad quam ipſius hæreditatis ex morte aliena quæſitæ atque adeo mortui nomine, ſeu vt *hic* dicitur, *iuxta glebam paternæ ſubſtantia* tenetur. A Charonte ſcilicet *Charonianus*. Quarto: ſic & *χαρώνειον* vel *χαρώνιον*, *χαρώνειος θύρα* porta τοῦ *νομοφυλακίου*, per quam damnati ad mortem ad ſupplicium ducebantur: Quinto, ita & *χαρώνεια* barathra, lethales fœtores exhalantia. Quomodo & Charoneas ſcrobes, mortiferum ſpiritum exhalaotes vocari, ſcribit Plinius, *lib. 2. cap. 93.* Galenus, *Πολλάκις δὲ ἀπὸ τοῦ πνεύματος μόνου κατὰ τὴν εἰσπνοὴν ἡ βλάβη γίγνεται: καθάπερ ἐν τοῖς χαρωνείοις ὀνομαζομένοις χωρίοις.* Occurrit & hæc vox apud Diogenem Laertium in vit. Zenonis *pag. 279. edit. Stephan.* Ab hac voce quidam vocem Gallicam *charogne* deducunt. *Charonianus* autem & *Charonarius* promiſcua huius ævi terminatione. Sic enim & *Parabaloni* & *Parabolarii*. Sic & in eodem Præturæ argumento *Telonarii* dicti, qui abſentes ad Præturam nominati, & pro quibus Cenſuales ludos edebant, *l. 21. infr.* quæ eſt eiuſdem Imperatoris Valentiniani. Ergo *Telonaria* Prætura, quæ abſentis nomine: *Charonaria*, quæ diem functi ſeu mortui nomine ab hæredibus edita. Cæterum, ne quis orthographia offendatur, *Carbonaria* in MS. ſcriptum, pro *Charonaria*, tranſlata aſpiratione in ſecundam ſyllabam: quomodo & alias paſſim; ſic vel hoc ipſo Codice *Diacathoci* pro *Diacatochi l. 1. de fiſci deb.* *Traches*, pro *Thraces*. in *l. 3. ſup. de Senatorib. & glebali collat.* vbi plene dixi: & *l. vn. inf. de Luſoriis Danubis.* Male igitur ſuperiores editiones hic & in Indice *Carbonariam* Præturam præferebant, quæ ad Charontem directo canali ableganda eſt.

Nunc ad ſententiam legis redeamus. Filiæ igitur quoque cohæredes vna cum filiis ſeu ſtantibus maſculis Charonariæ Præturæ ſumptus, diem functi patris nomine, agnoſcere & ſubire tenentur, *iuxta portionem hæreditariam* ſeu *iuxta glebam paternæ ſubſtantiæ*, id eſt pro rata hæreditatis quæ ad ipſas redit ſeu peruenit: quia ſcilicet æs hoc quodammodo hæreditarium cenſetur, velut debitum iam a patre momento ſtatim deſignationis ſeu creationis ad Præturam: ad cuius proinde communionem filiæ vocandæ ſunt: ſi modo filii ſint, qui Præturam ipſam gerant, edantque: nam ſi filii non ſint, neque id onus filiabus incumbere poteſt, vbi non eſt qui Præturæ honorem ſuſtineat, neque eius onus quenquam alium ſuſtinere par eſt: ac multo minus filias honeſtum eſt: Eſt ergo hoc munus hoc caſu, munus patrimonii, a quo alias quoque mulieres non excuſantur: *l. 9. Cod. Iuſt. de muneribus patrimoniorum.* Et hæc quidem de ſententia *huius l.* hac parte, deque limitatione addita.

Sequuntur Duæ hac parte *Ampliationes*, quæ a Valentiniano adiiciuntur: Prima, id obtinere non tantum in Prætura, verum etiam in cæteris quoque Oblatiuis functionibus: de quibus plene *ad l. 5. ſup. de Senatorib. & glebali collat.* Nam & hæ Senatoriarum poſſeſſionum dominis pariter incumbebant. Huc vero pertinet epiſtola Symmachi, *lib. 10. ep. 43.* *Palatini*, inquit, *munerationum ſacrarum, Amicus & Caſtor, quæſtus publicos eruentes, inter cætera nomina, quæ iudicio perſequuntur* HÆREDES *Poſtumiani V. C. in examen meum conuentionibus euocarunt, D. Imperator, Luciano monente qui* CENSVS *Senatorios ante tractauit, quod* OBLATIVIS *functionibus eadem Domus eſſet obnoxia: pars debiti Lollianam, pars Cattianillam pariter ac Seuerellam ſuggerebatur vrgere. Interea ſequeſtrato Lolliana C. F. nomine, quam pro ſex vnciis aſtringit exactio, harum orta refragatio eſt, quos pro ſingulis bonorum quadrantibus ſolutionis cura mordebat. Comperendinato plerumque iudicio res eo deducta eſt, vt fiſci patrocinium, ſecuritatis a Clariſſimis perſonis impleti per vices muneris flagitaret. Cattianilla vero ac Seuerella defenſio ſcripto ad Rationalem diuini Principis mitteretur. Vetus enim quæſtio & cognitionibus Præfecturæ frequenter agitata, vſque ad inclyti ſemperque venerandi Senatoris*

vestri

P. 56. *vestri cucurrit arbitrium: qui Iuuentii clarissima & illustris memoria viri tunc Præfecti vrbi insinuatione consultus quadam Rescripti parte signauit suis quibusque temporibus a Cattianilla ac Seuerella Clarissimis fœminis oblatiua munera soluta constare.* Altera ampliatio est, id obtinere in filiabus, siue primæ, vel *non plenæ*, (ita enim reponendum) siue adultæ ætatis fuerint. Non parcitur scilicet hac parte minori ætati, vbi corporibus seu rebus, hæreditarium onus incumbit: ac proinde vbi de *Charoniana* Præturæ onere, defuncti nomine ab hæredibus subeundo, agitur. Quæ quidem minorum & adultorum adæquatio notanda est; Imo hoc omne, quod *hac l.* continetur extra speciem suam & argumentum antiquatum vtiliter alio traduci hodie potest, si quando de mulieribus & minoribus hæredibus agatur, deque oneribus hæreditariis ab his præstandis, seu subeundis, quæ defunctum præstare oporteuerat.

XVIII. (a) Idem AA. ad Volusianum P. V. (b)

Legem Diuæ memoriæ Constantini, * qua *Editores munerum siue ludorum, si editionis tempore abesse voluissent, condemnari pro dignitatis gradu certa tritici quantitate* præcepti sunt, fixam atque inuiolabilem volumus permanere. Sinceritas Tua igitur, vbique (c) his quibus liberum commeatum Clementia nostra concesserit, in omnes reliquos promulgatam (d) Med. . . . . IV. Kalend. Iul. Constantinop. (e) Valentiniano & Valente AA. Conss. [365.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic *lex 67. inf. de Decurionib.* GOTHOFREDVS.

(b) *Volusiano* huic P. V. inscribuntur hoc anno 365. præter *hanc leg. & d. l. 67. lex 2. sup. de pactis: lex vn. inf. de secundo lapsu: lex 3. inf. de calcis coctorib. l. 22. inf. de cursu publico*, sed & anno superiore 364. *lex 1. inf. de condit. in publ. hor.* sine die & Cos. *lex 1. Cod. Iust. de officio P. V.* Atenim hoc ipso anno Volusianus *PP.* dicitur in *l. 5. Cod. eod. de precib. Imp. off.* & *l. 1. Cod. eod. de præscript. 30. vel 40. ann.* Huius mentio, in veteribus inscriptionibus. Dixi in *Prosopogr.* IDEM. Hoc anno *Symmachus P. V.* erat, docente vetere auctore de Præf. Vrb. atque ita inscriptio hæc suspecta, quod & noster vidit in *Chronolog. ad h. a.* & *ad an. 373. in Chronic.* Neque ego vellem substituere, *ad Volusianum PP.* quamuis leges ita præferant ex Codice Iustinianeo citatæ, quas etiam medela indigere puto, cum ob *Ammiano Lib. XXVI. cap.* . per hunc annum alii cluentur Præfecti Prætorio neque etiam ad annum antecedentem 364. refero hanc legem quamuis videam ex *leg. 1. de condit. in publ. horreis* probari posse, *Volusianum* fuisse P. V. id enim subscriptio huius legis non admittit, quæ admodum expressa est. Posset quis conicere, *IV Kal. Ian.* loco *Iul.* reterribendum, quod tamen displicet, & recte puto nostrum statuere, eferendam esse legem ad *an. 373.* quo *Valentinianus & Valens IIII.* prodiere Consules, quam numeralem notam librarii neglexerunt. Certe anno citato Valentinianum Mediolani fuisse eo minus dubito, quo magis certum est, antecedenti eum anno 372. rem habuisse cum Germanis, atque in hibernis egisse Treuirensium in ciuitate, qua relicta in Italiam rediit, & Mediolani hæsit per annum 373. & initium 374. docentibus legum subscriptionibus, quas vide *in Chronolog.* quæque constantissime *Mediolanum* exhibent, excepta *l. 22. de curs. publ.* cuius subscriptio singularis est. Eodem adhuc anno bellum mouit aduersus Alemannos Valentinianus, gentem Italiæ superioris parti proxime vicinam, atque prope Basileam castellum *Robur* exstruxit, docente *Marcellino Lib. XXX. c. 3.* RITTER.

* Constantini *lex*, cuius etiam *lex 1. & 2. sup.* GOTHOFREDVS.

(c) *rg. absque*, id est, exceptis: Sic etiam *l. 17. inf. de extraordin.* Sic Victor Schotti semper: vt hoc loco *c. 1. felix adeo, absque liberis tamen similque contagio*, &c. Sic & Symmachus, & Ammi. Marcellinus: vid. *Gloss. Theod.* Et vero ita quoque in MS. legere mihi videor: vbi literæ, *S*, vestigia apertissime comparent. IDEM.

(d) *rg. Nouerit in omnes reliquos promulgatam.* IDEM.

(e) Voa hæc inducenda. IDEM.

COMMENTARIVS.

In Absentes Editores multa triticaria, a Constantino M. constituta, a Valentiniano Sen. *h. l.* confirmatur: de qua iam non tantum *lex 1. 2. & 3.* quæ Constantini ipsius sunt, verum & *l. 4. 6. 7. sup.* Quæ sæpe immutata, abolita, restituta, quod iam notaui ad *dictas ll.*

Duo tantum Singularia *hic* notanda veniunt; Primum quod ait, multam istam *pro dignitatis gradu* variasse, & quidem ex Constantini ipsius *legibus*: cum tamen *d. l. 7.* quæ ex iisdem Constantini M. Legibus est, dicatur absolute multa quinquaginta millium modiorum constituta. Certe, ita quoque idem Constantinus, cum absentibus editionis tempore, multam quandam frumentariam & ab ea minores 16. annis excepisset, Quæstores a Consulibus & Prætoribus distinxerat: quam tamen distinctionem mox sustulit. *l. 1. h. t.*

Secundum singulare, quod ab hac multa illos tantum excipi vult Valentinianus, quibus Princeps liberum Commeatum concessit: quod etiam statuitur *l. 21. inf. absque his*, &c. ita enim restituo: Princeps, inquam; Is enim a solo Principe impetrari potuit, non a quoquam alio, nequidem a Præfecto Prætorio, vt indicare videtur *lex 3. sup.* etsi alioquin hæc dignitas Imperatoriæ proxima esset & contigua, *δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα πορφυρᾶς βασιλεία*: de quo ad *l. 8. sup. de diuers. rescript.* & *l. 3. inf. de Primicerio & Notariis*, & alibi sæpe. Senatoribus sane olim iam sine commeatu proficisci seu abesse non licuit, de quo videndi Suetonius, *in Tiberio, c. 10. Caligula, c. 29. Claudio, c. 23.* Dio *lib. 52. in fin.* Plinius, *lib. 10. ep. 24. 25. & lib. 3. ep. 4. l. 22. §. pen. D. ad Municip.* & extat apud Cassiodorum, *VII. Variar. 36.* formula Commeatus huius: vide & apud eundem exemplum eius, *III. Variar. 21.* Id quod sublatum a Theodosio Iun. *l. 15. Cod. Iust. de Dignitatibus.* Quod vero *h. l.* a multa excipi, vult Imper. eos tantum, qui commeatum a Principe impetrarunt, excludi non puto ætate minores, de quibus *l. 1. 2. sup.* Porro *huic leg.* iungenda videtur *lex 67. inf. de decurionibus*: de cuius sensu *ad eam* dicam, & quidnam cum hac commune habere possit.

XIX. (a)

XIX. (a) Idem (b) AA. ad Senatum. (c)

SATOS de Frygiæ (d) gregibus equos XX. quattuor, subiugandos quadrigis, hoc est simul octo, duobus maximarum editionum Prætoribus dari sancimus. Dat. Idib April. Antiochiæ, Modesto & Arintheo Conss. [372.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a Cod. Iust. *GOTHOFREDVS.*

(b) Tertium *Gratiani* A. nomen hic addendum. vid. *Chronolog.* *IDEM.*

(c) *Oratio* igitur hæc est. *IDEM.*

(d) Inepte in *Frisiæ* istud quidam mutatum vellent. *IDEM.*

P. 57.

COMMENTARIVS.

EQVORVM certus numerus liberalitate Principis ad Curule certamen seu ad ludos Circenses, a Magistratibus exhibendos, pro cuiusque gradu Constantinopoli præberi solitus fuit: puta Consulibus ordinariis & Prætoribus, vt præter *hanc legem* docet *lex 6. inf. de Scænicis*, & *lex 1. inf. de equis curulibus* vbi vid. quæ dico, & Symmach. *lib. 10. ep. 19.* & *22.* vbi etiam videre est, Quadrigarum a Principe missarum distributionem Romæ sorte factam. *Malo fremitum Murciæ vallis exponere, atque illam* QVADRIGARVM DISTRIBVTIONEM: *in qua sibi cum fortunatior videretur, cui electionem mox vrna tribuebat, par vel potior erat, quem sors fecisset extremum. Quoties sequenti primus inuidit? Dubia est enim optio cum de similibus iudicatur*, &c. Idque ex gregibus dominicis, de quibus etiam dicendi locus erit *inf. suo titulo, de grege dominico.* Quos quidem greges per Orientem insigniores habuere. Et in his Phrygiæ greges, quos cum Hermogenianis equis eosdem fuisse docebo *ad legem 1 inf. de equis Curulib.* & *d. l. vn. de grege dominico.* Eorundem sane Phrygiæ gregum & equarum meminit Claudianus, *de laudibus Serenæ, v. 190.*

> - - - - *Delectus equorum.*
> *Quos* PHRYGIÆ *matres Argæaque gramina pasta*
> *Semine Cappadocum* SACRIS PRÆSEPIBVS EDVNT.

Et magna alioquin laus equorum Phrygiscorum, seu Phrygiæ: Idem Claudianus *lib. 2. in Eutrop.* de Phrygia agens, *v. 272.*

> *Diues Equis, felix pecorum, pretiosaque picto*
> *Marmore.*

Hieronym. in Ezech. *c. 27. pag. 404. Tom. V. Oper. edit. Francof. Gensebii. Et de domo Thogorma, id est, de Phrygia equos & equites & mulos: quorum quondam illa prouincia maximam habuit copiam.* Vegetius *de re Veterinaria lib. 4. cap. 6. Prœliis Circensibus vel ad bellum Hunniscorum longe primo docetur vtilitas* &c. *Tertio loco phrygiscos, non minus velocitate, quam continuatione cursus inuictos.* Forte etiam non male huc referantur *Laudicianorum greges,* quorum meminit Symmachus, *lib. 4. Ep. 64. Quatuor*, inquit, *ex grege Laudicianorum quadrigas, quas tua deflorat electio ad me opto deduci.* Et mox. *Credo mireris, vt non potius de gregibus tuis postulem, qui potissimos Iberorum nobilitate praeuertunt.* Laudicianorum scilicet equos ex Laodicæa Phrygiæ intelligit. Nam quod *Laudicianorum* nomine eo loco vir doctus Syros negotiatores recipit, alienum id prorsus a Symmachi mente est. Quare mirum Phrygiorum equorum non fecisse mentionem Cynegeticos & Venaticos scriptores, Gratium, Nemesianum, Oppianum quamlibet iste 15. genera patriasque recenseat. Et nihilominus tamen cum tam præstantes Phrygisci equi fuerint ad Circeum certamen, & Phrygas ipsos primum bigas iunxisse memoret, Plinius, *lib. 7. cap. 56.* tamen Phryges ipsi a Curulibus certaminibus temperauere: testis Socrates *lib. 4. cap. 28.* τὰ παφλαγόνων καὶ Φρυγῶν ἔθνη, &c. *οὐδὲ ἱπποδρομίαις οὐδὲ θέατροι σπουδάζονται παρ' αὐτοῖς. Paphlagones & Phryges, neque Circensium neque theatralium ludorum studiosi sunt.* Ad rem. Certus igitur Equorum numerus a Principibus præberi solitus ad Curule Certamen Prætoribus pro cuiusque gradu, in vtraque Vrbe Roma & Constantinopol. Quo spectat proculdubio & hic Symmachi locus, *lib. 4. ep. 8. Intelligo ex mora & cunctatione Rescripti Diuini, aliquid in his quæ* PRÆTORIA *filii mei supplicatio comprehendit, incongruum vel dubium iudicari. Atque ideo tibi* (Stilicho) *petitionum mearum debeo præstare rationem. De* EQVIS *ob Natalem Domini Nostri & Inuictissimi Principis largiendis, licet hoc anno obsequii istius tempus effluxerit, opinor votum meum non potuisse reprehendi: Aquæ vero theatralis*, &c. Sic sane etiam Imperatores Curialibus Antiochiæ (vbi alioquin data hæc lex) Circenses edituris equorum quadrigas donasse, testis est Libanius *epist. ad Aristænetum 377.* *μέλλων δὲ ἵππων ἁμίλλας χαρίζεσθαι τῇ πόλει δώρῳ βασιλικῷ τετίμηται δύο τέθριππα, τὸ δῶρον, οἱ δὲ ἐν Βιθυνίᾳ παιδεύονται.* Vbi vides etiam Bithynicos equos vel saltem in Bithynia eruditos donatos. Et hæc in genere de equis ad Circense certamen. Nunc de *hac leg.*

Igitur hac Valentis Oratione statuitur, numerus equorum Phrygiscorum, qui Prætoribus duobus maximarum editionum præberi debet. *Maximarum editionum Prætores* duo sunt, qui loco primo esse dicuntur, *l. vlt. inf.* qui scilicet maximas inter Prætores & Editores expensas faciebant: & vero erant Constantiniani & Constantiani: Prima nempe horum erat Prætura, *l. 25. infr.* Et alii inter Prætores erant primo loco, alii secundo, &c. *d. l. 25.* & *l. vlt. inf.* Et suus cuique expensarum modus præstitutus. Viginti quatuor itaque equos Phrygiscos ad Curule certamen seu Circeum (vt loquitur Vegetius *lib. 4. de re Veterinaria, l. c.*) duobus maximarum editionum Prætoribus dari iubet Valens subiugandos quadrigis, *hoc est simul octo.* Quæ verba aliquando sic immutabam, *hoc est septem vel octo diebus, duobus*, &c. vt hic sensus foret, vsum horum equorum concedi *ad septem vel octo dies tantum;* sicut ex *l. 2. inf. de venat. ferarum*, septem vel octo diebus tantum transductioni ferarum deputati, feræque, quæ ad Comitatum mittebantur, intra singulas ciuitates retineri poterant *l. 2. inf. de venat. ferar.* Auctor quippe est Olympiodorus in *iis* quæ supersunt apud Photium *fragmentis in fin.* Prætores septem diebus ludos celebrasse. ἑπτὰ, inquit, *ἡμέραις οἱ πραίτωρες τὰς πανηγύρεις ἐτέλουν, septem autem diebus solemnes ludos prætores celebrabant.* Sane qui equi e Principis gregibus Prætoribus dabantur, ad vsum tantum dabantur, neque Prætorum compendio cedebant, vt ostendit *l. 6. inf. de Scænicis*, & *lex 1. inf. de equis Curulibus.* Verum verba hæc, *hoc est simul octo*, vt exerte præfert MS.

ita

ita commode accipi possunt, cum 24. equi præbendi sint, per octonos præberi oportere: Sic vt octoni, eiusdem coloris, staturæ, præbeantur; totidem singulis curribus subiugandi: ac proinde iunctura pares seu octonos ad tres currus seu quadrigas: de iuncturis dicam ad *d. l. 6. inf. de Scænicis.* Sed an viginti quatuor isti equi per octonos, inter duos Prætores ita diuidentur, vt bis octoni primo Prætori cedant, octoni reliqui secundo: quomodo & expensæ primi Prætoris duplices erant, vt ostendit *lex 13. sup.* An vero singulis Prætoribus ter octonos dari voluerit Valens? Mihi probabilius videtur, duos Maximarum Editionum Prætores ludos iunctim edidisse, arg. *l. 25. inf.* Sed quid octoni equi ad Quadrigam, seu τέθριππον, quæ quatuor tantum Equis constabat? Nempe etsi prima origine, propriaque quadriga sit τέθριππον quadriiugis, quæ a quatuor Equis trahitur: attamen Quadrigæ nomen mansit, etiamsi plures subiungerentur equi: quod sæpe eueniebat. Certe & sex, & septem, & decem aliquando iugis aurigarum legimus apud Sueton. *Nerone, cap. 24.* & in antiqua Cochinorum tabula apud Panuinium *de Circensib. cap. 10.*

Quadrigatum porro harum Circensium multa apud Symmachum mentio, & quidem ad Præturam. Ergo viginti quatuor Equos Phrygis his Prætoribus dari iubet hac leg. Valens, si modo hæc lectio bene habet: nam MS. hac parte excisus, exhibet tantum *Equos.....quatuor*, sic vt internoscere non possim, quid ibi replendum sit.

P. 58.

XX. (a) Idem (b) AA. Clearcho P. V. (c)

INEVNDI Magistratus vnum omnium (d) diem Prætoribus quattuor (e) esse oportet, Ianuarium scilicet Kalendarum. Et si quis vel differendum, vel contemnendum esse crediderit, non solum statum (f) Editionis pretium cogatur exsoluere, verum etiam multæ quoque nomine dimidium extrinsecus pretii cogatur inferre. Dat. VIII. Id. Mai. Modesto & Arintheo Coss. [372.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic *legi* est *lex 2. inf. de studiis lib.* V. R. & CSP. Imo vt existimo etiam *lex 7. inf. de annonis ciuicis*, die eius emendato. Concordat postremæ *huius leg.* parti *lex 13. sup. vers. ita vt si.* GOTHOFREDVS.

(b) Iidem Impp. reponendi, qui superiori *leg.* IDEM.

(c) Constantinop. IDEM.

(d) Sustineri potest: non male tamen, *omnino.* IDEM.

(e) Quatuor hoc tempore Præturæ, seu Prætores fuere, de quo ad *leg. 5. sup.* Totidem quoque fuere postea sub Theodosii initia *l. 25. inf.* Sed aliæ; *Theodosiana*, & *Arcadiana* quippe in locum Flauialis, & Triumphalis subrogatæ in gratiam Theodosii Principis imperantis. IDEM.

(f) *ve.* STATVM: id est, *statutum*: vt *leg. 13. sup.* statutum pondus Præstitutæ expensionis modus: seu manis præscripta summa, *l. 3 sup. l. 24 inf.* quantitas adscripta, *d. l. 3.* Impensæ suæ, *l. 4. sup.* erogatio debita, *l. 6. sup.* debitum impendium Symmacho, *lib. 10. ep. 36.* Pondus condictum *l. 13. sup.* Definita erogatio, *l. 30. inf.* IDEM.

COMMENTARIVS.

AVSPICALEM ineundi Magistratus seu Præturæ, ludisque adeo edendis, diem omnibus Prætoribus Valens Imp. Constantinopoli *hac l.* statuit: Kalendas videlicet Ianuarias: cum forte ibi hactenus alius atque alius dies obseruaretur, vel saltem cum id Prætorum nonnulli alium in diem differrent. De Occidente sane, seu vrbe Roma, obseruati ibi eius diei tria testimonia occurrunt apud Symmachum *lib. 8. ep. 70.* *Vrbana Prætura fasces filius meus Symmachus Kalendis Ianuariis sortietur*, lib. 8. ep. 71. *Filius meus Symmachus Kalendis Ianuariis Prætura vrbana accipiet Magistratum.* Et *lib. 9. ep. 24.* *Nuncio filium meum Prætorios fasces anno ineunte suscepturum.* De Kalendarum alioquin Ianuariarum in genere festiuitate ludisque eo die exhibitis, ad *l. 2. sup. de feriis.* Cæterum quæ duo *hic* obseruanda sunt, omnibus Prætoribus hic dies præstituitur, qui quidem quatuor hoc æuo fuisse indicantur: de quo Prætorum numero ad *l. 5. sup.* & *in Notis.* Sed & differenti, & contemnenti eo die Præturam edere, præter statutum Editionis pretium, multam imponit Valens, vt dimidium extrinsecus pretii superaddere & soluere cogatur. Quæ multa absentibus a Constantio pariter imposita fuerat: *l. 13. sup.* abolita multa Constantinianea, seu frumentaria: de qua *ad eam l.* dixi. Cæterum est hæc *lex* pars prolixioris Valentianæ constitutionis ad Clearchum P. V. vnde duæ præterea *leges* supersunt; puta *lex 2. de stud. lib. V. R.* &c. & *lex 7. de annonis ciuicis*, die ibi emendato, ac proinde huic coassandæ veniunt: qua quidem Valens populi Constantinopolitani commodis varie consultum iuit: voluptatibus scilicet eius, *h. l.* annonæ *d. l. 7.* studiis & bibliothecæ, *d. l. 2.*

XXI. Imppp. Valentin. & Valens & Gratianus AAA. ad Bapponem P. V. (a)

TEmpore, quo Temonarii (b) designantur, etiamsi nominatio celebretur, fiatque conuentio, quam Officium P. V. curare oportet, &, si ita res expetit, Officiis (c) prouinciarum ad peruestigandum fide vti, quam commodatur (d) ipsi potissimum super designatorum nominibus consulamus, (e) quo missis (f) & strenuis obligatisque iudicibus, non modo Temonarios (g) verum complices quoque eorum, in exhibitionem proprii Muneris vrgeamus: (h) Fingamus enim posse fieri, vt designati primo & secundo

vel tertio anno subterfugere inquirentium sollicitudinem possint, certe septem reliquis (i) haut dubie poterunt referri: (k) Denique, vt prius statuimus, eorum, qui per annos singulos ad Candidatum (l) atque honores certos noscuntur, (m) in scientiam nostram post designationem debitam insinuatione fida vocabula deferant. (n) Et in subrogandis certis (o) quibus in diem functorum locum ordo teneatur: & licentia molita deroge (p) Officiis, quæ ex denuntiatione huiusmodi quæstum sæpe secuta sunt: simul, Prouinciales (q) Nostri, aut animentur spe leuioris impensæ, aut certe, si editionis suæ tempore communem (r) patriam declinarint, metu congruæ seueritudinis vrgueantur: Nec sane excipimus eos, quos ad præsens labor publicus officiumue detentat, prouidentia secutura, vt aut conuenientia (s) nobis inuicem propriam idoneas dirigant, aut ipsi, quia res exegit, (t) sumpto temporario (v) commeatu Romam ire deproperent. Super prouisione autem Senatus Egregii, atque Consulto, quo definiri a nobis reuerentissime depoposcit, vt duo vel tres de his qui nominantur Candidati, (x) Arcæ (y) possint certo argenti pondere sociari, (z) tunc melius æstimare poterimus, cum duos folles, (a) aut quattuor, aut
P. 59 certe amplius in professionem (b) habebunt, quid sustinere in Muneribus possint aut debeant, quiue editionis ordo sit: cum enim populo (c) fuerit intimatum, conlata a nobis editionis necessitate cum subsidiis facultatum & professionis modo, rite poterit definiri, quid vniusquisque expensæ pro captu virium (d) debeat sustinere. Sane eorum arbitrio nulla lege præscribimus, qui pro consideratione patrimonii, nataliumque merito, secundum splendorem honoris proprii, enormitatem impendii non recusant: His (e) enim prouidendum nos hac ratione censemus, qui non solum admonendi sunt, ne Muneri suo desint, verum præscriptorum sumptuum vilitate ac moderatione prouocandi, (f) Dat. XI. Kalendas Septemb. Nasonaci (g) Modesto & Arintheo Coss. [372.]

NOTAE.

(a) *Bappo* P. V. Romæ: vt docent illa mox, *Romam ire deproperent.* GOTHOFREDVS. Ammianus *Lib. XV. cap.* 4. memorat Bapponem Promotorum Ducem qui forte idem est cum nostro, quod tamen Valesius ad hunc locum affirmare non ausus est. RITTER.

(b) *γρ. Remorarii*, vel *Remotarii*, hic, & *inf.* Imo *Telonarii:* mox vt ostendam. GOTHOFREDVS.

(c) *γρ. Officii.* IDEM.

(d) *Quam commoda: tamen ipsi*, supra enim, *etiamsi*, &c. cui vox *tamen* respondet. IDEM.

(e) *γρ. Consulamur.* IDEM.

(f) In vet. MS. desunt aliquot literæ tres vel quatuor, & ideo in quibusdam editionibus *hic* est nota Asterisci, forte supplendum, *a me.* In sequentibus certe legendum *ablegatisque Iudicibus.* IDEM.

(g) *γρ. Telonarios* proprie *de munere Kandidatorum*, v. locum Lampridii, & vetus *Kalendarium Romanum.* IDEM.

(h) In MS. *vrgueantur:* male IDEM.

(i) Decennio scilicet ante designabantur: vid. *l.* 13. *sup.* IDEM.

(k) *γρ. Efferri*, id est, e latebris erui, vel *reuerti.* Alii *reperiri* legunt, quod MS. persuadet, vbi *P* litera internoscitur: sed nihil mutandum *Referri*, id est de iis referri. IDEM.

(l) *Candidatus*, hic substantiuo significatu, pro *Candidati* seu Præturæ honore; ceterum *candidati*, pro designatis ad Præturam, passim *hac ipsa leg.* & *l.* 21. *inf.* apud Symmachum (*lib.* 1. *ep.* 39.) *lib.* 2. *ep.* 59. 81. (*lib* 6. *ep.* 20 26. 59 62 65. *lib.* 9. *ep.* 118.) Ad quem vid Iuretum. Huc pertinet locus hic elegans apud Lamprid in *Alex Seuero c.* 43. *Quæstores Candidatos ex sua pecunia iussit munera populo dare: sed vt post Quæsturam Præturas acciperent, & inde prouincias regerent: Arcarios vero instituit, qui de Arca fisci ederent munera, eademque parciora*, de quo loco mox plura. Ab his ipse Ordo Senatorius, Ordo Candidatus dicitur, *l.* 22. *inf.* & *l.* 1. *inf. de habitu quo vti.* IDEM.

(m) An *poscantur?* An (quod alii) *vocantur?* Imo *nominantur:* apertissimis enim literis expressum ibi, *no.....tur:* sic vt quinque literarum ibi spatium sit vacuum. IDEM.

(n) *Deferantur*, quomodo MS. persuadet, vbi duarum saltem literarum spatium intercidit. IDEM.

(o) *γρ. Certus quoque:* vel *certis quibusque.* IDEM.

(p) *γρ.* Licentia molita derogetur Officiis. Quomodo in MS. postea aperte expressum vidi. De hac licentia Officialium, vid. & *leg.* 27 *inf.* Nescio quid sibi hic voluere excerpta quædam Cuiaciana, in quibus ita hic locus emendatur, de *roga officiis:* nam etsi *Roga* μισθὸς sit & *τετεριμοι*; tamen adhuc verbum quærendum foret vinciendæ huic sententiæ. IDEM.

(q) Sustineri potest. *Prouinciales* vocat Senatores in prouinciis commorantes, & quidem in remotis, vnde *Remotarii* supra dicti, de quo mox. Huic autem sententiæ proxima est *lex* 1. *sup. in fin.* IDEM.

(r) *Communis* patria Roma *hac leg.* & *l.* 14. *de Senatorib.* & in iure nostro, *l.* 6. §. 11. *D. de excusat.* & *l.* 33. *D. ad municip.* & apud Symmachum, & alibi. vid quæ Iuretus ad *lib.* 5. *ep.* 92. In *leg.* 11. *supr.* vocatur *Sedes dignitatis* [*Senatoriæ*] *propria.* IDEM.

(s) *γρ. Vt aut conuenti a nobis in vicem propriam idoneos dirigant.* Et sane ita diserte habet MS. nisi quod *idoneas* habet, loco *idoneos.* IDEM.

(t) *Exigit.* IDEM.

(v) In MS. *temporaria* IDEM.

(x) *Candidati* hac *leg.* & *l.* 22. *inf* & candidatus substantiue pro honore ipso *sup. hac ipsa l.* vbi plura. IDEM.

(y) De Arca hac mox dicam. De Arca V. CSP. dixi ad *l.* 13. *sup.* IDEM.

(z) *Sociari*, id est, coniungi, v. *l.* 25. *inf.* IDEM.

(a) De

(a) De *Follibus*, vid. *l. 5. sup. de Senatoribus*, vbi de huius loci sensu speciatim dixi. *IDEM.*

(b) V. *l. 7. sup. professio*: intimatio, *infr.* *IDEM.*

(c) MS. haber exesis tribus literis initio lineæ. . . *vlo*, vnde efficio, non, *populo*, (quid enim hic faciat populus?) verum *gerulo*: Missus scilicet gerulus ab Imp. ad Senatum. *IDEM.*

(d) *Virium*, id est, facultatum vid. *Gloss.* *IDEM.*

(e) *His enim solum*, &c. id est, pauperibus & mediocribus. *IDEM.*

(f) Vid. quæ postea *notabo*. *IDEM.*

(g) *Nasonaci* datæ hoc anno plures aliæ constitutioues: de ea dico, in *Chronico*. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Dvo remedia seu media *hac* Valentiniani *lege* continentur, quibus Præturæ editiones facilius procurentur; *Absentibus* videlicet, eesugisque ad eam non vna tatione adactis: tum & *sumptuum* modo definito vel defioiendo de absentibvs, scilicet in temotis seu longinquis Prouinciis Prætoribus designatis, primum huius Valentinianeæ *legis* caput est, qui perperam hac lege *Temonaris* vocantur, & quidem duobus locis vitio Librarii. Quid enim faciant hic *Temonarii*, qui erant auri tironici exactores, & de quibus agetur *inf. tit. de Tironibus*. Pro hac voce igitur tres emeodariones mihi succurrebant. Itaque possit primum hic legi *remorarii*, id est, qui Præturam defugiunt, remorantur, caluiuntur, frustrantur, aut pedem struunt, moratores denique quomodo apud Festum *remores aues* dicuntur, quæ acturum aliquid remorantur: & *Remores* ἐποχοι in *veteri Onom*: Proinde Remorarii qui differendum sibi credunt, vt loquitur *lex 20. sup.* callide declinantes Curiam, vt vocantur *l. 11. sup.* Secundo malit quis hic legere, *Remotarii*. Neque enim illico qui in longinquis Prouinciis sunt, quo tempore designantur, Remorarii sunt, sed qui legitime prius sunt conuenti. Remotarii scilicet, qui in temotis sunt Prouinciis, & longinquas peregrinatiooes instituunt, *l. 11. sup.* Qui neque Romæ, neque in locis confinibus seu suburbicariis degunt; sed in agris, & traosmarinis Prouinciis, *l. 2. sup.* veluti per Africam, de quo est etiam Symmachi locus *lib. 10. ep. 4.* vel per Achaiam Macedoniam, totumque adeo Illyricum. *l. 11. sup.* Breuiter, qui in Prouinciis commorantur, *d. l. 2.* & vno quoque verbo *Prouinciales*: nam ita mox *hac eadem lege* vocantur, ibi: *Simul Prouinciales nostri, aut auimentur spe leuioris impensæ, aut certe si editionis sua tempore communem patriam declinarint, metu congrua seueritatis vrgeantur.* Verum malim ego hic reponere, *Telonarii*, vel *Telotharii* eodem sensu,
P.60. quo *Remotarii*: effícta voce hoc æuo a voce τῆλε, vel τηλόθι, τηλόθεν, τηλῦ in superlatiuo τηλοτάτω, id est, procul & looginque, vt *Telonarii* sint in longinquo, & longinquis Prouinciis positi, quomodo & τηλωπὸς & τηλυρὸς, longe positus, procul semotus; de quo iam aliquid dixi ad *l. 17. sup.* Quod hic omnino congruit. Agitur enim *hac leg.* de his qui *editionis tempore communem patriam declinabant*, & ad *quos peruestigandos Officiales missi strenuique Indices, quique subterfugiebant inquirentium sollicitudinem*, denique qui *Romam ire & deproperare iubentur.* Id quod etiam congruit iis quæ Zosimus scribit, *lib. 2. cap. 38.* de graui Præturæ onere, cuius euitaodi causa passim multi fugiebant, & ad peregrinos procul se conferebant: ἦν ἐν ἰδεῖν, τῶν εἰς τοῦτο τεταγμένων ἐπιδημούντων ταῖς πόλεσι, φυγὴν ἁπάντων ἀποδημίαν ἀλλόφυλον. *Ideirco quoties ad orbes venissent, qui huius rei mandatum habebant, videre erat fugam omnium, & profectionem ad extraneos.* Vides φυγὴν, & ἀποδημίαν ἀλλόφυλον: vnde *Telonarii* isti dicti. *Telonarii* autem eadem forma qua supra *Charonaria* Præcuta, *l. 17. sup. h. t.* quæ & ipsa *lex* est Valentiniani.

Nuoc de sententia *huius primi capitis*. Iubet igitur Imperator postea quam absens Prætor quis designatus est: 1. Non tantum nominationem eius celebrari, publicari: 2. Non tantum abseotem conueniendum, id est, commonendum cura Officialium Præfecti Vrbis: 3. Non tantum Officiales, seu Apparitores, Rectores Prouinciæ ad peruestigandum huiusmodi Præturem operam nauare oportere: quo pertinet quoque quod Symmachus scribit *lib. 10. ep. 4.* Apparitorum Notoriis Senatui nunciatum quod Proconsul tum Africæ Prætores abesse pateretur; Verum etiam ad Principis notitiam designatorum oomina referri debere a Præfecto Vrbi. Cuius fere moris exemplum extat apud Symmachum *lib. 10. ep. 59.* *Deuotione & more commonitus, Magistratuum nomina, quibus varias functiones Designationum tempore amplissimus Ordo mandauit, ad æternitatis vestra perfero notionem, D. Imperator: vt muneribus exhibendis, aut subeundis fascibus destinatos, cognitio Imperialis accipiat.* De quo etiam dixi iam ad *l. 2. sup. de Senatorib. & gleb. coll.* Huius indicii ratio quæ & *hac ipsa lege* indicatur, isthæc est, vt Princeps inquisitores postea mitteret, qui Telonarios vel Remoratios hos eruerent, & eorum complices, eosque ad editionem muneris sui vrgerent: Quod Inquisitorum genus notandum est inter alios, de quibus omnibus dicam alibi: *Complices* vero hi sunt qui latebram illis præbent.

Secundam sententiam ex *hac leg.* hane constituere possumus: decennio ante Prætores designatos, post decennium vero ad Præturas nominatos: Quod præter *hanc legem* duæ præterea *huius tituli* leges ostendunt, puta *lex 13. sup.* & *l. 22. inf. prox.* hac inter alias ratione, vt hoc & taoto temporis spatio latitantes erui possent. Quæ ratio *hac ipsa lege* indicatur *versiculo, fingamus.*

Tertia sententia: in svbrogandis in diem functorum locum Statoribus, certum quoque ordinem seruandum, *versiculo: Et in subrogandis*, de quo dictum fuit *ad l. 12. sup. in fine.*

Quarta sententia: officiales pro notitia seu denuociatione huiusmodi quæstum aliquem fecisse, de quo videnda est etiam *lex 24. & 27. inf.* Verum licentia hæc inolita officiis *h. l.* derogatur: *Versiculo: Et licentia* & *l. 24 inf.* De quo plenius etiam agetur *Titulo, de lucris officiorum*; & Titulo, *Ne quid publicæ lætitia nuntiis.* Scilicet, vt animentur spe leuioris impensæ absentes Prætores Prouinciales.

Quinta sententia: in officio quoque publico constitutos Prouinciales Prætores anmioatos, vel alium idoneum loco suo mittere, vel sumpto commeatu temporario, Romam sese conferre debere. Vicarii igitur Prætores hoc casu admittuntur, qui non admittuotur in specie *legis 10. sup. versic. Nec sane excipimus.* Et hæc quidem de primo *huius leg.* capite.

Secuodum caput, de svmptvvm Prætorianorum moderatione, Sors videlicet & singulis Præturæ generibus suus quidam iam modus præstitutus fuerat: vt iam ante intelleximus. Verum cum immodicus adhuc satis Senatui videretur huiusmodi modus, saltem eorum respectu quorum modicus census erat, ab Imperatore Valentiniano *huius legis* Authore postulant; vt duo vel tres in vnum sociati seu coniuncti Candidati, Arcæ sociaeentur: sic vt sociatis iis cum Arca iam munus edi possit. Nem-

pe munera alia edebaotur a Candidatis: alia vero ab Arcariis. De quo instituto est hic Lampridii locus de Alexaodro Seuero *c. 43.* *Quæstores* CANDIDATOS *ex sua pecunia iussit munera populo dare, sed vt post Quæsturam Præturas acciperent, & inde prouincias regerent.* ARCARIOS *vero instituit, qui de arca fisci ederent munera, eaque pauciora,* &c. Huc quoque pertinent illa in veteri Kalendario Heruagiano Romaoo Coostaotinianorum temporum: *mense Decembri, Munus, Arca,* id est, munus Arcariorum, & de Arca: *Munus Kandida,* id est, muous Candidatorum. Allusit quoque Ambrosius (*sermone 81.*) *Preparemus noua & præclarissima munera: Edamus primam Candidam in vestitu nudorum: secundam vero non minus nobilem,* &c. Ad rem. Ad hoc igitur Senatuscoosultum seu Senatus petitiooem id rescribit *hac l.* Valentinianus, vt ad se de singulorum Prætorum facultatibus referretur, vt ita ipse postea dispiceret, quantum expensarum modum quisque, pro modo facultatum suarum sustinere deberet: In commune igitur oihil statuere voluit, verum siogulorum facultates perpeodere. Promodo igitor professionis pro modo follium cuiusque Id sibi statuendum reseruat: de qua follium professione vide & *l. 7. sup.* & pleoissime *tit. de Senatorib.* Mediocribus tantum modum positurum se pollicetur. Locupletibus certe nullum modum præscriptum vult nunc Valeotinianus (etsi Valeoti postea mens alia fuit, *l. 24. inf.*) Prætores scilicet ne muneri suo deessent & ad Editiones prouocareotur & animarentur, præscripti subinde & temperati Editionum sumptus; a Constaotio, *l. 5. 13. sup.* a Theodosio M. *l. 25. inf.* & Symmachus *lib. 10. ep. 17.* ab Arcadio, *l. 30.* & *l. vlt. inf.* His igitur modum præscriptum voluit, quomodo & alias præscribi oportet hac io re: vt ita *præscriptorum sumptuum vilitate atque moderatione prouocentur:* vt *h. l.* dicitur, & paulo aote *animentur, spe leuioris impensæ.* Atenim hos sumptus, excedere seu egredi licitum his, *qui pro consideratione patrimonii, natalíumque merito, secundum honorem splendoris proprii enormitatem impendii non recusarent.* *Horum* enim *arbitrio nulla Lege præscriptum,* neque præscribi voluit Valentinianus, cuius hæc verba sunt.

P. 64. *De* EXCVSATIONE *a Nominatione: deque Processu in ea re, & cognitione Præfecti Vrbis.*

XXII. (a) Iidem AAA. ad Senatum.

ANTE decem (b) annos cuiuslibet Editionis Prætorem nominari: (c) & intra quinque menses designatum iussimus conmoneri, (d) Vt *aut* (e) *editurus præstet adsensum, aut si refert* (f) *contrariam voluntatem, futuri examinis iudicium non moretur:* nam intra septem menses adcelerandæ cognitionis (g) terminus constitutus, dilationis (h) licentiam, imperio (i) fundatæ definitionis, (k) excludit: (l) Nec enim allegationibus (m) cuiusquam vlla poterit esse reparatio, per ignauiam silentii pigrioris si (n) definitum tempus fuerit euolutum, si (o) post habitam taciturnitatem, feræ voluerit merita defensionis ostendere. Decem vero auri libras ab vniuerso Officio per singulas nominationes iubemus inferri, si designatus Prætor intra quinque menses nulla fuerit admonitione conuentus. Ita vt cum Præfecto Vrbi electi ex Ordine Candidato (p) cum allegationes (q) suas Prætor nominatus exponit, (r) suscipiant Officium, (s) audirique (t) singulos cupiant patienter: Et si admittenda (v) sunt quæ dicuntur, arbitrio iustitiæ vindicari: Sin vero inanis probatur adsertio, inprobas voces seuerioris sententiæ auctoritate (x) conpesci. Disceptandi ergo moderatio cuncta componat: cesset potentia, ac similiter ambitionis patrocinium repellatur, *Nullum inique temporibus nostris a quoquam vel opprimi patimur vel defendi.* Quod si quisquam Iudicum hæc præcepta transcenderit, vel, nouæ præsumptionis insania, quæ sunt sanctionibus consecrata violarit, vt hostis publicus, aut expugnator vtilitatis inuentæ contra Senatusconsulta, inportuni furoris temeritate, congrediatur, & arbitrio nostro & vestro iudicio notam perpetrati criminis sortietur: Similis culpæ insinuatione nectendis, qui cum eodem residentes, (y) propriæ Nobilitatis obliti, adulantis gratiæ turpissimam prætulerint vilitatem. Nec sane fas erit huiuscemodi reis veniam relaxari, qui per patrocinia (z) Iudicum distrahentes, (a) & Senatus temptauerint infamare collegium, & sub auctione vendiderint ius Romanum, *Nominatores* autem Prætorum, Iudices esse non patimur, qui dum arbitrium suum cupiant (b) adprobari, insolentius aliquid quam moderatio patitur, sui contemplatione decernunt. Si quem vero ex nominatis Prætoribus, pro huius (c) auctoritate, grauior condemnatio sauciauerit, (d) ab Editionis eum placet onere submoueri: duabus videlicet exsistentibus caufis, quod vel erogationi idoneus esse non valeat; vel *suscipere, qui culpam meruit, non debeat dignitatem.* Cauendum est autem, ne sub hac permissione concessa, etiam illis qui leui fuerint emendatione (e) correcti, huiusce patrocinii gratia deferatur, cum his vtrique tantum debeat prouideri, quos grauissimi dispendii mole fatigatos subitum pondus obpressit. Quod si probabilis (f) fuerit & iusta conquestio, releuatæ necessitatis gratiam consequatur. Dat, V. Id. Iun. Valentiniano & Valente IIII. AA. Conss. [373]

NOTAE

NOTAE.

(a) Iungenda videtur huic legi, *lex prox.* 23. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Decennia* ante editionem Prætores nominantur seu designantur *h. l.* & *l.* 13. 21. *sup.* *IDEM.*

(c) *Nominari*, pro designari: vt inf. *nominationes*, pro designationibus. *IDEM.*

(d) Ab officio P. V. *vid. inf.* *IDEM.*

(e) Vel. *IDEM.*

(f) *Referre contrariam voluntatem*, est reniti. *IDEM.*

(g) Vel *cognitioni.* *IDEM.*

(h) Vlterioris. *IDEM.*

(i) Id est, ob auctoritatem ita firmatæ hoc septem mensium lapsu designationis & nominationis. *IDEM.*

(k) Et designationis. *IDEM.*

(l) Vel *excludet.* *IDEM.*

(m) Id est, defensionibus, vt *infra.* *IDEM.*

(n) Abest a MS. *IDEM.*

(o) *Si postbabita taciturnitate.* Quanquam & illud defendi potest. *IDEM.*

(p) *Ordo* Candidatus: *h. l.* & *l.* 1. *inf. de habitu quo vti:* id est, Ordo Senatorius; dixi *sup. ad l.* 21. *IDEM.*

(q) Id est, Allegationes, defensiones, excusationes. *IDEM.*

(r) In MS. extat vestigium literæ, *p.* itaque malim *proponit.* *IDEM.*

(s) Examinis & iudicandi de excusatione proposita. *IDEM.*

(t) *γρ. audireque*, & mox *vindicare.* *IDEM.*

(v) Admitti. *IDEM.*

(x) Præfecti vrbis: nam hic proprie *Iudex* erat; electi vero ex Ordine Candidato, tantum *cum eo* residentes vt mox inf. vocantur, & quasi adsessores. *IDEM.*

(y) *Residentes παρεδρεύοντες*, electi ex Ordine Candidato, qui in hoc Iudicio cum Iudice P. V. resident. *IDEM.*

(z) Distingue & restitue *qui per patrocinia iudicium distrahentes.* *IDEM.*

(a) Id est, vendentes ius Romanum, veno exponentes vt *inf.* mox *vendiderint.* *IDEM.*

(b) *Cupiunt.* *IDEM.*

(c) Sanctionis scilicet. *IDEM.*

(d) *Sauciare*, condemnatione dicitur. *IDEM.*

(e) Id est, condemnatione vt *sup.* *IDEM.*

(f) *Probabilis, δόκιμος* probanda: Vid. *Gloss.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

P. 62.

De excvsationibvs a Prætura, deque Iudicii seu Cognitionis super Nominatione ad Præturam forma, processu & integritate, est hæc elegans admodum Valentiniani Imper. constitutio: Quæ quidem pars est Orationis eius ad Senatum: pariter vt *lex prox.* 23. quantum mihi videtur, quæ proinde *huic* coassanda venit. Eo scilicet fine, ne vel potentia quis indebite & contra ius opprimatur: contra ne per gratiam aut ambitionem quisquam in præiudicium publicum defendatur, seu elabatur. Quod vtrumque quantum ei cordi fuerit, tum ipsis illisque hic sanciuntur, tum singulari verborum pondere testatum facit Imperator: *Audirique*, inquit, *singulos cupiant patienter:* mox, *& arbitrio iustitiæ vindicari:* Item *Improbas voces seueroris sententia auctoritate compesci.* Rursum, *cesset potentia, ac similiter ambitionis patrocinium repellatur: nullum inique temporibus nostris a quoquam vel opprimi patimur, vel defendi:* Item cum Iudicum perperam hac parte quid facientium *noua præsumptionis insaniam* vocat, cum *hostem publicum, & expugnatorem vtilitatis* vocat, cum *importuni furoris temeritatem* appellat: cum *Iudices propria nobilitatis oblitos adulantis gratia turpissimam præferre vilitatem* ait: cum *per patrocinia distrahentes & Senatus infamare collegium & sub auctione vendere ius Romanum*, dicit; vbi ius Romanum dicitur de voluptatibus & ludis Vrbis Romæ. Quæ quidem omnia vt dixi, & eleganter admodum dicta, & præterea enixi hac parte Valentis studii argumenta sunt. Nunc de ipsamet Oratione.

Primum caput est de *Antecedentibus* ad excusationem proponendam. Antecedentia duo sunt: Primum est, quod decem annis ante quamlibet Editionem Prætorem nominari oportet *h. l. in pr.* quod iam olim obtinuit, vt docet *lex* 13. *sup.* & *lex* 21. *prox.* Secundo; intra quinque menses designatum commoneri oportet, vt aut nominationi adsentiri sese profiteatur, aut excusationem suo tempore proponat; *vers. & intra.* Hæc vero commonitio seu notificatio, sic vt dicam, ab Officio Præfecti vrbis facienda est, proposita pœna decem librarum auri, si id non fecerit, *vers. Decem vero.* Quod quidem Officialium seu Officii Præfecti vrbi, ius & officium notandum: cui simile *supra*, *l.* 13. in hoc eodem argumento Nominationum & Editionum. Et hæc de Antecedentibus.

Secundum caput est de *Tempore*, intra quod excusatio proponi & cognitio accelerari debet: nempe septem menses huic rei *hac l.* præstituuntur, & sic in totum annus a Designatione, ad notificationem & excusationem constituitur: Et ita quidem abscisse, vt, quod eleganter hic dicitur, *terminus dilationis licentiam, imperio fundata definitionis excludat: Nec allegationibus cuiusquam vlla possit esse reparatio, si per ignauiam silentii pigrioris definitum tempus fuerit euolutum, etsi post habitam taciturnitatem sera voluerit merita defensionis ostendere, vers. nam intra.* Quod quidem omne de termino fatali cuiuscunque excusationis proponendæ a muneribus ciuilibus aptari potest.

Tertium caput est de *Iudicibus:* Nempe de his Excusationibus Iudicum Cognitor & Disceptator est Præfectus vrbi, qui scilicet vt Senatus Princeps est, ita & Senatorum proprius cognitor: de quo confuse dicta ad *eas leges*, quas sub vnum conspectum exhibet Paratitlon *de Senatoribus.* Præfecto vrbi addit *hac l.* Imp. electos ex Ordine Candidato; Ordo Candidatus est *h. l.* & *l.* 1. *inf. de habitu quo vti oportet intr. vrbem:* Ordo Senatorius, Prætoris: de quo dixi *ad leg. superiorem:* Neque tamen numerum hic addit. Selectos tantum ait: Criminalis

causæ,

causæ, seu Quinquevirali Iudicii de capite Senatoris alia ratio est: ibi enim non electi, sed sorte ducti iudicabant, *l. vlt. sup. de Iurisdictione:* & *l. 13. inf. de Accusationib.* Porro inter electos, Nominatores Prætorum Iudices esse non posse *hac leg.* definitur: Non sunt scilicet idonei de Excusatione Iudices, qui ad munus eum de quo quæritur, nominarunt: addita eleganti veraque ratione (quæ alio vtiliter traduci potest) *ne*, inquit, *dum arbitrium suum cupiunt adprobari, insolentius aliquid quam moderatio patitur, sui contemplatione decernant.* Nempe suum iudicium quisque tuiturus creditur, suique contemplatione magis excusationi omni aduersaturus *vers. Nominatores autem.*

Quartum caput est de *Iudicum officio* in hoc Excusationis negotio: Nempe patientiam nominatis præbere iubentur, iustasque excusationes admittere: contra inanes assertiones seu excusationes, improbasque voces compescere. Denique disceptare omnia, moderatione sua cuncta componere, procul ab omni gratia seu patrocinio: *Cesset*, inquit, *potentia, ac similiter ambitionis patrocinium repellatur: nullum inique temporibus nostris a quoquam vel opprimi patimur vel defendi.* Quæ omnia vtiliter & eleganter alibi Iudicis officio aptari possunt, *vers. suscipiant officium:* vsque ad, *Quod si.*

Quinto capite, *vers. Quod si:* proponuntur *Pœna* aduersus Iudices qui gratia, vel adulatione, iniustam excusationem admiserint: quorum & culpam atrocibus verbis confodit: *insaniam* nempe *nouæ præsumptionis* & *importuni furoris* (an fauoris) *temeritatem*, eis tribuit, *hostes publicos*, & *expugnatores vtilitatis* vocat: Eosdemque ait, *propria Nobilitatis oblitos adulantis gratia turpissimam præferre vilitatem; per patrocinia, iudicium distrahentes & Senatus infamare collegium: & sub auctione vendere ius Romanum.* Hæc verborum atrocitas. Quod pœnas attinet, & Præfectum vrbis, & cum eo residentes absque vlla veniæ spe, velut *hostes publicos*, & Principis, & Senatus arbitrio iudicioque notam perpetrati criminis sortiri debere definit. Nouum vero crimen, nouusque titulus hic inter cæteros hostium publicorum notandus, propter infamiam Senatus illatam, & voluptates populi Rom. fœdam per adulationem vel nundinationem insuper habitas.

Sextum caput respicit iam eum, qui *iniuste sese excusari studuit: vers. si quem vero.* Nempe & graui condemnatione, seu multa afficiendum eum: & ita affectum (non vero si leui multa affectus) ab Editionis munere submouendum: duabus, vt ipsemet Imp. profitetur, causis additis: quod & erogationi iam amplius idoneus non sit: & hac dignitate indignus sit: suscipere, inquit, qui culpam meruit, non debeat dignitatem. Nempe Prætura, dignitas est: qua indignus est, qui in tantum eius dignitatem infamare voluit. Contra, qui leuiter aduersus eam commisit, atque ideo leui multa affectus est, nihilominus Præturam edere tenetur.

Postremo capite definitur e contra, si probabilis seu iusta fuerit querela, seu excusatio, eam vacationem tribuere Designato. Et hæc quidem est *huius leg.* sententia: qua vti possumus vtiliter in Excusationum aliarum materia, a tutelis, & muneribus. Illud adhuc addo ad huiusmodi excusationem a Senatoriis muneribus pertinere *epistolam 57.* Symmachi *ad Paternum* (Com. S. L.) *lib. 5.*

P. 63.

XXIII. (a) Iidem AAA. ad Senatum.

AB illis Editionis peti ordinem (b) non debere, iustitia pariter & consuetudo declarat, qui Consulares ac Prætorios codicillos suo excellenti merito ac nostro sunt beneficio consecuti. Lecta (c) Id. Iun. Valentiniano & Valente IV. AA. CONSS. [373.]

NOTAE.

(a) Iungenda videtur *hæc lex*, legi superiori. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Ordo* editionis: vide *supra*, *legem 21. versic. super. prouisione.* Ordo Designationum, *l. 31. inf.* vid. plura in *Gloss. Theod. in v. Ordo.* *IDEM.*

(c) Vid. quæ semel notaui, *ad l. 8. sup.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

IMMVNES ab editionibus ludorum esse definiuntur, qui Consulares & Prætorios (id est Præfecti prætorio) Codicillos suo excellenti merito a Principe sunt consecuti; Id quod hac lege partim iustitiæ, id est, æquitatis *ratione*, partim consuetudine firmatur. Id ipsum certe statutum iam fuit *l. 10. sup.* Quanquam aliter aliquando visum fuit *l. 13. in fin.* & *l. 15. sup.* de quo plura dixi *ad d. l. 10.* Vnde huc repeti debet insignis Symmachi locus *lib. 7. ep. 96.* (Quæ data est A. D. 400. vt apparet ex collatione *legis 26. inf. de susceptoribus*, cum illius Epistolæ parte:) Quæque data est ad Longinianum Comitem S. L. Addi debet & hic alter *lib. 10. ep. 18.* alias 25. *Dignum est æternitate Numinis vestri Celsum adiudicare nobilibus pignore dignitatis* (id est in amplissimum Ordinem cooptare) *cum prærogatiua scilicet Consulari, ne sumptum eius magis quam magisterium quæsisse videamur; non sine auaritia nota si ab eo munia publica postulemus, qui spondet gratuita præcepta.*

XXIIII. Imppp. VALENS Gratianus & Valentinianus AAA. ad Senatum. (a)

NE quis Prætorum semel præstitutæ expensionis transeat modum. Sed (b) ne Officiis aliquid largiatur. (c) Dat. III. Kalend. Iun. Antiochiæ Valente V. & Valentiniano Iuniore (d) AA. CONSS. [376.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Vrbis Constantinopolitanæ. *GOTHOFREDVS.*

(b) *γρ. Sed nec. IDEM.*

(c) Notitiæ seu denunciationis nomine *l. 21. sup. l. 27. inf. IDEM.*

(d) Ita quoque *l. 3. Cod. Iust. de offic. P. V. IDEM.*

COMMENTARIVS.

SVMPTVVM seu expensarum modus a Principibus subinde Prætoribus præscriptus fuit: Ac nominatim etiam Officialibus ob denunciationem seu notitiam quicquam præberi prohibitum fuit. De modo sumptuum in vniuersum superioribus legibus complurimis actum fuit. Sed & de Officialium sportulis his ad *l. 21. sup.* & de iisdem adhuc dicetur *ad l. 26. inf.* Cæterum modus hic impensarum bifariam constitutus fuit. Vel enim *mediocrium* tantum Prætorum contemplatu modus ille præstitutus fuit, ne maiorem illo facere cogerentur, atque ita vt præscriptorum sumptuum vilitate ac moderatione prouocarentur, & spe leuioris impensæ animarentur, vt loquitur duobus locis *lex 21. sup.* Nempe quia enormitate impensarum, quod fieri ferme solebat, Praturæ onus defugerent. Diuitibus enim terminos illos euagari seu transcendere licuit *l. 21. sup.* Quomodo etiam accipio *legem 5. sup.* Aliquando tamen ita expensarum modus præstitutus fuit, vt ne cuiquam quamlibet diuiti eum transilire liceret, vt præter *hanc l.* docebit rursum *lex vlt. inf. hoc tit.* Nempe & Valenti id placuit *hac l.* & Arcadio *d. l. vlt.* & Theodosio Valentinianoque Iun. vt testatur *lex 1. inf. de expens. lud.* iuncta *l. 1. Cod. Iust. de Senatusconsultis*, & *epistola 21. lib. 10.* Symmachi, quæ cum illis legibus omnino componenda est. Quare falsi sunt, qui putarunt, non coërcitum vnquam Legibus immoderatum in hæc sumptum, cum contrarium aperte liqueat ex *supradictis*.

Illud nihilominus verum est, leges illas sumptuarias non adeo obseruatas, vt ex tam frequentibus & iteratis *Legib.* constat, & ex ipsiusmet Symmachi *Epistolis* apparet, quam ipse insaniuerit profusionibus in Præturam filii. Tandem ex Olympiodori Excerptis *apud Photium & Tom. I. Carp. Byzant. hist. pag. 153. edit. Venet.* qui refert Symmachum in filii Præturam viginti centenarios impendisse id est viginti octo millia librarum argenti: (Id quod factum circa Annum Domini 402. sub Honorio Imperatore) vbi idem Olympiodorus similium profusionum exempla notat alia: Πρόβος ὁ παῖς Ἀλυπίου, τελέσας τὴν οἰκείαν πραιτῶραν κατὰ τὸν καιρὸν τῆς Ἰωάννου τυραννίδος δώδεκα κεντηνάρια χρυσοῦ ἀνάλωσε. Σύμμαχος δὲ ὁ λογόγραφος συγκλητικὸς ὢν τῶν μετρίων πρὶν ἢ τὴν πόλιν ἁλῶναι, τοῦ παιδὸς Συμμάχου πραιτῶραν τελοῦντος εἴκοσι κεντηνάρια ἐδαπάνησε. Μάξιμος δὲ εἷς τῶν εὐπόρων εἰς τὴν τοῦ υἱοῦ πραιτῶραν τεσσαράκοντα κατεβάλετο κεντηνάρια. *Probum Alypii filium in Pratura, quam Iohannis tyranni temporibus gessit, auri centenarios duodecim expendisse. Symmachum vero oratorem, mediocri censu Senatorem, ante captam vrbem filio Symmacho Praturam gerente, centenarios impendisse viginti. Maximum dein, ex opulentis & beatis vnum, in filii praturam quadraginta centenarios impendisse.*

P. 64. XXV. (a) Imppp. Grat. Valentin. & THEOD. AAA. ad Senatum. (b)

PRÆTORES quatuor vobis tot addimus, quot fuerunt. (c) Prima (d) igitur, Patres Conscripti, *Constantiniani* & *Constantiani* nominis est prætura: *Theodosianum* enim & *Arcadianum* Prætores primis Prætoribus addidistis. Veteres *Triumphalem* (e) Prætorem bellicæ felicitatis causa repperemnt; nos iniunximus (f) *Augustalem*. His omnibus bonorum (g) insignibus *Romani* nominis Prætura sociatur: huic sociauimus *Laureatum*. Constantiniana * & Constantiana Prætura per duos danda (h) libris argenti mille; Theodosiana vero & argenti (i) mille. (k) Triumphalis vero & Augustalis libris argenti quadringentis & quinquaginta: Romana vero & Laureata libris argenti ducentis & quinquaginta peragantur: ita tamen vt ad vnamquamque Præturam conueniens summæ medietas a singulis vt iam diximus conferatur, ac bini (l) posthac incipiant agnoscere quod singuli antea transigebant. Dat. X. Kalend. Nouembr. Constantinop. Richomere & Clearcho CONSS. [384.]

NOTAE.

(a) Rescribendi Imperatores *Valentinianus Theodosius & Arcadius*, vide *Chronologiam*: quod etiam ex parte docet hæc ipsa *lex* in qua *Arcadiani* Prætoris mentio fit. *GOTHOFREDVS.*

(b) Quem? vrbis Constantinopolitanæ, an Romanæ. *IDEM.*

(c) Fuerant scilicet hactenus hi, *Constantiniani*, *Constantiani*, *Theodosiani*, & *Arcadiani*. *IDEM.*

(d) Maximarum editionum Prætores hi dicuntur, *l. 19. sup.* *IDEM.*

(e) Vide *legem 5. sup.* *IDEM.*

(f) *Iniunximus*; iunximus, adiunximus vid. *Gloss. Theod.* *IDEM.*

(g) *γρ. Honorum.* *IDEM.*

* *Secunda* sententia *huius legis.* *IDEM.*

(h) Id est, exhibenda peragenda: *Dare* Præturam, est exhibere. *IDEM.*

(i) *γρ. Arcadi*, vel *Arcadiana*: vbique enim duæ Præturæ *h. l.* iunguntur. Et nisi ita legas, Arcadianæ, cuius antea mentio facta est, nullus modus impositus fuerit: quod absurdum. *IDEM.*

(k) Neque

(k) Neque hoc conuenire posse videtur, nisi putes Principum tum imperantium parem hac parte habitam rationem, atque Constantini & Constantii. *IDEM.*

(l) Vide supra, *legem* 21. *vers. super.* vbi etiam dixi. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc constitutio est, seu Oratio ad Senatum: qua Prætorum partim Numerum & Ordioem, definit: partim vero Expensis modum ponit. Quod Numerum attinet, octo in vniuersum Præturas constituit: quatuor, vt ipsemet ait Prætoribus ad priores additis: sic quidem vt quatuor earum ξυνωρίδας faciat: de quo mox. Nos de singulis. De *Constantiniana* actum iam fuit *l. 5.* & *13. sup.* Quæ quidem Coostantiniana cum initio secunda fuisset, *l. 5.* postea Prima facta est, *d. l. 13.* & Prima porro mansit *h. l.* Cuius etiam mentio fit in *l. vlt. Cod. Iust. de prædiis & aliis rebus minorum.* Post Constaotinianam, de Constantii nomine *Constantiana* dicta est, quæ Principum ipsorum exemplo Constantinianæ adhæsit, sic vt maximarum editiooum Prætores hi essent. (Fuerat & *Flauialis* aliquando de Constantii Chlori nomioe: Verum illa primum loco mota fuit, *d. l. 13.* mox penitus abolita.) Fuit & *Triumphalis*, inter vetustissimas, quæ non iam de Imperatoris nomine denominata fuit, sed quam Veteres bellicæ felicitatis causa repererunt, *h. l.* & *d. l. 5.* Fuit & *Romana*, de Romanæ Vrbis nomine: quam Constantinopolis, ceu matrem in honore habuit; & cuius Constantinopolis velut filia fuit, vt scribit Augustinus *lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 22* vt omittam loca alia. Et hæ quidem quinque Constantii temporibus Præturæ fuerunt, de quibus accipienda est *lex 13. sup.* Postea quatuor tantum fuerunt sub Valante, *l. 20. supr.* totidemque per Theodosii Imperatoris initia, ad annum vsque 384. Aliæ tamen, quam superiores: Retenta enim tantum Constantiniana & Constantiana, cæteris abrogatis substitutæ fuerunt a Senatu de Priocipum tum nominibus & in eorum gratia *Theodosiana & Arcadiana.* Cuius fit quoque mentio *l. 32. inf.* Eodemque pertinet *l. 33.* extrema, vt *ibi* ostendam. Verum Theodosius duas de veteribus restituit, puta Triumphalem & Romanam: duasque de nouo addidit, Augustalem & Laureatam: vt ita in vniuersum octo esse voluerit. Postea tamen sub Arcadio septem tantum fuisse videntur, vt colligi posse videtur ex *l. 33.* Et hæc de Numero & ordioe Præturarum.

His ita recensitis & dispositis, secundo iam loco EXPANSARVM ab his faciendarum modum definit *h. l.* Theodosius M. pariter vt Valens se fecisse testatur *l. 24. supr.* vt & Arcadius filius eius facit *l. vlt. inf.* Et quidem ita, vt & hic quatuor ξυνωρίδας seu bigas iam faciat, id est, binas semper coniungat, binosque adeo Prætores posthac agnoscere seu impendere velit, quod singuli antea impendebant: proposita per singulas bigas certa librarum argenti summa, cuius medietatem singuli conferant. Quo referendum censeo, quod Symmachus P. V. hoc ipso anno 384. scribit *lib. 10. ep. 36. Cum pro diligentia*, &c. *argenti publici ratio quæreretur, quod Censualibus editores munerum contulerunt, inter cæteras fraudes repertum est, quosdam functionibus absolutos sumptum debitum Reipublicæ non dedisse: Et vt fallacia ista tegeretur, ex alieno argento tantundem Censualibus falsis titulis imputasse, quantum* DVO *conferre debuerant, contulerunt.* Et hæc quidem ita Theodosius M. hoc tempore emissa hac ad Senatum Oratione; qui idem hoc ipso Anno 384. ante trimestre altera Oratione ad Senatum editionibus expensisque & largitionibus in ludos officiaque publica modum posuit: cuius pars est *lex 1 infr. de expensis ludorum:* de qua idem Symmachus huius anni Præfectus, *lib. 10. ep. 21.* vid. & *ep. 4.*

Quod modum attinet librarum, quas a quatuor Prætorum bigis impendi vult, hunc statuit: Nem- P. 65.
pe iubet a prima, Præturam dari seu edi, in mille libris argenti: a secunda, Theodosiana inquam, & Arcadi (nam ita reponendum) seu Arcadiana mille: vbi mendum hærere videtur: nam & in genere per gradus deductiorem semper numerum præstituit, & vero præstituisse se ostendit voce aduersatiua, *vero*; *Theodosiana vero*, &c. a Tertia, in libris 450. a Postrema, in libris 250. Quamnam proportionem, quemue modum Constantius præstituerit tribus Præturis, vide in eius *l. 5. sup.*

Illud notandum, omnem expensarum modum hic in *Libris argenti* statui: cum illa Constantii constitutiona, singulis Præturis certus follium, & librarum argenti modus ponatur: puta 25000. follium, & 50. libr. argenti: 20000. follium, & 40. libratum argeoti: 15000. follium, & 30. librarum argenti.

XXVI. (a) Imppp. THEODOSIVS, Arcad. & Honorius AAA. Aureliano PV. (b)

NOMINANDORVM Prætorum sollicitudinem Inlustris Magnificentia Tua ad Officium censuale sciat esse reuocandum. Dat. III. Kal. Mart. Constantinop. Theodosio A. III. & Abundantio viro clarissimo, Consulibus. [393]

NOTÆ.

(a) Iungendæ quænam *huic* leges sint, mox dicam. *GOTHOFREDVS.*

(b) Ita quoque *l. 1. sup. de præd. Senatorum*, & aliis nonnullis: atenim alibi PP. de quo ad *eam l. 1. IDEM. Aureliano* legunt edit. Cuiac & ita etiam exhibent duæ priores in *leg. 1. cit. de præd. Sen. RITTER.*

COMMENTARIVS.

NOMINANDORVM Prætorum ad certum videlicet Præturæ genus, iam olim scilicet a Senatu ad Præturam designatorum, curam Censualibus reddit Theodosius M. *hac l.* quam illis ademerat Constantius *l. 13. sup.* vbi dicta, ad hanc quoque *leg.* sufficient.

Illud saltem monendum, hanc *leg.* partem esse prolixæ constitutionis Theodosianæ ad Aurelianum P. V. vnde supersunt *lex 3. sup. de constitutionib. Principum: lex 1. sup. de prædiis Senatorum: l. 130. 131. de decurionibus: l. 29. 30. de operib. publ.* Imo & *lex 132. de decurionibus:* & *l. 11. de annonis ciuicis*, quæ

quæ proinde huic nostræ coassandæ sunt omnes, ceu vnius eiusdemque constitutionis partes: qua quidem Theodosius M. Senatorium ordinem erectum iuit; Ciuitatumque Curiis ornatui & Annonæ consuluit, abrogatis etiam nonnullis, quæ Tatianus PP. filiusque eius Proculus P.V. perperam inuexerant. Cæterum cur Censualibus Nominandorum Prætorum cura iam olim tributa, nunc reddatur? dixi ad *l. 5. sup. de Senatoribus*, vbi de his Censualibus plene.

XXVII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Dextro (a) PF. P.

Cunctos Quæstores & Prætores qui in agris degunt, susceptum & promissum munus, pro Notitia (b) Officii Censualis, pro eorum dignitate, vel quod spontanea voluntate professi sunt, dare præcepimus. (c) Dat. Kal. Nouemb. Brixiæ, Olibrio & Probino VV. CC. Conss. [395.]

NOTAE.

(a) De hoc *Dextro PP.* sub Honorio dixi in *Prosopogr.* etiam ex Hieronymo. Anteriores Cuiacii editiones habebant *Præposito*, male. *GOTHOFREDVS.*

(b) Pro denunciatione facta ab officio: *l. 21. sup.* *IDEM.*

(c) Pro *præcipimus.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Sportulæ Officio Censuali, pro dignitate cuiusque Prætoris & Quæstoris in agris degentis, vel promissæ, solui iubentur *h. l.* ab Honorio Imp. Nominatio scilicet vbi facta fuerat Prætoris vel Quæstoris, Censuales in nominatorum notitiam nominationem perferebant, eisque denunciabant, pro hac denunciatione seu notitia munus aliquod ab his exigebant: quod vetitum a Velentinieno & a Valente *l. 21. & 24. sup. hoc titulo.* Atenim Honorius *h. l.* ab his qui in agris sunt, aliquid accipi permittit: nempe pro labore suscepto & pulueratico, sic vt dicem. Idque vltro promissum pro eorum dignitate. Licentia igitur hæc non vno modo coërcita.

XXVIII. (a) Iidem AA. Simplicio PF. P. (b) Post alia.

Qvi Ducatum administrarunt, ad editionem vel nominationem Præturæ pertineant: (c) Præter eos qui grauissimam armatæ militiæ sollicitudinem longa temporum serie pertulerunt, & eos qui Sacri Consistorii nostri arcanis interesse meruerunt: Hos enim a Præturæ munere alienos esse censemus. Dat. X. Kal. Ian. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. Augg. Conss. [396.]

P. 66.

NOTAE.

(a) Huius *leg.* suæ meminit ipsemet Arcadius *l. 13. inf. de proximis.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Reponendum puto, *Magistro militum*: & quia de Ducibus *h. l.* agitur: & arg. *l. 56. inf. de cursu publ.* & *l. 3. inf. de pascuis*, quæ Simplicio *Magistri militum* munus tribuunt. Ad hunc Ipsum Simplicium extant tres Synesii epistolæ: puta 24. 28 & 130. ex qua postrema, de Magisteria Ipsius militum coniecturam facere facile licet. *IDEM.* *Simplicio Præposito* anteriores Cuiacii editiones habent. *RITTER.*

(c) Id est, adstringantur. *GOTHOFREDVS.*

COMMENTARIVS.

Dvcas rei militaris quinam a Præturæ onere seu ab editionibus & nominationibus immunes esse debeant, definit *hac l.* Arcadius; quam ipsemet decennio post memorat *l. 13. inf. de proximis*, vbi eam ad alium quoque casum extendit. Nempe eos demum immunes esse vult, qui grauissimam armatæ militiæ solicitudinem longa temporum serie pertulerunt: seu vt ipsemet loquitur *d. l. 13.* qui post emeritam in armis militiam ad honorem Ducatus prouecti sunt. Item eos, qui sacri Consistorii arcanis interesse meruerunt. De quibus Consistorianis *suo titulo. inf. 12.* Hæc duo inquam Ducum genera a nominationibus & editionibus seu Prætura immunia esse iubet: Quomodo & idem postea eos qui postquam in Palatio militassent, Senatores facti sunt, a Præture immunes esse voluit, biennio post: *l. 8. sup. de Senatoribus.* Idemque hanc immunitatem, exemplo Ducum, atque adeo *huius leg.* exemplo ed Proximos scriniorum etiam deposita militia extendit *d. l. 13.* Symmachi locus huc facit *lib. 7. ep. 96. His tantum muna relaxari Diualia constituta voluerunt, quos Castrensis honor illuminat:* id est; militiæ prærogatiua, vt paulo ante dixit.

Nunc ad *leg.* nostram: Duo ergo illa Ducum genera immunitate a Prætura donat Arcadius: at non & eos *qui Ducatum administrarunt*, scilicet non post labores militiæ: vnde tria iam Ducum genera hoc æuo fuisse intelligimus: ἐμπράκτας scilicet qui post longi temporis militiam Duces facti: alios vero ἀπολέμους, militiæ expertes, cuiusmodi Cerealem Ducem memorat in Pentapolitana Synesius, ad hunc Ipsum Simplicium, vt videtur, scribens; cui hæc *lex* inscribitur, *ep. 130.* a quo Cerealis eo missus fuerat. Et hæc sane inter alia huius seculi labes fuit, vt bellicæ rei imperiti ad Ducatus eueherentur, quod tandem inter alia exitio Imperii stetit. Denique alii Duces erant, quod hæc *lex* ait, qui sacri Consistorii arcanis interesse merebantur.

(a) XXVIIII. Iidem AA. (b) .... P. V. (c)

NVPER quidem huiusmodi præcesserat (d) Sanctio * Principalis, vt Theatralis (e) per Prætores facienda depensio in Aquæductus (f) fabricam verteretur: nunc vero iusta moderatione facias custodiri, vt Prætores Romanus (g) & Laureatus Natalibus (h) nostri numinis scænicas (i) populo præbeant voluptates. Dat. IIII Kalend. Ian. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONS. [396.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic*, lex sequens. *GOTHOFREDVS.*

(b) Ita quoque in MS. Asterisco hæc lacuna notatur. *IDEM.*

(c) *Africano PF. V.* ita lacuna supplenda est: hunc enim *Africanum* PF. V. fuisse hoc an. 396. docet *lex vn. inf. de dilation. ex consensu. lex 3. sup. de prædiis Senatorum: l. 152. inf. de Decurion. l. 13. inf. de annon. ciuic.* Non vero *Seuero PF. V.* vt quidam supplebat. *IDEM*

(d) *γρ. Processerat:* quamquam & *præcesserat* sustineri potest, id est, ante emissa fuerat. *IDEM.*

* Les hæc non exstat. *IDEM.*

(e) Symmacho, Theatralis functio *lib. 10. ep. 14.* *IDEM.*

(f) Aquæductus Theodosiani, *l. 32. inf. prox.* de quo ad *l. 23. inf. de operib. publ. & tit. de Aquæductu.* *IDEM.*

(g) Dixi *ad l. 25. sup.* *IDEM.*

(h) *Natales* Arcadii, in plurali, id est, Natalis genuinus, & Natalis Imperii: Natalis certe Imperii incidit in 14. Kal. Febr. vid. Socratem, Sozomenum, Marcellinum, Prosperum, Fastos Siculos, Consularia Idacio subdita. Vid. *Chronolog. ad an. 383.* *IDEM.*

(i) Scænicæ voluptates, *h. l.* & apud Symmachum, *lib. 10. ep. 19.* *IDEM.*

XXX. (a) Iidem AA. Eutychiano PF. P. (b)

EX quinque Prætoribus, qui Aquæductus (c) Theodosiaco fuerant deputati, vnum qui centum librarum argenti munificentiam suam definita erogatione præcludit, æterni Principis ac fratris mei Honorii Natalium (d) festiuitatibus præcipio deputari. Dat. Prid. Kalendas Ian. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. Conss.

NOTAE.

(a) Iungenda vt dixi *hæc lex* superiori. *GOTHOFREDVS.*

(b) An PF. V.? *IDEM.* Priores Cuiacianæ legunt *Eutychiano Præposito.* *RITTER.*

(c) *γρ. Aquæductui.* *GOTHOFREDVS.*

(d) *Natales* Honorii plurali numero pariter. id est, Genuinus, & Imperii. Genuinus incidit in *5. Id. Septemb.* vid. Socratem *lib. 5. cap.* 12. Marcellinum, Farraginem Alexandrinam, & Consularia Idacio subdita: Vid. *Chronolog. ad an. 384. & 393.* *IDEM.*

P. 67.

COMMENTARIVS.

AQVÆDVCTVI Theodosiaco, seu in fabricam Aquæductus Theodosiaci (de quo dicam ad *l. 23. inf. de operibus publicis:* & *l. 4. inf. tit. de aquæductu*) expensio a Prætoribus facienda nuper deputata fuerat, Editionibus ea re ad tempus sublatis. Cui simile quid aliquando pari occasione & causa factum a Constantio notaui ad *l. 13. sup.* Neque ab hac multum recedit, quod Marcianus postea statuit, vt Consules loco *ὑπατειῶν* seu sparsionum, statutam quandam pecuniam ad reparandum vrbis Aquæductum dependerent: *l. 2. Cod. Iust. de Consulib.* cuius etiam meminit Marcellinus *Chronico an. 452.* & Iustinianus *Nouell. 105. pr.* vid. & *Leonis 94.* Verum mox paulo post, Arcadius *l. 29.* iusta moderatione, duas rursum Præturas, Romanam scilicet & Laureatam, editionibus seu scenicis voluptatibus exhibendis deputauit. Et quidem Natalibus suis: vbi duplicem Natalem suum intelligit *h. l.* & *l. 30.* Qui quidem Natalis alioquin duplex fuit, genuinus & ortus seu Imperii: de quo *alibi* dixi. Hinc interim discimus, Natalibus Principum editos ludos, & quidem scænicos, *l. 29. h. t.* quod de Circensibus quoque docet nos Symmachus, *lib. 4. ep. 8.* Ambrosius, *Orat. de obitu Valentiniani num. 15. pag. 1178. Tom. II edit. Benedictin.* vnde & Circus Natalitius Paulo Diacono, *lib. 20.* Vt ita quinque Aquæductui Theodosiaco manserint deputatæ, vt nominatim ait *lex 30.* Ex quo dicendum videtur vel septem tantum fuisse hoc tempore Præturas, vel octauam neque Aquæductui, neque Editionibus, sed ad alium vsum deputatam: Verum idem mox, seu biduo post, ex quinque illis Aquæductui deputatis, vnam editionibus exhibendis reddidit, exhibendis scilicet per Natales Honorii fratris sui ludis *l. 30.* atque adeo quatuor Theodosiaco Aquæductui deputatæ manserunt. Tandem loco Romani & Laureati, Arcadianus Editionibus deputatus fuit: atque ita quinque Aquæductui deputati: *l. 32. inf.* Et hæc quidem harum *leg.* sententia videri potest. Sed potest & hæc videri: Ex octo Præturis quinque primum Aquæductui deputatas fuisse: mox ad duas reductum numerum, *l. 29. 30.* tandem ad tres: *l. 32.* reddita videlicet Laureata & Romana, & detracta Arcadiana: *d. l. 32.* si tamen hic *d. l. 32.* sensus est.

XXXI.

XXXI. (a) Idem AA. ad Senatum & populum. Post alia.

Neminem Editorum, quos votiui (b) sumptus (c) designarit electio, Responsum (d) nostræ Tranquillitatis soluat, (e) sed designationum ordo (f) seruetur, &c. Dat. XVII. Kal. Maii. Med. Cæsario & Attico Conss. [397.]

NOTAE.

(a) Iungendæ *huic* quænam Leges sint, mox dicam. *GOTHOFREDVS.*

(b) De hac *votiui* significatione, mox. *IDEM.*

(c) *γρ. Senatus.* Nil muto. *IDEM.*

(d) *Responsum*, rescriptum: vid. *paratitl. de diu. rescr.* *IDEM.*

(e) Liberet, eximat, immunem faciat. *IDEM.*

(f) Ordo. vid. *l. 21. sup.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Immvnitates seu Indvlgentias ab onere Præturæ, Rescripto Principis concessas reuocat *hac l.* Honorius Imper. designationumque adeo ordinem seruari iubet: pariter vt Rescripto Principis de canone vrbicario remitti quidquam idem vetat *l. 3. inf. de Canone frument. V. R.* quæ *lex* inter alias *huic* nostræ coassanda est. Et vtraque, prolixæ Honorianæ Orationis ad Senatum & populum vrbis Romæ pars est, vna cum *l. 6. 7. sup. de Senatoribus: l. 27. inf. de nauicul. l. 5. inf. de naufragiis: l. 24 inf. de susceptoribus:* quæ proinde omnes *huic* nostræ sociandæ veniunt: e quibus etiam *d. lex 6. de Senatoribus*, & ipsa est de his designationibus ad Præturam: Hac scilicet integra Oratione Honorius Imp. tum Senatus tum populi commodis curam suam impendens (quod ipse etiam ῥητῶς profitetur, *d. l. 3. de Canone frum. V. R.*) nihil populi voluptatibus, nihil annonæ Vrbicæ, Principis rescripti vel auctoritatis obtentu detractum voluit: Quas duas res maxime populus Romanus iam diu curæ habuit: de quo ad *d. l. 6. de Senatorib.* & *ad d. l. 3. de canone frum. V. R.* Similes alioquin *Leges* plures, de Rescriptis inutilibus, repete ex Paratitlo *sup. de diu. rescriptis.* Illud in transitu non prætereundum, quod ait, *Editorum, quos Votius sumptus* designarit electio. *Votiui* scilicet appellatio peculiari significatu de voluptatibus ludisque publicis, quæ populo maxime in votis erant, vsurpata. Hinc pariter votiua expensio Symmacho in eadem re, *lib. 2. ep. 78.* quæ data est quinquennio ferme ante hanc leg. *Pari hominum compendiis & quæstibus gaudent, me Votiua delectat expensio: Itaque auidus ciuica gratia, Quæstoris filii mei sumptibus studeo aliud genus largitatis adiicere.* Eodemque modo eidem, Votiua Candidati negotia, & Quæstorii apparatus *lib. 5. ep. 19.* & in eadem re, Votiua causa. Quæstorium munus *lib. 5. ep. 44.* Votiua largitas. *lib. 7. ep. 59.* Votiua officia, *lib. 7. ep. 82.* Votiua functio *lib. 9. ep. 12.* Votiua occasio, *lib. 9. ep. 18.* Votiua editio *lib. 9. ep. 19.* Votiuum pignus, *lib. 9. ep. 119.* Votiua causa Præturæ, *lib. 9. ep. 126.* Quod semel hic monere extra breuitatem Notarum e re putaui. De aliis Votiuis vid. *Gloss. nostrum*, & eundem Symmachum.

P. 68.

XXXII. (a) Iidem AA.

Prætor diuini numinis (b) nostri, pro his Prætoribus, qui primæ (c) editionis (d) fuerant adtributi, præbeat populo voluptates. Dat. VI. Kal. Iul. (e) Nicomediæ. (f) Accep. Prid. Kal. Aug. Constantinop. Cæsario & Attico Conss. [397.]

NOTAE.

(a) Iungendane huic legi *lex prox. 33?* Non puto. *GOTHOFREDVS.*

(b) Arcadianus: de quo vid. *l. 25. sup.* & *l. 33. prox.* Cæterum vox hæc non mutanda in *Nominis*: etsi idem sensus vtriusque vocis. *IDEM.*

(c) *γρ. qui primæ editioni:* vel, *qui primo editioni:* vel, *qui pridem.* *IDEM.*

(d) Ludorum. *IDEM.*

(e) Mutem lubens in *Aug.* vid. *Chronolog.* *IDEM.*

(f) Vid. *Chronolog.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Arcadianvm Prætorem (de quo *l. 25. sup.* & rursum *l. prox. 33.* seu *vlt.*) edendis ludis (Theatralibus scilicet & Circensibus *d. l. 33. prox.* scenicis voluptatibus *l. 29. sup.*) loco eorum qui prius Editioni horum ludorum & voluptatum fuerant attributi, vacare iubet *hac l.* Arcadius Imper. Cuius hic sensus videatur: Constantinianam & Constantianam Praturas, cum maximæ hactenus editiones fuissent, vt ostendit *lex 19. sup.* seu primi nominis Præturæ, *d. l. 25. sup.* primæ editioni attributi, vt *h. l.* dicitur (seu, vt loquitur *lex prox.* loco primo, & priores Prætores essent) *hac l.* loco moueri, atque in earum locum Arcadianam substitui. Hæc inquam sententia *huius l.* videatur. Nisi potius hanc putemus, Arcadianum Prætorem, loco Laureati & Romani, qui inter Prætores soli scænicis voluptatibus præbendis destinati fuerant, ab ipsomet Arcadio *l. 29. sup.* anni superioris 396. fine, nunc *hac leg.* voluptates populo præbere iuberi. Id quod malo. Quidquid sit, Arcadium hæc ambitio titillauit nunc, vt sui nominis potius, vel vt ipse, pro more seculi, *numinis sui* Prætor, voluptates populo præberet, fauoremque populi in suum nomen cieret. Quod inter inania huius æui, & Arcadii, po-

nendum est. Cæterum hanc *leg.* suam indicare videtur Arcadius *l. prox. verſ. quia vero.* Quod ſi ita eſt, tum exinde de *huius leg.* ſenſu liquidum auſpicium eſt; quod adhuc liquidum magis foret, ſi integra ea ad nos peruenisset.

XXXIII. (a) Iidem AA. Seuero P. V. (b)

PRÆTORES qui loco primo (c) ſunt, trecentas libras argenti in explecando (d) munere non (e) cogantur excedere: Hi vero qui primos ſecuntur, centum quinquaginta libras argenti depenſuros eſſe (f) cognoſcant: At vero hi qui loco tertio numerantur, centum libras argenti dependant; nec cuiquam profundendi (g) licentia tribuatur. Quia vero Theatralibus (h) & Circenſibus ludis per annos ſingulos celebrandis vnus (i) Prætor nutu (k) noſtræ clementiæ quingentarum librarum argenti nuper (l) fuerat deputatus, nunc vero hanc quantitatem conſtat in prioribus (m) Prætoribus. (n). . . . .

NOTAE.

(a) Iungendane huic, *lex ſuper.* 32? Non puto. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Seuerus* hic P. V. Conſtantinop. fuit, anno 398. quo ei inſcribuntur *lex* 14. *inf. de Numerariis: lex* 39. *de operib. publicis:* De hoc eodem Seuero accipio Symmachum *lib.* 7. *ep.* 111. & *lib.* 8. *ep.* 6. *IDEM.*

(c) Maximarum Editionum Prætores *l.* 19. *ſup.* primi Prætores, *l.* 25. vnde & prima Prætura *d. l.* 25 qui loco primo *hic*: priores, *h. l. in fin.* primæ editionis, ſi vera eſt lectio, *l.* 32. *ſup. IDEM.*

(d) Pro *explicando. IDEM.* Et ita expreſſe legitur in Edit. quæ in quarto prodiit. *RITTER.*

(e) An potius, *cogantur non excedere?* argumento horum quæ mox ſequuntur, *nec cuiquam profundendi licentia tribuatur.* Verum nil muto. *GOTHOFREDVS.*

(f) *γρ. Seſe. IDEM.*

(g) *Profundere*, eſt vltra ſtatutum modum expendere. Modus igitur adhibetur, quo maiorem facere non liceat, vt *l.* 24. *ſup. IDEM.*

(h) De his Ludis ad *l.* 8. *ſup. IDEM.*

(i) Arcadianus, *l. prox.* 32. *ſup. IDEM.*

(k) An Natalibus, vt *l.* 29. & 30. *ſupr.*? Non puto. *IDEM.*

(l) *l.* 32. *antecedent. IDEM.*

(m) Primis Prætoribus *h. l.* præfinitur ſumma 300. librarum argenti. *IDEM.*

(n) Quomodo hæc lex in partem ſupplenda videatur; mox dicam. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

EXPENSARVM modus hac conſtitutione, ſecundum ordinem Præturæ cuiuſque, ab Arcadio præſtituitur. Quod curæ ſuæ Principes ſubinde fecere; Valens, *l.* 24. Theodoſius M. *l.* 25. ſic quidem vt modum hunc egredi nno liceret. Quæ ſane
P.69. Arcadii *hac l.* mens eſt, vt oſtendunt illa, *nec cuiquam profundendi licentia tribuatur*, ne alioquin fœda iactatio & inconſulta effuſio viribus maiora conatos demergeret, vt loquitur in eadem re Symmachus *lib.* 10. *ep.* 21. Modus porro cum alius atque alius præſtitutus fuerit, hic nunc *h. l.* definitur: Nempe, Primorum Prætorum menſura, 300. librarum argenti præfigitur: Secundorum, 150. Tertiorum, 100. In tantum, vt *Arcadianus* etiam Prætor, etſi Theatralibus & Circenſibus ludis deputatus *h. l.* ſeu præbendis populo voluptatibus *l.* 32. *prox. ſup.* & ipſe ad 300. libras redigi videatur: hanc enim huiuſce *leg.* ſuæ in *fine* mutilæ ſententiam puto: Exemplo ſcilicet priorum Prætorum: quod his verbis indicatur, quæ omnino mutationem iuris ante conſtituti, modique præfiniti abrogationem & imminutionem præ ſe ferunt, ſimul & exemplum aliorum priorum Prætorum. *Quia vero Theatralibus & Circenſibus ludis per annos ſingulos vnus Prætor nutu noſtræ Clementiæ quingentarum librarum argenti* NVPER FVERAT *deputatus*, NVNC VERO, HANC QVANTITATEM *conſtat in prioribus Prætoribus.* . . . . . Hic deficit lex: quam ita ſuppleo, *moderatione noſtra temperatam, neque hic eam ſummam excedere deinceps poterit.* Et ſubſcriptionem etiam ita ſuppleo. *Dat.* . . . . *Conſtantinop. Honorio A. IV. & Eutychiano Coſſ.* id eſt, A. D. 398. vt ita forte etiam *lex* hæc iungatur cum *l.* 39 *inf. de operib. publicis*: nam & hæc ipſa *lex* pertinet ad Prætores operum publicorum fabricæ deputatos. Certe *Seuerus*, cui hæc *lex* inſcribitur, fuit Præfectus vrbi eo anno 398. vt docet præter *d. l.* 39. *lex* 14. *inf. de Numerariis*: Cui & ſequente Anno Domini 399. ſucceſſit in Præfectura vrbana Clearchus, vt ita de Anno ſeu Conſulibus qui *huic l.* conueniunt, dubitari non poſſit: vid. *Chronicon* & *Proſopogr.*

* * * * * * * *

Hic folium integrum deeſt in Authentico.

Ita Pariſienſis editio de anno 1607: Nempe in Cod. Lugd. vet. *folium integrum deeſt: Cuiacianæ editiones de anno 1566. in fol.* & *1593. in 4. tantum habebant*; Deſunt quædam. *Pithœus in* Codice ſuo *notauit*, in veteri Exemplari videri deeſſe 45. verſus: quorum ſinguli

ſinguli quique 43. vel ad ſummum 46. literis conſtat. *Imo, cum folium integrum deſit, & paginæ ſingulæ illius Codicis Manuſcripti 30. lineis ſeu verſibus conſtant, 60. verſus ſeu lineæ omnino deſiderantur: & ſic non vna conſtitutio, de Prætoribus, & Quæſtoribus, Arcadii, Honorii, & Theodoſii Iun. Vnde apparet aliquot hic conſtitutiones de Pretura deſiderari, quare proculdubio creſcenti in dies profuſioni & immodicæ Prætorum largitioni, vel etiam contumaciæ eorum ſubinde latæ fuerunt.*

VT DIGNITATVM ORDO SERVETVR.

TITVLVS V.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. VIII. Concordat huic quoque *titulus inf. lib. 7. Quis in gradu præferatur:* Et *Nouella* Valentiniani *inter Theodoſianas 48. de Honoratis, & quis in gradu præferatur.*

PARATITLON.

DIGNITATVM, *Rubr. l. 1.* & *2. h. t* ſeu honorum, *l. 1. h. t.* Ordo, *Rubr.* gradus, *d. l. 1.* locus, *d. l. 1.* & *2. h. t.* certus, *d. l. 2.* ſingulis quibuſque olim præſcriptus fuit, *d. l. 2.* quem ſeruari, *Rubr.* conſeruari, cuſtodiri, *l. 1. h. t.* oporteret: ſine vſurpationis ambitione, *d. l. 1.* in curia vel cœtu, ſententiaque dicenda, *l. vn. inf. tit. prox. de Conſulibus.* Alioquin, indebirum ſibi locum vſurpans, ſacrilegii reus eſt: *d. l. 2. h. t.* Et hæc quidem eſt *huius tituli* ſententia, qui ingreſſus eſt ad ſequentium tractatum, vbi de Dignitatum ordine agitur: qui etiam certo ordine poſiti: vnde *Notitia Dignitatum* confici poteſt. Porro, vt hæc res Principibus curæ fuit, & eſſe cumprimis debet; ita præcipuas ac prolixas in id de Dignitatum ordine conſtirutiones & Notitias, vel, vt proprio verbo vtar, *Ordinationes* fecerunt: *l. 1. inf. de Præfect. Prætorio.* Sex has obſeruo. 1. Prima eſt, Conſtitutio ſeu Notitia & Ordinatio VALENTINIANI Sen. ad Ampelium P. V. cuius meminit filius eius, *l. 2. h. t.* ex qua ſuperſunt quinque capita: *lex 1. de Præfectis Prætorio: l. 1. de Quæſtoribus: lex vn. de Magiſtris ſcriniorum: l. 1. de Comitibus rei milit. l. 4. de honor. Codicillis.* 2. *Secunda* Notitia eſt GRATIANI conſtitutio ad Valerianum P. V. vnde tres leges
P. 70. ſuperſunt, puta *lex 2. infr. de Primicerio & Notariis: l. 5. de honor. Codic. l. 2. de proximis.* 3. Deinceps THEODOSII M. tres de Dignitarum ordine conſtirutiones occurrunt: Prima, ad Reſtitutum P. V. e qua duo capita ſuperſunt, puta *lex 2. de Præfectis Prætorio: lex 2. de Quæſtoribus.* 4. Secunda ad Florum PP. vnde ſupereſt *lex 3. de Primicerio: & l. 6. de honor. Codicil.* 5. Tertia eiuſdem ad Poſtumianum PP. & Clearchum P. V. vnde duæ leges ſuperſunt, nempe *lex 1. h. t. & l. 7. infr. de honor. Codicil.* 6. Tandem THEODOSII Iun. prolixa ad Priſcianum P. V. conſtitutio, ſeu Notitia, e qua ſex capita ſuperſunt; *lex vn. de Comitib. & Trib. ſchol. l. vlt. de Comitibus & Archiatris S. P. l. vn. de Comitibus qui prouincias: l vn. de Comitib. ordinis primi Artium diu.* De his, ad quorum diſpoſitionem ordinis Dignitatum tuitio pertinuit, ſuis locis: Vt & Regulas & axiomata ſuis locis indicabimus, obſeruanda in hac PRÆCEDENTIÆ materia. Tandem, quia Dignitatum ordinem ſeu notitiam hic ingredimur, tituli quoque de iis hic, ſecundum ordinem, proculdubio poſiti fuere.

1. Conſules, 2. & Patricii *Tit. 6.*
3. Præfecti Prætorio, 4. Præfecti vrbis. 5. Magiſtri Militum *Tit. 7.*
6. Præpoſiti S. Cubiculi, *Tit. 8.*
7. Quæſtores, 8. Magiſtri Officiorum. 9. Comites S. L. 10. Comites R. P. *Tit. 9.*
11. Primicerius Notariorum, *Tit. 10.*
12. Magiſtri ſcriniorum, *Tit. 11.*

Quem eundem ordinem tenet *Notitia Imperii* (vno excepto, quod Magiſter officiorum Quæſtori ibi præponitur, de quo poſtea.) Tenet & Caſſiodorus *VI. Var. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.* Tenent & veteres lapides: qui modo a minoribus auſpicium faciunt, aſſurgendo: modo a maioribus, deſcendendo. Vide ad eundem finem & ſubſcriptionem *legis 8. de Princip. Ag. in reb. legis 5. de fide teſtium: l. vn. qui a præb. tyronum.*

I. (a) Imppp. (b) Gratianus Valentinianus & THEODOSIVS AAA. ad Clearchum PV. (c)

NIHIL eſt tam iniuriofum, in conſeruandis & cuſtodiendis gradibus dignitatum, quam vſurpationis (d) ambitio: Perit enim omnis prærogatiua Meritorum, ſi abſque reſpectu & contemplatione, vel qualitate etiam, prouectionis emeritæ, (e) cuſtodiendi (f) honoris locus (g) præſumitur (h) potius quam tenetur, (i) vt aut potioribus eripiatur id quod eſt debitum, aut inferioribus proſit, quod videtur (k) indebitum. Dat. IIII. Kal. Ian. Conſtantinop. Merobaude II. & Saturnino CONSS. [383.]

INTERPRETATIO. * *Nemo ſibi honores vel dignitatem quam a Principe ipſe non meruerit,* (l) *præſumat, quia ſicut eis qui meruerunt dignitas ornamentum eſt,* (m) *ita nota maculandi* (n) *ſunt qui præſumunt.*

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a Cod. Iuſt. Eam memorat Theodoſius Iun. *l. vlt. de honor. Codicillis.* Iungenda illi & *lex 7. d. t. de honor. Cod.* etſi ad alium Magiſtratum data ſit. *GOTHOFREDVS.*

(b) Hic & *d. l. 7.* hæc Imperatorum nomina inſcribi oportet. *Imppp. Valentinianus,* THEODOSIVS *& Arcadius.* Vid. *Chronol. IDEM.*

(c) De Præfecto vrbis hac in re, dicam mox. Male vero hic nonnulli Cod. habent: PP. *IDEM.* Cod. Wurceburg. P̄O. & ita quoque edit. Sichardin. *RITTER.*

(d) *Vſurpationis* voce in hac ipſa re vtitur idem Theodoſius *l. 6. inf. de honor. Codicil.* vt & vſurpandi, *d. l. 7. GOTHOFREDVS.*

(e) *Emeritæ:* An pro adminiſtratæ: arg. *d. l. 7.* I Imo potius, *emeritæ prouectionis,* id eſt, meritis impetratæ, ſeu proceſſus & promotionis, quæ quis labore emeruit. *IDEM.*

(f) *γρ. Caſte adeundi.* vel *Caſte ambiendi,* forte & *conſcendendi.* Sed nil temere mutem. Sic ſupra; *cuſtodiendis gradibus. IDEM.*

(g) *Locus:* de hac voce vid. quæ noto ad *l. 14. inf. de re militar. IDEM.*

(h) *Præſumetur* Cod. Wurceburg. & Edit. Sichard. *RITTER.*

(i) *Tenetur,* quod debitum cuſtoditur: *præſumitur,* quod indebitum vſurpatur. *GOTHOFREDVS.*

(k) *Videtur,* pro *eſt,* paſſim *hoc Codice.* vid. *Gloſſ. IDEM.*

* INTERPRETATIO hæc cum ea quæ ſubiecta eſt *legi 2.* vnicæ in *Codice Alariciano* hoc *libro* occurrunt: Et eæ ipſæ vel ineptæ: vel, vt mitius dicam, alienæ. *IDEM.*

(l) *Meruit* Cod. Wurceburg. & Edit. Sichard. *RITTER.*

(m) *Ornamento eſt* Cod. Wurceburg. Edit. Sichard. & priores Cuiacian. *IDEM.*

(n) *Mutilandi* Cod. Wurceburg. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. conſtitutio iſthæc eſt, de *Ordine Dignitatum* ſeruando, & vſurpatione ambitioneque hac in re vitanda: Cuius Imperatoris duas alias in eodem argumento conſtitutiones iam notauimus, *in Paratitlo.* De huius vero *leg.* ſententia, abſque *l. 7. infr. de honor. codicillis* (quæ *huic,* ceu eiuſdem conſtitutionis pars, etſi ad alium Magiſtratum data ſit, coaſſanda venit) multum deperire neceſſe eſſet, & gnomæ alicui potius quam conſtitutioni ſimilior videri poſſet: etſi ſubtiliter eam intuenti, de ſpecie eius quoque apparere poteſt. Certe, præfationis loco eam conſtitutioni ſuæ præmiſiſſe Theodoſium veroſimile eſt, cui deinceps ea quæ continentur *d. l. 7.* ſubiecerit. Sententia igitur *huius legis* hæc eſt; non tantum Codicillarios
P. 71. vel Principis beneficio promotos, iis qui *emerita* militia promotiones adepti ſunt, poſthabendos: quod certe ſtatuitur *l. 6.* & *d. l. 7.* & *vlt. inf. de honor. codicillis* & paſſim alibi. Denique toto gradu Codicillarios ſeu honorarios ἐμπράκτοις cedere debere, qui prærogatiua meritorum eoſdem codicillos adepti ſunt. Verum etiam, in honorariis codicillis impetrandis, certum gradum & ordinem obſeruandum: & impetratos licet, in potiorum tamen iniuriam promiſcue valere non oportere. De quo plenius ad *d. l. 7.* Error enim eſt Interpretis *ad hanc leg.* eaque etiam abutuntur hodie qui id *h. l.* definiri cenſent, *neminem poſſe ſine Codicillis Adminiſtrationem aliquam vſurpare.* Nam imo agitur *hic* de Prælatione ſeu Præcedentia inter eoſqui eundem honorem indepti ſunt: inter quos duo gradus conſtituuntur: *in cuſtodiendis,* inquit, *gradibus:* & vnus quidem eorum qui *prærogatiua meritorum,* qui *reſpectu & contemplatione vel qualitate etiam prouectionis emerita honorem tenent, potioreſque* adeo dicuntur. Quibus ſimilia plura in *d. l. 7.* quæ in conſilium luminis hic adhibenda eſt, occurrunt: qualia illa inter alia: *Ceſſante omni ambitionis ſtudio debeat anteferri,* &c. Non tantum ſcilicet codicillarii ἐμπράκτοις cedere debent: ſed & inter Codicillarios ipſos ii qui *meritorum* gradu eos adepti ſunt, nudis codicillariis præferuntur: de quo *tit. de honor. Cod.* In genere autem ad id quod *hoc titulo,* & *hac l.* Dignitatum ordo ſeruari iubetur, aduerſus eos qui aliis locum vel conſeſſum potioribus & prioribus præripere conantur, videndi ſunt, quos cumulat Doct. Sauaro ad Sidonii Apollin. *lib. 1. ep. vlt. p. 88. edit. Pariſ. 1609.*

Illud, occaſione inſcriptionis *huius leg.* quæ Præfecto vrbis inſcribitur, hic ſemel monuiſſe ſufficit, ad Præfect. Vrbis curam & ſollicitudinem ſpectaſſe, vt dignitatum ordo inter Senatorios Viros ſeruaretur: Qua cauſa etiam tot in hac materia Leges ad Præfectos vrbi datæ occurrunt: & in his hæc noſtra, cum *l. 2. prox.* & paſſim aliæ titulis ſequentibus, vid. & *l. 8. inf. de proximis:* & *l. 19. inf. de palat. S. L.* Hinc ſolemnes illæ conſtitutiones in materia *Præcedentiæ: 1. Valentiniani Sen.* ad Ampelium P. V. *2. Gratiani,* ad Valerianum P. V. *3. Theodoſii M.* ad Reſtitutum P. V. 4. & ad Clearchum P. V. *(hac l.)* 5. *Valentiniani Iun.* ad Prætextatum P. V.

l. 2.

l. 2. h. t. nisi ibi potius rescribendum *PP.* quod probo. 6. *Theodosii* denique *Iun.* ad Priscianum P. V. quas *in Paratitlo* iam commemorauimus.

Illud tantum hic omittere non possum, quod *huic legi* simile est, hoc ipso tempore Theodosium Imp. veterum dicendarum in Senatu Vrbis Romæ sententiarum formam seu ORDINEM reparasse; ne summum cuique decernendi LOCVM non ratio munerum, sed honorum fortuna præstaret; de quo Symmachus, *lib. 10. ep. 21.*

II. (a) Idem (b) AAA. ad Prætextatum (c) PV. (d)

CÆLESTIS recordationis Valentinianus, * Genitor Numinis nostri, singulis quibusque dignitatibus certum locum meritumque præscripsit. Si quis igitur indebitum sibi locum vsurpauerit, nulla se (e) ignoratione defendat, sitque plane sacrilegii (f) reus, qui diuina præcepta neglexerit. Dat. XII. Kalend. Iun. (g) Mediolani Richomere (h) & Clearcho VV. CC. Coss. [384]

INTERPRETATIO. (i) *Si quis præsumpserit quam non meruerit a Principe dignitatem, sacrilegii reus habeatur:* *Hic de* Iure * *addendum quæ sit pœna sacrilegii.*

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit* hinc desumpta est: priore tamen sententia resecata, vt quæ ad Historicam magis rationem facit. *GOTHOFREDVS*

(b) Male: Inscribendi enim, VALENTINIANVS *Theodosius, & Arcadius.* vid. *Chronolog. Theod.* *IDEM.*

(c) *Prætextatus,* hoc est qui integro nomine *Vettius Agorius Prætextatus,* de quo plene in *Prosopogr.* *IDEM.*

(d) *vt. PP.* vt etiam habent Codices nonnulli & habet Authenticum, vbi duo *PP.* expressa, etsi non plene expressum. Nam sub Valentiniano Sen. A. D. 367. & 368 fuit P. V. At sub Valentiniano Iun. PP hoc anno 384. quomodo expansis li eris eo anno vocatur. *l. 5. Cod. Iust. de modo multarum*: & hoc ipso Anno 38 . Symmachus ipse P V. fuit, qui eum Præfectum Prætorio diserte vocat, *lib. 10. ep. 34.* Vid. plura in *Prosopogr.* *IDEM.* Accurate Cod. Wurceburg. *Prætextatum* P̄Ō. quomodo & Sichardus edidit. *RITTER.*

* De *hac* Valentiniani Sen. *lege* mox. *GOTHOFREDVS.*

(e) *Nulla rei ignoratione defendatur,* Edit. Sichardin. *RITTER.*

(f) De hac *Sacrilegii* voce, mox. *GOTHOFREDVS.*

(g) Ita quoque Cod. Iust. male in Anianeis nonnullis *Ian.* *IDEM.* *Kal. Iun.* Cod. Wurceb. *RITTER.*

(h) *Ricimere* Cod. Wurceburg & Edit. Sichard. quomodo & nomen scriptum in lapide, quem vid. in *Chronol. h. a* & Fast. Idat. *Ricomerem,* Prosper vero *Recimerem* nominant. Nota *VV. CC.* abest & a Cod. Wurceburg. & Edit. Sichard. *IDEM*

(i) INTERPRETATIO hæc totidem verbis refertur *lib. 6. Capitularium, cap. 190.* Quæ similiter inepta est vtraque sui parte. *GOTHOFREDVS.*

* Hæc sæpe adiicit de suo peculio Interpres, & ad *Ius* remittit, id est, ad Codicem Alaricianum. *IDEM.* In Codicibus, quos ad manus Sichardus habuit, verba hæc non exstant, sunt vero in Wurceburg. antiquissimo. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iunioris constitutio seu Nouella, & Ordinatio isthæc est, de Ordine *Dignitatum seruanda,* deque pœna locum indebitum vsurpantis, qua nominatim confirmat Valentiniani Senioris patris sui super hoc ipso constitutionem; Quæ illa constitutio est, ad Ampelium P. V. emissa A. D. 372. Nasonaco, ante duodecim annos: cuius Constitutionis quinque supersunt hoc Codice imo *hoc ipso libro 6.* partes seu fragmenta: puta *lex 1. de Præfectis Prætorio: lex 1. de Quæstoribus: l. vn. de Magistris scrin. lex 1. de Comitib. rei milit. l. 4. de banarar.: cadicill.* Quam totam constitutionem ex illis legibus rursum concinnatam sub vnum conspectum dabimus *ad d. l. 1. inf. de Præfectis prætoria.* Quæ quidem constitutio non tantum fuit, (quod Cuiacius prodidit) de diuersarum Dignitatum ordine seu gradibus, verum etiam de Prærogatiua Temporis, inter pares seruanda, vt apparet ex *d. l. 1. de Præfectis Prætorio.* Hunc igitur Dignitatum ordinem, quem ex *prædictis legibus* suis locis discemus, Valentinianus Iun. filius eius *hac lege* confirmat, & Sanctione & ampliatione addita: Sanctione inquam, sub pœna scilicet *sacrilegii,* id est, violati iuris: Id enim *sacrilegii* voce exaudiendum est de violatoribus Diualium seu Imperialium scitorum & decretorum: *h. l.* pariter vt alius Valentiniani Iun. in eadem re, *l. 4. inf. de domesticis & protector. l. 13. inf. de priuil. eor. qui in S. P. l. 30. inf. de erogat. mil. ann.* & *l. 15.* quæ est Theodosii M. & *l. 24. infr. de petitionib.* & *Nouell.* Valentiniani *inter* P. 72. *Theodosianas 38. infr. de success. Curial.* Vnde ita Imper. *h. l. sitque plane sacrilegii reus, qui diuina præcepta neglexerit.* Et proprie sæpe hæc vox aptatur his qui modum & ordinem a Principe stabilitum vel commonstratum violant: *h. l.* & *d. l. 4. inf. de domesticis & Protect.* & *d. l. 13. inf. de priuil. eor. qui in sacr. Pal.* & *l. 3. Cod. Iust. de crim. sacril.* de cuius *leg.* sententia dixi *ad d. l. 4. de domest. & Protect.* Quare nihili est subdita *huic legi* Interpretatio, quæ ait, *hic de Iure addendum, quæ sit pœna sacrilegii.*

Adeo vero Valentinianus Iun. (hæc iam *Ampliatio* est) Valentiniani patris sui constitutionem confirmat, vt eius constitutionis ignorantia neminem excusari velit: Quod & alioquin tralatitium est, *l. 2. sup. de constit. Princip.* vbi dixi: & *l. vnic. sup. si cert. pet. de Chirograph.*

Illud omittere hic non oportet, quod Symmachus *lib. 10. ep. 21.* memorat, Valentinianum Iun. hoc ipso anno 384. Oratione sua ad Senatum V. R. veterem formam seu ORDINEM dicendarum in Senatu sententiarum reparasse, ne summum cuique decernendi locum non ratio MVNERVM, sed honorum fortuna præstaret: atque id assensio ceterorum vel inuita seque-

quaeretur, quod ante omnes felicior censuisset. Additque hoc etiam remoto, ad Regnum suum rediisse VIRTVTES. Id enim ad *hanc leg.* omnino facit. Non omittandum etiam quod idem circa Tribunatum fori vinarii scribit, & Valentin. consulit *lib. 10. ep. 35.* vt & quod idem scribit *ep. 40.* de successionis ORDINE inter eos. Hæc enim omnia huic ipsi anno respondent, & Imperatoris Valentiniani Iun. temporibus: & de ORDINE Dignitatum sunt.

DE CONSVLIBVS* PRÆFECTIS,[a] MAGISTRIS MILITVM ET PATRICIIS.

TITVLVS VI.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. III. *De Consulibus & non spargendis ab his pecuniis, & de Præfectis & Magistris Militum & de Patritiis.*

* Hoc titulo continetur PRIMVS Illustrium gradus: Quo in numero sunt *Consules, & Patritii.*

a Abundare videntur hæc, *Præfectis, Magistris Militum:* Nam de his agitur *tit. prox.*

PARATITLON.

I. CONSVLES alii erant Ordinarii, alii suffecti: Ordinariorum fit mentio *in l. 12. sup. de Prætoribus: l. vlt. infr. de metatis: l. 2. infr. de terris limitaneis: l. 1. infr. de expensis ludorum: l. 6. de scænicis.* Magistratus erat annuus, & ita vocatur *l. 9. infr. de infirm. his quæ sub tyr.* Diuinum porro præmium id vocatur *l. 17. infr. de pœnis:* omnibus fastigiis dignitatum præponendus, *l. vn. h. t.* Consulibus creatis, eorum nomina statim nunciabantur, nomina præferebantur: Nuntii quippe per prouincias emittebantur, *l. 1. 2. 3. & 4. inf. ne quid publ. lætitiæ.* De horum nominibus notabantur Anni: Anni exordia his Consulibus inchoabantur, *d. l. 1. ne quid publ. læt.* Atque ita Fasti conficiebantur; hinc fastis honor datus Regalium Trabearum, *d. l. 4. d. tit.* Horum nomina edictis & constitutionibus subscribebantur, adeo vt his omissis auctoritate carerent, *l. 1. sup. de constit. Princip.* In securitatibus quoque: sed & in Testamentis vtrum Consulum nomina requirerentur? tracto *ad l. 6. sup. de Testam.* Cum eorum nomina recitabantur, his reuerentia in Lectione recitantium tribuebatur: *d. l. 9. inf. de infirm. his quæ sub tyr.* Consulatus initio manumissionum solemnia peragi solita; vnde hæc Consulatus solemnitas dicitur, *l. 13. inf. de infirm. his quæ sub tyr.* Officium celebrabant: cum id celebrabatur, Consulibus ordinariis sportulam auream & diptycha ex ebore dare licebat, *d. l. 1. infr. de expensis ludorum.* Ludos & spectacula edebant: sic vt aurum iis solis præmio dare liceret propter vitæ merita, *l. 2. infr. de spectaculis.* Equos Curules in curulis certaminis solemnitatem tribuebant: *l. 6. de scænicis:* Vestis eorum *Trabea* erat, *d. l. 4. ne quid publ. lætit.* Consulares Codicillos Principes largiebantur, *l. 23. sup. de Prætoribus.* Denique proscriptorum Consulum, eorumque qui sub Tyrannis fuerant nomina, fastis eradi solita, veluti Eutropii, *l. 17. inf. de pœnis:* & Consulum qui sub Eugenio Tyranno fuerant, *l. 9. inf. de infirm. his quæ sub tyr.* Heracliani, *l. 13. d. tit. de infirm.*

II. PATRICIORVM non hoc tantum titulo mentio fit, puta *Rubrica,* & *l. vn. hoc tit.* verum etiam *l. 20. de Agentib in reb. l. 17. de pœnis, l. 1. de annona & tributis, l. vn. supr. de*
P. 73. *bonis Clericorum: l. 14. inf. de metatis.* A Patriciis his ipsa dignitas Patriciatus, *l. vn. h. t.* & *d. l. 17. inf. de pœnis.* Magna vero ea erat: Hinc splendor Patriciatus, *l. vn. h. t.* Dignitas Patriciatus, *d. l. 17. de pœnis.* Patricii vero mentionem reperio iam A. D. 315. *l. 1. inf. de annona & trib.* si modo ea lex Constantini est. Aliquando vero separata hæc ab aliis dignitas erat, sic vt quidam *Patricii* solum dicerentur, vt Datianus *d. l. 1. de annona & trib.* Aliquando cum aliis dignitatibus & summis quidem hæc dignitas coniuncta erat, veluti cum Consulatu, Præfectura prætoriana, Magisteria Militum, *l. vn. h. t.* & *d. l. vn. de bonis Clericorum, l. 15 inf. de indulg. deb. l. 14 inf. de legatis.* cum Magisteria officiorum, *l. 20. inf. de Agentib. in reb.* & *l. 14. de metatis.* Patriciorum horum fit mentio *hoc Codice:*

Datiani

Datiani *d. l. 1. de ann. & trib.* Petronii Patricii, *l. 7. de filiis mil appar.* Eutropii, *l. 17. de pœnis:* Anthemii PP. & Patricii, *d. l. 14. infr. de legatis.* Helionis Patricii & Magistri officiorum, *dict. l. 20. de Agentib.* & *dict. l. 14. de metatis.* Tauri PP. & Patricii, *dict. l. vn. de bonis Clericorum.*

(a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Senatum (b) P. V.

DIVERSA (c) culmina (d) dignitatum Consulatui cedere euidenti auctoritate (e) decernimus. Sed, vt Consulatus præponendus est omnibus fastigiis (f) dignitatum, (in omni etiam Curiæ Senatoriæ actu, sententia, cœtu) ita, si quis Consulatu & Præfectura, vel culmine (g) militari conspicuus est, pridem Consulari præferendus haut dubio est. Porro si contigerit, vt ad duas has prærogatiuas etiam Patriciatus splendor (h) addatur, oportet (i) huiusmodi virum præter ceteros eminere: Neque enim vnus (k) tantum honor, potest duobus aut tribus anteferri: dummodo Consulatui, ex his quæ designatæ sunt, dignitas quæcunque societur. DAT. . . . . Apri. Antonio & Syagrio VV. CC. CONS. [382.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a Cod. Iustin.. Meminit eius Valentinianus Tertius *Nouella de Honoratis & quis in gradu præfer.* 45. inter Theodosianas. GOTHOFREDVS.

(b) Forte *ad Seuerum PF. P.* fuit enim is hoc anno *PF. P.* vid. *Chronol.* Nisi putemus reponendum *ad Senatum R. V.* id est Senatum vrbis Romæ: vel nisi putemus & *ad Senatum*, & *ad P. V.* hanc leg. scriptam IDEM.

(c) *Diuersa*, id est cætera omnia, quæcunque, ita mox, *omnibus fastigiis dignitatum.* vid. *Gloss. Theod.* IDEM.

(d) Sic & *l. 15. inf. de extraordin.* maximarum culmina dignitatum. IDEM.

(e) *Auctoritas* est lex, iussio, Edictum: vid. *Gloss. Theod.* IDEM.

(f) Et sic etiam Præfecto vrbi, qui alioquin Præsul Senatus est. IDEM.

(g) Nota, *Culmen* militare IDEM.

(h) Nota, *splendor* Patriciatus. IDEM.

(i) Vocem hanc Cuiacius de suo ingenio addidit: nam MS. habet...... *dutet*: forte *quis dubites.* IDEM.

(k) Consulatus. IDEM.

COMMENTARIVS.

DE CONSVLATV, deque PRÆFECTVRA Prætoriana vel vrbis, MAGISTERIA militum, & PATRICIATV, qua quidem prima & summa est illustrium Dignitatum, sic vt dicam, Quadriga, est hæc constitutio, eum in finem lata, vt definiatur, quando Consulatu functus, cæteris illis præferatur, vel non. Quæ quidem solemnis admodum de προεδρίᾳ constitutio est, &, si credimus Valentiniano Tertio, qui *Nouella*, inter Theodosianas 45. *de Honoratis & quis in gradu præferatur*, eius meminit, simul & exemplum aduocat, Gratianum Imp. auctorem habet, qui sane etiam primo loco in inscriptione Legis *hic* ponitur.

Et initio quidem *Legis*, quæ *Prima* eius sententia est, præmittit Imperator per concessionem, tanquam rem manifesti iuris, *Diuersa* (id est omnia, quæcumque) *dignitatum culmina Consulatui cedere*, quod & ipse euidenti auctoritate decernit. Item, *Consulatum præponendum omnibus fastigiis dignitatum.* De hac vero Consulatus prærogatiua, fastigio, & præeminentia, infinita quoque apud alios scriptores occurrunt testimonia. Diuinum ideo quoque præmium vocatur, *l. 17. inf. de pœnis.* Videatur vel Libanius *orat. 8. in Consulatum ad Iulianum p. 229. 230. seq. edit. Morell.* & passim *fastigium* vocant Scriptores, Ammianus Marcellinus, Symmachus *lib. 4. ep. 8.* & Claudianus *non vno loco*, & Chrysostomus, *homilia 9. ad Hebræos, edit. Commel. p. 1824.* οὐδὲν γὰρ τούτου τοῦ ἀξιώματος μεῖζον νομίζουσιν οἱ πολλοὶ, *hac dignitate nullam existimat vulgus esse maiorem.* Idem εἰς τὴν ἐπιγραφὴν τῶν πράξεων ἡ τῶν ὑπάτων ἀρχὴ καθάπερ κορυφὴ καὶ κεφαλὴ πάσαις ἐπίκειται. Idem postquam recensum Magistratuum, & Præfecti Prætorio quoque fecit, ἐστὶν ἀνωτέρα τούτων ἀρχὴ ἡ τῶν ὑπάτων ἀρχή. Cassiodorus quoqua *II. Var. 2.* ita vocat: Symmachus *lib. 2. ep. 64. lib. 10. ep. 44.* & Sidonius Apollinaris *lib. 2. ep. 3. potissimum Magistratum* appellant, ad quem locum vide, quæ Doctiss. Sauaro, vt & quæ Iuretus *in Symmachum lib. 4. ep. 8.* videndus & Procopius, *lib. 1. de bell. Pers. cap. 25.* & Iornandes in *Gothicis cap. 57.* Illud ad Consulatus fastigium maxime pertinet, quod & ipsi Imperatores eum gessere. Vnde Claudianus *in Cos. Theodori v. 257.* habitum vocat, quo Curia Aulæ iungitur:

- - *Illumque habitum quo iungitur Aulæ*
Curia, qui socios Proceres cum Principe nectit.

Item: *Lib. 2. de laud. Stilic. v. 288.*

- - *Titulumne leuem paruique nitoris*
Credimus, Augusti quo se decorare fatentur.

Omitto alia.

Addit Imperator (quæ secunda iam sententia *huius legis* est) Consulatum omnibus fastigiis dignitatum præponi, ETIAM *in omni Curia Senatoria actu, sententia, cœtu*, id est, in Senatu quacunqua de re agatur, sic vt primus Consul in Senatu sedeat, primus sententiam expromat, etiam ante Præfectum Vrbis scilicet, id enim hic omnino indicatur: cum alioquin Præfectus Vrbi Senatus nominatim Præsul & caput esset: de quo alibi sæpe; & in Senatu supra omnes sententiam primus diceret: vt diserte Cassiodor. *in formula P. V. VI. Var. 4.* aumque etiam Iustinianus *Nouella sua 62.* (de qua *tit. prox.*) Consulibus & Patriciis præferri voluerit. De illo equidem dubium nullum, Præfecturam Vrbis, cunctis,

p. 74

cunctis, quæ intra vrbem essent, antecelluisse dignitatibus: quod ante sexennium Gratianus diserte A. D. 376. *lege sua* cauerat, puta *l. 3. Cod. Iust. de offic. Præf. vrb.* Et biennio post hanc *leg.* Symmachus quoque memorat *lib. 10. ep. 36. Præfecturam*, inquit, *quæ Romæ superior est cæteris.* Quomodo & Ausonius *in Mosella Edyl. X. v. 410. Primum nomen* vocat. Verum hæc duo loca proprie respectum habent ad cæteras dignitates, & Magistratus inferiores, qui intra Vrbem erant, quorum respectu Præfectura, *iis quæ intra vrbem sunt, dignitatibus*, seu *cæteris antecellere* & superior esse dici potius videtur.

Et quia in eo nunc sumus, *lex illa 3. Cod. Iust. de offic. P. V.* attentius nobis perpendenda, imo illustranda, emendandaque venit, quæ ad Rufinum P. V. cuius meminit quoque Symmachus *l. 7. ep. 126.* data est: *Præfectura Vrbis cunctis quæ intra Vrbem sunt, antecellat dignitatibus, tantum ex omni parte deriuatis, quantum sine omni iniuria ac detrimento honoris alieni vsurpat.* Et hæc lex intricata & forte etiam inemendata: Tentem quippe, *antecellat, ac dignitatis tantum* &c. *deriuet is quantum* &c. *deriuet*, id est, sibi vindicet, attribuat, (vt recte Albericus:) *ex omni parte*, id est, ex omnibus dignitatum insignibus & prærogatiuis: ergo *deriuet ex omni parte*, id est, in se suamque dignitatem transferat omne quicquid dignitatis alii habent, præque se ferunt; quasi in fluuium & Oceanum: sic & excusationes deriuare, *l. 3. inf. de abolit.* sic in notitiam deriuare, *l. 26. de operib. publ.* sic aquam deriuare in suum fundum, *l. 4. 6. de aquæductu*, ἀφέλκεσθαι: in grauem curam lætitia deriuata, Symmacho *lib. 8. ep. 31.* Denique, *Deriuare* hic *ex omni parte*, est vndecumque decerpere, deflorare, transferre in se quodcunque alii honoris, fulgoris, splendoris & φαντασίας, aut dignitatis præ se ferunt, idque *vsurpare*, id est, habere, tenere, exercere: *vsurpandi* enim vox hic, bonam in partem ita accipienda est: quod Albericus recte notauit ad *hanc leg.* Et additur tamen limitatio, *Quantum sine omni iniuria ac detrimento honoris alieni* &c. μηδὲν δηλονότι τὰς λοιπὰς ἀδικοῦντα: Synopsis Basilic. *lib. 6. tit. 4. cap. 11.* Tantum, quantum. Itaquoque Symmachus *lib. 1. ep. 90. lib. 3. ep. 1. 72.* & *lib. 9. ep. 42.* In quantum licet, idem Symmachus *lib. 1. ep. 21. lib. 2. ep. 13.* Cuius limitationis hic sensus est; posse quidem Præfectum Vrbi, velut supra omnes dignitates vrbanas positum, ea insignia decoraque omnia, cultumque & pompam sibi vindicare, quæcunque tandem comminisci vel mutuari potest; dummodo *ne cum iniuria & detrimento honoris alieni*, seu aliarum dignitatum id fiat, vel coniunctum sit. Ergo *hac leg.* vt supra omnes dignitates Vrbicarias Præfectus Vrbi effertur, omniaque ei decora, insignia, & φαντασίας, pompæ, cultus genus omne, vsurpare tribuitur, ita modus hic ponitur, ne id cum aliorum dedecore & iniuria coniunctum sit. Cui plene similis est eiusdem Valentiniani *lex 5. in f. C. Iust. de offi. Rect. prou.* Huc vero iam egregie pertinent querelæ illæ, quæ de Præfectis vrbi exortæ Symmachi æuo, non tantum de eo quod Præfectura quæ Romæ superior est cæteris, turbidum aliquid pro potestate faceret, *l. 10. ep. 36.* verum etiam de peregrino, externo, ac superbo vehiculo vsurpato, quo tanquam Salmoneus alius inuehebatur: quod tamen ex nouo Gratiani (qui sane *huius leg.* author est) statuto seu beneficio, (id est, hac *leg.* ipsa, vt existimo) sibi vsurpauerat. Et vero ea epistola Symmachus hanc vehiculi nouitatem aboleri cupit, tanquam inuidiosum, vel etiam cum iniuria & detrimento alieni honoris coniunctum, de quo & *eod. lib. 10. ep. 33.* Ex his igitur iam patet hanc *leg. 3.* non respectu aliarum Illustrium dignitatum conscriptam, neque vt indicetur, Præfecturam aliis Illustribus dignitatibus in Vrbe potiorem esse, verum respectu aliarum Vrbanarum dignitatum.

Et hæc quidem in genere de Consulatus fastigio supra cæteras dignitates: in quibus & Patriciatus & Præfectura. Speciatim vero de eius Prærogatiua supra *Patriciatum*, præter *hanc leg.* testis Cassiodorus quoque, non tantum *lib. III. Var. 5.* verum *lib. VI. Var. 2.* in formula Patriciatus: *Præfectorios*, inquit, *& aliarum dignitatum viros præcedit, vni tantum cedens fulgori, quem interdum etiam a nobis constat assumi* (de quo postremo, vid. & *d. Nouell. Valentin. 45.*) His accedat & argumentum ab ordine literæ in *leg. 17. inf. de pœnis:* & apud Cassiod. *lib. VI. Var. 1.* & 2. Et tamen huic obstat Zenonis *lex 3. Cod. Iust. de Consulib.* vbi dicitur generaliter, *Patriciatus honorem cæteris omnibus anteponi:* & nemini ad eum ascendere licere, nisi prius aut Consulatus honore potiatur, aut Præfecturæ Prætorio &c. Petr. Faber *1. semestr. 2. in fin.* id ita dictum generaliter ait, excepto tamen prisco Consulatus honore. Parens meus, Patriciatum consulatu maiorem, non gradu, sed duratione scripsit. Amaya Patriciatum ideo anteponit, quia vt ad eum perueniretur, necesse erat, vt quis Consul fuisset, vel Præfectus Prætorio &c. & sic hoc casu Patricium ideo anteponi, non quia Consulatu maior, sed quia Consulatus præcederet. Verum ego ipse concilio, nempe Patriciatus honorem cæteris *omnibus* anteponi, non quoad publicam dignitatem, quæ in Reipublicæ luce seu actu versatur, hoc enim respectu Consulatui cedunt omnia dignitatum culmina, seu Consulatus omnibus fastigiis dignitatum præponebatur, quando & ipsi Imperatores eo decorabantur; verum quoad priuatum Principis affectum, quo Parentes Principis Patricii erant & dicebantur: neque Patriciatus tam Dignitatis nomen erat, quam Ordinis, nihilque iurisdictionis Patricii habebant: de quo est Cassiodori (qui Zenonis coætaneus fuit) locus insignis in formula Patriciatus *lib. VI. 2. Hinc est quod & honor ipse* (Patriciatus) *cinctus est, cum vacaret* (quanquam VACANS ET) NIHIL IVRISDICTIONIS HABENS, & post: *Præfectorios & aliarum dignitatum Viros præcedit, vni tantum cedens fulgori* (Consulatus scilicet) *quem interdum etiam a nobis constat assumi.* De eiusdem Consulatus prælatione supra Præfecturam, locus quoque insignis occurrit apud Libanium *panegyrico in Consulatum ad Iulianum, pag. 230. edit. Morell.* ἐπεὶ καὶ οἷς ὑπῆρξεν εἰς ὑπάρχους τελέσαι πρὸς τοῦτο βλέπουσιν, ὡς τοῦτο ὂν ἆθλον ἐκείνου. Οἷς τε συνέβη, τοῦ δὲ πρὶν ἐκείνου τυχεῖν, ἥκιστα προσέχουσιν ἐκείνῳ, νομίζοντες, ὅ, τι ἂν ἐπὶ τῷδε λάβωσιν ἔλαττον εἰληφότες ἔσεσθαι. Id est: *Quandoquidem etiamsi quis ad Præfecturam Prætorianam promoueri contigit, ad hoc* (ad Consulatum) *animum conuertunt, tanquam istud illius præmium: quibus vero contigit isto* (Consulatu) *ante illud*, (id est, Præfecturam) *potiri, nequiquam ad id animum adiiciunt, ita* P. 79. *indicantes, quicquid post id adepti fuerint, minus fore.* Verum ad rem. Consul itaque supra Præfectum quoque vbi in Senatu sedebat, & (dixisse liceat) *votabat:* cum tamen in suæ dignitatis sede Præfectus Vrbi tum esset, & vt vulgo dici solet, domi suæ & in officio suo quoque maior habeatur. Et vero Præfectus vrbi, etsi alioquin Præfectus vrbi, prætorio, & Magistri militum indiscretæ dignitatis essent, in Amplissimo Curiæ consessu primas tenebat: de quo ad *l. 1. inf. tit. prox.* Verum transcendens, & hoc dixisse liceat, ἐξόχως quid Consulatus fastigium fuit, vt vbique velut Aquila volans, ἀετὸς ἐν νεφέλαις primum locum occuparet.

His duabus sententiis præmissis, *Tertia* hæc quoque præmittenda est, Consulatum, Patriciatum, Præfecturam (prætorianam scilicet, vel vrbis) vt & Magisteriam militum, primam Illustrissimarum dignitatum quadrigam & gradum constituisse, proximoque confinio sibi cohæsisse: & vero *hac l.* coniungit

de

de quibus alioquin tribus postremis *tit. prox.* Etsi alioquin postremi tres, cum aliis inferioribus collati peculiarem gradum constituant, de quo ad *l. 1. inf. tit. prox.* soli Consules & Patricii præ cæteris eximii & superillustres ὑπερβεβηκότες τοὺς Ἰλλυστρίους; mox vt apparebit.

Quarto igitur iam loco, de *Patriciis* istis, sed breuiter, videndum est: de quibus alioquin *in Paratitlum*, quæ hoc Codice occurrunt, congessimus. Illa iam notissima sunt, Patriciatus dignitatem a Constantino M. institutam, quod Zosimus *lib. 2. cap. 40.* testatur: Eosque Principis Patres habitos, atque ita quoque dictos: quare & Patricium πατέρα βασιλέως vertit Sozomenus, *l. 8. c. 7.* Sed & Claudianus *Lib. 2. in Eutrop. Prolog. v. 50.* de eodem Eutropio, de quo & Sozomenus, agens (de quo *l. 17. inf. de pœnis:*) *Non aliter poteras Principis esse Pater.* vid. & *l. vlt. C. Iust. de Consulibus:* & exinde *Institutiones nostras.* Eodem sensu, apud Ammianum Marcellinum *lib. 29. cap. 2. Parens publicus* dicitur, quod tamen Interpretes hactenus aliter accipiunt: Plura non addo de Patriciatu: cuius etiam formulam integram habes apud Cassiodorum *VI. Variar. 2.* Cæterum, quod antea iam notaui, proxima hæc Consulatui dignitas fuit: verum vt Consulatui cessit, ita & cæteris prælata est: supra Præfectos Prætorio igitur, solis Consulibus maiores, Patricii fuere, (idque ipsum, si Zosimo credimus, ex Constantini M. instituto) Ὀπλάτος παρὰ Κωνσταντίνου τῆς ἀξίας τετυχήκει τῆ πατρικίου, πρώτου ταύτην ἐπινοήσαντος τὴν τιμὴν, καὶ προκαθῆσθαι τοὺς ταύτης ἠξιωμένους, τῶν τῆς αὐλῆς ὑπάρχων νομοθετήσαντος: *Optatus patricii dignitatem adeptus a Constantino fuerat, qui eum honoris titulum primus excogitauerat, lataque lege sanxerat, vt qui hunc consecuti fuissent, supra ipsos Præfectos Prætoriorum sederent.* Quare & Cassiodorus *supradicto loco*, de Patricio, *Præfectorios & aliarum dignitatum Viros procedit, vni tantum cedens fulgori;* (id est *Consulatui*) &c. Medio igitur loco Patricius fuit inter Consulem & Præfectum Prætorio; Sidonius ideo recto ordine & progressu *lib. 5. ep. 16. vt sicut nos vtramque familiam nostram* PRÆFECTORIAM *nati*, *etiam* PATRITIAM *diuino fauore reddidimus, ita ipsi quam suscipiunt Patriciam, faciant* CONSVLAREM. Idque etiam ex *hac leg.* liquet, & Cassiodoro *VI. Var. 1. 2. 3.*

Quinto loco præmittendum & illud de Patriciis, quod etiam ex *h. l.* discimus, anterioris, vel alterius ferme dignitatis Illustris accessionem προσθήκην, ἀναπλήρωμα fuisse Patriciatus dignitatem, & cum alia dignitate copulatam, & vt *h. l.* dicitur, *additam, sociatam*, vti solus Consulatus fuit προσθήκη Imperatoriæ Maiestatis (quod Libanius *in Consul. Iuliani* exerte scribit *pag. 229.*) ita Taurus PP. & Patricius, *l. vnic. sup. de bonis Clericor.* & *l. 15. de indulgen. debit.* ita Anthemius PP. & Patricius, *l. 14. de Legatis:* ita Helio Patricius & Magister officiorum dicitur in *leg. 20. infr. de Agentib. in reb. l. 14. inf. de Metatis:* ita Patricius & Magister militum, Constantius & Ricimer Magistri vtriusque Militiæ Patricii in antiquis inscriptionibus: Belisarius Magister Militiæ & Patricius apud Victorem Tununensem, de Procopio Sidonius Apollinaris *Carm. 2. vers. 89.*

> *Suscipit hunc reducem* DVPLICATI *culmen honoris*
> *Patricius, nec non Equitum, peditumque Magister.*

Et idem de Anthemio, *eod. Carm. 2. vers. 205.*

> *Hinc reduci datur omnis honor, & vtrique Magister*
> *Militia, Consulque micat,* CONIVNCTA *potestas Patricii.*

De Asterio v. & apud Gregorium Turon. *lib. 2. histor. Francica cap. 9.* Quanquam & citra aliam dignitatem quandoque Patricii nomen delatum, Datiani exemplo colligitur *l. 6. inf. de annona & trib.* Sed & Constantius Comes & Patricius vocatur. *l. vlt. inf. de infirm. his quæ sub Tyrannis.* Zeno certe postea *l. 3. Cod. Iust. de Consulibus* ita statuit, ne cui Patriciatus honor deferretur, nisi prius aut Consulatus honore potiatur, aut Præfecturæ prætorio, vel vrbis administrationem, aut Magistri militum aut Magistri officiorum gesserit.

Sexto loco notandum, quod etiam *h. l.* indicatur, ibi, PRIDEM *Consulari*, inter pares Dignitate personas, Tempore priores, gradu quoque potiores esse: Quod vt contestatissimum alioquin, & in praxi quotidianum, de ea tamen Regula, ex hoc Codice videndum nobis hic semel est: Ea vero innumeris legibus aliis confirmatur: puta *l. 1. & 2. inf. tit. prox. de Præfectis Prætorio: l. vn. inf. de Præpositis S. Cubicul: l. 2. 3. in fin. de Primicerio & Notariis: l. vn. inf. de Comitib. & Archiatris S. Palatii. l. 6. inf. de honor. codicillis: l. vlt. infr. de Palat. S. L.* His adde *l. 1. Cod. Iust. hoc tit.* & *d. Nouellam Valentiniani inter Theodosianas 45. de Honoratis.*

Hæc inquam Regula est, quæque inter eos tantum obtinet, qui se aut actibus subsequuntur, aut Codicillorum parili imagine fulciuntur, vt loquitur *lex vlt. inf. de honorar. codicillis.* Tres proinde siue Exceptiones, siue limitationes potius, huius Regulæ ex hoc ipso Codice notandæ sunt, quæ & ipsæ Regularum vicem obtinent, in quibus temporis prærogatiua non attenditur, atque ideo posterior tempore priorem vincit.

Prima sit, Honorarios eiusdem dignitatis, licet tempore priores, in actu positis posterioribus postponi: *l. 5. 6. vlt. inf. de honor. codicillis: l. 2. inf. quis in gradu præferatur: l. 19. de Agentib. in reb. l. vlt. inf. de principibus Agent.*

Secunda exceptio; Inter honorarios rursum, vacantes licet tempore posteriores, nudis Codicillariis præferri, etsi vtrique sint honorati, *l. vlt. de Primicerio & Notariis. l. vn. de Comitibus Vacantibus:* exceptis rursum certis casibus, *d. l. 8. de honor. codicil.*

Tertia exceptio Valentiniano Tertio placuit A. D. 443. *d. Nouella 45.* puta vt repetitio eiusdem Consulatus, seu duplicatus & geminatus Consulatus, seu geminati fasces facerent, vt posterior tempore anteriori præferretur: Et quidem argumento ex hac ipsa *leg.* nostra desumpto: *Quod si*, inquit, *alterius adiectio dignitatis hanc solam superat, quanto magis duplicata tantæ suggestus infula & Curialium ornamenta gemmarum obtentis semel anteferenda sunt fascibus*, subtextis his: *Ea enim dignitas quæ nomini quoque Augusto quoddam decus videtur adquirere, secundo delata priuatis personis absque superioris iure vniuersis honoribus antecellit.* Quæ quidem rationes Consulatui peculiares sunt: vt proinde Valentinianus non idem in geminata forte Præfectura Prætoriana dicturus vel constituturus fuisset. p. 76. Quanquam idem Valentinianus biennio post, *Nouella inter Theodosianas de corporatis 26.* de Auxentio secundum Præfecto vrbis *prouidentiam eius & geminis fascibus comprobatam suggestionem* prædicat. Certe hæc exceptio non placuit Theodosio Iun. Collegæ ipsius & auctori Imperii, *l. 1. Cod. Iust. de Consulibus*, quæ referenda videtur ad A. D. 439. Non placuit Iustiniano, vtpote *d. l. 1.* prælata: quæ proinde apud eos præualere debet, qui Iure Iustinianeo viuunt & reguntur. Hac eleganti ratione addita; *quod repetiti fasces Consulares virtutes equidem sæpe meriti comprobent, sed dignitatem non augeant: quia nihil est altius dignitate.* Quo pertinent & quæ Claudianus de repetita Præfectura Manlii Theodori, *a vers. 143.*

Adde quod hæc potuit multis contingere ADDES:
Sed MERITIS *tantum* REDEVNT, *actusque priores*
Commendat REPETITVS *honos, virtusque reducit*
Quos fortuna regit.

Ergo alia est meritorum & sic repetitæ dignitatis ratio, quam Ethica sequitur; alia dignitatis ipsius, quam Politica. Eadem scilicet semper est dignitas, etsi repetita. Etsi fatendum, olim quoque geminati Consulatus magnam dignationem fuisse: quare inter cætera summa Plautiani decora sub Seuero ponit Herodianus *lib. 3. cap. 35.* quæque eum ad Imperii cupiditatem incenderent, *ὅτε τοῖς δευτέροις ὑπατεύσασιν ἐτέτακτο, atque in secundis consularibus numerabatur.* Cumulatio igitur & repetitio eiusdem honoris nihil adiicit: Quia vt hanc rationem magis adhuc explicem & illustrem, vbi de *Præcedentia* agitur, *dignitatis* solius habetur ratio; non personæ dignitatem gerentis. Cæterum repetitio vel cumulatio eiusdem dignitatis personæ equidem *meritum* comprobat & ostendit, verum dignitati ipsi nihil adiicit. Breuiter, personæ merita non attenduntur in hoc concursu, sed dignitas ipsa & circa dignitatem ipsam temporis tantum Prærogatiua & prioritas. Quæ omnia vtiliter transferri hodie quoque argumento aliquo possunt ad Principum & Regum *de Præcedentia* (vt *loquuntur*) controuersias. Primum enim, quot & quam multorum Regnorum titulis & cumulo sese nonnulli Regum efferant; Qui vno vel altero tantum decoratur, Regni antiquitate & prioritate temporis posteriorem, etsi *πολυωνυμότατον* vincere debet. Et vero omnium seculorum prærogatiua, omnium gentium, Populorum & Rerumpublicarum prudentissimarum consensu, id ita semper obtinuit & obtinebit, quicquid præpostera quadam ambitione a nonnullis haud ita pridem scriptum tentatumque fuerit. Deinde ex his quoque patesit, genuinam controuersias de Principum dignitate æqualium præcedentia discingendi definiendique rationem a *Temporis* anterioritate, & Principatus antiquitate, (cui accedit & hodie fidei Christianæ antiquitas) desumi: sed nihilominus & meritis eadem egregie saltem firmatur, aduersus eos, qui meritis vincera voluntde: qua meritorum ratione dicam ad *l. vn. inf. de Comitib. Vacantibus.*

Quarta, propriaque iam exceptio, quæ *huius leg.* propria est, vt ad eius sententiam descendamus, hæc ast: Copulatione seu Adiunctione alterius dignitatis eiusdem gradus effici, vt posterior priori Consuli præferatur, qui simplicem tantum Consularem dignitatem adeptus est, etsi prior: Geminati ita honores (quomodo & Sidonius Apollinaris eos vocat *lib. 1. ep. 11.*) simplicem seu vnicam tempore priorem vincunt: Quodqua cumulatio & repetitio eiusdem dignitatis non facit, id facit copulatio eiusdem gradus dignitatum, seu honores geminati. Sidonius quoque Apollinaris *lib. 1. ep. 11. seu vlt.* eum Maioriani Imp. epulum, inque eo consessum describit, huius honoris geminati rationem habet. Primus iacebat cornu sinistro Consul ordinarius Seuerinus: Iuxta eum Magnus olim ex Præfecto, nuper ex-Consule par honoribus persona geminatis: Recumbente post se Camillo filio fratris, qui duabus dignitatibus & ipse decursis pariter ornauerat Proconsulatum Patris, Patrui Consulatum. Nunc finge, quod exemplum opponit *hæc lex* in Consulatu: Eiusdem cum Consulatu, etsi inferiores gradus, sunt Patriciatus & Præfectura Prætoriana, vt & Magisteria militum: vnde & culmen & splendor his *h. l.* tribuitur: quam quidem postremam etiam Theodosius in immensum auxit, vt docebit *lex 2. inf. tit. prox.* vbi dicam plenius. Nunc fingamus, eundem & Consulem & Præfectum Prætorio factum: vel eundem Consulem & Magistrum militum (quod hoc sæculo frequens:) vel etiam finge, eundem & Consulem & Patricium factum, quem casum ex *h. l.* figurat Valentinianus *d. Nouella, inter Theodosianas 45.* deque eadem agit Theodosius Iun. *Nouella de Metatis 32.* vbi vide aliud huius vtriusque dignitatis coniunctæ priuilegium, circa Metata. Vterque certe Consulari tantum, etsi tempore priori, ex *hac l.* præfertur: Non quasi militiæ priuilegio id tribuatur, quod V. C. Sauaro credidit in Sidonii *lib. 1. ep. 9. p. 68. edit. Paris. 1609.* Verum hac ratione, *Quia vnus tantum honor non potest duobus aut tribus anteferri.* Tribus, inquam, veluti si quis non tantum Consularis & Præfectorius sit, vel Magister militum, verum etiam Patricius simul: Nam & si quis Consularis & Præfectorius sit prior, tamen si alius Patricii insuper dignitate decoratus sit, etsi tempore posterior, anteriori præfertur: Nam maior plurium huiusmodi eiusdem gradus dignitatum cumulatio semper vincere debet. Hoc excepto, si idem, qui priua Consulari dignitate decoratus fuit, eandem dignitatem Patriciatus adeptus sit: nam etsi in Patriciatus adipiscenda dignitate posterior sit, attamen cum iam geminato pariter honore fruatur, pristinam Consularis sedem repetit, atque adeo priorē Patricio præfertur: *l. 1. in fin. Cod. Iust. de Consulibus.* Finge: Titius ante Mæuium Consul factus est, sed Mæuius postea Patricius quoque factus est ante Titium: vtique si Titius tantum Consul fuisset, Mæuius etsi Titio quoad Consulatum posterior, propter accessionem Patriciatus Titio priori Consuli præferri deberet ex superiori exceptione. Sed si idem Titius, postea quoque Patricius factus fuerit, Mæuio præferetur priori Patricio: Quia in concursu copulatarum huiusmodi dignitatum non posterioris dignitatis, licet prius indeptæ, habenda est ratio, verum primæ omnium summæque, puta Consularis. Vterque in hac quidem specie est Consul & Patricius: sed vnus ex his est antiquior seu tempore prior Consul, alter vero etsi posterior Consul, est antiquior Patricius: sed antiquior Consul, præferri debet. Ac multo magis id dicendum in specie quam Lucius memorat *lib. 4. tit. 6. art. 4.* (& ex eo transcribit Paponius *lib. 6. tit. 2. art. 5.* & Maynard. *lib. 1. c. 73.*) primas videlicet delatas A. 1323. e duobus Consiliariis in magnam Cameram ex Camera Inquisitionum promotis, non ei qui primus in eam, verum ei qui ex-Præside Cameræ Inquisitionum promotus fuerat: cum alter etsi prior promotus, tamen Consiliarius tantum in producta Camera fuisset. Scilicet in memoriam antiqui Præsidatus, & quia tempus fuit, cum hic Principem veluti suum agnouisset: A quo non abludit Vitellii p. 77
dictum apud Tacitum (*19. Annal.*) *Fœdum si de honoris prærogatiua dimicare cum Ducibus audeant, sub quorum signis stipendia fecerant.* Tandem obseruandum est, quæ in tertia exceptione, & hactenus de copulatione dignitatum dicta sunt; de iis tantum dignitatibus, vt indicaui, accipienda esse, quæ sibi proxime cohærent, vt Patriciatus Consulatui, vt Præfecturæ Prætorianæ & vrbicariæ, vel etiam magisterium militum, quæ & ipsa sunt summa dignitatum culmina & fastigia, vt hac eadem lege indicatur, de quibus etiam agetur *Tit. prox.* His adfinia sunt, quæ Pragmatici scribunt, Doctorem Canonum & Theologiæ, præferri simpliei Theologo. Hostiensis & Abbas *cap. 1. de consanguin. & adfin.* Item Comitem & Baronem simplici Comiti, Baldus *in l. 8. D. de excus. tut.* Item Doctorem in vtroque ei qui in altero tantum Doctor est. *Ioann. Andr. & Doct. in c. Clerici de Iudic.* quoniam, vt notat Gloss. *in c. fin. de consuetud. in 6.* antiquior non intelligitur ex ætate, sed ex gradu & dignitate. Decius *consil. 161. num. 1.* Innocentius *in cap. statuimus, de maior. & obed.* Ab hoc tractatu non abludit quod iure Gallico receptum & decretum est: vt si quia Consiliarii officio in Sede Præsidiali decennio functus, mox Aduocatus fisci factus fuerit, collegæ suo

alteri

alteri Aduocato fisci etsi tempore priori, præferatur: vid. Chanutium *tit. 32. des prerogatiues, Rang, & Seance, Ch. 185.*

Quintam & hanc addamus exceptionem. Priorem tempore a posteriore vinci, si actu posterius dignitatem administrauit; etsi ea dignitate inuestitus fuerit: Vt ecce pater Consiliarii dignitatem gerens, in filium transtulit viuus spem dignitatis, *(il l' a fait pourvoir à furuiuance)* idque ita adprobatum a Curia: Patre ad mortis vsque tempus in officio suo perstante, alii ad Consiliarii munus euecti sunt, idque actu administrarunt: Mox mortuo patre filius quem dixi per mortem patris ad munus Consiliarii iam actu administrandum promotus est: Quæri cœpit, an filius illos postea cooptatos, sed qui prius actu administrarunt præcedere deberet, an subsequi? Et vero Curiæ Parisiensis & Tolosanæ placita extant An. 1551. 1560. 1596. in spem dignitatis prius acceptum & cooptatum cedere oportere iis actu prius constitutis etsi posterioribus: vid. Lucium *lib. 4. de ordine sedendi, art. 5.* Chopinum 1. *de sacra politia, c. 8.* Corasium SC. Tolosanum curiæ *centur.* ½ *cap. 12.* Maynardum 1. *Notabil. Quæst. c. 72.* Chanutium *tit. 32. des Prerogatiues, Rang & seance, Ch. 198.* v. & Boerium *de author. Magni Consili, num. 143.* Matthæum de Afflictis *decis. Neapol. cap. 1.* Non igitur Promotionis aut prouisionis tempus spectandum, sed actualis administrationis. Prioritas non a cooptationis tempore, sed a functionis initio est repetenda: Non qui primus promotus, sed qui primus actu administrauit, potior est. Priuilegio temporis non gaudet, nisi ex quo quis actu administrauit; sicut priuilegiis militiæ & dignitatum non fruitur is qui actu non administrat, *l. vlt. D. de excus. tut. l. 17. Cod. Iust. de testam. milit.* v. & quæ dicam similia ad *l. 1. inf. quis in gradu præf.* Et vero in superiori specie hæc ratio est, quia Resignantis persona officium semper repletum fuit, qui & sedem renuit & veram possessionem retinuit, quam resignatarius non adipiscitur, nisi relictam sibi & vacuefactam, aut per mortem aut voluntate resignantis. Item talis receptio facta fuit, non alio fine, quam vt officium in tutum redigeretur. Neque æquum est, vt speratus tantum, quique spem tantum habet, & cuius messis in herba est, præuertat verum & actualem.

DE
PRÆFECTIS PRÆTORIO, SIVE VRBIS ET MAGISTRIS[a] MILITVM.

TITVLVS VII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. IV. Pleniori sententia & integra iam enunciatione ita conceptus hic titulus, *de Præfectis Prætorio, siue Vrbis, & Magistris militum in dignitatibus exæquandis.*

Hoc titulo & sequente continetur SECVNDVS Illustrium gradus, qui quidem quatuor numero sunt. De his omnibus in NOTITIA nostra:

a De MAGISTRIS Militum. vid. Paratitlon, *de re militari.*

I. (a) Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Ampelium (b) P. V.

PRÆFECTVM Vrbi, (c) Præfectum Prætorio, Magistros Equitum ac Peditum indiscretæ ducimus dignitatis; vsque adeo videlicet, vt cum ad priuatam secesserit (d) vitam, eum loco (e) velimus esse potiorem, qui alios promotionis tempore & Codicillorum adeptione præcesserit. . . . (f) circa expressum ordinem ciuitatum (g) illic po-
P. 78. tissimum volumus custodiri, vbi intra Secretaria (h) extraordinariosque conuentus, (i) subest ratio visendi (k) salutandique (l) Iudices. Cæterum in Amplissimo Curiæ (m) nostræ, intimoque (n) consessu, digestas (o) Ordinationibus (p) priscis optineant dignitates. Dat. III. Non. Iul. Nasonaci. Acc. IIII. (q) Non. Septemb. Modesto & Arintheo CONSS. [372.]

NOTAE

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est, ad ea vsque verba *adepti ne præcesserit*, cæteris resectis. Quænam vero Leges aliæ ei iungendæ sint, mox dicemus. Hanc quoque *leg.* intelligit *lex 2. sup. vt dignitatum ordo.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Ampelius* P.V. Fuit hic P.V. anno 371. & 372. quibus tredecim constitutiones ad eum datæ occurrunt: quas vide in *Prosop.* De hoc Ammianus Marcellinus quoque *lib. 28. cap. 1.* in gestis anni superioris 371. *Post hanc gestorum seriem Hymetius ad oppidum ductus Otriculum audiendus ab Ampelio Præfecto vrbi,* &c. Ex *lib. eod. c. 4.* ex professo de eodem agit, vid. plura in *Prosop.* *IDEM.*

(c) Cur Præfectum vrbi primum nominat? Dicam mox. *IDEM.*

(d) *Secesserint.* Cod. Iust. *IDEM.*

(e) Recte. Male Cod. Iust. *locum.* *IDEM.*

(f) In MS. tres vel quatuor literæ hic erosæ: Quare legam, *Quocirca expressum ordinem Dignitatum:* &c. Ita inquam replendus restituendusque hic locus est: quod monuit iam quoque Fornerius, *3. Quotid. 10.* Sequentia porro resecta & reiecta a Tribon. absunt a Cod. Iust. *IDEM.*

(g) *vg. Dignitatum,* vt modo dixi. *IDEM.*

(h) De *Secretariis* dixi ad *l. 1. sup. de off. Rectoris prouinc.* *IDEM.*

(i) De his *Extraordinariis Conuentibus*, ad *tit. de Legatis infra.* *IDEM.*

(k) De visione Iudicum ad *l. 1. sup. de off. Rectoris prou.* & in *Gloss. Theod.* *IDEM.*

(l) De salutatione Iudicum ad *l. 5. inf. de proximis:* & in *Gloss. Theod.* *IDEM.*

(m) *Curia,* pro Senatu: de eo iam sup. Paratitl. *tit. de Senatorib.* & *tit. de Prætorib.* & in *Gloss. Theod.* *IDEM.*

(n) Sic Marcellinus *lib. 15. cap 5.* *consistorium intimum solus ingressus.* *IDEM.*

(o) *Digestas,* id est, præscriptas, constitutas: nisi malis *digesta.* *IDEM.*

(p) *Ordinationes,* sunt constitutiones de Ordine Dignitatum, τάξεις, τακτικὰ, διατυπώσεις, ἐκθέσεις; cuiusmodi etiam plures extant ordinationes priscæ Patriarchatuum, Metropolitanorum, Autocephalorum, Archiepiscoporum & Episcoporum: quas in vnum seruato temporum ordine colligi pretium operæ foret. *IDEM.*

(q) III. in *l. 1. inf. de Quæstoribus,* & *l. vn. inf. de Magistris scriniorum:* in cæteris, vt hic. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris hæc lex est, quæ pars prolixioris Valentinianeæ constitutionis & Noticiæ de Ordine Dignitatum, seu Ordinationis (vt *hic* vocatur) ad Ampelium P. V. emissæ, cuius constitutionis meminit duodecim annis post, filius eius Valentinianus iun. *l. vlt. sup. vt dignitatum ordo seruetur:* Vnde desumptæ sunt quatuor insuper aliæ Leges: puta *lex 1. inf. de Quæstoribus: lex vn. inf. de Magistris Scriniorum: lex 1. de comitib. rei militaris: lex 4. de honorariis codicillis:* quæ proinde huic omnes coassandæ veniunt: Imo, & si bene iudico, *lex 5. Cod. Iust. de offic. Rectoris prouinciæ,* emendata videlicet eius potissimum subscriptione. Ea videlicet constitutione, Valentinianus Sen. quod disertis verbis ait filius eius, *d. l. 2. vt dignit. ordo, singulis quibusque dignitatibus certum locum meritumque præscripserat:* Quæ quidem emissa est ad Ampelium P. V. qui hoc Anno 372. & superiore P. V. Romæ fuit, vt ostendimus iam *in Notis:* cuius etiam meminit Ammianus Marcellinus, *lib. 28. c. 4.* in gestis Anni superioris 371. de quo forte etiam accipiendus Symmachus, *lib. 5. ep. 52. & 64.* Ea vero constitutio summopere notanda est; vtpote ex qua discimus, Notitiam & Seriem Dignitatum, cuiusmodi ea fuit hoc tempore sub Valentiniano Sen. Neque enim vnus idemque semper ordo fuit: Quare per singulos ferme Imperatores, vt cætera, ita & Dignitatum Notitia peruestiganda est: Nos de hac Valentiniani Sen. Notitia videamus, cum Principi etiam *Illustrium titulum accepto fero* & forte *hac ipsa constitutione:* de quo ad *l. 15. sup. de Prætoribus.* Nobis eam *hic* totam, quantum fieri potest, coassatis eius fragmentis, subiicere visum.

Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Ampelium P. V. *

* Romæ.

* * * * * * * * *

L. 1. de Præfectis Prætorio.

PRæfectum vrbi, Præfectum Prætorio, Magistros Equitum ac Peditum, indiscretæ ducimus dignitatis: vsque adeo videlicet, vt cum ad priuatam secesserint vitam, eum loco velimus esse potiorem, qui alios promotionis tempore & codicillorum adeptione præcesserit...... circa expressum ordinem dignitatum illic potissimum volumus custodiri, vbi intra Secretaria, extraordinariosque conuentus subest ratio visendi salutandique Iudices. Cæterum in Amplissimo Curiæ nostræ intimoque consessu digestas ordinationibus priscis optineant dignitates.

* * * * * * * *

L. 1. de Quæstorib. &c.

EOrum honores qui sacrario nostro explorata sedulitate obediunt, hac volumus obseruatione distingui; vt Quæstor atque officiorum Magister, nec non duo largitionum Comites Proconsularibus honoribus præferantur.

L. 1. de

* * * * * * * * *

L. 1. de Comitib. rei mil. & l. 4. de honor. codicillis.

QVi contemplatione meritorum, ducto intra prouincias Transmarinas strenuissimo milite prioris ordinis Comitiuam fuerint consecuti, *vel* honorarios Magisterii Equitum adepti sunt codicillos: ea reuerentia Altissimarum dignitatum viris subiungantur, vt iis locum præstent, qui Proconsulatus insignibus adornantur.

* * * *

L. vn. de Magistris scriniorum.

MAgistros scriniorum nostrorum præferri volumus Vicariarum potestati.

* * * * *

Dat. III. Non. Iul. Nasonaci Acc. III. Non. Sept. Modesto & Arintheo Conss.

DE hoc capite nostro nunc videamus: Eo scilicet tres Illvstres Dignitates æquiparantur, seu *coniunguntur*, quæ propria hac in re vox est: *l. 6. inf. de honor. codicillis*, vel, vt hæc lex ait, indiscretæ dignitatis ducuntur. Tres, inquam, puta Præfectus Prætorio, Præfectus Vrbi, & Magistri militum. Tres nempe hi, neque plures adhuc hoc tempore sub Valentiniano *Illustres* peculiari titulo fuere: Additi quippe postea demum a Theodosio M. his tribus, alii, de quibus *Titulo 9.* Illustribus vero, *Magistri* quoque *militum*, hic additi, sociati, a Valentiniano Sen. quorum sub Constantio nondum is honos erat. Testis Ammianus Marcellinus, *lib. 21. cap. 16.* Posteaquam enim dixit, Constantium nunquam erexisse cornua militaria, ad eius rei probationem subiungit: *Nec sub eo*, inquit, *Dux quisquam cum Clarissimatu prouectus est: erant enim, vt nos quoque meminimus, Perfectissimi: nec occurrebat Magistro Equitum prouincia Rector, nec contingi ab eo ciuile negotium permittebat: Sed cuncta Castrenses & Ordinaria potestates vt honorum omnium apicem prisca reuerentia more Præfectos semper suspexere Prætorio.* Quod quidem Marcellinus ideo notauit, quod & sub Valentiniano Sen. primum, & quo ipse tempore scribebat, sub Theodosio M. Magistrorum militum potestas seu dignitas culmenque in maius aucta fuerat, vt præter hanc *leg.* docet, *lex 2. prox.* & *lex 1. sup. de Consulibus*: Quanquam, quod cursum publicum adhuc attinet, euectionum faciendarum ius iis & ipse denegauit, *l. 43. inf. de cursu publ.* Vter vero prælatus, Magister inquam Equitum, an Peditum? de eo disquiro ad *l. 4. inf. de honor. codicillis.*

Ergo Valentinianus Sen. hos tres Illustres indiscretæ dignitatis duxit: sub *Ampliatione* quadam primum, & dein retro sub certa *Limitatione*.

Ampliatio hæc est, vsque adeo hanc æqualitatem seu *ἰσονομίαν* obtinere debere, vt etiam cum ad priuatam vitam secesserint, seu concesserint, id est, *Honorati* iam (de quibus ad *l. vn. sup. de offic. Iudic. ciuilium*) ex Præfectis *ἐξ ὑπάρχων*, quomodo Chrysostomus quoque *homil. 16. ad pop. Ant. p. 181. T. I. edit. Francf.* iam & ex Magistris militum, is *loco potior esse* debeat, *qui alios promotionis tempore & Codicillorum adeptione præcesserit.* Quod & ipsum cauetur a Theodosio M. *l. 2. prox.* Qua parte duæ Regulæ in materia *Præcedentiæ* indicantur: Prior, inter pares dignitate personas, eum qui prior sit tempore promotionis, gradu quoque seu ordine potiorem esse: de qua iam ad *tit. superiorem:* Altera, eandem esse constantis & finitæ dignitatis rationem: id est, quæ regula seu ordo inter pares dignitate personas, dum in dignitate constitutæ sunt, obtinet, eundem & obseruari oportet inter Honoratos iam dignitate deposita, vt videlicet & hic prioritas temporis spectetur. Et hæc quidem de Ampliatione.

Limitationem vero hanc addit Valentinianus, nempe tribus illis Illustribus Dignitatibus defunctos, seu Honoratos iam, tum demum velut æquales, de tempore inter se certare, vbi videlicet ad Secretaria Iudicum, seu Rectorum prouinciarum, ordinariosque conuentus ventum est, deque salutando Rectore prouinciæ agitur: Non vero in Amplissimo Curiæ seu Senatus intimoque consessu: ibi quippe comprehensum priscis ordinationibus, seu constitutionibus super ordine Dignitatum, ordinem obseruandum. Quam quidem Limitationem, & sic Distinctionem, sustulit Tribonianus, cum ea parte hanc *leg.* interpolatam mutilamque referret in *l. 2. Cod. Iust. eod. tit. de Præfectis prætorio.* Nos de ea videamus.

Prænoscenda vero nonnulla, quæ etiam *hac l.* indicantur. Primo Honoratos, id est, eos qui dignitatibus perfuncti erant, in *Secretaria Iudicum* seu Rectorum prouinciarum ingrediendi, cumque his sedendi ius habuisse: de quo ad *l. vn. sup. de officio Iudicum ciuil.* & *ad l. 5. 7. inf. de proximis*, vt & *extraordinarios conuentus*, qui in prouinciis, vel ciuitatibus habebantur: de quo præter hanc *leg.* Sidonius Apoll. *lib. 1. ep. 3. in fine. Nouella* Valentin. *de postulando. inter Theodosianas 34.* De quibus *infr.* plene *tit. de legatis.* Item ius habuisse, *Senatum*, aliosue Cœtus, seu Conuentus frequentandi, ibique considendi, *h. l.* & *l. vn. inf. de Comitibus ordinis primi:* de quo pariter ad *d. l. vn.*

Secundo prænoscendum, vt alibi, ita & in *salutandis* quoque & visendis, videndisque intra secretaria Iudicibus, seu Rectoribus prouinciarum, certum dignitatum ordinem seruatum: de quibus Iudicum visionibus intra secretaria, & considendi cum *his* iure, dixi *ad leg. vn. sup. de off. Iud. ciuil.* De Salutationibus, præter *hanc l.* agitur & *l. vn. inf. de præpos. S. Cubiculi: l. vn. inf. de Comitibus vacantibus: l. 4. inf. de domesticis & protector. l. 5. inf. de proximis: l. vlt. Cod. Iust. de off. diu. Iudicum.* Hæ inquam leges de his Iudicum salutationibus occurrunt (nam de salutatione Principis alibi, & apud Valentinianum quoque *d. Nouella* inter Theodosianas *de postulando 34.*) De quibus, dicam ad *d. l. 4. de domesticis:* & nominatim de iure *osculandi*, in his salutationibus. Hic interim notandum, *visendi* vocem, seu *visionis*, pro salutatione *παραλλήλως* poni pro eodem: ita passim Historiæ Augustæ scriptores, & Am. Marcellinus: ad quos Salmasius *in P. 80. Adrian. c. 3.* & Valesius.

Nunc de ipsamet illa limitatione seu distinctione & differentia: Ex qua ipsa claret, quod in Præcedentiæ materia quoque notandum est, pro diuersitate locorum, actuumque, alium atque alium sæpe ordinem seruari: locique adeo ratione quem sæpe vno loco τὰ πρωτεῖα seu Primas & Præcedentiam

ferre,

ferre, qui alii postsedeat. Differentia igitur hæc est inter actus qui in prouincia exercentur, in secretariis salutaodisue Iudicibus, extraordinariisque & prouincialium cœtibus: & inter actus Senatorios in Senatu Vrbis Romæ. Nempe priore casu illud obseruandum, vt e tribus illis Illustribus, Præfectis Prætorio, Præfectis Vrbi, Magistris militum, is, deposito Magistratu, præferatur, qui prius promotus est: id, inquam, incunctanter inter hos obseruandum, & sic hæc super eo Valentiniani constitutio locum habere debet: Posteriore vero casu standum veteribus ordinatiooibus: Vbi Valentinianus non explicat, quidnam illis digestum seu comprehensum fuerit: Ego non dubito, Præfectorios Vrbis & Prætorio, velut ciuiles Magistratus, in Senatu prælatos Magistris militum (qui ciuilium partium non erant.) etiam tempore prioribus. De Præfecto vrbis iam aliquid dicere cœpi ad *l. vn. tit. sup. de Consulib.* de eo nunc vberius. Hic igitur (exceptis Consulibus *d. l. vn.*) proculdubio in Senatu Primus sedebat: vtpote qui Senatus Præsul esset (de quo iam sæpe alibi:) Imo & supra Consulares postea: Quod expresse etiam testatur Cassiodorus, in formula Præfecturæ vrbanæ, *VI. Var. 4. supra omnes*, inquit, *scilicet Consulares, sententiam primum dicis.* Et Iustinianus pariter *Nouella 62. de ordine Senatorum*, quæ est apud *Iulianum 59.* vbi iubet Vrbicariam Præfecturam omnibus aliis in Senatu præsidere dignitatibus, ante Patricios etiam & Consules. Et tamen hac parte Theodosio M. postea contraria sententia stetisse videtur, sublata hac distinctione respectu Magistrorum militum, *leg. 2. prox. inf.*

Illud vnum *hac leg.* superest, vt maxime hæc *ἰσονομία* constituatur inter Illustres illas Dignitates ac nominatim inter Præfectum vrbi, & Præfectum Prætorio: (qua causa etiam Symmachus Præfectus Vrbi *lib. 10. ep. 23.* Prætextatum PP. consortem suum vocat) attamen Præfectum vrbi primo loco nominari ante Præfectos Prætorio: pariter vt in inscriptione *l. 1. inf. de decurionib. & silent.* Aliter atque postea sub Theodosio Iun. ab huius Codicis conditoribus in ipsa *huius tituli* Rubrica, & in Notitia Imperii, & deinceps apud Cassiodorum.

II. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEODOSIVS AAA. Restituto (b) PV. (c)

QVISQVIS Magisterium (d) Equitum Peditumque susceperit, & gesserit ante captam (e) a quoquam Præfecturam, is (f) cum priuatus erit, honoremue deposuerit, ex-Præfectis, qui post (g) prouecti fuerint, præferatur. Sit igitur sedis (h) prior ante prouectis locus conspectior, decernendi (i) loquendique facultas antiquior, cui est splendor (k) adepti Magistratus vetustior, & cetera. Dat. VIII. Kal. Iul. (l) Thessal. (m) Gratiano V. & Theod. I. AA. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* Iungendaque huic, *lex 2. inf. de Quæstorib. Magistris officiorum*, &c. quæ etiam huic argumento respondet. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Restuto* in MS. & Cuiacii edit. anteriorib male. *IDEM.*

(c) Constantinop. cui *Restituto P. V.* inscribitur hoc ipso anno mense prox. *lex 8. inf. de annonis ciuicis.* *IDEM.*

(d) Vid *d. l. 2. inf. de Quæstoribus.* *IDEM.*

(e) Forte, *captam.* *IDEM.*

(f) Abundat hæc vox, neque in MS. comparet. *IDEM.*

(g) Abest hæc vox perperam a Cod. Iust. *IDEM.*

(h) *Sedis*, pro *sedes*, vt recte in Cod. Iust. *IDEM.*

(i) *Decernere* est sententiam proferre, promere. vid. *Gloss. Theod.* *IDEM.*

(k) Sic & attonito splendore in *d. l. 2. inf. de Quæstorib.* & alia in *Gl. Th.* *IDEM.*

(l) *Iun.* in *d. l. 2. de Quæstorib.* *IDEM.*

(m) De hac Theodosii mora hoc anno Thessalonicæ. vid. *Chronicon nostrum.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc lex est, quæ pars est Theodosianæ constitutionis, seu Notitiæ, de Ordine dignitatum seu Ordinationis; cuius pars etiam est *lex 2. inf. de Quæstoribus*, quæ proinde huic coassanda venit. His vero duabus Legibus Theodosius Præfectoriis Viris, id est, Præfectura functis Prætoriana exæquat ex-Magistris Militum *h. l.* Quæstores, Magistros Officiorum, Comites S. L. & Comites R. P. *d. l. 2.* Et ita quidem *hac l.* ex-Magistris, id est, Magisteria militum defunctos exæquat ex-Præfectis (quod alioquin etiam Valentinianus Sen. ex parte fecerat, *l. 1. sup.*) vt in totum exæquet; non tantum scilicet in prouinciis intra Secretaria extraordinariosque Conuentus, vt *illa l. 1.* verum indistincte penitus, etiam in Senatu vrbis, cuius Præfecto Restituto hæc Constitutio inscribitur. Error enim est Cuiacii scribentis, idem omnino *hac l.* ostendi, quod superiore. Imo Theodosius *hac l.* vlterius assurgit, distinctioneque omni sublata, ex-Magistris prius prouectis priorem sedem, conspectiorem locum, decernendi loquendique facultatem antiquiorem, præ ex-Præfectis, qui post prouecti fuerint, tribuit. Quod vt eius verba clare ostendunt, imo & argumentum totius constitutionis Theodosianæ: qua Præfectis Prætorio alios etiam vt dixi, exæquat: ita & peculiare eius in Magistros militum studium satis euincit. Erectum enim non parum sub hoc Principe, & ab eo fastigium Magistrorum militum: quod in eo notare visus est Ammianus Marcellinus eo loco quem ad *l. super.* retuli. Vnde & *Culmen militare* ab eo vocatur, biennio post hanc legem, *l. vn. sup. de Consulibus:* vt & *Pompa*, *Magistri Equitum & Peditum* quadriennio post: *l. 44. inf. de cursu publico.* Itemque splendor: *h. l.* Certe ab eodem Theodosio auctus quoque Magistrorum militum numerus, quod Zosimus in huius ipsius anni 380. gestis refert *lib. 4. cap. 27.* Atque hæc ideo, quia Militarium partium Viri hoc tempore ei

valde

valde necessarii fuere, vtpote turbato non parum Orientis statu, a Barbaris, Gothis, Alanis, Hunnis: de quibus etiam superioris anni 379. fine victoriam reportauit (de quo *in Chronico*) in proximo Thessalonicæ, quo se mox recepit, vbi & data ab eo hæc *lex*.

In *hac* interim *leg.* hæc tria notanda: *Sedes prior, locus conspectior, Decernendi loquendique facultas antiquior.* In his scilicet tribus Præcedentia ferme consistit, in sedis prioritate seu *προκαθεδρία*, in loco conspectiore, & in decernendi seu sententiam promendi, loquendique *prærogatiua*: quæ vox hic propria; In loco, inquam, conspectiore, veluti in incedendo, procedendo, salutando, standoue. De quo vide & *l. vn. inf. tit. prox.* Et hactenus quidem quoad honores, quibus Theodosius, Magistros Militum Præfectis Prætorio exæquauit: quomodo & eos exæquauit in sp. *l. 44. inf. de cursu publ.* & *l. 3. inf. de metatis.* Non vero quoad vim potestatis. Ita quadriennio post hanc legem, *l. 43. inf. de cursu publico*, euectionum faciendarum ius Magistris militum denegauit, non sine præfatione tamen, & exhortatione, quæ ostendit ipsa, quantum his alioquio tribuerit. Sane hoc ipso anno Theodosius Illustribus Præfectis Prætorio vsque ad 50. librarum auri multam, peruenire concessit: *l. 4. Cod. Iust. de modo multarum*, quæ non improbabiliter & ipsa huic *legi* coniungenda videatur, emendata subscriptione, si vltra coniectare licet. hoc illicio honoris videatur Theodosius M. Magistrorum militum, qui etiam ferme ex Barbaris erant, fidem eorum virtutemque obstrinxisse, de quo ad *d. l. 43. 44. de cursu publ.* Contra, videatur Theodosius M. Præfectorum Prætorio dignitatem & potestatem in gyrum quendam reduxisse, vt *hac l.* ita & *d. l. 44*

DE PRÆPOSITIS SACRI CVBICVLI.

TITVLVS VIII.

Lib. XII. Cod. Ivst. Tit. V. *De Præpositis Sacri Cubiculi & de omnibus Cubiculariis & priuilegiis eorum.* De Cubiculariis vid. *l. vlt. inf. de petitionib.*

(a) Impp. Honorius & Theodosivs AA. Florentio P. V. (b)

QVI (c) Sacri Cubiculi nostri fuere Præpositi, vel nunc esse cœperunt, vel quos postea sors ad ascendendi huius gradum fastigii deuocarit, ea dignitate fungantur, qua sunt præditi, qui Eminentissimam Prætorianam & (d) Vrbanam meruerint Præfecturam, aut certe Militarem Magisteriam potestatem, ita vt sit inter eos post depositas administrationes nulla discretio, siue nostræ Serenitatis adoraturi admittuntur Imperium, siue pro suo arbitrio sollemnes festiuitates, & Cœtus vel Salutationes, vel quælibet alia Officia (e) frequentent; vt in sedibus & consessu (f) is eis ordo seruetur, quem ordo prouectionis ostenderit, sub habitu ipsis videlicet consueto; cum manifeste decretum sit, eum esse, qui præcesserit, potiorem, (g) vel illum subsequi, quem recentius probauerit examen. Sed (h) vt nos ad hanc promulgationem *Macrobi* Viri Inl. merita prouocarunt, ita obseruationem quoque Legis ab eius volumus sumere prouectionis (i) auspicium, vt qui ante ipsum fuerunt, sub hac condicione præstituto honore lætentur, vt non suæ promotionis tempora ad Legis vsurpationem reuoluant, (k) nec præferri se postulent hii (l) qui Prætorianam vel Vrbanam Præfecturam vel Militare Magisterium post eorum prouectionem sortiti sunt, sed perinde habeantur ac si nunc cœperint & in eodem ordine permanentes, in quo nunc eos liberalitas nostra constituit prouectionis Viri Inlustris Macrobii tempora metiant, (m) vt ex huius administrationis exordio prout quisque prouectus est vel fuerit prouehendus, suæ locum vindicet dignitatis. Dat. VIII. Id. Nouemb. Constantinop. Honorio XIII. & Theodosio X. AA. Conss. [422.]

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata est: resecta posteriore parte quæ ab his verbis incipit, *Sed vt nos*, vtpote quæ ad horum temporum rationem pertinet GOTHOFREDVS.

(b) *Florentius* P. V. Constantinopol. sub Theodosio Iun. Hic idem postea PP. fuit: vid. *Prosopogr.* IDEM

(c) *Sacri cubiculi præpositi ea dignitate fungantur*, &c. Ita Tribonianus, resectis & hac parte, quæ ad horum temporum rationem pertinent. *IDEM.*

(d) In MS. comparet litera, *l.* ideo reponendum hic; *vel.* *IDEM.*

(e) *Officia*, de his *l. 7. & l. vlt. inf. de bon. Cod. & l. 1. de exp. lud. v. Gloss. Theod.* *IDEM.*

(f) An reponendum, *processu*, ne idem bis dicatur; sed & in salutationibus & aliis officiis de processu agitur, non de consessu? Nil temere muto. *IDEM.*

(g) *Vel*, pro *&*: Cuius exempla alibi noto. *IDEM.*

(h) Cætera, vt dixi absunt a Cod. Iust. *IDEM.*

(i) *γρ. Prouectione.* *IDEM.*

(k) *Reuoluere*, est retrotrahere. *IDEM.*

(l) Ita MS. diserte: at recte Cuiacius *biis.* *IDEM.*

(m) *γρ. Metiantur.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

PRÆPOSITVS SACRI CVBICVLI, de quo præterea agitur *l. 17. de pœnis: l. vn. qui a præb. tyr. l. 9. de indulg. debitor. l. 16. de Metatis*, tribus superioribus dignitatibus (id est, Præfectis Vrbi, Præfectis Prætorio, Magistris Militum) hac Theodosii Iun. constitutione An. D. 422. compar adiungitur: sic vt secundum ordinem promotionis inter hos prælatio sit. Atque adeo inter hos Præpositus S. Cubiculi temporis prærogatiua quoque vtatur: qui iam ante primatum quidem Dignitatum numero erat, sed post Comites Consistorianos, vt docet *lex 3. inf. de Metatis*, vbi dicitur *inter primas positus dignitates*; sed post Præfectos Vrbi, & Prætorio, & Magistros Equitum, & Comites Consistorianos, id est, Comites S. L. & R. P. Quæstorem, & Magistrum officiorum, de quibus *tit. seq.* Atque ita nondum tribus illis tum exæquatus. Verum hac Theodosii Iun. constitutione, & Consistorianis Comitibus prælatus, & tribus prioribus exæquatus fuit. Hinc ideo titulus hic sequentem anteuertit. Hinc interim cum Præpositi S. Cubiculi postponantur Comitibus Consistorianis, *l. 3. inf. de Metatis*, quæ lex est Theodosii M. imo nominatim Comiti S. L. in eiusdem Theodosii Iun. *l. 9. inf. de indulg. debitor.* ante octennium A. D. 414. postea præponuntur, & tribus prioribus compares adiunguntur *l. vlt. d. t. de metatis*, quæ est huius ipsius Theodosii Iun. Hinc & titulus hic *de præpositis sacri Cubiculi*, præmittitur titulo *de Quæstorib.* quomodo & in *Notitia Imperii c. 60. fol. 40.* quæ mox scripta sub Theodosio Iun. A. D. 417. *Præpositus S. Cubiculi*, illis præmittitur. Hinc interim diuersi (& quidem tres) Illustrium (qui tandem constituti sunt) gradus notandi sunt. *Primus*, quo continentur *Consules & Patricii*, cum quibus alii Illustres non concurrunt: Quinimo promotionis tempore licet posteriores, cæteros vincunt, de quibus actum fuit *Tit. 6.* *Secundus* gradus Illustrium est, quo continetur Quadriga quædam Illustrium, inter quos promotionis ordo seu temporis prioritas locum obtinet: Ii sunt *Præfecti Prætorio*, *Præfecti vrbi*, *Magistri militum*, & *Præpositi S. Cubiculi*; de quibus *superiore*, & *hoc Titulo.* Similem scilicet hi quatuor dignitatem habent, vt Interpres *Iuliani* recte notauit. *Tertius* ordo est, alterius Quadrigæ, puta quo continentur *Quæstores*, *Magistri Officiorum*, *Comites S. Largitionum*, *Comites rerum priuatarum*, de quibus agitur *Tit. prox.* & quidem *l. 2. illius tit.* Qui quidem quatuor pariter, etsi Illustrium numero non minus quam superiores quatuor facti sint, proprium tamen quendam gradum obtinent, neque priuilegio temporis superioribus præferuntur, sed inter se tantum promotionis tempore certant.

Nunc de Præposito S. cubiculi. De eius officio seu munere, monere pluribus nihil attinet: res est vel ipso nomine nota, de quo etiam nonnulla ad *l. vnic. inf. qui a præbit. tyron.* Vnum tantum præterea de eo notandum, ad eum spectasse titulos ad Domum sacram pertinentes, seu diuinæ domus: vt docet *lex 9. de indulg. debitor.* Quod & ipsum testatur *Notitia Imperii Orient. fol. 40.* vbi dicitur, *sub dispositione V. Ill. Præpositi S. Cubiculi domus diuinæ per Cappadociam*; scilicet *sunt*: neque enim ibi infarcienda vox, *Comes*, quod Pancirolus voluit. Idque etiam confirmat *lex vlt. Cod. Iust. vbi causa fiscal.* quæ est eiusdem Theodosii Iun. vbi a Tyronum & equorum præstatione immunitas his Præfectis tribuitur. Neque minus iam notum, huiusmodi Præpositos *Eunuchos* fuisse, vt constat exemplo Eusebii teste Athanasio *ad solitariam vitam agentes, vbi de Liberio agit*: Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 11. & lib. 15. cap. 3. lib. 16. c. 8. lib. 20. c. 2. lib. 22. cap. 4.* eiusdem meminit: Item exemplo Eutherii, cuius meminit idem Ammianus Marcellinus *lib. 16. cap. 7.* Et Calligoni sub Valentiniano Iun. cuius meminit Ambrosius: *ep. 20. pag. 859. edit. Benedict.* Denique Eutropii, de quo dicam ad *l. 17. inf. de pœnis*: vide & quæ dicam ad *l. 8. inf. de Agentib. in reb.* Præpositorum vero S. cubiculi dignitatem *h. l.* Theodosius Iunior euexisse se testatur, (vt iurisdictionem eius eundem euexisse docebo ad *l. 2. inf. de palatinis* S. L.) meritis *Macrobii* Præpositi S. cubiculi adductum. Qui quidem *Macrobius* procul dubio est Saturnalium Scriptor ille; qui integro nomine dicitur *Aurelius Ambrosius Theodosius Macrobius.* Proprium scilicet cuiusque nomen per hæc tempora id erat, quod postremum collocabatur, quo vno videlicet cum pluribus abstinere placeret, vnusquisque designabatur: Quale est Macrobii nomen, quo is *hac l.* designatur. Nam quod Auianus *in epistola* quam Fabulis suis præfixit, & Boetius, *Theodosium* vocant, pro arbitrio suo id fecere, neque adeo proprium est, vt *huius leg.* auctoritate docemur. Porro hunc Macrobium eundem eum Saturnalium scriptore esse, & temporum ratio euincit, & titulus *Illustris*, qui ei pariter librorum suorum initio tribuitur. Et ita hac parte cum Scaligero, Pontano, Vossio, sentio.

Ad rem. Post Theodosium Præpositus S. cubiculi sub Marciano Imp. postpositus Comiti S. L. & R. P. vt videre est in subscriptione *Nouellæ Marciani 2. de indulg. reliquorum.* Et ita tamen quoque *Cod. Iust.* titulus *de Præpositis S. Cubiculi*, præponitur titulo *de Quæstoribus*, *Magistris officiorum & de Comitibus S. L. & R. P.* Nunc de tribus *hac l.* videndum est. Primum de Temporibus, & occasionibus, quibus de Præcedentia agitari solet, ordoque Dignitatum obseruandus venit, quæ hic memorantur.

Primum quidem in Principe *adorando*, seu salutando: Certo quippe ordine per Admissionales, Salutatores ad Principem adorandum admittebantur, dignitatis cuiusque & prærogatiuæ ratione habita: de quibus Admissionalibus *alibi.* Age vero, de hac Principis *adoratione* hic semel agamus. *Adoratio* Principum nil aliud erat, quam salutatio Principis genu flexo: Adorari scilicet ita etiam Prin- P. 83.
cipes Christiani sese in salutatione passi sunt, extero ritu & Regio more: quod certe in statuis Impp. dedicandis ambitiosum adorationis fastigium vocatur

tur *l. vn. inf. de Imaginib. Imperialib.* Orto initio a Diocletiano Imp. qui primus post Caligulam & Domitianum adorari se passus est, teste Aurelio Victore Schotti *c. 39.* & Eutropio, *lib. 9. cap. 16.* sed & Ammiano Marcellino *lib. 15. cap. 5. Diocletianus* (nam ita suppleodum) *omnium primus extero ritu & Regio more instituit adorari, cum semper antea ad similitudinem Iudicum salutatos Principes legerimus:* vid. & Cassiodorum *Chronico*, Ioroandem, Zonaram. Quaoquam etiam exemplo præiuerat Heliogabalus, quod abolitum mox ab Alexaodro Seuero, teste Lampridio *in eius vita cap. 18.* De Zenobia quoque narrat Pollio *c. 30.* adoratam eam more Regum Persarum: Quo certe tempore Imperatores Romanos adoratos persuadere mihi non possum, quod tamen ad eum locum putabat Vir clarus. Et hæc de Adorationis Origine, & exemplo.

Nunc ritus sequitur. Adoraturus scilicet seu salutaturus io genua ante Principis pedes procumbebat. Eunapius *in Vita Ædesii pag. 47. edit. Commelin.* de Ablauio sub Constantio Præfecto Prætorio agens, προσεκύνησάν γε αὐτὸν ὥσπερ νομίζουσι Ρωμαῖοι βασιλέα προσκυνεῖν, *in genua procumbentes, qui mos apud Romanos inoleuit in salutando Imperatore.* Ammianus Marcellinus ante superiora verba immediate sub Constantio pariter, de Vrsicino agens, *lib. 15. cap. 5. Per admissionum Magistrum, qui mos est honoratior, accito eodem, ingresso Consistorium, offertur purpura, multo quam antea placidius: atque ita ante Principis pedes supplicem statuerunt.* Et *eod. cap. susceptus tamen idem Dux leniter, adactusque inclinante negotio ipso ceruices, adorare solemniter anhelantem celsius purpuram.* Vbi *anhelans*, vt existimo, *celsius purpuram* dicitur, quæ sublata celsius aohelare videbatur. Vel potius *anhelantem celsius purpuram*, id est Siluaoum, qui purpuram & fastigium Imperatorium anhelabat: (a) γονυκλινῶς igitur & inclinata ceruice ἠσπάσαντο, vt loquitur de hac re Auctor vitæ Constantini *lib. 4. cap. 57.* Mitto alia recentioris vetustatis: Hinc igitur formulæ illæ in constitutionibus: Adorare Imperium *h. l.* adorare Principem, *l. vn. inf. de Comitibus & Tribunis schol.* adorare Æternitatem Principis: *l. 3. inf. de fabricensibus:* seu Serenitatem, *l. 1. inf. de Decurionib. & silentiar.* Et hæc a parte salutantis tantum. In adoratione vero, seu salutatione purpura Principis oblata, seu vestis lacinia, vt vel ex superiore Marcellini loco liquet, & altero, *lib. 21. cap. 9. in fin.* vbi Iulianus, *Maiestatis insigne non vt Consiliario tibi, sed vt desinas pauere,* PORREXI. Hinc & Gregorius Nazianzenus dixit, τὴν δεξιὰν βασιλέως προσκυνεῖν. Quæ quidem Procopii temporibus a duobus elata vel sublata ad eam cootingendam. v. eum *lib. 2. de bello Vandal. cap. 9.* Hinc adeo formulæ hæ: Purpuram adorare *l. 7. inf. de re militari: l. 70. de Decurionib. l. 4. 8. 9. inf. de diu. offic. l. 3. inf. de domesticis*, & apud Marcellinum *lib. 21. cap. 9.* & *l. 2. Cod. Iust. de priuil. scholar.* purpuram attingere, *l. 16. de diu. off.* purpuram contingere, *l. 4. de domesticis:* denique muricem adorare, *d. l. 16. de diu. offic.* Oblatam igitur sibi purpuram, vt ad salutantes redeam, γονυκλινῶς attingebant, contingebant manibus (quo proculdubio pertinet Chrysostomi locus, *Orat. ad popul. Antioch. XI. in fin. pag. 136. Tom. I. edit. Francof.* πορφυρίδα τις βασιλικὴν οὐκ ἂν ἀνάσχοιτο χερσὶ δέξασθαι μεμιασμέναις,) *Nemo purpuram regalem manibus accipere inquinatis auderet*, eamque ori admouebant; Ammiani Marcellini duo loca vt dixi, præter illum *lib. 15. cap. 5.* alter *lib. 21. cap. 9. Verum cum primitus visus adoranda purpura datam sibi copiam aduertisset, recreatus tandem suique securus,* &c. Themistius quoque *Orat. 4. in Constantium duobus locis pag. 52. edit. Harduin.* ἢ εἰ τῆς χλαμύδος αὐτοῦ καὶ τῶν ποδῶν προὐκαλινδεῖτο, *quam si sese ante illius vestes ac pedes proiiceres.* Item *pag. 53.* τῶν ἐπὶ τὴν ἁλουργίδα αὐτοῦ πετομένων, *qui ad illius purpuram aduolarunt.* Multa vero eius mentio in *Notitia Imperii*, quæ scripta sub Theodosio Iun. & Valentiniano Tertio, A. D. 427. & quidem in *Notitia Imperii Orientalis;* vbi memorantur passim inter Spectabilium Magistratuum Officiales, *Principes officii*, quibus *ex officio exeuntibus* id priuilegii datum exprimitur, *vt adorata Clementia Principali cum insignibus exirent, vel, completa militia adorarent inter Protectores*, de quo mox. *Vid. fol. 70. 71. 76. 78. seqq.* De quibusdam sane videbimus, quibus id priuilegii datum: *l. vn. de Comitib. & Tribun. scholar. l. 3. & 4. in fin. de domesticis: l. 13. de numerariis: l. 4. 8. 9. 16. de diu. offic. l. 3. de fabricensibus.* vid. & Marcellinum *lib. 22. cap. 9.* vbi de Thalassio ex-Proximo libellorum. Ordo porro, vt dixi in hac adoratione seruatus, Dignitatumque ratio habita, vt vel hæc lex ostendit. Hinc Primicerii fabricarum inter Protectores Principum adorare dicuntur, *l. 3. inf. de fabricensib.* Et in *Notitia Imperii*, vt modo dixi, Principes officiorum exeuntes inter Protectores nominatim adorare dicuntur, vbi male editum alicubi, *adorat Protectorem*, de quo ad *d. l. 3.* Item Decuriones Palatii adorare inter ex-Ducibus, *l. 1. inf. de Decur. & silentiar.* Cornicularii & Primiscrinii egredientes, adorare inter Tribunos & Notarios: apud Cassiodorum *XI. Var. 18. 20.* Primicerius singulariorum egrediens adorare inter Domesticos & Protectores *eod. lib. Var. 31.* Vt autem id fauoris fuit Principalis iudicium: ita & priuilegia secum trahebat; veluti immunitatis a muneribus publicis, vel uti a susceptione, *l. 70. inf. de Decurionib. l. 8. 9. inf. de diu. off.* Alioquin etiam summi fauoris, dignationisque fuit osculo excipi a Principe. Ne alterius seculi testimonia conquiram, Mamertinus *Panegyrico* Iuliani *cap. 28. Iulianus*, inquit, *Aue Consul amplissime, dignatus osculo oris illius diuinis affatibus consecrati dexteram dedit*, Am. Marcellinus *lib. 22. cap. 9.* & *lib. 29. c. 5.* vbi de Firmo Tyranno in Africa. Pacatus *Panegyrico cap 20. Ille mensa Imperatoris beatus, ille osculo consecratus est.* Vide & exemplum in Amphilochio apud Theodoretum, *lib. 5. cap. 16.* in Ambrosio *ep. 24. n. 3.* Et hæc de Dignitatum ordine in Adoratione Principis.

Secunda occasio Dignitatis tuendæ, ordinisque obseruandi dicitur hic in *solemnibus festiuitatibus & cætibus*, Salutationibus vel quibuslibet Officiis: puta in Officiis publicis; *h. l.* & *l. 7. 8. inf. de honor. codicil.* Officiis, inquam Magistratuum seu honorum, quæ publica officia dicuntur, *d. l. 7. de honor. Cod.* qualia sunt Officia consularia, de quibus *l. 1. inf. de expensis ludorum:* In cætibus veluti extraordinariis conuentibus prouincialibus, *l 1. sup de Præfectis prætorio* vbi iam dixi. *l. 2. inf. de Quæstoribus: l. vlt. inf. de honor. codicillis.* In videndis seu salutandis Iudicibus seu administratorum: de quibus, præter hanc *leg.* videnda *lex 1. sup. de Præfect. Prætorio*, vbi iam quoque dixi: *l. vn. de Comitib. vacantibus: l. 1. de Decurion. & silentiar. l. 5. de proximis, l. vn. sup. de off. Iudicum ciuil. l. 10. de agentibus in rebus: l. 2. & vlt. de Princip. ag. in reb. l. vlt. Cod. Iust. de off. Iud. ciuil.* In quibus Iudicum salutationibus pariter ordo obseruatus Dignitatum (seu reuerentia *d. l. vlt. Cod. eod. de off. Iud. ciuil.*) eamque in rem quidam ex Officialibus Iudicum erant, quos salutationis cura constringebat: *d. l. vn. de Comitib.*

(a) *Anhelantem celsius purpuratum* omnino accuratius legit *Valesius*, quam lectionem antiquissimi Codices confirmant.

tib. vacantibus, & *l. 5. de proximis:* vbi & illud notandum, nonnullos osculandi Iudices in salutatione potestatem habuisse, vt docet *lex 4. inf. de domesticis: l. 109. infr. de Decuriomb.* Nunc de cæteris *huius legis*.

Ac primum de illis, *sub habitu videlicet consueto.* Ex his scilicet apparet, sicut habitus & insignia, seu ornamenta cuique Dignitati propria *consueta* fuere, ceu *γνωρίσματα τῆς ἀρχῆς*, vel *ἀξίας*, (de quo dicam latius suo *tit. inf. lib. 14. de habitu quo vti*
P. 84 *oportet:)* quæ & ideo vestes *propriæ*, & *insignes* dictæ sunt *habitus consuetus*, hic; ita in adorationibus, cœtibus, festiuitatibus, salutationibus, Officiis publicis, locum & gradum alicui non seruatum, nisi habitu consueto & præstituto amictus incederet. A quo non abludit, quod ea demum iniuria atrox Magistratui vel Sacerdoti illata censetur, quæ illato cum dignitatis habitum & ornamenta præferrent: *l. 4. Cod. Iust. de iniuriis.* Alios vt est in illo. *Qualem te reperio, talem te iudico: l. 15. §. 25. D. de iniuriis.* Certe, quod ad Principem attinet, constitutum ita, vt omnes honorem aliquem præferentes, nonnisi cum suæ dignitatis locive insignibus seu habitu consueto conspectum Principis subirent: quod præter *hanc leg.* testatur Ioan. Chrysostomus, *homilia in 1. ad Corinthios 26. pag. 553. edit. Commelin.* *τὸν ἄρχοντα τῷ βασιλεῖ προσιόντα τὸ τῆς ἀρχῆς σύμβολον ἔχειν δεῖ, principem, qui ad regem accedit, oportet habere signum imperii ac principatus.* Et paulo post, *οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων χωρὶς ζώνης καὶ χλαμύδος τολμήσειεν ἂν φανῆναι τῷ τὸ διάδημα ἔχοντι, nullus ex principibus absque zona & læna audebit apparere coram eo qui est redimitus diademate.* Huc etiam pertinet locus Pollionis, *in Salonino Gallieno cap. 2.* Tandem bona pars *Legis* huius in eo occupata est, vt ostendatur, eam non ad præterita, sed ad futura pertinere: de quo ad *l. 3. sup. de Constitut. Principum:* ideoque Præpositos S. Cubiculi ante Macrobium antehac factos ita habendos, atque si hodie primum Præpositi facti fuissent, atque ideo his Præfectis Prætorio, vel vrbis, Magistrisque militum postponi, qui ante hanc *leg.* etsi posterius eas dignitates adepti sunt: denique, vt loquitur, *obseruationem legis a Macrobii sumere prouectione auspicium:* neque illos *promotionis suæ tempora ad legis vsurpationem reuoluere posse*, vt eleganter dicitur: *reuoluere*, id est, retrotrahere. Tandem notandum hic, Cuiacianam editionem ad calcem *huius leg.* adnotare, *Hic deesse quædam.* At Pithœus notauit, in veteri Codice nihil videri deesse: sed quod apparet, intercisum pergamenum ex superiori defectum esse.

DE QVÆSTORIBVS,* MAGISTRIS OFFICIORVM, COMITE SACRARVM LARGITIONVM, ET RERVM PRIVATARVM.

TITVLVS IX.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. VI.

* Ita quoque Quæstor præponitur tribus sequentibus *l. 1. & 2. h. t. & l. 17. infr. de proximis:* At in *Notitia Imperii* subiicitur.

I. (a) Imppp. Valentin. & Valens & Gratianus AAA. ad Ampelium P. V. (b) Post alia.

Eorvm honores, qui Sacrario (c) nostro explorata sedulitate obediunt, hac volumus obseruatione distingui, vt Quæstor atque Officiorum Magister, nec non duo (d) Largitionum Comites Proconsularibus honoribus præferantur: Et cætera. Dat. III. Non. Iulii Nasonaci. Accep. III. (e) Non. Sept. Modesto & Arintheo Conss. [372]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a Cod. Iust. Est vero ea, pars constitutionis, quæ laudatur *l. 2. vt dignit. ordo.* Quibus ea iungenda sit, mox viderimus. GOTHOFREDVS.

(b) De hoc *Ampelio* P. V. dixi iam ad *l. 1. de Præf. Præt.* quæ & ipso huic coniungenda est. IDEM.

(c) *Sacrarium*, id est Consistorium. vid. *Gloss.* & de eo mox. IDEM.

(d) Sic & *Comitiua* vtriusque ærarii *l. 2. prox.* vid. *l. 48. de curs. publ.* IDEM.

(e) Ita quoque *l. 1. de Magistris scriniorum.* At in *l. 1. sup. de Præf. prætorio*, IIII. Non. &c. IDEM.

COMMENTARIVS.

Qvadriga altera sequitur Altissimorum & quidem Palatinarum (quomodo eos quoque designat Am. Marcellin. *l. 21. c. 8.*) dignitatum, quæ pari inter se gradu habentur: primam enim habuimus

duobus

duobus titulis præcedentibus : Quæ quidem prima *initio* tribus tantum constabat, ex eadem Valentin. constitutione, vnde hæc *lex* nostra desumpta est *tit.7.* verum a Theodosio Iun. addito illi quarto, Præposito videlicet S. Cubiculi, Quadriga parium inter se Dignitatum euasit *tit. 8.* Hac igitur Valentiniani Sen. lege, Quadriga hæc altera componitur : quæ pars est prolixioris Valentinianeæ ad Ampelium P. V. constitutionis, de ordine Dignitatum, seu Ordinationis, vnde quatuor prætérea supersunt leges, quas supra in vnam lineam coniecimus, puta *lex 1. sup. de Præfectis Prætorio : lex 1. de Comitibus rei militaris : l. 4. de honor. codicill. l. vn. de Magistris scriniorum*, quæ proinde huic omnes coassandæ veniunt. Quadriga porro isthæc est (quæ & ipsa continetur, *l. 2. prox.*) *Quæstor, Magister officiorum, Comes S. L. & Comes R. P.* De qua, antequam ad ipsam *legis* sententiam accedamus, hæc obseruanda sunt.

Primo notandum, & *Rubr.* & vtraque *lege huius tit.* Quæstorem cæteris præmitti, ac nominatim Magistro officiorum, pariter vt *l. 5. inf. de fide te-*
P.85. *stium*, & in *l. 17. inf. de proximis*, cum tamen in *l. vn. inf. qui a præbitione tironum*, quæ Honorii est A. D. 412. & in *Notitia Imperii fol. 46.* quæ sub Theodosio Iun. & Valentiniano III. conscripta A. D. 427. vt & apud Cassiodorum *VI. Var. 5. & 6.* (a) Magistro officiorum subiiciatur : vt proinde Quæstura loco deinceps mota videatur.

Secundo obseruandum, *Magistrum officiorum* hic præmitti Comitibus S. L. & R. P. pariter vt *l. prox.*

Tertio obseruandum, has quatuor Dignitates, seu hos honores, dici *h. l. sacrario Principis explorata sedulitate obedire.* Nempe tres superiores, Præfectus inquam Prætorio, Præfectus vrbi & Magistri militum, de quibus *d. tit. 7.* non proprie Sacrario Principis obediebant, non proprie Principi militabant, verum in actu positi erant, vel in Prouinciis constituti : at hi in Consistorio, in sacro seu Sacrario Principis : de qua Illustrium dignitatum distinctione, vid. *l. vn. inf. de Comitibus qui illustr. ag. adsid.* Quare de Quæstore nominatim Socrates *lib. 2. c. 29.* vbi de Leone Quæstore, εἷς, inquit, *τῶν ἐν τοῖς βασιλικοῖς ἐκφανῶν, vir in palatio imperatoris conspicuus*, & Sozomenus de eodem *lib. 5. cap. 21.* *ὁ ἐν ἀξιώματι λαμπρῶς ἐν τοῖς βασιλείοις στρατευόμενος, qui splendido quodam officio in palatio fungebatur.* Denique hi quatuor Comites Consistoriani erant, & vero ita vocantur, itemque participare Augusti pectoris curas, *l. 3. de Metatis*, vbi dixi : v. & *l. 5. infr. de fide testium* ; Iidemque etiam indicantur *l. vlt. vers. aliis sane Inlustribus, d. tit. de metatis*, & *l. 1. & 4. inf. de palatinis S. L.* Cur autem dicuntur *explorata sedulitate* obedire Sacrario Principis ? Nempe, quia ad iussa Principis expediti & velut in procinctu erant, siue in Constitutionibus promulgandis, quod Quæstoris munus erat, quem ideo recte ita describit Zosimus *lib. 5. cap. 32.* *ὁ τὰ βασιλεῖ δοκοῦντα τεταγμένος ὑπαγορεύειν ὃν Κοαίστωρα καλεῖν οἱ ἀπὸ Κωνσταντίνου δεδώκασι χρόνοι, cuius erat officium, dictare quæ principi viderentur, Quæstorem a Constantini temporibus adpellarunt*, siue in executionibus Principis mandatorum, quod *Magistri officiorum* officii erat : vnde & efficax Magisteria *l. 2. inf.* vbi dicam : siue in largitionibus, tributis sacrisque opibus administrandis, quæ partes erant *Comitis S. L.* & *Comitis R. P.*

Nunc de *huius leg.* sententia. Igitur Valentinianus, cum constitutione sua ad Ampelium P. V. vnde hæc desumpta est, emissa, singulis quibusque dignitatibus certum locum meritumque præscriberet (vt Valentinianus Iun. filius eius diserte de ea ait *d. l. 2. sup. vt dignitatum ordo :*) his quatuor quoque suum locum gradumque præscripsit ; nempe vt Proconsulibus præferrentur. Quod antea non ita erat, puta sub Constantino, Constantio, & Iuliano, imo & per Valentiniani hactenus initia : Id quod etiam ex Ammiano Marcellino discimus *lib. 28. cap. 4.* vbi ait, *Ampelium ex-Magistro officiorum ad Proconsulatum geminum, indeque multo postea ad Præfecturæ culmen euectum :* vbi Ampelius est hic ipse, cui hæc *lex* inscribitur : Et Proconsulatus geminus Ampelii est Proconsulatus Africæ, quod discimus ex *l. 10. infr. de nauicular.* & Achaiæ, ex Himerio *apud Photium* in propemptico, εἰς *Ἀμπέλιον ἀνθύπατον.* Exque eo Ammiani Marcellini loco discimus, Ampelium illum, quamplurimas dignitates ex iis de quibus Valentinianus constitutione sua ad eum agit, gessisse : vt non improbabiliter dici possit, ad eius suggestionem legem illam latam. Ergo *h. l.* hi quatuor Proconsulibus a Valentiniano præferuntur : cum alii illis contra eadem constitutione postponantur, *d. l. 1. infr. de Comitib. rei mil.* & *l. 4. de honor. codicillis*, quæ vt dixi ex eadem constitutione desumptæ sunt : consequenter, hi quatuor, Præfectorum gradui proximi : qua causa his dignitatibus cohærere dicuntur, *l. 2. prox.* Quomodo & Symmachus ad Comitem S. L. *lib. 7. ep. 94.* scribens. *Te*, inquit, *meritorum ratio* SVMMIS PROXIMVM *facit.* Nondum tamen illis hoc tempore æquati : nondum vere Illustres, vt Præfectorii : Quare videre est in Gratiani *l. 35. de cursu publ.* Magistrum officiorum *spectabilem virum* indigitari (etsi in Valentiniani *l. 22. eod. tit.* Illustris vocetur, postea certe Illustris dictus, vt testatur vel *lex 23. inf. de agentib. in reb.*) vt & Comiti R. P. in Valentiniani Iun. *l. vlt. ad leg. Iul. repetundar.* spectabilitatis titulus tribuitur.

(a) Quod noster vult Quæstoriam dignitatem magisteriæ dignitati subiectam, id quidem ex Cassiodoro probari non potest.

II. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosivs AAA. Restituto (b) PV. Post alia.

Qvi ex Quæsturæ honore aut Efficaci (c) Magisteria, (d) aut Comitiua vtriusque ærarii nostri attonito (e) splendore viguerunt, adclamatione excipiantur solita ; nec prætereantur vt incogniti, atque (f) vt non æquandi illis qui gesserint Præfecturas ; sed eo (g) obseruentur cultu, omni (h) cœtu omnique conuentu ; Neque enim pars (i) est.. tio (k) meriti, etiamsi (l) interuenit dilatio vlla ; quoniam cohærent (m) his dignitatibus, quæ hisdem iure debentur. Intersit (n) aliquid inter tempora Magistratuum, vitamque priuatam, (o) actus depositi dignitas pares eos viros præstat (p) atque honore consimiles ; Quid enim in his quatuor dignitatibus non ex congrua diuersitate

putemus esse commune? Quod cum ita sit, hos viros haberi volumus, non vt qui meruerint tantum, sed quasi qui gesserint Præfecturas, cum (q) non priuilegiis temporis præferantur, sed honoris æqualitate lætentur. Dat. VIII. Kalend. Iun. Thessalonicæ Gratiano V. & Theod. I. AA. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* ex priore *huius leg.* parte ceteris resectis desumpta est. Hanc *leg.* intelligit quoque Cassiodorus *VI. Var. 8.* Iungenda autem illi *lex 2. sup. de Præfectis Prætorio.* GOTHOFREDVS.

(b) De hoc *Restituto* P. V. Constantinop. vid. dicta ad *eam l. 2.* Hic quoque in MS. expressum *Restuto.* IDEM.

(c) Ita quoque habent veteres Codices Iustin. complures: Vulgati tamen præferunt *Officiali*, quod eodem recidit, mox vt ostendam. IDEM.

(d) *Magisterio* in Cod. Iust. quod eodem redit: nam & sic *magisteria* & *magisterium* promiscue. *Magisterii* vocem Triboniano magis placuisse puto. Ita quoque Magisterium admissionum, *l. 12. sup. de Senatoribus*, & Sidonio Apolinari *lib. 1. ep. 3. Magisteriis Palatinis Militaribusque.* Magisterium Equitum & Peditum, *l. 2. sup. de* P. 85. *Præfectis Prætorio. l. 4. inf. de honor. Codic.* *Magisteria* autem proprie de Magistro officiorum, sicut & *Magistri* nomen absolute, & *Magistriani*, Magisterium Palatinum Apollinari *d. loco* vid. *Gloss.* IDEM.

(e) *Attonitas* splendor, est stupendus, qui attonitos reddit. In MS. alioquin est *accounto.* Hoc sensu sæpe vox *attoniti* pro stupendo. sic *attonita* diligentia, & Ecclesia in *attonito* Tertulliano, *Attonita* domus, stupendæ, Virgilio, teste Seruio: Sic amore *attonitus* Statio *in Epithalamio Stellæ v. 31. Sylv. l. 2.* *Attonite* celebrare magnis ceremoniis, Plinio *lib. 30. cap. 1.* IDEM.

(f) Id est, *& quasi.* IDEM.

(g) Id est, *eo ipso, eodem.* IDEM.

(h) In omni cœtu. IDEM.

(i) *γρ. Neque enim impar*, scriptum forte fuerat: *neque eniM par.* IDEM.

(k) *γρ. Ratio:* scriptum forte fuerat *rio.* IDEM.

(l) Id est, etiamsi non ilico, non statim Præfecturis decorentur. IDEM.

(m) Dixi ad *leg. super.* vid. & Symmachum, *lib. 7. ep. 91.* IDEM.

(n) *συγχωρητικῶν.* IDEM.

(o) Attamen actus depositi, &c. IDEM.

(p) Præstat. IDEM.

(q) Limitatio, id est, *sic vt.* IDEM.

COMMENTARIVS.

PRÆFECTORIIS Viris, id est, Præfectura Prætoriana, vel vrbis, defunctis, exæquantur *h. l.* a Theodosio M. Quatuor Dignitates, de quibus *hoc titulo*, puta Quæstor, Magister Officiorum, Comites S. L. & R. P. Cui legi conferenda venit *lex 2. sup. de Præfectis Prætorio* & de qua sensisse videtur Cassiodorus *VI. Var. 8.* in formula Comitiuæ R. P. *Comitiua priuatarum te honore decoramus, quam leges Præfectis quoque parem esse decreuerunt.* Quomodo & Symmachus *lib. 7. ep. 94.* ad Longinianum (Comitem S. L.) scribens; *Te*, inquit, *meritorum ratio summis proximum facit.* Ergo Præfectoriis Viris hac *lege* quatuor illi æquantur: Qui antea Proconsulibus tantum prælati fuerant a Valentiniano Sen. *leg. 1. sup.* Et sic Spectabiles tantum *ea l.* facti: vnde & Spectabiles vocantur in Gratiani *l. 35. de cursu publ.* & Valentiniani Iun. *l. vlt. inf. ad leg. Iul. Repetundarum:* de quo ad *d. l. 1.* at nunc Illustres ex *hac* Theodosii M. *leg.* Hinc in Theodosii *l. 120. infr. de Decurionib.* Illustris Magister Officiorum, Comes sacrarum ac priuatarum. Hinc & sub Theodosio Symmachus *lib. 10. ep. 37. 51. 57.* Virum clarissimum & Illustrem Magistrum officiorum vocat. Antequam de *legis* huius sententia plenius agamus, de *Efficaci* primum *Magisteria*, quæ hic memoratur vna e quatuor Dignitatibus videndum est. Efficax igitur Magisteria (quomodo etiam habent quidam Codices Iustinianei, alii editi, *Officiali*) nil aliud est, quam Magisteria Officiorum, seu Dignitas Magistri istius: Ita nempe dictus ab *efficiendo*, quod inter ceteras dignitates maxime efficax esset seu actuosa *δραστήριος*, iussaque Principum exequeretur, quomodo *efficax* Hercules, Horatio *Epod. 3. v. 17.* id est, actuosus. Erant scilicet sub dispositione Magistri officiorum Officia Palatina, Curiosi, Agentes in rebus. (qui & ipsi *ἐμπρακτοι* dicebantur, & ideo quoque Agentes IN REBVS) Huc pertinet egregie (*Nouella* Valentiniani inter Theodosianas 37.) *soli quidquid oneris est & profiteri & EFFICERE videntur.* Mensores item, Fabricenses, Ordines & Scholæ Palatinæ, Decani: quod ex *Notitia Imperii*, vt & *nostra* videre est. De actu etiam Magistri officiorum vid. Cassiodorum *VI. Variar. 6.* Eodem modo idem Cassiodorus *VI. Var. 3.* Præfecturæ Prætorianæ officium, cui summa rerum commissa erat, vocat *officium plane geniatum*, EFFICAX, *instructum & tota animi firmitate præstandum* (prævalidum) Quare in errore versatur CL. Cuiacius, qui *Efficacem Magisteriam*, vel *Efficax Magisterium* interpretatur. Quæsturam re ipsa administraram ad differentiam Quæsturæ honorariæ. Cuius sententiam præter supra dicta refutat numerus quatuor Dignitatum, quem hic extare oportet: vt diserte in sequentibus hic numerus designatur: *Quid enim in his* QVATVOR *dignitatibus*, &c. Atenim si Cuiacii sententia admittitur, tres tantum *hic* numerare liceat. Geminus est error scriptoris de officiis domus Augustæ *lib. 3. cap. 24.* id est, qui, quem Zosimus *lib. 2. cap. 25. 43. & lib. 3. cap. 29.* *τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων Μάγιστρον*, vel *ἡγούμενον* vocat, *Magistrum Equitum & Peditum*, in præsenti interpretatur.

Nunc ad rem & sententiam *legis:* vbi de duobus videndum est. Primum, *Ratiocinatio* Theodosii spectanda: qua is quatuor has dignitates Præfectorii honoris æqualitate decorauit, *vers. Neque enim*, vsque ad *vers. Quod cum ita sit.* Ratio eo redit, quod etsi quamdiu Præfectorii Præfecturam gerunt, his præferantur, attamen actu deposito pares sint, & esse debeant: quia etsi non statim & ipsi Præfectorii sint, attamen Præfectura his debeatur, tanquam cohærentibus: denique, *quod non sit dispar ratio* (ita enim *hic* reponendum) *meriti, etsi interuenit dilatio dignitatis.* Quod ad vulgatum illud & Brocardicum: accedit, *Cingendus habetur pro cincto;* Item de vicinia deque proxima cohærentia trahi fulgorem.

Hinc interim quoque discimus, post voam ex his

Quatuor dignitatibus gestam, seu Quæstura, Magisteria officiorum, Comitiua S. L. & R. P. functos Præfectos Prætorio, vel statim, vel ita non multo post, dilatione parua, factos, quod infinitis exemplis comprobari potest.

Secundo, sequitur Limitatio; Nempe Theodosius M. has quatuor dignitates Præfectoriis non simpliciter vel absolute adæquat; non inquam vt priuilegio temporis cum his certent, id est, si tempore priores sint, & illis præferantur: quomodo sane eadem constitutione vnde hæc desumpta est, in *l. 2. sup. de Præfectis Prætorio*, Magistros militum Præfectoriis absolute exæquat, & ad hunc quoque finem: verum hactenus, vt eodem honore excipiantur: & sic hactenus Illustres: Qui postea tamen simpliciter *ἁπλῶς* Præfectoriis exæquati. Vbi videre est iuris istius progressum, simul & triplicem processus rationem: Primo scilicet Proconsulibus prælati, *l. 1. sup.* Dein Præfectoriis exæquati quoad honores & adclamationes *hac leg.* Tandem absolute.

Postremo igitur loco, nunc videamus in quo nominatim Quatuor hos Præfectoriis exæquatos voluerit Theodosius M. *Adclamatione*, inquit, *excipiantur soluta, nec prætereantur vt incogniti atque vt non æquandi illis qui gesserint Præfecturas: sed eo* (eodem) *obseruentur cultu, omni cœtu, omnique conuentu.* Nempe Adclamationibus, cultuque, & honoribus variis Amplissimæ dignitates excipiebantur, vbi ad cœtum vel conuentum ventum esset, de his Adclamationibus, *κρότοις εὐφημίαις*, quæ Consulibus & Patriciis factæ agit Chrysostomus, *initio homilia in Eutropium.*

P. 87.

DE PRIMICERIO ET NOTARIIS.

TITVLVS X.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. VII. *De Primicerio & Secundicerio & Notariis:* Cæterum hinc SPECTABILIVM ordo incipit. Idemque ordo obseruatur in Notitia: v. quæ noto ad *l. 21. inf. de petitionib. lib. 10.* De Secundicerio Notariorum v. *l. 21. inf. de petitionib.*

I. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEODOSIVS AAA. Eutropio PP. (b)

PRÆCIPVA est nostræ pietatis intentio circa Notariorum nomen: atque ideo si vnquam huius Ordinis viri laborem quiete mutauerint, (c) vel senectute posuerint, (d) seu cum (e) alia dignitate post hanc (f) qualibet vsi sunt, non omittant (g) prioris vocabulum militiæ, sed compendium sequentis honoris adsumant: Et si quis, ex Officio, vel præcipuæ (h) Sublimitatis tuæ temerarius (i) ad Census Discussiones, Peræquationes, aliam denique vllam rem (k) inquietator exciterit, Officium suum nouerit, vel leuis (l) culpæ offensione detecta, grauis multæ discrimine fatigandum, & Numerariorum corpus, extincto iniuriæ auctore, minuendum. Dat. XVII. Kalendas Iul. Thessalonicæ, Gratiano V. & Theod. I. AA. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Eutropius* hic PP. Orientis: de quo mox. IDEM.

(c) *Vel abiecerint.* add. Tribon satis incondite: quid enim aliud est *laborem quiete mutare*, quam quod ipse *abiicere* vocat? Cæterum MS. habet, *mutuauerint.* IDEM.

(d) Pro *deposuerint.* IDEM.

(e) *Cumulata*, vt *l. 14. inf. de proximis*; cuius similis dispositio. IDEM.

(f) *Posthac.* Cod. Iust. Istud tamen malo. IDEM.

(g) Ita quoque Cod. Iust. malim tamen *amittant*, vt *d. l. 14. adiectu alterius dignitatis perire non patimur.* IDEM.

(h) Ita quoque Cod. Iust. sed malim, *præcipue.* IDEM.

(i) *Temerario adfensu in discussiones*, &c. ita Cod. Iust. male: de quo mox. IDEM.

(k) Veluti ad exactiones, vt *l. 3. inf. de honor. codicillis:* operis exstructiones, ratiocinium *Nouella* Theodosii 15. *in f.* IDEM.

(l) Similes locutiones vid. *l. 3. sup. de inoff. testam. l. 1. inf. de libertis & eorum liberis: l. 28. de hæreticis:* vbi plenius. IDEM.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA Notariorum, (*βασιλικὰς ὑπογραφίας* vocant Græci. Vide vel Zosimum *Lib. 3. cap. 4. Lib. 5. c. 40. τῦ τάγματος τῶν ὑπογραφέων, Lib. 5. cap. 44.*) etiam ex-Notatiis, id est, iis qui vel vltro eam militiam post laborem reliquerunt, vel deposuerunt, vel alia dignitate cumularunt, seu commutarunt, seruari oportere definit *hac l.* Theodosius M. Imper. In qua tria notanda sunt: Primo, Præfatio: Ea scilicet Theodosius profitetur, *Præcipuam intentionem suam esse circa Notariorum nomen*, id est, præcipuo studio & affectu sese Notarios prosequi. Fuit hæc scilicet Notariorum Schola seu ordo Collegii alios inter magnæ dignitatis: vnde & Militia nobilis dicitur *l. vlt. hoc tit.* Præclarum Collegium, *l. vlt. sup. de Senatoribus.* Militia, qua non illustrior extat Altera, Claudiano *in Epithal. Palladii v. 84.* Erant hi vero *βασιλικοὶ ὑπογραφεῖς*, vt eos Libanius & Zosimus *non vno loco, lib. 3. & 5.* & Socrates *lib. 7. cap. 23.* & vetus Auctor apud Suidam *verb. Αὐξέντιος* appellant, qui videlicet in consistorio Principis Acta excipiebant (de quibus Ammianus Marcellinus quoque *passim*) vnde *l. 7. de priuil. eorum qui in S. P.* directe dicuntur Notariorum officio fungentes *inter Consistorii secreta*, & Notariorum Primicerii de Consistorio Principis discedere, *l. 2. prox.* & ab Ammiano Marcellino *lib. 30. cap. 2. Notarii Principis*: vt & a Cassiodoro *VI. Var. 16.* in formula Notariorum. qui *Principis secretum & consilium his committi* ait, *Principisque curis assidua lucubratione militare.* *Secretum* scilicet, quia in consistorio Principis Acta & Secreta notabant. Alius vero, ab his Notariis, quem Vopiscus in *Aureliano c. 36. secretorum Notarium* vocat: hic enim est, quem Zosimus *lib. 1. cap. 62.* de eadem re agens, *τῶν ἔξωθεν φερομένων ἀποκρίσεων μηνυτὴν* vocat, Victor Schotti *c. 35. ministrum, cui secretorum officium crediderat.* Nempe Notarii indicium faciebant & foras efferebant Imperialia responsa: vnde & Orationes Imperatorum per Primicerium Notariorum in Senatu aliquando recitabantur: *l. 14. sup. de Senatoribus.* Quare cessent insaniæ quorundam, de Notariis *ad secreta*, & *a secretis.* Horum opera vsi Principes extra ordinem peregre sæpe tanquam perspicacibus: vid Marcellinum *lib. 26. cap. 5.* tanquam sagacibus ad perducendos reos; idem testis, *lib. 14. cap. 5.* vt adsisterent cognitionibus, interrogationibus, *lib. eod. cap. 9. & 11. lib. 15. c. 3.*
P. 88. *lib. 28. cap. 1.* & Sozomenus *lib. 4. cap. 10.* Missi etiam ab Imperatoribus Cæsarum actibus explorandis Ammianus *lib. 17. cap. 9. lib. 21. cap. 7.* obseruandisque traiectibus *lib. 20. cap. 9.* conatibus etiam alicuius & ad tuendam prouinciam positi *lib. 22. c. 11. lib. 26. cap 5.* Commeatus frumentarii his mandati: Symmachus, *lib. 10. ep. 31.* Denique cum mandatis in prouincias missi, *l. vn. sup. de Mandatis Principis*, vbi plura: Episcopique per hos sedibus suis restituti, vt Chrysostomus ipso teste *ep. ad Innocentium tomo IV. Francof. edit. p. 595.* ipsique quæ e re essent Imperatoribus suggerebant: Ammianus *lib. 26. cap. 7.* Cæterum peculiarem erga eos affectum, vt alii Principes, vid. Cassiodor. *d. form. 16* ita hic Theodosius M. prodit hac constitutione ad Eutropium PP. emissa. Quod quidem in memoriam mihi reuocat. quod Gregorius Nazianzenus *ep. 137. 138.* hunc ipsum Eutropium a doctrina, eruditione, & eloquentia summopere commendat: vt videatur omnino Eutropius *huius leg.* promulgandæ Theodosio auctor fuisse: pro studio, quo in literatos (cuiusmodi sane erant Notarii) ferebatur. Verum hæc coniectura est.

Nunc de sententia *huius leg.* Secundo igitur, quod *hac leg.* præsupponitur & indicatur, *priuilegio* hoc subnixi fuere Notarii, vt ad Census, Discussiones, Peræquationes, aliam denique vllam rem inquietari non possent; id est, vt Censitorum, Discussorum, Peræquatorum onus his impingi non posset: Ad *Census*, ait *lex*: recte enim ita hic legi proxime sequentia ostendunt: non *adsensu*, vt perperam Cod. Iust. Idque etiam egregie confirmat Zenonis *lex 2. circa med. Cod. Iust. eod. tit.* vbi hæc immunitas ex *hac leg.* repetitur: *vacationem*, inquit, *census, discussionis peræquationis & cuiuslibet alterius rei habituros.* vid. & *Nouellam* Theodosii 16. *de postulando, circa fin.* Ad *census* vero, &c. pariter vt *l. 3. de honorar. codicil.* ad exactiones. Ergo Censitoris, Discussoris, Peræquatoris munus his iniungi non potuit: de quo alioquin Censitorum, Peræquatorum munere *libro 13. tit. 11.* de Discussoribus, *lib. 11. tit. 26.* Eadem vero immunitas tributa & Domesticis & silentiariis, *l. 2. & 3. inf. de domest. & protectorib.* Eadem & Curialibus iis qui Præsides & Rationales reuera fuerunt, *l. 3. inf. de honor. codicil.* Ex archiatris *l. 2. inf. de Medicis.* Addit lex *ad aliam denique vllam rem*, veluti exactiones, *d. l. 3. inf. de honor. Codicil.* operis exstructiones, ratiocinia, *d. Nouella 16.* Hac omni immunitate donati & Scriniarii S. Palatii post viginti annorum militiam, *l. 7. 8. inf. de proximis.*

Tertio loco succedat nunc ipsa *Legis* dispositio. Nempe Theodosius M. priuilegia superiora constare iubet etiam *ex-Notariis*: Idque, siue laborem quiete mutauerint, id est Notarii munus vltro abdicauerint, vel vt barbare satis Tribonianus *abiecerint*, siue ob senium deposuerint, siue denique etiam cum alia (forte commutata) dignitate post hanc qualibet vsi sunt: id est, post Notarii officium depositum, aliam dignitatem sortiti sunt. Non igitur tantum si ad quietem recesserint, verum etiam si continuato labore aliam dignitatem susceperint. Quod vtrumque & alias obtinuit, vt munere defunctis eadem priuilegia adhuc competant: & alia maiore puta dignitate auctis constent. Maior scilicet dignitas nulli debet circa prioris dignitatis seu militiæ priuilegia præiudicium facere: *l. 3. Cod. Iust. de dignit.* si modo ea *lex* a Triboniani facinore immunis est. Id enim singularis priuilegii loco Theodosius Notariis sese concedere indicat. Certe Honorius postea Scriniariis idem concessit *l. 14. inf. de proximis sacror. scrinior.* quæ *lex* cum hac conferenda omnino est: vt & decurionibus & silentiariis *l. 2. 3. inf. de decurionib. & silentiar.* Eademque immunitas tributa Ex-archiatris, *l. 2. inf. de Medicis.* Eadem tribura & Palatinis, de quibus *l. 3. & 5. inf. de priuil. eorum qui in sacro Pal.* Iisdem sane tributum, vt Senatores facti a glebali collatione immunes essent: *l. vlt. sup. de Senatoribus.* Ergo Notarii munere suo defuncti ab illis muneribus immunes sunt seu excusantur: cum alias Honoratis dignitate functis, deque Palatio exeuntibus hæc munia a Iudicibus sæpe iniungerentur pro rerum necessitate: vid. *l. 3. inf. de honor. codicil.* vbi dictam, & *d. l. 2. inf. de Medicis: l. 2. inf. de decur. & silentiariis.*

Sequitur *sanctio legis*: Nempe Officio Rectoris prouinciæ minatur grauem multam, & Numerario exauctorationem. Numerarii scilicet huiusmodi munerum iniungendorum curam sustinebant, de quo suo *tit. inf. de Numerariis, lib. 8. t. 1.* Idem vero interdictum anno proximo ab eodem Theodosio Numerariis circa omnes ex Aula decedentes, & post emeritam missionem; *l. 11. infr. de priuil. eorum qui in sacro palatio.*

II. (a) Iidem AAA. ad Valerianum (b) PV.

NOTARIORVM Primicerios, ſi, prout eorum voluntas fuerit, de Conſiſtorio noſtro, ſine adminiſtratione (c) diſceſſerint, non ſolum Vicariis anteponi, ſed etiam Proconſulibus (d) æquari ſancimus, ita vt nihil niſi tempus interſit. Eodem honore atque eodem ordine ſequens Primicerium Tribunus ac Notarius perfruetur. Alios porro Notarios & Tribunos Vicariis iubemus æquari, ac, ſi priores id (e) vocari cœperint, anteferri. Ad (f) vero Domeſticos & Notarios Conſularibus ſimili ratione conponimus; & cetera. Dat. IIII. Kalend. April. Acc. XII. Kal. Maii. Syagrio & Eucherio VV. CC. Coss. [381.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a Cod. Iuſt. Memoratur ea *l. 19. infr. de priuil. eorum qui in S. Pal.* Iungendæ vero illi *lex 2. inf. de proximis Comitib. diſpoſ. & lex 5. de honorar. Codicillis.* GOTHOFREDVS.

(b) *Valerianus* P. V. Romæ ſcilicet A. D. 381. cui præter hanc & duas illas, inſcribuntur adhuc *lex 2. de equis Curulibus. l. 6. 7. 8. de ſcenicis.* IDEM.

(c) Magiſtri enim officiorum dignitate ſæpe decorabantur: dicam *ad l. vlt. infr.* IDEM.

(d) *Proconſules* Vicariis ſuperiores, v. & *Notit. Imper.* Inter Spectabiles primi, de quo *ad l. prox.* quoque & ad *l. 1. de Com. rei mil.* IDEM.

(e) Id eſt, ſi prius Notarii & Tribuni fuerint, Vicarios poſteriores tempore vincunt. IDEM.

(f) γρ. At vero. IDEM.

P. 89. **COMMENTARIVS.**

DE PRIMORVM (vt eos quoque vocat Ammian. Marcellinus, *lib. 29. cap. 2.*) inter Notarios, de Conſiſtorio exeuntium ſine adminiſtratione nouaque dignitate, ordine; eſt hæc Gratiani Imp. *lex:* Quæ pars eſt prolixioris Gratianeæ conſtitutionis de Honorariis codicillis & dignitatibus tum Palatinorum, tum extra Palatinorum: vnde ſuperſunt duæ adhuc *Leges* puta *lex 5. inf. de honorar. codic. lex 2. de proximis Comitib. diſpoſ.* quæ proinde *huic* coaſſandæ veniunt.

Nos de hac noſtra nunc agemus: Vbi obſeruandum, in ordine vel ſchola Notariorum eminentiores ſeu primos quoſdam fuiſſe, qui *hac l.* nominantur. Erat ſcilicet *Primicerius Notariorum:* erat, Primicerium ſequens Tribunus & Notarius; erant alii ſeu ceteri Notarii & Tribuni, erant denique Domeſtici & Notarii. *Primicerius* Notariorum (cuius *h. l.* mentio fit & *l. 3. 4. inf.* & *l. 14. ſup. de Senatoribus* cui iungenda *l. 33. inf de petitionibus,* & *l. vn. inf. qui a prabitione tironum,* & *Nouella Theodoſii 32. de Metatis,* & apud Renatum Profuturum Frigeridum, referente Gregorio Turonenſi *lib. 2. cap. 9.*) ab Ammiano Marcellino vocatur Primus omnium Notariorum, *lib. 26. cap. 6. in geſtis An. 365.* Socrates *lib. 7. c. 23.* eum vocat *πρωτοςάτην βασιλικῶν ὑπογραφέων*, Zoſimus *lib. 5. cap. 40.* vbi de Ioanne Primicerio agit *ἄρχοντα τῶν βασιλικῶν ὑπογραφέων ὃς τριβοῦνος καλοῦσιν.* Idem *cap. 34.* & Sozomenus *lib. 9.* *τοῦ τάγματος τῶν ὑπογραφέων ἡγέμενον.* Iuſtinianus *Nouella 8. in Edicto adiecto,* retinet Latinam vocem, & *Πριμικήριον τῶν λαμπροτάτων τριβούνων* vocat. Primum locum militiæ nobilis adſecutus, *l. vlt. inf.* Ex ea dignitate Iouianus ad Imperium conſcendit, teſte Ammiano *d. loco.* Sub huius Primicerii diſpoſitione erat omnis Dignitatum & Adminiſtrationum notitia, tam militarium quam ciuilium, ſcholas etiam & Numeros tractabat, vt totidem verbis *Notitia Imperii* ſcribit. Idque ipſum indicat Claudianus huius rei ſciens, ipſe quippe Tribunus & Notarius, *in epithalamio Palladii, v. 83. ſeq.*

- - - - Paulatim vectus ad altum,
PRINCEPS *Militia, qua non illuſtrior extat*
Altera, cunctorum TABVLAS *aſſignat* HONORVM:
Regnorum tractat NVMEROS, CVNEOSQVE *recenſet,*
Sparſas Imperii VIRES *conſtringit in vnum*
DEPOSITVM; *qua Sarmaticis cuſtodia ripis,*
Qua ſaniis obiecta Getis, qua Saxona franat,
Vel Scotum LEGIO, *quantum cinxere cohortes*
Oceanum, quantum pacatur MILITE *Rhenus.*

Qui Claudiani locus geminus eſt cum altero *Notitia:* & omnia reſpondent: *Tabulas honorum* vocat, Notitiam omnium dignitatum; *Regnorum Numeros* ab eo *tractari* ait, ſimiliter *Notitia,* Numeros a Primicerio Notariorum tractati, quod etiam oſtendit *l. 2. Cod. Inſt. eod. tit.* Idque in *Commentario,* cui *Laterculi maioris* nomen, quod etiam *Notitia Imperii* docet & exhibet; quod *Depoſiti* voce Claudianus indicat: *ſparſas Imperii vires conſtringit in vnum Depoſitum.* Laterculum ſcilicet iamdiu pro Tabula, Indice & Commentario vſurpatum apud Tertullianum, non tantum in *lib. adu. Valentinianos,* verum etiam *lib. 1. aduerſus Nationes,* quem nos edidimus: *cap. 13. de ſolis cultu. Vos certe eſtis qui etiam in laterculum ſeptem dierum Solem recepiſtis & ex diebus ipſorum* (ipſum) *pralegiſtis, quo die lauacrum ſubtrahatis, aut in veſperam differatis, aut otium & prandium curetis.* Eundem Primicerium Notariorum reperio conſtitutiones Principum in Senatu quandoque recitaſſe, *l. 14. ſupr. de Senatoribus. Primicerium* ſequebatur qui *hac lege* vocatur, *ſequens Primicerium Tribunus & Notarius,* qui eadem ratione Secundicerius Notariorum vocabatur, in *l. 21. inf. de petitionib.* Ammianus Marcellinus *lib. 29. circa principium, ſecundum inter Notarios gradum* vocat, dequo mox plura. Hunc & ſuperiorem idem Ammianus *ſummates Notariorum* vocat *lib. 26. cap. 6.* Hos ſequebantur alii ſeu cæteri Notarii Tribuni. Quorum non *hac* tantum *lege* mentio fit; verum etiam *l. vn. ſupr. de mandatis Principum l. 1. inf. Qui a prabitione tironum.* Qui Tribuni reſidui ordinis vocantur, *l. 3. infr. prox.* Eorundem frequens mentio fit apud Ammianum Marcellinum *lib. 26. cap. 6.* vbi nominatim Notarium & Tribunum vocat. Et *lib. 17. cap. 5. lib. 19. cap. 9.* & *lib. 20. cap. 4.* Fit & Tribunorum & Notariorum mentio in *duabus veterib. inſcript. apud Gruterum,* pag. CCCXCI. *num. 5.* & p. CCCCLXIV. *n 8.* Cæteroquin Notariorum ſimpliciter frequentiſſima apud eum mentio *lib. 14. cap. 5. 9. 11. lib. 15. c. 3. lib. 20. cap. 4. 9. lib. 21. cap. 4. lib. 22. c. 3. lib. 26. cap. 5. 7. lib. 28. cap. 1.* Fit etiam horum Tribunorum & Notariorum mentio apud Symmachum *lib. 5. Epiſt. 37. lib. 10. Epiſt. 36.* & *39.* apud

apud Ambrosium, Augustinum, Paulinum: Deque iis sunt duæ veteres inscriptiones de Claudiano, & Petronio Maximo. Huiusmodi Tribuni, & Notarii a Principis latere ferme mittebantur Legati, de quo plenissime ad *l. vn. sup. de Mandatis Principum.*

Præter hos Tribunos Notarios erant alii qui *Domestici & Notarii* vocabantur, quorum *lege* quoque *proxima* mentio fit, vbi familiares Principi dicuntur his verbis: *Reliquas, quos Domesticum inter Notarias & familiares nobis namen insinuat.* Cæterum de horum omnium dignitatibus id *h. l.* a Gratiano cauetur, (vt & a Theodosio M. pariter *l prox. 3. inf.*) vt *Primicerii* etsi sine administratione discesserint: (& Secundicerii) Notariorum dignitate perfuncti, vicariis diœceseon præferantur, & Proconsulibus exæquentur. Quod etiam ex *Imperii Notitia* liquet: In tantum vt cum Proconsulibus temporis prærogatiua certent: Sequentes vero Tribuni & Notarii vicariis exæquentur, & cum iisdem temporis prioritate decertent: Domestici vero & Notarii Consulatibus componantur.

Vbi obseruandum primo, Secundicerium eodem honore atque eodem ordine perfrui, ex *hac l.* cum Primicerio: pariter vt in sp. *leg. 21. inf. de petitionib.* hi scilicet summates Notariurum erant: de quo iam *supra.*

Secundo obseruandus dignitatum ordo; Proconsules, Vicarii, Consulares, qui eodem modo obseruatur *in d. l. 5. inf. de honor. Cod.* quæ *huic* coniungenda est: & in *Notitia Imperii.* Et *l. 21. inf. de diuersis afficiis: l. 15. 16. de pœnis, l. 13. inf. de accusationib.* Sed & illud notetur, inter Spectabiles, de quibus ab hoc titulo tractari incipit, Proconsules primo loco constitisse, de quod vid. & *l. 1. inf. de Comitibus rei militaris:* vbi dicam, & *Notitiam Imperii.*

In tantum vero (quod Tertium) inter Proconsules hi stetere, vt altissimarum quoque Dignitatum numero eos haberi antea voluerit Valentinianus, constitutione sua de gradibus dignitatum: sic quidem vt Comites quoqua rei militaris primi gradus per transmarinas prouincias vincerent: *l. 1. inf. de Comitib. rei mil.* &, quod magis est, eos quoque qui honorarios Illustris Magisterii Equitum codicillos adepti erant, *l. 4. inf. de honor. codicill.* quæ duæ leges inter se coæquandæ sunt, velut prædictæ Valentinianeæ constitutionis de gradibus Dignitatum partes. Cui conuenit & quod Cassiodorus scribit *VI. Var. 16. in fin.* vt dicam *ad eas leges.* P. 90.

Quarto notatur, Honorarios Palatinos istos cum actualibus seu ἐμπράκτοις tempore inter se certare *h. l.* & *l. proxim. 4. in fin.* cui iungenda *lex 6. inf. de honor. codicillis.* Quod Palatinis singulari priuilegio datum, cum alioquin extra - Palatini honorarii cum ἐμπράκτοις tempore non certent *l. 5. inf. de honorar. codicillis*, quam *huic* coæquandam dixi & *d. l. 6.* Quod ipsum constituitur & de aliis honorariis Palatinis ac nominatim de Proximis scriniorum & Comitibus dispositionum *d. l. 2. inf. de proximis*, quæ & ipsa *huic* coæquanda venit. Et hæc quidem illa est Gratiani constitutio quam Valentinianus Iun. frater eius memorat firmatque *l. 13. inf. de priuil. ear. qui in sacro palatio.*

Quinta notetur, dignitatem eorum computari ab eo tempora, quo Notariatu seu Consistorio discesserint, *h. l.* Idque in proximis quoque scriniorum & Magistris dispositionum obtinet: *d. l. 2. de proximis.* Verum immutatum & hoc *l. 3. prax.* & illud *l. 4. 10. inf. de praximis.*

Tandem obseruetur, Primicerios Notariorum de Consistorio discadere dici, non quasi Consistoriani Comites fuerint, quod hinc colligebat Vir doctus; verum quia Notariorum munus in Consistorio Principis erat. Vnde & *l. 7. infr. de priuil. eorum qui in S. P.* dicuntur Notariorum officio fungentes inter Consistorii secreta: de quo ad *l. 1. huius tit.* Sic & in inscriptione statuæ Petronii Maximi *apud Gruterum* p. CCCCXLIX. *n. 7.* PRIMÆVVS IN CONSISTORIO SACRO TRIBVNVS ET NOTARIVS MERVIT: Sidonius *Carm. 23. v. 213.*

Et iam te Aula tulit, piusque Princeps
Inter conspicuos statim locauit
CONSISTORIA *quos habent* TRIBVNOS.

III. (a) Iidem AAA. Floro (b) PF. P. (c)

NOTARIORVM Primicerium in numero Proconsulum (d) habemus, tanquam comites eis semper fasces (e) cum curialibus (f) dederimus; Prætorianos longe ab hoc abducimus, vt qui ad Tribunatum nominis huius accesserint, Orientis siue Ægypti Comitiuæ videantur infulas consecuti: Tribunos residui ordinis nemo dubitet Vicariis exæquandos & præferendos his quos adepti (g) honoris præcesserint: reliquos vero quos Domesticum inter Notarios & familiares (h) nobis nomen insinuat, parem gradum cum Consularibus obtinere sancimus, & cetera. Dat. Id. Decemb. Constantinop. Syagrio & Eucherio CONS. [381.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic *lex 6. infra de honor. Codicillis.* GOTHOFREDVS.

(b) *Florus* PP. Orientis sub Theodosio M. vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Præposito*, male in *Cuiacii edit. anter.* IDEM.

(d) *Proconsules* primi inter Spectabiles, dicam ad *l. 1. de Comitib. rei milit.* IDEM.

(e) *Fasces* Proconsulum *h. l. & leg. 7. de honor. codicil.* vid. *Gloss. Th.* IDEM.

(f) An *Curulibus*? Notum, Insignia Consulum & Proconsulum fuisse Fasces & Sellam Curulem: vid & *l. 7. inf. de honor. codicillis.* An *securibus*? vt *l. 7. inf. de honor. Codicil. & Novell. Inst. 30. cap. 6. de Proconf. Cappadociæ:* Prius placet. IDEM.

(g) *vt. Adeptis honoribus:* nisi malis *adeptu honoris.* IDEM.

(h) Nolo mutari in familiare. IDEM.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

SENTENTIA huius *legis* eadem pene est, quæ *superioris*; vt etiam apparet ex coniunctione *l. 6. inf. de honor. Codicillis.* In eo tantum differunt, quod Dignitatem Primiceriorum Tribunorum computari velit Theodosius ab eo statim tempore, quo Primiceriatum & Tribunatum adepti sunt. *Tanquam*, inquit, COMITES *semper eis fasces cum cunulibus dederimus*: de quo dixi *ad l. sup.* Simile quid vero ab eodem constitutum *l. 4. inf. de proximis*, cum antea aliter obtineret. Item hoc amplius hac Theodosii constitutione continetur, nempe Tribunos & Notarios Prætorianos non eadem qua Primicerium Notariorum dignitate censendos, sed proximo post illum gradu constituendos, & non Proconsulibus, sed Comitibus Orientis vel Ægypti exæquandos. Proximi scilicet Proconsulibus gradu fuere hi duo Comites, quibus adiungendus tertius Comes Ponticæ, Comitibus aliis, Ducibus, Vicariis & Consularibus superiores: vt docet quoque præter Notitiam Imperii, *lex vn. inf. de Comitib. & Tribunis schol.* & *l. vlt. inf. de comitib. rei milit.* & *lex 21. inf. de diuersis officiis*: Et *lex 15. 16. inf. de pœnis.* Cæterum *Tribunus Prætorianorum Notariorum* hoc ipsum erat inter Notarios Præfecti Prætorio, quod Primicerius inter Notarios Principis: Igitur hic etsi finitima esset Præfecti prætorio dignitas imperatoriæ, & in officio Prætoriano constituti magnis pariter priuilegiis euecti fuerint, toto tamen gradu Primicerio Notariorum Principis cessit. De quo iam aliquid monui ad *l. 8. sup. de diuersis rescriptis.* & ad *l. 18. sup. de Prætorib.* Porro horum Prætorianorum Tribunorum & Notariorum mentio fit quoque in *l. 6. §. 1. Cod. Iust. de Aduocatis diuersorum Iudicum.* Et apud Cassiodorum *VI. Variar. 3. Militia*, inquit, *perfunctis* (Officialibus) *Tribunorum & Notariorum honorem tribuit, & milites suos illis exæquat, qui inter Proceres mixti nostris conspectibus obsecundant.* Quæ Cassiodori formula dignitatis Prætorianæ breuiarium elegans continet: Idem *XI. Var. 8.* de corniculatio, qui egreditur: *Et ideo Antiauum qui* PRÆTORIANIS *inculpabiliter paruisse perhibetur obsequiis, inter Tribunos & Notarios ad adorandos Adspectus properet Principales.* Sed & vetus inscriptio horum Prætorianorum meminit: *l. c. ap. Gruterum* p. CCCCLXIV. *n. 8. Rufius Prætextatus V. C. filius Magnifici viri Marniani Præfecti Prætorio & Consulis Ordinarii Quæstor Candidatus, Prætor vrbanus, Tribunus & Notarius Prætorianus*, &c.

P. 91. IIII. (a) Impp. Theodosius A. & Valent. Cæsar. Hierio PF. P. (b) Orientis.

EOs qui ex Primiceriis Notariorum, ad Inlustrem meruerint Magistri, (c) a vigiliis atque laboribus, procedere summitatem, minime redigendi sunt in ordinem (d) ceterorum, qui honorarios meruerint codicillos: quoniam & res ipsa, quod primum locum sint militiæ nobilis (e) adsecuti, & publica sæpe (f) impleta commoditas, nunquam otiosos fuisse testatur; & cetera. Dat. X. Kalend. Octob. Topiso, (g) Theodosio A. XI. & Valentiniano Cæs. CONSS. [425]

NOTÆ.

(a) Iungenda huic *lex vlt. inf. de honorariis Codicillis.* Quæ etiam *huic* argumento optime respondet. GOTHOFREDVS.

(b) Male in Cuiacii edit. prioribus *Præposito.* IDEM.

(c) Magister ἀνάξ, pro Magistro Officiorum *h. l. & l. 3. in f. inf. de Agentibus in rebus* & magisteria: vt *l. 2. sup. de Quæstor.* efficax magisteria! Magisteria dignitas apud Cassiodorum quoque de Magistro officiorum *VI. Variar. 6.* Hac Magisteria & Magistri voce vtitur Suidas, & apud eum incertus Auctor, & Theophylactus Simocatta *hist. Mauric. lib. 2 cap. 3.* quos locos notauit Meursius in *Gloss. suo ad voc.* Μαγιστρία. Adde locum Prisci in *Hist. Gothica in Excerpt. Legat. pag. 26. Tom. I. Script. Rer. Byzant. ed. Venet.* Μαρτιάλιον τὴν τοῦ μαγίστρου ἀρχὴν διέποντα. *Martialium magistri officiorum munere fungentem.* Item πασῶν γὰρ τῶν βασιλέως βουλῶν ὁ μάγιστρος κοινωνός ὤν. *Nam omnium consiliorum imperatoris magister est particeps.* Hinc etiam Magistriani, vel Magisteriani: de quibus alibi. Et tamen Magisteria quoque potestas ἀνάξ de Magistris militum dicitur, *l. 7. inf. de lusor. Danub. & tit. de apparit. Magister in potestatis*: vt id negantes mirari subeat. IDEM.

(d) De quo vide *d. legem vlt.* IDEM.

(e) Militia nobilis Notariorum *h. l.* Præclarum Collegium, *l. vlt. sup. de Senatoribus*: Similiter Zeno, ex *h. l.* in *l. 2. Cod. Iust. eod. tit.* IDEM.

(f) Qui Gloriosis obsequiis nihil non Reipubl. adferunt & decoris: Zeno *d. l. 2.* IDEM.

(g) Ita quoque referibendum in *d. l. vlt.* Vrbs porro hæc Thraciæ fuit; Quanquam aliis *Topiro*, vel *Topiris*, vel *Toparon.* videlicet *Itinerario*, apud Ptolomæum, & Procopium, *lib. 3. de bell. Goth. c. 38* & *lib. 4. cap. 11. de ædificiis Iustiniani.* Primæ Macedoniæ adscribitur in Conciliis, & nominatim in *Chalcedon.* vno quoque loco apud Antoninum, *Toposum.* IDEM.

COMMENTARIVS.

HONORARIA MAGISTRI OFFICIORVM, dignitate auctum eum, qui Primiceriatu Notariorum perfunctus est, a cæteris qui honorarios huiusmodi codicillos impetrarunt, distinguit Theodosius suo. *hac leg.* quæ pars est constitutionis prolixioris de Honoratiis Codicillis, vnde pars altera extat *l. vlt. inf. de honor. Codic.* quæque proinde *huic* coassanda venit. Alia scilicet & melior est eorum ratio, qui a *laboribus & vigiliis*, (id est post labores) dignitate aliqua aucti sunt: alia, longeque inferior, eorum qui fasces ciuilium partium consecuti, nulla prius laboribus rudimenta posuerunt, vt loquitur *lex vlt. inf. qui a præbit. tironum.* Et certe nominibus quoque olim proprie loquendo a se inuicem hi distincti fuere: illi quippe *vacantes* dicti, hi vero, *Honorarii*: *vacantes* scilicet dicebantur, qui post vigilias & labores vacantes iam & munere defuncti, pro præmio dignitate aliqua honoraria euehebantur: modo illustri (vt puta Magistri officiorum, de quo *h. l.* & Zenonis *l. 2. Cod. Iust. eod. tit.* Comitis Domesticorum. vt apud Cassiodorum *VI. Variar. 11.* vid. & *Nouellam Theodosii, de metatis 32.*

tit 32. sub fin. & *l. 2. Cod. Inst. vt dignitatum ordo)* modo Comitivæ primi ordinis: hinc *Comites vacantes*, de quibus est *titulus inf. 18.* cuius *lex vnica* huic nostræ prorsus respondet, vbi etiam dicam *plura. Honorarii* vero proprie & strictè dicebantur, qui vacantibus opponebantur, nudi, imaginarii, & Codicillarii erant, qui citra administrationem aliquam ἀζώσει, sine cingulo dignitatem erant consecuti: de quibus dicendi locus erit *inf. suo tit. de honor. Codicillis*, & *d. tit. de Comitib. vacantib.* Et hæc quidem ita distinguenda sunt, & tamen in Zenonis *l. 2.* seu *vlt. Cod Iust. eod. tit. de Primicerio*, Primicerius hic ipse Notariorum post depositam militiam Magistri officiorum insulas pro more sortitus, ac si ipsam gessisset administrationem omnibus vacantibus opponitur, & præponitur. Verum de hoc plene ad *tit. de Comitibus vac.* De his igitur hæc Regula seruetur (quam etiam superius consignaui *ad l. vn. de Consulibus) Inter pares dignitate personas, vacantes, etsi tempore posteriores, Honorariis, tempore prioribus, præferri. Neque inter hos tempore certari: verum hos illis indistincte cedere.* Quæ vna est exceptio inter alias ad Regulam generalem: qua alioquin, *Pares dignitate personæ, temporis prioritate inter se certant*: de qua dixi ad *d. l. vn. Honorariis* igitur proprie dictis, *vacantes* non connumerantur: quiomo inter agentes, id est, actu ipso administrantes, censentur: *l. vlt. inf. de Honorariis Codicillis*, (quam *huic* coniungendam dixi) de quo tamen *ibi* dicam plenius: vid. interim *l. 2. Cod. Iust. vt dignit. ordo.* Cedunt proinde (vt eo redeam) vacantibus, Honorarii toto gradu: nam (vt eleganter loquitur *d. l. vlt.*) nunquam honor delegatus ex debito ei qui ad similitudinem tribuitur, comparari debet: vel (vt *l. vn. inf. de Comitibus vacantibus*, non minus eleganter loquitor) licet vnum nomen sit, tamen est meritis æstimandum: quæ verba ibi perpendam plenius, & certe *lex* hæcquoque nostra eandem rationem *in fine* suggerit & indicat: ibi: *quoniam & res ipsa*, &c. Interim observandum, Primiceriatu Notariorum perfunctos Magistri officiorum dignitate ferme decorari solitos: vel quia re ipsa postea Magistri Officiorum createntur. Quomodo Notarios duos Magistros officiorum factos memorat Ammianus Marcellinus *lib. 20. cap. 9.* & *lib. 28. cap. 1.* vel quia saltem vacantes vel otiosi iam, hac honoraria dignitate decorabantur: quod præter hanc *legem* nostram ostendit & *Nouella Theodosii de metatis 32.* & *Zenonis lex 2. Cod. Iust. de primicerio & Notar.* idque etiam in partem ionuere videtur *lex 2. supr.* Adeo quidem vt hi cæteris vacantibus, & Honorariis, seu Codicillaris aliis paris vel eiusdem dignitatis, etsi posteriores tempora prioribus præferentur: quæ huius *legis* Sententia est, De quo est omnino Zenonis *d. lex 2. Cod. Iust. eod. tit. Hoc etiam adiciendo, vt Primicerius post depositam publicam numerorum sollicitudinem, ac si ipsam gessisset administrationem cuius consequitur dignitatem, Magistri officiorum pro antiqua consuetudine insulas sortiatur, omnibus vacantibus, quamuis tempore precedentibus præponendus.* Cassiodori locus *VI. Variarum 16. in formula Notariorum. Additur etiam perfuncti laboris* (id est, primiceriatus) *aliud munus, vt si quo modo ad Illustratum, vel vacantem meruerit peruenire, omnibus debeat anttponi qui Codicillaris Illustratibus prabantur ornari.* Vnde absolute colligitur, *Primiceriatus meritis datum, vt in vno eodemque titulo dispar esset dignitas æqualiter acquisita.* Quare & huius peculiaris quoque ratio habita præ honorariis, in argumento immunitatis a Metatis, *Nouell. Theodosii 32.* Illud quoque monendum, alios ab his esse Tribunos, & Magistros officiorum, de quibus agitur *l. 1. inf. de distrab. pignor. qua tribut. causa:* & *l. 1. inf. de paganis sacrif.* p.94.

Superest illa expendamus, *ad Inlustrem meruerint Magistri, a vigiliis atque laboribus, procedere summitatem:* nam ita hic locus interpungendus est: ne quis hic sibi *Magistrum a vigiliis atque laboribus* fingat; Nempe *a vigiliis atque laboribus* hic est, post labores & vigilias emeritas: Quomodo *d. lex vlt. inf. de honorar. codic.* quam *hinc* coaffandam dixi, in hac ipsa re, *emensis sudoribus:* Imo id extrema Legis aperte adstruunt. Similiter Zeno *l. 2. Cod. Inst. eod. tit.* laboris ac sollicitudinis vnce hac in re vtitur: & Cassiodorus *VI. Variar. 16.* Notarios *curis Principis assidua lucubratione militare* scribit. Igitur vacantem Illustrem, post labores scilicet indicare voluit Imp. vndique Honorariis opponere. Haud absimili formula Velleius Paterculus dixit *lib. 2. cap. 99. Commeatum acquiescendi a continuatione laborum petiit.*

DE MAGISTRIS SCRINIORVM.

TITVLVS XI.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. IX. Respondet *huic* titulus 26. *inf. de Proximis Comitib. dispos. cæterisque qui in sacris scriniis militant.*

I. (a) Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Ampelium (b) P. V. Post alia.

MAGISTROS Scriniorum Nostrorum (c) præferri volumus Vicarianæ (d) potestati, & cetera. Dat. III. Non. Iul. Nasonaci, Ac. III. Non. Septemb. Modesto & Arintheo CONSS. [372.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Quænam *leges* huic *coniungende* sint, mox dicam. *GOTHOFREDVS.*

(b) De hoc *Ampelio* P. V. Romæ, dixi iam ad *l.* 1. *sup. de Praf. prator.* quæ inter alias *huic* iungenda est. *IDEM.*

(c) Erant scilicet & *alia* aliorum in dignitate positorum scrinia. *IDEM.*

(d) *Proconsulibus* postea æquati: vid. *Notit. Imperii.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

De Dignitate & prælatione Magistrorum Scrioiorum Principis supra Vicaribs, est hæc *lex* Valentiniani Sen. quæ pars est prolixioris Valentinianeæ coostitutionis, ad Ampelium P. V. emissæ, quam filius eius Valentinianus Iun. iotelligit, *l. 2. sup. vt dignitatum ordo.* e qua quatuor insuper aliæ *leges* supersunt: puta *lex 1. sup. de Praf. prator. l. 1. sup. de Quastorib. l. 1. inf. de Comitib. rei milit. l. 4. inf. de bonar. eadie.* quæ proinde *huic* coassandæ veniunt, quasque omnes compilatas & conceptas io vnam lineam supra conieci.

Quatuor Scrinia Palatina fuisse notandum est, de quibus *suo titulo* pleoa *inf. de praximis Cominb. dispos.* nempe Scrinium *Memoria*, Scrinium *Epistolarum*, Scrinium *Libellarnm*, tandem & Scrinium *Dispasitionnm:* quod etiam ex *Natitia Imperii* discere est. & Anonymo Scholiaste *in Iuliani Nanellarum Epitomen.* Etsi Epistolarum quoque scrinium per orientem in duo scrinia subdiuisum fuit, puta in scrinium Epistolarum (*Latinarum* scilicet) & scrinium Epistolarum *Gracarum*, quod ex *eadem Notitia* discimus, & Eunapio, *in Nymphidiana pag. 177. edit. Cammelin.* ὁ Ἰουλιανὸς αὐτῷ καὶ τὴν βασιλικὴν γλῶτταν ἐπέτρεψε, τοὺς ἐπισταλοὺς ἐπιστήσας ὅσαι διὰ τῶν ἑλληνικῶν ἑρμηνεύονται λόγων, *huic imperialis interpretis munus commisit Iulianus, dictandis epistolis, qua graca lingua contexenda forent, praficiens.*

Singulis porro Scriniis præerat suus quidam magister, puta suus scrinio Memoriæ, suus scrinio Epistolarum, suus scrinio libellorum. *Magistri memoria* frequens mentio apud Am. Marcellinum: memorat is inter alios sub Constantio Ædesium Magistrum memoriæ, *lib. 15. cap. 5.* sub Valente Festum, *lib. 29. cap. 2.* cuius etiam fit mentio apud Suidam *in ver.* Φῆστος ex Eunapii historia, vt existimo, ibi τὴν δὲ βασιλικὴν γλῶσσαν ἐπεπίστευτα: quem locum Interpres noo cepit. Qui ille sane Festus est, qui *Sextus Rufus Festns* integro nomine dicitur, cuius breuiarium extat ad Valeotem Imp. Qui & ideo in veteri MS. *Dictator* dicitur: da qua *Dictatoris* voce pro *Magistro* CL. Salmasius *in not. ad histor. Aug. ad Cari Vit., c. 8.* & nos *infra ad l. 11. de cohortalibus*, imo & *paulo post.* Sub Valentiniano Imper. *huius leg.* auctore Magister memoriæ comes Ordinis primi, memoratur Saturninus secundus io veteri Inscriptione apud Gruterum CCCCLXV. *num. 8.* & Rusticus Iulianus & Eupraxius apud eundem Marcellinum, *lib. 27. cap. 6.* de Magistro *Libellorum* accipiendus est Am. Marcellinus *lib. 20. cap. 9.* de Anatolio agens, quem ait *libellis antea respondentem*, Magistrum officiorum ordinatum. De Magistro *Epistalarum* est quoque Symmachi locus *lib. 7. ep. 60.* Neque minus *Dispositionum* scrinio suus quoque quip. 93. dam Magister erat, quam cæteris scriniis; etsi id Cuiacius negauerit: Quod quidem probatur, non, vt quidam tradunt *lege 1. Cod. Iust. de prox. sacr. scrin.* quæ est *lex 4. inf. eod. tit.* in qua sane nil tale occurrit: verum apertissime *lege 2. inf. de proxim. Comitib. dispos.* Qui *Dispositionum Magister* alias *Comes dispositionum* dicebatur, de quo plene *inf. tit. de proximis Comitib. dispositionum.*

Magistri porro hi Græcis ἀντιγραφῆς vt recte Cuiacius, & Anonymus Scholiastes ad Iuliani Nonell. *Qnatuor scrinia sunt: primum qnod dicitur Libellorum: secundum Memoria: tertium Dispositionum: quartum Epistolarum: vnde & quatuor Antigraphei sunt.* * ... *nam Magistri*, vbi repono *seu scriniorum Magistri.* Ἀντιγραφῆς scilicet sunt *Dictatares, Rescriptores.* Glossæ ἀντιγραφεὺς *Dictator, Rescriptor:* item ἀντιγραφή, *Dictatura, Rescriptum:* sic, vt iam dixi, Rufus Festus, qui alias Magister Memoriæ, *Dictator* dicitur: Vnde & dictare ad memoriam Vopiscus *in Caro cap. 8.* & ἀντιγραφεὺς τῆς μνήμης Petro Patticio in *Ecloga legationum pag. 21. Tom. I. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* De quo Magistro Memoriæ speciatim *alibi.* *Rescriptor* est qui emendat, recognoscit: Et vero hoc Magistrorum munus fuit, dictare seu formare, mox & reformare Principis rescripta, Epistolas, qui ideo sub se habebant Librarios, Exceptores cæterosque scriniarios. Iidem Magistri scriniorum dicebantur *curare scrinia*, apud Aurelium Victorem *cap. 20. scrinium gerere*, apud Lampridium in *Alex. Senero cap. 31.* etsi hunc locum alii de Scriniariis accipiant. Quatuor igitur fuere Magistri scriniorum. Codinus quoque *in originib. Constantinopol.* τέσσαρας Μαγίστρους vocat.

Post hos Magistros triom scriniorum immediate in singulis scriniis sequebantur, qui *Proximi scriniorum* dicebantur, *l. 2. 4. 6. 10. 13. 17. 18.* seu *vlt. inf. de praxim. comitib. dispos.* qui & in *Capite constituti* dicuntur, *l. 11. eod. tit.* Quod de tribus scriniis accipiendum est: Memoriæ scilicet, Epistolarum, & Libellorum: Nam in quarto scrinio, Dispositionum scilicet non erat Proximus, (quod Tribonianus tamen infarsit *legi 1. Cod. Inst. de prax. sacr. scrin.* quæ desumpta est ex *l. 4. inf. hoc tit.* quique adeo Virum Doctum in errorem induxit,) verum *priore in scrinio Dispositionnm*, vt vocantur, *l. 10. inf. de proximis:* seu primi Dispositionum, *l. 14. d. tit.* Et in eo igitur nominum erat differentia, circa Proximos. Fuit vero & quædam aliquando iuris diuersitas circa Magistros: Magistri enim seu Comites Dispositionum, non eadem dignitate erant, qua cæterorum scriniorum Magistri. Horum enim trium scriniorum Magistri, Vicariis præferebantur, ex *hac leg. nostra*; imo & Proconsulibus æquati; mox & prælati, teste *Natitia Imp.* Non eadem vero dignitas fuit Magistri dispositionum: hic enim cum Proximis aliorum Scriniorum, noo cum Magistris componebatur, & ambulabat: *l. 2. 12. 14. de praximis Comitibus dispos. l. 12. de Senatoribus, l. vn. qui a prabit. tyronum:* Et hoc quidem sensu, *Proximi scriniarum, & Magistri dispositionum* adæquantur; non quia, quod credidit & imposuit Viro docto, hi illis Gradv responderent; sed quia Privilegiis exæquati sunt primum. Verum postea exæquati sunt quoque *Priores dispositionum*, proximis cæterorum: *l. 2. d. tit.* Vt ex his omnibus iam constet, longe aliud esse *Magistros*, & *Proximos.* Proximi scilicet sunt, & quidem ideo dicti, qui Magistro sunt Proximi, sicuti Melloproximi, qui Proximo proximi erant *l. 16. 17. d. tit. de proximis.* Neque alia nominis ratio reddi potest. Et nihilominus tamen iidem Proximi, quia in capite Scriniariorum erant constituti (vt loquitur *d. lex 11.*) *Primi* erant, quemadmodum Proximis istis respondentes in scrinio dispositionum, *Primi Dispositionum* dicebantur *d. l. 14.* Vnde Glossæ Basilicorum Πρόξιμοι Πρῶτοι: Iidem igitur Proximi, qui Primi: vnde & *Primicerii* scriniorum, vocantur *l. 14. inf. de Palatinis S. L.* Non tamen Proximi iidem cum Magistris, imo sub Magistris.

gistris. Quod clare primum ostendit *lex vn. inf. qui a præbit. tyronum*, vbi in recensu dignitatom & officiorum, *Magistri scriniorum* longo ante interuallo nominantur, & post multos alios interiectos, *Proximi*. Ostendit secundo *lex vn. Cod. Iust. de Magistris Scriniorum*. *Viris Spectabilibus*, inquit, *Magistris omnium*, (id est, quorumcunque, ne erres) *Sacrorum Scriniorum nostra beneuolentia liberalitas tribuenda est, qui nostra quodammodo adsidere Maiestati videntur, ideoque post depositum etiam officium ab omni indictionis onere prorsus immunes esse præcipimus. Hoc beneficium ad Proximos* ETIAM *sacrorum scriniorum & ex-proximis volumus propagari.* Ostendit tertio, Titulorum diuersitas: separatus quippe titulus est, & longo quidem interuallo, *de Magistris scriniorum*, & quidem in ordine seu censu maiorum dignitatum: longo vero post interuallo, *Tit. de Proximis*. Ostendit diuersa vtrorumque ratio & dignitas: Magistri quippe scriniorum, Vicariis præferebantur *hac leg.* Proximi vero, Vicariis tantum exæquabantur: *l. 2. 4. 10. 11. 17. d. t. de proximis. l. 12. sup. de Senatorib. l. 19. inf. de Palatinis.* Vt virum illum doctum toties & ter quidem hac parte cespitasse mirum sit: qui in eo etiam labitur, quod Magistrum aliquem scriniorum omnium fuisse putat, ita nom natim dictum, sub cuius dispositione fuerint omnes scriniorum Magistri, quos diximus; deque *Super-Magistro* & vt loquerentur *Magno Magistro* hanc *leg.* accipiendam idem existimat. Verum docere eum potuit & debuit *Notitia Imperii*, seu Breuiarium Theodosii Iun. non alium quærendum nobis Super-Magistrum, seu Magistrum Magistris scriniorum superiorem & præpositum, quam *Magistrum officiorum*, cuius certe dispositioni scrinia omnia, atque adeo eorundem Magistri suppositi erant: idque etiam confirmant Inscriptiones *legis 6. 11. 17. d. tit. inf. de proximis Comit. dispos. cæterisque qui in sacris scriniis milit.* & *l. 2. inf. de commeatu:* & *l. 29. de hæreticis.*

Neque eundem Virum doctum turbare debet, quod Aurelius Victor scribit *c. 20. Papinianum curasse scrinia Bassiani:* Idem quod Sext. Festus Rufus & ipse Magister scriniorum, & quidem Memoriæ, de Vlpiano notat *cap. 22. cum Alexandri scriniorum Magistrum fuisse:* quasi id de singulorum scriniorum Magistris dici non possit. Lampridius enim *in Alex. Seuero cap. 26.* diserte Vlpianum *Magistrum scrinii* fuisse dicit, quem Rufus Festus *Magistrum scriniorum* appellat, qui certe idem Lampridius aperte singulorum scriniorum Principes seu Magistros fuisse docet, *in Alex. Seuero cap. 31.* sed & Spartianus, in *Ælio Vero cap. 4.* vt proinde vel Papinianum, & Vlpianum omnium Magistrorum vices tum obiisse, nullis aliis tum Magistris scriniorum existentibus dicendum sit; vel (quod verius) vnius tantum scrinii Magistros fuisse, quod de Vlpiano Lampridius diserte scribit: & sane etiam singulorum scriniorum Magistri, *scriniorum Magistri* audiebant, vt ex Imperii Notitia prædicta liquido constat: & Sidonius quoque *carmin. 5. v. 570.* de Petro (quem Magistrum Epistolarum fuisse alibi diserte ait, *lib. 9. ep. 13.*)

Quid loquar hic illum, qui SCRINIA SACRA *gubernat,*
Qui cum ciuilis dispenset partis habenas,
Sustinet armati curas, interprete sub quo
Flectitur ad vestras gens effera conditiones.

P 94 Sic igitur exaudiendi Victor & Rufus Festus. Neque sollicitanda lectio Lampridii: quæ etsi sollicitaretur, nihilum tamen Viri Docti sententiam iuuaret. Sic quoque in *Notitia Imperii* cum initio in *Notitia* generali illi præfixa *fol. 4.* præmittatur *Magistri Scriniorum memoriæ, epistularum, libellorum, epistolarum græcarum:* mox in speciali *Notitia fol. 62.* ita expressum *Magister scriniorum, Memoriæ, Epistolarum & libellorum Græcorum*, & similiter in *Notitia* Occidentis bis ita semper.

Denique, dictæ legis vnicæ, *Cod. Iust. de Magistris Scriniorum*, principio nec quicquam iuuatur vel fulcitur hæc de Catholico Magistro, cui Magistri Scriniorum suppositi fuerint, sententia: *Magistri* scilicet *omnium Scriniorum* ibi apertissime sunt, Magistri quorumcumque Scriniorum, id est, singuli singulorum: sicuti Magistri officiorum omnium apud Pollionem in *Gallienis cap. 17.* singuli singulorum officiorum: & apud Capitolinum in *Marco Antonino cap. 8.* Officiorum omnium Principes, id est, singulorum officiorum Principes, Primates, Priores. Quodnam vero cuiusque Magistri Scriniorum officium fuerit? vid. in *Notitia Imperii*. Nos enim ad sententiam *Legis* nostræ properamus.

Ex *hac lege* videmus, quanta dignatio fuerit sub Valentiniano Sen. Magistrorum scriniorum; nempe Vicariis Præfectorum Prætorio iam prælati, qui antea Vicariis minores erant sub Constantio; vt ex veteri Inscriptione mox discemus. Proconsulibus proinde sociati a Valentiniano, quibus ipsis & postea prælati, vt ex *Notitia* quoque discimus: Ac proinde & prouinciarum singularum Rectoribus, & integrarum diœceseon Vicariis potiores. Quare & post administrationem prouinciæ, ad id promotos hoc ipso tempore videre licet: sic enim, & Sextus Rufus Festus e Consulari Syriæ ad Magisterium memoriæ, mox ad Proconsulatum Asiæ subuectus est, teste Ammian. Marcellino *lib. 29. cap. 2.* & Suida superius *laudato loco:* de quo plura, etiam ad *l. 11. inf. de cohortalibus.* Ita in veteri inscriptione *apud Gruter.* pag. CCCCLXV. 8. *Saturninus Secundus* legitur, primo *Præses prouincia Aquitanica*, mox *Magister memoriæ, Comes ordinis primi intra Consistorium*, inde *Quæstor*, & *Præfectus prætorio*. Ita sub Constantio antea Ædesium ex-Magistro memoriæ, Vicarium Præfecturæ per Hispanias legimus in veteri inscriptione. Eundemque ex-Magistro memoriæ sociati videmus in Consulatus officio, Præfecto Prætorio & ex-Comiti Rerum priuatarum, apud Marcellinum *lib. 15. cap. 5.* Ita Rusticum Iulianum sub hoc ipso Valentiniano *huius legis* Authore Magistrum Memoriæ hoc ipso tempora reperio Proconsulem Africæ (deinde Præfectum vrbi) factum *lib. 27. c. 6.* Quem quidem Proconsulatum gessit etiam hoc ipso anno 372. quo hæc lex data est, vt docet *lex 12. inf. de diu. offic.* quæ etiam ex eadem vrbe data: vid. *Chronol.* sed & idem Marcellinus *eod. loc.* obseruat Eupraxium Magistrum Memoriæ promotum Quæstorem. Imo tandem reperio *d. lib. 27. cap. 6.* Iolianum, de quo modo, Magistrum Memoriæ Valentiniano morbo confecto, ad Imperium depostulatum.

Huius *legis* sententia defunctum, hac occasione nunc euoluere iuuat ignorabiles hactenus literas in libris & voluminibus, quæ inter insignia seu symbola Magistrorum scriniorum exhibet *Notitia Imperii f. 62.* In volumine ita ex legendæ restituendæque Η ΒΑΣΙΛΕΙΑ ΕΚΘΕΣΙΣ ΚΕΦΑΛΑΙΩΝ PAP. Pertinent scilicet hæc ad Magistrum Memoriæ, & exhibent Imperialem constitutionem: ἔκθεσις est νομοθεσία, πρόσταγμα, δόγμα Hesychio: βασίλεια ἔκθεσις, quæ alias βασίλειος ἔκθεσις, Imperatoria constitutio. In libro vero literas ita compello legoque ΕΩ ΦΙΛΩ ΑΦΝΕΙΩ, ΦΑΝΑΙΩ, ἑῷ φίλῳ ἀφνειῷ φαναίῳ, id est, *amico suo Prudenti & Illustri.* Proculdubio enim id pertinet ad Magistrum Epistolarum Græcarum. Qui melius coniecerit, Vates esto.

DE

DE COMITIBVS CONSISTORIANIS.*

TITVLVS XII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. X.

* Comitiua primi ordinis decoratis. vid. Caſſiodorum *VI. Variar. 12.*

PARATITLON.

COMITES CONSISTORIANI *Rubr. huius tit.* & *l. vlt. inf. de honor. codicillis, l. vn. inf. qui a præbit. tyron. l. 15. 18. inf. de extraord. munerib. l. vn. qui conduct. rei pr.* Nouella Valentiniani III. inter Theodoſianas *de Tyronib. 41. l. 3.* qui & Comites Conſiſtorii, *l. vn. h. t.* erant Viri Spectabiles, qui ſacri Conſiſtorii arcanis intererant: *l. 28. ſup. de Prætoribus,* qui admitti intra Conſiſtorii arcana merebantur, & actibus intereſſe, & Principis audire reſponſa: *d. l. vlt. inf. de honor. codicillis.* Quanquam erant & Conſiſtoriani quidam qui abſentes & teſtimonialibus tantum eam dignitatem adipiſcebantur, *dict. l. vlt.* Quod Dignitatis gradum attinet, ab his diuerſi ſunt Comites Conſiſtoriani Illuſtres, de quibus *l. 1. 4. inf. de palatinis S. L.* & *l. 3. de metatis: l. vlt. de ſicariis:* qui iidem ſunt cum iis, de quibus *tit. 9. ſup* puta Quæſtores, Magiſtri officiorum, Comites S. L. & R.P. *Pri-*
P. 95 *uilegia* vero horum Comitum Conſiſtorianorum varia fuere: veluti, vt conductores rei priuatæ fideiuſſores dare non cogerentur: *d. l. vn. inf. qui conduct. rei priu. lib. 10. tit. 5.* vt immunes eſſent a ſordidis muneribus *l. 15. 18. inf. de extraordin. ſiue ſord. mun.* a præbitione tyronum, equorum, *l. vn. inf. qui a præbit. tyr.* Excepto neceſſitatis caſu, vt in ſpecie *Nouellæ Valentinianeæ,* quæ inter Theodoſianas eſt 41. *de Tyronib. l. 3.* a Præturæ onere, *d. l. 28. de Prætorib.* a Metatis, *l. 3. inf. de Metatis.* Erant vero hi Comites Conſiſtoriani potiores Comitibus aliis primi ordinis: quod patet ex huius *tituli* ſerie: & ex *d. Nouella* Valentiniani *l. 3.* Imo & Magiſtris ſcriniorum præponuntur, *l. vn. inf. qui a præbit. tyronum:* cum tamen in ordine *titulorum* hic poſtponantur. Et ipſi tamen *Comites primi ordinis in Conſiſtorio,* vel *intra conſiſtorium* dici videntur in *veteribus Inſcriptionibus apud Gruterum* CCCCXXXVIII. *num. 1.* & CCCCLXV. *num. 8.* Quibus opponi videntur Comites ordinis primi intra Palatium, in *iiſdem veteribus Inſcriptionibus,* CCCLXI. *num. 1.* CCCLXIII. *num. 2.* CCCCXCIII. *num. 5.* MXCIV. *num. 6.*

(a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Seuerino PV. (b)

COMASII nos & Clearchi Virorum Spectabilium dignitas admonuit, (c) eos qui Tranquillitatis Noſtræ *Conſiſtorii* dici *Comites* meruerunt, Proconſularibus (d) æquari generaliter iuberemus, vt eorum menſo (e) ordine, ante alios omnes ipſi vindicent dignitatem. Dat. VII. Kalend. Octob. Conſtantinop. Theodoro V. C. CONSS. [399.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc interpolata eſt, capite fineque mutila. *GOTHOFREDVS.*

(b) Conſtantinopolitanæ. *IDEM.*

(c) *Admonuit vt,* clarius: & ita diſerte habet MS. *IDEM.*

(d) *Proconſulibus.* Cod. Iuſt. male: de quo mox. *IDEM.*

(e) *Emenſo.* Alias, ſic quoque emenſis ſudoribus, *l. vlt. inf. de honor. codicill.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

CONSISTORIANI Comites hac Arcadii conſtitutione *Proconſularibus,* (id eſt Proconſulatu functis, non vero *Proconſulibus,* vt perperam Codex Iuſtinianeus,) æquantur: ſic vt (quod Tribonianus omiſit) Proconſularium ordine emenſo, id eſt, poſt Proconſulares proxime, ante omnes alios dignitatem vindicent, omnibuſque aliis præferantur: Inter Proconſulares igitur, & Comites Orientis vel Ægypti (de quibus *l. 3. ſup. de Primicerio & Notar.*) medios Conſiſtorianos eſſe voluit Arcadius. Cæterum (quod ceu hiſtoricum rurſum omiſit Tribonianus) id ita voluit nunc Arcadius motus, ſeu *admonitus dignitate,* ſeu meritis duorum Comitum Conſiſtorianorum, Comaſii & Clearchi, de quibus non habeo quod aliunde dicam: niſi quod alius ab hoc Clearchus videtur, qui hoc ipſo anno iam ante hanc *leg.* P.V. fuit: ad quem exſtat *lex 16. de luſtrali collat. data VIII. Id. Maii Theodoro V. C. Coſ.* Hic noſter enim, Spectabilis vocatur; alter vero ille Illuſtris, quia P. V.

Nunc de Conſiſtorianis his Comitibus: (de Conſiſtorio enim, quod θεῖον συνέδριον recte Heſychio, in

in *Glossario* semel, & in *Imper. Romano.)* Igitur, cum generali voce *Consistoriani* esset omnes qui Consistorio Principis interessent, in quibus erant Illustres, & vel potissimi, Præfecti Prætorio, de quo fidem facit quoque *lex 10. de Legatis.* Quæstores, Magistri officiorum, Comites S.L. & Comites R. P. de quibus *titulis superioribus:* aliique Consistoriani: quo sensu Am. Marcellinus quoque *Consistorianos* dixit *lib. 15. cap. 5.* (quibus locis Consistoriani, militaribus opponuntur:) & *lib. 31. cap. 12.* vbi tamen Præfectum a Consistorianis separat. Quare & Comites Consistorii seu Consistoriani proprie dicti Comites S. L. & Comites R. P. *l. 1. & 4 inf. de Palatinis S. L.* & *l. 3. infr. de Metatis*, vbi iidem dicuntur, Participantes Augusti pectoris curas agendo clarere. Quomodo & *l. 3.* ad *leg. Corn. de sicar.* dicuntur Viri Illustres, qui Consiliis & consistorio intersunt, Illustres in sacro consistorio eincti, *l. 2. Cod. Iust. vt dignit. ordo.* Atque hi sunt, qui adstitisse dicuntur in Consistorio in subscriptione legis *5. inf. de fide testium*, Quæstor scilicet, Magister Officiorum, & Comes S. L. de quo *infra* quoque. Et hæc quidem de Illustribus Consistorianis. Atenim *Consistoriani*, de quibus est *hic titulus*, seu *hac lex vn.* non erant *Illustres*, aut Illustrium supremi, vt nonnemo scripsit, verum *Spectabiles*, quomodo Comasius & Clearchus *hic* vocantur. Hinc & inter maximarum culmina dignitatum, & inter Notarios medii ponuntur, & a Maximis Amplissimisque dignitatibus separantur: *l. 15. 18. de extraord.* Item post Illustres Dignitates, inter Primicerium Notariorum, & Magistros scriniorum, medii: *l. vn. qui a prabit. tyr.* Item *in Nouella* Valentiniani, *inter Theodos. 41. l. 3.* inter Illustres vacantes, & Comites primi ordinis, medii. Deque his sunt sex præterea *leges:* quibus varia de his Comitibus Consistorianis cauentur. Nempe Res priuatas conducentes, fideiussores dandi necessitate liberabantur: *l. vn. inf. qui conduct. rei pr.* Item a sordidis muneribus immunes erant: *d. l. 15. 18. infr. de extraordin. siue sord. mun.* a præbitione tyronum & equorum, *l. vn. inf. qui a prabit. Tyron.* a Præturæ onere, *l. 28. sup. de Pratorib.* a metato, *l. 3. sup. de metatis.* Hi igitur Comites Consistoriani erant, qui Comites ordinis primi erant, (de quibus Comitibus ordinis primi *ad tit. prox.*) inque Consistorium ingrediendi ius habebant: Non quidem participantes Augusti pectoris curas agendo, vt Illustres: seu motum proprii arbitrii ratione decursa
P 96. referebant in Consistorio, vt loquitur *lex 10. de legatis:* verum qui Sacri Consistorii arcanis tantum intererant, vt loquitur *lex 28. supra, de Pratoribus*, qui admitti intra consistorii arcana merebantur, & actibus interesse, & Principis audire responsa, *l. vlt. de honor. Codicil.* Ergo Comitibus ordinis primi nonnullis id datum προνόμιον, vt Consistoriani Comites essent, id est Consistorium Principis ingredi possent: Quod certe non omnibus datum: Datum enim vel relictum primus alus nonnullis etsi Comitibus ordinis primi, hactenus vt diuinis epulis adhiberentur, vt *tit. prox. l. vn.* non vero consistorio. Huc pertinent etiam duæ Inscriptiones *apud Gruterum* pag. CCCCXXXVIII. I. & CCCCLXV. 8. Prima; MEMMIO VITRASIO ORFITO PRÆFECTO VRBI, PROCONSVLI AFRICÆ, COMITI IN CONSISTORIO PRIMI ORDINIS. Altera; SATVRNINO SECVNDO V. C. PROCONSVLI AFRICÆ, ITEM COMITI ORDINIS PRIMI INTRA CONSISTORIVM. Ex quibus duabus Inscriptionibus Gutherius duas species Consistorianorum conficiebat, *in Consistorio*, & *intra Consistorium:* quod ridiculum est: Æque vt alterum illud eiusdem, quod Orsitus ex-Præfecto iam Comes in Consistorio fuerit: Ignarus scilicet fuit pro more, diuersas ibi dignitates apponi.

Et hæc quidem hactenus de Comitibus Consistorianis, ex hoc potissimum Codice Theodosiano. Quibus paria omnino faciunt quæ Cassiodorus, in formula Comitiuæ primi ordinis vacantis, *lib. VI. Var. 12.* vbi inter cætera: *Sed hoc multo præstantius adesse Conspectibus Regiis, & abesse molestiis, gratiam habere loci, & vitare contumelias actionis.* Item, *Spectabilitas clara & Consistorio nostro dignissima, quæ inter Inlustres ingreditur, inter Proceres aduocatur: otiosi cingulo honore præcincta dignitas, qua nullum nouit offendere, nullum cognoscitur ingrauare, & super omnia bona concitare nescit inuidiam. Quocirca prouocati moribus tuis Comitiuam tibi primi ordinis largimur, vt consistorium nostrum sicut rogatus ingrederis, ita moribus laudatus exornes: quando vacuus honor est Illustribus, dum alter medius non habetur: Delectat te imitari quos proximitate contingis.* Et mox: *Te sequuntur omnes, qui Spectabilitatis honore decorantur.* Vbi vides omnia illa egregie firmari, quæ ex huius Codicis constitutionibus adduximus: Imo & illud ipsum, quod *hac l.* statuitur, puta vt Consistoriani Comites inter Spectabiles potissimi Proconsulibus æquentur. Accedat & Theodosius Iun. Arcadii F. *Nouella de Theodosiani Codicis auctoritate*, vbi Speranitium, Apollodorum, Theodorum Viros Spectabiles comites facti Consistorii vocat, & post Quæstores ante Magistros memoriæ & libellorum, nominat. His accedat & Iustinianus *Nouella 13. c. 3.* vbi Spectabiles pariter vocat περιβλέπτους Κομήτας, Κονσιστωριανούς, eosque post Illustres, Clarissimis Tribunis Prætorianis & Notariis præponit. Tandem Comitum Consistorianorum, vel simpliciter Consistorianorum meminit Ambrosius *ep. 24. num. 3.* (& *ep. 31.*) quarum posteriore *Principes virtutum Viros* vocat: priore vero sese ait, in Consistorium intromissum, *inter Consistorianos stetisse*, neque ascendere voluisse ad Imperatorem, qui assurrexerat, vt osculum daret. Vbi quod ait *stetisse*, indicat omnino hoc æuo, Imperatore sedente in Consistorio, Consistorianos hos stetisse: Quod Cuiacius recte obseruauit *ad hanc leg.* sic etiam in subscriptione *d. l. 5. inf. de fide testium. Pars actorum habitorum apud Imperatorem Iulianum Augustum in Consistorio;* ADSTANTE *Iouio Viro Clarissimo Quæstore, Anatolio Magistro officiorum, Felice Comite S. L.* &c. Etsi alias superiore sæculo in arrogatione Aureliani, Valeriano adsedisse dicantur ab Acholio Magistro Admissionum, apud Vopiscum *in Aureliano, cap. 13.* Consul, Præfectus Prætorii, Præsides, Ducesque, &c.

DE

DE COMITIBVS ET TRIBVNIS SCHOLARVM.

TITVLVS XIII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XI.

(a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Priſciano (b) P. V.

PRÆPOSITOS ac Tribunos Scholarum, qui & diuinis (c) epulis adhibentur, & adorandi (d) Principis facultatem antiquitus meruerunt, inter quos Tribunos (e) etiam Sacri ſtabuli & Cura (f) Palatii numerantur, ſi Primi Ordinis Comitiuam cum Præpoſitura (g) meruerint, & caſu ad altiora non peruenerint, depoſito ſacramento inter eos qui Comites Ægypti vel Ponticæ (h) diœceſeos fuerint, quorum par dignitas eſt, haberi præcepimus. (i) Sin abſque honore Comitiuæ cuiuslibet Scholæ regimen fuerint nacti, abſolutos militia inter eos qui Duces (k) fuerint Prouinciarum numerari iubemus, & cetera. Dat. XII. Kal. April. Conſtantinop. Lucio V. C. CONS. [413.]

NOTAE.

(a) *L. vn. Cod. Iuſt. eod. tit.* Quibuſnam aliis Legibus ea iungenda ſit, mox dicam. *GOTHOFREDVS.*

(b) Num hic *Priſcianus* eſt, Grammaticus? Minime: Caſſiodorus enim Priſcianum Grammaticum ſuo tempore Conſtantinopoli Doctorem fuiſſe ſcribit *lib. de Orthogr. cap.* 12. *IDEM.*

(c) *Inquietudinis epulis*: ita corruptiſſime in Cod. Iuſt. Sed locum illum recte ibi emendauit Cl. Cuiacius. *IDEM.*

(d) De *Adoratione* Principis ad *l. vn. ſup. de Præpoſ. S. Cubiculi.* *IDEM.*

P. 97. (e) *Comites* habet Cod. Iuſt loco *Tribunos*. Ita Comites ſtabuli dicuntur *l.* 3. *de Equorum collat.* Ceterum hic reponendum, *Tribunus.* *IDEM.*

(f) De *Cura Palatii*, vid. & *l. vn. inf. qui a præbit. tyron.* *IDEM.*

(g) Scholæ ſcilicet. *IDEM.*

(h) De his Comitibus mox. *IDEM.*

(i) *Precipimus.* *IDEM.*

(k) *Duces* minores Comitibus ſuperioribus: de quo mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

SCHOLARVM (de quibus mox) Præpoſitos & TRIBVNOS, itemque qui inter illos numerantur, Tribunum STABVLI, & CVRAM Palatii, quæ duplici antiquitus honore gaudebant, puta, vt Principis Epulis adhiberentur adorandique Principis facultatem haberent, Theodoſius Iun. depoſito officio hac prærogatiua nunc auctum it, gradumque adeo eis adſignat parem Comitibus Ægypti & Ponticæ diœceſeos, ſi videlicet vna cum Præpoſitura Comitiuam quoque primi Ordinis meruerint. Alioquin ſi abſque honore Comitiuæ Scholæ alicui præfuerint, Ducibus prouinciarum exæquari iubet: *hac l.* ad Priſcianum P. V. data: Quæ pars eſt prolixæ Theodoſii Iunioris conſtitutionis de *Comitiua primi Ordinis*, alterius Dignitatis vel profeſſionis acceſſione; quemque ſinguli ea honoratorum gradum munere defuncti obtinere debeant, cuius conſtitutionis quinque præterea ἀποσπασμάτια hoc Codice occurrunt: puta *lex vlt. inf. de Comitib. rei militar. l. vn. de Comitib. qui Iluſtr. l. vn. de Comitibus & Archiatris S. Palatii: l. vn. de Comitib. qui prouincias: l. vn. de Comitib. Ordinis primi artium diuerſarum:* Quæ proinde huic noſtræ omnes coaſſandæ veniunt. Harum vero in vnam lineam coniectarum hæc ſumma eſt; Eorum qui Comitiua primi ordinis vna cum adminiſtratione vel profeſſione curaque demandata decorati ſunt, depoſito officio vel militia, longe diuerſam eſſe dignitatem ſeu gradum. 1. Alios enim *Comitibus* ſeu *Ducibus Ægypti & Ponticæ* (quorum ſumma inter Comites & Duces militares dignitas fuit, de quo *mox*) æquari, puta Præpoſitos & Tribunos Scholarum, Tribunos S. ſtabuli, & Curam Palatii *hac leg.* 2. Alios *Vicariis Præfectorum*, puta Adſeſſores Virorum Illuſtrium in actu poſitorum cum Comitiua primi ordinis, *l. vnic. de Comitib. qui Inluſtr. ag. adſid.* vt & Archiatros S. Palatii, *l. vn. de Comitib. & archiatr. S. Pal.* vt & prouinciarum Rectores eadem Comitiua ornatos, *l. vnic. de Comitib. qui prouincias regunt.* 3. Alios ceteris Ducibus æquari; puta (præter ſuperiores, ſi honorem Comitiuæ non ſimul adepti ſint *hac leg. in fin.*) Comites rei militaris, quique vice Magiſtrorum militum agunt, *d. l. vlt. de Comitib. rei milit.* quomodo & Primicerios domeſticorum poſt militiam expletam, *l. vlt. inf. de Domeſtic.* 4. Alios denique, *Conſularibus* æquari, puta eos qui vulgari aliqua arte aut publici operis alicuius cura, vel leui aliqua procuratione commodati, Comitiua primi ordinis decorati fuerunt, *l. vn. de Comitib. ordinis primi artium diuerſarum.* Vbi obiter attendendi veniunt hi quatuor dignitatum gradus: Primi ſcilicet Comites, ſeu Duces Ægypti & Ponticæ: Poſt hos Vicarii, Inde Duces, tandem Conſulares: Qui non idem prorſus ordo obſeruatur in *Notitia Dignitatum:* nam *ibi* Vicarii primi ponuntur, dein Comes Rei militaris per Ægyptum; Exinde, Duces;

poſt hos, Conſulares: cum tamen *Notitia* ſub eodem Theodoſio Iun. ſcripta ſit quatuordecim fere poſt hanc eius conſtitutionem annis, puta A. D. 427.

Nunc de Lege noſtra: vbi varia admodum notanda, illuſtrandaque veniunt. Primo notandum *hac l.* coniungi & æquari hos tres, Tribunos ſcholarum, Tribunos ſtabuli, Curam Palatii, ſic quoque coniunguntur *l. vn. inf. de his qui a prabit. tyronum.*

Secundo de *Scholis* videndum eſt: Scholæ ſcilicet (de quibus *h. l.* agitur, vt & de earum Præpoſitis, & Tribunis,) erant ſcholæ Palatinæ ſub diſpoſitione Magiſtri officiorum: puta ſcholæ Scutariorum, ſcholæ Gentilium, de quibus *Notitia Imperii*, & *l. 20. 34. de erogat. mil. ann. l. 8. 9. 10. 11. 12. de annonis ciuicis: l. 9. de diu. officiis.* his adde & *leg. 3. Cod. Iuſt. de off. Mag. officior.* Et frequens earundem mentio apud Ammian. Marcellinum. Singulis porro ſcholis his ſui quique Tribuni vel Præpoſiti fuere: quorum frequens item admodum mentio apud Am. Marcellinum, ſed & præter hanc legem, *l. 23. inf. de erogat. mil. ann.* qui & Comites ſcholarum, de quo *mox.* Poſt hos capita ſcholarum, apud Marcellinum *lib. 25. cap. 10.* Comites ſcholarum *Nouella Theodoſii, de ſcholarib. Comitibus ſcholarum 29.* Cæteri Scholares dicti, *d. l. 34.* Et hæc de ſcholis.

Tertio, de *Tribuno S. ſtabuli* videndum eſt. Igitur, Tribunus *ſtabuli*, idem Comes Stabuli vocatur *l. 3. inf. de equorum conlat. l. vn. inf. de his qui a prab. tyron. l. 29. inf. de annona & tributis:* itaque & in *Cod. Iuſt. h. l.* ſubſtitutum, *Comes S. ſtabuli*, cum hic legatur *Tribunus:* dicitur & *Curare ſtabulum* Ammiano Marcellino *lib. 31. cap. 13.* Quinque huiuſmodi Tribunorum ſtabuli meminit idem; Agilonis *lib. 14. cap. 10.* Sintulæ, *lib. 20. cap. 4.* Conſtantiani, *lib. 28 cap. 2.* Cerealis, *lib. 30. cap. 5.* Valeriani, *lib. 31. cap. 13.* Huic Comiti ſtabuli quædam ſportulæ tribuebantur ab iis, qui equos conferebant, *d. l. 3.* & *d. l. 29.* quibus locis dicam plenius.

Quarto loco de *Cura Palatii* notandum eſt, eius mentionem fieri rurſus *l. vn. inf. de his qui a prabit. tyronum:* & apud Am. Marcellin. *lib. 14. c. 7. lib. 26. c. 8. lib. 31. cap. 12. 13.* & in *Notitia Imperii* ſub Caſtrenſi, & apud Sidonium Apollinarem. Idem Agens curam Palatii quoque dicitur, *lib. 14. cap. 7.* cui palatii cura erat credita, *lib. 31. cap. 12.* qui Palatium curabat, *cit. lib. cap. 13.* Is omnium Principis fabricarum curam gerebat, quod docet formula Curæ Palatii, apud Caſſiodorum *VII. 5.* ex cura Palatii apud eundem Ammianum *lib. 22. c. 3.* vbi de Saturnino, qui hac Cura perfunctus. Inde *Curopalata* vox in Imperio Græco: Quæ quidem dignitas in tantum augeri meruit, vt Imperatoriæ proxima eſſet, eaque Imperatoris frater defungeretur, vt teſtatur Photius, *in Bibliotheca:* Luitprandus, *in legat. pag. 154. edit. Antw. 1640.* Corippus, *lib. 1.* Sane Iuſtinum e Curopalate Imper. factum, notum eſt. Quod apud Principem erat *cura Palatii*, id apud maiores Magiſtratus *Cura-Pratorii* fuiſſe videtur, cuius mentio fit in *epiſtola* Valeriani Imper. *apud Pollionem* in vita *Claudii cap. 14.*

Nunc de cæteris ad *hanc l.* Quinto igitur loco agendum de *Honore menſa Imperatoria;* Nam de honore menſæ, qua ſeruus ad libertatem Latinam perducebatur, non hic agendum (quo alioquin præter ſolemnes iam locos eſt Papiani locus *tit. 43. Reſponſorum* collatus cum loco Theophili *Inſtit. de Libertin.* §. 4. ibi, ἐπὶ ἐλευθερίας δόσει) Honoris certe maximi ſemper fuit Principalis menſæ & conuiuii ſeu epularum

P. 98. factis admoueri. Non abs re apud Virgilium *Æneid. 1. v. 83.* Æolus ſe iactat, *Tu das epulis accumbere Diuum*, & in magno hoc erat, cœnæ Imperatoriæ participem fieri: neque immerito: quia Plinio auctore *lib. 2. ep. 6.* ceteris rebus exæquat, quos cœna & menſa æquauit. Multa vero eius mentio apud Statium *lib. 1. Syluarum: Kal. Decembr. Saturnal.* & *lib. 4.* vbi Eucharisticon carmen ſeu gratiarum actio Papinii ad Domitianum pro *epuli honore:* Suetonium *Caio c. 37. Veſpaſiano, c. 2. Domitiano c. 14.* Martialem, *lib. 8. ep. 39.* Aulum Serenum ad Seuerum aliosque. Sed neque hæc, neque antiquiora colligo, quæ apud Doct. Sauaronem in Sidon. Apoll. *lib. 1. ep. 11.* alioſque occurrunt. Ad Conſtantiniana, Theodoſianaque, & ſic noſtra proprioque tempora me confero. Meminerunt huius honoris multi ſcriptores, Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 5.* vbi *honorem menſa Regalis* vocat, Libanius *ep. 60.* ad Themiſtium illi gratulatur: ὡς αὖθις συγγένοιο τῷ βασιλεῖ; & mox: τιμαί τε ὅτι σοι μείζους ἢ πρότερον γένοιτο, τραπέζης τε κοινωνία πλείω δηλῶσα τὴν οἰκειότητα. Eunapius in *Proareſii vita pag. 157. edit. Commelin.* Proæreſium Sophiſtam ait a Conſtante Imp. in Gallias euocatum, tanta apud eum auctoritate fuiſſe, vt ὁμοτράπεζος ἅμα τοῖς τιμιωτάτοις, *conuictor ad menſam eius inter honoratiſſimos*, Imperatori fuerit. Meminere ſub Theodoſio M. plures, qui eum honorem pluribus communicauit. Pacatus in *Panegyrico Theodoſii cap. 00. Ille menſa beatus, ille oſculo conſecratus eſt.* Libanius iterum Orationibus, quas edidi, κατὰ τῶν εἰσιόντων *pag. 102.* & altera ὑπὲρ τῶν ἱερῶν *pag. 32.* vbi Theodoſium M. eo nomine commendat, quod paganos ſeu Gentiles συσσίτους fecerit: Zoſimus quoque *lib. 4. cap. 56.* ait, omnis Nationis Duces (Gentiles ſcilicet & Barbaros) a Theodoſio M. menſæ adhibitos: καὶ τοὺς ἑκάστης φυλῆς ἡγουμένους καὶ τραπέζης ἠξίου κοινῆς, *omni ſtudio proſequebatur & menſa adhibebat.* Idque ipſum Eunapius quoque ſcribit in Excerptis Legationum, *in fin.* quod eos ὁμοτραπέζους εἶχε καὶ ὁμοσκήνους. Claudianus quoque *2. in Eutrop. v. 79.* inter titulos ſtatuis Eutropii ſubſcriptos:

Subter adulantes tituli nimiaque leguntur
Vel maribus laudes: claro quod nobilis ortu
Conuiua & Domini.

& Epitaphium Probi PF.

Latabare prius Menſa Regalis honore,
Principis alloquio, Regis amicitia.

His certe temporibus conſtitutum erat, quænam dignitates honore regalis menſæ fruerentur, quique pro dignitate & gradu ſuo Principis epulis adhiberi poſſent. De Illuſtribus nemo dubitabit, eos Principis menſæ ius habuiſſe, vid. Caſſiodorum *XII. Variar. 12.* De Spectabilibus ſub Conſtantio inſignis extat apud Ammianum Marcellinum *lib. 15. cap. 5.* locus, vbi de Vrſicino Duce *Tribuni* conditione in Gallias miſſo ad Siluanum, qui ad Auguſtum culmen euectus fuerat. *Suſceptus idem Dux* (Vrſicinus a Siluano Imperatorium faſtigium adepto) *adactuſque, inclinante negotio ipſo ceruices, adorare ſolemniter anhelantem celſius purpuram, vt* SPECTABILIS *colebatur, & intimus facilitate aditus honoreque Menſa Regalis adeo interpoſitus aliis, vt iam ſecretius de rerum ſumma conſularetur.* Et vero id etiam confirmat hæc *lex* noſtra, qua *Tribunis* ſcholarum & ſacri ſtabuli tributum hoc menſæ Regalis ius apparet, idque etſi Comitiua primi ordinis non decoratis: vt fallatur Magnus I. C. qui honorem iſtum Comitiua tantum prima honoratis, non aliis tributum ſcribit. Quod *h. l.* aperte refellitur.

De *Adoratione* quod Sexto loco *his* notandum, iam ſupra plene diximus *ad l. vn. ſup. de prapoſitis S. Cubiculi.* Cæterum de iis quibus geniculationis ſiue adorationis iſtius honor tributus, quædam adhuc notanda ſuperſunt. Et quidem ex ſuperiore Ammiani loco conſtat, *Spectabilibus* id honoris tributum; Neque tantum iis qui adminiſtrauerunt, ſeu adminiſtratione aliqua perfuncti ſunt ciuili aut militari (vt alioquin conſtat ex *l. 1. inf. de Decurio-*

nib.

nib. & filent.) Verum etiam Protectoribus, & Domesticis Principis, *l. 3. inf. de domesticis*, *l. 9. inf. de diuerf. offic. l. 3. inf. de Fabricenf.* Item Decurionibus Palatii post emensum obsequium, *l. 1. inf. de Decurion. & filent.* Itemque Numerariis & Cornicularis aliisque Officialibus Magistratuum transacto officio, *l. 13. inf. de Numerariis: l. 4.* vbi dicam, *8. 9. 16. inf. de diuerf. offic. l. 70. inf. de decur.* Et Principibus officiorum, qui adorata clementia Principali transacto officio cum insignibus exibant, vt ex Notitia Imperii videre est. Sed & Primiceriis fabricarum, *d. l. 3. infr. de Fabricensib.* Denique certus adorationis modo erat; hinc Primicerii fabricasum *inter* protectores Principem adorare dicuntur, *d. l. 3.* Item Decuriones Palatii *inter* Ex-ducibus *d. l. 1. inf. de Decurionib. & filent.*

Septimo loco obseruandum est, *hac leg.* Præpositis seu Tribunis scholarum, Tribunis S. Stabuli, & Curæ Palatii, hunc quem dixi gradum attribui; si vna cum officio, Præpositura, vel Tribunatu, Comitiuam primi ordinis meruerint: id est, si vna cum codicillis officii, dignitas hæc quoque collata fuit, quod hoc tempore ferme factum & in aliis dignitatibus, puta vt non expectaretur militiæ expletæ tempus, verum in instanti & CVM munere comitiua hæc deferretur: Quod cernere est ex tota Theodosii *constitutione*, vnde hæc desumpta est, seu ex quinque *legibus*, quæ exinde præterea desumptæ sunt: Nam & ita *l. 3. seu vlt. inf. de Comitib. rei milit.* præsupponuntur destinati peculiariter ad prouinciam, vel prouincias defendendas, milite credito SVB Comitiuæ primi ordinis dignitate. Ita *l. vn. de Comitib. qui Inlustr.* præsupponuntur Adsessores CVM primi ordinis Comitiua Virorum Illustrium: Ita *l. vn. de Comitib. & Archiatr.* Archiatri intra Palatium militantes Comitiuæ primi ordinis gradu nobilitati. Ita *l. vn. de Comitib. qui prou. reg.* hi qui in administratione ciuili ac prouinciæ gubernaculis SVB Iurisdictionis licentia Comites quoque primi ordinis esse meruerunt. Idemque præsupponitur *l. vn. de Comitib. ord. pr. art. dim.* Et certe id mox in assiduum fere morem versum, fidem facit Notitia Imperii. Hinc igitur Comites & Tribuni scholarum, *Rub. h. t.* Comites scholarum, *l. 3. Cod. Iust. de offic. Mag. offic.* Marcellinus *Chronico, ad an. 508. Rusticus Comes Scholariorum.* Et hæc quidem Prima est Comitum ordinis primi species, nempe ἐμπράκτων: Altera est, Vacans: & Tertia, Honoraria seu Codicillaris: de quo *l. vn. infr. de Comitib. vac.*

Octauo nunc loco de Comitibus Ægypti & Ponticæ dioeceseos, quorum *hac leg.* mentio fit, videndum est. Quod *Comitem Ægypti* attinet, is est qui in *Notitia Imperii fol. 86.* dicitur *Comes limitis*, vel *rei militaris per Ægyptum*: de quo alibi. Dux Ægypti, cuiusmodi duos memorat Marcellinus, Artemium, *lib. 22. cap. 11.* de quo & Theodoretus *lib. 3. cap. 17.* Chronicon Alexandrinum & Nicephorus Callist. *s.* & Sebastianum *lib. 23. cap. 3.* (de quo sensisse videtur Iulianus *epist. 10. ad Alexandrinos*, vbi *Sebastianum* COMITEM *ex Duce Ægypti* vocat) & de de quo Duce Athanasius *epist. ad solitarios, Tom. I. pag. 858.* & *Apologia*, qui eum δοῦκα & στρατηλάτην passim nominat. *Vid. Apolog. I. pag. 704. edit. Lipf.* De eo Libanius, & ad eum *ep. 308. 340. 412. 494. 809.* vbi passim Ægypto eum στρατηλάτην præfuisse ait, *Comitis Ponticæ dioeceseos* non alia occurrit mentio: Vicarius enim Ponticæ & ante fuit: cuius mentio:
P. 99. fit *l. 94. de Decurionib. (l. 9. ad l. Iul. de adulter.) l. 42. de cursu: l. 12. de exactionib. l. 10. de hæreticis, l. 7. de desertorib. l. vlt. de Princ. agent.* vid. & Am. Marcellino, *lib. 17.* Gregorium Nazianz. *in Epistolis*: Et postea etiam abolitus is a Iustiniano *Nouella 8. cap. 3.* & *27. pr.* Mox Restitutus *Edicto 8.* Iidem porro Comites dicuntur vel connumerantur Ducibus, *l. 3. de Comitib. rei milit.* quæ *huic* inter alias coniungenda est. Obseruanda interim *hic* & *d. l. 3.*

horum duorum siue Comitum siue Ducum prærogatiua sub Theodosio Iun. vt præ cæteris eminerent: Ideo scilicet, quod conicere licet, quod duo præcipua Imperii Orientalis claustra custodirent: Pariter vt Comitum in Occidente per Transmarinas prouincias peculiaris ratio habita, *l. 1. de Comitib. rei mil.*

Postremo loco de *Comitum & comitiua ordinibus tribus* hic semel disquirendum est, quandoquidem *hoc Codice* frequens eorum mentio occurrit, vt & in *veterib. Inscriptionibus.* Et quidem de Comitiua primi ordinis *hoc titulo & Titulis quinque sequentibus Tit. 14. 15. 16. 17. 18.* Item *tit. 20. at. l. 54. inf. de Hæreticis, l. 14. 15. 16. inf. de Censitor. l. 13. de Senator. l. 9. de præd. nauic.* cuius Comitiuæ primi ordinis formulam habet Cassiodorus *VI. Variar. 12.* apud quem eundem vide de Comitiua primi ordinis, & Spectabilitatis honore cuidam ex Principe Officii pro meritis tributa, *II. Var. 28.* seruatis Scholæ suæ priuilegiis, id est, immunitate a sordidis muneribus. Quod & ipsum statuitur *l. 12. inf. de Med. & professor.* de Archiatris Comitiuæ honore donatis. De Comitiua secundi ordinis, *l. 2. inf. de Comitib. rei milit. l. 17. 18. inf. de proximis Com. dispof. l. 8. inf. de Agentib. in reb.* De Comitiua tertii ordinis, *l. 127. inf. de Decurion. l. 9. & 10. inf. de Suariis*, & *d. l. 17. inf. de proxim. Comit. dispof.* De his autem non vna quæstio incurrit: *Prima* est, A quo Principe instituti fuerint hi Comitum gradus siue Tituli? Cuiacius *ad l. vn. Cod. h. tit.* a Constantino M. Imperatore adinuentos prodidit: quod hactenus alii quoque sequuti sunt: Et verum est; Quem tamen vellicant nonnulli. In vtramque partem trahitur Scriptoris (qui vulgo Cæsariensis Eusebius) locus, *lib. 4. de vita Constantini cap. 1.* Eius verba hæc sunt: ὧδε μὲν, κοινὴν πρὸς ἅπαντας ἐνδεικνύμενος πατρικὴν κηδεμονίαν. ὧδε δὲ, τῶν αὐτῷ γνωριζομένων ἕκαστον διαφόροις τιμῶν ἀξιώμασι πάντα τε τοῖς πᾶσι μεγαλοψύχῳ διανοίᾳ δωρούμενος. οὐδ᾽ ἦν σκοποῦ διαμαρτεῖν, παρὰ βασιλέως χάριν αἰτοῦντα. οὐδ᾽ ἔτις ἐλπίσας ἀγαθοῦ τυχεῖν τοῦ προσδοκηθέντος ἠστόχησεν. ἀλλ᾽ οἱ μὲν χρημάτων, οἱ δὲ κτημάτων περιουσίας ἐτύγχανον ἄλλοι ὑπατικῶν ὑπαρχικῶν ἀξιωμάτων. οἱ δὲ συγκλήτου τιμῆς. οἱ δὲ τῶν ὑπάτων. πλεῖους δ᾽ ἡγεμόνες ἐχρημάτιζον. κομήτων δ᾽ οἱ μὲν, πρώτου τάγματος ἠξιοῦντο. οἱ δὲ δευτέρου, οἱ δὲ τρίτου. Id est, *Qua in re partim quidem se paterna quadam erga omnes cura affici ostendit, partim vero* FAMILIARES *suos variis honoribus decorauit, quos ille alto & excelso animo in omnes conferebat. Neque sane cuiquam aliquid ab Imperatore postulanti denegatum est, nec cuiusquam spes aliquod ab eo beneficium expectantis frustrata est. Nam alios pecuniis, alios amplissimis possessionibus locupletabat, multos præterea Consulari dignitate, multos Senatoris officiis, alios Consulum ornauit: Ducatus plurimis collatus: Quidam Comitum primi ordinis constituti, alii vero secundi, nonnulli tertii.* Ex hoc loco sic colligunt, nihilo magis statui posse, Comites primi ordinis, & secundi, tertiique a Constantino primum creatos fuisse, quam Consules & Consulares & Duces, & Senatores, & alias Dignitates, quibus singulos quosque decorare consueuisse Constantinum ibidem refert Eusebius. Verum quæ illico sequuntur apud hunc Scriptorem verba, quam vera sit Cuiacii sententia, ostendunt, vt de ea dubitari non possit: διασημοτάτων δ᾽ ὡσαύτως καὶ ἑτέρων πλείστων ἄλλων ἀξιωμάτων μύριοι ἄλλοι μετεῖχον: εἰς γὰρ τὸ πλείονας τιμᾶν, διαφόρους ἐπενόει βασιλεὺς ἀξίας, id est, *Clarissimos ista ratione & alios multos honores infiniti alii sortiti sunt: Nam vt plurimos honoribus afficeret, varias excogitauit Imperator dignitates.* Et certe nulla prorsus harum dignitatum ante Constantinum mentio vllibi extat. Illud equidem scio (quod a Lipsio animaduersum

iamdudum teneo) Amicorum & Comitum Principis varias fuiſſe cohortes, & quidem in tres ferme (vt volunt) claſſes diſtributos; ſic vt alii eſſent Primi, alii Secundi loci, alii etiam inferioris, ſeu, alii Amici primi, alii ſecundi: denique alii Amici primæ & ſecundæ admiſſionis. Vt omittam ea de re Senecæ *de Clementia*, & *de beneficiis*, locos; Duo inſignes loci maxime occurrunt. Vnus eſt apud Suetonium, *in vita Tiberii, cap. 46. Pecuniæ*, inquit, *parcus ac tenax Comites peregrinationum expeditionumque nunquam ſalario, cibariis tantum ſuſtentauit, vna modo liberalitate ex indulgentia vitrici profecutus cum* TRIBVS CLASSIBVS *factis pro dignitate cuiuſque prima ſexcenta ſeſtertia, ſecunda quadringenta distribuit, ducenta tertiæ quam non Amicorum, ſed Gratorum appellabat.* Alter eſt Lampridii, *in Alexandro Seuero cap. 20. Moderationis tanta fuit, vt Amicos non ſolum primi, ac ſecundi loci, ſed etiam inferioris ægrotantes viſeret.* Quem tamen locum alii aliter explicant, eo videlicet ſenſu, quo ſecundi Ordinis, id eſt, Equeſtris, Iuuenes dicuntur apud Statium in *epiſtola lib. 4. ſyluar. præfixa.* Hæc, & id genus alia comperta habeo: Verum longe id aliud eſt. Neque enim horum Amicorum aut Comitum dignitas certa fuit, neque alii hoc nomine donabantur, quam qui *reuera* Principis Amici forent, aut Comites: At *Comitis* titulus, de quo nunc agimus, *honoris* & dignitatis eſt titulus, qui ſtata certaque commoda adnexa habebat, vt docet *lex vlt. inf. de proximis Comit. diſpoſ.* Deinde alii ſunt *Amici*, alii *Comites:* quos tamen coniunctim ſæpe nominari videmus, Conſtantinianeis adhuc & Nicæni Concilii temporibus, *Si quis eſt cuiuſcunque loci* (ait *lex 4. inf. de accuſationibus*) *ordinis, dignitatis, qui ſe in quemcunque* IVDICVM, COMITVM, AMICORVM, *vel* PALATINORVM *meorum aliquid veraciter & manifeſte probare poſſe confidit, quod non integre atque iuſte geſſiſſe videatur, intrepidus & ſecurus accedat, interpellet me; ipſe audiam omnia, ipſe cognoſcam*; cum qua *leg.* contendi cupio locum mox allegatum Lampridii *in Alex. Seuero.* Et ante Conſtantinum Spartianus *in vita Adriani. c. 18. Quum iudicaret, in conſilio habuit non* AMICOS *ſuos, aut* COMITES *ſolum, ſed Iureconſultos, & præcipue Iulium Celſum, Saluium Iulianum, Neratium Priſcum, aliosque quos tamen Senatus omnis probaſſet.* Lampridius in *Alexandro, cap. 32. Iniuriam nulli vnquam* AMICORVM, COMITVMVE *fecit.* Etſi in vnum vtrumque quandoque concurreret, vt in Lapide veteri, *apud Gruter.* pag. MC. *num. 5* C. SENTIO SEVERO QVADRATO. C. V. COS. AMICO ET COM. AVG. N. Sed & Comites quandoque *Amicorum* appellatione veniebant: Item Amici *Comitum*, quis hoc neget? an alios quam Amicos in Comitatu habuerit Princeps? Sed non ideo in cohorte, in corpore Amicorum: vt ſuperiore Suetonii loco, *in Tiberio, cap. 46.* Hoc tamen inter vtroſque diſcrimen pono: Amici, familiares magis & interiores atque interioris Principis vitæ conſcii, quos in oculis ferebat, quibus cum conſilia omnia miſcebat, & de quibus extat quoque locus, & mentio fit in *l. 1. Cod. Iuſt. de ſent. paſſ.*, cuius lectionem Cuiacius perperam ſollicitat *XV. Obſ. 3.* Amici hoc ſenſu, *ce ſont les Mignons & fauorits.* *Comites* vero peregrinationum & expeditionum Comites & Adiutores, quibus in Caſtrametatione & ſtationibus pedatura ante Prætorium primo loco adſignabatur teſte
P.100. Hygino *in Gromatico f. 3. ed. Amſt. de a. 1660.* Vtrique tamen vbi opus, Conſiliarii, ſeu conſilio adhibiti: quos poſterior ætas *Conſiſtorianos* dixit. A Comitibus iſtis, *Principis Comitatus.* Et, vt paucis & proprie dicam *Comites*, conſiliorum & laborum participes, adiutores, *amici*, familiares. Ecce Ammianus quoque, *lib. 16. cap. 12.* vbi de Chonodomario Alamannorum R. ſeſe dedente, *Solus*, inquit, *egreſſus* COMITESQVE *eius ducenti numero, & tres* AMICI *iunctiſſimi flagitium arbitrati poſt Regem viuere, vel pro Rege non mori, ſi ita tulerit caſus, tradidere ſe vinciendos.* Amicorum certe Principis frequens mentio in Hiſtoria Auguſta, & quidem ad Conſtantinum vſque: vide Spartianum, *Adriano cap. 7. 9. 18.* Lamprid. *Alex. Seuero, cap. 66.* Hæc de Comitibus & Amicis Principum dixiſſe ſufficiat, de quibus etiam fuſius dicetur, *d. l. 4. inf. de accuſation.*

Nunc de Comitibus a Conſtantino in tres ordines diſtributis videndum eſt. Cum *Comites* omnino primigenia & vera ſignificatione ſint, quos laborum ſibi Princeps ſocius atque adiutores adſciſcebat, vbicunque ſubſiſteret, atque ab his *Comitatus* Principis locus diceretur, in quo Princeps conſiſtebat cum Comitibus ſuis, vnde & *Conſiſtorii* & *Conſiſtorianorum* vox: viſum Conſtantino, dum ſingulos quoſque aliquo honore cumulatos cupit, *Comitis* titulum communicare iis, quoſcunque laborum ſocios & Comites haberi credique vellet: ſiue dum adminiſtratione aliqua ciuili aut militari fungerentur, ſiue etiam officio aliquo defuncti, quos hoc quaſi conſiliorum & laborum participatus honore & dignitate pro præmio extulit. Atque hæc vera eſt COMITVM origo, de quibus tam anxie diſquiritur, quique poſtea communi gentium conſenſu recepti: *Comites* ſcilicet non alii ſunt quam ſocii, Comites, participes laborum Principis, quoſque pro talibus haberi pro præmio cupit. Inſignis locus *l. vn. inf. qui a præbitione tyronum: Et cæteras ſimiles Comitum laboribus noſtris ſocias dignitates.* Cæterum, cum & diuerſa eorum eſſent merita, quibus *Comitis* titulum Conſtantinus communicatum voluit, ipſe autem quamplurimis honorum titulos communicatos vellet; factum inde, vt *Comitum* diuerſos gradus quoque conſtitueret. Primi inquam, Secundi, & Tertii ordinis, de quo Auctor vitæ Conſtantini. Quæ quidem Comitum diuiſio ante Conſtantinum nunquam audita, receptaue fuit. Nam quod a Tiberio factum, id ſtatam formam non habuit, & ſemel tantum, momentoque factum ad liberalitatem exercendam; neque claſſes illæ *honorum* tituli diſcreti fuere: neque extra Comites veros Principis id ab eo factum. Contra Comitum ordines illi tres a Conſtantino primo ſtatam formam accepere: quo argumento etiam liquet, Modeſtum qui ſcripſit de vocabulis rei militaris, poſt Conſtantinum ſcripſiſſe, quando *Comitiuæ primi ordinis* meminerit; & deinceps ita obſeruati, & honorum tituli diſcreti fuere, & extra veros Principis Comites, hic titulus aliis communicatus: vt ecce vulgaris artis etiam profeſſoribus *tit. 20. inf.* Proximis ſacrorum ſcriniorum, *l. 17. 18. inf. de proximis*, ſed & in eo peccatur, quod *Conſiſtoriani Comites*, ſoli Comites ordinis primi fuiſſe indicantur, quos refellunt præter hunc titulum tituli octo ſequentes. Fuit equidem hæc Comitum Ordinis primi prærogatiua, vt Conſiſtorium Principis ingredi poſſent, vt teſtatur Caſſiodorus *VI. Variar. 12. in formula Comitiuæ primi Ordinis: Spectabilitas* inquit *clara & conſiſtorio noſtro digniſſima.* Et paulo poſt: *Comitiuam tibi primi Ordinis largimur, vt conſiſtorium noſtrum ſicut rogatus ingrederis, ita moribus laudatus exornes:* Verum non ideo Comites Conſiſtoriani dicti, de quibus proprie agitur *tit. 12. ſup.* Ergo Conſtantini M. ſecutorumque Principum mens ea, quam dixi, fuit, cum tres Comitum gradus & ordines facerent, vel conferrent pro cuiuſque meritis: Qui eidem quoque (quod ſecundum hic Arcanum notandum) eundem Comitis ordinem, pro ratione eius officii cui applicaretur, diuerſo gradu haberi cenſerique voluerunt. Denique opportunus hic ſeſe nunc rurſum aperit locus, interpretandi literas quaſdam ſingulares, quas præferunt in *Imperii Notitia fol. 79. ſeqq.* Codicilli dignitatum, in quibus interpretandis tantopere hactenus, ſed fruſtra deſudatur. Sigla ſunt hæc: FL. INT. ALL. COM. ORD. PR. Ea ſic interpretari oportet: *Feliciter. Inter allectos Comites ordinis primi.* Item hæc *fol. 109 ſq.*

FL.

FL. VAL. COSRI. IVSSID. id est. *Feliciter vir allectus Comes Ordinis Tertii iussione diuina.* Rideat necesse est, qui diuinatoriam Panciroli interpretationem legerit. Certe Magno quoque in Notis ista C. OP. ita recte interpretatur *Comites ordinis primi.* Superest videamus, quid sibi velint hæ Notæ in Codicillis Præsidis Thebaidos *fol. 108.* FL. VAL. PNEN. IVSSV. AVG. Pancirolus ita interpretatur; *Felix liber veniens a laterculo primicerii Notariorum & Notariis iussu Augustali.* Eas sic interpretor, *Feliciter vir allectus prouincia emendanda iussu Augusti.*



P. 101. # DE COMITIBVS REI MILITARIS.

TITVLVS XIV.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XII.

GRADVS *Comitum rei militaris, post ductum militem in Africa.*

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. Ampelio (b) P. V. Post alia.

QVI contemplatione meritorum, ducto intra Prouincias Transmarinas (c) strenuissime (d) milite, Primi ordinis Comitiuam fuerint consecuti, ea reuerentia altissimarum (e) dignitatum viris subiugantur, (f) vt his locum (g) præstent qui Proconsulatus (h) insignibus adornantur: & cætera. Dat. III. Non. Iul. Nasonnaci, Modesto & Arintheo CONSS. [372.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* Quibus Legibus ea iungenda sit, mox viderimus: Inter alias vero est *lex 4. inf. de honor. Codic.* vbi hæc totidem fere verbis repetita extat. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Ampelius* P. V. Romæ sub Valentiniano Sen. de quo ad *l. 1. sup. de Præfect. Prætor.* quæ inter alias huic iungenda est. *IDEM.*

(c) *Transmarinæ* Prouinciæ sunt Africanæ: de quo mox. *IDEM.*

(d) Sustineri possit: malim tamen *strenuissimo*, vt Cod. Iust. *IDEM.*

(e) *Altissimæ* dignitates sunt illustres. vid. *Notitiam nostram.* *IDEM.*

(f) Ita quoque Cod. Iust. sed repono *subiungantur*: vt *d. l. 4. inf. de honor. Cod.* quæ & ipsa *huic leg.* coassanda est, & huic gemina germana est. *IDEM.*

(g) Id est, gradu cedant. *IDEM.*

(h) Vide quoque, quæ dicam de hoc loco, ad *d. l. 4.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

COMITIBVS rei militaris, intra transmarinas prouincias post ductum militem Comitiua primi ordinis decoratis, suum gradum adsignat *hac l.* Valentinianus Sen. quæ pars est Valentinianeæ constitutionis de Gradibus dignitatum, cuius meminit Valentinianus Iun. filius eius *l. 2. sup. vt dignit. ordo:* e qua supersunt quatuor insuper fragmenta: puta *lex 1. sup. de Præf. prætorio: l. 1. sup. de Quæstorib. l. vn. sup. de Magistris scriniorum,* & *l. 4. inf. de honor. codicillis*, quæ proinde omnes cum hac coassandæ veniunt. Nos de istis Comitibus rei militaris; mox de eorum gradu agamus.

Igitur *Comites rei militaris*, de quibus agitur *h. l.* & *l. vlt. sup. de off. Iudicum omnium,* & *l. 4. 9. 17. vlt. inf. de re militari: l. 12. 32. de erogat. milit. ann. l. 2. de Salgamo, l. vn. de Comitib. & Tribunis: l. vlt. de Veteranis: l. 49. de cursu publ. l. 128. de Decurionib. l. 4. de patrocin. Vicor.* erant, qui ad prouinciam aliquam defendendam milite credito ab Imperatore destinabantur, vt aperte docet hæc *lex*, & *lex 3. hoc tit.* Ex his maioris meriti erant, qui intra Transmarinas prouincias militem ducebant: vbi *Transmarinæ prouinciæ* Valentiniano Imper. qui Occidenti præerat, dicuntur prouinciæ Africanæ, quo sensu passim prouinciæ Transmarinæ hoc Codice, & apud Patres, Conciliaque huius æui: de quo plene alibi. Comites igitur rei militaris intra prouincias Transmarinas *hic* sunt Comes rei militaris per Africam: cuius mentio fit quoque *l. 3. de erogat. mil. ann.* & apud Ammianum Marcellinum, *lib. 30. c. 7.* Item, Comes Tingitaniæ: cuius vtriusque mentio in Notitia Imperii Occident. His accensendus & Comes Duxque Tripolitanæ: de quo *l. vlt. inf quorum appellat. Dux & Com.* (f. Comes) *limitis Tripolitani, l. 133. de Decurionibus.* His vero non absimiles erant Comites per Britaniam, Italiæ, Argentoratensis tractus, per vtramque Germaniam, de quibus Amm. Marcellinus & Notitia Imperii, & *l. 9. inf. de re militari.* Hi scilicet ferme per Occidentem Comites rei militaris memorantur, neque vno tamen omnes tempore: qui & *Comites* prouinciarum quoque dicuntur, *l. 1. sup. de off. Rectoris pro-*

nine. Ex horum vero numero potiore loco habiti vel certe eos haberi voluit Valentinianus, qui intra transmarinas prouincias militem duxissent: *hac leg.* quæ data est A. D. 372. Modesto & Arintheo Coss. Quo ipso certe tempore & anno *Romanus Comes* per Africam erat, & Theodosius quoque eodem missus Comes & Magister Equitum aduersus Firmum: de quo Amm. Marcellinus *lib. 29.* & Zosimus, *lib. 4. cap. 16.* scilicet maioris meriti visum per eas prouincias exercitum ducere, velut semotiores, quæque cum maiore periculo adirentur, & per exustas caloribus terras. Ita sane quoque Transmarina legatione apud Principem defunctis biennii vacatio dabatur: non vero iis qui de proximo legatione functi erant, *l. 3. Cod. Iust. de Legationibus.* Ergo Comites hic sunt, qui ferme vices Magistrorum militum agebant, seu Vicarii eorum, seu Pro-Magistro: cuius-
P.102. modi Prosperum Comitem memorat Amm. Marcellinus *lib. 14. cap. 11.* & *lib. 15. in fin.* similis & Comes Domesticorum Mauricanus, qui vices Magistri militum agebat: *l. 1. de venat. ferar.* Non igitur hæc lex exaudienda est de illis Comitibus, qui Magistri militum simul erant, & sic Illustres, qualis fuit Theodosius, de quo modo dixi; verum Rectores militum, qui postquam duxissent militem, *contemplatione meritorum* postea, seu post ductum militem, Primi ordinis Comitiuam fuerint consecuti, vt *h. l.* diserte dicitur: quique ipsi postea ex hoc Comitum gradu ad Magisteriam militum proxime conscendebant. Ammianus Marcellinus, *lib. 26. c. 5. Tunc & Equitius Illyriciano præponitur exercitui, nondum Magister, sed Comes*; & mox *eod. capit. Valentinianus eodem Equitio aucto Magisterii dignitate, repedare ad Illyricum destinabat.* Sic Constantium, Bonifacium, Aëtium, prius Comites, deinde Magistros fuisse legimus: sic Anthemium, qui mox post expeditionem cum Comitiua Militum Magister creatus est. Sidonius Apollinaris *Carm. 2. v. 205.*

Hinc reduci datur omnis honor, & vtrique Magister
Militia, Consulque micas, coniuncta potestas
Patricii.

Fuerat enim is Comes Danubii partium, Scythici inquam & Mœsiaci limitis: de quo Sidonius Apollin. *Carm. 2. vers. 199.*

COMITIS *sed iure recepto,*
Danubii ripas, & tractum Limitis ampli
Circuit, hortatur, disponit, discutit, armat.

Huc pertinent igitur quoque Comites Africæ, Tingitaniæ, Litoris Saxonici, Britanniæ, Italiæ, Argentoratensis, quos memorat *Notitia* Imperii Occidentalis; in quorum iam ordinariis Insignibus mandatorum libris, vel Codicillis, notæ illæ, quas superiore titulo explicabam, habentur. FL. INF. ALL. COM. ORD. PR. id est, *Feliciter inter Allectos Comites ordinis primi*: pariter vt in Insignibus Comitum per Orientem, puta Limitis, seu rei militaris per Ægyptum, & Isauriæ. Hæc igitur prima iam distinctio inter Comites rei militaris obseruetur per Occidentem: peculiarisque adeo ratio eorum qui per Transmarinas prouincias militem duxerunt: Pariter vt Orientem quoque peculiaris Comitum Ægypti, & Ponticæ, & per Orientem ratio fuit, *l. vn. sup. de Comitib. & Tribunis scholar.* & *l. vlt. hoc tit.* & *l. 3. sup. de Primicerio & Notar.* Altera distinctio Comitum rei militaris hic & *d. l. 3. hoc tit.* indicatur, quod non omnes Comites rei militaris, Comites primi ordinis facti fuerint: verum quidam secundi, quod diserte ostendit *lex 2. h. t.* minores scilicet seu inferiores: Quo tamen nomine, respectu Illustrium Magistrorum militum, etiam Comites primi Ordinis comprehenduntur, *l. 1. & 2. inf. Ne Comitib. vel Tribunis.*

Nunc videndum, quem *gradum* his Comitibus transmarinarum prouinciarum adsignet *hac leg.* Valentinianus Sen. De altissimis dignitatibus, id est, Illustribus viris res clara est: nempe his illos cedere: verum; quod de Proconsulatibus adiicit, id obscurum est: num inquam velit Comites Militares his quoque cedere, an contra. Igitur & hæc lex, & *lex 4. de honorariis Codicillis*, quæ ex eadem constitutione desumpta est, eademque verba repetit, accipienda videatur, hoc sensu; Comites illos Altissimis quidem dignitatibus cedere, verum Proconsulates his locum præstare: ac si dixisset, vt his locum præstent illi, qui Proconsulatus Insignibus adornantur: nota enim vocem, HIS, id est, Comitibus, non vero *illis* qui *Proconsulatum* gesserunt. Id vero clarius adhuc fieri videatur ex *d. l. 4.* vbi de Honorariis Magistris Equitum id ipsum totidem verbis cauetur: Atquin quamlibet Honorarii Magistri militum, cum Illustres essent, proculdubio Proconsulibus, qui Spectabiles tantum erant, prælati. Sed & Comitum Transmarinorum peculiarem *hac leg.* rationem haberi videmus & meritorum contemplationem, vt *h. l.* dicitur: vt proinde eminens his gradus quidam post Altissimas seu Illustres dignitates videatur, & quidem præ Proconsularibus. Et in eam tamen potius sententiam quis inclinet, vt credat *hac leg.* Comites hos rei militaris iuberi quoque cedere Proconsulatibus: vt ita *Altissimarum dignitatum* appellatione quoque comprehendantur Proconsulares: qui sane Spectabilium omnium primi erant, id quod etiam suadeant duo vel *hac ipsa leg.* Primum verba illa, EA REVERENTIA, *Ea reuerentia*, inquit, *altissimarum dignitatum Viris subiungantur, vt his locum præstent qui*, &c. id est, in tantum Altissimis dignitatibus cedant, in tantum iis reuerentiam præstent, vt Proconsularibus quoque locum præbeant. Deinde, quod de Proconsularibus agens Imp. eos elogio prosequitur, *qui Proconsulatus* inquit *Insignibus adornantur.* Certe in Notitia Imperii eum obseruari ordinem videmus, vt Proconsules Comitibus præferantur. De *legis 4. de honorar. codicillis* sententia, ad *eam* viderimus. Nobis hac occasione *Spectabilium* ordinem per scalas & gradus nunc apponere iuuat.

I. PROCONSVLES, Illustribus proximi erant: *l. 7. inf. de honor. codicillis.* Et inter Spectabiles, primi; ante Comites omnes, Duces, & Vicarios. *l. 2. 3. de Primicerio, & Notariis: l. vn. de Comitib. Consistorianis. h. l.* & *l. 4. inf. de honor. codicillis.*

PRIMICERII quoque Notariorum in hoc ordine constituti, *l. 2. 3. sup. de Primicerio.*

II. MAGISTRI scriniorum Vicariis prælati *l. vn. de Magistris scriniorum*, in hoc ordine proculdubio stabant; argumento ducto ab *ordine Titulorum*, vel certe tertium locum occuparunt. In *Notitia Imperii*, Primicerius Notariorum & Magistri scriniorum ante Proconsules ponuntur.

III. COMITES Consistoriani post Proconsules proximi, cæteris omnibus superiores: *l. vn. de Comitib. Consistor.*

IV. COMITES Militares nonnulli a cæterorum Comitum ordine excepti: veluti per Occidentem, Comites rei militaris, qui ducto per transmarinas prouincias milite primi ordinis Comitiua decorati, *hac l.* & *d. l. 4.* per Orientem, Comites & Duces Ægypti, Orientis, Ponticæ, *l. 3. de Primicerio & Notar. l. vn. de Comitib. & Trib. scholar. l. vlt. h. t.*

PRÆPOSITI & Tribuni scholarum, Tribuni S. Stabuli, Cura Palatii, Comites Ordinis primi Comitibus Ægypti & Ponticæ æquales, Ducibus superiores: *d. l. vn. de Comitib. & Tribun. schol.*

V. VICARII, COMITESQVE alii rei militaris, reliqui primi Ordinis, itemque DVCES VT & VICES agentes Magistrorum militum, æquales & in vno gradu constituti erant, Comitibus superioribus inferiores, Consularibus priores: *l. 2. 3. de Primicerio & Notar. l. vn. de Magistris scrinior. l. vn. de Comitib. & Trib. scholar. l. vlt. h. t. l. vn. de Comitibus & Archiatris S. Palatii.*

sa

In eodem ordine constituti Comites qui inlustribus adsederunt, *l. vn. de Comitibus qui Inlustribus.*

Vt & Comites & Archiatri S. Palatii, *l. vn. de Comitib. & Archiatris.*

Et Comites primi ordinis, qui prouincias rexerunt, *l. vn. de Comitib. qui prou.*

Professores qui in vrbe Constantinopol. docentes ex lege meruerunt Comitiuam primi ordinis: *l. vn. de professoribus qui,* &c.

P.103. CVRIALI *conditione an & quando Comitiua Militarem liberet.*

II. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Florentino (b) PV. Post alia.

NEMINEM Militaris corporis (c) virum reuocari ad Curiam liceat, post Primi Ordinis Comitiuam. Dummodo, tam probata merita sudati diu laboris, quam fructuum anteacti operis adsequatur: Cæterum, (d) si a quoquam hæc fuerint, sine vsu prioris militiæ, vel prima vel sola, dedecorando ambitu turpiter impetrata, quia videntur in fraudem quæsita, non proderunt: Diutius tamen repeti non licebit, etiam cum Secundi Ordinis Comitiuam præmiis impetrarit: & cetera. Dat. XII. Kalend. Ian. Mediol. Cæsario & Attico CONSS. [397.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a Cod. Iust. Quænam vero Leges aliæ huic coniungendæ sint, mox ostendam. *GOTHOFRED.*

(b) De hoc *Florentino* P.V. Romæ vid. *Prosopogr.* ad quem extant quoque plures Symmachi epistolæ. *IDEM.*

(c) *Corpus* militare. *IDEM.*

(d) Alioquin. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

CVRIALI conditione seu nexo, an & quando Comitiua primi Ordinis rei militaris, (de quibus iam ad *l. 1. sup.*) curialem liberet, definit Imp. Honorius *hac l.* Quæ pars est prolixioris Constitutionis Honorianæ de Curialibus, Collegiatis, Corporatis, Apparitoribus ad sua quibusque officia retrahendis: vt apparet ea *h. l.* & *l. 19 inf. de diu. offic.* (vnde desumpta est *lex 48. Cod. Iust. de decurionib.*) & *l. 153. 154. 155. 156. inf. de Decurionibus:* & *l. 1. Cod. Iust. vbi quis de Curiali:* quæ omnes ex eadem constitutione defloratæ sunt, atque adeo cum *hac l.* coaptandæ omnes, forte etiam cum *l. 9. sup. de Senatoribus.* Igitur ita distinguit Honorius: vel Curiali conditioni obnoxius post longam militiam, desudatosque labores Comitiuam primi Ordinis adeptus est, vel sine vsu militiæ, *præmiis* forte vt *fine leg.* indicatur. Priore casu, Curiali nexu liberatur: at non posteriore. Militiæ scilicet desudatisque laboribus hoc priuilegium inter cætera datur: at non & ambitui: Tum enim titulus hic velut in fraudem tantum quæsitus, & dedecorando ambitu turpiter impetratus, non eundem fauorem meretur. Denique Curiæ vtilitatem hoc casu militia longa, & ob hoc impetrata dignitas vincit: non vincit vmbratilis dignitas, ob præsumptionem fraudis. Nisi (quæ exceptio *hic* subiicitur: *in fine l.* quæ & *vers. ceterum,* indicata fuerat, ibi, *vel prima, vel sola*) per duos Comitiuæ gradus Curialis transierit: id est, si & secundi ordinis primum Comitiuam, deinde altero iam processu, primam Comitiuam vel præmio impetrauerit. Prima vel sola quod non præstat Comitiua, id efficit altero pedato impetrata altera. Qui quidem effectus *Processuum per duos gradus* Honorum, etsi citra labores, præmioque tantum impetratos, notandus est. Quasi exuta iam pristina conditione, per duos hosce gradus. Hinc interim notandum Comites quoque rei militaris, alios fuisse primi, alios secundi ordinis: de quo iam ad *l. 1. sup.* & dicam adhuc *ad l. prox. 3.* De Comitiua alioquin secundi ordinis, dixi iam ad *l. vn. sup. de Comitib. & Trib. schol.* dicam adhuc *ad l. 8. inf. de Agentibus.*

Vt ad *huius leg.* sententiam redeam. Ergo dedecorando ambitu impetrata regulariter quæcunque dignitas & quidem militaris, Curiali nec quicquam prodest ad euitandam conditionem Curialem: Idque ipsum est, quod *dictis legibus,* quæ *huic* coniungendæ sunt, veluti *l. 153. 154. 155. 156. de Decurionibus,* cauetur. Imo & *d. l. 1. Cod. Iustin. vbi quis de Curiali,* &c. quæ & ipsa inter alias *huic l.* iungenda est, pariter sancitur, Curialem &c. intra prouinciam, comprehensum, non expectata Iudicis notione, sub quo per AMBITVM COMPARAT MILITARE, penitusque emendicati HONORIS præscriptione submota a Iudice, qui in locis aditus fuerit, audiendum, & eorum societati, quos declinauerit, adgregandum: Vnde iam *legi* illi noua lux deinceps affulgebit ex tot illis *Legibus,* quod hactenus nescitur, *illi* coniunctis: nouaque adeo Codicis Iustinianei Interpretibus materies suppeditabitur.

GRADVS *Comitum primi ordinis rei militaris, vt & Vices Magistri militum peragentium.*

III. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Prisciano PV. Post alia.

EOS qui sub Comitiuæ Primi Ordinis dignitate peculiariter (b) ad quamlibet prouinciam vel prouincias defendendas milite credito auctoritate nostri numinis destinantur, &

eos

eos qui Vicem Inluſtrium Virorum Magiſtrorum Militum ſuſceperint peragendam, Ducibus, qui, præter (c) Ægyptum & Ponticam, in aliis prouinciis adminiſtrauerint, adæquamus. Dat. XII. Kalend. April Conſtantinop. Lucio viro Clariſſimo CONSS. [413.]

NOTAE.

P.104 (a) *Lex 2. Cod. Iuſt. eod. tit.* Quæ autem Leges *huic* coniungendæ ſint, mox dicam. *GOTHOFREDVS.*

(b) Id eſt, ſpeciatim, nominatim. *IDEM.*

(c) Id eſt, exceptis *Ægypti* & Ponticæ Comitibus ſeu Ducibus. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

COMITAS rei militaris, quos Comitiua ordinis primi decoratos, ſeu cum Comitiua, a Principe ad defenſionem alicuius prouinciæ vel plurium cum milite mitti contingit, vt & eos, qui VICES Magiſtrorum Militum peragunt, Ducibus exæquari (exceptis tantum Ducibus Ægypti & Ponticæ) iubet *hac leg.* Theodoſius Iun. Quæ pars eſt Theodoſianæ conſtitutionis ad Priſcianum P. V. emiſſæ, de *Comitiua primi ordinis* potiſſimum alterius dignitatis Comite, quem quiſque ea ornatus gradum obtinere debeat: Cuius quinque adhuc fragmenta ſuperſunt, puta *lex vn. ſup. de Comitib. & Tribun. ſchol. leges vnica trium titulorum proxime ſequentium:* & *lex vn inf. de Comitibus ord. pr. art. dim.* quæ proinde omnes huic coaſſandæ ſunt. Ad cuius conſtitutionis iotellectum arceſſenda ſunt quæ dixi *ad d. l. vn. de Com. & Trib. ſchol.* Ergo hi quos dixi Comites rei militaris, vt & vicem Magiſtri militum implentes Ducibus exæquantur *hac leg.* Exceptis tamen ab hoc numero *Ducib. quibuſdam,* puta Ægypti & Ponticæ: hi enim ceteris Ducibus & Comitibus, quos dixi, viceſque Magiſtrorum implentibus præferuntur: Orientis ſcilicet, Ægypti & Ponticæ in Orientis Imperio Comitiuæ ſiue Ducatus, cæteris prælatæ, & ſingulari gradu euectæ fuerunt *h. l.* & *l. 3. ſup. de Primicerio & Notariis:* & *d. l. vn. ſup. de Comitib. & Tribun. ſchol.* Sicut in Imperio Occidentali, Comites tranſmarinarum prouinciarum, veluti Africæ, Tingitaniæ, *l. 1. ſup. h. t.* ceteris Comitib. Ducib. prælati ſunt.

Cæterum & *hac leg.* & duabus *legibus* ſuperioribus, de Comitibus rei militaris Primi ordinis, ſignate agitur, iiſque hæc prærogatiua defertur: quia ſcilicet alii quoque ſunt ſecundi ordinis Comites rei militaris, quibus ſecundi ordinis Comitiua deferebatur. *l. 2. in f. ſup.* Vtrique ſane minores Comites & Inferiores Comites erant: *l. 1. inf. ne Comitibus & Tribunis lauacra præſtentur,* vbi dicam adhuc. Fallitur ergo egregie, qui Magiſtros Militum Primi ordinis Comites vocat. Hæc enim Comitum diſtinctio Illuſtres ſeu Altiſſimas Dignitates complexa oon eſt, ſed ſequentes tantum. *Comites* enim ſimpliciter dicti Magiſtri militum, ſine vlla ordinis adiectiooe, vel *Comites Illuſtres* (vt in ceteris ferme obſeruatum *Notitia Imperii* oſtendit.) Hinc adeo in *Notitia Imperii* Illuſtrium dignitatum Codicillis, non Comitiuæ primæ hooos, vt ſpectabilium adſcribitur, ſed eius loco vultus Principum inſculpti. Et Caſſiodorus ſtatim poſt formulas Illuſtrium dignitatum formulam Comitiuæ primi ordinis ſubiicit *lib. VI. ep. 12.* Sed & ordo idem hic obſeruatus ab huius Codicis conditoribus, in titulis diſponendis. Verum quid apertius eodem Caſſiodoro, qui prædicta Epiſtola Comitiuam primi ordinis vicinum & proximum honorem Illuſtribus vocat. Denique idem apertiſſime oſtendit, ſpectabilibus propriam fuiſſe hanc Comitum in tres ordines diuiſionem. Sed præſtat ipſamet Caſſiodori verba apponere: *Quid ergo de tali honore ſentiatur, agnoſce, quando perfecti* (alii legunt *Præfecti,* malim *perfuncti*) *viri pro tot laudabilibus inſtitutis huiuſmodi inueniunt præmia dignitatis. Et merito cum tanta pompa ceditur, quæ Senatorii quoque ordinis ſplendore cenſetur.* SPECTABILITAS *clara &* CONSISTORIO *noſtro digniſſima, quæ inter Illuſtres ingreditur, inter Proceres aduocatur, otioſi cinguli honore præcincta dignitat,* &c. *Quocirca prouocati moribus tuis Comitiuam tibi primi ordinis ab illa indictione maieſtatis fauore largimur, vt* CONSISTORIVM *noſtrum ſicut rogatus ingrederis, ita moribus laudatus exornes. Quando* VICINVS *honor eſt* ILLVSTRIBVS *dum aliter medius non habetur. Delectet te imitari quos* PROXIMITATE *contingis* &c. *admoneat te certe quod ſuſcepta dignitas primi ordinis appellatione cenſetur, vtique quia te ſequuntur omnes qui* SPECTABILITATIS *honore decorantur,* &c. Quæ poſtrema verba non ita accipi oportet, quaſi Comites primi Ordinis omnibus Spectabilibus anteponi Caſſiodorus dicat, quod Cuiacius credidit *ad l. vn. Cod. Iuſt. de Comitibus qui Prouincias regunt:* id enim a Caſſiodori mente alienum prorſus eſt. Verum quia ea formula ſpeciatim agit de Comitibus primi ordinis Conſiſtorianis.

Igitur, quod hic ſecundo loco notandum, Comitum militarium alii primi ordinis fuere, ii ſcilicet, de quibus *hoc titulo* agitur: & apud Vegetium *lib. 2. c. 9. Proprius autem Iudex erat Præfectus legionis habens Comitiuam primi ordinis dignitatem:* Quos maiorem poteſtatem ſuſtinere idem ait *lib. 3. c. 2.* Alii ſequentis ordinis. Hinc Gloſſæ, Κόμης ἤτοι τριβοῦνος.

Tertio notaodum, miſſos Comites rei militaris ferme hoc æuo vna cum Comitiua primi Ordinis, ſeu cum Comitiuæ dignitate ſeu codicillis: cum antea ferme poſt militiam demum ſeu munere defunctis, hæc dignitas cootemplatione meritorum cooferretur, *l. 1. ſup. h. t.* Et vero ita quoque aliis Dignitatibus, & muneribus hoc æuo io inſtaoti ſociata Comitiua primi ordinis: de quo fidem facit integra Theodoſii conſtitutio, vnde hæc lex deſumpta eſt. Et ſane res hæc verſa mox ſub eodem Theodoſio Iun. in aſſiduam conſuetudinem: vt teſtatur *Notitia Imperii,* vbi paſſim dignitatum, codicillis & quidem militarium, vt intra Orientem me contineam, veluti Comitis limitis Ægyptiæ, Iſauriæ, pariter vt Ducum velut Thebaidos Ægypti Armeniæ addita hæc FL. INT. ALL. COM. ORD. PR. De quo plura ad *l. vn. de Com. & Trib. ſchol.*

Quarto *hac l.* notandum & illud. Duces Ægypti & Ponticæ *h. l.* vocari, qui *d. l. 3. ſup. de Primicerio,* & *d. l. vn. ſup. de Comitib. & Trib. Schol.* Comites vocantur.

Denique ex *h. l.* obſeruandum, nonnullis quandoque vicem Inluſtrium Magiſtrorum militum delegatam. Certe Comites quandoque Domeſticorum vices militum Magiſtri egiſſe docet *lex 1. inf. de venat. ferarum:* Itemque aduerſus Barbaros mitti ſolitos, *lex vn. inf. qui a præbit. tyronum,* & apud Gregorium Turonenſem Frigeridus *lib. 2. c. 9.* de Caſtino agens. Huiuſmodi quoque fuit Proſper, quem Am. Marcellinus *lib. 14. cap. 11. Proſperum Vicarium Magiſtri Equitum dum redit, miſſum eſſe Comitem:* & lib. 15. *extremo: pro Magiſtro Equitum, agente etiam tum in Galliis, militem rexiſſe* ſcribit.

DE

DE COMITIBUS, QUI INLUSTRIBUS AGENTIBUS* ADSIDERUNT.

TITULUS XV.

Abeſt hic Titulus a *Cod. Iuſtin.* Cæterum de *Adſeſſoribus* in genere fuit *tit. vlt. Lib. 1. ſup.*

* In actu poſitis *l. vn. h. t.* *Inter agentes* eodem modo ſenſuque, *l. vlt. inf. de honor. codicillis.*

I. (a) Impp. Honorius & Theodosius AA. ad Priſcianum PV. Poſt alia.

ADſeſſores, qui cum Primi Ordinis Comitiua, Virorum Inluſtrium in actu (b) poſitorum, ſiue in (c) prouinciis, ſiue in Sacro comitatu, (d) iuuerunt conſilia, (e) vel iuuabunt, inter eos qui Vicariam Præfecturam adminiſtrando meruerint habere (f) poſt militiam iubemus depoſitam: Quoniam abſurdum eſt, primi Ordinis Comitiua decoratos inferiores eſſe Vicariis Sedis Excelſæ, quorum (g) creſcit dignitas cum Vicaria poteſtate Comitis Primi Ordinis inſignibus decorentur, (h) & cetera. Dat. XV. (i) Kalend. April. Conſtantinop. Lucio V.C. Cons. [413.]

NOTAE.

(a) Quibus *Legibus* iungenda hæc ſit, iam monui *ad l vlt. ſuperior. tituli.* GOTHOFREDVS.

(b) Agentium *Rubr.* In actu poſiti, ἐμπράκτοι vid. *Gloſſ.* IDEM.

(c) *Illuſtres* in actu poſiti alii in Prouinciis, alii in Comitatu Principis: & cæteroquin dignitates aliæ prouinciales, aliæ Palatinæ. Claudianus de Manlio Theodoro. v. 33.

Sed non vlterius te prebuit VRBI, VRBIVO, AVLA
Maluit eſſe ſuum IDEM

(d) Vid. Gloſſ *Theod. & Imper. Rom.* IDEM.

(e) Hæc deſcriptio eſt *Adſeſſorum.* dixi *ſup. tit. de Adſeſſoribus.* IDEM.

(f) γρ. *haberi poſt militiam* &c. vt *l. vn. ſup. de Comitib. & Trib. Schol.* IDEM.

(g) Vicariorum. IDEM.

(h) γρ. Cum, *cum vicaria poteſtate Comitis, &c.* e mutato, *decorentur*, decorantur. IDEM.

(i) γρ. XII. vt legibus omnibus, quas *huic* coniungendas dixi. IDEM.

COMMENTARIUS.

ADSESSORES Inluſtrium virorum in actu poſitorum ἐμπράκτων ſiue ii per prouincias ſint (quæ Illuſtrium interim Virorum diuiſio notanda eſt) vt ſunt Præfecti prætorio, ſiue in Comitatu Principis, veluti Quæſtoris, Magiſtri officiorum, Comitis S. L. & R. P. ſi Comitiua primi ordinis ſimul decorati ſint, depoſita militia ſeu adſeſſura defuncti, Vicariis Præfectorum Prætorio exæquantur a Theodoſio Iun. *h. l.* quæ pars eſt, (vt iam dixi ad *tit. ſup. l. vlt.*) Theodoſianæ conſtitutionis de Comitiua primi ordinis vna cum militia aliqua delata, & quem quiſque ea decoratus gradum finita militia obtinere debeat, vnde plures *Leges* deflorataæ extant, quas indicaui iam ad *d. l. vlt.* quæ & ipſa de eorum numero eſt. Solis igitur Inluſtrium Adſeſſoribus hæc prærogatiua data, non cæterorum Iudicum: puta vt & vna cum Primi ordinis Comitiua ad Adſeſſuram hanc accederent, & ea defuncti Vicariis Præfectorum æquarentur. Quo pertinet omnino Sidonii Apollinaris locus *lib. 1. ep. 3.* ad Philimachium. *Te etiam par fuerit, priuilegio conſiliorum Præfecturæ, in quam participandam depoſceris, antiquati honoris perniciter ſarcire diſpendium: ne ſi extra prærogatiuam Conſiliarii in Concilium veneris, ſolas Vicariorum vices egiſſe videare.* Qui ſane locus impeditus ita explicandus eſt. Hortatur ibi Apollinaris Philemachium, qui alios olim honores geſſerat, vt ad Adſeſſuram Præfecti prætorio vocatus, eam amplectatur, ne alioquin vbi ad Concilium ventum fuerit, ſeu in cœtum publicum (de quo ad *l. 1. ſup. de Propoſ. S. Cubiculi*) poſt Vicarios, & vt *hac l.* dicitur, inferior Vicariis ſedeat: qui Adſeſſura iſta recepta acceptata, inter Vicarios ſeſſurus eſſet. Qui omnino *huius leg.* ſenſus eſt. Vide etiam quæ ad eum locum Sauaro & Sirmondus. Et hæc de Apollinaris loco. Eodem ſpectat & alter Caſſiodori locus *VI. Var. 12.* in formula Comitiuæ primi ordinis vacantis. *Hunc honorem, qui nimium laborantibus antiqua noſcitur prouiſione collatus, vt Rectores prouinciarum anni actione laudatos vix ad tale culmen adducerent: Conſiliarii quoque Præfectorum conſcientia clari, dictatione præcipui, qui in illo* ACTU *Ampliſſimo Præfecturæ ſic videntur exercere facundiam,* &c. *Quid ergo de tali honore ſentiatur agnoſce:* quando

quando perfecti Viri pro tot laudabilibus institutis huiusmodi inueniant præmia dignitatis. Et rationem addit Imp. *fine legis*: cuius sententia hæc est : merito illos Vicariis exæquari : eum ipsorum quoque Vicariorum dignitas crescat, quoties his eadem Comitiua primi Ordinis defertur. Ex hoc interim loco colligi posse videtur, non semper Vicarus Comitiuam primi Ordinis hoc tempore tributam : quam tamen dignitatem præferunt in *Notitia Imperii* tredecim annis post *hanc leg.* sub eodem Theodosio Iun. scripta, omnes Vicariorum codicilli. Item illud hinc discimus, Illustrium Adsessores non tantum post Adsessuram hac Comitiua honoratos, verum etiam vna cum Adsessura, & sic Adsessores fuisse cum primi ordinis Comitiua.

P.105

DE COMITIBVS ET ARCHIATRIS SACRI PALATII.*

TITVLVS XVI.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XIII.

* Sunt enim & Archiatri vrbis Romæ, v. *lib. 13. tit. de Medicis & Professoribus.*

ARCHIATRORVM S. Palatii, *Comitiua primi ordinis honoratorum, Gradus, seu dignitas.*

I. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Prisciano PV. (b) Post alia.

ARCHIATROS intra Palatium militantes si Comitiuæ Primi Ordinis nobilitauerit gradus, inter Vicarios taxari (c) præcipimus, siue iampridem deposuerunt militiam, siue postea (d) deposuerint: Ita, vt inter Vicarios & Duces qui administrauerint, & hos qui Comitiuam primi Ordinis meruerint, nihil intersit, nisi tempus quod (e) quis administrauerit, vel Comitiuæ est indeptus (f) insignia, & cætera. Dat. XII. Kalend. April. Constantinop. Lucio V.C. CONS. [413.]

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* Quibus autem *legibus* hæc nostra coniungenda sit, iam sæpe superius notaui, & mox adhuc notabo. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Priscianus* Præfectus vrbi Constantinopol sub Theodosio Iun. vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) *Taxari*, id est, haberi, censeri, æstimari. *IDEM.*

(d) Deinceps. vid. *Gloss Theod.* *IDEM.*

(e) *Quo*, Cod. Iust. *IDEM.*

(f) *Adeptus* Cod. Iust. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

ARCHIATRIS S. Palatii (de quibus vt & de aliis Archiatris *suo titulo* plenius dicetur) Comitiuæ ferme honor deferebatur *l. 12. & l. vlt. d. tit. lib. 13. de Medicis, & Professoribus.* Sed modo primi ordinis vi ex *hac lege* constat, & *l. 16. 17. 18. 19. d. t.* modo secundi ordinis: *d. l. 16. 17. 18.* Huiusmodi Comitiua ornatus fuit Arcadius Medicus & Comes, in quem orationem scripserat Himerius Sophista apud Photium *p. 1142. edit. Schotti.* Item *Vindicianus*, cui inscribitur *lex 12. inf. d. t. de Medicis*, sine dignitatis tamen alicuius mentione: verum ea supplenda est ex ipsiusmet Vindiciani *Epistola* ad Valentinianum Imperatorem, quæ extat *Tomo vlt. Minorum Medicorum, pag. 248. edit. Henr. Stephan.* vbi clare *Vindicianus Comes Archiatrorum* dicitur. Sed & Chrysostomus *Epist. 4. pag. 651. edit. Francof. in Olympiadem Diaconissam*, Theophili *Comitis & Medici* meminit. Idem duas Epistolas habet ad Archiatrum Hymnetium *ep. 38. & 81.* & notandum *ep. 38.* τιμιώτητος titulum ei tribui, qui sæpe & Comitibus tributus. De horum igitur a Theodosio Iun. Comitum & Archiatrorum S. Palatii gradu, *h. l.* agitur: definiturque a Theodosio Iun. Archiatros S. Palatii honoratos Comitiua primi ordinis, Vicariis & Ducibus *hac constitut.* exæquandos, sie vt inter eos nihil intersit, nisi ratione temporis. Id inquam *hac leg.* constituitur, quæ pars est prolixæ constitutionis Theodosii Iun. quæ in vniuersum est de Comitiua primi ordinis alterius militiæ Comite, & quem quisque ea decoratus finita militia gradum obtinere debeat in concursu Comitum Ducumque rei militaris, Vicariorum, & Consularium: cuius quinque alia titulis proximis ἀποσπασμάτια occurrunt, huic proinde socianda: puta *lex vn. sup. de Comitibus, & Trib. schol. lex 3. de Comitib. rei mil. l. vn. de Comitib. qui illustr-*

illustr. ag. lex un. inf. de Comitibus qui Prouincias. lex vn. de Comitibus ord. pr. artium diuers. Ex his interim, quæ de Comitibus Archiatris S. Palatii dicta sunt, apparet, *Comitiuam* hanc dignitatis tantum notam fuisse, qua Imperatores Medicos quosdam bene meritos *nobilitabant*, vt *hac l.* dicitur: Quomodo ex aliis *titulis* huic connexis, & *legibus*, quæ *huic* sociandæ sunt, apparet, eandem Comitiuam eodem fine aliarum Artium quoque Professoribus collatam. Quare Mercurialis error est, *IV. Var. t.* qui hunc Comitem & Archiatrum S. Palatii interp.167 pretatur Principem Archiatrorum quendam Seniorem prudentia, & doctrina præstantiorem electum, cuius sententia & authoritate omnes de re Medica obortæ dissensiones statim dirimebantur, ipseque præ cæteris maximam Principis curam gerebat, eiusque rebus imperium quoddam & potestatem magnam obtinebat. Id enim *de Comitibus Archiatrorum* sub Regibus Gothorum constitutis verum est, vt videre est ex formula Comitis Archiatrorum apud Cassiodorum, *VI. Var. 19.* Alii Comites illi Archiatrorum. Ineptum vero est quod Cognatus *Obs. c. 15.* scribit, cum plures Archiatrorum ordines essent, in singulis ordinibus suum fuisse Comitem, & sic tot Comites Archiatrorum, quot ordines Archiatrorum. Qui lapsus Cognati ex eo natus, quod Comites Archiatrorum primi ordinis, & secundi, memorati videret *h. t.* & *l. 16. 17. 18 19. inf. de Medic. & Profess.* quæ distincta quidem sunt dignitatum nomina & gradus, quibus nonnulli nobilitabantur, non vero Archiatrorum ordines. Ergo Archiatri S. Palatii, iidemque Comites primi ordinis, Vicariis, & Ducibus *hac leg.* exæquantur. Quomodo & Vicariis Ducesque ipsi inter se exæquantur.

DE COMITIBUS QUI PROVINCIAS REGUNT.

TITULUS XVII.

LIB. XII. COD. IUST. TIT. XIV.

I. (a) Impp. Honorius & THEODOSIUS AA. Prisciano PV. Post alia.

SILENTIO (b) non præterimus hos qui in Administratione ciuili ac prouinciæ gubernaculis, (c) sub Iurisdictionis licentia, (d) Comites quoque primi ordinis esse meruerint: Nam hos quoque Vicariæ dignitatis post depositam administrationem priuilegiis frui oportet, & cætera. Dat. XII. Kalendas April. Constantinopoli Lucio V. C. Coss. [413.]

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* Huic *legi* eædem coniungendæ sunt, quæ superiori. *GOTHOFREDUS.*

(b) Silentio præterit hæc verba Tribonianus; Quæ connexionem quandam habent & propriam cum *l. 1. sup. de Comitib. & Tribunis Scholarum, l. vlt. sup. de Comitibus rei militaris* & duabus legibus in *Titulis duobus superioribus. IDEM.*

(c) Vid. & *l. 77. de Decurionib. IDEM.*

(d) *Licentia*, pro potestate & authoritate. *IDEM.*

COMMENTARIUS.

DE RECTORIBUS prouinciarum, Comitiua primi ordinis decoratis, est hæc Theodosii Iun. *lex:* quemnam videlicet gradum ii deposita administratione tenere debeant: quæ quidem & ipsa pars est Theodosianæ constitutionis de Comitiua ordinis primi alterius dignitatis comite, seu vna cum militia delata, quem quisque ea decoratus militia seu officio deposito gradum obtinere debeat, vnde quinque adhuc leges, quas huic coæquandas superioribus titulis ostendi, desumptæ sunt. Et desinit Theodosius Iun. Rectores prouinciarum qui in administratione vna cum administratione Comites quoque ordinis primi esse meruerunt, post depositam administrationem vicariis Præfectorum exæquari. Vbi notandum est, agi *hac l.* de Rectoribus, qui simul cum administratione Comitiuam hanc meruerunt; pariter vt cæteris legibus, seu tota ferme constitutione, vnde hæc *lex* sumpta est, de Comitiua ista alterius dignitatis affecla actum fuit. Quod vtique Comitum ciuilium genus est, *in administratione ciuili ac prouincia gubernaculis* positorum, vt *h. l.* dicitur: vt alias rei militaris pariter Comites sunt, de quibus *supra suo titulo:* quo titulo *lex 3.* huic inter alias coæquanda venit. Cum alias pro magno Rectoribus prouinciarum administrationem demum defunctis hæc Comitiua primi ordinis tribueretur. Testis Cassiodorus *VI. Var. 12.* in formula Comitiuæ primi ordinis vacantis: *Hunc igitur honorem, quem tibi respicis otiosa remuneratione præstitum, qui nimium laborantibus antiqua noscitur pronisione collatus, vt RECTORES prouinciarum, anni actione laudatos vix ad tale culmen adducerent, quibus confitebantur plurima se debere.* Idemque de Adsessoribus Præfectorum (de quibus superius) scribit: & concludit; *Quid ergo de tali honore sentiatur, agnosce, quando perfecti (γρ. perfuncti) viri pro tot laudabilibus institutis huiusmodi inueniunt præmia dignitatis.* Tandem habes formulam Comitiuæ prouinciæ

uinciæ apud eundem Caſſiodorum *VII. Var. 1.* verum eo iam ſenſu quo omnes adminiſtrationes prouinciatum tum *Comitiua* dictæ, ipſique Rectores *Comites* dicti, non vero eum Comitiua primi ordinis. Ad quam etiam Comitiuam perperam Fornerius exempla appoſuit Comitum rei militaris. Cætera ad *huius l.* intellectum pleniorem habes ſupra ad *l. vn. de Comitib. & Tribunis ſcholar.*

DE

P.108. # COMITIBVS VACANTIBVS.

TITVLVS XVIII.

Abeſt hic titulus a Cod. Iuſt.

I. (a) Impp. HONORIVS & Theodoſius AA. Epiphanio PV. (b)

NVLLAM Honorabiles (c) viri in publicis Salutationibus (d) patiantur iniuriam, neue ſe illis vllus anteponat, qui Primi Ordinis Comitiuam aut pretio impetrauit aut gratia: *Licet enim vnum* (e) *nomen ſit, tamen eſt meritis æſtimandum;* eoſque ſolos tempore (f) obſeruare conueniet, qui poſt probatos labores in noſtro Palatio, Comites eſſe meruerunt. Ac ne impune vllius temeritas contra ſtatutum noſtrum poſſit audere, decem (g) librarum auri Officiis (h) omnibuſque, quos Salutationis cura conſtringit, damnum præcipimus imminere. Dat. Idib. Octob. Rauenn. Honorio VIII. (i) & Theodoſio V. AA. CONSS. [412.]

NOTAE.

(a) Iungenda proculdubio *huic* eſt *lex 14. inf. de proximis Com. diſp.* GOTHOFREDVS.

(b) De hoc *Epiphanio* P. V. Romæ vid. *Proſopogr.* IDEM.

(c) *Honorabiles* ſunt honoribus reuera functi: ab Honoratis tamen aliquantum diuerſi, de quibus *l. 1. ſup. de off. Iud. ciuil.* IDEM.

(d) De *Salutationibus* his, dixi ad *l. vn. de Præpoſ. S. Cubic.* dicam adhuc ad *l. 5. inf. de proximis.* IDEM.

(e) Recte: at male Gutherius *lib. 1. de off. dom. Auguſtæ c. 14. in fin.* reponebat *vanum*: de quo mox. IDEM.

(f) *γρ. Tempora*, id eſt, de tempore certare, & ita clare habet MS. IDEM.

(g) Quindecim in ſp. *l. 10. inf de Agentib. in reb.* trium *l. 5. inf. de proximis.* IDEM.

(h) Vide ſimiliter *d. l. 1. ſup. de off. Iudic. ciuil.* IDEM.

(i) In *d. l. 14. Honorio VII. & Theodoſio II. COSS.* id eſt A. D. 407. quæ etiam *Arcadii & Honorii Impp.* nomina præfert. Alterutrubi emendatione opus: ego banc prætulerim A. 412. nam & Anno 414. idem Epiphanius P. V. fuit, vt docet *lex 7. de domeſticis.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE COMITIBVS VACANTIBVS eſt hic titulus: cuius equidem appellationis mentio non fit *hac leg. vn.* quæ ſub eo poſita eſt: & tamen rem ipſam ea contineri neceſſe eſt, vt ita Nigrum Rubro reſpondeat. Vacantium certe non vna mentio quoque occurrit in *Nouella* Theodoſii *de Metatis 32.* & *l. 2. Cod. Iuſt. vt dignit. ordo:* & *Nouella* Valentiniani III. *inter Theodoſianas 41. de Tyronib. l. 3.* 10 Zenonis *l. 2. Cod. Iuſt. de Primicerio & Notar.* & apud Caſſiodor. *VI. Var. 10. 11. 12.* Ab his vero vacantibus toto cœlo diuerſi ſunt vacantes in ſcholis Palatinis, id eſt, ſupernumerarii & adſcriptitii, de quibus *l. vlt. inf. de Agentibus.* Item vacantes ſeu vacantes in militia, de quibus Syneſius (*) quoque, *ep. 67. ad Theotimum pag. 256. edit. Pariſ. 1605.* Quo numero ſunt & Tribuni vacantes, de quibus quatuor locis Am. Marcellinus *lib. 15. cap. 3. lib. 16. ſub fin. lib. 18 cap. 2. lib. 31. c. 13.* & Vegetius *lib. 3. c. 17.* & Valentinianus *Nouella* inter Theodoſianas 41. *de tyronibus, in l. 3.* vt & vacantes, nullius ſcilicet corporis ſocietate coniuncti, de quibus *l. 179. inf. de Decurionib.* Denique & Allecti: Quas tamen vacantium ſpecies Viri Docti commiſcent.

Nos vero videamus, quinam hi *Comites vacantes* ſint? Primo quidem ipſe *huius tituli* ſitus ſpectandus venit: poſitus ſcilicet is eſt poſt varios *titulos*, qui fuerunt de *Comitiua primi ordinis:* ante *titulum* vero de *Conſularibus & Præſidibus;* quem ſequuntur rurſum duo *tituli* de *Comitibus ordinis primi*, mox *titulus* de *honorariis codicillis.*

Et certe, (quod ſecundum) Comites hos vacantes, primi ordinis Comitiua honoratos fuiſſe, *lex vn. huius tituli* clare oſtendit. Illud tantum quæri poteſt: vtrum Comites vacantes illi ſint, qui primi ordinis Comitiuam citra labores pretio vel gratia impetrarunt? An vero qui geſta dignitate vna cum Comitiua primi ordinis, de quibus *ſuperioribus titulis*, iam ſibi vacant & otioſi ſunt? An denique qui poſt geſtam dignitatem, pro præmio Comitiua primi ordinis donati ſunt? Primo ſenſu Comites vacantes

(*) Vid quæ de hoc loco obſeruat CL. GVTHERIVS *lib. 1. cap. 14. de off. dom. Auguſt.*

vacantes accipi nolim, quomodo sane Vacantiua & imaginaria dignitas pro eodem sumitur *Nouella* Valentin. inter Theodosianas *de postulando 34.* imo potius Honorabiles Viros, seu Honoratos qui his opponuntur *hac ipsa leg.* id est, qui honorariis tantum codicillis decorati: quare & titulum *de honorariis codicillis*, ab hoc mox diuersum videmus. Superest igitur videamus, vtro qui superest e tribus sensu, *Comites vacantes* hic dicantur? Igitur Comites vacantes *hic* sunt, qui quidem vacantes sibi, post munus seu officium aliquod gestum, Comitiuam primi ordinis, post labores probatos, vt *hac leg.* dicitur, post merita, augentur, illustrantur: Denique *Honorabiles* Viri, vt *h. l.* vocantur, qui meritis & post labores probatos, in Palatio forte, Comites esse meruerunt, seu Comitiuam primi ordinis impetrarunt: Atque adeo Honorabiles Viri, iis oppositi, qui Comitiuam hanc pretio vel gratia impetrarunt: Denique, qui a laboribus & vigiliis, vt loquitur *lex vlt. sup. de Primicerio*, eam dignitatem adsecuti sunt: qua quidem *lege vlt.* apertissime hæc distinctio continetur. Eademque ratio est Illustrium etiam vacantium. Hoc scilicet quoque sensu in Nouella Theodosii *de metatis 32.* Illustris vacantis militiæ
P.109. cingulum dicitur; quod & Honorariæ prærogatiuæ insignibus opponitur, simul & illustri militiæ (ἐμπράκτῳ sc licet:) *Et his quidem quibus iam prabendi metati immunitatem Illustris fauor dignitatis indulsit, licet vacantis militia cingulo vsi sint, vel vtantur, vel Honoraria prarogatiua potiantur Insignibus, inuiolata, vt quidem cautum est, excusationis iura largimur.* Et in *sequentibus*, mox rursum opponitur Illustris dignitas inter Vacantes, & inter Honorarios. Hoc omnino sensu de ex-Primicerio Notariorum Magistri officiorum pro antiqua consuetudine sortito definit Zeno, *l. a. Cod. Iust. de Primiceriis & Notariis: eum omnibus vacantibus, quamuis tempore pracedentibus praponendum:* Vbi *omnes Vacantes*, sunt cæteri. Hoc sensu apud Cassiodorum *lib. VI. Variarum*, occurrunt tres formulæ: Primo aiua qua per Codicillos vacantes Proceres, id est, Illustres fiant: *form. 10.* Secundo Illustratus Comitis Domesticorum Vacantis, *form. 11.* Tertio, Formula Comitiua primi Ordinis Vacantis *form. 12.* Ex quibus omnibus discimus, *Vacantes* quidem otiosos fuisse, & codicillis hunc honorem tributum: verum hoc titulo donatos post labores seu militiam pro fide ac laboribus, meritis denique, & tamen inferiores his qui sudore ad id ipsum peruenerant. Denique otiosa remuneratione præstitam hanc dignitatem vacantem. Hinc igitur apud eum vacantes Proceres, Comitiuæ Domesticorum Illustratus vacans, denique Comitiua primi ordinis vacans. Hinc illa apud eundem *VI. Var. 16.* in formula Notariorum. *Additur etiam perfuncti laboris aliud munus, vt si quo modo ad Illustratum vel vacantem meruerit peruenire, omnibus debeas antepo ni qui Codicillariis Illustratibus probantur ornari.* Qui locus omnino committendus est cum *d. l. vlt. sup. de Primicerio*, & *d. l. 2. Cod. Inst. eod. tit.* Ergo vacantes inter ἐμπράκτους & codicillarios medii. Denique iuxta *Nouellam* Theodosii *de metatis 32.* altera *eiusdem Nouella* pars, quæ continetur *l. 2. Cod. Iust. vt dignitatum ordo*, apertissime omnium explicat, qui sint Illustres vacantes: Ibi quippe quinque hi Illustrium gradus ponuntur. 1. In *actu* positi seu Administratores. 2. *Vacantes*, qui cingulum illustris dignitatis meruerunt præsentes in comitatu. 3. *Vacantes*, quibus absentibus cingulum Illustris mittitur dignitatis. 4. *Honorarii*, qui sine cingulo præsentes codicillos tantum honorariæ dignitatis adepti sunt. 5. *Honorarii* quibus absentibus sine cingulo similiter illustris dignitatis insignia mittuntur. Ergo Illustres vacantes sunt, non quidem qui in *actu* positi, sed neque *nudi* honorarii, qui codicillos seu insignia tantum Illustris dignitatis adepti sunt, sed sine cingulo; verum, qui inter hos medio loco positi, non nudos codicillos aut insignia, verum Cingulum præterea Illustris dignitatis consecuti sunt: Ergo solo cingulo ab Honorariis differebant Vacantes.

Cæterum ex his iam videmus Vacantes fuisse in diuersis Dignitatum gradibus, Illustres scilicet vacantes, cuiusmodi quoque Præfectum Prætorio & Magistrum militum memorat Theodosius Iun. *d. l. 2. Cod. Iust. vt dignit. ordo:* Comites primi ordinis vacantes: Quod etiam discimus ex *Nouella* Valentiniani *inter Theodosianas, de tyronib. 41. l. 3.* ex qua discimus, Vacantes quoque fuisse Comites secundi, vel tertii ordinis: *Idcirco Inlustres Vacantes per omnes prouincias nostras constitutos, ternos tirones in adoratione debere persoluere: Comites quoque Consistorianos, vel Prim ordinis, nec non Tribunos & Notarios, sed & eos qui administrationes ordinarias in prouinciis gubernarunt, dare singulos oportere: Tribunos vero Vacantes, siue Comites secundi vel tertii ordinis, omnesque Clarissimos tertiam partem tyronis agnoscere.*

Nunc de sententia *huius leg.* Ergo Honorius Imper. *hac l.* Comites huiusmodi *vacantes*, quos *Honorabiles* vocat propria voce, id est, honoribus defunctos, & honore vacante nunc pro meritis decoratos, his præferri iubet, licet tempore anterioribus, qui eandem Comitiuam primi ordinis pretio vel gratia impetrarunt: quia etsi par sit dignitas, dispar tamen inter eos meritorum ratio sit: Et vt *h. l.* dicitur. *Licet vnum nomen sit, tamen est meritis astimandum:* vtrique equidem codicillarii, sed illi *Vacantes* scilicet propter merita gestæ administrationis, hi pretio tantum seu gratia, citra sudores & labores. Cæterum, quæ regula notanda est, inter pares dignitate honoraria, de temporis prærogatiua certamen non est, nisi & *meritorum* par sit ratio: alioquin meritis qui vincit, etsi tempore posterior, gradu quoque & ordine vincere debet. Multumque interest, qua ratione, quibus artibus (id enim est quod *Meritorum* voce hic indicatur) quisque dignitatis codicillos & honores adeptus sit: num meritis gestæ administrationis, an vero pretio, aut gratia. Idque est quod *h. leg.* eleganter dicitur; *Licet enim Vnum* (perperam *vanum* substituit Gutherius) *nomen sit, tamen est Meritis astimandum, eosque solos tempora obseruare conueniet, qui post probatos labores Comites esse meruerunt.* Item quod *l. vlt. inf. de honor. codicill. Nunquam honor delatus ex debito ei qui ad similitudinem tribuitur comparari debet.* Quod ipsum omnino statuitur *l. vlt. sup. de Primiceria & Notariis:* de Illustribus vacantibus: cuius verba hic non otiose repetentur: *Eos qui ex Primiceriis Notariorum ad Inlustrem meruerint Magistri a vigiliis atque laboribus procedere summitatem, minime redigendi sunt in ordinem ceterorum, qui honorarios meruerint codicillos: quoniam & res ipsa quod primum locum sint militia nobilis adepti, & publica sape impleta commoditas, nunquam otiosos fuisse testatur.* Quæ lex huic nostræ plane gemina est. Maneat igitur hæc Regula: *Non omnes honorarios pari gradu censeri, non inter omnes de tempore certari: verum cum Honorariorum alii sint vacantes, alii nudi Codicillarii & imaginarii, ab illis etsi tempore posterioribus hos vinci, superari:* de quo iam quoque egi ad *l. vn. sup. de Consulibus.* Cassiodorus quoque *VI. Variar. 10.* in formula, qua per codicillos vacantes Proceres fiunt. *Vt considerata ratione prasentis temporis adepti honoris ordine potiaris: ita tamen vt illi modis omnibus praferantur, qui sudore maximo nostris aspectibus affuerunt: Necesse est enim, vt vnum cedat* MERITVM *duobus euictum: alioqui omnes ad quietas possunt currere dignitates, si laborantes minime praferantur otiosis.* Idem Cassiodorus *VI. Variar. 16.* loco, quem antea quoque laudaui: *Additur perfuncti laboris* (Primiceriatus) *aliud munus, vt si quo modo ad Illustratum vel Vacantem meruerit*

peruenire, omnibus debeat anteponi qui Codicillariis Illustratibus probantur ornari.

Ex *bac* ioterim *leg.* & superioribus *titulis* discimus, tres fuisse species Comitiuæ primi ordinis : Prima scilicet erat, quæ vna cum administratione competebat, ipsique dignitati tempore administrationis cobærebat : de qua *superioribus titulis.* Secunda species buius Comitiuæ, quæ Vacaotibus conferebatur pro præmio, id est, postquam administratione, vel officio aot professione quis functus fuisset, de qua specie *boc titulo, & seqq. tribus.* Tertia, quæ ab otiosis & inertibus pretio vel gratia impetrabatur, vt *b. l.* dicitur : quo pertinet etiam titulus de honorariis Codicillis. Quod & idem de Illustratus dignitate diei debet : alia erat ἔμπρακτος, alia vacans, alia honoraria.

Cæterum, de *salutationibus* publicis, vbi dignitatum ratio habita, cuiusque occasione hæc *lex* lata est, dixi plene semel ad *l. vn. sup. de Præpos. S. Cubiculi:* vt & de Officialibus, iisque, quos Salutationis cura constringebat, de quibus vid. & *l. 5. 16. inf. de proximis.* vbi & de pœna Officialium, quos salutatioois cura coostringebat. Pan.

Tandem moneodum, *legem 14. inf. de proximis Comitib. dispos.* huic *legi* coassandam, emendata eius subscriptione : qua ea refertur ad characterismum A. D. 407. Quo sane non Rauennæ, verum Romæ fuit Honorius Imp. Certe idem vtrobique dies & mensis, vtraque data ad Epiphanium P. V. Romæ : vtraque priuilegium contioetur: hac, Comitum vacantium: illa scriniorum seu scriniariorum.

DE CONSVLARIBVS ET PRÆSIDIBVS.*

TITVLVS XIX.

Abest hic *Titulus* a *Cod. Iust.*

* De his *hoc titulo* nihil agitur.

I. (a) Impp. Arcadius & Honorius AA. Messalæ PP. (b)

Eos qui Consularitatis functi sunt dignitate, Comitibus Italicianorum & Gallicianorum iure præferimus : si quidem haud exiguus sit titulus meritorum regere & gubernare prouincias. Dat. III. Kalend. Octob. Aquileia, (c) Stilicone & Auriliano VV. CC. Conss. [400.]

NOTAE

(a) Abest bæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) De hoc *Messala* PP. Italiæ. vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) *Honorius* Imp. hoc anno Mediolano Rauennam, Brixiam, & *Aquileiam* profectus, vid. *Chronolog.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Honorii Imp. hæc lex est de Ordine seu Præcedentia quarundam dignitatum. Ad quod forte argumentum pertinet quod Claudianus de *bello Getico* scribit, *v. 39. seq.*

Iamque potestates prisent discriminat ordo
Iustitia, quas ante pares effecerat vna
Nube timor.

Hac nominatim constitutione Honorius CONSVLARES prouinciarum administratione perfunctos, Comitibus Italicianorum & Gallicianorum præferendos definit: Cuius etiam rei ratio hæc ab Honorio summopere notanda redditur : *Quod non exiguus sit titulus meritorum regere & gubernare prouincias.* Est quidem aliquid, *totius Diœceseos* alicuius & integræ, largitiones & titulos largitionales, remque tributariam & actus tractare: sed maius aliquid est, vel vnicam regere & gubernare prouinciam administratione & Iurisdictione ciuili. Potestas cum Iurisdictione ordinaria etsi non tam late sese diffundat, maior est tamen ea, quæ circa ratiocinia vel rem tributariam latius est occupata. Quare & vocabulis etiam distinguuntur, *Administrationis* scilicet & *Actus*, *l. 3. inf. de honor. codicill.* vid. & *l. 2. inf. de Princip. agent. in reb.* Non tam *Loci* scilicet amplitudinis aut diœcesis ratio habenda est, cum de *Præcedentia* iure quæritur, quam *Potestatis* & *dignitatis.* Diffusior sit licet Comitum illorum, quos dixi, potestas, dignior tamen est Iudicis ordinarii & Rectoris prouinciæ iurisdictio. Eadem ratione Præfectus Prætorio & Præfectus vrbi indiscretæ fuerunt & parilis dignitatis, *l. 1. sup. de Præfectis Prætorio, siue vrbis:* cum tameo voica ferme arctaque satis Præfecti vrbi potestas diœcesi contineretur, at Præfecti Prætorio potestas per plures sese latissime plerumque diffuoderet : Quod vrbis Romæ digoitati, vnde in omnia regimen, tributum fuit. Quod rursum vtiliter transferri potest, *ad Regum & Principum*, quin & Officiorum, de Præcedentia controuersias : quibus sane decidendis non Terrarum aut Regnorum aut diœceseon spatia conferunt, sed earundem dignitas. *Les Thresoriers Generaux de France toutesfois ont la preseance sur les Baillifs, Seneschaux, leurs Lieutenans & officiers des sieges Presidiaux. V. les Reglemens de Chenu tit. 32. ch. 172.* Contra, *Le Gouuerneur. de Monspelier, precede le President & les Generaux de la Cour des Aydes, ch. 173.*

Dignior

Dignior est igitur Consularis potestas quam Comitum Italicianorum & Gallicianorum. *Comites nempe Italiciani & Galliciani*, sunt Comites largitionalium titulorum reique tributariæ & thesaurorum per Præfecturam Prætorianam Italiæ, & Galliarum: his enim duabus Præfecturis Prætorianis constabat Imperium Occidentale, cui præerat Honorius Imper. huius constitutionis Auctor. Quot scilicet per eas Præfecturas, atque adeo per Imperium illud Diœceses, tot etiam Comites Largitionum fuere, singuli singularum *Diœceseon:* qui omnes sub *Catholici*, sic vt dicam (& vero ita dictus Græcis) Comitis S. L. Illustris dispositione erant, eique respondebant. Quod idem in Imperio Orientali, (quod ipsum duabus pariter Præfecturis, Orientis & Illyrici, constabat) obseruabatur. Hinc in Notitia Imp. Orientalis, *fol. 49. Comites Largitionum per omnes Diœceses* memorantur. Huius generis fuit & Nemesianus, cuius mentio fit *in l. 5. inf. de exactionibus*, & in *l. 30. inf. de Decurionibus*, qui nominatim in *d. l. 5. V. P. Com. Larg.* (*) i. e. *Vir perfectissimus Comes Largitionum* inscribitur. In Codice Iustinianeo *l. 3. de Exactor. Tribut.* plenius *Com. Larg.* Qui idem Codex inscriptionem *dictæ legis 30.* quoque plenius exhibet, *l. 21. de Decurionib.* ita: *Com. Largitionum.* Fuit scilicet Comes Largitionum specialis perfectissimus tantum, de qua *perfectissimi* dignitate dicam *ad tit. vlt. huius libri.* At Comes S. L. Catholicus Illustris fuit. Cum his vero Comitibus Largitionum eosdem facio Comites Thesaurorum: quorum mentio fit *l. 14. & l. vlt. inf. de diuers. offic.* in qua *l. vlt.* exerte dicuntur, *Comites Thesaurorum diœceseos:* sic & Ammianus Marcellinus quoque Saliam Comitem Thesaurorum per Thracias nominat *lib. 29. cap. 1.* Item eum qui Gallicanos tuebatur thesauros, *lib. 22. cap. 3.* De iisdem Comitibus, accipio & *legem 28. inf. de appellat.* vbi cum Rationali iungitur Comes: vt & *legem 39. eod. tit.* vbi *Comes ærarii* vocatur: de quo mox.

Ab his autem diuersi sunt, quos *Notitia Imperii, fol. 49.* Præfectos, vel Præpositos Thesaurorum vocat, & separat a Comitibus Largitionum per omnes diœceses; illi quippe ferme per singulas prouincias fuere, vt exerte docet eadem *Notitia Imperii Occidentalis, fol. 140. 141.* vbi memorantur duodecim Præpositi, & in his Præpositus Thesaurorum Salonitanorum, Dalmatiæ, Mediolanensium, Liguriæ, Augustæ Vindeliceosis, Rhetiæ secundæ, per Gallias Lugdunenses. Illi etiam suos habuere Officiales, & in his scriniarios, qui Officiales Thesaurenses vocantur, de quibus *l. 14. & l. vlt. de diu. offic.* Cæterum memorat *Notitia Imperii Occidentalis*, sequentes Largitionum diœceseon Comites sub dispositione Com. S. L. puta Comitem Largitionum per Illyricum, *fol. cit.* cuius meminit quoque Ammianus Marcellinus *lib. 27. cap. 7. Eminuit*, inquit, *per id tempus inter alias humilium neces mors Diodis ex-Comite Largitionum Illyrici.* Memorat eadem Notitia Comitem Largitionum ITALICIANORUM, *fol. cit.* qui ille est qui *hac leg.* vocatur *Comes Italicianorum:* Italicianorum titulorum scilicet, qui nempe per specialem Italiæ diœcesim erat: Cuius etiam meminit Augustinus *lib. 6. Confessionum, cap. 10.* vbi de Alypio agens: *Romæ*, inquit, *assidebat Comiti Largitionum italicarum.* Nisi putemus generaliore significatu, *Comites Italicianorum* hic plurali significatu accipiendos, quotquot per Præfecturam Prætorianam Italiæ erant, quæ vtique tribus diœcesibus constabat, Italia, Illyrico & Africa. Memorat & prædicta *Notitia Imperii fol. cit.* peculiarem Comitem titulorum largitionalium per Africam, de quo est quoque *lex 39. sup. de appellationib.* vbi *Comes ærarii* vocatur, & ab eius sententia ad Comitem S. L. appellari dicitur. Hos igitur tres Largitionum Comites per Præfecturam Prætorianam Italiæ, *Comitum Italicianorum* appellatione *hac leg.* designasse videtur Honorius.

De GALLICIANIS superest videamus. Hi scilicet pariter sunt, qui per integram Præfecturam Prætorianam Galliarum erant; per tres, inquam, eius diœceses: per Gallias seu septemdecim prouincias, per Hispaniam & per Britannias: his enim tribus Diœcesibus constabat Præfectura Prætoriana Galliarum: de quo alibi. Horum vero nulla iam amplius mentio fit in *Notitia Imperii*, quæ circa A. D. 327. sub Valentiniano III. post Honorium conscripta fuit; Nempe, quia eo tempore Præfectura Prætoriana Galliarum, & in his Galliæ Romano Imperio bonam partem detractæ, in FRANCORUM, Burgundionum, Visigothorum ditionem cesserant.

Ex his iam apparet, falli admodum Gutherium, qui *lib. 1. de officiis Domus Augustæ cap. 15.* censebat, Comites Italicianos & Gallicianos duos limitaneos Comites rei militaris, idque per Hispaniam, fuisse; qui ita dicti fuerint a militibus Italicensibus seu Italicæ vrbis, & Gallicianis, a Gallicia. Quo nil absurdius dici fingiue potuit. Vt ad Orientis Imperium redeam, sane Tertullianus, qui *Comes diœceseos Asianæ* vocatur in inscriptione *legis 1. sup. finium regundor.* alius est ab his Comitibus; nempe de eo genere Comitum qui inter Proconsules & Vicarios medii erant; de quibus vide vel *l. 16. 30. inf. de appellationib.*

Tandem addendum hic illud, quemadmodum speciales Comites S. L. fuerunt, ita pariter fuisse speciales *Largitionum priuatarum* Comites, quorum memorat eadem *Notitia Imperii:* Qui ipsi forte comprehenduntur & hic, *Comitum Italicianorum*, & *Gallicianorum* appellatione.

(*) Vid. nostrum in *not. ad d. l. 5.* vbi Cuiacium refutauit, a quo in *legem 3. cit. Codicis Iust.* violenter intrusum *Sacr.* a qua dignitate Nemesianus longissime abfuit. Ideo hæc monenda erant, quia in priori editione nescio cuius incuria, ea quæ ex Cod. Iust. adducta erant, male se habent.

DE COMITIBVS ORDINIS PRIMI ARTIVM DIVERSARVM.

TITVLVS XX.

Abeſt & hic titulus a Cod. Iuſtin.

I. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Priſciano PV. Poſt alia.

HIi quos aut (b) vulgaris artis cuiuslibet obſequium, aut Operis publici cura temporalis iniuncta, aut Rerum publicarum procuratio leuis commiſſa, adeo commendarit, vt Comitiuæ primi ordinis dignitate donentur, ſciant, ſe inter eos, qui Conſulares (c) fuerint amoto (d) officio quod ſuſceperant, nominandos; Niſi forte emo-
P.411. lumentis contenti, quæ tempore militiæ (e) perceperunt, ſpreto nomine ac (f) dignitatem Conſularis viri duxerint reſpuendam, ne conlationis onus ſuſtineant, vel frequentare Senatum alioſque huiuſcemodi (g) Conuentus, qui Honoratorum frequentiam flagitant, conpellantur: & cetera Dat. XII. Kal. April. Conſtantinop. Lucio V.C. CONSS. [413.]

NOTÆ.

(a) Quinque aliis *legibus* hæc coniungenda, vt iam ſæpe *ſupra* dixi. *GOTHOFREDVS.*

(b) Quid ſi legas, *haud*? ſed ſequentia aduerſari videntur: itaque retinendum, *aut*, reſpondent enim hæc, *aut vulgaris artis cuiuslibet obſequium, aut operis publici cura &c. aut rerum publicarum procuratio leuis &c. IDEM.*

(c) Vid. *l.* 8. 9. 10. *de Domeſticis & Protectoribus. IDEM.*

(d) Id eſt, depoſito. *IDEM.*

(e) *Militiæ* de quocumque obſequio, cura, procuratione publica. *IDEM.*

(f) *γρ. hanc*: vel *hoc*. Quod malo. *IDEM.*

(g) *Huiuſmodi* edit. Cuiacianæ. *R.*

COMMENTARIVS.

ARTIFICTAVS quoque quibuſdam etiam vulgaris artis, Mechanicis item & *Curatoribus operum publicorum*, itemque publicarum quarundam leuium etiam rerum curatoribus ob ſtrenuam quandoque operam qua ſeſe commeodarant, Comitiua primi ordinis pro præmio deferebatur. De *Mechanicis* & publici operis cura exemplum extat apud Symmachum, *lib. 5. ep. 74.* in Cyriade, quem *Comitem & Mechanicum* inibi vocat: *Cyriades*, inquit, *Vir clariſſimus Comes & Mechanicus; qui dudum impenſas operis vtriuſque tractauit* (id eſt, pontis & Baſilicæ nouæ) & *lib. 10. ep. 38.* & *39.* vbi eundem Cyriadem ſed & Auxentium, *Comites & Mechanicos, ſeu Mechanicæ profeſſores* vocat, quam vtramque epiſtolam conſuli oportet. De hoc genere quoque Comitum fuiſſe puto Diodotum, qui ædificandæ Eccleſiæ præfuit apud Am. Marcellinum *l. 22. c. 11.* vide & quæ de Comitibus diſcuſſionum noto ad *l. vlt. de Ambitu.*

Cæterum his Comitibus *hac Conſtitutione* gradus adſignatur inter Conſulares; de quo gradu vide, quæ ſemel dicam ad *legem 8. 9. 10. inf. de Domeſticis.* Neque tamen adhuc inuitis his hic gradus obtruditur, eo quod onera quædam huic dignitati incumbebant: quinimo huic dignitati eos renunciare poſſe *h. leg.* ſtatuitur, quam quoſdam reſpuiſſe hæc *lex* indicat, euitandis videlicet oneribus Conſulari dignitati implicitis: quæ quidem onera duo memorantur. Primum onus eſt, conlationis, glebalis ſcilicet, quam Conſulares, velut Senatores agnoſcere tenebantur: (A Præturæ enim onere ipſo iure immunes erant, de quo vide quæ dixi ad *l. 10. ſup. de Senatorib.* & *l. 23. ſup. de Prætoribus.* Et Symmachum *lib. 10. Epiſt. 17.* De quo dicam rurſum *ad d. l. 8. 9. 10. inf. de Domeſticis.* Et alioquin in commune eandem ob cauſam Senatoriæ dignitati renunciare licuit *l. 4.* & *l. vlt. de Senatorib.* vid. & *l. 58. inf. de decurion.*) Alterum onus eſt, Senatus aliorumque huiuſmodi Conuentuum frequentatio. *Honorati* ſcilicet (de quibus iam ſæpius egi, ac nominatim *ad l. vn. ſupr. de officio iudicum ciuilium*) in Senatum & conuentus Prouinciales ſæpe corrogabantur pro rerum neceſſitate: quod moleſtum ſatis quibuſdam viſum, atque adeo ea de cauſa Conſularitati & Senatoriæ dignitati renunciandum credebant. Cæterum eſt hæc lex, caput ex Theodoſii Iun. conſtitutione ſeu ordinatione, & quidem poſtremum, de *Comitiua primi ordinis*, quemque ea decoratus gradum inter Duces Comiteſque rei militaris, Vicarios, & Conſulares obtinere debeat: e qua quinque alia capita *ſuperioribus titulis* indita extant, *huic* proinde *legi* ſocianda.

DE PROFESSORIBVS, QVI IN VRBE CONSTANTINOPOLITANA DOCENTES EX LEGE MERVERINT COMITIVAM.

TITVLVS XXI.

Lib. XII. Cod. Ivst. Tit. XV. Cum *hoc tit.* conferri oportet *Titulum de Medicis & Professoribus lib. 13. infr.* Item *tit. de studiis liberalibus vrbis Romæ & Constantinop.* cuius etiam Tituli *lex 3.* cum *lege vnica huius tit.* coniungenda.

I. (a) Impp. Theodosivs A. & Valentinianus Cæsar Theophilo PV. (b)

Grammaticos Græcos, Helladium & Syrianum: (c) Latinum, Theofilum; Sofistas, (d) Martinum & Maximum: & (e) Iurisperitum Leontium placuit honorari codicillis Comitiuæ Ordinis Primi iam nunc (f) a Nostra Maiestate perceptis: P113 ita vt eorum qui sunt ex-Vicariis, (g) dignitate potiantur. Qua (h) in re quicumque alii ad id doctrinæ (i) genus, (k) quod vnusquisque profitetur, ordin.... (l) dentur, si laudabilem in se probis moribus (m) vitam esse monstrauerint, si docendi peritiam facundiamque dicendi, interpretandi subtilitatem, copiamque (n) disserendi se habere patefecerint, & Cœtu Amplissimo (o) iudicante digni fuerint æstimati qui in memorato (p) auditorio Professorum fungantur officio, hii quoque cum ad viginti annos obseruatione iugi ac sedulo docendi labore peruenerint, hisdem quibus prædicti (q) viri dignitatibus perfruantur. Dat. Id. Mart. Constantinopoli Theodosio A. XI. & Valentiniano Cæsare Conss. [425.]

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata est: Iungenda autem *huic* proculdubio sunt *lex vlt. inf. de studiis liberalibus vrbis Romæ: & lex vlt. inf. de operibus publicis.* GOTHOFREDVS.

(b) *Theophilus* P.V. Constantinopolitanæ sub Theodosio Iun. cui & Anno prox. 426 inscribitur *lex 22. inf. de diuersis offic.* in qua etiam agitur de regionibus vrbis Constantinopol. *IDEM.*

(c) *Syrianum.* Et ita clare expressum in MS. hactenus male *Syrianum.* Syriani Medici meminit Synesius *ep. 110.* *IDEM.*

(d) De *Sophistis,* & quinam per eos intelligantur? dicam ad *leg. vlt. inf. de stud. lib. V. R. & Const.* *IDEM.*

(e) Hanc vocem addidi ex MS. *IDEM.*

(f) *Iamnunc.* vid. Gloss *Theod.* *IDEM.*

(g) Ex Vicariis. Horum quoque meminit Chrysostomus *ep. 14. pag. 682 edit. Francf. Tom. IV.* οἱ ἀπὸ ὑπάρχων, οἱ ἀπὸ ἡγεμόνων σοφισταί, οἱ ἀπὸ τριβούνων. *Ex Vicariis, ex Præsidibus Sophistæ, ex Tribuni.* *IDEM.*

(h) Quamobrem *IDEM.*

(i) *Doctrinæ,* id est, docendi. *IDEM.*

(k) Capessendum scilicet. *IDEM.*

(l) Locus, cui difficilis medicina; quam mox tamen adhibere conabor. *IDEM.*

(m) Nempe magistros studiorum moribus primum excellere oportet: *l. 5. inf. de Medicis & professor.* vbi dicam. *IDEM.*

(n) In MS. non tantum spatii arrosum est, vt vox, *quæ*, addi possit: forte, *copiamue.* *IDEM.*

(o) Id est, a Senatu Constantinopolitano, cuius Præses & Præsul erat P.V cui hæc *lex* inscribitur. *IDEM.*

(p) Memorato, scilicet in *d. l. vlt inf de studiis liberalib* id est, in Capitolio Constantinopolitano, vt illa lex docet; Quod egregie confirmat illius *legis* cum *hac* coniunctionem. *IDEM.*

(q) Initio *huius legis* memorati. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

De Professorvm, in *Academia*, vt hodie loqueremur, vrbis Constantinopolitanæ, Dignitate, est hæc Theodosii Iun. constitutio: Quæ pars est prolixioris Theodosianæ constitutionis, qua in Academiæ studiisque liberalibus vrbis Constantinopolitanæ enixe consultum iuit: vnde duo adhuc fragmenta supersunt: puta *lex vlt. inf. de studiis liberalibus:* & *l. vlt. de operibus publicis:* quæ proinde

huic coassandæ veniunt: Etsi inscriptionum quædam diuersitas intercedat; hæc enim *Theofilo* P.V. inscribtur: *d. lex vlt. de operibus publicis*, Constantio P.V. Item *d. lex vlt. de studiis liberalibus* eius, ad quem ea directa, nullum nomen præfert, cui tamen in Cod. Iust. Cuiacius *Theophili P. V.* nomen addidit: Sed & huic *legi* subscriptus dies paulum abit ab eo, qui subscriptus illis duabus; Et certissimum tamen, tres has *Leges* inter se cooiuogendas: non tantum argumenti paritate, agitur enim illis *legibus* de Professoribus & studiis liberalibus Vrbis & Academiæ Constantinopolitanæ, verum etiam, quia mutuo correspondent, alteraque ad alteram respicit, seu refertur. Ita quidem vt nonnisi coniunctæ plenum sensum habeant: v. g. hac leg. *memoratum auditorium* dicitur, quod *hac leg.* tamen nullibi exprimitur: verum in dictis duabus *Legibus*, ac nominatim *d. l. vlt. de studiis liberalibus.* Viceuersa in *d. l. vlt. de operibus publicis*, *supradictorum consessus* memoratur, quod intelligi non potest, nisi ex *hac leg.* & *d. l. vlt. de stud. liberalibus*, puta de Professorum Auditoriis.

Nunc de *huius leg.* sententia. Igitur Theodosius Iun. præter alia, quæ ea constitutione de Professoribus eorumque Auditoriis cauit, duo de his hac parte constituit: Primum est, de Priuilegiis & Dignitate eorum: nempe inter alia Professorum priuilegia, in Academia Constantinopolitana, nouam dignitatem nunc primum, puta *Comitiuam primi ordinis* his tribuit: partim iis sex qui tum erant, partim vero in futurum omnibus, post viginti annorum stipendia. Nempe Professoribus trium generum Grammaticis, iisque tum Græcis, tum Latinis: Sofistis, tandem & Iurisperitis, post viginti annorum stipendia *hac* Theodosii Iun. *constitutione* Comitiua primi ordinis tribuitur: Et quidem ita, vt ex-Vicariis exæquentur: Quibus sane Vicariis & hæc ipsa Comitiua primi ordinis tributa, vti discere est biennio post ex *Notitia Imperii* in Vicario Ponticæ *fol. 79.* & Vicario Britanniarum *fol. 158.* facto iam nunc ab iis Professoribus initio, qui tum temporis erant, quorum memoriam hic instaurant, non abs re est.

Helladii igitur Grammatici meminit Suidas in *voce* Ἑλλάδιος. Sic vt, quod hæc quoque lex docet, sub Theodosio Iun. eum fuisse testatur. Ἑλλάδιος, inquit, Ἀλεξανδρεὺς γραμματικός, γεγονὼς κατὰ Θεοδόσιον τὸν βασιλέα τὸν νέον. (ἔγραψε scilicet) λέξεως παντοίας χρῆσιν κατὰ στοιχεῖον, ἔκφρασιν φιλοτιμίας. Διόνυσον, ἢ Μοῦσαν. Ἔκφρασιν τοῦ λουτροῦ Κωνσταντιανῶν (γρ. Κωνσταντιανοῦ.) Ἐπαινον Θεοδοσίου τοῦ βασιλέως. *Helladius, Alexandrinus, Grammaticus, qui sub Theodosio Imperatore iuniore vixit. Scripsit ordine alphabetico de vsu omnis generis vocabulorum. Descriptionem ambitionis. Bacchum, siue Musam. Descriptionem balnei Constantiani. Laudes Imperatoris Theodosii.* Quo loco quod de laudibus Theodosii Iunioris Suidas adiicit ab Helladio scriptis, id ab Helladio factum conicere licet, vt mutuum Theodosio redderet. Quod ipsum simili prorsus occasione a Themistio Philosopho factum; ad *l. 12. sup. de Prætorib.* notabamus. Hic idem Helladius est, vnus ex vndecim illis, e quorum scriptis Suidas indicem suum compegit, vt prima Suidæ pagina exhibet. Eiusdem Helladii meminit & Socrates, *Historia Ecclesiastica lib. 5. cap. 16.* Quem & Alexandrinum & Grammaticum & Constantinopoli professum, seque ipsius discipulum fuisse scribit. De templo quippe Serapidis Alexandriæ, Anno 381. diruto, agens; πολλοὶ, inquit, ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας ἔφυγον, ὧν ἦσαν οἱ δύο Γραμματικοὶ Ἑλλάδιος καὶ Ἀμμώνιος, παρ' οἷς ἐγὼ κομιδῆ νέος ὢν, ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλει ἐφοίτησα· Ἑλλάδιος μὲν οὖν ἱερεὺς τοῦ Διὸς εἶναι ἐλέγετο, Ἀμμώνιος καὶ Πιθήκου. *Multi etiam ex vrbe Alexandria profugerunt, ex quorum numero fuere Grammatici duo, Helladius & Ammonius; quorum ego admodum adolescens Constantinopoli auditor fui. Et Helladius quidem Iouis, Ammonius Simiæ Sacerdos esse dicebatur.* Qui locus cum hac *lege* nostra iunctus ostendit, longæuum professorem hunc fuisse. Et certe hæc inter alias efferendi eius *hac leg.* occasio fuit.

De *Syriano*, (nam ita rescribendum) quod dicam P. 114 non habeo: Syrianus enim, cuius meminit Suidas, alius ab hoc videtur. Sed neque *Theophili* alibi mentionem reperio, neque *Martini*, aut *Maximi*, nisi ille sit *Maximinus*, qui Quæstor postea fuit, eminens omni genere literarum, vt de eo Theodosius *Nou. 1. Marinum* Rhetorem, cuius idem Suidas meminit, alium facio. Sed neque *Leontii* Iurisconsulti vlla alibi, quod sciam, mentio fit, nisi hic idem sit cum eo, quem decennio post Præfectum Vrbis CSP. fuisse ostendunt *lex 3. inf. de frumento vrbis CSP.* & *lex 8. inf. de Princip. agent.* & *lex vlt. inf. de hæreticis.* Nam & ita Themistium Philosophum Præfectum vrbi factum legimus: Ita Simplicium ex Grammatico Vicarium vrbis Romæ factum, testatur Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 1.* Qui ipse est, ad quem extat *lex 1. inf. de his qui latrones.* Meminit & præter alios in Theodosio iuniore Cedrenus *pag. 336. edit. Paris.* hoc ipso tempore Leontii Philosophi Athenis Eudoxiæ patris.

Ex his interim & *d. l. vlt. inf. de stud. lib.* (quæ *huic* coassanda est) varia sunt notanda: *Primum*, Constantinopoli, vt in cæteris ferme vrbibus hos Professores fuisse: Grammaticos scilicet Græcos, & Latinos: Item Sophistas (id est Rhetores seu Oratores:) Denique *Iurisperitos* seu Professores duos, qui scilicet Iuris & legum formulas panderent, de quo dicam plene ad *l. 11. & 16. inf. de Professoribus & Medicis*, & ad *d. l. vlt. inf. de studiis liberalib.* Videndus est interim & Ausonius.

Secundo noteтur priuilegium Professorum post viginti stipendia expleta. Cui simile in Gallia etiamnum obtinet. Ad similem temporis præscriptionem & prærogatiuam respexit Quintilianus *Instit. Orat. in proœm. lib. 1.* dum scribit in hunc modum: *Post impetratam studiis meis quietem, quæ per viginti annos erudiendis iuuenibus impenderam.* Quod argumentum est, iam olim post annos viginti perinde ac veteranis emerita Professoribus dari consueuisse, & Quintiliano data, quem primum Romæ scholam publicam aperuisse proditum est.

Et hæc quidem de primo *huius leg.* capite: Alterum *huic legi* insertum est de *Electione Professorum.* Nempe duo super hac recauentur, *ad quos* inquam eligendorum Professorum in vrbe Constantinopolitana cura pertineret. Et *quid* in his desideraretur.

Quod prius attinet, a Senatu Constantinopolitano Professores electos apertissimis verbis indicat: idque duobus locis ibi, *cœtu Amplissimo iudicante:* & antea in illis verbis, *Ordin.... dentur:* quæ in MS. erosa sunt: quæ alii aliter atque aliter refingunt: Fornerius 3. *Quotidianarum 12.* tentabat, *ordinentur:* male: nam de ordinatione postea demum in sequentibus agitur. Pithœus ad oram Codicis sui notabat ex vestigiis veteris Codicis, *ordini addentur* vel *ordinabuntur:* Quod neque ipsum admittendum. Reponebam aliquando, *ordinari nitentur:* proxime ad verum. Nunc vero inspecto MS. omnino, vbi vocis *dentur* reliquiæ aperte comparent initio lineæ; & fine superioris lineæ *ordin.* erosis post hæc quatuor literis, repono *Ordinis prædentur:* Nempe tria hic indicantur in electione Professorum: Nempe de prima nominatione Professorum eligendorum, de Examine eorum, de Electione tandem: Hæc videlicet tria a Senatu, & apud Senatum facienda: quem vt *cœtum amplissimum* vocat postea, ita & hic *Ordinem:* quomodo & alias hac voce passim Senatus indicatur: Et in hac

hac ipsa re *l. 5. inf. de medicis & Professoribus* ibi: *Iubeo quisque* DOCERE VVLT, *non repente nec temere* PROSILIAT AD HOC MVNVS, *sed iudicio* ORDINIS *probatus*, &c. Quod & ipsum hic vult Theodosius Iun. hoc loco: Nempe vt eum paraphrasi hac illustrem, si quis ad id *doctrinæ*, id est, docendi genus & sic professionem publicam eius studii, quod profitetur, adspiret, nomen eius Senatui prodi oportet, eiusque examen ibi instituendum est *ad id doctrinæ genus* scilicet capessendum, *doctrinæ*, id est, docendi munus: Manente eadem restitutione huius loci, putet quis hæc *ordini prodentur*, accipienda de ordine Professorum, vt ita sola confirmatione Professorum penes Senatum consistente, prima nominatio & exameo ordini Professorum committatur. Et hæc de nomine eorum Senatui prodendo, qui Professionem petunt, quiue ea digni dicuntur. Nunc de *Examine* eorum instituendo, quidque in his spectari velit, seu requirat Theodosius Iun. Nempe hæc: *laudabilem in se probis moribus vitam, docendi peritiam, facundiamque docendi, interpretandi subtilitatem, copiam differendi.* Quæ Professorum in commune qualitates, vt loquuntur, omnino sunt: de quibus suo titulo *ad l. 5. inf. de Medicis & Professoribus.* Quod postremo loco attinet *Audit orium*, quod *hac leg.* memoratur, de eo ad *d. l. vlt. inf. de stud. liberal.* & *l. vlt. inf. de operibus publicis*, quæ huic, vt dixi, coniungendæ sunt: & ad quas sese hic refert Imperator.

DE HONORARIIS CODICILLIS.*

TITVLVS XXII.

Abest hic *Titulus* a *Cod. Iust.*

* I. Num in Curia muniisque curialibus liberent? quo pertinet *lex 1. 2. 3.* II. Quem gradum obtinere debeant eos adepti, quo spectat *lex 4. 5. 6. 7.*

PARATITLON.

Honorarii Codicilli *Rubr.* & *l. 4. 7.* & *vlt. hoc tit.* & *l. vlt. sup. de Primicerio & Notariis*, & *l. vn inf. de oblatione equor. l. 74. de Decur.* (seu Epistolæ, *l 5. h. t.* hinc & epistolæ honorariæ, *l. 23. inf. de cursu publico*, testimoniales, *d. l. vlt. h. t.* Honora-
P.115. riæ dignitates, *l. 2. ad leg. Iul. repet. l. 34. 36. 41. de Decur.* quæ legitimis opponuntur *d. l. 2. ad leg. Iul. repetund.*) duorum sunt generum. Alii quippe sunt, imaginarii Codicilli, *d. l. vlt. h. t.* adsimulaticii, *d. l. 5. h. t.* honorum adumbratorum, *l. 6. h. t.* imaginariarum, & honorariarum dignitatum, *d. l. 7. h. t.* veluti magistri Officiorum, *d. l. vlt. de Primic. & Notar.* aliarumque Illustrium dignitatum *Nouella Theodosii 32. de metatis.* Magistri equitum, *l. 4. h. t.* Præfecti, *l. 7. h. t.* Præsidis aut Rationalis *l. 3. h. tit. l. vn. inf. de oblat. equor.* & *l. 23. inf. de cursu publ.* Proconsulis, Vicarii Consularis, *l. 5. h. t.* Comitiuæ, *d. l. 23. inf. de cursu publ.* Comitis & quidem primi ordinis, *l. vn. supr. de Comitib. Vacant. d. l. vnic. de oblation. equor.* Præsidis, *leg. ead.* Perfectissimatus, Egregiatus, *l. 1. hoc tit.* & *l. 2. inf. de Medic. & Profess.* & *l. vn. infr. de perfectissim. dignit.* quos adeptus quis est per suffragia, *l. 1. 2. 3. 6. h. t.* vel qualibet ambitione, *d. l. 2. h. t.* pretio aut gratia, *d. l. vn. de Comitib. Vacantib.* emendicatus *dict. l. 5. h. t.* absque administrationis alicuius priuilegio, *l. 7. h. t.* intra Palatium nunquam versatus, aut administrationibus non functus, *l. 1. h. t.* extra Palatium constituti, *d. l. 5. h. t.* officiis publicis atque muneribus expertes, *d. l. 6. h. t.* quos habent secretæ quietis vmbracula, quibus honorum species suffragio magis est parta quam merito, *d. l. 6. h. t.* quos honorarii tantum nominis suffragia persequuntur, *l. 44. infr. de cursu:* qui honestas dignitatum infulas impetrarunt, *l. 155. infr. de Decurion.* qui dignitatis fructum, antequam mererentur, adepti sunt; qui honorariæ prærogatiuæ potiuntur insignibus citra cingulum pro solo honore, quibus nulla suffragatur dignitas, *d. Nouell. Theodosii 32.* Breuiter, quos *Honorarios* proprie vocauit Antiquitas, quique fasces ciuilium partium consecuti, vel militaris nominis, nulla prius laboribus rudimenta posuerunt, castrorumque expertes habentur, nec in hostem Martio ære caluerunt: *l. vnic. in fin. infr. qui a præbit. Tyron.* Breuiter *Honorarii*, *d. Nou. Theodosii 32.* Quibus opponuntur, *Vacantes*, de quibus postea.

De his hæc obseruanda sunt, a Constantino M. primum prohibitos omnes ab honoribus mercandis per suffragia, vel qualibet ambitione quærendis, sic vt in plebem reiici vellet eos, qui pecunia data Codicillos adepti essent, *l. 1. h. t.* multamque auri certam imponeret Constantius: *l. 2 h. t.* Quin & Curiarum obsequia fugientes vmbris & nominibus dignitatum adsectatis tricenas argenti libras prætereainferre voluit, *d. l. 2. h. t.* Verum mos postea inolitus, per suffragia, non tamen pecunia data, aut promissa, (de quo tamen vide *l. vlt. supr. si certum petatur de suffragiis*;) adipiscendarum dignitatum, iam sub ipsomet Constantio, vt etiam apparet *ex l. 1.* & *3. huius tit.* Sic tamen hac parte obseruatum, vt a

Iudicibus iniuncta protinus exequi tenerentur, veluti exactiones, *l. 3. h. t.* & *l. 2. inf. de Medicis:* & *l. 1. supr. de Primicerio & Notariis.* Vt ad procurationem clabularii cursus eligerentur *l. 23. inf. de cursu publ.* Item vt etsi tempore priores essent, tamen administratione perfunctis & vacantibus postponerentur, *l. 5. 6. 7. h. t.* & *l. vn. sup. de Comitibus vacantibus.* De quibus mox.

Alterum genus honorariorum Codicillorum erat, quos contemplatione meritorum, *l. 4. h. t.* hi, quos administratio iam aliqua, vel militia decorauerat, *l. 5. h. t.* qui in actu aliquo positi antea fuerant, *l. 6. h. t.* qui administratione aliqua perfuncti fuerant, *l. 7. h. t.* a vigiliis atque laboribus, *l. vlt. sup. de Primicerio & Notar.* post probatos labores in Palatio, *l. vn. supr. de Comitib. vacantib.* post probata merita sudati diu laboris, *l. 2. sup. de Comit. rei milit.* ad similitudinem eorum, qui administratione functi sunt, *l 8 h. t.* impetrabant & adipiscebantur, iam sibi vacantes, vnde *Vacantium* his nomen; *Tit. de Comit. Vacant.* vbi dixi: & *Nou. Theodosii, de metatis 32.* Regulæ, quæ circa hos obseruandæ sunt, *l. 6. 7.* & *8.* proponuntur, de quibus etiam iam ante actum fuit, *ad d. l. vlt. de Primicerio & Notariis:* & *ad d. tit. de Comitibus vacantibus.* Sed & videnda est *lex 2. infr. quis in gradu præferatur.*

I. (a) Imp. Constantinus A. ad Seuerum PV. (b)

SI quis (c) iudicio nostro se adeptum Codicillos (d) adstruxerit, & idem vel superna (e) Codicillorum impressio, vel scriptura adstipuletur interior, tamen si ad hoc pecuniam constabit speratam, (f) nihilominus reiectus in plebem, (g) quo plus (h) extorquere conatus est, abdicetur: Hos enim solos, qui intra Palatium versati sunt, vel administrationibus functi, ad Honores excipi (i) oportebit, ceteris cunctis exemptis & suis (k) restitutis. Si qui tamen bonorum (l) virorum suffragio, (nulla data pecunia,) vel Prouinciæ Legatione (m) suscepta nostris sunt obtutibus (n) inlustrati, Duumuiratus, Curas, (o) testimonium (p) prouinciæ lucrati, cetera (q) munerum publicorum obire non abnuant. Qui vero coëmtis Procurationum (r) administrationibus, post lucra de fisco ca-P. adeptam vacationem meruerint, siue perfectissimi (s) sunt, siue inter (t) Egregiorum (v) ordinem, locumque constiterint, Decuriones (x) nominentur: (y) Quibus illi quoque addendi sunt, qui neque ex administrationibus (z) sunt, & tamen vt Perfectissimi delitescunt. Dat. X. Kal. Feb. Sirmio Acc. Non. Apr. Crispo II. (a) & Constantino II. CC. CONSS. [321.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc lex a Cod. Iust. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Seuerus* hic integro nomine, *Acilius Seuerus*, non ponitur hoc Anno 321. Præfectus vrbi in *veteri Notitia Praefectorum Vrbi*: eo quippe Anno ponitur Valerius Maximus: verum Anno demum 325. & quidem a *pridie Nonas Ian.* illius Anni. Quare error admissus in subscriptis coss. *hac l.* Forsan putet quis reponendos *Crispum* III. & *Constantinum* III. COSS. idest A. D. 324. *IDEM.*

(c) Decurio scilicet. *IDEM.*

(d) *Codicilli*, absolute *hac l.* & *l. 15. inf. de nauicular.* & *l. 42. de Decurionib.* pro codicillis dignitatum, & honorariis codicillis. *IDEM.*

(e) Exterior de eo mox. *IDEM.*

(f) Ab eo scilicet *qui suffragium* præbuit: *promissam* autem ab eo, qui Codicillos seu honorem ambiebat. Vide *l. 1.* & *2. sup. si certum petatur de suffragiis.* *IDEM.*

(g) Decurionum scilicet, atque adeo dignitate impetrata detrusus. *IDEM.*

(h) Ita commode interpretari licet, *eo quod plus*, &c. *IDEM.*

(i) Ferri potest hæc huius sæculi Latinitas: Tentabam aliquando *erigi*, vel *euehi*, vel *exciri.* De hac voce *excipiendi* in dignitatum argumento v. & *l. 57. de decur.* & *Gl. Th.* *IDEM.*

(k) Supra *in plebem reiectus*, intelligit autem curas. *IDEM.*

(l) *Bonorum* virorum suffragio, pariter vt in eadem re Iulianus *l. 1. sup. si certum pet. de suffr. bonorum merito.* Eademque voce in eodem argumento vtitur Libanius *orat. 9. fun. in Iulianum. p. 251. edit Morell.* sic quoque *l. 4. inf. de agentib. in reb.* bonorum adtestatio & consensus. *IDEM.*

(m) Vel promissa. De Legationibus prouinciarum: vid. *suo tit. lib. 12.* *IDEM.*

(n) Ita *l. vlt. inf. de Legatis: Admissosque sacrariis nostris semper sui Imperatoris aspectu decoratos esse Legatos*: v. & *l. 23. inf. de cursu public.* *IDEM.*

(o) Ita distingue & repone: *Duumuiratus, curas testimonio prouinciæ lucrati.* *Lucrati* autem, id est, liberati & soluti a Duumuiratu; a Cura, id est, curatoris ciuitatis officio. vid. & *l 20. inf. de Decurion.* vbi de curis ciuitatum. Post hæc ita scripta vidi in MS. vocem, *hi*, desiderari hoc loco ita: *hi Duumuiratus*, &c. *IDEM.*

(p) Ita *l. 25. inf. de Decurionib.* honestis testimonii adminiculis. *IDEM.*

(q) *Cetera munerum*: vt cætera morum, Symmachus 1. *ep.* 23. vbi Iuretus. *IDEM.*

(r) Forte *Procurationib.* vel *Administrationibus.* *IDEM.*

(s) De *Perfectissimatus* dignitate, *suo tit. vlt. hoc libro.* *IDEM.*

(t) Intra. *IDEM.*

(v) De *Egregiatu* mox. *IDEM.*

(x) v. *d. l. 20. de Decurionib.* *IDEM.*

(y) v. quæ dicam ad *l. 3. inf.* *IDEM.*

z) *Ab-*

(z) *Administratione*, pro administratoribus. Sic Spartianus in *Pescennio Nigro, cap. 7. cum videret Prouincias facili administrationum mutatione subuerti.* IDEM.

(a) v. quæ dixi ad *Inscriptionem.* IDEM.

COMMENTARIVS.

De Honorariis codicillis a CVRIALIBVS impetratis an & quando a Curialibus muneribus decurionum liberent? sunt tres priores *huius tituli* Leges. Hac prima omnium Constantinus M. tres eorum species constituit. Nempe 1. Curialem, seu Decurionem, qui vitandorum munerum causa, pecunia data vel promissa, honorem aliquem Procurationis vel Administrationis impetrauit Curiæ suæ restitui oportere: pariter vt *l. 20. 24. 25. 27. & 36. pluribusque aliis inf. de decurionib.* 2. Si vero reuera intra Palatium versati sint, vel Administrationibus functi, honores eis prodesse. 3. Si quis *bonorum virorum* suffragio (nulla pecunia data) &, vt loquitur *d. lex 25.* honestis testimonii adminiculis enitens, Codicillos honorum a Principe impetrauerit, vel etiam Prouinciæ *Legatus* ad Principem fuerit, cætera equidem munerum publicorum obire cogendum, sed a *Duumuiratu* & *Curatoris Ciuitatis* onere liberari. Empta scilicet, fœdaque familiaris rei vexatione seu profusione impetrata dignitas in nullo prodest: quæ citra pecuniam impetrata est, ad Duumviratus & Curæ saltem munera euitanda confert. Quod ipsum vt dixi & de *Legatione Prouinciæ* suscepta statuitur. Honestis testimonii adminiculis enitens, testimoniis, inquam, bonorum virorum, vel *totius Prouinciæ*, etsi non in totum Curia liberetur, eatenus tamen, vt dixi, liberatur. Dedecorandus ambitus, & honorum mercatura nec quicquam ad Curiæ onera euitanda facit: Testimonium quadantenus prodest. Magnum est scilicet Prouinciæ testimonium, si quis *Legatus Prouinciæ* nomine ad Principis Comitatum mittatur. Et magnum est, Prouinciæ Legatum Principis obtutibus illustrari. (Legati quippe Prouinciarum & Ciuitatum Sacrariis Principis admissi, Imperatoris aspectu decorati fuere: id quod, iuxta hanc *legem*, docet maxime *lex vlt. inf. de legatis, & decretis legationum*: vbi dicam.) Ergo Legatorum prouincialium, qui honorarios codicillos a Principe adepti fuerant, peculiaris ratio habita, quoad munerum immunitatem *h. l. & l. 25. 36. inf. de Decurion. & l. 23. inf. de cursu publ.* E quibus huic *legi* pene gemina est *d. lex 25. inf. de Decurionibus. Quoniam empta dignitatis obtentu, Curias vacuefactas esse non dubium est, placuit vt cuncti qui suffragiis, dignitatum insignia consecuti sunt, immeriti honoris splendore priuati, ciuilium munerum solemnitate fungantur. Eorum sane intemeratas incussasque dignitates volumus permanere, qui vel iudicio Prouinciarum in officium Legationis electi sunt, vel honestis testimonii adminiculis enitentes, talium dignitatum priuilegia insigniaque meruerunt.*

Extra hos igitur casus, veluti empta dignitas nihil prodest, imo nec post emptam Procurationem vel Administrationem, impetrata dignitas Perfectissimi aut Egregii quidquam prodest, cum alioquin hæ dignitates, sicut Palatina militia aut Administratio gesta Curia vel curialibus muneribus liberent. Quibus omnibus concordant duæ insuper eiusdem Constantini M. constitutiones: puta *lex 5. & lex 15. inf. de decurionib.* quibus locis dicam adhuc plenius.

Nunc notabilia alia *huius l.* sectemur. Primo
P. 117. ex *hac l.* apparet, vt & ex multis aliis legibus, *inf. tit. de Decurionib.* fœdam honorum nundinationem Constantini temporibus exercitam, suffragantibus proculdubio Constantini Comitibus & Amicis: de quibus *l. 4. inf. de accusationib.* cui Constantinus *hac l.* contra ire nisus, quæ scilicet fiebat in fraudem Curiarum. Eamque ipsam proculdubio filii eius perstringunt: *l. 2. prox. & l. 24. 25. 26. 27. inf. de Decurionib.*

Secundo notentur illa *huius l.* initio, de forma Codicillorum: *Et idem vel superna codicillorum impressio, vel scriptura adstipuletur interior.* His scilicet verbis indicatur, Codicillos, (de quibus est & *lex 5.*) honorum, bifariam fieri darique solitos: vel enim exteriore (quæ hic *superna* dicitur) impressione notari, vel scriptura interiore honoris collati expressa facta mentione. Quod & ipsum indicari videtur Constantii *l. 42. inf. de Decurionib. Si quis autem clarissima meruerit infulas Dignitatis, nec indulti muneris gratiam codicillorum allegatione percepit, impetrata fructum Dignitatis amittat.* Quod *supernam codicillorum impressionem* attinet, in Codicillis scilicet primum exterius *impressa*, vel expressa erant symbola dignitatum: quæ symbola pro ipsis quandoque codicillis, quod ex vicariis quoque Iustiniani Nouellis discimus, Nouella 25. 26. 27. 28. 29. 30. 70. Id vero ex *Notitia* quoque *Dignitatum* seu *Imperii*, clare discimus. Ibi quippe codicilli dignitatum symbola præferunt: nam vel *imagines* in iis cernere est, non mulierum simpliciter, quod quidam putant, verum prouinciarum: alii sigillatim notis superne inscripti; quibus continentur gradus Comitiuæ, primi scilicet vel tertii ordinis: FL. INT. ALL. COM. ORD. PR. item FL. VAL. COS. TRI. IVSSI. D. mox. & sub finem *Notitiæ*, omnes in Armariis repræsentantur, quas Notas iam supra explicaui: vt & in Clarissimorum codicillis hæ notæ inscriptæ. FL. VAL. PNEN. IVSSV. AV. Alii codicilli sine symbolis, sine literis, exterius nudi exhibentur. De huiusmodi alioquin codicillis honorum est quoque Themistii loco *Orat. 18. p. 224. ed. Harduin.* vbi etiam codicillos alios eboreos fuisse, alios aureos indicat ἐπ' ἐκείνῃ τῇ δέλτῳ, ἣν οὐκ ἐποίησαν ἐλεφαντουργοί, οὐδὲ χρυσοχόοι: & (*Orat. 14. pag. 118.* οὐ ἀναβῆναι ἐκ ἔστι δέλτῳ χρυσῇ ἐποχουμένους) quem locum recte retulit Petauius ad codicillos: neque ideo tamen honorarios codicillos ibi, imaginari licet, verum codicillos & epistolas quibus Imperator stipendii & salarii modum decernebat. Meminit & Chrysostomus *de verbis Esaiæ, vidi Dominum: homil. 2. pag. 740. tomo 3. edit. Francf.* καθάπερ γὰρ οἱ βασιλεῖς τοῖς ἑαυτῶν ὑπάρχοις χρυσᾶς ὀρέγουσι δέλτους, σύμβολον τῆς ἀρχῆς. *quemadmodum enim reges præfectis suis aureas porrigunt tabellas, magistratus signum.*

Tertio notentur *hac l.* diuersa primum nomina munerum Curialium, veluti prouinciæ Legationis, Duumuiratus, Curarum: de quibus *suo titulo, de decurion.* Notentur dignitates, aliæ scilicet intra Palatium, aliæ in Administrationibus, prouinciarum scilicet occupatæ, quæ & procurationum administrationes dicuntur *h. l.* si textus bene habet. Malim enim *Procurationes* ab *Administrationibus* hic distinguere; vt Procurationis nomine indicetur Procuratoris vel Rationalis officium, argumento *l. 3. inf. in pr.* Notentur tandem dignitates *Perfectissimi*, de quibus *suo tit.*

De *Egregiatu*, nos nonc semel agamus, cum nullus de eo *titulus* occurrat. De eo igitur præter *hanc leg.* quatuor insuper leges occurrunt: puta *lex 3. de cohortalib. lex 1. de Cæsarianis: lex 1. de murilegulis: lex 5. de decurionibus*, quæ quidem leges omnes vnius & eiusdem Edicti ad Bithynos emissi A. D. 317. partes sunt: & quidem eiusdem Constantini: sic vt nonnisi sub Constantino M. huius dignitatis mentio hoc Codice fiat. Ex iis certe omnibus discere licet, Perfectissimatus dignitate eam inferiorem fuisse. Ad eam allusit quoque Lactantius eiusdem Constantini temporum scriptor *lib. 5. diuin.*

Inst. e. 14. Nemo denique EGREGIVS *nisi qui bonus & innocens fuerit*; *nemo* CLARISSIMVS, *nisi qui opera misericordia largiter fecerit*; *nemo* PARFECTISSIMVS, *nisi qui omnes gradus virtutis impleuerit*. Egregiatui porro & Perfectissimatui hæc communia fuere: Primo quod hæc dignitas vtraque nonnisi quibusdam conferri potuit, puta iis qui in Palatio militauerant, & post amplissimas administrationes, quibus prouinciæ commissæ fuerunt, vt præter *hanc leg.* docet *d. lex 5. inf. de decurionib.* quæ huic gemina-germana est. Item primipilaribus post emeritam militiam *d. l. 3. de cohortalib.* Cæsarianis post completam tantum militiam, *d. l. 1. de Cæsarianis*: Non Monetariis, nam hos in sua conditione durare oportebat, *d. l. 1. de murilegulis*: non decurionibus, *hac l.* & *d. l. 5.*

Secundo ex *hac l.* colligo, Procuratores, & Præsides, modo Perfectissimos, modo Egregios fuisse. Et hæc quidem hactenus de Egregiis *hoc Codice* occurrunt: nisi quod ducenæ & centenæ dignitas medio loco *prædictis legibus* inter Perfectissimos & egregios ponitur, ac proinde maior proculdubio. Egregiarum personarum fit equidem mentio in *l. 15. D. de iureiurando*, verum non ad peculiarem Egregiatus dignitatem id pertinet, sed ea appellatione veniunt omnes personæ, quæ aliqua ratione supra cæteros eminerent. Alio quoque sensu Cassiodorus *I. Var. 4.* vbi de Tribuni & Notarii dignitate, eaque collata Cassidori Patri sub Valentiniano Tertio scilicet. *Honor*, inquit, *qui tunc dabatur egregiis*; nam *ibidem* statim subdit, quæ explicant quid per egregios intellexerit: *dum*, inquit, *ad Imperiale secretum tales constet eligi, in quibus reprehensionis vitium nequeat inueniri*: Ergo apud Cassiodorum *Egregii* sunt, inculpati. Et hæc quidem hactenus, ita distincte a nobis hic proposita: vt, quæ a Pancirolo, & Bulingero inconditè congesta, profligarentur. Illud incunctanter tenendum, sub solo Constantino M. eius dignitatis mentionem fieri, nullam amplius post Constantinum. Ea tamen alicubi hodie retinetur.

II. (a) Imp. Constantius A. Aconio (b) Vicario Africæ.

AB honoribus mercandis per suffragia, (c) vel qualibet ambitione quærendis, certa multa (d) prohibuit: Cui addimus, vt Quicumque fugientes obsequia Curiarum, vmbras (e) & nomina adfectauerint dignitatum, tricenas libras argenti inferre cogantur: manente illa præterita (f) inlatione auri, qua perpetua Lege + constricti sunt. PP. (g) V. Kal. Dec. Acc. XVII. Kal. Iun. Thamugadi, (h) Vrso & Polemio CONSS. [338.]

NOTAE.

P. 118. (a) Repetita hæc lex bonam partem in *l. 24. inf. de decurion.* Iungendæque illi *lex 25. & 26. eod. tit.* quæ de eadem re sunt, emendatis alicubi subscriptionibus. GOTHOFREDVS.

(b) Hic *Aconius* Vicarius Africæ: modo *Aconius* simpliciter vocatur, *vt hic*: modo integro nomine *Aconius Catullinus*, vt *d. l. 24.* modo *Catullinus* tantum, vt *d. l. 26. de decurion. l. 5. de operib. publicis*: *l. 4. quorum appellationes*: De eo v. *Prosopogr.* IDEM.

(c) De his honorum suffragiis, vide, quæ ad *tit. si cert. pet. de suffrag.* IDEM.

(d) Auri scilicet, vt *fine leg.* IDEM.

(e) *Adumbrata* nomina dignitatis: ita *d. l. 24.* IDEM.

(f) *Præterea.* IDEM.

+ *Lex* hæc Constantini proculdubio, sed quæ non extat. IDEM.

(g) Pro *Data.* IDEM.

(h) *Thamugadi* Vicarius Africæ hoc tempore constitit, quæ vrbs Mauritaniæ Tingitanæ erat: cuius nomen corruptum in *Notitia Imperii* & in vtroque *Itinerario.* IDEM.

COMMENTARIVS.

CVRIALES, codicillis honorariis affectatis, impetratis, imo coemptis, Curias fugientes, præter certam auri multam alia *Lege* antea statutam, peculiari insuper triginta librarum argenti pœna multari iubentur *hac leg.* vt & *l. 24. de decurionib.* quæ totidem pene verbis cum *h. l.* ibi posita extat: sic vt cum *hac l.* omnino coassanda videatur: & vtrique iungenda *lex 25. 26. eod. tit.* quæ postrema quoque ad eundem Catullinum data est: subscriptus certe his omnibus idem Consulatus *Vrso & Polemio*, in mense dieque tantum discrimen aliquod. Cæterum *huius legis* Auctor videtur *Constans* Imp. huic enim Africa (excepta Proconsulari, quæ Constantino fratri cesserat) in Imperii diuisione obrigerat: de quo vid. *Chronicon nostrum*, ad cuius Africæ Vicarium *hæc lex* data est: eademque in subscriptione accepta dicitur Thamugadi, vrbe Mauritaniæ Tingitaniæ. Ergo 30. librarum multam Imp. *hac l.* imponit præter auri multam antea statutam *lege* aliqua anteriore. Quænam vero lex illa, & a quo Imp. imposita? A Constantino patre, vt existimo: nam & initialia & finalia *huius l.* verba id satis indicare videntur. Est igitur hæc *lex* vna cum *d. l. 24. 25. 26. de decurionib.* aduersus honorum & codicillorum nundinationem: quam ideo fœdam familiaris rei vexationem & mercaturam vocat idem Imp. *l. 27. d. t. de Decurionibus.* quomodo & Iulianus Imp. fœdum commentum id ipsum vocat *l. 1. sup. si certum pet. de suffragiis*: vbi plura de honorum nundinatione.

Ex *hac* interim *leg.* & *cæteris* quas dixi, 24. 25. 26. 27. *de decur.* discimus, per Africam nominatim hanc honorum nundinationem in necem Curiarum factam. Quam ideo duplici pœna hoc Imperator persequitur, addita videlicet ad superiorem multam auratiam, quæ proculdubio in omnes ambitores posita erat, triginta argenti librarum multa Curialibus peculiari: quo exitiosior videlicet erat Curialium id agentium facinus: vt puta cum ea re Curiæ ciuitatum evacuarentur, in quibus narui ciuitatum consistebant: de quo ex Libanio, Marcellino, Cassiodoro plene, ad *d. l. 24. inf. de decur.*

III. (a)

III. (a) Idem A. ad Marcellinum PP. (b)

CVNCTI, qui per suffragia, Præsidum aut Rationalium adepti sunt dignitatem, (c) Iudicibus iniuncta protinus exequi debent: nam (d) si[...] de Palatio Serenitatis Nostræ ad Exactiones (e) ordinentur, (f) neque his honor in quo sunt positi opem præstet, vtilitate publica præualente, quanto magis opus (g) est iussis obsequi, parere præceptis, inseruire mandatis eos qui dignitatis fructum antequam mererentur (h) adepti sunt: præsertim cum & statum suarum nouerint Ciuitatum, & nullius Exactionis rationem ignorent. Illos autem ad huiusmodi Officia minime deuocari oportet, quicunque in Republica prouinciarum adsecuti sunt debitas dignitates, & per Administrationis (i) seriem, atque actus, (k) in summo splendore versati sunt. Dat. IV. Kal. Iul. Acyndino & Proculo C. CONS. [340.]

NOTAE.

(a) Cui hæc *lex* tribuenda sit, mox videbimus. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Marcellinus* Comes S.L. sub Constante memoratur a Zosimo, *lib. 2. c. 42.* qui idem est, cui hoc ipso Anno 340. inscribitur *lex 1. inf. de Immunitate concessa.* Memoratur & Marcellinus Præses Phœniciæ A. 342. vel 339. *l. 3. Cod. Iust. de formulis*: & Marcellinus Comes Orientis A. D. 349. *l. 6. de operib. publ. l. vn. de præb. salario.* Forte hic rescribendum, *Com. S. L. IDEM.*

(c) *A Iudicibus*, vt docent etiam mox illa, *iussis obsequi*, &c. suadet etiam *lex 1. sup. de Primicerio*: probat *lex 2. in fin.* & *l. 3. inf. de decur. & fil.* Et sane in MS. apparent vestigia literæ *a.* *IDEM.*

(d) *γρ. Nam si soluti*: illa certe, *nam si*, indubitate hic stare debent: quæ etiam in Cuiacianis editionibus prioribus, nullo præterea lacunæ indicio, extant: quod euincunt illa, quæ sequuntur, & his respondent, *quanto magis*: Et certe ita exerte habet MS. *nam si*: vbi & subiicitur litera S. vnde efficio *soluti.* *IDEM.*

(e) *Ad Exactiones*: vt, ad *census*, in *d. l. 1. sup. de Primicerio.* *IDEM.*

(f) Hoc ex ingenio additum: quod lacunæ spatium breuius non fert: Sed & literæ *m...tur* ibi occurrunt, vnde efficio, *mittuntur.* *IDEM.*

(g) *γρ. oportet*, vt in MS. legere mihi videor. *IDEM.*

(h) Vid. quæ de hac *Merendi* voce dixi, ad *l. 1. sup. si certum pet. de suffr.* *IDEM.*

(i) Præsidis, *initio leg.* *IDEM.*

(k) Rationalis scilicet, vt *initio leg.* Interim *κυριολογίαν* obserua: de qua mox. *IDEM.*

P. 139

COMMENTARIVS.

DE CVRIALIBVS & hæc quoque tertia iam constitutio est, vt ostendunt illa, *cum & statum suarum nouerint Ciuitatum*: item quæ de Exactionis officio dicuntur, quod vtique Curialibus imminebat, qui per suffragia scilicet honorarios codicillos Præsidum vel Rationalium adepti sunt: quas duas dignitates illi affectabant: quod docuit iam quoque *lex 1. supra, hoc tit.* De quibus epistulis honorariis Præsidatus, aut Rationum, v. & *l. 23. inf. de cursu publ.* & *l. vn. inf. de oblatione equorum*: *l. 14. 20. 26. inf. de decurionib.* De his igitur *hac lege* definitur, Curiales qui honorarios istos codicillos per suffragia adepti sunt, non quidem ad Curias retrahi, quod aliquando statutum, *l. 1. sup.* & *l. 15. 26. inf. de decurionib*; pariter vt Constantinus M. aliquando retrahi noluit, *l. 14. inf. de decurionibus*: (& sic suffragia hæc non improbata hoc tempore, de quo ad *l. 1. sup. si certum pet. de suffrag.*) Verum ad munia seu officia, quæ a Iudicibus iniungi subinde solent, & a quibus ii, qui in Republica reuera positi sunt, id est, qui vel Præsides vel Rationales reuera fuerunt, inmunes sunt, vocari posse: Ac nominatim ad Exactiones seu Exactoris officium: Addita duplici ratione. Primum argumento a maiori ad minus, puta argumento desumpto a Palatinis, qui de Palatio exeunt, restitutis; vt iam notaui, *huius leg.* verbis, ita, *nam si soluti.* Hi scilicet ad exactiones *ordinari*, seu Exactorum onus his imponi potest, neque his honor, in quo sunt politi, *opem*, id est, immunitatem, *præstat*, verum vtilitas publica horum adhuc respectu præualet: Quanto magis igitur, honorarios Codicillos adepti Curiales ad Exactionis munus vocari possunt: & debent? Alterum argumentum, seu altera ratio est, quod Curiales suarum ciuitatum statum nouerint, & nullius Exactionis rationem ignorent: Nempe Curialibus optime exactionis munus imponitur, vtpote cum hi velut in ciuitatis suæ specula positi, omnium facultates notas habeant, atque ideo exactionis rationem optime norint. Tum demum igitur ab his officiis immunes sunt, si reuera Præsides vel Rationales fuerint, & vt *hic* dicitur, *si per administrationis* seriem, atque actus (Rationalis scilicet) in summo splendore versati sint.

Et hæc quidem sententia est *huius leg.* vbi plura obseruanda sunt præter superius notata. Primo, Decurionibus Exactionem annonarum seu triburorum iniungi solitam: de quo fidem faciunt complures leges aliæ, & Libanius quoque, *oratione περὶ προστασιῶν, p. 8. edit. Gothofred.* Secundo, Palatinis quoque de palatio exeuntibus hoc officium impositum: quomodo & ad Census, discussiones, peræquationes iidem vocati: exceptis quibusdam singulari priuilegio, de quibus ad *l. 1. sup. de Primicerio & Notariis*: & *l. 7. 8. inf. de proximis.* Tertio *fine leges*, notetur *prouinciarum dignitates*, vt hic vocantur, id est, prouinciales dignitates, quæ in prouinciis geruntur, duas esse; vel Administrationem, vel Actum: Et vt hæc lex loquitur, *per administrationis seriem atque actus*: vbi *Actus* appellatione, officium Rationalis indicatur, quod ex *initio legis* claret. *Administratio* proprie de prouinciæ gubernaculis dicitur: Actus vero de Rationalibus qui ratiocinia tractant: de quo vide *Glossarium nostrum.* Denique in prouinciis seu *prouinciarum dignitates* sunt, *Præses & Rationalis*: Inter quos totius prouinciæ administratio diuiditur: ille scilicet iurisdictionem ciuilem gerit, hic vero Rationes, remque tributariam tractat: quæ & Procuratio dici videtur *l. 1. sup.*

IV. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. Ampelio PV. (b) Post alia.

QVI contemplatione meritorum honorarios Magisterii Equitum adepti sunt codicillos, ea reuerentia altissimarum dignitatum vires (c) subiungantur, vt his locum præstent, (d) qui Proconsulatus insignibus adornantur, & cetera. Dat. IV. (e) Non. Iun. Nasonnaci, Modesto & Arintheo CONSS. (372.)

NOTAE

(a) Repetita ferme hæc lex, *l. 1. sup. de Comitib. rei milit.* Quænam vero præterea Leges *huic* sociandæ sint, mox dicam. *GOTHOFREDVS.*

(b) De hoc *Ampelio* P. V. Romæ dixi ad *l. 1. sup. de Praef. pretorio.* quæ inter alias *huic* coassanda est. *IDEM.*

(c) *γρ. Viris.* Quod etiam habet *d. lex 1. sup. de Comitib. rei milit.* *IDEM.*

(d) De huius loci sensu *mox* & ad *d. l. 1.* *IDEM.*

(e) *γρ.* III. *Non Iul.* vt habent omnes aliæ Leges, quæ huic coassandæ sunt. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. hæc *lex* est, de eorum nominatim gradu, qui honorarios MAGISTRI EQVITVM codicillos impetrarunt; quæ prolixioris Valentinianeæ constitutionis pars est, ad Ampelium P. V. *de gradibus dignitatum*, emissæ: quam etiam memorat filius eius Valentinianus Iun. *l. 2. sup. vt dignit. ordo seru.* e qua quatuor præterea ἀποσπασμάτια supersunt hoc ipso Codice, puta, *lex 1. sup. de Comitibus rei militaris:* (vbi hæc *lex* totidem fere verbis reperita exstat, nisi quod de Comitibus rei militaris per transmarinas prouincias, Comitiua primi ordinis decoratis *ea l.* agitur) *l. 1. sup. de Praefectis Pratorio*: *l. vn. sup. de Quaestoribus*, *l. vn. sup. de Magistris scrinior.* Hac igitur parte definit Valentinianus, quemnam gradum honorarios Magistri Equitum codicillos adepti obtinere debeant, eundem scilicet, quem Comites rei militaris per transmarinas prouincias aucti Comitiua primi ordinis, *d. l. 1. sup. de Comitibus rei militaris*: nempe post altissimas dignitates, id est, Illustres ἐμπράκτους, vt cæteroquin honorarii ἐμπράκτοις & in actu constitutis cedunt.

Sed quod additur de Proconsularibus, *qui Proconsulatus insignibus adornantur*, obscurum est pariter vt in *d. l. 1. de Comitibus rei militaris*: Vbi tamen iam dixi, probabiliorem mihi eam sententiam videri,
P. 120 nempe hos honorarios Magistros Equitum Proconsularibus ἐμπράκτοις cedere quoque debere. De quo tamen paulo prolixius *hic* videndum est. Nam imo videatur potius contrarium *hac l.* definiri, nempe, honorariis Magistris Equitum, Proconsulares cedere oportere. Nam etsi, vt dixi, honorarii Illustres in actu positis cedant, Spectabilibus certe, cuiusmodi sunt Proconsules, præferri eos regulariter certum est Et quænam alioquin hæc dignitatum confusio fuerit, cui vitandæ Valentinianus constitutionem hanc suam edidit, præscripto singulis quibusque dignitatibus certo loco & merito (vt testatur filius eius *l. 2. sup. vt dignit. ordo*) si quidam Illustres essent, qui Spectabilibus inferiores essent. Sed & secundo loco, quod *initio* dicitur de honorariis Magisterii Equitum codicillis, *contemplatione meritorum*, id confirmare videtur. Tertio Illustris quoque dignitatis, contemplatione meritorum indeptæ, licet honorariis codicillis, tanta est ratio, vt quandoque inter honorarios tamen qui illos indepti sunt non connumerentur, verum Honorarios toto gradu vincant, vt in specie *l. vlt. sup. de Primicerio & Notariis.* Postremum, eadem sententia videatur *d. l. 1. sup. de Comitibus rei militaris*, qua agitur de Comitibus rei militaris, qui post ductum per transmarinas prouincias strenuissime militem, contemplatione meritorum primi ordinis Comitiuam consecuti sunt, quique adeo Proconsularibus præferri *ea l.* videantur: vt cæteroquin quorundam Comitum rei militaris peculiaris ratio habita, de quo *ad eam leg.*

Verum his non obstantibus, vt *dictam l. 1.* ita & *hanc* nostram eo sensu accipiendam potius putet quis, vt ii de quibus *h. l.* agitur, Proconsulibus quoque ἐμπράκτοις cedere debere dicantur. Cuius rei argumenta ad *d. l. 1.* iam attulimus.

Superest tantum, vt dubium quod antea attulimus, profligemus. Diximus absurdum videri, & meram dignitatum confusionem, si Illustres quamlibet honorarii, Spectabilibus & sic Proconsularibus postponerentur. Verum *lex* quoque Theodosii M. *7. inf. hoc titulo*, alterum eius rei exemplum nobis suppeditat, vbi non tantum Illustres honorarii cum Proconsularibus ἐμπράκτοις concurrere, deque tempore inter se certare dicuntur, vt *initio illius leg.* verum etiam quidam Proconsularibus cedere, *secundo capite illius leg. vers. cæterum.* Quapropter dicendum fuerit, honorarios Equitum Magistros, etsi Illustri alias dignitate decoratos (quam Præfectis Prætorio & Præfectis vrbi Valentinianus eadem constitutione æquauit, *l. 1. sup. de Praefectis Pratorio*) primis inter Spectabiles, puta Proconsulibus postpositos. Quæ Proconsularis dignitatis magna prærogatiua inter Spectabiles fuerit.

Cæterum notandum, de Magistro Equitum tantum *h. l.* agi: vbi rursum dubium est, num diuersa Magistri peditum ratio fuerit. Ammianus quoque Marcellinus, *lib. 21. c. 16.* aliquam Magistri Equitum prærogatiuam indicare videtur, cum ῥητῶς ait, suo tempore *occurrisse Magistro Equitum prouinciæ Rectorem.* Certe alias eadem vtriusque ratio fuit, eadem dignitas, *d. l. 1. & 2. sup. de Praefectis Pratorio.* Sed quærere nunc libet, vter prælatus? Certe Magistrum Equitum semper ante Magistrum Peditum nominari videmus *hoc Codice* (*vnica* tantum *leg.* excepta, Constantii, puta *l. 5. inf. de Numerariis.*) Quomodo & apud Zosimum *lib. 2. cap. 33.* vbi de horum constitutione agit. In *Notitia Imperii Occidentalis* Magister Peditum, Magistro Equitum præponitur. *Vid. fol. 124. & 133.*

V. (a) Imppp. GRATIANVS, Valentinianus & Theodosus AAA. ad Valerianum (b) P. V. Post alia.

OMNES, qui extra (c) Palatium constituti Codicillis Proconsularibus, (d) vel epistulis Vica-

Vicariorum, vel insignibus Consularium emendicatis atque adsimulaticiis (e) vestiuntur, his quos administratio vel militia prouexit (f) volumus esse postpositos. Dat. III. (g) Kal. April. Med. Syagrio & Eucherio VV. CC. CONSS. [381.]

NOTAE.

(a) *Huius l.* meminisse videtur Valentinianus Iun. *l.* 13. *de priuil. eor. qui in S. Pal.* Iungendæ quænam huic Leges aliæ sint, mox dicam. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Valerianus* P. V. Romæ A. D. 381. de quo ad *l.* 2. *de Primicerio & Not.* quæ *huic* inter alias iungenda est. *IDEM.*

(c) Aliud in Palatinis, qui honorarios codicillos indepti sunt. *IDEM.*

(d) Κυριολογίαν obserua: Codicilli Proconsulares, Epistulæ vicariorum, Insignia Consularium: vt & Ordinem, Proconsulares, Vicarij, Consulares. *IDEM.*

(e) *Adsimuladitia.* *IDEM.*

(f) Ad eandem dignitatem. *IDEM.*

(g) γρ. IV. vt Legibus aliis quæ *huic* coniungendæ sunt. Et vero ita habet diserte MS. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

GRATIANI lex est; QVATVOR sequentes constitutiones eo pertinent, quem gradum tenere debeant qui honorarios codicillos indepti sunt. Et sic ad materiam *Præcedentiæ* pertinent. Hæc de EXTRA-PALATINIS, qui honorarios Proconsulis aut Vicarii, vel Consularis codicillos impetrarunt: Quæ quidem pars est prolixioris constitutionis Gratianeæ, de Honorariis codicillis & dignitatibus, tum Palatinorum, tum extra-Palatinorum, vnde supersunt duæ adhuc *Leges* hoc Codice: puta *lex 2. sup. de Primicerio & Not.* & *l. 2. de proximis Comitib. dispositionum*, quæ proinde huic coassandæ veniunt. Hac vero nostra leg. firmatur decantata Regula, de qua toties *sequentibus* etiam *Legibus*; nempe *Honorarios* ἐμπράκτοις, licet tempore posterioribus, cedere debere. Et firmatur ea tamen, sub hac limitatione, vt eam obtinere velit Gratianus in omnibus iis qui extra Palatium constituti sunt, nempe vt hi codicillis honorariis (quos *emendicatos* & *adsimulatitios* vocat) *vestiti* postponantur iis, quos *Administratio* ipsa, vel *Militia prouexit.* Κατ᾽ ἀντιδιαστολὴν videlicet Palatinorum: Nempe enim Palatinis, ac nominatim Notariorum Primicerio, de consistorio P.121 recedenti, vt & sequenti eum Tribuno & Notario, aliisque Notariis & Tribunis, sed & Domesticis & Notariis Proconsularem, Vicarianum, Consularem dignitatem (quæ ipsæ tres hic commemorantur) ita tribuit Gratianus, vt tempore cum ἐμπράκτοις eos certare, etsi priores id vocari coeperint, præferri ῥητῶς velit iubeatque: *d. l. 2. sup. de Primicerio & Notariis.* Idemque pariter diserte statuit, Proximos scriniorum & Magistros dispositionum, ita Vicariorum Ordini copulari, vt si prius e Palatio cum hac dignitate honoraria dimissi fuerint, priorem locum aliis, post, etiam vera administratione venientibus sortiantur: *d. l. 2. inf. de proximis Comitib. dispos.* Atque ita tres hæ votus eiusdemque Gratianeæ constitutionis leges in vnam lineam coniiciendæ sunt, coniectæque adeo huius verum sensum præstant, ostenduntque adeo cur nominatim de constitutis extra Palatium hic agatur, nempe, vt dixi κατ᾽ ἀντιδιαστολὴν Palatinorum, in quibus contraria Regula obtinet: Quam memorat quoque exinde Valentinianus Iun. Gratiani frater, firmatque *l. 13. inf. de priuil. eorum qui in S. Pal.* Quod etiam Theodosio M. placuit: *l. 6. 7. inf.* & ea constitutione quam memorat & confirmat nepos eius Theodosius Iun. *l. 8. inf.*

VI (a) Iidem AAA. Floro PP. Post alia.

OFFICIIS publicis, atque militiæ muneribus, expertes, quos habent secretæ quietis vmbracula, (b) quibus honorum omnium species (c) suffragio est magis (d) parta quam merito, inter se potius volumus de tempore (e) agitare discrimen, quam cum his vlla vsurpatione coniungere, (f) quos non adumbratis honoribus, sed in actu positi sint (g) moralitate coniunximus. Dat. Id. Dec. Constantinop. Syagrio & Eucherio CONSS. [381.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic *lex 3 sup. de Primicerio & Notariis.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Vmbracula secreta quietis.* *IDEM.*

(c) *Species:* proprie, de vmbra & imagine. *IDEM.*

(d) *Magis, & potius*, hic posita, Ἰσοτιμῶς: vt alias sæpe. v. *Gloss.* *IDEM.*

(e) De hac *Temporis* prærogatiua late ad *l. vn. sup. de Consulibus.* *IDEM.*

(f) *Coniungendi* vox hic propria: vid. *l. 1. sup. de Præf. pretorio.* *IDEM*

(g) γρ. *In actu positis*, vel *positos immortalitate* vel *immortalitati coniunximus.* De quo mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc lex est de honorariis codicillis: qua HONORARIOS, id est, eos qui honorarios codicillos Dignitatis alicuius impetrarunt, inter se tantum de tempore certare, ἐμπράκτοις vero eiusdem dignitatis tempore licet posterioribus, cedere oportere constituit: pariter vt aliis compluribus legibus definitum extat: de quo iam toties supra, & nominatim etiam *ad l. vn. supra de consulib.* & *l. 5. prox. sup.* & *l. vlt. inf.* Quæ quidem *lex* Theodosii M. pars est Theodosianæ constitutionis de ordine dignitatum emissæ ad Florum PP vnde desumpta extat altera quoque *lex. 3. sup. de Primicerio & Notariis:* quæ proinde *huic* coassanda venit. Et hanc tamen Regulam & ipse Theodosius ad eos restringit (pariter vt Gratianus suam quoque *legem* limitauit *5. sup.*) *quos* vt eleganter hic loquitur, *officiis publicis atque militia muneribus expertes, habent secreta quietis vmbracula, quibus honorum species suffragio est magis parta quam merito:* Hi scilicet non veniunt coniungendi, seu committendi, *quos* (vt idem Theodosius eleganter ait) *non adumbratis honoribus, sed in actu positis* (vel *positos*) *immortalitate* (vel *immortalitati* ita enim hunc locum emendo, & expresse postea ita in MS. extare vidi, nisi quod vox *in* perperam repetita ante *immortalitate.*) principes coniunxerunt: idest, qui honoribus, non in vmbra quæsitis & euanidis mactati, verum qui honoribus ἐμπράκτοις immortalitati consecrati. *Adumbrati* honores scilicet *in actu positis* opponuntur: & *immortalitati coniuncti* Viri, *Vmbraticis*, cum

cum quibus minime coniungendi hi veniunt. Denique *immortalitas*, quæsita vel quærenda scilicet per rerum actum mortali & euanidæ honorum vmbræ hic opponitur: Neque recte coniungi eos & componi ait Imp. qui honorum vmbras solo suffragio emercati sunt, qui per rerum actum immortalitati ipsi coniuncti sunt & consecrati. *Immortalitas* scilicet per rerum actum quæritur, conciliatur. Aliud vero obseruari voluit Theodosius M. *dicta l. 3. sup. de Primicerio & Notar.* quæ *huic* coniungenda est, in Notariorum Primiceriis, Tribunis, Domesticis Notariis: quod & ipsum statutum a Gratiano *l. 2. eod. tit.* quæ cum *l. 5. sup.* coniungenda est: & ab vtroque Theodosio, *l. vlt. infr.* Hoc tamen amplius Theodosius *d. l. 3.* quod tempus computari velit in Notariis, non ab eo tempore, quo Palatio excessetunt, verum inde statim vt Notariorum Primicerii, Tribuni, Domestici facti sunt: *tanquam eis Comites semper fasces dati fuerint.* Et sic insecuta dignitas seu superueniens, retrotrahitur ad tempus suscepti muneris: Eo quod gesto munere, indubitate hæc eos Dignitas maneat: Denique destinata dignitas pro more, pro indepta iam habetur.

VII. (a) Iidem (b) AAA. Postumiano (c) PP.

IN honoribus hunc *Ordinem* volumus custodiri, * *Ne singulorum quorumque Codicillariæ* P.122 *dignitates his qui insignia Administrationis gesserint præferentur:* (d) Scilicet, vt quoniam Sublimis apicem (e) Præfecturæ ordo Proconsularium (f) sequitur dignitatum, quisquis *Vicariæ potestatis* administratione perfunctus ex Præfectis impetrauerit codicillos, intelligat sibi omnimodis non vsurpandum, vt *inter eos* qui gestæ gaudent amplitudine Præfecturæ ordinem salutationis (g) officiumque *præsumant*, sed inter Proconsulares viros, qui tamen eiusdem (h) potestatis securem (i) meruerint, fascesque susceperint, in publicis Officiis (k) rite præbendum locum sibi patere cognoscant: his tamen anteferendum se: qui impetratis forte Proconsularibus codicillis absque administrationis priuilegio imaginarias tantum atque honorarias meruerint dignitates. Et id quidem circa illos censemus esse seruandum, qui Vicarias gesserint potestates. Cæterum, * quisquis ex numero *Ordinariarum* (l) *potestatum* (seu Consularis administrationis, seu nominis Præsidalis) ex-Præfectis, aut etiam ex-Proconsulibus honorarios impetrauerit codicillos, præstitutum in deferendis Obsequiis ordinem post eos sibi intelligat esse seruandum, qui administrandi (m) Vicarias gesserint potestates. Hac * tamen, quantum ad Ordinariarum potestatum spectat meritum, discretione seruata, vt his qui Præsidalis administrationis gesserint dignitates, seu epistulas ex-Vicariis siue ex-Proconsulibus, seu (quod adpeti intempestiuis (n) solet) ex-Præfectis meruerint codicillos, cessante omni ambitionis studio, debeat anteferri perfunctæ priuilegio administrationis susceptæ (o) in prouinciis Consularitatis gesserit dignitates. Memor * quisque tamen honorum, memor quisque meritorum ex his qui qualibet administratione perfunctus, eum gradum honorariæ aditionis (p) petat, quod (q) proximiore confinio loco ordinis sui cognoscit esse contiguum. Quod si quis neglexerit *Ordinem* constitutum, vel *Amplius* in hisdem honorariis dignitatibus vsurpandum (r) impetrandumque crediderit quam proprii loci ratio & forma permittit, sciat se non solum eo quod contra legem impetrauerit, esse priuandum, sed viginti quoque auri libris multandum. Dat. IV. Kal. Ian. Constantinop. Merobaude II. & Saturnio Conss. [383.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* est *lex 1. sup. vt dignitatum ordo*: etsi inscriptio variet. GOTHOFREDVS.

(b) Reponendi sunt *hic* & *d. l. 1.* hi Imppp. *Valentinianus*, Theodosius & *Arcadius*, nisi in subscriptione reponamus IV. *Kal Iun.* vid *Chronicum.* IDEM.

(c) De hoc *Postumiano* PP. Orientis. V. *Prosopogr.* IDEM.

* Prima pars Legis. IDEM.

(d) An *præferantur*, & ita omnino scriptum exiat in MS. IDEM.

(e) *Apex* Præfecturæ *h. l.* & *l. vlt.* κορυφὴ τῶν ἀρχῶν, vt apud Chrysostomum, vide plura in *Notitia nostra*: Quanquam & Proconsularis *apex* quoque dicitur *l. 7. de Princip. Agent.* IDEM.

(f) *Proconsulam* ordo proximus Illustribus dignitatibus, & Præfecturæ *h. l.* vid. quæ dixi ad *l. 1. sup. de Comitib. rei milit.* & ad *l. 4. sup. h. t.* & *ad d. l. 7.* IDEM.

(g) De *salutationis* ordine officioque ad *l. vn. sup. de Præpos. S. Cubiculi.* IDEM.

(h) Proconsularis dignitatis. IDEM.

(i) *Securem* meruisse. *fascesque* suscepisse Proconsules *hac l.* dicuntur, qui in administratione positi & in actu fuerunt ἔμπρακτοι, ad differentiam eorum qui honorarios Codicillos impetrarunt. Itaque huius loci sententiam non cepit Vir doctus ad Sidonii *lib. 1 ep. 4.* cum ex his verbis colligit Vicarios fasces suscipere solitos & securim: de Proconsulibus enim hic sermo est. IDEM.

(k) De *Officiis* his publicis v. & *l. vlt. in fin. h. t. l. 1. inf. de expens. ludor.* & *l. vn. sup. de Præpos. S. Cubic.* IDEM.

* Secunda sententia de *Ordinariis Iudicibus*, quem illi ordinem sortiantur honorariis altioris dignitatis codicillis impetratis. IDEM.

(l) *Ordinariæ* potestates sunt Consulares, & Præsides prouinciarum; v. *Notitiam nostram.* IDEM.

(m) *Administrando*, & ita expresse habet MS. IDEM.

* Tertia sententia de *Consularibus & Præsidibus*, quem illi inter se codicillos honorarios adepti, ordinem seruare debeant. IDEM.

(n) γρ. *intempestiuius* v. secundam sententiam. IDEM.

(o) γρ. *qui susceptæ.* IDEM.

* Altera pars *huius l.* de Gradibus seruandis in petendis codicillis honorariis. IDEM.

(p) Forte, *administrationis*, vel potius, *additionis*: adiectam scilicet dignitatem intelligit. IDEM.

(q) γρ. *quem.* IDEM.

(r) De hac *vsurpandi* voce ad *d. l. 1. vt dignit. ordo.* IDEM.

COM-

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc de HONORARIIS codicillis noua *lex* est: cui socianda venit *lex 1. sup. ut dignitatum ordo seruetur*, etsi ad alium Magistratum, Præfectum vrbis scilicet emissa dicatur. Noua, inquam, qua nouum scilicet *Ordinem in honoribus custodiendum* præscribit, aduersus intempestiuum Ambitum seu ambitionem, honorarios codicillos tum impetrantium; Quo spectat etiam illa siue sententia, siue præfatio quæ continetur *d. l. 1. Nihil est tam inimicum in conseruandis & custodiendis gradibus Dignitatum, quam Vsurpationis ambitio: perit enim omnis prærogatiua meritorum, si absque respectu vel contemplatione, vel qualitate etiam prouectionis emerita, custodiendi honoris locus præsumatur potius quam tenetur, et aut potioribus eripiatur id quod est debitum, aut inferioribus prosit, quod videtur indebitum.* Ambitio scilicet eo tum temporis processerat, vt calcatis intermediis personis, iisque protritis qui iustius codicillos prouectionis emeritæ merito impetrare debuerant, summarum & potiorum dignitatum codicillos (per suffragia videl. vel aliter) intempestiue impetrarent: quod sane cum iniuria aliorum coniunctum erat, quando potioribus excipiebatur id quod erat debitum, & inferioribus proderat, quod erat indebitum. Igitur huic intempestiuæ ambitioni, seu vsurpationi hac constitutione occurrendum putauit Theodosius M. duplici freno iniecto. Primo scilicet inferiorem ordinem, honorariis seu codicillariis adsignat: inferiorem inquam quam quem ipse Dignitatis alioquin titulus obtinere solet: & vero sequentem; sic enim disponit, vt si quis *Vicarius Præfecti*, administratione ea defunctus, Præfecturæ codicillos honorarios impetrauerit, non modo non inter Præfectos locum vsurpare possit, verum etiam in sequentem Proconsulari in gradum reuoluatur: ibique cum Proconsularibus de tempore certet, codicillarios vero Proconsulares superet: *vers. scilicet.* Pariter si *Index ordinarius*, seu *Rector prouinciæ*, (Consularis videlicet aut Præses) codicillos Præfecturæ vel Proconsulares honorarios impetrauerit, post Vicarios, qui Vicariam scilicet reuera gesserint, habeatur: si denique *Præses* huiusmodi codicillos impetrauerit, Consularis, qui hoc ipsum impetrauerit, præferatur. Quæ quidem noua Iurisprudentia est, superioribus Principibus incognita: nisi quod in singulari quadam specie id ipsum a Valentiniano Sen. cautum videri possit, *L. 4. sup. h. t.* Certe singulare id remedium & extraordinarium aduersus intempestiuum ambitum a Theodosio M. excogitatum. Vt & alterum hoc, quod secundo capite *huius leg.* continetur, vt videlicet nonnisi contiguæ proximæque sibi siæque, quam gerit, dignitatis, honorarios codicillos quisque petere possit; vel, vt *hic* eleganter dicitur, *qua proximiore confinio loco ordinis sui cognoscit esse contiguam.* Quod & ipsum, vt dixi, singulare Theodosii eurematicon est, cohibendæ ambitioni. Saltuarios igitur honorarios codicillos intempestiuosque *hac l.* inhibuit Theodosius M. Quæ alioquin Promotionum in commune *lex* est: etiam in militia: de quo *lib. 7.* Eodemque fors pertinet, quod *sine l. vn. de Comitibus Consistorianis* ab vtroque Theodosio cautum fuit.

P. 123.

Notabilia nunc cætera obiter notemus. Primo, ex *hac* quoque *lege* notetur *Dignitatum* ordo hac serie: Præfecti, Proconsules, Vicarii, Consulares & Præsides, de quo iam sæpe supra, & in *Notitia nostra.* Secundo obseruetur, *Proconsularium* ordinem post Præfecturam secundum fuisse, de quo etiam alibi, & in *eadem Notitia*; & ad *l. 1. sup. de Comitibus rei Militaris.* Tertio de salutationis ordine officioque, & loco in publicis officiis & obsequiis deferendis: de quo etiam *l. vlt. inf.* dixi ad *l. vn. sup. de Præpos. S. Cubiculi.* Quarto notetur, *ordinarias potestates*, fuisse dicique Rectores prouinciarum, Consulares & Præsides, neque a Præfectis Prætorio tantum Illustribus, verum etiam a Spectabilibus, Proconsulibus videlicet & Vicariis separari. Quomodo & a maioribus potestatibus diserte separantur; *l. 3. de suariis*: vid. & *Nouellam* Valentiniani *de tributis fiscalibus*, inter *Theodosianas 23. Ad has itaque prouincias præter Ducem vel Consularem & Præsidem, qui vetustatis priuilegio Ordinariorum Iudicum nomen obtinent*, &c. Et ita quidem semper hoc Codice. Atenim Am. Marcellinus non vno loco *ordinarios Iudices*, seu *ordinarias potestates* pro ciuilibus militaribus oppositas ponit, sic vt Præfectos quoque Prætorio ea voce complectatur: de quo plene in *Notitia.* Quinto obseruetur *Consulares* Præsidibus potiores fuisse: de quo *suo tit. sup.* & in *Notitia.* Tandem notetur *sanctio huic legi* subdita: qua duplex pœna imponitur superiora violantibus: nempe priuationis; eo quod impetratum fuerit, & viginti insuper auri librarum mulcta. Quod sane enixi hac in re Theodosiani studii argumentum est, aduersus *intempestiuos & saltuarios codicillos honorarios.*

VIII. (a) Imp. THEODOSIVS A. & Valentinianus Cæs. Hierio PP. (b)

LEGE auita + probatum est, *Si quis per gradus* (c) *suo ordini competentes impetratis honorariis codicillis, ad summum* (d) *Præfecturæ peruenisset vsque fastigium, non prærogatiua temporis vteretur, nec aduersus eum, qui indeptus insignia Magistratus re ipsa quod meruisset impleßet, quia interuallo fuerit forte prægreßus, aut præuenisset imaginario eandem, quam ille actu inlustrauit, apice, dignitatem, sibi crederet adrogandum,* (e) *sed modis omnibus sciret, se in officiis* (f) *publicis ei postferendum qui eundem locum positus in potestate geßisset*; Id nos quoque volumus custodiri, Ne quis sibi expetat, (g) siue imaginarios, siue inter agentes, (h) codicillos acceperit, vt ei qui egerit ratione temporis præferatur. Quin + & de *Consistorianis Comitibus* hoc nobis vniuersi placere cognoscant, vt hi (i) qui vel absentes sunt, vel testimonialibus tantum adepti sunt dignitatem, præcedant qui admitti intra Consistorii arcanum meruerunt & actibus interesse, & nostra adire (k) responsa. Præterquam si de aliquibus Professionum & militiæ meritis, Scriniorumque sacrorum emensis sudoribus, lege specialiter est statutum, quod & Aui nostri sanctio promulgauit, & nostra mansuetudo constituit. Ita vt (l) omnibus (m) Conuentibus, Officiis atque Consessibus legem executioni tradi Tua Celsitudo prouideat, id est, vt prior sit

ſit ſemper ille qui loci ſui adminiſtratione perfunctus eſt, *nec* (n) *vnquam honor delatus ex debito ei qui ad ſimilitudinem tribuitur conparetur*. Nemo igitur ſibi arbitretur annorum adnumeratione plaudendum: quod inter eos tantummodo valere decernimus, qui ſe aut actibus ſubſecuntur, aut codicillorum parili imagine fulciuntur. Non alias adſpiraturo quoquam ad Conſiſtorianorum Comitum dignitatem, niſi ad eius claritudinem viam ſibi ex Conſtitutionis † Auitæ norma præſtruxerit. Dat. X. Kalend. Octo Piſo, (o) Theodoſio A. XI. & Valentiniano Cæſ. CONS. [425.]

P. 124.

NOTAE.

(a) Iungenda huic: *lex vlt. ſup. de Primicerio & Notariis.* GOTHOFREDVS.

(b) *Orientis* ſcilicet quod etiam *d. lex vlt.* nominatim præfert. IDEM.

† Theodoſii M. aui ſui legem intelligit, in quam mox inquiram. IDEM.

(c) Vide *Legem* Theodoſii M. *7. ſup.* IDEM.

(d) Præfecturæ ſummum faſtigium: *h. l.* & mox, imaginario apice, ſublimis apex *d. l. 7.* IDEM.

(e) *Adrogare* ſibi aduerſus aliquem. IDEM.

(f) *Officia* publica: de his quoque *l. 7. prox. ſup.* & *l. 1. de expenſ. ludor.* v. *Gl. Theod.* IDEM.

(g) *Expetere* ſibi, vt &c.

(h) *Inter agentes. v. l. 1. Cod. Iuſt. de ſilentiariis.* IDEM.

† *Secundum* exemplum. IDEM.

(i) *γρ. hos.* IDEM.

(k) *γρ. audire.* IDEM.

(l) In omnibus. IDEM.

(m) De his Conuentibus, Officiis, Conſeſſibus dixi iam ad *l. 1. de Expenſ. lud.* v. & *l. 7. prox. antec.* IDEM.

(n) Par ſententia in *d. l. vlt. de Primic. & Notar.* & *l. vn. ſup. de Comitib. vacantib.* IDEM.

† Theodoſii M. lex *de Conſiſtorianis Comitibus.* IDEM.

(o) *γρ. Topiſo*, vt *d. l. vlt.* vbi dixi; ſcriptum fuerat, OcTopiſo: quod eſt octo Topiſo. IDEM.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. hæc conſtitutio eſt de *honorariis codicillis*, quæ quidem pars eſt prolixioris conſtitutionis in hoc argumento: vnde ſupereſt alterum fragmentum, quod extat *l. vlt. ſup. de Primicerio & Notariis*, quæ proinde *huic* coaſſanda venit. Ea vero in ſummam confirmat Theodoſii M. aui ſui conſtitutionem, de his qui honorarios dignitatis alicuius codicillos impetrarunt, poſtponendis iis, qui eandem dignitatem actu adminiſtrarunt: cuiuſmodi Theodoſianæ conſtitutiones fuerunt quoque iam ſupra *l. 6.* imo & *7. ſup.* quibus ſociandæ & *lex 1. ſup. vt dignit. ordo:* & *l. 3. ſup. de Primicerio & Notariis.* Præter quas, ſimilis ea quoque eiuſdem conſtitutio fuit, quam pluribus hic ediſſerit, Theodoſius Iun ſimul & confirmat. Quod vim eius in commune attinet, de ea iam *ſupra* ſæpe, ἐμπράκτοις videlicet honorarios cedere, neque tempore cum iis certare poſſe, quam quidem Regulam non vno verborum ambitu *hic* exprimit Theodoſius Iun. Cuiuſmodi ſunt illa quæ *initio* ſtatim occurrunt: & paulo *ante finem* iſta: *nec vnquam honor delatus ex debito ei qui ad ſimilitudinem tribuitur comparetur.* Item illa: *Nemo igitur ſibi arbitretur annorum adnumeratione plaudendum: quod inter eos tantummodo valere decernimus, qui ſe aut actibus ſubſequuntur, aut codicillorum parili imagine fulciuntur.* De qua Regula iam *ſupra* ſæpe, nempe honorarios cum ἐμπράκτοις non certare, verum ſolos inter ſe ἐμπράκτους & ſolos inter ſe honorarios de tempore contendere: id quod etiam hic diſerte expreſſum: *verſ. quod inter eos.*

Nos cætera ſingularia *hic* ſectemur, quæ & in Theodoſiena illa conſtitutione erant, & *hic* quoque repetita vel, de nouo addita.

Secundo igitur notandum, duo *Exempla* hic apponi. Prius in PRÆFECTVRA Prætoriana: vbi definitur, eos qui honorarios Præfecturæ codicillos adepti ſunt, τοῖς ἐμπράκτοις cedere. Nempe Præfecturæ Prætorianæ codicilli honorarii, per gradus ſuo ordini competentes, quandoque deferebantur: Cuius rei exemplum habemus in Libanio, cui honorarios Theodoſius M. Præfecturæ Prætorianæ codicillos detulit, ipſomet teſte, *de vita ſua, p. 76.* & *78. Orat. pro templis, in pr. p. 7.* & *fine Orat.* & *Orat.* περὶ τῶν προςασιῶν, *p. 13.* & *initio Orationis* περὶ τῶν δεσμωτῶν: & Eunapio, *in vita Libanii in fin.* τὸν γὰρ τῆς αὐλῆς ἔπαρχον μέχρι προσηγορίας ἔχειν ἐκέλευον. Vbi μέχρι προσηγορίας, id eſt, honorariis Codicillis, non re ipſa, non actu citra adminiſtrationem vel actum: ſeu vt ipſe ait περὶ προςασιῶν γράμμασι κεκοσμημένον. Secundum exemplum eſt in *Comitibus Conſiſtorianis:* nam & Comites Conſiſtoriani non omnes intra Conſiſtorium admitti merebantur, & actibus intereſſe, & Principis audire reſponſa, verum nonnulli etiam vel abſentes erant, vel teſtimonialibus tantum hanc Comitum Conſiſtorianorum dignitatem adipiſcebantur: de quo *ſuo titulo, de Comitibus Conſiſtorianis.* Ergo & in his hanc Regulam obtinere vult Theodoſius: nempe, vt ἐμπράκτοις hi cedant. Et hæc de Regula, deque exemplis.

Sequuntur tertio loco exceptiones. Nempe Theodoſii M. conſtitutione, quæ & *hac* Theodoſii Iun. lege confirmatur, ſpecialiter fuerunt exceptæ profeſſiones aliquæ & militiæ, & in his quoque ſcriniorum ſacrorum. His quippe honorarii Codicilli poſt emenſos ſudores collati, pari loco iureque cum ἐμπράκτοις habentur. De Profeſſoribus, militiis iſtis, ſacriſque ſcriniis eorumque prærogatiuis hac parte iam ſupra *ſuis tit.* At enim ſpeciale exemplum appoſuit adhuc conſtitutione ſua Theodoſ. Iun. *in l. vlt. ſup. de Primcerio & Notariis*, quæ huic, vt dixi, coaſſanda eſt, in Notariorum ſcil. Primiceriis: vbi diſerte Imp. *Eos, qui ex Primiceriis Notariorum, ad Inluſtrem meruerint Magiſtri, a vigiliis atque laboribus procedere ſummitatem, minime redigendi ſunt in ordinem cæterorum, qui honorarios meruerint Codicillos: quoniam & res ipſa, quod primum locum ſint militia nobilis adſecuti, & publica ſæpe impleta commoditas, nunquam otioſos fuiſſe teſtatur.* Ad quam leg. nonnulla iam diximus.

Sub

Sub *finem* tandem *huius leg.* id additur, de Consistorianorum Comitum dignitate: nempe Theodosium M. iam antea, & Theodosium Iun. nunc rursum ad eam adspirare quenquam vetuisse, nisi prius viam sibi præstruxisset certa norma seu ratione, quæ tamen *hic* non exprimitur: Nempe cum passim quibusque hæc dignitas conferretur, eaque re *claritudo* eius vilesceret, modum normamque ei rei quandam Principes illi præstruxere: cuius nullum alibi vestigium occurrit.

E.119

DE DECVRIONIBVS (a) ET SILENTIARIIS. (b)

TITVLVS XXIII.

Lib. XII. Cod. Ivst. Tit. XVI. Inuerso ordine & plenius, *De Silentiariis & Decurionibus eorum.*

(a) De *Decurionibus* ago ad *l. 1.*

(b) De *Silentiariis* ago ad *l. vlt.*

PARATITLON.

Decvriones *Rubr.* & *l. 2. 3 4 hoc tit. l. vn. inf. qui a præbit. tyr. l. 5. de diuers. Offic.* (qui & plenius, *Decurionibus Palatii* dicuntur *l. 1. hoc tit.* seu *Sacri Consistorii Decuriones*, *l vlt. supra de Senator. & gl. coll.*) Silentiariis coniunguntur, *Rubr. h. t.* & *d. l. 5. de diu officiis*: modo ante Silentiarios, vt *d. Rubr.* & *l. 2. 3.* & *4. h. t.* modo post, *d. l. 5.* & *dict. l. vlt de Senatorib.* Inter Comitum laboribus Principis socias dignitates numerantur *dict. l. vn.* Medio etiam loco, inter Comites dispositionum & Magistrum admissionum, *dict. l. vn.* medio item loco inter Silentiarios, & Agentes in rebus, *d. l. vlt. sup de Senatorib.* Hi excubias agebant, vt testatur *lex vlt. in fin. hoc tit.* Tres numero erant, etsi numero plures fieri inueterata consuetudo permiserat: *d. l. vlt.* Tredecim annis munus seu excubias agebant, *d. l. vlt.* De horum priuilegiis agitur *hoc tit.* & *dictis legibus.*

Silentiarii, qui vt dixi Decurionibus iunguntur, & modo his præmittuntur, modo subiiciuntur; *Rubr.* & *l. 2 3. 4. h. t. l. 5. de diu. Offic. l. vlt. de senat.* Triginta numero statuti erant, *l. vlt h. t.* Excubias agebant, *d. l. vlt.*

I. (a) Impp. Honorius, & Theodosivs AA. Vrso PV. (b) & Auriliano Comiti (c) Or. & Strategio PP. (d) Illyrici.

Decvriones nostri Palatii, post emensum fideliter obsequium, post (e) deposita sacramenta militiæ, ex quo hæc sancximus, inter eos qui ex Ducibus (f) sunt, tanquam & ipsi administrauerint, esse præcipimus in adoranda (g) Nostra Serenitate, & in salutandis (h) Administratoribus, & reliquis prædicti honoris priuilegiis: Sed ita vt in Amplissimo & venerabili Ordine (i) Adlectos & immunes a Senatoriis descriptionibus (k) habeantur, nec describtio glebalis eos ideo adtineat. (l) Dat. Prid. (m) Kal. Nou. Constantinop. Honorio X. & Theodosio VI. AA. Conss. [415.]

NOTÆ.

(a) Lex 1. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc deformata est in diuersum plane sensum. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Vrso* huic P. V. inscribitur quoque anno prox. *416. lex 180. inf. de decur. l. 2. de fram. Vrb. Const.* Eius meminit ter hoc anno 415. & 416 Auctor Chronici Alexandr. Præfectum vrbi ante Præfectos Pratorio nominari obserua pariter vt *l. 1. sup. de Præfectis Pratorio*: aliter in ipsa *Rubr.* *IDEM.*

(c) *Æmiliano Com. ord. pr.* ita male Cod. Iust. Repone *Aureliano PP. Or.* vt ostendunt complures *leges* A. 415. & 416, quas repete ex *Prosopogr.* Neque certe *Comes ordinis primi* hic stare possit, medio loco inter Præfectum vrbi & PP. Illyrici. Et sane nihil tale in MS. apparet, quin potius vestigia literæ *P.* hic comparent. *IDEM.*

(d) *Strategii* huius PP. Illyrici vnica hæc mentio. *IDEM.*

(e) Hoc [illegible] est priorum. *IDEM.*

(f) *Ex-Ducibus.* Extat Chrysostomi *ep. 58.* [illegible]: sic apud Am. Marcellinum *Ex-Duce Ægypti*, duobus locis, & Serenianus ex-Duce *lib. 14. c. 7.* *IDEM.*

(g) De hac *Adoratione* diui *ad l. vn. sup. de prepos. S. Cubiculi.* *IDEM.*

(h) De hac Iudicum *salutatione* plene ad *l. 5. inf. de proximis.* *IDEM.*

(i) *Ordo* amplissimus & Venerabilis, pro Senatu, v, *Gloss.* *IDEM.*

Q 4 (k) MS.

(k) MS. habet *distributionibus*. *IDEM.*

(l) Propter Senatoriam videlicet dignitatem adeptam, vtpote ea-Ducibus. *IDEM.*

(m) *Kal. Non.* C. Iust. *IDEM.*

P.125.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. hæc constitutio est: qua Decurionibus Palatii post expletam militiam duo priuilegia concedit. Primum est, DIGNITATIS cuiusdam titulus & honorarii codicilli: Nempe post depositum seu emensum obsequium & officium, Decuriones Palatii inter eos, qui ex-Ducibus sunt, haberi vult: In tantum, vt ea dignitate frui eos velit, atque si ipsi administrassent, id est, reuera Duces rei militaris fuissent: Cum alioquin vacantes re ipsa perfunctis cedere soleant: de quo *tit. de Comitibus vacantibus supra.* Et ita quidem Theodosius Iun. At enim Tribonianus *l. 1. Cod. Iust. h. t.* deformata hac *lege*, Decurionum istorum dignitatem auctum iuit, collata videlicet his Magistri officiorum vel Comitis domesticorum prout eligerent, velut Agentibus, seu inter Agentes: Vbi quod ait, *velut Agentes*, vel *inter Agentes*, id iam explicatum est ad *l. vlt. sup. tit. prox.*

Porro Decuriones isti ista ex-Ducibus dignitate a Theodosio M. decorati, proculdubio quod & ipsi quidam quodammodo Duces essent in militia Palatina, & ante Consistorium (vnde & *sacri Consistorii Decuriones* dicuntur, *l. vlt. sup. de Senatoribus*) armatis scilicet Excubiis *l. vlt. vers. Decuriones infr. h. t.* vt & processus Imperatorii Duces, de quo mox. Alterum priuilegium istud est (quod & ipsum a Triboniano expunctum fuit) vt Decuriones hi quamlibet ex-Ducibus iam, & ideo Senatores, a Senatoriis oneribus, seu glebali collatione immunes sint: Quod & ipsum Theodosius Iun. silentiariis & Decurionibus postea duabus aliis constitutionibus tribuit *l. vlt. sup. de Senatoribus & glebali collat.* & *l. vlt. inf. hoc tit.* Inter Adlectos igitur & immunes, quod hic expresse additum, de quibus *Adlectis*, seu immunibus a glebali collatione, *supra, suo titulo*, Adlecti *enim*, vt id obiter hic repetam, sunt immunes: & vero παραλλήλως hic ponuntur *Adlecti & Immunes*, quod & ipsum docent *lex 7. & 8. inf. de proximis*: pluresque aliæ. Et Symmachus *lib. 7. ep. 96.* in eadem re, cum Dynamium Senatorio ordini copulari postulans, addit. *Sed adiicienda est ei prærogatiua militiæ, vt beneficio Adlectionis vtatur: His quippe tantum munia relaxari Diualia constituta voluerunt, quos Castrensis honor illuminat*; de quo dixi semel plenissime *ad l. 10. sup. de Prætoribus.*

Nunc quando prima hæc *lex* nobis occurrit de Decurionibus Palatii, oportunum est huc congerere aliorum scriptorum loca, de his Decurionibus. Athanasius *Apolog. 2. pag. 774. Tom. I. Oper. edit. Weidm.* meminit Eusebii Decurionis missi a Constantio cum eius literis ad abolenda, quæ aduersus Athanasium eiusque Clericos decreta fuerant: καὶ ἀποσταλεὶς Εὐσέβιος ὁ Δεκουρίων ἔλαβεν αὐτὰ ἀπὸ τῶν τάξεων: *missusque Eusebius decurio, sustulit ea de tabulis.* Amm. Marcellinus *lib. 20. c. 4.* vbi de Iuliani in Augustum renunciatione Parisiis: *Cum ad latebras secessisset occultas accidentium varietate perterritus Iulianus, aliquis Palatii Decurio, qui ordo est Dignitatis, pleniore gradu signa Petulantium ingressus atque Celtarum, facinus indignum turbulente exclamat, pridie Augustum eorum arbitrio declaratum, clam interemptum.* &c. Symmachus Iunior *Auctarii ep. 24.* ad Honorium A. *Cum Vir Clarissimus Aphronius Decurio S. Palatii vestri cum cælesti præceptione ad Vrbem venerabilem conuenisset, omni genere festinaui, quatenus præceptis Numinis vestri obedientiam commodarem.* Ex his discimus, Decuriones hos dignitatis ordinem, vt Marcellinus vocat, seu speciem fuisse: quod etiam firmat *lex vn. qui a præbit. tyr.* in Palatio egisse, Principis missionibus quoque extra ordinem paruisse, seu a Principe missos, si quid efficax peragendum, turbisque & seditionibus occurrendum foret. Sic ex parte officium eorum iam tenemus: Sed Iulianus *ep. ad. S. P. Q. Athen.* rem absoluit: nam quem Palatii Decurionem vocat Ammianus Marcellinus, eum sic ipse describit *p. 285. edit. Lips. Spanhem.* τὶς τῶν ἀποτεταγμένων τῇ προόδῳ τῆς ἐμῆς γαμετῆς. *qui procedentis in publicum uxoris meæ anteambulationibus & officiis præpositus erat.* Igitur Decuriones erant, qui inter alia siue Imperatore, siue Augusta procedente, processioni seu processui & pompæ Imperatoriæ præerant. Quare & Magistro admissionum iunguntur, *l. vn. inf. qui a præbit. tyr.* Quantum vero inter hos *Decuriones* & *Decanos* qui σφόδρα καταδεέστεροι ἐν τοῖς βασιλείοις erant, interfuit, apparebit ex his quæ ad *tit. de Decanis* dicemus: Quos Viri alioquin docti parum inter se differre censent. Tandem Decuriones hos silentiariis præfuisse, & perpetua ferme amborum coniunctio suadet, & Tribonianus persuadet, qui Titulum ita concepit, *de silentiariis & Decurionibus* EORVM: Postremum & Decurionum, silentiariorumque numerus *l. vlt. in fin. h. t.* triginta quippe Silentiarii constituuntur, tres vero Decuriones: vt ita videantur Decuriones singulis denis silentiariis præfuisse: quod Decurionum nomen alioquin præ se fert.

II. (a) Idem AA. Venantio (b) PP.

VNVSQVISQVE Decurio vel Silentiarius (siue (c) post hanc militiam honoratam (d) quietem elegisse fuerit adprobatus, siue ad superiorem gradum successu meliore transcenderit) nihil quod Honoratis (e) pro rerum necessitate iniungitur, cogatur exsoluere, sed a Tironum (f) & Equorum præstatione habeantur inmunes, nudam (g) conlationem quæ plerumque (h) poscitur soluant, nihil his vlla Potestas (i) iniungat, aut necessitas inponat. Dat. VII. Id. Mart. Rau. Asclepiodoto & Mariniano CONSS. [423.]

NOTAE.

(a) Lex 2. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc decurtata. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Venantio Comiti R. P.* superiore anno 422. inscribitur *lex 13. de indulg. debitorum*: quæ dignitas & hic forte restituenda. *IDEM.*

(c) Sequentia recisa Cod. Iust. vsque ad illa, *a Tyronum*, &c. *IDEM.*

(d) Honorata quies *hic* & *l. 3. inf.* sic & honoratissima quies *l. 55. de Decurionib.* *IDEM.*

(e) De *Honoratis* dixi ad *l. vn. sup. de off. iudicum ciuil.* *IDEM.*

(f) Idem

(f) Idem statuitur *l. vn. inf. qui a prabit. tyr. & equor. excuſ.* *IDEM.*

(g) *Nullam*, C. Iuſt. de quo mox. *IDEM.*

(h) De hac voce, mox. *IDEM.*

(i) *Poteſtas*, pro Iudice v. *Gloſſ.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

P. 117 HONORII Imp. hæc conſtitutio eſt, de Priuilegiis & Immunitate Decurioonum, de quibus *l. 1. ſup.* & Silentiatiorum de quibus *ad leg. vlt.* Nempe militia ſemel functi ab omni extraordinatia collatione, quæ Honoratis alioquin (de quibus dixi ad *l. 1. ſup. de off. iudic. ciuil.*) iniungi ſolent, immunes eſſe definiuntur: Pariter vt a Valentiniano Tertio *l. 3. prox.* & a Theodoſio Iun. *l. 4.* ſeu *vlt. infr. hoc tit.* Idque ſub duplici *ampliatione.*

Prima hæc eſt, quod hanc Immuoitatem his conſtare velit, ſiue poſt banc militiam expletam ad quietem conceſſerint, ſiua ad ſuperiorem gradum meliore ſucceſſu tranſcenderint, quod in Palatinis dignitatibus ferme eueniebat: Atque ita mutata quamlibet dignitate priſtinæ militiæ immunitatem conſtare iubet, pariter vt iubetur *d. l. 3. prox. inf.* Quod & ipſum in aliis Palatinis conſtitutum: veluti in Notariis a Theodoſio M. *l. 1. ſup. de Primicerio & Notariis:* puta vt ſiue laborem quiete mutaueriot, vel ſenectute poſueriot, ſeu cum alia digoitate qualibet vſi ſint, non amittant prioris militiæ vocabulum, ſed compendium ſequentis honoris adſumant. Ab eodem Honorio, Scriniariis *l. 14. in fin. inf. de proximis Comit. diſp.* & a Conſtantino M. iam olim Palatinis omnibus *l. 3. & 5. de priuil. eorum qui in S. Palatio*, addita Regula: *Quoniam maior dignitas nulli debet praiudicium facere:* cui ſimilem addit, elegantiſſimis verbis *d. l. 5.* Eandemque regulam Iuſtinianus generalem ſub Conſtaotioi oomine fecit *l. 3. Cod. Iuſt. de dignitatibus:* de qua ad *eam l. 3. & 5.* Exceptio tameo ſingularis occurrit io *l. 13. inf. de Agentib. in reb.*

Altera ampliatio eſt: Decuriones & ſilentiarios hac immunitate ab extraordinariis muneribus potiri oportere, ſiue pro rerum neceſſitate quid iniungatur, Imperatoris [illegible] iuſſu, ſeu delegatione & mandato: Cuius rei exemplum pooit in Tyroonm & Equorum præſtatione, quod ipſum cauetur *l. vn. inf. qui a prabitione tyronum & equor. excuſ.* ſiue Poteſtas, id eſt Magiſtratus aliquis quid extraordioarii vel ſordidi muneris imponat, quod & ipſum plenius & diſtincte magis ſancitur *l. 3. & 4. prox.* vbi dicam. Hoc ſane oumero eſt oominatio ad Cenſus, Diſcuſſiones, Peræquationes: de quibus *l. 1. ſup. de Primicerio & Notariis:* & *l. 3. ſup. de honor. codicill.* Soli igitur canonicæ ſeu ordinariæ collationi eos ſubiici vult Honorius: *nudam*, inquit, *collationem qua plerumque poſcitur, ſoluant:* vbi Tribonianus contra mentem Imperatoris, vocem *nullam*, pro *nudam*, male ſuppoſuit. *Nuda* ſcilicet *collatio qua plerumque poſcitur*, eſt canonica collatio ſeu ordinaria quæ de more & ſolemniter celebratur: *plerumque*, eſt de more & ſolenniter. Id quod ipſum & de Scriniariis cauetur *d. l. 14. inf. de proximis Comit. diſp.* pariter expreſſum videmus: *ſolumque canonica indictionis praſtent tributum.*

III. (a) Impp. Theodoſius & VALENTINIANVS AA. Flauiano PP. (b)

DECVRIONIBVS & Silentiariis, vel (c) his qui poſt hanc militiam honoratæ quietis otio perfruuntur, vel ad ſuperiorem gradum ſucceſſu meliore tranſcendunt; omnia priuilegia, quæ iamdudum Diuorum Principum iudicio meruerunt, legis iſtius præceptione nouere (d) eſſe firmata. Illa quoque quæ prioribus indultis omiſſa videntur, adiicienda eſſe cenſemus, ne angarias vel parangarias ſiue paraueredos vlla eis Ampliſſimæ (e) præceptionis inponat auctoritas: A ſordidis quoque muneribus, Excoctione calcis, & ſuperindictiis titulis, non præiudicatura quacunque generalitate Pragmatici, (f) peculiari eos beneficio eſſe iubemus alienos: (g) Permiſſa veniendi ad Comitatum licentia, præter (h) euocatoriæ ſecuritatem, (i) & multa decem librarum auri Iudicibus prouinciarum eorumque Officiis infligenda, ſi ſtatuta Numinis noſtri crediderint eſſe temnenda, (k) Dat. IX. Kalend. April. Rau. Aetio Valerio CONS. [432.]

NOTAE.

(a) Lex 3. *Cod. Iuſt.* ex hac *l.* & *leg. prox.* conflata eſt. Hanc *leg.* memorat & confirmat quinquennio poſt Theodoſius Iun. *d. l. prox.* Hæc vero vltima Valentiniani III. conſtitutio eſt ex iis, quæ *hoc Codice* continentur. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Flauiano* huic PP. ſuperiore Anno 431. inſcribitur *lex 36. de annona & tributis.* *IDEM.*

(c) Eadem ampliatio *l. 2. ſup.* *IDEM.*

(d) Pro *noueris*: In Cod. Iuſt. *nouerint*, male: ſermo quippe dirigitur *hic* ad Flauianum PF. P. Et certe MS. habet *nouerES*, loco *noueris.* *IDEM.*

(e) *Ampliſſima* præceptio, de Præfectis Prætorio. v. *Notitiam noſtram.* *IDEM.*

(f) De *Pragmaticis* ſunt præterea hoc Cod. *lex 52. de hæret. l. 36. de ann. & tribut.* *IDEM.*

(g) *Alienos*, id eſt Immunes. vid. *Gloſſ. Theod.* *IDEM.*

(h) Id eſt, citra, abſque. *IDEM.*

(i) Euocatoriæ ſecuritas *hac leg.* veniendi ad Comitatum fiducia: Caſſiodor. *VII. Variar. 35.* *IDEM.*

(k) *Temnenda*, pro contemnenda: vt in illo *Æneid VI. v. 620. Non temnere Diuos.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Tertii hæc de Decurionum & Silentiariorum priuilegiis conſtitutio eſt (huius etiam Imperatoris hoc Codice omnium poſtrema) qua partim ſuperiorum Principum priuilegia

gia confirmat, cuiusmodi fuerunt duæ *Leges* superiores, idque sub eadem Ampliatione, siue ii ad quietem concesserint, siue ad superiorem gradum conscenderint (de quo ad *l. 2. sup.*) Partim & noua seu omissa superioribus, vt ipse quidem ait, adiicit: Reuera enim (quidquid is dicat) pleraque generalibus verbis *d. legis 2.* continentur: his verbis: *nihil quod Honorariis pro rerum necessitate iniungitur, cogatur exsoluere*: Item: *nihil illis vlla* POTESTAS *iniungat, aut* NECESSITAS *imponat.* Quænam vero illa? Duo hæc nominatim. Primo, immunitas ab anga-Pa.18 riis, parangariis, paraueredis (de quibus *suo titulo inf. de cursu publico* (quas a Præfectis prætorio impositas testatur, his verbis: *Amplissimus præceptionis imponat auctoritas: Amplissi*[illegible] quippe & *Amplitudinis* vox Præfectis Prætorio propria: de quo in *Notitia nostra.* Secundo, immunitas a sordidis muneribus (de quibus *suo tit. infra, de extraordin. & sordidis munerib.*) Excoctione calcis (de qua *l. 15. eod. tit. de extraord. & tit. de calcis coctoribus.*) & titulis superindictitiis: (de quibus *suo tit. de superindicto*:) sub hac etiam Ampliatione, non obstante puta *generali Pragmatico*: de quo *suo tit. sup. de Constitut. Principum*: Quæ omnia & singula, ferme hinc repetit, & confirmat Theodosius Iun. *l. 4. seu vlt. prox.* pariter vt quod sequitur. *Tertium* scilicet istud priuilegium Decurionibus & silentiariis *hac l.* concedit Valentinianus Tertius, puta vt post militiam expletam absque Euocatoria ad Comitatum Principis venire quando eis visum fuerit, liceat. Quod ipsum, vt dixi ex *hac leg.* etiam repetitur *lege proxima*: Priuatis scilicet regulariter ad Comitatum Principis sine Euocatoria venire non licuit. Quod quidem etiam Euocatoriæ genus vnum fuit, quo scilicet ad Principis Comitatum & conspectum venire cupientibus petentibusque, fiducia, licentia, imo securitas dabatur: vnde & Euocatoriæ SECVRITAS *hac l.* Augusta iussio vocatur *l. 14. inf. de proximis Com. dispositionum.* Eius Euocatoriæ formulam proponit Cassiodorus *VII. Var. 35.* Euocatoriæ enim alterum genus fuit, quibus absentes a Principe ad Comitatum euocabantur, cuius formulam idem proponit, *VII. Var. 34.* eiusque multa mentio apud eundem *lib. III. Var. 28. lib. V. Var. 28. lib. X. Var. 13.* & apud Symmachum *lib. 4. ep. 5. lib. 6. ep. 35. 36. lib. 9. ep. 46.* in *Nouella* Valentiniani *de fraudibus 1.* Alludit Sidonius *lib. 8. ep. 12.* Iornandes *Geticis cap. 57. Theodoricum vero gentis suæ Regem audiens ordinatum Imperator Zeno, grate suscepit, eique Euocatoria destinata, ad se in vrbem venire præcepit, dignoque suscipiens honore inter Proceres palatii sui collocauit.* Nos ad prius seu nostrum Euocatoriæ genus reuertamur. Ergo singulari priuilegio nonnullis pro arbitrio suo sine Euocatoriæ licentia ad Comitatum Principis venire datur, veluti ex-Decurionibus & Silentiariis: *h. l. & l. prox.* Ex Proximis scriniorum & Ex-Comitibus dispositionum, *d. l. 14. inf. de proximis.*

Subiicitur extima parte *leg.* pœna, seu multa decem librarum auri, quam Valentinianus Tertius *h. l.* imponit Rectoribus prouinciarum eorumque Officialibus, priuilegia hæc Decurionum & silentiariorum infringentibus: Quam hinc quoque vt cætera *huius leg.* repetit simul & firmat Theodosius Iun. *l. prox.*

IIII. (a) Idem AA. Dario (b) viro inlustri PP. Or.

DECVRIONVM & Silentiariorum meritis prouocati, conlata (c) in eos beneficia quæ Dominus ac filius (d) noster Valentinianus semper Augustus erga eos contulit, confirmamus, specialibus eosdem priuilegiis honorantes, vt eorum videlicet possessiones, nullas angarias siue parangarias, vel etiam paraueredos alicuius calumnia dare cogantur, nec sordidis sint adstricti muneribus: omni quoque eos excoctione calcis, omni superindicti grauamine liberamus, licentiam post militiam tribuentes, vt vbi (e) eis fuerit visum, etiam accedendi ad sacratissimum Comitatum habeant facultatem: Prouinciarum Rectoribus eorumque Apparitionibus, denarum librarum auri dispendio feriendis, si Mansuetudinis Nostræ statuta violare temptauerint. His * addimus, vt cum optatam quietem acceperint, & inter Senatores cœperint numerari, honore Curiæ, (f) sine aliqua functione, lætentur, inmunitatisque gaudio plena dignitatis lætitia potiantur: nec Prætoriano (g) nomine pulsandi, nec Glebali onere prægrauandi, sed vt dignitatem solam habeant ex Senatu. Domos quoque eorum vel in hac (h) Sacratissima Vrbe, vel in qualibet alia positas ciuitate immunes ab omni hospitum (i) cuiuslibet dignitatis inquietudine vindicamus. Sub (k) hac videlicet definitione, vt triginta tantummodo numero hæc priuilegia consequantur: Decuriones quoque tres, quos numero plures fieri inueterata consuetudo permisit. Sed eos tum demum potiri decernimus beneficiis supra scriptis, cum continuos tredecim annos inculpatas excubias (l) peregerint. Inlustris auctoritas tua statuta Nostræ Clementiæ Edictis (m) propositis ad omnium notitiam faciet peruenire. Dat. XVIII. Kal. April. Constantinop. post consulatum Isidori & Senatoris. [437.]

NOTAE.

(a) Lex 3. *Cod. Iust. eod. tit.* ex *hac leg.* & superiore conflata est. Hæc porro *lex* Theodosii Iun. *hoc Codice* postrema est, secutaque anno post Codicis Theodosiani editionem. Hanc *leg.* suam indicat & confirmat Theodosius *Nouell. de metatis 32.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Dario* huic PP. inscribitur quoque Anno superiore 436. *lex vlt. sup. de annon. & trib.* *IDEM.*

(c) *Lege 3. supr.* scil. quæ ante quinquennium lata. *IDEM.*

(d) *Filium* suum Valentinianum III. vocat Theodosius Iun. *hac leg.* vt & duabus Nouellis, *prima & secunda*: Quomodo vicissim Valentinianus Theodosium patrem suum vocat, Nouellis quinque: puta Nou. inter Theodosianas 20. 25. & 36. & Nou. inter suas, 8. & 19. De quo iam plene *ad l. vn. sup. de actionib. certo temp. fini nd.* Socerum scil. Imperiique auctorem Theodosium habebat Valentinianus, & Socerum quidem ab Anno superiore 436. teste Socrate *lib. 7. cap. 44.* *IDEM.*

(e) Pro lubitu, sine Euocatoria. *IDEM.*

* SECVNDVM & nouum caput. *IDEM.*

(f) *Curia*, pro Senatu. v. *Gloss.* *IDEM.*

(g) Id est, Præturæ nomine. v. *sup. tit. de Prætoribus.* *IDEM.*

(h) Constantinopolitana data enim *hæc lex* Constantinapoli: & *Sacratissima Vrbis* nomen nonnisi Romæ & Constantinopoli tributum. *IDEM.*

Pag (i) Vid. *titulum, de metatis, infr.* vbi dicam. *IDEM.*

(k) Limitationes duæ sequuntur. *IDEM.*

(l) Silentiariorum officium hoc verbo continetur: de quo mox. *IDEM.*

(m) Edictis Præfecti Prætorio propositis, *leges* Principum ad omnium notitiam faciebant peruenire. Idque facere nominatim ipsismet Legibus iubebantur. Vid. *Paratitlon sup. de Constitut. Princip.* & quæ dico *ad l. vn. infr. si per obreptionem.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris hæc altera *hoc tit.* constitutio est, non modo de Decurionibus, vt *lex 1. sup.* verum de Decurionibus & silentiariis, deque eorum priuilegiis, omnium hoc titulo plenissima: qua partim superiorem Valentiniani Tertii legem, eaque conuenta priuilegia ῥητῶς firmat, partim vero nouis priuilegiis Decuriones & Silentiarios auctum it: Priora illa iam *superiore leg.* illustrata sunt, veniant nunc sub manum noua illa, quæ Theodosium Auctorem habent.

Primum igitur nouum priuilegium istud nunc addit: nempe immunitatem a Senatoriis functionibus: scilicet vt maxime Decuriones & Silentiarii post militiam depositam seu emensam inter Senatores numerentur, attamen Senatoriis oneribus immunes sunt, puta a Præturæ onere & a glebali collatione: quæ duo Senatorii ordinis onera fuerunt: & vero hic exprimuntur, de quibus *suis titulis supra, tit. 2. & 3.* Ergo Senatoria dignitas his tributa, verum sine sacris; vel vt eleganter *hic* Theodosius, sine aliqua functione honore Curiæ lætati, immunitatisque gaudio plena dignitatis lætitia potiti, sic vt dignitatem solam haberent ex Senatu. Quod quidem ferme de Decurionibus idem Theodosius Iun. iam antea statuerat: *l. 1. sup. h. t.* & *l. vlt. sup. de Senatorib. & glebali collat.*

Alterum priuilegium est, immunitatis a *Metati*, seu hospitum suscipiendorum onere; Et quidem sub duplici ampliatione: siue, inquam, domus eorum sint in vrbe Constantinopol. siue in alia ciuitate: Item quicunque tandem hospitaturi sint, etiam Illustres: Quibus alioquin Illustribus plus hac parte tribui solitum ostendit *lex. 5. inf. de Metatis.* Huius vero priuilegii immunitatis ab onere metati a se Silentiariis tributi meminit ipsemet Theodosius Iun. *Nouella de metatis 32.*

Vt hæc autem priuilegia Theodosius *hac l.* Decurionibus & Silentiariis nunc indulget, sub iis quas dixi ampliationibus: ita retro duas *Limitationes* subiicit. Prima, vt ne ad *supernumerarios* hæc priuilegia pertineant: verum intra statutum numerum constitutis tantum ea competant: puta triginta tantum Silentiariis, & tribus Decurionibus, ad hunc scilicet numerum eos redegit Theodosius: & Decuriones nominatim ad tres, cum ex inueterata consuetudine plures fierent. Quod quidem & alias tralatitium est, puta, vt priuilegia ad supernumerarios non pertineant. Altera limitatio est, ad eosdemum pertinere ea priuilegia, qui per continuos tredecim annos militiam hanc gesserint, & vt ipsemet ait, inculpatas *excubias* peregerint: Quæ & ipsa *temporis præscriptio* notanda venit, tredecennalis officii, seu militiæ, pariter vt tredecim liberorum, *l. 55. inf. de Decurionib.* Tribuit autem Silentiariis *hac l.* Theodosius *Excubias*; ea scilicet voce quid muneris ipsorum fuerit, indicans. *Silentiarii* nempe cum sacris obsequiis inseruirent, vt docet *lex 4. C. Iust. eod. tit.* seu inter Principis ministeria essent, *l. 5. C. eod. d. tit.* excubias agebant ante cubiculum Principis; cum vel in Consistorio is ageret, vel cum Consiliariis suis exterisue, vt & eorum Legatis, tractatet; a silentio scilicet ita dicti: vnde τῆς ἀμφὶ τὸν βασιλέα σιγῆς ἐπιστάται, *præpositi silentii quod imperatoribus impenditur*, dicuntur Agathiæ *lib. 5. pag. 106. Tom. III. Script. Byzant. edit. Venet.* & Procopio *lib. 2. belli Persici c. 21.* In Glossia ἡσυχοποιὸς *silentiarius.* Qua causa pro foribus stabant. Cyrillus Scythopolitanus *in Vita MS. S. Saba c. 51.* εἰς τὸ λεγόμενον Σιλεντιαρίκιον φθασάντων οἱ ἐπὶ τῶν θυρῶν Σιλεντιάριοι πάντας ἔνδον εἰσεδέξαμενοι (a) Et quidem ad secundum velum, quod cubiculo proximum erat: ad primum enim velum erat multitudo, quæ ad Principis audientiam admitti postulabat, vt idem Cyrillus declarat. Quare & ab eodem silentio ipsum Consistorium, & tractatus seu dissertatio in eo, sequente æuo, *silentium* dictum, vel *silentiaricum*, vt apud Cedrenum, *pag. 359. in Leone Isauro*, & *pag. 476. in Alexandro. Tom. IX. Script. R. B. edit. Venet.* Paulum Diaconum *hist. Misc. lib. 21. p. 152.* & *lib. 23. p. 170. Tom. I. Script. Rer. Ital.* In disputatione Gregentii, Zonoram in Leone Philosopho *pag. 143. Tom. XII. Script. Byzant. edit. Venet.* Silentiariorum porro horum frequens mentio apud Ambrosium, *orat. de obitu Valentiniani num. 26. p. 1181. edit. Benedictin. Tom. II.* Philostorgium *lib. 7. cap. 7.* Saluianum *lib. 4. de gubernat. num. 96. edit. Bremens.* Procopium, *Persic. lib. 2. c. 21.* & *lib. 4. de ædificiis c. 8. in fin.* Agathiam, *lib. 5. pag. 106. T. III. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* Euagrium, *lib. 3. cap. 29.* (Constantinum Porphyrogenetam *de administrand. imper.*) Zonaram *in Anastasio pag. 42. Tom. XII. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* & in veteri quadam *Inscriptione apud Gruterum MLIII. 10.* Ergo excubias hi egere ante Cubiculum Principis, & ideo sub dispositione Præpositi S. Cubiculi fuere, vt docet *lex 4. & 5. C. Iust. eod. tit.* vt & Magistri officiorum, *d. l. 4.* Ad hos referri possit quod Rutilius Numatianus de se *lib. I. v. 563.*

Officiis regerem cum Regia tecta Magister
Armigerasque Pii Principis EXCVBIAS.

Proculdubio vero hastati & armati excubias egere; & sic militiæ Palatinæ armatæ genus: qua causa etiam castrensis peculii priuilegium his datum; *d. l. 5. Cod. Iust. eod. tit.* Denique quia in Principis obsequio seu ministerio proxime positi armatique erant, ideo Principes his vsi, eosque misere ad varia negotia adcuranda, atque inter alia exciendis in Comitatum, quos Princeps vellet, vt vel ex illis *Ambrosii*, & *Philostorgii* locis liquet.

(a) Ita locum citat ex Cod. Reg. Car. du Fresne *in Glossar. med. & infim. Græcit.* quem noster exscripserat ex notis Alemanni *ad histor. arcan. Procop. pag. 165. edit. reg. 377. edit. Venet.* a quo verba paullulum immutata sunt εἰς τὸ λεγόμενον Σιλεντιαρίκιον φθάσαντας οἱ ἐπὶ τῶν θυρῶν σιλεντιάριοι ἔνδον εἰσεδέξαντο. *qui cum ad silentium peruenissent, a silentiariis ostio præpositis introducti sunt.* Confer etiam Meursium *in Glossar.* ex quo Gothofredus pleraque excerpsit.

P.139.

DE DOMESTICIS ET PROTECTORIBVS.

TITVLVS XXIV.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XVII.

PARATITLON.

I. DOMESTICI *Rubr.* & *l. 1.2.3.4.5.6.7 8.*& *11.h.t.* & *l.27. infr. de erogat. mil. ann. l.4. de executoribus: l.38.88. 153. de Decurion.* Iidem & Protectores Domestici vocantur, *l.3.9. 10.h.t.* & *l.9. infr. de diuers. offic.* seu Domestici protectores, *l. 49. de cursu.* Horum nomen, *l.5. h.t.* ordo, Amm. Marcell. *lib. 25. c.5.* Schola, *l. 3. h. t.* & Ammian. Marcell. *lib.26.c.5.* consortium, *l.38. infr. de Decurionibus*, & Ammianus Marcell. *lib.16. c.10. lib. 25. sub. fin.* atque adeo matricula *l.2.5.* & *7. h. t.* erat in plures adhuc Scholas diuisorum, *l.13.*& *10. h. t.* Vnde Domesticorum Scholæ, *l. vn. infr. de præpos. laborum:* cœtus, *l. 2. h. t.* Hi (in vniuersum) vt indicio nominis apparet, familiarius Principi militabant, *l. 8 h. t* intra Palatium militabant, *l. 42. infr. de hæreticis:* ideoque & Deuotissimi subinde dicti, *l. 6.8.* & *9.h.t.* & *d.l. vn.* Deuote ac strenue militare, *l. 10. h. t.* Principis obsequiis inhærere, *l.5.h.t.* At speciatim horum certus numerus per singulas Scholas in præsenti esse iubebatur, *l.1.h.t.*Alii in Prouincias dirigebantur obtentu public. necessitat. executores, *l. 4. infr. de Executoribus:* (forte ad capiendos reos, teste Ammiano Marcell. *lib.15. c.3.*& *5.* Magistris militum adiungebantur eorum mandata impleturi, Ammianus *lib. 16. c.10.* hi duos tantum equos e cursu publico mouere poterant, *l. 49. de cursu publico.* Alii in plurimos ac terminos dispersi erant, *l. 1 h. t.* armis gerendis & procinctibus bellicis, *l. 2. h. t.* in sedibus erant, *d. l. 2. h.t.* Aliis, vt & Protectoribus, tuitio *locorum*, aut quædam longior committebatur per commonitorium necessitas, *l. 27. inf. de erogat. mil. annonæ.* Ad hanc militiam venientes, sportularum nomine aliquid Primatibus distribuebant, *l. 3. h.t.* Erant scilicet in singulis scholis Domesticorum, Primates, *d. l. 3. h.t.* seu Primicerii, *l 7.8.10.* & *11.* qui Senatoriam sibi dignitatem vindicabant inter Allectos, adeoque immunes a Senatoriis functionibus erant: *l.7.8.9. h.t.* Tribunatu donati inter eos dignitate potiebantur, qui Ducatum egerant, *l.11. h. t.* Hos sequebantur in singulis scholis Decem sequentes, *l. 7. h. t.* qui *Decemprimi*, *l. 8.9. h.t.* Decemprimi scholarum, *l. 10 h. t.* Proceres, *d. l. 7. h. t.* vocabantur. Hi pariter Senatoriam sibi dignitatem vindicabant, seu Clarissimatus honorem inter Allectos velut ex-Consularibus, & a Senatoriis functionibus immunes erant; *l.7.8.9.* & *10. h. t.* & *l vn. infr. de præpos. labor.* Hinc Decemprimatus gradus, *l.7.* & *8.h.t.* dignitas, *l.10 h t* Ad hunc autem gradum ordine militiæ perueniebant. *l.7.h.t.* suo ordine conscendebant, *l.10. h. t.* succedentes per matriculæ ordinem accedebant, *d.l.7.h.t.* cum priores exierant, *l.8.h t* egressis prioribus, *l.10. h.t.* Et inter hos primus Primicerio succedebat, *l.11 seu vlt.h.t.* Domesticis his in præsenti esse iussis & *Annonæ* præstabantur *l 2.h t.* & fenum capitum, *l.1.h.t.* vnde etiam apparet, Domesticos, Equites quoque fuisse: de quo *ad d. l. 1. hoc titulo.* *Filii* horum parui etiam & impuberes Domesticis adgregabantur: sic quidem, vt si armis gestandis idonei adhuc non essent, in sedibus nihilominus quaternas annonas adipiscerentur, *l. 2. h. t.* *Priuilegium* hoc Domesticis datum, vt possent contingere Principis purpuram: *l. 4. h. t.* sacram purpuram adorare, *l.3.h. t.* vid. & *l. 9. inf. de diuers. offic.* & *l. 13.* coniunctam cum *l. vlt. infr. de numerar.* & multo magis osculandi Vicarios Præfectorum in salutatione ius eis erat, *d. l. 4. h. t.*

His Domesticorum Scholis præerat *Comes Domesticorum:* vt constat ex *l. 2. 3.* & *5. h. t. l. 1. inf. de venat. ferarum: l. 42. infr. de hæreticis:* cuius etiam mentio fit, *l vn. inf. qui a præbit. Tironum:* & *l. 38. infr. de Decurion.* vbi de eo dicam plenius. Meminerunt & Amm. Marcellinus *lib. 14 26.* & *31.* Gregorius Nazianzenus *epist. 226.* vbi τιμιώτατον τῶν ἐνιτίων Κόμητα vocat: & Zosimus *lib. 5. cap. 32.* qui τῶν δομεςίκων ταγμάτος προεςῶτα nominat. Frigeridus apud Gregurium Turon. *l. 2. c. 9.* Iungitur autem Illustribus viris, Præfectis, & Magistris Militum; sic etiam vt ante Præpositum cubiculi, Magistrum officiorum, Quæstores, Comites S L. & R P. nominetur in Constantii *d. l. 38. de Decurionibus:* & Honurii *d. l. vn. qui a*
P.141 *præbit. Tyron.* De eo tandem agit *Notitia Imperii Theodosii Iun.* vbi quoque inter Illustres collocatur, sed post Præpositum S. Cubiculi, Magistrum officiorum, Comites S. L. & R. P. & Cassiodurus *VIII. Variar. 12.* De Comite Domesticorum plura *in Notitia Dignitatum.* Ad hanc scholam promoueri pro magno habitum, *l. 4. h. t. vbi dicam.*

II. PROTECTORES de quibus agitur *Rubr.* & *l. 4.6.9. h. tit.* & *l. 10. 27. infr. de erog. mil. ann. l. 2. 5. inf. de fil. milit. appar.* & *tit. inf. de testimonial. ex Tribunis & Protectoribus: l. 2 3. inf. de diuers. offic. l. 3. de Fabricensib. l. 4. de Executorib. l. 49. de Cursu: l. 38. 88 de Decurion. l. 7. de lustrali coll. l. 3. ad leg. Iul. Repetund.* quorum meminit & Symmach. *lib. 2. ep. 74. lib. 10. ep. 45. 49. lib. 3. ep. 67.* a Domesticis separantur, *l. 4. 6. 7. h. t.* seu a Protectoribus Domesti-

ſticis, *l. 9. h. t.* Quare & in domeſticis conſtituta, ad Protectores extendi videmus, *l. 6.* & *9.*

Hi vero inde nomen ſortiti, quod armatam militiam ſubeuntes, non ſolum defendendi corporis ſui, verum etiam protegendi lateris Principis ſolicitudinem paterentur: *l. 9. h. t.* Iidem ideo ſæpe ad Vrbem Romam & in Prouincias dirigebantur obtentu publicæ neceſſitatis vel executionis, *l. 4. infr. de executorib.* veluti, ad inquiſitionem vagorum, & ad veteranorum filios ad militiam cogendos, *l. 10. inf. de deſertorib. l. 2. in fin. inf. de fil. mil. apparit.* ad exhibitionem & cuſtodiam reorum, *l. 3. infr. ad leg. Iul. repetund.* vbi dicam: ex Ammian. Marcellino quoque *lib. 14. c. 7.* & *lib. 29. c. 5.* vbi de Romano, & ex Symmacho: ad litorum & portuum cuſtodiam, *l. 3. infr. de litor. & itin. cuſtod.* ad obſeruandum curſum publicum in ſp. *l. 30. de curſu publ.* Cæterum miſſi duos tantum equos e curſu publico mouere poterant, *l. 49. de curſu:* Inter hos fuere pariter Primicerii, & Decemprimi: de quorum dignitate idem quod de Domeſticis ſtatutum, *l. 4. 6. 7.* & *9. h. t.* De horum etiam Annonis vid. *leg. 10. 27. infr. de erogat. mil. ann.* vt & de horum Filiis, v. *l. 5. inf. de fil. mil. apparit.*

Dignitas vero hæc Protectoria magna fuit, & quomodo ea vocatur, *l. 5. infr. de veteranis: l. 2. infr de teſtimon. ex-Trib. & Protector. l. 3. infr. de diu. officiis*, (cui iungenda eſt *lex 2. infr. de re militari*) & ab Ammian. Marcellino *lib. 30. cap. 7.* a Symmacho *lib. 3. epiſt. 67.* Protectoris honor dicitur, *l. 14 inf. de luſtrali collat.* Quare & honos hic ſeu dignitas pro beneficio appetita ab officialibus, veteranis, aliiſque, *dictis legibus:* & *l. 153. infr de Decurionib. l. 2. 3. infr. de diuerſ. offic.* De quo ad *l. 1. de teſtimonial.* & ad *l. 5. de Veteranis*, etiam ex Symmacho *dict. epiſt 67.* & Paulino *ep. ad quendam militem.* Hinc epiſtolæ ex Protectoribus, *l. 1. infr de teſtimoniali:* & *dict. l. 3. de diu. offic.* Enimuero, libertini ſeu ex manumiſſis nati ad locum vſque proximum Protectoris adire potuere, *l. vlt. ſup. de libertis & eorum liberis.* Priuilegiaque varia eorum fuere: A ſordidis ſcil. minimiſque muneribus excuſabantur, a verberibus immunes erant, *l. 153. infr. de Decurionib. l. 4. infr. de Veteranis: l. 2. Cod. Iuſt. de excuſat. munerum.* In criminibus fori Prætoriani præſcriptionem habebant, *dict. l. 5. infr. de Veteranis.* A tyronum collatione immunes erant, *l. 18 infr. de Tyronib. l. vlt: infr de Veteranis.* Negotiantes tandem magna præ aliis immunitate fruebantur: *l. 8. inf. de Veteranis: l. 14. inf de luſtrali collat. l. 3. infr. de teſtimonial.*

I. (a) Imp. IVLIANVS A. Secundo PP. (b)

SCIAS, ſenum capitum (c) Domeſticis, per ſingulas quaſque Scholas quinquagenas (d) iuſſis in præſenti eſſe, iuxta morem debere præſtari: ceteris, qui vltra numerum (e) in præſenti eſſe voluerint, neque annonarias (f) neque capitum eſſe mandandum, (g) ſed omnes cogendos ad plurimos (h) ſuos ac terminos redire. Dat. XV. Kalend. Septemb. Antiochiæ, Mamertino & Neuitta CONSS. [362.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc lex a Cod. Iuſt. GOTHOFREDVS.

(b) De *Secundo* PP. hoc Orientis ſub Iuliano *v. Proſopogr.* IDEM.

(c) De *Capite* hoc, ſeu pabulo animalis, dico plene ad *l. 7. inf. de erogat. mil. ann.* IDEM.

(d) *γρ. quinquagenis:* de quo mox. IDEM.

(e) Prædictum ſcilicet quinquaginta. IDEM.

(f) Suſtineri iſtud poteſt: *Annonaria* abſolute, pro præſtationibus & delegationibus annonariis: Quemadmodum *priuatæ* abſolute, pro rebus priuatis, & ſimilia. Sunt tamen qui reponant *Annonas.* IDEM.

(g) *Mandandi* verbum hac in re proprium. Pertinet ſcilicet hoc ad delegatorias annonarum, de qua vid *l. 22.* & *35. inf. de erog. mil. ann.* ſeu tractorias, vt mox vocantur, *l. 2. prox.* Mandari igitur eſt delegari: & annonarias mandare, eſt literas dare ad annonas percipiendas. Scio alicubi hanc vocem retineri, *Mandements.* Doctiſſ. tamen Valeſ. reponebat in Marcellini *lib. 14. c. 10. dandum.* Ego nil muto. IDEM.

(h) *γρ. Pleromos*, de quo mox: male, quidam mutant in *proximos.* IDEM.

COMMENTARIVS.

P.132.

IVLIANI Imperatoris conſtitutio iſthæc eſt, eaque data Antiochiæ, *de Domeſticis* δορυφόροις, quos Græci etiam οἰκείους dixere, τοῦ βασιλέως: qua is PRÆSENTALIVM Domeſticorum numerum, eorundemque Annonarum modum definit. Quæ vt intelligantur, ſciendum eſt, Domeſticorum alios fuiſſe in præſenti, alios vero in pleromis ſuis ac terminis reſediſſe: Illi erant, qui Principem ſequebantur, & comitabantur proficiſcentem, qui præſentes erant Principi in Comitatu ipſius, qui præſenti Principi aderant: Et ideo *in præſenti eſſe* dicuntur *hac l.* Præſentales Domeſtici, in Iuſtini *l. 6. §. 3. Cod. Iuſt. de Aduocatis diuerſ. Iudicum.* & Iuſtiniani *l. 4. ſeu vlt. Cod. eodem tit. de domeſticis & protectoribus;* (Παρασασίμους vocat Euagrius, *in Anaſtaſio*) eoſdemque & *Parmenones* vocare poſſis. Eadem ratione alii quoque Principem eiuſque Comitatum ſequentes hoc eodem nomine deſignabantur, ad differentiam eorum qui longius deſtinabantur: *in præſenti* ſcilicet *eſſe*, ſeu *Præſentales*, veluti *Curioſi præſentales*, in Notitia Imperii *fol. 42. Milites præſentales*, item *Magiſtri militum præſentales* vel *præſentum:* de quibus *Notitia Imperii fol 20. 159. ſeqq.* Euagrius *lib. 4. cap. 3.* Scholia Iuliani Anteceſſ. Iornandes *de ſucceſſ.*

ceff. reg. in Iuftino pag. 240. Tom. I. Script. Rer. Ital. vel *præfentum Patricii præfentales.* Ita & Præfectus Prætorio *præfens*, apud Marcellinum *lib. 14. c. 1. lib. 23. c. 5.* qui vbi Comitatus Cæfaris vel Imperatoris *præfens* erat, de quibus omnibus *alibi.* In nullis tamen vox hæc *Præfentalium*, vel *Præfentium*, vel in *Præfenti* quidquam dignitati adiicit, nifi quatenus quos Principis præfentia illuftrat, digniores ferme habentur. Hos vero Domefticos Præfentales ita defcribit Caffiodorus *I. Variar. 10.* qui a Palatii militia non recedunt, qui fideliter obfequuntur, qui Principis aulæ videntur iugiter excubare. Et hæc de domefticis Præfentalibus. Alii vero, vt dixi, Domeftici erant *in pleromis ac terminis fuis*, vt hæc lex ait; vbi reponendum cui videatur loco *pleromos*, vox *numeros*, vel vt Doctiff. Valefius in Marcellinum *lib. 14. c. 10. manipulos.* Verum retinenda, reftituendaque hic omnino vox, *pleromos.* Vox hæc fcilicet probe, propriaque pro numeris, *terminus* (quæ vox hic παραλλήλως ponitur) feu *fedibus*, qua voce vtitur *lex 2. prox. infr.* Domefticis enim tuitio locorum committi folita, quod docet *lex 27. inf. de erogat. mil. annona.* In Gloffis Græco-Barbaris. Ἀθήτευτος ὁ μηδενὶ ἐπὶ μισθῷ δουλεύων ὅπου δὲ δουλεύει κανίνας ἀνθρώπου διὰ πληρωμὴν, ἢ πλήρομον. Hinc & ipfi Scholares & Domeftici in Cappadocia degentes *Plerofimi* dicti: Scholiaftes Iuliani Antecefforis *c. 94.* in verba illa Iuliani, *Tam fcholares homines quam domefticos in Cappadocia degentes. Ifti funt*, inquit, *qui dicuntur Græce Plerofimi, id eft, quia omnes in hac ciuitate complent, & hic implens facramentum fuum.* Ergo *pleromi* funt qui alias *Numeri*: nam & πλήρωμα, πλῆθος *complementum*: Imo & πλήρωμα pro militibus & fociis claffiariis apud Veteres, proque omni complemento, fupplemento: etiam apud Patres πλήρωμα καὶ σύστημα ἐκκλησιαστικὸν, πνευματικόν. Atque ita vox hæc Græca hic fuftinenda: quam Iulianus Imp. Græculus iuetio (vt olim vocabatur tefte Am. Marcellino *lib. 17. c. 11.*) hic vfurpauit. A quo eodem Iuliani genio funt illa *l. 2. inf. de ponderatoribus*: *Quos excidunt, aut deminuunt, aut, vt proprio vtar cupiditatis, abrodunt*: Et mox, *quem fermo Græcus appellat Zygoftatem.* Ab eodem genio eft & illa eiufdem cognitionalis fententia, quæ continetur *l. 5. inf. de fide teftium.* Quanquam in Oriente voces illæ Pletimorum, Plærofimorum, Zygoftatæ, iam Romanam linguam peruafiffe videntur.

Notandum & illud, *Capitum* hac *leg.* ab eodem Iuliano pro pabulo animalis, Græca pariter voce efferri, καπητὸν: pariter vt *l. 7. inf. de erog. mil. annona*: quæ eiufdem Iuliani eft. Imo & *fenum capitum*, pro fex Capitibus, Græca imitatione: fic & *prototypia* vocem idem Iulianus vfurpat, *l. 2. de prototypia.* Sic *parhippi* vocem vfurpat & definit *l. 14. de curfu publ.* Ad rem. Ergo domefticorum alii præfentales fuere, alii in pleromis ac terminis feu fedibus agebant, feu tuitio locorum commiffa erat Quomodo & Protectores quoque præfidium agebant apud vrbes, & in limitibus: atque adeo μεθορίων Προτέκτορες erant, de quo ad *l. 9.* Pariter vt poft eum Valentinianus Sen. *l. 10. inf. de Numerariis.*

Nunc de huius conftitutionis fententia. Igitur Iulianus Imp *hac l.* certum iftorum Præfentalium, feu Comitatenfium numerum definit, puta quinquaginta ex fingulis fcholis (nam in plures fcholas Domeftici diuifi erant, quod præter *hanc leg* docet *lex 3. & 10. inf. hoc tit.* & *l. vn. inf. de præpof. laborum*) fic vt fenum capitum, id eft, fex animalium pabulo fingulis dari velit: Vltra hunc numerum in præfenti conftitutis, feu Comitatum Principis fequentibus, neque annonatum, neque capiti aliquid præberi, imo ad pleromos fuos ac terminos redire eos iubet. Incondita fcilicet Domefticorum turba proficifcentem fe vel ciuitates onerari grauarique noluit Iulianus, ποιήσας εὔσταλον τὴν ἀκολουθίαν καὶ τὴν περικοπὴν τῆς ἐκδημίας *faciens expeditum comitatum & apparatum itineris.* Vt quidam loquitur apud Suidam in verb. περικοπή: Iulianus, inquam, qui hoc tempore Conftantinopoli relicta, Antiochiam tendens, Nicomediam primum inter alios vrbem venit, (vt præter Am. Marcellinum *lib. 22. c. 9.* docet *lex 8. inf. de erogat. mil. ann.*) Nicæaque dein, Peffinunte, Ancyra, Pilis, Tarfo tranfgreffis; *Antiochiam* tandem ingreffus eft: quod *huius lex* aliæque complures hoc anno conftitutiones, quas videre eft in *Chronologia*, oftendunt, & teftatur Am. Marcellinus *lib. 22. c. 9.* qui etiam in huius rei hiftoria, fcutariorum fcholæ primæ & fecundæ meminit, duofque earum Tribunos memorat *lib. eod. c. 11.* Et vero pertinet omnino hæc *lex* Iuliani ad defectum & caritatem annonæ, quæ Antiochiæ hoc tempore erat: cui mederi Iulianus conatus eft, quibufcunque modis potuit, quod eius μισοπώγων oftendit *p. 357. 365. 368. 369. 370. edit. Lipf. Spanhem.* & Am. Marcellinus *d. lib. 22. c. 14.* & Libanius, *Orat. in Iuliani necem. p. 306 edit. Morell.* Inter cætera igitur media & remedia vilitati procurandæ Antiochiæ, incondi tam quoque Comitatus fui turbam accidere in animum induxit: iuffis inter alia Domefticis vltra præfentales ex vrbe Antiochia ad pleromos fuos & terminos redire. Quo etiam pertinere videtur, quod ipfemet Iulianus *in Mifopogone* fcribit, *d. pag. 370. in fin. libelli*: τῷ γὰρ ἀδικουμένῳ πλήθει βοηθεῖν ᾤμην χρῆναι, καὶ τοῖς ἀφικνουμένοις ξένοις, τιμῆς τε ἕνεκα καὶ τῶν συνόντων ἡμῖν ἀρχόντων. ἐπεὶ δ᾽ οἶμαι, συμβαίνει, τοὺς μὲν ἀπιέναι, τὴν πόλιν δὲ εἶναι τὰ πρὸς ἐμὲ γνώμης μιᾶς, &c. id eft, *plebi quippe oppreffæ opem ferre oportere iudicaui, & exteris qui mecum venerant, tum mea caufa, tum & Magiftratuum qui mecum erant. Verum quando ita, opinor, euenit, vt illi abierint, ciuitas vero in me tota confenferit*, &c.

Ex *Capiti* interim *hac leg.* mentione, quod eft pabulum animalium, colligitur, de domefticis *Equitibus* quoque hic agi. Nam & domeftici Equites erant: vt docet quoque Notitia Imperii *fol. 58.* & *145.* & Iulianus *ep. ad Leontium 22.* & Zofimus *lib. 5. p. 13* *c. 47. d. l 6. §. 3. Cod. Iuft. de adu. diu. iudicum.* Caffiodorus *I. Variar. 10.* Imo de Equitibus ferme domefticorum vocem interpretatur Zonaras *in Diocletiano*: Suidas *in verb.* δομέστικοι. Tandem de Peditibus fimilem iuffionem memorat Suidas, ex incerto Auctore in verb. πεζαίτεροι. ὁ δὲ βασιλεὺς, πεζαιτέρους ἀμφὶ τοὺς τεσσαράκοντα ἀναλαβὼν ἕπεσθαι οἱ κελεύει, θάνατον ἀπειλήσας εἰ πλείους ἕποιντο. *Rex autem XL. circiter pedites affumptos fequi fe iuffit, mortem comminatus, fi plures fequerentur.*

Ex *hac* interim quoque *lege* difcimus, annonæ Palatinæ quoque curam ad Præfectum Prætorio fpectaffe. Quod & ipfum difcere eft ex Am. Marcellino *lib. 14. c. 7.* vbi Domitianus PP. minatur Gallo C. fe Palatii cius annonas fublaturum. Et ex Caffiodoro *lib. VI. Var. 3. in formula Præf. Prat. Palatium fua prouifione fuftentat, feruientibus nobis procurat annonas.* Et certe omnis Annonæ cura ad eum pertinebat, Militaris, Ciuica, Palatina: de duabus prioribus alibi: De annona militari, vid. quæ Valefius *in Marcellinum lib. 14. c. 10.*

II. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Seuerum (b) Com. domesticorum.

DOMESTICORVM filios vel propinquos paruos vel impuberes, domesticorum cœtibus adgregamus, ita vt non solum matriculis (c) inferantur, verum etiam annonarum subsidiis locupletentur. Quaternas enim annonas eos quos armis gestandis & procinctibus bellicis idoneos adhuc non esse constiterit, in sedibus (d) iubemus adipisci: his conditionibus, vt annonæ, quæ amplius insumuntur, vel per tractorias (e) deferuntur, recidantur. Dat. IIII. (f) Kal. Sept. (g) Diuo Iouiano & Varroniano CONS. [364.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic leg.* est *lex prox.* 3. emendata alterutrubi diei subscriptione. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Seueri* huius Comitis Domesticorum sub Valentiniano Sen. meminit triennio post in gestis A. D. 367. Marcellinus. *lib.* 27. *c* 8 quo loco eum in Britannias missum scribit aduersus Barbaros. *Quibus magno cum horrore compertis Seuerum etiam tum Domesticorum Comitem misit, si fors casum dedisset optatum, correcturum sequius gesta: Quo paulo postea reu cato, Iouinus eadem loca profectus*, &c. De *Comite* Domesticorum nonnulla ad *l. vn. infr.* qui *prob. Tyron. IDEM.*

(c) *Matricula* domesticorum: Earundem mentio fit *l.* 5. & 7. *infr. IDEM.*

(d) *Sedes*: de his mox. *IDEM.*

(e) *Tractoria* hic sunt delegatoriæ, quibus annonæ præberi mandabantur, de quo etiam aliquid ad *l.* 1. *sup.* Dicam plenius de hac appellatione *inf. suo tit. de Tractoriis & statiuis. IDEM.*

(f) XIIII. *l.* 3. *prox.* & ita diserte habet MS. *IDEM.*

(g) Add. *Med.* ex *d. l.* 3. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

FILIOS & PROPINQVOS paruos Domesticorum, seu impuberes quoque armis gestandis & procinctibus bellicis etsi nondum idoneos, non tantum matriculis Domesticorum inseri atque inter Domesticos haberi; verum etiam annonas accipera, & quidem quaternas; id est, quantum quatuor alendis sufficit, vel distinctum est, iubet *hac l.* Valentinianus Sen. cui coniungenda & *lex prox.* 3. Maiore modo, qui hactenus dari solebat vetito. Cuius sane rei cura ad Comitem Domesticorum pertinebat (qui ideo harum annonarum tractorias conficiebat) quod non ex *hac* tantum *lege* constat, verum etiam *ex l.* 3. 5. *huius Tit.* Ait autem lex *in sedibus iubemus adipisci.* Sedes *h. l.* vocantur, quas *superiore lege, Pleromos ac terminos suos*, Iulianus vocauit. *Sedes* scilicet sunt (quarum & apud Vegetium & apud Ammianum frequens mentio extat, sed & *pr. Instit. de militari testam.* & *l.* 2. §. 1. *Cod. Iust. de offic. Præfecti Prætorio Africa*, & *l. ult. Cod. eod. de restitut. militum.* & *l. militum.* & *l. vlt Cod. eod. quib. non obiicitur longi temporis præscriptio*:) quæ alias *sedeta* quoque vocantur apud Theophilum Paraphrastem, *tit. de militar. testam. pr.* Suidam voc. σέδετον Rursum in *Legib. militarib.* ςρατιώτης ἐν παραχειμαδίῳ ἢ κατὰ πάροδον, ἢ εἰς τὰ σέδετα. (a) & Glossas *Basilic.* Fossata, statiua, castra: Vbi videlicet milites (armatæ vel Palatinæ militiæ) otiosi interim sedebant & viuebant, citra expeditionis, citra profectionis necessitatem Theophilus *l. c.* ἐκτὸς τῶν καςρῶν, ἐν τοῖς λεγομένοις αὐτῶν σεδέτοις; vbi Sch. σεδέτοις προσεδρίαις, vt liquido constat ex insigni Vegetii loco *lib.* 3. *cap.* 4. & *d. l.* 1. *Cod. Iust. de offic. Præfecti Prætorio Africa.* Ideo *in expeditione*, & *in sedibus*, Iustinianus opponit *in dict. l. vlt. Cod. de restitut. militum*: & *d. l. vlt. Cod. eod. quib. non obiicitur longi temporis præscriptio.* Verum de eo plura in libris *Bene dictorum Theophili*: Ad asserendam lectionem, quam *Consultatio* 49. perperam sollicitat: vbi demonstro, militem non potuisse in sedibus iure militari testari. Ille interim mos hinc obseruandus: quo filii domesticorum gestandis armis & procinctibus bellicis inidonei, interim matriculis inserebantur, & in sedibus habebantur, annonasque etiam percipiebant. Quod & ipsum quoque factum in Gallia.

(a) Vide quæ obseruat du Fresne *in Glossar. med. & infim. Græcit.* voc. σέδετον & ante eum *Meursius voc. ead.*

III. (a) Idem AA. ad Seuerum Comitem domesticorum. (b)

SICVTI variis itineribus (c) Protectorum Domesticorum (d) Schola conpræhensos (e) ad eam venire perspicimus, ita etiam *sportularum* diuersa esse debebit insumptio: (f) *Graue* enim *admodum est, viros post emensum laborem, qui nullius rei cupidiores fuere quam*
P. 134 *gloriæ, huiuscemodi erogationibus fatigari*: eos tamen (g) penitus sollemnitas inter quinos denos & solidos sportularum nomine Primatibus distribuere præcipimus. Eos autem qui vel suffragio, vel potentia, (h) vel gratia, sacram Purpuram adorare (i) peruenerint, (k) quinquagenos solidos volumus insumere. Dat. XIIII. (l) Kal. Sept. Med. Diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic*, vt dixi *lex* 2. *sup. prox.* *GOTHOFREDVS.*

(b) De *Seuero* hoc Comite Domesticorum iam dixi ad *d. l.* 2. *IDEM.*

(c) Id est, variis rationibus: Alii scilicet post emensum laborem: alii vero suffragio, potentia vel gratia: vt *hac ipsa leg.* dicitur. *IDEM.*

 (d) *Pro-*

(d) *Protectores domestici* qui? Mox dicam. *IDEM.*

(e) *Comprehensos.* *IDEM.*

(f) Id est præbitio, ita quoque *fine leg. insumere.* Erogatio mox. Distribuere etiam. *IDEM.*

(g) Corruptum hunc locum mox restituam. *IDEM.*

(h) *ἐν κατὰ δυνῶν*, id est, potentum suffragio. Cæterum ex ingenio hic reposuit ista Cuiacius: *malitia potentium gratia*, id enim hactenus ferunt erosæ membranæ. *IDEM.*

(i) De hac *Purpura adoratione* ad *l. vn. sup. de Præpos. S. Cubiculi.* *IDEM.*

(k) *Promeruerint.* *IDEM.*

(l) IV. *l. 2. sup.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

De SPORTVLIS, quas venientes seu ingredientes in scholam Protectorum Domesticorum, erogare seu distribuere & insumere solebant, est hæc Valentiniani Sen. lex: Quæ prolixioris Valentinianeæ, ad Seuerum Com. Domesticorum (cuius meminit quoque Amm. Marcellinus, *lib. 27. c. 8.*) constitutionis pars est: cuius alterum quoque membrum exstat *l. 2. sup.* quæ perinde *huic* coassada venit.

In hac vero *initio* notandum: *Protectores Domesticos h. l.* & *l. 9. 10. inf. hoc tit.* & *l. 9. de diuersis officiis*, pariter vt apud Am. Marcellinum *lib. 14. c. 10. lib. 15. c. 3. & 5. lib. 18. c. 3. 8. lib. 21. in fin. lib. 26. c. 5.* & in actis *collat. Karthag.* in *ingressu cognitionum*, eosdem esse iis cum qui Domestici simpliciter dicuntur. A quibus *Protectores* nudi separantur: *l. 4. 6. 7. 9. h. t.* (Quanquam & *Protector Domesticus*, idem & *Protector* simpliciter dictus, vt apparet ex Am. Marcellino, si conferatur locus eius, *lib. 21. extremo*, eum altero, *lib. 25. c. 5.*) Certe constitutum in Protectoribus domesticis ad Protectores extendi videmus *d. l. 9. inf. h. t.*

Secundo notandum, pro magno habitum, ad hanc Protectorum Domesticorum scholam promoueri: partim post emensum laborem, in militia scilicet gloriose: partim potentum in aula suffragio vel gratia. Quod & ipsum de Protectoribus in commune ostendunt *leges*, quas *in Paratitlon* coniecimus.

Tertio notandum inter Domesticos, *Primates* quosdam fuisse, vt *h. l.* vocantur, seu Primicerios, *l. 7. 8. 10. 11. inf. hoc tit.* quomodo & Primicerii inter Protectores fuere: *l. 4. 6 7. 9. h. t.* de quibus plura in *Paratitlo*; Post quos fuere & Decemprimi, qui forte ipsi quoque *Primatum* appellatione comprehensi. Ammianus etiam Marcellinus *lib. 25. c. 5.* & *lib. 27. c. 10.* meminit Domesticorum ordinis primi. De his dicam adhuc ad *l. 7. inf.*

Quarto obseruandum, venientes nunc primum seu ingredientes in scholam horum Protectorum Domesticorum, *sportulas* quasdam Primatibus illis distribuisse, erogasse, insumpsisse: *sportulas*, inquam, vt hic expresse vocantur, solemnes: qua causa & *solemnitas* hæc mox vocatur: quasi diceres solemnia & solita munuscula: Quomodo & solemnia munera vocantur, *l. 12. §. penult. D. de administr. tutor.* solemnes sportulæ Am Marcellino *lib. 14. c. 6.* de quibus ad *l. 1. inf. de expensis ludor.* Solemne certe id alias quoque, vt in scholam vel ordinem quendam recepti sportulas pro introitu soluerent: sic sane olim in municipiis qui Magistratum inibant, vel Decurionibus, vel ad opus publicum, solemnes sportulas dabant, teste Plinio *lib. 10 ep. 48. 117. 118. l. 6. §. 1. D. de Decurionib. l. 5. §. 17. de donat. inter virum & uxorem.* Sic & pro introitu Sacerdotii apud Suetonium, *in V. Claudii cap. 9.* pro introitu militiæ, *l. pen. §. pen.* & *vlt. D. de legatis 3.* Denique vetus is mos fuit promotionum: Dabant Senatores, dabant sacerdotes, &c. *ἐνθρονιστικὰ, καθεδρατικὰ, ἐμφανιστικὰ*, de quibus Iustinianus *in Nouellis*. De sportulis Consulatus *l. 1. inf. de expensis ludorum.* De sportulis, quæ Ducibus a Primipilaribus dabantur *l. 6. 9. 27. de cohortal.*

Postremo ex *hac l.* notandum, Protectores Domesticos, adorandæ Principis purpuræ ius habuisse; quod de domesticis & protectoribus quoque testatur *lex 4. prox.* & *lex 9. infr. de diuers. offic.* & *l. 13. infr. de numerar.* coniuncta cum *l. vlt. eod. tit.* de qua alioquin adorandæ purpuræ more, & priuilegio, plene iam ad *leg. vn. sup. de præpos. S. Cubiculi*: & quidem de adorandi priuilegio inter Protectores ex *l. 3. infr. de Fabricensibus*, Notitia Imperii, & Cassiodoro *XI. Variarum 31.* de quo rursum ad *dict. l. 3.*

Nunc de ipsamet legis sententia. Igitur Valentinianus *hac leg.* bis sportulis modum imponit diuersum, pro diuersitate videl. eorum, qui ad hanc scholam promoti sunt: Nempe eorum qui suffragio Potentum in aula, vel gratia, ad eam peruenerunt, quinquaginta solidos sportulæ nomine insumere seu erogare & distribuere iubet. Eos vero, qui post emensum laborem promoti sunt, quindecim tantum solidos distribuere iubet: addita ratione: *Graue enim admodum est, viros post emensum laborem, qui nullius rei cupidiores fuere quam gloria, huiusmodi erogationibus fatigari.* Quæ ratio vt elegans, ita & distinctio tralatitia; vt videl. multum intersit in promotionibus, quo *itinere* (vt his dicitur) eas quisque adeptus sit; meritisne, an vero suffragiis vel gratia: de quo iam sæpe *superioribus titulis*. Ergo meritis eo subuectos, *fatigari* noluit Valentinianus, sumptuosa erogatione: verum quindecim tantum solidis eum sumptum coarctauit, atque ita hactenus *solemnitatem*, seu solemnes sportulas hac parte stare voluit: *Eos tamen*, inquit, *ne penitus solemnitas intereat, quinos & denos solidos sportularum nomine Primatibus distribuere præcipimus.* Ita enim hic locus restituendus est. Malebat Pithoeus, *eos tamen penitus solemniter quinos & denos*, &c. Valesius Doctiss. literis ad me scriptis, *Eos tamen penitus solemnia intra quinos & denos solidos, &c.* P.135 Quæ emendatio mihi placere non potest: maxime propter vocem *penitus*: Nempe duo hic opponuntur *fatigari erogationibus*, & *penitus solemnitatem sportularum interire*: Inter quæ duo mediam viam & medioxumam amplectitur Valentinianus, quæ scilicet neque fatiget, neque solemnitatem PENITVS interire faciat. Illud semper verum, scribendum hic, *inter quinos & denos*, quod vtique MS. expresse præfert.

IV. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theodosius & Arcadius AAA. ad Eusignium PP. (b)

DOMESTICI ac Protectores, osculandi, cum (c) salutauerint, Vicarios tui Culminis habeant potestatem: Pœna enim sacrilegii similis (d) erit, si his honorificentia (e) non deferatur, qui (f) contingere nostram purpuram digni sunt æstimati. Dat. Prid. Non. Mart. Med. Valentiniano A. III. & Eutropio CONSS. [387.]

NOTÆ.

(a) Lex l. *Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Eusignius* hic PP. Italiæ fuit sub Valentiniano Iun. hoc anno 387. & superiore 386. Ad quem extant nouem posteriores Symmachi epistolæ *libro* 4. Ex quibus illud ipsum efficitur v. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) Postquam salutauerint, salutatione peracta, vel in salutatione. *IDEM.*

(d) Insolens hæc locutio, *Pœna sacrilegii similis*, pro *pœna sacrilegio similis.* *IDEM.*

(e) Reuerentia *d. l. 5.* *IDEM.*

(f) Similis argumentatio *l. 5. inf. de proximis.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE OSCVLANDI iure Vicarios Præfecti Prætorio, Domesticis & Protectoribus competente, est hæc Valentiniani Iun. constitutio ad Eusignium PP. Italiæ emissa. Quæ vt intelligi possit, sciendum est; Quemadmodum nonnisi certis personis purpuram Principis contingere seu adorare licebat, de quo dixi ad *l. vn. de Præpositis S. Cubiculi:* ita neque omnibus promiscue in salutandis Magistratibus prouincialibus (de quibus salutationibus dixi ad *l. 1. sup. de Præfectis prætorio*) eos osculari licuisse; quinimo etsi quosdam osculari liceret, non omnes tamen promiscue (quomodo neque cum quibuslibet in Secretario considendi ius fuit: de quo ad *l. 5. 7. 16. inf. de proximis:*) Hæc vero reuerentia in salutatione delata dicitur *d. l. 5.* honorificentia, *hac l.* De hoc osculi iure est quoque *lex 109. inf. de decurionib.* vbi Curialibus omnibus muneribus in patria defunctis hic ipse honos tribuitur, *Osculum quoque*, inquit, *his in prouincia Iudicantium & consessus indultus sit.* In salutatione igitur seu visione Magistratuum non omnes ad osculum admissi, verum ex singulari priuilegio nonnulli: (Rariores adhuc a Principe, & nonnisi ex summa ciuilitate, de quo ad *l. vn sup. de Præpos. S Cubiculi:*) Et vero ostendit hæc lex, *Vicarios* Præfectorum Prætorio domesticos ac protectores ad osculum admittere noluisse; vtpote Spectabilium præcipuos: Cui Vicariorum ambitioni, supercilio & fastidio *hac l.* occurritur: quemadmodum alia quoque constitutione ad eundem Eusignium PP. idem Valentinianus Iun. Præfectorum Prætorio ipsorum vsurpationi, iurisdictionem sibi in militares viros vindicantium, occurrit *l. 1. Cod. Iust de off. Magistri militum*: quæ forte *huic* coassanda videatur. Et hæc quidem est *huius leg.* sententia: Fœdus enim illorum error est, qui perperam etiam interpuncta ea, hunc in modum *osculandi, cum salutauerint Vicarios, Tui culminis habeant potestatem*, hanc illi sententiam adfingunt, Domesticos & Protectores admittendos ad osculum Præfecti Prætorio, postquam eorum Vicarios salutauerint, & forte ea de re compellarint. Vicariorum enim fastidio hæc sanctio opponitur, qui cum salutarentur, osculum detrectabant, seu ad osculum Domesticos & Protectores admittere nolebant. Vt certe qui ad ordinariorum Iudicum salutationem & consessum admittebantur, non ilico ad Spectabilium quoque admittebantur, de quo *l. 5. 16. inf. de proximis.* Hactenus de præcipua *huius leg.* parte & sententia.

Cæterum, duo adhuc sanctioni suæ addit; Rationem seu ratiocinationem, seu argumentum & pœnam. Ratiocinatur scilicet seu argumentatur Valentinianus ab adoratione Principis ad ius osculandi Vicarios. Nempe si illud domesticis & protectoribus deferatur (quod vtique his deferri iuxta *hanc l.* aliæ quoque plures ostendunt; & in his, *l. 3. sup.* ad quam dixi) quod & ipsum osculi genus fuit, multo magis hoc competere oportere: Cui similis est argumentatio eiusdem Valentiniani Iun. *l. 5. inf. de proximis*: *Si*, inquit, *Consistorium nostrum sæpe ingredientibus, Secretarii Iudicum non patuerit ingressus; aut reuerentia non fuerit in salutatione delata, aut sedendi cum Iudice societas denegata.* Sequitur *pœna*, sacrilegii scilicet. *Pœna*, inquit, *sacrilegii similis erit:* vbi *sacrilegium* dicitur de violatoribus constitutionum: pariter vt in eadem re ab eodem Valentiniano Iun. *l. 2. sup. vt dignitatum ordo:* & *l. 13. infr. de priuileg. eor. qui in S. P.* & *l. 3. Cod. Iust. de crimine sacrilegii*, vbi dicitur, sacrilegii instar esse, dubitare an is dignus sit quem elegerit Imperator, & a Theodosio M. *l. 16. infr. de petitionib.* & ab Arcadio *l. 24. infr. de petitionib.* & a Theodosio Iun. *l. 30. inf. de erog. mil. ann.* & Valentiniano III. *Nou. inter Theodos. 38.* Atque vt in communa sacrilegium admittere ferme dicuntur violatores seu spretores legum Imperialium, ita nominatim qui modum, formam & ordinem a Principe stabilitum vel commonstratum violant *h. l.* & *d. l. 2.* & *d. l. 13.* & *d. l. 3.*

P. 136. ## V. (a) Idem AAA. Addeo (b) Com. domesticorum.

OMNES, qui Domesticorum iniuncti (c) nomini nunquam nostris obsequiis inhæserunt, neque certis quibusque Officiis deputati publicas executi sunt iussiones, protinus matriculis (d) eximantur. Deinde, hii qui amissam militiam nostro iudicio receperunt, si quidem post (e) vnius anni siue biennii spatium loco sunt pristino restituti, in suo ordine permanentes fructum beneficii non amittant. Sin vero longo post tempore ambitione atque suffragiis, vt rursus sociarentur nisi (f) sunt, ita nouissimorum numero iungantur, non vt nunc sternantur (g) extremi, sed vt eum vnusquisque optineat locum, in quo esse eo tempore potuit vltimus cum (h) esset post biennium restitutus. Dat. Prid. Kal. Ian. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio V. C. CONSS. [393.]

NOTAE.

(a) Meminit *huius leg.* Arcadius *l. 6. prox.* Iungendaque illi *lex 4. Cod. Iust. de officio Præfecti Prætorio Orientis.* *GOTHOFREDVS*

(b) Eidem *Addeo* inscribitur *d. lex 6. prox.* ita tamen, vt ibi, *Comes & Magister vtriusque militiæ* dicatur, quomodo habet etiam inscriptio *d. legis 4.* & *legis 9. inf. de Iudæis*, vbi adhuc plenius dicitur, *Magister vtriusque militiæ per Orientem.* Addeo inscribitur *epistola* Libanii 954. *IDEM.*

(c) *Iniuncti*, pro iuncti. *IDEM.*

(d) *Matricula* domesticorum: *h. l.* & *l. 1. sup.* & *l. 7. inf.* Cuiacii editiones priores habent *patriculis*; quod ipse Cuiacius

incius non semel tanquam legitimum & singulare notat: verum vox *matriculis* hic tuenda omnino est: etsi ita habent MS. *IDEM.*

(e) Iutm. *IDEM.*

(f) Ita MS. *enisi*, in Cuiacii editionib. priorib. *IDEM.*

(g) *Sterni* est cæteris substerni, subiici, & vltimo loco collocari *h. l.* & *l. 3. inf. de Agentibus*: & *l. 14. inf. de re militari.* *IDEM.*

(h) Si fuisset. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

RACENSVM Domesticorum, vt antea iam, ita & *hac l.* nunc rursum instituit Theodosius M. Pariter vt Arcadius filius eius Protectorum *6. prox.* Ita scil. subinde oportuit, quod incondita turba sæpe laboraret otiosorum; subinde etiam qui matricula expuncti fuerant, militiam recuperarent beneficio Principis, per suffragia & ambitionem. Quare & illi subinde expuncti & *hac l.* expungi iubentur: & de his restitutis quæsitum, quemnam inter Domesticos locum obtinere deberent. De hoc vtroque igitur est hæc lex Theodosii M. cuius etiam meminit filius eius Arcadius *l. prox.* qui & eam ad Protectores extendit. Est autem ea, pars prolixioris ad Addeum Comitem Domasticorum, simul & Magistrum vtriusque militiæ per Orientem (quod in *Notis* iam probaui) constitutionis Theodosianæ pars: cuius alterum membrum extat in *l. 4. Cod. Inst. de off. Praf. prator. Orientis*: quæ proinde *huic* coassanda venit.

Ex his duabus *legibus* inter se coniunctis discimus, Theodosium illa constitutione Addeum duplici modo instruxisse, prout duplex gerebat officium: nempe vt Comitem domesticorum *hac l.* & vt Magistrum militum *d. l. 4.* Nunc de ipsamet *Legis* huius sententia.

Primo igitur capite iubet Theodosius M. eos protinus matriculis domesticorum eximi, expungi, qui nunquam Principis obsequiis inhæserunt, neque certis officiis deputati publicas iussiones executi sunt. Hæc duo scilicet præstabant Domestici: nempe vel Principis obsequiis inhærebant, (*in præsenti* scilicet, seu *præsentales* erant, de quibus ad *l. 1. sup.*) vel ad certa officia deputabantur, mittebantur, publicis iussionibus Principis exequendis: quod etiam testatur *lex 4. inf. de executorib.* veluti ad capiendos & exhibendos reos: testis Am. Marcellinus, *lib. 15. c. 3.* & *5.* itemque Magistris militum quandoque adiungebantur, eorum mandata impleturi, eodem teste, *lib. 16. c. 10.* Tuitio locorum, aut quædam longior committebatur necessitas per commonitorium: *l. 27. inf. de erog. mil. ann.* Denique vel necessitatibus Principis, vel expeditionibus bellicis prodesant, vt *l. prox. 6.* Ergo otiosos hos matriculis eximi iussit *hac l.* Theodosius M. Et tamen Arcadius *l. prox.* ita hanc *leg.* interpretari videtur, quasi ea præceptum fuerit, laboriosos præferri otiosis; qui sibi potius quam Reipublicæ omni militiæ suæ tempore vixissent: prohibueritque eos temporis priuilegio cum laboriosis contendere: de quo ad *eam leg.*

Secundum *huius leg.* caput est de expunctis matricula Domesticis; verum postea Principis beneficio in eam militiam RESTITVTIS, deque eorum gradu: vbi Theodosius ita distinguit; Vel aliquis intra annum aut biennium restitutus est, & tum pristinum locum ille recuperat: vel post biennium, & tum eum locum obtinet, qui nouissimus erat eo tempore, quo restitui poterat post biennium. Quæ constitutio vtiliter alio traduci potest, cum quæritur de gradu eorum, qui in scholam aliquam, vel officium restituti sunt. Ac vt locum hunc de *Restitutis in scholam, officium, dignitatem pristinam* plenius pertractem, an & quando loco quoque seu ordini pristino restituantur, res ita distinguenda est: VEL SPONTE quis se officio abdicauit, vel eo quis abiectus est seu expunctus. Si sponte se abdicauit (*s'il a Resigne*) vel pure & perpetuo animo id fecit, vel sub tacita quadam conditione: Primo casu, si post antiquam missionem impetratam, veteremque militiam, rursum ad eam admissus fuerit beneficio speciali (id enim alioquin regulariter non licet: de quo ad *l. 2. inf. ad Leg. Iul. de ambitu*:) proculdubio vltimus sternetur, neque pristinum locum occupabit, *l. 3. inf. de Agentibus in rebus*: velut *Nonus* hic quippe in scholam redit, quod etiam in Gallia obtinet: vt duobus Placitis a Lucio relatis apparet. De ea re est & caput integrum apud Langlæum *7. Semestrium 8.* Nisi cum sponte se abdicasset, & schola vel officio decessisset, *maiorem aliquam dignitatem* postea gesserit: nam si rursum ad pristinum officium redierit, pristinum quoque gradum recuperat: Vt ecce, *in sede Præsidiali Consiliarius*, officio suo recessit: mox *Consiliarius in suprema Curia Parlamenti* factus est; Tandem abdicato hoc officio ad Consiliariatum in sede Præsidiali regressus est; Placito Curiæ Parisiensis cautum fuit A. 1560. pristinum ei locum & gradum deberi: vid. Paponem *lib. 6. 4. 2. art. 28.* *Chanutium tit. 32. des prerogatiues, rang, & seance: ch. 199.* Non ea tamen ratione, quam allegant iidem, ex *l. . Cod. Inst. de dignitatib. l. 49. Cod. eod. de Decurionib.* (quæ ipsa continetur *l. 2. 3. sup. de Decur. & silent. l. 1. sup. de Primicerio & Notarus*, *l. 14. inf. de proximis*) cuius alia est sententia: verum propter pristinæ dignitatis *maioris* memoriam, cui patriam bonus ciuis prælatam voluit: minore dignitate in *patria sua* contentus quam maiore peregri. In memoriam prioris dignitatis multa recepta sunt: vid. & *l. 1. D. de Decurion.* patitur, vt in memoriam dominii *l. 18. §. 5. 6. D. de quæstion.* in memoriam matrimonii: vid. *tit. expil. hæred.* Secundo casu, si *sub tacita quadam & probabili conditione* se officio quis suo abdicauit, restitutus postea pristinum locum occupare debet, quia iam nouus non videtur. Exemplum in *Canonico* Præbendam suam resignante. Nam si is *in fauorem* alterius resignauerit, & resignatio admissa fuerit in Curia Romana, is autem in cuius fauorem resignauit, aspernetur possessionem præbendæ acceptare, is qui resignauit, postea ad maiorem cautelam a capitulo electus (atque ita *restitutus*) pristinum locum suum obtinet: quia cum in fauorem alterius resignasset, a resignatario possessione Præbendæ nunquam eiectus fuit: cæterum huiusmodi resignatio hanc tacitam in se conditionem habet, *si resignatarius acceptauerit*; & ideo si non acceptata fuerit, perinde ac si resignatio facta non fuisset, haberi debet. Placitum in eam rem Curiæ Parisiensis Ao. 1549. quod memorat Molinæus *loco, quem mox laudabo*, & Chanutius *Tit. 32. des prerogatiues rang & seance: ch. 168.* Idem puto, si Canonicus pure quidem & simpliciter verum in ægritudine & morbo constitutus, in manibus Ordinarii resignauit, postea enim si conualescat, vt beneficio suo facile restituitur, ita & pristinum locum occupat: tanquam resignatione facta, *causa mortis.* His igitur duobus casibus non tanquam *nouus* redire præsumitur, sed vt nunquam digressus haberi debet: vid. & Molinæum *sup. Regul. de public. resignat. a n. 44. ad n. 50.* Et hæc de iis, qui *sponte* se abdicant officio.

In *Proiectis* autem siue expunctis pœnæ causa, vel officio incondita turba laborante, ita distinguendum est: Vel ad tempus expuncti sunt, vel in perpetuum; (Quam quidem distinctionem suppeditet *lex. 2. D. de Decurionibus.*) Si ad tempus expuncti sunt, (*s'il a esté suspendu de son office*) veluti si quis ordine Decurionum ad tempus remotus est, impleto tempore, & Decurio est, & restitutus in Ordinem, eum ordinem, & locum tenet, quem primum & pridem habuit, *d. l. 2. §. 1.* At si quis in per-

perpetuum expunctus est, hic postea restitutus eum ordinem tenet, quem nunc nactus est non pristinum: quia hic velut Novus in Ordinem venit, ait *d. l. 2. §. 1.* Et tamen hac adhuc parte distinctionem adhibere possumus ex *hac l. nostra 5. de Domesticis:* Si breui restitutus est, pristinum locum occupat, non si post longum interuallum. Scilicet ad eundem modum, iure nostro, non ita multo post restituta, sarta, nec interpellata videntur: Ita breui reuersa vxor nec diuertisse videtur: *l. 48. D. de regulis iuris: l. 3. D. de diuortiis: l. 33. D. de ritu nuptiar. l. 31. D. de iure dotium.* Breui autem restitutus in sp. *huius l.* qui intra annum vel biennium.

VI. Impp. Arcadius & Honorius AA. Addeo (a) Com. & Magistro vtriusque militiæ.

Divale † præceptum, quod supplicantibus Domesticis dudum (b) deuotissimis, (c) *Laboriosos* prætulit *otiosis, & abuti* (d) prohibuit *temporis priuilegio eos, qui sibi potius* (e) *quam Republicæ omni militiæ suæ tempestate* (f) *vixissent*, erga Protectores quoque valere præcipimus; ac volumus inconcussum æternumque durare, vt (g) semper renouari possit. Inlustris itaque Auctoritas Tua, & eos militia soluere non morabitur, quos nihil vnquam vel necessitatibus nostris, vel Expeditionibus (h) bellicis profuisse constiterit: & his locum priorem auctoritate huius Legis decernat, quos viderit otiosis oportere præferri. Dat. V. Non. Oct. Constantinop. Olybrio & Probino Conss. [395.]

NOTÆ.

(a) De hoc *Addeo* dixi ad *l. super.* quæ eidem inscribitur. *GOTHOFREDVS.*

† *Legem 5. supra*, patris sui Theodosii M. intelligit. *IDEM.*

(b) *Dudum*, ante biennium, *d. l. 5.* A D. 393. *IDEM*

(c) *Deuotissimi* domestici & Protectores, *h. l.* & *l. 8. 9. h. t.* iidem deuote ac strenue militare dicuntur, *l. 10. h. t.* *IDEM.*

(d) De hac voce *Abuti*, mox. *IDEM.*

(e) *Potius*, *Seruasse* scil. *IDEM.*

(f) Tempore. *IDEM.*

(g) Locus hic quomodo intelligendus sit, mox dicam. *IDEM.*

(h) Vid. quæ dicam ad *l. 10. & 27. infr. de erog. mil. ann.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Recensum Protectorum Arcadius *hac l.* instituit pariter vt Theodosius M. pater eius Domesticorum recensum instituerat ante biennium, *l. 5. prox. sup* Hac, inquam, *leg.* ad eundem *Addeum* emissa: qua expresse id, quod *ea lege* de domesticis cautum fuerat, ad Protectores extendit, inque perpetuum obseruari iubet; *vt semper*, inquit, *renouari possit:* id est, vt toties quoties vis eius ad contingentes casus aptari debeat: *Renouari* scilicet lex dicitur, quoties ad nouos & similes casus aptatur, subinde emergentes.

Antequam vero de *huius leg.* sententia agimus,
P.138 obseruandum ex ea, superiorem *Legem 5.* supplicantibus Domesticis latam: Deinde præter ea capita, quæ *ea l.* continentur, ac nominatim præter illud quod memoratur *vers. Illustris*, de expungendis videlicet qui penitus inutiles fuerunt, istud quoque ea comprehensum fuisse, de laboriosis videlicet præferendis, iis qui otiosi sunt. Vnde interim videmus, Domesticorum & Protectorum scholas hoc tempore tribus hominum generibus constitisse: Laboriosis seu in actu constitutis, Otiosis, & Inutilibus plane. *Otiosi* sunt, qui etsi meritis aliquando vel ante actis suffragantibus in Domesticorum vel Protectorum scholam adsciti, in ea militia otiosi, sibique, non Reipublicæ actibus, omni militiæ suæ tempore vixerunt. *Inutiles* vero, qui nihil vnquam vel necessitatibus publicis vel Expeditionibus bellicis profuerunt. Igitur Arcadius *h. l.* Protectorum, pariter vt domesticorum recensum ita agi voluit, vt *Inutiles* militia solui seu expungi prorsus velit, quomodo Theodosii M. constitutione *l. 5. sup.* de Domesticis id ipsum cautum fuerat: *Otiosos* vero, licet tempore priores, laboriosis seu in actu constitutis loco cedere: Et sic otiosos temporis priuilegio *abuti* contra Laboriosos non posse. Nempe Temporis priuilegio vtuntur recte Laboriosi contra Laboriosos, de qua regula iam sæpe *supra*: *abutuntur* Otiosi: *Abuti* est perperam vti. Similis porro *huic* constitutio est Theodosii M. *l. 1. inf. qui in gradu præfer.*

VII. (a) Impp. Honorius & Theodosius AA. Epifanio PV. (b)

Domestici atque Protectores, cum primum ad Decemprimatus gradum ordine militiæ temporis prolixitate peruenerint, statim, sibi, præter Primicerium, Decem sequentes Senatoriam vindicent dignitatem, seque cum Adlectione Clarissimos (c) nostro iudicio gratulentur; recedentibusque Proceribus (d) succedens sibi per matriculæ ordinem, vsque ad præscribtum modum, vindicet quisquis accedit. Ad nullas præterea Senatorii ordinis vocentur expensas; quibus (e) non ambitio, sed meritum & nostrum spontaneum cognoscitur iudicium detulisse. Dat. VI. Kal. Ian. Rau. Constantio & Constante Conss [414.]

NOTAE.

(a) Concordant huic tres Theodosii Iun. *leges prox.* puta 8. 9. & 10. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Epiphanio* huic P. V. sub Honorio, inscribuntur quoque anno 412. *lex vn sup. de Comitib. vacantib.* & *l. 14. de proximis*, quæ Consules anni 407. perperam subnotatos habet. In veteri inscriptione integro nomine *Flauius Anius, Eucharius Epiphanius. IDEM.*

(c) *Clarissimos*, id est, Senatores. *IDEM.*

(d) *Proceres*, sunt Decemprimi. *IDEM.*

(e) Vtpote quibus: nam hic ratio continetur. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE DECEMPRIMIS Domesticorum & Protectorum, eorum promotione, & priuilegiis, est hæc Honorii constitutio: Cui omnino concordant tres Theodosii Iun. sequentes proxime leges, puta *lex 8. 9. & 10.* Idque ad exemplum PRIMICERIORVM: De quibus vtrisque prius videndum est.

Igitur notandum, in singulis scholis Domesticorum & Protectorum fuisse *Primicerium* quendam: cuius præter *hanc leg.* mentio fit *l. 8. 9. 10. 11. infr.* Eiusdem meminit & Cassiodorus *X. Variar. 11.* & Am. Marcellinus *lib. 18. c. 3.* vbi memorat Valentinum *ex-Primicerio Protectorum, Tribunum, & Barbationem, qui Domesticos Protectores sub Gallo Cæsare rexerat.* Primatum etiam appellatione complectitur *lex 3. sup. h. tit.* Primum Domesticorum vocat Am. Marcellinus *lib. 27. c. 10.* Domesticorum ordinis primum, idem *lib. 25. c. 5.* ex quo gradu Historici Iouinianum ad Imperium prouectum scribunt: Synesius *ep. 75.* προστατεῖν voce designauit, loco quem mox consignabo. Alius vero est quem idem *lib. 26. c. 5.* præfuisse scholæ Domesticorum ait, Serenianum scilicet; id enim de Comite Domesticorum accipiendum est. Post Primicerium in singulis scholis fuere decem sequentes, qui ideo DECEMPRIMI vocantur *hac l.* & *l. 8. 9. 10. inf.* vnde & Decemprimatus gradus & dignitas *h. l.* & *d. l. 8. & 10.* quos & *Proceres* hæc ipsa *lex* vocat: Et Primatum appellatione complecti videtur *lex 3. sup.* Decaproti, Græca voce. De his igitur duo hæc *hac* Honorii *leg.* continentur: Ac primum quidem *Promotionis* ad Decemprimatus pariter vt Primiceriatus gradum ratio seu ordo indicatur: nempe *ordine militiæ, temporis prolixitate:* sic vt recedentibus Proceribus succedens sibi per matriculæ ordinem eum gradum vindicent. Quod & ipsum indicatur & inculcatur *l. 8. 9. 10. & 11. in pr.* deuote ac strenue militando, vt ait *d. lex 10.* Eoque refero quod Synesius *ep. 75.* indicat, post aonosam militiam, & assiduos labores ὑπασπιστὰς ad προστασίαν prouehi iure oportuisse, quem morem fauor & gratia tum perrupit: *Θεοδόσιος ὁ βασιλέως ὑπασπιστής, συνοικεῖ, ἕνεκα μὲν τοῦ χρόνου καὶ τῆς ἐν στρατείᾳ προσεδρείας, κἂν ἐπροστάτησε πάλαι· αἱ δὲ σπουδαὶ πλεῖον δύνανται τῶν ἐνιαυτῶν: Theodosius imperatoris scutarius, maritus est, quod quidem ad tempus attinet & aulicam assiduitatem, etiam præfectus fuisset iam pridem. verum ambitiones plus possunt quam anni.* vbi προστατεῖν voce Primiceriatus intelligendus est, non vero prouinciæ Præsidiatus quod credidit Interpres. Eadem vero promotionum lex in aliis quoque scholis obtinuit, subrogato videlicet semper, qui proximus impellit: *v. l. 14. inf. de Agentib. in rebus* (vbi dicam plenius) & *l. 2. Cod. Iust. de off. Magistri officiorum.*

Secundum quod *hac l.* continetur, & vero principaliter constituitur, est de *Priuilegio* Decemprimorum: Nempe id constituitur, vt Decemprimi non minus quam Primicerius ipse, Senatoriam sibi dignitatem protinus vindicent: Sic etiam vt a Senatoriis functionibus immunes sint, atque inter Allectos habeantur: quod ipsum statuitur a Theodosio Iun. tribus *Legibus* proximis, puta *l. 8. 9. 10.* & *l. vn. inf. tit. prox. de præpositis Laborum.* De quibus Senatoriis functionibus, & Allectorum immunitate *titulis duobus, sup. de senator. & glebali collat.* & *tit. de Prætoribus*: hæc enim duo munera Senatoria sunt, Glebalis collatio, & Prætura; Et de *Allectis* quidem seu immunibus a Senatoriis functionibus, dixi ad *l. 10. sup. d. tit. de Prætoribus.* Et rationem huius immunitatis reddit Honorius *fine leg.* nempe quod non ambitione, verum merito, spontaneoque Principis iudicio, non gratia vel suffragio potentiorum, ad hanc Senatoriam dignitatem peruenerint: Quæ ipsa ratio redditur in aliis huius Immunitatis & Adlectionis exemplis, quæ congero ad *d. l. 10.* v. interim eam ipsam *legem 10.* & *l. 23. eod. tit.* P. 39.

VIII. (a) Idem AA. Monaxio PP. (b)

DEVOTISSIMIS (c) Domesticis, quos (d) nobis (vt indicio nominis apparet) familiarius militando; (e) optatam protulimus sanctionem, (f) vt præter Primicerios Decemprimi eorum, cum ad memoratum Decemprimatus gradum peruenerint, statim Clarissimo nomine decorentur, & inter Allectos (g) velut ex-Consulares habiti Senatoria se præditos gaudeant dignitate: ad eundem Clarissimatus honorem sequentibus cum priores exierint accessuris: ita tamen vt inmunes a Senatoriis functionibus penitus habeantur. Dat. XV. Kal. (h) Constantinop. Theod. A. VII. & Palladio CONSS. [416.]

NOTAE.

(a) Iungenda videatur hæc lex cum *l. 9. prox.* de quo mox. Vel saltem hanc indicare videatur. Certe hanc quoque intelligit *lex vlt. h. t.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Monaxius* hic PP. Orientis fuit sub Theodosio Iun. A. D. 412. 414. 416. 417. 418. 419. 420. v. *Prosop. gr.* *IDEM.*

(c) *Deuotissimi* Domestici *h. l.* & *l. 6. sup.* vbi dixi, & *l. 9. inf.* *IDEM.*

(d) *γρ. Qui.* *IDEM.*

(e) Ita MS. pro *militant.* *IDEM.*

(f) Hanc videlicet. *IDEM.*

(g) Allecti *Consulares* hic & *l. 9.* & *10.* & *l. 5. infr. de Agentib. in reb.* & *l. vn. de Comit. ord. pr. art. diu.* & *l. 7. 8. infr. de proximis.* *IDEM.*

(h) Ohro-

(h) Chronologia antehac edita supplebat *Ian.* vt habetur *l. 9. prox.* Quod stare non potest: hæc enim illa posterior videtur: Malim XV. *Kal. Nouemb.* vel III. *Id. Nouemb.* vt iungatur cum *l. vn. inf. tit. prox. de Præpos. laborum.* *IDEM.*

IX. (a) Idem AA. Monaxio PP. (b)

DEVOTISSIMOS (c) Protectores, qui armatam militiam subeuntes non solum defendendi corporis sui, (d) verum etiam protegendi lateris nostri sollicitudinem patiuntur (vnde etiam *Protectorum* nomen sortiti sunt) inglorios (e) esse non patimur, sed vt deuotissimis nuper (f) Protectoribus - domesticis (g) ita his quoque honorem congruum condonamus, (h) Vt præter Primicerium Decemprimi eorum Clarissimatus dignitate fruantur, & per ordinem primis exeuntibus qui ad Decemprimorum numerum vocante gradu subierint, (i) Consularem cum ipsa loci secessione Clarissimatus sibimet vindicent dignitatem, & in Amplissimo (k) Ordine inter Allectos velut Ex-Consularibus habeantur, nullis Senatoriis muneribus adstringendi. Dat. XV. Kal. Ian. Constantinop. Theodosio A. VII. & Palladio CONSS. [416.]

NOTAE.

(a) Non est hæc *lex* coniungenda cum *superiore*, hæc enim illam velut anteriorem memorat & producit. *GOTHOFR.*

(b) De hoc *Monaxio* dixi ad *d. l. super.* quæ eidem inscribitur. *IDEM.*

(c) Deuotissimi. De hac voce iam ad *l. 6. & super.* 8. *IDEM.*

(d) Corpus Protectorum intelligit. *IDEM.*

(e) Ingloriis. *IDEM.*

(f) *L. 8. supr.* *IDEM.*

(g) Hinc apparet, Domesticos eosdem cum Protectoribus Domesticis esse: de quo *ad. l. 3. sup.* *IDEM.*

(h) *Condonamus*, pro simplici, *donamus*, *concedimus.* *IDEM.*

(i) *Subire*, proprie dicuntur, qui in aliorum exeuntium locum succedunt. *IDEM.*

(k) *Amplissimus* Ordo, pro Senatorio. vid. *Glossar.* *IDEM.*

X. (a) Impp. THEODOSIVS & Valentinianus AA. Hierio PP. (b)

PRÆTER Primicerios protectorum domesticorum Decemprimi scholarum, cum ad huius vocabuli dignitatem deuote ac strenue militando peruenerint, statim Clarissimatus honore decorati inter Adlectos veluti Ex Consularibus esse mereantur, ita vt & (c) a Senatoriis functionibus penitus habeantur inmunes, nulloque extrinsecus onere prægrauentur; cæteris quoque vbi egressis prioribus ad prædictum suo ordine numerum locumque conscenderint, priuilegiis paribus honorandis. Dat. XVII. Kal. April. (d) Hierio & Ardabure CONSS. [427.]

P.140

NOTAE.

(a) Hanc quoque *Legem* suam pariter vt *legem* 8. *sup.* indicat Theodosius Iun. *l. vlt. infr.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Hierius hic PP fuit Orientis sub Theodosio Iun. A. D. 425. 426. 427. 428. imo & 432. Eiusdem meminit quoque Auctor Chronici Alexandrini A. D. 427 vbi ὡς ἔπαρχος vocatur: Interpres male Præfectum vrbis interpretatur. *IDEM.*

(c) *Et* abest ab editionib. Cuiacian. *RITTER.*

(d) Addendum *Constantinopol.* ubi Theodosius *bis Coss.* constitit. Vid. *Chronol.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE DECEMPRIMIS Domesticorum & Protectorum, eorum promotione, & priuilegiis, (de quibus ipsis fuit Honorii Imp. *lex. 7. sup.*) sunt hæ tres, in eandem plane sententiam, quæ *d. l. 7.* Theodosii Iun. constitutiones: sic quidem vt *lex 8.* & 10 sint de Decemprimis Domesticorum, seu Protectorum Domesticorum: *lex. 9.* de Decemprimis Protectorum: *ea* quippe *leg.* statutum in *l. 8.* de Domesticis, ad Protectores extenditur, neque alia eius ferendæ occasio fuit: vt cæteroquin æquo vtrique iure fuere, de quo consule *Paratitlon:* & vero hac parte exæquati antea ab Honorio *d. l. 7.* In his vero omnibus enarrandis nil immorari iuuat, cum dicta ad *d. l. 7. sup.* sufficiant: tantum *hic* sublegenda.

Primum, in tribus illis omnibus *Legibus* notandum, Decemprimis non in genere tantum Senatoriam dignitatem conferri, verum etiam, speciatim Senatoriam; velut ex-Consularibus: quod etiam indicatur *l. vn. inf. de præpos. labor.* quæ & dignitas confertur Domesticis & Notariis *l. 2. 3. de. Primic. & Notar.* Huius vero dignitatis ἀπὸ Κονσυλαρίων mentio quoque apud Chrysostomum *ep. 61.* Θεοδότῳ ἀπὸ Κονσυλαρίων cuius epistola quoque extat 58. Θεοδοσίῳ ἀπὸ Δουκῶν: Comitibus ordinis primi artium diuersarum *l. vn. eod. tit. supra, tit. de Comitib. ord. pr. art. diu.* Scriniariis S. Palatii post 20. annorum militiam *l. 7 8. inf. de proximis*, Principibus Agentium in rebus *l. 5. 6. inf. de Agentib. in reb.* Præpositis Laborum *l. vn. inf. tit. prox.* quæ iungenda videatur *legi 8.* Ita quoque Symmachus

lib. 10. ep. 18. Celsum Professorem in Senatorium Ordioem admitti cupit, cum prærogatiua scilicet Coosulari: addita ratione, ne sumptum eius magis quam Magisterium quæsisse videamur: noo sine auaritiæ nota, si ab eo munia publica postulentur, qui spondet gratuita præcepta. Vbi vides clare, quod hæ *leges* aperte testantur, Symmachum quoque indicantem, quænam vis sit prærogatiuæ istius Coosularis, oempe vt Seoator, Senatoriis tameo functionibus non subiacear. Qui & Adlectionis honos dictus; de quo vid. *Paratitlon de Senatoribus.*

Secundo, in *l. 9.* notaoda singularis Protectorum descriptio: *Qui,* inquit, *armatam militiam subeuntes, non solum defendendi corporis sui, verum etiam protegendi lateris nostri solicitudinem patiuntur: vnde etiam,* addit, *Protectorum nomen sortiti sunt.* Ad cuius explicationem afferre quoque iuuat aliorum scriptorum testimonia. De his accipio Synesium *ep. 75.* vbi ὑπασπιστὰς vocat: & de *regno p. 18. edit. Petauii;* vbi δορυφόρους eos vocat, habitumque eorum describit, procedeotique Imperatori adfuisse testatur: οὐ γὰρ ἦν πω τὸ τῶν δορυφόρων τοῦτον ἀπὸ τῆς στρατιᾶς στρατιὰ τις ἔκκριτος, νέοι πάντες, πάντες εὐμήκεις τὰς κόμας ξανθοί τε καὶ περιττοὶ,

Αἰεὶ δὲ λιπαροὶ κεφαλὰς καὶ καλὰ πρόσωπα,

χρυσάσπιδες καὶ χρυσολόγχαι, οἷς ὅταν ποτὲ ὀφθῶσι, τὸν βασιλέα σημαινόμεθα, καθάπερ οἶμαι ταῖς προανισχούσαις αὐγαῖς τὸν ἥλιον. *Nec enim eiusmodi tunc erat satellitum stipatio, selectus ex ipso exercitu alter exercitus, iuuenes omnes, omnes statura procerioris, flauescente, ac exquisitius ornata cæsarie,*

Vnguentisque caput semper, vultumque peruncti.

Scuta ex auro, lanceasque portantes, ex quibus quoties occurrunt, regem coniicimus vt opinor ex praeuntibus radiis solem. Sic & Corippus *lib. 3.* *Terribiles ætate pares* vocat. Menander Protector ipse *lib. 8. histor. p. 155. T. I. Script. R. B. edit. Venet.* ὁ δέ γε τῶν μεθορίων λεγόμενος προτίκτωρ δῆλοι δὲ παρὰ Ῥωμαίοις τὸν ἐς τοῦτο καταλεγόμενον ἀξίας τὸν βασίλειον προσκεπαστήν: *ille qui confinium protector erat, significat autem apud Romanos eum, qui est ad eam dignitatem electus, quem græci vocant Proskepasten.* Προσκεπαστὴν, id est, *qui Principis latus protegit.*

Eosdem indicat & Chrysostomus *homilia in Matth. 55. ed. Comel. pag. 488.* ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ τῆς γῆς βασιλεὺς οὐκ ἀνάσχοιτο πάντας [στρατιώτας] εἶναι ἐν τοῖς βασιλείοις, οὐδὲ παρὰ τὰς αὐτοῦ πλευράς: *mortales quippe imperatores non omnes in prætorio & ad latus suum esse patiuntur.* Et mox. οὗτοι οἱ ἀσπιδοφόροι βασιλέως. *sicut hastati & stipatores regi* (assistunt). De iisdem agit & *homilia in Ioannem 18. pag. 123. edit. Francf.* οὐκ ἴστε τὰ τάγματα βασιλικὰ τῶν ἀσπιδοφόρων καὶ λογχοφόρων τῶν περὶ τὸν βασιλέα πόσης ἀπολαύει τιμῆς; *an ignoratis quanto cohortes regiæ & scutati & hastati eius latus stipantes honore habeantur?* Et *homil. 28. pag. 183. edit. Francf.* καὶ γὰρ ἐν τοῖς βασιλείοις τούτους οὐδεὶς τῶν τῷ βασιλεῖ παρεστηκότων δορυφόρων, ἀφεὶς, &c. *Etenim in huius seculi regiis nemo satellitum iis omissis quibus coronato regi.* &c. Protectorum quoque illorum frequens mentio apud Am. Marcellinum, ex quo ea ipsa ferme discimus quæ *Paratitlon* exhibet, quænam inquam & quam varia hic delegarentur: Nempe Cæsaribus quoque Protectores additi *lib. 14. c. 7.* his custodia mandata aliquorum, veluti Præfecti, *l. c.* per hos rei retracti tenebantur, *l. c.* Agebant aliquando præsidium apud vrbes, *lib. 26. c. 10.* Ad exhibendas personas missi, *lib. 29. c. 3.* Validos quoque corporis robore fuisse indicat idem *lib. 30. c. 7.* Protectoris tamen nomine quandoque Domestici indicati vt *lib. 25. c. 5.* De Protectoribus qui præsidium agebant io limitibus, locus quoque apud Menandrum Protectorem *lib. 8. Historia p. 115. edit. cit.* vbi is vocatur τῶν λεγόμενος μεθορίων προτίκτωρ: Hegesippus quoque ex æui sui vsu, illa Iosephi ὁ ὑπερασπιστὴς ὁ ἐμὸς ὁ σωματοφύλαξ ita vertit *lib. 1. cap. 44.* *Hic erat Protector meus, cui credebam corporis senilis custodiam.* Protectorum meminit etiam Capitolinus Constantini M. ætate in Maximinis *cap. 14.* *Appellatus Augustus Carthaginem venit cum pompa regali, & Protectoribus & fascibus laureatis.*

Tertio notandum, hoc ipso Anno 416. quo data est *lex 8.* Theodosio Iun. hoc priuilegium Decemprimorum Domesticorum extendi ad Præpositos laborum: *l. vn. tit. prox. de præpositis laborum:* quæ forte etiam *d. legi 8.* iungenda videatur.

XI. (a) Iidem AA. Heliodoro PV. (b)

CONSTANTINOPOLITANI (c) Amplissimi Senatus consensu, nostroque iudicio Domestici decursis gradus stipendiis sub eo sint genere Senatores, vt Primicerius quidem, post acceptum Tribunatum, inter eos dignitate potiatur, qui Ducatum agere meruerunt. Alii vero qui decursis stipendiis ab (d) eodem Decem vsque numero subsequuntur, quibus iam ante (e) decretum est, dignitatibus perfruantur: sed ita vt inter eos sine dubio censeantur, qui immunitatem sibi laboribus redemerunt. (f) Vt (g) fructus Domesticis, impio (h) termino consequenti, etiamsi mortalitas interuenerit, perire non possint, sed quodammodo superstes illis solatiis (i) seruetur occasio: ac, si Primicerii limen ingressi (k) in ipsa desideratæ spei longa expectatione fructus interruperit fati necessitas, non statim, qui præcerpat (l) eos, (m) quem (n) vocat secundus ordo succedat; sed, liberis successoribusque tantum gradu venientibus agnatorum, (o) quorum (p) maxime cura emolumentorum perceptione gaudebat, residui temporis vsque ad annum quæ debentur sollemniter colligantur. (q) Dat. III. Id. Iun. Constantinop. Valerio & Aëtio VV. CC. CONSS. [432.]

P.141

NOTAE.

(a) Lex 2. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata est, plurimis resecatis. Sed & Protectoribus communicato hoc iure. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Heliodori* huius P.V. nulla alibi mentio extat: nisi is sit, cuius Theodoricus meminit apud Cassiodorum *l. Var. 4. Hi autem & in partibus* ORIENTIS *parentum laude viguerunt:* HELIODORVS *eum, qui in illa Republica nobis videntibus* PRÆFECTVRAM *bis nouenis annis gessit eximie, eorum consanguinitate probatur adiungi.* Fuit & Heliodorus Comes S. L. A.D. 468. vid. *l. 3. 4. Cod. Iust. de Canone largit. tit.* *IDEM*

(c) Hanc

(c) Hanc vocem retraham lubens ad inscriptionem; ita, *P. V. Constantinopol.* vid. *Chronolog.* *IDEM.*

(d) Id est, post eundem. *IDEM.*

(e) Puta *l.* 8. 9. & 10. *sup.* *IDEM.*

(f) Id est, adquisiuerunt, pepererunt: *Laboribus redimere.* *IDEM.*

(g) *γρ.* Et. *IDEM.*

(h) *Impium terminum* an vocat mortem: vt ita sequentia, *etiamsi mortalitas interuenerit*, explicatio sint horum verborum? *IDEM.*

(i) *γρ.* *Solutii.* *IDEM.*

(k) *γρ.* *Ingresso.* *IDEM.*

(l) *Praecerpere* fructus, est quasi ante ora auferre. *IDEM.*

(m) Fructus scil. *IDEM.*

(n) Is quem. *IDEM.*

(o) *Adgnationis* durantis. *IDEM.*

(p) Quurum liberorum maxime contemplatione. *IDEM.*

(q) Solemniter præstentur, soluantur. *IDEM*

COMMENTARIVS.

PRIMICERIORVM & DECEMPRIMORVM inter Domesticos priuilegia dignitates iam antea decretas, supcrioribus *legibus*, puta *l.* 8. 9. 10. *sup.* ita confirmat *hac l.* nunc Theodosius Iun. quinquennio post *d. legem* 10. vt duobus priuilegiis Primiceriorum dignitatem auctum eat.

Primum est, quod cum Primicerii expletis stipendiis antea, haud aliter atque Decemprimi, Senatoriam inter Allectos Consularis dignitatem hactenus adipisceretur, *hac l.* Theodosius Iun. iubeat Primicerium post acceptum Tribunatum inter eos dignitate potiri, qui Ducatum agere meruerunt: id est, eo genere ea conditione cum Senatoria dignitate exire, vt Tribuni nomine aucti inter ex-Ducibus locum habeant. Quod genus certe, maioris prærogatiuæ fuit: Sic & Præpositi ac Tribuni scholarum, Tribuni sacri stabuli, & Cura Palatii (nisi Comites primi Ordinis simul fuerint) militia absoluti inter eos qui Duces fuerint numerabantur, ex Theodosii Iun. pariter *l. vn. sup. de Comitib. & Tribunis scholar.* sic & Comites rei militaris quique vice Magistrorum Militum agebant *l. vlt. de Comitib. rei militaris.* Qui vtique gradus Consularium gradu maior erat, vt ex *hac l.* & *d. l. vn. de Com. & Trib. schol.* quoque patet: Ergo nunc Primicerii, ex-Ducibus æquati: Decemprimi ex-Consularibus. Quod de *Tribuni* honore ex-Primicerio Domesticorum collato hic dicitur, id ipsum de Protectorum Primicerio scribit Am. Marcellinus *lib.* 18. *c.* 3. *Valentinus*, inquit, *ex-Primicerio Protectorum Tribunus vt conscius*, &c. Idem Marcellinus, *lib.* 30. *c.* 7. de Gratiano: *post Dignitatem Protectoris atque Tribuni, Comes præfuit rei Castrensi per Africam.* Excerpta de gestis Constantini, quæ subiecta sunt editioni Marcellini Gronouii, mox ab initio ita de Constantio Chloro: *Constantius Protector primum, exin Tribunus, postea Præses Dalmatiarum fuit.* Tribonianus in *l.* 2. *Cod. Inst. hoc tit.* quam hinc alioquin deformauit, vtrumque iunxit.

Alterum priuilegium nouum Primiceriis Theodosius Iun. istud indulget, magno verborum circuitu: nempe, vt si quis Primiceriatum ingressus ante annum decesserit, residui temporis emolumenta, quo Primiceriatus officium durare solet, id est Anni, non proxime sequentis, quem Ordo vocat ad Primiceriatum deferantur; verum ad liberos & successores eius, agnatos tamen pertineant. Vbi tria notanda veniunt. 1. Primiceriatum Domesticorum fuisse annuum; quomodo & Proximatus scriniorum fuit, *l.* 11. & 17. *infr. de proximis.* Secundo notetur singulare istud priuilegium, transmittendi salarii residui temporis & emolumenti ad liberos successores. Quod priuilegium aliis quoque nonnullis datur: veluti Aduocatis fisci: *l.* 15. §. 1. *Cod. Iust. de Aduocatis diu. Iudiciorum:* Scriniariis, *l.* 3. *Cod. eod. de agentibus in rebus*: Primipilaribus. *l.* 1. *Cod. eod. de primipilo.* Imo & Domesticis & Protectoribus Secundoceriis in schola Equitum, *l. vlt. Cod. eod. de domesticis & protector.* cum alias regulariter iure ciuili Romano emolumentum, mortuo Salariario, non transmittatur residui temporis: Textus in *d. l.* 3. *Cod. Iust. de agentib. in rebus.* Ita scriba Quæstorius si ante legitimum tempus decessisset, Salarium ad eius hæredes non pertinebat, verum ærario vindicabatur, teste Plinio *lib.* 4. *epist.* 12. Hanc vero quæstionem, vtrum hodie Iudicibus, Magistratibus, Aduocatis fisci, Adsessoribus, Doctoribus mortuis residui temporis salarium hæredibus debeatur, prolixe tractatam habet *Diatriba de salario, cap.* 6. *th.* 21. Postremo notetur limitatio, nempe emolumenta hæc residui temporis transmitti ad liberos successores, adgnatos tantum, id est, si non emancipati sint. Quod agnationis durantis vestigium est, vt multa alia hoc Codice, & alibi.

P.142

DE PRÆPOSITIS LABORVM.

TITVLVS XXV.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XVIII.

(a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Monaxio PP. (b)

QVI ex (c) deuotissimis (d) Domesticorum scholis Præpositi Laborum, nostro iudicio,

cio, & (e) stipendiorum sudoribus, promouentur, ad (f) similitudinem Decem-primorum Domesticorum Clarissimi sint inter Allectos, (g) ita vt ex-Consularibus habeantur: Nam Senatorio nomine (h) & immunitate digni sunt, quos nostri lateris Comitatus inlustrat. Dat. III. Id. Nouemb. Constantinop. Theodosio A. VII. & Palladio CONS. [416.]

NOTAE.

(a) Lex *vn. Cod. Iust. eod. tit.* hinc quatuor locis interpolata est. Iungenda forte huic: *lex 8. sup. tit. prox.* GOTHOFREDVS.

(b) De hoc *Monaxio PP.* iam ad *d. l. 8.* IDEM.

(c) *Ex deuotissimis Domesticorum scholis*, hæc recidit Τριβον. IDEM.

(d) *Deuotissimi* domestici, *d. l. & l. 6. 8. 9. sup. de Domesticis*: propria locutione. IDEM.

(e) *Et stipendiorum sudoribus*, hæc quoque recidit Τριβον. IDEM

(f) *Ad similitudinem Decemprimorum.* Et hæc resecauit Tribonianus. IDEM.

(g) In *Cod. Iust.* male olim *electos*: Quod iam ibi recte restitutum. IDEM.

(h) *Senatorio nomine.* Hæc quoque recidit Τριβον. IDEM.

COMMENTARIVS.

DE PRÆPOSITIS LABORVM est hæc famosa Theodosii Iun. constitutio: cui forte iungenda est *lex 8. sup. tit. prox. de domesticis*, restituta ibi subscriptione: vt vt sit, hæc ad illius omnino similitudinem expressa est, tracto videlicet eo ipso iure a Decemprimis Domesticorum, quod ea continetur, ad Præpositos Laborum, de quo mox plura. Est vero hæc lex, vnica, de Præpositis Laborum, *hoc Codice*, imo & Iustinianeo; est enim Accursii, & sequacium, etiam Cuiacii error, qui *legem 2. Cod. Iust. de excus. muner.* de his quoque accipiunt, *Præpositi* quippe *ea l.* sunt Præpositi *laborum ciuilium*, vel Præpositi *Pagorum*, quorum per Diocletiani quoque tempora non vna mentio extat. Relata vero hæc quoque *lex* in Codicem Iustinianeum, verum quatuor locis nimium quantum interpolata, vt iam *in Notis* ostendi; vnde fit, vt non ita plenam, non ita veram, de *Præpositis Laborum* ex *ea leg.* cognitionem haurire possimus, vt ex *hac l.* prout hoc Codice habetur, paulo pleniorem saltem eruere possumus. Nos ea κατὰ πόδα nunc sectabimur, quæ de Præpositis istis Laborum *hac leg.* continentur.

Primo igitur loco ex *hac l.* discimus, *Vnde*; seu *ex quo corpore seu hominum genere* Præpositi isti Laborum sumpti seu promoti fuerint: Nempe ex Domesticorum scholis: Et quidem, (quod secundum) hac ratione: puta & Principis iudicio, & stipendiorum sudoribus. Quod vtrumque a Triboniano resecatum est, forte quia sub Iustiniano iam Præpositi laborum iudicio solo Principis vndecumque ipsi libuisset, eligerentur, cum *hac l.* nominatim ex *Domesticorum* scholis, neque Principis tantum iudicio, sed & stipendiorum sudoribus promoti dicantur. Nempe Principes hoc æuo Præpositos laborum, ex scholis Domesticorum assumebant, promouebant, eosque eligebant, quos in scholis illis stipendiorum merito & sudoribus mereri videbant. Sed tamen ex scholis semper Domesticorum, non aliunde quos ὑπασπιστὰς vocat Auctor vitæ Constantini: δορυφόρους Sozomenus, locis, quæ postea consignabo. Ea vero causa est, cur hæc *lex* proximo superiori *titulo, de Domesticis* cohæreat, seu subiiciatur: quia scilicet Domesticorum corpus huiusmodi Præpositos laborum subministrabat. Quare Cuiacii secundus error est, qui hos ex Protectoribus electos minus pense scripsit ad *l. vn. C. Iust. eodem tit.* & *ad l. 2. C. eod. de excusat. munerum*: quem & alii improuide secuti sunt. Nam etsi Domestici, & Protectores eodem ferme iure censiti fuerint, deque vtrisque iunctim *superiori titulo* agatur, vicinaque fuerint corpora, imo & Domestici quoque Protectores Domestici dicti fuerint, attamen Domestici a *Protectoribus* nudis distincti fuere: etiam iure aliquando, sic vt de illis statuta ad hos dubitationi tollendæ prorogari oportuerit: de quo omni, *ad eum titulum*. Et certe Domestici digniore loco habiti, & Protectoribus præpositi, etiam *Rubrica superioris titulo*: hi quippe, vt indicio nominis apparet, familiarius Principi militabant: vt diserte Theodosius Iun. ait in *d. l. 8.* quæ forte *huic* iungenda est: vnde & οἰκεῖοι Græcis: Protectores vero armatam militiam subeuntes & defendendi corporis sui, & protegendi lateris Principis solicitudinem sustinebant, *l. 9. sup. tit. prox.* Ergo ex Domesticis sumpti Præpositi laborum: non tamen (quod tertium hic) ex Decemprimis Domesticorum: nam imo Decemprimorum priuilegium & immunitas *hac l.* ad Præpositos laborum porrigitur: Quod quidem hic quarto loco notandum, nempe ad similitudinem Decemprimorum domesticorum Senatoriam dignitatem his conferri: Et quidem (quod quintum) P. 143 inter Allectos: *inter Allectos*, id est, sic vt immunes sint a Senatoriis muneribus, puta a glebali collatione, & a Prætura, quæ alioquin duo onera Senatorum fuere: de quibus *Adlectis* seu immunibus, cuiusmodi & plures alii fuere, dixi plene semel ad *l. 10. sup. de Prætoribus*: & quidem de Decemprimis Adlectis seu immunibus a Senatoriis oneribus, *ad l. 7. 8. 9. 10. sup. tit. prox.* Rursum, (quod sextum) sic Præpositi laborum inter Adlectos habiti *hac l.* vt ex-Consularibus haberentur: Quæ & ipsa singularis prærogatiuæ species fuit: quomodo & Primicerii & Decemprimi Domesticorum, velut ex-Consularibus habiti: quod præter hanc *leg.* cauetur *l. 8. 9. 10. sup. tit. prox.* vbi de aliis, quibus eadem dignitas seu idem gradus tributus, dixi. Et *rationem* addit Theodosius Iun. istius dignitatis & immunitatis (quod septimo hic loco obseruandum est): *Nam*, inquit, *Senatorio nomine & immunitate digni sunt, quos nostri lateris Comitatus inlustrat.* Vnde paulatim deducimur ad cognitionem muneris horum Præpositorum laborum, illud enim saltem discimus, lateri & Comitatui Principis hos adhæsisse, quod & ipsum testatur Auctor vitæ Constantini. Quod quidem ipsum ferme de Protectoribus alibi dicitur, eos Principis lateris Comitatum illustrasse: verum hoc insuper addito, quod protegendi Principis lateris solicitudinem paterentur, *l. 9. sup. tit. prox. de domest. & protector.* Et apud Chrysostomum *homil. 55. in Matth. pag. 488. Comel. edit.* constituti παρὰ τὰς βασιλέως πλευρὰς, παρὰ τὸν βασιλέα, τῷ βασιλεῖ παρεστηκότες: quod iam notaui ad *d. l. 9.* At præpositi laborum nudo Comitatu Principis lateris illustrabantur: id est, procedente Principe in publicum eius lateri adhærebant, κύκλῳ παραπορευόμενοι τῶν βασιλέων, vt Georgius Cedrenus ait, loco quem infra excitabo: *Comitatus lateris Principis* dicitur, de his qui Principem procedentem lateri eius adhærentes eum comitan-

mitantur. Comitatus est *πρόοδος*, processio Imperatoris.

Hoc primum igitur, neque dum tamen inde intelligere satis possumus, quidnam hi in Comitatu Principis laterique eius adhærentes agerent. Igitur recte, primus, quod sciam, Hugo Papiensis, quod nos docent Accursius & Lucas de Penna *hic*, Præpositos labarorum accepit siue intellexit. Et vero antiqua scriptura *Laborum*, elisa vna Syllaba, hic positum videri possit pro *Labororum*, quomodo in *Pandectis Pisanis* passim vel *Laborum* λαβωρῶν Græca inflexione in Oriente, cui præerat Theodosius iun. *huius l.* Auctor, pro *Labororum* per Syncopem; quomodo *Deum* pro *Deorum*: *Præfecti fabrum* pro *fabrorum*. Certe Alciatus hic *Labororum* vocem substituit, quod voluit etiam Cuiacius, qui *Laborum* hic legendum contendit. Nos igitur de *Laboris*, vel *Labaris* istis videamus, mox de Præpositis eorum visuri. De *Labaro* vexillo a Constantino M. instituto monent satis historiæ Ecclesiasticæ scriptores, & in his Auctor de vita Constantini *lib. 2. cap. 8.* & Sozomenus *lib. 1. cap. 4.* qui eius formam vsumque describunt: nulla enim ante Constantinum eius mentio occurrit: Nam quod a Tertulliano & Minucio Felice, eius mentionem fieri quidam volunt, erroneum est: de *Cantabris* enim illi agunt, non de *Labaro*. Labarum vero istud *Laborum* quoque dictum. Apud Sozomenum certe *lib. 1. cap. 4.* variant Codices: alii quippe habent λάβαρον, alii λάβωρον. Sed & Turnebus *XV. Aduersar. cap. 16.* in vetusto Lexico *Laborum* inuenisse se testatur. Etsi in alio Onomastico, teste Stewechio *ad Vegetium lib. 3. c. 17.* occurrat *Vexillum Lavarum*. Sed & Aldhelmus *de laudib. virginitatis*: *Præmisso*, inquit, *Christi laboro tutus & Christi vexillo armatus*. Et in *Actis* secundæ synodi Nicænæ. *Iussit viros eruditos ex auro & lapidibus pretiosis in vexillum Crucis transformare, quod Laborum vocatur*. At cæteri *Labarum* vocant, vt Ambrosius *ep. 40. num. 9. Habebis Imperator* COMITEM (loquitur de Addeo Com. rei militaris per Orientem) *præuaricatorem, & huic vexilla committes victricia, huic Labarum, hoc est Christi sacratum nomine, qui synagogam instauret, quæ Christum nesciat: Iube Labarum Synagogæ inferri, videamus si non resistunt*. Et Prudentius, *lib. 1. contra Symmachum v. 486. seq.* vbi de Constantini M. aduersus Maxentium expeditione;

- - - Quali radiarint stemmate pila:
Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum.

Gregorius Nazianzenus *Laborum* maluisse videtur *prima στηλιτευτικῇ in Iulianum pag. 75. edit. Weidman.* non modo cum καμάτων λυτήριον, id est, *laborum leuamen & pausam* dixit, verum etiam vt ingeniosi ferme sunt Græci in appellationum exoticarum rationibus reddendis, cum inde diserte a Romanis appellatum scribit, καμάτων λυτήριον ὄν τε καὶ κατὰ Ῥωμαίους ὀνομαζόμενον: *laborum soluendorum vim habens, hincque apud Romanos nomen trahens*, vt proinde Nazianzenus a labore duxerit *Laborum*, velut laboris ὅρος, quod videlicet *Laborum* istud, seu Vexillum, vt quæque pars in acie laborabat in eam quasi auxilii vice & liberationis inferretur: quod sane Auctor vitæ Constantini & Sozomenus tradunt. Idem Nazianzenus, μέγα σύνθημα vocat, id est, vt etiam Scholiastes eius interpretatur, tesseram, qua hostes in fugam vertuntur. Baronius quoque a Latino *Labor* & Græco ὅρος deducebat. Putaret quis, a labore dictum, ideo quod magno labore magnisque viribus & sollicitudine opus esset ad id gestandum, vtpote quod graue esset variis ornamentis, vt de quibusdam militaribus signis memorat Herodianus, *lib. 4. c. 12.* verum & id inane est. Alii alias nominis rationes seu etymologias commenti sunt: & Gyraldus quidem tres: vnam ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, quod id magnum pietatis signum esset, quomodo Gregorius Cappadox: σημεῖον τῆς μεγάλης εὐλαβείας vocat: secundam, ἀπὸ τοῦ λαβεῖν, quod scilicet a Constantino fuerit captum Labarum. Tandem a Labara ciuitate Cariæ. Giselinus quod quasi labantia hastis appenderentur; Fullerus, quod res summi laboris esset Romanis Imperatoribus tutari signum illud. Fr. Iuretus a monte *Loubar*, cuius apud Epiphanium mentio fiat *in præludio totius operis de hæresibus*, quod ἀποβατήριον significat, nempe hinc Labarum dictum, quia exemptile erat & de conto suo descendebat facile. Quod recte refutat Fullerus *lib. 2. miscell. cap. 1.* vt & Petauius in *Epiphanium p. 5. & 282. 283.* Quidam inde, quod milites Labarum videntes, & eainde periculi sui moniti, clamarent *Labor, Labor*. Amaya nuper magnus alienorum scriptorum & laborum hauexarius ridicule adhuc magis, Hispanicam vocem nobis obtrudebat: *La vandera*: a qua cum *Labandarum* dici oportuerit, corrupto & breuiato nomine Labarum dictum fuerit. Vel eo nomine ridicule: quod *vandera*, quæ nostris *Bandiere*, a *Banda* dicta est. Ridiculi etiam, qui *præpositos eulaborum*, id est, negotiorum gestores interpretantur, vt & qui *labiorum*, a labiis, quod tales Præpositi corrigerent eos, qui de Imperatore male loquerentur: *Alii præpositos libellorum* substituunt. Dies me deficeret, si omnia recensere vellem, quæ pleraque ægri somnia sunt; nam & superiora pleraque missis postremis, eo tantum ferme fine a nobis allata sunt, vt appareat, Pag. 144
alios *Labarum*, alios *Laborum* dixisse, atque inde originationem traxisse: Alii denique Barbaram & exoticam vocem putant: Persicam nonnulli, alii Germanicam, vel Gallicam, quasi in Gallia Constantinus Christiana fide imbutus, hoc vexillum instituerit. Quibus ego facile accedo: analogia etiam vocis *Labor*, vnde *Laborum*: sic enim quoque video locorum vocabula siue Gallica, siue Germanica prisca, simili terminatione, *Robor, Arbor* (vnde & *Arbora*.) Quicquid huius sit, *Laborum* appellatione hic liquido Labara seu Labora sunt intelligenda: quod etiam sequentia ostendunt, partim de Præpositis Laborum, siue Labarorum, collata cum iis quæ ex *hac ipsa leg.* de his supra confecimus, partim de vexillo ipso procedente Imperatore semper præferri solito. Auctoris de vita Constantini *lib. 2. cap. 8.* hæc verba sunt: διὸ δὴ τῶν ἀμφ' αὐτὸν ὑπασπιστῶν, τοῖς καὶ σώματος ἰσχύι καὶ ψυχῆς ἀρετῇ, καὶ θεοσεβείας τρόποις ἐγκρίτοις, μόνῃ τῇ τοῦ σημείου διακονίᾳ προσκαρτερεῖν ἐκέλευσεν: ἦσαν δὲ ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν οὐχ ἧττους πεντήκοντα, οἷς οὐδὲν ἕτερον ἦν μόνον, ἢ κυκλοῦν καὶ περιέπειν δορυφορίᾳ τὸ σημεῖον, ἀμοιβαίως ἑκάστου αὐτὸ ἐπὶ τῶν ὤμων φέροντος. id est: *Quapropter iis qui* CIRCA IPSVM ERANT *Defensoribus* (Domesticis-protectoribus) *& corporis robore, & virtute animi, & pietatis institutis eximiis, vt in vexilli illius tantum ministerium incumberent, iussit: Erant autem viri numero non minus quinquaginta, quibus nihil aliud incumbebat, quam vt ambirent, & stiparent hastati vexillum istud, per vices singulis id humeris suis gestantibus.* Sozomenus *lib. 1. cap. 4.* καὶ ταῖς καμνούσαις φάλαγξιν ἐν ταῖς μάχαις παρεῖναι ἐκέλευε, φανερὸς τάξας τῶν δορυφόρων περὶ τοῦτο ποιεῖν, οἷς ἔργον ἦν ἕκαστον ἀμοιβαίως ἐπὶ τῶν ὤμων φέρειν τὸ σημεῖον, καὶ περιιέναι τὰς τάξεις τῶν πολεμίων. *Et legionibus, si qua forte ab hoste premerentur, in prælio adesse voluit: delectis ad id munus certis militibus, quibus hoc iniunctum erat, vt singuli per vices id signum humeris gestarent, & acies hostium circuirent.* Vbi vides Præpositos Laborum omnino describi: Nempe aiunt illi electos ab Imperatore, ex his qui circa ipsum erant ὑπασπίστους, δορυφόρους, domesticis protectoribus corpore

pore validos, virtute pietateque insignes, Laboro rantum rutando, perque vices ferendo quinquaginta numero, eique rei vnicæ Præpositos. Vbi notandum etiam pietate insignes electos, velut sacro vexillo præpositos. Quod Præpositos hos vexillum hoc κυκλῶν καὶ περιέπειν τὰ σημεῖον solitos ait Auctor vitæ Constantini, id testantur vateres nummi & lapides, vbi videre est Labarum istud stipantes δορυφόρους καὶ ὑπασπιστάς. Cæterum, vt iam notatum est, Præpositos hos Labarorum, Principis lateris Comitatus inlustrabat. Nam vt maxime Labari vsus in exercitu quoque esset, (de quo Ambrosius, Nazianzenus, Auctor vitæ Constantini, Sozomenos) attamen in Comitatu quoque Principis procedentis eius vsus solemnis erat: procedenti quippe Imperaturi id prælatum: quod testatur Sozomenus *lib. 1. c. 4.* σημεῖον δὲ τοῦτο πολεμικὸν τῶν ἄλλων τιμιώτερον, καθότι ἀεὶ τοῦ βασιλέως ἡγεῖσθαι, καὶ προσκυνεῖσθαι νόμιμο παρὰ τῶν στρατιῶν (στρατιωτῶν) id est, *signum vero istud militare aliis sanctius vel pretiosius ideo fuit, quod* SEMPER IMPERATOREM *antecedere & adorari a militibus consuevit.*

His igitur iam omnibus attente perpensis apertissime conficitur, vt Labara fuerunt vexilla, quæ procedente Imperatore ferebantur de quibus sensit & Claudianus *2. in Rufinum v. 366. Augustus veneranda prior vexilla salutat, Rufinus sequitur:* Ita Præpositos Laborum fuisse, qui e Domesticorum scholis, ab Imperatore electi Labori sollicitudinem & curam gerebant in Comitatu Principis, seu *procedente Imperatore*, circa Imperatoris latus incedentes. Quo pertinet etiam Georgii Cedreni locus *bistor. Compend. p. 135. T. XII. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* vbi vexilla describens, ait, ea longis suspensa contis gestantes circa Imperatoris latus incessisse, eumque sic protexisse: ταῦτα ἐξαρτῶντες ἐπὶ μακρῶν δοράτων κύκλῳ παραπορευόμενοι τῶν βασιλέων καταστέγουσιν αὐτούς. *Ea longis contis suspensa circa regem gestant, eumque ita tegunt.* Qua causa e Domesticis adsciti vel electi, vtpote qui circa Principem essent, & inter Palatina officia, viri validi, præstantes & eximii. Quæ cum ita sint, apparet, quod quidam tamen tradidere, Præpositos laborum, non esse eos, qui per *dignitates Comitum, laboribus Principis functi*, designantur *l. vn. inf. qui a præbit. Tyronum*. Ibi enim indicantur Comites similes alii Comitibus Archiatrorum, Comitibus stabuli, Curæ Palatii, Proximis scriniorum, Comitibus dispositionum, Decurionibus, Magistris admissionum. Non sunt item, quod Amaya nuper prodidit ad *l. 2. Cod. Iust. de excusat. mun. num. 28.* &c. Præpositi Laborum si qui ex Domesticorum schola essi non Decemprimi, ramen eum locus inter eos nullus vacaret, Decemprimis proximi, cum diu militassent, laborum ratione ab Imperatore Decemprimorum priuilegiis seu honoraria Decemprimatus dignitate decorabantur: vt ita dicti fuerint *præpositi Laborum* per ellipsin, pro *laborum causa, ratione, gratia, ergo*, relata eo quoque *l. vlt. sup. de domesticis*, ibi, *sed ita, vt inter eos sine dubia censeantur qui immunitatem sibi Laboribus redimerunt.* Hanc enim interpretationem & ellipticam locutionem respuit, vel ipsa *Præpositorum* vox: quæ vtique officii alicuius ἐμπράκτῳ vox est, qua necessario indicatur, eos alicui rei & officio præpositos fuisse: & inde *Præpositus Laborum*, Quod etiam sensum *d. l. vlt.* attinet, eum ibi vide. Denique quod addit de connexione *huius tituli* cum *superiore*, nos eam *supra* veram demonstrauimus. Pariter neque huc faciunt, Officiales Principis lateri proximi in militia & cohorte Prætoria, quorum meminit Hyginus *in Gromatico. p. 4. edit. Amstel. de anno 1660.*

De cæteris, quæ ad *Labarum* pertinent, plura non addo. Nisi quod quidam nuper *parte 2. libertatis Ecclesiæ per Constantinum, cap. 15.* in Labaro deprehendere se aiebat, Romam ibi designari, vel certe orbem totum Romanum. Nimis callide: Circulus enim qui in Labaro sub litera P. Græca extat, non est aliud quam pars suggestus imaginum, vt in hastili: sub quo litera X. latet: denique litera X. circulo inclusa intra hastile cum litera P. efficit nomen Christi.



P. 145.

DE PROXIMIS, (a) COMITIBVS DISPOSITIONVM, CÆTERISQVE QVI IN SACRIS SCRINIIS MILITANT.

TITVLVS XXVI.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XIX. *De proximis Sacrorum Scriniorum cæterisque*, &c. De qua Rubricæ mutatione ad *l. 4. h. t.*

(a) Ita recte *domestici*; quare nil opus coniunctiua, *&*, quam hic omissam putabat Gutherius, *3. de off. dom. Aug. 7. p. 564. edit. Lips.*

Respondetque huic, *titulus 11. supra de Magistris Scriniorum.*

PARATITLON.

SCRINIA simpliciter, *l. 1. 14. h. t. l. 7. de priuil. eorum qui in S. Pal. l. 2. infr. de Commeatu, l. 21. infr. de cohortalib. l. vn. supr. de Magistris Scrinior. l. vn. qui a præbit. tyronum, l. 29. de hæreticis*, plenius dicuntur, & Sacra Scrinia. *Rubr.* & *l. 3. 5. 6. 7. 15. & 17. h. t.* & *l. 54. 65. infr. de appellationibus, l. vlt. sup. de honor. Codicillis*, Scrinia perennitatis nostræ,

ftræ, *l. 3 infr. ad leg. Cornel. de falsis.* & Symmachus *lib 10. epist. 37.* Scrinia Palatina, Symmachus *d. lib. 10. epist. 34.* Augusta Scrinia, *epist. 46.* Sacra, (*lib. 1. epist 88*) Scrinia nostra Principis, *l. 1. 9. 11. h. t.* & *l. vn. sup. de Magistris Scrinior. l. 1. infr. de priuil. eorum qui in S. Pal.* Ea vero modo quatuor numerabantur, *l 1. 12. h. t.* modo tria tantum, *l. 17. h. t.* (exclufo videl. vel præterito, & oppofito illis Scrinio difpofitionum quod quartum erat, vt *l. 4. 7. 8. 9. 10. 16. 17. hoc tit*) Cætera tria Scrinia erant, Memoriæ, *l. 1. 4. 7. 12 16.* & *17. h. t.* (vnde & Memoriales *l. 2. inf. de priuil. eorum qui in Sacro Pal.* apud Ambrof. *epist. 20. n. 7. p. 854. edit. Benedict.* & memorialium Scrinia, *dict l. 21. infr. de cohortalib.*) epiftolarum, *d. l. 1. 4. 7. 12 16.* & *17. h. t.* & libellorum, *dictis legibus.* Quartum igitur erat, difpofitionum; *l. 1. 2. 9. 10. 12.* & *18. h. t.* quod vt fæpe a tribus prioribus feparabatur, ita ab Arcadio illis æquatum: vt *l. 7. 8 9. 10.* & *12.*

II. Hæc Scrinia omnia erant fub difpofitione Magiftri officiorum, vt præter Notitiam Imperii, *in Magistro officiorum*, teftantur infcriptiones *l. 6. 11. 17. h. t.* & *d. l. 2. infr. de commeatu: l. 29. de hæreticis*, & *l. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14* & *15. Cod. Iust. eod. tit.*

III. In his Scriniis qui erant, laborare dicuntur; *l. 1. h. t.* militare, *l. 5. 7. 15.* & *16. h. t. d. l. 7. de priu. eorum qui in S. Pal.* Vnde & militia Scriniorum, *l 7. 8. 9. h. t.* & Symmacho *lib. 7. ep 124.* Sacrorum Scriniorum fudores, *d. l. vlt. sup. de honor. Codicill.* obfecundatores facrorum fcriniorum, *l. 3. h. t.* Eorum nominatim qui in tribus prioribus Scriniis militabant, mentibus & ingeniis Principes committebant, quidquid Sanctionum proferebant, *l. 3. h. t.* feu peragendis & fignandis refponfis Principi ibidem obfecundabant, *l. 14. de extraord. mun.* Qui vero in quarto Scrinio, Difpofitionum puta, militabant, ab iifdem difpofitionum Principis norma & feries feruabatur; *l 9. h t.* Ad eadem mittebantur ante Indictionis exordium breues erogationis a fufceptore faciendæ: & poftea alii breues erogationis factæ: *l. 24. de erog. mil. an.* Ad ea miffæ Relationes & opiniones cum refutatoriis & Inftructionibus neceffariis, *l. 32. 34.* & *65. de appellat.* In his Scriniis hæretici militare prohibiti, *l. 29. de hæreticis.* *Priuilegia* porro his varia tributa: Primo immunes erant a cunctis muneribus fordidis & perfonalibus, ab extraordinariis collationibus, nec militiæ tantum tempore, fed & poft militiam, *l. 3. 14 15. h. t* & *l. 1. 3 infr. de priuileg. eor. qui in S Pal.* & *d. l. 14. de extraordinariis mun.* & *l. vn infr. qui a præbit. tyron.* Secundo Iudicum Ordinariorum fecretaria iis fponte fine vllo nuncio ingredi, cumque his fedendi ius erat, *l 5. 7.* & *16. h t.* Tertio fi XV. annis in Scriniis laboraffent, a Curiali neceffitate liberabantur, *l 1.* & *7. in pr. h. t.* Quarto fi viginti annis, impertito otio, confulari dignitate inter Adlectos honorabantur, fic vt ab omnibus oneribus immunes effent, *l. 7.* & *8. h. t.* Vide & aliud priuilegium, de quo *l. vlt. sup. de honorar. Codicill.* & *l. 12. sup. de Senatorib.* De pœna emanentis fex menfium fpatio fupra commeatum, v. *l. 2. infr. de commeatu.*

IV. His porro qui in tribus prioribus Scriniis militabant, præerant, qui MAGISTRI *Scriniorum* dicebantur, de quibus fuit titulus *supra de Magistris Scriniorum.* His proximi
P. 146 erant, qui PROXIMI SCRINIORVM dicebantur: *l 2. 4. 6. 10 13. 17.* & *18. seu. vlt. h t.* qui & in capite conftituti dicuntur, *l. 11. h. t.* eorumque gradus vltimus in fcriniis (id eft, fummus) *d. l. 14. de extr. mun.* Hinc honor proximi, *l. 14. h. t.* Proximatus fplendor, *l. 4. h. t.* gradus proximorum, *l. 17. h t.* & Proximatus, *l. 11. 17. h. t.* & *l. 12. sup. de Senatoribus:* Quo per ordinem fuccedebant, *l. 11. h t.* ordine meritoque ftipendiorum, *l 17. h. t.* Vnde laboris præmium, *l 11. in fin.* Promotionis autem huius dies ab Honorio & Theodofio Iuniore conftitutus Genuinus natalis fuus (id eft, quo die natus erat,) *l. 11. 17. h t.* Hi *Comitum* dignitate ornabantur, *l. 17. 18. h. t.* vide & *l. 14. infr. de extraord. munerib.* Vnde Comitiua proximatus, *l. 11. h t.* Primo quidem tertii ordinis, fecundi poftea, *l. 17. h. t.* fic vt veftis eis a Comite S. L *ex intexto* (ita lego) ex largitionibus præberetur: *l. 18. seu vlt.* Triennio primum ea militia conclufa, *l. 3. infr. de Palatinis S. L.* biennio poftea *l. 6 h. t.* anno demum, *l. 11. 17. h. t.* *Deposita* item militia, *l. 13 h. t.* feu poft depofitum actum, *l. 17 h. t.* e Palatio exeuntes, *l. 2 h. t.* ex-Proximis denique, *l. 12. h t* primo Clariffimis adgregabantur, *l. 2. 12. h. t.* Secundo, Præfecti Prætorio Vicariis æquabantur, *l. 2. 4 10. 11. 17. hoc. tit.* & *l. 12. sup. de Senatorib. & glebali coll.* & *l 19. inf. de Palatinis:* tertio ad Comitatum Principis fine euectione venire poterant, *l. 14. h. t.* quarto immunes erant a glebali collatione, non tamen feptem folidorum, quæ tenuiffimos Senatorum folebat obligare, *l. 12. 14. h. t.* imo & feptem folidorum, *d. l. 12. sup. de Senatorib.* a Prætura, *l. 13. h. t.* a fordidis muneribus, fuperindicto, venalitio, extraordinariis collationibus, temone; equorum, tyronum præftatione: *l. 3. 14. h. t.* & *d. l. 14. inf. de extraordin. munerib.* & *l. vn. inf. qui a præbit. tyron.* ab omni functione, *d. l. 12. sup. de Senatorib.*

V. Hos fequebantur MELLOPROXIMI, qui a Proximo proximi erant, & fequenti anno proximi futuri: *l. 16. 17. h. t.* Poft hos inter alios erant EXCEPTORES, *l. 16 h. t.*

VI. In fcrinio Difpofitionum Primi quoque erant *Magistri Dispositionum l. 1. h. t.* qui & primi Difpofitionum dicuntur, *l. 14. h. t.* Hi non cum Magiftris fcriniorum cæterorum, verum cum Proximis coniungebantur, iureque & honore eodem fruebantur; *l. 2. 10 12 14. h. t. l. 12. sup. de Senatoribus: l. vn. qui a præbit. tyronum.* Hi fcilicet pariter vt proximi fcriniorum Comitum dignitate ornabantur, *d l. 10 h. t.* fecundi ordinis, *l. 18 seu vlt. h. t.* Hinc adeo Comites difpofitionum *Rubr.* & *l. 10. 12. 18. seu vlt. h. t. d. l. vn inf. qui a præbit. tyronum:* Comitiua primi Difpofitionum, *l. 14. h. t.* Comitiua Difpofitionum, *d. l. 12. sup. de Senatorib.*

I. (a) Imp. Iulianus A. ad Secundum PP. (b)

IN rebus, (c) prima (d) militia est: secundus, in literarum præsidiis (e) pacis ornatus: ideoque Scriniorum (f) Nostrorum merita perpendentes, secundum (g) eis in priuilegiis locum tribuimus, Vt omnes qui quindecim annis in Scriniis laborauerunt, Memoriæ, ac Dispositionibus, (h) Epistularum ac Libellorum, licet patre vel auo ceterisque maioribus (i) Curialibus orti ac prodici (k) sint, tamen ab omni hac (l) necessitate habeantur immunes, nec ad Curiam reuocentur. Dat. VII. Kalend. Octob. Antiochiæ, Acc. V. Id. Nouemb. Naisis, (m) Mamertino & Neuitta V.C. CONSS. [362.]

NOTAE.

(a) Abest hæc lex a Cod. Iust. Memoratur & confirmatur ab Arcadio *l. 7. infr.* *GOTHOFREDVS.*

(b) De hoc *Secundo* PP. V. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) Nihil hic immutandum: de quo mox. *IDEM.*

(d) *Prærogatiuam partis armatæ* dixit Sidonius Apollinaris *lib. 1. ep. 9.* *IDEM.*

(e) *Præsidia* literarum, de quo mox. *IDEM.*

(f) Atque adeo Scriniariorum, seu in Scriniis militantium. *IDEM.*

(g) *Secundus* locus literatæ militiæ tribuitur: de quo mox. *IDEM.*

(h) Nihil hic mutandum: *Laborare militiæ & dispositionibus*, idem quod laborare in Scriniis memoriæ, Dispositionum Sic & *Dictator memoriæ*, ὑπαγορευτὴς τῆς μνήμης, Dictare ad memoriam, Vopisco *in Caro. cap. 8.* *IDEM.*

(i) *Maiores ceteri*, vltra patrem & auum. *IDEM.*

(k) Id est, Editi, prodierint. *IDEM.*

(l) *Curiali*: de qua in integra constitutione agebatur: & paulo ante mentio facta fuit. *IDEM.*

(m) Si *Naissum*, quæ vrbs erat Daciæ Mediterraneæ, hic accipimus, tum Secundus, cui hæc lex inscribitur; PP. *Illyrici* fuerit hoc tempore. Verum de hoc Secundo PP. qui & Sallustius, amplius inquirendum. *IDEM.*

P. 147

COMMENTARIVS.

IVLIANI hæc constitutio est, qua definitur: Scriniarios quatuor scriniorum quindecim annorum militia, id est, si quindecim annis in scrinio aliquo ex his militauerint, licet origine CVRIALES, Curia Curialique nexu liberari. Quam Iuliani constitutionem memorat simul & firmat Arcadius Imp. in *l. 7. inf. h. t.* Quindecim annis, inquit Iulianus, cum Constantius Imp. constitutione sua huic rei viginti annos præstituisset, ante octo annos, *l. 1. inf. de Agentibus in rebus.* Quomodo & alias sæpe certo annorum decursu Curialis conditio euitari olim potuit: de quo plenam fidem faciet titulus *infra, de decurionibus.* Nos de *hac* Iuliani *leg.* videamus, vbi varia notanda explicandaque sunt.

Primo notandum, Iulianum *hac l.* in specie proposita Curiæ euitandæ tempora contrahere: pariter, vt alter a *l. 2. inf de Agentibus in rebus*, quæ & ipsa ad eundem Secundum PP. data est: Cum alias Iulianus Curiis plurimum fauerit, vt fidem faciunt *lex 52. inf. de Decurionibus*, *lex 4. inf. de Lustrali collat. lex 51. & 52. ead. tit. de Decurionibus*: & ea, quæ narrat Libanius, *Orat. funebri in Iulianum*, *p. 296 297. edit. Morell.* cuius verba profero ad *l. 48. de Decur.* & Am. Marcellinus non vno loco, ac maxime *lib. 22. c. 9.* *Illud*, inquit, *amarum & notabile fuit, quod ægre sub eo a Curialibus quisquam appetens, licet* PRIVILEGIIS *&* STIPENDIORVM NVMERO, *& originis penitus aliena firmitudine communitus abstinebat æquissimum, adeo vt plerique territi emercarentur molestias pretiis clandestinis.* Tandem & Zosimus *lib. 3. cap. 11. in fin.* Imo & fidem faciunt ipsiusmet Iuliani scripta, de quo ad *d. l. 52.* Et hic tamen, vt & *d. l. 2. inf. de Agentib. in rebus*, videre licet, *Priuilegio* literarum (qua *priuilegii* voce etiam hic vtitur) & *stipendiarum* numero scriniariorum a Curia immunitatem obtinere.

Verum ipse in specie *huius leg.* (quod *hic* secundo loco notandum) rationem eius facti præmittit: *In rebus*, inquit, *prima militia est: secundus in literarum præsidiis pacis ornatus: ideoque scriniorum nostrorum merita perpendentes secundum eis in priuilegiis locum tribuimus.* Ait, in *rebus*, vbi nihil mutandum, id est in rerum actu, publicisque actibus. Quo sensu, Agentes quoque ipsi in rebus dicuntur, quibus scilicet negotiorum & actuum publicorum executio iniungebatur: vid. *l. 4. 11. 15. inf. de Agentibus in rebus: l. 4. & 7. inf. de executoribus.* Imo & Agentes rerum dicti a Sexto Aurelio Victore Schotti *cap. 39.* Eodem sensu Vopiscus *rem Romanam* dixit in *Vita Probi cap. vlt.* *Posteri*, inquit, *Probi vel odia inuidia, vel timore Romanam rem fugerunt, & in Italia circa Veronam ac Benacum ac Larium, atque in his regionibus larem locauerunt.* (Horatius pro eo dixisset, *procul a negotiis recesserunt.*) Quare coniecturam CL. V. minus probo, qui *Romanam regionem* ibi restituerunt; de quo alibi. Ergo ait Iulianus, primam esse militiam in rebus; vnde apparet, armata militia indubie, Curialem conditionem euitari tum certo stipendiorum numero potuisse: quod Constantii quoque lex ostendit, *l. 38. inf. de Decurionib.* vt & deinceps obtinuit, de quo *tit. de Decurionib.* & nominatim *ad eam leg.* & ad *l. 6. inf. de re militari:* sic quidem etiam vt citeriore annorum numero milites a curiali conditione liberarentur, & quidem quinque annorum aliquando ex *dicta* Constantii *l. 38.* & deinceps, *d. l. 6.* &c. Et in eo quoque *prima militia* fuit, potiorque. Quomodo & Sidonius Apollinaris *lib. 1. ep. 9.* *Prærogatiuam partis armatæ* dixit. Secunda vero ratio, *secundum priuilegium, secundus in literarum præsidiis pacis ornatus consistere* dicitur a Iuliano. Quo discimus, vt propensum in commune Iulianum in studia affectum, de quo alibi, *tit. de medicis & professorib.* ita speciatim erga scriniarios simul & eorum officium: Sic sane & *l. 8. Cod. Iust. eod. tit.* Proæmio scriniorum literata militia tribuitur: & Symmachus *lib. 7. ep. 124.* *Fungitur militia in scriniis literarum.*

Quindecim igitur annorum seu per tria lustra (quod & postea in armata militia cautum a Valentiniano Iun. *l. 95. inf. de Decurionibus*) militia in scrinia curiam euitari posse, definit *h. l.* Iulianus; in hac quoque re a Constantio diuersus, quod hic Tertio notandum: Nempe & alias solemne illi a Constantio dissentire in *Legibus*, vt patet vel ex *l.*

vn.

vn. sup. de dominio rei qua poscitur, & *l. 3. sup. de contrah. emptione:* vbi dixi plenius.

Illud Quarto obseruandum, hac in re æquari *Dispositionum* scrinium cæteris tribus: cum alias sæpe discreparet: dequo ad *leges sequentes.*

Et quidem ita, quod Quintum, vt proximo seu secundo a scrinio memoriæ loco, ante epistolarum & libellorum, ponatur, cum alias ferme vltimo loco nominetur, vt *l. 12. infr.* vel ab aliis separetur.

Tandem *hic* semel agendum de hoc Dispositionum scrinio, vnde dictum id fuerit, quæque eius partes in rebus seu in rerum actu fuerint. Ergo *dispositiones* hic non sunt διατάγματα, διατάξεις, constitutiones, sanctiones pragmaticæ, Edicta, (quomodo alias generali dispositionis voce hæc quoque intelliguntur, vt *l. 13. 15. Cod. Iust. de proximis sacror. scrin. l. 23. §. 8. Cod. eod. de nuptiis. Nouella Valentiniani inter Theodosianas 41. 2. de Tyronibus, de Pantapolis 40. l. vlt. Cod. de fructibus & lit. expens.*) verum alii Principis actus in Republica extra Legum Sanctiones, Adnotationes, Responsa ad Legationes & Consultationes & ad Libellos, Cognitiones, quæ omnia a tribus aliis scriniis, memoriæ. libellorum, epistolarum tractabantur; βασίλειαι ἐκθέσεις (vt vocantur in *Notitia Imperii*, quomodo eam nos restituimus iam ad *l. vn. sup. de Magistris scriniorum.*) Quid igitur? In his erant Prouisiones ferme annonariæ, dispositiones itinerum Principis, & expeditionum, de ordinandis Magistratibus & officiis publicis, quæque Princeps sibi peragenda proponebat. Hoc omnino sensu Dispositionis vox apud Lampridium *in Alexandro* Seuero *cap. 45. Expeditiones bellicas habuit, de quibus ordine suo edisseram. Primum tamen eius consuetudinem dicam de rebus vel tacendis vel prodendis. Tacebantur secreta bellorum: itinerum autem dies publici proponebantur, ita vt Edictum penderet ante menses duos in quo scriptum esset: Illa die, illa hora, ab vrbe sum exiturus; & si dii voluerint in prima mansione mansurus: deinde per ordinem mansiones, deinde statiua, deinde vbi annona esset accipienda: Et id quidem eo vsque quamdiu ad fines Barbaricos veniretur: Iam enim inde tacebatur, & omnes ambulabant, ita ne* DISPOSITIONEM *Romanam Barbari scirent. Certum est autem eum nunquam id quod* PROPOSVERAT, *fefellisse, cum diceret, Nolle ab Aulicis suas vendi* DISPOSITIONES: *quod factum fuerat sub Heliogabalo, cum ab eunuchis omnia venderentur: quod genus hominum idcirco secreta omnia in Aula nosse cupiunt, vt soli aliquid scire videantur, & habeant vnde vel gratiam vel pecuniam requirant. Et quia de publicandis* DISPOSITIONIBVS *mentio contigit, vbi aliquos voluisset vel*
P.148 *Rectores Prouinciis dare, vel Præpositos facere, vel Procuratores (id est Rationales) ordinare, nomina eorum* PROPONEBAT, *hortans Populum, vt si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret pœnam capitis*, &c. Hoc sensu Dispositiones apud Capitolinum *in Gordiano Tertio, cap. 28.* de Misitheo: *Cuius viri tanta in Republ. dispositio fuit, vt nulla esset vnquam ciuitas limitanea qua non posset exercitum P. R. ac Principem ferre: qua totius anni in aceto, frumento, & larido, atque hordeo & palea condita non haberet:* & mox, *cap. 29. Tantum habuerat conditorum, vt vacillare dispositio Romana non posset.* Eodem sensu Vopiscus in Aureliano. *cap. 47.* Eodem Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 7. Antiochensi plebi suppliciter obsecranti, vt inedia dispelleret metum, non* DISPONI *quidquam statuit, vel ex prouinciis alimenta conferri constituit.* Et *lib. 19. c. 11.* vbi de Anatolio PP. Sidonius Apollinaris ad PP. Galliarum *lib. 7. ep. 12. Prætermissa Attilam Rheni hostem, Thorismodum Rhodani hospitem, Aetium Ligeris liberatorem, sola te* DISPOSITIONVM *salubritate tolerasse.* His adde & *l. 10. inf. de extraordinar. mun. l. 8. inf. de operib. publicis: l. 6. & 10. inf. de nauicular. l. 3. in fin. inf.* & *l. 15. de cursu publico: l. vlt. circa fin. de conlat. donat. l. 15. 43. de Episcopis.* Scrinium igitur dispositionum erat, in quo, vt expresse loquitur *lex 9. inf. hoc tit.* Principis dispositionum norma & series seruabatur, seu disposita in Republ. a Principe pro vrgentibus rerum necessitatibus: sicvt quotidiani eo ferme Principis in Republ. actus, destinata, dispositiones continerentur: Quorum ea multitudo fuit, vt proprium earum scrinium esset, cui & Magister seu Comes peculiaris fuit, & varii sub eo scriniarii. Sic eodem sensu *Numerariis PP. dispositiones* tribuuntur; vt Flamonia Municipibus, Arcariis pondera, mensuræ Allectis, Salaria Tabulariis, a Sidonio Apollinari, *lib. 5. epist. 7.* quia scilicet Numerarii omnia commonitoria, præceptiones, euectiones, publica instrumenta, quibus de prouincia DISPONEBATVR, conficiebant, vt exerte docet *lex 10. Cod. Inst. de Numerariis:* SCRINIISQVE inseruiebant, vt testatur *lex 8. inf. de Numerariis*, de quo plenius *suo titulo.* Vnde iam patet, quam male Pancirolus aliique deinceps hos cum Referendariis miscuerit.

Ex superioribus omnibus iam conicere licet, quale scriniariorum dispositionum munus fuerit, & cur diuerso sæpe & inferiore iure quam cæteri fuerint: quia trium priorum literata proprie militia fuit, seu hos potissimum studiis eruditos oportuit, ad Principis constitutiones videlicet responsaque formanda, epistolas scribendas: hos vero non adeo. Quam in rem elegans est *lex 8. Cod. Iust. de proximis sacrorum scriniorum. Proximos sacrorum scriniorum, quos fides ac diuturnæ obseruationis industria,* LITERATAQVE *militia: Comitem quinetiam Dispositionum, quem* PROBITAS *ac* STRENVITAS *merito commendant:* Ergo in Proximis *Literarum studia & eruditio*: in Comitibus dispositionum, *probitas & strenuitas:* quod dispositionum natura vnum requirit.

Postremum, quia hæc prima de scriniis & scriniariis *lex* occurrit, age cumulemus nunc Auctores qui horum scriniorum, & scriniariorum, & Magistrorum meminere. Spartianus *in Vero cap. 4.* Iulianus, *ep. 25. ad Iudæos:* Lampridius *in Alexandro cap. 15.* Aurelius Victor *de Cæs. cap. 20.* Am. Marcellinus & Symmachus *variis locis:* Notitia *Imperii, f. 62.* Sidonius Apollinaris *Panegyr. 5. v. 570.* Post omnia vide & quæ supra diximus *tit. de Magistris scriniorum.*

II. (a) Imppp. GRATIANVS, Valentinianus, & Theodosius AAA. ad Valerianum. (b)

CLARISSIMOS viros Proximos scriniorum (c) & Magistros (d) dispositionum Vicariorum ordini copulamus; ita, (e) vt prior (f) aliunde (g) prouectus (h) Palatinis honorariis præferatur, vt (i) prius e (k) palatio cum huiusmodi dignitate dimissus, prior em locum aliis post etiam vera administratione venientibus sortiatur. Dat. IV. Kal. April. Med. Syagrio & Eucherio CONSS. [381.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a Cod. Iust. indicat hanc *leg.* Valentinianus Iun. *l. 13. inf. de priuil. eorum qui in S. Pal.* Iungendaque ei *lex 2. sup. de Primicerio & Notariis*, & *lex 5. sup. de bonor. codicill.* GOTHOFREDVS.

(b) *Valerianus* hic P. V. Romæ fuit A D. 381. cui præter hanc *leg.* & duas illas inscribitur adhuc *lex 2. de equis Curulib. lex. 6. 7. 8. de scenicis.* IDEM.

(c) Trium scilicet memoriæ, epistolarum, libellorum. IDEM.

(d) *Magistri* dispositionum *h. l.* qui alias Comites dispositionum: de quo mox. IDEM.

(e) *Ita quidem.* IDEM.

(f) Putabam aliquando *prius*, verum hoc retinendum. IDEM.

(g) Quam ex scriniis. IDEM.

(h) Retinenda vox hæc, neque mutanda in *prouectis*: *prouectus* autem, ad Vicariatus administrationem. IDEM.

(i) γρ. *At.* IDEM.

(k) Igitur Proximatu tantum scriniorum, & Magisteria dispositionum exeuntibus hæc dignitas collata hoc tempore: verum postea aliter *l. 4. in f.* IDEM.

COMMENTARIVS.

GRATIANI Imp. hæc *lex* est, quam & Valentinianus frater eius Iun. indicat firmatque *l. 13. de priuil. eorum qui in S. Pal.* qua honoraria VICARIORVM dignitas Proximis scriniorum & Magistris dispositionum, e Palatio seu officio exeuntibus, confertur: Quæ quidem *lex* pars est prolixioris Gratianeæ constitutionis de Honorariis codicillis & dignitatibus, tum Palatinorum, tum extra-Palatinorum: e qua duæ præterea Leges hoc Codice occurrunt: puta *lex 2. sup. de Primicerio & Notariis* & *lex 5. sup. de bonorar. codicillis*, quæ proinde *huic* coassandæ veniunt. Vicariis ergo æquati Proximatu vt & Magisteria seu Comitiua dispositionum functi: quod præter *hanc leg.* definitur & indicatur quoque *l. 4. 10. 11, 17. inf. h. t.* & *l. 12. sup. de Senatorib. & glebali*
P.149 *collat. l. 19 inf. de Palatinis S. L.*

Ita quidem (quod secundo loco hic notandum) vt qui finis *huius L.* est, eum iis, qui reuera Vicariarum administrarunt de tempore certent, id est, si priores e Palatio cum hac dignitate discesserint, post etiam vera administratione venientibus præferantur. Quod & ipsum generaliter de Palatinis cum dignitate e Palatio exeuntibus *hac leg. vers. ita vt:* tribuitur, puta, vt Honorarii huiusmodi cum ἐμπράκτοις tempore certent: Et vero *d. L. 2. sup. de Primicerio & Notariis*, quæ vt dixi eiusdem constitutionis pars est, alterum eius rei exemplum notatur in Primiceriis, Secundoceriis, Notariis & Tribunis, Domesticis & Notariis: qui de Consistorio cum dignitate aliqua honoraria exeuntes, ita ἐμπράκτοις æquantur, componuntur, vt nihil nisi tempus intersit, etsi priores fuerint, anteferri iubeantur. Quod in extra Palatinis secus est: Et vero nominatim definitur *d. l. 5. sup. de bonor. codicillis*: quæ & ipsa *huic* coassanda est: puta vt extra Palatium constituti si codicillis Proconsularibus, vel epistolis Vicariorum, vel insignibus Consularium emendicatis atque adsimulatitiis vestiantur, his quos administratio vel militia prouexit, postponantur. Et ita quidem etiam duæ hæ *leges* cum *hac* nostra iunctim legendæ constituendæque sunt

Cæterum (quod Tertium *hic* obseruandum) Vicariatus dignitatem Proximis scriniorum & Magistris dispositionum *hac l.* ita conferri, vt conferatur demum e Palatio dimissis, atque exinde computetur: pariter vt Primiceriis Notariorum, &c. *d. l. 2. sup. de Primicerio & Notariis.* Verum postea ab ipso Proximatus & Magisterii indepti initio: *l. 4. 10.* vbi dicam: pariter vt in Notariis ab ipso Primiceriatu, &c. *L. 2. supr. de Primicerio & Notariis.*

Illud quarto loco notandum ex *hac l. Magistros* quoque dispositionum dictos (qui alias Comites dispositionum dicuntur *Rubr.* & *L. 12. 14. 18. seu vlt. h. t. l. vn. inf. qui a prabit. tyronum*, & *L. 12. sup. de Senatorib. & glebali collat.*) Quod tamen Cuiacius negabat: de quo iam quoque *ad tit. de Magistris Scriniorum.*

Et hi tamen, siue Comites, siue Magistri dispositionum, (quod *Quintum*) etsi nomine conuenirent cum cæteris Scriniorum Magistris, attamen iure & dignitate differebant: neque enim cum his æquabantur, verum cum Proximis, id est, qui proximo post Magistros loco erant: quod præter hanc *leg.* docet *L. 10. 12.* & *14. h. t. l. 12. sup. de Senatorib. l. vn. qui a prabit. tyronum.*

III. (a) Idem AAA. ad Hypatium PP. (b)

OBSECVNDATORIBVS sacrorum Scriniorum (quorum mentibus ingeniisque committimus, quidquid in alios quoque (c) perentium sæpe proferimus sanctionum) (d) equorum, (e) ad (f) militare subsidium, ab Honoratis (g) proxime (h) venire (i) iussorum, missam (k) faciamus. (l) Nullis igitur vel ætate præsenti, vel in relicum, (m) tale si quicquam emerserit, aut Equorum oblationibus, aut quibuscunque præterea, de collatiuo (n) omnium, postulatis, parere cogantur. Dat. XVIII. Kal. Ian. Patavi, Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a Cod. Iust. IDEM.

(b) Hypatius hic PP. fuit A. D. 382. 383. Meminit Am. Marcellinus *lib. 29. c. 2.* ad eundem exstat Gregorii Nazianzeni *ep. 192.* IDEM.

(c) Puter quis hoc legitimum, hoc sensu, scriniariis committi sanctiones, non modo quibus priuilegii aliquid his defertur, verum sanctiones quæ in alios quoque proferuntur. Verum malim *Aliosque que.* IDEM.

(d) *Sanctiones* λεξίους in Notitia Imperii. *f. 62.* IDEM.

(e) V. *l. 15. inf. de extraordin. f. sordid. mun.* IDEM.

(f) De hoc loco mox. IDEM.

(g) De *Honoratis* dixi semel ad *l. vn. sup. de off. Iudic. ciuil.* v. & *l. 13. infr. de Agentibus.* IDEM.

(h) V.

(h) V. *d. l.* 15. *IDEM.*

(i) *Venire* ab Honoratis, id est, conferri, transmitti ab his. *IDEM.*

(k) De hac voce *Missa*, mox. *IDEM* Deesse hic *oblationem*, coniiciebat Cuiacius. *RITTER.*

(l) Ferri potest: nisi cui magis placeat, *facimus.* *GOTHOFREDVS.*

(m) *In reliquum*, id est posthac, de cetero, deinceps. *IDEM.*

(n) *Collatiuum*, pro collatione: de quo mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iun. hæc constitutio est (pariter vt *lex 5. inf.*) qua scriniariis IMMVNITAS tribuitur ab extraordinariis muneribus & collationibus, veluti ab equorum collatione, quæ extra ordinem Honoratis ad militiæ subsidium indici quandoque solet, & vero hoc tempore indicta fuerat, de qua collatione & immunitate sunt infra peculiares tituli, *de equorum collat.* Item *de oblatione equorum*, & tertius qui *a prabitione equorum vel Tyronum.* De eadem vero scriniariorum immunitate est quoque *lex 14. 15. infr. h. t.* & *l. vn. inf. qui a prabit. Tyronum.* Et similis *l. 2. inf. de priuil. eorum qui in S. Pal.*

In *hac* vero *leg.* quatuor notanda sunt. Primo, pro rerum necessitate, Honoratis quædam iniungi solita (de quibus Honoratis semel dixi ad *l. vn. sup. de off. Iudic. ciuil.*) veluti equorum collationem, tyronumque publicorum, item munerum sollicitudinem, vt præter hanc *leg.* & *d. l. 14.* docet *lex 2. sup. de decur. & silentiariis*: *l. 13. inf. de Agentibus*: *l. 7. 15. 18. 20. inf. de tyronib.* *l. 1. inf. de milit. veste.* *l. 4. inf. de susceptoribus.*

Et vero (quod secundum) hoc tempore equi exacti ab Honoratis propter Illyricianæ expeditionis necessitatem, vt ostendit *lex 15. inf. de extraordinar. mun.* quæ hoc ipso anno 382. & mense ad eundem Hypatium PP. data est: De qua videndus quoque Zosimus *lib. 4. cap. 32. 33. 34.* Huius nempe expeditionis gratia Theodosius M. Imp. hoc tempore Gratiani & Valentiniani collegarum suorum in
P. 150 Imperio subsidium implorare coactus fuerat: quare a Valentiniano Iun. in id equorum collatio indicta Honoratis: Nisi putemus, Valentinianum Iun. proprio imperio tutando aduersus Marcomannos, Quados, Iuthurgos hoc tempore Rhetiæ & Illyrico infestos hanc Equorum collationem indixisse. Vtcunque sit, hæc illa expeditionis Illyricianæ necessitas est, de qua *dict. l. 15.* & *18. infr. de extraordinar. mun.*

Tertio obseruanda est scriniariorum descriptio *h. l. Obsecundatoribus*, inquit, *Sacrorum Scriniorum, quorum mentibus ingenijsque committimus, quidquid in alios quoque perennium sæpe proferimus sanctionum.* Quibus verbis continetur Scriniariorum munus: pariter vt *l. 14. infr. de extraordinariis mun.* *Eos*, inquit, *qui ibidem peragendis signandisque responsis nostra Mansuetudini obsecundant.* Quæ *Notitia Imperii* sigillatim explicat *fol. 62.* *Magister*, inquit, *memoria Adnotationes omnes dictat & emittit, & precibus respondet: Magister epistolarum, Legationes ciuitatum, Consultationes & preces tractat: Magister libellorum cognitiones & preces tractat.* Ergo obsecundatores sacrorum Scriniorum, sunt, qui in scriniis operam nauant, scriniarii omnes: quanquam speciatim hic designari videantur Magistri ipsi trium scriniorum, quandoquidem agitur hic de collatione extraordinaria quæ ab Honoratis exigebatur, cum quibus ambulabant Magistri: pariter vt *l. 14. infr.* Et tamen crediderit quis de omnibus scriniariis id accipiendum, pariter vt statuitur *l. 15. infr.* arg. *l. vn. inf. qui a prabit. tyr. vel equorum.* & illorum quæ modo expendimus quoque verborum. Postremo obseruandum totam hanc *leg.* stylum Barbarum, vel saltem Gallicanum cothurnum vtique spirare, sic vt ea Dictatorem seu Auctorem siue Quæstorem siue Magistrum memoriæ aut Gothicæ gentis, aut Gallum habere videatur. Vestigia hæc, 1. *Obsecundatores* sacrorum scriniorum. 2. *Venire* iussorum, pro *conferri*, transmitti. 3. *Missam* facere equorum: vel si quid mutandum hic, *equorum subsidium missum facere* (quod non puto) id est, indulgere, remittere, concedere. *Missam facere*, pro, *missionem*, remissionem, indulgentiam; *Missa* pro *missione*, quomodo & *remissa peccatorum*, pro *missione*, quomodo & *remissa peccatorum*, pro *remissione* apud Optatum, Augustinum, & alios: Et *instituta*, pro *Institutione* apud Am. Marcellinum: *Accessa*, pro *accessione* apud Seruium, & in Itinerario Hierosolymitano. *Exposita*, pro *expositione* Interpreti ad nonnullas Nouellas: *Adscensa*, pro *Adscensione* in veteri Kalendario. *Missa* denique est ἄφεσις dimissio. Ita quæ in Græcorum concionibus fuit λαῶν ἄφεσις, id est populorum Missa seu dimissio, quod in Iudiciis Romanorum fuit, *Ilicet*, id est ire licet, id fuit in Liturgia veterum Christianorum παιδῶν ἀπόλυσιν missam facere: quoties videlicet aut non initiati Diaconi voce iubebantur exire, aut peractis sacris populo fiebat discedendi potestas. Ideo Ambrosius *ep. 20. num. 4. 5. pag. 853. edit. Benedictin.* hoc ipso æuo: *Ego mansi in munere, missam facere cœpi, dum offero raptum cognoui Castulum quendam.* Atque hinc *Missa* nomen: A quo non abludunt & *Missa*, seu *Missus*, & *Missaria*, in infima Latinitate, pro præmiis & βραβείοις, de quo Salmas. *in Solinum*, *pag. 910.* Sequuntur alia Barbara seu μιξοβάρβαρα *hac l.* Quarto igitur, *in reliquum*, pro *de cætero*, deinceps in posterum, 5. *Tale si quidquam*, pro si tale quidquam. 6. *Collatiuum*, pro collatione, *de collatiuo omnium postulatis.*

IV. (a) Idem AAA. Cynegio PP. (b)

PROXIMOS Memoriæ, Epistularum, ac Libellorum, (c) ita Vicariorum honore cumulamus, (d) vt inter eos merito dignitatis habeantur qui Pro Præfectis (e) Diœceses sibi creditas temperarunt, ex eo tempore, ex quo eos splendor indepti Proximatus ostentat, (f) insequentibus præponendi, qui Vicarias (g) postea administrauerunt. (h) Dat. prid. Kal. Mai. Constantinop. Honorio Nobilissimo puero & Euodio CONSS. [386.]

NOTÆ.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust. eod. tit.* Memorat hanc *leg.* simul & extendit Imp. Arcadius *l. 10. inf.* Iungendaque huic *lex 11. inf. de Decurionibus.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Cyne-*

(b) *Cynegius* hic PP. Orientis fuit sub Theodosio M. An. D. 384. 385. 386. 387. 388. 389. vid. *Prosopogr.* Einsdem[que] nulla mentio apud Libanium *Orat. κατὰ τῶν ἱερῶν*, *pag.* 97. 100. vbi dixi · Zosimum, *lib.* 4. *cap* 37. & 45. Idacium *in Chronico*, An. D. 388. *IDEM.*

(c) *Atque dispositionum.* Hoc addidit Tribon. ex *l.* 10. *infr.* qui tamen hoc facto male *proximorum* appellationem ad scrinium dispositionum traxit; quod etiam in *Rubrica* commisit: quam ita concepit *de proximis sacrorum scriniorum.* omissa *Comitis dispositionum* mentione. *IDEM.*

(d) *Cumulare* honore *IDEM.*

(e) De hoc mox. *IDEM.*

(f) Male in Cod. Iust. *ostendat.* *IDEM.*

(g) *Vicaria*, pro Vicarii administratione, pro Vicariatu. *Vicariæ potestates*, plenius *d. l.* 10. *infr. h. t.* & alibi: v. *Gloss. Theod.* *IDEM.*

(h) *Et nullam descriptionis iniuriam perhorrescant.* Hoc additum a Tribon. ex *l.* 12. *in f. h. t.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc *lex* est, cui enassanda est *lex* III. *inf. de Decurionibus*, de VICARIA dignitate Proximorum, & a quo tempore ea computanda sit: Vicariorum scilicet dignitate Proximos scriniorum honoratos docuit iam *lex* a. *supr.* docet & *hac lex*; & *lex* 10. 11. 17. *inf. h. t.* & *l.* 12. *sup. de Senatorib. & gleb. coll. l.* 19. *in fin. de Palatinis S. L.* sic vt cum Vicariis ἐμπράκτοις tempore certent; idque etiam de Magistris seu Comitibus dispositionum constitutum, *d. l.* 2. *sup.* &c. Hæc quidem ita iam antea quoque constituta: At enim quod Proximos trium scriniorum attinet, Memoriæ, Epistularum, Libellorum, cuius postremi meminit quoque Am. Marcellinus *lib.* 22. *c.* 9. maius adhuc priuilegium
P.151 hac parte his tribuitur hac constitutione a Theodosio M. Nempe, cum hactenus Vicaria Proximorum dignitas ab eo tempore æstimaretur, ex quo Palatio dimissi seu Proximatu functi essent, quod testatur *d. lex* 2. hac constitutione ab eo statim tempore computari iubetur, ex quo Proximi facti sunt: & sic cum Vicaria dignitate Proximi deinceps facti. Cui simile quid antea constitutum ab eodem Theodosio M. circa dignitatem Primiceriorum & Tribunorum Notariorum, cum antea aliter obtineret, *l.* 3. *sup. de Primicerio & Notariis.* Proximis vero trium scriniorum id nunc tribuitur. Id quod ad similitudinem Proximorum postea porrectum ad Priores in scrinio dispositionum ab Arcadio: *l.* 10. *inf. h. t.* Ideo etiam Tribonianus *Legi* 1 *Cod. Iust. eod. tit.* quæ hinc desumpta est, hæc verba *& dispositionum* inseruit, ex *d. l.* 10. etsi Proximi dispositionum nulli sint: vt proinde hac parte duplicem is fucum faciat, dum Theodosio M. quoque id tribuit, & assumento suo Proximos dispositionum nobis faciat, pariter vt Rubrica *huius tituli* immutata, & *l.* 66. *Cod. eod. de Decurionib.* qui nulli iam fuerunt, verum *Priores* in scrinio dispositionum *d. l.* 10. & primi, *l.* 14. *h. t.* qui cum proximis ambulabant. Et Proximi trium tantum scriniorum dicti *h. l.* & *l.* 17. *inf.* seu *l.* 6. *Cod. Iust. eod. tit.* vbi Tribonianus fucum iam non fecit. Comites vero & Magistri dispositionum ab his diuersi, *l. vn. inf. qui a prab. Tyronum:* quomodo & primi dispositionum, seu priores, *l.* 2. 10. 12. 14. *h. t.* Igitur hæc *lex* non ideo lata est, vt Proximis scriniorum Vicaria dignitas tribueretur, vel vt ostenderetur eos quamlibet Honorarios, cum iis qui reuera Vicarias gessissent, de tempore certare; id enim vtrumque iam *l.* 2. *supr. h. t.* his collatum fuit: Verum, vt ostenderetur, *A quo tempore* eorum Vicaria dignitas computanda esset; & sic hac parte ius nouum inuectum: Denique antea quoque Vicaria dignitate honorabantur, sed non ITA: *Ita*, inquit, Theodosius, *Vicariorum honore cumulamus*, *vt &c.* Idque est *huius leg.* argumentum adæquatum, quod Codicis Iustinianei interpretes non attenderunt.

Vnum illud superest *h. l.* notandum, *quod Vicarii Pro-Præfectis diœceses sibi creditas temperare* dicuntur: Quomodo & Am. Marcellinus, quatuor locis, puta *lib.* 14. *cap.* 5. *Martinus regens illas prouincias* (Britanniarum) *Pro-Præfectis*, quem mox *eod. cap.* Vicarium vocat, & *lib.* 23. *cap.* 1. *Alypium Britannias curasse Pro-Præfectis.* Et *lib.* 27. *c.* 8. Theodosius *Ciuilem nomine rectorum Britannias Pro-Præfectis ad se poposcerat mitti.* Et *lib.* 29. *c.* 1. de Eucærio, *Asiam quippe rexerat Pro Præfectis.* Eodemque modo explicandæ sunt notæ illæ *PP. Hispaniarum*, in *l.* 15. *infr. de paganis*, id est, Pro Præfectu vel Pro-Præfectis Hispaniarum. Sic & in Symmachi Epitaphio *apud. Gruter.* CCCLXX. *n.* 3. *L. Aur. Auiano Symmacho V. C. Præfecto Vrbi, Consuli, Pro-Præfectis Prætorio in vrbe Roma finitimisque prouinciis.* Sic de Vicario Britanniarum Rutilius *Lib.* 1. *Itinerar. v.* 500. *Præfectorum vicibus frænata potestas.* Neque tantum *Pro-Præfectis*, verum etiam Pro Præfecto. Sic Victor *de Cæsar. c.* 40. *Ea tempestate apud Pœnos Alexander Pro Præfecto gerens*: Quod Zosimus *lib.* 2. *cap.* 12. sic expressit, τόπον ἐπέχων τῷ ὑπάρχῳ τῆς αὐλῆς ἐν Λιβύῃ καθεσταμένος Denique promiscue Pro Præfectis & Pro-Præfecto dicti Vicarii, qui ordine codicillorum, vt loquitur Cledonius, Senator Romanus, vices agebant amplissimæ Præfecturæ: a) Pariter vt apud Græcos promiscue, τόπον ἐπέχων τῷ ὑπάρχῳ, vt Zosimus, & διέπων τῶν λαμπροτάτων ἐπάρχων τὰ μέρη, vt in *ep. Constantini M. ad Macarium*, *apud Auctorem vita Constantini lib.* 3. *c.* 31. Dracilianus, de quo ad *l.* 1. *sup. de vsuris.* Neque etiam admittenda altera distinctio quorundam inter Vicarium seu Pro Præfectis, & inter vices agentem Præfecti Prætorio. Nam & qui Constantino, vt dixi, dicitur διέπων τῶν ἐπάρχων τὰ μέρη, is vices-Agens Præfecti Prætorio dicitur *d. l.* 1. Fateor quidem, quod Cledonius obseruat, Vicarium dici non posse, cui Præfectus vices suas propter absentiam vel in speciali causa mandauit, sed vices agere: Sed enim eum, qui Vicarius ordine codicillorum, non mandata iurisdictione est, idem & vices agere dicitur. Verum de hoc ad *d. l.* 1. *de vsuris.* Nunc ad rem. Vicarii igitur Pro-Præfectis *diœceses* sibi creditas temperare dicuntur: seu diœceses regebant, sortiti dicebantur, denique Vicarii diœceseon: præter hanc leg. *l.* 42. *inf. de cursu publ. l.* 7. *de desertoribus*: *l.* 89. 94. *de Decurionib. l.* 9. *de Legatis*: *l.* 1. *ne quis in Palat. man. l.* 10. *de hæreticis*: *l.* 12. *de exactionibus.* Diœceses, inquam, id est, plures prouincias in vnam administrationem iunctas: de quo & in *Notitia nostra Dignitatum, & in Orbis Rom. descript.*

(a) Confer *Cl. Valesium* in nota ad Marcellin. *Lib. XIV. c.* 5. quam Gothofredus fere integram excerpsit.

(a) V. Imppp. VALENTINIANVS, Theodosius & Arcadius AAA. Constantio PP. (b)

IN sacris scriniis nostris militantes, (c) Ordinarii (d) Iudices a (e) salutatione non arceant, (f) etiam inuiti in consessum accipiant: (g) Scituris, vel Principe (h) vel Corniculario, (i) vel Capitibus, (k) ternas (l) libras auri ex suis facultatibus eruendas, si (m) Consistorium Nostrum sæpe ingredientibus, Secretarii Iudicium (n) non patuerit ingressus, (o) aut reuerentia (p) non fuerit in salutatione delata, aut sedendi cum Iudice societas denegata. Dat. VI. (r) Id Nouemb. Triueris, (s) Timasio & Promoto viris clarissimis CONS. [389.]

NOTAE.

(a) Repetita hæc *lex* Cod. Iust. duobus locis: puta *l. 2. Cod. eod. tit.* & *l. vlt. Cod. de off. diuersor. Iudicum*: in qua posteriore resecata priore *huius leg.* sententia, ad *Honoratos* quoscunque refertur. Memorat eam simul & confirmat Arcadius *l. 7. inf.* A.D 396. GOTHOFREDVS.

(b) *Constantinus* hic vel *Constantius* PP. Galliarum scilicet fuit: & ita nominatim additum Cod.Iust. *d. l. 2.* & *d. l. vlt.* quare vox *Galliarum* hic interciderit necesse est. Quam etiam hoc Codice habet *lex 4. sup. de legitimis hereditatibus*, *l. 8. de infirm his quæ sub Tyr.* (*l. 50 de cursu publico.*) De hoc mox. IDEM.

(c) *In prouinciis Ordinarii, vel Spectabilis Iudicis*: ita C. Iust. *d. l. 2* de quo mox. IDEM.

(d) *Ordinarii* Iudices, sunt Clarissimi Rectores prouinciarum: de quo sæpe. IDEM.

(e) *Ad salutationem*, ita *d. l. 2.* ma e. IDEM.

(f) *Arceantur*, *d. l. 2.* IDEM.

(g) *Accipiantur*, *d. l. 2.* IDEM.

(h) De *Principe* officii, *suo titulo*, *infr. lib. 8.* & in hac ipsa re v. *l. 1. sup. de off. Iudic. ciuil.* & *l. vn. sup. de Comitibus vacantibus.* IDEM.

R.152 (i) De *Cornicullariis*, suo titulo, 4. *lib. 8.* & ad *l. 8. de diuersis officiis.* IDEM.

(k) *Capitibus officii*, ita *d. l. 2.* addita voce *officii*. Tribonianus in *d. l. 3. de off. diuersor. Iudicum*, substituit *Primates officiorum*: Primates iidem cum capitibus v. *l. 1. sup. de off. Rectoris prouinc.* IDEM.

(l) Decem librarum multa imposita, *l. vn. supr. de Comitibus vacantibus*: Quindecim, *l. 10. infr. de Agentibus.* Hanc multam intellige *lex 16. inf.* Cæterum hæc, *ternas libras auri ex facultatibus suis*, absunt a MS. IDEM.

(m) Simile est argumentum *l. 4. sup. de domesticis*: Illud vero paulo inuolutius in *d. l. 3.* expressum, mutata voce *si*, in *quibus.* IDEM.

(n) *vel Iudicum*, vt Cod. Iust. *d. l. 2.* & *d. l. 3.* Iudicantum *l. 7. inf.* IDEM.

(o) Sine vllo nuntio, sponte, *d. l. 7.* IDEM.

(p) Honorificentia, *d. l 4. sup. de domesticis* complexus osculum. IDEM.

(r) *V.* Cod. Iust. *d. l. 3.* at VI. in *d. l. 2.* cæterum hic *Data*, pro *Reddita*: de quo mox. IDEM.

(s) Ita quoque *d. l. 2. Cod. Iust. de proxim. in l. vlt. Cod. eod. de offic. diu. Iudic.* male *Tyberiade.* IDEM.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iun. altera hæc *hoc titulo* constitutio est, de triplici scriniariorum HONORE & priuilegio, apud Ordinarios Iudices seu Rectores prouinciarum: Nempe 1. ad Ordinariorum Iudicum salutationem hi admitti iubentur: 2. hisque Secretaria Iudicum ingrediendi: 3. cumque Iudice sedendi ius tribuitur hac Valentiniani Iun. constitutione, quam nominatim memorat & sequitur Arcadius *l. 7. inf.* & Honorius *l. 16. infr.* Quam *salutationem* initio dicit, eam mox *reuerentiam*: quomodo & *l. 16. in salutatione* vocat: quæ & *honorificentia* vocatur *l. 4. sup. de domest.* quæ & ipsa est Valentiniani Iun. Quo quidem osculandi ius in salutatione indicatur: de quo *d. l. 4.* & *l. 109. inf. de Decurionibus.* Quod ingrediendi in Secretarium ius attinet, id ita intelligendum: quod etiam *d. lex 7. infr.* explicat, nempe vt sponte sua sine vllo nuntio Secretarium Iudicum ingredi possint. De considendi denique cum Iudice in Secretario iure, dixi plene ad *d. l. 4.* & *ad l. vn. sup. de officio Iudicum ciuil.* De eo quoque est *lex 1. sup. de Præfectis præt. l. vn. de præpos. S. Cubiculi*: *l. vlt. sup. de honor codic.* Sed & insignis hanc in rem de iure ingrediendi in Secretarium, ex ipsa honoris proprii dignitate Saluiani locus *lib. 3. de Gubernat. Dei, num 82. edit. Brement. in 4.* iam ab aliis quoque laudatus: *Intra ianuas*, inquit, *non modo Illustrium potestatum, sed etiam Præsidum, aut Præpositorum non omnes passim intrare præsumunt, nisi quos aut Iudex vocauerit, aut negotium traxerit, aut ipsa* HONORIS PROPRII *dignitas introire permiserit: ita vt si quispiam fuerit insolenter ingressus, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundia atque existimationis suæ labe mulctetur.*

Quod salutandi & osculandi ius attinet, non abludit omnino locus hic Spartiani *in Seuero, cap. 2. Legationem*, inquit, *Proconsulis Africæ accepit, in qua Legatione cum eum quidam municipum suorum Leptitanus præcedentibus fascibus, vt antiquum contubernalem, ipse* PLEBEIVS *amplexus esset, fustibus eum sub elogio eiusdem Præconis cecidit, Legatum Populi Romani homo* PLEBEIVS *temere amplecti noli*, &c. Sed & ex Tacito pariter constat *Annal. 15. cap. 31.* Plebeios & nulla dignitate ornatos *arceri* solitos *complexu obtinentium Prouincias.*

Et hæc de ipso honore, qui Scriniariis *hac leg.* defertur.

II. *Ratio* eius honoris (quod secundo loco *hoc l.* obseruandum) isthæc redditur, seu ratiocinatio a Consistorii Principis ingressu ad ingressum in Secretarium Iudicum: cui similis argumentatio continetur: *d. l. 4. sup. de domesticis & Protectoribus*, quæ eiusdem Valentiniani Iun. est.

III. *Limitatio*, tertio loco attendenda: Nempe honos hic salutandi Iudices eumque his considendi in Secretario, *Ordinarios* tantum *Iudices* respicit: id est, Rectores prouinciarum, Consulares, Præsides: Neque enim idem honos scriniariis tribuitur respectu Spectabilium, veluti Proconsulum, Vicariorum. Qui honos quoque aliis tribunis, veluti Domesticis & Protectoribus: *d. l. 4. sup. de domesticis*: imo & ab Honorio scriniariis ipsis ab Exceptoribus vsque ad mello-proximos, *l. 16. inf.* Tandem a Iustiniano, omnibus scriniariis: qua causa Tribonianus *l. 2. Cod. Iust. eod. tit.* quæ hinc alioquin desumpta est, *huius l.* initium deformauit, *in prouinciis*

uinciis Ordinarii, *vel Spectabilis Iudicis*: quod huic *legi* aduersum, neque *d. l. 16.* plane consonum.

IV. *Pœna* etiam notanda, quæ *h. l.* imponitur Principi, Corniculario, & Capitibus Officii, (de quibus *inf. lib. 8.*) ternarum scilicet auri librarum, si honos his scriniariis non fuerit seruatus. Quæ huius *leg.* multa indicatur & confirmatur *l. 16. inf. hoc tit.* Quemadmodum & decem librarum auri multa imponitur occasione Comitum vacantium Officiis, omnibusque quos salutationis cura constringit: *l. vn. sup. de Comitib. vacantib.* Sic & quindecim librarum multa imposita, *l. 10. inf. de Agentibus*, Pro dignitate scilicet eius cui iniuria fit, crescit & pœna. Quare & sacrilegii pœnam idem Valentinianus Iun. imponit in sp. *d. l. 4. sup. de domesticis.* Hinc interim discimus ad Principem, Cornicularium & capita seu Primates officiis curam salutationis, ingressusque in Secretarium pertinuisse, de quo ad *l. 1. sup. de officio Rector. prouinc.*

V. Illud postremo loco omittere non possum: pertinere hanc *leg.* ad GALLIAS: cuius PP. Constantino hæc *lex* inscribitur, de quo iam etiam *in Notis*: qui scilicet post Maximum Tyrannum profligatum Anno superiore 388. & post Euodium PP. Galliarum (cuius meminit Seuerus Sulpitius *lib. 2. sacra hist. c. 50.*) PP. Galliarum factus est: Cui etiam reddita hæc lex *Treueris* (quæ sedes erat Præfecti Prætorio Galliarum, de quo *suo loco.*) In subscriptione scilicet *huius leg. Dat. Triueris*, pro *Reddita*, vel *Accepta* Treueris, accipiendum est pariter vt in subscriptione *Legis 3. vnde vi*, vbi vid. quæ notaui plura aduersus Valesium. Erat enim hoc anno 389. Valentinianus Iun. cum Theodosio Imp. in Italia. v. *Chronologiam.*

VI, (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Osio (b) Magistro Officiorum. (c)

DE (d) his qui in sacris Scriniorum proximi (e) transacto biennio conquiescant; (f) dentque locum ceteris, qui ad vltimum (g) gradum peruenire festinant. Eos sa-
P.353 ne, qui ante hoc statutum in locis memoratis (h) inuenti sunt, ad metam triennii concedimus peruenire. Dat XV. Kal. Febr. (i) Arcadio IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a Cod. Iust. Iungenda vero illi *lex 14. inf. de Palatinis S. L.* etsi alii inscribatur, (de quo mox) puta Martiniano Com. S. L. Forte & *lex 8.* & *9. inf. de agentib. in reb.* GOTHOFREDVS.

(b) *Osio* huic Magistro officiorum præter *dictam l. 8.* & *9. inf. de agentib. in reb.* inscribitur quoque *eodem tit. l. 7.* & *lex 5. de metatis*, & *l. 4. de fabricensibus.* Eiusdem meminit & Claudianus, *lib. 2. in Eutropium v. 346. 351. 446. 559.* qui ostendit, eum Hispanum fuisse, forte de genere Osii Epis. Cordubensis. *IDEM.*

(c) *Sub Magistri officiorum* dispositione erant omnia scrinia, de quo mox. *IDEM.*

(d) Hæc retrahenda ad inscriptionem, de quo mox: atque ita restituendus locus, *De his qui in sacris scriniis. Scriniorum*, &c. *IDEM.* Fugiebat hoc Cuiacium, qui legendum putabat, *de his qui in sacris scriniis proximi militarunt.* R.

(e) Scriniorum primicerii, an iidem, de quibus *d. l. 14. de Palatinis*? Minime. GOTHOFR.

(f) Discedant, *d. l. 14.* *IDEM.*

(g) *Vltimus* gradus vocatur summus Primicerii seu Proximi: Vltimus enim est ad eum ordine seu gradu enitentibus, seu peruenire festinantibus, vt hæc *lex* loquitur: Qui idem primus est, dignitate inspecta, sed vltimus ordine crescentibus. *IDEM.*

(h) De hoc mox. *IDEM.*

(i) Addendum, *Constantinop.* vt *d. l. 14. de Palatinis*: & *d. l. 8. de Agentibus.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

ARCADII Imp. nonem constitutiones sequuntur de Proximis scriniorum, puta *hac lex*, & *lex 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. h. t.* Hæc lex est de SPATIO seu TEMPORE, quo Proximatus durare debet: pariter vt *d. lex 14. inf. de Palatinis S. L.* de tempore, quo Officiorum Palatinorum, id est Comitis S. L. scriniorumque Primiceriatus durare potest: Quæ eiusdem constitutionis prolixioris pars est, ac proinde huic coassanda venit. Quæ quidem constitutio, cum in vniuersum sit de PROMOTIONIBVS in scholis Palatinis, deque variis adeo officiis Palatinis scripta esset; quæ sub variorum Magistrorum dispositione erant, ac nominatim sub dispositione Magistri officiorum & Comitis S. L. inde fit, vt harum duarum Legum Inscriptiones varient. Nempe enim quod caput de Officiis scriniisque Palatinis seu Comitis S. L. agebat, Comiti S. L. inscriptum reperitur, puta *d. lex 14. de Palatinis S. L.* Quæ vero capita de Agentibus in rebus tractant *l. 8.* & *9. inf. de Agentib. in reb.* vt & quod Caput de Proximis sacrorum scriniorum agit, Magistro officiorum inscribuntur; Istud siempe quod *hac l.* continetur: sub Magistri officiorum quippe dispositione scrinia fuere, quod præter hanc *leg.* & *Notitiam Imperii*, docet præterea *lex 11. & 17. infr. lex 2. inf. de Commeatu: lex 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 15. Cod. Inst. eod. tit. de proximis.* Hanc quoque in rem ad *l. 3. inf. ad L. Cornel. de falso*, expendo *Legem 6. Cod. Inst. de diuers. rescriptis.* Eoque pertinent illa, quæ *initio huius leg.* continentur. *De his qui in sacris scriniis. Scriniorum proximi*, &c. Prima quippe hæc verba, *De his qui in sacris scriniis*, retrahenda sunt ad inscriptionem Legis: Nam cum Arcadius, vt dixi, vna eademque constitutione eodem exemplo ad diuersos edita, de diuersis officiis Palatinis idem ius constituisset, & Theodosiani Codicis conditores, eam constitutionem in varia *capita* discerperent, inque varios *titulos* referrent, singula singulis Magistratibus reddiderunt: Proinde, quæ ad dispositionem Magistri officiorum pertinerent, in hanc *Legem* contulerunt, hoc titulo præfixo, *De his qui in sacris scriniis.* Cuiusmodi quoque titulus præfixus simili ratione *Legi 1. inf. de Agentibus in rebus*, qui similiter ad inscriptionem retrahendus. Pariter vt *l. 4. 5. inf. de diuersis officiis*: videnda & subscriptio *Legis 9. inf de indulg. debitorum.* Aliisque locis: de quo *in Prolegomenis huius Codicis.*

Nunc de sententia Legis. Igitur BIENNII spatio Proximatus scriniorum tempus includit *hac l.* Arcadius Imp. in postremum scilicet. Nam quod ad eos attinet, qui iam *huius leg.* tempore Proximi erant, his triennii spatium concedit. Quod & ipsum

iisdem

iisdem verbis de officiis Palatiois & Primiceriis scriniorum constituitur *d. l. 14. de Palatinis S. L.* quæ *huic*, vt dixi, coaſſanda eſt: Idque alias factum, cum tempora actuum coarctarentur, vt videre eſt ouoque ex *l. 21. inf. de Palatinis*: cum antea ſcilicet, & proximi ſacrorum ſcrinıorum, & Primicerii ſcriniorum Palatinorum per triennium adminiſtratione fungereotur: vt teſtatur Gratiani *l. 3. de Palatinis S. L.* Et hoc ipſum tamen Aooo poſtea immutatum fuit, in Occidente primum, poſtea in Oriente quoque, *l. 11. 17. inf. h. t.* & *l. 21. inf. de Palatinis S. L.* Coarctati vero huius temporis rationem, vt colligere licet ex ſcopo coostitutionis Arcadianæ, vnde hæc deſumpta eſt, quæ eſt de Promotionibus in ſcholis Palatinis, ita expreſſe indicat Arcadius his verbis; *denique locum cateris, qui ad vltimum gradum* PERVENIRE *feſtinant*: & colligere quoque licet ex *d. l. 14.* & *l. 11. inf. h. t.* & *l. 22. inf. de palatinis.* Hinc ſcilicet diſcimus, Principes hac tempeſtate vt ambitioni plurimum velificarentur. *Promotionibusque* adeo fauerent, ſummi loci obtioendi in ſcholis Palatinis tempus coarctaſſe, ne ſpes aliorum promotiooeſque ſuccedentium in eadem ſchola diu morarentur. Alia quippe ratio fuit coarctandæ ſeu conſtringendæ olim temporis breuitate nimiæ cuiuſque poteſtatis & apicis: de quo *Politici.*

VII. (a) Idem AA. Cæſario PP. (b)

PRIVILEGIA quæ Diuæ memoriæ Iulianus + in ſacris ſcriniis militantibus tribuit, & illum honorem, quem Auguſtæ memoriæ Valentinianus ‡ hiſdem detulit confirmantes, ſcilicet vt ingredientes ſponte ac (c) ſine vllo nuntio Secretarium Iudicantum, conſidendi etiam Iudicibus habeant poteſtatem. Id etiam noſtra moderatione decernimus, Vt P.154 viginti annis in militia ſcriniorum, (Memoriæ, Epiſtularum, Libellorumque) (d) verſatus, Conſularis inter Adlectos (e) dignitate cumulatus abſcedat, eumque honorem vel apud Rectorem, vel (f) in Cœtu Ampliſſimi Senatus obtineat. Ita autem eos poſt militiam eſſe volumus otioſos; vt ab omni publica moleſtia habeantur immunes, nec iniungendi quicquam (g) quis in eos habeat poteſtatem. Dat. XVI. (h) Kalend. Mart. Conſtantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc lex a Cod. Iuſt. prælata *Lege prox.* quæ *huic* iungenda eſt. Eam indicat & extendit *lex 9. prox.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Cæſarius* PP. Orientis fuit ſub Arcadio Imp. An. D. 395. 396. 397. 398. 400. 401. v. *Proſopogr.* Eius meminit quoque Philoſtorgius, *lib. 11. hiſtor. Eccl. cap. 5.* vbi Rufino in Præfectura eum ſucceſſiſſe docet. *IDEM*

+ Intelligit *Legem 1. ſup. h. t.* Hic interim nota, Iulianum Apoſtatam *Diuæ memoriæ, Diuique* titulo a Chriſtianis Imperatoribus inſigniri: quod & aliæ plures conſtitutiones ingerunt. *IDEM.*

‡ *Legem 5. ſup.* intelligit. *IDEM.*

(c) *Ac* non agnoſcunt Editiones Cuiacian. *RITTER.*

(d) *Diſpoſitionum* ſcrinii nulla fit hic mentio, de quo mox. *GOTHOFREDVS.*

(e) De *Adlectis* dixi ſemel ad *l. 10. ſup. de Prætorib.* *IDEM.*

(f) *Vel*, pro, *&.* *IDEM.*

(g) Veluti Exactiones, &c. v. *l. 3. ſup. de honor. codicillis.* *IDEM.*

(h) XV. *l. proxima.* *IDEM.*

VIII. (a) Idem AA. Claudio (b) P.V.

IN ſcriniis (c) Palatii militantes poſt viginti annos tranſactæ militiæ, ſi diſcedendum ſibi eſſe decreuerint, Conſulari honore fulti inter Adlectos habeantur: huncque honorem dignitatis in Senatu (d) teneant, qui Ex-Conſularibus deferri conſueuerit: Neque eos quiſquam iniungendo aliquit vel iubendo poſſit ab imperito otio ſeparare. Dat. XV. Kalend. Mart. Conſtantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTAE.

(a) *Lex 3. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungendaque huic *lex 7. ſup.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Claudius* P. V. Conſtantinopol. ſub Arcadio: cui inſcribitur hoc ipſo anno altera adhuc *lex vn. inf. de vſu ſellarum.* Huius Claudii Præfecturam vrbanam memorat filius eius Rutilius Claudius Numatianus *lib. 1. Itiner. v. 585.* *IDEM.*

(c) Tribus, memoriæ, epiſtolarum, libellorum, vt docet *lex ſuperior*: Et tamen Tribonianus *d. l. 3.* adiecit *ac diſpoſitionum*: de quo mox. *IDEM.*

(d) *In Senatu*: hæc abiecit Tribon. vt loci ratione generalem faceret; quomodo generalior eſt quoque *lex 7. ſup.* Verum hic retinenda: vt mox oſtendam. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE PRIVILEGIIS ſcriniariorum, qui io ſacris ſeu Palatii ſcriniis per viginti annos militaruot, ſunt hæ duæ Leges, quæ inter ſe coaſſandæ veniunt, velut vnius & eiuſdem Arcadianæ conſtitutionis partes: In eandem ſententiam: ideo tantum repetitæ, quod ad diuerſos Magiſtratus datæ ſint, ad conſtitutio-

tutionis videlicet obseruatiam, intra suæ cuiusque Iurisdictionis terminos: Nempe *lex 7.* inscribitur Præfecto Prætorio, velut obseruanda apud Rectores, prouinciarum scilicet qui vtique sub dispositione Præfecti Prætorio erant, vt ita suus cuique apud illos Honoratorum ordo gradusque dignitatum seruaretur: *Lex* vero 8. ad Præfectum vrbis emissa est, quia de eodem ordine graduque in Senatu seruando ibi agitur: ad cuius pariter curam & dispositionem pertinebat, (velut ad Senatus Præsulem) vt in Senatu suus cuique honos constaret: Quod præter hanc *leg.* pariter docet *lex 12. inf. h. t.* & innumeræ Leges superioribus titulis, vt ostendi ad *l. 1. sup. vt dignitatum ordo seruetur.* Quare minus pensi Tribonianus, qui prælata *lege 8.* quæ ad P. V. data est, verba illa *in Senatu* expunxit, quasi generalem illam facturus, quod Præfecti vrbis nomen *legi* semper inscriptum erat. Atque vt expunctis illis veritati fucum fecit Tribonianus: ita & retro additis his, *ac dispositionum*, pariter vt in *l. 1. C. Iust. eod. tit.* quæ alioquin desumpta ex *l. 4. hoc tit.* Disertis quippe verbis Arcadius priuilegia, de quibus hac constitutione, ad tria scrinia restrinxit. *Memoriæ, epistolarum, ac Libellorum.* Et vero *scriniorum* ferme appellatio ad hæc tria restricta: & quartum dispositionum diuerso iure habitum, da quo in *paratitlo*, & *ad superiores leges*, & *ad l. prox. 9.* Anno certe post proximo eadem priuilegia porrecta ad scriniarios dispositionum, *d. l. 9. prox.* Nunc de hac constitutione. Igitur Arcadius Imperator *vetera* partim *προνόμια*, priuilegia, honores, scriniariis concessa a Iuliano, *l. 1. sup.* & a Valentiniano Iun. scilicet, *l. 5. sup.* de iure videlicet ingrediendi in Secretaria Iudicum, cumque his consedendi (de quibus *ad eam leg.*) hac constitutione firmatum it: *Nouum* partim iisdem nunc defert. Nempe, vt post viginti annorum militiam e Palatio recedentes, inter Consulares seu ex-Consularibus, & quidem inter *Adlectos* habeantur: sic vt his idem honor & apud Rectores prouinciarum & in Senatu deferatur: qui ex Consularibus deferri consueuit, & a Senatoriis functionibus immunes fiot, (glebali inquam collatione, & Præturæ functione.) Denique vt ea his quidquam publicæ molestiæ, vel muneris publici iniungatur, (veluti ad Census, Discussiones, Peræquationes, Exactiones,) Quibus omnibus interpretandis nil attinet pluribus insistere. De hac enim dignitate *Consularium* seu ex-Consularibus dixi ad *l. 10. sup. de Domesticis.* De *Adlectis* egi ad *l. 10. sup. de Prætoribus.* de immunitate a publicis illis muneribus, ad *l. 1. sup. de Primicerio & Notariis*, & *l. 3. sup. de honorariis codicillis.* Illud tantum adhuc notandum, hunc honorem Consulatium & interP.m. Adlectos, scriniariis post 20. annorum militiam tribui, sic vt eum honorem & apud Rectores Iudices que prouinciarum & in Senatu obtineant. Quod vtique expressum: quia aliquando nonnulli ita inter Adlectos Consulares habiti, vt in Senatu tantum eo honore habendi viderentur, vt indicium facit *lex 5. infr. de Agentibus in rebus.*

IX. (a) Idem AA. Cæsario (b) PP. inter alia. (c)

HIS, a quibus Dispositionum nostrarum norma seriesque seruatur, eadem priuilegia honoresque peractæ militiæ tribuimus, quæ scriniorum nostrorum meritis nuper † præcipimus (d) custodiri. Dat. VI. Id. April. Constantinop. Cæsario & Attico CONSS. [397.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a Cod. Iust. Et hinc tamen Tribonianus *l. 3. eod. tit.* quæ ex superioribus duabus *Legibus* consiata est, hæc verba adiecit, *ac dispositionum.* GOTHOFREDVS.

(b) De hoc *Cæsario* PP. iam ad *l. 7. sup.* IDEM.

(c) Quæ interciderunt omnia. IDEM.

† Legem 7. & 8. intelligit. IDEM.

(d) *γρ. Præcepimus.* IDEM.

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA & HONORES, trium nominatim scriniorum S. Palatii puta Memoriæ, Epistolarum, & Libellorum, scriniariis, post peractam militiam viginti annorum anno superiore 396. constitutione ad eundem Cæsarium P. P. emissa, puta *l. 7.* & *l. 8. sup.* dederat Arcadius Imp. puta vt inter Consulares seu ex-Consularibus & quidem inter Adlectos haberentur, & apud Rectores prouinciarum & in Senatu, vtque a Senatoriis nihilominus functionibus immunes essent; imo vt ne his quidquam publici muneris iniungi posset. Eadem vero nunc priuilegia, eosdem honores scrinio Dispositionum nunc tribuit, hac constitutione ad eundem Cæsarium PP. data. In qua præter dicta ad *eas leges*, duo notari oportet.

Primo obseruanda illa, *a quibus Dispositionum nostrarum norma seriesque seruatur*, quæ ostendunt, quid fuerint *Dispositiones* illæ, quodque Dispositionum scrinii munus fuerit; nempe seruare normam & SERIEM dispositionum, id est, agendorum Principis: de quo dixi plene *ad l. 1. sup. h. t.*

Secundo, notanda extensio iuris a cæteris tribus scriniis ad scrinium Dispositionum: Nempe vt alias ferme scrinium istud a cæteris separatum, ita ab Arcadio nominatim iisdem priuilegiis & honoribus cumulatum, *h. l.* & *l. 10 12. inf.* Quem Principem Dispositionum scrinio fauisse plurimum, hinc discimus; & forte Cæsarium quoque PP. ad quem duæ huiusmodi *Leges* emissæ sunt, puta *lex hac*, & *lex 10. prox.*

X. (a) Idem AA. Cæsario PP. (b)

AD similitudinem † Proximorum, qui in scriniis militantes Comitum (c) dignitatibus adornantur, hii quoque qui Priores in Scrinio Dispositionum fuerint, & Comitis acceperint dignitatem, ex (d) eo die quo promoti in Scriniis fuerint, eorum numero socientur, qui potestates Vicarias (e) perceperunt: scilicet vt a Nestorio Viro Clarissimo, qui

qui nunc in loco (f) memorato versatur, dignitatis huius sumatur exordium. Dat. IX. Kal. Iul. Constantinop. Cæsario & Attico Conss. [397.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc lex a Cod. Iust. *GOTHOFREDVS.*

(b) Eidem *Cæsario* PP. inscribitur *lex 7. & 9. sup.* *IDEM.*

† Es sic ad similitudinem *Legis 4. sup.* *IDEM.*

(c) De Comitiua Proximorum præter hanc *leg.* agit *lex 11. prox.* & *l. 17. 18. inf. h. t.* de ea nos ad *d. l. 17.* *IDEM.*

(d) V. *d. l. 4. sup.* *IDEM.*

(e) *Vicariæ* pariter in *d. l. 4.* *IDEM.*

(f) Sic & *l. 6. sup. in locis memoratis*, de proximis scriniorum v. & *l. 14. infr. de Palatinis S. L.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Comitibvs dispositionvm Vicariam dignitatem, quæ his antea iam competebat, inter Vicarios ἐμπράκτυς, vt docet *lex 2. sup.* ita nunc *hac l.* defert Arcadius Imp. (quem huic scrinio fauisse plurimum iam notabamus ad *l. super.*) vt ex eo iam die, quo Comites facti fuerint, Vicariorum numero sociari iubeat, & sic si priores Comites facti sint, Vicariis posterioribus, quamlibet ἐμπράκτοις, præferantur: Cum antea ad hunc diem Vicaria eorum dignitas computaretur a die tantum finitæ militiæ, vt testatur *d. l. 2.* Id vero Arcadius nunc statuit ad similitudinem Comitum Proximorum in tribus scriniis, quibus id ipsum iam antea
P.156 concessum fuerat a Theodosio M. patre ipsius, & sic ad similitudinem *legis 4. sup.* Quæ extensio hic quoque notanda, & exæquatio Proximorum in tribus scriniis & Comitis dispositionum: quæ & alias occurrit, *l. 2. sup. l. 14. infr. l. 12. sup. de Senatorib. & gleb. collat. l. vn. qui a præbit. tyronum.*

In tantum vero id nunc Arcadio visum, vt cum alias constitutiones futuris causis regulam imponunt, *l. 3. sup. de constitutionib.* (vbi plene dixi,) attamen iam nunc id obtinere velit in gratiam Comitis dispositionum qui tunc erat, Nestorii scilicet atque ab eo dignitatis huius exordium sumi velit. Quod vtique argumentum est Arcadiani erga scrinium istud affectus, de quo iam ad *l. super.* Sic & alias quandoque ad præsentes personas in dignitate vel munere constitutas nouum beneficium & priuilegium porrigi videmus, *l. vn. sup. de Præpos. S. Cubiculi:* & *l. 17. inf. h. t.*

Quod *Nestorium* Comitem dispositionum attinet, de quo *h. l.* eius mihi mentio nullibi præterea occurrit: nisi quod hunc postea Comitem R. P. factum censeo: cui inscribitur An. 401. *lex 6. de locatione fundorum:* & Anno 405. *lex 18. inf. de Palatinis:* sine Consule, *lex vlt. Cod. Iust. de rescind. vend.*

XI. (a) Idem AA. Hadriano (b) Magisto (c) officiorum.

Per omnia Scrinia nostra singulis annis emensis, qui sunt in capite (d) constituti vno anno teneant Proximatum, locum per ordinem succedentibus dantes. Manente penes eos nihilominus dignitate, quam Diuus † Pater noster huius ordinis viris, singularis meritorum arbiter, dedit; scilicet, vt quicunque Ex-Proximo post stipendia tandem acta discesserit, Vicariis conferatur, ac sic eam ipsam egerit dignitatem; Integris omnibus priuilegiis, quæ cunctis Scriniis omnes retro Principes diuersis Legibus + præstiterunt. Atque (e) nulla posthac de statuto tempore possit esse contentio, Genuinus Natalis nostri dies quotannis Comitiuam (f) Proximatus mansura in longum ætate celebrauit: (g) vt experi ambitione non possit, quod laboris præmium speciali munere æstimauimus. Dat. III. Non. Iul. Med. Cæsario & Attico Conss. [397.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a Cod. Iust. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Hadriano* huic Magistro officiorum inscribitur quoque anno 399. *lex 11. inf. de Agentibus in reb.* Idem mox PP. fuit: v. *Prosopogr.* & Claudiani Epistolam ad *Hadrianum PP.* & Epigr. de *Theodoro & Hadriano.* *IDEM.*

(c) Sub dispositione *Magistri officiorum* erant scrinia *h. l.* & *l. 6. sup. l. 17. inf.* &c. *IDEM.*

(d) In *capite constituti*, proximi scriniorum dicuntur *h. l. Primicerii*, *l. 14. inf. de Palatinis S L.* *IDEM.*

† Theodosius M. *l. 4. sup.* etsi non is primus omnino Auctor. *IDEM.*

+ Veluti *l. 1. 3. 5. sup.* *IDEM.*

(e) *γρ. Vtque*: vel *Atque vt.* *IDEM.*

(f) De *Comitiua* Proximatus, *l. 10. sup. l. 17. & 18. infr.* De ea ad *d. l. 17.* *IDEM.*

(g) Id est, *celebrabit.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Honorii Imp. quatuor constitutiones sequuntur, præter *hanc l.* videlicet, *lex 14. 15. 16. inf. hoc tit.* de scriniis & scriniariis Palatii, quibus studium erga eos suum abunde testatur, ac nominatim *d. l. 14. inf.* Hac *leg.* quinque de his capita continentur.

Primum caput est de *Tempore* seu Ætate Proximatus: Nempe annuum Proximatum esse iubet Honorius *h. l.* qui sub Gratiano & Theodosio M. triennalis erat: *l. 3. inf. de Palatinis S. L.* Arcadius vero frater ipsius in Orientis Imperio biennalem fecit, *l. 6. sup. hoc tit.* & *l. vn. inf. de Mensoribus.* Tandem in

in Oriente Thedosius Iun. pariter ennalem reddidit, *l. 17. infr. hoc tit.* & *l. 21. inf. de Palatis S. L.*

De huius vero temporis coarctati ratione, diximus ad *d. l. 6.* quam & aliquatenus ingerit Secundum *huis leg.* caput: quo statuitur, vt per ordinem succedentes Proximo decedente, Proximatum obtineant: & sic, quod *fine l.* dicitur, vt Ambitione experi non possit, quod laboris præmium esse debet. Ergo successioni ordinique hac in re locum esse voluit Honorius, non vero Ambitioni: Nempe honoris augmentum labore non ambitione ad quemque in scholis & corporibus peruenire voluerunt Imperatores, neque debitum laboris præmio locum ab aliis præuerti: quam in rem sunt plures huius libri constitutiones.

Tertio capite Honorius *vicariam* dignitatem Ex-Proximis, haud aliter atque si eam ipsam dignitatem egissent, gessissent; confirmat: iuxta Patris sui, quod ipsemet profitetur, Theodosii M. constitutionem, *l. 4. sup.* non quidem quasi non & antea Vicatia hæc dignitat his collata fuerit, verum quia accuratius is tempus definiuetat, a quo Vicaria hæc dignitas computanda esser: de quo ad *eam l. 4.*

Obiter interim obseruandum, quod Honorius Patrem suum Theodosium M. *singularem meritorum arbitrum* vocar: Nempe Theodosius non vna constitutione dignitatum ordinem stabiliuit, singulisque pro ratione meritorum suum gradum adsignauit: Cui rei fidem faciunt iam tot supra Theodosii M. constitutiones de ordine dignitatum, quas superius digessimus: *Lex 1. sup. vt dignitatum ordo:* cui socianda *lex 7. de honor. codicdlis*: *Lex 2. de Præfectis Prætorio*, cui socianda *lex 2. de Quæstoribus*: *Lex 1. de Primicerio & Notariis*: *Lex 3. eod. tit.* cui coassanda *lex 6. de honor. codic.* *Lex 5. de domesticis*, cui coniungenda *lex 4. Cod. Iust. de off. PP. Or.* Denique *Lex. 4. sup. h. t.* cui iungenda & *lex ttt. inf. de Decurionibus.* Quæ omnes ostendunt, quam accuratum sese Princeps ille præbuerit in disponendis dignitatibus. Et forte Arcadium fratrem perstringere videatur Honorius, qui a Patris institutis hac parte sæpe diuersus fuerit.

P.157 Quarto capite confirmat Honorius omnie priuilegia, quæ cunctis scriniis omnes retro Principes diuersis Legibus præstiterunt: quomodo & Arcadius ex parte *l. 7. sup.*

Postremo capite Honorius Imp. inchoandi, celebrandi Comitiuæ Proximatus Tempus statum certumque definit: nempe Natalem suum, quo scilicet natus est: qui quidem incidit in 5. Idus Septembris, vt docet Author *Fastorum Siculorum:* vel vt alii malunt, Chronicum Alexandrinum *ad an. 384. p. 706. ed. Rader.* ὑπ. Ῥηχομήρου καὶ Κλεάρχου. Αὐτῷ τῷ ἔτει ἐγεννήθη Ὁνώριος ἀδελφὸς γνήσιος Ἀρκαδίου Αὐγούστου μηνὶ Γορπιαίῳ πρὸ πέντε Ἰδῶν Σεπτεμβρίων. *Richomere & Clearcho Coss. Eodem an. natus est Honor. germanus frater Arcadii Aug. mense Gorpiao (seu Septemb.) V. Idus Septemb.* Quem quidem Natalem suum *Genuinum* vocat; scilicet quo genitus, natus est. Ita quoque Theodosius Iunior, *l. 17. inf. genuinum diem suum Natalem* vocat. *Genuinus*, quo in lucem editus *l. 2. inf. de spectaculis*: qui lucis auspicia protulit, *l. 2. in fine sup. de feriis*; ad differentiam Natalis alterius, qui non lucis sed imperii Natalis est. De quo vtroque Natali dictum fuit *ad d. l. 2. sup. de feriis.* Sed & apud Mamertinum ter Genuini Natalis mentio fit in *Genethliaco Maximiani, c. 1. 2. & 19.* Quibus tamen locis omnibus perperam hactenus vox *Gemini*, pro *Genuini*, legitur: *Vt expectationem sermonis eius quem tuis Quinquennalibus præparaueram, hac Genuini Natalis prædicatione compensem*: & mox: *Et profecto hic mihi dies videtur illustrior, magisque celebrandus, qui te primus protulit in lucem.* Et sub fin. *Hac potissima elegi, qua Genuino natali tuo prædicarem; sola cum nascentibus pariter oriuntur pietas atque felicitas: Genuini ergo natales pias vobis mentes & Imperatorias tribuere fortunas.* Ad eundem modum: *Genuina functio* dicitur, *l. vlt. inf. de Susariis*, cui quis natus est: γενέθλια igitur, Genethliaci, *Genitalii* apud Capitolinum *in vita Pertinacis cap. vlt.* si locus mendo vacat.

Porro vt Honorius Genuinum natalem suum Proximatui inchoando & conferendo destinauit, ita & Theodosius Iunior suum postea affectauit: *l. 17. inf. h. tit.* & *l. 21. inf. de Palatinis S. L.* Eodem more Constantius Natalem suum designationibus Prætorum destinauit, *l. 10. sup. de Prætorib. & Quæstoribus*, Theodosius M. mittendis Principibus officiorum & Curiosis ex Agentibus in rebus, suum, *l. 6. inf. de Curiosis.* Ita scilicet amarunt Principes hoc æuo rerum agendarum inchoandarum initio, ac nominatim auspicales dies officiorum munerumque in Natales suos, quibus ipsi lucis auspicia sumpserunt, de quibus ad *d. l. 2. sup. de feriis.* Rationem porro huius facti sui; cur, inquam, statum huic rei diem tempusque adsignet Honorius, hanc adsignat, ne, inquit, vlla posthac de statuto tempore possit esse contentio: neue ambitione experiatur extra statutum tempus, quod laboris præmium esse debet.

XII. (a) Idem AA. Clearcho (b) P. V. (c)

OMNES, qui Ex-Proximis venerando (d) cœtui Senatus fuerint adgregati, siue hi de scrinio Memoriæ, siue Epistularum, vel Libellorum, siue Dispositionum Comites fuerint, ad septenos (e) duntaxat annuos solidos teneantur, nullaque extrinsecus conlatione vexentur, nec molem promissionis, (f) nec scribtionis (g) iniuriam perhorrescant. Dat. prid. Id. Septemb. Constantinop. Vincentio & Frauitto CONSS. [401.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc lex a Cod. Iust. propter septem solidorum inter alia collationem. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Clearchus* P. V. Constantinop. fuit sub Arcadio A. D. 399. 400. 401. v. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) *Præfecto vrbi* cur hæc quoque *lex* inscribatur? iam dixi ad *l. 8. sup.* *IDEM.*

(d) *Venerandus* cœtus Senatus. v. *Gloss.* *IDEM.*

(e) De hac septem solidorum collatione, *l. 4. & 12. sup. de Senatoribus.* *IDEM.*

(f) De hac *Promissionis* mole mox.

(g) De hac *scribtionis iniuria*, mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE IMMVNITATE a SENATORIIS functionibus, ex Proximis, & Comitibus dispositionum competente, est hæc Arcadii Imp constitutio. Nempe etsi Senatoria his dignitas competat, attra-

attamen Senatoriis functionibus eos *hac l.* liberat; breuiter inter Allectos eos esse iubet, de qua immunitate, & Adlectione, & quidem Scriniariis iam sæpe *supra*, & ad *l.* 10 *sup. de Prætoribus.* Hanc nihilominus *Legem* speciatim illustrare iuuat. Senatorum hoc æuo onera quam grauia fuerint, *tribus* huiusce libri *Titulis* ostensum est *tit.* 2. *de Senatorib. & gleb. collat. tit.* 3. *de prædiis Senatorum*: *tit.* 4. *de Prætoribus & Quæstoribus.* In his fuit glebalis collatio, vel certe septem solidorum collatio, quæ loco illius præstabatur a tenuissimis Senatorum, & quibus esset census angustia, *l.* 4. & 12. *sup. de Senatorib. & gleb. coll.* Erat & vltronea oblatio: quod aurum oblatitium dicebatur, *l.* 5. & 9. *eod. tit.* seu oblatio Amplissimi ordinis, *l.* 14. *eod. tit.* & Symmacho *lib.* 2. *ep.* 57. *lib.* 10. *ep.* 26. & 36 Erat vero oblatio Amplissimi ordinis prompta liberalitate PROMISSA, vt loquitur *d. lex* 14. vltro offerebant, veluti post victoriam ab eo de Tyranno aliquo partam, vt ad *d. l.* 14. dictum: vel etiam Quinquennalibus, aut Decennalibus, vel ob tertium lustrum ipsius Imperaroris, vt ex elegantissima Symmachi *ep.* 26. *lib.* 10. constat. Atque hæc est illa quæ *h. l. moles Promissionis*, vocatur: siue quia in vnam summam collatum id ex Senatus promissione: siue quia ingens hac promissio & collatio. *Sponsionem* pariter vocat Symmachus hanc oblationem, *d. ep.* 26; & quidem *magnitudinem sponsionis*, vt hic *moles promissionis* vocatur.

Nunc de *Lege* nostra. Ergo ab his omnibus, ex Proximis & ex Comitibus dispositionum, quamlibet Clarissimis & Senatoribus immunitatem tribuit *h. l.* Arcadius: sola septem solidorum annuorum collatione excepta, quæ vt dixi tenuissimis Senatorum incumbebat. Ergo in *recognitionem* tantum, sic vt dicam, Senatoriæ dignitatis hæc collatio his impacta. Quod ipsum tamen postea abrogatum: P.138. Nam & his septem solidorum annuorum præstationis immunitas tributa *l.* 12. *sup. de Senatoribus*: quemadmodum & iisdem Præturæ immunitas tribuitur sequenti mox *l.* 13. *eod. tit.* Hac vero *lege*, excepta tantum septem solidorum præstatione prædicti, *nulla extrinsecus collatione vexari, nec molem promissionis, nec scriptionis iniuriam perhorrescere* iubentur. Vbi scriptionis iniuria, est æstimatio, modusque præstationis quæ cuique imponebatur. Sic & glebalis descriptio, *l.* 1. *sup. de decur. & silent. l.* 16. *inf. de Medicis & professorib.* Descriptio absolute, *siue l. vlt. de Senatorib.* Descriprin Senatoria, *l.* 15. *inf. de Medicis:* Adscriptio Amplissimi Ordinis, *l.* 22. *inf. de Agentibus.*

XIII (a) Idem AA. & Theodosius A. (b)

SICVT iampridem † a Prætura immunitatem tribuimus his, qui (c) post emeritam in armis militiam, ad honorem Ducatus, Nostræ Serenitatis prouexit iudicium, ita nostrorum Scriniorum Proximi etiam deposita militia Præturæ immunitate potiantur. Dat. VIII. Kalend. Feb. Constantinop. Honorio VII. & Theodosio II. AA. CONSS. [407.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a Cod. Iust. *GOTHOFREDVS.*

(b) In MS. quoque omissum nomen eius ad quem scripta hæc *lex*. *IDEM.*

† Intelligit *Legem* 28. *sup. de Prætoribus*, quæ data ante deceonium. *IDEM.*

(c) γρ. *quos*, & ita habet exerte MS. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

A PRÆTVRA, seu a ludorum edendorum functione immunitatem Arcadius hac constitutione Ex proximis scriniorum tribuit, exemplo Ducum, seu immunitatis a seipso ante decennium tributæ Ducibus rei militaris, qui reuera actuque ipso & armatæ militiæ solicitudine Ducatum administrassent. Quod quidem ab eo præstitum, *l.* 28. *sup. de Prætoribus*; qua *lege* & *Titulo* plenius. Atque ita cum hactenus Præturæ munia Principum constitutionibus non relaxarentur, nisi iis quos castrensis honor illuminat, vt loquitur Symmachus *lib.* 7. *ep.* 96. Mox tamen iis qui in Palatio militassent, eadem immunitas tribui cepit, *l.* 8. *sup. de Senatoribus*: Neque tantum quamdiu in Palatio militarent, *verum* ETIAM *deposita militia*, Ducum vti dixi, exemplo.

XIV. (a) Idem AA. (b) Epifanio (c) PV. (d)

QVAMVIS (e) innumeris Legibus † Scriniorum gloria (f) decoretur, iubemus tamen, vt primo (g) omnium sit eorum (h) secura possessio ab omnibus sordidis (i) muneribus excusata; Superindictum (k) non timeant, Venalicium (l) non petantur, solumque (m) Canonicæ (n) indictionis præstent tributum: Glevalis (o) auri solutionem nesciat labore dignitas conquisita, Extraordinarium (p) munus ignoret, nec vllam Temonis (q) patiatur iniuriam; Equorum (r) Tironumque præstationem nullus agnoscat, qui (s) honorem Proximi & Comitiuam primi dispositionum longi temporis sudore quæsiuit. Et hæc eadem (t) patrimoniis censuimus deferenda; Quibus (v) omnia inlibata seruamus, qiiæcunque diui Genitoris † nostri & cunctorum Principum statuta detulerunt. Ipsis vero veniendi ad Comitatum liberam licentiam perpetuamque præstamus, nec in eorum personis expectari Augustam (x) præcipimus iussionem. Quod autem omnibus constat deferri, adiectu alterius dignitatis perire non patimur: vt etiamsi prosperioris fortunæ iudicio ad honoris ornamenta processerint, vetera tamen eis scriniis (y) labore priuilegia

quæsita feruentur, & (z) integrum circa eos eorumque facultates semper maneat, quod anterioris ætatis industria conquisiuit, & cætera. Dat. Id. Octob. Rau. Honorio VII (a) & Theodosio II. AA. CONSS. [407.]

NOTÆ.

(a) *Lex 4. Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata plurimum. Iungendaque huic *lex vn. sup. de Comitibus vacantibus.* GOTHOFREDVS.

(b) HONORII & Theodosii nomina inscribenda, vt habet *d. l. vn.* IDEM.

(c) De hoc *Epiphanio* P V. Romæ v. *Prosopogr.* IDEM.

(d) *Præfecto vrbi*, cur hæc *lex* inscribatur? dixi ad *l. 8. sup.* IDEM.

(e) Abest hæc prima sententia & præfatio a Cod. Iust. IDEM.

† Legum harum numero sunt *lex* 1. 3. 5. 7. 8. 9. *sup.* IDEM.

(f) *Gloria* scriniorum seu scriniariorum. Forte, *Scriniariorum*, arg *eorum secura sit possessio.* IDEM.

(g) *Primum omnium*, C. Iust. IDEM.

(h) *Qui in sacris scriniis nostris, id est, memoriæ & epistolarum, libellorum, & dispositionum referuntur*, hoc add. a Tribon. Cod. Iust. IDEM.

P. 159 (i) De *sordidis munerib.* inf. *suo tit. de extraord. siue sord. munerib.* IDEM.

(k) De *superindicto*, v. suo tit. *de superindicto.* IDEM.

(l) De *Venalicio*, mox. IDEM. *Venalicium non petantur* legunt Cuiacianæ omnes, sed Cod. Iust. expresse *petatur* quod ego prætulerim. RITTER.

(m) Nudam conlationem quæ plerumque poscitur, vocat *lex 2. sup. de decur. & fil.* GOTHOFREDVS.

(n) *Canonica*, id est, solemnis, ordinariæ: v. *Gloss.* IDEM.

(o) De *Glebali* collatione *suo titulo, lib. 6.* Hoc autem omissum *Cod. Iust.* propterea quod glebalis collatio sublata iam. IDEM.

(p) De *Extraordinariis* muneribus, *suo titulo.* IDEM.

(q) De *Temonaria* functione v. *l. 7. inf. de tyronib.* vbi dicam & *l. 14. de extraordin. mun. Temonum*, in *C. Iust.* IDEM.

(r) De *Equorum Tyronumque* præstatione v. & *l. 3. sup. l. 15. prox inf. l. 2. sup. de decur. & silent.* & *tit. inf. qui a præbitione tyronum & equorum excusantur.* IDEM.

(s) *Qui vel adhuc in scriniis militat, vel honorem*: ita Tribon. IDEM.

(t) *Quidem*, C. Iust. Et ita forte habuit MS. IDEM.

(v) Sequentia absunt a C. Iust. *vsque ad vers. Quod autem.* IDEM.

† Theodosii M. *legem 4. sup.* intelligit. IDEM.

(x) *Augusta iussio*, est Principis euocatoria: de qua ad *l. 3 sup. de decor. & silent.* IDEM.

(y) Ita quoque C. Iust. malim tamen, *scrinii*, IDEM.

(z) Reliqua absunt a C. Iust. IDEM.

(a) Ita quoque C. Iust. atenim reponendum *hic*, ex *d. l. vn. sup. de Comitibus vacantibus. Honorio IX. & Theodosio V.* Quod quidem ipsum ignoratum, huius Codicis Theod. conditoribus fucum fecit, vt προθύστερον hic admitteretur in dispositione seu ordine Legum. IDEM.

COMMENTARIVS.

DE PRIVILEGIIS Scriniorum, seu Scriniariorum, Proximorum & Comitum Dispositionum est hæc diligens & accurata Honorii Imp. *lex*: cui coassanda venit *lex vn. sup. de Comitibus vacantib.* vnde emendandus est in *hac l.* Consulatus numerus: Quæ & ipsa est de personali priuilegio & honore Comitum Vacantium: vnde apparet, Honorianam ad Epiphanium P. V. constitutionem fuisse prolixam de Ordine Priuilegii, & Honore dignitatum: Ea vero nominatim Scriniorum & Scriniariorum peculiarem rationem habuit, affectumque suum testatus est; Præfatione, inquam, ipsa primum. *Quamuis*, inquit, *innumeris Legibus scriniorum gloria decoretur*, quæ tamen a *Cod. Iustin.* abest: quod eius studium tot aliæ quoque eius super his *Leges* testatum faciunt, puta *lex 11. sup. lex 15. 16. infr.* Deinde accurata illa priuilegiorum & honorum enumeratio, licet anterioribus iam variis Legibus expressa fuissent pleraque. Quæ quidem duplicis generis constituit: Alia scilicet personalia priuilegia sunt, Alia, quæ patrimoniis eorum deferuntur, *vers. & hac eadem*: Et sic priuilegia patrimonialia seu Immunitates a muneribus patrimonialibus: Cuiusmodi octo recenset. Prima est immunitas a muneribus extraordinariis. Secunda a superindicto. Tertia a Venalicio: Venalicium porro quidam putant hic esse vectigal rerum venalium, (vt ita idem hic priuilegium sit quod Veteranis tribuitur, *l. 2. inf. de Veteranis*) cuiusmodi fuit vectigal Vicesimæ rerum venalium antiquissima lege & castrensi inuecta, vt est apud Liuium *lib. 7. cap. 16.* cum qua male confunditur portorium Quadragesimæ vel Quinquagesimæ; de quo Symmachus *lib. 5. ep. 60. 63.* Possis tamen non male Venalicium hic accipere, pro publica comparatione seu synoneto: Venalicium enim hic ponitur medio loco inter superindictum, & canonicam indictionem: de quo alioquin *inf. tit. de publica comparatione.* Ergo, exclusis his tribus muneribus, solas Canonicas indictiones, id est solemnes annonas & ordinaria tributa, de quibus *inf. tit. de annona & tributis*, a Scriniariis præstari voluit Honorius. Quarta immunitas est a *Glebalis auri* solutione; Nempe Proximi & Comites dispositionum etsi Senatores sint, Senatoria tamen seu glebali collatione immunes fuere: *h. l.* & *l. 12. sup. h. t.* & *l. 12. sup. de Senatoribus. l. 19. inf. de Palatinis.* Et rationem indicat huius immunitatis: Nempe quod scriniarii hanc *Senatoriam dignitatem labore conquisiuerint.* Multum scilicet interest; meritisne quis dignitatem indeptus sit, an vero sine labore, de quo iam sæpe *supra.* Quinta immunitas est a Temonaria functione, quam *Temonis iniuriam* vocat, id est, a pretio seu adæratione & taxatione tyronum: & sic ab auri tyronici præstatione, quod Temonario solui oportebat loco Tyronum: quod & ipsum statuitur *l. 14. in fine. de extraordin. mun.* de quo dixi plene ad *l. 7. inf. de Tyronib.* Sexta, & septima immunitas sunt, ab Equorum & Tyronum præstatione: quod & ipsum statuitur *l. 3. sup. l. 15. inf. l. vn. inf. qui a prabit. tyronum*

num, *d. l. 14. inf. de extraordin. mun.* Hoc vero priuilegium nominatim Proximo, & Comiti dispositionum hic tribuitur: Omnibus vero scriniariis: *d. l. 3. sup.* & *l. 15. inf.* & *d. l. vn.* & *d. l. 14.* & rationem rursum indicat, nempe quod hos honores Scriniarii longi temporis sudore sibi quæsiuerint. Et hactenus quidem Priuilegia quæ patrimonium respiciunt, seu Immunitates a muneribus patrimonialibus: *Et hæc eadem*, (quæ superius scilicet expressa sunt) *patrimoniis censuimus deferenda.* Et mox *fine l. circa eorum*, inquit, *facultates.*

II. Sequuntur personalia priuilegia, seu honores circa eos: vt *fine l.* Primum igitur Honorius omnes honores his delatos antea ab Imperatoribus, & nominatim a patre suo Theodosio M. confirmat *h. l.* pariter vt *l. 11. sup.* In his proculdubio Vicaria dignitas Proximis collata, etiam Theodosii *l. 4. sup.* Secundo, Veniendi ad Comitatum Principis potestatem his facit citra Principis iussionem seu Euocatoriam. Quod priuilegium datum quoque postea Decurionibus & Silentiariis. *l. 3. & 4. sup. de Decurionibus & Silentiariis:* de quo priuilegio dixi iam *ad eas Leges.*

III. Tandem & illud priuilegium Scriniariorum hic adiicit Honorius, commune iam patrimonio seu facultatibus eorum, & iis ipsis, seu *circa eos eorumque facultates*, vt loquitur: puta vt quamlibet Nova dignitate aliqua post militiam in scriniis aucti fuerint, &, vt eleganter loquitur, *etiamsi prosperioris fortunæ iudicio ad honoris ornamenta processerint, vetera tamen priuilegia in scriniis labore quæsita, eis seruentur:* Item, (quod Tribonianus omisit) *integrumque semper maneat quod anterioris ætatis industria conquisiuit.* Et vt idem Honorius rursum eleganter, *quod delatum est semel, aduectu alterius dignitatis perire non debet.* Quod ipsum quoque constitutum *l. 14. inf. de extraordinariis mun.* Constitutum idem & in Notariis *l. 1. sup. de Primicerio & Notariis:* In Decurionibus & silentiariis: *l. 2. & 3. sup. de Decurionibus:* in Palatinis omnibus aliis, ex Constantini M. *l. 3. & 5. inf. de priuil. eor. qui in S. Pal.* (vnde desumta est *lex 3. Cod. Iust. de dignitat.* de qua mox) in Archiatris S. Palatii: *l. 2. inf. de Medicis & Professoribus.* Imo, si Triboniano credimus, Constantinus M. id in vniuersum definiuit, *d. l. 3. Cod. Iust. de dignitat.* Maiorem videlicet dignitatem P. 160
nulli debere circa prioris dignitatis seu militiæ priuilegia præiudicium facere: Verum fucum hac parte facit Tribonianus: Id enim illa sententia voluit Constantinus de Palatinis tantum, vt ostendit *d. l. 3. inf. de priuil. eorum qui in S. Palat.* vnde ea lex desumpta est, quinimo & exceptionem eius quod de Palatinis diximus continet *lex 13. in f. inf. de Agentibus in rebus.*

XV. (a) Impp. Honorius & Theodosius AA. Melitio PP. (b)

Quotiens Equorum aliarumque rerum procedit indictio, in Sacris Scriniis militantes immunes ac segreges (c) habeantur, ita vt neque in militia, neque post militiam, huius sollicitudinis molestiam sustineant. Quibus exceptis, circa alios, cum ratio flagitauerit, indictio postulabitur: scientibus Iudicibus, eorumque Apparitionibus, (d) decem librarum auri multa (e) se subiiciendos, si ab eorum in futurum conuentionibus non temperarint. Dat. XVI. Kal. Decemb. Rau. Varone (f) V. C. Conss. [410.]

NOTAE.

(a) Abest hæc lex a Cod. Iust. *GOTHOFR.*

(b) *Melitius* hic PP. fuit sub Honorio Imp. A. C. 410. & 412. v. *Prosopogr.* Eidem inscribitur eo anno D. 412. de eadem re *lex vlt. inf. de extraord. munerib. l. vn. qui a præbit. tyronum. l. 40. de Episcopis.* *IDEM.*

(c) *Segreges.* Hanc vocem vsurpat quoque Seneca *lib. 4. de benef. cap. 18.* & *lib. 3. Contron. 21.* Seneca alter *in Hypolito, Actu 5. Sc. 2. v. 1209.* Prudentius *Cathem. hym. VII. 28. de Elia:* & Sidonius Apollin. *lib. 5. ep. 12.* & *lib. 9. ep. 3.* *IDEM.*

(d) *Apparitionibus*, pro *Apparitoribus.* *IDEM.*

(e) Pro *multæ.* *IDEM.*

(f) γρ. *Varane:* sic & *l. 3. inf. de religione*, scriptum *Barone*, pro *Varone:* & vtrumque pro *Varane.* *IDEM.* *Varone* legunt Cuiacianæ, quomodo & habet latercul. Colbertin. quod in Chronolog. obseruatum. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

Equorum, aliarumque rerum extra ordinem imperatarum indictione immunes rursum definiuntur, iubenturque ab Honorio Imp *h. l.* Scriniarii soli etiam post depositam militiam, pariter vt *l. 14. sup.* Cum alioquin horum temporum ratio, quibus vastata Roma Italiaque & Illyricum, hanc collationem maxime exigeret, & a ceteris omnibus ea flagitaretur: de quo plenius, ad *l. vn. inf. qui a præbit. tyron. vel equorum*, quæ biennio post super eadem re ad eundem Melitium PP. data est, vt & *lex vlt. inf. de extraordinar. mun.*

XVI. (a) Idem AA. Faustino PP. (b)

Peculiari præceptionis nostræ fauore præstamus, vt in scriniis Memoriæ, Epistolarum, Libellorumque, ab Exceptoribus vsque ad Melloproximos dignitatem Clarissimorum honoremque percipiant: & sicuti reliqui, qui in hisdem scriniis militant, liberum cum Ordinariis Iudicibus ingressum in (c) Secretarium consessumque habere Legibus * meruerunt, ita hii quoque in quos hanc, stipendiorum meritis, Clarissimatus conferimus dignitatem, cum Spectabilibus etiam se (d) habere reuerentiam (e) recognoscant, vt consedendi ingrediendique Secretarium sciant a nobis licentiam contributam, (f) sub (g) multæ

multæ interminatione, quam Officio ſanctio * dudum indulta conſtituit. Dat. VIII. Id. Iun, Rau. Lucio V. C. Conss. [413.]

NOTAE.

(a) *Lex 5. Cod. Iuſt. eod. tit.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Fauſtinus* PP. ſub Honorio A. D. 410. quo ei inſcripta *lex 34. de nauicular.* & 413. quo hæc lex ad eum data eſt. Extat & tertia *lex* Cod Iuſt. ſine Coss. ad eum: puta *lex vlt. quæ res venire.* *IDEM.*

(c) *Ingreſſum Secretarii*, Cod. Iuſt. *IDEM.*

* *L. 5. & l. 7. ſup.* *IDEM.*

(d) *Seſe*, Cod. Iuſt. *IDEM.*

(e) *Reuerentia:* ſic & *d. l. 5.* *IDEM.*

(f) Pro *tributum.* *IDEM.*

(g) Hæc ſanctio reciſa *Cod. Iuſt.* *IDEM.*

* *L. 5. ſup.* vbi vid. *Notata.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Ingrediendi, vltro ſcilicet, ſponte ſua ſine nuncio, in ſecretaria Iudicum, consiornoiqve cum his, ius ſcriniariis antea indultum a Valentiniano Iun. *l. 5. ſup.* quod etiam Arcadio placuit *l. 7. ſup.*) hac *leg.* ſua ampliat Honorius Imp. Nempe enim ſcriniariis omnibus promiſcue (extra Proximos ſcilicet) ingrediendi in Secretarium conſidendique ius in Secretario Ordinariorum tantum Iudicum, id eſt Clariſſimorum Rectorum prouinciarum, Conſularium Præſidum, conceſſum fuerat: non vero Spectabilium Iudicum, vt ſunt Proconſules, Vicarii Præfectorum: At quibuſdam ex Scriniariis hoc ipſum nunc ab Honorio conceditur, puta vt P.161 ingredi quoque poſſint in Secretaria Spectabilium Iudicum, cumque his conſidere, nempe ſcriniariis qui ſunt ab *Exceptoribus*, ad *Mello proximos* vſque: quibus ideo Clariſſimatus dignitatem tribuit, vnde patet, nonniſi Clariſſimos ſeu Senatorios in Spectabilium Secretaria ingrediendi, cumque his conſidendi ius habuiſſe. Ergo duplici priuilegio & honore illos, quos dixi, perfundit nunc Honorius: quorum vnum, alterius antecedens eſt; alterum vero conſequens: Idque *peculiari* erga hos *fauore*, vtpote primarios inter ſcriniarios. *Melloproximi* certe, quorum etiam mentio fit *l. 17. prox.* & *hac leg.* & *lege 14. §. 1. Cod. Iuſt. eod tit.* erant, qui a Proximo ſcriniorum, primi proximique erant, proxime Proximi futuri, biennio veniente, quo tempore Proximatus biennalis fuit: anno, poſtquam annuus factus eſt: *l. proxima 17.* denique qui proximos proxime impellebant, contingebant: Quibus ideo etiam poſtea eadem dignitas tributa, quæ Proximis ipſis *d. l. 17. prox.* Poſt Melloproximos fuere inter alios *Exceptores* ſcriniorum, & inter vtroſque, medii adhuc alii: Ergo ab Exceptoribus vſque ad Melloproximos, id quod dixi priuilegium *hac l.* tributum. Cui vlterius illuſtrandæ nil immorari iuuat, quando de hoc priuilegio ingrediendi in Secretarium, ibique cum Iudicibus conſidendi ad ſuperiores leges affatim diximus, & nominatim ad *d. l. 5.* Quinimo & de diſcrimine inter Iudices ordinarios & Spectabiles hac parte, ad eam ipſam *leg.* Illud hactenus hic repetendum, Tribonianum *l. 2. Cod. Iuſt. eod. tit.* quæ ex ea *l. 5.* alioquin deſumpta eſt, priuilegium hoc ad omnes ſcriniarios indiſtincte portexiſſe. Poſtremo, quod Melloproximos attinet, fit eorum quoque mentio in veteri Inſcriptione Romæ in ædibus Colotianis, in marmore Patio rotundo *in corp. Inſcript.* DLXXXVIII. 1.

D. M.
M. AVRELIO. AVG.
LIB. ISIDORO. MEL
LO. PROXIMO. A. RATIO
NIBVS. AVRELI. HER
MES. ALVMNVS. ET. GLY
CON. NVTRITOR. ET
MAXIMVS. BENE-
MERENTI. FE-
CERVNT.

XVII. (a) Idem AA. Euſtathio viro inluſtri Quæſtori, (b) & Helioni (c) viro Inluſtri Magiſtro (d) Officiorum.

Pro biennio annum ſolum agere deinceps (e) decernimus eos, qui in tribus ſcriniis, Memoriæ, Epiſtularum, Libellorumque, ordine ac merito ſtipendiorum, ad gradum peruenerint Proximorum. Sed inter cetera priuilegia, (quæ Diualibus beneficiis ſacris ſcriniis adtributa ſunt, quæque ſalua atque intemerata in perpetuum manere decernimus,) vt (f) eorum qui poteſtatem Vicariam adminiſtrauerint, pro tenore veterum & noſtrarum Sanctionum, hii qui Proximatum egerint, honore cenſeantur. Secundi etiam Ordinis Comitiuæ codicillos accipiant, cum eum locum nacti fuerint in quo hactenus Tertiæ Comitiuæ gradu fruebantur; Ita vt ex Lege (g) iam debitos atque ſolemnes codicillos Genuino die Natalis meæ Clementiæ in poſterum dum agunt Proximarum ſingulis quibuſque annis accipiant, poſt depoſitum actum inter eos, qui Vicariam poteſtatem egerit (h) honorandi. Quam legem, ſecundum ipſorum petitionem, præterea (i) tres Melloproximos, (k) id eſt, Benagium, Hypatium, & Theodorum, circa omnes alios valere præcepimus. (l) Dat. VII. Id. Februar. Conſtantinop. Theod. A. VII. & Palladio Conss. [416.]

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. eod. tit.* primam *huius l.* sententiam continet cæteris resecatis. Meminit *huius l.* suæ Theodosius Iun. *l. 21. inf. de Palatinis S. L.* GOTHOFREDVS.

(b) Cur hæc lex *Quæstori* quoque inscribatur, dicam *in Commentario. Eustathii* porro Quæstoris sub Arcadio A. D. 404. meminit in rebus Chrysostomi Georgius Alexandrinus *n. 6.* & Theodorus Diaconus *apud Palladium, in Dialogo. c. 3. pag. 27. edit. Bigotii Paris.* vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Helio* hic sub Theodosio Iun. fuit Magister Officiorum per tredecim annos ab A. D. 414. v. *Prosopogr.* Meminit eius Olympiodorus *apud Photium*, *n.* 80. IDEM.

(d) Sub *Magistro* officiorum fuerunt Scrinia: de quo iam in *Paratitlo*, & ad *l. 6.* & *11. sup.* IDEM.

(e) Abrogatur Arcadii patris *lex 6. sup.* IDEM.

(f) Inducenda vox, *vt.* IDEM.

(g) V. *l. 10. 11. sup.* IDEM.

(h) *γρ. egerint.* IDEM.

(i) *γρ. præter tres.* IDEM.

(k) De Melloproximis, v. & *l. 26. sup.* vbi dixi. IDEM.

(l) *Præcipimus* non *præcepimus.* IDEM.

COMMENTARIVS.

De dvratione, dignitate, promotione Proximorum trium scriniorum (nam de his nominatim hic agitur) est hæc Theodosii Iun. constitutio; Quæ ad similitudinem Honorianæ patrui sui constitutionis proxime accedit, puta *Leges 11. sup.* Vicauersa quæ multa noua circa Proximos in Oriente constituuntur: de quibus sigillatim.

Ante omnia vero notandum est, *hanc leg.* ad duos Magistros emissam, ad duos inquam Illustres, ad Quæstorem scilicet, & ad Magistrum officiorum. De Magistro officiorum iam ex superioribus *legibus* scimus, sub eius dispositione fuisse scrinia Palatii. Sed quid faciat hic Quæstor? Nempe quia sub dispositione eius erant *Leges dictanda, Precesque:* isque Subadiuuas, Adiutores Memoriales habebat de *scri-* P.162 *niis* diuersis, quos volabat, vt diserte testatur *Notitia Imperii, f. 139.* Quare similiter *lex 13. C. Iust. eod. tit.* de proximis sacrorum scriniorum ad Quæstorem sacri Palatii data est, vbi pariter, vt de iisdem agit *l. hac* & *lege 14.* & *l. 15. seu vlt. C. Iust. eod. tit.* numerum definit Iustinianus, vel potius reducit Adiutorum Quæstoris, ex singulis scriniis, in vniuersum XXVI. puta XII. ex scrinio Memoriæ, VII. ex scrinio Epistolarum, VII. ex scrinio Libellorum. Qua ipsa *leg.* & alia nonnulla præterea de scriniis continentur. Eodem pertinet & vetus idiographum, a Cuiacio laudatum *ad lib XII. C. tit. 16. leg. 13. Flauius Theodorus V. D. Memorialis sacri scrinii Epistolarum, Adiutor V. M. Quæstoris sacri Palatii scripsi manu mea in vrbe Roma Constantinopolitana III. Kal. Iunii, Mauortio V. C. Cos. Iustino & Iustiniano Impp.* Denique scrinia vtriusque dignitati & officio destinata erant; & Quæstoris & Magistri officiorum: Quæ causa est, cur & Quæstori & Magistro officiorum hæc *lex* inscribatur. Vbi etiam notandum Quæstorem præmitti Magistro officiorum, pariter vt *Rubric.* & *l. 1. 2. sup. de Quæstorib. Magistris officiorum*: & apud Cassiodorum *VI. Var. 5. 6.* eum tamen in *Notitia Imperii* quæ sub eodem Theodosio Iun. scripta est, postponatur: de quo iam dixi ad *d. l. 1.*

Nunc de *Lege* nostra, quæ sex sententiis, seu capitibus constat.

Primum est de *Duratione* Proximatus: nempe annum esse iuber Theodosius Iun. *h. l.* quod rursum memorat, & extendit ipse *l. 21. inf. de Palatinis S. L.* quod biennale hactenus erat in Oriente ex Patris Arcadii constitutione, *l. 6. sup.* & *l. vlt. inf. de mensoribus*: etsi annuum iam in Occidente pariter esset ex Honorii *l. 11. sup.*

Secundo capite Theodosius Iun. post confirmata cætera priuilegia, quæ anterioribus constitutionibus sacris scriniis delata fuerant, ex-Proximis *Vicariam* dignitatam & ipse concedit, pariter vt *l. 2. 4. 10. 11. sup.*

Tertio, *Comitiuam secundi ordinis* Proximis scriniorum defert; quod *proxima l. 18.* quoque repetitur, cum hactenus tertii Ordinis Comitiua hi decorarentur: de qua Comitum distinctione plene *supra, ad l. vlt. de Comitibus & Tribunis scholarum.* Et nominatim de Comitiua secundi ordinis, *l. 8. inf. de Agentibus in reb.* Hinc interim quoque videmus, honorum & dignitatum Proximorum hac ætate in maius processum, vt cæteroquin quique hac ætate maioribus iam dignitatibus inserti & insigniti. De Proximorum alioquin Comitiua V. & *l. 10. & 11. sup.* & *d. l. 18. inf.*

Et ita quidem, (quod quartum) Comitiua hæc Proximis defertur, vt non speciali concessione opus sit, verum ex Lege iam debitos & solemnes Comitiuæ istius codicillos habeant & accipiant. Quomodo & aliis quoque vsu venit, vt delata primum ex speciali concessione dignitas in solemnem euaserit.

Quinto, Tempus auspicale ineundi Proximatum, seu promotioni ad Proximatum Theodosius Iun. *h. l.* genuinum Diem suum Natalem destinat: eodem exemplo quo Honor. Imp. Theodosii huius patruus suum in Occidente destinauerat, *l. 11.* vbi de hac destinatione diei Natalis, deque Genuino die Natali dixi. Certe idem Theodosius Iun. postea promotioni ad Primiceriatum in officio Com. S. L. & Com. R. P. eundem genuinum Natalem suum destinauit, *d. l. 21. inf. de Palatinis S. L.* Theodosii Iun. porro Natalis dies genuinus, cuius vt dixi mentio iterum fit *d. l. 21.* incidit A. D. 501. in IV. *Idus Aprilis.* Testis Socrates, *lib. 6. cap. 6. in fin.* τὴν δὲ ἑξῆς ὑπατείαν ἐδίδε Φραύιτος Γότθος μὲν αὐτὸς τῷ γένει &c. καθ' ἣν τίκτεται τῷ βασιλεῖ Ἀρκαδίῳ υἱὸς ὁ ἀγαθὸς Θεοδόσιος τῇ δεκάτῃ τοῦ Ἀπριλλίου μηνός: *Sequenti vero anno consulatum gessit Frauitus, natione quidem & ipse Gothus* &c. *Quo quidem anno Imperatori Arcadio, natus est filius optimus Theodosius, quarto Idus Aprilis.* Marcellinus *Chronico* Vincentio & Frauitta coss. *Theodosius Iun. patre Arcadio natus est IV. Id. Aprilis*: & Auctor Chronici Alexandrini *pag. 713. edit. Raderi.* ὑπ. Βικεντίου καὶ Φλαβίου [γρ. Φραβίτου] αὐτῷ τῷ ἔτει ἐγεννήθη ἐπιφανέστατος υἱὸς Ἀρκαδίου Αὐγούστου μηνὶ Ξανθικῷ πρὸ δ. Ἰδῶν Ἀπριλλίων. *Vincentio & Flauio Coss. Eodem anno natus est illustrissimus Arcadii Augusti Filius mense Xanthico III. Idus Aprilis.* Sozomenus *lib. 8. cap. 4. in fin.* Consulatum quidem adsignat, at non diem.

Postremo capite *huius leg.* Proximorum priuilegia, dignitatem, ad *Melloproximos* quoque porrigit: de quibus Melloproximis iam ad *l. 16. sup. prox.* Quod & ipsum exemplum hoc æuo est, dignitatis in dies augescentis. Hac vero parte, duo addit: Primo, ad postulationem ipsorummet Proximorum,

rum, ſi bene capio, hanc dignitatem nunc Melloproximis communicari, qui ſcilicet proximo loco Proximos contingebant: neque tantum, ſi & ipſum iſtud recte capio, Melloproximis, qui tum erant, ſi bus, quorum nomina exprimuntur, verum etiam deinceps, omnibus Melloproximis.

XVIII. (a) Impp. THEODOSIVS, & Valentinianus AA. Acacio (b) C. S. L.

TAM Proximo ſcriniorum, quam Comiti diſpoſitionum, pro delata eis Comitiuæ Secundi ordinis dignitate, veſtem ex integro (d) in poſterum præberi Tua Celſitudo (e) diſponat. Dat. VII. Kal. Decemb. Conſtantinop. DD. NN. Theodoſio XII. & Valentiniano II. PP. AA. CONSS. [426.]

NOTÆ.

(a) Abeſt hæc lex a Cod. Iuſt. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Acacio* huic Comiti S. L. inſcribuntur hoc ipſo anno 426. duæ præterea Leges: puta *lex 16. de murilegulis: l. vlt. de diuerſ. offi.iis. IDEM.*

(c) *Comiti S L.* cur hæc *lex* inſcribatur; mox dicam. *IDEM.*

(d) Ita Cuiacius ex coniectura. *IDEM.*

(e) *Celſitudinis* titulus tributus Comiti S L. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE VESTE Proximis ſcriniorum, & Comiti diſpoſitionum, ex ſacris largitionibus præbenda, eſt hæc Theodoſii Iun. conſtitutio. Vbi *primo* notandum, hanc leg. *Comiti S. L.* inſcribi, eaque iuberi eum diſponere, vti veſtis hæc iis præbeatur: Nempe, quia ſub diſpoſitione Comitis S. L. vt ex *Notitia Imperii* diſcimus, *fol. 140 141.* (quam ergo haud inanibus argumentis anno prox. 437. conſcriptam cenP.163 ſeo) erant *Comes Veſtiarii*, *Magiſtri lineæ veſtis*, *Magiſtri priuatæ*, *Procuratores Baphiorum*, *Linificiorum*: itemque inter Officiales eius *Primicerius ſcrinii veſtiarii ſacri*: de quibus quoque teſtis vel *lex 16. inf. de murilegulis*: quæ eodem hoc Anno 426. eidem Acacio Com. S. L inſcribitur. *Secundo* notandum, *Comitiuam ſecundi ordinis* Proximis ſcriniorum, loco Comitiuæ tertii ordinis, ab eodem Theodoſio Iun. conceſſam, ante decennium iam *l. 17. ſup.* Imo & Comitibus diſpoſitionum (qui cæteroquin etiam cum Proximis æquati, de quo ad *ll. ſuperiores:*) quod hæc *lex* teſtatur. Ex hac iam Comitiuæ ſecundi ordinis conceſſione, conſectarium hoc educit nunc hac conſtitutione Theodoſius Iun. atque adeo iubet, Proximis ſcriniorum & Comiti diſpoſitionum, pro delata eis Comitiua iſta, veſtem in poſterum *ex integro* præberi oportere Comitis S. L. diſpoſitione. Ex *integro*, quomodo Cuiacius expreſſit: Quod quid ſit, difficile eſt diuinare. Cuiacius edidit hic *ex integro*, id eſt, vt *l. 16. de bonis proſcript. l. 28. de ſuſceptorib. l. 177. de decur.* ex aſſe, in ſolidum, ſic vt tota veſtis gratuita ei præbeatur; cum antea non tota gratuita daretur: Ita Theodoſius *Nouell. 11. de bonis Decur. l. 2. Heres ſcribatur ex integro.* Sed forte legendum eſt, *ex intexto*, nam MS. nil exhibet præter, *ex in... Ro*, vt ſcilicet velit Theodoſius veſtes ἐπισήμους, *intextas*, præberi: Nam & ita ad Archelaum Comitem S. L. ſcriptum *in l. 1. inf. de veſtibus olouereis. Auratas*, inquit, *ac ſericas paragaudas auro* INTEXTAS *tam viriles quam muliebres priuatis vſibus contexere conficereque prohibemus: ſed Gynæceis tantum noſtris fieri præcipimus.* Et *intexendi* verbum proprium Phrygionum. Vnde & *textores* plumarii Varroni apud Nonium, *c. 2. num. 716.* & Firmico, qui ſcilicet acu lintea & veſtes variabant, qui *extexere* dicebantur: inde *Plumariorum textrina* apud Vitruuium *lib. 6. c. 6.* Sed & Tertullianus *libro 1. c. 1. de cult. fœmin. Tyrii*, inquit, *tingerent & Phryges inſuerent, & Babilonii* INTEXERENT. Ouidius adhuc *Met. VI. 577. Purpureaſque notas Filis* INTEXVIT *albis.* Et Martialis, *Ep. VIII. 28. Babylonica picta ſuperbe* TEXTA, *Semiramia quæ variantur acu.* Et Plinius *H. N. 8. c. 48.* ſcribit, diuerſos colores picturæ INTEXERE Babylonem maxime celebrauiſſe & nomen impoſuiſſe; & contextio *l. vlt. inf. de milit. veſte.* Igitur, *ex intexto* voluerit Theodoſius veſtem præberi, quæ Comitibus tertii ordinis non dabatur. Suum ſcilicet cuique dignitati veſtis genus fuit, & e ſacris largitionibus præbebatur: vid. quæ dicam ad *l. 11. inf. de Palat. S. L.* *Ex intexto* veſtis, cui intextum quid: ἐπίσημος veſtis Græcis apud Laërtium de Ariſtotele *in vita eius pag. 165. edit. H. Stephani*, ἐσθῆτι ἐπισήμῳ χρώμενος. Ita Plinius ſcribit, *lib. 35. c. 9.* Zeuxim vſum *palliis quæ teſſeras auro* INTEXTAS *haberent.* Sic ἐπίσημον ἀργύριον ſignatum, ἐπίσημα vaſa, ſculpta, cælata, ſignis aſpera, ἐπίσημοι anuli, apud Pollucem, *in Onomaſt. lib. 3. cap. 10.* & *lib 5. c. 16.* qui gemmam habebant, quadrata multiſignia, Varroni apud Nonium. *c. 18. num. 4.* Contra tunicæ *aſema*, apud Lampridium *Alex. Seuero cap. 33.* quæ carent purpura, nil intextum, nullum clauum habentes: ita ἀσήμους ἐσθῆτας Philoſtratus, *lib. 3. vita Apoll. c. 16.* qui intextum ex auro non habebant. Igitur Comitibus tertii ordinis aſemæ tunicæ datæ ex S. L. quas *lineas puras* vocari exiſtimo, apud Vopiſcum *Aureliano cap. 48.* vt *pura vexilla* apud eundem Vopiſcum *in vita Probi c. 5. pura mantilia* apud Spartianum, *Alex. Seuero, cap. 37. pura ſcuta*, quæ Seruius depictis opponit: Certe linteaminis amicturis in Palatinorum vſus mentio *l. 48. de curſu: Epiſema* vero, ſeu *ex intexto*, Comitibus ſecundi ordinis. Atque hanc huic *l.* ſententiam omnino exiſtimo. Niſi quis hic legendum putet, *ex integro bero*, id eſt, olouera m veſtem: de qua veſte *ſuo titulo*. Verum priori emendationi noſtræ ſemper adhæreo.

DE

DE AGENTIBVS IN REBVS.

TITVLVS XXVII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XX. Sexto Aurelio Victori *de Cæſ. c. 39. Agentes rerum.* ἀγγελιαφόροι Græcis. *In rebus*, id eſt, in negotiis publicis exequendis, dixi ad *l. 1. ſup. de proximis*, in Oneribus efficiendis Nouella Valentin. 14. ſiue 37. inter Theodoſianas edit. Cuiac. Pariſ. *vt ſoli quidquid* ONERIS *eſt & profiteri & efficere videantur.*

PARATITLON.

AGENTES in rebus, *Rubr.* & *toto titulo*, De quibus agitur inſuper, *duobus titulis proximis*, *de Princip. Agentium in rebus*, & *tit. de Curioſis*, & *l. vlt. ſup. de Senatoribus*, *l. 3 in fine*, & *l. 7. inf. de priuil. eorum qui in S. Pal. l. vn. de menſoribus: l. 16. de diuerſ. offic. l. 2. inf. de Commeatu: l 7 9. 14. 49. de curſu publico: l. 4. 7. inf. de executoribus, l. 17. inf. de exactionibus: l. 29. de hæreticis: l. 16. 24. de Iudæis, l. vn. inf quib. milit. ad vrbem acced. l. 20. inf. de nauiculariis:* militaribus meritis ſubnixi, *d. l. 3. in fin. de priuil. eorum qui in S. Palat.* in Palatio militabant, *l. 2. h. t.* Palatini erant, *d l 3. in fin.* Ambroſius *ep. 20 num. 7. ad Marcellinam ſororem* (etſi alio ſenſu a Palatinis diſtinguantur, *l. 29. inf. de hæreticis*) in Comitatu *l. 15. h. t.* Ac nominatim in actu Reipublicæ diuerſabantur, *l. 4. h. tit.* Hi enim miſſionibus
P.164 Principis parebant, *d. l. 4. h. t.* iis a Principe in prouinciis negotium iniungebatur aliquod, ſeu negotium aliquod executioque eius iniungebatur: *l. 15. hoc tit. d. l. 4. 7. inf. de executoribus*, & *d. l. vn. quibus milit.* Ambroſius *2. off. 29.* ad prouinciam mittebantur, *d. l. 17. inf. de exactionibus:* variis ex cauſis ob fiſcalis tituli debitique exactionem, *d l. 17.* quo caſu non poſſeſſores per ſe conueniebant, verum Rectoribus & officiis eorum imminebant, *d. l. 17.* ad mouendum militem, *d. l 7. de curſu public.* ad litteras Principis perferendas, Symmachus *lib. 2. ep. 62. & lib. 6. ep. 36. lib. 7. ep 59.* Libanius *Apologia adu. eos qui ſuam docendi methodum accuſ.* & retro ad referenda ad Principem acta publica, & literas Magiſtratuum: Symmachus *lib. 10. ep.* 37. Breuiter, qui Principis iuſſis obſecundabant, *d l. 9. de curſu publ.* Qui publicæ neceſſitatis cauſa dirigebantur, vel in prouincias, *d. l. 4. & 7. inf. de executorib.* & *d l. 17. de exactionib.* vel in vrbem, *d. l. vn. inf. quib. militantibus.* Hinc & portitor præcepti Agens in rebus dicitur, *l. 7 inf. de executoribus*, & executio Agentium in rebus, *l. 11 h. t.* vid & *d. l. 2. inf. de commeatu: d. l. 7. 9. 14. inf de curſu publ.* vid & Symmachum *lib. 10. ep. 44.* Item labor, *l. 3. h. t.* & Agentes plenum vigiliarum munus exercere, *d. l. 7. de priuil. eorum qui in S. Pal.* Hinc & *Nouella cit.* Valentiniani, *inter Theodoſ. 37.* dicuntur, Agentium labores, ſollicitudines, vigiliæ tantæ eſſe, vt ſoli quidquid oneris eſt, & profiteri & efficere videantur. Horum ideo ſcholam Principibus neceſſariam maxime vocat *lex 12. hoc tit.* militiam ſpectatam *l. 18. h. t.* militiam non temnendam, *l. 16. h. t.* Ideo quoque curſus publicus in id Agentibus in rebus præbebatur a Principe, vel Magiſtro officiorum, *d. l. 7. 9. 14. 49 de curſu. publ.* Hinc & Curioſi ex his ſumebantur: de quibus ideo *altero* abhinc *titulo* agitur.

Erat autem horum Agentium in rebus ſchola quædam (vt cæterorum qui in Palatio militabant) cuius mentio fit *l. 3. 4. 9. 12. 14. 17. 18. 19. 22. hoc titulo:* & *d. l. vlt. ſup. de Senatoribus:* & *l. 4. inf. de Curioſis:* ſeu certa matricula, *l. 15. 23. h. t. l. 4. inf. de executorib.* conſortium, *l. 17. h. t.* & Am. Marcellinus *lib. 16. c. 5.* collegium, *l. 18 h. t.* certo & ſtatuto numero, *l. 8. 20.* & *l. vlt. h. t.* Idque ſub diſpoſitione Magiſtri officiorum, *l. 3 4 7. 8. 9. 11. 14 15. 17. 18. 19. 20.* & *vlt. hoc tit l. 8. inf. tit. prox. de Principib. Agent. d. l. 2. inf. de commeatu: l. 29. inf. de hæreticis* vid. & Ambroſ. *2. officior. 29.* . vnde & Græcis Μαγιστριανοὶ, Olympiodorus *apud Photium*, *& Tom. I. Script. Rer. Byzant. p 150 edit. venet.* vbi de *Euplutio:* Palladius *cap. 97. p. 154. ed. Meurſ.* (quo loco Hernelides *cap. 53* Agentem in rebus habet.)

Inter eos plures Gradus erant, *l. 3 7. hoc t.* ſeu ſcholæ plures, *l. 6 inf. de Curioſis.* Summus honoris gradus erat, *l. 19. h. t.* PRINCIPVM, de quibus *l. 5. 6. 8. 10. 13 16. 19. 20. 21 22. hoc tit* & *titulus Proximus peculiaris:* & *d. Nouella* Valent. *inter Theodoſ. 37.* Vnde & Principatus Agentium, *l. 13 h. t.* Principatus officium, *d. l. 13.* dignitas, *d. l. 19 h. t.* Qui & Primates dicuntur, *l 22. h. t.* & primi ſcholarium, *l 6. inf. de curioſis.* Ad hunc gradum hi perueniebant poſt iugis militiæ tempus veluti præmio laboris, *l. 13. h. t.* impleto militiæ ordine ac labore: *l. 20. 21. h. t.* militiæ fine, *l. 22. h. t.* poſt ſæua ſæpe pericula, vitæque interdum renunciationem: *l 6. Cod. Iuſt. de Princip. agent in rebus.* ex Ducenariorum gradu (de quo mox) *l. 20. 21. hoc tit.* vnde & Principatus Ducenæ dicitur, *l. 21. h. t.* & *l. vlt. ſup. de Senatoribus.* Qui ſcilicet ex Ducenariorum gradu officii ſeu Officialium Præfecti Prætorio vel Rectoris prouinciæ Principes fiebant: de quibus eſt quoque *lex 8. 16. 19. h. t.* de quibus eſt *inf. tit. prox. peculiaris.*

Dignitas & priuilegia horum Principum magna erant. Senatores quippe fuere: & primo quidem Rationalibus tantum prælati, *l. 2. inf. tit. prox.* mox inter Consulares, *l. 5. 6 10. & 12. hoc tit l vlt sup de Senatoribus:* dein inter Vicarios, *l. 20. 21. 22. hoc tit.* tandem & Proconsulibus exæquati, *l. 7 inf de Princip Agent in reb.* Senatores vero erant inter Adlectos, & immunes a Senatoriis muneribus: *l 6. h. t.* a glebali functione, *dict. l. vlt sup. de Senatorib.* (quod tamen negari videtur *l 22 h. t.* ab extraordinariis collationibus, veluti Iuniorum) id est, Tyronum, *l 13. h. t* Principatum denique e Ducena sumentibus licebat, pro se liberos ac fratres suos in eadem militia, Agentium in rebus, Principis nutu collocare, *l. 8 in fine h t.*

Agentium in rebus ipsorum quinque gradus, qui omnes ordine continentur Leonis *l. 3. Cod. Iust. eod tit.* DVCENARII: ex quo gradu eus ad Principatum venisse diximus: ex *leg. 8. & 20. hoc tit.* Hinc Ducenæ dignitas, *d. l. 20. & 21. h. t. & l. 3. infr. de cohortalibus: l. 1. infr. de Cæsarianis: l. 1. infr. de murilegulis: l. 5. infr. de Decurionib.* & Principatus Ducenæ. *d. l. 21. & d. l. vlt. de Senatoribus:* Secundo, Ducenariis proximi erant CENTENARII: Vnde & Centenæ dignitas, *l. 7. h. t. & d l. 3. de cohortal. l. 1. de Cæsarian. l 1. de murileg. l. 5. de Decurionib.* Post hos Tertio erant BIARCHI, quorum nulla mentio fit *hoc Codice*, qui inter Centenarios & Circitores erant, *d l. 3. Cod. Iust. eod. tit.* Quarto igitur loco erant CIRCITORES: de quibus *l. 3. h. t. & d. l. 3. Cod. Iust. eod. tit.* Post hos tandem EQVITES: de quibus *d. l. 3. h. t. & d. l. 3. Cod. Iust. eod.* qui primus honor dici videtur *l. 4. h. t.* qui receptis in
P.165 scholam Agentium primus per gradum post emeritum laborem deferebatur, *d. l. 3. & 4.* ceteri TYRONES vid. Symmachum *lib. 6. ep 53.*

In commune de Agentibus in rebus sequentia notentur. Primo, in scholam Agentium in rebus admissos nonnullos ad petitionem; & suffragationem certarum dignitatum: *l. 8. hoc tit.* nonnisi consulto Principe, seu adnotatione Principis: *l. 3. 4. 11. hoc tit* quæstione habita *d. l. 3.* sub maiore parte probatos moribus, & origine inquisita: *l. 4. 17 hoc. tit.* Item singulari priuilegio Ducenariis sumentibus Principatum, pro se liberos ac fratres suos in eadem militia collocare licuit, *l. 8. h t.* Secundo, non omnes promiscue admissi: non Officiales Iudicum, *l. 16. de diuers offic* non Iudæi & Samaritani, *l. 16. 24 de Iudæis:* non hæretici, *l. 29. de hæreticis:* non nauicularii, *l. 20. de nauicul.* Tertio, Noui a primi honoris auspiciis vacauere quinquennio: *d. l. 4. h. t.* Quarto, Augmentum graduum, *l 9 h. t.* (quod *crescendi* verbo significatur, *l 8. h. t.*) honorum, *l. 3. h. t.* singulorum, *l. 4. h. t.* proximorum, puta pariter Principis seu Imperatoris singulis annis percepere, *d. l. 3. h. t.* ordine stipendiorum & laborum merito, *l. 14. h. t.* præcedentium dimissione, *d. l. 4. h. t.* omni obreptione cessante, *d. l. 14.* sic etiam vt in gradum semper aliquem promotus, vltimus in eo haberetur, *l. 9. h. t.* duobus tantum exceptis, quos Princeps per singulos gradus extra ordinem addere poterat, *d. l. 3. h. t.* Quinto, *Priuilegia* Agentium in rebus certa & debita quædam erant, *l. 20. inf. de nauicular.* veluti in cursu publicu vsurpando, *l. 7. 9. 14. de cursu publico:* Item Curia liberabantur, si certo annorum numero inter Agentes fuissent, *l. 1. 2. 16. hoc tit. l. 14. inf. de priuil. eorum qui in S. Pal.* ad Nauiculariam etiam functionem vocari non poterant, si genere nauculario non essent, neque possessiones nauiculariæ functioni obnoxias possiderent, *l. 20 de nauicular.* Priuilegiis denique militaribus subnixos fuisse ait *lex 3. in fin. de priuil. eorum qui in S. Palatio:* vbi vid. quæ notaui etiam de horum militari habitu, cum chlamyde & baltheo.

Postremum caput de Agentibus est de *Pœnis, & Criminibus* eorum. Discingendi, abiiciendi eos Magistro officiorum ius erat, *l 17. & 18. h. t.* vnde abiecti hi dicti *d. l. 18.* In desertoribus & latitantes vltra commeatus, vel iniuncti negotiis tempus, pœna sancita, *l. 15. hoc tit. & l. 2. infr de Commeatu.* Furtis infames fuere, *l. 3. supr. de iurisdictione:* deque eorum rapacitate insignis locus extat apud Am. Marcellinum *lib. 16. c 5.* & Victorem *de Cæs. c 39.* Rapta vero in duplum restituere tenebantur: *dict. l. 3. de iurisdict.* Adulteriis quoque seu libidine laborabant, *dict. l. 3.* In eos denique delinquentes, Rectores Prouinciarum quoque statuere poterant, *d. l 3.* pariter vt Præfecti Prætorio in Curiosos ex Agentibus, *l. 3. infr. de Curiosis.* Impotentiæ denique Agentum in rebus occursum variis rationibus: Nam & in eam Prouinciam ex qua oriundi erant, vel in qua larem collocassent, mitti non potuere, *l. 4. infr. de executoribus.* Item accessu vrbis Romæ, nisi missi, pruhibiti, *l. vn. quib. milit. ad vrbem non lic. acced.* sibi denique iniuncto tantum munere defungi debebant, non etiam alteri collegæ suo iniunctum collegii iure præsumere, *l 7. infr. de executoribus.*

Paratitli quoque vice hic sternere iuuat Scriptores, qui Agentium in rebus meminere: Sextus Aurelius Victor *in Diocletiano c 39.* Athanasius *Apolog ad Constantium l. p. 679 ed. Weidman. Lips. siu. Coloniens.* (quo loco male editum Αγεντισηρικὸς, vnde etiam inculariter Interpres *Præfectos Sericorum* fecit, rescribendum enim Αγέντες ε ῥέβυς.) Frequens mentio apud Am. Marcellinum, ac ferme nouem locis, *lib. 14. c. 11 lib. 15. c. 3. lib. 16. c. 5. 8. lib. 22 c. 3. & 7. lib. 28. c. 1.* Plenæ & Libanii urationes *Orat funebri in Iuliani Imp. necem, p 294 295.* (quem locum proferam integrum, ad *l. 1. inf. de Curiosis:*) & *p. 305. in Orat. pro Aristophane p. 213. Orat in eos qui docendi eius methodum culpabant, p 592 Orat. πρὸς τὺς βαρὺν αὐτὸν καλέσαντας; aduersus Florentinum, p. 425. adu. Icarium, p 472. edit. Morell* Ambrosiu- *ep. 20 num 7. ed Benedict. ad Marcellinam sororem, & lib. 2 officiorum c. 29.* Symmachus, *lib 2. epist. 24. 62 lib. 6. ep 36. 53 lib. 7. ep. 34. 59 107 lib. 9. ep. 16. lib. 10. ep. 36. 37. 44. 63.* seu *vltima* (Hieronymus *in cap. 1. Abdiæ, & in c. 1. Amos.*) Acta

colla-

collationis Carthag. *initio cognitionis Tertiæ*. Priscus Rhetor *in excerptis Legationum*, *p. 26. Tom. I. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* & Notitia *Imperii. fol. 42.* Quorum omnium testimonia, vbi opus erit, postea adsumam: vt & quæ de Magistrianis (sunt enim hi Agentes in rebus, inde dicti, quod sub Magistro officiorum agerent) aliorum testimonia.

P.166 ## CVRIALI *nexu Agentes in rebus, quot annorum spatio liberentur, Constantii lex.*

I. *(a)* Impp. CONSTANTIVS A...... *(b)* PP. Post. alia.

DE (c) Agentibus in rebus Si quis annos viginti transierit in obsequio, minime eum ad Curiam reuocari. (d) Quod & circa Scrinia (e) nostra & Cancellarios, (f) & Largitionales, (g) & Officiales Comitum Rerum Priuatarum volumus obseruari: & cetera. Dat. VIII. Id. Mart. Constantio A. VII. & Constante Cæs. CONSS. [354.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendæ *huic legi* videri possunt *lex 5. inf. de cohortalib.* seu *4. 5. 6. de diu. officiis.* de quo mox. *GOTHOFREDVS.*

(b) In ipso MS. abest nomen P. P. ad quem hæc *lex* emissa est, nisi quod plenius ibi, *AD PP. IDEM.*

(c) Hæc verba, *De Agentibus in rebus* recte in Cuiacii *editione prior.* & in ea quæ post prodiit *in Quarto*, ad Inscriptionem *Legis* retracta sunt: non vt in Parisiensi postrema editione ad *initium Legis*, seu *ipsius Legis contextum.* Nempe caput hoc ex prolixiore constitutione excerptum, qua varia capita continebantur. Simile exemplum in *l. 6 sup. tit. prox. de Proximis*: & *d. l. 4. 5. 6. de diu. offic.* & *l. 9 inf. de indulg. debitorum*: De quo, *in Prolegomenis huius Codicis. IDEM.*

(d) Supple, *volumus*, vel quid tale: quod perperam omissum ab *huius Codicis* Conditoribus, cum *Legem* hanc a corpore suo diuellerent. De euiusmodi næuis *in Prolegomenis. IDEM.*

(e) Vide *l. 1. sup. de Proximis*, & quæ *ibi* diximus. *IDEM.*

(f) De *Cancellariis* dixi *suo titulo*, qui vltimus est *Libri 1 de Assessoribus Domesticis & Cancellariis. IDEM.*

(g) De his *Largitionalibus*, & *sequentibus*, *inf. tit. de Palatinis S. L.* Agitur de his & *d. l. 6. inf. de diu. offic. l. 1. de priuil. appar. Magisteriæ Potest.* Vopiscus, *in Carino cap. 20. IDEM.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. vnica hæc *hoc titulo* constitutio de Agentibus in rebus occurit: cuius eiusdem alioquin quinque extant de iis, & ad eos, *inf. tit. de curiosis*: e quibus colligimus, quo animo erga eos comparatus fuerit Constantius: Certe *l. 2. in-nino*, verba hæc affectus iudiciique plena occurrunt. *Agentes in rebus in curis agendis, & euectionibus publicis cursus inspiciendis, nostrorum memores præceptorum credimus in omnibus velle profutura Reipublicæ.* Et idem tamen iis, ac curiosis nominatim euagantibus modum posuit *illis Legibus*, quod necessarium fuisse Libanii testimonio docemur; quod exhibemus ad *l. 5. huius tituli.* Nunc de *hac leg.* CVRIALI conditione seu nexu Agentes in rebus quot annorum militia liberentur, definit Constantius Imp. *hac leg.* quæ pars est prolixioris constitutionis, vt ostendunt illa, *Post alia*; item illa *de Agentibus in rebus*: quæ ostendunt, hoc ἀπάνθισμα esse, seu caput constitutionis quæ diuersa capita continebat: de euiusmodi Inscriptionibus dixi semel. *in Prolegomenis.* Et certe videntur huic *legi* coassandæ *lex 5. inf. de cohortalib.* & *lex 4. 5. forte* & *6. inf. de diuersis officiis*, velut eiusdem constitutionis partes: qua definitum fuit, quando, quotque annorum spatio, Curialis conditio euitari possit, Militia Agentium in rebus, Scriniariorum, Largitionalium, & Officialium Comitis R. P. Vt vt sit, argumento certe illæ conueniunt, & Inscriptionibus & Subscriptionibus ex parte. Ad rem. Igitur viginti annorum militia inter Agentes in rebus Curiam euitari posse, definit Constantius. Idemque & de Scriniariis S. Pal. & de Largitionalibus, id est, Officialibus Com. S. L. (de quibus *suo titulo*) & de Officialibus Comitis R. P. definit. De Curiali conditione euitanda per militiam in schola Agentium in rebus, sunt prætetea *lex 2. prox.* & *l. 16. inf. h. t.* Atenim hoc omne postea immutatum. Iulianus quippe paulo post, post tertium militiæ annum eos qui in palatio Agentes in rebus militassent, Curia liberauit, *l. 2. prox. inf.* Idemque Scriniarios quindecennali militia Curiali nexu absoluit, *l. 1. sup. de proximis.* De cuius Imp. Iuliani alioquin animo, studioque erga Curias dixi ad *eam l. 5.* & plenius adhuc ad *l. 50. inf. de Decurionib.* Istud interim ex *hac l.* videmus sub Constantio Imp. & hoc æuo Curialium Curiis derelictis multos ad Agentium in rebus militiam se contulisse: quod etiam discimus ex Libanio Antiocheno, *Orat. in Iuliani necem, p. 294. edit Morell.* οἱ τὰς αὐτῶν πατρίδας τῆς παρ' αὐτῶν ἀπεστερηκότες χρείας, βουλὰς ἀποδράντες καὶ νόμους λειτουργιῶν εἰς Αγγελιαφόρους τελέσαντες ἐπονοῦντο μὲν πευθῆνες (Curiosi) καταστῆναι. *Qui patriam suam priuauerant vsu & commodis ab ipsis profectis: consilia & leges publicorum muniorum defugientes nempe qui nuntiis mittatis satagebant vt percontatores constituerentur.*

CVRIA *quot annorum spatio Agentes in rebus, & quinam liberentur? Iuliani lex.*

II. (a) Impp. IVLIANVS A. Secundo PP. *(b)*

EX his qui in Palatio (c) Agentes in rebus militauerint post tertium (d) annum militiæ nemo

in Oriente Theodosius Iun. pariter annalem reddidit, *l. 17 infr. hoc tit.* & *l. 21. inf. de Palatis S. L.*

De huius vero temporis coarctati ratione, diximus ad *d. l. 6.* quam & aliquatenus ingerit Secundum *huis leg.* caput: quo statuitur, vt per ordinem succedentes Proximo decedente, Proximatum obtineant: & sic, quod *fine l.* dicitur, vt Ambitione expeti non possit, quod laboris præmium esse debet. Ergo successiuo ordinique hac in re locum esse voluit Honorius, non vero Ambitioni: Nempe honoris augmentum labore non ambitione ad quemque in scholis & corporibus peruenire voluerunt Imperatores, neque debitum laboris præmio locum ab aliis præuerti: quam in rem sunt plures huius libri constitutiones.

Tertio capite Honorius *vicariam* dignitatem Ex-Proximis, haud aliter atque si eam ipsam dignitatem egissent, gessissent; confirmat: iuxta Patris sui, quod ipsemet profitetur, Theodosii M. constitutionem, *l. 4. sup.* non quidem quasi non & antea Vicaria hæc dignitas his collata fuerit, verum quia accuratius is tempus definiuerat, a quo Vicaria hæc dignitas computanda esset: de quo ad *eam l. 4.*

Obiter interim obseruandum, quod Honorius Patrem suum Theodosium M. *singularem meritorum arbitrum* vocat: Nempe Theodosius non vna constitutione dignitatum ordinem stabiliuit, singulisque pro ratione meritorum suum gradum adsignauit: Cui rei fidem faciunt iam tot supra Theodosii M. constitutiones de ordine dignitatum, quas superius digessimus: *Lex 1. sup. vt dignitatum ordo*: cui socianda *lex 7. de honor. codicillis*: *Lex 2. de Præfectis Prætoria*, cui socianda *lex 2. de Quæstoribus*: *Lex 1. de Primicerio & Notariis*: *Lex 3. eod. tit.* cui coassanda *lex 6. de honor. codic. Lex 5. de domesticis*, cui coniungenda *lex 4. Cod. Iust. de off. PP. Or.* Denique *Lex. 4. sup. h. t.* cui iungenda & *lex tit. inf. de Decurionibus.* Quæ omnes ostendunt, quam accuratum sese Princeps ille præbuerit in disponendis dignitatibus. Et forte Arcadium fratrem perstringere videatur Honorius, qui a Patris institutis hac parte sæpe diuersus fuerit.

P.257 Quarto capite confirmat Honorius omnia priuilegia, quæ cunctis scriniis omnes retro Principes diuersis Legibus præstiterunt: quomodo & Arcadius ex parte *l. 7. sup.*

Postremo capite Honorius Imp. inchoandi, celebrandi Comitiuæ Proximatus Tempus statum certumque definit: nempe Natalem suum, quo scilicet natus est: qui quidem incidit in 5. Idus Septembris, vt docet Author *Fastorum Siculorum*: vel vt alii malunt, Chronicum Alexandrium *ad an. 384. p. 706. ed. Rader.* ὑπ. Ῥιχομήρου καὶ Κλεάρχου. Αὐτῷ τῷ ἔτει ἐγεννήθη Ὁνώριος ἀδελφὸς γνήσιος Ἀρκαδίου Αὐγούστου μηνὶ Γορπιαίῳ πρὸ πέντε Ἰδῶν Σεπτεμβρίων. *Richomere & Clearcho Coss. Eodem an. natus est Honor. germanus frater Arcadii Aug. mense Gorpiæo (seu Septemb.) V. Idus Septemb.* Quem quidem Natalem suum *Genuinum* vocat; scilicet quo genitus, natus est. Ita quoque Theodosius Iunior, *l. 17. inf. genuinum diem suum Natalem* vocat. *Genuinus*, quo in lucem editus *l. 2. inf. de spectaculis*: qui lucis auspicia protulit, *l. 2. in fine sup. de feriis*; ad differentiam Natalis alterius, qui non lucis sed imperii Natalis est. De quo vtroque Natali dictum fuit *ad d. l. 2. sup. de feriis.* Sed & apud Mamertinum ter Genuini Natalis mentio fit in *Genethliaco Maximiani. c. 1. 2.* & *19.* Quibus tamen locis omnibus perperam hactenus vox *Gemini*, pro *Genuini*, legitur: *Vt expectationem sermonis eius quem tuis Quinquennalibus præparaueram, hac Genuini Natalis prædicatione compensem*: & mox: *Et profecto hic mihi dies videtur illustrior, magisque celebrandus, qui te primus protulit in lucem.* Et sub fin. *Hac potissima elegi, qua Genuino natali tuo prædicarem; sola cum nascentibus pariter oriuntur pietas atque felicitas: Genuini ergo natales pias vobis mentes & Imperatorias tribuere fortunas.* Ad eundem modum: *Genuina functio* dicitur, *l. vlt. inf. de Suariis*, cui quis natus est: γενέθλια igitur, Genethliaci, *Genitalii* apud Capitolinum *in vita Pertinacis cap. vlt.* si locus mendo vacat.

Porro vt Honorius Genuinum natalem suum Proximatui inchoando & conferendo destinauit, ita & Theodosius Iunior suum postea affectauit: *l. 17. inf. h. tit.* & *l. 21. inf. de Palatinis S. L.* Eodem more Constantius Natalem suum designationibus Prætorum destinauit, *l. 12. sup. de Prætorib. & Quæstoribus*, Theodosius M. mittendis Principibus officiorum & Curiosis ex Agentibus in rebus, suum, *l. 6. inf. de Curiosis.* Ita scilicet amarunt Principes hoc æuo rerum agendarum inchoandarum initio, ac nominatim auspicales dies officiorum munerumque in Natales suos, quibus ipsi lucis auspicia sumpsarunt, de quibus ad *d. l. 2. sup. de feriis.* Rationem porro huius facti sui; cur, inquam, statum huic rei diem tempusque adsignet Honorius, hanc adsignat, ne, inquit, vlla posthac de statuto tempore possit esse contentio: neue ambitione expetatur extra statutum tempus, quod laboris præmium esse debet.

XII. (a) Idem AA. Clearcho (b) P. V. (c)

OMNES, qui Ex-Proximis venerando (d) cœtui Senatus fuerint adgregati, siue hi de scrinio Memoriæ, sive Epistularum, vel Libellorum, siue Dispositionum Comites fuerint, ad septenos (e) duntaxat annuos solidos teneantur, nullaque extrinsecus conlatione vexentur, nec molem promissionis, (f) nec scriptionis (g) iniuriam perhorrescant. Dat. prid. Id. Septemb. Constantinop. Vincentio & Frauitto CONSS. [401.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc lex a Cod. Iust. propter septem solidorum inter alia collationem. GOTHOFREDVS.

(b) *Clearchus* P. V. Constantinop. fuit sub Arcadio A. D. 399. 400. 401. v. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Præfecto vrbi* cur hæc quoque *lex* inscribatur? iam dixi ad *l. 8. sup.* IDEM.

(d) *Venerandus* cœtus Senatus. v. *Gloss.* IDEM.

(e) De hac septem solidorum collatione, *l. 4.* & *12. sup. de Senatoribus.* IDEM.

(f) De hac *Promissionis* mole mox.

(g) De hac *scriptionis iniuria*, mox. IDEM.

COMMENTARIVS.

DE IMMVNITATE a SENATORIIS functionibus, ex Proximis, & Comitibus dispositionum competente, est hæc Arcadii Imp. constitutio. Nempe etsi Senatoria his dignitas competat, atta-

attamen Senatoriis functionibus eos *hac l.* liberat; breuiter inter Allectos eos esse iubet, de qua immunitate, & Adlectione, & quidem Scriniariis iam sæpe *supra*, & ad *l. 10 sup. de Prætoribus.* Hanc nihilominus *Legem* speciatim illustrare iuuat. Senatorum hoc æuo onera quam grauia fuerint, *tribus* huiusce libri *Titulis* ostensum est *tit.* 2. *de Senatorib. & gleb. collat. tit. 3. de prædiis Senatorum: tit. 4. de Prætoribus & Quæstoribus.* In his fuit glebalis collatio, vel certe septem solidorum collatio, quæ loco illius præstabatur a tenuissimis Senatorum, & quibus esset census angustia, *l. 4.* & *12. sup. de Senatorib. & gleb. coll.* Erat & vltronea oblatio: quod aurum oblatitium dicebatur, *l. 5.* & *9. eod. tit.* seu oblatio Amplissimi ordinis, *l. 14. eod. tit.* & Symmacho *lib. 2. ep. 57. lib. 10. ep. 26.* & *36* Erat vero oblatio Amplissimi ordinis prompta liberalitate PROMISSA, vt loquitur *d. lex 14.* vltro offerebant, veluti post victoriam ab eo de Tyranno aliquo partam, vt ad *d. l. 14.* dictum: vel etiam Quinquennalibus, aut Decennalibus, vel ob tertium lustrum ipsius Imperatoris, vt ex elegantissima Symmachi *ep. 26. lib. 10.* constat. Atque hæc est illa quæ *h. l. moles Promissionis*, vocatur: siue quia in vnam summam collatum id ex Senatus promissione: siue quia ingens hæc promissio & collatio. *Sponsionem* pariter vocat Symmachus hanc oblationem, *d. ep. 26.* & quidem *magnitudinem sponsionis*, vt hic *moles promissionis* vocatur.

Nunc de *Lege* nostra. Ergo ab his omnibus, ex-Proximis & ex Comitibus dispositionum, quamlibet Clarissimis & Senatoribus immunitatem tribuit *h. l.* Arcadius: sola septem solidorum annuorum collatione excepta, quæ vt dixi tenuissimis Senatorum incumbebat. Ergo in *recognitionem* tantum, sic vt dicam, Senatoriæ dignitatis hæc collatio his impacta. Quod ipsum tamen postea abrogatum: P. 158. Nam & his septem solidorum annuorum præstationis immunitas tributa *l. 12. sup. de Senatoribus*: quemadmodum & iisdem Præturæ immunitas tributur sequenti mox *l. 13. eod. tit.* Hac vero *lege*, excepta tantum septem solidorum præstatione prædict, *nulla extrinsecus collatione vexari, nec molem promissionis, nec scriptionis iniuriam perhorrescere* iubentur. Vbi scriptionis iniuria, est æstimatio, modusque præstationis quæ cuique imponebatur. Sic & glebalis descriptio, *l. 1. sup. de decur. & silent. l. 16. inf. de Medicis & professorib.* Descriptio absolute, *fine l. vlt de Senatorib.* Descriptio Senatoria, *l. 15. inf. de Medicis:* Adscriptio Amplissimi Ordinis, *l. 22. inf. de Agentibus.*

XIII (a) Idem AA. & Theodosius A. (b)

SICVT iampridem † a Prætura immunitatem tribuimus his, qui (e) post emeritam in armis militiam, ad honorem Ducatus, Nostræ Serenitatis prouexit iudicium, ita nostrorum Scriniorum Proximi etiam deposita militia Præturæ immunitate potiantur. Dat. VIII. Kalend. Feb. Constantinop. Honorio VII. & Theodosio II. AA. CONSS. [407.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a Cod. Iust. *GOTHOFREDVS.*

(b) In MS. quoque omissum nomen eius ad quem scripta hæc *lex*. *IDEM.*

† Intelligit *Legem 28. sup. de Prætoribus*, quæ data ante decennium. *IDEM.*

(e) *vel quos*, & ita habet exerte MS. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

A PRÆTVRA, seu a ludorum edendorum functione immunitatem Arcadius hac constitutione Ex proximis scriniorum tribuit, exemplo Ducum, seu immunitatis a seipso ante decennium tributæ Ducibus rei militaris, qui reuera actuque ipso & armatæ militiæ solicitudine Ducatum administrassent. Quod quidem ab eo præstitum, *l. 28. sup. de Prætoribus*; qua *lege* & *Titulo* plenius. Atque ita cum hactenus Præturæ munia Principum constitutionibus non relaxarentur, nisi iis quos castrensis honor illuminat, vt loquitur Symmachus *lib. 7. ep. 96.* Mox tamen iis qui in Palatio militassent, eadem immunitas tribui cepit, *l. 8. sup. de Senatoribus*: Neque tantum quamdiu in Palatio militarent, *verum* ETIAM *deposita militia*, Ducum vti dixi, exemplo.

XIV. (a) Idem AA. (b) Epifanio (c) PV. (d)

QVAMVIS (e) innumeris Legibus † Scriniorum gloria (f) decoretur, iubemus tamen, vt primo (g) omnium sit eorum (h) secura possessio ab omnibus sordidis (i) muneribus excusata; Superindictum (k) non timeant, Venalicium (l) non petantur, solumque (m) Canonicæ (n) indictionis præstent tributum: Glevalis (o) auri solutionem nesciat labore dignitas conquisita, Extraordinarium (p) munus ignoret, nec vllam Temonis (q) patiatur iniuriam; Equorum (r) Tironumque præstationem nullus agnoscat, qui (s) honorem Proximi & Comitiuam primi dispositionum longi temporis sudore quæsiuit. Et hæc eadem (t) patrimoniis censuimus deferenda; Quibus (v) omnia inlibata seruamus, quæcunque diui Genitoris † nostri & cunctorum Principum statuta detulerunt. Ipsis vero veniendi ad Comitatum liberam licentiam perpetuamque præstamus, nec in eorum personis expectari Augustam (x) præcipimus iussionem. Quod autem omnibus constat deferri, adiectu alterius dignitatis perire non patimur: vt etiamsi prosperioris fortunæ iudicio ad honoris ornamenta processerint, vetera tamen eis scriniis (y) labore priuilegia

 quæ-

quæſita ſeruentur, & (z) integrum circa eos eorumque facultates ſemper maneat, quod anterioris ætatis induſtria conquiſiuit, & cætera. Dat. Id. Octob. Rau. Honorio VII (a) & Theodoſio II. AA. CONSS. [407.]

NOTÆ.

(a) *Lex 4. Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc interpolata plurimum. Iungendaque huic *lex vn. ſup. de Comitibus vacantibus.* GOTHOFREDVS.

(b) HONORII & Theodoſii nomina inſcribenda, vt habet *d. l. vn.* IDEM.

(c) De hoc *Epiphanio* P V. Romæ v. *Proſopogr.* IDEM.

(d) *Præfecto vrbi*, cur hæc *lex* inſcribatur? dixi ad *l. 8. ſup.* IDEM.

(e) Abeſt hæc prima ſententia & præfatio a Cod. Iuſt. IDEM.

‡ Legum harum numero ſunt *lex 1. 3. 5. 7. 8. 9. ſup.* IDEM.

(f) *Gloria* ſcriniorum ſeu ſcriniariorum. Forte, *Scriniariorum*, arg. *eorum ſecura ſit poſſeſſio.* IDEM.

(g) *Primum omnium*, C. Iuſt. IDEM.

(h) *Qui in ſacris ſcriniis noſtris, id eſt, memoriæ & epiſtolarum, libellorum, & diſpoſitionum referuntur*, hoc add. a Tribon. Cod. Iuſt. IDEM.

P. 159 (i) De *ſordidis munerib.* inf. *ſuo tit. de extraord. ſiue ſord. munerib.* IDEM.

(k) De *ſuperindicto*, v. ſuo tit. *de ſuperindicto.* IDEM.

(l) De *Venalicio*, mox. IDEM. *Venalicium non petantur* legunt Cuiacianæ omnes, ſed Cod. Iuſt. expreſſe *petatur* quod ego prætulerim. RITTER.

(m) Nudam conlationem quæ plerumque poſcitur, vocat *lex 2. ſup. de decur. & ſil.* GOTHOFREDVS.

(n) *Canonica*, id eſt, ſolemnis, ordinariæ: v. *Gloſſ.* IDEM.

(o) De *Glebali* collatione *ſuo titulo, lib. 6.* Hoc autem omiſſum *Cod. Iuſt.* propterea quod glebalis collatio ſublata tum. IDEM.

(p) De *Extraordinariis* muneribus, *ſuo titulo.* IDEM.

(q) De *Temonaria* ſu ctione v. *l. 7. inf. de tyronib.* vbi dicam & *l. 14. de extraordin. mun. Temonum*, in C. Iuſt. IDEM.

(r) De *Equorum Tyronumque* præſtatione v. & *l. 3. ſup. l. 15. prox inf. l. 2. ſup. de decur. & ſilent.* & *tit. inf. qui a præbitione tyronum & equorum excuſantur.* IDEM.

(s) *Qui vel adhuc in ſcriniis militat, vel honorem*: ita Tribon. IDEM.

(t) *Quidem*, C. Iuſt. Et ita forte habuit MS. IDEM.

(v) Sequentia abſunt a C. Iuſt. *vſque ad verſ. Quod autem.* IDEM.

† Theodoſii M. *legem 4. ſup.* intelligit. IDEM.

(x) *Auguſta iuſſio*, eſt Principis euocatoria: de qua ad *l. 3. ſup. de decur. & ſilent.* IDEM.

(y) Ita quoque C. Iuſt. malim tamen, *ſcriniis*, IDEM.

(z) Reliqua abſunt a C. Iuſt. IDEM.

(a) Ita quoque C. Iuſt. atenim reponendum *hic*, ex *d. l. vn. ſup. de Comitibus vacantibus. Honorio IX. & Theodoſio V.* Quod quidem ipſum ignoratum, huius Codicis Theod. conditoribus fucum fecit, vt πρωθύστερον hic admitteretur in diſpoſitione ſeu ordine Legum. IDEM.

COMMENTARIVS.

DE PRIVILEGIIS Scriniorum, ſeu Scriniariorum, Proximorum & Comitum Diſpoſitionum eſt hæc diligens & accurata Honorii Imp. *lex*: cui coaſſanda venit *lex vn. ſup. de Comitibus vacantib.* vnde emendandus eſt in *hac l.* Conſulatus numerus: Quæ & ipſa eſt de perſonali priuilegio & honore Comitum Vacantium: vnde apparet, Honorianam ad Epiphanium P. V. conſtitutionem fuiſſe prolixam de Ordine Priuilegii, & Honore dignitatum: Ea vero nominatim Scriniorum & Scriniariorum peculiarem rationem habuit, affectumque ſuum teſtatus eſt; Præfatione, inquam, ipſa primum. *Quamuis*, inquit, *innumeris Legibus ſcriniorum gloria decoretur*, quæ tamen a *Cod. Iuſtin.* abeſt: quod eius ſtudium tot aliæ quoque eius ſuper his *Leges* teſtatum faciunt, puta *lex 11. ſup. lex 15. 16. infr.* Deinde accurata illa priuilegiorum & honorum enumeratio, licet anterioribus tam variis Legibus expreſſa fuiſſent pleraque. Quæ quidem duplicis generis conſtituit: Alia ſcilicet perſonalia priuilegia ſunt, Alia, quæ patrimoniis eorum deferuntur, *verſ. & hac eadem*: Et ſic priuilegia patrimonialia ſeu Immunitates a muneribus patrimonialibus: Cuiuſmodi octo recenſet. Prima eſt immunitas a muneribus extraordinariis. Secunda a ſuperindicto. Tertia a Venalicio: Venalicium porro quidam putant hic eſſe vectigal rerum venalium, (vt ita idem hic priuilegium ſit quod Veteranis tribuitur, *l. 2. inf. de Veteranis*) cuiuſmodi fuit vectigal Viceſimæ rerum venalium antiquiſſima lege & caſtrenſi inuecta, vt eſt apud Liuium *lib. 7. cap. 16.* cum qua male confunditur portorium Quadrageſimæ vel Quinquageſimæ; de quo Symmachus *lib. 5. ep. 60. 63.* Poſſis tamen non male Venalicium hic accipere, pro publica comparatione ſeu ſynoneto: Venalicium enim hic ponitur medio loco inter ſuperindictum, & canonicam indictionem: de quo alioquin *inf. tit. de publica comparatione.* Ergo, excluſis his tribus muneribus, ſolas Canonicas indictiones, id eſt ſolemnes annonas & ordinaria tributa, de quibus *inf. tit. de annona & tributis*, a Scriniariis præſtari voluit Honorius. Quarta immunitas eſt a *Glebalis auri* ſolutione; Nempe Proximi & Comites diſpoſitionum etſi Senatores ſint, Senatoria tamen ſeu glebali collatione immunes fuere: *h. l.* & *l. 12. ſup. h. t.* & *l. 12. ſup. de Senatoribus. l. 19. inf. de Palatinis.* Et rationem indicat huius immunitatis: Nempe quod ſcriniarii hanc *Senatoriam dignitatem labore conquiſiuerint.* Multum ſcilicet intereſt; meritiſne quis dignitatem indeptus ſit, an vero ſine labore, de quo iam ſæpe *ſupra.* Quinta immunitas eſt a Temonaria functione, quam *Temonis iniuriam* vocat, id eſt, a pretio ſeu adæratione & taxatione tyronum: & ſic ab auri tyronici præſtatione, quod Temonario ſolui oportebat loco Tyronum: quod & ipſum ſtatuitur *l. 14. in fine, de extraordin. mun.* de quo dixi plene ad *l. 7. inf. de Tyronib.* Sexta, & ſeptima immunitas ſunt, ab Equorum & Tyronum præſtatione: quod & ipſum ſtatuitur *l. 3. ſup. l. 15. inf. l. vn. inf. qui a præbit. tyronum*

num, d. l. 14. inf. de extraordin. mun. Hoc vero priuilegium nominatim Proximo, & Comiti dispositionum hic tribuitur: Omnibus vero scriniariis: *d. l. 3. sup.* & *l. 15. inf.* & *d. l. vn.* & *d. l. 14.* & rationem rursum indicat, nempe quod hos honores Scriniarii longi temporis sudore sibi quæsiuerint. Et hactenus quidem Priuilegia quæ patrimonium respiciunt, seu Immunitates a muneribus patrimonialibus: *Et hæc eadem*, (quæ superius scilicet expressa sunt) *patrimoniis censuimus deferenda.* Et mox *fine l. circa eorum*, inquit, *facultates.*

II. Sequuntur personalia priuilegia, seu honores circa eos: vt *fine l.* Primum igitur Honorius omnes honores his delatos antea ab Imperatoribus, & nominatim a patre suo Theodosio M. confirmat *h. l.* pariter vt *l. 11. sup.* In his proculdubio Vicaria dignitate Proximis collata, etiam Theodosii *l. 4. sup.* Secundo, Veniendi ad Comitatum Principis potestatem his facit citra Principis iussionem seu Euocatoriam. Quod priuilegium datum quoque postea Decurionibus & Silentiariis. *l. 3.* & *4. sup. de Decurionibus & Silentiariis:* de quo priuilegio dixi iam *ad eas Leges.*

III. Tandem & illud priuilegium Scriniariorum hic adiicit Honorius, commune iam patrimonio seu facultatibus eorum, & iis ipsis, seu *circa eos eorumque facultates*, vt loquitur: puta vt quamlibet Nona dignitate aliqua post militiam in scriniis aucti fuerint, &, vt eleganter loquitur, *etiamsi prosperioris fortunæ iudicio ad honoris aruamenta processerint, vetera tamen priuilegia in scriniis labore quæsita, eis seruentur:* Item, (quod Tribonianus omisit) *integrumque semper maneat quod anterioris ætatis industria conquisiuit.* Et vt idem Honorius rursum eleganter, *quod delatum est semel, aduectu alterius dignitatis perire non debet.* Quod ipsum quoque constiturum *l. 14. inf. de extraordinariis mun.* Constitutum idem & in Notariis *l. 1. sup. de Primicerio & Notariis:* In Decurionibus & silentiariis: *l. 2.* & *3. sup. de Decurionibus:* in Palatinis omnibus aliis, ex Constantini M. *l. 3.* & *5. inf. de priuil. eor. qui in S. Pal.* (vnde desumta est *lex 3. Cod. Iust. de dignitat.* de qua mox) in Archiatris S. Palatii: *l. 2. inf de Medicis & Professoribus.* Imo, si Triboniano credimus, Constantinus M. id in vniuersum definiuit, *d. l. 3. Cod. Iust. de dignitat.* Maiorem videlicet dignitatem P.160
nulli debere circa prioris dignitatis seu militiæ priuilegia præiudicium facere: Verum fucum hac parte facit Tribonianus: Id enim illa sententia voluit Constantinus de Palatinis tantum, vt ostendit *d. l. 3. inf. de priuil. eorum qui in S. Palat.* vnde ea lex desumpta est, quinimo & exceptionem eius quod de Palatinis diximus continet *lex 13. in f. inf. de Agentibus in rebus.*

XV. (a) Impp. Honorius & Theodosius AA. Melitio PP. (b)

Quotiens Equorum aliarumque rerum procedit indictio, in Sacris Scriniis militantes immunes ac segreges (c) habeantur, ita vt neque in militia, neque post militiam, huius sollicitudinis molestiam sustineant. Quibus exceptis, circa alios, cum ratio flagitauerit, indictio postulabitur: scientibus Iudicibus, eorumque Apparitionibus, (d) decem librarum auri multa (e) se subiiciendos, si ab eorum in futurum conuentionibus non temperarint. Dat. XVI. Kal. Decemb. Rau. Varone (f) V. C. Conss. [410.]

NOTAE.

(a) Abest hæc lex a Cod. Iust. GOTHOFR.

(b) *Melitius* hic PP. fuit sub Honorio Imp. A. C. 410. & 412. v. *Prosopogr.* Eidem inscribitur eo anno D. 412. de eadem re *lex vlt. inf. de extraord. munerib. l. vn. qui a prabit. tyronum. l. 40. de Episcopis.* IDEM.

(c) *Segreges.* Hanc vocem vsurpat quoque Seneca *lib. 4. de benef. cap. 18.* & *lib. 3. Controu. 21.* Seneca alter *in Hyppolito, Acta 5. Sc. 2. v. 1209.* Prudentius *Cathem. hym.* VII. 28. *de Elia:* & Sidonius Apollin. *lib. 5. ep. 12.* & *lib. 9. ep. 1.* IDEM.

(d) *Apparitionibus*, pro *Apparitoribus.* IDEM.

(e) Pro *multæ.* IDEM.

(f) γρ. *Varane:* sic & *l. 3. inf. de religione*, scriptum *Barone*, pro *Varone:* & vtrumque pro *Varane.* IDEM. *Varone* legunt Cuiacianæ, quomodo & habet latercul. Colbertin. quod in Chronolog. obseruatum. RITTER.

COMMENTARIVS.

Equorum, aliarumque rerum extra ordinem imperatarum indictione immunes rursum definiuntur, iubenturque ab Honorio Imp *h. l.* Scriniarii soli etiam post depositam militiam, pariter vt *l. 14. sup.* Cum alioquin horum temporum ratio, quibus vastata Roma Italiaque & Illyricum, hanc collationem maxime exigeret, & a cæteris omnibus ea flagitaretur: de quo plenius, ad *l. vn. inf. qui a prabit. tyron. vel equorum*, quæ biennio post super eadem re ad eundem Melitium PP. data est, vt & *lex vlt. inf. de extraordinar. mun.*

XVI. (a) Idem AA. Faustino PP. (b)

Peculiari præceptionis nostræ fauore præstamus, vt in scriniis Memoriæ, Epistularum, Libellorumque, ab Exceptoribus vsque ad Melloproximos dignitatem Clarissimorum honoremque percipiant: & sicuti reliqui, qui in hisdem scriniis militant, liberum cum Ordinariis Iudicibus ingressum in (c) Secretarium consessumque habere Legibus * meruerunt, ita hii quoque in quos hanc, stipendiorum meritis, Clarissimatus conferimus dignitatem, cum Spectabilibus etiam se (d) habere reuerentiam (e) recognoscant, vt consedendi ingrediendique Secretarium sciant a nobis licentiam contributam, (f) sub (g) multæ

multæ interminatione, quam Officio ſanctio * dudum indulta conſtituit. Dat. VIII. Id. Iun, Rau. Lucio V. C. CONSS. [413]

NOTAE.

(a) *Lex 5. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Fauſtinus* PP. ſub Honorio A. D. 410. quo ei inſcripta *lex* 34. *de navicular.* & 413. quo hæc lex ad eum data eſt. Extat & tertia *lex* Cod Iuſt. ſine Coss. ad eum: puta *lex vlt. quæ res venire.* IDEM.

(c) *Ingreſſum Secretarii*, Cod. Iuſt. IDEM.

* *L. 5. & l. 7. ſup.* IDEM.

(d) *Seſe*, Cod. Iuſt. IDEM.

(e) *Reuerentia:* ſic & *d. l. 5.* IDEM.

(f) Pro *tributam.* IDEM.

(g) Hæc ſanctio reciſa *Cod. Iuſt.* IDEM.

* *L. 5. ſup.* vbi vid. *Notata.* IDEM.

COMMENTARIVS.

INGREDIENDI, vltro ſcilicet, ſponte ſua ſine nuncio, in ſecretaria Iudicum, CONSIDENDIQVE cum his, ius ſcriniariis antea indultum a Valentiniano Iun. *l. 5. ſup.* (quod etiam Arcadio placuit *l. 7. ſup.*) hac *leg.* ſua ampliat Honorius Imp. Nempe enim ſcriniariis omnibus promiſcue (extra Proximos ſcilicet) ingrediendi in Secretarium conſidendique ius in Secretario Ordinariorum tantum Iudicum, id eſt Clariſſimorum Rectorum prouinciarum, Conſularium Præſidum, conceſſum fuerat: non vero Spectabilium Iudicum, vt ſunt Proconſules, Vicarii Præfectorum: At quibuſdam ex Scriniariis hoc ipſum nunc ab Honorio conceditur, puta vt
P.161 ingredi quoque poſſint in Secretaria Spectabilium Iudicum, cumque his conſidere, nempe ſcriniariis qui ſunt ab *Exceptoribus*, ad *Melloproximos* vſque: quibus ideo Clariſſimatus dignitatem tribuit, vnde patet, nonniſi Clariſſimos ſeu Senatorios in ſpectabilium Secretaria ingrediendi, cumque his conſidendi ius habuiſſe. Ergo duplici priuilegio & honore illos, quos dixi, perfundit nunc Honorius: quorum vnum, alterius antecedens eſt; alterum vero conſequens: Idque *peculiari* erga hos *fauore*, vtpote primarios inter ſcriniarios. *Melloproximi* certe, quorum etiam mentio fit *l. 17. prox.* & *hac leg.* & *lege 14. §. 1. Cod. Iuſt. eod tit.* erant, qui a Proximo ſcriniorum, primi proximique erant, proxime Proximi futuri, biennio veniente, quo tempore Proximatus biennalis fuit: anno, poſtquam annuus factus eſt: *l. proxima* 17. denique qui proximos proxime impellebant, contingebant: Quibus ideo etiam poſtea eadem dignitas tributa, quæ Proximis ipſis *d. l. 17. prox.* Poſt Melloproximos fuere inter alios *Exceptores* ſcriniorum, & inter vtroſque, medii adhuc alii: Ergo ab Exceptoribus vſque ad Melloproximos, id quod dixi priuilegium *hac l.* tributum. Cui vlterius illuſtrandæ nil immorari iuuat, quando de hoc priuilegio ingrediendi in Secretarium, ibique cum Iudicibus conſidendi ad ſuperiores leges affatim diximus, & nominatim ad *d. l. 5.* Quinimo & de diſcrimine inter Iudices ordinarios & Spectabiles hac parte, ad eam ipſam *leg.* Illud hactenus hic repetendum, Tribonianum *l. 2. Cod. Iuſt. eod. tit.* quæ ex ea *l. 5.* alioquin deſumpta eſt, priuilegium hoc ad omnes ſcriniarios indiſtincte porrexiſſe. Poſtremo, quod Melloproximos attinet, fit eorum quoque mentio in veteri Inſcriptione Romæ in ædibus Colotianis, in marmore Pario rotundo *in corp. Inſcript.* DLXXXVIII. 1.

D. M.
M. AVRELIO. AVG.
LIB. ISIDORO. MEL
LO. PROXIMO. A. RATIO
NIBVS. AVRELI. HER
MES. ALVMNVS. ET. GLY
CON. NVTRITOR. ET
MAXIMVS. BENE-
MERENTI. FE-
CERVNT.

XVII. (a) Idem AA. Euſtathio viro inluſtri Quæſtori, (b) & Helioni (c) viro Inluſtri Magiſtro (d) Officiorum.

PRo biennio annum ſolum agere deinceps (e) decernimus eos, qui in tribus ſcriniis, Memoriæ, Epiſtularum, Libellorumque, ordine ac merito ſtipendiorum, ad gradum peruenerint Proximorum. Sed inter cetera priuilegia, (quæ Diualibus beneficiis ſacris ſcriniis adtributa ſunt, quæque ſalua atque intemerata in perpetuum manere decernimus,) vt (f) eorum qui poteſtatem Vicariam adminiſtrauerint, pro tenore veterum & noſtrarum Sanctionum, hii qui Proximatum egerint, honore cenſeantur. Secundi etiam Ordinis Comitiuæ codicillos accipiant, cum eum locum nacti fuerint in quo hactenus Tertiæ Comitiuæ gradu fruebantur; Ita vt ex Lege (g) iam debitos atque ſolemnes codicillos Genuino die Natalis meæ Clementiæ in poſterum dum agunt Proximatum ſingulis quibuſque annis accipiant, poſt depoſitum actum inter eos, qui Vicariam poteſtatem egerit (h) honorandi. Quam legem, ſecundum ipſorum petitionem, præterea (i) tres Melloproximos, (k) id eſt, Benagium, Hypatium, & Theodorum, circa omnes alios valere præcepimus. (l) Dat. VII. Id. Februar. Conſtantinop. Theod. A. VII. & Palladio CONSS. [416.]

NOTÆ.

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. eod. tit.* primam *huius l.* sententiam continet cæteris resecatis. Meminit *huius l.* suæ Theodosius Iun. *l. 21. inf. de Palatinis S.L.* GOTHOFREDVS.

(b) Cur hæc lex *Quæstori* quoque inscribatur, dicam *in Commentario. Eustathii* porro Quæstoris sub Arcadio A. D. 404. meminit in rebus Chrysostomi Georgius Alexandrinus n. 61 & Theodorus Diaconus *apud Palladium, in Dialogo. c. 3. pag. 27. edit. Bigotii Paris.* vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Helio* hic sub Theodosio Iun. fuit Magister Officiorum per tredecim annos ab A. D. 414. v. *Prosopogr.* Meminit eius Olympiodorus *apud Photium*, n. 80. IDEM.

(d) Sub *Magistro* officiorum fuerunt Scrinia: de quo iam in *Paratitlo*, & ad *l. 6.* & *11. sup.* IDEM.

(e) Abrogatur Arcadii patris *lex 6. sup.* IDEM.

(f) Inducenda vox, *ut.* IDEM.

(g) V. *l. 10. 11. sup.* IDEM.

(h) *γρ. egerint.* IDEM.

(i) *γρ. præter tres.* IDEM.

(k) De Melloproximis, v. & *l. 26. sup.* vbi dixi. IDEM.

(l) *Præcipimus* non *præcepimus.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE DVRATIONE, DIGNITATE, PROMOTIONE Proximorum trium scriniorum (nam de his nominatim hic agitur) est hæc Theodosii Iun. constitutio; Quæ ad similitudinem Honorianæ patrui sui constitutionis proxime accedit, puta *Legis 11. sup.* Viceuersa quæ multa noua circa Proximos in Oriente constituuntur; de quibus sigillatim.

Ante omnia vero notandum est, *hanc leg.* ad duos Magistros emissam, ad duos inquam Illustres, ad Quæstorem scilicet, & ad Magistrum officiorum. De Magistro officiorum iam ex superioribus *legibus* scimus, sub eius dispositione fuisse scrinia Palatii. Sed quid faciat hic Quæstor? Nempe quia sub dispositione eius erant *Leges dictandæ, Precesque:* iisque Subadiuuas, Adiutores Memoriales habebat de *scri-* Pa165 *niis* diuersis, quos volebat, vt diserte testatur *Notitia Imperii, f. 139.* Quare similiter *lex 13. C. Iust. eod. tit.* de proximis sacrorum scriniorum ad Quæstorem sacri Palatii data est, vbi pariter, vt de iisdem agit *l. hac & lege 14. & l. 15. seu vlt. C. Iust. eod. tit.* numerum definit Iustinianus, vel potius reducit Adiutorum Quæstoris, ex singulis scriniis, in vniuersum XXVI. puta XII. ex scrinio Memoriæ, VII. ex scrinio Epistolarum, VII. ex scrinio Libellorum. Qua ipsa *leg.* & alia nonnulla præterea de scriniis continentur. Eodem pertinet & vetus idiographum, a Cuiacio laudatum *ad lib. XII. C. tit. 16. leg. 13. Flauius Theodorus V. D. Memorialis sacri scrinii Epistolarum, Adiutor V. M. Quæstoris sacri Palatii scripsi manu mea in vrbe Roma Constantinopolitana III. Kal. Iunii, Mauortio V. C. Cos. Iustino & Iustiniano Impp.* Denique scrinia vtriusque dignitati & officio destinata erant; & Quæstoris & Magistri officiorum: Quæ causa est, cur & Quæstori & Magistro officiorum hæc *lex* inscribatur. Vbi etiam notandum Quæstorem præmitti Magistro officiorum, pariter vt *Rubric. & l. 1. 2. sup. de Quæstorib. Magistris officiorum:* & apud Cassiodorum *VI. Var. 5. 6.* cum tamen in *Notitia Imperii* quæ sub eodem Theodosio Iun. scripta est, postponatur: de quo iam dixi ad *d. l. 1.*

Nunc de *Lege* nostra, quæ sex sententiis, seu capitibus constat.

Primum est de *Duratione* Proximatus: nempe annum esse iubet Theodosius Iun. *h. l.* quod rursum memorat, & extendit ipse *l. 21. inf. de Palatinis S. L.* quod biennale hactenus erat in Oriente ex Patris Arcadii constitutione, *l. 6. sup.* & *l. vn. inf. de mensoribus:* etsi annuum iam in Occidente pariter esset ex Honorii *l. 11. sup.*

Secundo capite Theodosius Iun. post confirmata cætera priuilegia, quæ anterioribus constitutionibus sacris scriniis delata fuerant, ex Proximis *Vicariam* dignitatem & ipse concedit, pariter vt *l. 2. 4. 10. 11. sup.*

Tertio, *Comitiuam secundi ordinis* Proximis scriniorum defert; quod *proxima l. 18.* quoque repetitur, cum hactenus tertii Ordinis Comitiua hi decorarentur: de qua Comitum distinctione plene *supra, ad l. vn. de Comitibus & Tribunis scholarum.* Et nominatim de Comitiua secundi ordinis, *l. 8. inf. de Agentibus in reb.* Hinc interim quoque videmus, honorum & dignitatum Proximorum hac ætate in maius processum, vt cæteroquin quique hac ætate maioribus iam dignitatibus inserti & insigniti. De Proximorum alioquin Comitiua V. & *l. 10. & 11. sup. & d. l. 18. inf.*

Et ita quidem, (quod quartum) Comitiua hæc Proximis defertur, vt non speciali concessione opus sit, verum ex Lege iam debitos & solemnes Comitiuæ istius codicillos habeant & accipiant. Quomodo & aliis quoque vsu venit, vt delata primum ex speciali concessione dignitas in solemnem euaserit.

Quinto, Tempus auspicale ineundi Proximatum, seu promotioni ad Proximatum Theodosius Iun. *h. l.* genuinum Diem suum Natalem destinat: eodem exemplo quo Honor. Imp. Theodosii huius patruus suum in Occidente destinauerat, *l. 11.* vbi de hac destinatione diei Natalis, deque Genuino die Natali dixi. Certe idem Theodosius Iun. postea promotioni ad Primiceriatum in officio Com. S. L. & Com. R. P. eundem genuinum Natalem suum destinauit, *d. l. 21. inf. de Palatinis S. L.* Theodosii Iun. porro Natalis dies genuinus, cuius vt dixi mentio iterum fit *d. l. 21.* incidit A. D. 501. in IV. *Idus Aprilis.* Testis Socrates, *lib. 6. cap. 6. in fin.* τὴν δὲ ἑξῆς ὑπατείαν ἐδίδου Φραουΐτος Γότθος μὲν αὐτὸς τῷ γένει &c. καθ' ἣν τίκτεται τῷ βασιλεῖ Ἀρκαδίῳ υἱὸς ὁ ἀγαθὸς Θεοδόσιος τῇ δεκάτῃ τοῦ Ἀπριλλίου μηνός: *Sequenti vero anno consulatum gessit Frauitus, natione quidem & ipse Gothus &c. Quo quidem anno Imperatori Arcadio, natus est filius optimus Theodosius, quarto Idus Aprilis.* Marcellinus *Chronico* Vincentio & Frauitta coss. *Theodosius Iun. patre Arcadio natus est IV. Id. Aprilis:* & Auctor Chronici Alexandrini *pag. 713. edit. Raderi.* ὕπ. Βικεντίου καὶ Φλαβίου [γρ. Φραβίτου] αὐτῷ τῷ ἔτει ἐγεννήθη ἐπιφανέστατος υἱὸς Ἀρκαδίου Αὐγούστου μηνὶ Ξανθικῷ πρὸ δ. Ἰδῶν Ἀπριλλίων. *Vincentio & Flauio Coss. Eodem anno natus est illustrissimus Arcadii Augusti Filius mense Xanthico III. Idus Aprilis.* Sozomenus *lib. 8. cap. 4. in fin.* Consulatum quidem adsignat, at non diem.

Postremo capite *huius leg.* Proximorum priuilegia, dignitatem, ad *Melloproximos* quoque porrigit: de quibus Melloproximis iam ad *l. 16. sup. prox.* Quod & ipsum exemplum hoc æuo est, dignitatis in dies augescentis. Hac vero parte, duo addit: Primo, ad postulationem ipsorummet Proximorum,

rum, si bene capio, hanc dignitatem nunc Melloproximis communicari, qui scilicet proximo loco Proximos contingebant: neque tantum, si & ipsum istud recte capio, Melloproximis, qui tum erant, tribus, quorum nomina exprimuntur, verum etiam deinceps, omnibus Melloproximis.

XVIII. (a) Impp. THEODOSIVS, & Valentinianus AA. Acacio (b) C. S. L.

TAM Proximo scriniorum, quam Comiti dispositionum, pro delata eis Comitiuæ Secundi ordinis dignitate, vestem ex integro (d) in posterum præberi Tua Celsitudo (e) disponat. Dat. VII. Kal. Decemb. Constantinop. DD. NN. Theodosio XII. & Valentiniano II. PP. AA. CONSS. [426.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc lex a Cod. Iust. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Acacio* huic Comiti S. L. inscribuntur hoc ipso anno 426. duæ prætereа Leges: puta *lex 16. de murilegulis: l. vlt. de diuers. officiis.* *IDEM.*

(c) *Comiti S. L.* cur hæc *lex* inscribatur; mox dicam. *IDEM.*

(d) Ita Cuiacius ex coniectura *IDEM.*

(e) *Celsitudinis* titulus tributus Comiti S. L. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE VESTE Proximis scriniorum, & Comiti dispositionum, ex sacris largitionibus præbenda, est hæc Theodosii Iun. constitutio. Vbi *primo* notandum, hanc leg. *Comiti S. L.* inscribi, eaque iuberi eum disponere, vti vestis hæc iis præbeatur: Nempe, quia sub dispositione Comitis S. L. vt ex *Notitia Imperii* discimus, *fol. 140. 141.* (quam ergo haud inanibus argumentis anno prox. 437. conscriptam cen-
P.163 seo) erant *Comes Vestiarii, Magistri lineæ vestis, Magistri priuatæ, Procuratores Baphiorum, Linificiorum*: itemque inter Officiales eius *Primicerius scrinii vestiarii sacri*: de quibus quoque testis vel *lex 16. inf. de murilegulis*: quæ eodem hoc Anno 426. eidem Acacio Com. S. L. inscribitur. *Secundo* notandum, *Comitiuam secundi ordinis* Proximis scriniorum, loco Comitiuæ tertii ordinis, ab eodem Theodosio Iun. concessam, ante decennium iam *l. 17. sup.* Imo & Comitibus dispositionum (qui cæteroquin etiam cum Proximis æquati, de quo ad *ll. superiores*:) quod hæc *lex* testatur. Ex hac iam Comitiuæ secundi ordinis concessione, consectarium hoc educit nunc hac constitutione Theodosius Iun. atque adeo iubet, Proximis scriniorum & Comiti dispositionum, pro delata eis Comitiua ista, vestem in posterum *ex integro* præberi oportere Comitis S. L. dispositione. Ex *integro*, quomodo Cuiacius expressit: Quod quid sit, difficile est diuinare. Cuiacius edidit hic *ex integro*, id est, vt *l. 10. de bonis proscript. l. 28. de susceptorib. l. 177. de decur.* ex asse, in solidum, sic vt tota vestis gratuita ei præbeatur; cum antea non tota gratuita daretur: Ita Theodosius *Nouell. tt. de bonis Decur. l. 2. Hæres scribatur ex integro.* Sed forte legendum est, *ex intexto*, nam MS. nil exhibet præter, *ex in... Ro*, vt scilicet velit Theodosius vestes ἐπισήμους, *intextas*, præberi: Nam & ita ad Archelaum Comitem S. L. scriptum *in l. 1. inf. de vestibus oloueris. Auratas*, inquit, *ac sericas paragaudas auro* INTEXTAS *tam viriles quam muliebres priuatis vsibus contexere conficereque prohibemus: sed Gynæceis tantum nostris fieri præcipimus.* Et *intexendi* verbum proprium Phrygionum. Vnde & *textores* plumarii Varroni apud Nonium, *c. 2. num. 716.* & Firmico, qui scilicet acu lintea & vestes variabant, qui *extexere* dicebantur: inde *Plumariorum textrina* apud Vitruuium *lib. 6. c. 6.* Sed & Tertullianus *libro 1. c. 1. de cult. femin. Tyrii*, inquit, *tingerent & Phryges insuerent, & Babilonii* INTEXERENT. Ouidius adhuc *Med. VI. 577. Purpureasque notas Filis* INTEXVIT *albis*. Et Martialis, *Ep. VIII. 28. Babylonica picta superbe* TEXTA, *semiramia quæ variantur acu.* Et Plinius *H. N. 8. c. 48.* scribit, diuersos colores picturæ INTEXERE Babylonem maxime celebrauisse & nomen imposuisse; & contextio *l. vlt. inf. de milit. veste.* Igitur, *ex intexto* voluerit Theodosius vestem præberi, quæ Comitibus tertii ordinis non dabatur. Suum scilicet cuique dignitati vestis genus fuit, & e sacris largitionibus præbebatur: vid. quæ dicam ad *l. 11. inf. de Palat. S. L.* *Ex intexto* vestis, cui intextum quid: ἐπίσημος vestis Græcis apud Laertium de Aristotele *in vita eius pag. 165. edit. H. Stephani*, ἐσθῆτι ἐπισήμῳ χρώμενος. Ita Plinius scribit, *lib. 35. c. 9.* Zeuxin vsum *palliis quæ tesseras auro* INTEXTAS *haberent*. Sic ἐπίσημον ἀργύριον signatum, ἐπίσημα vasa, sculpta, cælata, signis aspera, ἐπίσημοι anuli, apud Pollucem, *in Onomast. lib. 3. cap. 10. & lib. 5. c. 16.* qui gemmam habebant, quadrata multisignia, Varroni apud Nonium. *c. 18. num. 4.* Contra tunicæ *asema*, apud Lampridium *Alex. Seuero cap. 33.* quæ carent purpura, nil intextum, nullum clauum habentes: ita ἀσήμους δίφρους Philostratus, *lib. 3. vita Apoll. c. 16.* qui intextum ex auro non habebant. Igitur Comitibus tertii ordinis asemæ tunicæ datæ ex S. L. quas *lineas puras* vocari existimo, apud Vopiscum *Aureliano cap. 48.* vt *pura vexilla* apud eundem Vopiscum *in vita Probi c. 5. pura mantilia* apud Spartianum, *Alex. Seuero, cap. 37. pura scuta*, quæ Seruius depictis opponit: Certe linteaminis amictorii in Palatinorum vsus mentio *l. 48. de cursu: Episema* vero, seu *ex intexto*, Comitibus secundi ordinis. Atque hanc huic *l.* sententiam omnino existimo. Nisi quis hic legendum putet, *ex integro hero*, id est, olouerам vestem: de qua veste *suo titulo*. Verum priori emendationi nostræ semper adhæreo.

DE

DE AGENTIBVS IN REBVS.

TITVLVS XXVII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XX. Sexto Aurelio Victori *de Cæs. c. 39. Agentes rerum.* ἀγγελιαφόροι Græcis. *In rebus*, id est, in negotiis publicis exequendis, dixi ad *l. 1. sup. de proximis*, in Oneribus efficiendis Nouella Valentin. 14. siue 37. inter Theodosianas edit. Cuiac. Paris. *vt soli quidquid* ONERIS *est & profiteri & efficere videantur.*

PARATITLON.

AGENTES in rebus, *Rubr.* & *toto titulo*, De quibus agitur insuper, *duobus titulis proximis*, *de Princip. Agentium in rebus*, & *tit. de Curiosis*, & *l. vlt. sup. de Senatoribus*, *l. 3 in fine*, & *l 7. inf. de priuil. eorum qui in S. Pal. l. vn de mensoribus: l. 16. de diuers. offic. l. 2. inf. de Commeatu: l 7 9. 14. 49. de cursu publico: l. 4 7. inf. de executoribus*, *l. 17. inf. de exactionibus: l. 29. de hæreticis: l. 16. 24. de Iudæis*, *l. vn. inf quib. milit. ad vrbem acced. l 20 inf. de nauiculariis:* militaribus meritis subnixi, *d. l. 3. in fin. de priuil. eorum qui in S. Palat.* in Palatio militabant, *l. 2. h t.* Palatini erant, *d l 3. in fin.* Ambrosius *ep. 20 num. 7. ad Marcellinam sororem* (etsi alio sensu a Palatinis distinguantur, *l. 29. inf. de hæreticis*) in Comitatu *l. 11. h. t.* Ac nominatim in actu Reipublicæ diuersabantur, *l. 4. h. tit.* Hi enim missionibus
P.164 Principis parebant, *d. l. 4. h. t.* iis a Principe in prouinciis negotium iniungebatur aliquod, seu negotium aliquod executioque eius iniungebatur: *l. 15. hoc tit. d. l. 4. 7. inf. de executoribus*, & *d. l. vn. quibus milit.* Ambrosius *2. off. 29.* ad prouinciam mittebantur, *d. l. 17. inf. de exactionibus:* variis ex causis ob fiscalis tituli debitique exactionem, *d l. 17.* quo casu non possessores per se conueniebant, verum Rectoribus & officiis eorum imminebant, *d. l. 17.* ad mouendum militem, *d. l 7. de cursu public.* ad litteras Principis perferendas, Symmachus *lib. 2. ep. 62.* & *lib. 6. ep. 36. lib. 7. ep 59.* Libanius *Apologia adu. eos qui suam docendi methodum accus.* & retro ad referenda ad Principem acta publica, & literas Magistratuum: Symmachus *lib. 10. ep.* 37. Breuiter, qui Principis iussis obsecundabant, *d. l. 9. de cursu publ.* Qui publicæ necessitatis causa dirigebantur, vel in prouincias, *d. l. 4.* & *7. inf. de executorib.* & *d l. 17. de exactionib.* vel in vrbem, *d. l. vn. inf. quib. militantibus.* Hinc & portitor præcepti Agens in rebus dicitur, *l. 7 inf. de executoribus*, & executio Agentium in rebus, *l. 11. h. t.* vid & *d. l. 2. inf. de commeatu: d. l. 7. 9. 14. inf de cursu publ.* vid & Symmachum *lib. 10. ep. 44.* Item labor, *l. 2. h. t.* & Agentes plenum vigiliarum munus exercere, *d. l. 7. de priuil. eorum qui in S. Pal.* Hinc & *Nouella cit.* Valentiniani, *inter Theodos. 37.* dicuntur, Agentium labores, sollicitudines, vigiliæ tantæ esse, vt soli quidquid oneris est, & profiteri & efficere videantur. Horum ideo scholam Principibus necessariam maxime vocat *lex 12. hoc tit.* militiam spectatam *l. 18. h. t.* militiam non temnendam, *l. 16. h. t.* Ideo quoque cursus publicus in id Agentibus in rebus præbebatur a Principe, vel Magistro officiorum, *d l. 7 9. 14. 49 de cursu publ.* Hinc & Curiosi ex his sumebantur: de quibus ideo *altero* ab hinc *titulo* agitur.

Erat autem horum Agentium in rebus schola quædam (vt cæterorum qui in Palatio militabant) cuius mentio fit *l. 3. 4. 9. 12. 14. 17. 18. 19. 22. hoc titulo:* & *d. l. vlt. sup. de Senatoribus:* & *l. 4 inf. de Curiosis:* seu certa matricula, *l. 15. 23. h. t. l. 4. inf de executorib.* consortium, *l. 17. h t.* & Am. Marcellinus *lib. 16. c. 5.* collegium, *l. 18 h. t.* certo & statuto numero, *l. 8. 20.* & *l. vlt. h. t.* Idque sub dispositione Magistri officiorum, *l. 3 4 7. 8. 9. 11. 14. 15. 17. 18. 19. 20.* & *vlt. hoc tit l. 8. inf. tit. prox. de Principib Agent. d. l. 2. inf. de commeatu: l. 29. inf. de hæreticis* vid. & Ambros. *2. officior. 29.* . vnde & Græcis Μαγιστριανοὶ, Olympiodorus *apud Photium*, & *Tom. I. Script. Rer. Byzant. p 150 edit. venet.* vbi de *Euplutio:* Palladius *cap. 97. p. 154. ed. Meurs.* (quo loco Heraclides *cap. 53* Agentem in rebus habet.)

Inter eos plures Gradus erant, *l. 3 7. hoc t.* seu scholæ plures, *l. 6 inf. de Curiosis.* Summus honoris gradus erat, *l. 19. h. t.* PRINCIPVM, de quibus *l. 5. 6. 8. 10. 13. 16. 19. 20. 21 22. hoc tit* & *titulus Proximus peculiaris:* & *d. Nouella* Valent. *inter Theodos. 37.* Vnde & Principatus Agentium, *l. 13. h. t.* Principatus officium, *d. l. 13.* dignitas, *d. l. 19 h t.* Qui & Primates dicuntur, *l. 22. h. t.* & primi scholarium, *l 6. inf. de curiosis.* Ad hunc gradum hi perueniebant post iugis militiæ tempus veluti præmio laboris, *l. 13. h. t.* impleto militiæ ordine ac labore: *l. 20. 21. h. t.* militiæ fine, *l. 22. h. t.* post sæua sæpe pericula, vitæque interdum renunciationem: *l 6. Cod. Iust. de Princip. agent in rebus.* ex Ducenariorum gradu (de quo mox) *l. 20. 21. hoc tit.* vnde & Principatus Ducenæ dicitur, *l. 21. h. t.* & *l. vlt. sup. de Senatoribus.* Qui scilicet ex Ducenariorum gradu officii seu Officialium Præfecti Prætorio vel Rectoris prouinciæ Principes fiebant: de quibus est quoque *lex 8. 16. 19. h. t.* de quibus est *inf. tit. prox. peculiaris.*

Dignitas & priuilegia horum Principum magna erant. Senatores quippe fuere: & primo quidem Rationalibus tantum prælati, *l. 2. inf. tit. prox.* mox inter Consulares, *l. 5. 6 10. & 12. hoc tit l. vlt sup. de Senatoribus:* dein inter Vicarios, *l. 20. 21. 22. hoc tit.* tandem & Proconsulibus exæquati, *l. 7 inf. de Princip. Agent. in reb.* Senatores vero erant inter Adlectos, & immunes a Senatoriis muneribus: *l 6. h. t.* a glebali functione, *dict. l. vlt. sup. de Senatorib.* (quod tamen negari videtur *l 22. h. t.* ab extraordinariis collationibus, veluti Iuniorum) id est, Tyronum, *l. 13. h. t* Principatum denique e Ducena sumentibus licebat, pro se liberos ac fratres suos in eadem militia, Agentium in rebus, Principis nutu collocare, *l. 8. in fine h t.*

Agentium in rebus ipsorum quinque gradus, qui omnes ordine continentur Lennis *l. 3. Cod. Iust. eod tit.* DVCENARII: ex quo gradu eos ad Principatum venisse diximus: ex *leg. 8. & 20. hoc tit.* Hinc Ducenæ dignitas, *d. l. 20. & 21. h. t. & l. 3. infr. de cohortalibus: l. 1. infr. de Cæsarianis: l. 1. infr. de murilegulis: l. 5. infr. de Decurionib.* & Principatus Ducenæ. *d. l. 21. & d. l. vlt. de Senatoribus:* Secundo, Ducenariis proximi erant CENTENARII: Vnde & Centenæ dignitas, *l. 7. h. t. & d. l. 3. de cohortal. l. 1. de Cæsarian. l. 1. de murileg. l. 5. de Decurionib.* Post hos Tertio erant BIARCHI, quorum nulla mentio fit *hoc Codice*, qui inter Centenarios & Circitores erant, *d l. 3. Cod. Iust. eod. tit.* Quarto igitur loco erant CIRCITORES: de quibus *l. 3. h. t. & d. l. 3. Cod. Iust. eod. tit.* Post hos tandem EQVITES: de quibus *d. l. 3. h. t. & d. l. 3. Cod. Iust. eod.* qui primus honor dici videtur *l. 4. h. t.* qui receptis in
P.165 scholam Agentium primus per gradum post emeritum laborem deferebatur, *d. l. 3. & 4.* ceteri TYRONES vid. Symmachum *lib. 6. ep 53.*

In commune de Agentibus in rebus sequentia notentur. Primo, in scholam Agentium in rebus admissos nonnullos ad petitionem; & suffragationem certarum dignitatum: *l. 8. hoc tit.* nonnisi consulto Principe, seu adnotatione Principis: *l. 3. 4. 11. hoc tit* quæstione habita *d. l. 3.* sub maiore parte probatos moribus, & origine inquisita: *l. 4. 17 hoc. tit.* Item singulari priuilegio Ducenariis sumentibus Principatum, pro se liberos ac fratres suos in eadem militia collocare licuit, *l. 8. h t.* Secundo, non omnes promiscue admissi: non Officiales Iudicum, *l. 16. de diuers offic* non Iudæi & Samaritani, *l. 16. 24 de Iudæis:* non hæretici, *l. 29. de hæreticis:* non nauicularii, *l. 20. de nauicul.* Tertio, Noui a primi honoris auspiciis vacauere quinquennio: *d. l. 4. h. t.* Quarto, Augmentum graduum, *l 9 h. t.* (quod *crescendi* verbo significatur, *l. 8. h. t.*) honorum, *l. 3. h. t.* singulorum, *l. 4. h. t.* proximorum, puta pariter Principis seu Imperatoris singulis annis percepere, *d. l. 3. h. t.* ordine stipendiorum & laborum merito, *l. 14. h. t.* præcedentium dimissione, *d. l. 4. h. t.* omni obreptione cessante, *d. l 14.* sic etiam vt in gradum semper aliquem promotus, vltimus in eo haberetur, *l. 9. h. t.* duobus tantum exceptis, quos Princeps per singulos gradus extra ordinem addere poterat, *d. l. 3. h. t.* Quinto, *Priuilegia* Agentium in rebus certa & debita quædam erant, *l. 20. inf. de nauicular.* veluti in cursu publico vsurpando, *l. 7. 9. 14. de cursu publico:* Item Curia liberabantur, si certo annorum numero inter Agentes fuissent, *l. 1. 2. 16. hoc tit. l. 14. inf. de priuil. eorum qui in S. Pal.* ad Nauiculariam etiam functionem vocari non poterant, si genere nauiculario non essent, neque possessiones nauiculariæ functioni obnoxias possiderent, *l. 20 de nauicular.* Priuilegiis denique militaribus subnixos fuisse ait *lex 3. in fin. de priuil. eorum qui in S. Palatio:* vbi vid. quæ notaui etiam de horum militari habitu, cum chlamyde & baltheo.

Postremum caput de Agentibus est de *Pœnis*, & *Criminibus* eorum. Discingendi, abiiciendi eos Magistro officiorum ius erat, *l 17. & 18. h. t.* vnde abiecti hi dicti *d. l. 18.* In desertoribus & latitantes vltra commeatus, vel iniuncti negotiis tempus, pœna sancita, *l. 15. hoc tit. & l. 2. infr de Commeatu.* Furtis infames fuere, *l. 3. supr de iurisdictione:* deque eorum rapacitate insignis locus extat apud Am. Marcellinum *lib. 16. c. 5.* & Victorem *de Cæs. c. 39.* Rapta vero in duplum restituere tenebantur: *dict. l. 3. de iurisdict* Adulteriis quoque seu libidine labrabant, *dict l 3.* In eos denique delinquentes, Rectores Prouinciarum quoque statuere poterant, *d. l 3.* pariter vt Præfecti Prætorio in Curiosos ex Agentibus, *l. 3. infr. de Curiosis.* Impotentiæ denique Agentum in rebus occursum variis rationibus: Nam & in eam Prouinciam ex qua oriundi erant, vel in qua larem collocassent, mitti non potuere, *l. 4. infr. de executoribus.* Item accessu vrbis Romæ, nisi missi, prohibiti, *l. vn. quib. milit. ad vrbem non lic acced.* sibi denique iniuncto tantum munere defungi debebant, non etiam alteri collegæ suo iniunctum collegii iure præsumere, *l 7. infr. de executoribus.*

Paratitli quoque vice hic sternere iuuat Scriptores, qui Agentium in rebus meminere: Sextus Aurelius Victor *in Diocletiano c 39.* Athanasius *Apolog ad Constantium l. p. 679 ed. Weidman. Lips. siu. Coloniens.* (quo loco maleeditum Αγεντισηριχὰς, vnde etiam ioculariter Interpres *Præfectos Sericorum* fecit, rescribendum enim Αγέντες ἐν ῥίβυς.) Frequens mentio apud Am. Marcellinum, ac ferme nouem locis, *lib. 14 c. 11 lib. 15. c. 3. lib. 16. c. 5. 8. lib. 22 c. 3. & 7. lib. 28. c 1.* Plenæ & Libanii orationes *Orat funebri in Iuliani Imp. necem, p 294 295.* (quem locum proferam integrum, ad *l. 1. inf. de Curiosis:*) & *p. 305. in Orat. pro Aristophane p. 213. Orat in eos qui docendi eius methodum culpabant, p 592 Orat. πρὸς τὺς βαρὺν αὐτὸν καλέσαντας: aduersus Florentinum, p. 425. adu. Icarium, p 472. edit. Morell* Ambrosius *ep. 20 num 7. ed Benedict. ad Marcellinam sororem, & lib. 2 officiorum c. 29.* Symmachus, *lib 2. epist. 24. 62 lib. 6. ep 36. 53 lib. 7. ep. 34. 59 107 lib 9. ep. 16. lib. 10. ep. 36. 37. 44. 63.* [illegible] *vltima* (Hieronymus *in cap. 1. Abdiæ, & in c. 1. Amos.*) Acta

colla-

collationis Carthag. *initio cognitionis Tertiæ*. Priscus Rhetor *in excerptis Legationum*, *p. 26. Tom. I. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* & Notitia *Imperii fol. 42.* Quorum omnium testimonia, vbi opus erit, postea adsumam: vt & quæ de Magistrianis (sunt enim hi Agentes in rebus, inde dicti, quod sub Magistro officiorum agerent) aliorum testimonia.

P.166 Cvriali *nexu Agentes in rebus, quot annorum spatio liberentur, Constantii lex.*

I. (a) Impp. Constantivs A..... (b) PP. Post. alia.

DE (c) Agentibus in rebus Si quis annos viginti transierit in obsequio, minime eum ad Curiam reuocari. (d) Quod & circa Scrinia (e) nostra & Cancellarios, (f) & Largitionales, (g) & Officiales Comitum Rerum Priuatarum volumus obseruari: & cetera. Dat. VIII. Id. Mart. Constantio A. VII. & Constante Cæs. Conss. [354.]

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendæ *huic legi* videri possunt *lex 5. inf. de cohortalib. lex 4. 5. 6. de diu. officiis.* de quo mox. *Gothofredvs.*

(b) In ipso MS. abest nomen P. P. ad quem hæc *lex* emissa est, nisi quod plenius ibi, *ad PP.* *Idem.*

(c) Hæc verba, *De Agentibus in rebus* recte in Cuiacii *editione prior.* & in ea quæ post prodiit *in Quarto*, ad inscriptionem *Legis* retracta sunt: non vt in Parisiensi postrema editione ad *initium Legis*, seu *ipsius Legis contextum*. Nempe caput hoc ex prolixiore constitutione excerptum, qua varia capita continebantur. Simile exemplum in *l. 6 sup. tit. prox. de Proximis*: & *d. l. 4. 5. 6. de diu. offic.* & *l. 9 inf. de indulg. debitorum*: De quo, *in Prolegomenis huius Codicis.* *Idem.*

(d) Supple, *volumus*, vel quid tale: quod perperam omissum ab *huius Codicis* Conditoribus, cum *Legem* hanc a corpore suo diuellerent. De cuiusmodi næuis *in Prolegomenis.* *Idem.*

(e) Vide *l. 1. sup. de Proximis*, & quæ *ibi* diximus. *Idem.*

(f) De *Cancellariis* dixi *suo titulo*, qui vltimus est *Libri 1 de Assessoribus Domesticis & Cancellariis.* *Idem.*

(g) De his *Largitionalibus*, & *sequentibus*, *inf. tit. de Palatinis S. L.* Agitur de his & *d. l. 6. inf. de diu. offic. l. 3. de priuil. appar. Magisteria Potest.* Vopiscus, *in Carino cap. 20.* *Idem.*

COMMENTARIVS.

Constantii Imp. vnica hæc *hoc titulo* constitutio de Agentibus in rebus occurit: cuius eiusdem alioquin quinque extant de iis, & ad eus, *inf. tit. de curiosis*: e quibus colligimus, quo animo erga eus comparatus fuerit Constantius: Certe *l. 2. in-nino*, verba hæc affectus iudiciique plena occurrunt. *Agentes in rebus in curis agendis, & euectionibus publici cursus inspiciendis, nostrorum memores præceptorum credimus in omnibus velle profutura Reipublica.* Et idem tamen iis, ac curiosis nominatim euagantibus modum posuit *illis Legibus*, quod necessarium tum fuisse Libanii testimonio docemur; quod exhibemus ad *l. 1. huius tituli.* Nunc de *hac leg.* Cvriali conditione seu nexu Agentes in rebus quot annorum militia liberentur, definit Constantius Imp. *hac leg.* quæ pars est prolixioris constitutionis, vt ostendunt illa, *Post alia*; item illa *de Agentibus in rebus*: quæ ostendunt, hoc ἀπάσθισμα esse, seu caput constitutionis quæ diuersa capita continebat: de cuiusmodi Inscriptionibus dixi semel. *in Prolegomenis.* Et certe videntur huic *legi* coassandæ *lex 5. inf. de cohortalib.* & *lex 4. 5. forte* & *6. inf. de diuersis officiis*, velut eiusdem constitutionis partes: qua definitum fuit, quando, quotque annorum spatio, Curialis conditio euitari possit, Militia Agentium in rebus, Scriniariorum, Largitionalium, & Officialium Comitis R. P. Vt et sit, argumento certe illæ conueniunt, & Inscriptionibus & Subscriptionibus ex parte. Ad rem. Igitur viginti annorum militia inter Agentes in rebus Curiam euitari posse, definit Constantius. Idemque & de Scriniariis S. Pal. & de Largitionalibus, id est, Officialibus Com. S. L. (de quibus *suo titulo*) & de Officialibus Comitis R. P. definit. De Curiali conditione euitanda per militiam in schola Agentium in rebus, sunt præterea *lex 2. prox.* & *l. 16. inf. h. t.* Atenim hoc omne postea immutatum. Iulianus quippe paulo post, post tertium militiæ annum eos qui in palatio Agentes in rebus militassent, Curia liberauit, *l. 2. prox. inf.* Idemque scriniarios quindecennali militia Curiali nexu absoluit, *l. 1. sup. de proximis.* De cuius Imp. Iuliani alioquin animo, studioque erga Curias dixi ad *eam l. 1.* & plenius adhuc ad *l. 50. inf. de Decurionib.* Istud interim ex *hac l.* videmus sub Constantio Imp. & hoc æuo Curialium Curiis derelictis multos ad Agentium in rebus militiam sese contulisse: quod etiam discimus ex Libanio Antiocheno, *Orat. in Iuliani necem, p. 294. edit Morell.* οἱ τὰς αὐτῶν πατρίδας τῆς παρ' αὐτῶν ἀπεστερηκότες χρείας, βουλὰς ἀποδράντες καὶ νόμους λειτουργιῶν εἰς Ἀγγελιαφόρους τελέσαντες ἐποιοῦντο μὲν πευθῆνες (Curiosi) κατασκόποι. *Qui patriam suam priuauerant vsu & commodis ab ipsis profectis: consilia & leges publicorum muniorum defugientes nempe qui nuntiis initiatis satagebant vt percontatores constituerentur.*

Cvria *quot annorum spatio Agentes in rebus, & quinam liberentur? Iuliani lex.*

II. (a) Impp. Ivlianvs A. Secundo PP. (b)

EX his qui in Palatio (c) Agentes in rebus militauerint post tertium (d) annum militiæ

 nemo

nemo Curiæ tradatur; nec ille, qui in Consulatu (e) meo Quarto missione donatus est. PP. Beryto, (f) die Kal. Mart. Iuliano A. IIII. & Salustio Conss. [363.]

P. 167

NOTAE.

(a) Abest & hæc lex a Cod. Iust. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Secundus PP.* sub Iuliano, de quo iam sæpe: & in *Prosopogr.* *Ex huius* sane legis *subscript. PP. Beryto*, liquet, hunc fuisse Præfectum Prætorio Orientis. *IDEM.*

(c) Inter *Palatinos* e an Agentes in rebus: *l. 1. & l. 3. infr. de priuil. eorum qui in S. Palatio.* & Ambrosius *epist. ad Marcellinam.* Alio sensu distinguuntur a Palatinis *l. 92. inf. de hæreticis*, vbi dixi. *IDEM.*

(d) De hoc mox. *IDEM.*

(e) Quo ipso hæc *lex* data est. *IDEM.*

(f) *Berytus* ad dispositionem Præfecti Prætorio Orientis pertinebat. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

CVRIALI conditione, per triennalem inter Agentes in rebus militiam Curialem liberari definit *hac l.* Iulianus Imp. Quod vtique singulare est, & pene paradoxon: siue Iuliani ipsius in Curias studium spectemus, qui etiam eos qui a Curiali nexu nascendi sorte liberi erant, ad Curiam quocunque tandem prætextu deuocabat, de quo ad *l. 1. sup. de proximis*: & *l. 50. & seqq. tit. inf. de decurionibus*: etiam ex Am. Marcellino, & Libanio, ipsoque Iuliano: siue aliorum Principum constitutiones intueamur, ac nominatim Constantii, qui viginti annorum hac in re præscriptioni locum esse voluit: *l. 1. sup.* & Iouiani *l. 56. inf. de decurionib.* vbi militiæ armatæ decennali tantum a Curia immunitatem tribuit. Quid est igitur, quod in Palatina militia inter Agentes in rebus, tam dedicato numero, trium videlicet tantum annorum immunitatem tribuit? cum alioquin Palatina militia ad instar armatæ comparari satis habeat: & vero in hoc *quidem* ipso argumento, in *l. 16. inf. hoc tit.* comparetur. Imo, cum ex Libanio didicamus, *Orat. in Iuliani necem. p. 294. 295. ed. Morell.* Iulianum infesto maxime animo erga Agentes in rebus, & Curiosos qui ex Agentibus in rebus his sumebantur fuisse: in tantum vt eos dicat Palatio exegisse, τῶν βασιλείων ὑπερόρητε θυρῶν: imo totam illam scholam disturbasse, appellationemque & munus eorum sustulisse, ὅλην μὲν ἐκείνην διασκεδάσας τὴν φρατρίαν, ἀφελόμενος δὲ καὶ προσηγορίαν καὶ τάξιν, ἀφ' ἧς πάντα ἐπόρθουν τε καὶ διώρυττον. *Tota illa sodalitia disperso, appellatione earum & ordine deturbata, cuius fraude omnia vastabant, atque effodiebant.* Quanquam hæc curiosorum scholam proprie respiciunt, non Agentium in rebus scholam vniuersam, quod tamen credidit vir Doctiss. in Am. Marcellinum *lib. 22. c. 4.* Quare aliud spatium hic reponendum mihi aliquando visum, quam triennii, seu tertii anni, forte *tertium decimum.*

Porro addit Iulianus *hac l.* etiam eos a Curia liberari, qui in Consulatu suo Quarto missione donati sunt: qui quidem ipse Consulatus *huic legi* subscriptus est. Quod quidem accipi potest de Agentibus in rebus, militia Palatina iam dimissis honesta scil. missione vel emerita, de qua *l. prox. 3* quoque: vel etiam de Militia armata, seu de militibus, qui cum Curiales essent & militassent, postea missione donati sunt; nam & ita, vt dixi, hoc ipso Anno Iouianus militia decennali armata Curialem conditionem vitari posse definiuit, *l. 56. inf. de Decurionibus.* Verum priori interpretationi magis adquiesco.

Illud interim notandum, æquo iure haberi, adhuc militantem, qui certum stipendiorum numerum expleuit, & veteranum missione donatum, etsi forte non tot stipendia fecerit: Nempe, vt non magis hic ad Curiam reuocari possit, quam ille. Certe a missione donatis plane diuersi sunt, *Proiecti*: quibus militiæ gradus ablatus; De euiusmodi Proiectis Agentibus in rebus Am. Marcellinus in gestis Anni superioris 362 *lib. 22. c. 7. Duo*, inquit, *Agentes in rebus ex iis qui proiecti sunt, eum adiere fidentius, promittentes latebras monstrare Florentii, si eis gradus militia redderetur.*

Illud tandem notandum ex subscriptione *PP. Beryto*, huius *leg.* speciem pertinere proprie ad Curiam Berytiensem: pariter vt eiusdem Iuliani *lex 54. inf. de Decurionib.* vbi similis subscriptio occurrit; & Valentis *lex 63. inf. de Decurionib.*

De PROMOTIONIBVS *in gradum aliquem honoris in schola Agentium in rebus.*

III. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & THEODOSIVS AAA. ad Florum (b) Mag. (c) Officiorum.

NON plures in aliquem Gradum honoris ascendant, quam quantos singuli quique anni Agentium (d) in rebus Schola ad finem emeriti laboris inuitant: ita duntaxat, vt per singulos Gradus binorum nobis tantum addendorum extra ordinem seruetur potestas, quorum eximius labor, vt vim hanc Legis excludamus (e) extorserit: Quod quidem seruandum vsque ad Circitores erit. Nam vt sterni (f) continuo quisque possit sine quæstione (g) aliqua, & sine præscripto numero sine adnotatione nostra sufficiat impetrari. (h) In ceteris autem etiamsi Adnotatio specialis extiterit, quæ tamen duorum numero (i) transeat, eam esse iubemus infirmam, ita vt ne insequenti quidem anno habeat firmitatem, nisi insequens annus nullos numero duos, qui ex Adnotatione nostra augmentum accipere debeant honoris, inuenerit. Quod si post antiquam aliquis (k) missionem, (l) veteremque militiam, præpostera sacramentorum cupiditate per ambitionem (m) ad stipendia redire

dire temptauerit, hac proposita optione socientur, vt vltimos se militaturos nouerint Equitum. Quod de vniuersis quibusque Officiis specialiter cauemus, a quibus nonnulli ad A-
P.165 gentum in rebus Scholam cum propria dignitate transierint, (n) vt scilicet hi ex quacunque militia sinantur excedere. Quod in posterum custodiendum ita ratum sit, vt periculum se & Adiutor (o) & Subadiuuæ subituros esse cognoscant, si huius sanctionis nostræ normam vnquam etiam insequentibus Magistris (p) desierint intimare. Dat. XVI. Kal. Iul. Thessalonicæ, Gratiano V. & Theodosio I. AA. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Hora* huic Magistro officiorum sub Theodosio M. inscribitur quoque Anno prox. 381. *lex 6. inf. de Curiosis.* *IDEM.*

(c) *Magistro officiorum* cur inscribatur quoque hæc *lex*, mox dicam. *IDEM.*

(d) Forte *in Agentium.* *IDEM.*

(e) *Excludere* vim legis dicitur exceptio singularis aduersus legem. Iudicatum quoque dicitur excludere appellatio: *l. 6. de Iurisdict.* *IDEM.*

(f) *Sterni* est in vltimo gradu collocari: Eodem sensu *l. 5. sup. de Domesticis*, & *l. 14. inf. de re militari.* Καταστρώννυσθαι: v. Photium *Nomocanon. 1. c. 28.* *IDEM.*

(g) De hoc dicam *ad l. prox.* Inquisitio dicitur *l. 1. inf. quid probare.* *IDEM.*

(h) A Magistro officiorum. *IDEM.*

(i) Numerum. *IDEM.* Male, *duorum*, abest ab editione priore, quod seruant constanter impressi. *RITTER.*

(k) γρ. *aliquis, &c. temptauerit.* *GOTHOFR.*

(l) De *Missione* hac dixi ad *leg. super. 2.* *IDEM.*

(m) V. *l. 3. inf. ad leg. Iul. de ambitu.* *IDEM.*

(n) *Transierunt.* *IDEM.*

(o) De *Adiutore & subadiuua*, in *Commentario.* *IDEM.*

(p) *Magistri* absolute pro Magistris officiorum: de quo in *Commentario.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. quatuor constitutiones sequuntur, *de Agentibus in rebus.* Et hæc quidem est de PROMOTIONE in schola Agentium in rebus, in gradum aliquem honoris. Quæ vt intelligatur tenendum est, in schola Agentium, quæ magno numero constabat, & turba ingenti, Quinque fuisse honoris *Gradus*: quod Paratitlon iam ostendit: In quibus erant *Circuores*, & *Equites*: Et hi quidem duo postremi: nempe post Ducenarios, Centenarius & Biarchos, quod docet egregie quoque Leonis *lex 3. Cod. Iust. eod. tit.* Igitur Circitores, quarto loco: Equites, quinto seu postremo omnium: Qui ideo primus honor in schola Agentium dici videtur, primique honoris auspicia, *l. 4. prox.* qua causa in hunc gradum promoti dicuntur *hac l. sterni*, id est, vltimo gradu collocari. Quo eodem sensu *sternendi* vox accipienda est *l. 5. sup. de domesticis*: & *l. 14. infr. de re militari.* Sic & vltimi Agentium in rebus militia dicitur *l. vn. infr. de Mensoribus.* De his vero Circitoribus & Equitibus aliisque Gradibus creditur hic solemnis iam Hieronymi locus aduersus Ioannem Hierosolymitanum ad Pammachium. *p. 115. Tom. II. Ed. Francof. Finge*, inquit, *aliquem Tribunitiæ potestatis, suo vitio regradatum per singula Militiæ Equestris officia, ad Tyronis vocabulum deuolutum, numquid ex Tribuno statim fit Tyro? Non, sed ante Primicerius, deinde Senator, Ducenarius, Biarchus*, CIRCITOR, EQVES, *deinde Tyro, & quanquam Tribunus quondam miles gregarius fit, tamen ex Tribuno, non Tyro, sed Primicerius factus est.* Hic vero Hieronymi locus non est de gradibus Agentium in rebus, de quibus *hac l.* agitur, verum de Equestris militiæ armatæ gradibus in quibus erant Circitores, de quibus *l. 2. infr. de filiis milit. apparitorum.* Et vero, inde ex militia inquam armata, gradus illi nominaque in Palatinam Agentium in rebus militiam translata: vt & in Scholarium qui pariter sub Magistro officiorum agebant, vt docet Theodosii *Nouella 29. de scholaribus*, vbi pariter fit mentio Senatorum, Ducenariorum, Centenariorum. Nostra hæc Circitorum & Equitum tantum meminit: de tribus prioribus gradibus, puta Ducenariis, Centenariis, imo & Biarchis, ad *l. 7. & 8. infr.*

Nunc de *legis* sententia, quæ, vt dixi, est de PROMOTIONIBVS in schola Agentium in rebus: ad hunc videl. finem, ne promotionum ordo turbetur, verum emeriti laboris ratio habeatur, neve effræni numero habeantur. Formam itaque huic rei præscribit nunc Theodosius M. sub hac distinctione primum: vel de Promotionibus agitur vsque ad Circitores, vel de Equitibus, qui omnium postremi. Priore casu hanc formam præscribit, puta vt in eos gradus non plures ascendant, quam quantos singulis annis *finis emeriti* laboris inuitat: Ergo quæstione, seu inquisitione meritorum habita, non gratia, non ambitione, non per ambitum aut suffragia Palatina, non Auctoritate vel Adnotatione Principis seu Imperatoris: Duobus tantum exceptis: per singulos scil. gradus binorum tantum addendorum extra ordinem, sibi potestatem *hac leg.* seruat Theodosius M. hac etiam spe facta, quod eos additurus sit quorum eximius labor extorserit, vt vim *huius l.* excludat. Adeo vero binorum tantum in prædictis gradibus addendorum sibi ius seruat Theodosius, vt Adnotationem Principis, qua hic numerus excedatur, vel promotionum ordo interturbetur, specialem irritam esse velit. Quod est ipsum statuitur *l. 2. C. Iust. de offic. Magistri officior.* In tantum etiam, vt ea adnotatione comprehensi, ne sequenti quidem anno admittendi sint, nisi forte eo anno nullos nouos Princeps nominauerit. Vbi notandus casus, addendusque aliis pluribus, quibus Adnotationes speciales Principis infirmæ, irritæque esse iubentur: de quo *sup. Paratitlo, de diuers. rescript.* Et hæc quidem vt dixi de gradibus in schola Agentium in rebus vsque ad Circitores: In vltimo vero Equitum gradu admitti possunt continuo quilibet sine quæstione seu inquisitione emeriti laboris, sine certo numero, sine adnotatione Principis. Et hactenus quidem de non interturbando promotionum ordine per Ambitionem & Adnotationes Principis.

Sed neque (quod secundum *huius l.* caput est, ibi, *Quod si post*) interturbandus promotionum ordo per Reditum eius, qui olim missus est, & sic post antiquam missionem veteremque militiam ad scholam Agentium in rebus redire voluerit: Huiusmodi-

di enim reduei vltimum inter Equites locum adsignat *hac l.* Theodosius M. Igitur regressum eis quidem, si vel nt, largitur, sed sub hac quam dixi *optione*, seu conditione: Pariter vt aliis quibuscumque officiis suis defunctis ad scholam Agentium in rebus transire aum propria dignitate permittit sub eadem cooditione: Nempe, vt Agentium scholam
P.169 augeri numero voluit, ita viceuersa *Promotionum ordinem* interturbari noluit, *per Instities: siue per Adnotationem Principis, siue per regressum olim missorum, siue per Transitum aliorum*: Quæ summa est *huius leg.* Quod ad Regressos seu veterem scholam & afficium repetentes attinet, tralatitii iuris est, Restitutos in scholam, gradum, & locum vltimum, in ea obtinere; de quo dixi ad *l. 5. supr. de domesticis & Protectoribus.* Duo supersunt ad *hanc leg.* Primo quidem notandum semel, *Magistro officiorum* hanc *leg.* vt & alias multas, quæ de Ageotibus in rebus agunt, constitutiooes, quas notatas habes in *Paratilo*, inscribi: ideo quia Agenres in rebus sub eius dispositione erant. Id quod etiam expressa testatur *Notitia Imperii, fol. 139.* Priscus *in historia, p. 26. Tom. I. Scrip. Byzant. edit. Ven.* πασῶν γὰρ τῶν βασιλέως βυλῶν ὁ Μάγιςρος κοινωνὸς διὰ δὴ τῶν τε ἀγγελιαφόρων καὶ ἑρμηνέων καὶ ςρατιωτῶν ἀμφὶ τὴν βασιλείαν φυλακὴν ὑπ' αὐτὸν ταττομένων. *nam omnium imperatoris consiliorum magister est particeps, sub cuius cura sunt tabellarii interpretes & milites, qui palatii custodia deputati sunt.* Qua causa, Agentes in rebus *Magistriani* passim dicuntur apud Olympiodorum, vbi de *Euplutio pag. 150. Tom. I. R. B. Ed. Ven.* in veteri *Glossario*, (& aliquot locis Epistolarum Hormisdæ Papæ, vbi Eulogius modo vir Spectabilis *Magistrianus* vocatur.) Sed & Metaphrastes *22.* Octobris vocat eos Μαγιςριανὺς τῶν θείων ὀφφικίων; Victor Tununens. *in Chronico pag. 139. T. IV. Hisp. illustr. Andr. Schotti*, quoque, Literas per Olympium Magistrianum mittunt. Malchus *in Byzanticis pag 55. T. I. R. B. edit. Ven.* προπέμπει τῶν ἱππέων τῶν βασιλέων τινὰ, ὓς Μαγιςριανὺς καλῦσι. *mittit unum ex equitibus Imperatoris, quos magisterianos vocant.* Apud Suidam in verb. καθωσιωμένος. auctor incertus, ὁ καθωσιωμένος μαγιςριανὸς εὐσεβῆ γράμματα ἀποδέδωκε. *doctus Magistrianus pias literas reddidit.* Euagrius *lib. 2. c. 18.* ὐ παρὰ τὺς Μαγιςριανοὺς ἀπεςάλησαν. *non ad Magistrianos missos esse.* Vide & Nouellam *17. c. 4.* & *124. c. 3.* & Palladium *in hist. Lausiaca p. 154. edit. Meursii.* In actis *Martyrum* sæpe, velut in *actis* Abertii, in passione Processi & Martyriani. Nam & Magister officiorum ipse, absolute *Magister* dictus etiam *hac l. inf.* & apud Athanasium bis, & apud alios.

Secundo notanda sanctio *huius leg.* qua Theodosius M. pœnam minatur *Adiutori & Subadiuua*, nisi Magistris officiorum *hanc leg.* iosinuauerint. *Adiutor* & *Subadiuua* in officio Magistri officiorum primi fuere, vt testatur quoque *Notitia Imperii*, & quidem Orientis. *fol. 42. Officium suprascripti Viri Illustris Magistri officiorum de schola Agentium in rebus est ita:* ADIVTOR, SVBADIVVA, *Adiutores duo, Fabricarum tres, Barbariorum tres, Orientis vnus, Asiana vnus, Pontica vnus, Thraciarum & Illyrici vnus*: Et Occidentis, *fol 139. Officium inf. ascripti Viri Illustris Magistri officiorum de schola Agentium in rebus habetur hoc modo:* ADIVTOR, SVBADIVVÆ *Adiutoris*, SVBADIVVÆ *Fabricarum diuersarum. Adiutoris* huius fit quoque mentio *l. 20. 21. inf. h. t.* vbi dignitas ei confertur inter Ex-Vicariis. Quod etiam Cassiodorus ait *lib. VI. Variar. 6.* De eo vero alia nonnulla ad *d. l. 20. 21.* Meminit huius Adiutoris & Constantinus M. *leg. 1. Cod. Iust. de off. Magistri officiorum*: vbi naturam eius egregie describit: *Adiutor*, inquit, *in qua totius scholæ status & Magistri securitas constituta est.* Ideo etiam Constantinus *ea leg.* idoneum probitate morum ac bonis artibus præditum Principis obtutibus per Magistrum officiorum offerri, vt eius arbitrio ordinetur, statuit. Primus vero omnium hic Adiutor erat in officio Magistri officiorum: neque vt inter aliorum Magistratuum Officiales Princeps ibi erat, verum Adiutor. Certe Principi ex Agentibus ducenario fungitur & exæquatur, *l. 20. 21. inf.* Meminit eius quoque Euagrius *histor. Eccles. lib. 2. cap. 18.* ὑπήντησεν ὁ βοηθὸς τῦ Μαγίςρυ τῶν θείων ὀφφικίων *occurrit adiutor Magistri sacrorum officiorum.* Fuerunt & Adiutores Officii Palatini, *l. 16. 17. inf. de Palatinis S. L.* Item in officio Præfectorum prætorio, Quæstoris, Præfecti vrbis: Meminit Symmachus *lib. 10. ep. 36.* De Adiutoribus in commune, *l. 10. inf de cohortalib.* Adiutor vero hic subadiuuas habebat, quorum vt dixi, meminit quoque *Notitia Imperii l. c.* Subadiuuam Glossæ *Basilicorum* ita recte interpretantur: Συβαίυβος ὁ τῦ βοηθῦ βοηθός. Et Suidas: vbi tamen perperam Ρυβαίυβος pro Συβαδίυβος. Synesius *ep. 145.* Αρποκρατίων τὶς ἐςὶ τῶν Ηρακλειανῦ δορυφόρων τάξιν ἔχων τῷ βοηθῷ βοηθεῖν. ἡ γὰρ συβαδιῦβα λέξις τῦτο ἑρμηνεύειν πιςεύεται. *Harpocration quidam est ex Satellitibus Herculiani munus habens auxiliatorem adiuuandi, hac enim vox subadiuua id significare creditur.* Metaphrastes *in Actis Propbyrii Martyris:* Ἱλάριος τις Συβάδιυβα τῦ Μαγιςριανῦ. In Actis *collat. Karthag. die 3. pag. 1143. Tom. I. Concil. Harduin. Nauigio Adiutore Numerorum & Peregrino Adiutore subadiuuarum*, &c. (a) Ex hac vero *tandem* Lege discimus, inter cætera id muneris eorum fuisse, vt Leges seu constitutiones intimarent, ingererent, seu in memoriam reuocarent.

(a) Vide quæ de Magistrianis collegit magno studio Heribertus Rosueydus *in Onomast. ad Vit. Patr.* adde Cl. Fabrotum *in Glossar. ad Cedren.* Meursium *in Glossar.* & du Fresne *in Glossar. med. & infim. Græcit. voc.* Μαγιςριανὸς

De RECEPTIONE *in Scholam Agentium in rebus, & in ea* PROMOTIONE.

IV. (a) Idem AAA. Palladio (b) Magistro (c) Officiorum.

IN Schola (d) Agentium in rebus nemo facile (e) sub nostra quoque Adnotatione (f) speciali prorumpat, nisi sub maiore Scholæ parte quisque (g) aduenerit probandus (h) adsistat, qualis moribus (i) sit, vnde domo, (k) quam Officiorum originem (l) ac fortem fateatur. Noui quinquennio vacent a primi (m) quoque honoris auspiciis: ante missionibus (n) crebris futuris parent, (o) prodanturque nominibus; dehinc per singulos gradus iusta & firma præcedentium dimissione succedant. Sane si (q) militantibus, probeque in actu

actu Reipublicæ diuersatis, singulorum graduum quos meruerint non negamus accessum, ita vt ipsis quoque sit præcedentium ordo venerabilis, ac sub maiore parte Scholæ etiam de huius (r) gradu bonorum (s) adtestatio & consensus accedat. Dat. XII. Kal. April. Constantinop. Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Palladio* huic Magistro officiorum inscribitur quoque Anno superiore 381. *lex* 3. *de his qui cum dispens.* Et Anno 384. *lex* 3. *de metatis.* *IDEM.*

(c) *Magistro* officiorum cur inscribatur hæc *lex* aliæque plures *hoc tit.* iam dixi ad *leg. super.* *IDEM.*

(d) Sustineri istud potest: Melius tamen *scholam.* *IDEM.*

P.170 (e) *Facile*, id est, temere, sine præuia inquisitione: sic non facile adhibenda tormenta, *l.* 18. §. 2. *D. de Quæstionibus.* *IDEM.*

(f) De *Adnotatione* iam quoque *l. super.* 3. *IDEM.*

(g) *Quisque*, pro *quisquis*, quicunque aduenerit. *IDEM.*

(h) De hac *Probatione* mox: Sic *l.* 17. *inf.* probata schola. *IDEM.*

(i) An vita culpabilis? *l.* 18. *inf.* *IDEM.*

(k) *Vnde domo.* Virgiliana imitatio, *Qui genus, vnde domo Lib. VIII. Aen. v.* 114. vbi Seruius, *Figura*, inquit, *Græca.* Horatius *Ep. Lib.* 1. *Ep.* 7. *v.* 53. 54. *vnde domo quis, cuius fortuna.* Seneca *de consol. ad Helviam. c.* 6. *vnde domo quisque sit quærere:*: Vsurpatum & a Sidonio Apoll. *lib.* 1. *ep.* 11. vbi plura Sauaro v. & *Gloss. Ib.* *IDEM.*

(l) An origo ignobilis, & ex seruili fæce? *l.* 18. *infr.* *IDEM.*

(m) *Primus* honor non est summus, sed qui primus per gradum defertur: Sic retro *vltimus*, in *l.* 6. *sup. de proximis*, qui vltimo defertur, seu summus. Primus autem hic honos est Equitum, vt probatum ad *l.* 3. *sup.* *IDEM.*

(n) Hoc scilicet Agentium munus fuit, vt Paratitlon iam docuit: Missionibus parere, seu mitti. v. & *l.* 11. 15. *inf.* Huc etiam pertinet Victoris locus in Dioclet. quem laudo ad *Paratit.* Inde Μαγιστριανὸς Glossis Μανδάτωρ: Quæ ipsæ Glossæ explicant quid sit Μανδάτωρ, ὁ τὰ μανδάτα ἀπὸ τῶν ἀρχόντων πρὸς τοὺς στρατιώτας ὀξέως διακομίζων. *IDEM.*

(o) *γρ. pareant*, vt mox *prodanturque.* *IDEM.*

(p) *γρ. hominibus*, id est, sub conspectum hominum veniant. *IDEM.*

(q) *γρ. sic*, vt modo dixi scilicet. *IDEM.*

(r) Ordinis præcedentis. *IDEM.*

(s) *Bonorum* attestatio & consensus. Eodem modo *l.* 1. *sup. de honorariis codicillis*: bonorum suffragium: Et *l.* 1. *sup. si certam petatur de suffr.* Bonorum merito: quomodo in eadem re Libanius *Orat. funebri in Iulianum p.* 251. *edit. Morell.* τιμαὶ μὲν οἴχονται τῶν ἀγαθῶν. *honores certe bonorum facessunt.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

RECEPTIO in scholam Agentium in rebus, & in ea postea PROMOTIO ad primum gradum & de gradu ad gradum quomodo fieri debeat, *hac* Theodosii M. *lege* constituitur. Primum igitur statuitur, vt nemo RECIPIATVR seu admittatur in scholam (etsi adnotatione Principis subnixus, de quo ad *l.* 3. *sup. l.* 11. *infr.*) nisi simul ac præsentatus fuerit, inquisitio facta fuerit, seu quæstio (vt loquitur *lex* 3. *sup.*) de moribus, domo, & origine eius, præsente maiore parte scholæ: Quod *probandi* verbo *hac l.* significatur, & *tit. inf. quid probare: Qu'il se fasse enqueste de sa vie, condition, & meurs*: vid. & *l.* 15. 16. 17. *inf. de Palatin.* De simili probatione, antequam quis ad militiam admittatur, est *titulus inf. quid probare debeant ad quamcunque mil. ven.* Secundo, vt PROMOTIO hac forma fiat. Nouiter recepti in scholam, nonnisi post quinquennium a Receptione ad aliquem, & primum quidem (*Equitum* scilicet, de quo dixi *ad d. l.* 3. *sup.*) gradum prouehantur; & quinquennio illo frequentibus missionibus sese commendent. Quæ quidem quinquennalis Tyrocinii præscriptio & quædam quasi ἐχεμυθία, non adeo disparem habet Pythagoricam, vel etiam Epoptarum illam, de qua Tertulliani *aduersus Valentinianos* locus, *c.* 1. *Aditum prius cruciant, diutius initiant, quam consignant, cum Epoptas ante* QVINQVENNIVM *instituunt, vt opinionem suspendio cognitionis ædificent*, &c. Vnde idem mox *suspiria Epoptarum* vocat. Quinque scilicet annorum spatium statutum erat ad præparandos & instituendos sacrorum Tyrones. Et vt ibi prima initiatio traditione *paruorum mysteriorum* accipiebatur, ita hic post quinquennii probationem primus honor veluti prima initiatio deferebatur. Deinde ad singulos & proximos tantum gradus promotionem fieri iubet, non per saltum; quod & ipsum ab eodem Theodosio M. statutum, *l.* 3. *sup.* Et denique ad altiorem gradum nemo ascendat, nisi bonorum & hic accedente consensu & attestatione. Quæ omnia propter frequentes de Agentibus querelas constituta sunt, rapinis & adulteriis plerumque infamibus, vt docet *lex* 3. *sup. de Iurisdictione.* Sed & Iuliani locus apud Ammianum Marcellinum *lib.* 16. *c.* 5. *Rapere, non Accipere sciunt Agentes in rebus.* Ideo honestis actibus & moribus sese probis & hominibus Theodosius commendare voluit, antequam ad vllum honorem & gradum admitterentur. Sed & *quotiescunque* ad altiorem gradum essent promouendi, *Toties probandi, quoties promouendi.*

De PRINCIPATV *functorum gradu & ordine.*

V. (a) Idem (b) AA. & Arcadius A. Cynegio PP. (c)

QVONIAM Agentibus in rebus huiusmodi præstitimus + Codicillos, vt post Principatum in Amplissimo Ordine inter Adlectos (d) Consulares habeantur, id etiam huius Legis auctoritate præstringimus, (e) vt eodem gradu vel (f) ordine ab vniuersis Iu-

 dicibus

dicibus honorentur. Dat. III. (g) Non. Mart. Constantinop. Honorio nobilissimo puero & Euodio CONSS. [386.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* Forte iungenda *l. 3. inf. tit. prox. de Princip. Ag. in reb.* GOTHOFREDVS.

(b) Reponendi hi Imppp. *Valentinianus*, THEODOSIVS, *& Arcadius.* vid. *Chronolog.* qui & ipsi inscribuntur *legi prox. 6.* IDEM.

(c) *Cynegius* PP. Orientis sub Theodosio M. v. *Prosopogr.* IDEM.

† Huius Theodosianæ legis nulla alibi mentio. IDEM.

(d) De Adlectis dixi semel ad *l. 10. sup. de Pretoribus.* vid. & *l. 6. infr.* IDEM.

(e) *Præstringere* est præstituere, denunciare. IDEM.

(f) *Et* ordine. IDEM.

(g) *Prid. Kal. Mart. d. l. 3.* IDEM.

P.171.

COMMENTARIVS.

DE PRINCIPATV Agentium in rebus functorum gradu dignitateque, est hæc Theodosii M. Constitutio A. D. 386. cui iungenda videatur & *lex 3. inf de Princip. Agent.* Vbi & alterum horum Principum priuilegium continetur.

Vt hæc nostra intelligatur, sciendum est, Principatu Agentium in rebus functos antea quidem a Theodosio M. A. 380. Rationalibus prælatos, Præsidatu vero functis postpositos: *l. 2. inf. tit. prox. de Principib. Agent. in rebus.* Postea post annum inquam 380. idem Theodosius eos inter Adlectos Consulares (de qua dignitate iam *supra* sæpe, de Adlectis inquam, ad *l. 10. sup. de Pratoribus*, de Adlectis inter Consulares, ad *Paratit. tit. 2. de Senator. & de gleb al.* haberi iussit, lege quæ hac memoratur, nusquam vero alibi occurrit. Id quod *hac l.* quoque firmatur, & repetitur ab eodem Theodosio *l. 6. prox. inf.* & seruauit quoque Arcadius *l. 10. infr.* quomodo & in aliis, Theodosii patris sui sanctionem secutus est Honorius, *l. 12. infr.* Id cum hactenus ita statuisset Theodosius, puta vt Principatu Agentium functi in Senatu inter Adlectos Consulares haberentur, eumque gradum *in Senatu* obtinerent, quæri cœpit, vtrum eodem gradu vel ordine apud Iudices seu Rectores prouinciarum in salutationibus & consessibus (de quibus *ad l. un. sup de Præpos. S. Cubiculi*) haberi deberent: Forte Iudicibus id negantibus, per fastidium & supercilium, qui hos ad salutationem, & consessum admittere nolebant, & forte etiam Cynegio PP. hærente, quod nominatim *in Senatu* is honos a Theodosio M. tributus fuisset. Igitur Theodosius M. *hac l.* nunc definit, eodem gradu vel honore ab vniuersis Iudicibus honorati haberique eos debere. Quod quidem alioquin consequens erat, nempe vt qui honos in *Senatu* deferretur, idem & apud Iudices obtineret: quod cum Iudices facere nunc hærerent, vel nollent; reprehendere eos *hac l.* videtur. Certe dubitationi tollendæ vtrumque nominatim quandoque expressum, puta, vt qui honos deferretur *& apud Rectores prouinciarum & in Senatu* obtineret: exemplum in *l. 7. sup. de Proximis:* Qua causa etiam iunctim eodemque exemplo, *ἰσοτύπως* ad Præfectum Prætorio & Præfectum vrbi scribi solitum de honore graduque alicui tributo; vt apparet ex *d. l. 7. & 8. sup. de Proximis.* Continet igitur hæc *lex* argumentum & extensionem a Senatu ad Rectores prouinciarum: puta vt quem Senatus alicui honorem exhibet, eum exhibeant isti. Fortior adhuc argumentatio illa a Consistorio, seu ab honore quem Princeps ipse exhibet, ad Iudices & Secretaria Iudicum: *l. 5. sup. de Proximis: l. 4. sup. de domesticis.* Nos ad Principatu functorum dignitatem reuertamur, spectemusque adeo huius dignitatis processum vt aliarum plurium hoc æuo. Primo scilicet Rationalibus prælati, Præsidibusque posthabiti: Dein, inter Adlectos Consulares habiti, *h. l.* &c. Postea Vicariam his dignitatem detulit Theodosius Iun. *l. 20. 21. 22. inf. h. t. l. 5. Cod. Inst. de Princip. agentium in rebus.* Imo Honorius tandem Proconsularem dignitatem contulit: *l. 7. inf. de Princip. ag. in reb.*

Idem argumentum cum *l. super. 5.*

VI. (a) Imppp. Valentinianus THEODOSIVS, & Arcadius AAA. Proculo P. V. (b)

PRIVILEGIA (c) erga eum qui ex Agente in rebus Princeps fuerit, antiqua custodiri præcepimus: (d) Sit Senator & merito Consularibus adgregetur; sed vt eum functio vlla non teneat, conlatio non defraudet. Dat. VI. Kal. Decemb. Med. (e) Valentiniano A. IIII, & Neoterio CONSS. [390.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a Cod. Iust. GOTHOFREDVS.

(b) *Proculus* hic P. V. sub Theodosio M. fuit, vrbis Constantinopol. An. D. 389. 390. 391. & 392. de quo & Zosimus *lib. 4. cap. 45. & 52* & Chron. Alexandr. *pag. 709. edit. Rader.* Idem ille cuius mentio fit *l. 12. infr. de Annonis ciuicis.* vid. *Prosopogr.* IDEM

(c) De quibus *l. prox. 5. supr.* IDEM.

(d) Præcipimus. IDEM.

(e) *Mediolani* hoc tempore constitit Theodosius. V. *Chronolog.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE PRINCIPATV Agentium in rebus functorum dignitate Senatoria inter Consulares (de qua plene *ad l. superiorem:*) est hæc rursum Theodosii M. constitutio emissa ad Præfectum Vrbi:

Qua

Qua illud nominatim inculcatur, eos ita Senatores inter Consulares esse, vt tamen eos nulla functio (Senatoria scilicet) teneat, nulla collatio defraudet, id est vt immunes sint a Senatoriis functionibus, glebali, & similibus. Quod & ipsum *superiore leg.* expressum fuerat, vocibus *inter Adlectos: Adlecti* enim sunt inter Senatores, quos tamen nulla functio Senatoria tenet, nulla collatio defraudare debet: De quibus *Adlectis* dixi semel plene ad *l. 10. sup. de Pratoribus.* Hoc vero Priuilegium *hac l.* nunc confirmatur, proculdubio quod id nonnulli imminutum vellent aliqua occasione collationis alicuius, quod verba *legis* etiam suadeant: *priuilegia*, inquit, *antiqua* CVSTODIRI *pracipimus*; &c. Et quidem *lege* ad Præfectum Vrbi *emissa*, qui Senatorum Præsul erat.

P.172. *De* Novi Gradvs *cuiusdam in schola Agentium in rebus a Theodosio M. adiecti, honore, seu ordine.*

VII. (a) Impp. Arcadivs & Honorius AA. Osio (b) Magistro Officiorum.

Agentes (c) in rebus, quos Diuæ memoriæ Pater (d) noster, petitionem (e) secutus, vnius Gradus dicitur adiectione cumulasse, delato honore potiri præcepimus, (f) ita vt ad Centenam dignitatem hic Ordo (g) seruetur: (h) Si quis igitur Centenarius est secutus, (i) (quoniam Primis non patimur præiudicari, quos constat ad hunc locum longo tempore & probato labore venisse,) his (k) præponatur, quos merito præcedit. Quisquis autem adipiscitur Gradum, hoc (l) honore contentus, præponi his qui ordine priores meruerint, non labore. Dat. VI. Kal. Iun. Constantinop. Olybrio & Probino VV. CC. Conss. [395.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Osio* huic Magistro sub Arcadio inscribitur quoque An. prox. 396. *lex* 6. *sup. de Proximis: lex* 8. & 9. *inf. h. t.* An. 398 *l. 5. inf. de metatis: l. 4. de Fabricensib.* Meminit eius & Claudianus *lib. 2. in Eutropium v. 559.* IDEM.

(c) *Eos* vel *illos Agentes in rebus.* Et certe in MS. trium vel quatuor literarum spatium erosum est. IDEM.

(d) Theodosius M. Huius vero *Legis* reique nullum alibi vestigium extat: nam quod *l. 3. sup.* constituitur, ab hoc diuersum est. IDEM.

(e) Quorum? De hoc mox. Certe in MS. habetur *peditionem*, & ante eam vocem quatuor vel quinque literæ erosæ, forte, *eorum.* IDEM.

(f) *Praecipimus* reponendum est, pariter vt *l. super.* IDEM.

(g) Nouus Theodosianus ordo, seu gradus. IDEM.

(h) *Seruari* ordo dicitur ad centenam dignitatem, id est, obseruari, iungi, sociari Centenæ dignitati. IDEM.

(i) An *secundus*? Dicam mox. IDEM

(k) Quibus? mox dicam. IDEM.

(l) De huius loci restitutione mox. IDEM.

COMMENTARIVS.

Gradvs vnius & noui adiectione Theodosius M. Agentes in rebus auxerat, quod hæc *lex* testatur, cuius facti nulla alibi memoria exstat: Et quidem, quod & ipsum *hac l.* filius eius Arcadius addit, *petitionem secutus*, id est, ad petitionem quorundam: non addito, ad cuius, vel quorum petitionem. Certe ad quarundam Dignitatum petitionem, & suffragium, quosdam in numerum Agentium in rebus adscribi solitos ostendit *lex prox. 8. inf.* (quæ ad eundem quoque Osium Magistrum officiorum data est) eaque certarum dignitatum prærogatiua fuit: verum ad singulares personas id pertinet, quæ ad dignitatum illarum petitionem in Agentium in rebus scholam admittebantur: Atenim Theodosii factum, de quo *hac l.* & sic *lex* ista est de integro nouo quodam & peculiari *Ordine* seu *Gradu* in schola Agentium in rebus adiecto, seu instituto; *Agentes*, inquit, *in rebus, quos Diua memoria Pater noster, petitionem secutus, vnius* GRADVS *dicitur* ADIECTIONE *cumulasse, delato honore potiri pracepimus, ita vt ad Centenam dignitatem hic* ORDO *seruetur.* Hunc vero Gradum seu ordinem Arcadius seruari vult ad Centenam dignitatem: id est, Gradui Centenariorum adiungi, sociari, æquari: Centenæ huius dignitatis seu Centenariæ fit quoqua mentio *l. 3. 4. Cod. Iust. eod. tit.* & *l. 1. Cod. eod. de off. Magistri officior.* Ea vero e quinque gradibus in schola Agentium in rebus, post Ducenariam secunda erat, ante Biarchos, Circitores & Equites: vt ex *d. l. 3.* potissimum, & ex *d. l. 1. Cod. Iust. de off. Magistri offic.* discimus. Ab his Centenariis, & ab hac Centenæ dignitate inter Agentes, diuersa est Centenæ Dignitas, quæ cum Ducena inter dignitatem Perfectissimatus & Egregiatus, medio loco ponitur in Constantini M. constitutione ad Bithynos: seu *l. 3. inf. de cohortalibus: l. 1. de Cæsarianis: l. 1. de murilegulis: l. 5. de decurionibus:* Hæc enim Centena nostra in schola Agentium erat, illa peculiaris Dignitatis titulus fuit, Perfectissimatu inferior, Egregiatu superior. Diuersi etiam ab his Centenariis Magistrianis, seu Agentibus in rebus, sunt, *Centenarii Præfectorum Pratorio*, in epistola presbyterorum apud Athanasium *Apologia II. pag. 794. edit. Weidman. Lips.* Φλαβίῳ Φιλαγρίῳ, καὶ Φλαβίῳ Παλλαδίῳ δουκιναρίῳ, παλατινῳ κουριώσῳ, καὶ Φλαβίῳ Αντωνίῳ βιάρχῳ κεντηναρίῳ τῶν κυρίων μου τῶν λαμπροτάτων ἐπάρχων τοῦ ἱεροῦ πραιτωρίου: *Flauio Philagrio, & Flauio Palladio Ducenario Palatino Curioso, & Flauio Antonino commeatuum præfecto centenario, dominorum meorum illustrissimorum præfectorum Sacri Pratorii.* vbi perperam Interpres βιάρχον κεντηνάριον interpretatur *Commeatuum Præfectum Centenarium.* Centenarii scilicet Illustrium potestatum fuere, quomodo & Ducenarii da quibus ad *l. 8. inf.* Ab his quo-

que diuersi eraot Centenarii, qui pariter vt Ducenarii io scriniis Largitionum Comitatensium erant: *l. 7. 8. 9. inf. de Palatinis S. L.* Et tamen, vt maxime, omoes hi, quos dixi, a Centenariis nostris differant, proculdubio tamen in officii seu nominis ratione pariabant, a numero videlicet eorum quibus præerant. Et hæc quidem de prima *huius leg.* parte. Posterioris, quæ obscurissima est & inemendatissima, hanc senteotiam puto, nempe, Centeoarios veteres Primosque, qui ad hunc locum longo tempore & probato labore venerunt, his nouis ad petitionem factis præponi: Et retro, hos nouos præponi iis qui ordine tantum seu tempore priores, non labore hunc gradum adsecuti sunt: *Medio* proinde inter ἐμπράκτους, & honorarios loco: Quod si ita est, tum extrema Legis iia coostituam & emendem: *Quisquis autem adipiscitur gradum hunc, hoc honore contentus sit, præponi his qui ordine* (temporis scilicet) *priores meruerint, non labore.*

P.173 *De* RECEPTIONE *in scholam Agentium in rebus: deque his qui* PETENDI *vel suffragandi pro aliis, vel* CONLOCANDI *ius habent.*

VIII. (a) Idem AA. Osio (b) Magistro Officiorum.

IN numero Agentium in rebus crescant, (c) quos Comitum Secundi (d) Ordinis vel Cubiculariorum (e) nostrorum, primi duntaxat loci, vel Tribunorum Vrbanicianorum (f) petitio, (g) fecerit militare: ita vt Vrbanicianis semel tantum per anni totius spatia suffragandi licentia sit: ceteros diuersorum Officiorum ab omni copia huius petitionis excludimus. Celsioris vero militiæ ac fastigii viros numerari non necessarium fuit, cum eos quos superius numerauimus inserendo, non vnde incipere, (h) sed quousque procedere quod inferioribus denegatum est, curauerimus exprimere. Sed & sumentibus Ducenariis Principatum hanc tribuimus facultatem, vt his pro se liberos ac fratres suos in eadem militia Serenitatis nostræ nutu liceat conlocare. Dat. VII. (i) Kalendas Feb. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio IV. (k) AA. CONSS. [396.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda forte huic *lex 9. prox.* & *lex 6. sup. de proximis* & *lex 14. inf. de Palatinis.* etsi ad alium Magistratum data. *GOTHOFR.*

(b) *Osio* huic Magistro officiorum inscribitur & superior *lex 7.* & *prox. seq. 9.* dixi de eo ad *l. superiorem.* *IDEM.*

(c) *Crescendi* vox *hic* propria de Augmento & processu dignitatis. *IDEM.*

(d) De *Comitibus* secundi ordinis, dixi ad *l. vlt. sup. de proximis.* *IDEM.*

(e) De *Cubiculariis* v. *sup. tit. de Præpositis S. Cubiculi.* *IDEM.*

(f) De his *Tribunis vrbanicianis* mox. *IDEM.*

(g) De *Petitionibus* huiusmodi dixi ad *l. super.* *IDEM.*

(h) γρ. *Incipit*, & mox *procederet.* *IDEM.*

(i) XV. Kalend. Februar. *d. l. 6.* & *d. l. 14.* Prid. Kal. Feb. *l. prox. 9.* *IDEM.*

(k) γρ. III. Et ita habet diserte MS. *IDEM.*

De PROMOTIONIBVS, *deque promoti gradu.*

IX. (a) Idem AA. Osio (b) Magistro officiorum.

IS qui nutu (c) nostro in schola Agentum in rebus augmenta (d) perceperit, in eo gradu in quo promotus est, vltimus habeatur, nec præponatur alteri, qui in eodem gradu militiæ primus antea militauit. Emissa (e) Prid. Kal. Feb. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendaque ei, vt existimo, *lex super. 8.* aliæque, de quibus *ibi.* *GOTHOFR.*

(b) *Osio* huic inscriptæ duæ Leges superiores 7. & 8. & aliæ, de quibus *ibi.* *IDEM.*

(c) Sic quoque *l. superiore 8. in fin.* *IDEM.*

(d) *Augmenta* sunt promotiones: sic augmentum honoris *l. 4. supr.* *IDEM.*

(e) De hac subscriptione *Emissa*, dixi in *Prolegomenis.* vid. interim quoque *legem 3. inf. de Numerariis: l. 12. de diu. offic. l. 30. 50. inf. de appellation. l. 112. in fin. de Decurion.* & *Nouellam Theodosianam 23.* In Notis quoque Iuridicis Magnonis EMA, *id est Emissa.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE RECEPTIONIBVS & PROMOTIONIBVS in schola Agentium in rebus; ad quorum videl. petitionem, suffragationem ea fieri possint: quemque LOCVM in eo gradu promotus obtinere debeat, definit Arcadius, *his duabus legibus*; Quæ proculdubio inter se coassandæ sunt, vna cum *l. 6. sup. de proximis*: & *l. 14. inf. de Palatinis S. L.* emendato alicubi die: quæ quidem leges omnes sunt partes

tes constitutionis Arcadianæ ad Osium Magistrum officiorum, & ad Martinianum Com. S. L. emissæ, de Palatinorum *Promotionibus*, & gradu: Scriniariorum, inquam, *d. l. 6.* Palatinorum S. L. *d. l. 14.* Agentium in rebus, *his duabus legibus*: De quibus nunc videndum est. Priore igitur lege *octaua* scilicet, de duobus singularibus admodum *Receptionum* generibus agitur. Primo quidem de Pris, quæ ad certarum dignitatum & officiorum petitionem, suffragationem a Principe seu Imperatore fiebant. Nempe datum hoc certis dignitatibus & officiis, vt Imperator ad eorum petitionem & suffragationem Agentes in rebus ordinaret: de quo vel simili *lex 7. sup.* Hac vero *leg.* Arcadius Imp. definit, quousque procedere hæc petitionis, vel suffragandi licentia possit, seu ad quos vsque hæc prærogatiua permissa sit: Nempe ad hos tres vsque; puta ad Comites secundi ordinis, & Cubicularios primi duntaxat loci, & Tribunos Vrbanicianos. Hactenus scilicet id priuilegium consistere vult: cæteris diuersorum
P. 174 officiorum ab huius petitionis copia exclusis. Atque ita, Arcadius quod ipsemet profitetur, his expressis, compendiose definitum iuit, quibus hæc suffragandi licentia patere posset, vel non: Eo enim ipso ostendit, eos qui ante hos dignitate essent, celsioris militiæ ac fastigii viros, hoc priuilegio potiri: qui post hos essent, non item. Nempe definitio & expressio alicuius rei quousque ea procedere debeat, necessaria inclusio est præcedentium, exclusio vero sequentium. Nos de tribus istis dignitatibus & officiis videamus.

Primum igitur defertur hæc suffragandi, seu petitionis potestas *Comitibus secundi ordinis.* De tribus Comitum gradibus & Ordinibus dixi iam ad *l. vn. sup. de Comitib. & Tribun. schol.* de Comitibus secundi ordinis, præter hanc *leg.* agitur quoque *l. 2. sup. de Comitib. rei milit.* & *l. 17. 18. sup. de proximis*: His igitur quoque suffragandi licentia *hac l.* datur, ac proinde Comitibus Tertii ordinis denegatur: viceuersa multo magis Comitib. primi ordinis conceditur. Cæterum notandum, Comitiuam hanc secundi Ordinis tributam quibusdam Comitibus rei militaris; *d. l. 2. de Comitib. rei mil.* Item Proximis scriniorum & Comitibus dispositionum: *d. l. 17.* & *18. sup. de proximis.* His vero sua quædam priuilegia fuere: Præter id scilicet quod *hac l.* continetur, præter suffragandi, inquam, ius: Vestis quoque his præbita ex sacris Largitionibus *d. l. 18. de proximis.*

Secundo tribuitur hoc suffragandi ius *Cubiculariis* Principis, primi duntaxat loci: Nempe, inter Cubicularios quoque Principis diuersi gradus fuere primi loci, & sequentium: Horum vero Cubiculariorum primum locum obtinentium fit quoque mentio *l. 2. Cod. Iust. de Præpos. S. cubiculi.* At vt Cubiculariorum horum in commune certa quædam priuilegia fuere, de quibus *d. l. 2. 3. 4. Cod. eod. de Præpos. S. Cubic.* Ita eorum qui primi loci erant singularia quædam προνόμια fuerunt: In quibus & istud ab Arcadio ponitur: nempe, quod ad petitionem & suffragationem eorum Agentes in rebus creari possent: ab Arcadio, inquam, eo ipso tempore, quo Eutropius Eunuchus apud eum τὰ πάντα erat: de quo dixi ex Claudiano ad *l. 3. inf. ad leg. Cornel. de sicariis* & *ad l. 17. inf. de pœnis.* fuerunt enim Cubicularii hi ferme Eunuchi, iisque Principes huius æui ferme obnoxii fuere.

Tertio suffragandi ius tribuitur *Tribunis vrbanicianis.* Vrbaniciani sunt milites, qui ad vrbis custodiam dispositi erant sub Præfecti vrbis dispositione: & quidem in sp. *huius leg.* Vrbis Constantinopolitanæ: quomodo & in vrbe Roma pariter erant, iam inde ab Augusto: de quo Tacitus, Suetonius & Dio. Horum Vrbanicianorum fit quoque mentio in *l. 35. D. ex quibus causis maiores.* Meminit quoque Spartianus, *duobus locis:* In *vita* primum *Antonini Caracallæ. cap. 4. In summum* inquit, *discrimen etiam Chilo iterum* PRÆFECTVS (vrbi) *& Consul venit ob hoc, quod concordiam inter fratres suaserat. Et cum idem Chilo sublata veste Senatoria nudis pedibus ab Vrbanicianis raptus esset, Antoninus seditionem compressit: multas præterea postea cædes in Vrbe fecit; passim raptis a* MILITIBVS *nonnullis hominibus & occisis, quasi seditionem vindicans.* Idem Spartianus *in Antonino Geta cap. 6. Ventum* inquit, *denique est vsque ad seditionem Vrbanicianorum* MILITVM, *quos quidem non leui authoritate Bassianus compressit* TRIBVNO *eorum, vt alii dicunt, interfecto; vt alii, relegato.* En Vrbanicianos, quorum *h. l.* mentio fit! En eorum quoque Tribunos! Dio Tribunum Vrbanicianorum, cuius Spartianus meminit, χιλίαρχον vertit. Sed cum his misceri non oportet Vrbanicianos Officiales, quorum mentio fit, *l. 1. inf. de conditis in publicis horreis*, quæ etiam Præfecto vrbi inscribitur. Superiores scilicet ad vrbis custodiam milites erant: suosque Tribunos habebant: hi vero de quibus *in d. l. 1.* erant Officiales Præfecti vrbi, & nullos Tribunos habuere. Cæterum exemplo vrbis Romæ in Vrbe quoque Constantinopolitana, Vrbaniciani milites eorundemque Tribuni fuere, vt hæc *lex* ostendit.

Hactenus de Dignitatibus & Officiis, quibus suffragandi ius hac in re, summopere notandum datur apud Principem. Et discrimine tamen adhuc aliquo: Nempe, Vrbanicianis semel tantum in anno suffragandi ius datur, qui postremi omnium hic nominantur: Vnde colligimus, alios, & superiores his, suffragandi ius habuisse multoties intra annum.

Sequitur alterum singulare circa Receptiones in scholam Agentium in rebus, quod continetur *fine legis 8.* Nempe Arcadius, *Ducenariis* Principatum sumentibus hanc facultatem tribuit, vt pro se Liberos ac Fratres suos in Schola Agentium in rebus conlocare possint. Quod substitutionis seu subrogationis priuilegium, notandum est: puta, vt schola aliqua decedens quis alium pro se in ea collocare possit: Id quod *hac l.* nominatim tribuitur *Ducenariis* Principatum sumentibus, puta vt liberos & fratres suos collocare possint: vbi de tribus videndum est. Primo de Ducenariis ipsis: *Ducenariorum* horum inter Agentes mentio fit præterea *l. 20. 21. inf. hoc tit.* & *l. vlt. sup. de Senatoribus.* & *l. 3. 4. Cod. Iust. eod. tit* & *l. 1. Cod. eod. de off. Magistri officiorum.* Quorum numerus 48. definitur *d. l. 3.* At Ducenarii iam alii sunt quorum fit mentio, *l. 1. 9. de exactionib. l. 1. de concuss. Aduocator.* quibus locis centenariis, & sexagenariis iunguntur, exactionesque ab iis factas discimus, & concussionibus infames fuisse. Imo & executiones ab his factæ: apud Photium enim *num. 182. pag. 414. edit. Schott.* βασιλεύοντες Ῥωμαίων Δεκίε καὶ Οὐαληριανῦ Περέννιος Δεκηνάριος πρόςαγμα λαβὼν παῤ αὐτῶν, πάντας τὲς ἀνὰ τὴν Ῥώμην καὶ τὰς πέριξ ἐπαρχίας χριςιανὲς βαρυτάταις βασάνοις καὶ πικροῖς τιμωρίαις εἰδωλολατρεῖν ἐβιάζετο: *Imperantibus Romæ Decio & Valeriano, Perennium Ducenarium, accepto ab ipsis mandato omnes romana vrbis, & circum circa ditionis Christianos, exquisitis cruciatibus, pœnisque acerbis ad Idolorum cultum per vim compulisse, & multos quidem alios tormentis cessisse*, &c. Vide & Epistolam Synodi Antiochenæ apud Eusebium, *lib. 7. cap. 30.* & alteram Synodi Mareoticæ A. D. 335. ad Ducenarium Palladium apud Athanasium *Apolog. 2. pag. 794. edit. Lips. Weidman.* Παλλαδίῳ Δεκηναρίῳ. Fit etiam mentio in *Actis collat. Carthagin. Tom. 1. Concil. Harduin. pag. 1049. & seqq.* vbi Vrsus, Petronius & Libosus Ducenarii, seu Ducenarii Illustrium potestatum memorantur, dicunturque adstitisse inter alios post Protectores Domesticos & ante Apparitores Illustrium Potestatum in Secretario. Marcellino Cognitori: Iidemque constitutis Episcopis partium pro velo, seu foribus, rogabant Præsidem, num partes intromitti deberent? atque ita ad conflictum par-

tium aditum faciebant. Sed & Ducenæ & Centenæ dignitatis fit mentio in Constantini M. *epistola ad Bithynos*, seu *l. 3. inf. de cohortalib. l. 1. de Cæsarianis*: *l. 1. de murilegulis*: *l. 5. de Decurionibus*: ponitur que medio loco inter Perfectissimatus dignitatem, & inter Egregiatus. In scriniis etiam Largitionum Comitatensium Ducenarii varii memorantur: *l. 7. 8. 9. inf. de Palatinis S. L.* de quib. *ad eas Leges*. Item inter Scholares qui sub Magistro officiorum erant, ponuntur Senatores ac Ducenarii *Nouella Theodosii de scholarib. 29.* Tandem in militia quoque armata fuere Ducenarii, de quibus est Hieronymi locus *aduersus Ioannem Hierosolym. ad Pammachium* quem adduxi ad *l. 3. sup.* Hæc vaP.175 ria scilicet Ducenariorum genera fuerunt. Nos de Ducenariis Agentibus in rebus: Ex his igitur Ducenariis Agentium in rebus, Principes officiorum facti, seu ad Principatum officiorum promoti, quod præter hanc *leg.* docet *lex 20. 21. inf. h. t.* & testatur passim *Notitia Imperii*. Qui Ducenæ Principatus vocatur *d. l. 20. 21.* & *l. vlt. sup. de Senatoribus*. Error enim est Scriptoris *de offic. Domus Augustæ, lib. 3. c. 11.* qui alios nobis Principes fecit Ducenæ, Centenæ & Biarchiæ. Et exinde ex Ducenariis Principes officiorum facti, variis quoque Dignitatibus priuilegiis decorati, de quibus *d. l. vlt. de Senator.* & *d. l. 20. & 21.* E quorum numero est & illud quod *hac l.* continetur singulare maxime, puta vt e Schola Agentium recedentes alios pro se in ea collocare possint. Et nominatim quidem (quæ limitatio notanda est) liberos vel Fratres suos. Hactenus scilicet hæc substitutio permissa in fauorem non tantum liberorum, sed & fratrum, quæ proxima cognatio est. Et hæc *lege octaua*: quæ notabilis & singularis admodum est. Nunc de *lege nona*, quæ est de ordine promotionum seu processuum inter Agentes in rebus seruandis. Nempe ex hac parte id nunc definit Arcadius, quod toties iam *supra* inculcatum aliis titulis, & circa alia officia seu scholas constitutum: puta vt Agens in rebus ad superiorem gradum a Principe promotus, vltimum ibi locum occupet seu sternatur, neque iis qui ante in eo militarunt, præponatur: quod & ipsum cautum iam *l. 7. sup.* Eodemque pertinet *lex 14. inf.* vbi dicam adhuc.

De Principatu *functorum Consulari dignitate.*

X. (a) Idem AA. Cæsario (b) PP.

Inter eos qui Consularitatis gesserint dignitatem, & eos qui meruerint Principatum, is gradu potior habeatur, qui prior locum dignitatis acceperit. Quam sanctionem omnia debebunt Officia (c) custodire; non defutura pœna quindecim librarum auri, quam in contumaces olim Diualis sanctio definiuit. Dat. IV. (d) Kal. Mart. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. Conss. [396.]

N O T A E.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Cæsarius* PP. Orientis sub Arcadio. V. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Officiis* Iudicum & Rectorum, quos salutationis cura constringebat. vid. *l. vn. sup. de Comitib. vacantib. l. 5. & 16. sup. de Proximis.* IDEM.

(d) Eodem die data hoc anno ad eundem Cæsarium PP. *lex 10. inf. de Iudæis*: quæ argumento tamen non respondet. IDEM. Legem cit. de Iudæis & eodem die & iisdem Coss. datam, verum est, verum an ad *Cæsarium* data fuerit, ambigo, cuius nomen & in Theodos. & Iustinian. Codicibus non apparet. RITTER.

C O M M E N T A R I V S.

Principatu functorum *Consularem dignitatem* (de qua iam *l. 5. 6. sup.* & *l. 12. inf.*) firmat *hac l.* Arcadius Imp. duobus insuper additis (quæ *huius l.* propria sunt) seu expressis. Primo quidem, Principatu functos adeo inter Consulares habendos definit, vt tempore certent cum ἐμπράκτοις qui gesserunt Consularitatis dignitatem: atque adeo gradu potiores habeantur præ illis, si Principatu functi cum hac dignitate priores exierint. Quod & alias pluribus legibus constitutum circa Palatinos, de quo iam sæpe: cum alias ἐμπράκτοις honorarii cedant. Alterum singulare est, pœnæ seu multæ comminatio in *officiales*, quorumcunque Iudicum, quos hæc graduum & honorum obseruandorum cura constringebat, *contumaces*, id est, si hic ordo violatus fuerit: Et quidem multa quindecim librarum auri: pariter vt simili in re, decem librarum; *l. vn. sup. de Comitibus vacantibus*: trium, *l. 5. & 16. sup. de Proximis.*

De Receptione *&* Remotione *Agentium in rebus.*

XI. (a) Idem AA. Hadriano (b) Magistro officiorum.

Consultissima (c) definitione statuimus, vt executionem (d) Agentis in rebus inconsultis nobis nemo mereatur: concessum (e) vero quisquam (f) reuocare non audeat. Dat. XVII. Kal. April. Med. Theodoro V. C. Conss. [399.]

N O T A E.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Hadrianus* Magister officiorum sub Arcadio: cui inscribitur pariter An. D. 397. *lex 11. sup. de proximis.* IDEM.

(a) *Consultissima*, id est, summo non tantum consilio sancita, verum etiam vtilissima: V. tamen *l. 17. 18. inf.* de has voce in *Gloss.* vid. interim *l. 21. Cod. Iust. de testamentis.* IDEM.

(d) *Executio* proprie Agentibus in rebus tribuitur: de qua satis *in Paratitlo.* IDEM.

(e) vt

(e) *γρ. Concessam.* *IDEM.*

(f) Nequidem Magister officiorum arg *Inscriptionis.* *IDEM.*

P.176. COMMENTARIVS.

Et Recipi quemquam in scholam Agentium in rebus, inconsulto Imperatore, & Reiici a quoquam, vetat *hac leg.* Hononus Imp. Eodem scilicet modo & recipi & reiici Agentes atque a Principis nutu vtrumque pendere voluit. De recipiendis nutu Imperatoris docuit iam *lex 8. 9. sup.* De remouendis seu discingendis iis idem cauetur & *l. 17.* (vnde desumpta est *lex. 2. Cod. Inst. eod. tit.*) Quod Magistro officiorum redditum postea *l. 18. infr.* Hanc vero Constitutionem, *consultissimam definitionem* vocat Arcadius, qua scilicet Scholæ Agentium in rebus de nceps consultum esse voluit, quomodo Honorius loquitur *l. prox. 12.* ne videl. temere quibusque admissis schola vilesceret, neue ad Magistri officiorum forte libidinem, validi vtilesque Agentes in rebus, executionibus Principis obsequentes, expungerentur, remouerentur: *Executionibus* inquam, quæ propria Agentibus vox competit: de quo *in Paratitlo:* deque eo plura ad *l. 1. inf. de Curiosis.*

De Privilegio *quodam Agentium in rebus in Curiis.*

XII. *(a)* Idem AA. Theodoro PP. *(b)*

Agentum in rebus Schola, nobis maxime necessaria, (c) nullo beneficio (d) impetrati muneris vtitur, quo sibi in Ordinem (e) Splendidissimæ Curiæ præstitam (f) humanitate (g) licentiam (h) vindicaret, cum Diuæ memoriæ Pater noster hisdem Agentibus in rebus voluerit esse consultum: Magnificentia igitur Tua Ordinum (i) Iudices admonebit, vt his Lex + Diuæ memoriæ Patris nostri inuiolata seruetur. Dat. VIII. Kal. Nou. Med. Theodoro V. C. Coss. [399.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Theodorus* hic PP. Italiæ fuit sub Honorio Imp. A. D. 397. 398. 399. vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) Schola Agentium in rebus maxime necessaria Principi. vid. *Paratitlon.* *IDEM.*

(d) *Beneficium* est immunitas, & quidem in sp. *huius leg.* a Senatoriis functionibus. v. *Glossar.* *IDEM.*

(e) *Ordo* splendidissimæ Curiæ, an pro Senatu? vid. *Gloss.* & *Paratitlon de Senatoribus.* Forte etiam hic melius, *ordine.* *IDEM.*

(f) A Theodosio M. patre: *l. 5. & 6. sup.* vt sequentia ostendunt: *Lex diuæ memoriæ Patris.* *IDEM.*

(g) *Humanitas* de immunitate: & forte ita hic legendum *immunitatis.* *IDEM.*

(h) *Licentia* pro iure præcipuo, honore, & prærogatiua. *IDEM.*

(i) Ao *Ordinarios Iudices* ? de eo mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

De privilegio quodam, beneficio, munere Scholæ Agentium in rebus a Theodosio M. olim indulto, quo tamen tum non vtebatur, est hæc Honorii *lex* ad *Theodorum PP. Italiæ*: qua *legem* Theodosii patris sui inuiolatam seruari, eoque nomine Ordinarios Iudices a Præfecto Prætorio admoneri iubet: Quale vero id priuilegium sit? non exprimit; neque ex ea satis liquido coniectura fieri potest: quandoquidem lex intricata & corrupta plurimum extat. Certe illud apparet, & Theodosium eo priuilegio Agentibus in rebus consultum voluisse, & nunc Honorium velle: qua causa & commendationem eius præmittit, cum scholam hanc *sibi maxime necessariam* vocat: Nempe enim in actu Reipub. hi versabantur, missionibus Principis parebant, literas perferebant, Principis iussis obsecundabant, publicæ necessitatis causa dirigebantur, Executio his negotii alicuius iniungebatur, de quo plene in *Paratitlo.* Illud quoque apparet, agi de priuilegio quodam seu beneficio & munere, quod spectaret Ordinem splendidissimæ Curiæ: Verum incertum, de Senatune Vrbis Romæ agat, & sic de Senatorio Ordine, an vero de Ordine Curiæ cuiusdam, veluti Mediolanensis, aut similis: Deinde incertum, quænam *humanitas*, quænam *licentia* ista *in ordine* illius Curiæ fuerit? Tandem quid sit *vindicare sibi licentiam præstitam humanitate in Ordinem?* Verum omnibus diligenter inspectis, agi puto *hac l.* de Immunitate a muneribus quibusdam Curialibus, quam Theodosius M. Agentibus in rebus, his consultum volens, tribuit, vberius etiam, quam anteriores Principes; qui certo tantum temporis curriculo eos a Curia liberauere. Nam & *beneficii* voce immunitas ferme significatur; vt alibi sæpe ostensum: & *immunitatis* vocem pro *humanitate* hic substituendam censeo: & de *Ordinibus* seu *Curiis* hic aperte agitur: & *Ordinum* vel *Ordinarii* Iudices moneri iubentur, vt beneficium, munusue illud a Theodosio impetratum in Ordine, seu immunitas, & licentia, qua Theodosius Agentibus in rebus voluit esse consultum, denique *lex* eius inuiolata seruetur. Porro in hypothesi *huius leg.* agebatur nominatim de *Curia* quadam, quæ & *splendidissima* vocatur, in qua de facto Agentes in rebus indulto sibi priuilegio non potiebantur. Mox tamen *in fin.* ad omnes Curias hæc *lex* porrigitur.

P.177 ## *De* Principatv *functorum immunitate a Tyronum collatione.*

XIII. (a) Idem AA. & Theodosius A. Hadriano PP. (b)

Agentibus in rebus, qui post iugis militiæ tempus veluti præmium laboris exacti

exacti gesserint Principatum, etiam (c) illud beneficio nostræ liberalitatis adiungimus, vt conlatione Iuniorum, (d) qui nuper (e) Honoratis (f) indicti sunt, ea duntaxat conditione habeantur exortes, si post Principatus officium nulla vlterius honoris fuerint administratione perfuncti. Dat. Kal. Iul. Rauen. Theodosio A. I. & Rumorido CONSS. [403]

NOTAE.

(a) Abest & hæc lex a Cod. Iustin. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Hadrianus* PP. Italiæ sub Honorio Imp. A. D. 400. 401. 403. 404. 405. v. *Prosopogr.* Extat ad hunc Hadrianum PP. Claudiani Epistola satisfactionis, vt & Epigramma eiusdem *de Theodoro & Hadriano.* *IDEM.*

(c) Præter beneficia iam antea collata, de quibus *l.* 5 6. 10. *sup.* *IDEM.*

(d) *Iuniores*: id est, tyrones: de quo plene *tit. de Tyronibus, lib.* 7. *IDEM.*

(e) Anni 402. superioris fine. *IDEM.*

(f) De *Honoratis* dixi semel *sup. de officio Iudicum ciuilium.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

A TYRONVM collatione (de qua *duobus tit. infra de tyronibus: & de his qui a tyronum, vel equor. collat. excus.*) quæ pro rerum necessitate Honoratis (de quibus plene dixi *ad l. vn. sup. de off. Iudic. ciuilium*:) indici quandoque solebat, & vero nuper indicta fuerat (de quo mox) Agentes in rebus, qui post labores exactos Principatum gesserunt, ab Honorio Imp. *hac* quoque *lege* immunes esse iubentur. Quod & ipsum iam generali exceptione complexus fuerat, *l. 15. inf. de tironibus*: quam *hac* intelligit: Firmaturque adhuc & extenditur ab eodem Honorio decennio post *l. 20. inf. de Palatinis S. L.* Honoratorum scilicet numero etsi hi essent, quod etiam docet *lex 5. Cod. Inst. de Princip. agent. in reb.* Honoratorum tamen oneribus excepti fuere. Principes scilicet officiorum multorum de schola Agentium in rebus olim sumpti, & quidem ex Ducenariorum numero, vt testatur vel *Notitia Imperii*, & *lex 8. sup. lex 16. 19. inf. hoc tit.* & *l. 6. inf. tit. prox.* De hoc sane Principatu, id *hac l.* prædicatur, eum videl. post iugis militiæ tempus veluti præmium laboris exacti delatum: cui similia alia v. *in Paratitlo huius tit. & prox. sequ.* apud Cassiodorum quoque *lib. XI. Variarum 35. Cur Agentium in rebus miles officii post tot labores incerto aliquid patiatur ambiguum, qui crebris actionibus excubando, ideo Principis nomen habere promeruit, quia militiæ sacramentis cæteros antecellit?* Sic & *l. 3. inf. tit. prox. de Princip. Agentium in reb.* *Agentes in rebus post palmam laboris emeriti Principatus honore muneramur.* vid. & *Nouellam Valentiniani III. 14. de Princip. ag. in reb.* De hoc vero plura ad *eum titulum.*

Duo tantum hic notanda supersunt. Primom est Limitatio quæ ab Honorio *hac l.* nunc adiicitur, nempe Agentes in rebus post gestum Principatum a Tyronum collatione Honoratis indicta immunes esse eos duntaxat, qui post Principatum nulla alia administratione perfuncti sunt: contra, eos collationi isti subiacere, qui post Principatum alio honore functi sunt. Quod quidem singulare est: Alioquin enim vetera priuilegia, alterius dignitatis adiectione non pereunt: *l. 14. sup. de proximis: l. 1. sup. de Primicerio, & Notar. l. 2. & 3. sup. de Decurion. & silent. l. 3. inf. de priuil. eorum qui in S. Pal. seu l. 3. Cod. Iust. de Dignitatibus*: quæ exinde desumpta est. Nempe in hac specie Honorius iusta Principatus priuilegia suffragari voluit, nisi alii dignitati & honori locum fecerit; tum enim generali eos collationi, quæ legitimas dignitates consecutis indicta fuerat, subiici voluit. Vnde interim discimus, pariter vt ex *l. 2. inf. de Princip. Ag. in rebus*, Principatu hoc functis prouinciæ administrationem sæpe concessam.

Alterum *hic* notandum, est Historica causa *huius leg.* Pertinet scilicet hæc *lex*, pariter vt *d. l. 15. inf. de tyronibus*, quæ data est fine anni superioris 402. quoque hæc nostra sese refert, & *lex 12. inf. de desertoribus*, ad Tyronum indictionem quæ facta fuit hoc tempore aduersus Alarici seu Gothorum e Pannonia, Norico, Rhetiaque subitaneam in Italiam irruptionem: de qua videndus Claudianus, *de bello Getico v. 488.* Prudentius *lib. 2. aduers. Symmachum v. 714.* Orosius *lib. 7. c. 25.* aliique plures.

De PROMOTIONIS *ordine seruando.*

XIV. (a) Idem AA. (b) Anthemio (c) Magistro officiorum. (d)

NVLLA de Schola Agentum in rebus de cetero locum mortui conetur inuadere, sed his (e) qui ordine stipendiorum & laborum merito ad gradum militiæ sequebatur, statim atque illum (f) fata subduxerint, in eius præmia percipienda succedat, omni obreptione (g) cessante. Dat. Prid. Kalend. Iul. Constantinop. Honorio A. VI. & Aristeneto CONSS. [404.]

P. 178

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *γρ.* AAA. id est, *Arcadius, Honorius & Theodosius*: vt recte *Cod. Iust.* *IDEM.*

(c) *Anthemius* Magister officiorum sub Arcadio A. D. 404. cui duæ præterea *leges* inscribuntur, puta *lex 4. de his qui super Relig. l. 5. de fabricensibus.* Hic idem postea Consul fuit & Præfectus Prætorio: v. *Chronol. g.* & *Prosopogr.* *IDEM.*

(d) *Magistro officiorum* suberant Agentes in rebus: vid. *Paratitlon.* *IDEM.*

(e) *γρ. Is.* vt *Cod. Iust.* *IDEM.*

(f) Mortuum. *IDEM.*

(g) *Obiectione*: in vulgato C. Iust. male: MSS. vt hic, *obreptione.* *IDEM.*

COM-

COMMENTARIVS.

De Promotionis & Svbvectionis, seu Processvs (quæ vox hic propria) ordine seruando in schola Ageorium in rebus, est hæc Arcadii Imp. constirutio. Iubet scilicet is mortuo Agente in rebus proxime sequentem *statim* in locum eius subuehi, seu promoueri: Ergo mortui locus & gradus proximo in schola debetur, eumque is illico subintrat: cæterique adeo ita vno gradu subuehuntur: quomodo etiam definitur *l. 9. inf. de Medicis & Professoribus*. Idque, *omni obreptione cessante*, sic vt nullus præterea de schola Agenrium, (remorior scilicet vel alrerius gradus) locum mortui inuadere possit, ordinemque militiæ arque stipendia præuertere: Quam io rem est gemina germana altera Valentiniani Iun. *lex 2. Cod. Iust. de off. Magistri officiorum*. Proximum oempe locum quisque non remoriorem per saltum adipisci debet, *h. l.* & *d. l. 2. Cod. Iust. de off. Magistri officiorum*: *l. 7.* & *10. 11. seu vlt. sup. de domesticis*, & *l. 4. inf. de Curiosis*. Porro *omni obreptione cessante*, ait Arcadius: id est, etiamsi quis Principis per obreptionem detulerit indultum, vt pariter ait Valentinianus Iun. in hac ipsa re, & specie *d. l. 2. Cod. Iust. do off. Magistri officiorum*. Multo magis Magistro officiorum cui hæc *lex* inscribitur: & sub eiius dispositiooe Agentes in rebus erant, interdictum, hunc ordinem *peruertere* seu præuertere: Ad eundem Processuum ordinem seruandum, & æquitatem pertinet, quod idem Arcadius statuerat *l. 9. sup.* imo & *7.* vt is qui nutu Principis in schola Agenrium in rebus augmeota perceperit, in eo gradu in quo promotus est vltimus habeatur, nec præponatur alteri, qui in eodem gradu militiæ primus antea militauit. Ad eandem pertinet æquitatem, processuumque ordinem, quod a Constantino M. statutum circa eandem schulam Agentium, *l. 1. Cod. Iust. de off. Magistri officiorum*.

In Emansores *&* Desertores *Agentes in rebus.*

XV. (a) Impp. Honorius & Theodosius AA. Namatio Magistro officiorum.

Omnes omnino Agentes in rebus, quibus vel spatium commeatus, vel iniuncti negotii (b) tempus emensum est, ad Comitatum (c) reuersi adprobent caussas necessariæ tarditatis, vt diligenti constet examine qui Ordinem suum tenere mereantur. Quod nisi intra diem Kalendarum Februariarum fecerint, in perpetuum matriculis (d) eximentur. Meminerint igitur Rectores Prouinciarum per singulos Agentes in rebus senas auri vncias eruendas, (e) si in Prouincia (f) sibi credita quemquam huiusmodi desertorum post diem præstitutum latere permiserint. Ideoque sub-prosecutione (g) latitantes transmittant, vt tandem aliquando ad Comitatum retractos non sola percellat iactura militiæ. Dat. VII. Id. Dec. Rau. DD. NN. Honorio VIIII. & Theodosio IIII. AA. Conss. [412.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* concordat huic legi, *lex 2. inf. de Commeatu.* GOTHOFREDVS.

(b) *Negotia* iniuncta Agentibus in rebus, in prouinciis. v. *Parasitlon.* IDEM.

(c) In *Comitatu* Principis erant Agentes in rebus *hic*, & *fine l.* IDEM.

(d) *Matricula* Agentium in rebus. *h. l.* & *l. 23. inf.* IDEM.

(e) Ex suis facultatibus. IDEM.

(f) Rectoribus prouinciæ creditæ dicuntur. IDEM.

(g) De hac *Prosecutione* reorum, *inf. tit. de exhib. reis*: v. & *Gloss. Theod.* IDEM.

COMMENTARIVS.

De emansoribvs & desertoribvs Agentibus in rebus hæc Honorii constitutio est. Cui non absimilis est *lex 2.* & *vlt. inf. de commeatu*. Igitur id constituitur, vt Agentes in rebus commeatu emenso, vel iniuncti negotii tempore elapso intra *Kalendas Februarias proximas* ad Comitatum seu aulam Principis reuertantur, quo emansionis suæ caussas adprobent. Alioquin, si reuersi non approbent, in inferiorem locum retruduntur, iuxta *dictam legem 2.* idque est quod hæc *lex* ait, *vt diligenti constet examine qui Ordinem suum tenere mereantur*. De cuius *Regradationis* pœna & gradibus ob emansionem, dicam ad *l. 10. inf. de re militari*. Vicissim si intra Kalendas Februarias proximas non reuersi fuerint, in perpetuum matricula eximuntur (de qua expunctionis pœna, vide & *finem dictæ legis 2.* & *l. vlt. inf. h. t.*) & Rectores Prouinciarum huiusmodi desertores & latitaores iotra Prouinciam sibi creditam eruere iubentur, eosque ita erutos ad Comi-
P.179 tatum transmittere sub prosecutione fida sub pœna sex auri vnciarum per singulos Agentes, quos latere permiserint. De *prosecutione reorum* dicam ad *l. 5.* imo *toto* ferme *titulo inf. de exhibendis reis*. Breuiter igitur tenendum, *Vltra commeatus vel iniuncti negotii tempus emanentes sine probabili caussa, vel regradatos, vel matricula penitus expunctos, imo & aliis pœnis adfectos*: quod *fine legis* indicatur.

Quod de *Kalendis Februariis* adiicitur, cum eo nil commune habet, quod *l. 14. circa finem, Cod. Iust. de Proximis sacrorum scriniorum*, de Kalendis Ianuariis dicitur. Hic enim Kalendarum Februariarum dies præstitutitur, non alio fine, quam quia ab huius constitutionis tempore ad illum diem spatium sufficiens dari visum est Agentibus ad sese Comitatui sistendos. At quod de Kalendis Ianuariis *in d. l. 14.* dicitur, id eo pertinet, quia *festo illo die Agentes in rebus* non tantum ipsi *puncti solatium* (ita enim retinenda lectio, vt alibi probo) a Principe accipere soliti: (de cuiusmodi Principis liberalitatibus est *lex 4. §. 1. Cod. Iust. de Adnotatis diuersorum Iudicum*: Et locus apud Sozomenum *lib. 5. c. 16.* ac nominatim io Agentes io rebus apud Ammianum Marcellinum *lib. 16. c. 4.*) verum etiam ipsi in schola militantes aliqua, aliquid sic vt dicam *Stillatura* nomine Capitibus scholarum suarum de annonis suis & stipendiis more solenni & vsitato offerre & adspergere siue coacti, siue soliti. De quo omni *Stillatura* genere dicam *lib. prox. Tit. de erogat. milit. annona, l. 28.*

CVRIALI *Nexu quando Principatu functi, Militesque armatæ militiæ liberentur.*

XVI. (a) Idem AA. Anthemio PP. (b)

NEMO post insignia (c) Principatus, quæ stipendiis ac sudore (d) promeruit, nec reuocari ad originem, si forte natus est Curialis, nec nominari, (quod nefas quidem dictum (e) est,) perhorrescat. In medio sane militiæ tempore, si quem huiusmodi lis iurgiumque perculerit, sua defensione nitatur: nec enim* Ordines ciuitatum suis Decurionibus passim spoliari oportet. Quod si forte quis, vt adsolet, Honorarii Principatus insignibus impetratis hisdem priuilegiis vti voluerit, ita impetrata largitate fruatur, si incassum se pulsari sub iudiciaria cognitione probauerit; nisi (f) forte annosa (g) militia, & longa stipendiorum mole (h) vexatus, & in ordine non temnendæ (i) militiæ constitutus, Principatum, non vt laborum compendium (k) voluit expectare, sed vt portum quietis maluit indipisci. Quod * etiam in his custodiri oportet, qui armata militia persruuntur, (l) ita vt Diui Valentiniani Constitutio + valeat, potianturque & ipsi fructu stipendiorum suorum, si eadem sine vllo næuo (m) excusationis incurrere voluerunt. Sed his addimus, vt si quis ex lucratiua (n) causa de substantia aliquid perceperit Curialis, pro contingenti portione onera quæ huiusmodi facultates sequuntur, & vniuersas describtiones (o) sustineat. Dat. VIII. Id. Octob. Lucio V.C. CONSS. [413.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Anthemius* PP. Orientis sub Arcadio Imp. per decennium ab A.D. 405. ad 415. v. *Prosopogr.* vbi multa de eo ex Chrysostomo, Synesio, Socrate, Chronico Alexandrino, Sidonio Apollinari. IDEM.

(c) Insignia Principatus. Alio sensu in Notitia Imperii *fol.* 70. 71. 76. *seqq. Princeps officii* dicitur *cum insignibus exire.* IDEM.

(d) Vid. quæ dixi ad *l.* 13. *sup.* IDEM.

(e) *vg. dictu.* IDEM.

(f) V. inf. *l.* 19. IDEM.

(g) Vid. *Gloss.* IDEM.

(h) Vid. *Gloss.* IDEM.

(i) Non temnenda militia Agentium *h. l.* militia spectata, *l.* 18. *inf.* IDEM.

(k) Præmium laboris alio sensu & contrario dicitur *l.* 13. *sup.* vid. *Paratitlon.* IDEM.

* Hic versiculus ab hoc *titulo* fugitiuus est, & alienus. IDEM.

(l) Quinquennii labore impigro. *d. l.* 6. IDEM.

+ *Valentiniani* constitutionem intelligit, cuius pars est *lex* 6. *inf. de re militari*, & *lex* 64. *inf. de Decurionibus.*: Cuius iterum mentio fit *l.* 28. *inf. de cohortalib.* IDEM.

(m) *Næuus* excusationis, vid. similia in *Gloss.* IDEM.

(n) Hac de re est *titulus* expressus *lib.* 12. *De imponenda lucratiu. descriptione.* IDEM.

(o) *Curiales* descriptiones. vid. *inf. de Decurionib.* IDEM.

COMMENTARIVS.

CVRIALI conditione & nexu, quando, quaue conditione Agentes in rebus, ac nominatim *Principatu* honorati, Milites item armatæ militiæ, liberari possint, definit *hac l.* Arcadius Imp. Quæ quidem stili elegantia vbique assurgit: Attende enim sis, vel illa, *Quod nefas dictu: Nominari perhorrescat: Lis iurgiumque percellere: Sua defensione nitatur: Vt adsolet; Incassum pulsari; Annosa militia: Mole stipendiorum vexatus: Non temnenda militia: Portum quietis indipisci: Næuus excusationis: Incurrere stipendia:* Quæ singula in *Glossario* notata habes. Respicit vero hæc *lex* Curiarum vtilitatem, ne videl. eæ viris viribusque passim labascerent: Viris inquam, quo pertinet pars potissima *huius leg.* ne inquam Ordines ciuitatum suis Decurionibus passim spoliarentur, quod diserte ait Arcadius *hac l.* Viribus, inquam, quo spectat postrema *huius leg.* sententia. Nos vero eam in tres sententias, seu tria capita diuidimus.

Prima est de *Principatu*, quem quis promeruit:
P.180 quod quidem accipio de Principatu Agentium in rebus, non de Principibus officii alicuius ex Agentibus in rebus: Qua parte distinguit Arcadius tres casus, seu tres causas adipiscendi Principatus: Vel inquam Principatum quis indeptus est, seu promeruit stipendiis ac sudore; id est, post stipendia ac sudores in schola Agentium in rebus, sic vt reuera atque ordine Principatum ἐμπρακτον meruerit: eumque (vt loquitur *lex* 19. *inf.*) *ordo militiæ ac laborum testimonium ad hunc honoris gradum prouexit. vers. ideoque sancimus.* Et hoc casu statuit Arcadius, eum, etsi forte natum Curialem, reuocari ad originem seu Curiam non posse, vt nec nominari ad munia Curialia, veluti ad Census, peræquationes, susceptiones, exactiones (de quibus nominationibus dixi iam *sup. ad l.* 2.) Aliud fuerit, si medio militiæ tempore de Curiali statu ei controuersia moueatur: tum enim sua defensione eum niti vult, id est, non aliter liberari quam si se Curialem non esse ostenderit: qua parte diuersus est Arcadius a Constantio & Iuliano Imp. qui *l.* 1. & 2. *sup.* certo annorum spatio Agentes in rebus a Curiali nexu liberari permiserunt.

Secundus casus est *Honorarii Principatus*: Vbi rursum subdistinguitur; vel enim nudos codicillos honorarios Principatus citra longam in schola Agentium in rebus militiam impetrauit, & tum pariter, si Curialis deprehendatur, ad Curiam reuocari potest: vel codicillos quidem Principatus honorarios impetrauit, annosa militia, longaque stipendiorum mole vexatus, & in ordine non temnendæ militiæ constitutus, sic vt Principatum indeptus fuerit, tanquam portum quietis, non vero tanquam compendium laborum; quem honorarium Principatum describit quoque *d. lex* 19. *inf. vers. quod si:* & hoc casu Principatus quamlibet Honorarius

Curia-

Curialem Curiali nexu liberat. Multum scilicet interest qua via, quibus artibus quis ad Honorarios codicillos grassatus sit, num per merita postque annosam militiam, & velut ad portum quietis; an vero citra labores & stipendia, compendio denique laborum? Illi *ἐμπράκτοις* exæquantur, hi non item. De quo Honorariorum codicillorum discrimine iam sæpe supra agitur, & *d. l. 19. inf.* & *l. vlt. inf. tit. prox.*

Secundum *huius leg.* caput est, de *Armata militia* (quod alioquin ab hoc *titulo* fugitiuum est) Igitur eo Arcadius Valentiniani constitutionem confirmat, qua certo stipendiorum numero milites a Curiali conditione liberabantur: cuius constitutionis pars relata est, *l. 6. inf. de re militari*, & *l. 64. infr. de Decurionibus*: cuius iterum mentio fit *l. 28. inf. de cohortalibus*. Et hæc quidem de Viris, ne his passim Curiæ spoliarentur.

Postremo capite, quod & ipsum *hoc titulo* fugitiuum est, idem Arcadius Curiis consulium volens, & illud agit, ne *Viribus* pariter illæ labascerent. Quare statuit, vt si quisquam ex lucratiua causa de substantia Curialis aliquid acceperit, pro rata portione onera Curialia & descriptiones sustineat, de quo suo peculiari *tit. de imponenda lucratiuis descriptione.*

De REMOTIONE *Agentium in rebus.*

XVII. (a) Idem AA. Helioni (b) Magistro Officiorum.

MERITO Magnificentia tua concessam sibi pridem + a nostra Maiestate licentiam, pro remouendis his, quorum consortio Agentum in rebus schola laborabat, (c) ad nostram denuo auctoritatem credidit reuocandam. Nulli igitur posthac sine nostræ Maiestatis auctoritate discingendi Agentem in rebus, nulli eximendi pateat copia: nam probata (d) schola & animaduersionem vereri Iudicis, & nullam debet timere contumeliam vilitatis. Dat. III. Id. Nou. Constantinop. Honorio X. & Theodosio VI. AA. CONSS. [415.]

NOTÆ.

(a) Lex 2. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est, recisa priore eius sententia, quæ ad horum temporum historiam pertinet. *GOTHOFR.*

(b) *Helio* Magister officiorum sub Theodosio Iun. per septem annos, duabus, vt videtur, vicibus repetita Magisteria officiorum; vid. *Prosopogr.* Eidem inscribitur *lex prox.* 18. & *lex 19. 20. inf.* Meminit Olympiodorus *in fin.* apud Photium *n.* 80. & *pag.* 15$. *Tom. I. Script. Rer. Byzant. ed. Ven.* Idem postea *Patricius* simul fuit, dico ad *d. l.* 20. *IDEM.*

+ *Lex* hæc Theodosii Iun. mihi non occurrit. *IDEM.*

(c) *Laborare* dicitur schola, quæ incondita & supernacua turba repletur. *IDEM.*

(d) Nihil hic mutandum: & ita quoque habet Cod. Iust. Non temnenda militia, *l.* 16. *sup.* spectata, *l. prox.* 18. *IDEM.*

XVIII. (a) Idem AA. Helioni (b) Magistro Officiorum.

AD scholam Agentum in rebus passim plurimi, velut ad quoddam asylum, conuolarunt, quos vita culpabiles, & origo habet ignobiles, & ex seruili fæce prorupisse demonstrat. Et quoniam Sublimitati Tuæ adnuimus (c) eam quam quæsierat (d) potestatem, adhibenda est competens medicina, vt exploratione diligenter agitata, discingendo abicias punitione (e) cohercendos, quo remotis abiectis, (f) pessimis, criminosis, spectata (g) militia in statum pristinum reuocata, bonorum (h) virorum collegio frequentetur. Dat. XIII. Kal. Feb. Constantinop. Theodosio A. VII. & Palladio CONSS [416.]

NOTAE.

P. 181 (a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* prælata ibi *Lege superiore* 17. *IDEM.*

(b) *Helioni* huic Magistro officiorum inscribitur quoque *lex 17. sup. lex 19.* & 20. *infra.* *IDEM.*

(c) Reddimus: concedimus. *IDEM.*

(d) Antea. Vid. *initium l. 17.* *IDEM.*

(e) In MS. habetur *punias*, quinque ferme literis erosis ante *hercendos*, vnde conficio *puniasque cohercendos.* *IDEM.*

(f) Abiecti *h. l.* & *l. vlt.* id est, schola eiecti, matricula expuncti, v. *Gloss.* *IDEM.*

(g) *Spectata* militia Agentum in rebus *h. l.* non temnenda, *l. 16. sup.* probata, *l. 17. sup.* *IDEM.*

(h) *Bonorum virorum collegium* quo sensu dicatur: mox dicam. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE RECENSV, Iureque discingendorum seu remouendorum Agentium in rebus, sunt hæ duæ Theodosii Iun. constitutiones, ad eundem Helionem Magistrum Officiorum emissæ; verum inter se contrariæ: quarum priore ius istud Magistro officiorum adimitur: posteriore vero redditur. Hac scilicet parte sæpe variatum reperio. Honorius Imp. in Occidente *l. 11. sup.* sibi soli id reseruauit. In Oriente, ante *l. 17.* ius istud Magistro officiorum datum fuerat: *dicta* vero *Lege 17.* ademptum id; mox redditum, *l. 18.* Recensus scilicet vt aliarum scholarum sæpe agitatus, veluti Domesticorum, de quo v. *l. 5. 6. sup. de domesticis:* ita & Agentium in rebus, quo pertinet *d. l. 11. 15. sup.* hæc *lex 17.* & 18. & *lex vlt. infra.* Nempe quod, vt exerte testatur *d. lex 18.* plurimi ad scholam Agentium in rebus velut ad asylum confugerent, neque vita, neque origine satis probati: imo ex seruili fæce nonnulli orti; atque adeo indignorum consortio ea *laboraret.* Quare recensum eorum sæpe agitari oportuit, eaque schola indignos remoueri, discingi, eximi, abiici: vt ita remotis, abiectis (quod ait *d. l. 18.*) pessimis, criminosis, spectata Agentium in rebus militia in statum pristinum reuocata, *bonorum viro-*

rum collegio frequentaretur: id est, nonnisi boni probique in ea manerent. Error enim est Scriptoris, *de officiis domus Augustæ lib. 3. c. 10. ferme sub fin.* cum Agentium in rebus scholam, *bonorum virorum collegium* proprie dici putauit: Non magis enim bonorum Virorum collegium ea dicitur, quam aliæ, cum recensu facto, pessimisque & criminosis proiectis, soli boni probatique remanent. De cuiusmodi Proiectis Agentibus in rebus est quoque locus apud Am. Marcellinum *lib. 22. c. 7. Duo*, inquit, *Agentes in rebus ex his qui* PROIECTI *sunt, eum adiere fidentius, promittentes latebras monstrare Florentii, si eis gradus militiæ redderetur.* Proiectos vocat, quos *d. l. 18. & l. vlt. inf.* Abiectos: & *l. 15. inf. de Palatinis S. L.* Hoc igitur Agentium in rebus remouendorum, discingendorum, proiciendorum ius modo ad Magistros officiorum commeauit, modo ad Principem recurrit, Magistris officiorum ademptum: Et quidem, quod discimus ex *l. 17.* ipsomet Magistro officiorum id ad Principis auctoritatem reuocandum credente: Cuius rei rationem reddit ipse Theodosius Iun. *ea l. 17. Nam*, inquit, *probata schola & animaduersionem vereri Iudicis, & nullam debet timere contumeliam vilitatis*: hoc sensu, Iudicem equidem id est Magistrum officiorum, in Agentes in rebus animaduertere posse: at non eos quoque proicere seu discingere: hæc enim *contumelia vilitatis* dicitur. *Vilitas* scilicet est & dicitur, cum quis ex schola aliqua probata, vt vocatur *h. l. 17.* spectata, vt vocatur, *l. 18.* Militia non temnenda, *l. 16. sup.* in vilium personarum numerum proiicitur. Hæc inquam ratio hic redditur, quanquam & aliæ rationes subessent reuocandi iuris istius ad Principem, a parte videl. ipsius Magistri officiorum, ne Agentium in rebus odium & inimicitiam sibi conciliaret: a parte Principis, ipsorumque Agentium, aduersus Magistri officiorum fastidium. Igitur ad se ius istud reuocauit Theodosius Iun. *l. 17.* ipsomet Helione volente iubente. Verum mox Anno proximo eidem redditum id, *l. 18.* Et tamen Iustiniano magis placuit *lex 17.* quam ideo in Codicem suum referri passus est, spreta hac posteriore.

De PRINCIPATVS *Agentium in rebus diuersis speciebus & singulorum gradu.*

XIX. (a) Idem AA. Helioni (b) Magistro Officiorum.

AGENTVM in rebus indiscreta merita (c) esse non finimus, nec indignos frui priuilegiis laborantium. Ideoque sancimus, vt nullus ex his (d) emendicato suffragio ad honorem Principatus audeat adspirare, nisi quem ordo militiæ ac laborum testimonium ad hunc honoris gradum prouexerit. Quod si quis corporali (e) inbecillitate quassatus, eoque modo laboris inpatientia (f) longam militiæ seriem tolerare non patitur, is non ante dignitatem principatus (g) honorariam mereatur, quam si viginti (h) annorum stipendia conpleuisse Scholæ totius adtestatione docuerit. Hos sane qui quoquomodo per ambitionem sine vllo stipendiorum suffragio memoratam Principatus adepti sunt dignitatem, post eos qui laborum merito consecuti sunt, numerari decernimus Dat. V. Kal. Decemb. Constantinop. Honorio A. XI. & Constantio II. V. C. CONSS. [417.]

N O T A E.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* IDEM.

(b) *Helioni* huic Magistro officiorum inscribuntur hoc ipso titulo *lex 17. & 18. sup. & lex 20. infr.* De eo vid. *Prosopogr.* IDEM.

P.182. (c) *Merita.* IDEM.

(d) Agentibus in rebus. IDEM.

(e) In MS. *corporis.* IDEM.

(f) In MS. non aliud spatium, quam ad collocandam vocem, *inpatiens.* IDEM.

(g) *Principatus* aberat male, quam vocem inpressi Codices omnes habent. RITTER.

(h) In MS. est XXV. GOTHOFREDVS.

C O M M E N T A R I V S.

DE PRINCIPATVS honore, quibus deinceps Agentibus in rebus is conferri possit, vel non, quemque locum obtinere debeant ii qui per ambitionem hactenus eum adepti fuerunt, definit *hac l.* Theodosius Iun. præmissa generali Regula, quæ & alias tralatitia est, aliisque aptari potest, Agentum in rebus *Indiscreta merita esse non finimus; nec indignos frui priuilegiis laborantium.* Igitur tres Principatus species hic constituit. Quomodo & *l. 16. sup.* in quæstione de Curiali nexu euitando per Principatum. Primo nullum emendicato suffragio ad honorem Principatus adspirare deinceps debere, verum eos tantum, quos ad hunc honoris gradum prouehit ordo militiæ & laborum. Hæc scilicet iusta est Principatus adipiscendi ratio, atque adeo Principatus species. Secunda species est (de qua pariter *d. l. 16. sup. vers. nisi forte:* & *l. vlt. inf. tit. prox. de Princip. ag. in reb. vers. & si qui,*) quoties videl. corporali imbecillitate quassatus, post annosam militiam, post viginti inquam annorum stipendia, scholæ totius attestatione, honorarios codicillos Principatus adipiscitur. Quæ prima est honorariorum codicillorum seu honorarii Principatus species, quæ primo illi exæquatur hac parte, pariter vt in *d. l. 16. & d. l. vlt. inf. tit. prox.* Nisi quod ea viginti quinque anni requiruntur. Tertia species Principatus, verum altera iam honorariorum codicillorum species est, quoties quis emendicato suffragio, per ambitionem sine vllo stipendiorum suffragio Principatus dignitatem adipiscitur. Id quod, vt dixi, in futurum fieri prohibet *hac l.* Theodosius Iun. De his vero qui ad hunc diem eos adepti fuerant id constituit, vt post eos qui laborum merito consecuti sunt, locum obtineant, atque adeo

adeo his licet tempore posterioribus cedant: *ἐμπράκτοις* inquam, & honorariis primæ qualitatis: sicut viceuersa honorarii ipsi primæ qualitatis cedunt *ἐμπράκτοις d. l. vlt. inf. tit. prox. de Princip. agent. in reb.* Plura non addo, quia iam delibata *sup. tit. de honorariis codicillis.*

De PRINCIPIS *ducenariorum gradu.*

XX. (a) Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Helioni Patricio (b) & Magistro Officiorum.

QVI ex Agentum in rebus numero, militiæ ordine ac labore decurso, Ducenæ dignitatis meruerit Principatum, aut qui Viro Inlustri Magistro Officiorum, vt probatus fuerit Adiutor, eo tempore quo iam Honoratis viris cœperit adgregari, eorum, qui Vicariam egerint Præfecturam honore potiatur: conseruatis sine dubio veteribus priuilegiis Diuorum in eos Principum largitate collatis. Dat. X. Kal. Ian. Constantinop. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. CONSS. [426.]

XXI. Idem AA. Hierio PP.

QVICVNQVE inpleto militiæ suæ ordine ac labore finito, ad Ducenæ peruenerit Principatum, quique Magistri Officiorum iudicio probatus Adiutor extiterit, tempore quo iam Honoratorum virorum cœtibus inferitur, eorum qui Vicariam egerint Præfecturam insignibus perfruantur; priuilegiis proculdubio hisdem quibus ante hac vsi videntur reseruatis. Dat. X. Kal. Ian. Theodosio XII. & Valentiniano II. AA. CONSS. [426.]

NOTAE.

(a) Iungendæ sunt inter se hæ duæ *leges*: de quo mox. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Patricii* dignitate hic Helio tandem, gesta iamdiu Magisteria officiorum, auctus: Quare *Patricius* iam & *Magister officiorum* simul vocatur *h. l.* 20. & *l.* 14. *inf. de metatis.* De hoc eodem Helione Patricio v. & Socratem *lib. 7. c. 24. in fin.* De hoc vero Patriciatu, alterius dignitatis Illustris accessione, dixi ad *l. un. supra de consulibus.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

PRINCEPS Ducenarius ex Agentibus in rebus, qui hactenus inter Consulares babebatur, *l. 5. 6. 12. sup. hoc tit.* vt & ADIVTOR Magistri officiorum, vicariis Præfectorum a Theodosio Iun. exæquantur his *duabus legibus*, & *l. 22. inf.* & *l. 5. Cod. Iust. de Princip. agentium in reb.* His duabus inquam *Legibus* quæ inter se sociandæ sunt, eandemque sententiam, imo & verba pene continent, ad diuersos tantum Magistratus datæ sunt, eo more, de quo *in prolegomenis.* De Principibus Ducenæ seu Ducenariis *supra* iam ad *l. 8. sup.* de Adiutore Magistri officiorum ad *l. 3. sup.*

P.183.

De PRIMATVM *&* PRINCIPVM *Agentium in rebus Vicariana dignitate.*

XXII. (a) Idem AA. Proculo PV. (b)

AGENTVM in rebus Schola, quæ nostro iudicio Vicarianam (c) dignitatem adepta est, id (d) quidem suos Primates (e) post stipendiorum finem mereri non ambigat. Verum Amplissimi Ordinis adsertioni (f) pareat: Vt (g) quoniam hi quos militiæ finis ad Principatus honorum adduxit, Senatoriis se æstimant functionibus eximendos, in priore dignitate permaneant, cuius immunitatem amplexi sunt, & cetera. Data prid. Kal. Febr. Constp. Tauro & Felice CONSS. [428.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda vero illi *lex vlt. sup. de Senatorib. & glebali collat.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Proculus P. V. Constantinopol. sub Theodosio Iun. A. D. 428. cui præter hanc *l.* & *d. l. vlt.* inscribitur & *lex vlt. infr. de Medicis & profess.* *IDEM.*

(c) Vid. *l.* 20. 21. *sup.* *IDEM.*

(d) *Vicarianam* scilicet dignitatem. *IDEM.*

(e) *Primates*, id est, Principes: vid. *Paratitlon.* *IDEM.*

(f) *γρ. adscriptioni.* *IDEM.*

(g) *γρ. At.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

VICARIANAM Dignitatem Primatibus Agentium in rebus a se antea datam *l. 20. & 21. sup.* Theodosius Iun. *hac l.* sub quadam conditione confirmat: de qua mox. Hac inquam *lege*: quæ pars est prolixioris Theodosianæ constitutionis, vnde desumpta est quoque *lex vlt. sup. de Senatoribus & glebali collat.* quæ proinde *huic* coassanda venit: coassata vero maximam *huic* lucem præstat & intellectum. De quo antequam videmus, obseruandum, hanc constitutionem ad Præfectum vrbis emissam, quia de Amplissimo Ordine seu Senatu, & de Senatoriis functionibus in ea agitur, quibus vtique præerat Præfectus vrbi, vtpote Senatus Præsuli, de quo passim *alibi*. Præmittenda item sententia dictæ *legis vlt.* Ea scilicet cauetur; Immunitatem a glebali tantum collatione nulli officio, Personæ, scholæ, professioni concedendam; exceptis tantum Notariis, Silentiariis, Decurionibus, Agentibus in rebus, qui expletis stipendiis ad Principatum Ducenæ peruenerunt. Quam *legis* illius sententiam repetit quoque *lex vlt. inf. de Medicis & Professoribus.* Additur *eadem lege* Palatinos sacrarum & priuatarum largitionum, Senatoriis functionibus eximendos, eo quod Senatoriæ dignitati sibi indultæ renunciassent. Nempe hoc æuo nonnulli dignitati Senatoriæ sibi concessæ renunciabant ad euitanda onera Senatoria: neque priuatæ tantum personæ, vt *l. 4. sup. de Senatorib. & gleb. coll.* verum etiam scholæ integræ, vt Palatini *d. l. vlt.* sic tamen vt his aliæ immunitates iam olim tributæ seruarentur.

Nunc de lege nostra, quæ mihi semper obscurissima visa est, imo & ἀσπόνδῳ πολέμῳ cum *d. l. vlt.* dissidere. Verum re penitus introspecta, hanc eius Sententiam puto: Nempe discrimen seu differentia constituitur inter Primates seu Principes Agentium in futurum, & inter eos qui tum erant: Nempe, illis Vicarianam dignitatem ita deinceps competituram, vt Senatoriis simul adscriptionibus seu functionibus pareant: Hos vero immunitate illa gaudere, quod diserte expressum est *d. l. vlt. de Senatoribus:* illi quippe Vicarianæ dignitati renunciandum crediderant, vt ita se Senatoriis functionibus eximerent: pristinaque adeo immunitate fruerentur, qua fruebantur hactenus inter Consulares Adlectos: de quo *l. 5. 6. 12. sup.* Ex his iam patet, quod alio vtiliter traduci potest, *beneficium Principis, vt aliud quodcunque priuilegium, pro se introductum, spernere cuique eique renunciare licere.*

DISPOSITIONEM *Paulini Magistri officiorum circa Agentes in rebus confirmat* h. l. *Theodosius Iun. additis nonnullis circa supernumerarios & Proiectos.*

XXIII. (a) Idem AA. Paulino (b) Magistro Officiorum.

CVNCTA quæ super Agentum in rebus militia, Ordine, Loco, Numero statuisti, amplectimur. Inlustris igitur Auctoritas Tua, quæ nouellæ matriculæ (c) super Statutorum numero vel ordine confirmando, quæque de reliquis (d) ordinandis huius legis sanctione decernimus, nauiter seruanda & custodienda cognoscat: videlicet, vt Statutorum numero in mille centum septuaginta quatuor nominibus (e) adsignato, qui recenti matricula definitus esse cognoscitur, reliqui qui extra memoratum Statutorum numerum positi esse noscuntur, ita concessa potiantur militia, vt hii quoque certis locis laborum ac
P.184 stipendiorum meritis conlocati Vacantes præeuntium gradus obsequendi ordine mereantur; Nec tamen hi qui plurimis iustissimisque causis matricula videntur exclusi, militia, quæ eis humanitatis intuitu sub huiusmodi forma indulta est, tamquam penitus spreti aut abiecti (f) deiciantur: (g) Quibus beneficii loco ponendum est, quodcum tertio euocati (h) non venerint, tamen eis militare permisimus. Dat. XVI. Kal. Mai. Constp. Theod. A. XIII. (i) & qui fuerit nuntiatus. [430.]

NOTAE.

(a) Abest hæc quoque *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Paulinus* Magister Officiorum sub Theodosio Iun. A.D. 435. Meminerunt eius Marcellinus *Chronico*, & Chronicon *Alexandrinum* A. D. 434. *pag.* 732. 733. *edit. Rader.* Vid. plura in *Prosopogr.* IDEM.

(c) Nouella matricula. IDEM.

(d) Vacantibus, abiectis, extra numerum statutorum positis, vt mox, *in fin.* IDEM.

(e) Pro *hominibus*, de quo vid. *Gloss.* IDEM.

(f) De *Abiectis* vide, quæ dixi ad *l. 18. sup.* & ad *l. 15. inf. de Palatinis.* IDEM.

(g) Et eiiciantur. IDEM.

(h) *Euocationis trinæ* exemplum nota: de quo mox plura. IDEM.

(i) Malim XV. vt ita adscribatur annus 435. vid. *Chronologiam.* IDEM.

COMMENTARIVS.

RECENSVM scholæ Agentium in rebus sæpe factum, & quidem nonnunquam a Magistro Officiorum superiores *leges* iam docuerunt, *lex* inquam *11. 15. 17. & 18. sup.* atque adeo ad certum numerum redacta ea, siue dum incondita & effræni turba laborat, siue dum non pauci in otia concedunt, & militiam deserunt. Igitur & hoc tempore Paulinus Magister Officiorum inter alia ad certum modum eam redigendam credidit. Primum numero Agentium ad *mille centum septuaginta quatuor* redacto: Secundo emansoribus & desertoribus trina denunciatione euocatis, & cum venire neglexissent, Schola Agentium expunctis & eiectis: Quæ omnia Theodosius Iunior *h. l.* confirmat, sic tamen vt desertores illi abiecti, seu *proiecti*, certo loco in Agentium Schola inter *vacantes* haberentur, neque penitus

nitus abiecti essent, verum ad gradus Agentium ordine ac labore eniti possent. Inter vacantes igitur habiti, seu inter adscriptitios. Quomodo pariter cum Palatinorum recensus ageretur, multi in supernumerariis adscripti eadem conditione *l. 15. 16. 17. inf. de Palatinis S. L.* Cuius generis vacantes & adscriptitii & in officiis & in militia & in Prouinciis quoque nonnulli habiti. Institutum hoc Principum Romanorum fuit, vt quos necdum aliquo militiæ aut officiorum genere decoratos vellent, aut possent, inter Vacantes interim eos haberent, qui aut obsequiis, aut aliorum morte promouerentur, quos ideo *Vacantiuos*, & *Vacantes*, vt & *Adscriptitios* dixere. Et quidem in militia Palatina, Lampridius *in vita Alexandri cap. 15. Nec quemquam passus est esse in Palatinis nisi necessarios homines, iureiurando denique constrinxit, ne quem adscriptitium, id est, vacantiuum haberet.* Item Pollio *in vita Balistæ cap. 18. Quod eius consilio nullum adscriptitium, id est, Vacantem haberet, & Tribunum nullum stipatorem, qui non vere pugnaret.* Tribunum scilicet Vacantem intelligit. *Supernumerarios* vocat *lex 15. & 17. inf. de Palatinis S. L. & l. 2. inf. de Castrensianis.* Sed & Procopius *hist. arcan. cap. 24. pag. 327. edit. Venet.* refert, Iustinianum in ordinanda militia Palatina instituisse ὑπεραρίθμους σχολαρίους. Sed alio fine & magis necessario supernumerarii & adscriptitii in *Militia* habiti, qui *Adcrescentes* dicti sunt, de quibus *l. 11. inf. de re militari: l. 6. & 7. inf. de Tyronib. l. vn. inf. de Classicis.* Supernumerarios vocat Vegetius *lib. 2. cap. 19. & lib. 3. cap. 18.* Adscriptiuos Varro, *lib. 6. de lingu. latin. pag. 53. inter auctor. lingu. latin.* In Prouinciis denique & Ciuitatibus eadem conditione erant qui Adcrescentes dicebantur, qui scilicet in locum eorum qui censu exempti fuerant, subrogabantur, *l. 3. inf. de priuileg. eorum qui in S. Pal. & l. 7. inf. de censu:* vbi dicam. Non abludit etiam Imaginariæ militiæ genus, quod *supra numerum* vocabatur: cuius meminit Suetonius *Claudio c. 25.*

Ad numerum statutorum Agentium in rebus redeamus. Igitur hoc tempore fuere Mille centum & septuaginta quatuor. Leo Imp. paulo maiorem probauit, puta Mille ducentorum quadraginta octo: *l. 3. Cod. Iust. eod.* Libanius *Orat.* πρὸς τοὺς βαρὺν αὐτὸν καλέσαντας, secutos Iulianum Principem ad Decem millia vsque habuisse testatur.

P. 185

DE PRINCIPIBUS AGENTUM IN REBUS.

TITULUS XXVIII.

LIB. XII. COD. IUST. TIT. XXI. *De Præpositis Agentium in rebus:* & XXII. *De Principibus Agentium in rebus:* vid. & *Nouellam Valentiniani 14. de Principibus Agentium in rebus.*

PARATITLON.

Principes Agentium in rebus, de quibus ipsis Principibus fuit quoque iam *sup. tit. prox. lex 5. 6. 8. 10. 12. 13. 16. 19. 20. 21. & 22.* cuius *tituli* Paratitlon consulendum, & *lex vlt. sup. de Senatoribus: l. 10. infr. de cohortalibus: l. 3. infr. de his quæ administr. Nouella Valent. 14.* erant, qui in schola Agentium in rebus, diuturno fatigati obsequio, *l. 6. h. t.* post palmam laboris emeriti, *l. 3. h. tit.* post iugis militiæ tempus, velut præmio laboris exacti, *l. 13. sup. tit. proximo, de Agentib in rebus,* ad gubernanda Officia Iudicum dirigebantur: *l. 6. h. t.* seu ad Prouincias mittebantur, *l. 6. inf. de Curiosis*, (idque felici Natali Principis die *d. l. 6.*) quod plenissime docet *Notitia Imperii.* His vero Principibus auctoribus & ordinantibus, Officiales mittebantur in munus & necessitates publicas, priuatasque; *l. 1. & 3. h. t.* Exhibitio personarum iis mandabatur, *d. l. 3.* executio concedebatur, postulationes a causarum patronis introducebantur, *l. 4. h. t.* citatoria omnia omnium causarum & personarum fiebant, *l. 5. h. t.* præceptiones de Iudicio prolatæ, id est Iudicum implebantur, *l. 6 h. t.* Verum de his Principibus plura *tit. de cohortalibus, principibus:* & *sup. paratitlo, de Agentibus in rebus,* quæ huc arcessi possunt.

I, (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Potitum Vicarium vrbis, (b)

Nemo Officialium in munus aliquod nisi Principe ordinante mittatur. Si quis autem Scriniariorum, (c) vel cuiusquam alterius loci, quemquam Officialium in aliquod munus Principe nesciente direxerit, trium librarum auri condemnatione plectetur. Dat. prid. Non. Aug. Triuerini, (d) Acc. VII. Id. Sept. Romæ, Auxonio & Olybrio Conss. [379.]

NOTÆ.

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a Cod. Iust. Fugitiua autem ea est, pariter vt *lex* 3. 4. 5. 6. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Potius* Vicarius vrbis Romæ: Ad eundem data est hoc ipso Anno 379. *lex vlt. sup. de re iudicata: lex 2. de Executoribus.* Et Anno 381. *lex 2. vnde vi. IDEM.*

(c) De *Scriniariis* his mox dicam. *IDEM.*

(d) *Triuerini* data hæc *lex* dicitur: Sic & Anno prox. 380. *Triberini* data dicitur *lex 9. de priuil. eor. qui in sacro Pal.* Certe hæc *lex* trigesimo quinto post die Romæ accepta dicitur. Forte *Triuerinum* hoc in Rhætia fuit, vbi tum fuisse videtur Gratianus: vid. *Chronolog.* Et tamen in MS. hic non *Triuerini*, verum *Iriuerim* aperte scriptum: quomodo & *d. l. 9. inf. de priuil. eor. qui in S. Pal. IDEM.*

COMMENTARIVS.

EXECVTIONEM aliquam fieri, seu OFFICIALES Iudicum nonnisi Principe (officii scilicet) ordinante in munus aliquod mitti vetat *hac l.* Gratianus Imp. pariter vt Theodosius M. *l. 3. inf.* Valentinianus Iun. *l. 4.* Arcadius *l. 6.* Valentinianus III. *Nouella 14.* In munus inquam aliquod mitti, id est, ad necessitates publicas vel priuatas, *d. l. 3.* ad exhibitionem personarum (seu reorum) *d. l. 3.* ad executionem, *d. l. 4.* citationem, *l. 5.* præceptiones Iudicum implendas, *l. 6.* Hæc enim ferme sunt quæ Officialibus iniungebantur, hæc munera in quæ mittebantur, a Principe officii: Inque vrbe Roma, quo pertinet hæc *lex*, & *lex 4. inf.* Princeps officii citatoria faciebat. Princeps officii, Symmachus *lib. 10. ep. 36. Sed cum ad eius ædes semel atque iterum Princeps officii commeasset, & obstinatam hominis contumaciam non posset inflectere, inanem syngra-*
P.186 *pham reportauit, qua redhibitionem Felicis in alterum diem sponsione distulerat.* Mox; *Hoc vbi Princeps officii comperit, paucis comitatus excurrit: retinet Felicem celebri vrbis loco, nec tamen eripit.* Item, *Interea Felix a militibus Vicariæ potestatis abducitur: & cum Principe officii mei sub conspectu Romanæ plebis caditur.* Rursum, *Hic &c. a Principibus officii vtriusque perducitur*, &c. In singulis scilicet Magistratuum Officiis erat Princeps, qui ad gubernanda officia dirigebatur, *l. 6. inf* de quo plene ad *l. 10. inf. de cohortalibus.* Ad quem totius officii cura pertinebat, vt passim ex *hoc Codice* constat, & Am. Marcellino, *lib. 15. c. 3.* Symmacho, *lib 10. d. ep. 36.* & *Notitia Imperii fol. 4. 28. 30. 33. 36. 39. 68.* & *d. Nouell. Valent. 14. de Princip. Ag.* Suidas, πρίγκεψ ὁ ἔξαρχος τῆς τάξεως. Glossarium Nomicum, πρίγκεψ ὁ πρῶτος τῶν τελετικῶν ταξεωτῶν. Porro hi officiorum Principes sæpe ex Agentibus in rebus sumebantur: vt constat ex *l. 6. inf. h. t.* ex *Notitia Imperii* passim; *vid. fol. 42. 70. 71. 76. 78. 79. 82. 87. seqq.* & *d. Nouella* de quibus est quoque *lex 8. 16. 19. sup. tit. de Agentib.* Et quidem ex Ducenariis qui summo loco erant inter Agentes, vt ex illis ipsis locis discimus: & quidem ex *Notitia*: vbi diserte dicuntur Principes de schola Agentium in rebus Ducenarii, vel Ducenariorum, vel ex Ducenariis. Et signate quidem Principes officii Vicariorum, ita designantur, in *dicta Notitia fol. 78. 79. 82.* & speciatim Vicarii vrbis, de quo & Symmachus *d. lib. 10. ep. 36.* cuiusmodi *Vicario* vrbis hæc *lex* inscribitur. Quare hac ratione *Leges* variæ de Principibus his officiorum ab *huius Codicis* conditoribus in hunc *titulum, de Principibus Agentium in rebus* coniectæ sunt; non quod scholæ Agentium Principes essent, (de quibus *l. 8. 20. 21. superioris tit. de Agentibus in reb.* quique cum his commiscendi non sunt,) verum quod ex schola Agentium in rebus hi sumerentur. Eorundem Principum meminit & Cassiodorus *XI. Variar. 35. Rationem* porro, cur Officiales nonnisi Principe ordinante in munus mitti debeant, adsignat *lex 3. inf.* de qua ad *eam leg.*

De *Scriniariis* nunc videndum est, qui nominatim Officialem Principe nesciente in munus aliquod dirigere vetantur. *Scriniarios* igitur hic putet quis, in sacris scriniis militantes, de quibus *sup. de proximis scriniorum.* Ergo malim scriniarios accipere, qui post Principem in singulis officiis erant. In quibus & Primiscrinius fuit, de quo *l. vlt. inf. de suariis* & *l. 2. de executorib.* & *Notitia Imperii.*

II. (a) Idem (b) AA. ad Probum PP. (c)

AGENTES in rebus, si Principatus forte (d) deposita, forsitan prouinciæ gubernacula hisdem non euenerint, par erit salutationis loco his quidem qui Præsidatum gesserint cedere, sed eos qui Rationales (e) fuerint præuenire. PP. IIII. Id. Mar. Hadrumeto (f) DD. NN. Gratiano A. V. & Theod. I. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a Cod. Iust. *GOTHOFREDVS.*

(b) γρ. Idem *AAA.* vt aperte etiam habet MS. *IDEM.*

(c) *Probus PP* sub Valentiniano Iun. Italiæ, Africæ, Illyrici A. D. 380. &c. vid. *Prosopogr.* De *Africa huius leg.* subscriptio *PP. Hadrumeto* fidem facit. *IDEM.*

(d) Ita in MS. sed γρ. *Sorte.* Sors Principatus, *h. l.* vt Principatus actus, *l. vlt. IDEM.*

(e) *Rationales* & quidem Africæ nota. *IDEM.*

(f) Vid. similem subscriptionem *l. 1. inf. de pœnis, l. 2. de appellat. l. 1. inf. quorum appell.* quæ tres *leges* inter se coaptandæ sunt. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE PRÆCEDENTIA seu ordine locoque Agentium in rebus Principatu functorum, est hæc Valentiniani Iun. Constitutio: Nempe eos in *Salutationibus* (de quibus plene semel ad *l. vn. sup. de Præpositis S. Cubiculi* v. & *l. vlt. hoc ipso tit.*) Præsidatu seu Administratione functis cedere, Rationalibus vero præferri iubet: Medio igitur loco inter hos & illos. De *Rationalibus* in *Notitia Imperii, fol. 118. 140. 144.* & in *nostra*, quam ex *hoc Cod.* concinnauimus. Et limitatio seu determinatio additur, si videl. Principatu functo prouinciæ gubernacula non euenerint, id est, si idem Rector prouinciæ factus non fuerit: hic quippe aliis nudo Præsidatu functis præferendus, vel saltem componendus erit: cui similis limitatio

tatio & conditio occurrit *l. 13. sup. de Agentibus*: Vnde interea discimus, Principatu functos ad prouinciæ gubernacula promoueri solitos: pariter vt ex *d. l. 13. sup. de Agentibus*. In *Notitia* certe *Imperii* non vnu loco dicitur, *Princeps de schola Agentium in rebus Ducenariorum, adorata Clementia Principali*, CVM INSIGNIBVS EXIRE. *vid. loc. ad leg. 1. cit.* Idquod diserte de Principe officii dicitur, qui e Ducenariis Agentibus in rebus sumebatur, quique Principatu functus cum Insignibus exibat. Quænam autem insignia intelligit? Certe notandum, Principatus Agentium in rebus dignitatem post *hanc leg.* plurimum auctam. Primum enim Ex-consularibus dignitate aucti Principes hi: *l. 5. 6. 10. sup. tit. prox.* dein a Theodosio Iun. Vicariatu decorati. *l. 20. 21. 22. sup. tit. prox.* imo Proconsulari, ab Honorio, *l. 7. inf. h. t.*

Illud ad hanc *leg.* notandum superest, eam proprie ad Africam pertinere & quidem Byzacenam prouinciam, cuius metropolis fuit Hadrumetum, vbi hæc lex *proposita* dicitur, & proinde ad Principes officii Consularis Byzacenæ, & Rationales eiusdem prouinciæ: imo & ad Præsides (nam de Præsidaro functis *hac l.* agitur) Mauritaniæ Sitifensis & Tripolitanæ & Cæsariensis. De quibus *Notitia Imperii*, Nostraque.

P. 187 ## III. (a) Idem AAA. (b) & Arcadius A. Cyncgio PP. (c)

AGENTES in rebus, post palmam laboris emeriti, Principatus honore muneramus: Atque ideo (d) Officiales, tam ad necessitates publicas quam priuatas non nisi Principe mittatur (e) auctore: nullarumque sine ipso cuiquam mandetur exhibitio personarum. Dat. prid. (f) Kal. Mart. Constp. Honorio Nob. P. & Euuodio CONSS. [386.]

NOTAE.

(a) *Lex* 3. *Cod. Iust. eod. tit.* ex *hac leg.* & *sequente* conflata est, vel potius interpolata est, retenta *huius legis* inscriptione & subscriptione. Forte an *huic* iungenda est *lex 5. sup. tit. prox.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Reponendi hi Imperatores, *Valentinianus*, THEODOSIVS, & *Arcadius*, similis error *d. l. 5.* *IDEM.*

(c) *Cynegius PP.* Orientis sub Theodosio M. vid *Prosopogr.* & Libanium. *IDEM.*

(d) Huius consequentiæ rationem mox eruam. *IDEM.*

(e) γρ. *Mittantur*, vt *Cod. Iust.* nisi supra reponat quis *Officialis*. *IDEM.*

(f) III. Non Mart. *d. l. 5.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE EXECVTIONE nulla facienda, seu OFFICIALIBVS, nonnisi Principis officii auctoritate mittendis ad necessitates publicas, priuatasque, vel exhibitionem (reorum scilicet) est hæc Theodosii M. constitutio (pariter vt Gratiani *l. 1. sup.* Valentiniani Iun. *l. 4.* Arcadii *l. 6. inf.* Valentiniani III. *Nouella 14.* Theodosii inquam constitutio, cui iungenda videtur *lex 5. sup. tit. prox. de Agentibus in rebus*: quæ & ipsa est de Principum Agentium in rebus gradu & ordine. De *huius legis* Sententia, deque Officialibus mittendis in munera quæ hic exprimuntur, iam diximus ad *d. l. 5. supra*, vt & de Principatus huius præmio & honore delato, post palmam laboris, seu post diuturnum obsequium in schola Agentium in *Paratitlo*: quam in rem est & *dicta* Valentiniani III. *Nouella*, & Cassiodori locus *XI. Variarum*, quem protuli ad *l. 13. sup. tit. prox.* Superest tantum consequentiam illam expendamus, atque adeo rationem eruamus, cur videl. Officiales non nisi Principe mandante in munus aliquod mitti possent: quæ quidem *initio l.* continetur: *Agentes in rebus* inquit, *post palmam laboris emeriti Principatus munere honoramus: Atque IDEO Officiales, &c. nonnisi Principe mittantur auctore.* Paulo clarius eam exprimit *lex 6. inf.* quod *deceat diuturne fatigatos obsequio hac saltem consolatione fulciri: vt aditus commodis de Principatu discedant.* Omnium clarissime Valentinianus Tertius, *Nouella 14. de Princip. agent. in reb.* quæ hanc in rem tota est: vbi inter cætera etiam repetita ex vetustate, & deputata antiquitus præmia constituit, ne Officialis aliquis Præfecti Prætorio adsumatur, vel matricula eximatur præter Principis ex Agentibus in rebus conscientiam & consensum, neque Primores officii quidquam vsurpent inconsulto Principe, denique ne annonis atque emolumentis eorum quidquam per Iudicum auaritiam subtrahatur. Scilicet, vt aliunde, ita ex officialium quoque missionibus sportulæ quædam, *compendia*, seu commoda & emolumenta ad Principem redibant: quomodo adsumpto etiam aliquo in Officialium militiam sportulas quasdam consequebantur, vt ex *d. Nouella* colligere est. Quinimo & integrum officium liberalitate quadam Principi suo emolumenta quædam & compeodia conferebat, *l. 2. inf. de lucris officiorum*, quæ eiusdem Valentiniani Iun. est, cuius est & *lex 4. prox.* Tandem etiam ex introductione causarum compendium ad Principem redibat, *d. l. 4. prox. inf.* Fuit igitur lucrosum hoc officii genus: quod ideo collatum Agentibus in rebus, post palmam, & pro præmio laborum, & post diuturnum obsequium: qua de re præter *d. legem 6. inf.* multa & egregia Valentinianus Tertius, *dicta Nouella 14.* quæ in hanc rem expressissima est. Hinc igitur iam consequentiæ istius, quæ *hac l.* educitur, ratio elucet: *Atque IDEO Officiales*, &c.

IV. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theodosius & Arcadius AAA. ad Pinianum Præf. (b)

NVLLA exsecutio, sine adnotatione Principis, vsurpatione officii concedatur; hoc adiecto, vt etiamsi intercessio (c) in Locis degentis Officii fuerit inpertita, (d) adscriptio (e) tamen Principis *Exsecutionem fieri oportere* demandet. Quæ (f) definitio si fuerit

præterita, decem librarum auri (g) fisco nostro ab Officio (h) Sinceritatis (i) Tuæ statim iubemus inferri. Qua admonitione etiam causarum Patronos volumus esse conuentos, ne ignorante Principe vllam postulationem (k) introducant: ne ve sub vnius persona susce-pti, (l) fraude quadam, aliena negotio inferenda esse pertemptent. Dat. VI. Id. Sept Med. Valentiniano A. III. & Eutropio Conss. [387.]

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust. eodem*, ex *hac l.* & superiore conflata & interpolata est: retenta *superioris leg.* inscriptione & subscriptione. *GOTHOFREDVS.*

p. 188 (b) *Præfectum*: Vrbi scilicet, vt ostendit hoc ipso Consulatu, seu Anno 387. *lex* 13. *inf. de Medicis & Professorib.* & superiore An. 386. *lex* 13. *inf. de priuil eorum qui in sacro Palatio*: vid & Augustinum *ep.* 123. *al.* 227. *ep.* 125. *al.* 224. *ep.* 126. *al* 225. & Palladium *hist.* Lausiaca *Sect.* 103. 104. *edit. Gent. Heruet. Tom. VII. Bibl. Patr. de la Bigne.* In edit. Græc. Meursii *pag.* 136. & Baronium *A.* 385. *n.* 6. *IDEM.* Male in Herueti editione *Aprianus* Sect. 103. & *Pipianus* Sect. 104. audit, quod recte animaduersum a Cl. Meursio *in not. pag.* 204. & olim iam Baronius *an.* 387. vidit, male in nonnullis libris exhiberi *Pinianus* & *Alpianus.* Verum nomen apparet ex Augustini epistolis *RITTER.*

(c) *Intercessio*, id est, executio, de quo mox. *GOTHOFREDVS.*

(d) A quo? mox dicam. *IDEM.*

(e) Hæc absunt a Cod Iust. *IDEM.*

(f) Hic versiculus loco motus, inque vltimum locum, *l.* 1. *Cod. Iust. eod. tit.* reiectus est. *IDEM.*

(g) Vel *ve librat auri*, vt *Cod. Iust.* vel supplendum, *multam.* *IDEM*

(h) *Officium* Præfecti vrbis nota. *IDEM.*

(i) *Præfecti* vrbis titulus. *IDEM.*

(k) *Postulatio* pro causa, in qua Aduocati postulant. *IDEM.*

(l) *Susceptus* pro cliente vid. *Gloss. Theod.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

De executione nulla facienda, deque postulatione seu causa nulla introducenda, ignorante Principe, sine adnotatione eius, est hæc Valentiniani Iunioris constitutio. De Executione fuit iam in eandem sententiam Gratiani *lex* 1. *sup.* Theodosii M *lex* 3. *sup.* vbi dixi plenius. Et & Arcadii *l.* 6. *inf.* & Valentiniani Tertii *Nouella* 14.

Duo vero hac parte singularia continet hæc lex. Primum est, quod non nudam tantum Principis officii scientiam, ordinationem, mandatum, authoritatem, notionem hac in re in genere requirat Valentinianus Iun. *h. l.* quomodo requirunt *d. lex* 1. & *d. l.* 3. & *d. l.* 6. *inf.* verum signate & expresse, *Adnotationem*, id est, vt mox explicatur, *adscriptionem Principis, qua Executionem fieri oportere demandet.* Quod notandum: Mandata scilicet & hic scripta non occulta requiruntur, pariter vt in Principis, id est, Imperatoris, mandatis id obtinet: *l. vn. sup. de mandatis Principum*: ne alioquin temere sibi officiales executiones vindicent.

Secundum est, quod id obtinere velit Valentinianus Iun. *etiamsi Intercessio in locis degentis officii fuerit impertita.* Quo loco Intercessio nil aliud est, quam quæ *executio*, initio *legis* vocatur: sic & *Militaris intercessio* dicitur, *l.* 1. *inf. de lucris officiorum*, quæ *Militaris executio* vocatur *l. vn. sup. de officio Iudicum Militarium.* Sed & qui *Intercessores* vocantur *l.* 1 *sup. de pignoribus* (pariter vt apud Ambrosium *lib.* 2. *off. c.* 29. *pag.* 106. *Tom. II. Oper. edit. Benedictin.*) eos cum *Executorum* voce commutauit Tribonianus *l.* 7. *Cod. Iust. quæ res pignori*: quomodo & Interpres ad *d. l.* 1. *de pignoribus.* Intercessorem, *Exactorem* interpretatur. Item in *l.* 8. *Cod. Iust. de off. Rectoris prouinciæ*: vtrumque ita coniungitur, *Intercessorem, id est, Executorem.* Ergo Valentinianus Iun. *h. l.* nullam executionem fieri vult sine adnotatione Principis, etsi executio in *locis degentis officii fuerit impertita*: Quorum verborum hic sensus est, id est, etiamsi ea executio non sit peregre facienda, verum eo ipso loco in quo Officialis degit. Quod quidem ad *loca Suburbicaria* omnino referendum est. Est enim hæc *lex* ad *Præfectum Vrbi* scripta, & de *Vrbanicianis* Officialibus: ac vt cæteroquin locus, pro Prouinciæ seu Regionis parte accipitur de quo vide quæ dixi *ad l.* 11. *sup. de Pratorib. ad l.* 2. *in fine, sup. de integri restit.* & dicam præterea ad *l.* 12. *inf. de pænis*, plenissime. Ita frequenter *locus* vsurpatur, pro Regione suburbicaria. Ita *in l.* 12. *inf. de pænis*: *locus certa conditione finitus*, pro *Latio suburbicario*: ita *locorum grata orbi confinia*, *l.* 11. *sup. de Pratorib.* Eodem modo in *Vaticana Sexti Canonis editione, loca suburbicaria* nominatim dicuntur. Et Ignatius τόπον κωρίζ ξωμαίων: id est, *locum Regionis Romana* appellat. Scilicet Præfectus vrbi sparsos habuit Officiales, non tantum in ipsa vrbe Roma, verum etiam per *loca Suburbicaria.* Et hæc de Executione sine Principis officii adnotatione non facienda.

Sine eiusdem scientia, causas introduci ab Aduocatis vetat *hac eadem lex.* Valentinianus Iunior: vel etiam sub vnius Clientis & causæ nomine, pluta negotia per fraudem inferi seu introduci. Scilicet ob *introductionem causarum* quoque compendium quoddam ad Principem officii redibat εἰσαγωγικόν: de quo omni compendiorum genere, vid. & *l.* 6. *inf.* De inducendi verbo & introductione causarum, vid. quoque *l. sup. de off. Rectoris prou.* vbi aliquid dixi. De Citatoriis causarum ad Præfecti vrb. sollicitudinem pertinentibus, v. *l.* 5. *prox.*

Illud denique *hac l.* notandum est, hanc *leg.* proprie esse; Primo, de Principe officii Præfecti vrbis Romæ: de quo est quoque Symmachi locus *lib.* 10. *ep.* 36. & *Notitia Imperii Occident. fol.* 118. Quomodo & de Principe officii P. V. Constantinopol. est *l.* 5. *inf. prox.* Secundo est hæc *lex*, de Patronis seu Aduocatis & Causidicis vrbis Romæ, seu fori Præfecturæ Vrbanæ: de quibus fuit & *lex* 2. *sup. de postulando*, vbi dixi: & Symmachi locus *lib.* 10. *ep.* 36. qua & ipsa de Principe officii Præfecti vrbis agitur.

Quinam

Quinam ACTVS *in* SENATV *ad Principem officii P. V. qui ad Censualium sollicitudinem pertineant.*

V. (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Theodoto (b) PV.

OMNIA citatoria; (c) omnium scilicet causarum atque personarum, licet sint Senatoriæ dignitatis, ad Principes specialiter reuocari præcipimus; Actus vero ceteros, qui in (d) Sacratissimo Cœtu Senatus tractari consuerunt, Censualium (e) sollicitudine celebrari, nec aliquid (f) præiudicii ex subreptiuo (g) Rescripto supplicibus (h) inferri. Dat. XII. Kal. Iun. Constp. Olybrio & Probino Consulibus. [395.]

P. 189

NOTAE.

(a) Lex 2. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.
(b) Ita MS. *Theodoro* Cod. Iust. IDEM.
(c) De hac voce mox. IDEM.
(d) *A.* Cod. Iust. IDEM.
(e) De *Censualibus* dixi plene ad *l. 5. sup. de Senatorib.* & *l. 1. inf. de decur. V. R.* IDEM.
(f) *Aliquod praeiudicium* Cod. Iust. IDEM.
(g) *Surreptitio* Cod. Iust. IDEM.
(h) Censualibus qui supplicauerant. IDEM.

COMMENTARIVS.

PRINCIPVM officii Præfecturæ vrbanæ, & CENSVALIVM actus in Senatu, *hac l.* dispescuntur ab Arcadio Imp. id est, quinam actus in Senatu ad Principem Officii pertineant, quinam ad solicitudinem Censualium. Quæ quidem *lex* emissa est, vt docent extrema *huius leg.* ad querelam Censualium, qui apud Imperatorem conquesti fuerant de quodam Rescripto por obreptionem in sui præiudicium impetrato, quo scilicet actus quidam in Senatu Principi officii tributi fuerant, qui ad Censuales pertinebant. *De sorte que ceste ordonnance est vn Reglement d'Office.* Cæterum contentio hæc inter Principem officii Præfecti Vrbis, & quidem Constantinopolitanæ, intercesserat; quod vtrique sub dispositione Præfecti vrbis erant, qui Senatus Præsul erat. De quo fidem facit vel *Notitia Imperii Occidentalis fol. 118.* & vtrique, Senatui parerent. De his vero Censualibus qui in Vrbe Roma vel Constantinopol. erant sub dispositione Præfecti Vrbis, est præterea *lex 13. 21. 26. 27. sup. de Prætoribus: lex 4. sup. de testam. lex 1. inf. de studiis liberalibus V. R.* De iisdem agit & Capitolinus, *in Gordiano Sen. cap. 12.* & Symmachus, *lib. 4. ep. 8. lib. 10. ep. 36.* De his vero plene dixi ad *l. 5. sup. de Senatoribus.* Ergo actus inter Principem Officii Præfecti vrbis, & inter Censuales, ita dispescit nunc Arcadius: Nempe omnia citatoria, omnium causarum & personarum Principi tribuit: *Omnia citatoria*, id est, omnes citationes, introductiones causarum in Senatum: quorum nomine Princeps officii aliquid exigebat: Nempe Principum officii muneris erat, litigatores & Aduocatos in Secretarium Iudicis, in Senatum admitti cupientes inducere, vt ex *hac l.* discimus, & *l. 4. sup.* & *l. 1. sup. de off. Rect. prou.* & *l. 5. 6. sup. de Proximis*, de quo etiam dixi iam ad *d. l. 1.* Omnium porro causarum, omniumque personarum, citatoria Principi officii tribuit *h. l.* Arcadius: Omnium, inquam, personarum, licet Senatoriæ dignitatis sint, quæ tamen Censuales etiam ad se reuocare volebant: eo quod ipsi Senatui operam nauarent, & Senatoriis actibus præessent: sic enim & Prætorum denominatione ad hanc vel illam Præturam Censuales aliquando habuere; eo quod census Senatorii plenam cuiusque notitiam haberent, *l. 13. 26. sup. de Prætoribus:* Censusque Senatorii Breues tractarent, vt docet Symmachus *lib. 10. ep. 60.* Senatorum album conficerent, *d. ep. 60.* sic absentium Prætorum nomine munera seu ludos iidem edebant, teste Symmacho, *lib. 4. ep. 8.* de quo ad *tit. de Prætoribus*: sic Prætores seu Editores argentum ad munus edendum iisdem conferebant, eodem Symmacho teste, *lib. 10. ep. 36.* & aliquid insuper pro notitia, *l. 27. sup. de Prætoribus.* Ad eorum quoque solicitudinem pertinebat, vt decenti quisque habitu propriaque veste intra vrbem vteretur, ac nominatim Senatores: *l. 1. infr. de habitu quo vti intra vrbem.* Et tamen citatoria causarum etiam Senatoriarum ad Principis officii officium *hac leg.* reuocantur. Cæteros vero actus qui in Senatu tractabantur, Censualium sollicitudine celebrari iubet Arcadius: Quam in rem est elegans Capitolini locus *cit. in Gordiano Sen. c. 12*, vbi de tacito Senatusconsulto agit: *Senatusconsultum tacitum fieret, ita vt non scriba, non serui publici, non* CENSVALES *illis Actibus interessent, Senatores exciperent, Senatores omnium officia Censualium scribarumque complerent, ne quid forte proderetur.* Qui locus alioquin singularis est de Senatusconsulto tacito, & modo faciendi eius. Simplicius enim Herodianus *Lib. 7. c. 24.* *συγκλήσαντες οὖν αὐτοὺς ἐν τῷ σηκῷ μόνους:* soli Senatores ii fuerunt, nulli ergo interfuerunt actis conficiendis excipiendis serui publici, nulli Censuales: sed ipsi Patres eorum partes obierunt: quod distincte ait *Capitolinus.* Ad Censuales redeamus. Hos vero sæpe, & ex *hac l.* & *ex l. 4. sup. de testam.* colligo, conquestos; & nominatim apud Arcadium; quod quidam in actus sibi affectatos inuolarent.

VI. (a) Idem AA. ad Anatolium (b) PP. Illyrici.

CREBRÆ a nobis legis (c) missæ (d) sine notione Principum, (qui de Agentum in rebus numero ad gubernanda (e) Officia diriguntur) nulla vrguentium (f) rerum præceptio, quæ de Iudicio (g) prolata fuerit, impleatur: (h) siquidem deceat diurno (i) fatigatos obsequio hac saltem consolatione fulciri, vt adiuti commodis (k) de Principatu discedant. Dat. prid. Id. Nou. Theodoro V.C. CONSS. (399.)

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Anatolius* PP. Illyrici sub Arcadio Imp. A. D. 397. quo ei inscribitur *lex 12. inf. de Iudais: l. 3. de condit. in publ. horreis* An 398. *lex 7. sup. ad SC. Claudianum:* An. 399. *hac lex.* *IDEM.*

(c) Ita MS. *γρ. leges*, pro *legis.* *IDEM.*

(d) *γρ. Missa ut* vel tale quid, forte *quatenus*: Et sane in MS. in ora excisæ & erosæ sex ferme literæ. *IDEM.*

(e) De hoc mox. *IDEM.*

(f) Necessitatis publicæ, priuatæ, *l. 1. & 3. sup.* *IDEM.*

(g) Id est, a Iudicibus, seu Rectoribus prouinciarum. *IDEM.*

P.190 (h) Sic & *l. 3. sup. Atque ideo* &c. vbi dixi. *IDEM.*

(i) *γρ. Diuturno* vid. *l. 3. sup. l. 13. sup. de Agentib. in reb.* & *Nouellam* Valent. 14. *IDEM.*

(k) *Commoda* sunt, emolumenta, lucra, annonæ, vid *Gloss. Theod.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE EXACVTIONE nulla præcepti Iudicialis facienda sine notione Principum officii: *Principum*, inquam, qui de Agentium in rebus schola ad gubernanda officia dirigi solebant, (de quo affatim *in Paratitlo*, & *ad Leges superiores*) est hæc Arcadii constitutio, pariter vt Gratiani *Lex 1. sup.* Theodosii M. *lex 3. sup.* Valentiniani Iun. *l. 4. sup.* Valentiniani *Nouell. 14.* Denique vt aliorum Principum crebræ super hoc *leges* fuere, ita & ipsemet Arcadius crebras a semet leges ante hanc latas *initio huius l.* testatur. Vnde apparet, subinde ius hoc intractum, ad querelam Principum officiorum firmari subinde oportuisse, quod illis ademptum ibant modo scriniarii, vt *l. 1. sup.* modo Primores officiorum, *d. Nou. Valent.* modo Iudices ipsimet, Aduocati, item & Censuales: *l. 3. 4. 5. sup.* Rationem quod attinet quæ *fine l.* additur, eam ad *l. 3. sup.* iam expendimus.

VII. (a) Impp. HONORIVS & Theodosius AA. Palladio Procons. (b) Africæ.

PROCONSVLARIS apicis dignitatis adiectione Principes Agentes (c) in rebus præcipimus decorari. Dat. VII. Kal. Octob. Rau. Varane (d) V. C. CONSS. [410.]

NOTAE.

(a) *L. 3. Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Palladius* alioquin hoc ipso anno Præfectus Prætorio dicitur, *l. vlt. inf. de indulg. criminum.* vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) *Agentum*, *Cod. Iust.* *IDEM.*

(d) *Varanu*, *Cod. Iust.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

PROCONSVLARIS Dignitas Principibus Agentibus in rebus ab Honorio *hac l.* defertur, & sic Proconsulibus æquantur. Antea scilicet Principes hi initio Rationalibus prælati, Rectoribus vero seu Præsidatu functis posthabiti, *l. 2. sup. h. t.* dein, Consularibus æquati, *l. 5. 6. 10. sup. tit. prox. de Agentibus in reb.* Postea in Oriente, Vicariana dignitate aucti a Theodosio Iun. *l. 20. 21. 22. sup. de Agentibus in rebus:* Liberaliter Honorius, qui Proconsulari dignitate eos decorauit, *hac l.* vbi notandum, *Proconsularem Apicem* vocari: Nempe Proconsularis dignitas magna fuit: sublimis scilicet apicem Præfecturæ, Ordo Proconsularium dignitatum sequebatur: *l. 7. sup. de honor. codicillis.* Honore Proconsulari sublimes dicuntur, *l. 12. sup. de Prætoribus*, vid. plura in *Notitia nostra.*

VIII. (a) Impp. THEODOSIVS & Valentinianus AA. Valerio (b) magistro Officiorum.

EX Agentibus (c) in rebus, Principibus, domesticos (d) in suis actibus habere liceat eos, quorum fidem industriamque probatam sibi æstimant; (e) etsi sæpe eodem officio fuerint ante perfuncti. Et si qui (f) Agens in rebus post vigintiquinque (g) annorum curricula, ob aduersam corporis valetudinem, militiæ finem minime valuerit expectare, sed ad Honorariam ex Principe dignitatem, testimonio Scholæ, prosilierit, (h) hisdem eum priuilegiis muniri censemus, quibus hii qui ad Principatus actum progressi sunt, potiuntur. Sed in Salutationibus (i) Iudicum consessibusque priores eos qui per longæ militiæ metas ad Principatus actum peruenerint, etsi actus tempore posteriores sint, esse præcipimus: Nihil Censualibus (k) vel Apparitoribus aduersus priuilegia eorum excogitantibus, tanquam (l) in actu Principatus fuerint versati: Vicenarum librarum auri condemnatione (m) proposita. Dat. IV. Kal. Feb. Constantinop. Theodosio A. XV. & qui fuerit nuntiatus. [435.]

Eodem

Eodem exemplo Isidoro PP. Regino PP. Illyric. Leontio PV. Theodoto (n) Comiti Ægypti; Abthartio (o) Comiti Orien: Cleopatro præfecto Augustali; Hesychio Proconf. Achaiæ; Eustathio Vicario Asiæ; Nectario Vicario Ponticæ.

NOTAE.

(a) *Lex 4. Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Valerio* huic Magistro officiorum inscribitur hoc ipso Anno altera adhuc Theodosii Iun. *lex: puta lex vlt. inf. de Metatis:* vbi dicitur quoque *Ex Consule ordinario.* *IDEM.*

(c) Aliunde enim quoque Principes nonnulli constituti: vid. *Notitiam Imperii.* *IDEM.*

(d) De *Domesticis* suo *titulo vlt. lib. 1.* *IDEM.*

(e) *Existimant. Cod. Iust.* *IDEM.*

(f) *quis. Cod. Iust.* *IDEM.*

P.191. (g) Postea constitutum viginti. *l. 19. sup. tit. de Agentib. in reb.* vid. & *l. 16. eod. tit.* *IDEM.*

(h) *Prosiluerit. Cod. Iust.* *IDEM.*

(i) De *Salutationibus* his, *l. 2. sup.* & plene ad *l. vn. sup. de prepos. S. Cubiculi.* *IDEM.*

(k) De *Censualibus*, vid. quæ dixi ad *l. 5. sup.* & ad *l. 5. sup. de Senatoribus.* *IDEM.*

(l) Locus hic obscurus, de quo mox dicam. *IDEM.*

(m) *ἰσοτύπως* Abest hæc subscriptio tota in *Cod. Iust.* de qua in *Prolegomenis*: & nonnulla mox. *IDEM.*

(n) Forte *Theodoro*, vt hic sit Theodorus Augustalis ad quem duæ extant Isidori Pelus. epistolæ; *lib. 3. ep. 50. lib. 5 epist. 462.* *IDEM.*

(o) Forte *Abtharito.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris hæc constitutio est: qua duo capita continentur de Principibus officiorum ex Agentibus in rebus. Prius caput est de *Domesticis* horum Principum. Domestici erant, quos Iudices seu in officio constituti suis actibus adhibebant, de quibus *suo titulo, supra, de Adsessoribus, & Cancellariis: οἰκεῖοι τῶ ἐπάρχου* Basilio *epist. 287.* Huiusmodi vero Domesticos Principes quoque officiorum ex Agentibus in rebus in suis actibus habuere, vt hæc lex loquitur; quodque primum de his notandum.

Circa hos vero duo priuilegia tribuit *hac l.* Theodosius Iun. Principibus istis. Primo, vt eos habere seu adsciscere sibi liceat, quos voluerint, quorumque fidem industriamque probatam sibi æstimauerint. Quod vtique singulare est: Alioquin domestici huiusmodi non ipsius Magistratus arbitrio eligebantur, verum sub fide gestorum Primatum officii periculo ex eodem officio electi Magistratui dabantur eiusdem Theodosii Iun. *l. 3. sup. d. tit. de adsessoribus & domesticis*, vbi plenius dixi. Secundum priuilegium istud est, quod Principum horum Domestici esse possint, etsi sæpe eodem officio fuerint ante perfuncti: cum alias Magistratuum, veluti Ducum, domestici, actu hoc semel expleto, eundem his repetere non liceret; *l. 16. inf. de Numerariis*, vbi dicam plura.

Alterum *huius leg* caput est de *Honorariis* Principibus. Nempe obseruandum ex *hac leg. & l. 16. vers. nisi forte l. 19. sup. de Agentibus in rebus:* alios Principes ad Principatus actum progressos, seu ad Principatus actum peruenisse per longæ militiæ metas, vt *hac l.* dicitur: *ἐμπράκτους* denique: alios vero Honorariam Principatus seu ex Principe dignitatem adeptos, seu ad Principatum *prosiluisse* (non expectato videl. militiæ fine) impetratis honorariis Principatus codicillis.

De his vero tria *hac l.* indicantur, vel definiuntur. *Primo* quidem, honorarios hos Codicillos, seu honorariam hanc Principatus dignitatem Agentibus in rebus non collatam, nisi post viginti quinque annorum curricula, cum ob aduersam corporis valetudinem militiæ finem minime valuerint expectare, & quidem testimonio scholæ: quæ & ipsa ferme definiuntur *d. l. 16. & 19. sup. de Agentibus in rebus*: nisi quod *d. l. 19.* viginti annorum stipendia ad id antea requisita: Absolute vero *d. l. 16.* annosa militia; qua longa stipendiorum mole vexatus Agens in rebus Principatum non vt laborum compendium voluit expectare: sed vt portum quietis maluit indipisci. Quare hæc *lex* nostra *illi 19.* velut posterior hac parte derogauit, non vero *illa* velut anterior *huic* nostræ, quod tamen minus pensé scripsit Scriptor *de off. domus Augustæ, lib. 3. c. 11. p. 611. edit. Lips.*

Secundo, eadem dignitas, eadem priuilegia his Honorariis *h. l.* a Theodosio Iun. tribuuntur, quæ *ἐμπράκτοις* seu in actu constitutis: de quibus priuilegiis passim *supra.*

Ita tamen, (quod *Tertium*) vt *ἐμπράκτοις* ipsis, licet tempore posterioribus, cedant, in salutationibus Iudicum & consessibus, vbi de Præcedentia agebatur; de quo dixi ad *l. vn. sup. de Præpositis S. Cubiculi.* Quod quidem tralatitii alioquin iuris fuit, puta vt Honorarii *ἐμπράκτοις* cederent, de quo sæpe iam: Paucis exceptis, de quibus *suis locis.* In quibus fuisse videntur antea & ipsi Honorarii Principes, arg. *d. l. 19. sup. de Agentib. in rebus*: vbi dixi.

Notanda tandem singularis *huius l.* subscriptio, quæ a *Codice Iustinianeo* abest: non tantum eo quod exemplum præbet constitutionis, eodem exemplo, *ἰσοτύπως* ad varios Magistratus datæ, seu emissæ, de quo *in Prolegomenis*: verum Triplici adhuc nomine; Primo, propter Notitiam & ordinem dignitatum, quibus haud absimiles duæ aliæ in *l. vn. qui a præb. tiron. l. 5. de fide testium:* & ordo seruatus *lib. 6.* Huius Notitiæ hæc series: *Præfectus Prætorio*, Orientis scilicet, *Præfectus Prætorio Illyrici*, *Præfectus vrbis* Constantinopol. *Comes Ægypti*, *Comes Orientis*, *Præfectus Augustalis*, *Proconsul Achaiæ*, *Vicarius Asiæ*, *Vicarius Ponticæ.* A qua recedit in duobus *Notitia Imperii* scripta ante octennium: ibi enim *Proconsul Achaia* præponitur Comiti Orientis & Præfecto Augustali: & *Comes Ægypti*, post vicarios collocatur. Secundo, ex hac ipsa Notitia, seu subscriptione colligitur Principes officiorum in horum Magistratuum officiis ex Agentibus in rebus fuisse: Quod certe *Notitia Imperii* diserte quoque testatur *de Proconsule Achaiæ*, de *Comite Orientis*, de *Præfecto Augustali*, de *Vicario Asiæ*, de *Vicario Ponticæ*, & de *Comite Ægypti:* In his quippe omnibus ibi dicitur, *Principem* officii fuisse *de schola Agentium in rebus*, *Ducenarium*, *vel ex Ducenariis.* Postremo notandæ personæ, quæ has dignitates gerebant. Quinque posteriorum nulla alibi mentio occurrit: Theodotus Comes Ægypti forte est Theodorus ille Augustalius, ad quem scribit Isidorus Pelusiota *lib. 3. ep. 50.* Quod tres priores attinet; *Isidoro* PP. (Orientis scilicet) qui Anno quoque 436.

PP. exstitit, plures adhuc *leges* inscribuntur *hoc Codice*: quas repete ex *Prosopogr.* Eiusdem meminit Theodoretus *epist. 47. ad Proclum Episc. Constantinopol.* Leontio P.V. inscribitur hoc ipso Anno *lex vlt. inf. de haereticis*, quæ pars est prolixioris constitutionis de Nestorio, quæ tota exstat, inscriptione tamen & subscriptione carens inter Acta Concilii Ephesini. *Tom. I. Concil. Hard. p. 1715.* Quæ tamen ipsa ad hunc *Isidorum*, & *Reginum* pariter emissa fuerat: vt patet ex Edicto horum ipsorum duorum Præfectorum Prætorio, sub quo Edicto ea *lex* proposita fuit, quod ipsum extat inter Acta Concilii Ephesini *parte 4. pag. 1718. Tom. I. Conc. Hard.* vbi & integris nominibus ita designantur, *Flauius Anthemius Isidorus*, item *Flauius Simplicius Reginus*: Quibus & medius interiacet, φλήτβατσος: Quo quid faciendum, in obscuro est: Interpres reddidit, *Flauium Bassum*: Ego malim *F. Leontium P. V.* accipere, qui & hic Isidoro & Regino iungitur: vt ita reponatur, φ. Λεόντιος.

P. 192

DE CVRIOSIS.

TITVLVS XXIX.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXIII. *De curiosis & Stationariis*, Græci hunc *Titulum* ita reddunt, περὶ φροντιςῶν τῦ δρόμυ: Quod tamen omnibus *huius tituli* constitutionibus non conuenit. Porro *huic titulo* respondent duo tituli *infra*: puta *lib. 7. tit. 16. de littorum & itinerum custodia*: & *lib. 8. tit. 5. de Cursu publico.*

De his Curiosis vid. & Firmicum Mathes. *lib. 3. cap. 13.*

PARATITLON.

CVRIOSI *Rubr. & l. 2. 6. 10. 11. h. t.* & *tit. inf ne Præfectianus Exactoris vel Curiosi officio fungatur*: qui & Curagendarii, *l. 1. h. t.* sub Constantino M. dirigebantur ex Memorialibus quoque & Palatinis aliis: *l. 2. inf. de priuil. eorum qui in S. Pal.* Posteavero sub Constantio missi tantum ex Agentibus in rebus: *l 2. 3. 4. 7. h. t.* labore atque ordine, *d. l. 4.* & quidem primi scholarum, *l. 6. h. t.* scholæ iudicio, *d. l. 4. h. t.* & Magistri officiorum, *l. 10 h. t.* non ex Præfectianis, aut Vicarianis, *l. 2. h. t.* & *d. tit. ne Præfectianus*: Anniuersarium scilicet munus acturi, *l 6. h. t.* per singulas prouincias, modo duo, modo singuli: *l 2 & 8. h. t.* Duplici fine, vt curas agerent, gererentue, *d. l. 2. & 4. h. t.* curas sibi vindicarent: *l. vlt. h. t.* vt curarum ius atque arbitrium haberent, *l. 5. h. t. l. vn. d. tit. ne Præfectianus*: ad curas agendas Reipublicæ, *l. 2. inf. de priuil. eorum qui in S. P.* Et vt cursum regerent, *d l. 2. & 4. h. t.* vt publicum cursum gubernarent, *d. l. 2. h. t.* vt cursui vacarent, *l. 8. h. t.* vt cursus tuendi sollicitudinem sustinerent, *l. 3. & 5. h. t.* Ne quis videlicet aut citra Euectionis auctoritatem cursum moueret, aut amplius postularet quam euectio concessisset, *d. l. 2. h t.* In quem finem, euectiones iis demonstrari oportebat, *d. l. 2.* ipsique euectiones cursus publici inspiciebant, *d. l. 2.* inspiciendarum euectionum cura ad eos pertinebat: *l. 8. h. t.* In eundem quoque finem remotas peragebant stationes caute atque solerter, vt callida machinamenta fraudesque commeantium depellerent: *d. l. 6. h t.* Item ne hippocomi spoliarentur, *l. 50. inf. de cursu publ.* Breuiter, cursus publici Præpositi erant, quomodo etiam vocantur, *l. 9. h. t.* & *l. 35. inf. de cursu publ.* Iidem & reos Iudicibus nunciabant, non tamen carceri quenquam mancipare poterant, *l. 1. & 8. h. t.* Omniaque quæ geri in Republ. viderent, ad Principis sui notitiam deferre debebant: *l. 4. h. t.* Hinc adeo *Indices* dicti *l. 2 h. t.* Exploratores, *l. 3 4. de cursu publ.* Denique alia præter cursus & euectionum inspiciendarum curam ab his siue vindicata, siue hisdem delata, quæ subinde reuocata; *l. 7. 8. 9 h. t.* Ad hos certe compendia quædam spectabant, de quibus *l. 5. & l. vlt. h. t.* Postremum, de eorum deprædationibus frequentes querelæ exortæ: vid. *l 1. 2. 3. 4. 5. 7. 8. 9 11. 12. h. t.* Vnde & vltimum submoti ab Honorio Imp. ex Africa, *d. l. 11. h. t.* & ex Dalmatiæ littoribus & insulis, *d. l. vlt.*

I. (a) Imp. CONSTANTIVS A. ad Lollianum PP. (b)

HII, quos *Curagendarios*, siue *Curiosos* prouincialium consuetudo (c) appellat, proprio arbitrio quos esse reos putauerint, feralibus (d) carcerum tenebris mancipare non dubitant. Memorati igitur Curiosi * & Stationarii, vel quicumque (e) funguntur hoc munere, crimina Iudicibus nuntianda meminerint, & sibi necessitatem probationis incumbere, non (f) citra periculum sui, si insontibus eos calumnias nexuisse constiterit. Cesset ergo

ergo praua consuetudo, per quam Carceri aliquos inmittebant. Dat. XI. Kal. Aug. Med Acc. XII. Kal. Sept. (g) Arbitione & Lolliano Conss. [355.]

P.193. NOTAE.

(a) Abest *huius l.* principium a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Lollianus* PP. sub Constantio A. D. 355. cui inscribuntur iisdem Coss. *lex.25. inf. de appellat.* & *l. 11. inf. quorum appellationes:* De eo vid. plura in *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) Ita Am. Marcellinus *lib. 17. cap. 8. Francos quos Salios consuetudo appellauit:* & *lib. 31. cap. 3. Alanos quos Tanaitas consuetudo appellauit.* *IDEM.*

(d) *Ferales* carcerum tenebræ, *b. l.* vt ministri ferales, *l. 6. inf. de custodia reorum.* Metallorum ferales officinæ Tertulliano, *de cultu fœmin. Lib. 1. c. 5.* vid. plura in Gloss. *Theod.* *IDEM*

* *Lex* 1. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est. *IDEM.*

(e) Veluti Beneficiarii: vid. *l. 5. 7. inf. de cohortalib.* Irenarchæ quoque hoc munere functi, de quibus *inf. suo titulo.* *IDEM.*

(f) *Nec citra*, Cod. Iust. *IDEM.*

(g) Vno mense post accepta hæc *lex*, quam data Mediolani: Accepta vero forte, vel Proposita Capuæ, vt *d. l. 25. de appellationib.* certe Italiæ PP. fuit Lollianus. *IDEM.*

COMMENTARIUS.

Constantii Imp. quinque constitutiones ordine sequuntur, de Curiosis: Ex quibus apparet, quam enixe subinde Constantius Curiosis istis occurrere voluerit, extra plantam, vt dicitur, euagantibus: Quod genus sane multiplici nequitia famosum fuit, contra decus sæculi, vel honorem militiæ sæpe versantium: quod præter *hanc leg.* docent *lex 2. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 11. 12. inf. hoc tit.* Et quidem calumniis famosum, quas insontibus nectebant, & crudelitate: *b. l.* & *d. l. 8.* auaritia item & concussionibus, seu enormibus commodis, *l. 2. 5. 8.* denique officii sui metarum transgressione, *l. 7. 8.* disciplinam veterem vix retinentes, *d. l. 9.* Hinc adeo ambitione & suffragio ad hoc munus adspirabant, vt testatur *d. lex 4. hoc tit.* & Libanius *loco*, quem mox laudabo: Viceuersa ideo tandem aliquando sublati: *l. 11.* & *12. h. t.* Atque vt in commune famosum hoc genus fuit, ita quam maxime fuit sub Constantio Imp. quod docent, vt dixi, omnes Constantii constitutiones, quæ quinque numero sunt: Docet insuper insignis admodum Libanii locus, *in Iuliani Imp. necem, p. 294. 295. ed. Morell.* quo Iulianum Imp. commendat ob eos amotos e Palatio, quod sub Constantio maxime grassati fuissent: vbi & eorum munus, ambitum, variaque scelera graphice describit. Eum hic semel apponere iuuat, quo & deinceps non vtemur. *Τρίτην μοῖραν κακούργων ὑπηρετῶν κλεπτόντων καὶ λωποδυτούντων, καὶ πᾶν καὶ λεγόντων καὶ ποιούντων ἐπὶ τῷ λαβεῖν, τῶν βασιλείων ὑπερώρισε θυρῶν, οἳ τὰς αὐτῶν πατρίδας τῆς παρ' αὐτῶν ἀπεστερηκότες χρείας, βουλὰς ἀποδράντες καὶ νόμους λειτουργιῶν εἰς Ἀγγελιαφόρους τελέσαντες, ἐπονοῦντο μὲν πευθῆνες καταστῆναι: Καὶ τὸ σχῆμα ἦν φυλάκων, ὅπως μηδὲν ἀγνοοῖ βασιλεὺς τῶν ἐπ' αὐτὸν συντιθεμένων, τὸ δὲ ἔργον καπήλων. ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνοι τὰς θύρας ἕωθεν ἀνοίγοντες σκοποῦσι περὶ τῆς ἐμπολῆς, οὕτως οὗτοι κερδῶν ἐμέμνηντο πρὸς τοὺς τούτων προσαγωγέας, οἳ τοὺς χειροτέχνας σιγῶντας ὡς λοιδοροῦντας τὴν βασιλείαν ἦγον ὑπὸ τὰς ἐκείνων μάστιγας, οὐχ' ἵνα ξαίνοιντο, ἀλλ' ἵνα τὸ μὴ τοῦτο παθεῖν πρίαιντο, καὶ οὐδεὶς ἦν ἔξω βελῶν. οὐ πολίτης, οὐ μέτοικος, οὐ ξένος, ἀλλ' ὁ μὲν μηδὲν ἀδικῶν καὶ συκοφαντούμενος ἀπώλλυτο μὴ διδούς, ὁ δὲ καὶ σφόδρα πονηρευόμενος προϊέμενος ἐσώζετο. ὁ μέγιστος δὲ τῶν πόρων ἐλεῖν τι κακούργημα περὶ τὴν βασιλείαν· ἀντὶ γὰρ τοῦ παραδοῦναι τῇ τῶν ἀδικουμένων ὀργῇ τὸν ἁλόντα ἀντὶ τῶν καταπεπιστευκότων τοῖς ἐπιβουλεύουσιν ἐπὶ τῷ λαβεῖν, ἐβοήθουν, τοῖς μὲν σωφρονοῦ... ...ρους ἐπιπέμποντες νεων... καὶ καθιστάντες εἰς ἀδοξίας φόβον: τοὺς δὲ τῶν ...των ἐλέγχους τοῖς πόρρω τῆς αἰτίας προσάπτοντες, δύο ταύτας ὑπερβαλλούσας ἐκαρποῦντο προσόδους: Μᾶλλον δὲ τρίτην ἑτέραν ἀδροτέραν ἀμφοῖν, διδόντες γὰρ ἐξουσίαν τοῖς τὸ νόμισμα διαφθείρειν τολμῶσιν, ἀπὸ τῶν σπηλαίων ἐν οἷς ταῦτα ἐτολμᾶτο δόκιμον ὑπὲρ τοῦ παρασήμου φέροντες ἐτρύφων: ὅλως δὲ τῶν ἀφορμῶν ἡ μὲν ἐν ἀφανεῖ τε καὶ σύχνη, ἡ δ' ἐν φανερῷ τε καὶ δήλη. σχῆμα * δὲ ἦν ἐμοῦ λαβοῦσα * καὶ οὐ σφόδρα τῆς ἑτέρας, ἐλάττων ὥστε ἔθους μεμνημένοι καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν χρημάτων εὐθὺς προσετίθεσαν ὃν ὑπῆρχεν ἐκεῖθεν ἔχειν. Οὗτοι τοίνυν οἱ βασιλέως ὀφθαλμοὶ καὶ φάσκοντες ἅπαντας εἰς φῶς ἄγειν καὶ ποιεῖν τοὺς πονηροὺς μετρίους τῷ μὴ ἐξεῖναι λανθάνειν, πάσας ἀνέῳσαν εἰς πονηρίαν ὁδούς, καὶ μόνον οὐκ ἐκήρυττον ὡς ἀκίνδυνα δράσουσιν, ὥσθ' οἱ κολυταὶ τῶν ἀδικημάτων αὐτοὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἔσωζον, κυσὶν ἐοικότες συμπράττουσι τοῖς λύκοις. διὰ ταῦτα ἴσον ἦν θησαυρῷ τε ἐντυχεῖν καὶ τούτων μετασχεῖν τῶν μετάλλων· ὁ γὰρ οἴκων Ἶρος, ἐν βραχεῖ χρόνῳ Καλλίας. ἄλλου τοίνυν ἀντλοῦντος ἐπ' ἄλλῳ, καὶ γιγνομένων τῶν μὲν πόλεων πενεστέρων, τῶν δὲ ταῦτα καπηλευόντων εὐδαιμόνων. πάλαι τε ὁ Βασιλεὺς ἡμῖν ἤχθετο καὶ παύσειν ἠπείλει δυνηθείς, καὶ δυνηθεὶς ἔπαυσεν; ὅλη μὲν ἐκείνην διασκεδάσας τὴν φρατρίαν, ἀφελόμενος δὲ καὶ προσηγορίαν καὶ τάξιν: ἀφ' ἧς πάντα ἐπόρθουν τε καὶ διώρυττον.* Id est. *Tertiam cateruam maleficorum ministrantium, furantium, expilantium & quiduis aientium & agentium vt tantum acciperent, e Palatii foribus submouit, qui patrias suas suo ministerio fraudantes, Curias & munera publica fugientes, in* AGENTES *in rebus relati fugerunt, vt* CURIOSI *fierent: Qui quidem in speciem custodes erant, ne quid Imperator eorum quæ sub eo transiguntur, ignoraret, reuera autem cauponantes. Nam vt hi diluculo fores suas aperientes circumspiciunt quo quæstum faciant, ita & isti quæstuum mentionem faciebant apud suos productores, qui artifices silentes, tanquam Imperio conuiciantes ad illorum flagra ducebant, non quidem vt conciderentur, verum vt redimerent, quominus id paterentur: neque quisquam erat extra tela positus, non ciuis, non incola, non peregrinus, verum qui nulla in re læserat, & calumniam patiebatur, peribat nisi dedisset: hic vero qui valde sceleratus erat, præbens euadebat. Maximus vero reditus erat deprehendere flagitium aliquod circa Imperium: nam loco eius quod oportuisset conuictum eorum qui iniuria affecti fuerant iræ dedere, loco eorum quæ ipsorum fidei commissa erant, insidiantibus, vt aliquid acciperent, opitulabantur: temperantibus vero florem iuuenum submittentes, metusque infamia obiicientes, & magia crimine hos, qui* crimi-

crimine vacabant, onerantes, duos hos prouentus carpebant: Quin & tertium adhuc alium, duobus illis vberiorem: Data quippe his qui monetam falsare audent licentia, e speluncis in quibus hac patrabantur, probam monetam loca adulterina accipientes luxuriabant: In summa prouentuum alii in abdita & apaca, alii in conspicuo & aperta erant: aque tamen omnis ad accipiendum, atque vnus alio haud adeo inferior: adeo vt memorati pramia & immensas diuitias statim compararent, quas inde his colligere fas erat. Hi ergo Imperatoris OCVLI, *& pra se ferentes quasi omnes in lucem producerent, & prauas moderatas redderent, eo quod his latere non liceret, omnes ad malitiam vias patefaciebant; & tantum non promulgabant, vt citra periculum peccarent, adeo vt delictorum vindices ipsi delinquentes seruarent, canibus similes cum lupis transfigentibus. Ac propterea par erat thesaurum*
P.194 *reperire & harum sequacium venarum compotes fieri: nam qui Irus venerat, breui Callias euadebat: vnoque post alium hausta, vrbes quidem pauperiores fiebant, hac vero cauponantes beati. Et olim Imperator nobis ingemuit: & minitatus fuerat, se cohibiturum, cum id* (non) *posset: & qui potuit, cohibuit, disturbata quidem tota hac schola, & sublata simul nomine & officia, vnde omnia vastabantur & effodiebantur.* Ex Libanio ergo discimus, Iulianum curiosos penitus submouisse: Constantium cohibere nisum: de quo sane fidem faciunt sex eius constitutiones *hoc titulo*, quarum Interpretationem nunc adgredimur.

Eodem pertinet & Sext. Aurelii Victoris, quem Andreas Schottus edidit, locus, in Diocletiano *cap. 39. Neque minuere studio pacis officia vincta: legibus aequissimis, ac remoto pestilenti Frumentariorum genere, quorum nunc Agentes rerum simillimi sunt: Qui cum ad explorandum annunciandumque, qui forte in prouinciis motus existerent, instituti viderentur, compositis nefarie criminationibus iniecto passim metu, praecipue remotissima cuique cuncta foede diripiebant.* Quod de Frumentariis ait Victor, eos ad explorandum annunciandumque qui in prouinciis motus existerent, institutos, id egregie firmant *Historia Augusta* Scriptores: Spartianus, *Hadriano cap. 11.* Capitolinus, *Macrino cap. 12.* Pollio *Claudio c. 17.* Eorundem opera vsi Principes, missionibus suis, iussisque & literis perferendis, vt discimus ex Capitolino, *in Maximo & Balbino cap. 10.* at non etiam vt cursus publici curam gererent, quod Curiosorum muneris fuit, scilicet ἀγγελιοφόροι & γραμματηφόροι fuere Frumentarii, quorum mentio apud Xiphilinum *in vit. Caracalla, pag. 436.* & in *v. Macrini, in fin. pag. 443. edit. Sylburg.* qui tum sub Magistro census erant: qua causa Hieroymus *in Abdiam, cap. 1. T. VI opp. ed. Francof.* eos cum veredariis componit: *Eos*, inquit, *quos nunc Agentes in rebus, vel Veredarios appellant, veteres Frumentarios nominabant*: vbi *Veredarii* non sunt, qui cursus publici, veredorumque ope missiones suas explicabant: Denique Veredarii sunt qui veredis vtuntur, non qui veredis praesunt: *l. 17. sa. inf. de cursu publ.* & apud Cassiodorum *IV. Variar. 47.* (& *lib. XI. Variar. ad dromonarios Hostilienses.*) Procopius quoque *lib. 1. Vandal. cap. 16.* τῶν εἰς τὰς βασιλικὰς ἀποκρίσεις ἀεὶ στελλομένων οὓς δὴ Βερεδαρίους καλοῦσι. *ad rescripta Principis perferenda missorum, quos Veredarios appellant.* Vetus Glossar. *Veredarii equi* (γρ. Equites) *dicuntur a veredo, quia festinantes in equis currunt, nec descendunt de equis antequam sua responsa liberent: Habent pennas in capite, vnde intelligitur festinatio itineris, daturque eis semper equus paratus, non manducant nisi super equis quando proficiscuntur.* Firmicus quoque *lib. 3. Regum*, inquit, *Nuncios veredariosque reddent.* Frumentarii ergo cum Curiosis hac parte non recte exaequantur, quoad cursus inquam publici curam: Exaequantur recte quoad explorandi nunciandique munus eorum, quae geri in Republ. videbant, & reorum: id enim Curiosorum quoque muneris fuisse docet haec *lex 1.* & *lex 4. inf.* & apud Athanasium *Apol. 2. p. 794. T. I. ed. Lips. siue Colon. Weidm.* & *ep. ad solitar. vit. ag. p. 867. ed. cit.* & Libanius *loca superius laudata.* Differunt & in eo Curiosi a Frumentariis: quod Frumentarii missi ad reos producendos, exhibendos. Apud Eusebium *lib. 6. histor. Eccl. cap. 40.* ἀλλὰ καὶ πρότερον τοῦ κατὰ Δέκιον προτεθέντος διωγμοῦ, Σαβῖνος αὐτῆς ὥρας Φρουμεντάριον ἔπεμψεν εἰς ἀναζήτησίν μου. *Sed & prius, cum persecutionis edictum sub Decio propositum fuisset, Sabinus Frumentarium, qui, me requireret, eadem temporis momenta misit.* Cyprianus *ep. vlt. Frumentarios esse missos, qui me Vticam perducerent.* At Curiosis nonnisi deferendi, nunciandi, cura incumbebat, *h. l. 1.* & *l. 4. 8. inf.* Hinc adeo Imperatoris oculi ὀφθαλμοὶ Libanio dicuntur *l. c.* Denique Curiosi sunt πευθῆνες: quomodo non eo tantum loco a Libanio vocantur, sed & *orat. adu. Florentium, pag. 425.* & *adu. Icarium pag. 473. edit. Morelli.* Sic & Palladii Curiosi mentio sub Constantino M. in duabus epistolis apud Athanasium *Apol. 2. pag. 791.* & *794. edit. cit.* qui missus fuerat ad indagandam veritatem de his quae Athanasio intendebantur, & quidem de calicis fracti crimine, vt & de Ischyra. Et *epist. Presbyt. Alexandr. pag. 791. edit. cit.* vbi populus Alexandrinus sese Curiosos adiuuasse aiunt, vt rei veritatem Principi enarrarent. Suidas quoque ex *vita Chrysostomi voc.* Κουριόσσου. ἑλκόμενος ὑπὸ τοῦ Κουριόσσου τῆς πόλεως ἐν μέσῃ τῇ πόλει. Tandem & frumentariis imperata caedes, quod de Curiosis nuspiam legitur: Lampridius *Commod. cap. 4. Vrbane Anterum eductum e Palatio sacrarum causa, & redeuntem in hortos suos per Frumentarios occiderunt.* In multis itaque Frumentarii a Curiosis diuersi; Quare Agentibus in rebus Victor & Hieronymus eos aequauere, non Curiosis. Quod Curiosos vero attinet, vt id adhuc addam, ad eos perperam trahitur Suetonii locus *in Augusto, cap. 27.* ibi enim πολυπραγμοσύνης potius nomen videtur, quam muneris aut officii. Tertulliani potius locus ad hos facit, *lib. de fuga in persecut. cap. 13. Parum denique est, si vnus aut alius ita* ERVITVR: *massaliter tota Ecclesiae tributum sibi irrogauerunt: nescio dolendum an erubescendum sit, cum in matricibus beneficiariorum &* CVRIOSORVM, *inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum & aleones & lenones Christiani quoque vectigales continentur.* In cuius loci interpretatione peccant quoque, qui non vident loci illius hunc sensum esse: quod Christiani deprehensi sese ab imminenti supplicio nummis & promisso vectigali redimerent, non aliter ac improbae vitae homines nonnulli tolerarentur ob vectigalis praestationem. Iidemque beneficiarii & Curiosi cum matrices seu matriculas, id est, Breues & notorios erutorum huiusmodi a se hominum minus probatae vitae conficerent, eorum numero collocarent Christianos: ita *Christianorum ecclesia tibi eruta tantum vectigalis nomine pendet: Leno, tantum* &c. Non quasi Curiosis aut beneficiariis vectigalium exigendorum cura incumberet quod falsum est: id enim Agentibus in rebus quidem quandoque commissum, *l. 17. inf. de exactionibus*: verum non Curiosis: scilicet beneficiariorum & Curiosorum fuit reos ERVERE: qui tamen sub vectigalis praestatione nonnullos tolerauere: huius generis erant Lenones, Fures balnearii, Aleones, & inter hos quoque Christiani. De quibus est ille Tertulliani locus: His adde & falsae monetae reos: vt testatur Libanius *superiore loco.*

Nunc de hac *lege* nostra: vbi notandum *initio*, Curiosos quoque *Curagendarios* dictos: nempe a curis agendis, vt *l. 2. 4. 5. h. t.* & *l. vn. inf. ne Praefectianus*: vbi *curarum* vox proprie de Curiosis veluti ne quis merces illicitas exportaret, speculari item & si quid in Republ. perperam gereretur, vt id postea referret. Nunc ad sententiam ipsam *legis.*

Duo

Duo igitur Fræna *hac leg.* Curiosis a Coostaotio Imp. imponuntur. Primo scilicet in *Carcerem* quenquam mittere Curiosi prohibentur: pariter vt prohibentur ab Arcadio *l. 8. inf.* Nempe Curiosi non tantum, sed & Stationarii, aliique qui hoc munere funguntur, nunciandorum videl. Iudicibus criminum: Quod & ipsum Constantini M. *leg.* antea prohibitum Statiooariis his Primipilarium, *l. 2. inf. de cohortalib.* Quomodo & apud Stationarios, querelas seu libellos a quoquam afferri seu deferri interdictum; *l. 8. Cod. Iust. de accusat.* pariter vt apud Curiosos, *d. l. 8. inf.* Eadem vero carcerandi potestas denegata Magistratibus municipalibus, *l. 5. inf. de exhib. reis.* Denique nunciandi tantum potestas Curiosis & Stationariis tributa, omnibusque
P.195 aliis qui in id positi vt nunciandi munere fungantur. *Stationarii* scilicet certis & designatis locis & stationibus positi erant ad reos nuociandos. De his, vt omittam ootissimos Suetonii locos, Tertullianus *Apologetico c. 2. Latronibus vestigandis per vniuersas prouincias militaris statio sortitur.* De iisdem agitur & *d. l. 2. inf. de cohortalibus: l. 1. inf. de cursu publ. l. 31. inf. de Episcopis.* De his vero & quomodo a beneficiariis distinguendi sint, dicam ad *l. 5. & 7. inf. de cohortalibus.*

Secundo calumniosis eorum indiciis & notoriis seu nunciationibus *hac l.* occurritur: id enim statuitur, Curiosis & Stationariis necessitatem probationis incumbere, non citra periculum sui, si insontibus eos calumnias nexuisse constiterit. Nempe etsi citra solemnia accusationum notoriis suis illis nunciare possint, sine inscriptione, *l. 7. Cod. Iust. de accusationibus:* & Constitutione quadam Græca *de custodia reorum*: attamen notoriis suis adsistere debent, *l. 6. §. 3. D. ad S.C. Turpillianum*: Denique quanquam inscribere in crimen noo cogantur, probationis tamen necessitas eis incumbit, neque periculo carere debent, si insontibus calumoias nexuerint, *hac l.* Ac proinde patet, Curiosorum seu Stationariorum elogiis seu Notoriis oon ilico fidem adhibendam: quod etiam confirmat *d. l. 7. & l. 14. Cod. Iust. de accusation.* Dixi Nototiis; propria quippe vox hæc hac in re, pro indiciis, denunciationibus: *l. 31. inf. de Episcopis:* vbi dicam,

---

II. (a) Idem A. & Iulianus Cæs. ad Taurum. (b)

AGENTES in rebus, in Curis (c) agendis, & auectionibus (d) publici cursus inspiciendis, nostrorum memores præceptorum, credimus in omnibus velle profutura Reipublicæ: (e) Sed (f) accedunt ex Officio (g) mirandæ (h) Prudentiæ tuæ, qui parem sibi licentiam vindicent: Contigit etiam, vt Vicarii quoque mittant ex Officiis (i) suis huiusmodi negotiis operam præbituros. Adimatur ergo hæc licentia facinoribus, & Officiis vniuersis curarumque (k) publici cursus copia denegetur: nam solos Agentes in rebus in hoc genere iussimus obsequium adhibere. (l) Nec (m) vero multos esse per singulas prouincias iussimus, quippe sufficit duos tantummodo curas gerere, & cursum publicum gubernare, vt licet in *canalibus* (n) publicis hæc necessitas explicetur, numerus tamen amplior esse non debeat. Hi vero peruigili diligentia prouidebunt, ne quis citra euectionis auctoritatem moueat cursum, vel amplius postulet, quam concessit euectio: vt (o) habens vnius copiam rædæ, flagitet mulas (p) duas; aut redam vsurpet, cui birotum vel veredum postulare vel Clabulare (q) permissum est. Quisquis igitur aliquid tale perpetrare temptauerit, improbi cœpti priuetur effectu. Demonstretur etiam Iudicibus (r) vel Curiosis euectio, etsi (s) quis nobis iubentibus festinare memoret in obsequium necessarium, nec præualeat contumacia, vel dignitas. Contin... (t) etiam in cursu Clabulari, vt forte quis pro animalibus minime præbitis pecunias pendere cogatur, lucro eius qui cursui præfiderit (v) improbe vindicandas. Ergo numum vetamus (x) exposci pro animalibus in cursu minime constituris: Quod (y) si forte aliquis peræstimauerit (z) perpetrandum, eius quadruplum quod accepit, inferre cogatur. Dat. XV. Kal. Maii, Med. Constantio A. IX. & Iuliano Cæs. II. CONSS. [357]

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust.* hinc interpolata est. *GOTHOFREDVS.*

(b) Nulla *hic* nota defectus in MS. Et tamen supple *PP.* quomodo etiam habet Codex Iust. hodie. Taurus hic PP. Italiæ fuit sub Constantio ab A. D. 354. ad A. D. 361. vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) Curis agendis Agentes in rebus occupati, *h. l.* & *l. 4. §. vlt. inf.* vnde & *Curagendarii* dicuntur *l. 1. sup.* dicam plenius, ad *d. l. 4.* *IDEM.*

(d) Ita quidem MS. sed *γρ. euectionibus*, quomodo etiam habetur *d. l. 2. Cod. Iust.* & mox *infr. vers. hi vero:* & *vers. demonstretur*, de his *suo tit inf. de cursu publico.* *IDEM.*

(e) Vid. quæ notabo, ad *l. 4 & 5.* *IDEM.*

(f) Sequentia, velut historica, absunt a *Cod. Iustin.* vsque ad, *nam solos &c.* *IDEM.*

(g) *Officium* Præfecti Prætorio Italiæ nota. *IDEM.*

(h) Ita quoque *l. 9. inf de cursu publ.* quæ eidem Tauro PP. inscribitur in eodem argumento, *Miranda sublimitas tua.* *IDEM.*

(i) *Officia Vicariorum* Præfecti Prætorio Italiæ obserua. *IDEM.*

(k) *γρ. Curarumque & publici cursus.* Curæ & cursus publici regendi sollicitudo separantur, & *l. 4. inf.* & mox *vers. seq.* curas gerere & cursum publicum gubernare: & *l. 5.* curarum & cursus tuendi solicitudo. vid. quæ dicam ad *d. l. 4. inf.* *IDEM.*

(l) *Et non ab alio penitus officio*, hic add. *Cod. Iust.* *IDEM.*

(m) Hæc sententia de *Numero Curiosorum* abest a *Cod. Iust.* *IDEM.*

(n) *Canales* publici *h. l.* & *l. 15. inf. de cursu publ.* quid sint, mox dicam. *IDEM.*

(o) Hæc sententia quoque recisa a *Cod. Iust.* vsque ad *Quisquis.* *IDEM.*

(p) Hæc vox male *hic* inserta: nam in MS. non extat aliud vestigium, quam vocis *duas*, vel *binas* potius. *IDEM.*

(q) *Clabulare & Cursus clabularis:* de eo dicam inf. *ad l. 23. de cursu publico.* *IDEM.*

(r) Ita quoque *Cod. Iust.* An *Iudicibus*? Non. *IDEM.*

(s) *Etiamsi quis*, Cod. Iust. *IDEM.*

(t) Et hæc sententia recisa a *Cod. Iust.* vsque ad *ergo numum.* Cæterum locum hunc ita restituo: *Contingit etiam*, de quo mox. *IDEM.*

(v) *Præsederit.* *IDEM.*

(x) *Iam vetamus*, Cod. Iust. *IDEM.*

(y) *Quod*, non aduerbiale, sed pronomen. *IDEM.*

(z) *Existimauerit*, Cod. Iust. Hac voce, *Perastimauerit*, si legitima est, contumaciam exigentis denotari videtur. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

P.196

VNDE, seu ex quo hominum genere? QVOT item NVMERO, Curiosi circa cursum publicum constituendi sint? Quodque eorum OFFICIVM esse debeat? de his tribus, inquam, quinque sententiæ hac Constantii Imp. constitutione continentur, quæ variis locis interpolata *Codice Iustinianeo*, extat *l. 2. Cod. eod. tit.*

Prima sententia est: Solos *Agentes* in rebus Curiosi munus obire debere: seu curas agere, & euectiones publici cursus inspicere oportere. Quod & ipsum cauetur, *l. 3. 4. 6. 7. inf. h. t.* Curiosi, inquam, seu Exploratores, vt vocantur *l. 3. & 4. inf. de cursu publico.* Adempta eius rei licentia quorumcunque Iudicum Officialibus, veluti Præfecti Prætorio & Vicariorum: Quomodo ante *hanc leg.* sub Constantio factum indicatur & *hac l.* & *l. 6. inf. de diuersis officiis:* & sub Constantino M. docet, *lex. 2. infr. de cohortalibus*, & *lex 4. Cod. Iust. de off. Rector. prouinc.* Quin imo & *l. 2. infr. de priuil. eorum qui in sacro Palatio* docet sub Constantino M. missos quoque in id ex Memorialibus & Palatinis aliis. Ergo Constantius Præfectianos a Curiosi munere, cursusque publici cura submouit *hac l.* pariter vt Valentinianus postea, *l. vn. infr. ne Præfectianus:* (cui sub Honorio Apparitores Stationarios fuisse docet *lex 31. inf. de Episcopis*) Solis contra Agentibus in rebus hoc munus reseruat; quomodo & Libanius *superiore loco* testatur, ἀγγελιαφόρων πευθῆνας constitutos. Certe postea quoque sub Theodosio Iun. & Valentiniano III. *Notitia Imperii fol. 42. & 138.* exerto testatur, sub Magistro officiorum inter alios officiales eius, *Curiosos de Schola Agentium in rebus* fuisse. In qua ipsa *Notitia* obiter notandum & in Orientis & Occidentis Imperio memorari sub Magistro Officiorum *Curiosum vnum cursus publici Præsentalem*, seu *in præsenti*; dein *Curiosos per omnes prouincias*, seu, *omnium prouinciarum:* Vbi *Curiosus præsentalis*, seu *in præsenti est*, qui in Comitatu Principis præsens erat: vbicumque is esset, non tantum Constantinopoli, aut Romæ: exempli gratia Mediolani, vbi Constantius hoc tempore erat, vt docet *huius l.* subscriptio: Nempe ibi, & vel maxime, Curiosum esse oportuit cursus publici, vnde cursus publicus bonam partem initium ducebat, propter frequentiam non tantum eo commeantium, verum inde proficiscentium, Principeque iubente festinantium in necessarium obsequium, vt *hac ipsa l.* dicitur; qui videl. videret ne quis citra euectionem vel supra modum concessum cursum publicum vsurparet. Cur autem solis Agentibus in rebus cursus publici curam committat Constantius, seu Curiosos cursus publici esse velit, *initio l.* rationem adsignat non aliam quam ab affectu suo in Agentes in rebus, & præsumptione studii eorum erga Rempublicam integri, & inculpati: cui similis ratio redditur *l. 7. inf.* vbi *vid.* quæ dicam. Quæ tamen præsumptio improbitati Agentium in rebus & Curiosorum nominatim locum fecit, de quo ad *l. 1. sup.*

Secunda *huius l.* sententia est, de NVMERO Curiosorum. Igitur Constantius Duos tantum per singulas prouincias esse iubet, duosque adeo sufficere ait, ad curas gerendas, & publicum cursum gubernandum. Ita nunc Constantius: At singuli postea constituti per singulas prouincias, visique sufficere Arcadio *l. 8. inf.* Horum certe Curiosorum per omnes prouincias, seu omnium prouinciarum, meminit, vt dixi, *Notitia Imperii*, numero tamen non expresso: quem *ibi* accipio secundum Arcadii mentem, id est, singulos per singulas prouincias. Additur vero *hac l.* hunc duorum per singulas prouincias Curiosorum numerum sufficere ad cursum publicum gubernandum, *Licet in Canalibus publicis hac necessitas explicetur.* Canales publici, *h. l.* & *l. 15. inf. de cursu publica*, quid sint, videndum est. Illud equidem satis constat, *Canalis* appellationem hic non pertinere ad aquarum seu fluminum canales: quandoquidem in his rhedæ, birotum, veredi, clabulæ moueri dicuntur *hac leg.* & parangariæ, aut parauerdi commoueri, *d. l. 15. de cursu publico:* ad pedestre igitur iter hi *Canales* pertinent: hoc primum. Certe *Canalis* quoque mentio fit can. 21. Synodi Sardicensis, *Tom. I. pag. 651. Concil. Harduini.* ἐν ταῖς παρόδοις, inquit, ἤτοι Καναλίῳ; vbi πάροδοι, & Κανάλιον, παραλλήλως dicuntur: Nempe Canalis est, non Via Regia aut Militaris, verum Via Transuersa, quæ in Regiam seu Basilicam influit, quasi aquæ canalis in alueum: sic de aquæ canali Apuleius *lib. 6. pag 160. edit. Amstel.* *Iam Canale directo pergis ad ipsam Orci Regiam.* Et *lib. 9. p. 204. edit. cit.* *Propellor ad incurua spatia flexuosi Canalis*, vbi *Canalis* proprio sensu dicitur; quomodo Gallicanus quoque: *Ego vero confiteor, certo Canali cuncta decurrere.* Hinc & diserte Parangariæ & Parauerdi, qui extra viam Regiam exigebantur, *ad Canalem commoueri* dicuntur, *d. l. 15. inf. de cursu publ.* Hoc sensu quoque Athanasius *Apologia 2. p. 768. T. I. ed. Lips. Weidm.* Episcopos memorans, qui ad Synodum Sardicensem conuenerant, eique subscripserant, inter alios inquit, οἱ ἐν τῷ Καναλίῳ τῆς Ἰταλίας Προβάτιος, Βιάτωρ, Φακοῦνδιος, Ἰωσῆς, &c. Constantinus quoque *de administr. Imperio c. 34.* notat, Sclauos vocare Κανάλην, τὴν κατημαξευμένην ὁδὸν: id est, *viam plaustris tritam*, quod ex Latino mutuatum est. Certe vel hæc ipsa *lex* luculenter ostendit; quid per *Canalem publicum* intelligendum sit: Nempe Constantius duos Curiosos ad cursum publicum gubernandum sufficere ait, licet in Canalibus publicis hæc necessitas explicetur, id est, licet non Regia via, quod vtique facilius; verum etiam transuersa & παρόδῳ cursus publicus exerceatur. Ergo Canalis est πάροδος, *chemin de trauerse*, qua parangariæ & parauerdi vsurpabantur. Idemque colligi potest ex *d. canone Sardicensi*, vbi agitur de Episcopis ἐν παρόδοις ἤτοι Καναλίῳ constitutis, aliisque ea parte, non Regia via, verum transuersa in Comitatum Imperatoris proficiscentibus, vt ita aliorum fere Episcoporum in Regia via constitutorum occursum vitarent. Idque apud Athanasium est Canalium Italiæ, Italiæ videl. pars illa, quæ extra viam

Regiam

Regiam posita : & Episcopi in Canalio Italiæ constituti, qui in ea parte erant. Ex his patet, frustra iam *Canalis* hac appellationa significatum aliunde peti a Viro Doctissimo, qui de *Itineribus* seu *viis publicis* scripsit *lib. 4. cap. 18. num. 9. pag. 453. seq. T. X. Thes. Grau.*

Sequitur tertium *huius l.* caput de OFFICIO Curiosorum tribus sententiis constans. Quarum prima est, Officium Curiosorum esse, prouidere ne quis cursum publicum vsurpet *citra Euectionem*, id est, citra facultatem & licentiam vel a Principe, vel ab iis Magistratibus, veluti Magistro officiorum, quibus euectionum dandarum ius est: de quo dicetur suo peculiati titulo, *lib. 8. de cursu publico.* Item, ne Modum quis excedat euectione comprehensum, seu ne amplius postulet: vt ecce qui habet copiam & licentiam vnius rhedæ, ne vsurpet binas vel duas: vel etiam rhedam vsurpet, cui taotum in euectione concessum est birotum, vel veredus, vel clabularis cursus. *Rheda* scilicet (quæ & carpentum dicebatur)
P.197 maius aliquid erat, quam Birotum aut Clabula, ac multo magis quam veredus. Rheda nempe octo mulabus vel decem trahebatur: *l. 8. inf. de cursu publico:* Birotum vero trinis : Veredus erat, equus: Clabulare vero, & Clabularis cursus, quatuor boum protelo ducebatur: Clabulare enim idem facio cum Angaria; de quo *l. 4. & 23. de cursu publ.* & aliquid etiam ad *l. 5. inf.* Fuit igitur Rheda amplius quid quam Clabula: Ac proinde nihil hic mutandum : ibi : *aut rhedam vsurpet, cui birotum aut veredum postulare vel clabulare permissum est.* Male vero, qui ita refingebat, *vel veredum postulet, cui clabulare permissum est*: Quasi tres excessus hic notentur, postulantis videlicet duas rhedas loco vnius: postulantis rhedam loco biroti: postulantis veredum, cui clabulare permissum est: Nam excessus hic ootatur superpostulantis seu excedentis modum cursus sibi tributi. Atquin si postremum illud ita legamus, tum tantum abest excessus notaretur, vt cootra defectus indicaretur. Quis eoim dubitet, maius quid esse clabularem cursum, quam veredi vsum? Ergo duo excessus hic notantur circa rhedarum vsurpationem: primus, cum duæ rhedæ vnius loco exiguntur: alter, cum rheda vsurpatur, vbi birotum tantom vel veredus, vel clabularis cursus indultus est: Nempe rhedæ vsu, & birotum & veredus & clabula leutor est : nam vt dixi rhedæ iungebantur octo, vel decem mulæ; atenim clabulæ duo tantum boum paria: *l. 8. & 11. inf. de cursu publ.* vbi plura. In eo vero taotum *hic* menda subest: *vt habens vnius copiam rhedæ, flagitet mulas duas* rescribam, *Mulares duas*, id est rhedas duas, quæ a mulabus trahebantur: quæ vox *Mularis* vsurpata quoque Columellæ, *Lib. 6. c. 27.* Verum inane id: vox enim *mulas* hic perperam insarta: neque enim in *MS.* maius spatium *hic initio lineæ* occurrit quam pro voce *binas.* Interim oota recensum hic eorum quæ in publico cursu erant: *Rheda*, *Birotum*, *Veredus*, *Clabula*: Quibus adde & *Carrum*, de quo *l. 47. inf. de cursu publ.*

Secunda sententia de officio Curiosorum hæc est: Nempe, etiam is qui Principe iubente iter instituere se dicit, Iudicibus seu Curiosis euectionem monstrare debet: In tantum, vt nulla Dignitas excusetur, siue Tribunt, siue Notarii, siue Comitis dignitatem præferat quis, (vt in non absimili prorsus re loquitur *lex vn. sup. de mandatis Principum*:) Ait vero *lex*, *Iudicibus*, *vel Curiosis*: quomodo etiam habet Codex Iustin. Etsi malit quis *Indicibus*, qui iidem sunt eum Curiosis: *μηνυταὶ* scilicet *πευθῆνες*: Exploratores, vt vocantur *l. 3. & 4. inf. de cursu publico*, de quo plenius ad *l. 4. inf.* tota enim hæc lex est de *Curiosis*, eorumque officio. Neque tamen istud temere mutem : nam & Iudicibus euectiones demonstrari oportuit, *l. 8. 22. 49. 59. inf. de cursu publ.* Ergo euectiones ab omnibus exhiberi debent quacunque dignitate fuerint conspicui, *h. l.* & *l. 8. inf. de cursu publ.* quanquam a Principe missi, *h. l.*

Postrema *huius l.* sententia est, sed obscurior, de cursu clabulari nominatim. Illud equidem apparet, agi de concussione quadam circa cursum clabularem. Et quidem, (quod Secundum) de concussione eorum qui cursui præsidebant, qui scilicet pecunias vel nummos exigebant. Et quidem (quod Tertium) pro animalibus minime in cursu constitutis: Quod factum, Quarto loco, Quadrupli pœna punitur. Hæc omnia inquam hic dicuntur, nondum rameo ex his liquido apparet, quodnam concussionis genus hoc fuerit : Certe ex *l. 5. & l. vlt. inf. hoc tit.* & *l. 21. inf. de cursu publico* discimus, Præpositos cursus publici & Curiosos ex singulis rhedis, angariis, & animalibus compendia quædam & commoda captasse: de quo ad *d. l. 21.* Vbi de omnibus aliis concussionibus cursus publici occasione dicam.

III. (a) Idem A. ad Agentes in rebus.

PER (b) id tempus, quo cursus tuendi sollicitudinem sustinetis, condemnationes (c) Præfectorum Pretorio (d) erga (e) eos solos irritæ sunt futuræ qui seruauerint honestatem : erga eos vero qui inhoneste, & contra decus sæculi, vel honorem militiæ versabuntur, non solum condemnatio mansura est, verum etiam, si (f) ad Nostræ Serenitatis notitiam culpabilia (g) gesta peruenerint, in (h) eos erit acrius vindicandum. PP. Prid. Kal. Dec. Eusebio & Hypatio CONSS. [359.]

NOTAE.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. eod. tit.* Iungendæ autem *huic* sunt duæ *Leges sequentes* 4. & 5. GOTHOFREDVS.
(b) Ita pariter *d. l. 5.* IDEM.
(c) *Condemnationis* vox hic & mox rursum, pro *multa* vid. *Gloss.* IDEM.
(d) Abest hæc vox *Pretorio* a *Cod. Iust.* IDEM.
(e) *Circa*, Cod. Iust. IDEM.
(f) Sequentia absunt a *Cod. Iust.* de quo mox, vsque ad *peruenerint.* IDEM.
(g) *Culpabilia* gesta, vid. *Gloss. Theod.* IDEM.
(h) Hæc ita immutata Cod. Iust. *grauior pœna est statuenda.* IDEM.

IV. (a) Idem A. ad Agentes in rebus.

CESSET omnis ambitio (b) atque suffragium in Schola vestra: etenim cuncti ita agere debebitis, quatenus labore atque ordine ad cursum regendum, & ad curas agendas, iudicio Scholæ & Ordinis merito dirigamini: ita vt nihil vestri Principis, ex his quæ
P.198 geri in Republica videritis, notitiæ subtrahatis: (c) scientes pœnis eum debitis subiugari, (d) qui tantum facinus ausus fuerit perpetrare. PP. eodem die, hisdem CONSS. [359.]

NOTAE.

(a) Abest a *Cod. Iust.* de ratione viderimus. Iungenda vero huic, *lex 3. sup.* & *lex 5. inf.* GOTHOFREDVS.
(b) Similia mox notabo. *IDEM.*
(c) Quo *lex 3. sup.* *IDEM.*
(d) *Subiugatum iri* *IDEM.*

V. (a) * (b)

IN his dumtaxat prouinciis, (c) in quibus cursus a prouincialibus exhibetur, (quoniam auaritiæ (d) occurri pæne iam non potest,) singulos solidos per singulas rædas, (id est quas *quadrigas* (e) vel *flagella* (f) appellant,) percipiatis, per id (g) tempus, quo curarum (h) & cursus tuendi sollicitudinem sustinebitis. E cursu vero Clabulari singulas angarias, in his scilicet Stationibus, (i) in quibus cursus est conlocatus, ad exhibendam humanitatem, venientibus (k) excusetis, (l) ne (m) quis audeat contra præceptum hoc amplius accipere, aut sperare quicquam, aut aliquid excusare (n) vltra quam continet forma præcepti. Dat. Prid. Kalendas Nou. (o) Eusebio & Hypatio CONSS. [359.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendæ vero ei *duæ leges superiores* 3. & 4. GOTHOFREDVS.
(b) Supple *Idem A.* (nam & in MS. vestigium literæ A. superest) *ad Agentes in rebus*: quomodo habent *duæ leges superiores*: quodque contextus ipse *legis* suggerit: ibi *percipiatis*: *sustinebitis*: *excuretis.* IDEM
(c) *Illyrici scilicet de quo mox.* IDEM.
(d) Vestræ Agentium in rebus seu Curiosorum: Eadem voce vtitur Victor loco, quem mox laudabo. *IDEM.*
(e) *Quadriga*, pro redis. *IDEM.*
(f) De hac voce *Flagellorum* mox. *IDEM.*
(g) Ita quoque *initio l. 3. sup.* *IDEM.*
(h) *Curarum* vox de Curiosis & cursus publici sollicitudine *h. l.* & *l. vlt. h. t.* & *l. vn. inf. ne præfectianus.* *IDEM.*
(i) *Stationes* hic sunt, quæ generalius regiones clabiculariæ, *l. 34. inf. de cursu publ.* *IDEM.*
(k) Id est, commeantibus, festinantibus, proficiscentibus. *IDEM.*
(l) γρ. *Excuretis*: quomodo & *fine l.* reponendum *excurare*: Excurare autem est adcurare, præbere. *IDEM.*
(m) γρ. *Nec.* *IDEM.*
(n) γρ. *Excurare*, vt sup. *excuretis* *IDEM.*
(o) *Decemb. d. l. 3. & 4.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imperatoris (qui hoc anno in *Illyrico* versabatur, compescendis Quadorum & Sarmatarum motibus, sub finem vero anni Constantinopolim profectus est) hæ tres *leges* sunt, vnius eiusdemque constitutionis partes, atque ideo inter se coassandæ: Qua quidem constitutione Imp. Constantius Curiosorum INSOLENTIÆ, AMBITIONI, AVARITIÆ modum ponit: OFFICIVMQVE eorum circa cursum publicum & curas agendas instruit. Ea vero constitutio de earum proculdubio numero est, & ab eo Constantii animo profecta, quo eum Sex. Aurelius Victor, *in Traiano cap. 13.* & Am. Marcellinus *lib. 19. cap. 11.* his ipsis Consulibus, *Eusebio & Hypatio*, id est, A. D. 359. Anatolio PP. Illyrici tum existente & adcurante, vehiculariæ rei prouincialiumque vtilitati hanc in partem aduersus auaritiam insolentiamque consuluisse scribunt. Illius hæc verba sunt: *Noscendis ocyus, quæ vbique* E REPVBLICA GEREBANTVR *admota media publici cursus: quod equidem munus satis vtile in pestem Orbis Romani vertit posteriorum* AVARITIA, INSOLENTIAQVE, *nisi quod his annis suspecta vires Illyrico sunt, Præfecto medente Anatolio.* Marcellini hæc sunt: *Anatolio*, inquit, *regente tunc per Illyricum Præfecturam, necessaria cuncta, vel ante tempus coacta sine vllius dispendiis adfluebant: Nec enim dispositionibus vnquam alterius Præfectura (vt inter omnes constat) ad præsens, Arctoa prouincia bonis omnibus floruerunt, correctione titubantium beneuola & solerti,* VEHICVLARIÆ *rei sarcturis ingentibus, quæ clausere domos innumeras, & censuali professione speciosa fiducia releuata.* Nos de singulis istius Constitutionis capitibus videamus.

Igitur *lege 3.* COERCITIONEM in Agentes in rebus & Curiosos per id tempus quo cursus tuendi sollicitudinem sustinent, tribuit Constantius Præfectis Prætorio: quomodo & in commune in Agentes in rebus Præfectis Prætorio Rectoribusque prouinciarum delinquentes idem tribuit ante biennium *l. 3. sup. de Iurisdictione.* Id ita, inquam, constituit Constantius, cum de eo Agentes conquesti essent, renuentes Præfecti Prætorio coercitionem & *iurisdictionem*: hoc prætextu quod Magistri Officiorum Dispositioni parerent, & Magister officiorum Iudex esset

esset proprius Agentium in rebus & Curiosorum; de quo dixi *ad l. 3. sup. de Agentibus in rebus.* Verum eo non obstante Præfecto Prætorio coërcitio tribuitur in Curiosos, sicut in omnes Agentes in rebus *d. l. 3. de iurisdict.* Pro ratione scilicet delicti *forum* quis sortitur, atque in ipsis locis vbi quis delinquit, coërcendus est, & intra ipsam Prouinciam in Prouincialium conspectu, quos deprædata instituit: & fori præscriptionem hoc casu non admitti oportet, ne alioquin hoc prætextu Prouincialium spoliator ad Iudicem suum mitti postulans elabatur, vel non satis dignas crimini pœnas sustineat: De
P.199 quo vide *legem 1. Cod. Inst. vbi de criminibus agi oporteat.* In Prouincia admissum crimen a Prouinciali Iudice coërcendum est: Et Prouincialibus, in quos admissum crimen, hæc veluti victima mactanda. Finge in *Illyrici* Prouincia aliqua Curiosum quid admisisse, frustra Magisteriani furi præscriptionem opponet, sed a Præfecto Prætorio Illyrici recte coërcebitur. In *Illyrico* exemplum posui, quia eo pertinet hæc *lex* cum *duabus legibus sequentibus*, vt ex Ammiano quoque & Victore iam ostendi. *Fori scilicet præscriptio plerisque commeatum impune peccandi facere solet:* Nam & ideo Principes pessimi hoc genus hominum opera vtentes spongiarum & peniculorum vice ius coërcendi sibi solis vindicarunt. Ita Caracalla coërcitionem, in frumentarios (quibus Agentes in rebus successerunt) quique in bonos omnes Tyrannidem exercebant, sibi vni vindicauit, Authore Dione *apud Xiphilin. in Vit. Caracall. pag. 432. edit. Sylburg.* Alius vero Constantio sensus hic est: Tantum enim abest, vt ad notitiam suam perlata Curiosorum culpabilia gesta, impunitate donare vel condemnationem Præfectorum reuocare velit, vt contra acrius in eos vindicaturum sese minetur. Quod & alias boni Principes fecere, vt non vna *huius Codicis* constitutione fieri videmus. Et hanc tamen minitationem Tribonianus in Codice suo non adeo clare proposuit, recisis nonnullis ex *hac l.* quæ id expresse continent. Hactenus prima ratio qua Curiosis occurrendum putauit Constantius.

Secunda ratio est, quæ continetur *lege 4.* Nempe ea primum, PROMOTIONI eorum aduersus nonnullorum AMBITIONEM modum ponit Constantius: Scilicet Agentes in rebus non Ambitione vel suffragio, verum labore atque ordine ad cursum regendum & ad curas agendas, iudicio scholæ, & ordinis merito dirigi vult. Quod & in cæteris scholis tralatitium est: veluti Domesticorum *l. 7. 8. 10. vlt. sup. de domesticis*: Agentium in rebus, *l. 14. sup. de Agentibus in rebus*: Palatinorum, *l. 5. inf. de Palatinis S. L.* Castrensianorum, *l. 1. inf. de Castrensianis:* Decanorum, *l. vn. inf de Decanis.* Militum, *l. vlt. inf. de re militari.* Alioqui magni facinoris loco haberi, pœnaque seuerissima vindicari id iubet Constantius, si quis ambitione aut suffragio ad Curiosi munus conscenderit. Id quod æuo hoc factitarum non hæc tantum *lex* ostendit, verum insigne Libanii testimonium, quod totum supra attulimus: vnde hæc ad rem nostram *in Iuliani necem, pag. 294. edit. Morelli.* οἱ εἰς ἀγγελιαφόρους τελέσαντες ἐπωνῦντο μὲν πευθῆνες καταστῆναι· καὶ τὸ σχῆμα ἦν φυλάκων, ὅπως μηδὲν ἀγνοοῖ βασιλεὺς τῶν ἐπ' αὐτὸν συντιθεμένων, τὸ δὲ ἔργον καπήλων, &c. id est, *Qui in Agentium in rebus scholam relati, vt Curiosi fierent adlaborabant: qui quidem in speciem custodes erant, ne quid Imperator eorum quæ sub eo transiguntur ignoraret, reuera autem cauponantes*, &c. Pessimi scilicet atque auarissimi quique ad Curiosi munus adspirabant, quasi ad prædas exercendas. Quare promoueri eos voluit Constantius Scholæ iudicio & laboris ordinisque merito. Vnde & primis scholarum id delatum docet *lex 6. inf.* Atque hoc iam secundum remedium est, quo rem vehicularem seu cursum publicum, tranquillitatemque simul publicam a Curiosorum facinoribus vindicare Constantius instituit. Tranquillitatem inquam, simul publicam: ne curarum videl. agendarum obtentu homines passim a Curiosis vexarentur: Nempe duplex & distinctum Curiosorum munus fuit, quod etiam superiores *leges* docuerunt: *Curas* scilicet *agere*, & Cursum publicum regere. *Curas agere*, vel *gerere*, hac *l.* & *l. 2. sup.* & *l. vlt. inf.* & *l. vn. inf. ne Præfectianus*: & *l. 2. inf. de priuil. eorum qui in S. P.* est explorare quid in Republ. gereretur, atque id ad Principem suum referre, id quod *hac l.* diserte dicitur: Ita, inquit, *vt nihil vestri Principis ex iis, quæ geri in Republica videritis, notitiæ subtrahatis.* Quomodo & *curas Reipublicæ gerere* dicuntur *l. 2. inf. de priuil. eor. qui in S. Pal.* Et similiter omnino Libanius, *superiore loco.* τὸ σχῆμα, inquit, ἦν φυλάκων, ὅπως μηδὲν ἀγνοοῖ βασιλεὺς τῶν ἐπ' αὐτὸν συντιθεμένων. Et Sex. Aurel. Victor *in Diocletiano c. 39. Frumentariorum, quorum nunc Agentes rerum similes sunt: qui cum ad explorandum, annunciandumque qui forte in prouinciis motus existerent, instituti viderentur, &c.* Hinc adeo hi πευθῆνες apud Libanium & *superiore loco*, & *alibi*: Et ὀφθαλμοὶ Principis eidem Indices, si modo ita restituendum *l. 2. sup.* Exploratores *l. 3. & 4. inf. de cursu publico.* Tandem *Curagendarii* dicti *l. 1. sup.* Qui mox post Constantium sublati, de quo dicam *ad l. vlt. h. t.* Inde etiam *hac lex 4.* omissa *Cod. Iust.* quia potissima eius pars est de hoc Curarum agendarum munere: etsi *l. 2. Cod. Iust. eod. tit.* quæ desumpta est ex *l. 2. h. t.* verba illa *in curis agendis* retinuerit: sed quæ proculdubio Tribonianus ad cursus publici curam restrinxit. Et hæc de secunda ratione, qua Curiosis fibulam imposui. Constantius, seu de *l. 4.* Postrema ratio est, quæ continetur *leg. 5.* qua AVARITIÆ eorum modum ponit: quæ supra modum excreuerat, de qua semel dixi ad *l. 1. sup.* allato etiam egregio in id Libanii *loco:* Commoda scilicet eorum definitum nunc ita, quorum etiam mentio fit *l. 2. sup.* & *l. vlt. inf.* Igitur per singulas rhedas seu quadrigas singulos solidos, neque vltra percipere iubentur: Et quidem in his tantum Prouinciis, in quibus cursus a Prouincialibus ipsis exhibebatur: Proinde in illis Prouinciis, in quibus cursus a fisco exhibebatur, Curiosi nihil exigere poterant a Prouincialibus. Qui locus ostendit, in quibusdam Prouinciis fiscum cursum publicum procurasse; in aliis vero a prouincialibus exhibitum, id est, Prouinciales animalia contulisse, quarum sana Prouinciarum numero fuit Sardinia, *l. 16. inf. de cursu publico:* Certa res ista varie admodum commeauit, cuius historia paulo altius repetenda est.

Cursum publicum seu vehicularem ab Augusto primum institutum Suetonius scribit *in Octauiano cap. 49. quo celerius* videlicet *ac sub manum annunciari cognoscique posset, quid in Prouincia quaque gereretur, idque per vias militares.* En cursus publici authorem eiusque finem primarium; Scilicet, vt Victor quoque scribit *in Traiano c. 13. Noscendis ocius quæ vbique e Repub. gerebantur.* Ea vero vehiculari, non fisci munus fuit aut onus: sed vel prouincialium, vel magistratuum: Hinc in veteribus Neruæ nummis legere est, *vehiculationem Italiæ remissam.* Mox Hadrianus, teste Spartiano *cap. 7. cursum fiscalem instituit, ne Magistratus hoc onere grauaretur.* Cuius loci obscura est sententia. Sunt enim qui existimant, his verbis indicari a *priuatis* ad *fiscum* hoc onus traductum; Cui interpretationi obstant hæc verba, *Ne Magistratus hoc onere grauaretur.* Nam si hoc facto Hadrianus liberari Magistratus voluisset, quid interesset, Magistratuum, *Prouincialiumne* hoc onus esset, an fisci? Existimat alius hanc huiusce loci sententiam esse; Cursum hunc institutum in gratiam Magistratuum ab Hadriano, ne videlicet in Prouincias euntes impensis suis iter facerent, atque adeo cursus publici iam antea instituti vsum productum, cum hactenus non nisi

cognoscendis celerius iis, quæ in Prouinciis gererentur, vsurparentur; Hadrianum in Magistratuum quoque proficiscentium vsus eum produxisse, qui alioquin suis sumptibus ire & redira solebant. Est
P10 & tertia sententia, Cursus publici onus Magistratibus municipalibus seu Decurionibus incubuisse, hoc vero onere subleuatis Magistratibus. Et tamen hæc eadem sententia duplicem adhuc sensum admittere potest. Vel enim de cursus publici tantum procuratione accipi potest; Procurationem enim cursus publici sustinuisse aliquando seu mancipatum Curiales & Magistratus, testatur *lex 23. 34. 51. 64. inf. de cursu publico.* (Igitur Hadrianus hoc mancipatu magistratus seu curiales liberauerit;) vel de ipsa *præstatione* & onere cursus publici, vt ita Hadrianus cum hactenus a Magistratibus præstaretur, eum fisco indixerit: Eamque sententiam verissimam puto. Nempe cum hactenus Magistratus seu Curiales cursum publicum præstare tenerentur, e fisco & impensis fisci præstari voluit: Et tamen momento id tantum stetit. Vehiculariom enim munus, priuatorum onus deincaps fuit. Scribit enim Capitolinus *in Antonino Pio cap. 12. cum vehicularium cursum summa diligentia subleuasse*; nempe in Prouincialium gratiam, & Prouincialium commodis, qui hoc munere seu onere grauabantur: Quomodum autem subleuarit non exprimitur. Postea Seuerus Imperator teste Spartiano *in vita eius cap. 14. cum se vellet commendare hominibus, vehicularium munus a priuatis ad fiscum traduxit.* Post Seuerum rursum possessionum seu patrimoniorum onus fuit, vt testatur Arcadius Iurisconsultus *in l. vlt. §. 21. D. de muneribus & honoribus*: & hæc *lex* nostra & *lex 16. & 64. inf. de cursu publico.* Neque tamen in Prouinciis omnibus. Nunc ad rem. Igitur singulos tantum solidos in illis prouinciis, in quibus cursus a prouincialibus exhibetur, per singulas redas Curiosos percipere iubet Constantius Imp. *hac l.* vbi notanda illa, *id est, quas Quadrigas vel Flagella appellant.* Nempe ait, singulas Redas (quas ostendimus supra ab octo vel decem mulabus tractas) fuisse dictas *quadrigas*, vel *flagella*. De *Quadriga* nomine nil adlaborandum: *Flagella* etiam cur singulæ Redæ seu Quadrigæ dictæ fuerint, proprio tum & in mansionibus proculdubio cursus publici vsurpato vocabulo, procliue dictu, quod vno flagello vel auriga regeretur: quæ denique vno flagello & auriga contenta est. In *Notitia* certe *Imperii* quoque inter insignia Præfectorum Prætorio & Præfectorum vrbi videre est ad Carpentum seu Quadrigam eorum, aurigam cum flagello. *Vid. fol. 16. 115. 118.* De huius vero flagelli vsu in cursu publico *ad l. 2. inf. de cursu publ.* Atque hæc de prima *huius leg.* sententia.

Posterioris hanc puto, non posse quenquam *venientem*, id est, commeantem, in cursu publico vtendo vltra vnam Angariam e cursu clabulari vsurpare, vel sperare. Quod ipsum rursum constitutum ab eodem Constantio anno proxime sequ. *l. 11. inf. de cursu publico*: exceptione vnica ibi addita, vt duas saltem angarias vsurpare his liceret, si ægri essent. Item, a Theodosio M. *l. 45. inf. de cursu publ.* vbi omnes vetantur amplius quam singulas vel binas angarias vsurpare. Vltra hunc igitur modum nihil sperare cuiquam licuit: Hinc interim apparet iam in clabulari cursu fuisse angarias; seu clabularem cursum & angarias idem fuisse: de quo plenior dicendi locus erit, *ad l. 4. & 23. inf. de cursu publico.*

Perperam autem quidam *clabularem* cursum vehiculario opponunt, cumque a vehiculario distinctum fuisse docent, idque, vt volunt, huius ipsius *legis* authoritate, in qua tamen nihil tale continetur. Separatur equidem *clabularis cursus*, & angariæ, a *Rhedis* seu *Quadrigis*, sed non a *vehiculari* cursu. Nam quod ipsimet fateri necesse habent, *vehicularis* cursus generalis appellatio est, quo comprehenditur & clabularis cursus, idque Ammiani locus superior, cum hac *lege* collatus euincit. Sed illi ipsi in eo rursum falluntur, cum Vehicularem cursum, æque generalem ac cursus publici appellationem putant. *Cursus* enim *publici* appellatio complectitur non tantum Vehicula, sed etiam Veredos, id est, equos: at Vehiculario cursu, Veredos comprehendi quis dixerit? Verum de hoc plura ad *d. l. 23. inf. de cursu publ.*

Denique obseruandum quod *lex* ait, *ad exhibendam humanitatem*: quæ videlicet summa erat in huius clabularis cursus seu angariarum exhibitione: vtpote quo & supellex, & familia & charitates, vt ostendo ad *l. 4. inf. de cursu publ.* atque adeo ingens pondus (mille quingentorum scilicet *l. 28. & 30. inf. de cursu publico.*) imponi trahique poterat, & *tardiore* boum protelo ducebatur. Huc pertinet Ammiani Marcellini locus *lib. 20. cap. 4. Iulianus* inquit, *contemplans rationabiles querelas* (Petulantium) *cum familiis eos ad orientem proficisci præcepit, clabularis cursus facultate permissa.* Atque ita *caritates* suas (vt in hac re Ammianus paulo ante loquitur) is qui hunc cursum impetrauerat, eo secum ducere poterat: Coniugem, liberos, imo & seruos, seu, vt loquitur *lex 4. inf. de cursu publico*, *necessitates* suas; quæ lex est pariter de Angariarum impetratione: de quo dicam *ad l. 3. inf. de re militari.*

VI. (a) Imppp. Gratianus Valentinianus & THEODOSIVS AAA. ad Florum (b) Magistrum Officiorum. (c)

FELICIS (d) Natalis nostri die, iidem (e) vt Principis, Primi quoque Scholarum (f) mittantur ad prouincias Curiosi anniuersarium munus acturi; ita caute atque ita sollerter, (g) vt sub binorum tantum copia veredorum, vltra (h) vsurpationem cessante ne capita (i) contrahantur, (k) remotas quoque peragent (l) stationes. (m) & callida machinamenta commeantium, ac simulatæ obseruationis (n) ingenia & fraudes depellant. Dat. III. Non. Febr. Constantinop. Eucherio & Syagrio CONSS. [381.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* Eodem vero die quo hæc *lex* data est, sed ad alium Magistratum *lex 11. inf. de priuil. eorum qui in S. Palatio* GOTHOFREDVS.

(b) Florus Magister officiorum sub Theodosio M. cui inscribitur quoque superiore Anno 380. *lex 3. sup. de Agentibus in rebus.* IDEM.

(c) *Magistro officiorum* suberant Agentes in rebus & Curiosi: de quo mox: vid. & *sup. tit. de Agentibus in rebus.* IDEM.

(d) Malit quis, *Felici*, quo tamen nil opus. IDEM.

(e) *vel. Itidem vt Principes*, Agentium scilicet in rebus; neque hæc parenthesi includenda, vt hactenus includuntur

tur in superioribus Editionibus. Iuretus sane quoque in Symmachum *lib. 4. ep. 8.* reponebat, *itidem vt Principis:* verum *Principes* rescribendum, pro quo scriptum *Principis* pariter vt *sup. leg. 7. de princip. agent. Legis*, pro *Leges*, & similia multa. *IDEM.*

(f) Forte *Scholarium.* *IDEM.*

(g) *Sollerter*, vt *l. 11. de petitionib.* Sensim atque vsitatim, vt in simili re, *l. 5. sup. de off. Rectoris prouinc.* peruigili diligentia, *l. 2. sup.* *IDEM.*

(h) *γρ. Vltra vsurpatione cessante capita contrahantur.* *IDEM.*

(i) *Capita*, pro animalibus, aliquando pro Tyronibus, & pro seruis, vid. *Gloss.* *IDEM.*

(k) *Contrahere* est simul trahere vid. *Gloss.* *IDEM.*

(l) Forte *peragrent:* quanquam & retineri potest, *peragant.* *IDEM.*

(m) Hinc *Stati nariorum* nomen: vid. *l. 1. sup.* *IDEM.*

(n) *γρ. Obuersationis:* vt Obuersatio accipiatur pro obambulatione, & diuerticulorum sectatione: Ciceroni *pro Murena* vsurpata vox c. 14. Retinendum tamen, *obseruationis:* vt simulata obseruatio sit & dicatur, de iis qui simulant se Legum modique præscripti obseruatores & memores *IDEM.* Retinendum omnino *obseruationis*, nullius enim est auctoritatis *Obuersatio*, nec Cicero pro Muræna iuuat: explosa iam diu praua lectio, & Codd. omnes accurati ibi habent: *mæstos amicos, obseruationes testificationes.* *RITTER.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. duæ constitutiones sequuntur *de Curiosis*. Et hac quidem *leg.* quatuor de his constituuntur. Primum caput est, de *Tempore* mittendorum in prouincias Curiosorum: Natali scilicet suo die Theodosius, vt Principes officiorum ex schola Agentium in rebus, ita & Curiosos in prouincias mitti iubet. Designationibus scilicet Magistratuum & officiorum, Principum Natales hoc æuo destinati fuere, & quidem Natales *genuini*, id est quibus nati, non quo die Imperium sortiti erant; quem *Felicem*, siue diem, siue Natalem, hæc *lex* vocat: de quo more plene dixi ad *l. 11. sup. de Proximis:* veluti Prætorum designationibus: *l. 10. sup. de Pratoribus:* Proximatui inchoando, & conferendo, *d. l. 11. & 17. sup. de proximis:* & *l. 21. inf. de Palat. S. L.* Palatinis S. L & R. P. *d. l. 21.* Eodem igitur exemplo & Principes officiorum & Curiosi designati missique in prouincias *hac lege.* De Natalibus alioquin Principum in genere dixi ad *l. 2. sup. de feriis.* Quod Theodosii Natalem attinet, vid. *l. 21. infr. de Palatinis.*

Secundum *huius l.* caput est de his, quibus Curiosi munus iniunctum: scilicet vt Principes officiorum ex Agentibus in rebus Ducenariis promoti, de quo *suo tit. sup.* ita & Curiosi qui primi in scholis Agentium erant, mitti iubentur. Idque etiam in partem est, quod cauetur *l. 4. sup.* Labore atque ordine ad cursum regendum & ad Curas agendas, iudicio scholæ & ordinis Merito Agentes in rebus dirigi oportere. De scholis Agentium in rebus, & de primis scholarum *suo titulo, de Agentib. in rebus.*

Tertium caput est de *Tempore* durantis Curiosorum muneris. Anniuersarium scilicet Curiosorum munus fuit, neque vltra. Quo rapinis scilicet famosum magis hoc officii genus in prouinciis fuit, (de quo dixi semel etiam ex Libanio ad *l. 1. sup.*) eo breuiore tempore id constringi oportuit: ac maxime, quod non exactam aliquam solertiam, sed versutam id magis requirebat. Quanquam & altera huius rei ratio reddi potest, quam notaui ad *l. 6. sup. de proximis*, & notabo adhuc, *ad l. 21. inf. de Palatinis.*

Quartum *huius leg.* caput est, *de officio Curiosorum:* de quo duo notantur: Primo iubentur Curiosi caute adeo atque solerter Curiosi munus explere, vt duos tantum veredos vsurpare liceat, non vltra. Quod quidem duplicem sensum admittere videatur: Possint inquam hæc verba referri ad commeantes, non ad Curiosos, vt id statuatur, e cursu veloci nonnisi duos veredos his vsurpare licere sub cuiuscunque euectionis prætextu: Quomodo & e cursu tardo seu clabulari nonnisi singulas angarias vsurpari voluit Constantius *leg. 5. sup.* Certe, vno die non vltra quinque veredos moueri voluit Gratianus, triennio ante hanc legem: *l. 35. inf. de cursu publico:* Vel referri possunt, quod ipse malo, ad ipsosmet Curiosos: vt videl. Curiosi munus suum obeuntes, discurrentesque, duos tantum veredos vsurpare possint: non tantum, ne ipsimet cursum publicum, cui regendo, gubernando, subleuando mittuntur, vexent; verum etiam, quod immediate præcedentia innuunt, quia ad cautelam & solertiam eorum hoc pertinet, ne videl. magno comitatu publicum cursum lacessentibus, sui indicia præmittant: cui accedit & quod de Rectorum prouinciarum per prouincias discursu cauetur, *l. 5. sup. de off. Rectoris prouincia:* Et certe etiam *l. 49. inf. de Cursu*, Agentes in rebus, ex quibus Curiosi erant, binis pariter tantum veredis vti iubentur. Pro ratione scilicet dignitatis & officii qui in prouincias mittebantur, varium quoque veredorum numerum mouere potuere, vt docet *d. lex 49. & lex 38. eod. tit.* vbi plura dicam.

Secundum quod Curiosorum officio præfigitur, istud est, vt non tantum in publicis vns euectionibus inspiciendis decurrant, verum etiam remotas peragrent & perambulent stationes, & diuerticula sectentur, vt ita callidas commeantium machinationes seu fraudes detegere possint: Cui rursum simile est quod constituitur de Rectorum prouinciæ transitu seu discursu per prouinciam, *d. l. 5. sup. de off Rector. prou.*

Interim, ex *hac* quoque *leg.* colligere mihi videor, Curiosos hos nonnihil Cursus publici curam hoc tempore gessisse: vt & sub Arcadio; quod testatur *lex 8. inf.* de quo *ad d. l. 8. 11. & vlt. inf. h. t.* & *ad leg. vn. Ne Præfectianus.* Tandem obseruandum hanc *leg.* & *l. 8 inf.* Magistro officiorum inscribi; nempe vt in commune Agentes in rebus sub eius dispositione fuerunt, de quo *tit. de Agentib.* vbi v. dicta *ad l. 3* ex Prisci quoque *historia pag. 26. Tom. I. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* ita & Curiosi fuere, qui ex his sumebantur.

VII. (a) Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. Neoterio PP. (b)

QVI (c) vel honore militiæ, vel fiducia iussionis, Agentibus in rebus maiorem ad obsistendum remur futuram esse constantiam, ex (d) his quos (e) in eminentioribus tantum Vrbibus sollicitudinem cursualem agere mandauimus, Magnificentia Tua noscat
P.æ. vnum esse considerandi (f) transeuntium euectionibus (g) relictum: neque eos quicquam vltra

vltra hanc formam in cursum (h) habere commune. Dat. V. Cal. Iun. Valentiniano A. IV. & Neoterio CONSS. [390.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abest a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Neoterius* PP. idemque & consul A. D. 390. Eidem inscribitur hoc ipso anno *lex* 3. *inf. de Thesauris.* Ad hunc ipsum Neoterium extant decem Symmachi epistolæ *lib.* 5. *ab ep.* 36. qui & *d. ep.* 36. Consulatus eius meminit. IDEM.

(c) γρ. *Quia.* Cæterum simile quid, vid. *l.* 2. *sup. in princ.* IDEM.

(d) Non est tollenda hæc vox: *Ex his* scilicet Agentibus in rebus. IDEM.

(e) *Eos quos.* IDEM.

(f) γρ. *Considerandis*, speciendis, *l. prox.* IDEM.

(g) De *Euectionibus*, tit. *de cursu publ.* IDEM.

(h) Pro *in cursu.* IDEM.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI ne Iunioris, an THEODOSII hæc constitutio sit, difficile dispectu est. Neoterius enim cui hæc *lex* inscribitur, quique idem & Consul fuit, sub quo Imp. Præfectus Prætorio fuerit, & cuius Præfecturæ Prætorianæ, definire vix licet: *lex* enim 3. *inf. de thesauris*, dicitur *Constantinopoli data*: Et tamen Symmachus *lib.* 5. *ep.* 36. hunc Neoterium Consulem in Occidentis partibus, & quidem in Italia fuisse ostendere videtur. Nos rem hanc in medio nunc relinquimus: Vt vero obscurum id; ita neque vbique clara est hæc *lex*: eius tamen hanc sententiam putamus: Nempe ex AGENTIBVS tantum, & VNVM tantum, & EVACTIONIBVS tantum inspiciendis Curiosum esse oportere.

Ex Agentibus tantum: de quo ad *l.* 2. *sup.* addita ratione ab Imp. *Quia*, inquit, (nam ita repono) *vel honore militia, vel fiducia Iussionis, Agentibus in rebus maiorem ad obsistendum remur futuram esse constantiam.* Quomodo & Constantius *d. l.* 2. *Agentes in rebus in Curis agendis & euectionibus publici cursus inspiciendis nostrorum memores præceptorum credimus in omnibus velle profutura Reipublicæ:* Nempe, Agentium in rebus militia huic rei magis conuenire visa quam aliorum, vtpote quorum maior ad obsistendum futura videbatur constantia: ad obsistendum, inquam, commeantibus, publicumque cursum vel sine euectione, vel supra euectionis modum vsurpantibus: Non tanta vero constantia futura præsumebatur in Officialibus, vel Apparitoribus v. g. Præfecti Prætorio, aut Vicariorum: qui facilius commeantibus gratificaturi videbantur, quam Agentes in rebus, qui sub dispositione Magistri officiorum erant: *vel honore* scilicet *militia, vel fiducia Iussionis:* vtpote qui ex Palatio mitterentur, & missionibus executionibusque adsueti essent.

Secundo: In Eminentioribus tantum vrbibus Curiosos constitui vult Imp. qui solicitudinem cursualem agant: & ex his Vnum considerandis transeuntium euectionibus præponi. Antea duo per singulas prouincias mittebantur, de quo ad *l.* 2. *sup.* Imo & paulo post Arcadius singulos per singulas prouincias mitti voluit, *l.* 8. *prox. inf.* Eminentiores Vrbes vocantur *h. l.* quæ frequentissimæ ciuitates, *l.* 11. *inf. de Medicis*: frequentiores & opulentiores totius prouinciæ vrbes, *l.* 12. 13. *inf. de legatis*: splendidissimæ Vrbes seu ciuitates, *l.* 14. & 32. *inf. de operibus publicis*: Claræ vrbes, *l.* 7. *inf. de barcaiis:* seu Clariores, *l.* 26. *inf. de operib. publicis*: frequentes ciuitates, *l.* 35. *inf. de cursu:* quales sunt quas Ausonius celebrat sub nomine *Clararum vrbium*, seu *in ordine Nobilium vrbium:* quæque ab oppidis, mansionibus, vicis separantur, etsi non omnes Metropolitanæ, *d. l.* 14. *inf. de operib. publicis:* Cuiusmodi per singulas prouincias fuere plures.

Tandem, vetantur hi quidquam vltra hanc formam in cursum habere commune: id est euectionibus tantum inspiciendis, considerandis vacare iubentur: quomodo & ab Arcadio *l.* 8. *prox.* Vnde etiam discimus Curiosis iam curarum negotium ademptum, id est, non amplius πευθῆνας, Indices, Exploratores fuisse: de quo *ad l.* 5. *sup.*

VIII. (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Marcello (b) Magistro Offi.

AGENTES in rebus singulos per singulas prouincias mittendos esse censemus: (c) quibus tamen (d) speciendarum (e) euectionum tantum debeat cura mandari, vt nihil prorsus commune aut cum Iudicibus aut Prouincialibus habeant: Nec naues debebunt inlicita concussione vexare: Nec libellos aut (f) contestationes (g) suscipere, aut in carcerem quemquam tradere, (h) sed cursui solum vacare. Dat. Kal. Iun. Constantinop. Olybrio & Probino CONSS. [395.]

NOTAE.

(a) *L.* 4. seu *vlt. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Marcellus* hic Magister officiorum est, cui inscribitur hoc ipso anno *lex* 29. *de haereticis.* Huius extat quoque de *Medicamentis* liber ad filios, inter Principes Medicorum *Tomo vltimo*, quod etiam carmine clauditur *pag.* 412. *seqq.* Hic idem est, de quo, eiusque filiis Libanius *ep. ad. Anatolium* 353. De eo vid. adhuc quæ noto ad *d. l.* 29. IDEM.

(c) *Censemus*, id est, iubemus vid. *Gloss. Theod.* IDEM.

(d) Abest hac vox a Cod. Iust. IDEM.

(e) *Inspiciendarum*, Cod. Iust. IDEM.

(f) *Aut attestationes, vel contestationes*, Cod. Iust. IDEM.

(g) *Litis gratia*, Tribon. his addidit. *IDEM.*

(h) *Trudere*, Cod. Iust. *IDEM.*

P.203. COMMENTARIVS.

ARCADII hæc *lex* est de NVMERO, deque iis quæ ad OFFICIVM Curiosorum pertinent. Quod *Numerum* attinet, singulus io id Agentes in rebus per singulas prouincias mitti iubet: Cui haud prorsus absimilis dispositio est *l. 7. sup.* Antea certe duo per singulas prouincias mitti iussi a Constantio, *l. 2. sup.* ad quas *leges* de numero Curiosorum iam dixi.

Quod *officium* eorum attinet, Inspiciendarum tantum euectionum curam his mandari iubet, seu cursui solum vacare oportere definit Arcadius: Quomodo & Imp. *l. 7. sup.* Contra, quinque sequentia his interdicuntur. *Primo* in genere cum Iudicibus seu Rectoribus prouinciarum aut Prouincialibus quidquam commuoe habere vetantur, id est quidquam his iniungi, quo Rectoribus prouinciarum vel Prouincialibus, eorumque adeo actibus iocumbant: pariter vt de Compulsoribus idem statutum: Nempe commeantibus seu cursu publico vtentibus vnice incumbere hi debent, ne cursum publicum sine euectiooe, vel supra euectionem vsurpent. *Secundo* vetantur Curiosi *Naues* illicita concussione vexare: Quo etiam pertinet *lex vlt. inf. hoc tit.* alio vero pertinet *lex 1. inf. de litorum & itiner. custod.* quæ ad Curiosos nil omnino facit: Et hæc quidem ita *hac l.* de Nauibus non vexandis a Curiosis. Quanquam & nauibus alias quoque per flumina cursus publicus stetit: de quo ad *l. 48. inf. de cursu publico.* Tertio vetantur Curiosi libellos aut contestationes suscipere; id est querelas prouincialium de iniuriis suis contestantes: Quod & ipsum statuitur de Stationariis, *l. 8. Cod. Iust. de accusat.* Id enim per libellos & contestationes hic accipiendum. Malè enim Tribonianus, qui *libellos aut attestationes vel contestationes litis gratia* hic substituit. Id enim hic vetatur; ne apud Curiosos prouinciales querelas suas contestentur, quasi eas ad Principem postea relaturi: verum nempe cursui vacare eos voluit, & sic curarum eis admioistrationem ademit: de quo ad *leges superiores* iam sæpe. Atque hæ sunt querelæ, hæ contestationes, quas contra Prouinciales apud Defensores ciuitatum faciebant, vt docet *lex 3. de superexaction. l. 5. de exhib. reis: l. vn. si quacunque prædítus potestate: l. 7. inf. de censu.* Postremo vetantur Curiosi quenquam in carcerem tradere, vel trudere: quod & ipsum inhibuit Constantius *l. 1. sup.* Imo & id ipsum Defensoribus ciuitatum, &c. ioterdictum: *l. 5. inf. de exhib. reis:* etsi contestationes, vt dixi, apud eos fierent. Ex his igitur tandem magis magisque apparet, Πευθῆνας hoc tempore sublatos, seu curarum ius Curiosis ademptum: de quo ad *leges superiores*, & quidem *ad l. 6.*

IX. (a) Idem AA. Euchario (b) Proconf. Africæ.

CVRSVS publici Præpositos (c) scire præcipimus, si sibi & militiæ suæ consulunt, nihil cos contra veterem disciplinam debere præsumere: cui cum generatur iniuria, haut dubie sacrilegii (d) crimine obligantur. Libera * quinetiam facultas Mancipi (e) sit, contemplatione proprii discriminis, coëmpta sanitate robusta vsui (f) cursus animalia sua sollicitudine *præparare*, (g) & cetera. Dat. Prid. Kal. Mart. Honorio IX. & Theodosio V. AA. Coss. [412.]

NOTAE.

(a) Iungendæ huic *legi* sunt octo *leges*: de quibus mox. Est autem ea fugitiua, mox vt ostendam. *GOTHOFR.*

(b) *Eucharius* Proconsul Africæ sub Honorio: vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) *Præpositi* cursus publici qui sint, mox dicam. *IDEM.*

(d) *Sacrilegii* crimen est, contra veterem disciplinam aliquid præsumere, eique iniuriam generare: de qua sacrilegii voce ad *l. 2. sup. vt dignitat. ordo seru. & l. 4. de domest. & Protect.* & in *Gloss. Theod.* *IDEM.*

* Secunda *huius leg.* pars. *IDEM.*

(e) *Mancipatus* huius meminit quoque *lex 23. inf. de cohortalibus* quæ, *huic* inter alias iungenda est. *IDEM.*

(f) Id est, ad vsum cursus publici. *IDEM.*

(g) *Præparandi* vox hac in re propria de qua ad *l. 10. inf. de metatis* vid. & *Gloss.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

HONORII Imp. hæc lex est, maioris constitutionis Honorianæ pars, vnde octo præterea membra in hunc Codicem coniecta, puta *lex 23. inf. de cohortalibus: lex 32. inf. de annona & trib. lex 19. 20. 21. de exactionibus: lex 31. de susceptoribus:* Imo & *lex 22. 24. d. tit. de cohortalibus:* quæ proinde Leges omnes huic sociandæ sunt. Qua quidem constitutione Honorius modum positum iuit variis officiorum generibus vltra plantam, vt dicitur, euagantibus; veluti exactoribus: *d. l. 19. 20. 21. de exactionibus, d. l. 32. de annona & tribut.* susceptoribus, *d. l. 31. de susceptoribus*: cohortalibus, *d. l. 22. 23. 24. de cohortalibus:* Tandem & Præpositis cursus publici, *hac leg.* seu Mancipibus, vt *mox* vocantur. Neque enim ea est de Curiosis cursus publici, qui suo alioquin quodam sensu fineque cursui publico præerant (vnde & Græcis Φροντισταὶ τοῦ δρόμου) verum de Præpositis cursus publici: qui alias, & quidem *hac ipsa leg.* mox *Mancipes* vocaotur, iidemque & Procuratores cursus publici: de quibus plena manu Paratitlon *inf. de cursu publ.* ac oominatim *lex 35. eod. tit.* qui cum Curiosis perperam a nonnullis commiscentur, & vero ab *huius Codicis Theodosiani* Conditoribus confusi videntur; cum *hanc leg.* quæ sane fugitiua ommino est, & in *tit. de cursu publico* conici debuit, in huoc *titulum de Curiosis* retulere. Horum Præpositorum aut Mancipum fit quoque mentio, *l. 35. inf. de cursu publ.* Cursuales Præpositos vocat Symmachus *lib. 2. ep. 46.* Qui non ex Agentibus in rebus eligebantur, verum ex Officialibus Iudicum, vel Curialibus aliquando *l. 26. 34. 35. 42. 46. 51. 64. infr. de cursu publico.*

Nunc de senteotia legis. Duo scilicet circa cursus publici Præpositos *hac l.* constituuntur, quæ cum Curiosorum munere nil commune habent. Primo capite superexactioni & Auaritiæ eorum modus P.204 ponitur, pariter vt Exactorum, susceptorum concussionibus, quo pertinent superiores *Leges* quas *huic* coassandas osteodi. Vetaotur inquam Præpositi contra veterem disciplinam quidquam præsumere, id est superexigere: nempe enim certum quid veteri disci-

disciplina Præpositi cursus publici exigere poterant, cuius modum egredi *hic* vetantur.

Alterum est, quod Præpositis equorum emendorum ad cursum publicum potestas quidem fiat, sed tameo periculo suo? Diuersum io Stratoribus, de quibus *suo titulo inf. de Stratoribus.* Ergo Mancipum cursus publici officium fuit, animalia ad cursum publicum coëmere, eaque sanitate robusta: In his scilicet prouinciis, io quibus cursus publicus a prouiocialibus non exhibebatur. Quo numero Africam fuisse hæc *lex* docet, vt & *lex 64. inf. de cursu publ.*

X. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Synesio. (b)

CONSTITVTIONE † cessante, qua super Curiosis, ex Viri Inlustris Comitis (c) & Magistri Officiorum iudicio, dirigendis intra certum numerum, forma concluditur, antiqua consuetudo seruetur, vt Curiosi idonei per diuersas regiones (d) atque prouincias, litora insuper portusque & loca alia transmittantur, Commonitoriis (e) competentibus atque Mandatis (f) instructi, pro Administratione tuæ Sublimitati commissa, proque huius legis auctoritate: Ad quod nos ablatarum Imperialium specierum (g) mouit occasio, vt inpensiorem (h) sollicitudinem adhiberi magnopere iuberemus, quo idoneus quisque a Tua Magnificentia destinatus, inter alia adiuncta, (i) & congrue procuranda, hæc quoque studeat obseruare. Dat. V. Id. Nouemb. Constantinop. Honorio IX. & Theodosio V. AA. CONSS. [412.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* velut historica. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Supple* Comiti S. L. vt satis alioquin euincit mentio specierum Imperialium *hac l.* De quo mox plura. Errant, qui hic tentabant *Cynegio.* *IDEM*

† Constitutio hæc quænam? *IDEM.*

(c) *Comitis* titulus Magistro officiorum adiungitur *h. l.* & *l. 2. inf. de cursu publ. l. vn. inf. de Decani*: sic etiam semetipsum vocat Ælius Amidenus medicus. Olim Tribuni nomen sociatum Magistri officiorum titulo *l. 1. inf. de paganis* &c. vbi dicam. *IDEM.*

(d) *Regiones*, pro prouinciis promiscue sæpe vt *l. 24. inf. de cohortalibus*, hic prouinciis opponuntur: sunt enim non integræ prouinciæ, verum earum partes: non tamen singulorum municipiorum territoria (quo alioquin sensu *regiones* apud Siculum Flaccum *pag. 1.*) sed maiores quædam partes seu tractus & loca. Huc pertinet Scriptoris Christiani *de mensuris* locus *pag. 320. inter auctor. rei agrar. edit. Goes. Maiores Orbem, in partes: partes, in prouincias. prouincias, in regiones: regiones, in Loca. Loca, in territoria diuiserunt.* *IDEM.*

(e) *Commonitorium* est mandatum & formula officii, de quo dicam plene ad *l. 27. inf. de erogat. milit. ann.* De altero priuato commonitorii genere ad *l. 2. sup. si certum petatur de suffragiis.* *IDEM.*

(f) De *Mandatis*, vid. *sup. ad titulum de Mandatis Principum.* *IDEM.*

(g) *Species* Imperiales, id est, purpura: de quo mox ex *l. vlt. inf. de murilegulis.* *IDEM.*

(h) *Impensior* sollicitudo vid. *Gloss.* *IDEM.*

(i) *Adiuncta*, pro iniuncta. *IDEM*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris est hæc constitutio, de Curiosis: vbi de quatuor necessario agendum est. Primo videndum, quis Synesius ille sit, cui hæc *lex* omisso dignitatis titulo inscribitur: id enim scire pluriorum interest: Igitur si vel sola *lex* hæc esset, ex ea satis colligeretur, eum Illustri dignitate functum, ex *Magnificentiæ* inquam titulo, & ex eo quod ab alio Viro Inlustri in eum Curiosi destinandi potestas transfertur: Imo eum Comitem S. L. ex mentione *specierum Imperialium*: quo purpura significatur, cuius vt & baphiorum solicitudo ad Comitem S. L. pertinebat: de quo *tit. de murilegulis:* Verum & alia alibi huius Synesii dignitatisque eius mentio. Meminit, inquam, eius Synesius alter Episcopus Cyrenes *ep. 18.* & *35.* Meminit *lex vlt. inf. de murilegulis.* *Purpura*, inquit, *nundinas licet innumeris sint constitutionibus prohibita, recenti quoque interminatione vetamus: & dispositione Inlustris memoriæ Synesii reuocata quæ perperam infirmata est ab Inlustris memoriæ Anthio, a quo subreptum nobis est, veritate celata, septimum de scrinio Canonum, quintum de scrinio Tabulariorum ad Basia Fenicis per certum tempus mitti præcipimus, vt fraus omnis eorum prohibeatur solertia.* Meminit & Auctor Chronici Alexandrini in A. D. 407. *pag. 717. edit. Rader.* ὑπήντησαν, inquit, αὐτοῖς οἱ δύο στρατηλάται Οὐαρανᾶς καὶ Ἀρσάκιος καὶ Συνέσιος ὁ Κόμης τῶν λαργιτιώνων, *accurreruntque illis duo præfecti militares Varanes & Arsacius, Synesius quoque Comes Largitionum*, vbi male io vtraque istius Chronici editione, καὶ Συνέσιος καὶ ὁ Κόμης: tollendum enim ibi posterius καὶ.

Secundo videndum, de quonam Curiosorum genere hic agatur: nempe de iis quibus etiam hæc cura pars fuit, vti viderent, ne illicitæ merces, veluti purpura, quæ Imperialis species erat, cuiusque nundinæ prohibitæ erant, vsurparetur, exportaretur: quem etiam in finem curiosi idonei per diuersas regiones, prouincias, litora, portus, loca que alia transmittebantur: nundinis videl. purpuræ inter alia prohibendis: inter alia, inquam, adiuncta, seu iniuncta & congrue procuranda est. Quare de eo ferme Curiosorum genere *hic* agitur, de quibus *l. vlt. inf. hoc tit.* & *l. 2. inf. de litorum & itiner. custodia:* nempe obseruandis regionibus, prouinciis, locis, litoribus, &c. ex huius temporis necessitate & infelici Imperii statu: de quo Chronicon nostrum, & de quo ad *d. l. vlt.* & *d. l. 2.* Non igitur de Curiosis propriè cursus publici.

Tertio nunc loco videndum, quid *hac l.* constituatur, seu *dispositio huius leg.* Nempe Curiosos P. 405 istos non amplius a Magistro officiorum certo numero mitti vult Theodosius; verum a Comite S. L. commonitoriis competentibus & mandatis instructos: abrogata recenti constitutione, antiqua contra consuetudine io vsum reuocata.

Cuius rei faciendæ, quod Quartum *hic*, occasionem narrat: nempe quod recenter Imperiales species seu purpuræ ablatæ fuissent: Quare a Comite potius S. L. Curiosos ad obseruationem istam & procurationem seu inspectionem idoneos destinari satius visum, quo impensior sollicitudo in id adhibeatur: vtpote cum purpuræ species baphiorumque cura ad dispositionem Comitis S. L. pertinerent. *Melius* scilicet inspectio *initio cuiusque rei illi committitur, cuius confectio ad aliquem pertinet.* Et ita quidem nunc Theodosius ad Synesium Com. S. L. Quam formam ipsam & dispositionem proculdubio memorat idem, & simul & in vsum reuocat *l. vlt. inf. de murilegulis.*

XI. (a) Idem AA. Hadriano PP. (b) Post alia.

CVRIOSOS præcepimus (c) remoueri; Curialibus *insuper, & Nauicularijs, omnibusque Corporibus ita subueniri volumus, vt nihil Apparitoribus vniuersorum Iudicum liceat, qui ex collecta prouincialium præda ad maiores militias festinant. Dat. V. Non. Mar. Rauen. Constantio & Constante CONSS. [414]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendæ autem illi *lex* 33. *inf. de erogat. milit. ann.* & *lex* 12. *inf. de metatis.* GOTHOFREDVS.

(b) *Hadrianus* PP Italiæ sub Honorio: vid. *Prosopogr.* sub quo fuit Africa. IDEM.

(c) γρ. *Præcipimus.* IDEM.

* Fugitiua hæc *huius l.* sententia est. IDEM.

COMMENTARIVS.

HONORII hæc *lex* est: quæ pars est prolixioris Honorianæ constitutionis, qua is varijs malis, oppressis Africæ prouincialibus consultum iuit: puta militatis annonæ metatorumque obtentu, *l. 33. inf. de erog. mil. ann.* & *l. 12. de Metatis*, quæ leges *huic* nostræ coniungendæ velut eiusdem constitutionis partes sunt: Item a Curiosis, & Apparitoribus: quo pertinet hæc *lex*: quæ hac postrema parte ab hoc *titulo* fugitiua est.

AFRICA (*urbem Romam*, vt Poëtæ verba vsurpem, *saturans*, id est classem frumentariam & annonam veteri Romæ sola ferme vel certe potissima suppeditans & submittens) varijs malis, concussionibus, & recenter quidem *Heracliani* tyrannide afflicta fuerat. Ea igitur Heracliano cæso rursum Imperio vindicata (de quo dicam ad *l. 21. inf. de pœnis*, & *ad l. 13. inf. de infirmandis his qua sub tyrannis*: quæ quidem ad hunc ipsum Hadrianum Præfectum Prætorio data est, & quidem paucis ante hanc nostram mensibus) Honorius Imperator in Italia Rauennæ consistens, malis omnibus liberatam eam iuit, quibus oppressa fuerat. 1. Itaque delegati ab eo Flauianus & Cecilianus Viri Illustres *per Africam*, ad excipiendas Prouincialium querelas, & audientiam cunctis præbendam, ne forte interea æquoris tractu querelæ Prouincialium perirent, id est ad se vel nunquam vel serius saltem in Italia Rauennæ constitutum peruenirent: Idque est quod cauetur *initio legis 33. infr. de erogatione militaris annonæ*, quæ *huic* nostræ coniungenda est. 2. Ac nominatim quidem a *Militum* seu Contubernalium deprædationibus Africam vindicatam voluit *d. l. 33.* & *l. 12. inf. de metatis*, quæ ipsa *huic legi* iungenda est. 3. Item ab *Apparitorum* deprædationibus, qui dum ad maiores militias festinarent, curialibus Nauicularijs alijsque Corporibus immineabant, & ab iis prædam colligebant: ideoque visum Honorio prohibere, ne quicquam Apparitoribus liceret in huiusmodi Corpora, *h. l. in fin.* quæ sententia ab *hoc titulo* fugitiua est. Denique Africam a *Curiosis* penitus asseriam iuit: Curiosis ex Africa penitus remoueri iussis. De quorum concussionibus, rapinis, calumnijs frequentes subinde querelæ exoriebantur, vt ostendit *lex 1. 3. 5. 8. 9. sup.* & *lex vlt. seu prox. inf.* qua ipsa *lege* Curiosi e Dalmatia pariter Insulisque adiacentibus remouentur: Pariter vt per Numidiam & Mauritaniam Sitifensem publica clade vexatam postea Curiosi litorum prohibiti, *Nouella* Valentin. *inter Theodosianas, 23. de tributis fiscalibus.* Et forte hæc etiam inter alias causas *hac l.* fuit, quod nullus ad loca tutiora acerbitate huius temporis cogente succederet, vt *l. proxima* dicitur, vbi multa ex Italia vrbeque Roma eo sese hoc tempore conferebant.

XII. (a) Idem AA. Palladio PP. (b)

DALMATIÆ Litora, omnesque Insulas, eorum qui sibi curas vindicant enormibus commodis (c) prægrauari conpertum est, vt nullus audeat ad loca tutiora, etiam acerbitate temporis cogente, succedere: atque ideo omnes omnino ex memoratis partibus (d) censemus remouendos, vt securitas antiqua vel consistentibus, vel commeantibus, reparetur. Si qui igitur ausus fuerit post hanc præceptionum formam, id officium a quo depulsus est, vsurpasse, ferro vinctus, (e) ad vindictam, cura Iudicum, dirigatur ad Sacratissimum Comitatum. (f) Dat. VI. Id. Ian. Rauen. Honorio X. & Theodosio VI. AA. CONSS. [415.]

NOTAE.

P.106

(a) Abest & hæc *lex* velut Historica a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Palladius* PP. Italiæ, sub Honorio vid. *Prosopogr.* sub cuius dispositione fuit Diœcesis Illyrici occidentalis, in qua fuit Dalmatia, vt ex *Notitia imperii* quoque liquet, quam vide *fol.* 116. IDEM.

(c) *Commoda* Curiosorum, de quibus ad *l. 2.* & *5. sup.* IDEM.

(d) *Partes*, pro tractu aliquo: quomodo & eodem sensu *Regiones* in *l. 10. sup.* IDEM.

(e) *Ferro* vincti rei exhibiti & transmissi vid. *sup. de exhib. reis.* IDEM.

(f) De hac *Comitatus* voce vid. *Gloss. Theod.* IDEM.

COMMENTARIVS.

HONORII hæc constitutio est: qua Curiosi a Dalmatiæ littoribus omnibusque insulis (maris scilicet Dalmatici) remouentur, officioque depelluntur vbi ante omnia videndum est de his Cu-

riosis per *Dalmatia* litora institutis. Proculdubio, admoti his Dalmatiæ parribus inter Venetiam, Noricum, Pannoniam, & Epyrum Curiosi, quomodo & a Theodosio Iun. A. D. 410. suis partibus, ex compacto inter eos Principes, *l. 2. inf. de litorum & itin. custod.* propter Tyranoicum furorem & Barbaricam feritatem hoc æuo: & in his Gothorum, de quo ad *eam l. 2.* Hæ quippe Dalmatiæ partes mediæ seu vicinæ erant inter Venetiam, Noricum, Pannoniam & Epyrum; Vnde Alarichus & Ataulphus, & per quas partes Italiam ingressi, adgressique vid. Zosimum *lib. 5. cap. 29. 37. 45. 46.*

Quin & de *Dalmatia* peculiaria multa huc pertinentia obseruat hoc tempore Zosimus *lib. 5. cap. 46.* videlicet Olympium Magistrum officiorum apud Principem accusatum, fuga se in *Dalmatiam* contulisse. Idem *eod. cap.* Honorium, Generidum *Dalmaticis* militibus vniuersis præfecisse: eundemque cæterorum etiam, qui per Pannoniam superiorem, Noricos & Rhætos, & quicquid ad Alpes vsque est, in præsidiis erant, Ducem constituisse. Idem *c. 29.* Alaricum in Epyris coostitisse antequam Italiam ingrederetur, scribit. Idem *cap. 48.* narrat, Alarichum antequam iterum Romam adgrederetur (A. D. 409.) postulasse ab Imp. Honorio, vti sibi liceret cum suis incolere Venetiam vtramque, Noricos & Dalmatiam: Id quod Honorius recusauerit. Mox scribit *cap. 50.* Honorium ab bellum aduersus Alarichum parantem, decem millia Hunnorum in societatem euocasse, & vt eis aduentantibus annonæ paratæ essent, frumentum, pecora & boues e Dalmatia adduci iussisse. *Eadem cap.* scribit, Alarichum mutato consilio ambos tantum Noricos petiisse, ad extremas Danubii partes sitos, quique continuis incursionibus vexabantur, & tenue fisco tributum inferrent: Id vero rursum Honorium abnuisse, *lib. 6. cap. 1.* Idem *lib. 5. cap. 45.* & *lib. 6. cap. 7.* scribit, Valentem Dalmaticis legionibus seu cohortibus præfuisse. Ex quibus omnibus facillime colligimus iam, cur Dalmatiæ littoribus omnibusque maris Dalmatici scilicet iosulis, curis agendis seu custodiæ ergo Curiosi hoc tempore admoti fuerint.

Nunc cur *hac l.* submoueantor, videndum est. Addit scilicet Honorius hanc rationem: Quæ vt intelligatur, atque adeo liquere possit, de quonam Curiosorum genere id accipiendum sit, de *Acerbitate illa temporis* quæ *hac l.* memoratur videndum est: *qua cogente multi ad loca tutiara succedere*, vel *secedere soliti.* Igitur nemo in horum temporum historia adeo infans est, vti nesciat miserrimum horum temporum acerbissimumque statum; in Occidente potissimum & Italia nominatim, Galliaque: hinc per Barbarorum incursus & depopulatiooem, inde per Tyrannos: qua causa moti multi sedes externas quæsiuere, & in his, Insulas: quod etiam ex Rotilii Numatiani Itioerarii *libro 1. v. 40. seqq.* discimus, qui hoc ipso tempore scribebat. Et quidem ex Italia vrbeque profugi in aduerso posita *Dalmatia litara*, *Insulasque* pertigere, & ad ea tanquam ad loca tutiora secessere. Insulæ porro istæ ferme fuere quæ & in Itinerario Peutingeriano *apud Ortel. Vet. Georg. Segment. 4.* designantur. *Insula Boa* (cuius etiam mentio fit *lege 53. inf. de hæreticis*, vbi dicam, & dixi quoque iam ad *Philostorgium*) *Insula Issa: Insula Solentii: Insula Brattia: Insula Farsa: Insula Tauris, Corcira, Melita, Ladesdris, Acroterus, Insula Sasonis.* Quæ ipsæ etiam memorantur io Itinerario Æthici: *Insula*, inquit, *inter Dalmatias & Istriam: Insula Absoros, Brattia, Solemna* (Solentia) *Issa, Lissa, Corzyra, Melita, Insula Sasa: Insula Corcyra, Cassiape:* Ergo cum his Dalmatiæ litoribus omnibusque insulis obseruandis, atque in iis curis agendis Curiosi hoc tempore constituti fuissent, exploraturi scilicet ne quam hostis irrumperet, bono vt videtur fine instituti Curiosi, in prauum mox vertere. Hi quippe vt *hac l.* dicitur, Dalmatiæ litora, omnesque insulas enormibus commodis seu exactionibus & coocussionibus prægrauauere, vt exteroqui n curiosi Agentes in rebus, cursuique publico intenti, rapinis sæpe infames erant, de quo alibi sæpius *hoc tit. & tit. de agentib. in reb. & tit. de cursu publica, infr.* sic vt nullius auderet ad tutiora loca succedere, & sic securitas antiqua val sperata consistentibus ibi, vel commeantibus eo, non constaret. Hac igitur ratione, pristinæ videlicet securitati reparandæ, Hoorius Curiosos inde submouendos credidit: Quomodo & eosdem per Africam simili ratione superiore anno remoueri iusserat, *l. 11. sup.* & postea per Numidiam & Mauritaniam Sitifensen publica clade vexatam Curiosi litorum prohibiti a Valentiniano Tertio *Nauella, inter Theodosianas, 23. de tributis fiscalibus.*

Cæterum *fine leg.* addit Hoorins, eos qui Curiosi deinceps officium ibi vsurparent, ferro vinctos, mittendos cura Iudicum, ad Comitatum suum, qui tum *Rauenna* erat, haud procul a Dalmatiæ litoribus, ad vindictam scilicet. Atrociores ita reos & ferro vinciri mos fuit: de quo præter hanc *legem*, est *lex 9. inf. de executarib. l. vn. inf. de mensis alearšis*: & ad Comitatum Principis, ad vindictam transmitti, de quo ad *tit. de exhib. vel transmitt. reis.*

P.407

DE PALATINIS SACRARVM
LARGITIONVM ET RERVM PRIVATARVM.

TITVLVS XXX.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXIV. Adde de *Palatinis* his Valentiniani Tertii tres constitutiones inter Nouellas Theodos. sub *tit 42. de Palatinis:* vbi auaritiæ eorum & concussionibus occurritur, simul & ne ante stipendia peracta militiam seu officium deserant.

PARA-

PARATITLON.

PALATINI Sacrarum Largitionum & Rerum priuatarum *Rubr. huius Tituli.* Palatini Sacrarum & priuatarum largitionum, *l. vlt. sup de Senatoribus:* Palatini Sacrarum priuatarumue largitionum, *l.17.18. inf. de exactionibus:* Palatini tam Comitis largitionum, quam Comitis priuatarum, *l.14. inf. de priuilegiis eorum qui in sacro Palatio*: Palatini vtriusque officii, *l.4.inf.de executorib* Palatini, absolute, *l. vn. inf. quib. militautib. ad vrbem*, &c. Largitionum Apparitores Amm. Marcellinus *lib.26.cap.8.* Erant qui Comiti Sacrarum largitionum & Comiti Priuatarum obsecundabant, *l.2.3.5.7.8.9.13.14.15.17.18.21.22. 23. huius Tituli.* qui sacrarum & priuatarum remunerationum Comitibus obsecundabant, *l 2. inf. de Commeatu.* Vnde & Palatinum seu Palatinorum officium dicitur, *l.2.6.8.11.14.15.23. h.t. & d l 2. inf. de Commeatu: l. vlt. inf. de immunitate: l.23.& 24. inf. de cohortalib. l 25.inf. de susceptorib. l.41.inf. de operib. publ. l.5. inf. de locatione fundor. iur emphyt.* Militia Palatina, & Palatina seu Palatinorum obsequia, *l.21. inf. de cohortalibus: l.18. inf. de exactionibus.* Palatina sacramenta, *d l.21.* Palatinus vtriusque officii *d.l.4. inf. de executoribus.* Erant igitur alii *Palatini Sacrarum Largitionum*, alii *priuatarum.* Palatini *Sacrarum Largitionum*, seu Comitis largitionum, dicuntur & Palatini Sacrarum remunerationum rationes tractantes, *l. 20. h t.* Palatini munerationum Sacrarum, Symmacho *lib. 10 ep. 43.* Idem dicuntur Largitionales *l. 1. sup. de Agentibus in rebus & l.1. inf. de priuilegiis Appariturum Magisteriæ potestatis.* Item Largitionales Comitatenses, *l. 6. inf. de diuersis officiis:* vt & officium largitionale *l. vlt. h.t.* Officium Sacrarum largitionum, *l.7. 21. h. t.* Officium Largitionum Comitatensium, *l.3.7. inf. de priuilegiis eorum qui in Sacro Palatio:* officium Comitis sacrarum largitionum *l. 16. h. t.* officium quod Comitis sacrarum largitionum iussionibus obsecundabat, *l. 13. h. t.* Denique officium Palatinum sacrarum remunerationum Comiti obsecundans, *dict. l. 2. inf. de Commeatu*

Horum Palatinorum Officialium *scrinia* diuersa erant [id est scholæ diuersæ] *l.14. h. t.* quæ scrinia dicuntur largitionum Comitatensium, *l.7. h t.* puta Scrinium Exceptorum, *l. 7. 22. h t.* Scrinium Tabulariorum, *d. l. 7. h. t. & l. vlt. inf. de Murilegulis.* Scrinium Canonum, *d. l. 7. & d. l. vlt.* Scrinium & Scriniarii Numerorum, *d l 7.* Scrinia Receptoria, *l 3. h. t.* In omnibus his Scriniis diuersæ erant dignitates, diuersa munia, & suæ cuique dignitati annonæ strenæ & vestes, *l. 7. 11. 13. h t.* Inter hos erant qui *Mittendarii* dicebantur, quorum mentio fit *l 7 8. 9. 22. 23. huius Tituli:* de quorum actu, & officii tempore, vide *d. l 8. 9. 22. 23.* eosque mittendarios ex scrinio *Canonum* fuisse docet *dicta lex 7.* Erant & ducenarii, *l. 7. 8. 9. h. t.* Hos sequebantur Centenarii, *dictis legibus:* Et tandem Epistularii seu Epistulares, *d. l. 7.* Singulorum scriniorum suus fuit Primicerius *l. 3. 14 19 20. 24 h. t.* seu Rector *l. 15. h. t.* ac prætera Primicerius fuit totius officii Palatini, *l. 24. h. t.* Et hæc omnia docet quoque *Notitia Imperii.* Denique fuit & Adiutor seu Adiutores, qui matriculas tractabant, *l. 16. 17. h. t.* *Matricula* seu *Numerus* horum Palatinorum varius fuit pro temporum varietate, & ex his quidem alii statuti, alii vero supernumerarii, *l. 15. 16. 17. h. t.* Palatini *rerum priuatarum, Rubr.* seu Palatini Comitis priuatarum *l 14. inf. de priuilegiis eorum qui in S. palatio.* Palatini sacrarum, *l. 13. inf. de indulgentiis debitorum*, Palatini sacrarum priuatarum, *l. 17. 18. inf. de exactionibus*, qui & *Priuatiani* dicuntur, *l. 24. h. t.* erant qui priuatarum remunerationum Comitibus obsecundabant, *l. 2. tit. de commeatu*, qui Comiti rerum priuatarum, parebant, *l. 2. 5. 18. 21. h. t.* Breuiter officiales Comitum rerum priuatarum,
P108 *l. 1. in f. sup. de Agentibus in rebus*, Palatini qui in officio rei priuatæ militabant, *l. 6. inf. de locatione fundorum iuris Emphyteutici.* Hinc officium priuatarum, *l 16. 21. & l. vlt. h. t.* officium sacrarum priuatarum, *l. 18. h. t.* Hi autem non nisi annotatione Principis, in officium seu inter Officiales adsumebantur, *d. l. 18. h t.* Eorundemque pariter scrinia plura erant, quæ priuato ærario merere dicuntur, *l. 4. in fin de conl. donat.* & quidem Quatuor tantum, *l. vlt. h. t.* Et in his nominatim scrinium Exceptorum, *l. 5. h. t.* Scrinium Beneficiorum, de quo accipio *d legem 4. in fin de conl. donatar.* Inter hos etiam quidam erant Mittendarii, *l. 2. h. t.* Fuit & Primicerius [totius] officii priuatarum, *l. 21. & l. vlt. h. t.* Sed & Primicerii singulorum scriniorum quatuor, *d. l vlt. h. t.* seu Primates, *d. l. 4.* De numero officii priuatarum, vide *legem 16 h. t.* Iidem res priuatas conducere non poterant, *l. 6. inf. de locatione fundorum iuris Emphyteutici.* Vtrorumque Palatinorum priuilegia quædam fuerunt. Nam & vtendorum equorum ad itinerum necessitatem per Picenum facultatem habuerunt, *l. 4. inf. quibus equorum vsus.* Item Palatina militia quandoque Curiali conditione liberauit, de quo vide *legem 20 in fine, l. 31. 38. 67. 88. 100. 147. 154. inf. de Decurionibus: & l. 12. 14. inf. de Priuilegiis eorum qui in S. Palatio.* Horum opera quoque fuit in tributorum & functionum exactionibus: Item prosecutionibus, susceptionibus, executionibus: vide *l. 47. inf. de cursu: l. 4. 5. 6. inf. de executoribus: l. 17. 18. inf. de exactionibus.*

IVDICES *seu Rectores prouinciarum executionibus Palatinorum intercedere non possunt.*

I. (a) Imppp. Gratianus Valentinianus & THEODOSIVS AAA. Afellæ. (b)

PALATINI omnes quos Consistorii Nostri Comites, propter diuersas necessitates, ad pro-

uincias dirigendos putauerint, fine vllo metu Iudiciariæ commotionis, propter quæ diriguntur impleant; conueniendis Iudicibus more folenni. (c) Dat. VI. Kal. Mar. Sirmio, (d) Aufonio & Olybrio CONSS. [379.]

NOTAE.

(a) Abeft hæc *lex* a *Cod. Iuft.* prælata *l. 4. inf.* *GOTHOFREDVS.*

(b) MS. babet *Hafello*, expunctu tamen *ibi* litera H vbi & *P. V.* internofcere mihi videor, quod fi ita eft, tum fuerit Hic, *FL. Eugenius Afellus Præf. vrbi*, qui memoratur in vet. Infcript. Romæ *apud Gruterum* CXCIII. 6. *IDEM.*

(c) De hoc *infr. in comment.* *IDEM.*

(d) Vid. *Chronologiam*, & quæ inibi notaui. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

A IVDICIBVS feu Rectoribus Prouinciarum, miffi in Prouincias Palatini a Comitibus facrarum Largitionum, vel rerum priuatarum ad varias neceffitates explicandas & exequendas, metuere fibi non debent; quin demandato fibi munere defungi intrepide fine vllo IVDICVM commotionis feu Rectorum Prouincialium metu iubentur: fcilicet Rectores Prouinciarum, miffis in prouinciam Palatinis infefti & terribiles perfæpe fuerunt; quod Palatini his imminere iuberentur: *l. 10. Cod. Iuft. de off. Rector. prouinc.* Proinde inhibiti Rectores Prouinciarum fubinde *vt h. l.* ita & *l. 4. inf.* & *l. 6.* Palatinis terrorem inicere, vel his quidquam iniungere: viciffim iubentur Palatini libere, falua tantum reuerentia Rectori prouinciæ, demandatum munus exequi, *h. l.* & *d. l. 4.* Is enim fenfus eft horum verborum, *conueniendis Iudicibus more folemni.* Etfi fcilicet Palatini fibi a Rectore Prouinciæ metuere non debeant, eos TAMEN, conuenire more folemni debent: id eft, fi eos conuenire neceffe habeant, honorem & reuerentiam eis exhibere, & quidem confuetam, de quo ad *d. l. 4.* adhuc dicetur. *Hac* interim *lege*, vt & *d. l. 4.* cuius eadem fententia eft, notandum, *Confiftorii*, fiue *Confiftorianos Comites* non eos dici, de quibus peculiari *Titulo* fuperius actum fuit, *Titulo de Comitibus Confiftorianis*, qui Spectabiles erant; verum de Comitibus Illuftribus vtriufque ærarii, id eft, de Comitibus Sacrarum Largitionum & Rerum priuatarum. Quo ipfo fenfu *Comites Confiftoriani* accipiuntur in *l. 3. inf. de metatis*, & ex parte *l. 3. inf. ad leg. Cornel. de ficariis.* Quod cum ambiguum alioquin foret, Tribonianus in *l. 4. Cod. Iuft. eod. tit.* (quæ defumpta eft *ex l. 4. huius tituli*) vocem *Confiftorianis* expungere maluit: Qua fane comprehenduntur quoque Quæftor, & Magifter officiorum, *d. l. 3. de metatis*, & *d. l. 3. ad l. Corn. de Sicar.* de quo ad *eam legem* plenius: Qui iidem dicuntur Sacratio Imperatoris explorata fedulitate obedire. Quo ipfo fenfu & *hic* quoque, vt & *d. l. 4. inf.* accipi poffint: Vt ita & hic, & illic, Palatini fint, non tantum Palatini Comites S. L. & R. P. Verum Palatini omnes, fub his agentes: veluti Agentes in rebus, & fimiles, qui in prouincias dirigi ab his folebant. Quod fi ita eft, vt omnino cenfeo, tum error fuerit *hic* Conditorum *Codicis Theodofiani*, qui has *leges* ad Palatinos Largitionum reftrinxerunt, pariter vt *l. 6. inf.*

P. 209 COMITIS DOMORVM *per Cappadociam Princeps Officii e Palatinis mittendariis a Com. R. P. annuatim mittendus.*

II. (a) Idem AAA. Pancratio (b) C. R. P.

PRISCO iam (c) nunc ordine reuocato, de Palatino potius Officio ad gerendum Principatum Officii Comitis domorum per Cappadociam mittantur, quales Comes etiam domorum, fi fecus (d) fe gefferit, vereatur. Idoneos itaque fingulis annis e numero Mittendariorum ad hoc eligere debebis, & mittere. Dat. Prid. Non. Iul. Scopis, (e) Aufonio & Olybrio CONSS. [379.]

NOTAE.

(a) Lex 3. *Cod. Iuft. eod. tit.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Pancratius* Comes R. P. fub Theodofio A. D. 379. 380. vid. *Profopogr.* *IDEM.*

(c) De vi huius formulæ vide *Gloffarium*, atque inibi *l. 1. fup. de officio Rectoris Prouinciæ l. 17. inf. de Tyronib. l. 2. inf. de Veteranis*, *l. 9 inf. de luftrali collatione.* *IDEM.*

(d) *Si inhoneftum aliquid gefferit*: Ita Tribonianus, elegantia huius locutionis fpreta: Querelæ de eo alioquin frequentes, vid. *Nouellam Iuftin. 30.* *IDEM.*

(e) Vide quæ notaui ad *Chronologiam huius Codicis & ad leg. 15. de hæret. l. 119. de decurion. l. 2. de his qui fup. relig.* quatres anni 388. Conftitutiones ibidem datæ. Reponendum hic *Stopis.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

COMITES DOMORVM per *Cappadociam* Officii *Principem* ex Palatino officio, & quidem fingulis annis ex numero Mittendariorum a Comite rerum priuatarum eligi mittique iubet Theodofius *h. l.* vt antea quoque factitatum fuerat. Verum aliquanto tempore, exemplo cæterorum Principum officiorum Princeps officii Comitis domorum ex Agentibus in rebus conftitutus videtur: Id enim fuadent leges variæ *fup. de Agentibus in rebus*: & *tit. de Principib. Agentium in rebus*: Et *Nouella Valentiniani 14.* Verum vt dixi, prifcum ordinem reuocat Theodofius, de cuius rei ratione liquebit, vbi de Comite domorum prius viderimus. *Comes domorum per Cappadociam* fimpliciter quoque *Comes domorum* dicitur *hac eadem lege*: vt alii Comites domorum, *l. vlt. inf. ad l. Iuliam repetundarum*: & *l. vlt.*

vlt. inf. ad l. Iuliam repetundarum: & *l. vlt. Cod. Inst. vbi causæ fiscales* & *l. 2. Cod. eod. de Præpos. S. Cubic.* Et (Comes) domus diuinæ per Cappadociam in *Notitia Imperii fol. 40.* Sed & Græci ad *d. illam vlt. ad l. Iul. repet.* quæ est *lex 5. Cod. Inst. eod. Tit.* Κόμης τῶν οἴκων ἀςὶ δὲ οὗτας ἐν Καππαδοκίᾳ (quod tamen Græci *ad eam leg.* male notant) v. & *Nouellam Iustin. 20. c. 2.* & *30.* Fuit autem hic Comes primum sub dispositione Comitis rerum priuatarum, vt hæc ipsa *lex* satis ostendit: sed & *d. lex vlt.* Alios Comites domorum Com. R. P. subiici. Quin & Græci hoc idem agnoscunt *ad d. l. 5.* ἀςὶ δὲ οὗτος, inquiunt, ὑποκείμενος τῷ Κόμητι τῶν πριβάτων: Sed postea Theodosii Iunioris temporibus, sub dispositione Præpositi sacri Cubiculi fuit, vt disertis verbis testatur *Breuiarium Theodosii, fol. 40.* quod alioquin *Notitia Imperii* audit, his verbis: *sub dispositione Viri illustris* (Præpositi) *sacri Cubiculi* (comes) *domus diuinæ per Cappadociam.* Idque pariter testatur *lex 9. inf. de indulg. debitorum*, & *d. lex vlt Cod. Inst. vbi causæ fiscales*: quæ & ipsæ sunt Theodosii Iunioris. Sed & *d. lex 2. Cod. eod. de Præpositis S. Cubiculi.* Vbi Comes domorum inter Cubicularios recensetur. Præerat autem hic Comes domorum possessionibus seu prædiis eorundemque hominibus per Cappadociam (cuius Metropolis Cæsarea) ad principem spectantibus: quæ prædia, qui homines, Tamiaci, & Tamiaca dicebantur, de quo vide *Nouellam* Iustiniani *30. de Proconsule Cappadociæ*: Et (in *præfatione illius Nouellæ.*) & *cap. 7.* Quinimo & *cap. 1.* & *2.* Comitianæ cohortis, id est, Officialium Comitis domorum mentio fit: & in vniuersum ea *Nouella* Tamiacus hic Magistratus, id est, comes domorum abrogatur, eoque sublato, domorum, siue rerum Tamiacarum iurisdictio, simul & cohors Comitiana in Proconsulem Cappadociæ transfunditur, sic tamen, vt *Comitiani Officiales* seorsim a cohorte ciuili prædia Tamiaca administrent, reditus exigant & tractent, neque eorum quidquam officium Præsidiale attingat. Deinde & hac conditione, vt quod ad res Tamiacas attinet, *Proconsul* præceptis Præpositi Sacri Cubiculi pareat, relationes ad eum faciat, Palatinos & Canonicarios ab ipso missos admittat: breuiter sua maneat Præposito S. cubiculi hac parte authoritas. Quo ipso quoque demonstratur, quod paulo ante dixi, Comitem domorum per Cappadociam eiusque cohortem Comitianam, id est, officiales, denique res Tamiacas sub dispositione Præpositi Sacri Cubiculi fuisse.

Cur autem, & qua occasione suus Comes & specialis prædiis ad Principem spectantibus per *Cappadociam* præpositus fuerit, in obscuro est: Neque enim huic indagationi sufficere quis putet, quod Iustinianus *in Præfatione dictæ Nouellæ* scribit, *Cappadociam terram habuisse admodum præstantem, quaque adeo Principibus placuerit, vt etiam possessionibus, quas illic habent, peculiarem Magistratum præfecerint, Ciuili Magistratu seu Proconsule nihilo minorem.* Semper enim illud inquirendum superest, vnde hæ possessiones, & qua de causa Principibus adeo placuerint? Rem igitur a Constantino Imperatore quia repetat, qui cum sacerdotum & Templorum reditus ad se traxisset (de quo alioquin queruntur Pagani Scriptores Libanius, Eunapius, aliique de quo alibi plene) templorum quoque & sacerdotum reditus per Cappadociam sibi proculdubio vindicarit. Cæterum quam ampli essent hi reditus, elegantissimo Strabonis loco *lib. 12. p. 811. ed. Almelov.* ostenditur: Suum proinde iis reditibus administrandis Comitem Constantinus præposuerit. Nam & ita postea Gildonis patrimonio fisco quæsito proprius *comes Gildoniaci patrimonii* institutus fuit, de quo dicam *ad l. 7. inf. de metatis.* Non de nihilo tamen est, quod Iustinianus monet de soli Cappadocis bonitate & præstantia. Qua de causa etiam equorum greges Dominici præstantissimi intra Cappadociam fuere, de quibus dicam plane *ad l. vn. p. 210 inf. de grege dominico*: eorundemque meminit Iustinianus *Nouella 30. fine capitis 5.* Cæterum cur Præpositi S. Cubiculi dispositioni Comes domorum & prædia per Cappadociam tamiaca supposita aliquando fuerint, hanc Cuiacius rationem reddebat, quod, cum res priuata alia aliis necessitatibus deputata fuisset, *l. 36. inf. de annona*: prædiorum tamiacorum reditus cellario & *Cubiculo* Principis adsignati fuerint: ταμεῖον enim *Cellarium* dici in *Nouella* Martiani *2. de indulg. reliquorum*: addi potuit & *l. 9. inf. de indulg. debitor.* Quæ ratio mihi non placet, ταμεῖον enim non pro cellario, sed pro *fisco* accipiendum est: Tamiaca prædia in Cappadocia, vbi linguæ Græcæ vsus, sunt fiscalia, seu Principis, quæ alias *dominica* prædia: Ideo *l. 2. Cod. Inst. de præd. Tamiacis*, vbi qui initio *coloni tamiaci* dicuntur, mox *dominici* vocantur. Tamiacum igitur non Cellariense, sed Dominicum, vel fiscale. Deinde quid reditus plerique, qui ex his prædiis percepti, ad Cubiculum Principis faciebant, quid inquam, equorum greges, in quibus non vltimus fuit reditus? de quo ad *tit. de grege dominico.* Nulla alia ratio itaque quærenda videtur, quam quod ita Theodosio Iuniori visum fuerit Præpositi S. Cubiculi iurisdictionem extendere: nam & idem dignitatem eius admodum auxit, *l. vn. sup. de Præpositis S. Cubiculi.* Denique clare diuinæ domus, earumque reditus separantur a Cellariis *d. Nouella Martiani* & *d. l. 9. inf. de indulg. debitorum*

Cæterum iubet *hac l.* Theodosius Iun. Principem officii Comitis domorum per Cappadociam singulis annis e numero Mittendariorum a Comite R. P. mitti. *Mittendarii* inter Palatinos fuerunt tam in officio Comitis rerum priuatarum, vt docet *hac lex nostra*, quam in officio Comitis S. Largitionum, vt ostendit *lex 7. 8. 9. 22. 23. inf. h. t.* Erant autem in Scrinio, quod *Canonum* vocabatur, vt ex *d. l. 7.* discere licet, in quo scrinio Canonum, vt alibi ostendam, tributorum & functionum publicarum ratiocinia tractabantur: Postea separatum scrinium constituere: *l. 7. Cod. Iust. eod. tit. Canon* enim, quod notum, pro solenni tributo & præstatione seu illatione; de quo consule *Glossas.* Ex hoc igitur Scrinio Canonum ad canonis exactionem hi *Mittendarii* mittebantur in Prouincias a Comitibus S. L. & R. P. vt vel hæc *lex* ostendit, indeque nomen sortiti; deque ea re elegans locus extat apud Glossarii Nomici Authorem. Παλατῖνος, inquit, ὁ Παλατινὸς ὑπηρέτης: παλατῖνοι γὰρ κοινῷ ὀνόματι πάντες ἐκαλοῦντο αἱ ἐν τοῖς κατὰ τὸ Παλάτιον θησαυροῖς ὑπηρετοῦντες ταξεῶται. ἀλλ᾽ οἱ μὲν ἀεὶ τῷ παλατίῳ προσεδρεύοντες, ἐλέγοντο Κομιτατήσιοι: κομιτάτον γὰρ ὁ τόπος ἔνθα διάγει ὁ βασιλεύς: οἱ δὲ εἰς τὰς ἐπαρχίας πεμπόμενοι, μιτενδάριοι. μίττω, γὰρ τὸ ἀποστέλλω. Quo loco tamen nescio an Scriptori illi ratio constet, cum Palatinos *Mittendarios* a *Comitatensibus* distinguit. Nam ex *d. l. 7. inf. h. t.* liquido constat Mittendarios *Comitatensium* appellatione comprehendi. Palatini quippe Comitatenses seu Largitionales Comitatenses, *l. 6. inf. de diuersis officiis*, Officium Largitionum Comitatensium, *l. 3.* & *7. inf. de priuilegiis eorum qui in S. Palatio*: denique Scrinia largitionum Comitatensium *d. l. 7. inf.* non a comitatu Principis dicuntur, sed de Comitum seu Magistratuum nominibus, quorum dispositioni suberant. Quomodo & Comitiana cohors dicitur *Nouella Iustiniani 30.* A Comitatu equidem Principis *Comitatensem* fabricam dixit Ammianus Marcellinus *lib. 18. c. 4.* (vbi perperam vir doctus nescio quam Armorum Fabricam sibi fingit) Item legiones Comitatenses, & Pseudocomitatenses, seu Comitatense auxilium, (vt idem Ammianus loquitur *lib. 29. c. 5.*) de quibus dicam *titulo de re militari.* Mittendarii ergo

go proprie Comitum S. L. & R. P. Sed & Mittendatii omnes dici possunt qui missionibus parebant. Atque hoc sensu *Mittendarios* quoque vocat Cassiodorus *IV. Var. 47.* qui Principis missionibus parebant. Et Arius, Eunomiusque, Spiritum Sanctum *Filii mittendarium* dixere, docuere, vt testatur Rufinus *in exposit. Symboli*: Apud *Philostergium lib. 6.* vt quidem restituo, τὸ υἱῷ φόρετρον.

III. (a) Idem AAA. Cateruio C. S. L. (b)

PRIMICERII Scriniorum, Receptoriorum (c) etiam, per triennium, iuxta (d) instar sacrorum scriniorum, administratione fungantur, ita vt nullus, ambitu, tempora æui longioris vsurpet. Dat. XIV. Kal. Sept. Bauxare, (e) Auxonio (f) & Olybrio CONSS. [379.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFR.*

(b) *Cateruius* Comes S. L. sub Gratiano. *IDEM.*

(c) Putet reponendum quis *Exceptoriorum* : Sed nil mutandum. *IDEM.*

(d) Est qui reponat : *iusta*, *instar sacrorum scriniorum*, *administratione*: vt *l. 8. inf. Placuit iusta suggestio.* Verum nil mutandum. *Iuxta instar* recte dicitur, id est, iuxta exemplum & exemplar, sicut *ad instar.* Ita *antiquum instar* quoque *l. 74. inf. de Decurionibus*, & alia his similia, vid. *Glossar.* *IDEM.*

(e) De hoc loco *mox.* *IDEM.*

(f) *γρ. Ausonio*, hic & *l. prox.* & *l. 11. de lustrali coll.* & *l. 2. de desertorib.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

PRIMICERII Scriniorum Palatinorum triennales esse iubentur a Gratiano: exemplo Sacrorum Scriniorum Proximorum quod vtrumque postea biennio immutatum fuit, *l. 14. inf. h. t.* & *l. 6. sup. de Proximis Comitib. dispositionn.* Et tandem anno *l. 21. inf. h. t.* & *l. 11. 17. sup. de Proximis comit. disposit.* Primicerii Scriniorum Palatinorum iuxta instar Proximorum Sacrorum scriniorum habiti ferme fuerunt, seu ad similitudinem, vt loquitur *lex 21. inf.* & *l. 10. sup. de Proximis Comitib.* De Proximis Scriniorum *suo titulo* dictum est. Primicerii Scriniorum Palatinorum memorantur non tantum *h. l.* verum etiam *l. 14. 19. 21. vlt. inf. h. t.* & in *Notitia Imperii fol. 56.* vbi & *Primiscrinii* vocantur in
P. 211 Notitia Comitis rerum priuatarum. De horum vltimorum numero ad *d. l. vlt.* dicetur, Igitur, non nisi triennio durat Primiceriatus Scriniorum, etiam *Exceptoriorum*, ita enim legendum quis putet, hoc sensu, Triennii spacium excedere non posse non tantum cæterorum scriniorum Primicerios, verum etiam scrinii Exceptorum. Quod quidem primum scrinium fuisse Palatinum Comitis S. L. docet *lex 7. inf.* Eorundemque *Exceptorum* fit mentio in vtraque Imperii Notitia *fol. 49.* & *141. Secundocerium*, inquit, *officii*, *qui primicerius est Exceptorum.* Retineri tamen debet hæc vox, *Receptoriorum*, vt ita intelligantur postrema Scrinia Comitis S. L. quæ *recipiendis* & adseruandis pecuniis & speciebus aliis destinata erant, *ceux qui se mesloient de la recepte*, *Receueurs.* Cuiusmodi reperio hæc sex scrinia, *Scrinium aurea massa*, *Scrinium auri ad responsum*: *Scrinium Vestiarii sacri*, *Scrinium ab argento*, *seu argenti*, *Scrinium annullarense*, *vel miliarense*, *Scrinium denique a pecuniis*, vt ex *Notitia Imperii vtraque* constat *fol. 49.* & *141.* & ex *l. 7. Cod. Iust. de Palatinis S. L.* Atque hæc quidem vt dixi Scrinia sex, *Receptoria* scrinia fuerunt; *Quatuor* enim priora Scrinia fuerunt vel exceptoria, vel exactoria, de quibus agetur *l. 7. inf.* In vniuersum enim decem fuerunt his temporibus. Sensus igitur *h. l.* hic erit: *Non tantum summorum Scriniorum Primicerios nonnisi triennales esse posse, verum etiam minimorum Scriniorum*, cum alioquin minimorum Scriniorum officiales in officiis suis diutius retinendi viderentur. Et quo maius quodque est officium, eo breuiori tempore coarctandum videatur: vicissim quo minus, eo longius producendum. Verum, vt alibi quoque monui (ad *l. 6. sup. de Proximis*) quo citius ad summum locum in Schola aliqua festinantes peruenire possent, Principes summi cuiusque loci obtinendi tempus coarctarunt etiam vltimi.

Subscriptio huius constitutionis, quia singularis est, nunc illustranda venit: Dicitur igitur hæc Gratiani lex *Data* BAVXARE, Ausonio & Olybrio Coss. id est, A. D. 379. Qui locus *Bauxare*, diu me torsit: verum nullatenus dubito, quin *Bauzanum*, hic in Rhetia intelligendum sit: cuius mentio quoque apud Paulum Diaconum *lib. 5. Longobardic. c. 36.* *Hic dum Dux esset in Tridentina ciuitate, cum Comite Baioariorum, quem illi Grauionam dicunt, qui* A AVZANVM *& reliqua castella regebat, confligit, eumque mirifice superauit: Qua de causa elatus, etiam contra Regem suum Bertaridum manum leuauit, atque se intra Tridentinum castellum rebellans communiuit.* Manet hodiernum vocabulum in celebris mercatus oppido, ad Athesis Atacique fluminum confluentes, quod vulgo Italis *Bolzano*, Germanis *Botzen* haud procul a Tridentinis Alpibus: Gratianus quippe hoc tempore Mediolano (vbi erat adhuc III. *Nonas Aug.*) profectus, Liguriam, Venetiam, Galliam veterem, Rhetiam, Rheni accolas, Sequanos, Germaniam (primam scilicet) Treueros pergens pertransiit, teste Ausonio in *Gratiarum actione cap. 24.* hoc anno habita. Rhetiam, inquam, qua parte Sueuorum & Alamannorum motus compescuit eodem teste: & Socrate *lib. 5. cap. 6* Sozomeno *lib. 7. c. 24.* de quo accipio & *l. 7. inf. de reparat. appell.* Vbi & Tridentum; vbi scilicet, non vero Triuerini, data *lex 1. de Principib. Agentum in rebus* Prid. Non. Aug. mox & vico Augusti *lex 4. de auro Coronario:* Verum præstat ipsam Chronologiæ partem sternere, vti dictorum ratio constet.

III. Non. Aug. Dat.	MEN. *l. 5. de hæreticis*, *ad* Hesperium PF. P. Acc. XIII. Kal. Sept.
Prid. Non. Aug. Dat.	TRIVERINI (*γρ.* Tridenti) *l. 1. de Principib. Agentium*: ad Potitum Vicarium vrbis, Acc. VII. Id. Sept. Romæ.
IV. Id. Aug. Dat.	Vico * AVGVSTI. *l. 4. de auro coronario.* Pancreto P. V. **

* *Vicus* vrbs in Rhetia, Ptolomæo.

** *γρ.* Com. R. P.

XIV.

xiv. Kal. Sept. Dat.	Bauxaxx (γρ. Bauzane) *l. 3. de Palatinis S. L.* Cateruio Com. S. L.	Forte Bauzanum hoc idem cum eo, quod in *Notitia* sub Duce Rhetiæ *Batauis* (pro Bauzanis) vocatur, quod Ortelius indicauit.
xviii. Kal. Octob. Dat.	Txiv. *l. 12. de Medicis & Professorib.* Vindiciano.	

Ivdex *seu Rector prouinciæ neque Palatino, neque Rationali munus suum exequenti intercedere potest.*

IV. (a) Idem AAA. ad Hesperium PP. (b)

Nihil omnino vllis Iudicibus cum Palatinis nostræ Clementiæ, quicunque a Consistorianis (c) Comitibus diriguntur, commune atque coniunctum sit, sed excepta reuerentia, quæ, non solum ab inferioribus, sed etiam a maioribus, (d) Rectori Prouinciæ debetur atque defertur, suis quisque necessitatibus obsecundet: Nec (e) temere Apparitor prouincialis debiti (f) reum, quem Rationalis (g) Officium ad solutionem cogit, abducat. Dat. (h) VIII. Id Decemb. Sirmio, Auxonio (i) & Olybrio Conss. [379.]

NOTAE.

(a) Lex 4. *Cod. Iust. eod. tit.* IDEM.

(b) De hoc *Hesperio* PP. vide quæ in *Prosop.* IDEM.

(c) Omissa hæc vox a Triboniano: de quo etiam ad *l. 1. sup.* IDEM.

(d) *Et in prouincia degentibus rectoribus prouinciarum*: hoc addit Tribon. Maior scilicet adhuc quisque est intra suam prouinciam & iurisdictionem: de quo alibi. IDEM.

(e) Hæc sententia omissa a Triboniano; & certe ab hoc *titulo* fugitiua est, & abesse debuit: neque enim ad palatinos pertinet. IDEM.

P. 212 (f) *Debiti* appellatione, rei tributariæ debitum intelligendum, de quo dixi plene ad *l. 6. sup. de diuers. rescriptis.* IDEM.

(g) De *Rationalibus* dicam *lib. 10.* & dixi iam ad *l. 3. de honor. codic.* IDEM.

(h) Pro *Accepta*: vel *Reddita.* IDEM.

(i) γρ. *Ausonio*, hic & *l. superiore.* IDEM.

COMMENTARIVS.

Ivdicibvs seu Rectoribus prouinciarum hac constitutione, circa Palatinos, veluti eos qui fiscalibus titulis reique tributariæ promouendæ, exigendæ, a Comitibus Consistorianis vel Rationalibus mittuntur, præponuntur, pariter vt *l. 1. sup.* & *l. 6. 10. inf.* frœni imponuntur: a Comitibus inquam, Consistorianis, seu Comitibus consistorii, *d. l. 1. sup.* id est a Comitibus S. L. & R. P. vt ostendi iam *l. 1. sup.* imo & ab aliis quibusdam Illustribus, veluti Magistro officiorum, de quo ad *eam leg.* a Rationalibus, inquam, qui per singulas prouincias erant, de quibus *lib. 10. C'est donques vn Reglement d'office.* Id inquam in summam *h. l.* agitur, ne videlicet Rectores prouinciarum, interturbent officia Palatinorum & Rationalium: verum vt libere hi sua officia expleant & exequantur. Denique vt Iudicibus cum his nihil commune atque coniunctum sit: Quod sæpenumero facere soliti, atque adeo subinde reprimi oportuit: Iudicumque iurisdictionem & potestatem suos intra limites coërceri: Salua tamen reuerentia, seu, vt *hac l.* dicitur, *excepta reuerentia; quæ* addit, non *solum ab inferioribus, sed etiam a maioribus Rectori prouinciæ debetur atque defertur.* Alii scilicet sunt Potestatis & Iurisdictionis, alii Reuerentiæ fines: Etiam ii qui sub aliorum iurisdictione vel dispositione non sunt, reuerentiam tamen his debent: veluti Rectoribus prouinciarum, qui vtique maius imperium in ea prouincia omnibus post Principem habent, *l. 8. D. de officio Proconsulis: l. 4. D. de officio Præsidis.* Eaque reuerentia his non solum ab inferioribus, veluti a Palatinis & Officialibus Rationalium debetur, verum etiam a maioribus, inquit lex: Nempe intra potestatis suæ terminos quilibet maior censetur: atque ideo a maioribus alioquin dignitate his reuerentia debetur. Retro, dummodo reuerentiæ ratio constet, etiam inferior intra eandem prouinciam demandato sibi munere defungi libere potest & debet: neque eius officium interturbari. Exempli gratia, quæ secunda *huius leg.* sententia est, quamque Tribonianus repudiauit, non potest Apparitor Rectoris prouinciæ debitorem publicum, quem Officialis Rationalis ad solutionem cogit, abducere, & sic executionem illius impedire. Cæterum est hæc *lex* nominatim de Comitibus Consistorianis, qua appellatione quinam intelligendi sint, dixi iam ad *l. 1. sup.* quæ huic omnino concordat, vbi ostendi eam significationem latius patere quam huius Codicis conditores voluerunt, pariter vt Palatinorum appellatio: Contra Tribonianus vocem *Consistorianis* ob eius ambiguitatem hic sustulit, *Comitum* tantum appellatione retenta, vt ita suo *titulo* hanc *leg.* aptaret.

V. (a) Idem AAA. Nebridio (b) C. R. P. (c)

Qvidam post impletum (d) ordinem (e) militiæ Palatinæ, quam gesserant, honoremque (f) transactum, ad Exceptorum (g) scrinia transire nituntur. Hac igitur lege sancimus, vt nulli prorsus dehinc ista audendi relinquatur occasio, sed vnusquisque eius Scrinii, quod (h) *primum* militando delegit, (i) ordinem persequatur: nec in alterius lo-

co finem militiæ requirat, qui iam proprii ordinis (k) transegerit Principatum. Dat. V. Id. Oct. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino Conss. [383.]

NOTAE.

(a) *L. 5. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.
(b) *Nebridius Comes R. P.* de quo vid. *Prosopogr.* sub Theodosio M. *A. D.* 382. 383. *IDEM.*
(c) *PP.* Cod. Iust. male. *IDEM.*
(d) Expletum. *IDEM.*
(e) Ordo *hic & infr.* pro *scrinio.* *IDEM*
(f) *Primiceriatus*, vt in *fin. leg.* *IDEM.*
(g) Quod primum scrinium fuit, vt docet *lex 7. inf.* *IDEM.*
(h) *Quem* Cod. Iust. vitiose. *IDEM.*
(i) *Elegit* Cod. Iust. *IDEM.*
(k) *Ordinis*, id est, Scrinii. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Vno in Scrinio qui militauit, eiusque Princeps fuit, postea ad aliud Scrinium TRANSIRE, veluti ad Exceptorum Scrinia *hac* Theodosii M. *leg.* prohibetur. Cuius rei ratio hæc est, ne locus alius in eo Scrinio, ad quod affectant, debitum præripiant: vid. & quæ notabo *ad l. 9. inf.* idem constitutum de Officialibus Castrensibus S. Palatii, *l. 1. inf. de Castrensians.* Simile de numeris militaribus, *l. vlt. inf. de re milit.* vbi dicam, de Agentibus, *l. 7. 9. 14 sup. de Agentib.* de domesticis, *l. 7. 8. 10. vlt. sup. de Domest.* De Decanis, *l. vn. inf. de Decanis.* Ex *hac* interim *lege* apparet, in officio quoque Comitis rerum priuatarum fuisse Exceptorum scrinium, cuius tamen nulla in *Notitia Imperii* fit mentio. Verum de scriniis rerum priuatarum plenius ad *l. vlt. inf. h. tit.*

P. 223. VI. (a) Idem AAA (b) ad Probum PP. (c)

AB officiis Palatinorum Excellentia Tua sciat ita penitus recedendum, (d) vt neque (e) ipsi (f) postmodum licitum sibi credat hisdem aliquid iniungere: & præterea prouinciarum Rectores prohibeat, quicquam vlterius tale conari. Dat. VII. Kal. Nou. Med. post (g) cons. Merobaudis secundo, & Saturnini. [384.]

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.
(b) Si subscriptio bene habet, tum inscribendi hi Imppp. VALENTINIANVS *Theodosius, & Arcadius.* *IDEM*
(c) *Probus* PP sub Valentin. Iun. de eo vide *Prosopogr.* *IDEM.*
(d) *Recedere*, est nihil commune habere; vt *l. 4. sup.* abstinere. *IDEM.*
(e) Pro *nequidem.* *IDEM.*
(f) Excellentia tua drinceps: sic mox, *vlterius.* Hactenus ergo vsurpabatur hoc. *IDEM.*
(g) Subscriptio hæc singularis huius Consulatus, qui nullibi quod sciam ita nominatur. Forte tollenda hæc, *post Cons.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

PRÆFECTI quoque PRÆTORIO, ac multo magis *Prouinciarum* Rectores, Palatinis (de cuius vocis latitudine dixi ad *l. 1. & 4. sup.*) quidquam iniungere prohibentur a Valentiniano Iun. Quod tamen hactenus vsurpatum fuisse, *hac lex* docet. Idemque rursum prohibitum *l. 10. inf.* Quomodo etiam antea, Iudices *l. 1. & 4. & sup.* vetiti metum iudiciariæ commotionis his opponere, cumque his commune quid atque coniunctum habere: Solis scilicet *Comitibus* Sacrarum largitionum, & rerum priuatarum negotii alicuius Palatinis iniungendi potestas est, quos ideo sub dispositione sua habent. Vno verbo, Palatini *Solis Comitibus* parent, nullis aliis præterea, quamlibet *Sublimi* potestate subnixis. Illud ex *hac leg.* quoque notandum, quod ea iubetur Præfectus Prætorio Rectores prohibere, ne quidquam aduersus *leg.* faciant; scilicet sub dispositione Præfectorum Prætorio fuere Rectores Prouinciarum. Quod infinitæ aliæ *leges* ostendunt.

VII. (a) Idem AAA. (b) Trifolio (c) C. S. L.

SCRINIIS omnibus Largitionum Comitatensium infra scribtas *dignitates* (d) decernimus, vt his contenti, ambiendi (e) sibi aditum interclusum esse cognoscant, etiamsi speciale beneficium emendicato suffragio quisquam voluerit (f) impetrare. *Annonas* etiam iuxta definitum dignitatum modum volumus postulari, (g) nec amplius quicquem præsumi.

BREVIS. (h) *Quas dignitates, per singula Scrinia, Officium Sacrarum Largitionum habere statutum est.*

* Scrinium (i) *Exceptoris* (k) Perf. ord. p. n. 1. Ducenarii, n. II. Scrin. (l) *Tabulariorum,*

rum Perf. ord. III. Centenarii. n̄. II. Perf. ord. III. N. I. Perfectiss. cum (m) consulares n̄. II. Epistularii N. II. Ducenarius N. I. Ducenarius N. I. Form. prim. N. III. Centenarius N. I. Centenarii n̄. II. Form. sec. N. II. Epistulares n̄. II. Epistulari n̄. III. For. III. N. II. Forma I. N. III. Forma pri. N. VI. Scrinia (n) *Can.* For. sec. N. III. *Mittendarii* (o) For sec. N. V. Perfectiss. Sat... (p) N. III. Ducennarii N. II. Formæ tertiæ N. III. Centenarii N. II. Centenarii N. VI. Scriniarii *Numeror.* (q) Epistulares N. III. Epistular. N. XII. Perfect. ord. sec. N. I. Formam prim. n̄. IV. Form. prim. n̄. XI. Form. sec. n̄. IV. Form. sec. N. XIII. Dat. IV. Id. Iun. Heracliæ, Richomere & Clearcho Conss. [384.]

NOTAE.

(a) *Lex 7. Cod. Iust. eod. tit.* Longe plenior est: vndecim quippe etiam Scriniorum omnium dignitates digerit & consignat. Cum *h. l.* non nisi quatuor digerantur. Huius *leg.* mentio fit *l. 11. inf.* Abrogatur vt puto *l. 19.* qua Valentis Constitutio reducitur. *GOTHOFREDVS.*

(b) Reponendi hic *Impp.* THEODOSIVS *&* *Arcadius*, vid. *Chronolog.* *IDEM.*

(c) *Trifolius Comes S. L.* sub Theodosio: cui inscribuntur quoque duæ *leges* sequentes, vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(d) Abrogata Valentis constitutione, de qua *leg. 13. inf.* *IDEM.*

(e) Altiores dignitates. *IDEM.*

(f) *Valuerit.* *IDEM.*

(g) *Præstari*, Cod. Iust. *IDEM.*

(h) De hac BREVIS voce, consule *Glossar.* *IDEM.*

* Confusio in hoc *Breui* est aliqua, sed & mendis scatet: quibus tollendis opera nauanda est. *IDEM.*

(i) *In Scrinio*, vel *per scrinium*: vt *sup.* *IDEM.*

(k) *Scrinii Exceptorum Perfectissimus Ordinis secundi, numero vnus, id est Primicerius Exceptorum vnus: Ducenarii duo, id est, Tertiocerius & Quartocerius, Centenarius vnus, id est Primicerius instrumentorum: Epistulares numero duo. Formæ primæ, numero triginta sex: Formæ secundæ numero quatuor: Formæ tertiæ numero tres:* Hæc ita in Codice Iustinianeo, de Scrinio Exceptorum. De Exceptoribus dicam ad *l. 2. inf. de numerariis.* *IDEM.*

P.114 (l) *Sacri Scrinii Tabulariorum Perfectissimus Ordinis tertii numero vnus: Ducenarius numero vnus: Centenarius numero vnus: Epistolaris numero vnus: Formæ primæ numero tres: Formæ secundæ, numero quinque:* ita Codex Iust. *IDEM.*

(m) An *Cent. N. 1.* an, *inter Consulares?* arg. *l. 19. & l. vlt. inf.* *IDEM.*

(n) *Scrinii Canonum perfectissimus Ordinis tertii numero vnus: Ducenarius numero vnus, Centenarius numero vnus, Epistolares numero duo: Formæ primæ numero quatuor. Formæ secundæ numero quatuor.* Ita Codex Iustin. *IDEM.*

(o) *Scrinium Mittendariorum*, in Codice Iustinianeo separatim constituitur, deque eo hæc scribuntur, *Scrinii Mittendariorum Ducenarius numero vnus; Centenarii numero duo: Epistulares, numero octo. Formæ primæ numero septem: Formæ secundæ numero triginta tres.* *IDEM.*

(p) In edit. Cuiacian. abest nota numeralis, legiturque: *Perfectissimus Sant. N.* *RITTER.*

(q) Forte *Numerariorum*, vt in *Notit. Imp. Scrinii Numerorum Perfectissimus Ordinis tertii, numero vnus: Ducenarius numero vnus: Centenarii numero duo: Epistulares numero duo: Formæ primæ numero tres: Formæ secundæ numero vnus; Formæ tertiæ numero duo.* Ita Cod. Iust. *GOTHOFREDVS.*

COMMENTARIVS.

DIGNITATEM & ANNONAS Palatinorum Sacrarum Largitionum, per singula scrinia, præstitutum it *hac leg.* Theodosius M. vltra quæ ambiri, etiam per adnotationem Principis, vel quidquam postulari aut præsumi non possit. Hoc vt intelligatur, sciendum est, SACRARVM LARGITIONVM Scrinia varia fuisse, seu Palatinos S. L. in varia Scrinia diuisos, & quidem Theodosii Iunioris temporibus, in *Decem* scrinia; vt docet Theodosii ipsius Breuiarium, *leg. 7. C. Iust.* & Not. Imper. *fol. 49. Scrinium*, inquam, *Exceptorum*, *Canonum*, *Tabulariorum*, *Numerariorum*, *Aurea massa*, *Auri ad responsum*, *Vestiarii sacri*, *Argenti seu ab argento*, *Annulareuse seu a miliarensibus*, *denique Scrinium a pecuniis.* Verum postea Vndecim fuere: vt docet *lex 7. Cod. Iust. eod. tit.* Peculiari videlicet *Mittendariorum* scrinio constituto, cum antea Mittendarii Scrinio Canonum continerentur, vt hæc *lex* nostra ostendit; quorum ideo etiam nulla in *Notitia Imperii* mentio fit.

Porro scrinia hæc decem Comitis sacrarum Largitionum bifariam adhuc diuidebantur: Priora quatuor vno nomine & separato; posteriora sex suo continebantur, & quidem quatuor priora proprie *Largitionum Comitatensium* nomine comprehensa *hac lex* ostendere videtur: nam cum nonnisi quatuor illorum quæ dixi priorum dignitates *hac l.* digerantur, ita præfatur, *Scriniis* OMNIBVS *largitionum Comitatensium supra scriptas dignitates decernimus.* Nisi, quod verosimilius videatur, *lex* hæc ab *huius Codicis* Conditoribus truncata, quod suadere videtur Codex Iustinian. Et certe *largitionum*, & *largitionalium Comitatensium* appellatione *lege 3.* & *7. inf. de priuilegiis eorum qui in S. palatio* & *l. 6. inf. de diuersis officiis*: veniunt & intelliguntur omnes Officiales Comitis S. L. Quocunque communi nomine quatuor priora scrinia comprehensa fuerint, *sex posteriora* certe *Receptoriorum* appellatione comprehendi *l. 3. sup.* ostendi. De quatuor prioribus *h. l.* tantum agitur, de his igitur notandum; In his Scriniis hæc Officiorum & Officialium nomina fuisse: Primum *Primicerios* singulorum Scriniorum (de quibus dictum fuit *d. l. 3.* quorumque meminit *Notitia Imperii.*) Item *Ducenarios*, *Centenarios*, *Epistulares*, *seu Epistularios*: & nominatim in scrinio Canonum *Mittendarios*. De *Mittendariis* dictum fuit ad *l. 2.* *Epistulariorum* meminit quoque Saluianus noster *lib. 5. de Prouidentia Dei*, *n. 153. pag. 93. edit. Bremens.* *Veniunt*, inquit, *plerumque noui nuncii, noui* EPISTVLARII *à summis Sublimitatibus missi: qui commendantur Illustribus paucis ad exitia plurimorum: decernuntur his noua munera, decernuntur noua* INDICTIONES. Epistularii igitur fuerunt, qui in Prouincias cum Epistulis mittebantur, non ad exactiones tributorum vrgendas (id enim *Mittendariorum* munus fuit) sed ad insinuandas & significandas nouas indictiones: *Ducenariorum & Centenariorum* nominis vsus hoc æuo plurimus fuit. Nam & in schola Agentium in rebus fuisse eos superius ostensum est, *suo Titulo.* Fuere igitur & in scriniis largitionum, eorumque fit quoque mentio *l. 8. 9. inf.* & forte in

l. 1. & 9. inf. de exactionibus, vbi dicam. Fuerunt & alii in scriniis Comitis sacrarum largitionum, qui dicebantur *Prima forma, Secunda, & Tertia.* Quemadmodum & inter Castrensianos alii pariter Primæ, Secundæ, Tertiæ formæ fuerunt, *l. 2. inf. de Castrensianis.* Formas vocabant gradus certos in singulis scriniis vel scholis, & quasi characteres, qui manipuli, sic vt dicam, scholarium & scriniariorum inter se distabant: quomodo *formam* nummi characterem dici, notum est. Haud aliter ac inter *Comites*: alii ordinis primi, alii secundi, alii tertii fuerunt; vt alibi plenius ostensum est. Imo quod hæc ipsa *lex* nostra testatur, quemadmodum inter *Perfectissimos*, (de quibus *suo Titulo* dicam, *vltimo* inquam, *huius libri*) alii ordinis primi fuerunt, alii secundi, alii tertii.

His igitur omnibus scriniariis Comitis S. L. singulis sua DIGNITAS hac Theodosii constitutione adsignatur; abrogata *leg.* Valentis: *arg. l. 13.* vt alii videlicet sint Perfectissimi ordinis primi, alii vero ordinis secundi, alii denique ordinis tertii. Quibus certe dignitatum gradibus suæ quoque & definitæ annonæ, id est, stipendia, gradatim constituta erant, & strenæ *h. l.* & *l. 11. inf.* quo maiorem modum inferioris ordinis Scriniariis nullo suffragio impetrare licebat: *Sua quisque scilicet dignitatis stipendia ferre debet, non alterius.* Quæ præcipua est, & vnica ferme *huius legis* sententia, atque vnicus hic scopus, sicut & *dictæ legis 11.* vbi de his Annonis, strenis, vestibus, atque in vniuersum de stipendiis dicendi locus erit. Quod perfectissimatus dignitatem attinet Palatinis tributam, vide quoque *l. 7. de priuil. eorum qui in S. Pal.* Cæterum Theodosius M. hanc *leg.* suam biennio post rursum firmauit, *l. 11. inf.* Arcadius, reducta Valentis *lege*, infirmasse videtur, *d. l. 13. inf.*

VIII. (a) Idem AAA. Trifolio (b) C. S. L.

P.215 PLACVIT iusta, (c) & omnibus Mittendariis (d) Palatini Officii profutura suggestio, qua insinuasti, vt ex hisdem, annui (e) singuli ex Ducenariis: (f) terni, (g) ex Centuriis, (h) habito prouisionis intuitu, cingulo liberentur. Dat. IV. Id. Mart. Constantinop. Arcadio A. I. & Bautone V. C. CONS. [385.]

NOTAE.

(a) *L. 8. Cod. Iust. eod. tit.* Iungendaque huic *lex prox. inf.* GOTHOFREDVS.

(b) *Trifolio* huic Comiti S. L. inscribitur quoque *lex 7. sup.* vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Iuste*, Cod. Iust. omissa voce *&*: quod factum non oportuit IDEM.

(d) De *Mittendariis* dictum ad *l. 2. sup.* Cæterum. Cod. Iust. habet, *Mittendariis & Palatinis officiis*: male IDEM.

(e) *Annis singulis*: Cod Iust quæ mutatio non modo inanis & superflua, istud enim Latinum magis, verum etiam male cum dispendio totius *legis.* IDEM.

(f) De *Ducenariis & Centenariis* dictum ad *l. 7. sup.* IDEM.

(g) Ex *Ducenariis terni*: Cod. Iust. male, de quo mox. IDEM.

(h) *vg. Centunariis*, vel *Centenariis*, vt Cod. Iust. & *l. prox. 9.* IDEM.

IX. (a) Idem AAA. Trifolio C. S. L.

DE Mittendariis Palatinis, annui singuli ex Ducenariis; terni, ex Centenariis, habito prouisionis intuitu, cingulo liberentur: & (b) prioribus decedentibus, locus sequentibus detur. Dat. IV. Id. Mart. Const. Arcadio A. I. & Bautone CONSS. [385.]

NOTAE.

(a) Iungenda, vt dixi, hæc *lex* superiori. GOTHOFREDVS.

(b) Hac sententia hæc *lex* amplior quam superior: de quo mox. IDEM.

COMMENTARIVS.

DE MITTENDARIIS, de quibus iam *l. 2. & 7. sup.* & *l. 22. 23. inf.* Palatinis, qui scilicet de Palatino officio erant, sunt hæ duæ leges, in eandem sententiam, & quidem vnius eiusdemque constitutionis Theodosianæ: Quod mirum, & inter næuos *huius Codicis* Conditorum ponendum videtur: Quanquam vtraque quid peculiare habet, etsi in summam consentiant, eademque verba de eo contineant: Nempe prior docet, hanc constitutionem latam *ad suggestionem Trifolii Comitis S. L.* (vt multæ constitutiones ad suggestionem & insinuationem Magistratuum, de iis quæ ad officium & munus eorum pertinebant, promulgatæ) Posterior rationem suppeditat eius quod *hac l.* constituitur; de qua mox: Tribonianus priorem tantum retinuit, spreta posteriore, quæ tamen, vt dixi, animam legis continet: idemque totam eius sententiam conturbauit: non tantum interiecta voce, *&*, mutatoque ita loco, *Mittendariis & Palatinis officiis:* quasi Mittendarii Palatini quoque non essent, aut quasi de aliis Palatinis officiis hic ageretur, quam de Mittendariis: Verum tota insuper eius sententia immutata: de qua nunc videndum est: Igitur iubet hac constitutione Theodosius M. ex Mittendariorum numero annuatim, per annos singulos, cingulo liberari, seu ex officio Palatino exire (vt loquitur *lex penult. inf.*) ex Ducenariis singulos, id est, vnum: ex Centenariis ternos. Nempe inter Mittendarios alii Centenarii, alii Ducenarii erant, vt docet quoque Breuis subditus *legi 7. sup.* Ergo quatuor in vniuersum e Mittendariis per singulos annos cingulo liberari & exire iubentur *h. l.* quod & ipsum postea stetit sub Theodosio Iun. vt expresse docet eius *lex 23. penult. inf.* Qui numerus plane conturbatus *Codice Iustin. in d. l. 8. Cod. Iust. eod. tit.* ea quippe, vt ea *lex* habet, iubentur annis singulis ex Ducenariis terni cingulo liberari, ex Centenariis vero, habito prouisionis intuitu: id est (nam

(nam id ita *ibi* proculdubio accipiendum) quantum sufficere visum fuerit: Quod quidem euenit, tum ex praua interpunctione: tum horum verborum, *habito prouisionis intuitu*, interpretatione: quæ significant, hunc numerum sufficientem visum. Id enim sibi vult illa formula, de qua in *Glossario*. Rationem quod attinet, isthæc est: nempe vt prioribus decedentibus, locus sequentibus detur, atque ita sequentes promoueantur, suo ordine: Quo simul indicatur, hunc promotionis ordinem non interturbandum insititio, vel aduentitio alio; de qua prohibitione iam *supra* sæpe; imo & ad *l. 5. h. t.* & *l. vlt. inf. de re militari*: Forte ex vno scrinio in aliud: quo pertinet *d. l. 5.* & *l. 1. inf. de Castrensianis.*

X. (a) Idem AAA. ad Principium PP. (b)

Si quis Iudicum (c) Palatino vel profligationem (d) debitorum (e) putauerit esse mandandam, vel eius impertiendum litigatori auxilium in lite priuata, tam ipse quam eius Officium per singulos quibus vetita curanda commiserit quinas auri libras fisci viribus inferre cogatur. Dat. Prid. Kal. Sept. Aquil. (f) Arcadio A. II. & Bautone Conss. [385.]

P. 216

NOTAE.

(a) Concordat huic legi *lex 17. inf. de exactionibus*: & *lex 6. sup.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Principius* PP. sub Valentiniano Iun. vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) *Iudices* id est, Rectores prouinciarum. *IDEM.*

(d) *Profligatio*, id est, exactio, vide & *legem 9. inf. de Executoribus*, & *l. 4. ne conlationis translatio postuletur.* vid. *Gloss.* *IDEM.*

(e) *Debitorum*, id est debitorum publicorum, vt *l. 4. sup.* De quo plene dixi ad *l. 6. sup. de diuersis rescriptis.* Mox opponitur litigator, & lis priuata. *IDEM.*

(f) Vid. Zosimum *lib. 4. cap. 42.* & *Ambrosium ep. 24. edit. Benedict.* & *Chronolog. nostram.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Ivdices seu Rectores Prouinciarum Palatinis quidquam iniungere, vt *lege 6. supra*, vetiti superiore anno a Valentiniano Iuniore: Ita & *hac lege* rursum ab eodem Imperatore vetantur: Ac nominatim illud *h. l.* vetiti, ne Rectores Prouinciarum, quos tributariæ rei & exactionis cura manebat, *Exactionem* tributorum Palatinis iniungant. Quod & ipsum postea cautum a Theodosio Iuniore *l. 17 inf. de exaction.* Sed reuocatum, *l. 18. eod. tit. de exact.* Item ne in lite priuata Palatini auxilium litigatori impertiant, id est, ne executionem in lite priuata eis mandent. Ne scilicet formidabili hoc Palatinorum ministerio vel terror incutiatur, aut concussiones exerceantur. De exactione tributorum Palatinis committenda vel non, dicendi locus erit ad *d. l. 17. inf. de exactionib.* & *l. 32. inf. de susceptorib.*

XI. (a) Idem AAA. Proculo (b) C. S. L.

Olim (c) statuimus, *Vt vltra definitas dignitates* (d) *nullus* (e) *nec Annonas* (f) *nec Strenas perciperet.* Sed quia plerosque de diuersis Palatinis Officiis, sub occasione indepti honoris, Strenas & Vestes, (g) ceteraque solemnia, vltra statutum (h) numerum percepisse cognouimus, & id quod ex superfluo præbitum est exigi facias: & deinceps vltra statutas dignitates nihil præberi permittas. Dat. Non. Mai. Constantinop. Acc. (i) a Valerio C. S. L. Honorio Nob. P. & Euodio Conss. [386.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *IDEM.*

(b) *Proculus* Comes S. L. sub Theodosio An. 386. ex Comite Orientis, vt videtur mox Præfectus vrbis, vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) Ante biennium, *l. 7. sup.* quam *hac* innuit. *IDEM.*

(d) *Dignitates*, hic & *fin. leg.* & *l. 13.* sunt prærogatiuæ & commoda in officio publico constitutorum: ἀξίαι. *IDEM.*

(e) Palatinus S. L. *IDEM.*

(f) *Annona* appellatione vestis quoque hic comprehenditur. *IDEM.*

(g) Dicam inf. ad *l. 1. de mil. veste.* *IDEM.*

(h) Id est, vltra definitum annonarum modum. *IDEM.*

(i) Accepta ab alio, puta a successore, lex quæ ad eius decessorem scripta fuerat. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Annonæ Palatinis Comitis Sacrarum Largitionum diuersæ fuerant definitæ & constitutæ, pro dignitatum diuersitate: idque nominatim ante biennium ab eodem Theodosio *l. 7. sup.* factum fuit, quam *hac* nostra innuit. Eo proinde maiorem modum exigi vel præberi, vt *illa lege*, ita & *hac* rursum idem prohibet. Quinimo si quid *ex superfluo*, id est, supra modum annonarum, dignitati suæ congruum & competentem, acceptum fuerit, id repeti *h. l.* iubetur. Suus cuique dignitati scilicet modus annonarum constitutus fuit; Alius scilicet Perfectissimis Ordinis primi, alius Ordinis secundi, alius ordinis tertii. Item modus alius Formæ primæ, alius Formæ secundæ, alius Formæ tertiæ, *d. l. 7. sup.* alius Comitum ordinis primi, alius secundi, alius tertii, *l. vlt. sup. de proximis Comitib. disp.*

 Idque

Idque ita inter Palatinos obferuatum, feu in Palatina militia. Hinc quoque *l. vn. Cod. Iuſt. de annonis & capitatione adminiſtr.* pro annonis & Capitis dignitati fuæ debitis; fed & in armata idem obtinuit Hinc *l. 1. inf. de erogat. militar. annona* (vbi dicam aliquid) Tribuni & Præpofiti fumere dicuntur annonas fuæ congruas dignitati: & *l. 32. eod. tit.* fpecies accipere debitas dignitati, & *l. vn. Cod. Iuſt. d. tit.* annonas pro dignitate fua confequi & annonas fuæ dignitatis. Infignefque ea de re funt loci apud Hiftoriæ Auguftæ Scriptores, & nominatim apud Trebellium Pollionem, in *vita Claudii cap. 14.* & 15. ex Epiftola Valeriani ad Zofimionem Procuratorem Syriæ: & ex Epiftola eiufdem ad Ablauium Murenam Præfectum Prætorii. Ex priore hæc verba notanda funt. *Hæc autem omnia idcirco specialiter non quaſi Tribuno, ſed quaſi Duci detuli, quia Vir talis eſt, vt ei plura etiam deferenda ſint.* Vide & Epiftolam Valeriani de Probo Tribuno ad Præfectum Prætorio, Muluium Gallicanum apud Vopifcum *in Probo. cap. 4.* Quandoque tamen Principes, (vt ex illis ipfis locis apparet) non rigide femper modum annonarum dignitati congruum obferuarunt, fed annonas fæpe maiores Tribunis & Ducibus deferebant, quam dignitas eorum poftulabat, vt effet aliquod meritorum pretium fupra dignitatis & ordinis gradum. Quod in Aureliani Ducis perfona ftatuit Valerianus, cui aliquid præcipue decreuit, vt ex eius Epiftola conftat apud Vopifcum, *in Aureliano cap. 9.* Itemque *in Claudio Tribuno*, cui non tanquam Tribuno, fed tanquam Duci fpecialiter illa omnia quæ in eius Epiftola continentur,
P.217 detuliffe profitetur, quod vir effet talis, cui etiam plura deferenda effent. Sed infignis maxime locus eft, de annonis extra ordinis fui gradum non accipiendis, *hic*, ex prædicta Valeriani Epiftula de Aureliano, *l. c.* quibus hæc Vopifcus præmittit: *Illi*, inquit, *Romam venienti ſalaria ſui* ORDINIS *ſunt decreta. Exemplum Epiſtolæ: Valerianus Auguſtus Ceionio Albino Præfecto vrbi: Vellemus quidem ſingulis quibuſque deuotiſſimis Reipub. Viris multo maiora deferre compendia quam eorum* DIGNITAS *poſtulat: maxime vbi honorem vita commendat: Debet enim quid præter dignitatem pretium eſſe meritorum; Sed facit rigor publicus, vt accipere de Prouinciarum oblationibus* (alii habent *illationibus*) VLTRA ORDINIS SVI GRADVM *nemo plus poſſit.* Et hæc omnia procul dubio ita conftituta fuerunt, inuidiæ & æmulationi tollendæ. Cur enim eiufdem militiæ, formæ, & Ordinis participes diuerfo falario donentur? Quanquam & hæc præterea ratio reddi poteft, ne procedentibus alioquin in immenfum huiufcemodi annonarum incrementis, publici reditus feu Prouinciarum oblationes falariis non refponderent. Atque hic eft PVBLICVS RIGOR, quem æquitas certe relaxari (quidquid *hoc l.* vel fimilibus ftatutum reperiatur) fuadet: imo & vtilitas publica. Nam vt inter artifices longa eft differentia, ita Meritorum rationem haberi, & virtutem fpe præmiorum accendi publice vtile eft. Atque vt falaria maioris ordinis alicui extra ordinem Virtutis ergo decreta fæpe fuere, ita & ad augendam quorundam dignitatem & authoritatem, etfi minoris forent ordinis, maioris tamen dignitatis fiue infulis, fiue infignibus eos decorari non raro folitum. Ita Spartianus fcribit in Hadriano *cap 6. Martium Turbonem poſt Mauritaniæ Præfecturam, infulis ornatum Pannoniæ, Daciæ quoque ad tempus Præfectum.* Et paulo poft *cap. 7. Daciam Turboni creditam titulo Ægyptiacæ Præfecturæ, quo plus haberet authoritatis, ornato.*

Salaria porro (vt generali verbo vtar) Palatinorum, & omnium qui in commentarium Principis relati erant (*qui eſtoient couchés ſur l' Eſtat*) variis rebus confiftebant: in *Annonis* proprie dictis (id eft in fpeciebus annonariis, veluti frumento, vino, capito, v. *l. 1. ſup. de domeſticis*, & *tit. inf. de erog. mil. ann.* & id genus aliis, de quibus confulendi funt quos dixi Hiftoriæ Auguftæ Scriptores:) Item in *veſtibus*, de quibus iidem quoque confulendi v. & *l. vlt. ſup. de proximis Commib. diſp.* Videndi & Tituli duo, *inf. de erogatione militaris annonæ* & *Titulus de veſte militari.* Fuerunt & aliæ folennia veluti argentum & minifteria. Quatuor igitur ferme hæc in annonis feu ftipendiis fuere. *Salarium* proprie dictum, (in fpeciebus) *veſtis, argentum, miniſterium.* Quatuor hæc in *Epiſtola* Valeriani de Claudii Tribuni falario diftincte ponuntur *apud Pollionem in vita eius. cap. 15. Sane ſcias*, inquit, *tantum ei a nobis decretum* SALARII, *quantum habet Ægypti Præfectura: tantum* VESTIVM, *quantum Proconſulatui Africano detulimus: tantum* ARGENTI, *quantum accipit Curator Illyrici Metalli: tantum* MINISTERIORVM, *quantum nos ipſi nobis per ſingulas quaſque decernimus ciuitates.* Idemque apparet figillatim ex altera *Epiſtola* Valeriani, quæ hanc præcedit proxime de eodem Claudio Tribuno *cap. 14. Eademque Epiſtola* & STRENARVM fit mentio, vt *h. l.* noftra: *Argenti* inquit, *in opere annua pendo quinquaginta Philippæos noſtri vultus annuos centum quinquaginta, & in* STRENIS *quadraginta ſeptem & trientes centum ſexaginta.* Scilicet Palatinis certis folennitatibus fecundum Ordinis fui gradum Principes in auro ferme ftrenas donabant; de quo eft hæc *lex*; eodemque pertinet *lex vlt. inf. de priuil. eor. q. in S. Pal.* De eodem eft elegans hic Ammiani Marcellini locus, *lib. 16. cap. 5. Inductis*, inquit, *quadam* SOLEMNITATE *Agentibus in rebus in Conſiſtorium, vt aurum acciperent, inter alios quidam ex eorum conſortio, non, vt moris eſt, expanſa chlamide, ſed vtraque manu cauata ſuſcepit: & Imperator, Rapere, inquit, non accipere ſciunt Agentes in rebus.* Item hic Sozomeni *lib. 5. cap. 17.* ἐπεὶ γὰρ καιρὸς παρῆν βασιλέα δωρεῖσθαι στρατιώτας (γίνεται δὲ τοῦτο ὡς ἐπίπαν ἐν ταῖς Ῥωμαίων ἱερομηνίαις, καὶ βασιλέων, καὶ βασιλίδων πόλεων γενεθλίοις ἡμέραις) τῶν δὲ ἐπὶ ταύτῃ παριόντων ἕκαστον, &c. & poft; προστρέψαντες ἐν δεδώκει χρυσὸν, id eft, *vbi tempus aduenit vt Imperator dona elargiretur in milites, quod quidem Romanorum Kalendis & Natalibus Imperatorum & reginarum Vrbium fieri ſolet*, &c. *eorum qui ad munus accipiendum accedebant vnumquemque.* Et poft: *Proiicientes ad pedes eius, quod dederat auro.* Atque iftud eft, diu quæfitum, neque a quoquam adhuc peruestigatum, PVNCTI *ſolatium*, cuius meminit Anaftafius, in *l. 4. §. 1. Cod. Iuſt. de Aduocatis diuerſorum Iudicum. Iubemus*, inquit, *Viros Clariſſimos fiſci pro tempore patronos ſori Tua Celſitudinis* SOLEMNI *die feſtiuitatis Kalendarum Ianuariarum ipſius tantummodo anni, per quem tale peragunt officium,* INTER *ſpectabiles Sacri Conſiſtorii Comites, diuina noſtra Serenitatis manu* PVNCTI *conſequi ſo*LATIA. Qui locus omnes hactenus torfit, vt ex Cuiacii *Obſeruatione 2. lib. 13.* difcere licet. Et perperam Græci hic legerunt τὸ *Pactum*; Vnde tentabat Cuiacius, *Pacti ſolatium*, feu *Pacta ſolatia*: hoc fenfu, *Aduocatos fiſci conſequi (vt ait lex 3. & lex 5. eod. tit.) quod communi conſenſu ſiue communi placito & conuentione totius Collegii Aduocatorum patronis fiſci conſtitutum eſt.* Perperam omnino. Neque enim hoc loco agitur de illis folatiis, fed de iis, quæ de manu Principis ftrenarum loco accipiebant; quod eleganter admodum *Puncti ſolatium* vocatur; de quo dixi plene ad *leg. vlt. ſup. de poſtulando.*

Solatium autem fumitur non pro falario integro, verum pro liberalitate & lucello quodam & munificentia: Ita *l. 32. inf. de nauiculariis*, folatiis pro mercedula præftitis ex tributariæ penfitationis immanitate, & *l. penult. inf.* folatia vocantur quæ exeuntibus ex officio conferebantur beneficii loco, & ftipendiis opponuntur. Et fic eodemque fenfu Spartianus

tianus *in Hadriano c. 9.* dixisse videri potest, *Ægros bis ac ter die & nonnullos Equites Romanos ac libertinos visitauit*, SOLATIIS *refouit, consiliis subleuauit.* Et multo magis male hinc colligit nonnemo, ex hoc ipso loco, de quo nuncagimus, *Puncta* pro solatiis & salariis ipsis accipi.

P.118 ADSCISCI PALATINOS *ac nominatim* CASTRENSIANOS *nonnisi Principis adnotatione oportere.*

XII. (a) Imppp. VALENTIN. Theodosius & Arcadius AAA. Seuero (b) Comiti, & Castrensi.

NVLLVS eorum, qui Palatinis (c) intra aulam obsequiis deputandi sunt, ad aliquod munus debet admitti, nisi cui Adnotatio Nostra sortiendæ talis militiæ copiam patefecerit. Dat. XVIII. Kalen. Feb. Med. Valentiniano A. IV. & Neoterio CONSS. [390.]

NOTAE.

(a) Fugitiua hæc lex est, mox vt ostendam. *GOTHOFREDVS.*

(b) Seuerino Com. R. P. *l. vlt. inf. ad leg. Iul. repet.* MS. hic habet, *Seueriano.* *IDEM.*

(c) Ambiguitate huius vocis. *Cod. Theodosiani* conditores in errorem inducti fuerunt. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

ADMITTI ad Palatinum aliquod munus, intra Principis aulam, non nisi ex Principis permissu & adnotatione quis potest: ex hac Valentin. Iun. constitutione. Quæ quidem ab hoc *titulo* fugitiua omnino est, & ab *huius Codicis* Conditoribus hunc in *titulum* perperam coniecta. Nam etsi *Palatini* sint omnes, qui in Principis obsequiis sunt: item, etsi Officiales Comitis S. L. & R. P. *Palatini* quoque dicuntur: rursum etsi hoc ipsum quod de Palatinis intra aulam obsequium præstantibus, *h. l.* cauetur, de *Palatinis S. L.* quoque caueatur *l. 15. inf.* & de Palatinis R. P. *l. 18. inf.* aliud tamen & speciale seu diuersum quid est, *Palatinis* INTRA AVLAM obsequiis deputari, seu aliquo munere militiaue intra aulam fungi. *Palatini* scilicet alii sub Comite S. L. & R. P. erant (qui illi Palatini sunt, de quibus est hic titulus) Alii vero obsequiis Principis officia præbebant: *l. 1. inf. de priuil. eorum qui in sacro pal.* intra aulam obsequiis deputati erant, vt hæc *lex* loquitur, in palatio obsequia præbebant; *l. 2. d. t. de priuil.* &c. in diuersis obsequiis Palatinis erant, *l. 3. d. t.* Palatini fidelis obsequii munera implebant, *l. 5. d. t.* Palatinis intra aulam obsequiis deputati, *l. 12. eod.* Qui a Palatinis Largitionum, de quibus *hoc titulo*, diserte separantur, *d. l. 3.* imo & a Scriniariis quandoque Memoriæ, Epistolarum, &c. *d. l. 1.* & *3.* & a Cubiculariis, *d. l. 3.* Quinam igitur illi sunt? Nempe, qui sub dispositione Magistri officiorum, & Comitis Domesticorum fuere: *l. 42. inf. de hæreticis*, (vbi, intra Palatium militare dicuntur:) item sub Castrensi S. Palatii vt *hac leg.* & apud Corippum, versibus quos mox laudabo. *Obsequii* scilicet vox proprie de his vsurpata, qui circa Principem vel domi, vel foris procedenti obsequebantur apud Capitolinum *non semel*, Trebellium Pollionem, in *Claudio c. 14.* Cassiodorum *VII. Var. 5.* in *formula Curæ Palatii.* Quare & *obsequium* dictum pro comitatu procedentis apud Agrœtium *de orthographia pag. 2272. inter Grammat. vet. El. Putschii.* Constantinum *de thematibus lib. 1. th. 4. orient.* Warnefridum de gestis Longobardorum *lib. 1. c. 20.* aliosque quos congerit Meursius *in mixobarbaro.* Proinde vocis *Palatinorum* homonymia vel delusi sunt, vel illudunt *huius Codicis Theodosiani* Conditores. Aduersus quæ dicat quis, Seuerum hunc Comitem, cui *lex* hæc inscribitur, eundem videri cum *Seuerino*: quem *Comitem Rerum priuatarum* hoc ipso anno facit *lex vlt. inf. ad leg. Iul. repetundar.* vel Comitem S. L. *lex 4. Cod. Iust. de off. Præf. vrbi.* De Palatinis igitur Rerum priuatarum hanc *leg.* esse, atque adeo recte sub hoc *titulo* collocatam? Sed vt ad id respondeam: etsi verum foret hunc eundem videri Seuerum cum Seuerino illo Com. R. P. (Quanquam Comes quoque Castrensis dicatur *l. 1. 2. inf. de Castrensianis*:) non ideo tamen *de Palatinis R. P.* hac *leg.* agitur: Duplici quippe dignitate functum Seuerum dici posset. Itaque *hac l.* Palatini intra aulam obsequiis deputati, omnino sunt *Castrensiani.* Qui & sacri palatii ministeriis connumerantur, *l. 35. inf. de erogat. mil. ann.* Sacri ministerii dicuntur, *l. 2. inf. de Castrensian.* Palatinorum denique etiam numerus *l. 38. inf. de decur.* Sacro Ministerio Principis deputati; *l. 4. pr. Cod. Iust. de Castrens.* hinc quoque in *titulo Codicis* παραλληλισμὸς de *Castrensianis & ministerianis.* Denique hanc *leg. in titulum de Castrensianis* coniectum oportuit. Cæterum sub dispositione *Castrensis* fuerunt *Pædagogiorum Ministeriales Dominici, Cura Palatiorum*, vt docet *Imperii Notitia fol. 59.* Breuiter *Ministerium aulicum*: cuius meminit Lampridius, in *Alexandro Seuero cap. 41. Aulicum ministerium in id contraxit, vt essent tot homines in singulis officiis, quot necessitas postularet, ita vt annonas non dignitatem acciperent fullones & vestitores, & pincernæ omnes* CASTRENSES *ministri quemadmodum pestis illa instituerat, sed annonas singulas, vix binas: & vnum argentum in ministerio plus ducentis libris non haberet, nec plures ministros, argentum & ministros ante quando poscebat, accipiebat ab amicis, quod hodieque fit, si præstatur a Præfectis absente Imperatore.* Hos Palatinos ita describit Corippus *lib. 3. v. 214 seqq.*

Adfuit OBSEQVIO *castrorum turba virorum,*
Illis summa fides, & plena licentia sacris
Deseruire locis, atque aurea fulcra parare,
Regales mensas epulis onerare supernis,
Conseruare domum, sanctumque intrare cubile,
Internas munire fores, vestesque parare.

Verum de Castrensianis seu sacri Palatii ministeriis *suo titulo de Castrensianis l. 1.* Cæterum & per se satis apertum cur huiusmodi Palatinos (& nominatim *Castrensianos*) *Valentinianus* Iunior vt & Impp. *Leo & Zeno* in *l. 10. seu vlt. Cod. Iust. de diu. offic.* non nisi ex sua adnotatione admitti voluerit: nempe quod vt Corippus superiori loco scribit, illis summa fides & plena licentia sacris deseruire locis & priuatæ & interioris Principis vitæ adsidui forent Ministri, a quibus vt sæpe Principi metuendum, ita non nisi a Principe probatos adsciscì interest. Itaque & Tertullian. in *Apologetico c. 35.* per ironiam: *Plane cæteri Ordines pro authoritate religiosi ex fide nihil hostiliter de ipso Senatu, de Equite, de castris, de PA-* p.119
LATIIS *ipsis spirant.* Nil attinet syluam exemplorum retractare Principum, ab interioris vitæ ministris cubiculariis id genus aliis appetitorum. Ne longius repetam, Valentinianus hic ipse, *legis huius* author biennio post id extremum expertus est Viennæ, vrbe Galliarum a Cubiculariis extinctus & suffocatus, cum & Ciuilia & militaria officia omnia non ex eius nutu, verum aliorum penderent.

XIII. (a)

XIII. (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Osio (b) C.S.L

OFFICIVM, quod Sublimitatis Tuæ iussionibus obsecundat, eas tantummodo teneat dignitates, (c) quas diuæ recordationis Valentis + Constitutio comprehendit: nihil vltra nec peti conuenit, nec sperari. Dat. IV. Kalen. Decemb. Constantinop. Olybrio & Probino CONSS. [395.]

NOTAE.

(a) Concordat *lex 7. 11. sup.* *GOTHOFR.*

(b) *Osius* Com. S. L. sub Arcadio, *h. l.* Magister officiorum in aliis sex legibus A. D. 395. 396. 398. de quo & Claudianus *lib. 2. in Eutropium. v. 346. seqq.* *IDEM.*

(c) De hac voce iam ad *l. 11. sup.* *IDEM.*

† *Valentis* constitutio hæc non extat. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DIGNITATAS Palatinorum Comitis Sacrarum Largitionum, atque adeo Annonarum, iuxta eas modum, quibus maiores aut petere aut sperare non liceret, duabus constitutionibus a Theodosio M. definitum, puta *l. 7. & 11.* superius videmus. Verum ante Theodosium *Valens* Imperator easdem dignitates atque adeo annonas aliter digesserat. Hanc igitur formam Valentis constitutione comprehensam, ac non etiam Theodosianam, Arcadius *h. l.* seruari iubet; sic vt nihil vltra peti aut sperari velit. De qua ad eas *leges* plenius.

XIV. (a) Idem AA. Martiniano (b) C. S. L.

OFFICIORVM Palatinorum, Scriniorumque, primicerii (c) biennio transacto discedant, nec vlterius in eadem militia commorentur. Eos sane qui ante hoc statutum in locis (d) memoratis inuenti sunt, ad metas triennii concedimus peruenire. Dat. XV. Kalen. Feb. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda huic *lex 6. sup. de Proximis Comitibus dispositionum.* Forte & *l. 8. & 9. sup. de Agentibus.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Martinianus* Comes S. L. sub Arcadio, A. D. 396. vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) De his *Scriniorum Primiceriis*, mox. *IDEM.*

(d) *Loca* sunt gradus officiorum & dignitatum, vid. *Gloss. Theod.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE PRIMICERIIS officinrum Palatinorum scriniorumque est hæc Arcadii *lex*, quæ pars est prolixioris constitutionis Arcadianæ de PROMOTIONIBVS, deque spatio seu tempore, quo Primates variorum officiorum Palatinorum durare debent: vnde superest quoque *lex 6. sup. de Proximis scriniorum* quæ huic coassanda venit (forte etiam vna cum *leg. 8. & 9. sup. de Agentibus in rebus*:) Quæ & ipsa de Proximis sacrorum scriniorum idem omnino constituit, iisdemque omnino verbis, quibus hæc de officiorum Palatinorum scriniorumque Primiceriis, & ideo data ad Osium Magistrum officiorum, sub quo erant Proximi sacrorum scriniorum. *Officiorum porro Palatinorum Primicerii* hic sunt totius officii Palatini, id est, Officialium Palatinorum Comitis S. L. Primicerii: fuit enim totius officii Palatini Primicerius quidam, vt docet quoque *lex 19. inf.* vbi dicam: *Scriniorum* vero *Primicerii*, sunt singulorum scriniorum in officio Comitis S. L. Primicerii: (huius enim officii varia fuerunt scrinia, *l. 3. 7. 11. 13. sup. l. 18. §. vlt. inf. de murilegulis*) varii proinde Primicerii, quorum Primiceriorum scriniorum fit quoque mentio *l. 3. sup. l. 19. 21. inf.* Rectores iidem dicuntur *l. prox. 15.* Ergo Primicerii hi officiorum Palatinorum scriniorumque biennio neque vltra in hac militia seu officio locoque commorari *h. l.* iubentur, biennioque transacto discedere pariter vt Proximi sacrorum scriniorum, *d. l. 6. sup. de Proximis sacr. scrin.* vbi vid. quæ de huius rei ratione dixi: vt & de limitatione vtrique *legi* subiecta, quæ in præsens respicit: puta vt qui huius constitutionis tempore Proximi vel Primicerii reperiuntur, triennium absoluere possint. Quod & alias similiter factum, cum tempora actuum coarctarentur: vt præterea videre est ex *l. 22. inf.* Quæ cum ita clara sint, crassus error est eorum qui ex *hac l.* scribunt, Palatinorum in commune officium vltra biennium sese non porrexisse.

P.220 XV. (a) Idem AA. Constantio C. S. L. (b)

HIS abiectis de Officio Palatino, qui inconsiderate ac vulgo sunt congregati Statutos ducentos viginti quatuor. Superoumerarios sescentos decem electissimos inhærere præcepimus: (c) & iuxta instructionem Eminentiæ tuæ quæ adnexa est, singulis (d) scriniis vel Rectoribus (e) definitum numerum Supernumerariorum deputari. Si quis sane ad memoratam militiam accedere voluerit, ostensa generis fide, tunc demum adnotatione

nostra

nostri Numinis, Palatinorum cœtui societur. Dat. XIII. Kal.... (f) Constantinop. Theod. V. C. Conss. [399.]

NOTÆ.

(a) Abest a *Cod. Iustinianeo.* GOTHOFREDVS.

(b) *Constantius* Comes S. L. sub Arcadio. IDEM.

(c) *Præcipimus.* vid. *l. 6. de Agent. in reb.* IDEM.

(d) Quæ Decem erant, vide dicta ad *l. 7. sup.* IDEM.

(e) *Rectorum* appellatione intelligit procuidubio Primicerios Scriniorum, de quibus *l. 3.* & *l. 14. sup.* Primicerii enim sunt singulorum Scriniorum Rectores. IDEM.

(f) Forte *Kal. Ian.* & ita fugientes literæ exhibent in MS. IDEM.

COMMENTARIVS.

Recensvm seu Repvrgivm Palatinorum Comitis Sacrarum largitionum *h. l.* Arcadius instituit: pariter vt ab Honorio instituitur *lege sequente*: idque iuxta instructionem Comitis Sacrarum largitionum Constantii, cuiusmodi repurgium quoque Scholæ Agentium in rebus institutum *l. 15. 18. vlt. sup. de Agentib. in rebus.*

Duo igitur *h. l.* statuuntur, Primum vt non nisi CCXXIV. statuti sint; *Supernumerarii* vero sexcenti & decem iique decumati & selecti a Comite Sacrarum Largitionum: In Scholis scilicet, (& quidem Palatinis, ne de aliis nunc dicam) alii dicebantur & erant *statuti*, alii vero *supernumerarii*: vt præter hanc *legem* ostendit *lex 17. inf. lex 2. inf. de Castrensianis*: seu alii statuti, alii Vacantes: *l. vlt. sup. de Agentibus in rebus*: vbi plura de his *Vacantiuis* notaui. Statuti inquam, qui iam officio suo intra scholam fungebantur, atque in actu iam positi & constituti. Supernumerarii vero seu Vacantes vel Adscriptitii, qui supra numerum statutum per singulas Scholas dispersi, certoque numero deputati, decedentibus ex Schola aliis, ordine subrogandi; vt clare docet *lex 17. inf.* De quibus plene dixi *ad d. l. vlt. sup. de Agentibus in rebus.*

Secundo ad Palatinam hanc militiam, non nisi ex adnotatione Principis, idque fide Generis facta, neminem admitti iubet Arcadius. Quod idem & de Priuatianis, seu de Palatinis Comitis rerum priuatarum constituitur *l. 18. inf.* De Palatinis Castrensianis, seu de Palatinis intra aulam deputatis, *l. 12. sup.* Quod de fide generis additur, ad lucem accipiet ex *l. 16. 17. inf.* vid. & *l. 4. sup. de Agentib. in reb.* & *inf tit. quid probare debeant.* Et hæc quidem ita ab Arcadio constituuntur, quod videlicet incondita turbatum laboraret officium Palatinum, vt *initio legis* ostenditur.

Vt ad Supernumerarios seu prius *huius l.* caput redeamus, notandum & illud: quod Supernumerarii singulis scriniis, atque adeo Rectoribus (id est Primiceriis, de quo ad *l. 15. sup.*) certo numero deputari adsignari iubentur: Idque iuxta instructionem Constantii Comitis S. L. quæ *huic l.* adnexa quoque fuerat: v. g. tot in scrinio Tabulariorum, Canonum, Numerariorum, &c.

XVI. (a) Idem AA. Messalæ PP. (b)

Salvtari (c) definitione censuimus (d) dxl. & sex (e) de officio Comitis sacrarum largitionum, trecentos priuatarum, (f) qui tamen nullis sint corporib. obligati: reliquos suis Officiis & Ordinib. esse reddendos, singulis tamen ita matriculis retinendos, vt patriæ (g) prouinciæ pariter conscribatur; Iudicibus admonendis de numero statuto, vt ceteri ad sua Officia retrahantur, nec posthac sub specie militiæ (h) intra prouinciam possit delitescere qui sibi nec indultum commeatum, (i) nec publicam necessitatem docuerit esse mandatam; Curialem suum municipes (k) vindicent, Collegiatum (l) proprium corpus adstringat, nec Iudicem suum Apparitor (m) quondam desertor euadat: sibi quisque, iure tamen, obnoxium exsequatur: (n) Adiutoribus quoque, qui matriculas tractant, supplicium deportationis cum amissione facultatum subeuntibus, si quenquam vltra numerum præstitutum siuerint militare. Dat. XI. Kal. Ian. Med. Theodoro V. C. Conss. [399.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* est *lex* proxima. Vtraque abest a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

P. 221. (b) *Messala* PP. Italiæ sub Honorio Imp. A. D. 396. 398. 399. 400. vid. *Prosopogr.* vbi ex Symmacho & Rutilio Numat. nonnulla. IDEM.

(c) Salubri sanctione: *d. l. prox.* IDEM.

(d) *Censuimus*, nisi quid hic abest, pro *numerum constituimus*, æstimauimus. IDEM.

(e) In MS. ita notatum. IDEM.

(f) *Priuatarum* absolute: de quo ad *l. 18.* IDEM.

(g) Patria & prouincia. IDEM.

(h) Palatinæ scilicet. IDEM.

(i) De *Commeatu* hoc indulto Palatinis. IDEM.

(k) *Municipes* sunt Curiales, *vid. Paratitlon de Decurionib.* IDEM.

(l) De *Collegiatis* suo titulo *inf. lib. 14. t. 7.* IDEM.

(m) De his est *infra* titulus, *lib. 8.* IDEM.

(n) *Persequatur.* IDEM.

XVII. (a) Idem AA. Longiano (b) C. S. L.

SERENITAS nostrs salubri sanctione disposuit, vt quingenti quadraginta sex, qui tamen nullis sunt corporibus obligsti Palatini sint: Supernumerarii autem ex (c) quibus in decedentium locum, quos ratio inuenerit, singuli subrogentur, sd originem tractis desertoribus; sciente Adiutore Officii Palatini, si qui supra statutum numerum vel cohibentia (d) vel neglegentis eius inrepserit, ausritiam eius, proscribtione omnium facultatum sb deportatione, plectendam: reliquos (e) autem qui superflui fuerint, prouinciis sine dilatione, datis auctoritatibus, (f) restituantur. Dat. X. Kalen. Isn. Med. Theodoro V. C. CONSS. [399.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic*, vt dixi, *lex* superior. *GOTHOFREDVS.*

(b) *γρ. Longiniano* Comiti S. L. sub Honorio: ad quem extant Symmachi nouem epistolæ *lib. 7.* quibus omnibus perperam editum *Longimano*: Ex *ep.* certe 93. & 96. satis aperte colligitur, de eius Comitiua S. L. vid. *Prosopogr. IDEM.*

(c) Locus corruptus: Ego sic restituam; *supernumerarii autem alii*, scilicet fiant, *ex quibus*, &c. *IDEM.*

(d) *Cohibentia*, pro *Conniuentia. IDEM.*

(e) *γρ. Reliqui. IDEM.*

(e) De hac *Auctoritatum* voce mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

RECENSVM seu Repurgium Palatinorum seu Officialium Comitis sacrarum largitionum & Comitis rerum priuatarum instituit Honorius Imp. his duabus *legibus*, quæ inter se coassandæ sunt: etsi ad diuersos Magistratus datæ, pro ratione videlicet subiectæ materiæ: Prior scilicet ad Præfectum Prætorio data est, quia de Iudicibus quoque prouinciarum eorumque Officiis, Collegiis, & Curiis agit: Posterior vero ad Comitem S. L. quia de Palatinis S. L. vnice tractat; Nempe vt Arcadius *superiori l. 15.* in Oriente hunc recensum hoc ipso Anno egit: ita & Honorius *his legibus.* Cuius etiam recensus causam *priore lege 16.* aperte indicat: nempe, quod multi Corporibus, Officiis & Ordinibus, Curiis, inquam, Collegiis, & Apparitionibus Iudicum obligati in Palatinorum Ordinem seu matriculam irrepsissent: Qua causa etiam Curiis, Collegiis, Officiis Iudicum potestas *hac l.* datur, Curiales suos, Collegiatos, Apparitores, retrahendi. Numerum itaque hunc Palatinorum esse iubet Honorius *his legibus:* Nempe, Comitis S. L. quingentos & quadraginta sex: Comitis R. P. trecentos: pauciores proinde Palatinos Comitis R. P. quam S. L. quomodo & pauciora rerum priuatarum scrinia fuerunt, quatuor inquam: cum sacrarum largitionum decem essent, de quo vide *leg. 7. sup.* & *l. vlt inf.* Atque hic statutorum Palatinorum numerus definitus ab Honorio: Vltra quem numerum reliquos supernumerarios certa matricula seu Breui comprehendi iubet, ita quidem vt singulorum nominibus patria & prouincia adscribatur: quo scilicet admonitis Iudicibus prouinciarum Curiis, Collegiis & officiis Iudicum, his obnoxii retrahantur: cæteri vero non obnoxii supernumerariorum loco habeantur, atque in decedentium locum vbi vsus tulerit, subrogentur: quæ & ipsa Supernumerariorum ratio & conditio Arcadio placuit *d. l. 15.* Quomodo & in Recensu Agentium in rebus vltra statutorum numerum, in supernumerarios multi eadem conditione reiecti, *l. vlt. sup. de Agentibus in rebus.* vbi de his supernumerariis, qui & Adscriptitii, Vacatiui, seu Vacantes dicti, plura: vt & inter Castrensianos, *l. 2. inf. de Castrensianis.* Et hæc quidem de *harum legum* sensentia: vbi duo adhuc notanda veniunt.

Primo, de *Adiutoribus* officii Palatini. Pœnam scilicet proponi his, bonorum proscriptionis, & deportationis, si passi fuerint vel conniuentia vel negligentia supra statutum numerum aliquem irrepere: Nempe hi *Adiutores*, quorum meotio quoque fit *l. 20. inf.* & *l. 4. de executoribus:* Palatini officii (vt diserte dicitur *l. 16.*) matriculas tractabant: & quod *l. 17.* indicatur, per auaritiam irrepere quosdam sinebant. De Adiutoribus in genere dixi ad *l. 10. inf. de cohortalibus*: de Adiutore Magistri officiorum *l. 3. 20. 21. sup. de Agentibus in rebus.*

Secundo, *fine l. 17.* superflui Palatini, vltra statutos videlicet & supernumerarios iubentur prouinciis sine dilatione, datis auctoritatibus, restitui: vbi quid sit, *Datis Auctoritatibus*, quæri potest? Putet quis *datis auctoritatibus*, esse probatione præstita: v. g. a Curia, si quem velut Curialem repetat: quo sensu, *auctoritatis* vox quoque accipitur. Malo ego, mandatis seu literis Iudicum, argumento *l. superioris:* quomodo accipitur & *l. vn. sup. si certum pet. ex chirogr.* vt recte Iuretus in Symmach. *lib. 3. ep. 69.* vbi plura exempla apponit de hac *Auctoritatis* significatione, & Nos in *Gloss. Theodos.*

P. 222.

XVIII. (a) Idem AA. (b) Nestorio (c) Comiti R. P.

NON aliter quilibet in Officio Sacrarum Priuatarum (d) cingulum militiæ sibi sumendum existimet, nisi nostræ Mansuetudinis Adnotationem meruerit. Dat. Prid. Id. Aug. Ancyræ, (e) Stilichone II. & Anthemio CONSS. [405.]

NOTAE.

(a) *L. 9. Cod. Iust. eod. tit.* Concordat huic *lex 12. & 15. sup. GOTHOFR.*

(b) Imo Imppp. ARCADIVS, *Honorius & Theodosius AAA.* pariter vt *l. prox. 19.* vid. *Chronologiam.* Male Cod. Iust. Impp. *Theod. & Arcad. IDEM.*

(c) *Nestorius* Comes R. P. sub Arcadio vid. *Prosopogr. IDEM.*

(d) *Sacrarum largitionum vel priuatarum*, ita Tribonianus, aduersus veri fidem. *IDEM.*

(e) *Ancyræ* in Galatia hoc tempore constitutus Arcadius A. D. 405. vbi pariter data *lex. 1. inf. ne quis in Palat. l. 1. de mensoribus.* De Imperatorum Ancyræ mora, dico plene *ad l. 3. inf. ad l. Corn. de sicariis, N. 2. IDEM.*

COM-

COMMENTARIVS.

ADMITTI ad Palatini rerum priuatarum Officium sine adnotatione Principis nemo potest ex *hac* Arcadii *leg.* Quod idem de Palatinis sacrarum Largitioonum idem Arcadius coostituit *l. 15. sup.* & Valentinianus Iunior de Palatinis inter aulam obsequio deputatis *l. 12. sup.* Illud notaodum semel, absolute *Sacrarum Priuatarum* appellatiooe *h. l.* intelligi res priuatas, Ita absolute quoque *priuata* pro rebus priuatis, *l. vlt. inf. de locatione fundorum iuris emphyteutici.* Comes & Comitiua priuatarum, *l. 49. inf. de appellationibus*, *l. 120. inf. de Decurion.* Sacræ igitur priuatæ, funt sacræ res priuatæ: quippe sacræ res vel largitionales vel priuatæ; vnde quandoque *Sacrarum* appellatione simpliciter res priuatæ intelliguntur, *l. 13. inf. de indulgentiis debitorum.* Quandoque sacræ largitiones, vt apud Ennodiom *in tertia dictione p. 1053. Tom. I. Oper. Sirmondi. Te sacrarum Index & consilii comitem meruit & labaris.* Itaque errat Vir doctus ad Symmachum *lib. 10. ep. 43.* qui *dictam l. 13.* ita supplet, *Muneratiouum sacrarum.* Ac vt ad priuatas redeam, Officium Priuatarum dicitur quoque *l. 16. sup. l. 21. inf.* & *l. vlt. inf. h. t.* In aotiqua quoque inscriptione ἐπίτροπος πριβάτης. vide & ad aliquid Suidam in voce πριβάτη. Ita Capitolious *in vita Macrini c. 2. Occiso*, inquit, *Antonino Bassiano*, *Opilius Macrinus*, *Præfectus Prætorio eius qui antea* PRIVATAS *curabat*, *imperium arripuit.* Cæterum huic *legi* coassandam censeo *l. vlt. Cod. Iust. de rescind. vend.* quæ eidem Nestorio Comiti R. P. inscribitur, qua vestium, auri, argenti, mancipiorum emendorum ex priuatis rebus Principis copia deoegatur.

XIX. (a) Idem AA. & Theodosius A. (b) Monaxio PP. (c)

DOMINVM ex Primiceriis sacrarum largitionum speciali beneficio ex Vicariis, ad similitudinem Proximorum sacrorum scriniorum, esse præcipimus; Ceteros Primicerios scriniorum, & qui post illum Primicerii totius erunt officii, Palatini, ex Consularibus inter Adlectos esse decernimus. Dat. XVI. Kalend. Feb. Constantinop. Basso & Philippo viris clarissimis CONSS. [408.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex*, velut historica, a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) Emendata superioris *legis* inscriptione, reponendum hic, *Iidem AAA.* IDEM.

(c) *vg. P. V.* vid. *Prosopogr.* & auctorem Chronici Alexandrini A. D. 409. Et certe de Dignitatum ordine agitur *hac l.* cuius rei cura ad dispositionem Præfecti vrbis pertinebat: de quo dixi ad *l. 1. sup. vt Dignitatum ordo.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE PRIMICERIORVM sacrarum largitionum DIGNITATE est hæc Arcadii Imp. Constitutio: Vbi ante omnia prænoscendum est (quod hæc *lex* diserte testatur, idque etiam indicat *lex 14. sup.*) alios fuisse Primicerios totius officii Comitis S. L. alios vero Primicerios singulorum scriniorum. Id quod similiter docet *lex 20. inf.* & *Notitia Imperii fol. 49.* quæ viginti ferme post hanc *leg.* aooos conscripta est, præfert; *Officium*, ioquit, *Viri Illustris Comitis S. L. habet* PRIMICERIVM TOTIVS OFFICII: *Primicerium scrinii Canonum: Primicerium scrinii Tabulariorum: Primicerium scrinii Numerariorum: Primicerium scrinii aureæ massæ: Primicerium scrinii Auri ad responsum: Primicerium scrinii vestiarii sacri: Primicerium scrinii Argenti: Primicerium scrinii Annularensis: Primicerium scrinii a pecuniis.* Quod ipsum & de officio scriniisque rerum priuatarum testatur *lex vlt. inf. hoc tit.* eademque Imperii Notitia.

Hoc præcognito, de *huius l.* sententia videndum est. Igitur de Dignitate Primiceriorum horum, duo hæc *hac l.* constituuntur ab Arcadio: Primo continetur speciale beneficium seu priuilegium Domini cuiusdam, qui tum erat ex-Primiceriis totius officii Palatini seu Comitis S. L. Nempe speciali beneficio tribuitur ei dignitas ex-Vicariis, ad similitudioem proximorum sacrorum scriniorum: De hac Proximorum sacrorum scrinioiorum dignitate, v. *l. 2. 4. 10. 11. 17. sup. de Proximis:* & *l. 12. sup. de Senatoribus.* Igitur Domino ex-Primicerio totius officii hæc dignitas speciali beneficio triboitur. Qui vero ægri somnia videre, imo videre volet, legat is quæ Gutherius P.219 *de officiis domus Augustæ lib. 3. c. 9. pag. 580. 581. edit. Lipsiens.* scribit: vbi hanc *leg.* de Primicerio Notariorum accipit, & *Dominum ex-Primiceriis* vocari notat, id est, Primicerium Notariorum totius officii, nomine appellatiuo: Est enim hic *Domini*, siue mauis, *Domnini* nomen proprium.

Secundo capite in futurum Primicerius totius officii Palatini, vt & Primiceriis singulorum scriniorum tribuitur dignitas ex-Consularibus inter Adlectos: de dignitate ex Consularibus dixi ad *l. 10. sup. de domesticis* de eadem in hac ipsa re videtur accipienda *lex 7. sup.* & *l. vlt. in fin.* De Adlectis, id est, immunibus a Senatoriis oneribus, dixi *ad l. 10. sup. de Prætoribus.* Et hoc tameo priuilegium ademptum postea his a Theodosio Iun. quod Senatoriæ dignitati isti Palatini renunciassent, *l. vlt. sup. de Senatorib.*

XX. (a) Impp. HONORIVS & Theodosius AA. Ioanni PP. (b)

PALATINOS, qui sacrarum remunerationum rationem tractantes, inculpatim (c) ad calcem terminumque militiæ peruenerint, præcepimus (d) ea (e) habere priuilegia, Adiutorem (f) & Primicerios diuersorum (g) officiorum, quæ nuper + Agentum in rebus scholæ a (h) nostra sunt Mansuetudine contributa: scilicet, vt a tyronum (i) præbitione memorati reddantur exortes, ceteraque onera non agnoscant, quæ (k) antea cum nihil de hac re statuissemus, ad dignitatis dispendium sustinebunt. (l) Dat. VII. Id. Iun. Rau. p. (m) Consulatum Honorii IX. & Theodosii v. AA. [413.]

COMMENTARIVS.

DE MITTENDARIORVM S. L. quatuor (qui quotannis exibant, & sequentibus locum faciebant, vt docet præterea *lex 8. & 9. sup. hoc tit.*) beneficiis, solatiis, est hæc constitutio Theodosii Iunioris obscura satis. Quæ vt intelligatur, sciendum est, vt aliis nonnullis de officio vel actu exeuntibus solatia quædam seu beneficia & stipendia pro munere data, ita & Mittendariis de actu exeuntibus pariter concessa: quæ hic triplici nomine designantur: beneficia, stipendia, solatia: *Solatia* non sunt proprie salaria, seu stipendia actus, verum beneficii & lucelli genus præter salarium. Ita puncti solatia, pro strenis *l. 4. Cod. Iust. de aduoc. diu. Iudicum*, de quo dixi ad *l. 11. sup.* Ita & solatia pro mercedula præstita: *l. 32. inf. de nauiculariis.* Errant enim qui solatium & salatium confundunt: Ita solatium tutori dicitur constitutum *l. 33. in f. D. de administr. tutor.* Sed & solatium in *l. 22. §. 8. D. solute matrimonio*, alio sensu accipitur. Verum de hoc plura in *Glossario*. Ergo *hac l.* permittit Theodosius Iun. Comiti S. L. hæc beneficia seu solatia quatuor his Mittendatiis exeuntibus dare, velut prolixorum stipendiorum solatia, *citra vllam circumuentionem:* duabus tamen limitationibus additus: Prima est, vt Comes S. L. hæc beneficia seu solatia tribuat ex his quæ suæ Iurisdictionis sunt; id est sub sua dispositione, atque adeo ex sacris largitionibus, & de quibus ipse disponere potest: vt sunt vestes linteæ, de quibus *lege 6. & 8. infr. de murilegulis*, & *Notitia Imperii. fol. 49.* non vero ex baphiis: quæ erant sub Comite R. P. Certe vestes vt inter stipendia, ita & inter solatia fuere: de quo iam *alibi*. Secunda limitatio est, ea beneficia seu solatia tribui posse a Comite S. L. *qua non aliis ex consuetudine cælitus sunt deputata:* id est, quæ a Principe aliis sunt destinata, propriaque: *Cælitus*, id est, ab Imperatore, de quo iam in *Notis*. Scilicet Principes certis personis solatia quædam ex his quæ sub Iurisdictione, id est, dispositione Comitis S. L. erant, deputabant, quæ vel cuius generis Comites S. L. aliis date non poterant.

XXIV. (a) Impp. THEODOSIVS A. & Valentinianus Cæsar Hierio PP. (b)

NOSTRÆ moderationis arbitrio præstitutum est, vt Priuatiani (c) priuilegia Largitionalis Officii perpetuo consequantur: hoc est, vt tam Primicerius Officii (d) priuatarum, quam alii Quatuor reliquorum Primicerii Scriniorum eiusdem contemplatione militiæ ex Consulatibus inter Adlectos esse mereantur: & tam in hac (e) alma Vrbe quam in Prouinciis honore potiantur; cum Inlustres (f) Viri memoratarum Comites dignitatum ita simili iugiter infularum splendore decorentur, vt non culmine discingantur (g) æquali, (h) sed tempore. Dat. XV. Kalend. Decemb. Constantinop. Theodosio A. XI. & Valent. C. CONS. [425.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Hierius* PP. Orientis sub Theodosio Iun. A. D. 425. 426. 427. 428. vid. *Prosopogr.* IDEM. Priores Cuiacian. *Hierio Præposito* & Parisin. *Hierio PP. F.* male. RITTER.

(c) *Priuatiani* sunt Officiales Comitis R. P. sicut *Largitionales*, Comitis S. L. *Vrbaniciani*, Præfecti Vrbis. GOTHOFR.

P.226 (d) Totius scilicet vt *l. 19. sup.* & in *Notitia Imperii.* IDEM.

(e) Constantinopolitana, quo ex Macedonia regressus hoc tempore Theodosius: Socrates *lib. 7. cap. 24.* & vid. *Chronolog.* IDEM.

(f) Intelligit Comitem S. L. & Comitem R. P. IDEM.

(g) Iudicentur, *distinguantur*; Quomodo hic forte reponendum, vid. *Gloss.* IDEM.

(h) *vg. Inæquali.* mox vt ostendam. IDEM.

COMMENTARIVS.

PRIMICERIIS rerum priuatarum eadem Priuilegia, eadem Dignitas tribuitur *hac l.* a Theodosio Iun. quæ & Primiceriis sacrarum largitionum; ac nominatim vt ex Consulatibus inter Adlectos sint: de quo vid. & *l. 7. 19. sup.* Quæ *lex* vt penitus intelligatur illustreturque, sequentia notanda sunt.

PRIVATARVM Scrinia *quatuor* tantum fuere, vt hæc *lex* nominatim docet, sed & *Notitia Imperii* (biennio ferme post hanc *legem* vt alibi doceo conscripta) vbi hæc quatuor scrinia diserte numerantur *fol. 56. & 144. Scrinium beneficiorum, scrinium canonum, scrinium securitatum, scrinium largitionum priuatarum.* Singulorum horum Scriniorum sui & singuli fuere *Primicerii*, quos Notitia *Primiscrinios* vocat; nisi quod in Notitia Orientis *fol. 56. Primicerium scrinii largitionum priuatarum* nominat: cum hæc *lex* omnes *Primicerios* vocet: idem igitur hac parte *Primicerius*, qui *Primiscrinius*. Præter hos quatuor Primicerios, fuit & *Primicerius totius officii*, vt præter hanc *legem* eadem semper *Imperii Notitia* docet. In vniuersum vero Officiales omnes Comitis rerum priuatarum, *Priuatiani* dicti fuerunt. Hac *lege* igitur constituitur, quemadmodum Primiceris sacrarum largitionum Ex-Consularibus inter Adlectos erant *l. 19. sup.* ita & Priuatarum Primicerios iisdem priuilegiis frui oportere. Exæquantur breuiter Priuatiani seu Officiales priuatarum Officialibus Comitis S. L. Idque hoc quoque argumento, quod scilicet & ipsi Comites vtrique æquales essent & similes, & (quæ inter æquales perpetua regula est, de qua dixi ad *l. vn. sup. de Consulibus.*) is inter eos præcedat & præferatur, qui alterum temporis antiquitate & prioritate vincit. Non est inter eos culmen inæquale, sed tempore tantum inter se certant. Vno verbo, cum Comites ipsi sint inter se similes & Officiales ipsorum exæquari par est: Officialium dignitas, Magistratuum suorum dignitatem sequitur, & æmulatur. Denique similes habent Officiales, qui sibi similes sunt. Hæc ita nunc Theodosius Iunior. Antea quippe non ilico quæ priuilegia Officialibus

Comi-

Comitis S. L. competebant, eadem & Priuatianis indulta fuere: quod præter *hanc leg.* docebunt ea, quæ notabo ad *l. 3. inf. de priuil. eorum qui in sacro pal.*

DE STRATORIBVS.

TITVLVS XXXI.

Lib. XII. Cod. Ivst. Tit. XXV. De his est quoque *lex 4. inf. de Executorib.* De altero Stratorum genere agitur *l. 1. inf. de custodia reorum*, de quibus *legem 4. §. 1. D. de officio Proconsulis* accipiendam mox docebo: Ac proinde ad hos Stratores, de quibus *hoc Titulo*, eam non pertinere. Quod plerisque tamen visum est, & in his Cuiacio quoque.

I. (a) Impp. Valentinianvs & Valens AA. ad Zosimum (b) Præsidem nouæ Epiri.

Per omnes prouincias Edictum generale misimus, Vt ab Stratoribus vnus tantum solidus probæ (c) nomine posceretur; & in offerendis (d) equis certam formam, staturam, ætatem prouinciales nostri custodienda esse cognoscerent; Quos etiam fisco certo solidorum modo obnoxios fecimus, si quod Stratores petere nunquam (e) metuunt, illi dare Stratoribus non timerent. Officium (f) quoque Grauitatis Tuæ centum argenti libras (g) multabitur, sciens (h) prædictam rem gestam fuisse, non ilico eam seueritati iudiciariæ prodidisse. (i) Dat. XIII. Kalend. Iul. Apolloniæ, (k) Valentiniano & Valente (l) AA. Conss. [373]

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

P.227 (b) *Zosimus* Præses nouæ Epiri: cui inscribitur pariter hoc Anno 373. altera lex, puta *lex vn. inf. ne Præfectianus* post Paulinum, vt apparet ex collatione *legis 22. de Episcopis*, quæ data est superiore Anno 372. ad Paulinum istum cum *d. l. vn. inf. ne Præfectianus*: cuius etiam collationis ope, emendandus vel supplendus venit Consulatus *huic legi* subscriptus. IDEM.

(c) *Proba*, de hac voce mox. IDEM.

(d) A prouincialibus. IDEM.

(e) *Quod stratores petere interdictum est.* Ita Tribonianus. IDEM.

(f) *Officium* Præsidis Epiri nouæ nota. IDEM.

(g) *Libris* Cod. Iust. IDEM.

(h) *Si sciens* Cod. Iust. quomodo & *hic* reponendum. IDEM.

(i) *γρ. prodidisses*: in Cod. Iust. *prodiderit*. IDEM.

(k) *Apollonia* vrbs Epiri nouæ, vbi data (id est, reddita) hæc *lex*; de quo mox plura. IDEM.

(l) *Valentiniano & Valente* IV. *AA.* ita reponendum, id est A. D. 373. vt euincit collatio *legis 22. inf. de Episcopis*: & *l. vn. inf. ne Præfectianus*: de quibus mox. IDEM.

COMMENTARIVS.

Stratoribvs Equorumque collationi, probationi per nouam Epirum modum ponit *hac l.* Valentinianus Imp. vbi de ipsis *Stratoribus* prius videndum est. *Stratores* in commune in re veterinaria dicebantur, qui stratum equi componebant, qui dominum in equum subleuabant, dextra illi substrata, siue subiecta, quique ad fræna quoque currebant, vel etiam capistro, seu fræno, vbi opus, equum domini ducebant. Græcis, ac nominatim Suidæ, *strator* ἀναβολεύς & ϛρωτής. A quibus munus seu actus ipse *Stratura*, ἀναβολική Glossæ Philoxeni; omitto famosum ex Constantini donatione locum. Spartianus *in Caracalla cap. 7. cum illum in equum strator eius* LEVARET. Capitolinus *in Macrino cap. 4.* Stratoris Imperatoris meminit: Ammianus Marcellinus, *lib. 30. cap. 5. Cum*, inquit, *eum oblatus non susciperet equus, anteriores pedes præter morem erigens in sublime, innata feritate concitus, vt erat immanis, dexteram Stratoris militis iussit abscidi, qua eum insilientem iumento pulsarat consueto, perissetque crucsabiliter innocens* IVVENIS *ni* TRIBVNVS STABVLI *Cerealis dirum nefas cum sui periculo distulisset.* Paulus Warnefridus *lib. 2. Longobardicorum cap. 27. Equus Alboini in medio porta concidens, quamuis hinc inde a Stratore verberibus cæsus, non poterat eleuari.* Idem *Capite 9. Strator, quem lingua propria Marpahis appellant* (a) (*Mara* scilicet vel *Marcha* Celtica lingua, Germanicaque equus est, vt ex Pausania constat *in Phocicis cap. 19.* legibus Baiuuariis *tit. 12. c. 9.* Alamannorum *tit. 47.* Lon-

(a) Vid. quæ notauit ad hunc locum Cl. Lindenbrogius.

Idque ita inter Palatinos obſeruatum, ſeu in Palatina militia. Hinc quoque *l. vn. Cod. Iuſt. de annonis & capitatione adminiſtr.* pro annonis & Capito dignitati ſuæ debitis; ſed & in armata idem obtinuit Hinc *l. 1. inf. de erogat. militar. annona* (vbi dicam aliquid) Tribuni & Præpoſiti ſumere dicuntur annonas ſuæ congruas dignitati: & *l. 32. eod. tit.* ſpecies accipere debitas dignitati, & *l. vn. Cod. Iuſt. d. tit.* annonas pro dignitate ſua conſequi & annonas ſuæ dignitatis. Inſigneſque ea de re ſunt loci apud Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, & nominatim apud Trebellium Pollionem, in *vita Claudii cap. 14.* & *15.* ex Epiſtola Valeriani ad Zoſimionem Procuratorem Syriæ: & ex Epiſtola eiuſdem ad Ablauium Murenam Præfectum Prætorii. Ex priore hæc verba notanda ſunt. *Hac autem omnia idcirco ſpecialiter non quaſi Tribuno, ſed quaſi Duci detuli, quia Vir talis eſt, vt ei plura etiam deferenda ſint.* Vide & Epiſtolam Valeriani de Probo Tribuno ad Præfectum Prætorio, Mulutum Gallicanum apud Vopiſcum *in Probo. cap. 4.* Quandoque tamen Principes, (vt ex illis ipſis locis apparet) non rigide ſemper modum annonarum dignitati congruum obſeruarunt, ſed annonas ſæpe maiores Tribunis & Ducibus deferebant, quam dignitas eorum poſtulabat, vt eſſet aliquod meritorum pretium ſupra dignitatis & ordinis gradum. Quod in Aureliani Ducis perſona ſtatuit Valerianus, cui aliquid præcipue decreuit, vt ex eius Epiſtola conſtat apud Vopiſcum, *in Aureliano cap. 9.* Itemque *in Claudio Tribuno*, cui non tanquam Tribuno, ſed tanquam Duci ſpecialiter illa omnia quæ in eius Epiſtola continentur,
P. 217 detuliſſe profitetur, quod vir eſſet talis, cui etiam plura deferenda eſſent. Sed inſignis maxime locus eſt, de annonis extra ordinis ſui gradum non accipiendis, *hic*, ex prædicta Valeriani Epiſtola de Aureliano, *l. c.* quibus hæc Vopiſcus præmittit: *Illi*, inquit, *Romam venienti ſalaria ſui* ORDINSS *ſunt decreta. Exemplum Epiſtola: Valerianus Auguſtus Ceionio Albino Præfecto vrbi: Vellemus quidem ſingulis quibuſque deuotiſſimis Reipub. Viris multo maiora deferre compendia quam eorum* DIGNITAS *poſtulat: maxime vbi honorem vita commendat: Debet enim quid prater dignitatem pretium eſſe meritorum; Sed facit rigor publicus, vt accipere de Prouinciarum oblationibus* (alii habent *illationibus*) VLTRA ORDINIS SVI GRADVM *nemo plus poſſit.* Et hæc omnia procul dubio ita conſtituta fuerunt, inuidiæ & æmulationi tollendæ. Cur enim eiuſdem militiæ, formæ, & Ordinis participes diuerſo ſalario donentur? Quanquam & hæc præterea ratio reddi poteſt, ne procedentibus alioquin in immenſum huiuſcemodi annonarum incrementis, publici reditus ſeu Prouinciarum oblationes ſalariis non reſponderent. Atque hic eſt PVBLICVS RIGOR, quem æquitas certe relaxari (quidquid *hoc l.* vel ſimilibus ſtatutum reperiatur) ſuadet: imo & vtilitas publica. Nam vt inter artifices longa eſt differentia, ita Meritorum rationem haberi, & virtutem ſpe præmiorum accendi publice vtile eſt. Atque vt ſalaria maioris ordinis alicui extra ordinem Virtutis ergo decreta ſæpe fuere, ita & ad augendam quorundam dignitatem & authoritatem, etſi minoris forent ordinis, maioris tamen dignitatis ſiue infulis, ſiue inſignibus eos decorari non raro ſolitum. Ita Spartianus ſcribit in Hadriano *cap 6. Martium Turbonem poſt Mauritania Præfecturam*, infulis ornatum Pannoniæ, *Dacia quoque ad tempus Præfectum.* Et paulo poſt *cap. 7. Daciam Turboni creditam titulo Ægyptiaca Præfectura, quo plus haberet authoritatis, ornato.*

Salaria porro (vt generali verbo vtar) Palatinorum, & omnium qui in commentarium Principis relati erant (*qui eſtoient couchés ſur l' Eſtat*) variis rebus conſiſtebant: in *Annonis* proprie dictis (id eſt in ſpeciebus annonariis, veluti frumento, vino, capiso, v. *l. 1. ſup. de domeſticis*, & *tit. inf. de erog. mil. ann.* & id genus aliis, de quibus conſulendi ſunt quos dixi Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores:) Item in *veſtibus*, de quibus iidem quoque conſulendi v. & *l. vlt. ſup. de proximis Comitib. diſp.* Videndi & *Tituli* duo, *inf. de erogatiane militaris annonæ* & *Titulus de veſte militari.* Fuerunt & alia ſolennia veluti argentum & miniſteria. Quatuor igitur ferme hæc in annonis ſeu ſtipendiis fuere. *Salarium* proprie dictum, (in ſpeciebus) *veſtis*, *argentum*, *miniſterium.* Quatuor hæc in *Epiſtola* Valeriani de Claudii Tribuni ſalario diſtincte ponuntur *apud Pollionem in vita eius. cap. 15.* *Sane ſcias*, inquit, *tantum ei a nobis decretum* SALARII, *quantum habet Ægypti Præfectura: tantum* VESTIVM, *quantum Proconſulatui Africano detulimus: tantum* ARGENTI, *quantum accipit Curator Illyrici Metaticus: tantum* MINISTERIORVM, *quantum nos ipſi nobis per ſingulas quaſque decernimus ciuitates.* Idemque apparet ſigillatim ex altera *Epiſtola* Valeriani, quæ hanc præcedit proxime de eodem Claudio Tribuno *cap. 14. Eademque Epiſtola* & STRARNARVM fit mentio, vt *h. l.* noſtra: *Argenti* inquit, *in opere annua pendo quinquaginta Philippaos noſtri vultus annuos centum quinquaginta, & in* STERNIS *quadraginta ſeptem & trientes centum ſexaginta.* Scilicet Palatinis certis ſolennitatibus ſecundum Ordinis ſui gradum Principes in auro ferme ſtrenas donabant; de quo eſt hæc *lex*; eodemque pertinet *lex vlt. inf. de priuil. cor. q. in S. Pal.* De eodem eſt elegans hic Ammiani Marcellini locus, *lib. 16. cap. 5. Inductis*, inquit, *quadam* SOLEMNITATE *Agentibus in rebus in Conſiſtorium, vt aurum acciperent, inter alios quidam ex eorum conſortio, non, vt moris eſt, expanſa chlamide, ſed vtraque manu cauata ſuſcepit: & Imperator, Rapere, inquit, non accipere ſciunt Agentes in rebus.* Item hic Sozomeni *lib. 5. cap. 17.* ἐπεὶ γὰρ καιρὸς παρῆν βασιλέα δωρεῖσθαι στρατιώτους (γίνεται δὲ τοῦτο ὡς ἐπίπαν ἐν ταῖς Ρωμαίων ἱερομηνίαις, καὶ βασιλέων, καὶ βασιλίδων πόλεων ἐν γενεθλίοις ἡμέραις) τῶν δὲ ἐπὶ ταύτῃ παριόντων ἕκαστον, &c. & poſt; προσρίψαντες ὃν δεδώκει χρυσὸν, id eſt, *vbi tempus aduenit vt Imperator dona elargiretur in milites, quod quidem Romanorum Kalendis & Natalibus Imperatorum & reginarum Vrbium fieri ſolet*, &c. *eorum qui ad munus accipiendum accedebant vnumquemque.* Et poſt: *Proiicientes ad pedes eius, quod dederat auro.* Atque iſtud eſt, diu quæſitum, neque a quoquam adhuc peruestigatum, PVNCTI *ſolatium*, cuius meminit Anaſtaſius, in *l. 4. §. 1. Cod. Iuſt. de Aduocatis diuerſorum Iudicum. Iubemus*, inquit, *Viros Clariſſimos fiſci pro tempore patronos fori Tua Celſitudinis* SOLEMNI *die feſtiuitatis Kalendarum Ianuariarum ipſius tantummoda anni, per quem tale peragunt officium*, INTER *ſpectabiles Sacre Conſiſtorii Comites, diuina noſtra Serenitatis manu* PVNCTI *conſequi* SOLATIA. Qui locus omnes hactenus torſit, vt ex Cuiacii *Obſeruatione 2. lib. 13.* diſcere licet. Et perperam Græci hic legerunt τὸ *Pactum*; Vnde tentabat Cuiacius, *Pacti ſolatium*, ſeu *Pacta ſolatia*: hoc ſenſu, *Aduocatos fiſci conſequi (vt ait lex 3. & lex 5. eod. tit.) quod communi conſenſu ſiue communi placito & conuentione totius Collegii Aduacatorum patronis fiſci conſtitutum eſt.* Perperam omnino. Neque enim hoc loco agitur de illis ſolatiis, ſed de iis, quæ de manu Principis ſtrenatum loco accipiebant; quod eleganter admodum *Puncti ſolatium* vocatur: de quo dixi plene ad *leg. vlt. ſup. de poſtulando.*

Solatium autem ſumitur non pro ſalario integro, verum pro liberalitate & lucello quodam & munificentia: Ita *l. 32. inf. de nauiculariis*, ſolatiis pro mercedula præſtitis ex tributariæ penſitationis immanitate, & *l. penult. inf.* ſolatia vocantur quæ exeuntibus ex officio conferebantur beneficii loco, & ſtipendiis opponuntur. Et ſic eodemque ſenſu Spar-

tianus

tianus *in Hadriano c. 9.* dixisse videri potest, *Ægros bis ac ter die & nonnullos Equites Romanos ac libertinos visitauit*, SOLATIIS *refouit*, *consiliis subleuauit.* Et multo magis male hinc colligit nonnemo, ex hoc ipso loco, de quo nuncagimus, *Puncta* pro solatiis & salariis ipsis accipi.

P.118 ADSCISCI PALATINOS *ac nominatim* CASTRENSIANOS *nonnisi Principis adnotatione oportere.*

XII. (a) Imppp. VALENTIN. Theodosius & Arcadius AAA. Seuero (b) Comiti, & Castrensi.

NVLLVS eorum, qui Palatinis (c) intra aulam obsequiis deputandi sunt, ad aliquod munus debet admitti, nisi cui Adnotatio Nostra sortiendæ talis militiæ copiam patefecerit. Dat. XVIII. Kalen. Feb. Med. Valentiniano A. IV. & Neoterio CONSS. [390.]

NOTAE.

(a) Fugitiua hæc lex est, mox vt ostendam. GOTHOFREDVS.

(b) Seuerino Com. R. P. *l. vlt. inf. ad leg. Iul. repet.* MS. hic habet, *Seueriano.* IDEM.

(c) Ambiguitate huius vocis. *Cod. Theodosiani* conditores in errorem inducti fuerunt. IDEM.

COMMENTARIVS.

ADMITTI ad Palatinum aliquod munus, intra Principis aulam, non nisi ex Principis permissu & adnotatione quis potest: ex hac Valentin. Iun. constitutione. Quæ quidem ab hoc *titulo* fugitiua omnino est, & ab *huius Codicis* Conditoribus hunc in *titulum* perperam coniecta. Nam etsi *Palatini* sint omnes, qui in Principis obsequiis sunt: item, etsi Officiales Comitis S. L. & R. P. *Palatini* quoque dicuntur: rursum etsi hoc ipsum quod de Palatinis intra aulam obsequium præstantibus, *h. l.* cauetur, de *Palatinis S. L.* quoque caueatur *l. 15. inf.* & de Palatinis R. P. *l. 18. inf.* aliud tamen & speciale seu diuersum quid est, *Palatinis* INTRA AVLAM obsequiis deputati, seu aliquo munere militiaue intra aulam fungi. *Palatini* scilicet alii sub Comite S. L. & R. P. erant (qui illi Palatini sunt, de quibus est hic titulus) Alii vero obsequiis Principis officia præbebant: *l. 1. inf. de priuil. eorum qui in sacro pal.* intra aulam obsequiis deputati erant, vt hæc *lex* loquitur, in palatio obsequia præbebant; *l. 2. d. t. de priuil.* &c. in diuersis obsequiis Palatinis erant, *l. 3. d. t.* Palatini fidelis obsequii munera implebant, *l. 5. d. t.* Palatinis intra aulam obsequiis deputati, *l. 12. eod.* Qui a Palatinis Largitionum, de quibus *hoc titulo*, diserte separantur, *d. l. 3.* imo & a Scriniariis quandoque Memoriæ, Epistolarum, &c. *d. l. 1.* & *3.* & a Cubiculariis, *d. l. 3.* Quinam igitur illi sunt? Nempe, qui sub dispositione Magistri officiorum, & Comitis Domesticorum fuere: *l. 42. inf. de hæreticis*, (vbi, intra Palatium militare dicuntur:) item sub Castrensi S. Palatii vt *hac leg.* & apud Corippum, versibus quos mox laudabo. *Obsequii* scilicet vox proprie de his vsurpata, qui circa Principem vel domi, vel foris procedenti obsequebantur apud Capitolinum *non semel*, Trebellium Pollionem, in *Claudio c. 14.* Cassiodorum *VII. Var. 5.* in *formula Curæ Palatii.* Quare & *obsequium* dictum pro comitatu procedentis apud Agrœtium *de orthographia pag. 2272. inter Grammat. vet. El. Putschii.* Constantinum *de thematibus lib. 1. th. 4. oritur.* Warnefridum de gestis Longobardorum *lib. 1. c. 20.* aliosque quos congerit Meursius *in mixobarbaro.* Proinde vocis *Palatinorum* homonymia vel delusi sunt, vel illudunt *huius Codicis Theodosiani* Conditores. Aduersus quæ dicat quis, Seuerum hunc Comitem, cui *lex* hæc inscribitur, eundem videri cum *Seuerino*: quem *Comitem Rerum priuatarum* hoc ipso anno facit *lex vlt. inf. ad leg. Iul. repetundar.* vel Comitem S. L. *lex 4. Cod. Iust. de off. Præf. vrbi.* De Palatinis igitur Rerum priuatarum hanc *leg.* esse, atque adeo recte sub hoc *titulo* collocatam? Sed vt ad id respondeam: etsi verum foret hunc eundem videri Seuerum cum Seuerino illo Com. R. P. (Quanquam Comes quoque Castrensis dicatur *l. 1. 2. inf. de Castrensianis*:) non ideo tamen *de Palatinis R. P.* hac *leg.* agitur: Duplici quippe dignitate functum Seuerum dici posset. Itaque *hac l.* Palatini intra aulam obsequiis deputati, omnino sunt *Castrensiani.* Qui & sacri palatii ministeriis connumerantur, *l. 35. inf. de erogat. mil. ann.* Sacri ministerii dicuntur, *l. 2. inf. de Castrensian.* Palatinorum denique etiam numerus *l. 38. inf. de decur.* Sacro Ministerio Principis deputati; *l. 4. pr. Cod. Iust. de Castrens.* hinc quoque in *titulo Codicis* παραλληλισμὸς *de Castrensianis & ministerianis.* Denique hanc *leg.* in *titulum de Castrensianis* coniectum oportuit. Cæterum sub dispositione *Castrensis* fuerunt *Pædagogiorum Ministeriales Dominici*, *Cura Palatinorum*, vt docet *Imperii Notitia fol. 59.* Breuitet *Ministerium aulicum*: cuius meminit Lampridius, in *Alexandro Seuero cap. 41. Aulicum ministerium in id contraxit, vt essent tot homines in singulis officiis, quot necessitas postularet, ita vt annonas non dignitatem acciperent fullones & vestitores, & pincerna omnes* CASTRENSES *ministri quemadmodum pestis illa instituerat, sed annonas singulas, vix binas: & quum argentum in ministerio plus ducentis libris non haberet, nec plures ministros, argentum & ministros anto quando poscebat, accipiebat ab amicis, quod hodieque fit, si præstatur a Præfectis absente Imperatore.* Hos Palatinos ita describit Corippus *lib. 3. v. 214 seqq.*

Adsunt OBSEQVIO *castrorum turba virorum,*
Illis summa fides, & plena licentia sacris
Deseruire locis, atque aurea fulcra parare,
Regales mensas epulis onerare supernis,
Conseruare domum, sanctumque intrare cubile,
Internas munire fores, vestesque parare.

Verum de Castrensianis seu sacri Palatii ministeriis *suo titulo de Castrensianis l. 1.* Cæterum & per se satis apertum eur huiusmodi Palatinos (& nominatim *Castrensianos*) *Valentinianus* Iunior vt & Impp. *Leo* & *Zeno* in *l. 10. seu vlt. Cod. Iust. de diu. offic.* non nisi ex sua adnotatione admitti voluerit: nempe quod vt Corippus superiori loco scribit, illis summa fides & plena licentia sacris deseruire locis & priuatæ & interioris Principis vitæ adsidui forent Ministri, a quibus vt sæpe Principi metuendum, ita non nisi a Principe probatos adsciscí interest. Itaque & Tertullian. in *Apologetico c. 35.* per ironiam: *Plane ceteri Ordines pro authoritate religiosi ex fide nihil hostium de ipso Senatu, de Equite, de castris, de* PALATIIS *ipsis spirant.* P. 219 Nil attinet syluam exemplorum retractare Principum, ab interioris vitæ ministris cubiculariis id genus aliis appetitorum. Ne longius repetam, Valentinianus hic ipse, *legis huius* author biennio post id extremum expertus est Viennæ, vrbe Galliarum a Cubiculariis extinctus & suffocatus, cum & Ciuilia & militaria officia omnia non ex eius nutu, verum aliorum penderent.

XIII. (a)

XIII. (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Osio (b) C.S.L.

OFFICIVM, quod Sublimitatis Tuæ iussionibus obsecundat, eas tantummodo teneat dignitates, (c) quas diuæ recordationis Valentis † Constitutio comprehendit: nihil vltra nec peti conuenit, nec sperari. Dat. IV. Kalen. Decemb. Constantinop. Olybrio & Probino CONSS. [395.]

NOTAE.

(a) Concordat *lex 7. 11. sup.* GOTHOFR.

(b) *Osius* Com. S. L. sub Arcadio, *h. l.* Magister officiorum in aliis sex legibus A. D. 395. 396. 398. de quo & Claudianus *lib. 2. in Eutropium. v. 346. seqq.* IDEM.

(c) De hac voce iam ad *l. 11. sup.* IDEM.

† *Valentis* constitutio hæc nun extat. IDEM.

COMMENTARIVS.

DIGNITATES Palatinorum Comitis Sacrarum Largitionum, atque adeo Annonarum, iuxta eas modum, quibus maiores aut petere aut sperare non liceret, duabus constitutionibus a Theodosio M. definitum, puta *l. 7. & 11.* superius videmus. Verum ante Theodosium *Valens* Imperator easdem dignitates atque adeo eonenas eliter digesserat. Hanc igitur formam Valentis constitutione comprehensam, ac non etiam Theodosianam, Arcadius *h. l.* seruari iubet; sic vt nihil vltra peti aut sperari velit. De qua ad eas *leges* plenius.

XIV. (a) Idem AA. Martiniano (b) C. S. L.

OFFICIORVM Palatinorum, Scriniorumque, primicerii (c) biennio transacto discedant, nec vlterius in eadem militia commorentur. Eos sane qui ante hoc statutum in locis (d) memoratis inuenti sunt, ad metas triennii concedimus peruenire. Dat. XV. Kalen. Feb. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda huic *lex 6. sup. de Proximis Comitibus dispositionum.* Forte & *l. 8. & 9. sup. de Agentibus.* GOTHOFREDVS.

(b) *Martinianus* Comes S. L. sub Arcadio, A. D. 396. vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) De his *Scriniorum Primiceriis*, mox. IDEM.

(d) *Loca* sunt gradus officiorum & dignitatum, vid. *Gloss. Theod.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE PRIMICERIIS officiorum Palatinorum scriniorumque est hæc Arcadii *lex*, quæ pars est prolixioris constitutionis Arcadianæ de PROMOTIONIBVS, deque spatio seu tempore, quo Primates variorum officiorum Palatinorum durare debeat: vnde superest quoque *lex 6. sup. de Proximis scriniorum* quæ huic coassanda venit (forte etiam vna cum *leg. 8. & 9. sup. de Agentibus in rebus*:) Quæ & ipsa de Proximis sacrorum scriniorum idem omnino constituit, iisdemque omnino verbis, quibus hæc de officiorum Palatinorum scriniorumque Primiceriis, & ideo data ad Osium Magistrum officiorum, sub quo erant Proximi sacrorum scriniorum. *Officiorum porro Palatinorum Primicerii* hic sunt totius officii Palatini, id est, Officialium Palatinorum Comitis S. L. Primicerii: fuit enim totius officii Palatini Primicerius quidam, vt docet quoque *lex 19. inf.* vbi dicam: *Scriniorum* vero *Primicerii*, sunt singulorum scriniorum in officio Comitis S. L. Primicerii: (huius enim officii varia fuerunt scrinia, *l. 3. 7. 11. 13. sup. l. 18. §. vlt. inf. de murilegulis*) varii proinde Primicerii, quorum Primiceriorum scriniorum fit quoque mentio *l. 3. sup. l. 19. 21. inf.* Rectores iidem dicuntur *l. prox. 15.* Ergo Primicerii hi officiorum Palatinorum scriniorumque biennio neque vltra in hac militia seu officio locoque commorari *h. l.* iubentur, biennioque transacto discedere pariter vt Proximi sacrorum scriniorum, *d. l. 6. sup. de Proximis sacr. scrin.* vbi vid. quæ de huius rei ratione dixi: vt & de limitatione vtrique *legi* subiecta, quæ in præsens respicit: puta vt qui huius constitutionis tempore Proximi vel Primicerii reperiuntur, triennium absoluere possint. Quod & alias similiter factum, cum tempora actuum coarctarentur: vt præterea videre est ex *l. 22. inf.* Quæ cum ita clara sint, crassus error est eorum qui ex *hac l.* scribunt, Palatinorum in commune officium vltra biennium sese non porrexisse.

P. 220 XV. (a) Idem AA. Constantio C. S. L. (b)

HIS abiectis de Officio Palatino, qui inconsiderate ac vulgo sunt congregati Statutos ducentos viginti quatuor. Supernumerarios sescentos decem electissimos inhærere præcepimus: (c) & iuxta instructionem Eminentiæ tuæ quæ adnexa est, singulis (d) scriniis vel Rectoribus (e) definitum numerum Supernumerariorum deputari. Si quis sane ad memoratam militiam accedere voluerit, ostensa generis fide, tunc demum adnotatione

nostri Numinis, Palatinorum cœtui societur. Dat. XIII. Kal.... (f) Constantinop. Theod. V. C. Conss. [399.]

NOTÆ.

(a) Abest a *Cod. Iustinianeo.* GOTHOFREDVS.

(b) *Constantius* Comes S. L. sub Arcadio. IDEM.

(c) *Præcipimus.* vid. *l. 6. de Agent. in reb.* IDEM.

(d) Quæ Decem erant, vide dicta ad *l. 7. sup.* IDEM.

(e) *Rectorum* appellatione intelligit proculdubio Primicerios Scriniorum, de quibus *l. 3. & l. 14. sup.* Primicerii enim sunt singulorum Scriniorum Rectores. IDEM.

(f) Forte *Kal. Ian.* & ita fugientes literæ exhibent in MS. IDEM.

COMMENTARIVS.

Recensvm seu Repvrgivm Palatinorum Comitis Sacrarum largitionum *h. l.* Arcadius instituit: pariter vt ab Honorio instituitur *lege sequente*: idque iuxta instructionem Comitis Sacrarum largitionum Constantii, cuiusmodi repurgium quoque Scholæ Agentium in rebus institutum *l. 15. 18. vlt. sup. de Agentib. in rebus.*

Duo igitur *h. l.* statuuntur, Primum vt non nisi CCXXIV. statuti sint; *Supernumerarii* vero sexcenti & decem itque edecumati & selecti a Comite Sacrarum Largitionum: In Scholis scilicet, (& quidem Palatinis, ne de aliis nunc dicam) alii dicebantur & erant *statuti*, alii vero *supernumerarii*: vt præter hanc *legem* ostendit *lex 17. inf. lex 2. inf. de Castrensianis*: seu alii statuti, alii Vacantes: *l. vlt. sup. de Agentibus in rebus*: vbi plura de his *Vacantibus* notaui. Statuti inquam, qui iam officio suo intra scholam fungebantur, atque in actu iam positi & constituti. Supernumerarii vero seu Vacantes vel Adscriptitii, qui supra numerum statutum per singulas Scholas dispersi, certoque numero deputati, decedentibus ex Schola aliis, ordine subrogandi; vt clare docet *lex 17. inf.* De quibus plene dixi *ad d. l. vlt. sup. de Agentibus in rebus.*

Secundo ad Palatinam hanc militiam, non nisi ex adnotatione Principis, idque fide Generis facta, neminem admitti iubet Arcadius. Quod idem & de Priuatianis, seu de Palatinis Comitis rerum priuatarum constituitur *l. 18. inf.* De Palatinis Castrensianis, seu de Palatinis intra aulam deputatis, *l. 12. sup.* Quod de fide generis additur, id lucem accipiet ex *l. 16. 17. inf.* vid. & *l. 4. sup. de Agentib. in reb.* & *inf tit. quid probare debeant.* Et hæc quidem ita ab Arcadio constituuntur, quod videlicet incondita turbatum laboraret officium Palatinum, vt *initio legis* ostenditur.

Vt ad Supernumerarios seu prius *huius l.* caput redeamus, notandum & illud: quod Supernumerarii singulis scriniis, atque adeo Rectoribus (id est Primiceriis, de quo ad *l. 15. sup.*) certo numero deputari adsignari iubentur: Idque iuxta instructionem Constantii Comitis S. L. quæ *huic l.* adnexa quoque fuerat: v. g. tot in scrinio Tabulariorum, Canonum, Numerariorum, &c.

XVI. (a) Idem AA. Messalæ PP. (b)

Salvtari (c) definitione censuimus (d) dxl. & sex (e) de officio Comitis sacrarum largitionum, trecentos priuatarum, (f) qui tamen nullis sint corporib. obligati: reliquos suis Officiis & Ordinib. esse reddendos, singulis tamen ita matriculis retinendos, vt patriæ (g) prouincia pariter conscribatur; Iudicibus admonendis de numero statuto, vt ceteri ad sua Officia retrahantur, nec posthac sub specie militiæ (h) intra prouinciam possit delitescere qui sibi nec indultum commeatum, (i) nec publicam necessitatem docuerit esse mandatam; Curialem suum municipes (k) vindicent, Collegiatum (l) proprium corpus adstringat, nec Iudicem suum Apparitor (m) quondam desertor euadat: sibi quisque, iure tamen, obnoxium exsequatur: (n) Adiutoribus quoque, qui matriculas tractant, supplicium deportationis cum amissione facultatum subeuntibus, si quenquam vltra numerum præstitutum fuerint militare. Dat. XI. Kal. Ian. Med. Theodoro V. C. Conss. [399.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* est *lex* proxima. Vtraque abest a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

P. 231. (b) *Messala* PP. Italiæ sub Honorio Imp. A. D. 396. 398. 399. 400. vid. *Prosopogr.* vbi ex Symmacho & Rutilio Numat. nonnulla. IDEM.

(c) Salubri sanctione: *d. l. prox.* IDEM.

(d) *Censuimus*, nisi quid hic abest, pro *numerum constituimus*, æstimauimus. IDEM.

(e) In MS. ita notatum. IDEM.

(f) *Priuatarum* absolute: de quo ad *l. 18.* IDEM.

(g) Patria & prouincia. IDEM.

(h) Palatinæ scilicet. IDEM.

(i) De *Commeatu* hoc indulto Palatinis. IDEM.

(k) *Municipes* sunt Curiales, *vid. Paratitlon de Decurionib.* IDEM.

(l) De *Collegiatis* suo titulo *inf. lib. 14. t. 7.* IDEM.

(m) De his est *infra* titulus, *lib. 8.* IDEM.

(n) *Persequatur.* IDEM.

XVII. (a) Idem AA. Longiano (b) C. S. L.

SERENITAS nostra salubri sanctione disposuit, vt quingenti quadraginta sex, qui tamen nullis sunt corporibus obligati Palatini sint: Supernumerarii autem ex (c) quibus in decedentium locum, quos ratio inuenerit, singuli subrogentur, ad originem tractis desertoribus; sciente Adiutore Officii Palatini, si qui supra statutum numerum vel cohibentia (d) vel neglegentia eius inrepserit, auaritiam eius, proscribtione omnium facultatum ab deportatione, plectendam: reliquos (e) autem qui superflui fuerint, prouinciis sine dilatione, datis auctoritatibus, (f) restituantur. Dat. X. Kalen. Ian. Med. Theodoro V. C. CONSS. [399.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic*, vt dixi, *lex* superior. *GOTHOFREDVS.*

(b) *γρ. Longiniano* Comiti S. L. sub Honorio: ad quem extant Symmachi nouem epistolæ *lib. 7.* quibus omnibus perperam editum *Longimano*: Ex *ep.* certe 93. & 96. satis aperte colligitur, de eius Comitiua S. L. vid. *Prosopogr. IDEM.*

(c) Locus corruptus: Ego sic restituam; *supernumerarii autem alii*, scilicet fiant, *ex quibus*, &c. *IDEM.*

(d) *Cohibentia*, pro *Conniuentia. IDEM.*

(e) *γρ. Reliqui. IDEM.*

(e) De hac *Auctoritatum* voce mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

RECENSVM seu Repurgium Palatinorum seu Officialium Comitis sacrarum largitionum & Comitis rerum priuatarum instituit Honorius Imp. his duabus *legibus*, quæ inter se coassandæ sunt: etsi ad diuersos Magistratus datæ, pro ratione videlicet subiectæ materiæ: Prior scilicet ad Præfectum Prætorio data est, quia de Iudicibus quoque prouinciarum eorumque Officiis, Collegiis, & Curiis agit: Posterior vero ad Comitem S. L. quia de Palatinis S. L. vnice tractat: Nempe vt Arcadius *superiori l. 15.* in Oriente huoe recensum hoc ipso Anno egit: ita & Honorius *his legibus*. Cuius etiam recensus causam *priore lege 16.* aperte iodicat: nempe, quod multi Corporibus, Officiis & Ordinibus, Curiis, inquam, Collegiis, & Appatitionibus Iudicum obligati in Palatinorum Ordinem seu matriculam irrepsissent: Qua causa etiam Curiis, Collegiis, Officiis Iudicum potestas *hac l.* datur, Curiales suos, Collegiatos, Apparitores, retrahendi. Numerum itaque huoe Palatinorum esse iubet Honorius *his legibus*: Nempe, Comitis S. L. quingentos & quadraginta sex: Comitis R. P. trecentos: pauciores proinde Palatinos Comitis R. P. quam S. L. quomodo & pauciora rerum priuatarum scrinia fuerunt, quatuor inquam: cum sacrarum largitionum decem essent, de quo vide *leg. 7. sup. & l. vlt inf.* Atque hic statutotum Palatinorum numerus definitus ab Honorio: Vltra quem numerum reliquos supernumerarios certa matricula seu Breui comprehendi iubet, ita quidem vt singulorum nominibus patria & prouincia adscribatur: quo scilicet admooitis Iudicibus prouinciarum Curiis, Collegiis & officiis Iudicum, his obnoxii retrahantur: cæteri vero noo obnoxii supernumerariorum loco habeantur, atque in decedentium locum vbi vsus tulerit, subrogentur: quæ & ipsa Supernumerariorum ratio & condito Arcadio placuit *d. l. 15.* Quomodo & in Recensu Agentium in rebus vltra statutotum numerum, in supernumerarios multi eadem conditione reiecti, *l. vlt. sup. de Agentibus in rebus.* vbi de his supernumerariis, qui & Adscriptitii, Vacantiui, seu Vacantes dicti, plura: vt & inter Castrensianos, *l. 2. inf. de Castrensianis.* Et hæc quidem de *harum legum* senteotia: vbi duo adhuc notanda veniunt.

Primo, de *Adiutoribus* officii Palatini. Pœnam scilicet proponi his, bonorum proscriptioois, & deportationis, si passi fuerint vel conniuentia vel oegligentia supra statutum numerum aliquem irrepere: Nempe hi *Adiutores*, quorum mentio quoque fit *l. 20. inf.* & *l. 4. de executoribus*: Palatini officii (vt diserte dicitur *l. 16.*) matriculas tractabant: & quod *l. 17.* indicatur, per auaritiam irrepere quosdam sinebaot. De Adiutoribus in genere dixi ad *l. 10. inf. de cohortalibus*: de Adiutore Magistri officiorum *l. 3. 20. 21. sup. de Agentibus in rebus.*

Secundo, *fine l. 17.* superflui Palatini, vltra statutos videlicet & supernumerarios iubentur prouinciis sine dilatiooe, datis auctoritatibus, restitui: vbi quid sit, *Datis Auctoritatibus*, quæri potest? Putet quis *datis auctoritatibus*, esse probatione præstita: v. g. a Curia, si quem velut Curialem repetat: quo sensu, *auctoritatis* vox quoque accipitur. Malo ego, mandatis seu literis Iudicum, argumento *l. superioris*: quomodo accipitur & *l. vn. sup. si certum pet. ex chirogr.* vt recte Iuretus io Symmach. *lib. 3. ep. 69.* vbi plura exempla apponit de hac *Auctoritatis* significatione, & Nos in *Gloss. Theodos.*

P.222. XVIII. (a) Idem AA. (b) Nestorio (c) Comiti R. P.

NON aliter quilibet in Officio Sacrarum Priuatarum (d) cingulum militiæ sibi sumendum existimet, nisi nostræ Mansuetudinis Adnotationem meruerit. Dat. Prid. Id. Aug. Ancyræ, (e) Stilichone II. & Anthemio CONSS. [405.]

NOTAE.

(a) *L. 9. Cod. Iust. eod. tit.* Concordat huic *lex 12. & 15. sup. GOTHOFR.*

(b) Imo Imppp. ARCADIVS, *Honorius & Theodosius AAA.* pariter vt *l. prox. 19.* vid. *Chronologiam.* Male Cod. Iust. Impp. *Theod. & Arcad. IDEM.*

(c) *Nestorius* Comes R. P. sub Arcadio vid. *Prosopogr. IDEM.*

(d) *Sacrarum largitionum vel priuatarum*, ita Tribonianus, aduersus veri fidem. *IDEM.*

(e) *Ancyra* in Galatia hoc tempore constitutus Arcadius A. D. 405. vbi pariter data *lex. 1. inf. ne quis in Palat. l. 1. de mensoribus.* De Imperatorum Ancyræ mora, dicb plene *ad l. 3. inf. ad l. Corn. de sicariis, N. 2. IDEM.*

COM-

COMMENTARIVS.

ADMITTI ad Palatini rerum priuatarum Officium sine adnotatione Principis nemo potest ex *hac* Arcadii *leg.* Quod idem de Palatinis sacrarum Largitionum idem Arcadius constituit *l. 15. sup.* & Valentinianus Iunior de Palatinis inter aulam obsequio deputatis *l. 12. sup.* Illud notandum semel, absolute *Sacrarum Priuatarum* appellatione *h. l.* intelligi res priuaras. Ita absolute quoque *priuata* pro rebus priuatis, *l. vlt. inf. de locatiane fundorum iuris emphyteutici.* Comes & Comitiua priuatarum, *l. 49. inf. de appellatianibus*, *l. 120. inf. de Decurion.* Sacræ igitur priuatæ, sunt sacræ res priuatæ: quippe sacræ res vel largitionales vel priuatæ; vnde quandoque *Sacrarum* appellatione simpliciter res priuatæ intelliguntur, *l. 13. inf. de indulgentiis debitarum.* Quandoque sacræ largitiones, vt apud Ennodium *in tertia dictiane p. 1053. Tom. I. Oper. Sirmondi. Te sacrarum Iudex & consilii comitem meruit & laboris.* Iraque errat Vir doctus ad Symmachum *lib. 10. ep. 43.* qui *dictam l. 13.* ita supplet, *Muneratiouum sacrarum.* Ac vt ad priuatas redeam, Officium Priuatarum dicitur quoque *l. 16. sup. l. 21. inf.* & *l. vlt. inf. h. t.* In antiqua quoque inscriptione ἐπίτροπος πριβάτης. vide & ad aliquid Suidam in voce πριβάτη. Ita Capitolinus *in vita Macrini c. 2. Occisa*, inquit, *Antonino Bassiano, Opilius Macrinus, Præfectus Prætoria eius qui antea* PRIBATAS *curabat, imperium arripuit.* Cæterum huic *legi* coassandam censeo *l. vlt. Cod. Iust. de rescind. vend.* quæ eidem Nestorio Comiti R. P. inscribitur, qua vestium, auri, argenti, mancipiorum emendorum ex priuatis rebus Principis copia denegatur.

XIX. (a) Idem AA. & Theodosius A. (b) Monaxio PP. (c)

DOMINVM ex Primiceriis sacrarum largitionum speciali beneficio ex Vicariis, ad similitudinem Proximorum sacrorum scriniorum, esse præcipimus; Ceteros Primicerios scriniorum, & qui post illum Primicerii totius erunt officii, Palatini, ex Consularibus inter Adlectos esse decernimus. Dat. XVI. Kalend. Feb. Constantinop. Basso & Philippo viris clarissimis CONSS. [408.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex*, velut historica, a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) Emendata superioris *legis* inscriptione, reponandum hic, *Iidem AAA.* IDEM.

(c) γρ. *P. V.* vid. *Prosopogr.* & auctorem Chronici Alexandrini A. D. 409. Et certe de Dignitatum ordine agitur *hac l.* cuius rei cura ad dispositionem Præfecti vrbis pertinebat: de quo dixi ad *l. 1. sup. vt Dignitatum ordo.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE PRIMICERIORVM sacrarum largitionum DIGNITATE est hæc Arcadii Imp. Constitutio: Vbi ante omnia prænoscendum est (quod hæc *lex* diserte testatur, idque etiam indicat *lex 14. sup.*) alios fuisse Primicerios totius officii Comitis S. L. alios vero Primicerios singulorum scriniorum. Id quod similiter docet *lex 22. inf.* & *Notitia Imperii fol. 49.* quæ viginti ferme post hanc *leg.* annis conscripta est, præfert; *Officium*, inquit, *Viri Illustris Comitis S. L. habet* PRIMICERIVM TOTIVS OFFICII: *Primicerium scrinii Canonum: Primicerium scrinii Tabulariarum: Primicerium scrinii Numerariorum: Primicarium scrinii aureæ massæ: Primicerium scrinii Auri ad responsum: Primicerium scrinii vestiarii sacri: Primicerium scrinii Argenti: Primicerium scrinii Annularensis: Primicerium scrinii a pecuniis.* Quod ipsum & de officio scriniisque rerum priuatarum testatur *lex vlt. inf. hoc tit.* eademque Imperii Notitia.

Hoc præcognito, de *huius l.* sententia videndum est. Igitur de Dignitate Primiceriorum horum, duo hæc *hac l.* constituuntur ab Arcadio: Primo continetur speciale beneficium seu priuilegium Domini cuiusdam, qui tum erat ex-Primiceriis totius officii Palatini seu Comitis S. L. Nempe speciali beneficio tribuitur ei dignitas ex-Vicariis, ad similitudinem proximorum sacrorum scriniorum: De hac Proximorum sacrorum scriniorum dignitate, v. *l. 2. 4. 10. 11. 17. sup. de Proximis:* & *l. 12. sup. de Senatoribus.* Igitur Domino ex-Primicerio totius officii hæc dignitas speciali beneficio tribuitur. Qui vero ægri somnia videre, imo videre volet, legat is quæ Gu- P 219
therius *de officiis domus Augustæ lib. 3. c. 9. pag. 580. 581. edit. Lipsiens.* scribit: vbi hanc *leg.* de Primicerio Notariorum accipit, & *Dominum ex-Primiceriis* vocari notat, id est, Primicerium Notariorum totius officii, nomine appellatiuo: Est enim hic *Domini*, siue mauis, *Domini* nomen proprium.

Secundo capite in futurum Primicerius totius officii Palatini, vt & Primiceriis singulorum scriniorum tribuitur dignitas ex-Consularibus inter Adlectos: de dignitate ex Consularibus dixi ad *l. 10. sup. de domesticis* de eadem in hac ipsa re videtur accipenda *lex 7. sup.* & *l. vlt. in fin.* De Adlectis, id est, immunibus a Senatoriis oneribus, dixi *ad l. 10. sup. de Prætoribus.* Et hoc tamen priuilegium ademptum postea his a Theodosio Iun. quod Senatoriæ dignitati isti Palatini renunciassent, *l. vlt. sup. de Senatorib.*

XX. (a) Impp. HONORIVS & Theodosius AA. Ioanni PP. (b)

PALATINOS, qui sacrarum remunerationum rationem tractantes, inculpatim (c) ad eadem terminumque militiæ peruenerint, præcepimus (d) ea (e) habere priuilegia, Adiutorem (f) & Primicerios diuersorum (g) officiorum, quæ nuper + Agentum in rebus scholæ a (h) nostra sunt Mansuetudine contributa: scilicet, vt a tyronum (i) præbitione memorati reddantur exortes, ceteraque onera non agnoscant, quæ (k) antea cum nihil de hac re statuissemus, ad dignitatis dispendium sustinebunt. (l) Dat. VII. Id. Iun. Rau. p. (m) Consulatum Honorii IX. & Theodosii V. AA. [413.]

NOTAE.

(a) *L. 10. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Ioannes* PP. sub Honorio Imp. A. D. 412. 413. 414. vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Inculpatim*, pro *inculpate*: vid. *Gloss. Theod.* Male Cod. Iust. *inculpantur.* IDEM.

(d) *Præcipimus*, quomodo & *Cod. Iust.* IDEM.

(e) Locus hic ita *Cod. Iust.* expressus, *nec non etiam Adiutores, & Primicerios diuersorum officiorum præcipimus habere priuilegia, quæ* &c. De quo mox. IDEM.

(f) De *Adiutore* vid. *l.* 16. 17. *sup.* IDEM.

(g) Id est, vniuersorum quorumcunque, vid. *Gloss.* IDEM.

+ De hac constitutione mox. IDEM.

(h) *A.* abest a *Cod. Inst.* IDEM.

(I) Vid. infra *titulum, qui a præbitione tyronum, lib.* 11. & *l.* 14. 15. *sup. de proximis Comitibus dispos.* IDEM.

(k) Reliqua recisa a Cod. Iust. IDEM.

(l) γρ. *Sustinebant.* IDEM.

(m) Id est, *Post.* IDEM.

COMMENTARIVS.

A TIRONVM præstatione, cæterisque oneribus, Palatini sacrarum remunerationum, vbi inculpate ad calcem terminumque militiæ peruenerint, etsi Honoratorum iam numero, de quo ad *l.* 19. *sup.* hac *leg.* ab Honorio immunes esse iubentur, quibus hactenus obnoxii fuerant. Vbi tria illustranda veniunt, præter generalem a tyronum præstatione immunitatem: de qua erit *inf. tit.* peculiaris, *lib.* 11.

Primo quod hæc immunitas tribuitur Palatinis sacrarum remunerationum, id est, tam Sacrarum largitionum quam priuatarum: sic quoque *l. 2. inf. de commeatu. Ex officiis Palatinis, his videlicet qui sacrarum & priuatarum remunerationum Comitibus obsequndant.* Nempe *sacrarum remunerationum* vox pertinet ad sacras largitiones, & ad res priuatas, quæ sane & sacræ dicuntur, *l. 13. infr. de indulg. debitor. l. 17. 18. infr. de exactionibus*: Sic alioquin & Symmachus *lib. 10. ep. 43. Palatini munerationum sacrarum, Amicus & Castor, quæstus pullinos eruentes,* &c. Et in *veteri Inscript. apud Gruterum* CCCCXLIX. 7. de Petronio Maximo. SACRARVM REMVNERATIONVM PER TRIENNIVM COMES: qui ille est Maximus, qui dicitur Comes S. L. *l. vlt. Cod. Iust. de commerciis:* Comes R. P. *l. 26. inf de petitionibus.* Sic & Honoratus V. P. RAT. S. R. dicitur in *veteri Inscr.* CCLXXXII. 6. id est, *Vir Perfectissimus Rationalis Sacrarum Remunerationum.*

Secundo obseruandum id quod *initio* dicitur de Palatinis, qui ad eascem terminumque militiæ peruenerunt, explicari mox de *Adiutore & Primiceriis diuersorum officiorum:* vbi reponam *vniuersorum officiorum*, vel certe *diuersos.* Nempe Palatini, vbi ad calcem militiæ peruenerant, fiebant vel *Adiutores*, de quibus *l.* 16. & 17. *sup.* vel Primicerii totius officii, vel singulorum scriniorum, siue sacrarum largitionum siue priuatarum: de quibus Primiceriis *l.* 19. *sup.* & *l. vlt. inf.* & *Notitia Imperii.* Quare verba illa, *Adiutorem & Primicerios vniuersorum* officiorum ἐξηγητικῶς posita sunt, quasi dixisset *Adiutorem scilicet.* Quod Tribonianus non cepit, qui αὐξητικῶς & extensiue seu ampliatiue hæc accepit, & ad alia officia aliosque Adiutores & Primicerios transtulit: ita: *Nec non etiam Adiutores & Primicerios diuersorum officiorum præcipimus habere priuilegia, quæ,* &c. officia enim hic sunt officia Palatina: quorum *Primicerii totius officii* erant: nullibi vel in nullis Magistratuum officiis tales Primicerii.

Tertio *Exemplum* obseruandum. Nempe priuilegium hoc ab Agentibus in rebus, seu a priuilegio quod his nuper dederat, extendit nunc Honorius Imp. de quo sane est Honorii *lex 13. sup. de Agentibus in rebus*: quæ tamen non adeo nuper data est, verum ante decennium.

P. 224 XXI. *(a)* Idem AA. Anysio. C.S.L. & *(b)* Tauro C.R.P. *(c)*

AD similitudinem sanctionis, + quam de proximis sacrorum promulgauimus scriniorum; etiam in Officio sacrarum largitionum atque priuatarum pro biennio annum sub perpetua obseruatione præcipimus custodiri in (d) venerabili Natali perennitatis meæ Theodosii, (e) ad (f) exemplum proximorum, annus suscipiat exordium promotionis, & priuilegia (g) quæ huiusmodi Officiis vel Primicerio (h) sacris Legibus deferuntur, integra inlibataque seruentur. Dat. III. Kal. Iul. Constantinop. Theodosio A. VII. & Palladio CONSS. [416.]

NOTAE.

(a) *L. 11. Cod. Inst. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Anysius* Comes S. L. sub Theodosio Iun. cui inscribitur quoque Anno 419. *lex 22. inf. prox.* Eiusdem mentio fit An. 436. in *l. vlt. de murilegulis* vid. *Prosopogr.* Inscribitur hæc *lex* eodem exemplo duobus, Comiti S. L. & Com. R. P. quia argumentum eius vtrique commune est. IDEM.

(c) *Taurus*, Comes R. P. sub Theodosio Iun. IDEM.

+ Intelligit *Legem 17. sup. de proximis*, quæ ante quinque menses lata est. IDEM.

(d) Hæc sententia velut Historica recisa *Cod. Iust.* Rescribendum porro vel, *& venerabili*, vel *vt venerabili* quomodo *d. l.* 17. IDEM.

(e) Retinenda hæc vox, non vero irreptitia, est, vt quidam censent: dixi ad *l. 10. sup. de Prætoribus.* IDEM.

(f) *Exemplo* Codices Cuiacian. impressi. RITTER.

(g) De his priuilegiis *l.* 19. & 20. *sup.* GOTHOFR.

(d) *Primiceriis* in plurali *Cod. Iust.* IDEM.

COM-

COMMENTARIVS.

DE PRIMICERIORVM Palatinorum, de quibus ad *leg. 19. sup.* DVRATIONE, PROMOTIONE, & PRIVILEGIIS est hæc Theodosii Iun. constitutio; & ad Comitem S. L. & ad Comitem R. P. emissa, quod vtrique ea communis sit: eaque tota ad instar & exemplum legis *17. sup. de proximis* efficta: Porrigit scilicet *hac l.* Theodosius Iun. id quod *d. l. 17.* ante quinque menses sanxerat de proximis scriniorum, ad Primicerios Palatinorum scriniorum: *Ad similitudinem*, inquit, *sanctionis*, &c. Igitur tria ad similitudinem illorum de his disponit.

Primum est de *Duratione* Primiceriatus: Nempe eum hactenus, ex Arcadii patris *l. 14. sup.* Primiceriatus biennalis foret, annuum nunc, abrogata illa *leg.* esse iubet: idque vt dixi ad similitudinem Proximorum, de quibus idem cautum *d. l. 17.*

Secundum est, quod Tribonianus hic recidit, pariter vt *d. l. 17.* de *Tempore auspicali* promotionis ad Primiceriatum: Nempe & hic Natalem suum Theodosius Iun. huic rei dicatum vult, pariter vt *d. l. 17. sup. de proximis*, ad quam plene dixi, de hoc Theodosii Iun. natali, deque dicatis Principum natalibus ad promotiones, vt & ad *l. 11. eiusd. tit. de proximis*, & *l. 10. sup. de Prætorib.*

Postremo capite *Privilegia* Primiceriorum *superioribus legibus* Arcadii patris concessa, veluti *l. 19.* & *20. sup.* confirmantur: pariter vt Primiceriorum, *d. l. 17.* Denique quod *initio* dixi, est hæc *lex* tota imitamentum *d. legis 17.* pariter vt *lex prox. inf.* ad *similitudinem* pariter alterius *legis* expressa est.

XXII. (a) Idem AAA. Anysio (b) C. S. L.

CESSANTIBVS cunctis, quæ super biennio de actu Mittendariorum olim † statuta sunt, ad similitudinem Exceptorum (c) eiusdem militiæ completo anno recedere eos, subituris eundem locum sequentibus, præcipimus: illis qui nunc agunt, biennii actum ex quo cœperunt complentibus. Dat. IV. Non. Maii, Constantinop. Monaxio & Plinta CONSS. [419.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Anysio* huic Comiti S. L. inscribitur quoque *lex 21. prox sup.* *IDEM.*

† Constitutio hæc non extat. *IDEM.*

(c) De *Exceptoribus* dixi ad *l. 7 sup.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

MITTENDARII S. L. (de quibus *l. 7. 8. 9. sup. hoc tit.* & *l. 23. prox. inf.*) eum hactenus biennales essent, ex constitutione quadam quæ hic memoratur, nuspiam vero comparet, annui hac constitutione a Theodosio Iun. esse iubentur: Idque exemplo Exceptorum, de quibus *l. 7. sup.* Et hæc igitur *lex* pariter vt superior, ad similitudinem alterius expressa est. Crescente videl. in dies ambitione, vel impatientia succedentium in scholis, superiorum tempora coarctata, vt ita *sequentes horum locum subirent*, quod hic expresse notatur: Eaque coarctandarum militiarum in commune causa fuit, de quo ad *l. 6.* & *17. sup. de Proximis*, simila exemplum *l. 1. inf. de Castrens.* Et hic tamen in præsens limitatio quædam additur: nempe biennii actum complere his permittitur qui nunc agunt. Quod P.ass & alias factum, cum tempora actuum coarctarentur: vt videre est quoque ex *leg. 14. sup.* & *l. 6. sup. de proximis.* quæ inter se conferendæ sunt.

XXIII. (a) Idem AA. Asclepiodoto (b) C. S. L.

QVATTVOR Mittendarios, qui per annos singulos ex officio palatino exire (c) solemniter consuerunt, beneficiis, quibus Tuo Culmini visum fuerit, ex his videlicet quæ suæ iurisdictionis (d) esse, nec aliis ex consuetudine cælitus (e) deputata, cognouerit, Tua Sublimitas prosequatur: Etiam in posterum hac consuetudine permansura, vt circumuentione damnata, prolixa stipendia siue debita solatia (f) consequantur. Dat. III. Kal. Maii. Constantinop. Honorio XIII. & Theodosio X. AA. CONSS. [422.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Asclepiodotus* Comes S. L. sub Theodosio Iun. mox Anno prox. 423. Consul & Præfectus Prætorio. vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) *Exire* proprie vid. *Notitiam fol. 70. 71. 76. 78. seqq.* & *Gloss.* est cingulo liberari, vt *l. 3.* & *9. sup.* recedere, *l. 22. sup.* quæ omnes sunt de Mittendariis. *IDEM.*

(d) Id est, ex sacris largitionibus. *IDEM.*

(e) *Cælitus*, id est ab Imperatore seu Principe, *h. l.* & *l. 2. inf. de Castrensianis*: *l. 16. de murilegulis.* Erant qui aliter interpretati. Nempe *cœlestia*, *diuina*, *oracula*, *altaria*, hisque similia impie Principes sibi adsciscere, vid. *Glossar.* & *Imper. Rom.* *IDEM.*

(f) *Solatia* quid? mox dicam. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE MITTENDARIORVM S. L. quatuor (qui quotannis exibant, & sequentibus locum faciebant, vt docet praeterea *lex 8. & 9. sup. hoc tit.*) beneficiis, solatiis, est hæc constitutio Theodosii Iunioris obscura satis. Quæ vt intelligatur, sciendum est, vt aliis nonnullis de officio vel actu exeuntibus solatia quædam seu beneficia & stipendia pro munere data, ita & Mittendariis de actu exeuntibus pariter concessa: quæ hic triplici nomine designantur: beneficia, stipendia, solaria: *Solatia* non sunt proprie salaria, seu stipendia actus, verum beneficii & lucelli genus præter salarium. Ita puncti solatia, pro strenis *l. 4. Cod. Iust. de aduoc. diu. Iudicum*, de quo dixi ad *l. 11. sup.* Ita & solatia pro mercedula præstita: *l. 32. inf. de nauiculariis.* Errant enim qui solatium & salarium confundunt: Ita solatium tutori dicitur constitutum *l. 33. in f. D. de administr. tutor.* Sed & solatium in *l. 22. §. 8. D. soluto matrimonio*, alio sensu accipitur. Verum de hoc plura in *Glossario*. Ergo *hac l.* permittit Theodosius Iun. Comiti S. L. hæc beneficia seu solatia quatuor his Mittendariis exeuntibus dare, velut prolixorum stipendiorum solatia, *citra vllam circumuentionem:* duabus tamen limitationibus additis: Prima est, vt Comes S. L. hæc beneficia seu solatia tribuat ex his quæ suæ Iurisdictionis sunt; id est sub sua dispositione, atque adeo ex sacris largitionibus, & de quibus ipse disponere potest: vt sunt vestes linteæ, de quibus *lege 6. & 8. infr. de murilegulis*, & *Notitia Imperii. fol. 49.* non vero ex baphiis: quæ erant sub Comite R. P. Certe vestes vt inter stipendia, ita & inter solatia fuere: de quo iam *alibi*. Secunda limitatio est, ea beneficia seu solatia tribui posse a Comite S. L. *quæ non aliis ex consuetudine cælitus sunt deputata:* id est, quæ a Principe aliis sunt destinata, propriaque: *Cælitus*, id est, ab Imperatore, de quo iam in *Notis*. Scilicet Principes certis personis solatia quædam ex his quæ sub Iurisdictione, id est, dispositione Comitis S. L. erant, deputabant, quæ vel cuius generis Comites S. L. aliis dare non poterant.

XXIV. (a) Impp. THEODOSIVS A. & Valentinianus Cæsar Hierio PP. (b)

NOSTRÆ moderationis arbitrio præstitutum est, vt Priuatiani (c) priuilegia Largitionalis Officii perpetuo consequantur: hoc est, vt tam Primicerius Officii (d) priuatarum, quam alii Quatuor reliquorum Primicerii Scriniorum eiusdem contemplatione militiæ ex Consularibus inter Adlectos esse mereantur: & tam in hac (e) alma Vrbe quam in Prouinciis honore potiantur; cum Inlustres (f) Viri memoratarum Comites dignitatum ita simili iugiter infularum splendore decorentur, vt non culmine discingantur (g) æquali, (h) sed tempore. Dat. XV. Kalend. Decemb. Constantinop. Theodosio A. XI. & Valent. C. CONS. [425.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Hierius* PP. Orientis sub Theodosio Iun. A. D. 425. 426. 427. 428. vid. *Prosopogr.* *IDEM.* Priores Cuiacian. *Hierio Præposito* & Parisin. *Hierio PP. F.* male. *RITTER.*

(c) *Priuatiani* sunt Officiales Comitis R. P. sicut *Largitionales*, Comitis S. L. *Vrbaniciani*, Præfecti Vrbis. *GOTHOFR.*

P.226 (d) Totius scilicet vt *l. 19. sup.* & in *Notitia Imperii.* *IDEM.*

(e) Constantinopolitana, quo ex Macedonia regressus hoc tempore Theodosius: Socrates *lib. 7. cap. 24.* & vid. *Chronolog.* *IDEM.*

(f) Intelligit Comitem S. L. & Comitem R. P. *IDEM.*

(g) Iudicentur, *distinguantur*; Quomodo hic forte reponendum, vid. *Gloss.* *IDEM.*

(h) *vr. Inæquali.* mox vt ostendam. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

PRIMICERIIS rerum priuatarum eadem Priuilegia, eadem Dignitas tribuitur *hac l.* a Theodosio Iun. quæ & Primiceriis sacrarum largitionum; ac nominatim vt ex Consularibus inter Adlectos sint: de quo vid. & *l. 7. 19. sup.* Quæ *lex* vt penitus intelligatur illustreturque, sequentia notanda sunt.

PRIVATARVM Scrinia *quatuor* tantum fuere, vt hæc *lex* nominatim docet, sed & *Notitia Imperii* (biennio ferme post hanc *legem* vt alibi doceo conscripta) vbi hæc quatuor scrinia diserte numerantur *fol. 56. & 144.* *Scrinium beneficiorum, scrinium canonum, scrinium securitatum, scrinium largitionum priuatarum.* Singulorum horum Scriniorum sui & singuli fuere *Primicerii*, quos Notitia *Primiscrinios* vocat; nisi quod in Notitia Orientis *fol. 56.* *Primicerium scrinii largitionum priuatarum* nominat: cum hæc *lex* omnes *Primicerios* vocet: idem igitur hac parte *Primicerius*, qui *Primiscrinius.* Præter hos quatuor Primicerios, fuit & *Primicerius totius officii*, vt præter hanc *legem* eadem semper *Imperii Notitia* docet. In vniuersum vero Officiales omnes Comitis rerum priuatarum, *Priuatiani* dicti fuerunt. Hac *lege* igitur constituitur, quemadmodum Primicerii sacrarum largitionum Ex Consularibus inter Adlectos erant *l. 19. sup.* ita & Priuatarum Primicerios iisdem priuilegiis frui oportere. Exæquantur breuiter Priuatiani seu Officiales priuatarum Officialibus Comitis S. L. Idque hoc quoque argumento, quod scilicet & ipsi Comites vtrique æquales essent & similes, & (quæ inter æquales perpetua regula est, de qua dixi ad *l. vn. sup. de Consulibus.*) is inter eos præcedat & præferatur, qui alterum temporis antiquitate & prioritate vincit. Non est inter eos culmen inæquale, sed tempore tantum inter se certant. Vno verbo, cum Comites ipsi sint inter se similes & Officiales ipsorum exæquari par est: Officialium dignitas, Magistratuum suorum dignitatem sequitur, & æmulatur. Denique similes habent Officiales, qui sibi similes sunt. Hæc ita nunc Theodosius Iunior. Antea quippe non ilico quæ priuilegia Officialibus

Comi-

Comitis S. L. competebant, eadem & Priuatianis indulta fuere: quod præter *hanc leg.* docebunt ea, quæ notabo ad *l. 3. inf. de priuil. eorum qui in sacro pal.*

DE STRATORIBVS.

TITVLVS XXXI.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXV. De his est quoque *lex 4. inf. de Executorib.* De altero Stratorum genere agitur *l. 1. inf. de custodia reorum*, de quibus *legem 4. §. 1. D. de officio Proconsulis* accipiendam mox docebo: Ac proinde ad hos Stratores, de quibus *hoc Titulo*, eam non pertinere. Quod plerisque tamen visum est, & in his Cuiacio quoque.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Zosimum (b) Præsidem nouæ Epiri.

PER omnes prouincias Edictum generale misimus, Vt ab Stratoribus vnus tantum solidus probæ (c) nomine posceretur; & in offerendis (d) equis certam formam, staturam, ætatem prouinciales nostri custodienda esse cognoscerent; Quos etiam fisco certo solidorum modo obnoxios fecimus, si quod Stratores petere nunquam (e) metuunt, illi dare Stratoribus non timerent. Officium (f) quoque Grauitatis Tuæ centum argenti libras (g) multabitur, sciens (h) prædictam rem gestam fuisse, non ilico eam seueritati iudiciariæ prodidisse. (i) Dat. XIII. Kalend. Iul. Apolloniæ, (k) Valentiniano & Valente (l) AA. CONSS. [373]

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Zosimus* Præses nouæ Epiri: cui inscribitur pariter hoc Anno 373. altera lex, puta *lex vn. inf. ne Praefectianus* post Paulinum, vt apparet ex collatione *legis 22. de Episcopis*, quæ data est superiore Anno 372. ad Paulinum istum cum *d. l. vn. inf. ne Praefectianus*: cuius etiam collationis ope, emendandus vel supplendus
P.227 venit Consulatus *huic legi* subscriptus. *IDEM.*

(c) *Proba*, de hac voce mox. *IDEM.*

(d) A prouincialibus. *IDEM.*

(e) *Quod stratores petere interdictum est.* Ita Tribonianus. *IDEM.*

(f) *Officium* Præsidis Epiri nouæ nota. *IDEM.*

(g) *Libris* Cod. Iust. *IDEM.*

(h) *Si sciens* Cod. Iust. quomodo & *hic* reponendum. *IDEM.*

(i) *γρ. prodidisset*: in Cod. Iust. *prodideris.* *IDEM.*

(k) *Apollonia* vrbs Epiri nouæ, vbi data (id est, reddita) hæc *lex*; de quo mox plura. *IDEM.*

(l) *Valentiniano & Valente* IV. *AA.* ita reponendum, id est A. D. 373. vt euincit collatio *legis 22. inf. de Episcopis*: & *l. vn. inf. ne Praefectianus*: de quibus mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

STRATORIBVS Equorumque collationi, probationi per nouam Epirum modum ponit *hac l.* Valentinianus Imp. vbi de ipsis *Stratoribus* prius videndum est. *Stratores* in commune in re veterinaria dicebantur, qui stratum equi componebant, qui dominum in equum subleuabant, dextra illi substrata, siue subiecta, quique ad fræna quoque currebant, vel etiam capistro, seu fræno, vbi opus, equum domini ducebant. Græcis, ac nominatim Suidæ, *strator* ἀναβολεὺς & στρωτής. A quibus munus seu actus ipse *Stratura*, ἀναβολική Glossæ Philoxeni; omitto famosum ex Constantini donatione locum. Spartianus *in Caracalla cap. 7. cum illum in equum strutor eius* LAVARAT. Capitolinus *in Macrino cap. 4.* Stratoris Imperatoris meminit: Ammianus Marcellinus, *lib. 30. cap. 5. Cum*, loquit, *eum oblatus non susciperet equus, anteriores pedes præter morem erigens in sublime, innata feritate concitus, vt erat immanis, dexteram Stratoris militis iussit abscidi, qua eum insilientem iumento pulsarat consueto, perissetque cruciabiliter innocens* IVVENIS *ni* TRIAVNVS STABVLI *Cerealis dirum nefas cum sui periculo distulisset.* Paulus Warnefridus *lib. 2. Longobardicorum cap. 27. Equus Alboini in medio porta concidens, quamuis hinc inde a Stratore verberibus cæsus, non poterat eleuari.* Idem *Capite 9. Strator, quem lingua propria Marpahis appellant* (a) (*Mara* scilicet vel *Marcha* Celtica lingua, Germanicaque equus est, vt ex Pausania constat *in Phocicis cap. 19.* legibus Baiuuarius *tit. 12. c. 9.* Alamannorum *tit. 47.* Lon-

(a) Vid. quæ notauit ad hunc locum Cl. Lindenbrogius.

Longobardorum *lib. 2. tit. 30. §. 2.* & ex veteri Glossario) Paulinus *in Eucharistico: Vt mihi pulcher equus falerisque ornatior esset, Strator procerus.* Inde & *Protostrator* apud Curopalatem & Codinum ὑπποκόμων πρῶτος, quique cum Princeps equum inscensurus est, equum freno arrepto trahebat ad quartam vel quintam vsque Palatinæ aulæ partem. Sed & Iuo Carnotensis, & Anastasius *in vit. Stephan. III. Pontif. pag. 121. edit. Mogunt.* de Pipino Rege Francorum referunt, *eum Pontifici Stephano vice Stratoris, vsque ad aliquantum locum iuxta eius sellam properasse, & cum gloria ad Palatium duxisse.* Quandoque tamen Stratorum officio adeo contumeliose quidam addicti fuere, vt ascensuris non manum, sed corpus seu dorsum & ceruicem substernere necesse haberent, vt de Valeriano & Baiazete memorant. Neque enim hi minus (quod tamen nonnemo negat) Stratorum officio functi, imo contumeliosius: Neque interest ad stratoris officium manum quis an dorsum supponat, præbeatque domino equum conscendenti, nisi quod contumeliosius. Ex his apparet omnem horum stratorum curam circa equos & in equum conscensuros fuisse. Quod primo tenendum.

Secundo tenendum (vt ad *legem* nostram propius accedamus) in Palatio Imperatorum huiusmodi *Stratorum* peculiarem scholam fuisse: Quod ex *huius tituli* positione seu serie tum *hoc Codice*, tum *Iustinianeo* videre est: & Symmacho *lib. 10. epist. 5. in f. Cum Venantii Stratoris illicitam vsurpatamque militiam Marcellus argueret, quod Decurionum adscriptus albo aduersum Leges ad Palatina castra transisset.*

Et erat (quod Tertio notandum) hæc schola iuuenum *se[illegible]e, cui* Tribunus stabuli præerat, quod ex superiore Ammiani Marcellini loco *lib. 30. cap. 5.* liquido constat.

Itemque (quod Quarto notandum) sub Magistri officiorum dispositione, quod ex Symmacho clarum, *d. ep. 51. Venantium* (Stratorem) *quem V. C. & Illustris officiorum Magister iusserat exhiberi, censui, Agenti in rebus Decensio, quo prosequente veneras, esse reddendum. Sed cum Venantii stratoris illicitam,* &c.

Itaque (quod Quintum) cum horum peritia circa veterinariam & equos foret, nonnulli ex hac Palatina schola seu ex hoc stratorum numero e Palatio in prouincias mitti solebant, & sic missionibus Principis patebant, pariter vt Domestici, Protectores, Agentes in rebus: quibus ideo iunguntur *l. 4. inf. de Executoribus*, ac nominatim ad *probandos* equos, quos prouinciales tributi nomine conferebant (De qua alioquin equorum collatione sunt duo *Tituli* hoc Codice, *Titulus, de oblatione equorum lib. 7. inf.* & magis adhuc *Titulus, de Equorum collatione, lib. 11.* sed & titulus, *qui a præbitione tironum & equorum excus.*) Ad *probandos*, inquam equos, num videlicet iustæ essent formæ, staturæ, & ætatis, vt hæc *lex* testatur: ne alioquin Prouinciales sibi & arbitrio suo relicti tales equos conferrent, quales etiam ipsimet habere fastidirent, id est, pessimos: Eadem sane ratione cætera quoque quæ a Prouincialibus conferebantur, *probari* prius a certis personis in id destinatis oportebat: veluti Tirones a turmariis: *l. 1. & 9. inf. de Tyronibus*, vbi dicam plene, adductis quoque ex Vegetio *locis.* Item annonam militarem; adeo quidem, vt etiam Principi per Prouincias iter facienti eius indicia siue proba offerri soleret, quod Ammiani Marcellini locus ostendet quem postea consignabo. *Vestes* quoque *militares* inspici oportebat, priusquam mouerentur, & ad ea loca in quibus milites sunt constituti transferrentur, *l. 33. inf. de cursu publ. l. 31. inf. de susceptoribus* ibi, *ad contuendum.* Denique *Equos*, hac *leg.* & *l. vn. inf. de oblat. equor.* Eaque Equorum δοκιμασία Athenis quoque vsurpata, in Equitum δοκιμασίαις, de qua, vt & de nota, quæ τρυσίππιον dicta, inuri solita inualidis, Eupolis, Crates Comicus σαμίοις, Pollux, Hesychius, Zenobius, Aristophanis Interpres, & ex his Petitus *in legib. Atticis p. 550. 551.* Missionibus igitur Principis quoque paruerunt Stratores ad equos, vt dixi, probandos; vnde & *l. 4. inf. de Executorib.* Strator medius inter Domesticum aut Protectorem, & Agentem in rebus & Palatinos collocatur, & inter eos numeratur qui in prouincias e Palatio subinde mittebantur obtentu publicæ necessitatis: *Vt si Domesticus*, inquit, *aut Protector,* STRATOR, *vel Agens in rebus, vel Palatinus vtriusque officii:* (ita quoque hic Titulus *de Stratorib.* Titulo *de Palatinis* proxime cohæret) *vel ad* P. 228
eam Prouinciam in qua natus est, vel ad eam in qua conlocarit larem, cum huiusmodi vsurpatione perrexerit, matriculis quidem exemptus ipse qui se voluit MITTI, *auri libram vnam fisci viribus inferre cogetur.* Sed Ammiani Marcellini locus huic *legi* nostræ maxime respondet, *lib. 29. c. 3. Constantianus,* inquit, *Strator paucos militares equos ex his ausus mutare, ad quos probandos* MISSVS *est in Sardiniam eodem iubente lapidum ictibus oppetit crebris.* Symmachus *lib. 10. ep. 51. Sed cum Venantii Stratoris illicitam vsurpatamque militiam Marcellus argueret, quod Decurionum adscriptus albo, vt gesta docuerunt aduersum leges, ad* PALATINA CASTRA *transisset, non debui obiecta reticere.* Qui hoc Symmachi locus ostendit Stratores in Palatinis Castris, id est, in Palatio Principis inter ministerianos eius militasse, atque hoc sensu *milites* stratores fuisse, & vere dici ab Am. Marcel. & vt cæteroquin Decurionibus interdictum fuit ad Palatinam militiam aspirare, ita nominatim ad Stratoris militiam. Cæterum his stratoribus Probæ illius nomine aliquid conferri mos erat; cui rei *solidus hac lege* præfinitur: quo amplius neque exigere neque dare liceat (quemadmodum sportularum quoque nomine ipsis *Comitibus* stabuli aliquid aliquando pro singulis equis inferri solitum ostendit *lex 29. inf. de annona & tribut.* & *l. 3. inf. de equorum conlat.*) PROBÆ, inquam, nomine, quæ huius sæculi proba vox est: id est, pro *probatione.* Sic quoque Ammianus Marcellinus, *fine lib. 21. Et vehiculo insidenti, vt Principibus solet, annonæ militaris offerebantur Indicia, vt ipsi nominant* PROBA, *& animalia publica monstrabantur.* *Proba* igitur, & probatio, & specimen, seu indicium, & δεῖγμα rei: Quo sensu quoque *Digma l. 9. inf. de suariis,* vbi dicam. Quanquam Themistii Interpres Petauius *ad orat. 10. p. 453. ed. Harduin.* Probam & Proba subtiliter distinguit: *Probam* scilicet *hic* esse probationem, seu probandi actum: τὰ *Proba* vero, apud Marcellinum specimina, quæ probandi gratia repræsentantur. Quod ipse non probo: nam apud Marcellinum cum aliis legam *Probam*: qua voce & probationis actus, & probationis indicium significetur. Sic sane & olim *Puncta* dictus editus quidam Aquariorum, sic dictus ab eo qui *a punctis* dicebatur, teste Frontino *de aquæductibus, p. 199. seq. ed. Io. Poleni.*

Illud postremum *h. l.* summopere notandum est, datam hanc constitutionem ad Præsidem NOVÆ EPIRI; vbi & data (id est, reddita) APOLLONIÆ dicitur: Erat scilicet Apollonia vrbs Epiri Nouæ, (in qua Præses tum erat) Itinerarium Peutingerianum id euidentissime testatur *Segment. 5. apud Ortelium notit. orb. antiq.* vbi subnotatis his locis *Apollonia, Aulona Ocroceraunio Ph[illegible]ici, & Actia, Nicopoli,* voces hæ adscriptæ *Epirum Nouam.* Sed & Vibius Sequester *in lib. de fluminib. p. 39. ed. Franc. Hesselii. Gelagiensis,* inquit, *Dyrrachium ab Apollonia diuidens decurrit in Epiro.* Non temere autem ad Præsidem *Epiri* data est *hac* de Equorum collatione & probatione Constitutio: nam vt in commune id quæque prouincia tributi genus pendere solita, cuius ferax erat, ita Equorum tributum & collatio ex Epiro exacta, vtpote equorum & equarum optimarum ferace: Mamertinus, de hoc tributo Epirotico, *in Panegyrico ad Iulianum cap. 11. Leuati*, inquit,

Equo-

Equorum pretiis enormibus Dalmata, Epirota intolerandis tributi mole depressi, prouidentia Imperator tua non modo miserias exuerunt, sed amplam etiam atque opulentam reuexerunt fortunam. Virgilius iam 1. *Georg.* v. 42. *seqq.*

- - - Varium cœli prædiscere morem
Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum;
Et quid quaque ferat Regio, & quid quaque recuset.
- - - - - - - - -
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros Equarum.

ad quem locum quoque Seruius, *Epirus creat equas optimas.* Et Virgilium imitatus Sidonius *Carm.* 5. *v.* 45.

- - - Tum quaque suos Prouincia fructus
Exposuit, fert Indus ebur, Chaldæus amomum,
Argos equos, Epiros Equas, pecuaria Gallus:

Claudianus etiam *in laudibus Serenæ v.* 58. *seqq.* Illyricum (in quo Epirus teste Rufo Festo, & Notitia) equos contulisse testatur.

- - - gentes, quas fœdere Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in vsus
Imperii, Pharia segetes, & Punica messis.
Castrorum deuota cibo, dat Gallia robur
Militis, Illyricis sudant equitatibus alæ.

Vbi obserua, *equitatibus* pro *equis:* vt apud Ammianum Marcellinum *tirocinia*, pro *tironibus*, atque his sexcenta similia. Varro etiam 2. *rei rusticæ in fin. præfat. Pecuarias in Epeiro magnas fuisse* docet. (Contra, Aristoteles *lib* 8. *c.* 28. *de historia animalium*: notat propter immodicum frigus vt in Illyrica, & Thracia, ita in Epiro paruos haberi asinos.) *Equarum* denique *Celticarum* appellatione, Epiroticas intelligi & comprehendi apud Pollionem in *Claudio cap.* 9. prorsus existimo. *Quid equarum*, inquit, *quas fama nobilitat Celticarum?* Celtarum enim appellatione Illyrios & Epirotas venisse certum est. Hinc igitur data hæc lex ad Præsidem Epiri, & quidem Nouæ: duplex enim Epirus fuit, Vetus & Noua: vid. Itinerarium *Peutinger.* & Sext. Rufum *in Breuiario cap.* 8. & *Notitiam Imperii*, & *Indicem Scoubquiamum:* in qua scilicet Noua fuit *Apollonia:* vbi ideo hæc lex data, id est, reddita dicitur. Et hæc quidem de Stratoribus Palatinis, de quibus est hic *titulus:* quique *Stratores Augustorum* dicuntur in *veteri Inscript. apud. Gruterum DC.* 9.

Alii quippe quoque Stratores in officio Magistratuum fuere, veluti Præfectorum Prætorio, Proconsulum, Præsidum, de quibus est *lex* 4. §. 1. *D. de offic. Proconsul. lex* 10. *D. ex quibus causis maiores: l. vlt. D. de iure immunit. l.* 1. §. 8. *Cod. Iust. de offic. Præfecti Prat. Africa.* Vbi Schola *Stratorum* inter alias memoratur quæ in officio Præfecti Prætorio fuere. In *veteri Inscript. Taraconensi, apud Gruterum* CCCLXXXIX. 2. vbi *Stratoris Præsidis* fit mentio. Fit & mentio in *l.* 1. *inf. Cod. Iustin. de Custod. reor.* in Actis Cypriani & apud Pontium Diaconum *in vita Cypriani*, de quibus dico ad *Vlpiani libros, de officio Proconsulis:* quorum etiam opera fuit in custodiendis reis, vt ex illis locis constat: vnde & Lictoribus iunguntur apud Ciceronem 2. *Epist. ad Famil.* 19. Cæterum prohibiti Rectores prouinciarum Stratores *suos*, id est, sibi proprios habere: sed vice eorum, Milites, id est, Officiales, qui in prouinciis perpetui erant, hoc ministerio fungebantur, *d. l.* 4. §. 1. *D. de offic. Proconf.* quæ *lex* ita intelligenda est, & cuius *legis* tota series indicat, Stratorum ministerio Rectores visos in itinere.

Fuit & Tertium quoque Stratorum, vel Statorum genus, quorum in militia sub Prætoribus militaribus numeri erant, qui scilicet castra præibant, vt loca accommodatiora ad exercitum traducendum facerent: iidemque posticum Prætorii in castris Imperatoris seu Prætoris tuebantur, eique Proximi erant, vt docet Hyginus *Gromatico*, non vno *loco:* & quorum frequens mentio extat in *veterib. inscriptionib. l. c.* CXLIX. 8. DCXXXI. 8. MXXXI. 3. Στασιῶται hi Græcis Δορυφόροι *Satellites.* Omnes autem hi Stratores eadem de causa dicti non a *Stratura*, vel *Strato* equi, vt ferme omnes censent, verum a *via sternenda*, quod viam hi sternerent Imperatoribus, Magistratibus, domi, militiæque, seu foras procedentibus. Qua causa recte omnino S. Ioannes Baptista, Domini nostri Saluatoris *Strator* dicitur, quia & ipse viam Domino strauit, sternique mandauit.

Et hæc de Stratoribus ad *hanc leg.* sufficiant: vbi & illud singulare admodum occurrit: quod etiam in *hac l.* multari iubentur, qui indebite & contra interdictum exacti Stratori quid soluerunt, non minus quam is qui illicite exegit. Item Officialis qui admissum sciens Iudici non ilico denunciauerit.

Nunc de historia *huius l.* occasione. Nempe Valentinianus hoc tempore edoctus de Epirotarum damnis, non vna ratione his consulere instituit, constitutionibus suis hoc Anno D. 373. ad Zosimum Præsidem Epiri Nouæ, datis, quorum altera est *lex vn. inf. ne Præfectianus:* hac *leg.* aduersus Stratorum concussiones; *illa* aduersus Præfectianorum: De quo plura ad *eam leg.* ex Ammiano quoque Marcellino: vbi dicta huc quoque arcessi possunt.

DE CASTRENSIANIS.

TITVLVS XXXII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXVI. *De Castrensianis & Ministerianis.*

PARATITLON.

CASTRENSIANI *Rubr.* qui sub Castrensi militabant *l.* 3. *inf. de priuil. eorum qui in S. Pal.* Castrenses apparitores Am. Marcellino *lib.* 26. *c.* 8. inter Palatinos qui matriculis adtinebantur, memorantur *l.* 7. *d.* 1. *de priuil. &c.* Palatinis scriniorum, Largitionum & Admissionalibus coniunguntur, *d. l.* 3. sacri ministerii dicuntur, *l.* 2. *h. t.* Palatinis intra aulam obsequiis deputati, *l.* 12. *sup. de Palatinis S. L.* Indeque sacri Palatii ministe-

XIII. (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Osio (b) C.S.L

OFFICIVM, quod Sublimitatis Tuæ iussionibus obsecundat, eas tantummodo teneat dignitates, (c) quas diuæ recordationis Valentis † Constitutio comprehendit: nihil vltra nec peti conuenit, nec sperari. Dat. IV. Kalen. Decemb. Constantinop. Olybrio & Probino CONSS. [395.]

NOTAE.

(a) Concordat *lex 7. 11. sup.* GOTHOFR.

(b) *Osius* Com. S. L. sub Arcadio, *h. l.* Magister offi.iorum in aliis sex legibus A. D. 395. 396. 398. de quo & Claudianus *lib. 2. in Eutropium. v. 346. seqq.* IDEM.

(c) De hac voce iam ad *l. 11. sup.* IDEM.

† *Valentis* constitutio hæc non extat. IDEM.

COMMENTARIVS.

DIGNITATES Palatinorum Comitis Sacrarum Largitionum, atque adeo Annonarum, iuxta eas modum, quibus maiores aut petere aut sperare non liceret, duabus constitutionibus a Theodosio M. definitum, puta *l. 7. & 11.* superius videmus. Verum ante Theodosium *Valens* Imperator easdem dignitates atque adeo annonas aliter digesserat. Hanc igitur formam Valentis constitutione comprehensam, ac non etiam Theodosianam, Arcadius *h. l.* seruari iubet; sic vt nihil vltra peti aut sperari velit. De qua ad eas *leges* plenius.

XIV. (a) Idem AA. Martiniano (b) C. S. L.

OFFICIORVM Palatinorum, Scriniorumque, primicerii (c) biennio transacto discedant, nec vlterius in eadem militia commorentur. Eos sane qui ante hoc statutum in locis (d) memoratis inuenti sunt, ad metas triennii concedimus peruenire. Dat. XV. Kalen. Feb. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda huic *lex 6. sup. de Proximis Comitibus dispositionum.* Forte & *l. 8.* & *9. sup. de Agentibus.* GOTHOFREDVS.

(b) *Martinianus* Comes S. L. sub Arcadio, A.D. 396. vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) De his *Scriniorum Primiceriis*, mox. IDEM.

(d) *Loca* sunt gradus officiorum & dignitatum, vid. *Gloss. Theod.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE PRIMICERIIS officiorum Palatinorum scriniorumque est hæc Arcadii *lex*, quæ pars est prolixioris constitutionis Arcadianæ de PROMOTIONIBVS, deque spatio seu tempore, quo Primates variorum officiorum Palatinorum durare debent: vnde superest quoque *lex 6. sup. de Proximis scriniorum* quæ huic coassanda venit (forte etiam vna cum *leg. 8. & 9. sup. de Agentibus in rebus:*) Quæ & ipsa de Proximis sacrorum scriniorum idem omnino constituit, iisdemque omnino verbis, quibus hæc de officiorum Palatinorum scriniorumque Primiceriis, & ideo data ad Osium Magistrum officiorum, sub quo erant Proximi sacrorum scriniorum. *Officiorum porro Palatinorum Primicerii* hic sunt totius officii Palatini, id est, Officialium Palatinorum Comitis S. L. Primicerii: fuit enim totius officii Palatini Primicerius quidam, vt docet quoque *lex 19. inf.* vbi dicam: *Scriniorum* vero *Primicerii*, sunt singulorum scriniorum in officio Comitis S. L. Primicerii: (huius enim officii varia fuerunt scrinia, *l. 3. 7. 11. 13. sup. l. 18. §. vlt. inf. de murilegulis*) varii proinde Primicerii, quorum Primiceriorum scriniorum fit quoque mentio *l. 3. sup. l. 19. 21. inf.* Rectores iidem dicuntur *l. prox. 15.* Ergo Primicerii hi officiorum Palatinorum scriniorumque biennio neque vltra in hac militia seu officio locoque commorari *h. l.* iubentur, biennioque transacto discedere pariter vt Proximi sacrorum scriniorum, *d. l. 6. sup. de Proximis sacr. scrin.* vbi vid. quæ de huius rei ratione dixi: vt & de limitatione vtrique *legi* subiecta, quæ in præsens respicit: puta vt qui huius constitutionis tempore Proximi vel Primicerii reperiuntur, triennium absoluere possint. Quod & alias similiter factum, cum tempora actuum coarctarentur: vt præterea videre est ex *l. 22. inf.* Quæ cum ita clara sint, crassus error est eorum qui ex *hac l.* scribunt, Palatinorum in commune officium vltra biennium sese non porrexisse.

P.220

XV. (a) Idem AA. Constantio C. S. L. (b)

HIS abiectis de Officio Palatino, qui inconsiderate ac vulgo sunt congregati Statutos ducentos viginti quatuor. Supernumerarios sescentos decem electissimos inhærere præcepimus: (c) & iuxta instructionem Eminentiæ tuæ quæ adnexa est, singulis (d) scriniis vel Rectoribus (e) definitum numerum Supernumerariorum deputari. Si quis sane ad memoratam militiam accedere voluerit, ostensa generis fide, tunc demum adnotatione

nostra

nostri Numinis, Palatinorum cœtui societur. Dat. XIII. Kal.... (f) Constantinop. Theod. V. C. Conss. [399.]

N O T Æ.

(a) Abest a *Cod. Iustiniano*. GOTHOFREDVS.

(b) *Constantius* Comes S. L. sub Arcadio. IDEM.

(c) *Præcipimus*, vid. *l. 6. de Agent. in reb.* IDEM.

(d) Quæ Decem erant, vide dicta ad *l. 7. sup.* IDEM.

(e) *Rectorum* appellatione intelligit procuidubio Primicerios Scriniorum, de quibus *l. 3.* & *l. 14. sup.* Primicerii enim sunt singulorum Scriniorum Rectores. IDEM.

(f) Forte *Kal. Ian.* & ita fugientes literæ exhibent in MS. IDEM.

COMMENTARIVS.

Recensum seu Repurgium Palatinorum Comitis Sacratum largitionum *h. l.* Arcadius instituit: pariter vt ab Honorio instituitur *lege sequente*: idque iuxta instructionem Comitis Sacratum largitionum Constantii, cuiusmodi repurgium quoque Scholæ Agentium in rebus institutum *l. 15. 18. vlt. sup. de Agentib. in rebus.*

Duo igitur *h. l.* statuuntur, Primum vt non nisi CCXXIV. statuti sint; *Supernumerarii* vero sexcenti & decem iique edecomati & selecti a Comite Sacrarum Largitionum: In Scholis scilicet, (& quidem Palatinis, ne de aliis nunc dicam) alii dicebantur & erant *statuti*, alii vero *supernumerarii*: vt præter hanc *legem* ostendit *lex 17. inf. lex 2. inf. de Castrensianis*: seu alii statuti, alii Vacantes: *l. vlt. sup. de Agentibus in rebus*: vbi plura de his *Vacantibus* notaui. Statuti inquam, qui iam officio suo intra scholam fungebantur, atque in actu iam positi & constituti. Supernumerarii vero seu Vacantes vel Adscriptitii, qui supra numerum statutum per singulas Scholas dispersi, certoque numero deputati, decedentibus ex Schola aliis, ordine subrogandi; vt clare docet *lex 17. inf.* De quibus plene dixi *ad d. l. vlt. sup. de Agentibus in rebus.*

Secundo ad Palatinam hanc militiam, non nisi ex adnotatione Principis, idque fide Generis facta, neminem admitti iubet Arcadius. Quod idem & de Priuatianis, seu de Palatinis Comitis rerum priuatarum constituitur *l. 18. inf.* De Palatinis Castrensianis, seu de Palatinis intra aulam deputatis, *l. 12. sup.* Quod de fide generis additur, ad lucem accipiet ex *l. 16. 17. inf.* vid. & *l. 4. sup. de Agentib. in reb.* & *inf tit. quid probare debeant.* Et hæc quidem ita ab Arcadio constituuntur, quod videlicet incondita turbatum laboraret officium Palatinum, vt *initio legis* ostenditur.

Vt ad Supernumerarios seu prius *huius l.* caput redeamus, notandum & illud: quod Supernumerarii singulis scriniis, atque adeo Rectoribus (id est Primiceriis, de quo ad *l. 15. sup.*) certo numero deputari adsignari iubentur: Idque iuxta instructionem Constantii Comitis S. L. quæ *huic l.* adnexa quoque fuerat: v. g. tot in scrinio Tabulariorum, Canonum, Numerariorum, &c.

XVI. (a) Idem AA. Messalæ PP. (b)

Salutari (c) definitione censuimus (d) dxl. & sex (e) de officio Comitis sacrarum largitionum, trecentos priuatarum, (f) qui tamen nullis sint corporib. obligati: reliquos suis Officiis & Ordinib. esse reddendos, singulis tamen ita matriculis retinendos, vt patriæ (g) prouincia pariter conscribatur; Iudicibus admonendis de numero statuto, vt ceteri ad sua Officia retrahantur, nec posthac sub specie militiæ (h) intra prouinciam possit delitescere qui sibi nec indultum commeatum, (i) nec publicam necessitatem docuerit esse mandatam; Curialem suum municipes (k) vindicent, Collegiatum (l) proprium corpus adstringat, nec Iudicem suum Apparitor (m) quondam desertor euadat: sibi quisque, iure tamen, obnoxium exsequatur: (n) Adiutoribus quoque, qui matriculas tractant, supplicium deportationis cum amissione facultatum subeuntibus, si quenquam vltra numerum præstitutum fuerint militare. Dat. XI. Kal. Ian. Med. Theodoro V. C. Conss. [399.]

N O T A E.

(a) Iungenda *huic* est *lex* proxima. Vtraque abest a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

p. 221. (b) *Messala* PP. Italiæ sub Honorio Imp. A. D. 396. 398. 399. 400. vid. *Prosopogr.* vbi ex Symmacho & Rutilio Numat. nonnulla. IDEM.

(c) Salubri sanctione: *d. l. prox.* IDEM.

(d) *Censuimus*, nisi quid hic abest, pro *numerum constituimus*, æstimauimus. IDEM.

(e) In MS. ita notatum. IDEM.

(f) *Priuatarum* absolute: de quo ad *l. 18.* IDEM.

(g) Patria & prouincia. IDEM.

(h) Palatinæ scilicet. IDEM.

(i) De *Commeatu* hoc indulto Palatinis. IDEM.

(k) *Municipes* sunt Curiales, *vid. Paratitlon de Decurionib.* IDEM.

(l) De *Collegiatis* suo titulo *inf. lib. 14. t. 7.* IDEM.

(m) De his est *infra* titulus, *lib. 8.* IDEM.

(n) *Persequatur.* IDEM.

XVII. (a) Idem AA. Longiano (b) C. S. L.

SERENITAS nostra salubri sanctione disposuit, vt quingenti quadraginta sex, qui tamen nullis sunt corporibus obligati, Palatini sint: Supernumerarii autem ex (c) quibus in decedentium locum, quos ratio inuenerit, singuli subrogentur, ad originem tractis desertoribus; sciente Adiutore Officii Palatini, si qui supra statutum numerum vel cohibentia (d) vel neglegentia eius inrepserit, auaritiam eius, proscribtione omnium facultatum ab deportatione, plectendam: reliquos (e) autem qui superflui fuerint, prouinciis sine dilatione, datis auctoritatibus, (f) restituantur. Dat. X. Kalen. Ian. Med. Theodoro V. C. CONSS. [399.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic*, vt dixi, *lex* superior. *GOTHOFREDVS.*

(b) *γρ. Longiniano* Comiti S. L. sub Honorio: ad quem extant Symmachi nouem epistolæ *lib. 7.* quibus omnibus perperam editum *Longimano*: Ex *ep.* certe 93. & 96. satis aperte colligitur, de eius Comitiua S. L. vid. *Prosopogr. IDEM.*

(c) Locus corruptus: Ego sic restituam ; *supernumerarii autem alii*, scilicet fiant, *ex quibus*, &c. *IDEM.*

(d) *Cohibentia*, pro *Conniuentia*. *IDEM.*

(e) *γρ. Reliqui.* *IDEM.*

(e) De hac *Auctoritatum* voce mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

RECENSVM seu Repurgium Palatinorum seu Officialium Comitis sacrarum largitionum & Comitis rerum priuatarum instituit Honorius Imp. his duabus *legibus*, quæ inter se coassandæ sunt: etsi ad diuersos Magistratus datæ, pro ratione videlicet subiectæ materiæ: Prior scilicet ad Præfectum Prætorio data est, quia de Iudicibus quoque prouinciarum eorumque Officiis, Collegiis, & Curiis agit: Posterior vero ad Comitem S. L. quia de Palatinis S. L. vnice tractat: Nempe vt Arcadius *superiori l. 15.* in Oriente hunc recensum hoc ipso Anno egit: ita & Honorius *bis legibus*. Cuius etiam recensus causam *priore lege 16.* aperte indicat: nempe, quod multi Corporibus, Officiis & Ordinibus, Curiis, inquam, Collegiis, & Apparitionibus Iudicum obligati in Palatinorum Ordinem seu matriculam irrepsissent: Qua causa etiam Curiis, Collegiis, Officiis Iudicum potestas *hac l.* datur, Curiales suos, Collegiatos, Apparitores, retrahendi. Numerum itaque hunc Palatinorum esse iubet Honorius *bis legibus:* Nempe, Comitis S. L. quingentos & quadraginta sex: Comitis R. P. trecentos : pauciores proinde Palatinos Comitis R. P. quam S. L. quomodo & pauciora rerum priuatarum scrinia fuerunt, quatuor inquam: cum sacrarum largitionum decem essent, de quo vide *leg. 7. sup.* & *l. vlt inf.* Atque hic statutorum Palatinorum numerus definitus ab Honorio: Vltra quem numerum reliquos supernumerarios certa matricula seu Breui comprehendi iubet, ita quidem vt singulorum nominibus patria & prouincia adscribatur: quo scilicet admonitis Iudicibus prouinciarum Curiis, Collegiis & officiis Iudicum, his obnoxii retrahantur: cæteri vero non obnoxii supernumerariorum loco habeantur, atque in decedentium locum vbi vsus tulerit, subrogentur: quæ & ipsa Supernumerariorum ratio & conditio Arcadio placuit *d. l. 15.* Quomodo & in Recensu Agentium in rebus vltra statutorum numerum, in supernumerarios multi eadem conditione reiecti, *l. vlt. sup. de Agentibus in rebus.* vbi de his supernumerariis, qui & Adscriptitii, Vacantiui, seu Vacantes dicti, plura: vt & inter Castrensianos, *l. 2. inf. de Castrensianis.* Et hæc quidem de *harum legum* sententia: vbi duo adhuc notanda veniunt.

Primo, de *Adiutoribus* officii Palatini. Pœnam scilicet proponi his, bonorum proscriptionis, & deportationis, si passi fuerint vel conniuentia vel negligentia supra statutum numerum aliquem irrepere: Nempe hi *Adiutores*, quorum mentio quoque fit *l. 20. inf.* & *l. 4. de executoribus:* Palatini officii (vt diserte dicitur *l. 16.*) matriculas tractabant: & quod *l. 17.* indicatur, per auaritiam irrepere quosdam sinebant. De Adiutoribus in genere dixi ad *l. 10. inf. de cohortalibus*: de Adiutore Magistri officiorum *l. 3. 20. 21. sup. de Agentibus in rebus.*

Secundo, *fine l. 17.* superflui Palatini, vltra statutos videlicet & supernumerarios iubentur prouinciis sine dilatione, datis auctoritatibus, restitui: vbi quid sit, *Datis Auctoritatibus*, quæri potest? Putet quis *datis auctoritatibus*, esse probatione præstita: v. g. a Curia, si quem velut Curialem repetat: quo sensu, *auctoritatis* vox quoque accipitur. Malo ego, mandatis seu literis Iudicum, argumento *l. superioris:* quomodo accipitur & *l. vni. sup. si certum pet. ex chirogr.* vt recte Iuretus in Symmach. *lib. 3. ep. 69.* vbi plura exempla apponit de hac *Auctoritatis* significatione, & Nos in *Gloss. Theodos.*

P. 512.

XVIII. (a) Idem AA. (b) Nestorio (c) Comiti R. P.

NON aliter quilibet in Officio Sacrarum Priuatarum (d) cingulum militiæ sibi sumendum existimet, nisi nostræ Mansuetudinis Adnotationem meruerit. Dat. Prid. Id. Aug. Ancyræ, (e) Stilichone II. & Anthemio CONSS. [405.]

NOTAE.

(a) *L. 9. Cod. Iust. eod. tit.* Concordat huic *lex* 12. & 15. *sup.* *GOTHOFR.*

(b) Imo Imppp. ARCADIVS, *Honorius & Theodosius AAA.* pariter vt *l. prox. 19.* vid. *Chronologiam.* Male Cod. Iust. Impp. *Theod. & Arcad.* *IDEM.*

(c) *Nestorius* Comes R. P. sub Arcadio vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(d) *Sacrarum largitionum vel priuatarum*, ita Tribonianus, aduersus veri fidem. *IDEM.*

(e) *Ancyræ* in Galatia hoc tempore constitutus Arcadius A. D. 405. vbi pariter data *lex. 1. inf. ne quis in Palat. l. 1. de mensoribus.* De Imperatorum Ancyræ mora, dixi plene *ad l. 3. inf. ad l. Corn. de sicariis, N. 2.* *IDEM.*

COM-

COMMENTARIVS.

Aomitti ad Palatini rerum priuatarum Officium sine adnotatione Principis nemo potest ex *hac* Arcadii *leg.* Quod idem de Palatinis sacrarum Largitionum idem Arcadius constituit *l. 15. sup.* & Valentinianus Iunior de Palatinis inter aulam obsequio deputatis *l. 12. sup.* Illud notandum semel, absolute *Sacrarum Priuatarum* appellatione *h. l.* intelligi res priuatas. Ita absolute quoque *priuata* pro rebus priuatis, *l. vlt. inf. de locatione fundorum iuris emphyteutici.* Comes & Comitiua priuatarum, *l. 49. inf. de appellationibus*, *l. 120. inf. de Decurion.* Sacræ igitur priuatæ, sunt sacræ res priuatæ: quippe sacræ res vel largitionales vel priuatæ; vnde quandoque *Sacrarum* appellatione simpliciter res priuatæ intelliguntur, *l. 13. inf. de indulgentiis debitorum.* Quandoque sacræ largitiones, vt apud Ennodium *in tertia dictione p. 1053. Tom. I. Oper. Sirmondi. Te sacrarum Index & consilu comitem meruit & laboris.* Itaque errat Vir doctus ad Symmachum *lib. 10. ep. 43.* qui *dictam l. 13.* ita supplet, *Munerationum sacrarum.* Ac vt ad priuatas redeam, Officium Priuatarum dicitur quoque *l. 16. sup. l. 21. inf.* & *l. vlt. inf. h. t.* In antiqua quoque inscriptione *ἐπίτροπος πρειβάτης.* vide & ad aliquid Suidam in voce *πρειβάτη.* Ita Capitolinus *in vita Macrini c. 2. Occiso*, inquit, *Antonino Bassiano, Opilius Macrinus, Præfectus Prætorio eius qui antea* PRIBATAS *curabat, imperium arripuit.* Cæterum huic *legi* coassandam censeo *l. vlt. Cod. Iust. de rescind. vend.* quæ eidem Nestorio Comiti R. P. inscribitur, qua vestium, auri, argenti, mancipiorum emendorum ex priuatis rebus Principis copia denegatur.

XIX. (a) Idem AA. & Theodosius A. (b) Monaxio PP. (c)

Dominvm ex Primiceriis sacrarum largitionum speciali beneficio ex Vicariis, ad similitudinem Proximorum sacrorum scriniorum, esse præcipimus; Ceteros Primicerios scriniorum, & qui post illum Primicerii totius erunt officii, Palatini, ex Consularibus inter Adlectos esse decernimus. Dat. XVI. Kalend. Feb. Constantinop. Basso & Philippo viris clarissimis Conss. [408.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex*, velut historica, a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) Emendata superioris *legis* inscriptione, reponendum hic, *Iidem AAA.* IDEM.

(c) *vg. P. V.* vid. *Prosopogr.* & auctorem Chronici Alexandrini A. D. 409. Et certe de Dignitatum ordine agitur *hac l.* cuius rei cura ad dispositionem Præfecti vrbis pertinebat: de quo dixi ad *l. 1. sup. vt Dignitatum ordo.* IDEM.

COMMENTARIVS.

De primiceriorvm sacrarum largitionum dignitate est hæc Arcadii Imp. Constitutio: Vbi ante omnia prænoscendum est (quod hæc *lex* diserte testatur, idque etiam indicat *lex 14. sup.*) alios fuisse Primicerios totius officii Comitis S. L. alios vero Primicerios singulorum scriniorum. Id quod similiter docet *lex 20. inf.* & *Notitia Imperii fol. 49.* quæ viginti ferme post hanc *leg.* annis conscripta est, præfert; *Officium*, inquit, *Viri Illustris Comitis S. L. habet* PRIMICERIVM TOTIVS OFFICII: *Primicerium scrinii Canonum: Primicerium scrinii Tabulariorum: Primicerium scrinii Numerariorum: Primicerium scrinii aureæ massæ: Primicerium scrinii Auri ad responsum: Primicerium scrinii vestiarii sacri: Primicerium scrinii Argenti: Primicerium scrinii Annularensis: Primicerium scrinii a pecuniis.* Quod ipsum & de officio scriniisque rerum priuatarum testatur *lex vlt. inf. hoc tit.* eademque Imperii Notitia.

Hoc præcognito, de *huius l.* sententia videndum est. Igitur de Dignitate Primiceriorum horum, duo hæc *hac l.* constituuntur ab Arcadio: Primo continetur speciale beneficium seu priuilegium Domini cuiusdam, qui tum erat ex-Primiceriis totius officii Palatini seu Comitis S. L. Nempe speciali beneficio tribuitur ei dignitas ex-Vicariis, ad similitudinem proximorum sacrorum scriniorum: De hac Proximorum sacrorum scriniorum dignitate, v. *l. 2. 4. 10. 11. 17. sup. de Proximis:* & *l. 12. sup. de Senatoribus.* Igitur Domino ex-Primicerio totius officii hæc dignitas speciali beneficio tribuitur. Qui vero ægri somnia videre, imo videre volet, legat is quæ Gu P.213 thetius *de officiis domus Augustæ lib. 3. c. 9. pag. 580. 581. edit. Lipsiens.* scribit: vbi hanc *leg.* de Primicerio Notariorum accipit, & *Dominum ex-Primiceriis* vocari notat, id est, Primicerium Notariorum totius officii, nomine appellatiuo: Est enim hic *Domini*, siue mauis, *Domnini* nomen proprium.

Secundo capite in futurum Primicerius totius officii Palatini, vt & Primiceriis singulorum scriniorum tribuitur dignitas ex-Consularibus inter Adlectos: de dignitate ex Consularibus dixi ad *l. 10. sup. de domesticis* de eadem in hac ipsa re videtur accipienda *lex 7. sup.* & *l. vlt. in fin.* De Adlectis, id est, immunibus a Senatoriis oneribus, dixi *ad l. 10. sup. de Prætoribus.* Et hoc tamen priuilegium ademptum postea his a Theodosio Iun. quod Senatoriæ dignitati isti Palatini renunciassent, *l. vlt. sup. de Senatorib.*

XX. (a) Impp. Honorivs & Theodosius AA. Ioanni PP. (b)

Palatinos, qui sacrarum remunerationum rationem tractantes, inculpatim (c) ad calcem terminumque militiæ peruenerint, præcepimus (d) ea (e) habere priuilegia, Adiutorem (f) & Primicerios diuersorum (g) officiorum, quæ nuper + Agentum in rebus scholæ (h) nostra sunt Mansuetudine contributa: scilicet, vt a tyronum (i) præbitione memorati reddantur exortes, ceteraque onera non agnoscant, quæ (k) antea cum nihil de hac re statuissemus, ad dignitatis dispendium sustinebunt. (l) Dat. VII. Id. Iun. Rau. p. (m) Consulatum Honorii IX. & Theodosii v. AA. [413.]

NOTAE.

(a) *L.* 10. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Ioannes* PP. sub Honorio Imp. A.D. 412. 413. 414. vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Inculpatim*, pro *inculpate*: vid. *Gloss. Theod.* Male Cod. Iust. *inculpantur*. IDEM.

(d) *Pracipimus*, quomodo & *Cod. Iust.* IDEM.

(e) Locus hic ita *Cod. Iust.* expressus, *nec non etiam Adiutores, & Primicerios diuersorum officiorum pracipimus habere priuilegia, quæ* &c. De quo mox. IDEM.

(f) De *Adiutore* vid. *l.* 16.17. *sup.* IDEM.

(g) Id est, vniuersorum quorumcunque, vid. *Gloss.* IDEM.

+ De hac constitutione mox. IDEM.

(h) *A.* abest a *Cod. Iust.* IDEM.

(i) Vid. infra *titulum, qui a præbitione tyronum, lib.* 11. & *l.* 14. 15. *sup. de proximis Comitibus dispos.* IDEM.

(k) Reliqua recisa a Cod. Iust. IDEM.

(l) γρ. *Sustinebant.* IDEM.

(m) Id est, *Post.* IDEM.

COMMENTARIVS.

A TIRONVM præstatione, cæterisque oneribus, Palatini sacrarum remunerationum, vbi inculpate ad calcem terminumque militiæ peruenerint, etsi Honoratorum iam numero, de quo ad *l.* 19. *sup.* hac *leg.* ab Honorio immunes esse iubentur, quibus hactenus obnoxii fuerant. Vbi tria illustranda veniunt, præter generalem a tyronum præstatione immunitatem: de qua erit *inf. tit.* peculiaris, *lib.* 11.

Primo quod hæc immunitas tribuitur Palatinis sacrarum remunerationum, id est, tam Sacrarum largitionum quam priuatarum: sic quoque *l.* 2. *inf. de commeatu. Ex officiis Palatinis, his videlicet qui sacrarum & priuatarum remunerationum Comitibus obsecundant.* Nempe *sacrarum remunerationum* vox pertinet ad sacras largitiones, & ad res priuatas, quæ sane & sacræ dicuntur, *l.* 13. *infr. de indulg. debitor. l.* 17.18. *infr. de exactionibus*: Sic alioquin & Symmachus *lib.* 10. *ep.* 43. *Palatinus munerationum sacrarum, Amicus & Castor, quæstus publicos eruentes,* &c. Et in *veteri Inscript. Apud Gruterum* CCCCXLIX.7. de Petronio Maximo. SACRARVM REMVNERATIONVM PER TRIENNIVM COMES: qui ille est Maximus, qui dicitur Comes S. L. *l. vlt. Cod. Iust. de commerciis:* Comes R. P. *l.* 26. *inf de petitionibus.* Sic & Honoratus V. P. RAT. S.R. dicitur in *veteri Inscr.* CCLXXXII. 6. id est, *Vir Perfectissimus Rationalis Sacrarum Remunerationum.*

Secundo obseruandum id quod *initio* dicitur de Palatinis, qui ad calcem terminumque militiæ peruenerunt, explicari mox de *Adiutore & Primiceriis diuersorum officiorum:* vbi reponam *vniuersorum officiorum*, vel certe *diuersos*. Nempe Palatini, vbi ad calcem militiæ peruenerant, fiebant vel *Adiutores*, de quibus *l.* 16. & 17. *sup.* vel Primicerii totius officii, vel singulorum scriniorum, siue sacrarum largitionum siue priuatarum: de quibus Primiceriis *l.* 19. *sup.* & *l. vlt. inf.* & *Notitia Imperii.* Quare verba illa, *Adiutorem & Primicerios vniuersorum* officiorum ἐξηγητικῶς posita sunt, quasi dixisset *Adiutorem scilicet.* Quod Tribonianus non cepit, qui αὐξητικῶς & extensiue seu ampliatiue hæc accepit, & ad alia officia aliosque Adiutores & Primicerios transtulit: ita: *Nec non etiam Adiutores & Primicerios diuersorum officiorum pracipimus habere priuilegia, quæ,* &c. officia enim hic sunt officia Palatina: quorum *Primicerii totius officii* erant: nullibi vel in nullis Magistratuum officiis tales Primicerii.

Tertio *Exemplum* obseruandum. Nempe priuilegium hoc ab Agentibus in rebus, seu a priuilegio quod his nuper dederat, extendit nunc Honorius Imp. de quo sane est Honorii *lex* 13. *sup. de Agentibus in rebus*: quæ tamen non adeo nuper data est, verum ante decennium.

P.224 XXI. (a) Idem AA. Anysio. C.S.L. & (b) Tauro C.R.P. (c)

AD similitudinem sanctionis, + quam de proximis sacrorum promulgauimus scriniorum; etiam in Officio sacrarum largitionum atque priuatarum pro biennio annum sub perpetua obseruatione præcipimus custodiri in (d) venerabili Natali perennitatis meæ Theodosii, (e) ad (f) exemplum proximorum, annus suscipiat exordium promotionis, & priuilegia (g) quæ huiusmodi Officiis vel Primicerio (h) sacris Legibus deferuntur, integra inlibataque seruentur. Dat. III. Kal. Iul. Constantinop. Theodosio A, VII. & Palladio CONSS. [416.]

NOTAE.

(a) *L.* 11. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Anysius* Comes S. L. sub Theodosio Iun. cui inscribitur quoque Anno 419. *lex* 25. *inf. prox.* Eiusdem mentio fit An. 436. in *l. vlt. de murilegulis* vid. *Prosopogr.* Inscribitur hæc *lex* eodem exemplo duobus, Comiti S. L. & Com. R. P. quia argumentum eius vtrique commune est. IDEM.

(c) *Taurus*, Comes R.P. sub Theodosio Iun. IDEM.

+ Intelligit *Legem* 17. *sup. de proximis*, quæ ante quinque menses lata est. IDEM.

(d) Hæc sententia velut Historica recisa *Cod. Iust.* Rescribendum porro vel, *& venerabili*, vel *vt venerabili* quomodo *d. l.* 17. IDEM.

(e) Retinenda hæc vox, non vero irreptitia, est, vt quidam censent: dixi ad *l.* 10. *sup. de Prætoribus.* IDEM.

(f) *Exemplo* Codices Cuiacian impressi RITIER.

(g) De his priuilegiis *l.* 19. & 20. *sup.* GOTHOFR.

(d) *Primiceriis* in plurali *Cod. Iust.* IDEM.

COMMENTARIVS.

De primiceriorum Palatinorum, de quibus ad *leg. 19. sup.* durationis, promotione, & privilegiis est hæc Theodosii Iun. constitutio; & ad Comitem S. L. & ad Comitem R. P. emissa, quod vtrique ea communis sit: eaque tota ad instar & exemplum legis *17. sup. de proximis* effecta: Porrigit scilicet *hac l.* Theodosius Iun. id quod *d. l. 17.* ante quinque menses sanxerat de proximis scriniorum, ad Primicerios Palatinorum scriniorum: *Ad similitudinem*, inquit, *sanctionis*, &c. Igitur tria ad similitudinem illorum de his disponit.

Primum est de *Duratione* Primiceriatus: Nempe cum hactenus, ex Arcadii patris *l. 14. sup.* Primiceriatus biennalis foret, annuum nunc, abrogata illa *leg.* esse iubet: idque vt dixi ad similitudinem Proximorum, de quibus idem cautum *d. l. 17.*

Secundum est, quod Tribonianus hic recidit, pariter vt *d. l. 17.* de *Tempore auspicali* promotionis ad Primiceriatum: Nempe & hic Natalem suum Theodosius Iun. huic rei dicatum vult, pariter vt *d. l. 17. sup. de proximis*, ad quam plene dixi, de hoc Theodosii Iun. natali, deque dicatis Principum natalibus ad promotiones, vt & ad *l. 11. eiusd. tit. de proximis*, & *l. 10. sup. de Pretorib.*

Postremo capite *Priuilegia* Primiceriorum *superioribus legibus* Arcadii patris concessa, veluti *l. 19. & 20. sup.* confirmantur: pariter vt Primiceriorum, *d. l. 17.* Denique quod *initio* dixi, est hæc *lex* tota imitamentum *d. legis 17.* pariter vt *lex prox. inf.* ad *similitudinem* pariter alterius *legis* expressa est.

XXII. (a) Idem AAA. Anysio (b) C. S. L.

Cessantibus cunctis, quæ super biennio de actu Mittendariorum olim † statuta sunt, ad similitudinem Exceptorum (c) eiusdem militiæ completo anno recedere eos, subituris eundem locum sequentibus, præcipimus; illis qui nunc agunt, biennii actum ex quo cœperunt conplentibus. Dat. IV. Non. Maii, Constantinop. Monaxio & Plinta Conss. [419.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Anysio* huic Comiti S. L. inscribitur quoque *lex 21. prox sup.* IDEM.

† Constitutio hæc non extat. IDEM.

(c) De *Exceptoribus* dixi ad *l. 7 sup.* IDEM.

COMMENTARIVS.

Mittendarii S. L. (de quibus *l. 7. 8. 9. sup. hoc tit.* & *l. 23. prox. inf*) cum hactenus biennales essent, ex constitutione quadam quæ hic memoratur, nuspiam vero comparet, annui hac constitutione a Theodosio Iun. esse iubentur: Idque exemplo Exceptorum, de quibus *l. 7. sup.* Et hæc igitur *lex* pariter vt superior, ad similitudinem alterius expressa est. Crescente videl. in dies ambitione, vel impatientia succedentium in scholis, superiorum tempora coarctata, vt ita *sequentes horum locum subirent*, quod hic expresse notatur: Eaque coarctandarum militiarum in commune causa fuit, de quo ad *l. 6. & 17. sup. de Proximis*, simile exemplum *l. 1. inf. de Castrens.* Et hic tamen in præsens limitatio quædam additur: nempe biennii actum complere his permittitur qui nunc agunt. Quod passim & alias factum, cum tempora actuum coarctarentur: vt videre est quoque ex *leg. 14. sup.* & *l. 6. sup. de proximis.* quæ inter se coassandæ sunt.

XXIII. (a) Idem AA. Asclepiodoto (b) C. S. L.

Quattuor Mittendarios, qui per annos singulos ex officio palatino exire (c) solemniter consuerunt, beneficiis, quibus Tuo Culmini visum fuerit, ex his videlicet quæ suæ iurisdictionis (d) esse, nec aliis ex consuetudine cælitus (e) deputata, cognouerit, Tua Sublimitas prosequatur: Etiam in posterum hac consuetudine permansura, vt circumuentione damnata, prolixa stipendia siue debita solatia (f) consequantur. Dat. III. Kal. Maii. Constantinop. Honorio XIII. & Theodosio X. AA. Conss. [422.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Asclepiodotus* Comes S. L. sub Theodosio Iun. mox Anno prox. 423. Consul & Præfectus Pretorio. vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Exire* proprie vid. *Notitiam fol. 70. 71. 76. 78. seqq.* & *Gloss.* est cingulo liberari, vt *l. 8.* & *9. sup.* recedere, *l. 22. sup.* quæ omnes sunt de Mittendariis. IDEM.

(d) Id est, ex sacris largitionibus. IDEM.

(e) *Cælitus*, id est ab Imperatore seu Principe, *h. l.* & *l. 2. inf. de Castrensianis*: *l. 26. de murilegulis.* Erant qui aliter interpretati. Nempe *cælestia*, *diuina*, *oracula*, *altaria*, hisque similia impie Principes sibi adsciuere, vid. *Glossar.* & *Imper. Rom.* IDEM.

(f) *Solatia* quid? mox dicam. IDEM.

COMMENTARIVS.

De Mittendariorvm S. L. quatuor (qui quotannis exibant, & sequeotibus locum faciebant, vt doect præterea *lex 8. & 9. sup. hoc tit.*) beneficiis, solatiis, est hæc constitutio Theodosii Iunioris obscura satis. Quæ vt intelligatur, sciendum est, vt aliis nonnullis de officio vel actu exeuntibus solatia quædam seu beneficia & stipendia pro munere data, ita & Mitteodariis de actu exeuotibus pariter concessa: quæ hic triplici nomine designantur: beneficia, stipendia, solatia: *Solatia* noo sunt proprie salaria, seu stipendia actus, verum beneficii & lucelli genus præter salarium. Ita puocti solaria, pro strenis *l. 4. Cod. Iust. de aduoc. diu. Iudicum*, de quo dixi ad *l. 11. sup.* Ita & solatia pro mercedula præstita: *l. 32. inf. de nauicularis.* Errant enim qui solatium & salarium confundunt: Ita solatium totori dicitur constitutum *l. 33. in f. D. de administr. tutor.* Sed & solatium in *l. 22. §. 8. D. soluto matrimonio*, alio sensu accipitur. Verum de hoe plura in *Glossario*. Ergo *hac l.* permittit Theodosius Iun. Comiti S. L. hæc beneficia seu solatia quatuor his Mittendariis exeuotibus dare, velut prolixorum stipendiorum solatia, *citra vllam circumuentionem:* duabus tamen limitarionibus additis: Prima est, vt Comes S. L. hæc beneficia seu solatia rribuat ex his quæ suæ Iurisdictionis suot; id est sub sua dispositione, atque adeo ex sacris latgitionibus, & de quibus ipse disponere potest: vt sunt vestes linteæ, de quibus *lege 6. & 8. infr. de murilegulis*, & *Notitia Imperii. fol. 49.* non vero ex baphiis: quæ erant sub Comite R. P. Certe vestes vt inter stipendia, ita & inter solatia fuere: de quo iam *alibi*. Secunda limitatio est, ea beneficia seu solatia tribui posse a Comite S. L. *qua non aliis ex consuetudine cælitus sunt deputata:* id est, quæ a Principe aliis sunt destinata, propriaque: *Cælitus*, id est, ab Impetatore, de quo iam in *Notis*. Scilicet Principes certis personis solatia quædam ex his quæ sub Iurisdictione, id est, dispositione Comitis S. L. erant, deputabant, quæ vel cuius generis Comites S. L. aliis dare non poterant.

XXIV. (a) Impp. Theodosivs A. & Valentinianus Cæsar Hierio PP. (b)

Nostræ moderationis arbitrio præstitutum est, vt Priuatiani (c) priuilegia Largitionalis Officii perpetuo consequantur: hoc est, vt tam Primicerius Officii (d) priuatarum, quam alii Quatuor reliquorum Primicerii Scriniorum eiusdem contemplatione militiæ ex Consularibus inter Adlectos esse mereantur: & tam in hac (e) alma Vrbe quam in Prouinciis honore potiantur; cum Inlustres (f) Viri memoratarum Comites dignitatum ita simili iugiter insularum splendore decorentur, vt non culmine discingantur (g) æquali, (h) sed tempore. Dat. XV. Kalend. Decemb. Constantinop. Theodosio A. XI. & Valent. C. Cons. [425.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Hierius* PP Orientis sub Theodosio Iun. A. D. 425. 426. 427. 428. vid. *Prosopogr.* IDEM. Priores Cuiacian. *Hierio Preposito* & Parisin. *Hierie PP. F.* male. RITTER.

(c) *Priuatiani* sunt Officiales Comitis R. P. sicut *Largitionales*, Comitis S. L. *Vrbaniciani*, Præfecti Vrbis. GOTHOFR.

P. 226 (d) Totius scilicet vt *l. 19. sup.* & in *Notitia Imperii.* IDEM.

(e) Constantinopolitana, quo ex Macedonia regressus hoc tempore Theodosius: Socrates *lib. 7. cap. 24.* & [illegible] vid. *Chronolog.* IDEM.

(f) Intelligit Comitem S. L. & Comitem R. P. IDEM.

(g) Iudicentur, *distinguantur*; Quomodo hic forte reponendum, vid. *Gloss.* IDEM.

(h) *γρ. Inæquali.* mox vt ostendam. IDEM.

COMMENTARIVS.

Primicxriis rerum priuatarum eadem Priuilegia, eadem Dignitas tribuitur *hac l.* a Theodosio Iun. quæ & Primieeriis sacrarum largitionum; ac nominatim vt ex-Consularibus inter Adlectos fiot: de quo vid. & *l. 7. 19. sup.* Quæ *lex* vt penitus intelligatur illustreturque, sequentia notanda sunt.

Privatarvm Scrinia *quatuor* tantum fuere, vt hæc *lex* nominatim doeet, sed & *Notitia Imperii* (biennio ferme post hanc *legem* vt alibi doceo conscripta) vbi hæc quatuor scrinia diserte numerantur *fol. 56.* & 144. *Scrinium beneficiorum, scrinium canonum, scrinium securitatum, scrinium largitionum priuatarum.* Singulorum horum Scriniorum fuí & singuli fuere *Primicerii*, quos Notitia *Primiscrinios* vocat; nisi quod in Notitia Orientis *fol. 56.* *Primicerium scrinii largitionum priuatarum* nominat: cum hæc *lex* omnes *Primicerios* vocet: idem igitur hac parte *Primicerius*, qui *Primiscrinius*. Præter hos quatuor Primieerios, fuit & *Primicerius totius officii*, vt præter hanc *legem* eadem semper *Imperii Notitia* docet. In vniuersum vero Officiales omnes Comitis rerum priuatarum, *Priuatiani* dicti fuerunt. Hac *lege* igitur constituitur, quemadmodum Primicerii sacrarum largitionum Ex-Consularibus inter Adlectos erant *l. 19. sup.* ita & Priuatarum Primicerios iisdem priuilegiis frui oportere. Exæquantur breuiter Priuatiani seu Officiales priuatarum Officialibus Comitis S. L. Idque hoc quoque argumento, quod scilicet & ipsi Comites vtrique æquales essent & similes, & (quæ inter æquales perpetua regula est, de qua dixi ad *l. vn. sup. de Consulibus.*) is inter eos præcedat & præferatur, qui alterum temporis antiquitate & prioritate vincit. Non est inter eos culmen inæquale, sed tempore tantum inter se certant. Vno verbo, cum Comites ipsi sint inter se similes & Officiales ipsorum exæquari par est: Officialium dignitas, Magistratuum suorum dignitatem sequitur, & æmulatur. Denique similes habent Officiales, qui sibi similes sunt. Hæc ita nunc Theodosius Iunior. Antea quippe non ilico quæ priuilegia Officialibus

Comi-

Comitis S. L. competebant, eadem & Priuatianis indulta fuere: quod præter *hanc leg.* docebunt ea, quæ notabo ad *l. 3. inf. de priuil. eorum qui in sacro pal.*

DE STRATORIBVS.

TITVLVS XXXI.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXV. De his est quoque *lex 4. inf. de Executorib.* De altero Stratorum genere agitur *l. 1. inf. de custodia reorum*, de quibus *legem 4. §. 1. D. de officio Proconsulis* accipiendam mox docebo: Ac proinde ad hos Stratores, de quibus *hoc Titulo*, eam non pertinere. Quod plerisque tamen visum est, & in his Cuiacio quoque.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Zosimum (b) Præsidem nouæ Epiri.

PER omnes prouincias Edictum generale misimus, Vt ab Stratoribus vnus tantum solidus probæ (c) nomine posceretur, & in offerendis (d) equis certam formam, staturam, ætatem prouinciales nostri custodienda esse cognoscerent; Quos etiam fisco certo solidorum modo obnoxios fecimus, si quod Stratores petere nunquam (e) metuunt, illi date Stratoribus non timerent. Officium (f) quoque Grauitatis Tuæ centum argenti libras (g) multabitur, sciens (h) prædictam rem gestam fuisse, non ilico eam seueritati iudiciariæ prodidisse. (i) Dat. XIII. Kalend. Iul. Apolloniæ, (k) Valentiniano & Valente (l) AA. CONSS. [373]

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFREDVS.*

P.237 (b) *Zosimus* Præses nouæ Epiri: cui inscribitur pariter hoc Anno 373. altera lex, puta *lex vn. inf. ne Prafectianus* post Paulinum, vt apparet ex collatione *legis 22. de Episcopis*, quæ data est superiore Anno 372. ad Paulinum istum cum *d. l. vn. inf. ne Prafectianus*: cuius etiam collationis ope, emendandus vel supplendus venit Consulatus *huic legi* subscriptus. *IDEM.*

(c) *Proba*, de hac voce mox. *IDEM.*

(d) A prouincialibus. *IDEM.*

(e) *Quod stratores petere interdictum est.* Ita Tribonianus. *IDEM.*

(f) *Officium* Præsidis Epiri nouæ nota. *IDEM.*

(g) *Libris* Cod. Iust. *IDEM.*

(h) *Si sciens* Cod. Iust. quomodo & *hic* reponendum. *IDEM.*

(i) *γε. prodidisses*: in Cod. Iust. *prodiderit.* *IDEM.*

(k) *Apollonia* vrbs Epiri nouæ, vbi data (id est, reddita) hæc *lex*; de quo mox plura. *IDEM.*

(l) *Valentiniano & Valente* IV. *AA.* ita reponendum, id est A. D. 373. vt euincit collatio *legis 22. inf. de Episcopis*: & *l. vn. inf. ne Prafectianus*: de quibus mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

STRATORIBVS Equorumque collationi, probationi per nouam Epirum modum ponit *hac l.* Valentinianus Imp. vbi de ipsis *Stratoribus* prius videndum est. *Stratores* in commune in re veterinaria dicebantur, qui stratum equi componebant, qui dominum in equum subleuabant, dextra illi substrata, siue subiecta, quique ad fræna quoque currebant, vel etiam capistro, seu fræno, vbi opus, equum domini ducebant. Græcis, ac nominatim Suidæ, *strator* ἀναβολεὺς & ϛρωτής. A quibus munus seu actus ipse *Stratura*, ἀναβολικὴ Glossæ Philoxeni; omitto famosum ex Constantini donatione locum. Spartianus *in Caracalla cap. 7. cum illum in equum strator eius* LEVARET. Capitolinus *in Macrino cap. 4.* Stratoris Imperatoris meminit: Ammianus Marcellinus, *lib. 30. cap. 5.* *Cum*, inquit, *eum oblatus non susciperet equus, anteriores pedes præter morem erigens in sublime, innata feritate concitus, vt erat immanis, dexteram Stratoris militis iussit abscidi, quæ eum insilientem iumento pulsarat consueto, perissetque crudabiliter innocens* IVVENIS *ni* TRIBVNVS STABVLI *Cerealis dirum nefas cum sui periculo distulisset.* Paulus Warnefridus *lib. 2. Longobardicorum cap. 27.* *Equus Alboini in medio porta concidens, quamuis hinc inde a Stratore verberibus cæsus, non poterat eleuari.* Idem *Capite 9.* *Strator, quem lingua propria Marpahis appellant* (a) (*Mara* scilicet vel *Marcha* Celtica lingua, Germanicaque equus est, vt ex Pausania constat *in Phocicis cap. 19.* legibus Bainuariis *tit. 12. c. 9.* Alamannorum *tit. 47.* Lon-

(a) Vid. quæ notauit ad hunc locum Cl. Lindenbrogius.

Equorum pretiis enormibus Dalmata, Epirota intolerandi tributi mole depressi, prouidentia Imperator tua non modo miserias exuerunt, sed amplam etiam atque opulentam reuexerunt fortunam. Virgilius iam 1. *Georg.* v. 42. *seqq.*

- - - Varium cœli prædiscere morem
Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum;
Et quid quaque ferat Regio, & quid quaque recuses.
- - - - - - - -
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros Equarum.

ad quem locum quoque Seruius, *Epirus creat equas optimas.* Et Virgilium imitatus Sidonius *Carm.* 5. *v.* 45.

- - - Tum quoque suos Prouincia fructus
Exposuit, fert Indus ebur, Chaldæus amomum,
Argos equos, Epiros Equas, pecuaria Gallus:

Claudianus etiam *in laudibus Serenæ v.* 58. *seqq.* Illyricum (in quo Epirus teste Rufo Festo, & Notitia) equos contulisse testatur.

- - - gentes, quas fœdere Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in vsus
Imperii, Pharia segetes, & Punica messis.
Castrorum deuota cibo, dat Gallia robur
Militis, Illyricis sudant equitatibus alæ.

Vbi obserua, *equitatibus* pro *equis*: vt apud Ammianum Marcellinum *tirocinia*, pro *tironibus*, atque his sexcenta similia. Varro etiam 2. *rei rusticæ in fin. præfat. Pecuarias in Epeiro magnas fuisse* docet. (Contra, Aristoteles *lib* 8. *c.* 28. *de historia animalium*: notat propter immodicum frigus vt in Illyrico, & Thracia, ita in Epiro paruos haberi asinos.) *Equarum* denique *Celticarum* appellatione, Epiroticas intelligi & comprehendi apud Pollionem in *Claudio cap.* 9. prorsus existimo. *Quid equarum*, inquit, *quas fama nobilitat Celticarum?* Celtarum enim appellatione Illyrios & Epirotas venisse certum est. Hinc igitur data hæc lex ad Præsidem Epiri, & quidem Nouæ: duplex enim Epirus fuit, Vetus & Noua: vid. Itinerarium *Peutinger.* & Sext. Rufum *in Breuiario cap.* 8. & *Notitiam Imperii*, & *Indicem Sconhouianum*: in qua scilicet Noua fuit *Apollonia*: vbi ideo hæc lex data, id est, reddita dicitur. Et hæc quidem de Stratoribus Palatinis, de quibus est hic *titulus*: quique *Stratores Augustorum* dicuntur in *veteri Inscript. apud. Gruterum DC.* 9.

Alii quippe quoque Stratores in officio Magistratuum fuere, veluti Præfectorum Prætorio, Proconsulum, Præsidum, de quibus est *lex* 4. §. 1. *D. de offic. Proconsul. lex* 10. *D. ex quibus causis maiores: l. vlt. D. de iure immunit. l.* 4. §. 8. *Cod. Inst. de offic. Præfecti Præt. Africæ.* Vbi Schola *Stratorum* inter alias memoratur quæ in officio Præfecti Prætorio fuere. In *veteri Inscript. Taraconensi, apud Gruterum* CCCLXXXIX. 2. vbi *Stratoris Præsidis* fit mentio. Fit & mentio in *l.* 1. *inf. Cod. Iustin. de Custod. reor.* in Actis Cypriani & apud Pontium Diaconum *in vita Cypriani*, de quibus dico ad *Vlpiani libros, de officio Proconsulis*: quorum etiam opera fuit in custodiendis reis, vt ex illis locis constat: vnde & Lictoribus iunguntur apud Ciceronem 2. *Epist. ad Famil.* 19. Cæterum prohibiti Rectores prouinciarum Stratores *suos*, id est, sibi proprios habere: sed vice eorum, Milites, id est, Officiales, qui in prouinciis perpetui erant, hoc ministerio fungebantur, *d. l.* 4. §. 1. *D. de offic. Proconſ.* quæ *lex* ita intelligenda est, & cuius *legis* tota series indicat, Stratorum ministerio Rectores vsos in itinere.

Fuit & Tertium quoque Stratorum, vel Statorum genus, quorum in militia sub Prætoribus militaribus numeri erant, qui scilicet castra præibant, vt loca accommodatiora ad exercitum traducendum facerent: iidemque posticum Prætorii in castris Imperatoris seu Prætoris tuebantur, eique Proximi erant, vt docet Hyginus *Gromatico*, non vno *loco*: & quorum frequens mentio extat in *veterib. inscriptionib. l. c.* DXLIX. 8. DCXXXI. 8. MXXXI. 3. Στασιῶται hi Græcis Δορυφόροι *Satellites.* Omnes autem hi Stratores eadem de causa dicti non a *Stratura*, vel *Strato* equi, vt ferme omnes censent, verum a *via sternenda*, quod viam hi sternerent Imperatoribus, Magistratibus, domi, militiæque, seu foras procedentibus. Qua causa recte omnino S. Ioannes Baptista, Domini nostri Saluatoris *Strator* dicitur, quia & ipse viam Domino strauit, sternique mandauit.

Et hæc de Stratoribus ad *hanc leg.* sufficiant: vbi & illud singulare admodum occurrit: quod etiam in *hac l.* mulctari iubentur, qui indebite & contra interdictum exacti Stratori quid soluerunt, non minus quam is qui illicite exegit. Item Officialis qui admissum sciens Iudici non ilico denunciauerit.

Nunc de historica *huius l.* occasione. Nempe Valentinianus hoc tempore edoctus de Epirotarum damnis, non vna ratione his consulere instituit, constitutionibus suis hoc Anno D. 373. ad Zosimum Præsidem Epiri Nouæ, datis, quorum altera est *lex vn. inf. ne Præfectianus*: hac *leg.* aduersus Stratorum concussiones; *illa* aduersus Præfectianorum: De quo plura ad *eam leg.* ex Ammiano quoque Marcellino: vbi dicta huc quoque arcessi possunt.

DE CASTRENSIANIS.

TITVLVS XXXII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXVI. *De Castrensianis & Ministerianis.*

PARATITLON.

CASTRENSIANI *Rubr.* qui sub Castrensi militabant *l.* 3. *inf. de priuil. eorum qui in S. Pal.* Castrenses apparitores Am. Marcellino *lib.* 26. *c.* 8. inter Palatinos qui matriculis adtinebantur, memorantur *l.* 7. *d. t. de priuil. &c.* Palatinis scriniorum, Largitionum & Admissionalibus coniunguntur, *d. l.* 3. sacri ministerii dicuntur, *l.* 2. *h. t.* Palatinis intra aulam obsequiis deputati, *l.* 12. *sup. de Palatinis S. L.* Indeque sacri Palatii mi-

tiæ formæ, & *Supernumerarius* secondæ. Proinde *Supernumeraris* vno gradu *Statutis* cedunt in præteritum; in futurum vero omnibus gradibus. Priore casu sequens proxime *Statutorum* gradus superiorem proximum *Supernumerariorum* gradum vincit: Posteriore casu, etiam remotissimus *Statutorum* gradus summum *Supernumerariorum* vincit. Atque hoc ius est PRÆPATVVM. Quod Tribonianus vnum retinuit, *l. 2. Cod. Iust. eod. tit.* & vt *hac l.* dicitur: *De cetero.*

DE DECANIS

TITVLVS XXXIII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXVII.

I. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Helioni (b) Comiti & Magistro Officiorum.

QVATTVOR, qui ex corpore Decanorum ad primum militiæ gradum peruenerint, biennii spatio Primiceriatus gerant officium; neque vlterius cuiquam hoc loco liceat immorari, vt omni gratia & ambitione (c) cessante post duorum annorum curricula succedant Prioribus subsequentes. Dat. Prid. Non. Nou. Constantinop. Theodosio A. VII. & Palladio V. C. CONSS. [416.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Helio* Magister officiorum sub Theodosio Iun. per septem annos v. *Prosopogr.* IDEM.

(c) Vid. *l. 4. sup. de curiosis: l. vlt. inf. de re milit.* quibus locis dixi: vid. & quæ dicam ad *l. 1. inf. ad Leg. Iul. de ambitu*: item *l. 1. sup. de Castrensianis.* IDEM.

P.233 COMMENTARIVS.

DECANI quoque inter Palatinos erant, quod vel *huius Tituli* positio satis ostendit: qui positus est in censu Palatinorum, & inter Titulum *de Castrensianis* & *de Mensoribus* medio loco collocatus: Ideo dicuntur *l. 2. Cod. Iust. h. t. Principis famulationibus adhærentes.* Apertissime D. Ambrosius *ep. 20. num. 4. pag. 853. edit. Benedict. Nunciatum est*, loquit, *quod de Palatio Decanos misissent.* Eosque inter *Ministerianos* fuisse docet *lex 2. Cod. Iust. eod. Titulo*, his verbis: *Nostra pietatis famulationibus adhærentes Decanos.* Et paulo post; *Mansuetudinis nostra obsequia.* Sed & in *l. vlt. Cod. eod. de diuersis officiis*: Cum inuitatoribus admissionalibus, memorialibus, pædagogiis, cellariis, MENSORIBVS, lampadariis, cursoribus nominantur, vbi & Decani partis Augustæ, & Cursores partis Augustæ vocantur: quasi diceres *Augusto seu Principi ministrantes.* Sed & Corippus *lib. 3. v. 158. seqq.*

- - - Iussuque regentis
Acciti Proceres omnes, Scholaque Palati est
Iussa suis adstare locis; iamque ordine certo
Turba Decanorum, Cursorum, in rebus Agentum,
Cumque Palatinis stans candida turba Tribunis,
Et Protectorum numerus, mandante Magistro,
Omnis sacrorum vis affuit officiorum.

Sed & Chrysostomus *ad Hebræos 13. Homilia edit. Commel. p. 1849.* eosdem Palatinos facit, & circa Principem versatos, & quidem minimos ferme Palatinorum, hoc insigni loco: *μὴ γὰρ δὴ ἐπειδὴ βασίλεια λέγεται, νομίσητε πάντας τῶν αὐτῶν τυγχάνειν: οἱ γὰρ ἐνταῦθα καὶ ὁ ὕπαρχος, καὶ πάντες οἱ περὶ τὸν βασιλέα καὶ οἱ σφόδρα καταδεέστεροι καὶ τὸν τῶν λεγομένων δεκανῶν τόπον ἐπέχοντες ἐν τοῖς βασιλείοις εἰσὶ, καίτοι τοσοῦτον ὄντος τοῦ μέσου τοῦ ὑπάρχου καὶ τοῦ δεκανοῦ.* Id est: *Non enim, quia Palatium dicitur, omnes iisdem frui indicantur: Nam etsi inibi sit & Præfectus* (Prætorio scilicet) *& omnes qui circa Imperatorem versantur: tamen & tenuissimi, quique locum & vices subeunt eorum qui dicuntur Decani, inter Palatinos sunt, cum tamen sit tantum discrimen inter Præfectum & Decanum.* & mox. *καὶ ὅτι πολλῷ πλέον τοῦ δεκανοῦ λεγομένου καὶ τοῦ ὑπάρχου, καὶ τοῦ ἡλίου καὶ τοῦ μικροτάτου ἀστέρος τὸ διάφορον, δῆλον ἅπασιν. Et quod longe maior sit differentia decani qui dicitur, & solis & præfecti & minima stellæ, est omnibus perspicuum.* De his igitur Decanis Palatinis est ille Chrysostomi locus, quem graui errore Meursius de Decanis seu lecticariis Ecclesiæ, qui sepulturas curabant, accepit, vt recte Valesius *ad Marcellinum lib. 26. cap. 5.* Fuerunt igitur Decani *militia* (vt *hac l.* vocantur) Palatinæ genus: & quidem principis famulationibus adhærentes, *l. 2. Cod. Iust. h. t.* in obsequio Principis *d. l. 2.* Ministeriales, Cursoribus, Agentibus in rebus, Mensoribus finitimi: omnes vero Principis obsequiis & Executionibus missionibusque deputati: Ideo vt reliqui illi, ita & hi Decani sub dispositione Magistri officiorum fuerunt, vt docet hæc *lex* & *d. l. 2. Cod. Iust. eodem tit.* & Corippus *superiore loco*, cuius officium efficax, vt vocatur *l. 2. sup. de Quæstoribus Magistris officiorum*, seu *ἔμπρακτον*, obsequiis Principis deputatos sub dispositione sua habuit. Horum vero munus peculiare fuit, quod in Repub. ferme lictorum: Ideo corripiendis reis, velis item, seu cortinis Regiis, locis fisco vindicatis suspendendis, operam Decani nauabant. Ambrosius, *dicto loco epist. 20. Nunciatum est mihi comperto, quod ad Portianam Basilicam de palatio Decanos misissent, & vela suspenderent.* Item Basilius Diaconus in *libello ad Theodosium & Valentinianum*, *παραχρῆμα ἐκέλευσε*

συλλη-

συλληφθῆναι ἡμᾶς παρὰ τῦ ἔχλυ δεκανῶν, i. *illico iussit corripi nos a turba Decanorum.* Vt non mirum sit, Chrysostomum eos vocare *σφόδρα καταδεέστέρυς.* Hinc & Cedrenus *Compend. hist. pag. 136. edit. Venet. inter Script. Rer. Byzant.* ait, Decanos a Romanis dici *τῦς ῥαβδῦχυς:* quod certe verum esse ostendunt Ambrosii & Basilii *loca.* Ex Corippo interim & Basilio apparet, magnam horum Decanorum turbam fuisse. Grauiter autem errant plerique, & in his quoque Cuiacius, qui hos Decanos cum Decanis illis confundunt, quorum mentio fit *l. 1. C. Iust. de Collegiatis:* Illi enim Palatini non fuerunt, sed Corporati vrbis, & ideo sub dispositione Præfecti vrbi, iidemque cum Copiatis, de quibus dicam ad *l. 1. inf. de lustrali collatione & l. 15. inf. de Episcopis:* Cadauerum, inquam, humandorum curam gerentes. Hinc quoque patet, quam parum constet Viro Docto hac parte ratio, qui censebat, Decanos & Decuriones parum inter se differre. Fuit enim Decurionum nomen, Dignitatis nomen, vt ad *tit. de decurion. & silentiariis* ostensum est *τῶν ἐπιτεταγμένων τῇ προέδρῳ.* Augustorum Decani autem *σφόδρα καταδεέστεροι:* & ideo inter Castrensianos, & Mensores hic medii. Nihil etiam hi Decani commune habent cum pædagogiis, quod censet Gutherius *de off. dom. Aug. lib. 3. cap. 30. pag. 816 edit. Lips.* qui & eo trahit inscriptionem vbi, dicitur quis DEC. PÆDAG. Vnde tandem Decanorum horum nomen ortum sit, aliis eruendum relinquo: Nisi quod *Decani* hi dicti videntur, quo sensu *δεκανῦσθαι*, pro *ἀσπάζεσθαι*, *δεξιῦσθαι* apud Hesychium, *Excipere, apprehendere.* Horum Decanorum certa schola erat, & inter eos certi gradus, & quidem inter eos quatuor Primicerii, seu primum inter eos militiæ gradum obtinentes, qui & *Priores h. l* dicuntur & *l. 2. inf. Cod. Iust. h. t.* de quibus est hæc *lex.*

Nunc de sententia *huius leg.* Ergo horum Primiceriatus biennalis esse iubetur: *h. l.* haud aliter ac priores Castrensiani biennales erant, *l. 1. sup. tit. proximo.* Proximi item scriniorum, & Primicerii Mensorum, *l. vn. tit. inf. prox.* Varia certe Decanorum genera præterea memorantur, in Militia seu in Castris, inter Sacra, inter Corporatos vrbium: quibus sua cuique originatio. Istud, quartum Decanorum genus est. Sic vt omnem hac parte Theodosius gratiam & ambitionem abesse velit, contra velit subsequentes prioribus succedere, biennio statim exacto: Nempe, quod verbis illis indicatur, & ad praxin, & politicam pertinet, promotionum gradus & Primiceriatus in aliquo Corpore tempora seruari oportet, neque vltra porrigi gratia vel ambitione, id est, Principis, vel Magistratus indulto: ne alioquin succedentium spes & gaudia hac ratione frustrari eos contingat, quibus suo statutoque tempore locum fieri publice interest: siue continuato tempore, *h. l.* siue repetito officio, *l. 1. sup. de Castrens.* quæ eiusdem Theodosii Iun. est.

P.134

DE MENSORIBVS.

TITVLVS XXXIV.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXVIII. Concordat hic *Titulus* cum Titulo *de Metatis inf. lib. 7.* ac nominatim *l. 4. 5. 10. illius Tituli.*

I. (a) Imppp. ARCADIVS, Honorius & Theodosius AAA. Æmiliano (b) Magistro Officiorum.

PRIMICERIVS Mensorum, ad instar (c) Scriniorum, biennio expleto Agentis in rebus vltimi (d) militiam sortiatur. Dat. X. Kal. Aug. Ancyræ (e) Stilicone II. & Anthemio CONSS. [405.]

NOTAE.

(a) Lex *vn. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Æmilianus* Magister Officiorum sub Arcadio Imp. cui inscribitur quoque *lex 8. inf. de Metatis.* IDEM.

(c) *Ad instar Scriniorum;* hæc verba Tribonianus omisit, nempe quia tandem etiam in Oriente Proximi scriniorum annui facti sunt, *l. 17. sup. de Proximis,* vbi vide, quæ dixi. IDEM.

(d) *Agentis in rebus militiis.* Cod. Iust. RITTER.

(e) *Ancyra* fuit hoc tempore Arcadius: vbi hæc *lex* ab eo data est: pariter vt *l. 1. inf. ne quis in Palat. lex 18. sup. de Palatinis* (vbi dixi) forte & *lex 18. Cod. Iust. de rescind. vendit.* GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

MENSORES quoque in Palatio Principis militabant, vt ostendit vel horum *Titulorum* ordo, & *l. vlt. Cod. Iust. de diu. off.* Ab his vero Mensoribus plane diuersi sunt Mensores, de quibus *l. 1. inf. de canone frum. V. R.* & *l. 9. de Suariis.* Hi enim mensores ad annonam V. R. pertinebant, de quo ad *eas leges.* Horum vero mensorum, de quibus *h. l.* munus erat, hospitia Principi præparare, Palatinis Principem Comitantibus singulis deputatas domos enotare, & postibus hospitaturi nomen adscribere, vt docet *lex 4. inf. de metatis,* vbi de Mensoribus dicendi locus amplior erit. Eosdem & *Metatores* vocabant, *Foderarios* vocamus, & *hospitiorum Marescallos.* Et hi quoque vt & Metati cura sub dispositione Magistri officiorum fuerunt, vt *hac lex nostra* docet, & *l. 2. 3. 4. 5. 14. 15. 16. seu vlt. inf. de metatis:* & *l. 18. inf. de Medicis.* Quæ omnes de his Mensoribus agentes Magistro officiorum inscribuntur, vt & Notitia Imperii *fol. 42. Sub dispositione,* inquit, *viri Illustris Magistri officiorum schola Agentium in rebus, & Deputati eiusdem scholæ: Mensores & Lampadarii.* Et hi quoque Mensores

Primi

Quem locum Paneirolus quoque adduxit. Græci quoque recte in Glossis *Castrensem* ὑπηρέτην interpretantur, id est, Ministrum: Castrenses igitur seu Castrensiani non erant iidem cum Cæsarianis, quod Casaubonus credidit; nam Cæsariani apud Tertullianum longius omnino procedunt: in specie vero hoc æuo *Cæsariani* erant Officiales Procuratorum Cæsaris vel Rationalium. Quid igitur? Erant Ministri Aulici, intra aulam Principi ministrantes, Palatinis intra aulam OBSEQVIIS deputati, vt vocantur *l. 12. sup. de Palatinis S. L.* vbi de propria hac in re *obsequii* voce dixi. Gregor. Nazianz. *orat. 32 p. 528. edit. Colon. siue Lips. Wesdm.* vocat ὅσοι περὶ τὸν βασιλέα θεραπευτικὸν καὶ οἰκίδιον: *omnes imperatoris famuli & cubicularii.* Forte etiam hoc pertinent ἡμεςωλίας, quos τὰς ἐν αὐλῇ διακόνους interpretatur Hesychius. Apud Suidam quoque, vbi Μαγιςεριανὸς Καςρένσιος vocatur, quidam emendant μινιςεριανός: μαγιςεριανὸς enim est Agens in rebus, qui scilicet sub Magistro officiorum erat, de quo *tit. de Agentibus*: Nisi Suidam potius errasse putemus. Certe neque huc quicquam facit Καςρίσιος, quem Glossæ Nomicæ παρεμβολέα vel ἀμβαλέα, non ἐντολέα vocant, cuius vsus in militia armata & in castris. Horum vero Castrensium numero erant pistores & pincernæ: quos & ideo Regios Ministros vocat Am. Marcellinus *lib. 26. c. 6.* Eodem numero fuit Minister Triclinii Rationalis, cuius meminit idem Marcellinus *lib. 15 c. 3.* suus scilicet Triclinii Imperatorii Rationalis fuit, eiusque Ministri nonnulli: Denique tori ministri & mensæ, vt eos vocat Am. Marcel. *lib. 14. 1. 11.* Sed quid moramur? Notitia *Imper. fol. 59.* rem hanc omnem explicat: *Sub dispositione*, inquit, *Viri* SPECTABILIS *Castrensis: Pædagogiorum* MINISTERIALES *Dominici, Cura Palatinorum*: OFFICIVM *autem Vir spectabilis Castrensis habet Tabularium Dominicum, Tabularium Dominarum Augustarum, Adiutorem, Chartularium & Scrinium ipsius, & cæteros Palatinos officii supra scripti.* Neque hæc ita modo verbis exponit, verum etiam pictura exprimit: dum hæc insignia Castrensis oculis exhibet: puta *Repositorium* seu *Armarium*, in cuius summo plures lagenæ lata corona continentur. De quo Repositorii genere sensisse videtur Varro *lib. 4. de lingua Latina cap. 26.* cum scribit, Romanos *mensam vinariam* habuisse, *quam Cylibathum nominabant*: addit, *vt etiam nunc est in* CASTRIS; *id videtur declinatum* ἀπὸ τῦ κύλικος, id est, calice. Item exhibet *Aquiminarium*, & geminum quidem: alterum, vnica ansa, cum duabus ansis alterum. Exhibet etiam *Abacum*, pluribus panibus onteratum: Denique exhibet *Triclinium* seu Mensam in hemicyclum fabricatam, etsi in castris mensæ aliam formam fuisse Varro testetur, *l. c. c. 25.* *Mensa* antiquorum, inquit, *erat quadrata, vt etiam nunc in* CASTRIS, *postea rotunda facta, quod a nobis media, a Græcis μέσα mensa dici potest.* Breuiter igitur sic habendum, Ministerium & obsequium intra aulam Principi exhibentes Palatinos, Castrensianos dictos: In quibus, vt dixi, fuere pædagogia, seu pædagogiani: quorum mentio *l. 5. inf. de diuers. officiis*: Quorum pædagogiorum inquam Aulicorum, meminit Tertullianus, *Apologet. cap. 13.* vbi de Antinoo (quem Hegesippus apud Eusebium *lib. 4. histor. Eccl. c. 8.* δῦλον Ἀδριανῦ vocat, MINISTRVM Adriano:) & aduersus *Valentin. c. 8.* Meminit & Pædagogiorum, quæ præsto sunt in Triclinio, Iurisconsultus in *l. 12. §. 32. D. de instructo.* Fit & mentio in veterib. Inscriptionib *apud Gruterum* DXCV. 7. & 11. DCXXXVI. 2. & apud Am. Marcellinum *lib. 26. c. 6. & 29. c. 3.* In hoc quoque numero fuerunt qui in schola *vestis sacræ* militabant, vt docet præter Corippum *lex 3. Cod. Iust. h. t.* De his Ministerialibus quoque hunc locum in Isidori *Glossis* obseruare licet, *Anculus ministerialis Domus Regiæ.* Sed Isidori id mendum est: *Anculus* enim veteri vocabulo in genere minister est, seu ὑπηρέτης: vnde & *ancilla*, & *ancillari.* De aliis vero Ministerialibus accipiendus est hic ex incerto Auctore Christiano *de mensuris* locus *pag. 321. inter Scriptor. rei agrar. Wilelm. Goesii.* *Idcirco*, inquit, *putamus Ministeriales Imperatorum maiores in accipiendo, minores in dando mensuras habuisse*: Ministeriales enim illi, vt ex Io. Pediasimo recte notauit Doctiss. Salmasius, ad Censuales descriptiones pertinent, non ad hos Castrensianos: Neque etiam ad mensores pertinent vt Cuiacius credidit, præterquam quod Mensores ex Castrensianis non fuere, vt docet *tit. de mensoribus*, a tit. *de Castrensianis* separatus. At viceuersa ab his Castrensianis longe alii sunt Castrensiani de quibus *l. 14. Cod. Iust. de re militari*: qui & *Castriciani* dicuntur in *l. 18. inf. de re militari*: vnde ea lex desumpta est: *Castriani* apud Vopiscum *in Aureliano cap. 38.* Hi enim erant milites limitanei qui in castris prætendebant: Pariter vt Comes rei Castrensis per Africam vocatur ab Am. Marcellino *lib. 32. c. 7.* qui alias dicitur *Comes rei militaris.* p. 231

Nunc de ratione nominis. *Castrensiani* hi ita dicti, quia sub Castrensis dispositione erant: quomodo *Comitatenses* dicti qui sub Comite S. L. erant: imo & Comitani *l. 18. inf. de cohortalibus*: Priuatiani qui sub Comite R. P. *leg. ult. sup. de Palatinis.* Magisteriani, qui sub Magistro officiorum erant. Officiales scilicet ita dicti de nomine Magistratus, sub cuius dispositione erant. Iidem vero & *Castrenses* eodem cum Magistratus nomine dicti apud Tertullianum & Lampridium: sub Castrensi officio militantes *l. 3. inf. de priuil. eor. qui in S. P.* Vnde autem Castrensis & Castrenses dicti? Est qui putat, inde dictos quasi diceres Cæsarianos, vel Aulicos, quod *castra* dixerint Principis Comitatum: quomodo & *Castrenses coronas* Cæsarianis datas apud Tertullianum dici aiunt, (quod vltimum supra refutauimus:) & Græci pariter ςρατόπεδον Comitatum Principis vocant, vt ex Conciliis, & Patribus discimus, & ex Synesii *ep. 75. & 110.* Quomodo & Capitolinus *in Vita Antonini Pii cap. 7.* profectiones Principis ab vrbe *expeditiones* appellat, hoc est ςρατείας. *Nec vllas expeditiones obiit, nisi quod ad agros suos profectus est ad Campaniam, dicens, grauem esse prouincialibus* COMITATVM *Principis etiam nimis parci.* Alius putat, ita dictos Castrenses Palatinos omnes Ministros, quod semper adessent Principi, nec tantum in Aula, vel in Vrbe, sed in castris etiam obsequium & ministerium exhiberent, & in omnibus expeditionibus sequerentur. Verum vtraque sententia minus sana est. Vera quippe ratio nominis istius est, quod in castris tantum ministrarent: *Castra* videl. Principis sunt, vbi priuatæ vitæ agendæ stat & subsistit Princeps, & inter alia vbi epulas adcurat: ac proinde Castrenses & Castrensiani, qui in castris ministrant: priuatæ & interioris Principis vitæ, & Domestici velut Ministri, eiusque familia priuata. Nempe eo *Castrorum* appellatio hoc æuo deducta, vt quod priuatis domus est, id Principi Augustiori nomine *Castra*: Proinde extra castra, Comitetus reliquus Palatinorum priuatis ministeriis non obsequentium: Et sic *Castra* non Comitatus vniuersus, sed pars eius: (Alioquin Castra Principis seu Imperatoris pro Comitatu apud Am. Marcellinum *lib. 18. c. 5. lib. 14. c. 5.* vbi de Paulo: & *lib. 26. c. 7.* quomodo Græcis ςρατόπεδον pro Comitatu passim: apud Athanasium, Iulianum, Synesium) Atque adeo Castra etiam in Aula, etiam in Vrbe fuere: neque Castra Aulæ, aut Vrbi recte opposita: Denique Castra hæc & Castrensia a Palatio vel Comitatu velut pars a toto separanda sunt: Non ilico scilicet qui in Palatio seruit, aut Comitatu, etiam in Castris ministrat: at qui in Castris his militat, etiam in Palatio militat seu ministrat: & sic Castrensiani inter Palatinos. Itaque & Corippus *superiore loco* eos describens eos in obsequio Castrorum fuisse dicit:

Adfuit obsequio castrorum turba virorum.
Eodem, vt puto, sensu dicti *Castrenses panes*, qui Alexatidriæ dati a Diocletiano, de quibus Farrago Alexandrina *pag. 278. in thesaur. tempor. Scaliger.* & Chronicon Alexandrinum *pag. 647. edit. Rader.* de quibus dicam ad *l. 2. infr. de frumento Alexandrino.* Ad eundem certe quoque modum Suetonius *in vita Augusti, cap. 18.* scribit: *Augustum ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum quibus fuerat vsus, exornasse nauallbus spoliis.* Caute Suetonius, *quibus fuerat vsus*, id est, in quibus ipse cum Domesticis suis substitit, atque adeo in *tabernaculo.* Dio enim *initio lib. 51.* de hac ipsa re agens, *Templum ædificatum fuisse* scribit *in loco in quo Augusti fuerat tabernaculum:* atque ita Dioni cum Suetonio hac parte bene conuenit.

Nunc de sententia huius *legis*: quæ est de PROMOTIONVM ordine in schola Castrensianorum: eo fine ne promotionum ordo retardetur vel interturbetur. In quem finem tria *hac leg.* a Theodosio Iun. constituontur. Primo, vt *Priores* in ea schola bientiales tantum sint: vt ita succedentibus locus fiat, neque eorum promotio retardetur: quomodo in aliis passim scholis tempora primi loci obtinendi ab eodem Imp. coarctata eodem fine: v. *l. 17. sup. de Proximis: l. 21. 22. sup. de Palatinis.* Secundum est, vt prioribus decedentibus insequentes ad locum pro merito laborum stipendiorumque succedant: & sic proximus quisque primum locum occupet. Quod & ipsum circa alias scholas & quidem ab eodem semper Imp. statutum. Tandem eo ipso fine a quoquam eandem militiam repeti vetat; ne alioquin spes eorum, qui proximi sunt, retardentur. Quod ipsum & de Palatinis S. L. constituitur *l. 5. sup. de Palatinis S. L.* vbi vid. quæ dixi. Itemque de Officialium militia, *l. 2. 3. inf. ad l. Iul. de ambitu*, vbi dicam pleoe: vid & quæ notabo ad *l. vlt. inf. de re militari.* Idemque de Primiceriis Decanorum ab eodem statutum, *l. vn. inf. tit. prox.* vbi vid. etiam quæ dixi.

II. (a) Idem AA. Scholastico viro Spectabili Comiti & Castrensi (b) Sacri Palatii.

NONNVLLI diuinis impetratis apicibus, (c) primæ vel secundæ formæ sacri ministerii (d) Supernumerarii ordinati sunt, quibus interpositis & locum qui vacauerit occupantibus, Statuti secundæ vel tertiæ formæ (e) de superioribus gradibus excluduntur. Ideoque decernimus, vt qui in prima vel secunda forma diuino beneficio Supernumerarii reperiuntur, Statuti quinetiam secundæ vel tertiæ formæ alternis vicibus, hoc est per vicissitudines promoueantur; vt nunc vnus ex isto, nunc alter ex illo Ordine ad superiorem Statutorum locum si vacauerit progrediatur: De cetero obseruando, vt si (f) quis primæ vel secundæ vel tertiæ formæ specialiter inter Statutos gradum cœlitus (g) valuerit impetrare; Supernumerarios, (h) vltimus formæ tertiæ in matriculis habeatur. Dat. Prid. Id. Ian. Constantinop. Honorio XIII. &. Theodosio X. AA. CONSS. [422.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* hine desumpta est, priore tamen & maxima eius parte resecata, & postrema tantum sententia retenta: quia scilicet hæc in futurum cauet. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Sacri Palatii*, Codices plerosque non agnoscere euincunt editiones impressæ Cuiacii omnes, in quibus tantum ad marginem forte ex Cod. Iust. notatum *S. Palat.* *RITTER.*

(c) *Apicibus*, id est, adnotatione Principis impetrata (de quo vide *Gloss.*) vt mox, *diuino beneficio.* *GOTHOFR.*

(d) *Sacri ministerii*, id est, Castrensiani ministeriales: de quo ad *l. 1. sup.* & ad *l. 5. inf. de diu. off.* *IDEM.*

(e) Qui tertiæ scilicet formæ sunt Statuti, a secundæ formæ gradu; qui secundæ, a prima forma. *IDEM.*

(f) Hic est versiculus, quem vnicum retinuit Tribonianus. *IDEM.*

(g) *Cælitus*, de hac voce dixi ad *l. penult. sup. de Palatinis S. L.* *IDEM.*

(h) *γρ. Supernumerarius*, vt in *Cod. Iust.* recte. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE SVPERNVMERARIIS in schola Castrensianorum, eorumque ordioe & Promotione est hæc Theodosii Iun. constitutio. Quæ vt intelligatur, duo omnino prænoscenda sunt.

Primo quidem notandum, ordines seu GRADVS inter Castrensiaqos eosdem fuisse, qui in aliis scholis Palatinis erant: Palatini scilicet sacrarum largitionum alii fuerunt primæ formæ, alii secundæ, vel tertiæ: *l. 7. sup. de Palatinis S. L.* ac proinde Annonarum modo quoque inter se distincti; de quo dixi ad *d. l. 7.* Eadem igitur ratione Castrensiani alii fuerunt primæ, secundæ vel tertiæ formæ, vt hæc *lex* testatur.

Secutido tiotatidum, vt inter Agentes in rebus, item inter Palatinos sacrarum largitionum alii fuerunt *Statuti*, qui scilicet officio suo in actu constituti iam fungebantur: alii vero *Supernumerarii*, qui in decedentium locum subrogarentur, interim Vacantes & Adscriptitii, *l. vlt. sup. de Agentibus in rebus:* & *l. 15. 17. sup. de Palatinis S. L.* Ita quoque inter Castrensianos, alios *Statutos* fuisse, alios vero *Supernumerarios* pariter triplicis *huius formæ.* De horum omnium igitur *Promotionibus* seu Prouectionibus ad Vacantem decedentis Castrensiani locum, id hac Theodosii Iun. Constitutione cauetur, vt *Statuti* omnes cuiuscunque formæ, etiam vltimæ, præferantur *Supernumerariis* cuiuscunque formæ, etsi primæ: Ac proiode *Supernumerarii* omnes post omnes *Statutos* sint, & sic post vltimos Statutos formæ tertiæ. *Supernumerarii* quidem inter se de formæ prioritate seu potioritate recte certant, sed non cum *Statutis.* Quinimo vltimus *Statutorum*, quantumuis primo *Supernumerariorum* præfertur. De quo dicendum erit aliquid *infra lib. 7. tit. 3. Quis in gradu præferatur.* Et hæc quidem in futurum ita cauentur, in *Præteritum* autem de Promotionibus eorum qui *huius legis* tempore *Statuti* & *Supernumerarii* erant, hoc cauetur: vt alternis vicibus *Statutus* secundæ formæ, & *Supernumerarius* primæ, promoueantur: Pariter alternis vicibus *Statutus* ter-

tiæ

Primicerium suum habuere, cuius officium biennale erat, exemplo Proximi Sacrorum, vt hæc *lex* nominatim ait. Per hæc enim adhuc tempora in Oriente, biennalis fuit Proximatus, quod vndecim annis post anno immutatum fuit *l. 17. sup. de Proximis*. Similiter & priores inter Castrensianos biennales fuare *l 1. sup. de Castrensianis*, & primiceri Decanorum *l. vn. sup. tit. prox.* de cuius præscriptionis ratione ad eas leges. Cæterum Primicerius Mensorum expleto Primiceriatu pro præmio in scholam Agentium in rebus recipi, *hac l.* iubetur. Sic tamen vt vltimum locum in ea schola occupet, seu vltimus sternatur. De Vltimo in schola Agentium in rebus, & *sternendi* voce, vid. & *l 3. sup. de Agentibus in rebus*, vt & de aliis vltimis Palatinis, *l. 5. sup. de domesticis*, imo & *l. 14. inf. de re militari.*

DE
PRIVILEGIIS EORVM QVI IN SACRO PALATIO MILITARVNT.

TITVLVS XXXV.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXIX. Generalis hic est *Titulus*, & velut clausula communis titulis pluribus præcedentibus.

PARATITLON.

PALATINI *l. 1.* & *l. vlt. h. t.* & *l. 67. inf. de Decurionibus:* Sunt qui in Sacro Palatio militabant, *Rubr. h. t.* Palatini Principis, *l. 2. 4. 9. h. t.* Palatina dignitate subfulti, *l. 9. h. t.* Pais qui obsequiis Principis inculpata officia præbebant, *d. l. 1. h. t* qui in Palatio obsequia præbebant, *l. 2 h. t.* officia fidelis obsequii implebant, *l. 5. h. t.* qui sub Principis aspectibus documenta fidelis obsequii agebant, *l. 8. h t.* vid. & *l. vlt.* Palatinis intra Aulam obsequiis deputati, *l. 12. de Palatinis S. L.* id est Palatinæ militiæ officiis deputati; *l. 12. h t.* qui in Palatio militando diuersis actibus parebant, *l. 13. h. t.* intra Palatium Sacrum versabantur, *l. 14. inf. de nauicular.* qui præsto erant actibus Principis, qui signa eius comitabantur, *l. vlt. hoc tit.* qui in Palatio morabantur, *d. l. vlt.* constituti erant, *d. l. vlt.* Diuersa denique obsequia Palatina, *l. 3. h. t.* In hoc censu sunt Cubicularii, *d. l. 3.* Notarii, *l. 7. h. t* in scriniis militantes *d. l. 7.* & *14. h. t.* in Scriniis Memoriæ, Epistolarum, Libellorum versantes *l. 1. 3. h t.* Memoriales *l. 2. h. t.* Agentes in rebus *l. 3. 7. 9 14. h. t.* Palatini Comitis S. L. & Comitis R. P. *l. 3. 7. 14. h. t.* sub Castrensi militantes *l. 3. 7. h. t.* Admissionales *d. l. 3.* & 7. quibus scilicet præerat Magister Admissionum, de quo vide *l. vn. inf. qui a præbitione Tiron.* His omnibus adde Decanos, Mensores: de quibus *supra, duobus titulis vltimis.* His igitur omnibus *priuilegia* quædam Principum beneficiis indulta fuerunt, siue adhuc in Palatio obseruarent, siue vacatione seu optata quiete donati, *l. 3. h. t.* ob spectatum laborem otio donati, *l. 4. h. t.* Post impleta officia fidelis obsequii, seu expleto munere fidelis obsequii, *l. 5. h t.* cum e Palatinis mittuntur obsequiis, *l. 7. h. t.* post documenta fidelis obsequii sub Principis conspectibus acta, *l. 8. h. t.* E palatio vel vacatione donati, vel Prouinciali administratione, *l. 9. 10. h. t.* ex aula Principis decedentes, *l. 11. h. t.* post emeritam missionem, *d. l. 10.* & *13. h. t.* emeritis officiis Palatinis, *l. 23. inf. de cursu publ.* Primum enim a muneribus sordidis & personalibus omnique extraordinaria necessitate immunes erant, *l. 1. 4. 6. 10. h. t.* puta a nominationibus, *d. l. 1.* & *4. h. t.* susceptionibus, *l. 6. h. t.* ab exactorum turmariorum, quos Capitularios vocant, Temonariorum vel prototypiæ obsequio, *l. 3. h t.* equorum præstatione, *l. 2. h. t* a Curiæ honoribus, oneribus, municipalibus, idque tam ipsi quam eorum liberi, *l. 1.* & *3. h. t.* ab omnibus iniunctis, *l. 11. h. t.* item a nominatione ad nauicularium munus, *l. 14. inf. de nauicular.* a procuratione cursus clabularis, *d. l. 23. inf. de cursu publ.* Secundò inter Adlectos Senatores erant, *l. 7. h. t.* Tertio, decennii spatio ab omni nexu liberabantur, *l. 12. h t.* quod quindecennio postea immutatum Curialium respectu: Cohortalinorum vero, XXV. *l 14. h. t.* Liberis eorum remanentibus conditioni obstrictis, *d. l. 14* & *l. 184. de Decurion.* Quarto, omnibus, qui posteriore tempore regendas prouincias dignitatesque Palatinas suscepissent, præferebantur *l 13. h. t.* Postremo, quod parsimonia propria quæsiuissent, vel donis Principis consecuti fuissent, vt castrense peculium habebant: *l. vlt. hoc tit.*

I. (a) Imp. Constantinus A. Palatinis & (b) benemeritis suis salutem.

A Palatinis, tam his qui Obsequiis (c) nostris inculpata officia præbuerunt, quam illis qui

COMMENTARIVS.

DE MITTENDARIORVM S. L. quatuor (qui quotannis exibant, & sequentibus locum faciebant, vt docet præterea *lex 8. & 9. sup. hoc tit.*) beneficiis, solatiis, est hæc constitutio Theodosii Junioris obscura satis. Quæ vt intelligatur, sciendum est, vt aliis nonnullis de officio vel actu exeuntibus solaria quædam seu beneficia & stipendia pro munere data, ita & Mittendariis de actu exeuntibus pariter concessa: quæ hic triplici nomine designantur: beneficia, stipendia, solatia: *Solatia* non sunt proprie salaria, seu stipendia actus, verum beneficii & lucelli genus præter salarium. Ita puncti solatia, pro strenis *l. 4. Cod. Iust. de aduoc. diu. Iudicum*, de quo dixi ad *l. 11. sup.* Ita & solatia pro mercedula præstita: *l. 32. sup. de nauiculariis.* Errant enim qui solatium & salarium confundunt: Ita solatium tutori dicitur constitutum *l. 33. in f. D. de administr. tutor.* Sed & solatium in *l. 22. §. 8. D. soluto matrimonio*, alio sensu accipitur. Verum de hoc plura in *Glossario*. Ergo *hac l.* permittit Theodosius Jun. Comiti S. L. hæc beneficia seu solatia quatuor his Mittendariis exeuntibus dare, velut prolixorum stipendiorum solatia, *citra vllam circumuentionem:* duabus tamen limitationibus additis: Prima est, vt Comes S. L. hæc beneficia seu solatia tribuat ea his quæ suæ Jurisdictionis sunt; id est sub sua dispositione, atque adeo ea sacris largitionibus, & de quibus ipse disponere potest: vt sunt vestes linteæ, de quibus *lege 6. & 8. infr. de murilegulis*, & *Notitia Imperii. fol. 49.* non vero ex baphiis: quæ erant sub Comite R. P. Certe vestes vt inter stipendia, ita & inter solatia fuere: de quo iam *alibi*. Secunda limitatio est, ea beneficia seu solatia tribui posse a Comite S. L. *qua non aliis ex consuetudine cælitus sunt deputata:* id est, quæ a Principe aliis sunt destinata, propriaque: *Cælitus*, id est, ab Imperatore, de quo iam in *Notis*. Scilicet Principes certis personis solatia quædam ea his quæ sub Jurisdictione, id est, dispositione Comitis S. L. erant, deputabant, quæ vel cuius generis Comites S. L. aliis dare non poterant.

XXIV. (a) Impp. THEODOSIVS A. & Valentinianus Cæsar Hierio PP. (b)

NOSTRÆ moderationis arbitrio præstitutum est, vt Priuatiani (c) priuilegia Largitionalis Officii perpetuo consequantur: hoc est, vt tam Primicerius Officii (d) priuatarum, quam alii Quatuor reliquorum Primicerii Scriniorum eiusdem contemplatione militiæ ex Consularibus inter Adlectos esse mereantur: & tam in hac (e) alma Vrbe quam in Prouinciis honore potiantur; eum Inlustres (f) Viri memoratarum Comites dignitatum ita simili iugirer infularum splendore decorentur, vt non culmine discingantur (g) æquali, (h) sed tempore. Dat. XV. Kalend. Decemb. Constantinop. Theodosio A. XI. & Valent. C. CONS. [425.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Hierius* PP. Orientis sub Theodosio Iun. A. D. 425. 426. 427. 428. vid. *Prosopogr.* *IDEM.* Priores Cuiacian. *Hierio Præposito* & Parisin. *Hierio PP. F.* male. *RITTER.*

(c) *Priuatiani* sunt Officiales Comitis R. P. sicut *Largitionales*, Comitis S. L. *Vrbaniciani*, Præfecti Vrbis. *GOTHOFR.*

P.226 (d) Totius scilicet vt *l. 19. sup.* & in *Notitia Imperii.* *IDEM.*

(e) Constantinopolitana, quo ex Macedonia regressus hoc tempore Theodosius: Socrates *lib. 7. cap. 24.* & vid. *Chronolog.* *IDEM.*

(f) Intelligit Comitem S. L. & Comitem R. P. *IDEM.*

(g) Iudicentur, *distinguantur*; Quomodo hic forte reponendum, vid. *Gloss.* *IDEM.*

(h) *γρ. Inæquali.* mala vt ostendam. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

PRIMSCERIIS rerum priuatarum eadem Priuilegia, eadem Dignitas tribuitur *hac l.* a Theodosio Iun. quæ & Primiceriis sacrarum largitionum; ac nominatim vt ex Consularibus inter Adlectos sint: de quo vid. & *l. 7. 19. sup.* Quæ *lex* vt penitus intelligatur illustreturque, sequentia notanda sunt.

PRIVATARVM Scrinia *quatuor* tantum fuere, vt hæc *lex* nominatim docet, sed & *Notitia Imperii* (biennio ferme post hanc *legem* vt alibi doceo conscripta) vbi hæc quatuor scrinia diserte numerantur *fol. 56. & 144.* *Scrinium beneficiorum*, *scrinium canonum*, *scrinium securitatum*, *scrinium largitionum priuatarum.* Singulorum horum Scriniorum sui & singuli fuere *Primicerii*, quos Notitia *Primiscrinios* vocat; nisi quod in Notitia Orientis *fol. 56.* *Primicerium scrinii largitionum priuatarum* nominat: cum hæc *lex* omnes *Primicerios* vocet: idem igitur hac parte *Primicerius*, qui *Primiscrinius*. Præter hos quatuor Primicerios, fuit & *Primicerius totius officii*, vt præter hanc *legem* eadem semper *Imperii Notitia* docet. In vniuersum vero Officiales omnes Comitis rerum priuatarum, *Priuatiani* dicti fuerunt. Hac *lege* igitur constituitur, quemadmodum Primicerii sacrarum largitionum Ex-Consularibus inter Adlectos erant *l. 19. sup.* ita & Priuatarum Primicerios iisdem priuilegiis frui oportere. Exæquantur breuiter Priuatiani seu Officiales priuatarum Officialibus Comitis S. L. Idque hoc quoque argumento, quod scilicet & ipsi Comites vtrique æquales essent & similes, & (quæ inter æquales perpetua regula est, de qua dixi ad *l. vn. sup. de Consulibus.*) is inter eos præcedat & præferatur, qui alterum temporis antiquitate & prioritate vincit. Non est inter eos culmen inæquale, sed tempore tantum inter se certant. Vno verbo, cum Comites ipsi sint inter se similes & Officiales ipsorum exæquari par est: Officialium dignitas, Magistratuum suorum dignitatem sequitur, & æmulatur. Denique similes habent Officiales, qui sibi similes sunt. Hæc ita nunc Theodosius Iunior. Antea quippe non illico quæ priuilegia Officialibus Comi-

Comitis S. L. competebant, eadem & Priuatiana induta fuere: quod præter *hanc leg.* docebunt ea, quæ notabo ad *l. 3. inf. de priuil. eorum qui in sacro pal.*

DE STRATORIBVS.

TITVLVS XXXI.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXV. De his est quoque *lex 4. inf. de Executorib.* De altero Stratorum genere agitur *l. 1. inf. de custodia reorum*, de quibus *legem 4. §. 1. D. de officio Proconsulis* accipiendam mox docebo: Ac proinde ad hos Stratores, de quibus *hoc Titulo*, eam non pertinere. Quod plerisque tamen visum est, & in his Cuiacio quoque.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Zosimum (b) Præsidem nouæ Epiri.

PER omnes prouincias Edictum generale misimus, Vt ab Stratoribus vnus tantum solidus probæ (c) nomine posceretur: & in offerendis (d) equis certam formam, staturam, ætatem prouinciales nostri custodienda esse cognoscerent; Quos etiam fisco certo solidorum modo obnoxios fecimus, si quod Stratores petere nunquam (e) metuunt, illi dare Stratoribus non timerent. Officium (f) quoque Grauitatis Tuæ centum argenti libras (g) multabitur, sciens (h) prædictam rem gestam fuisse, non ilico eam feueritati iudiciariæ prodidisse. (i) Dat. XIII. Kalend. Iul. Apolloniæ, (k) Valentiniano & Valente (l) AA. CONSS. [373]

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Zosimus* Præses nouæ Epiri: cui inscribitur pariter hoc Anno 373. altera lex, puta *lex vn. inf. ne Praefectianus* post Paulinum, vt apparet ex collatione *legis 22. de Episcopis*, quæ data est superiore Anno 372. ad Paulinum istum cum *d. l. vn. inf. ne Praefectianus*: cuius etiam collationis ope, emendandus vel supplendus venit Consulatus *huic legi* subscriptus. IDEM.

P.227

(c) *Proba*, de hac voce mox. IDEM.

(d) A prouincialibus. IDEM.

(e) *Quod stratores petere interdictum est.* Ita Tribonianus. IDEM.

(f) *Officium* Præsidis Epiri nouæ nota. IDEM.

(g) *Libris* Cod. Iust. IDEM.

(h) *Si sciens* Cod. Iust. quomodo & *hic* reponendum. IDEM.

(i) *ψ. prodidisset*: in Cod. Iust. *prodiderit.* IDEM.

(k) *Apollonia* vrbs Epiri nouæ, vbi data (id est, reddita) hæc *lex*; de quo mox plura. IDEM.

(l) *Valentiniano & Valente* IV. *AA.* ita reponendum, id est A. D. 373. vt euincit collatio *legis 22. inf. de Episcopis*: & *l. vn. inf. ne Praefectianus*: de quibus mox. IDEM.

COMMENTARIVS.

STRATORIBVS Equorumque collationi, probationi per nouam Epirum modum ponit *hac l.* Valentinianus Imp. vbi de ipsis *Stratoribus* prius videndum est. *Stratores* in commune in re veterinaria dicebantur, qui stratum equi componebant, qui dominum in equum subleuabant, dextra illi substrata, siue subiecta, quique ad fræna quoque currebant, vel etiam capistro, seu fræno, vbi opus, equum domini ducebant. Græcis, ac nominatim Suidæ, *strator* ἀναβολεὺς & ςρωτής. A quibus munus seu actus ipse *Stratura*, ἀναβολικὴ Glossæ Philoxeni; omitto famosum ex Constantini donatione locum. Spartianus *in Caracalla cap. 7. cum illum in equum strator eius* LEVARET. Capitolinus *in Macrino cap. 4.* Stratoris Imperatoris meminit: Ammianus Marcellinus, *lib. 30. cap. 5. Cum*, inquit, *eum oblatus non susciperet equus, anteriores pedes præter morem erigens in sublime, inuasa feritate concitus, vt erat immanis, dexteram Stratoris militis iussit abscidi, qua eum insilientem iumento pulsarat consueto, perissetque cruciabiliter innocens* IVVENIS *ni* TRIBVNVS STABVLI *Cerealis dirum nefas cum sui periculo distulisset.* Paulus Warnefridus *lib. 2. Longobardicorum cap. 27. Equus Alboini in medio porta concidens, quamuis hinc inde a Stratore verberibus cæsus, non poterat eleuari.* Idem *Capite 9. Strator, quem lingua propria Marpahis appellant* (a) (*Mara* scilicet vel *Marcha* Celtica lingua, Germanicaque equus est: vt ex Pausania constat *in Phocicis cap. 19.* legibus Baiuuariis *tit. 12. c. 9.* Alamaonorum *tit. 47.* Lon-

(a) Vid. quæ notauit ad hunc locum Cl. Lindenbrogius.

Equorum pretiis enormibus Dalmata, Epirota intolerandi tributi mole depressi, prouidentia Imperator tua non modo miserias exuerunt, sed amplam etiam atque opulentam reuexerunt fortunam. Virgilius iam 1. *Georg.* 42. *seqq.*

- - - Varium cæli prædiscere morem
Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum;
Et quid quaque ferat Regio; & quid quaque recuset.

- - - - - - - - -

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros Equarum.

ad quem locum quoque Seruius, *Epirus creat equas optimas.* Et Virgilium imitatus Sidonius *Carm.* 5. *v.* 45.

- - - Tum quaque suos Prouincia fructus
Exposuit, fert Indus ebur, Chaldæus amomum,
Argos equos, Epiros Equas, pecuaria Gallus:

Claudianus etiam *in laudibus Serenæ v.* 58. *seqq.* Illyricum (in quo Epirus teste Rufo Festo, & Notitia) equos contulisse testatur.

- - - gentes, quas fœdere Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in vsus
Imperii, Pharia segetes, & Punica messis.
Castrorum deuota cibo, dat Gallia robur
Militis, Illyricis sudant equitatibus alæ.

Vbi obserua, *equitatibus* pro *equis:* vt apud Ammianum Marcellinum *tirocinia*, pro *tironibus*, atque his sexcenta similia. Varro etiam 2. *rei rusticæ in fin. præfat. Pecuarias in Epeiro magnas fuisse* docet. (Contra, Aristoteles *lib* 8. *c.* 28. *de historia animalium:* notat propter immodicum frigus vt in Illyrico, & Thracia, ita in Epiro paruos haberi asinos.) *Equarum* denique *Celticarum* apellatione, Epiroticas intelligi & comprehendi apud Pollionem in *Claudio cap.* 9. prorsus existimo. *Quid equarum*, inquit, *quas fama nobilitat Celticarum?* Celtarum enim appellatione Illyrios & Epirotas venisse certum est. Hinc igitur data hæc lex ad Præsidem Epiri, & quidem Nouæ: duplex enim Epirus fuit, Vetus & Noua: vid. Itinerarium *Peutinger.* & Sext. Rufum *in Breuiario cap.* 8. & *Notitiam Imperii*, & *Indicem Sconbquianum:* in qua scilicet Noua fuit *Apollonia:* vbi ideo hæc lex data, id est, reddita dicitur. Et hæc quidem de Stratoribus Palatinis, de quibus est hic *titulus:* quique *Stratores Augustorum* dicuntur in *veteri Inscript. apud. Gruterum DC.* 9.

Alii quippe quoque Stratores in officio Magistratuum fuere, veluti Præfectorum Prætorio, Proconsulum, Præsidum, de quibus est *lex* 4. *§.* 1. *D. de offic. Proconsul. lex* 10. *D. ex quibus causis maiores: l. vlt. D. de iure immunit. l.* 1. *§.* 8. *Cod. Iust. de offic. Præfecti Prat. Africæ.* Vbi Schola *Stratorum* inter alias memoratur quæ in officio Præfecti Prætorio fuere. In *veteri Inscript. Taraconensi, apud Gruterum* CCCLXXXIX. 2. vbi *Stratoris Præsidis* fit mentio. Fit & mentio in *l.* 1. *inf. Cod. Iustin. de Custod. reor.* in Actis Cypriani & apud Pontium Diaconum *in vita Cypriani*, de quibus dico ad *Vlpiani libros, de officio Proconsulis:* quorum etiam opera fuit in custodiendis reis, vt ex illis locis constat: vnde & Lictoribus iunguntur apud Ciceronem 2. *Epist. ad Famil.* 19. Cæterum prohibiti Rectores prouinciarum Stratores *suos*, id est, sibi proprios habere: sed vice eorum, Milites, id est, Officiales, qui in prouinciis perpetui erant, hoc ministerio fungebantur, *d. l.* 4. *§.* 1. *D. de offic. Procons.* quæ *lex* ita intelligenda est, & cuius *legis* tota series indicat, Stratorum ministerio Rectores vsos in innere.

Fuit & Tertium quoque Stratorum, vel Statorum genus, quorum in militia sub Prætoribus militaribus numeri erant, qui scilicet castra præibant, vt loca accommodatiora ad exercitum traducendum facerent: iidemque posticum Prætorii in castris Imperatoris seu Prætoris tuebantur, eique Proximi erant, vt docet Hyginus *Gromatico*, non vno *loco:* & quorum frequens mentio extat in *veterib. inscriptionib. l. c.* OXLIX. 8. NCXXXI. 8. MXXXI. 3. Στασιῶται hi Græcis Δορυφόροι *Satellites.* Omnes autem hi Stratores eadem de causa dicti non a *Stratara*, vel *Strato* equi, vt ferme omnes censent, verum a *via sternenda*, quod viam hi sternerent Imperatoribus, Magistratibus, domi, militiæque, seu foras procedentibus. Qua causa recte omnino S. Ioannes Baptista, Domini nostri Saluatoris *Strator* dicitur, quia & ipse viam Domino strauit, sternique mandauit.

Et hæc de Stratoribus ad *hanc leg.* sufficiant: vbi & illud singulare admodum occurrit: quod etiam in *hac l.* multari iubentur, qui indebite & contra interdictum exacti Stratori quid soluerunt, non minus quam is qui illicite exegit. Item Officialis qui admissum sciens Iudici non ilico denunciauerit.

Nunc de historica *huius l.* occasione. Nempe Valentinianus hoc tempore edoctus de Epirotarum damnis, non vna ratione his consulere instituit, constitutionibus suis hoc Anno D. 373. ad Zosimum Præsidem Epiri Nouæ, datis, quorum altera est *lex vn. inf. ne Præfectianus:* hac *leg.* aduersus Stratorum concussiones; *illa* aduersus Præfectianorum: De quo plura ad *eam leg.* ex Ammiano quoque Marcellino: vbi dicta huc quoque arcessi possunt.

DE CASTRENSIANIS.

TITVLVS XXXII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXVI. *De Castrensianis & Ministerianis.*

PARATITLON.

CASTRENSIANI *Rubr.* qui sub Castrensi militabant *l.* 3. *inf. de priuil. eorum qui in S. Pal.* Castrenses apparitores Am. Marcellino *lib.* 26. *c.* 8. inter Palatinos qui matriculis adtinebantur, memorantur *l.* 7. *d. t. de priuil. &c.* Palatinis scriniorum, Largitionum & Admissionalibus coniunguntur, *d. l.* 3. sacri ministerii dicuntur, *l.* 2. *h. t.* Palatinis intra aulam obsequiis deputati, *l.* 12. *sup. de Palatinis S. L.* Indeque sacri Palatii mini-

tiæ formæ, & *Supernumerarius* secundæ. Proinde *Supernumerarii* vno gradu *Statutis* cedunt in præteritum; in futurum varo omnibus gradibus. Priore casu sequens proxime *Statutorum* gradus superiorem proximum *Supernumerariorum* gradum vincit: Posteriore casu, etiam remotissimus *Statutorum* gradus summum *Supernumerariorum* vincit. Atque hoc ius est Perpetuum. Quod Tribonianus vnum retinuit, *l. 2. Cod. Iust. eod. tit.* & vt *hac l.* dicitur: *De cetero.*

DE DECANIS

TITVLVS XXXIII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXVII.

I. (a) Impp. Honorius & Theodosivs AA. Helioni (b) Comiti & Magistro Officiorum.

Qvattvor, qui ex corpore Decanorum ad primum militiæ gradum peruenerint, biennii spatio Primiceriatus gerant officium; neque vlterius cuiquam hoc loco liceat immorari, vt omni gratia & ambitione (c) cessante post duorum annorum curricula succedant Prioribus subsequentes. Dat. Prid. Non. Nou. Constantinop. Theodosio A. VII. & Palladio V. C. Conss. [416.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Helio* Magister officiorum sub Theodosio Iun. per septem annos v. *Prosopogr.* IDEM.

(c) Vid. *l. 4. sup. de curiosis*: *l. vlt. inf. de re milit.* quibus locis dixi: vid. & quæ dicam ad *l. 1. inf. ad Leg. Iul. de ambitu*; item *l. 1. sup. de Castrensianis.* IDEM.

P.233

COMMENTARIVS.

Decani quoque inter Palatinos erant, quod vel *huius Tituli* positio satis ostendit: qui positus est in censu Palatinorum, & inter Titulum *de Castrensianis* & *de Mensoribus* medio loco collocatus: Ideo dicuntur *l. 2. Cod. Iust. h. t. Principis famulationibus adhærentes.* Apertissime D. Ambrosius *ep. 20. num. 4. pag. 853. edit. Benedict. Nunciatum est,* inquit, *quod de Palatio Decanos misissent.* Eosque inter *Ministerianos* fuisse docet *lex 2. Cod. Iust. eod. Titulo*, his verbis: *Nostræ pietatis famulationibus adhærentes Decanos.* Et paulo post; *Mansuetudinis nostræ obsequia.* Sed & in *l. vlt. Cod. eod. de diuersis officiis*: Cum inuitatoribus admissionalibus, memorialibus, pædagogiis, cellariis, MENSORIBVS, lampadariis, cursoribus nominantur, vbi & Decani partis Augustæ, & Cursores partis Augustæ vocantur: quasi diceres *Augusto seu Principi ministrantes.* Sed & Corippus *lib. 3. v. 158. seqq.*

- - - *Iussuque regentis*
Acciti Proceres omnes, Scholaque Palati est
Iussa suis adstare locis; iamque ordine certo
Turba Decanorum, Cursorum, in rebus Agentum,
Cumque Palatinis stans candida turba Tribunis,
Et Protectorum numerus, mandante Magistro,
Omnis sacrorum vis affuit officiorum.

Sed & Chrysostomus *ad Hebræos 13. Homilia edit. Commel. p. 1849.* eosdem Palatinos facit, & circa Principem versatos, & quidem minimos ferme Palatinorum, hoc insigni loco: μὴ γὰρ δὴ ἐπειδὴ βασίλεια λέγεται, νομίσητε πάντας τῶν αὐτῶν τυγχάνειν: οἱ γὰρ ἐνταῦθα καὶ ὁ ὕπαρχος, καὶ πάντες οἱ περὶ τὸν βασιλέα καὶ οἱ σφόδρα καταδεέστεροι καὶ τὸν τῶν λεγομένων δεκανῶν τόπον ἐπέχοντες ἐν τοῖς βασιλείοις εἰσὶ, καὶ τοι τοσούτου ὄντος τοῦ μέσου τοῦ ὑπάρχου καὶ τοῦ δεκανοῦ. Id est: *Non enim, quia Palatium dicitur, omnes iisdem frui iudicantur: Nam etsi ibi sit & Præfectus* (Prætorio scilicet) *& omnes qui circa Imperatorem versantur: tamen & tenuissimi, quique locum & vices subeunt eorum qui dicuntur Decani, inter Palatinos sunt, cum tamen sit tantum discrimen inter Præfectum & Decanum.* & mox. καὶ ὅτι πολλῷ πλέον τοῦ δεκανοῦ λεγομένου καὶ τοῦ ὑπάρχου, καὶ τοῦ ἡλίου καὶ τοῦ μικροτάτου ἀστέρος τὸ διάφορον, δῆλον ἅπασι. *Et quod longe maior sit differentia decani qui dicitur, & solis & præfecti & minima stella, est omnibus perspicuum.* De his igitur Decanis Palatinis est ille Chrysostomi locus, quem graui errore Meursius de Decanis seu lecticariis Ecclesiæ, qui sepulturas curabant, accepit, vt recte Valesius *ad Marcellinum lib. 26. cap. 5.* Fuerunt igitur Decani *militia* (vt *hac l.* vocantur) Palatinæ genus: & quidem principis famulationibus adhærentes, *l. 2. Cod. Iust. h. t.* in obsequio Principis *d. l. 2.* Ministeriales, Cursoribus, Agentibus in rebus, Mensoribus finitimi: omnes vero Principis obsequiis & Executionibus missionibusque deputati: Ideo vt reliqui illi, ita & hi Decani sub dispositione Magistri officiorum fuerunt, vt docet hæc *lex* & *d. l. 2. Cod. Iust. eodem tit.* & Corippus *superiore loco*, cuius officium efficax, vt vocatur *l. 2. sup. de Quæstoribus Magistris officiorum*, seu ἔμπρακτον, obsequiis Principis deputatos sub dispositione sua habuit. Horum vero munus peculiare fuit, quod in Repub. ferme lictorum: Ideo corripiendis reis, velis item, seu cortinis Regiis, locis fisco vindicatis suspendendis, operam Decani nauabant. Ambrosius, *dicto loco epist. 20. Nunciatum est mihi comperto, quod ad Portianam Basilicam de palatio Decanos misissent, & vela suspenderent.* Item Basilius Diaconus in *libello ad Theodosium & Valentinianum*, παραχρῆμα ἐκέλευσε

 συλλη-

συλληφθῆναι ἡμᾶς παρὰ τῶ ὄχλυ δεκανῶν, i. *illico iussit corripi nos a turba Decanorum.* Vt non mirum sit, Chrysostomum eos vocare σφόδρα καταδεεστέρυς. Hinc & Cedrenus *Compend. hist. pag. 136. edit. Venet. inter Script. Rer. Byzant.* ait, Decanos a Romanis diei τὰς ῥαβδέχυς: quod certe verum esse ostendunt Ambrosii & Basilii *loca.* Ex Corippo interim & Basilio apparet, magnam horum Decanorum turbam fuisse. Grauiter autem errant plerique, & in his quoque Cuiacius, qui hos Decanos cum Decanis illis confundunt, quorum mentio fit *l. 1. C. Iust. de Collegiatis:* Illi enim Palatini non fuerunt, sed Corporati vrbis, & ideo sub dispositione Præfecti vrbi, iidemque cum Copiatis, de quibus dicam ad *l. 1. inf. de lustrali collatione* & *l. 15. inf. de Episcopis:* Cadauerum, inquam, humandorum curam gerentes. Hinc quoque patet, quam parum constet Vito Docto hac parte ratio, qui censebat, Decanos & Decuriones parum inter se differre. Fuit enim Decurionum nomen, Dignitatis nomen, vt ad *tit. de decurion. & silentiariis* ostensum est. τῶν ἐπιτεταγμένων τῇ προόδῳ. Augustorum Decani autem σφόδρα καταδεέστεροι: & ideo inter Castrensianos, & Mensores hic medii. Nihil etiam hi Decani commune habent cum pædagogiis, quod censet Gutherius *de off. dom. Aug. lib. 3. cap. 30. pag. 816. edit. Lips.* qui & eo trahit inscriptionem vbi, dicitur quis DEC. PÆDAG. Vnde tandem Decanorum horum nomen ortum sit, aliis eruendum relinquo: Nisi quod *Decani* hi dicti videntur, quo sensu δεκανᾶσθαι, pro ἀσπάζεσθαι, δεξιῦσθαι apud Hesychium, *Excipere, apprehendere.* Horum Decanorum certa schola erat, & inter eos certi gradus, & quidem inter eos quatuor Primicerii, seu primum inter eos militiæ gradum obtinentes, qui & *Priores h. l* dicuntur & *l. 2. inf. Cod. Iust. h. t.* de quibus est hæc *lex.*

Nunc de sententia *huius leg.* Ergo horum Primiceriatus biennalis esse iubetur: *h. l.* haud aliter ac priores Castrensiani biennales erant, *l. 1. sup. tit. proximo.* Proximi item scriniorum, & Primicerii Mensorum, *l. vn. tit. inf. prox.* Varia certe Decanorum genera præterea memorantur, in Militia seu in Castris, inter Sacra, inter Corporatos vrbium: quibus sua cuique originatio. Istud, quartum Decanorum genus est. Sic vt omnem hac parte Theodosius gratiam & ambitionem abesse velit, contra velit subsequentes prioribus succedere, biennio statim exacto: Nempe, quod verbis illis indicatur, & ad praxin, & politicam pertinet, promotionum gradus & Primiceriatus in aliquo Corpore tempora seruari oportet, neque vltra porrigi gratia vel ambitione, id est, Principis, vel Magistratus indulto: ne alioquin succedentium spes & gaudia hac ratione frustrari eos contingat, quibus suo statutoque tempore locum fieri publice interest: siue continuato tempore, *h. l.* siue repetito officio, *l. 1. sup. de Castrens.* quæ eiusdem Theodosii Iun. est.

P. 134

DE MENSORIBVS.

TITVLVS XXXIV.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXVIII. Concordat hic *Titulus* cum Titulo *de Metatis inf. lib. 7.* ac nominatim *l. 4. 5. 10. illius Tituli.*

I. (a) Imppp. ARCADIVS, Honorius & Theodosius AAA. Æmiliano (b) Magistro Officiorum.

PRIMICERIVS Mensorum, ad instar (c) Scriniorum, biennio expleto Agentis in rebus vltimi (d) militiam sortiatur. Dat. X. Kal. Aug. Ancyræ (e) Stilicone II. & Anthemio CONSS. [405.]

NOTAE.

(a) Lex vn. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Æmilianus* Magister Officiorum sub Arcadio Imp cui inscribitur quoque *lex 8. inf. de Metatis.* IDEM.

(c) *Ad instar Scriniorum;* hæc verba Tribonianus omisit, nempe quia tandem etiam in Oriente Proximi scriniorum annui facti sunt, *l. 17. sup. de Proximis,* vbi vide, quæ dixi. IDEM.

(d) *Agentis in rebus militia.* Cod Iust. RITTER.

(e) *Ancyra* fuit hoc tempore Arcadius: vbi hæc *lex* ab eo data est: pariter vt *l. 1. inf. ne quis in Palat. lex 18. sup. de Palatinis* (vbi dixi) forte & *lex 18. Cod. Iust. de rescind. vendit.* GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

MENSORES quoque in Palatio Principis militabant, vt ostendit vel horum *Titulorum* ordo, & *l. vlt. Cod. Iust. de diu. off.* Ab his vero Mensoribus plane diuersi sunt Mensores, de quibus *l. 1. inf. de canone frum. V. R.* & *l. 9. de Suariis.* Hi enim mensores ad annonam V. R. pertinebant, de quo ad *eas leges.* Horum vero mensorum, de quibus *h. l.* munus erat, hospitia Principi præparare, Palatiis Principem Comitantibus singulis deportatas domos enotare, & postibus hospitaturi nomen adscribere, vt docet *lex 4. inf. de metatis,* vbi de Mensoribus dicendi locus amplior erit. Eosdem & *Metatores* vocabant, *Fodrariot* vocamus, & *hospitiorum Marescallos.* Et hi quoque vt & Metati cura sub dispositione Magistri officiorum fuerunt, vt *hac lex nostra* docet, & *l. 2. 3. 4. 5. 14. 15. 16. seu vlt. inf. de metatis:* & *l. 18. inf. de Medicis.* Quæ omnes de his Mensoribus agentes Magistro officiorum inscribuntur, vt & Notitia Imperii *fol. 42. Sub dispositione,* inquit, *viri Illustris Magistri officiorum schola Agentium in rebus, & Deputati eiusdem schola: Mensores & Lampadarii.* Et hi quoque Mensores

Primi

Quem locum Pancirolus quoque adduxit. Græci quoque recte in Glossis *Castrensem ὑπηρέτην* interpretantur, id est, Ministrum: Castrenses igitur seu Castrensiani non erant iidem cum Cæsarianis, quod Casaubonus credidit; nam Cæsariani apud Tertullianum longius omnino procedunt: in specie vero hoc æuo *Cæsariani* erant Officiales Procuratorum Cæsaris vel Rationalium. Quid igitur? Erant Ministri Aulici, intra aulam Principi ministrantes, Palatinis intra aulam OBSEQVIIS deputati, vt vocantur *l. 12. sup. de Palatinis S. L.* vbi de propria hac in re *obsequii* voce dixi. Gregor. Nazianz. *orat. 32 p. 528. edit. Colon. siue Lips. Weidm.* vocat ὅσον περὶ τὸν βασιλέα θεραπευτικὸν καὶ οἰκίδιον: *omnes imperatoris famuli & cubicularii.* Forte etiam huc pertinent ἠμεφωλίας, quos τοὺς ἐν αὐλῇ διακόνους interpretatur Hesychius. Apud Suidam quoque, vbi Μαγιστεριανὸς Καστρένσιος vocatur, quidam emendant μινιστεριανός: μαγιστεριανὸς enim est Agens in rebus, qui scilicet sub Magistro officiorum erat, de quo *tit. de Agentibus*: Nisi Suidam potius errasse putemus. Certe neque huc quicquam facit Καστρίσιος, quem Glossæ Nomicæ παρεμβολέα vel ἐμβαλέα, non ἐντολέα vocant, cuius vsus in militia armata & in castris. Horum vero Castrensium numero erant pistores & pincernæ: quos & ideo Regios Ministros vocat Am. Marcellinus *lib. 26. c. 6.* Eodem numero fuit Minister Triclinii Rationalis, cuius meminit idem Marcellinus *lib. 15 c. 3.* suus scilicet Triclinii Imperatorii Rationalis fuit, eiusque Ministri nonnulli: Denique tori ministri & mensæ, vt eos vocet Am. Marcel. *lib. 14. c.* [illegible] quid moramur? Notitia *Imper. fol. 59* rem hanc omnem explicat: *Sub dispositione*, inquit, *Viri* SPECTABILIS *Castrensis: Pædagogiorum* MINISTERIALES *Dominici, Cura Palatiorum*: OFFICIVM *autem Vir spectabilis Castrensis habet Tabularium Dominicum, Tabularium Dominarum Augustarum, Adiutorem, Chartularium & Scrinium ipsius, & cæteros Palatinos officii supra scripti.* Neque hæc tantum modo verbis exponit, verum etiam pictura exprimit: dum hæc insignia Castrensis oculis exhibet: puta *Repositorium* seu *Armarium*, in cuius summo plures lagenæ lata corona continentur. De quo Repositorii genere sensisse videtur Varro *lib. 4. de lingua Latina cap. 26.* cum scribit, Romanos *mensam vinariam* habuisse, *quam Cylibathum nominabant*: addit, vt *etiam nunc est in* CASTRIS: *id videtur declinatum ἀπὸ τοῦ κύλικος*, id est, calice. Item exhibet *Aquiminarium*, & geminum quidem: alterum, vnica ansa, cum duabus ansis alterum. Exhibet etiam *Abacum*, pluribus panibus oneratum: Denique exhibet *Triclinium* seu Mensam in hemicyclum fabricatam, etsi in castris mensæ aliam formam fuisse Varro testetur, *l. c. c. 25. Mensa antiquorum*, inquit, *erat quadrata, vt etiam nunc in* CASTRIS, *postea rotunda facta, quod a nobis media, a Græcis μέσα mensa dici potest.* Breuiter igitur sic habendum, Ministerium & obsequium intra aulam Principi exhibentes Palatinos, Castrensianos dictos: In quibus, vt dixi, fuere pædagogia, seu pædagogiani: quorum mentio *l. 5. inf. de diuers. officiis*: Quorum pædagogiorum inquam Aulicorum, meminit Tertullianus, *Apologet. cap. 13.* vbi de Antinoo (quem Hegesippus apud Eusebium *lib. 4. histor. Eccl. c. 8.* δοῦλον Ἀδριανοῦ vocat, MINISTRVM Adriano:) & aduersus *Valentin. c. 8.* Meminit & Pædagogiorum, quæ præsto sunt in Triclinio, Iurisconsultus in *l. 12. §. 32. D. de instructo.* Fit & mentio in veterib. Inscriptionib. *apud Gruterum* DXCV. 7. & 11, DCXXXVI. 1. & apud Am. Marcellinum *lib. 26. c. 6. & 29. c. 3.* In hoc quoque numero fuerunt qui in schola *vestis sacræ* militabant, vt docet præter Corippum *lex 3. Cod. Iust. h. t.* De his Ministerialibus quoque hunc locum in Isidori *Glossis* obseruare licet, *Anculus ministerialis Domus Regiæ.* Sed Isidori id mendum est: *Anculus* enim veteri vocabulo in genere minister est, seu ὑπηρέτης: vnde & *ancilla*, & *ancillari*. De aliis vero Ministerialibus accipiendus est hic ex incerto Auctore Christiano *de mensuris* locus *pag. 321. inter Scriptor. rei agrar. Wilelm. Goesii. Idcirco*, inquit, *putamus Ministeriales Imperatorum maiores in accipiendo, minores in dando mensuras habuisse*: Ministeriales enim illi, vt ex Io. Pediasimo recte notauit Doctiss. Salmasius, ad Censuales descriptiones pertinent, non ad hos Castrensianos: Neque etiam ad mensores pertinent vt Cuiacius credidit, prætetquam quod Mensores ex Castrensianis non fuere, vt docet *tit. de mensoribus*, e tit. *de Castrensianis* separatus. At viceuersa ab his Castrensianis longe alii sunt Castrensiani de quibus *l. 14. Cod. Iust. de re militari*: qui & *Castriciani* dicuntur in *l. 18. inf. de re militari*: vnde ea lex desumpta est: *Castriani* apud Vopiscum *in Aureliano cap. 38.* Hi enim erant milites limitanei qui in castris prætendebant: Perinde vt Comes rei Castrensis per Africam vocatur ab Am. Marcellino *lib. 30. c. 7.* qui alias dicitur *Comes rei militaris*. P. 231

Nunc de ratione nominis. *Castrensiani* hi ita dicti, quia sub Castrensis dispositione erant: quomodo *Comitatenses* dicti qui sub Comite S. L. erant: imo & Comitani *l. 18. inf. de cohortalibus*: Priuatiani qui sub Comite R. P. *leg. vlt. sup. de Palatinis*. Magisteriani, qui sub Magistro officiorum erant. Officiales scilicet ita dicti de nomine Magistratus, sub cuius dispositione erant. Iidem vero & *Castrenses* eodem cum Magistratus nomine dicti apud Tertullianum & Lampridium: sub Castrensi officio militantes *l. 3. inf. de priuil. eor. qui in S. P.* Vnde autem Castrensis & Castrenses dicti? Est qui putat, inde dictos quasi diceres Cæsarianos, vel Aulicos, quod *castra* dixerint Principis Comitatum: quomodo & *Castrenses coronas* Cæsarianis datas apud Tertullianum dici aiunt, (quod vltimum supra refutauimus:) & Græci pariter στρατόπεδον Comitatum Principis vocant, vt ex Conciliis, & Patribus discimus, & ex Synesii *ep. 75. & 110.* Quomodo & Capitolinus *in Vita Antonini Pii cap. 7.* profectiones Principis ab vrbe *expeditiones* appellat, hoc est στρατείας. *Nec vllas expeditiones obiit, nisi quod ad agros suos profectus est ad Campaniam, dicens, grauem esse prouincialibus* COMITATVM *Principis etiam nimis parci.* Alius putat, ita dictos Castrenses Palatinos omnes Ministros, quod semper adessent Principi, nec tantum in Aula, vel in Vrbe, sed in castris etiam obsequium & ministerium exhiberent, & in omnibus expeditionibus sequerentur. Verum vtraque sententia minus sana est. Vera quippe ratio nominis istius est, quod in castris tantum ministrarent: *Castra* videl. Principis sunt, vbi priuatæ vitæ agendæ stat & subsistit Princeps, & inter alia vbi epulas adcubat: ac proinde Castrenses & Castrensiani, qui in castris ministrant: priuatæ & interioris Principis vitæ, & Domestici velut Ministri, eiusque familiæ priuata. Nempe eo *Castrorum* appellatio hoc æuo deducta, vt quod priuatis domus est, id Principi Augustiori nomine *Castra*: Proinde extra castra, Comitatus reliquus Palatinorum priuatis ministeriis non obsequentium: Et sic *Castra* non Comitatus vniuersus, sed pars eius: (Alioqui Castra Principis seu Imperatoris pro Comitatu apud Am. Marcellinum *lib. 18. c. 5. lib. 14. c. 5.* vbi de Paulo: & *lib. 26. c. 7.* quomodo Græcis στρατόπεδον pro Comitatu passim: apud Athanasium, Iulianum, Synesium) Atque adeo Castra etiam in Aula, etiam in Vrbe fuere: neque Castra Aulæ, aut Vrbi recte opposita: Denique Castra hæc & Castrensia e Palatio vel Comitatu velut pars e toto separanda sunt: Non ilico scilicet qui in Palatio seruit, aut Comitatu, etiam in Castris ministrat: et qui in Castris his militat, etiam in Palatio militat seu ministrat: & sic Castrensiani inter Palatinos. Itaque & Corippus *superiore loco* eos describens eos in obsequio Castrorum fuisse dicit:

Primicerium suum habuere, cuius officium biennale erat, exemplo Proximi Sacrorum, vt hæc *lex* nominatim ait. Per hæc enim adhuc tempora in Oriente, biennalis fuit Proximatus, quod vndecim annis post anno immutatum fuit *l. 17. sup. de Proximis.* Similiter & priores inter Castrensianos biennales fuere *l. 1. sup. de Castrensianis*, & primicerii Decanorum *l. vn. sup. tit. prox.* de cuius præscriptionis ratione ad eas leges. Cæterum Primicerius Mensorum expleto Primiceriatu pro præmio in scholam Agentium in rebus recipi, *hac l.* iubetur. Sic tamen vt vltimum locum in ea schola occupet, seu vltimus sternatur. De Vltimo in schola Agentium in rebus, & *sternendi* voce, vid. & *l. 3. sup. de Agentibus in rebus*, vt & de aliis vltimis Palatinis, *l. 5. sup. de domesticis*, imo & *l. 14. inf. de re militari.*

DE PRIVILEGIIS EORVM QVI IN SACRO PALATIO MILITARVNT.

TITVLVS XXXV.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXIX. Generalis hic est *Titulus*, & velut clausula communis titulis pluribus præcedentibus.

PARATITLON.

p.215 PALATINI *l. 1.* & *l. vlt. h. t.* & *l. 67. inf. de Decurionibus:* Sunt qui in Sacro Palatio militabant, *Rubr. h. t.* Palatini Principis, *l. 2. 4. 9. h. t.* Palatina dignitate subfulti, *l. 9. h. t.* qui obsequiis Principis inculpata officia præbebant, *d. l. 1. h. t* qui in Palatio obsequia præbebant, *l. 2 h. t.* officia fidelis obsequii implebant, *l. 5. h. t.* qui sub Principis aspectibus documenta fidelis obsequii agebant, *l. 8. h. t.* vid. & *l. vlt* Palatinis intra Aulam obsequiis deputati, *l. 12. de Palatinis S. L.* id est Palatinæ militiæ officiis deputati; *l. 12. h. t.* qui in Palatio militando diuersis actibus parebant, *l. 13. h. t.* intra Palatium Sacrum versabantur, *l. 14. inf. de nauicular.* qui præsto erant actibus Principis, qui signa eius comitabantur, *l. vlt. hoc tit.* qui in Palatio morabantur, *d. l. vlt.* constituti erant, *d. l. vlt.* Diuersa denique obsequia Palatina, *l. 3. h. t.* In hoc censu sunt Cubicularii, *d. l. 3.* Notarii, *l. 7. h. t* in scriniis militantes *d. l. 7.* & *14. h. t.* in Scriniis Memoriæ, Epistolarum, Libellorum versantes *l. 1. 3. h. t.* Memoriales *l. 2. h. t.* Agentes in rebus *l. 3. 7. 9. 14. h. t.* Palatini Comitis S. L. & Comitis R. P. *l. 3. 7. 14. h. t.* sub Castrensi militantes *l. 3. 7. h. t.* Admissionales *d. l. 3.* & *7.* quibus scilicet præerat Magister Admissionum, de quo vide *l. vn. inf. qui a præbitione Tiron.* His omnibus adde Decanos, Mensores: de quibus *supra, duobus titulis vltimis.* His igitur omnibus *priuilegia* quædam Principum beneficiis indulta fuerunt, siue adhuc in Palatio obseruarent, siue vacatione seu optata quiete donati, *l. 3. h. t.* ob spectatum laborem otio donati, *l. 4. h. t.* Post impleta officia fidelis obsequii, seu expleto munere fidelis obsequii, *l. 5. h. t.* cum e Palatinis mittuntur obsequiis, *l. 7. h. t.* post documenta fidelis obsequii sub Principis conspectibus acta, *l. 8. h. t.* E palatio vel vacatione donati, vel Prouinciali administratione, *l. 9. 10. h. t.* ex aula Principis decedentes, *l. 11. h. t.* post emeritam missionem, *d. l. 10.* & *13. h. t.* emeritis officiis Palatinis, *l. 23. inf. de cursu publ.* Primum enim a muneribus sordidis & personalibus omnique extraordinaria necessitate immunes erant, *l. 1. 4. 6. 10. h. t.* puta a nominationibus, *d. l. 1.* & *4. h. t.* susceptionibus, *l. 6. h. t.* ab exactorum turmariorum, quos Capitularios vocant, Temonariorum vel prototypiæ obsequio, *l. 3. h. t.* equorum præstatione, *l. 2. h. t.* a Curiæ honoribus, oneribus, municipalibus, idque tam ipsi quam eorum liberi, *l. 1.* & *3. h. t.* ab omnibus iniunctis, *l. 11. h. t.* item a nominatione ad nauicularium munus, *l. 14. inf. de nauicular.* a procuratione cursus clabularis, *d. l. 23. inf. de cursu publ.* Secundo inter Adlectos Senatores erant, *l. 7. h. t.* Tertio, decennii spatio ab omni nexu liberabantur, *l. 12. h. t.* quod quindecennio postea immutatum Curialium respectu: Cohortalinorum vero, XXV. *l 14. h. t.* Liberis eorum remanentibus conditioni obstrictis, *d. l. 14.* & *l. 184. de Decurion.* Quarto, omnibus, qui posteriore tempore regendas prouincias dignitatesque Palatinas suscepissent, præferebantur *l 13. h. t.* Postremo, quod parsimonia propria quæsiuissent, vel donis Principis consecuti fuissent, vt castrense peculium habebant: *l. vlt. hoc tit.*

I. (a) Imp. Constantinus A. Palatinis & (b) benemeritis suis salutem.

A Palatinis, tam his qui Obsequiis (c) nostris inculpata officia præbuerunt, quam illis qui

qui in Scriniis nostris, (id est, memoriæ, epistularum, libellorumque) versati sunt, procul vniuersas calumnias, (d) siue Nominationes, iubemus esse summotas. Idque beneficium ad filios eorum atque nepotes ipso ordine sanguinis peruenire, atque immunes eos a cunctis muneribus sordidis & personalibus permanere, cum vniuersis mobilibus & mancipiis vrbanis, neque iniurias eis ab aliquibus inferri: ita, vt qui hæc contempserit, indiscreta (e) dignitate, pœnas debitas exigatur. Dat. IV. Kal. Nou. Triueris, Volusiano & Anniano Conss. [314.]

NOTAE.

(a) Lex 1. *Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Abest hæc vocula in MS. & a Cod. Iustin. & recte. *Palatinis* hic Titulus tributus a Principibus *benemeritorum*: emeritis scilicet. Nam & ita veterani benemeriti dicuntur, *l. 8. inf. de veteranis.* Lampridius *in Alexandro Seuero, cap. 16. Si de re*, inquit, *militari tractaret, adhibebat milites veteres & senes ac benemeritos.* vbi vetus quoque editio voculam *Ac* non habet; ita *& senes benemeritos.* *IDEM.*

(c) De hac *obsequii* voce dixi semel *ad l. 12. sup. de Palatinis S. L.* *IDEM.*

(d) *Calumniæ* vox de iniustis nominationibus ad munera. *IDEM.*

(e) Id est cuiuseumque sit dignitatis, v. *Gloss. Theod.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Constantini M. quinque constitutiones *hoc titulo* occurrunt de priuilegiis eorum qui in Sacro Palatio militarunt, vel militant: Quibus addenda Sexta & omnium elegantissima, quæ perperam in finem *huius tituli* reiecta est: *Codice Iustinianeo* vero recte in peculiarem *titulum* coniecta, *de Castrensi omnium Palatinorum peculio.* Hae prima *lege* Constantinus Immvnitatem ab omnibus muneribus personalibus velut a nominationibus, & ab omnibus muneribus sordidis, (de quibus *suo tit. infr. de extraordinariis siue sordidis munerib.*) Palatinis omnibus, in quibus & Scriniarii, tribuit: id est, vt ne Susceptores, exactores, Turmarii, Temonarii fiant: Denique ne ad alium quem hono-
P.336 rem, onus, munus municipale sustinendum nominari possint, quæ omnia *Calumniarum*, siue *nominationum* & *iniuriarum* appellatione *h. l.* indicantur. De qua Scriniariorum immunitate sunt aliæ plures leges, puta *lex 3. 14. 15. sup. de Proximis, l. 14. infr. de extraordin. l. vn. qui a prabitione tiron. & equ.* Idque in tantum, (quæ Prima Ampliatio est ratione personarum) vt & liberis ipsorum quoque, id est, filiis & nepotibus eadem immunitas *h. l.* tribuatur: vt & *l. 3. inf.* ipso *ordine Sanguinis*, vt eleganter *hac lex* loquitur. Secunda ampliatio est ratione rerum: Additur scilicet, Palatinos immunes esse a muneribus sordidis & personalibus, cum vniuersis mobilibus, & mancipiis vrbanis: In quam nunc quæstionem non vltra ingrediar, vtrum priuilegia parentibus indulta ad liberos quoque porrigantur. Cæterum notandum est, Palatinos in duas species *hac l.* tribui seu diuidi. Palatini scilicet alii Principis *obsequiis* deputati fuerunt, alii in Scriniis versati: Separantur itaque Scriniarii ab illis, in tantum etiam vt Memoriales, Scriniarii scilicet, Palatinis opponantur, & ab his separentur. Cæterique Scriniarii, *l. 2. & 3. inf.* Prioris generis sunt veluti Stratores Castrensiani, Decani, Mensores, id genus alii, de quibus *Titulis superioribus*: De Scriniariis *suo titulo* dictum est, *Titulo de Proximis.*

II. (a) Idem A. ad Proculum (b) Proc. Africæ.

Si ex Memorialibus, (c) vel ex Palatinis nostris, aliquis ad agendas Curas reipublicæ, vel alterius officii, fuerit destinatus, (d) minime ab eo repræsentatio (e) postuletur Equorum: Qui autem in Palatio obsequia (f) non præbuerunt, sed ex alio hominum genere sunt, Equos solemnes (g) pro huiusmodi actu (h) repræsentent. Dat. VI. Kalend. Aug. Constantino A. IV. (i) & Licinio Conss. [319.]

NOTAE.

(a) Abest a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Proculus* Proconsul Africæ sub Constantino M. v. *Prosopogr.* vbi multa de eo. *IDEM.*

(c) *Memoriales* sunt, qui in scrinio Memoriæ sunt: de quibus vid. & *l. 3. inf. l. 1. sup.* & *tit. de Prox. Com. disp.* & *l. 21. inf. de Cohortalib.* Cæterum eos a Palatinis *hic* separari nota: de quo ad *d. l. 1. sup.* *IDEM.*

(d) *Missionibus* Memoriales paruere: de aliis, qui missionibus Principum paruere, vid. *sup. tit. de Agentib. tit. de Curiosis: tit. de Stratoribus.* *IDEM.*

(e) *Repræsentatio*, id est, exhibitio: solutio, vt infra, *l. 4.* repræsentari. *IDEM.*

(f) De hac *obsequii* voce dixi semel ad *l. 12. de palat. S. L.* *IDEM.*

(g) Canonicos. *IDEM.*

(h) An curatoricio *l. 2. inf. de equorum conlat.* vbi dicam. *IDEM.*

(i) *γρ.* V. vt docet *lex. 1. inf. de itinere muniendo.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Immvnitas a collatione Equorum Memorialibus & Palatinis ad curas agendas, vel ad aliud officium destinatis, tribuitur *hac l.* a Constantino M. Nempe Equorum præstationi, in vsus armorum & militiæ, multi subinde subiacebant, de quo ad *l. vn. inf. de oblat. equorum*: In his erant Honorati *l. 3. sup. de Proximis Comitibus dispos.* & *legibus* aliis quas ad eam congessi. Honoratis Codicillis donati, *l. vn. inf. de oblat. equorum*, *l. 15. inf. de Naucularìis.* Itemque, quod ex *h. l.* discimus, ad Reipubl. curas agen-

agendas, id est, Curiosi munus obeundum missi. Ad aliud etiam officium destinati equorum præstationi obnoxii erant; (vnde putet quis Curatoricios equos dictos, *l. 29. inf. de annona*) vel Curatoricio nomine flagitati, *l. 2. inf. de collat. equorum*: ad quas *leges* dicam. Ex *hac* tamen *lege*, Palatini, vel Memoriales ad id destinati ab hac collatione immunes præstantur singulari priuilegio. De simili immunitate ab equorum præstatione, vid. Libanium *ep. 215. ad Andronicum in MS. Regio*. Ex *hac* interim *leg.* discimus, sub Constantino M. Memoriales missos ad curas Reip. agendas, seu ad Curiosi munus obeundum, vt & Palatinos alios, de quibus *Curiosis*, suo *Titulo supra*. Quod vero ait Lex, *ad agendas curas Republicæ*; sic quoque *l. 4. sup. de Curiosis*: *ita vt nihil vestri Principis ex his quæ geri in* Republica *videritis, notitiæ subtrahatis*. Sed & Victor Schotti *in Trajano c. 13.* de iisdem Curiosis, & cursu publico: *Noscendis ocius quæ vbique e* Republica *gerebantur, admota media publici cursus*. Item *l. 2. sup. de Curiosis*: *Agentes in rebus, in curis agendis, & euectionibus publici cursus inspiciendis, nostrorum memores præceptorum credimus in omnibus velle profutura* Reipublicæ. Hæc vero res postea sub Constantio ad solos Agentes in rebus reuocata est, *l. 2. 3. 4. 7. sup. de Curiosis*, vbi dixi. Antea Memoriales Missionibus Principum paruere. Petrus *in excerptis legationum pag. 21. Tom. I. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* Γαλέριος καὶ Διοκλητιανὸς εἰς Νίσιβιν συνῆλθον ἔνθα κοινῇ βουλευσάμενοι στέλλουσιν εἰς περσίδα πρεσβευτὴν Σικόριον πρόβον ἀντιγραφέα τῆς μνήμης. *Galerius & Diocletianus Nisibi conuenerunt. Ibi communicato consilio, mittunt legatum in Persidem Sicorium Probum contra scribam a memoria.* Memorialium sane in commune fit quoque mentio *l. 21. inf. de cohortalib.* & apud Ambrosium *ep. 20. num. 7. p. 854. edit. Benedict.* Sed & meminit Epiphanius *hæres. 71. num. 1.* vbi μεμοραδίοις pro μεμοριαλέοις editum: Hi erant qui in scrinio Memoriæ militabant: de quo aliisque scriniis, *suo tit. sup. de proximis scriniorum.*

III. (a) Idem A. ad Rufinum Præpositum. (b)

De Cubiculis (c) nostris vacatione donatos, vel diuersis Obsequiis (d) Palatinis, aut Scriniis Memoriæ, Epistularum, Libellorumque, (e) vel officio Largitionum (f)
P.337 Comitatensium, singularumue vrbium, sed & officio Admissionum, (g) ad (h) Legum nostrarum priuilegia volumus pertinere: vt nec ipsi, nec filii, nec nepotes eorum ad (i) Curiam, vel Honores, vel (k) Onera, Munera municipalia deuocentur: Metitoque (l) his ingerimus (m) Largitionales vrbium singularum. *Ne priuilegio separentur, quos dignitas propemodum similis copulauit*; memorati namque Palatinorum (n) matriculis adtinentur: (o) Quique sub Castrensi militant. Quibus omnibus condonamus, ne Exactorum, vel Turmariorum (quos *Capitularios* vocant,) curam subeant, vel obsequium Temonariorum, (p) vel Prototypiæ: (q) Nam (r) beneficiis nostris ita digni sunt, vt etiamsi quis ad diuersas Administrationes post obsequia Palatina peruenerit, hisdem debeat vti priuilegiis: quoniam *Maior * dignitas nulla* (s) *debet præiudicium facere*. Nemo igitur ex filiis prædictorum, vel seruis castrensi peculio (t) conquisitis, professionibus censualibus inseratur, vel numero Adcrescentium, loco vel (u) deficientium subrogetur, si non fuerit innexus voluminibus (x) censualibus. Personalibus etiam & corporalibus muneribus liberentur, siue adhuc in palatio obseruent, (y) siue optata quiete donati sunt. Quibus omnibus priuilegiis coniungimus Agentes in rebus, licet militaribus (z) videantur esse subnixi. Dat. V. Kal. Mai, Sirmio, Constantino A. V. & Licinio Cæsare Conss. [319.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *ps. Præfectum Prætorio*, Putaueram aliquando *Præpositum Cubiculi* hic accipiendum, argumento primorum huius legis verborum: Verum illud præferendum est vt Codex quoque Iustinianeus præfert. *Rufino* huic PP. hoc ipso anno inscribitur præterea *lex 1. de sponsalib. l. vn. de bonis decurionum.* IDEM.

(c) Vide supra *Titulum de Præpositis S. Cubiculi.* IDEM.

(d) De hac voce dixi semel ad *l. 12. sup. de Palat. S. L.* IDEM.

(e) Addidit Tribonianus *sacrarumque dispositionum.* Neque tamen illico priuilegia cæteris scriniis tributa scrinio dispositionum indulta fuere, vt docuimus ad Titulum *de Proximis Comitibus dispositionum.* IDEM.

(f) *In vtroque officio Palatinorum Comitatensium.* Ita Tribonianus. Obscurius enim Constantinus *h. l.* qui videbatur de officio tantum Comitis S L. intellexisse, de quo vide quæ notaui ad *l. vlt. sup. de Palatinis.* IDEM.

(g) *Et Castrensis Sacri Palatii militant*, ex sequentibus huc Tribonianus hæc verba retulit. IDEM.

(h) *Priuilegia volumus habere*: ita Tribonianus simplicius. IDEM.

(i) *Ad Curiam*: Hæc verba Tribonianus omisit. Ratio petenda ex iis quæ dicentur *inf. tit. de Decurionibus.* IDEM.

(k) *Vel onera*: Et hæc omissa sunt a Triboniano. IDEM.

(l) Sententia hæc e Triboniano resecta est ad ea verba vsque *Quibus omnibus.* IDEM.

(m) *Ingerimus*, pro *inserimus*: vt *l. 11. de appell.* vid. *Gloss.* IDEM.

(n) Contra *l. vn. de priuil. app. mag. potest.* IDEM.

(o) *Attineri* matriculis hic, & *l. 11. de re milit.* IDEM.

(p) De *Temonariis* dicam ad *l. 7. inf. de tironibus.* IDEM.

(q) *Pentaprotia*, C. Iust. de quo mox: ibidemque hæc addita, *aut etiam tironis præsentationem agnoscant.* *IDEM.*

(r) Sententia hæc, multis recisis; ita C. Iust. deformata est: *vt etiam Censualibus vel personalibus vel corporalibus muneribus liberentur & habeant castrense peculium, siue adhuc Palatium obseruent, siue optata quiete donati sunt,* &c. Omissis videlicet tribus sententiis: de quibus mox. *IDEM*

* *Lex 3. Cod. Iust. de dignitatibus*, hinc desumpta est. *IDEM.*

(s) *Nulli*, C. Iust. *d. l. 3.* de quo mox. *IDEM.*

(t) De peculio castrensi Palatinorum dicam *ad l. vlt. h. t.* *IDEM.*

(v) Menda hic hæret, quam sic tollo. *locoue deficientium.* *IDEM.*

(x) *Volumina* publica, *hac l.* fasces publici, *l. 6. in fin. infr. de tironib.* *IDEM.*

(y) *Obseruare* in Palatio, est obsequi, seruire. *IDEM.*

(z) Priuilegiis scilicet. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

TERTIA hæc *hoc titulo* Constantini M. constitutio est, de priuilegiis eorum qui in sacro Palatio militarunt: & quidem Tertia quoque in eodem argumento IMMVNITATVM: vbi sententiæ nullo certo ordine, nulla serie inter se satis cohærent: quarum etiam multas recidit Tribonianus, & a *Cod. Iust.* abesse voluit: Nos eas in lineam coniiciemus. Primo videamus de Personis, seu Palatinorum generibus & scholis, quibus etiam immunitates illæ, de quibus *h. l.* agitur, tribuuntur: cuiusmodi octo hic enumerantur.

Primo igitur tribuuntur hæ immunitates quoque *ex Cubiculariis*, seu de cubiculis Principum vacatione donatis. Quorum sane ingens ratio apud huius æui Principes fuit, velut interioris vitæ ministros: de quorum etiam Præposito, summaque eius dignitate, *sup. tit. de Præpositis S. Cubiculi*: priuilegiisque eorum variis, *l. 2. 3. 4. Cod. Iust. de præpos. S. Cubiculi, & de omnibus Cubiculariis & priuilegiis eorum.*

Secundo tribuuntur hæ immunitates *diuersis obsequiis Palatinis*; id est, omnibus in Palatio Principi ministrantibus: hæc enim sunt *obsequia* Palatina: Quibus adnumero omnes, qui sub Magistro officiorum erant, vel sub Comite domesticorum. De qua *obsequii* appellatione semel dixi plene ad *l. 2. sup. de Palatinis.*

Tertio loco *Scriniis* tribus, Memoriæ, Epistularum & Libellorum hæc immunitas tribuitur: de qua ipsa *l. 1. sup.* & *l. 3. 14. 15 sup. de proximis: l. 14. inf. de extraordinar. l. vn. inf. qui a præbit. tyronum.*

Quarto Palatinis seu *officialibus largitionum Comitatensium*, id est, Officialibus Comitum S. L. & R. P. seu Palatinis Comitatensibus in vtroque officio, vt Tribonianus expressit: obscurius enim Constantinus ibi visus loqui, sic vt de Officialibus tantum Comitis S. L. accipienda viderentur illa, *vel officio Largitionum Comitatensium*, quæ tamen ad vtrumque Comitem pertinent: Verum quidem illud, non ilico statim officialibus Comitis S. L. tributa priuilegia, ad Officiales Comitis R. P. seu Priuatianos pertinuisse: & vt pertinerent, speciali *lege* opus fuisse, vt docet *lex vlt. sup. de Palatinis S. L. & R. P.*

Quinto, communicantur hæ immunitates duo-
P.338 bus locis *h. l. Largitionalibus singularum vrbium*: rationibus additis *verf. merito: ne*, inquit, *priuilegio separentur, quos dignitas propemodum similis copulauit, memorati namque Palatinorum matriculis attinentur.* Quæ vt intelligantur, de his Largitionalibus singularum vrbium videndum est, quorum præterea mentio fit. *l. 6. 12. 13. inf. de susceptorib.* & *l. vn. inf. de priuil. oppar. Magisterio potestatis.* Quemadmodum scilicet orbis Romanus in diœceses diuidebatur; diœceses in Prouincias: prouinciæ ipsæ vero pluribus vrbibus seu ciuitatibus constabant, ita quoque totidem Largitionalium gradus fuere. Fuerunt scilicet Largitionales integrarum diœceseon, de quibus *l. vn. sup. de Consularibus & Præsidibus.* Fuerunt singularum prouinciarum Rationales, de quibus, *lib.* [illegible] Denique fuerunt Largitionales singularum vrbium: Et vero hi, non minus quam cæteri, sub dispositione Comitis S. L. fuere, & vt hæc *lex* loquitur, *Palatinorum matriculis attinebantur*: & *dignitate propemodum similes erant* his, qui in ipso Palatio obsequia præstabant. Ergo his quoque, tanquam Palatinis, hæ ipsæ Palatinorum immunitates communicantur. Et postea tamen Valentiniano aliter visum: quia VTERQVE extra Palatium viuerent, *d. l. vn. inf. de priuil. apparit. Magist. potestatis*, cui iungenda est *lex 6. inf. h. t.*

Sexto, communicantur hæc priuilegia officio *Admissionum*, seu *Admissionalibus*: de quibus agitur & *l. 7. hoc tit.* & *l. vn. inf. qui a probit. tyronum*, vbi de his. Interim hinc nota, *officium* peculiare seu *συμμορίαν* fuisse Admissionalium: qui Am. Marcellino teste *lib. 15. c. 5.* & *lib. 22. c. 7.* suum Admissionum *Magistrum*, & Admissionum *Proximum* habuere, pariter vt Scriniorum Magistri & Proximi fuere.

Septimo, *Castrensianis*, qui sub Castrensi militant: de quibus *suo tit. sup.*

Postremo, *Agentibus in rebus*: de quibus *suo tit. supra.* Qua parte Constantinus indicat, etiam absque [illegible], satis immunitatibus his Agentes in rebus fruituros: quandoquidem non tantum Palatinorum numero essent, verum etiam *militaribus* priuilegiis *videantur subnixi*: Nempe enim Agentibus in rebus executiones committebantur, atque ideo militaribus viris propemodum similes erant: de quo vid. *l. 11. sup. de Agentibus in rebus: l. 2. inf. de Commeatu: l. 7. 9. 14. de cursu publ.* & plene *Paratitlo de Agentibus.* Et sane erant quoque ideo Agentes in rebus, militari habitu, cum chlamyde & baltheo: vt discere est ex Am. Marcellino *lib. 16. c. 5.* & Libanio *Apol. adu. eos qui suam docendi ras. accus pag. 593. edit. Morell.* *ἀναξυρὶς καὶ ζωστὴρ ὁ τῶν διακόνων ταῖς βασιλέως ἐπιστολαῖς ἃς ἐκ βασιλέων ἀνάγκη φέρεσθαι πανταχοῖ τῆς γῆς genualia & balteus ministrorum regis ab epistolis, quas necesse est iussu regum transferre quocunque terrarum.* Denique Symmachus etiam *lib. 10. epist. vlt.* Agentem quemdam a temeraria accusatione excusat propter *militiam*, & incautam adolescentiam.

Et hæc quidem de variis Palatinorum generibus, quibus hæ Immunitates communicantur. Sequuntur duæ Ampliationes.

Prima: Nec filios, nec nepotes eorum ad Curiam vel Honores vel onera muneraue municipalia deuocari oportere: Quod & ipsum cauetur *l. 1. sup.*

Secunda, Palatinos beneficiis his ita dignos esse, vt etiamsi quis post Palatina obsequia ad diuersas administrationes peruenerit, iisdem priuilegiis vti debeat addita ratione: *Quoniam maior dignitas nulla debet præiudicium facere.* Quam rationem & regulam hinc transtulit Tribonianus in *l. 3. Cod. Inst. de dignitatib.* Certe eadem obtinet & in aliis Palatinis, *l. 5. inf. h. t. l. 1. sup. de Primicerio & Notar. l. 2.* vbi vid. quæ dixi: & *l. 3. sup. de Decurionib. & silentiariis: l. 14. sup. de Proximis.* Non tamen in omnibus semper obtinuit: vt fidem facit *lex 13. in f. sup. de Agentibus in rebus.* At Tribonianus generalem fecit, ratione omnium personarum, quæcunque illæ sint, & casuum: supposita voce *Nulli:* cum hoc loco regula hæc generalis sit ratione dignitatis: *Maior dignitas*, inquit, NVLLA *debet præiudicium facere:* quæcunque scilicet dignitas sit, & superueniat Palatinis *hoc l.* memoratis: Denique superueniens maior dignitas pristini seu veteris officii & obsequii priuilegia non tollit.

Nunc

Nunc de Immunitate ipsa: In genere igitur immunitatem tribuit Constantinus M. a Curia, Honoribus, Oneribus, Muneribus municipalibus.

Secundo immunitatem tribuit ab Exactorum, Turmariorum seu Capitulariorum, Temonariorum & Prototypiæ cura & obsequio. De Exactorum munere res clara est: de tribus reliquis videndum est, saltem de duobus: nam de *Prototypia* dicetur *l. 7. inf. de tironibus*, & *l. 2. inf. de Protostasia*. *Turmarii* erant, qui turmas Tyronum exigebant: qua turmarum appellatione hac in re vtitur *lex 8. inf. de Tyronibus*. *Inter optimas lectissimorum militum* TVRMAS *neminem e numero seruorum dandum esse decernimus*. *Temonarii* (de quibus adhuc dicetur *l. 7. inf. de tironibus*, & *l. 14. inf. de extraord. munerib.*) erant, qui non quidem ipsas tironum turmas seu tironum corpora exigebant, verum pretium seu aurum tironicum pecuniamque vice tironum *d. l. 7. inf. de tironibus*: vt quis inducatur facile, vt credat, *Temonarios* dictos ἀπὸ τῆς τιμῆς: qui Timonarii potius dicendi fuissent. De *Capitulariis* videndum est: *lex* nostra eosdem facit cum Turmariis, & tamen Symmachus *lib. 9. Epist. 10. Capitularios cum* Temonariis (vt nos explicamus) eosdem facit. *Postulant*, inquit, *Capitulari* TAXATIONEM TYRONIS *ab hominibus meis, nulla super hoc publicæ authoritatis monumenta pramentes*. Et certe *Temonarios* eusdem & Capitularios vocari, aperte ostendit *lex 14. 15. 18. inf. de extraord. munerib. Temonis*, inquit, *siue Capitulatuera*: Item *Capituli atque Temonis necessitas*. Denique *lex 14. totius Capitulariæ, siue, vt rem quam volumus intelligi communi designatione signemus, Temonariæ functionis fieri iubemus exortes*. In eam sententiam inclino, & quidem istorum quoque verborum argumento, *Totius Capitulariæ*, Capitularios, seu Capitulariam, generis nomen obtinuisse: eaque appellatione & Turmarios & Temonarios comprehensos. Nam & Tyrones ipsi *Capita* dicebantur. De quibus perperam accipitur a nonnullis hic Am. Marcellini locus *lib. 17. c. 3. Quia igitur plurimæ gentes vi maiore collaturæ capita sperabantur dolum bellorum comectans sobrius Rector magnis curarum molibus stringebatur*. Eo quippe loco Marcellinus vult timorem fuisse, ne Barbaræ Gentes iunctæ ingruerent. Quare & qui pro capitibus aurum exigunt, Capitularii non minus dici possunt. Nam & ita κεφαλαιῶται in *l. 6. inf. de Patrociniis vicorum*, dicuntur, qui tributum capitis exigunt, & in *veteri Lexico tributum Capitulare* ἐπικεφάλαιον φόρος. Et hi tamen κεφαλαιῶται, cum Capitulariis nil commune habent, quos tamen Viri docti commiscent.

Postrema immunitas est a *Censuali professione*. Nempe filios Palatinorum & seruos ex castrensi peculio adquisitos (de quo peculio *l. vlt. inf. hoc tit.*) si non fuerint nexi censualibus voluminibus, censibus adscribi non debent: imo ne Adcrescentium quidem loco, quasi deficientium loco, olim subrogandi. De quibus adcrescentibus in argumento seu re censuali, *l. 7. inf. de censu siue adscriptione*: *l. 6. & 7. inf. de tyronibus*.

P.539 IV. (a) Idem A. ad Iulium Verum (b) Vicarium Italiæ. (c)

PALATINIS nostris, qui ob spectatum laborem otio donati sunt, sub obtentu pensitationum, (d) quæ repræsentari consuerunt, tolerantia munerum sordidorum atque indigni oneris quorundam temeritate inponitur. Quod facinus, licet grauiore pœna plectendum est, tamen ita volumus emendari, vt Grauitas Tua ex Officio (e) Rationum æris speciem postulet, & in tabulas ei (f) formatæ Legis huius apices inprimat, vt si quid tale sustineant, ad eas ilico, quasi ad præsentia remedia, perfugiant, atque ab intentato onere liberentur. PP. Id. Mart. Crispo II. & Constantino II. CC. Consulib. [321.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Iulius Verus* Vicarius Italiæ sub Constantino M. *IDEM.*

(c) De *Vicario* Italiæ vide *Notitiam*. *IDEM.*

(d) Pensitationes quæ repræsentari consueruntr, sunt canonicæ illationes. *IDEM.*

(e) *Rationalis* officium nota. *IDEM.*

(f) *vt. efformata*. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

QVARTA hæc Constantini M. de priuilegiis eorum qui in sacro Palatio militarunt, constitutio est, in eodem argumento de IMMVNITATE Palatinorum, otio donatorum seu militia persunctorum. A sordidis scilicet muneribus immunes eos esse iubet Constantinus M. de quibus sordidis muneribus *suo tit. inf. lib. 11.* pariter vt Valentinianus *l. 8. inf.* Etsi a solemnibus pensitationibus seu canonicis & ordinariis annonis & tributis immunes non sint: quæ *hac l.* vocantur *pensitationes, quæ repræsentari consuerunt*: id est de more solemni præstari. Quo fine, & enixo in id studio suo testando iubet Constantinus M. hanc *leg.* suam æreis tabulis incidi, atque adeo publice proponi, & quidem per Italiæ diœcesin in sp. *huius leg.* a Vicario Italiæ: vt ita Palatini, si quando sordida munera his imponantur, ad eas tabulas, quasi ad præsentia remedia perfugiant, atque ita ab intentato onere liberentur: cuius quidem moris incidendarum in ære legum, vt alibi varia passim testimonia occurrunt, quibus has chartas onerare nil attinet, ita lex præterea *hoc Codice* leges videri possunt, *l. 2. inf. quemadm. mun. ciuil. l. 1. inf. de alimentis quæ inopes parentes*: *l. 1. inf. de veteranis*: *l. 4. in f. infr. de suariis l. vlt. de frumento vrbis Constantinopol. lex vn. inf. de iure Italico vrbis Constantinop.* Idque non generali tantum ratione ad perpetuam rei memoriam & obseruantiam, verum speciatim ad vim & iniuriam auerruncandam & priuilegiorum defensionem, vt in specie *dictarum legum*: Qui mus Constantino M. familiaris, vt iuxta hanc *leg.* docet *d. lex 1. inf. de alimentis quæ inopes*: *d. l. 2. quemadm. mun. ciuil. d. l. 1. de Veteranis*. Vna hac, hoc quasi Asyli genus in specie *huius l.* esse voluit Constantinus, ad tabulas inquam æreas, publice fixas, tanquam ad præsentia non modo remedia, sed vt sic dicam, quasi numina confugiendi, atque iniuria sese vindicandi: Hæc *lex* & eo quoque singularis est, quod ad Italiæ diœcesin pertinet, & Rationales Italiæ, qui in id speciem æris præbere iubentur.

V. (a) Idem AA. ad vniuerſos Palatinos.

AB his qui, poſt impleta officia fidelis obſequii, (b) Adminiſtrationes publicas meruerunt, conceſſa quidam (c) conantur priuilegia detorquere, (d) nec intelligunt faſtigiis promotionum in ſublime prouectos, ab immunitate legitima exui minime oportere: ideoque præcepimus, (e) vt Palatini noſtri expleto munere fidelis obſequii, cum ad dignitatum cumulos elati fuerint, nihil de conceſſis priuilegiis perdant, ſed incrementis (f) dignitatum vtilis augeatur immunitas. De qua re ad Præfectos Prætorio, & ad Præfectum Vrbis (g) ſcribta direximus. Dat. III. Non. Iul. Yſcoi, Ianuarino & Iuſto CONSS. [328.]

N O T Æ.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFREDVS.*

(b) De hac *Obſequii* voce ſemel dixi ad *l.* 12 *ſup. de Palatinis S. L.* *IDEM.*

(c) Sic & *l.* 4. *ſup.* quorundam, & intelligit Exactores, id genus homines. *IDEM.*

(d) *Detorquere*, eſt auferre, extorquere, *eruere* vt mox: Sic & detorquere commodum ſententiæ latæ, terrore appellationis: *l.* 6 *quorum appell.* *IDEM.*

(e) *γρ.* *præcipimus*: errore paſſim *hoc Codice* admiſſo. *IDEM.*

(f) De hac *Incrementorum* voce dixi ad *l.* 12. *inf. de Medicis & Profeſſorib.* *IDEM.*

(g) Romæ: nam neque hoc adhuc tempore vllus Præfectus vrbis Conſtantinopol. erat. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

P 240 QVINTA hæc Conſtantini M. conſtitutio eſt de priuilegiis eorum qui in palatio militarunt, eodem ſenſu quo *lex 3. ſup. verſ. nam beneficiis: lex 1. ſup. de Primicerio & Notariis: lex 2 & 3. ſup. de Decurionibus & ſilent. l. 11. ſup. de proximis:* puta vt ex-Palatinis priſtina conceſſaque priuilegia & immunitates legitimæ conſtent, competantque: etſi poſt impleta Palatinorum Officia Adminiſtrationes publicas meruerint, etſi faſtigiis promotionum in ſublime prouecti fuerint, etſi ad dignitatum cumulos elati fuerint: denique vt incrementis dignitatum vtilis augeatur Immunitas: Quæ omnia eleganter dicuntur *hac l.* quæ inter omnes in eodem argumento verſantes elegantiſſima eſt. Tribonianus tamen conciſam *legis 3. ſup.* ſententiam & regulam, hac abdicata, prætulit: ad cuius explicationem vt ex ceteris legibus ſuperius laudatis, ita ex hac quoque ſpecies & exemplum apponi poteſt. Illud etiam ſingulare, quod Conſtantinus *ſine legis* addit, de hac Palatinorum immunitate, & ad Præfectos Prætorio, & ad Præfectum Vrbis ſcripta, a ſe fuiſſe directa: ad Præfectos Prætorio. ideo ſcilicet, quia ad eos rei tributariæ & functionum publicarum cura pertinebat: ad Præfectum vero vrbis ideo, quia hic dignitatum cuſtos erat, quod vt aliæ complures *leges* hoc libro docent, ita & *lex 7. & 9. inf. hoc tit.* quæ ideo Præfectis vrbi inſcribuntur.

Hinc interim colligitur, plures iam hoc tempore Præfectos Prætorio fuiſſe: De quo obiter ſciendum, quatuor Præfectos Prætorio non a Conſtantino M. primum inſtitutos, quidquid Zoſimus ſcribat, verum ex Tetrarchia Imperatorum & Cæſarum qui Conſtantinum præceſſere, fluxiſſe: quorum quiſque ſuum & peculiarem Præfectum Prætorio habuit, & quorum omnium potentia in vnum tandem Conſtantinum ceſſit: & ſic quatuor Præfectos prætorio a Conſtantino ſeruatos: de quo *in Apolytico noſtro.* Singularis *huius leg.* ſubſcriptio hic notanda. Dicitur ea ſcilicet data Yſcoi, nempe Conſtantinus M. hoc tempore verſatus in Dacia Ripenſi, quæ Οἶσκος Triballorum Ptolomæo *lib. 3. c. 10.* Eſco vocatur in *Itin. Peutinger.* ab *Eſco* ſeu *Oiſco* fluuio: Oeſcon in *Itinerario Antonini*: Oeſce, in *Notit. Imper. fol. 105.* Certe Chronici Alexandrini Auctor his Coſſ. diſerte ſcribit, Conſtantinum ſæpe Danubium traieciſſe, pontemque illi lapideum impoſuiſſe. Neque dubito hoc tempore, & anno ſequente 329. Conſtantino M. rem fuiſſe cum Gothis & cum Taifalis nominatim, qui Taifali trans Yſcoum & Danubium ſiti erant.

VI. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. Haue (b) Anthemi (b) Kariſſime nobis.

MIRATI admodo (d) ſumus, te non conſideratis priuilegiis Palatinorum, quoſdam ex eorum numero Suſceptoribus velle coniungere, cum id minime Legis † noſtræ ſententia comprehendat: & cetera. Dat. XIII. Kal. Octob. Aquileia, (e) Diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungendæ autem illi forte *lex vn. inf. de priuilegiis Apparitorum Magiſterii poteſtatis: lex 2. ſup. de officio Rectoris prouinciæ: lex 21. inf. de curſu publico.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Haue abeſt a *MS.* *IDEM.*

(c) Ita quoque *d. l. 2. ſup. de off. Rectoris prouinc.* & *l. 2. Cod. Iuſt. de conditis in publ. horreis*: Sed ſcribendum *Arthemi*, vt præter ſuperiores *leges*, docet hoc ipſo Anno *lex 6. & 7. de pœnis.* Fuit vero hic Corrector Lucaniæ & Brittiorum: de quo ad *d. l. 2.* MS. habet *Artemi.* *IDEM.*

(d) *γρ.* *admodum*, *admodum.* *IDEM.*

† *Lex* hæc Valentiniani non exſtat. *IDEM.*

(e) Acc. XV. Kal. Nouemb. Salerni, *d. l. vn. inf. de priuil. Apparit.* *IDEM.*

COM-

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris tres constitutiones sequuntur, *de priuilegiis Palatinorum:* Ex quibus apparere potest, quonam is animo *erga Palatinos suos* comparatus fuerit. Prima hæc pars est prolixioris Valentinianeæ constitutionis ad Artemium Correctorem Lucaniæ & Brittiorum, vt ex illis *legibus* patet, quas huic *in Notis* coniungendas dixi: qua quidem eum in viam reuocat in nonnullis errantem: & hoc quidem *huiusce leg.* capite apertissime: *Mirati admodum*, inquit, *sumus, te non consideratis priuilegiis* &c. Idque quod abuteretur *Lege* aliqua Valentiniani, vt ex *fine l.* discimus, generali, vt videtur, de *Susceptoribus* creandis. Et sane etiam inter cætera eius constitutionis, vnde hæc desumpta est, capita, fuit illud, & vel potissimum, quod ea definitum fuit, ex quonam hominum genere Susceptores (de quibus *suo tit. inf. lib. 12.*) creari possent, qui contra ab hac nominatione immunes essent. Ergo Palatinos & *hac l.* & *d. l. vn. infr. de priuil. Apparitorum Magisteria potest. tis*, a Susceptorum munere omnino immunes esse iubet. Id quod etiam repetitum ab eo postea, *l. 4.* & *5. inf. de susceptoribus*, quæ eiusdem Valentiniani sunt, datæ Anno prox. 365. ita quidem, vt *dicta lex 5.* ex *hac leg.* & *d. l. vn.* mutuata sit. In commune alioquin idem Valentinianus Palatinos a muneribus debitis, patriæ seu Curiæ, immunes haberi voluit, *l. 67. de Decurionibus.*

P. 241

VII. (a) Idem AA. ad Prætextatum PV. (b)

OMNES, qui intra Consistorii secreta veneranda Notariorum (c) funguntur officio, quique in Scriniis (d) militant, quique inter Agentes (e) in rebus plenum (f) vigiliarum munus exercent, Admissionales (g) etiam, & qui sub Castrensi (h) officio, siue Comitatensibus siue Priuatis largitionibus (i) obsecundant, cum pro merito probitatis & fidei, accessu istius fuerint splendoris (k) ornati, constetque (l) eos tunc temporis honoratos (m) cum a palatinis mitterentur obsequiis, a primis (n) quibusque gradibus vsque ad Perfectissimatus (o) ordinem, tametsi Prosecutoriarum adiumenta non habeant, prærogatiua concessi honoris vtantur: *Comitibus* autem, (quorum iam celsior (p) locus est) & Tribunis, (q) ita demum prosit Allectio, (r) si sacra ad Vrbanæ officium Præfecturæ scribta pertulerint, quibus eorum vita laudetur. Hæc peculiariter Romæ seruentur, vt habito loci honorisque delectu, habito etiam virium fortunarumque discrimine, & laboribus singulorum congrua præmia rependantur, & hi ad impetratam Adlectionem pertineant, quos post gloriosum laborem exhauriri *Senatoriis sumptibus* non oportet. Dat. XIV. Kalend. Dec. Triueris. Acc. IV. Id. Decemb. Lupicino & Iouino CONSS. [367.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Prætextatus* P. V. Romæ sub Valentiniano Sen. A. D. 367. 368. vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) De *Notariis*, vid *tit. 10. sup.* IDEM.

(d) De militantibus in *scriniis*, vid. *tit. 26. sup.* IDEM.

(e) *De Agentibus* in rebus, *tit. 27. sup.* IDEM.

(f) Agentes plenum vigiliarum munus exercere dicuntur, v. *Paratitl. de Agentibus.* IDEM.

(g) *De Admissionalibus* quoque: *l. 3. sup.* & *l. vn. qui a prabit. Tyronum.* IDEM.

(h) De *Castrensianis*, vid. *tit. 32. sup.* Porro est qui *hic* tentat *Castrensis:* vel ita, & *qui sub Castrensi, & qui in officio suis Comitatensium siue priuatarum largitionum.* Quo nil opus; *Sub Castrensi officio*, id est, Castrensiano. IDEM.

(i) De *Palatinis S. L.* & *R. P.* vid. *tit. 30. sup.* IDEM.

(k) *Adlectionis* splendorem intelligit, vt ex *vers. Comitibus*, & ex *fine leg.* discimus. Hinc interim apparet, hanc *legem* truncatam a Triboniano exhiberi. IDEM.

(l) *Constiteritque.* IDEM.

(m) Auctos honore, dignitate. IDEM.

(n) Id est, primus in quaque schola. IDEM.

(o) *Perfectissimatus* ordo vltimus: & ideo *titulus* quoque de eo, *huius libri vltimus.* IDEM.

(p) Quam Perfectissimorum. IDEM.

(q) *Tribuni.* IDEM.

(r) De *Adlectione*, & Adlectis dixi ad *l. 10. sup. de Prætor.* IDEM.

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc Valentiniani Sen. Constitutio est, *de priuilegiis eorum qui in sacro palatio militarunt:* cuiusmodi septem hic memorantur inter Consulares Adlectorum, quoad *Immunitatem a Senatoriis* sumptibus seu functionibus. Quæ vt intelligatur, tria prænoscenda sunt, quæ *hic* clare non proponuntur, sed præsupponuntur: & prius quidem expressum quoque fuerat in integra constitutione, vnde hæc *lex* desumpta est: vt docent illa, relatiua ad anterius quid, *accessu* ISTIVS *fuerint splendoris ornati*, quæ *hic* non habent, quo referantur.

Igitur primo præsupponendum est, in genere Palatina militia rite functos *Adlectionis* honore seu splendore donatos id est, inter Senatores ita adlectos, Senatoria dignitate decoratos, vt tamen a Senatoriis sumptibus immunes essent, quod vt vel ex *hac l.* discimus, ita latius probauimus *ad l. 10. sup. de Prætoribus:* ac nominatim Notarii hoc Adlectionis honore donari *h. l.* in scriniis militantes *h. l.* & *l. 19.* & *vlt. sup. de Palatinis S. L. l. 7. 8. sup. de proximis.* Agentes in rebus *h. l.* & *l. 5. 6. sup. de Agentibus: l. vlt. sup. de Senatoribus.* Admissionales, *h. l.* Palatini S. L. & R. P. *h. l.* De cæteris vid. ad *d. l. 10.*

Secundo notandum est ex *h. l.* Palatinos ex Palatio

tio exeuntes modo cum hoc modo eum illo Dignitatis gradu exiſſe: vel enim a primis quibuſque gradibus ad Perfectiſſimatus ordinem conſcendebant: ſic vt viri Perfectiſſimi dicerentur. Quod oſtendit quoque *Breuis Dignitatum*, qui continetur *l. 7. ſup. de Palatinis*; de qua *Perfectiſſimatus* dignitate erit *inf. tit. pen. huius libri*, vel celſior locus his conferebatur, puta Comitum & Tribunorum, non tamen per gradus.

Tettio ex *hac l.* diſcimus, Palatinos ex Palatio exiſſe, modo cum Proſecutoriis ſeu Principis ſcriptis, quibus etiam eorum vita laudabatur, modo ſine Proſecutoriarum adiumentis. *Proſecutoriæ* ſcilicet erant ſacra ſcripta, ſeu Principis literæ, quibus exeuntem & proficiſcentem Princeps proſequebatur, ſeu quibus vita eius laudabatur, cui dignitas conferebatur. Alio ſenſu proſecutoriæ, *l. vn. inf. de auri publici proſecut.* De his vero Proſecutoriis & illud ex *h. l.* diſcimus, has Proſecutorias ad Præfecturæ vrbanæ officium directas, ſeu ad Præfectum vrbis Romæ emiſſas: cuiuſmodi etiam fuit Prætextatus P. V. cui hæc *lex* inſcribitur. Nempe ideo quia Præfectus Vrbi Dignitatum omnium cuſtos erat, quod paſſim *hoc libro* oſtenditur: docuit & *lex 5. ſup.*

His ita præcognitis, de *huius leg.* ſententia videndum eſt. Igitur Valentinianns Imp. *hac l.* eum frequentibus illis quas dixi Adlectionibus, ſeu Immunitatibus, quæ Palatinis paſſim e Palatio exeuntibus dabantur, Senatoria Romæ onera, ſenatorios ſumptus euitari videret, quæ ſcilicet Senatoribus p.241
alioquin incumbebant, in quibus Præturæ onus, de quo *tit. 4. huius libri*, modum huic rei adhibendum putauit: hac diſtinctione facta; puta vt his Adlectionis honos ille, ſeu immunitas a Senatoriis ſumptibus etiam ſine Proſecutoriis prodeſſet, qui a primis gradibus vſque ad Perfectiſſimatus ordinem conſcendiſſent: illis vero qui celſiorem locum Comitum aut Tribunorum conſcendiſſent, non aliter Adlectionis honos prodeſſet, & ſic non aliter a Senatoriis oneribus ſeu ſumptibus immunes eſſent, quam ſi Proſecutorias huiuſmodi ad Præfectum vrbi, quibus eorum vita laudaretur, pertuliſſent: Scilicet Palatini, qui ad Perfectiſſimatus gradum perueniebant, per gradus eo enitebantur, vt hæc *lex* diſerte teſtatur: teſtatur etiam *lex 7 ſup. de Palatinis*, vbi iam dixi AtComitum & Tribunorum dignitas ſæpe dabatur iis qui gradus militiæ non emeriti fuerant, non poſt glorioſum laborem, verum per ambitionem tantum & gratiam ſeu ſuffragia, ad euitandos tantum ſumptus Senatorios, quibus ipſi maxime idonei erant pro modo virium fortunarumque. Quæ omnia colligere eſt ex vltima *huius l.* ſententia. Vt igitur his poſtremis Adlectionis honos prodeſſet, proſecutoriis opus erat, quibus eorum vita laudaretur, etſi non per gradus tranſacta, glorioſe tamen peracta.

VIII. (a) Idem AA. ad Probum PP. O. (b)

CIRCA Palatinos noſtros quies inlibata permaneat, quo intellegant cuncti, ne (c) Officia impunitum (d) habere, nec Iudices, ſi inquietentur hi, quibus, poſt documenta fidelis obſequii (e) ſub noſtris acta conſpectibus, (f) plena eſt impertienda tranquillitas. Dat. III. Kal. Sept. Briſiaci, (g) Valentiniano Nobiliſſimo Puero & Victore CONSS. [369.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Probus* PP. ſub Valentiniano Sen. v. *Proſopogr.* IDEM.

(c) *vt. Nec.* IDEM.

(d) Impunitum habere. IDEM.

(e) De hac *Obſequii* voce ſemel dixi ad *l. 11. ſup. de Palatinis S. L.* IDEM.

(f) *Palatinorum* definitio vel deſcriptio; ſunt ſcilicet ii, qui ſub Principis aſpectibus fidelis obſequii documenta edunt, ſeu agunt. v. *Paratitl.* IDEM.

(g) *Briſiaci* hoc tempore conſtitit Valentinianus: de quo vide, quæ plene dico in *Chronico noſtro Theod. ad Annum* 369. Huius quoque mentio in *vtroque Itinerario.* IDEM.

COMMENTARIVS.

TERTIA hæc Valentiniani Sen. conſtitutio eſt de priuilegiis eorum qui in palatio militarunt: ac nominatim de Immunitate a ſordidis & extraordinariis muneribus: de qua immunitate ad *l. 4. ſup.* id enim eſt quod *inquietandi* verbo, item per *quietem inlibatam*, & *plenam tranquillitatem* indicatur: & colligere etiam eſt ex eo quod Iudicibus & officiis pœnam comminatur Valentinianus: eo quod per horum iniuriam, ad ea onera Palatini vocabantur. Eſt vero hæc *lex* eo nomine ſingularis, quod BRISIACI ea data dicatur, vbi tum Valentinianus conſiſtebat, de quo conſule quæ in *Chronico noſtro* plene diximus in *A. D. 369.*

IX. (a) Imppp. GRATIANVS, Valentinianus, & Theodoſius AAA. ad Arborium P. V. (b)

OMNES, qui e palatio ſacro, vel priuilegiis (c) ambiuntur, vel prouinciali Adminiſtratione (d) donati ſunt, nullis volumus conuentionibus fatigari. Quiſquis igitur Agentem (e) in rebus, aliumve Palatina dignitate ſubfultum, qui vel poſt adminiſtratam prouinciam Honorati (f) auctoritate fulcitur, vel Teſtimonii noſtri adſertione confidit, frequenter (g) ſuper dignitate ſua interpellatione pulſauerit, (h) quinque librarum auri inlatione tenebitur. Dat. XV. Kal. Mart. Triberini, (i) Gratiano V. & Theodoſio I. AA. CONSS. [380.]

NOTÆ

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Arborius* P. V. Romæ sub Gratiano & Valentiniano Iun. A. D. 380. quo ipso Anno inscribitur ei quoque *lex* 16. *inf. de pistoribus.* IDEM.

(c) Testimonio Principis, *in fin.* IDEM.

(d) Vid. *l.* 3. & 5. *sup.* IDEM.

(e) De Agentibus in rebus *l.* 3. 7. *sup.* & *l.* 14. *inf.* IDEM.

(f) De *Honoratis* dixi semel ad *l. vn sup. de officio Iudicum ciuilium.* IDEM.

(g) Vox hæc, vt videtur, vitium sonat. forte, *nequiter*: vel *frequente.* IDEM.

(h) De *Pulsandi* voce hac vid. *Gloss.* sic & *l. prox. verum etiam leui saltem commonitione pulsandum.* IDEM.

(i) *γρ. Triberis:* Certe fuit hoc tempore Gratianus Imp. in Gallia Treuiris: *v. Chronol.* An. 380. Et vero ita expresse habet MS. *Triberini*; pariter vt *l.* 1. *sup. de Princip. agent.* IDEM.

P. 243

COMMENTARIVS.

GRATIANI Imperatoris hæc *lex* videtur, si modo *Tribermum* in subscriptione *legis*, Treuiria est, vbi Gratianus hoc anno 380. agebat. Certe ita quoque *Triuermum* subscriptum *l.* 1. *de Princip. Agent. in reb.* quanquam MS. vtrobique habet *Triuerim*, & *Triberim.* Si tamen quis a Treueri alium locum putet, tum in Liguria vel Rhetia quærendus videatur: vbi tum Valentinianus Iun. erat. Quod si ita est, tum hæc lex VALENTINIANO Iuniori tribuenda videatur: Nam quod inscriptionem *huius leg.* attinet, quæ data est *ad Præfectum Vrbi*, exinde in neutram partem iudicium fieri potest: quia in diuisione Imperii *Vrbs Roma* inter Gratianum & Valentinianum communis fuit. Est vero & hæc *lex* de Palatinorum IMMVNITATE a muneribus: de qua iam toties *supra.* Hæc speciale id habet, quod immunitatem hanc quoque tribuit administratione donatis, seu post administratam prouinciam, pariter vt *l.* 3. & 5. *sup.* Item iis qui priuilegiis ambiuntur, seu vt mox dicitur, Testimonii Principis adsertione confidit, id est, prosecutoris, de quibus *l.* 8. *prox. sup.*

X. (a) Idem AAA. ad Probum PP. (b)

RECTORES prouinciarum inlicitum esse cognoscant, quemquam qui e Palatio gloriosa administratione perfunctus, seu vacatione donatus sit, vlli necessitati extra ordinem subiugandum: præterquam (c) semel ad professionem proprii laboris non modo vlla conuentione cogendum, verum etiam (d) leui saltem conmonitione pulsandum. Quod si quis iudex hoc præceptum temerare contenderit, eius Officium, penes (e) quod culpam neglectæ iussionis hærere manifestum est, quinque librarum auri condemnatione multandum est. Dat. V. Kal. Iul. Aquileia, (f) Gratiano V. & Theodosio I. AA. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Probus* PP. sub Valentiniano Iun. Italiæ, Illyrici, Africæ, v. *Prosopogr.* IDEM.

(c) Locus corruptissimus: eum sic interea restituam: *Propereaque senem vt inf. l. prox. senes debiles,* &c. IDEM.

(e) *Verum etiam ne leui*, &c. IDEM.

(e) Officium enim Iudicum, Leges Iudicibus suggerere tenebatur. IDEM.

(f) *Aquileia* Valentinianus Iun. hoc tempore constitit; vbi data hoc ipso anno *lex* 10. *de murilegulis.* IDEM.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iun. hæc constitutio est, de IMMVNITATE Palatinorum ab extraordinariis muneribus, in eandem sententiam, qua plures iam e superioribus, eademque pœna proposita, quæ *l. prox.* 9. *sup.* Iudici & officio: Officio, inquam, *si penes eum culpa neglectæ iussionis hæserit.* Quod tralatitium: Officii quippe partium erat leges Iudicibus suggerere, easque transgredientibus obsistere; quod innumeræ leges docent, etiam *lex* 8. *sup.* Sed & illud singulare habet hæc *lex*; quod hanc immunitatem tribuit, non tantum Palatinis gloriosa administratione perfunctis, verum etiam vacatione donatis: puta ob senium & debilitatem, *l.* 11. *prox.*

XI. (a) Idem AAA. Eutropio PP. (b)

AB omnibus ex Aula nostra decedentes viri iniunctis (c) habeantur inmunes, (d) Numerariorum fastus, vel rapaces quæstus, tamquam experientes, & idonei, potiantur: nec post emeritam missionem ad ministeria senes, debiles seu vacantes, obliterata laboris exacti consideratione, reuocentur. Dat. III. Non. Feb. Constantinop. Eucherio & Syagrio viris clarissimis CONSS. [381.]

NOTAE.

(a) *Lex* 3. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Eutropius* PP. Orientis sub Theodosio M. A. 380. 381. v. *Prosopogr.* ad hunc extant *duæ* Gregorii Nazianzeni *epistolæ* 137. 138. IDEM.

(c) *Iniunctis*

(c) *Iniuncta* sunt onera seu munera quæ iniungi solent. *IDEM.*

(d) Locus corruptus. Repono, *immunes: nec Numerariorum, &c. patiantur.* Proxime Cod. Iust. *Numerariorumque &c. non patiantur. IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. duæ constitutiones sequuntur, de priuilegiis Palatinorum; ex quibus apparet, quo animo erga Palatinos suos fuerit. Et est hæc *lex* de Immunitate eorum qui e Palatio exierunt, ab omnibus muneribus & vt *h. l.* dicitur ab omnibus *iniunctis*: vbi primo singulare est, quod de Numeratiis addit: pariter vt Anno superiora circa Notarios, *l. 1. sup. de Primicerio & Notar.* Ad Numerarios scilicet pertinebat munerum iniungendorum, P.244 quod *h. l.* & *d. l. 1.* indicatur, illud, quod Numerarios fastu & rapacitate famosos fuisse ait: de quo ad *l. 4. 6. 7. 11. inf. tit. de numerariis.* Sed & Tertium *hic* singulare, quod Theodosius colori seu prætextui occurrit: nempe quod Palatio digressi viderentur ad munera vocandi tanquam experientes & idonei. Verum hunc colorem sic diluit; Quamlibet scilicet experientes sint & idonei, attamen senes ferme, debilesque Palatio digredi, post multos labores iam vacantes. Quod de senibus iam etiam docuit Valentiniani Iun. constitutio superior, prout eam restituendam censeo. Idem proinde Theodosio M. animus hac parte erga Palatinos suos fuit, qui Gratiano *l. 9. sup.* & Valentiniano Iun. *d. l. 10. prox. sup.* suis in Imperio Collegis.

XII. (a) Idem AAA. ad Cynegium (b) C. S.L.

QVOSCVNQVE Palatinæ militiæ officiis deputatos per decem annorum spatia quisquam ad Ordinem (c) sibi debitum repetere cessauerit, postea super petitione personæ agere nihil poterit. Dat. III. Non. Mar. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino viris clarissimis CONSS. [383.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFR.*

(b) *Cynegius* Comes S.L. sub Theodosio M. A. D. 383. quo ipso ad eundem data est *lex 97. inf. de Decurionib.* vbi agitur de Diœcesi Ægyptiaca. Hic mox PP. factus: v. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) *Ordo*, id est, Curia: v. *Paratitlon de Decurionibus.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE Immunitate Palatinorum a CVRIA est hæc secunda Theodosii M. de Palatinis *hoc titulo* constitutio: superior fuit de priuilegiis Palatinorum palatio digressorum, munereque liberatorum; hæc de priuilegio Palatinorum adhuc militantium. Nempe, cum multi ex vario hominum genere, variisque ex corporibus quibus nexi erant, ac nominatim Curiali conditione nexi, ad Palatinam militiam adspirarent, mox ibi militantes a corporibus & Curiis nominatim reposcerentur & retraherentur, certas temporum metas, certi temporis præscriptionem huic rei figendam credidit Theodosius M. Hanc vero in rem sunt præterea *lex 22. inf. l. 31. 38. 67. 88. 100. 147. 184. inf. de Decurionibus.* Vt vero varietus hoc habitum, ita Decennii præscriptionem hac in re probat Theodosius M. *h. l.* Quinquennii placuit, Constanti, *d. l. 31.* seu *l. 1. inf. de Tabulariis:* & Constantio, *d. l. 38.* Triginta vero annorum, sublata quinquennali Valentiniano Iun. *d. l. 88.* Quindecennali, Theodosio Iun. *l. 14. inf.* vt & Constantio in sp. *l. 5. inf. de diuersis offic.* Certe Ambrosius quoqua *ep. 40. num. 29. ed. Benedict.* ad Theodosium M. *huius l.* auctorem scripta A. D. 393. author est sub Theodosio M. cum Clerici etiam per 30. & innumeros annos Presbyteri quidam gradu functi vel ministri Ecclesiæ retraherentur a munere sacro, & Curiæ deputarentur, *eos qui Principi militarent*, CERTO MILITIÆ TEMPORE *seruatos*, id est, liberatos, excusatos.

XIII. (a) Imppp. VALENTINIANVS, & Theodosius & Arcadius AAA. ad Pinianum (b) P.V. (c)

OMNES, qui in Palatio militando diuersis actibus paruerunt, secundum Legem + Domini Germani (d) Nostri, in tantum eius dignitatis, (e) cuius meruerint missionem, optinere norint insignia, vt his omnibus præferantur in ordine atque consessu, qui posteriore tempore regendas prouincias dignitatesque susceperint Palatinas. Hoc (f) autem generale decretum si quisquam temeraria vsurpatione violare temptauerit, sacrilegii (g) reus legibus censeatur. Dat. prid. Non. Iul. Med. Acc. IV. Kal. Sept. Honorio NP. & Euodio CONSS. [386.]

NOTAE.

(a) *L. 4. Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Pinianus* P. V. Romæ sub Valentiniano Iun. Eidem inscribitur quoque Anno 387. prox. *lex 13. infr. de Medicis & professorib.* & *lex 4. sup. de Princip. agentium.* vid. *Prosopogr.* Male hic Codices Iustinianei nonnulli præferunt *ad Octauianum.* *IDEM*

(c) *Præfecto vrbi* hæc *lex* inscribitur, quia is dignitatum custos & vindex fuit: de quo iam sæpe. *IDEM.*

+ Gratiani constitutionem intelligit: de qua mox. *IDEM.*

(d) Gratiani. *IDEM.*

(e) Actu

(e) Actu ipso scilicet. *IDEM.*

(f) *Si quis autem temeraria usurpatione statuta violare tentauerit, sacrilegii pœnam sustineat:* ita Tribon Cod. Iust. *IDEM.*

(g) *Sacrilegii* pœna hac in re ipsa eiusdem Imp. *l. 2. sup. vt Dignit. ordo:* vbi dixi plene de hac sacrilegii voce & pœna. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

P. 245 ALTERA hæc *hoc titulo* Valentiniani Iun. de Palatinorum priuilegiis constitutio est: Istius hæc sententia est: Palatinos HONORARIIS alicuius Administrationis seu Dignitatis Codicillis ornatos, in ordine & consessu præferri his debere, qui posterius eandem prouinciæ administrationem, vel dignitatem reuera seu actu susceperunt: Quod magnum est Palatinorum priuilegium, cum alias regulariter in negotio Præcedentiæ codicillatii seu honorarii tempore licet priores, in actu constitutis ἐμπράκτοις cedere soleant, licet tempore posterioribus. Verum, vt dixi, priuilegium seu προνόμιον istud datum Palatinis a Valentiniano Iun. *hac leg.* Idque quod ipsemet profitetur, secundum legem fratris Gratiani: Quæ illa constitutio Gratiani est, quam ante quinquennium dedit A. D. 381. ad Valerianum P.V. cuius partes sunt *lex 5. sup. de honorariis Codicillis: lex 2. sup. de proximis: lex 2. sup. de Primicerio & Notariis:* Quæ in genere definiuit, quando honorarii ἐμπράκτοις cedere debeant: & nominatim Palatinos licet Honorarios, in actu positis tempore posterioribus præferri oportere constituit, quod omnes illæ *leges* docent: Ad quas dicta huc arcessi possunt.

XIV. (a) Impp. Honorius, & THEODOSIVS AA. ad Asclepiodotum PP. (b)

QVI intra nostra Scrinia, (c) vel + Agentum (d) in rebus, vel Palatinorum (e) tam Comitis largitionum, (f) quam Comitis priuatarum, vel Apparitionis amplissimæ Præfecturæ prætorianæ sacramenta se deuouerit, & quindecimi (g) in transcursu curriculo nulla fuerit a Collegis (h) conuentione pulsatus, (i) adsumpti cinguli honore lætetur, nec emessa (k) militia relictæ originis inuidia quatiatur. In *Cohortalinorum* autem militia prædicta (l) tempora propaganda censemus, non quod maiores (m) in ipsis Reipublicæ vires sint, quam in Curialibus (n) constitutæ, Sed quod non hisdem priuilegiis inferioris fortis homines debeant honorari; Ideoque decernimus, vt si in ea militia ad quam transire conati sunt, vigintiquinque annos singula (o) fortunæ suæ conuentione peregerint, & in officiis (p) sine inquietudine & intermissione permanserint, quibus se quamuis inlicite sociarunt, ipsi quoque securi sint, & a prioris condicionis macula liberentur. Liberos * autem Curialium vel Cohortalium (q) quandoque susceptos, siue ante prærogatiuam & tempora (r) expressa præsumptæ militiæ, siue post decursa stipendia, originalem sequi condicionem oportet; Quoniam satis est, parentibus eorum vacationem a Nostra Clementia pro remuneratione fuisse concessam. Hæc autem Lex non ad illos pertinet, qui vel Curiis vel suis Officiis (s) per sententias Iudicum traditi sunt, quos quidem propriam necesse est cui addicti sunt, fortunam amplecti, sed ad eos de quorum condicione in iudiciis quæstio vertitur, vt datam (t) formam Cognitores obseruent. Dat. XV. Kal. Iun. Constantinop. Asclepiodoto & Mariniano CONSS. [423.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem illi *lex 28. inf. de Cohortalibus*: imo & *lex 184. inf. de Decurionibus*: quæ ex *h. l. versiculo, Liberos*; desumpta est. GOTHOFREDVS.

(b) *Asclepiodotus* PP. sub Theodosio Iun. A. D. 423. 424 425. vid *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) De his *sup. tit. de Magistris scriniorum* 11. & altero *de Proximis* 16. *IDEM.*

+ Hinc prioris Indicis Auctor perperam scrinia quædam Agentum in rebus faciebat, nam hæc & sequentia referuntur non ad *scrinia*, verum ad vocem *sacramenta*, infra. *IDEM.*

(d) De *Agentibus* in rebus fuit quoque supra *lex* 3. 7. 11. & *tit.* 27. sup. *IDEM.*

(e) De *Palatinis S. L. & R. P.* est supra *tit.* 10. *IDEM.*

(f) Sacrarum largitionum, quæ oppositæ priuatis. *IDEM.*

(g) γρ. *Quindecennii* (vt habet istud MS.) *transcursus curriculo.* *IDEM.*

(h) Collegæ sunt Curiales, vt docet *d. lex 28. inf. de cohortalibus.* *IDEM.*

(i) De *Pulsandi* voce, v. *Gloss.* *IDEM.*

(k) *Emessa*, pro *emensa.* *IDEM.*

(l) Quindecennii. *IDEM.*

(m) γρ. *Minores*? *IDEM*

(n) De quibus *supra.* *IDEM.*

(o) γρ. *Sine vlla.* *IDEM.*

(p) Palatinis. *IDEM.*

* Repetita hæc *huius l. pars l. 184. infr. de Decurionibus.* *IDEM.*

(q) Cohortalinorum, *d. l.* 184. *IDEM.*

(r) Decennii, quindecennii. *IDEM.*

(s) Cohortibus. *IDEM.*

(t) *Præscriptam*, supra. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris hæc *lex* eſt, quæ maioris Theodoſianæ conſtitutionis pars eſt, qua Valentinianea & ſimiles abrogantur, vt docet *lex 28. inf. de cohortalibus:* vnde deſumptæ ſunt *duæ* præterea hoc Codice *leges*, puta *d. lex 28.* & *lex 184. inf. de Decurionibus:* quæ proinde hnic coaſſandæ veniunt: imo quarum poſterior ex hac ipſa *lege* deſumpta eſt. Quæ quidem Theodoſii conſtitutio fuit non tantum de priuilegiis militiæ Palatinæ; ve-
P.246 rum etiam armatæ: Ergo ea conſtitutione definitum iuit Theodoſius Iun. an &. quo tempore *Curiales*, de quibus *ſuo tit. de Decurion. lib. 12. t. 1.* vel *Cohortales* de quibus *ſuo titulo 4. lib. 8.* eorumque *Liberi*, ſiue armata ſiue Palatina militia a Curiali vel Cohortali nexu liberentur: vbi rem ita diſtinguit. Vel quæritur de Curialibus & Cohortalibus, de quorum conditione in iudicio quæſtio vertitur. vel de his qui per ſententias Iudicum Curiis vel officiis ſuis traditi ſunt. Priore caſu diſtinguit inter ipſos Curiales & Cohortales, & inter eorum liberos: In illis ſeparat rurſum Curiales a Cohortalibus: ſcilicet, Curiales armata militia decennali a Curia liberari iubet *d. l. 28.* Palatina vero, quindecennali, *h. l. in pr.* (Quæ præſcriptio hac parte quam ſæpe variauerit, dixi ad *l. 12. ſup.*) Cohortales vero viginti-quinque tantum annorum militia Palatina, vel armata liberari nexu cohortali iubet *h. l. verſ. in Cohortalinorum* (qui in *titulum de Cohortalibus*, & nominatim quidem in *d. l. 28.* melius coniectus fuiſſet:) Addita differentiæ ratione inter Curiales & Cohortales. Non quidem, quod in Cohortalibus *minores* (ita enim forte legendum) Reipubl. vires ſint quam in Curialibus: verum quia inferioris ſortis homines ſunt Cohortalini, quam Curiales: Curialium ſcilicet aliqua dignitas fuit, vtpote in quibus proprie neruus vireſque Reipublicæ, velut in minore Senatu, conſiſterent, de quo *ſuo tit. de decurionibus:* & *ad l. vn. inf. de Perfectiſſ. dignit.* Cohortales vero nudi officiales Miniſtri, ſeu Apparitores Iudicum ſeu Rectorum prouinciarum, de quibus *ſuo titulo.* Et hæc de Curialibus & Cohortalibus. Atenim liberos eorum non ibidem paterna militia, ſiue armata ſiue Palatina liberari vult *h. l.* Theodoſius, *verſ. liberos*, qui repetitur *l. 184. inf. de decurionibus.* Idque indiſtincte, ſiue ii nati ſint antequam parens eorum tempus ſtatutum in Palatina vel armata militia expleuerit (quod minus dubium) ſiue poſt expletum, de quo magis dubitari poterat: Et hoc tamen caſu idem ſtatuitur: Cum alias ex præſenti parentum ſtatu liberi cenſeantur: ſic, vt euectis ad maiorem dignitatem parentibus, liberi quoque dignitate paterna potiantur, de quo dixi plene *ad l. 1. ſup. de Senatorib.* Et hæc de Curialibus & Cohortalibus, de quorum conditione quæſtio in iudiciis vertitur. Atenim Iudicum ſententiis Curiæ vel officiis addictos nullo tempore liberari vult Theodoſius Iun.

In *hac l.* & quidem *initio eius*, iſtud ſingulare, quod quæ de Palatinis *h. l.* ſtatuuntur, deque euitanda per Palatinam militiam Curiali, vel cohortali conditione, eadem ſtatuantur de Apparitione Ampliſſimæ Præfecturæ Prætorianæ; puta & eadem temporis præſcriptione Curialis, vel Cohortalis liberetur, ſi inter Apparitores Præfecti Prætorio militauerint. Palatinis igitur exæquantur Præfectiani (vt & alias Præfectura Prætoriana Imperatoriæ contigua fuit, & ἀπόρφυρος βασίλεια, eiuſque Miniſtri, vel apud eum agentes præcipuo iure habiti:) De quo ad *l. 4. & 8. inf. de diuerſ. officiis:* ad *l. 11. inf. de Numerariis l. 188. inf. de decurion. l. vlt. ſup. de Senatoribus:* v. & Caſſiodor. *VI. Var. 12.* vide & *titulum Codicis de Apparitoribus Præfectorum Prætorio, & priuilegiis eorum.* Tandem ſi hæc *lex* recte attendatur, componaturque cum *d. l. 28. inf. de cohortalibus*, apparebit, *huius Codicis* Conditoribus ſomnum non leuem irrepſiſſe, cum quæ de Cohortalinis *hic* occurrunt, in *titulum, de Cohortalibus* coniecta oportuerit: & ea ipſa quæ de Cohortalinis *hic* occurrunt, vt & de liberis Curialium & cohortalium: Tandem de his qui per ſententias Iudicum Curiis vel officiis ſuis traditi ſunt, non minus ad militiam Armatam, quam ad Palatinam pertineant,

XV. (a) Imp. Conſtantinus A. ad Seuerum P.V. (b)

OMNES Palatinos, quos Edicti + noſtri iamdudum certa (c) priuilegia ſuperfundunt, rem ſi quam dum in Palatio noſtro morantur, vel ſi (d) parſimonia propria quæſiuerint, vel donis noſtris fuerint conſecuti, vt caſtrenſe peculium habere (e) præcipimus: Quid enim tam ex caſtris eſt, quam quod nobis conſciis, ac prope ſub conſpectibus noſtris, adquiritur. Sed nec alieni ſunt a puluere & labore caſtrorum, qui ſigna noſtra comitantur, qui præſto ſunt ſemper actibus, quos intentos eruditis ſtudiis (f) itinerum prolixitas & expeditionum difficultas exercet. Ideoque Palatini noſtri, qui priuilegiis Edicti vti potuerint, (g) peculia ſua præcipua retineant, (h) quæ, dum in Palatio (i) conſtituti ſunt, aut labore, vt dictum eſt, proprio, aut dignatione (k) noſtra quæſiuerint. PP. X. Kal. Iun. Conſtantino A. VI. (l) & Conſtantio Cæſare CONSS. [326.]

NOTAE.

(a) *L. vn. Cod. Iuſt. de caſtrenſi omnium Palatinorum peculio.* GOTHOFREDVS.

(b) *Seuerus* hic, integro nomine *Acilius Seuerus*, fuit Præfectus vrbi ſub Conſtantino M. a pridie Non. Ian. A. D. 325. ad Idus vſque Nouembres A. D. 326. (quibus poſt eum Anicius Iulianus P. V. factus eſt) vt teſtatur *Notitia* Præfectorum vrbis vetus. Quo tempore aliæ plures eidem *leges* inſcribuntur, vid. *Proſopogr.* IDEM.

+ Edictum Conſtantini M. de Palatinis. IDEM.

(c) Alia plura. IDEM.

(d) Abeſt *ſi* a *Cod. Iuſt.* & vero *magis.* IDEM

(e) Retinere præcipua, *in f. leg.* IDEM.

(f) Et *eruditos ſtudiis.* Cod. Iuſt. Hoc noſtrum retinendum. IDEM.

(g) *Potuerunt*, Cod. Iuſt. male. IDEM.

(h) *Habeant*, ſupra. IDEM.

(i) *Noſtro*, add. Cod. Iuſt. IDEM.

(k) *Donatione*, Cod. Iuſt. Iſtud retinendum. *Dignatio* Principis, eſt eius liberalitas, munificentia, donatio, honos, vid. *Gloſſ.* Ambroſius etiam *ep. 1. ad Gratianum. num. 3. edit. Benedictin. pag. 751.* IDEM.

(l) Ita quoque Cod. Iuſt. ſed reponendum VII. nam Conſtantino A. VI. & Conſtantino Cæſare, id eſt, A. D. 320. non Seuerus, cui hæc *lex* inſcribitur, Præfectus vrbi fuit: Verum *Valerius Maximus*, vt præter leges alias *huius Cod.* teſtatur prædicta *vetus notitia.* IDEM.

COM-

P 547

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. hæc constitutio est, hoc loco præpostere collocata, nisi putemus, eam pariter vt *Cod. Iustinianeo*, hic positam fuisse, sub peculiari titulo, *de Castrensi omnium Palatinorum peculio*. Est ergo hæc constitutio, de CASTRENSI peculio Palatinorum. Nempe, Constantinus M. qui Palatinos aliis iam priuilegiis per Edicta sua mactauerat, vel, vt ipsemet ait, superfuderat, cuiusmodi sane continentur *l. 1. 2. 3. 4. h. t.* atque inter cætera istud, vt filii eorum seruique ex Castrensi Palatinorum peculio quæsiti, censeri non possent, seu censibus adscribi, *d. l. 3. sup.* nouum hoc & incognitum hactenus iisdem Palatinis priuilegium concessit, Peculii, inquam castrensis: puta vt sibi habeant, præcipuumque retineant: cum hactenus nonnisi Militibus armatis & Præcinctis, id est, prouinciarum administratoribus ob cinguli prærogatiuam peculii castrensis priuilegium competeret. Nam quod aliis quoque personis, veluti Adsessoribus & Aduocatis tributum, id postea demum factum: de quo plene ad *l. 2. sup. de Adsessoribus*, & *l. vlt. sup. de postulando*. Ergo post milites & Administratores Constantinus ad Palatinos primum castrensis peculii priuilegium extendit, hac elegantissima constitutione. Vbi duo cumprimis obseruanda sunt.

Primo, *Rationes* duæ, quas huiusce facti sui, peculiique adeo quasi castrensis instituendi reddit: cui non absimilia sunt quæ Leo de Aduocatis scribit, *l. 14. Cod. Iust. de aduoc. diu. Iudiciar.* Quarum prior est; Quod *nihil tam ex castris sit, vel esse videatur, quam quod Principe conscio, ac prope sub conspectibus eius adquirint*: nempe, *Castra* sunt, vbi Princeps est: vnde sane & comitatus ipse στρατόπεδον, & castra: de quo vide etiam nonnulla, quæ dixi ad *tit. de Castrensianis, supra.* Altera ratio: quod & ipsi Palatini haud aliter quam milites, *alieni non sint a puluere & labore castrorum, qui signa Principis comitantur, qui præsto sunt semper actibus, quos intentos eruditis studiis itinerum prolixitas & expeditionum difficultas exercet.* Quæ ratio vt generalis esse potest, ita speciatim Constantini temporibus itineribus & expeditionibus conuenit; qui certe varias expeditiones obiit, etiam hoc ipso tempore, quo ei subinde res fuit cum Nationibus Barbaris: isque recenter ex Oriente Nicæa Nicomediaque digressus, per Thraciam, Daciam, Mysiamque, Macedoniam, Pannoniam, in Italiam hoc ipso Anno 326. iter promouit: Aquileiam primum, dein Mediolanum, tandem in ipsam vrbem Romam: de quo postremo, imo omni, ad *l. 3. inf. de infirm. his quæ sub Tyrannis*: Palatinis Signa eius, itinera, expeditiones vbique sequentibus, comitantibus: atque ideo itinerum difficultate prolixitate & expeditionum difficultate eos exercentibus. Et hæc de rationibus seu coloribus tribuendi quasi castrensis peculii Palatinis.

Alterum *hac l.* singulare est, quod duplicem huius peculii Palatini fontem indicat Constantinus M. nempe vel ex labore proprio seu parsimonia propria, vel ex donis seu dignatione Principis: de quo posteriore, de donariuis suquam Principum, *punctique solatiis* in Palatinos certo tempora erogari solitis, dixi ad *d. l. vlt. sup de postulando*: & *l. 11. sup. de Palatinis.* In quibus fuere quoque Agentes in rebus: de quibus est insignis Am. Marcellini locus, *lib. 16. c. 5.* Cæterum, omittendus non est locus de castrensi Palatinorum peculio, apud Hieronymum *Epitaphio Nepotiani fol. 15. Tom. I. Oper. edit. Francf. Referet alius, quod in* PALATII MILITIA *sub chlamyde & candenti lino, corpus eius cilicio tritum sit: Quod stans ante sæculi Potestates lurida ieiuniis ora portauerit: Quod adhuc sub alterius indumentis alteri militauerit: & ad hoc habuerit cingulum, vt viduis, pupillis, orphanis, miserisque subueniret.* Mox: *sub alienis signis deuotus miles fuit.* Tandem: *Balteo posito, habituque mutato, quidquid* CASTRENSIS PECVLII *fuit, in pauperes erogauit.*

DE EQVESTRI DIGNITATE.

TITVLVS XXXVI.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXXII.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Mamertinum PP. (b)

EQVITES Romani, (quos secundi gradus in Vrbe (c) omnium optinere volumus dignitatem,) (d) ex indigenis Romanis & Ciuibus elegantur, (e) vel his peregrinis, quos Corporatis (f) non oportet adnecti. Et quia vacuos huiusmodi viros esse priuilegiis non oportet, corporalium eos iniuriarum, & prosecutionum formido non vexet; ab indictionibus quoque, quæ Senatorium ordinem manent, habebuntur immunes. Dat. prid. Kal. Nouemb. (g) Philippopoli, diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364.]

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est, retenta tantum priore eius sententia: de quo mox. *GOTHOFR.*

(b) *Mamertinus* PP. Italiæ, Illyrici, Africæ, sub Valentiniano Sen. vid. *Prosopogr.* & Am. Marcellinum. *IDEM.*

(c) Roma, de Roma, vid. vel. Stephanum. *IDEM.*

(d) *ve. Dignitatum.* *IDEM.*

(e) *Eligantur.* IDEM.
(f) De *Corporatis* infra, *lib.* 14. *de priuil. Corporat.* V. R. IDEM.
(g) Vid quæ notu in *Chronol.* IDEM.

P.148

COMMENTARIVS.

DE EQVITIBVS Romanis, seu Equestri dignitate (de quibus est prætetea hoc Codice, *lex vn. sup. de his qui veniam atatis: lex 16. inf. de Nauicularijs*) est hæc vnica Valentiniani Senioris *hoc titulo* constitutio, qua labantem hunc ordinem triplici ratione erigere instituit. Primo quidem, *Gradu* eius designato, quam vnam sententiam resecatis cæteris habet *Codex Iustinianeus*: Vetustissimo scilicet iure dignitas Equestris, Senatoriæ, seu Clarissimorum dignitati proxima, & ab ea secunda fuerat: vnde & Secundus Ordo vocatur, *l.* 10. *Cod. Iust. de nuptiis.* Verum aliquo tempore in vlteriorem seu inferiorem locum detrusus videtur, tum argumento eius quod *hac l.* nunc Valentinianus constituit, *quos*, inquit, *secundi gradus in vrbe omnium obtinere* VOLVMVS *dignitatem*: Tum argumento constitutionis Constantinianæ *d. l. vn. sup. de his qui veniam atatis*: ordinisque in ea obseruati, vbi videl. post Senatores proxime, & ante Equites Perfectissimi memorantur: subque maiore Iudice Romæ collocantur, puta sub Vicario Præfecti: Equites vero posterius, & sub Præfecto Vigilum. Verum *hac l.* pristinum iis Ordinem & gradum, Secundum videl. restituit, mediumque adeo inter Senatoriam dignitatem & Perfectissimatum, idque in vrbe Roma tantum. Hoc Primum.

Secunda ratio, qua labantem Equestrem Ordinem Valentinianus erectum it, est *Electionis* mos, quem & ipse veterem hic reuocat, designatis vnde eligi debeant. Nempe Primum, ex Indigenis Romanis & Ciuibus: Secundo, ex Peregrinis, id est, non Romanis, non ciuibus vrbis Romæ, non indigenis: hoc enim sensu *Peregrini* hoc æuo dicti qui Romæ essent, non oriundi ex vrbe Roma vtbicunque prouinciis: quomodo & ab Am. Marcellino dicuntur in vtroque excessu de vrbe Roma, *lib.* 14. *c.* 6. *lib.* 28. *c.* 4. Neque promiscue tamen ex Peregrinis etiam Equites Rom. eligi iubet Imperator, verum eos, qui exinde Corporatis vrbis Romæ adnecti non debent. Certe & Alexander Seuerus olim, teste Lampridio *in vita eius c.* 19. *Libertinos nunquam in Equestrem Ordinem redegit, asserens seminarium Senatorum Equestrem esse locum.* Non igitur ex his Peregrinis qui Corporatis adnecti debent, de quibus Corporatis *suo titulo infra*, *lib.* 14. Hinc interim discimus, peregrinos & aduenas Romæ, in Corporatorum numerum redactos quandoque, quod pariter testatur *lex* 1. *infra*, *de studiis liber. V. R.* vbi vid. quæ dicam: & ad *l. vn. de mancipib.* adde & *Nou. Valent. inter Theodos. de Pantapolis* 40. Ad rem. Constantinus certe, postque eum Iulianus, imo & Gratianus *d. l.* 16. *inf. de Nauicularijs*, corpori Nauiculariorum Equestrem dignitatem detulere.

Postrema ratio erigendæ dignitatis Equestris consistit in *Priuilegiis*, quibus, inquit, Valentinianus, vacuos huiusmodi viros esse non oportet. Ea vero tria *hic* conferuntur. Primo, *Corporalium iniuriarum formidine* liberantur, id est, quod optime explicat *d. l.* 16. *inf. de Nauicularijs*, id est, a Quæstione seu Tormentis: nam & ita Corporales iniuriæ dicuntur de quæstione *l.* 6. *inf. de Quaestionib. l.* 10. *inf. de fide testium.* Quanquam putet quis immunitatem potius a muneribus personalibus hic accipiendam, quod suadeat etiam alterum priuilegium immunitatis a *Prosecutionum* formidine: Prosecutionum, inquam, specierum fiscalium, auri, animalium, &c. de quo *l.* 1. & 2. *inf. ne operæ a conlat. l. vn. de auri publ. prosecutorib. l.* 47. *de cursu publ. l.* 12. 13. *de susceptor.* Postremum priuilegium est, immunitatis a Senatoriis indictionibus, quæ Senatorium Ordinem manent: de quibus *sup. tit.* 2. *de Senatorib. & glebali collat. l. vn. inf. de oblat. votorum.* Vt maxime Senatoribus proximi sint Equites Romani, attamen Senatoriis functionibus immunes sunt, ad quas eos nonnulli vocate voluisse videntur: v. g. si Senatusconsulto aliquid offerendum, vel largiendum esset Principi, de quo ad *d. tit. de oblat. votorum.*

Illud *Paratitli* vice de Equitibus Romanis addendum, Præfectum Vigilum, Equitum Romanorum & Equestris dignitatis vindicem & Iudicem peculiarem fuisse, vt docet *d. l. vn. sup. de his qui veniam atatis*: qui sane ipse veteri instituto ex Equitibus sumebatur. Equitumque adeo recensum stato tempore faciebat: quo refero quoque *legem* 3. *infr. de infirm. his qua sub. Tyr.* Et tamen Equestris dignitatis Equitumque electionem & tuitionem ad Præfectum prætorio pertinuisse colligo ex inscriptione *huius leg.* quæ data est ad Mamertinum Præfectum prætorio.

DE PERFECTISSIMATVS DIGNITATE.

TITVLVS XXXVII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXXIII.

PARATITLON.

PERFECTISSIMATVS de quo est hic titulus, & *l.* 1. *de Cæsarianis l.* 7. *de palatinis*: & *l.* 7. *de priuil. eorum l.* 10. *de Numerar*: *l.* 3. *de cohortalib. l.* 36. *de cursu publ. l.* 1. *de murilegulis.* Dignitas *hoc tit.* seu ordo *l.* 7. *de priuil. eor. qui in S. Pal.* (vnde Perfectissimi *l. vn. de his qui veniam ætat. l.* 1. *de honor. Cod. l.* 44. *de Decurionibus* &c.) post Equestrem dignitatem ponitur *hoc titulo*: etsi alibi præponantur Perfectissimi Equitibus: *l. vn.* P.149 *sup. de his qui veniam æt.* & statim post Senatores *d. l. vn.* & *l.* 1. *Cod Iust. de naturalib. liberis*: quam sequitur & memorat Marcianus *Nou.* 4. *de matrimoniis Senatorum.* vbi eædem leges con-

connubiales Equitibus ponuntur quæ Senatoribus. Viceuersa post Perfectissimatus dignitatem ponuntur Ducenæ, Centenæ, Egregiatus dignitates, *l. 1. sup. de honor. codicillis: l. 5. de Decurionibus: l. 1. inf. de Cæsarianis: l. 3. de cohortalibus: l. 1. de murilegulis.* Horum in vrbe Roma Iudex erat Vicarius Præfecti: ficuti Senatorum, Præfectus vrbi; Equitum, Præfectus Vigilum: Quare & minores veniam ætatis impetraturos apud Vicarium de moribus fidem facere oportuit, *d. l. vn. sup. de his qui ven. ætatis.* Gradus vero horum erant varii: primi videlicet ordinis, secundi, tertii; sic vt ordinis quoque cuiusque variæ annonæ essent: *l. 7. sup. de Palatinis S. L.* Triplici ratione dignitate hac nonnulli decorabantur.

Primum dignitate hac censebantur, seu Viri Perfectissimi dicebantur Præsides seu Rectores prouinciarum: *l. 4 inf. de pœnis: l. 5. inf. de Decurionib.* veluti Vicarius Africæ in Constantini rescripto, vbi de vero Vicario Africæ, apud Augustinum *lib. 3. contra Cresconium num. 81. pag. 476. Tom. IX. Oper. edit. Benedictin.* Præses Arabiæ *d. l. 4. inf. de pœnis:* Præses Hispaniarum, Norici, in *veterib. Inscriptionibus, apud Gruterum* CCLXXXIII. 9. Præses Lugdunensis primæ, apud Eumenium *pro scholis instaurandis:* Præses Dalmatiæ, in *Notitia Imperii fol 183.* Magister census, *l. 32. Cod. Iust. de Episcopis:* Duces item ab initio Viri Perfectissimi dicti, qui postea Spectabiles, vt docet Am. Marcellinus *lib. 21. c. 16.* Rationales, *l. 1. infra, de bonis vacantibus:* Symmmachus *lib. 10. ep. 55.* vbi de Bassiano Rationali: Comites rei militaris, *l. 1. sup. finium regundorum:* Comites Largitionum, *l. 5. inf. de exactionibus;* Primicerii scriniorum, *d. l. 7. sup de Palatinis:* Archiatri, *l. 2. inf. de Medicis & Professoribus,* Symmachus *lib. 10. ep. 40.*

Alii vero Perfectissimi erant, quibus hæc dignitas conferebatur post munus aliquod gestum: veluti Actuariis, post decem annos munere expleto: *l. 10. inf. de Numerariis:* Cæsarianis item post completum officium, *l. 1. inf. de Cæsarianis:* Decurionibus post cuncta patriæ munia impleta, *d. l. 5. inf. de Decurion.* & *l. vn. h. t.* a contrario sensu, Mancipibus cursus publici post lustrum seu quinquennii actum: *l. 36. inf. de cursu publ.* Numerariis post administratum munus septem annis: *l. 6. inf. de Numerariis:* Palatinis Palatio dimissis, *l. 7. sup. de priuil. eorum qui in S. Pal. d. l. 5. inf. de Decurionib.* Procuratione functis in specie *l. 1. sup. de honorar. Codicill.* Primipilaribus post emeritam militiam *l. 3. inf. de cohortalibus.*

Tertium perfectissimorum genus erat Honorariorum, *l. 26 inf. de Decurionib.* id est, qui Codicillis eam dignitatem impetrauerunt.

Inter has vero duas postremas Perfectissimorum species plurimum intererat: nempe illi (quod Perfectissimorum priuilegium notandum est) ab omnibus omnino muneribus publicis, Curialibus immunes erant, at non etiam hi: quod docet *d. lex 36. inf. de cursu publ. lex 5. 15. 26 42. 44. inf. de Decurionibus:* Multi scilicet muneribus ciuilibus & Curialibus obnoxii Perfectissimatus dignitatem a Principe emereri & emercari studebant: verum subinde iidem Principes constitutionibus suis huic fraudi obuiam iuere, sic vt nollent huiusmodi honorariis Perfectissimis quidquam prodesse Perfectissimatus dignitatem, ad fugam munerum: *l. 1. inf. de murilegulis: d. l. 5. 15. 26. 42. 44. inf. de Decurionib.* & *hac l. vn.* ad quam mox plura.

Sed & vt maxime qui Perfectissimi erant duobus prioribus generibus a muneribus Curialibus & publicis immunes essent, nihilominus his extra ordinem munera quædam indicebantur, *l. 2. inf. de Medicis & professor.* & *l. 15. inf. de Decurionibus:* exceptis tamen nonnullis, quibus neque extra ordinem munera indici poterant, veluti Archiatris, & ex-Archiatris: *d. l. 2.*

I. (a) Imp. Constantinus (b) A. (c) ad Paternum Valerianum (d)

CODICILLIS Perfectissimatus fruantur, (e) qui impetrauerint, (f) si abhorreant a conditione seruili, vel fisco, aut Curiæ obnoxii non sint, vel si Pistores non fuerint; vel non in aliquo negotio constiterint, nec sibi honorem venali suffragio emerint, nec rem alicuius administrauerint. (g)

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Iustinianus,* Cod. Iust. male. *IDEM.*

(c) Hactenus *Ms.* Theodosianus: nam cætera quæ sequuntur hic, Cuiacius suppleuit ex Cod. Iust. *IDEM.*

(d) *Valerianus* hic eidem videtur cum Valeriano, qui dicitur Agens Vicariam Præfecturam A. D. 330. *leg. 3. de sponsalibus* De quo mox plura. *IDEM.*

(e) *Fruentur,* Cod. Iust. *IDEM.*

(f) *Impetrauerunt.* Cod. Iust. *IDEM.*

(g) Temporis Characterismus abest. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DIGNITAS, seu Codicilli Perfectissimatus quibusnam prosint, vel non; definit hac Constitutione Constantinus M. Nempe cum honorarios Codicillos huiusmodi *Perfectissimatus* passim quique im-

impetrarent, nullo status discrimine, & cum publico etiam: sæpe munerum periculo, fœdaque nundinatione, ideo Constantinus M. huic rei occurrendum putauit: definitis septem hominum generibus quibus huiusmodi Perfectissimatus codicilli prodesse non possent: cuiusmodi hæ sunt, puta 1. *Seruilis* conditionis homines. 2. Fisci rationibus obnoxii. 3. *Curialis* conditionis homines, seu Curiæ obnoxii. 4. *Pistores*, (quomodo & Senatoria dignitate pistoria conditio non omnino euitabatur, *l. 5. inf. de pistoribus.*) 5. *Negotiatores*, vel vt *hac l.* dicitur, *qui in aliquo negotio constiterint.* 6. qui *pecunia* data eam impetrarunt, seu vt *hac lex* loquitur, *honorem hunc sibi venali suffragio emerunt.* De qua suffragiorum venalitate sub Constantino M. pro codicillis honorum consequendis, dixi ad *l. 1. sup. de honorariis codicill.* 7. *Administratores* rei alienæ, puta Coloni, Actores, &c. Et hæc omnia tandem partim publicæ Dignitatum honestati, a quibus non tantum seruos submoueri oportet, sed & viliora ministeria, velut colonos alienos, Negotiatores, vel etiam qui fœda patrimonii erogatione, & sic venali suffragio eas emercantur. Honorarii scilicet Perfectissimi, vt vocantur *l. 26. inf. de decurionibus*, a Curia ciuilibusque muneribus non liberabantur, *h. l.* & *l. 5. 15. 26. 42. 44. eod. tit. de decurionibus:* ad quas *leges* plura dixi: partim publicorum munerum necessitati & vtilitati, cui repugnat destitui fisci rationes, in quo totius Reipubl. nerui consistunt; vel Curialium munera, in quibus nerui, anima, decus, radix singularum ciuitatum seu Rerumpublicarum consistebant: quod Libanius ait *in Iuliani necem, pag. 297. in Antiochico, pag. 357. edit. Morell.* περὶ προςατιῶν *p. 9. 10. edit. Gothofr.* Maiorianus *Nouella* 1. & ex eo Cassiodorus, *non vno loco:* de quo plura *suo tit. de decurionibus*: vel vrbicam vtilitatem destitui, pistrinis desertis: vbi gratuitus & gradilis panis popularium studiis emerendis, inque pace continendo diuidebatur: de quo *suo tit. inf. de Pistorib.* Et hæc quidem ita Constantinus M. *hac l.* quæ scripta est ad Paternum Valerianum, proculdubio Agentem Vicariam Præfecturam in Vrbe Roma: cui Constantini M. *lex* inscribitur, dignitate illa ῥητῶς apposita An. D. 330. puta *lex 3. inf. de sponsalibus.* Quam coniecturam iuuat non tantum quod de Pistoribus (*vrbis Romæ scilicet*) in *hac l.* diserte agitur; verum, quod ex *tertia* Constantini *leg.* discimus, puta *ex l. vn. sup. de his qui veniam ætatis:* quia Vicarius Præfecti in vrbe Roma Perfectissimatus dignitatis & Perfectissimorum peculiaris Iudex & vindex fuerit; haud aliter atque Senatorum, Præfectus vrbi: Equitum, Præfectus Vigilum. Quare Paterno Valeriano Vicariam Præfecturam in vrbe Roma agenti, & recensum Perfectissimorum acturo, hanc veluti formulam Constantinus M. submisit: quosnam videl. in ea dignitate stare, eaque frui pati deberet, quos vero non: Haud aliter atque idem Constantinus, *l. 3. inf. de infirmandis his quæ sub Tyr.* Præfecto Vigilum, Equitum recensum acturo formulam quandam præscribendam putauit, & aliam similem Senatui, atque adeo Præfecto vrbi Senatus Præsuli, ad Senatorum recensum, *l. 4. eod. tit.*

Nunc pro more nostro subiiciamus nonnulla de *Perfectissimatus* dignitate, præter ea quæ *hic Codex* suppeditat, quæ in Paratitlon congesta sunt. Ex Eumenii primum *Oratione pro scholis* discimus, ante Constantinum M. iam hanc dignitatem institutam, quam habuit pro *scholis instaurandis*, ad Virum *Perfectissimum Præsidem Lugdunensis primæ.* Et Lactantius quoque A. D. 316. vel 317. primis Constantini annis eius meminit, *lib. 5. c. 14.* Ipse Constantinus apud Eusebium, *lib. 10. c. 6.* literas se dedisse scribit ad Vrsum virum Perfectissimum Rationalem Africæ: πρὸς Οὖρσον διασημότατον Καθολικὸν: vbi διασημότατος, vt recte Valesius in Marcellinum *lib. 21. c. 16.* est Perfectissimus: pariter, vt apud Auctorem vitæ Constantini, *lib. 3. c. 53.* & *lib. 4. c. 1.* Sic in Glossis veteribus. διασημότατος *Perfectissimus.*

Nunc subiiciamus duo insigniora loca, quæ de Perfectissimis apud Scriptores ἀπὸ τῶν ἔξω occurrunt. Primus est Lactantius ille, *d. l. 5. c. 14.* sub Constantino M. vbi ad tres dignitatum gradus alludit: *Nemo*, inquit, EGREGIVS, *nisi qui bonus & innocens fuerit: nemo* CLARISSIMVS, *nisi qui opera misericordiæ largiter fecerit: nemo* PERFECTISSIMVS, *nisi qui omnes gradus virtutis impleuerit.* Alter est Ammiani Marcellini, *lib. 21. c. 16.* de Constantii temporibus, *Nec sub eo Dux quisquam cum* CLARISSIMATV *prouectus est: erant enim, vt nos quoque meminimus,* PERFECTISSIMI.

Tandem obseruandum, Viros Perfectissimos his Notis seu signis designari, V. P. vt apud Magnonem *de not. iur.* & *in veterib. Inscriptionib. apud Gruter.* XXXIV. 5. CXI. I. CCLXXXI. 7. MLXXXVI. 6. 9. 10. apud Symmachum, *lib. 10. ep. 40. 41. 55.* Eumenium *pro scholis* instaurandis. *c. 1. Leg. 1. de bonis vacantib. l. 5. de exaction.* vel inuerso ordine, P. V. ut *l. 1. sup. fin. regund.* & *leg. 4. de pæn.* In quibus *Notis* interpretandis, varii errores admissi: de quibus videndus Balduinus & Liuineius in *dict. Panegyr.* & Iuretus *in Symmachum dict. ep. 40.*



CODI-

P.151

CODICIS THEODOSIANI
LIBER SEPTIMVS.

QVI TOTVS EST DE RE MILITARI.

Quanquam, illud ſciendum eſt, complures hoc libro cónſtitutiones occurrere, quæ non ad militiam armatam, verum ad PALATINAM pertinent; vel etiam quæ vtrique militiæ, Palatinæ, inquam, & Militari communes ſunt.

HVIVS LIBRI TITVLI.

PARATITLON HVIVS LIBRI.

RES MILITARIS *Rubr. tit. de re milit. l. 2. de Iuriſdict. l. 3 de erogat. mil. ann. tit. de Comitib. rei mil.* dicitur & Armata militia *l. 5. 6 de re milit. l. 16. de tironib. l. 10. de Veteranis: l. 10 de filiis mil. appar. l vn de rei vind. l. 28. de Prætorib. l. 9 de domeſticis: l. 28. de cohortalib. l. 12. de diu. offic l. 88. 147. 154. de Decurionib. l. 24. de Iudæis:* Vt & Militia militaris, Palatinæ oppoſita, *l. 19. de diu offic.* Denique militia ſub armis: *l. 38 de Decurionib.* Ea, ceu altera Reipublicæ pars, ciuilibus partibus opponitur: *l vn qui a præbit. tyr.* quomodo & otium ciuile & domeſtica quies, bello opponitur, *l. 1. de Gladiatoribus.* Et in Rebus (ſeu in Republ.) prima eſſe dicitur: ſecundus vero in literarum præſidiis pacis ornatus, *l. 1. de proximis Comitib.* Neque omittere poſſum inter hæc initia Theodoſii Iun. qui hunc Codicem concinnauit, de re militari iudicium, *Nouella de ambitu 31. Cum nulla res adeo parua ſit, quæ non plurimum prouiſionis de noſtra Clementia conſequatur, præcipuam Militibus curam impertiendam eſſe cenſemus, quibus maxime communitur*
P.152 *vniuerſa Reſpublica. Hæc enim vna res diligentiſſime procurata multarum nos rerum ſolicitudine relaxabit, nec ſingulis cogemur adhibere medicinam, ſi generali remedio cuncta ſanemus.* Et mox fine Nouellæ. *Credimus namque quod re militari ad eum modum quem diſpoſuimus obſeruata, quocumque terrarum ſe hoſtis mouere temptauerit, victoria nobis propitia ſecundi Numinis voluntate nunciabitur, antequam prælium.*

Qualiſnam vero ea ſub Chriſtianis Imperatoribus, a Conſtantino M. ad Theodoſium Iun. & Valentinianum Tertium vſque fuerit, neque huius Codicis *leges* ignorare nos patiuntur, Magno numero; non eæ tantum quæ continentur hoc integro libro *ſeptimo*, qui huic materiæ

teriæ fundus totus eſt, verum etiam quæ per alios *titulos* ſparſæ occurrunt, vt & quæ habentur *quatuordecim* præterea *titulis*, eodem pertinentibus, extra *librum ſeptimum*: puta *Tit. de officio Iudicum militarium, lib. 1. t. 9. Tit. de Nuptiis Gentilium, lib. 3. t 14. Tit. de bonis militum, lib. 5. t. 4. Tit. de Poſtliminio, eod. lib. 5. t 5. Tit. de Conſulib. Præfectis, Magiſtris militum, lib. 6. t. 6. Tit de Præfectis Prætorio ſiue vrbis & Magiſtris militum, lib. 6. t. 7. Tit. de Comitib. rei militaris, lib 6. t. 14. Tit. de Stratoribus, lib. 6. t. 31 Tit de Numerariis, Actuariis, &c. lib. 8. t. 1. Tit de Fabricenſibus, lib. 10. t. 22. Tit. de Claſſicis, lib. 10. t 23 Tit. de Equorum conlatione, lib 11. t. 17. Tit. Qui a præbitione tironum & equor. excuſ. lib 11. t. 18. Tit de collatione æris, lib 11. t 21.* Quarum quidem Conſtitutionum nonnulla *Edicta* ſunt, & vocantur: partim ad prouinciales emiſſa, vel per prouincias propoſita, *l. 26. de erogat. mil. annonæ l. 1. de ſalgamo: l. 8. 16. 17. de Tironib. l. 1. 8. 9 de deſertorib l. vn. de Saturianis: l. 1. 8. de Veteranis: l. 12. de fil. mil. appar.* partim vero data ad Veteranos, *l 3 de Veteranis.*

VSVM rei militaris, ſeu armatæ militiæ, hac tempeſtate triplicem reperio: Vel enim eius vſus fuit, aduerſus Barbaros, hoſteſque Imperii Romani, *l. 1. de re milit. l. 1. 2. de poſtliminio, l. 1. de commeatu: l. 2. 3. de litor. & itin. cuſt.* ſeu aduerſus hoſtes & perduelliones: *l. 7. de reparat. appell.* cuiuſmodi hoc æuo fuere FRANCI, Saxones, Sueui, Alamanni, Quadi, Marcomanni, Sarmatæ, Gothi, Scythæ, Perſæ: ad quos variæ *leges* huius Codicis pertinent. Vel aduerſus Tyrannos, & hoſtes publicos: de quo vid. *tit. de Ingenuis qui temp. Tyranni ſeru. tit. de Indulgentiis criminum: tit de infirm. his quæ ſub Tyrannis: l. 2. de litorum & itin. cuſt. l. 9. de deſertorib. l. 1. de cohortalib. l. 1. de Immunitate conceſſa.* Vel denique aduerſus Latrones quoſdam coniuratos, quos & armis quandoque perſequi oportuit: cuiuſmodi fuere Saturiani [Aſturiani] & Subafrenſes: de quibus eſt *tit peculiaris, libro 7.* Vt & alii, de quibus *tit. de deſertorib.*

MILITES ipſi *priuatis* opponuntur, *l. 2. & 3. ad l. Cornel. de ſicar. l. 3. de immunit. conc. l. 2. de falſa mon. l. vn. de offic. Iudic. milit l 5. de teſtamentis:* ſeu priuatæ conditionis hominibus: *l. 2. de terris limit.* Dicuntur iidem & Militares, *l. 20. 21. de erogat. mil. ann. l. 10. de Veteranis. l. 7. 11. de annonis ciuicis:* perſonæ militares, *l. 2. de exhib reis:* militaris ordinis viri: *l. 6. de ſuſceptorib.* militaris corporis viri, *l. 2. de Comit. rei mil.* Militantes, *l. 2. de Iuriſdict. l. 3. de ſalgamo*: Ab Imperatoribus vero, (quod ciuilitatis eorum partim, partim in milites affectus ſtudiique militaris, argumentum eſt) cum elogio nominantur, Viri fortes: *l. 12. de Veteranis: l. 28. de cohortalib.* milites deuotiſſimi: *l. 17 de erog. mil. annonæ. l. 2. de excoctione: l. 13. de Metatis: l. 3 de equor. conl. l. 28 de ſuſceptoribus: l. 19. de Paganis:* Milites fortiſſimi, *d. l. 17. & l. 4. 5. de milit veſte* Milites lectiſſimi, *l 8. de tironib* milites noſtri *l. 6. de erogat. milit. annonæ.* quomodo & Veterani noſtri, *l. 9 de Veteranis:* Conueterani mei, *l. 2. eod* Dicuntur & ab iiſdem, Commilitones in *l. 10. de re milit.* Contubernales, *l. 33. de erog. mil. ann. l. 2. de equor. conlat.* quomodo & Conſtantinus M. conueteranos dixit, *l. 2. de Veteranis.* Dicuntur & ſalutarem maxime operam Reipubl. proſequi, *l. 5. h. t.* pro publica defenſione præliis adeſſe: *l. 38. de Decur.* ſub armis militiam tolerare, *l. 4. de diu. offic.* in hoſtem Martio ære calere, *l. vn. qui a præbit. tiron.*

Præter Armatæ tamen adhuc militiæ milites, alii quoque multi in Imperio Romano Armatæ militiæ ſpeciem gerebant, vſumque armorum habebant, qui priuatis alioquin regulariter interdictus erat (de quo eſt peculiaris *titulus* ſeu *lex vn. quorum vſus interdictus eſt*: Nam & in Comitatu ſeu Aula Imperatorum inque militia Palatina, erant Armati quidam, veluti Domeſtici & Protectores, de quibus eſt *tit.* peculiaris *24. lib. 6.* qui Armatam militiam diſerte ſubire dicuntur, *l. 9. illius tit.* Quorum etiam extra ordinem vſus aliquis fuit in ipſamet Armata militia, expeditionibuſque bellicis proderant, *l. 6. de domeſticis & protect.* veluti ad tuitionem locorum, *l. 1. 2. eod tit. l. 27. de erog. mil ann.* & ad litorum, portuumque cuſtodiam, *l. 3 ſeu vlt. de litor. & itin. cuſt.* Quare & tum Magiſtri militum diſpoſitioni ſuberant, *d. l. 6.* Erat & militia Scholaris, *l. 38. de decur. l. vn. qui a præb. tiron.* ſeu ſcholæ *l. 22.* (vbi dico) *23. 24. 34. de erog mil. ann. l. vn. de Comitib & Trib. ſchol. l. 7. 8. 9. 10. 11. 12. de annonis ciuicis: l. 9. de diu offic.* quæ ſuos quoque Tribunos habuere, *dict. l. vn. & dict. l. 23. 24* ſubque Magiſtro officiorum egere. Et in his ſcholæ ſcutariorum & Cli-
Pan banariorum *dict. l. 9. de annonis ciuicis:* quarum ſcholares militares Viri vocantur, *dict. leg. 11.* Quos etiam extra ordinem expeditionibus interſuiſſe docet *l. 22. & 23. de erog. mil. ann.* Erant & Iudicum Officiales ſeu Apparitores armati, quæ & Officialis ſeu Cohortalis militia erat: de quibus *lib 8* Erant in his Beneficiarii, de quibus *l. 5. 7. de cohortalib.* Erant Curioſi, de quibus *lib. 6.* Stationarii item Apparitores, de quibus *l. 2. de Veteranis: l. 1. de curſu publ. l. 2. de cohortal. l. 1. de Curioſis: l. 12 de diu offic. l. 31. de Epiſcopis.* Erant & Irenarchæ, de quibus eſt *titulus, lib. 12.* Tandem & priuatis omnibus extra ordinem quandoque promiſcue ius armorum datum; veluti aduerſus Latrones & deſertores, *l. 14. de deſertorib. l. 2. ad leg. Cornel. de ſicariis:* vt & in ſummo ab hoſte periculo: de quo eſt *Nouella* Valentiniani, *inter Theodoſianas 20. de reddito iure Armorum.* Nos de militibus Armatæ militiæ videamus.

SPECIES ſeu Diuiſiones, generaque militum varia fuerunt: Primo quidem fuerunt alii Equites, de quibus v. *l. 2. de fil. mil app* & quæ dicam *infr. de Magiſtris Equitum; de vexillationibus, alis, cuneis.* Alii vero Pedites. Seu Militia, alia erat Equeſtris, *d. l. 2.* & *l. 43. de curſu publ.* Alia pedeſtris, *d. l. 43.* ſeu Legionaria, *d l. 2.* Et illa quidem potiore loco habita, *d. l. 2.* De vtriuſque huius militiæ Magiſtris & Præpoſitis poſtea.

Secun-

Secundo alii milites erant præsentos Principis obsequio deputati, *l. 17. de re mil* in Vrbe, præsente Comitatu esse concessi, *d. l 17.* alii per prouincias, in Numeris, & Legionibus, *l 18. de re mil.* partim alibi, de quo postea.

Tertio, in duas veluti Classes milites diuisi erant: quarum Prima classis, eaque potior & dignior, (vt docet *lex vlt. de re mil. l. 7 de Tyronib. l. 4. de Veteranis: l. 8. de fil. mil. app l. 17. de cohortal*) complectebatur Palatinos & Comitatenses. *Palatini*, Numeri & Legiones, de quibus agitur *d. l. vlt de re mil. l. 10. de Numerar. l. 22. de erogat. mil. ann.* erant partim Equites, (vnde Vexillationes Palatinæ,) partim Pedites, *d. l. 22.* sed & Auxilia quoque quædam Palatina dicebantur, *d. l. 22.* Comitatenses milites seu numeri, de quibus *l. vlt de re milit. d. l 22. de erogat. mil. ann l. 7 de Tironib. l. 4. de Veteran. l. 10. de Numerar. l. vn. de bonis mil. l. 8. de filiis mil appar l. 17. de cohortalib.* & ipsi partim Equites erant, (vnde Vexillationes Comitatenses, *d. l. 22. de erogat. d. l. vn. de bonis milit.*) partim Pedites, *d. l. 22.* & *d. l. vn.* Quæ ratio veru horum nominum fuerit, inquiro ad *eas leges*.

Altera militum classis erat: in qua erant qui *Pseudocomitatenses* dicebantur, seu Pseudocomitatenses Legiones, *d. l. vlt. de re mil.* & *l. 10. de Numerar.* Quorum alii pariter Equites erant, *d. l. 10.* Erant & qui *Riparienses* vocabantur, *d. l. vlt. de re mil. l. 14. de erog. mil. ann.* seu Ripenses, *l. 7. de Tironib l. 4. de Veteranis:* qui in ripa per Cuneos & Auxilia constituti erant: *d l. 7. de Tironib.* vnde & Ripensis militia, *l 8. de fil. mil. app.* cuius minor dignitas erat, quam Comitatensium, dixi *ad d. l. 8.* & ad *d. l. vlt. de re mil.* Erant & Castriciani, *d. l. vlt.* qui scilicet in castris constituti erant, *l. 15. de erog. mil. ann.* Indicantur tandem præter hos, alii quoque in *d. l. vlt.* de quibus postea.

Erat & quarta hæc Militum diuisio: quod aliæ *Legiones* proprie dicebantur: alia vero *Auxilia* (opponuntur quippe hæc duo inuicem inter se, *l 22. de erog. mil. ann.*) Auxilia, inquam, *d. l. 22.* & *l. 7 de Tironib.* seu Auxiliares cunei: *l. 1. de Tyronib.* lique rursum duum generum, Palatini & Comitatenses. Constitere vero hæc Auxilia ex Romanis, vt discimus ex *l. 1.* & *7. de Tironibus.* Erant & Militiæ operam nauantes qui *Gentiles* dicebantur, de quibus *l. vn. de nuptiis Gentil. l. 1. de Terris limit.* qui ad curam & munitionem limitis & fossati positi erant, *d. l 1. de terr. limit.* quibus tamen connubii ius cum Romanis non erat, *d. l. vn de nupt gentil.* Erant quoque in exercitibus Romanis hac tempestate Barbari, *l 3 ad leg. Cornel. de sicar* Erant & Fœderati, *l. 16. de Tironib.* quorum peculiaris ratio habita: vid *Nou.* Theodosii *de ambitu 31. vers de Saracenorum: & vers. viros autem.* Erant & Deditii qui & ipsi seruos habebant, *d. l. 16. de Tironib.* Erant alicubi & qui *Læti* dicebantur, de quibus *l. 10. 12. de Veteranis:* veluti Læti-Alamanni, & Læti-Sarmatæ, *d. l. 12.* qui & peculiares Præpositos suos habuere *d. l. 10.* propriasque Terras, quæ *Læticæ* dicebantur, *l 9. de Censitorib.*

DIVISI erant & distributi Milites in Legiones, & Vexillationes. Legiones, de quibus agitur *l. vn. de bonis mil. l 13. 17. 18 seu vlt. de re mil. l. 22. de erog. mil. ann. l. 12. de diu. off. l. 12. de Veteranis*, (quæ & Legiones Romanæ dicuntur: *l. 1. de Veteranis*,) erant Peditum; vnde Legionaria militia Equestri opponitur; *l. 2 de fil. mil. appar.* Vexillationes vero (de quibus *l. 22. 23 de erog. mil. ann. d. l vn. de bon. mil*) erant Equitum: vnde eæ Legionibus & Numeris opponuntur, *d. l. 22.* & *23.* & *d. l. vn.* Quod & ipsum Comitatensibus commune est: nam & Comitatenses aliæ Legiones fuerunt, Peditum scilicet aliæ Vexillationes, vt ostendit *lex vnica sup. de bon mil & d l. 22 & notitia Imperii.*

LEGIONES, & sic Pedites, diuidebantur in in Cohortes & Numeros. De *Cohortibus*
P. 354 agitur *l 1. de Commeatu l 2. 10. de Veteranis: l. 10. de Decurionib.* vnde legionibus vel cohortibus deputari, *l. 10. de Decurionib.* & milites Cohortales, qui Alaribus opponuntur, *l. 4. de Veteranis:* de Numeris vero agitur, *l. 4. 7. 16. 17. 18. seu vlt de re milit. l. 7. 9. de Tyronib. l 16. 23. 24. 25. 28. 34 de erogat. mil. ann. l. vn. de bonis milit. l. 12. 13. de diu offic. l. 11. de murilegulis: l. 16 de exactionib.* His opponuntur Vexillationes, *d. l. 23. de erogat.* In hos demum Numeros qui relati essent, iusti Milites habebantur, *l. 7. de Tironib.* vocati & alicubi quorundam respectu, Plerqmi, *l. 1. de domest. & protector.* Erant & Manipuli Peditum: vnde Manipularis, *l. 3. ad leg. Iul repetund.*

EQVITES vero diuidebantur in Alas, & Cuneos. De *Alis* illud saltem ex *l. 4. de Veteranis* discimus, milites alares Cohortalibus oppositos. Quod *Cuneos* attinet: de hisce agitur, *l. 1. 7. de Tironib l. vn. de bonis mil* eos vero Equitum fuisse docet diserte *d. l. vn.* Eorumque quidam Auxiliares erant, *d. l. 1. de Tironib.* vnde & Cunei & Auxilia iunguntur, *l. 7. de Tironib.* quorum nonnulli in ripis positi erant. Erant & Turmæ militum (Equitum) *leg 7. de Tironib.* Erant denique & quæ *Familiæ* dicebantur, de quibus *l 17.* (vbi dico) *28. 31. de erogat. mil. ann. l. vlt. de iure fisci: l. 1. de excoct.* quæ a fortissimis & deuotissimis Militibus, & a Numeris & Impedimentis separantur.

DEPVTATI autem (quæ vox in re militari quoque propria fuit, *l. 17. de re milit. l. vn. de lusoriis Danub. l. 10. de Decurionibus*) seu locati positique milites erant, vel ad prouisionem & Curam (quæ vox & ipsa propria est) tuitionemque & munitionem limitis & fossati, ad timoris suspicionem amoliendam, vt Gentiles *l. 1. de terris lim.* In limitibus Imperii, *l. 15. de erog. mil ann.* veluti in Rhetico limite, *l. 15. 18. de extraordin.* vnde Limitanei milites, & Limitanea militia, *l. 30. de erog. l. 56. de Decurion.* Stationesque certæ horum militum erant, *l. 12. de erog.* seu per Stationes locati milites, in locis quibusdam prætendebant, *l. 1. de Commeatu* (vbi de his *prætenturis* plene ago:) Aliis fluminum nominatim limitaneorum custodia commissa erat, veluti Rheni, *l. 9. de re milit.* in ripa per Cuneos & Auxilia constituti, *l. 7. de Tironib.* vn-

de & Riparienses seu Ripenses dicti, de quibus *supra* Tuitio item locorum sæpe committebatur Domesticis & Protectoribus, *l. 1. 2. de Domest. & protect. l. 27. de erog. mil ann. l. 3. de litor. & itin. cust.* de quibus vid. & *l. 4 de Veteranis*: quorum Pleromi ac termini sedesque dicuntur, *d l. 1.* & *2.* Litorum nominatim & portuum & itinerum custodes quidam erant, & excubias agebant; de quibus est *tit peculiaris 16.* Litora scilicet, id est, portus, stationes, quin & Insulæ, *l 1. 2 eius tit.* & *l. 5. 8. 17. 34 de Nauicular.* Sed & loca obseruationis excubiis munienda: *l. 30. de cursu publ.* itinera, *Rubr dicti tit.* & itineris tramites, *l. 1. si quis pec. conf* abscessus prouinciarum, abdita loca. *l. 2 de lit. & itin. custod.* certis de causis sæpe crebris excubiis vallabantur, *l 1. eod.* custodiebantur; Hinc Curiosi litorum, *l 10. de Curiosis*: & *Nouella* Valentin *inter Theodos. 23.* vel etiam custodes absolute, *l. 9. de metallis*, litorum custodes, *l. 5. 17 de Nauicul.* Custodes, inquam, per prouincias, quæ mari alluuntur: *d. l 9.* Certis de causis, inquam, puta vt ne mensuram seu modum oneris cursus publici quisquam egrederetur, *l. 30. de cursu publ.* vt ne merces illicitæ ad Barbaras Nationes transferrentur, *l. 3. eo tit.* & *l. 1. si quis pecun. conf* & *l. 10. de Curiosis*: qua de causa Naucleri seu Mercatores commeantes merces suas profiteri tenebantur, *d. l. vlt de litor & itin. cust* Item ne personæ fortassis certæ conditioni adstrictæ, veluti Metallarii, sese subducerent, vel aufugerent; *l. 9. de metallis.* Item ne quisquam commeantium iniuria adficeretur, quo pertinet *lex 5. 8 17 de Nauicular.* Imo & alii quandoque extra ordinem necessitate fineque littora itineraque custodita; quo pertinet *lex 1.* & *2. de lit. & itin cust.* In Burgis quoque quidam seruiebant, *l. 2. de his qui condit. propr.* qui Burgarii dicti, veluti in Hispania: de quibus est *titulus*, seu *lex vn de Burgariis*: Vbi de his dico plene, vt & in Castris & Castellis, *l. 30 de erog. mil ann l. 13. de desertorib.* in limite scili et vbi limitaneus miles erat *d. l. 30. de erog.* vnde castella Limitanea *l. 2 de terris limit. l. 15. de desertorib.* Et miles castellanus, *d. l. 2. de terris limit.* qui non Castellano militi opponitur. Indeque & Castriciani, de quibus *supra* iam ex *l. vlt. de re mil.* in castris constituti, *l 15. (30) de erog. mil ann.* Alii denique iam & potissima parte milites erant in Exercitu, *l. 10. h. t. de re mil.* seu in Expeditione occupati, & in castris & sub signis, *l 1. de Commeatu* (quibus opponuntur *ea leg.* qui in locis prætendebant) in expeditione degentes: *l 4. 5. 6. de erogat. milit. annonæ.* proficiscentes videlicet ad bella, vel ex procinctu redeuntes, *l. 13. de metatis*: denique felicibus expeditionibus pro salute rei publicæ occupati, *l 14. de metatis*: de qua expeditione militari postea. Et hæc quidem de Militia Terrestri.

Erant enim & *Classes* in fluminibus, *l. 10 de veteranis*, & *tit. 13.* Quarum aliæ erant in flu-
P.255 minibus Imperium Romanum terminantibus, instrumentis suis vniuersis Armatæ, ad belli aleam præparatæ, & in confluctus specula munitissima statione, vel discursus opportunitate degentes, itemque ad transuectionem annonæ militaris, veluti in Danubio, vbi Lusoriæ naues erant, per diuersos limites & tractus positæ, quarum aliæ *Iudiciariæ*, aliæ *Agrarienses* dicebantur, *tit 17. de Lusoriis Danubii*, vbi dixi: quæque certo numero per singulos annos, partim nouæ contexi, partim veteres reparari, Ducis instantia debebant, *ibidem.* Erant & Classes in Oronte, veluti Seleucena, aliæque *d. l vn. de Classicis*, ad purganda videlicet flumina, aliasque necessitates. Certi vero Classium Præpositi erant; *l. 10. de veteranis.*

PRÆERANT rei militari, militibusque, militares Iudices: *l. vlt. de veteranis*, seu Militares Dignitates, *l vn de honor. vehic. l 37. de cursu publico.* Ac primi quidem omnium Comites, *l. 17. de re milit l. 23. de erog. milit. ann l. vlt. de infirm. his quæ sub Tyr.* seu Comites & Magistri militum *l. 8. de re milit. l. 8. de metatis: l. vlt. de desertorib. l. 1. ne Comit. & Trib.* qui Magistri militum simpliciter dicuntur, *l 9. 10. 11. de re mil. l. vlt. de Comit. rei milit. l. 12. 34. de erog. mil. ann l. vlt. de desertoribus, l. 9. de veteranis, l 15. de Numerariis, l 11. de diu. offic. l. 56. de cursu: l. 2. de exhiben. reis: l. vn qui a præbit. tyronum: l 181 de Decurionib.* & *Rubrica tit. 6.* & *7. lib 6.* vel Magistri militiæ, *l. vlt. de erog. mil ann. l. 3. de diu off.* vnde & dicta Magisteria militum potestas, *l. vlt de metatis.* Magisteria potestas, *l vn. de lusoriis Danubii*: & *tit. de priuil. appar. Magist. pot.* Ita quidem, vt nonnulli aliquando Comites vel Magistri vtriusque militiæ fuerint *l 13. de re milit. l 18 de erog. mil ann. l. 1. de excoct. l. 3. de pascuis: l. 3. de salgamo: l. 12. 13. de Veteranis: l. vn. de off. Iudic. milit l. 9 ad l. Iul de adulter. l. 4. de patrocin. vicorum: l. 11 de murilegulis: l 6. de domesticis: l. 128. de decurion l. 1. de calumniatorib. l 12. de fil. mil. appar. l 9 de Iudæis.* (Quanquam & nonnullæ ex his legibus accipi possunt de diuisa Magisteria militum, non de coniuncta:) Et sic Comites & Magistri Equitum & Peditum simul, *l. 2 7. de re milit l 5. de Numerar. l. 1. de annona & trib.* Alii vero separatim Magistri vtriusque militiæ: *l 24. de erogat. milit. annonæ.* puta Comites & Magistri Equitum, vel simpliciter Magistri Equitum tantum, *l. vn de rei vindicat. l. vn. de nuptiis Gentil. l. 1. de bonis mil. l. vn. de Præf. prætor. l. 9 de re milit l 8. de Tironib. l 10. de numerar l 4 5 de diu. off. l. vn. de priuil. appar. Magist. pot. l. 30. 43. 44 de cursu publ. l. 58. 78. de decur. l 6. de susceptorib. l. 2. de Gladiatorib. l. 5. de sententiis*, Magistri militiæ Equestris, *l. 43. de cursu publ.* Alii vero Magistri peditum, *d. l 8 de Tironib d l. 4. 5. de diu. off.* & *d. l. vn. de priuil. appar. Mag d. l. 38 78. de decur. d l 6. de susceptorib. d l. 30. 43. 44. de cursu publ. d l vn de Præf præt. d. l. 2. de Gladiatorib.* Magistri pedestris militiæ, *d. l. 43.* Quanquam verum sit, nonnullos ex his qui hoc Codice *Magistri Equitum* signate vocantur, peditum quoque nihilominus Magistros fuisse: Exemplo esse possunt

vel

vel Iouinus & Timasius: de quibus in *Prosopogr.* Et notandum, Magistrum Equitum in omnibus *legibus* Magistro peditum præmitti, excepta *l.5. de Numerariis.* De horum vero inter se prælatione, ipse dico ad *l.4. de honor. codic.*

Fuere vero quoque Magistri militum per singulares diœceses, veluti Magister militum per Orientem, per Thracias, per Illyricum, per Gallias, per Africam, quos omnes *Notitia nostra* Theodosiana exhibet: Hique omnes Illustres erant, *l.17. de re militari, l.23. de erog mil. ann. l.8 de Metatis: l.8. de Tironib. l.1. de Comitib. & Trib. l. vlt. de Comitib rei mil l.113. 181. de decurion. l.1. de excoct l.11. de mun legali: l.6. de domest. l.30.43. de cursu: l.78 de Decur.* Magnificentiæ titulus eis tributus *l.13. de re mil. l.15. de Numerariis:* Sublimitatis, *l. vn de lusor. Danub. l.9 de Iudæis*, Excellentiæ, *l.10. de Numer.* Illustris Magnificentia tua, *l.113.115. de Decur.* Insignis Auctoritas tua. *l.3. de pascuis:* Magnifica Auctoritas tua, *l.12. de erogat. milit. ann.* Sublimis Magnificentia tua, *l.13. de re milit.* Illustirs auctoritas, *l.1. de Excoct. l.6. de Domesticis:* Sublimis magnitudo. Inter altissimarum scilicet dignitatum Viros numerabantur, *d.l.4 de honor. Codic.* & *l. vn. de Consulibus.* Præfectisque prætorio & vrbis æquabantur, *l 1 de Præfectis prætorio:* pompaque adeo his tribuitur, *l.44. de cursu:* vt & culmen, *d.l vn. de Consulibus:* & *l.175. de Decurionibus.* Eodemque iure quo Præfecti prætorio, ad propria, vel optata properantes, euectione cursus publici vti poterant, *d.l.44.* variisque immunitatibus fruebantur *l vn. qui a præb. tir* & *l.3. de metatis.* Neque ἔμπρακτοι tantum Magistri militum erant, verum etiam nonnullis contemplatione meritorum, honorarii Magisterii codicilli collati: *l.4 de honor. cod.*

Tandem Officiales suos & Apparitores varios habuere Magistri militum, de quibus est *titulus* seu *l. vn. de priuil. appar. Magist. pot. l.4.5. de diu. offic. l.6. de susceptoribus:* Et in his Chartularios, *d.l.5.* & Scriniarios, *l.15. de Numerariis.* Hi vero militaris ordinis erant, *d l.6. de susceptor.*

Quandoque etiam nonnulli extra ordinem exercitibus præpositi, vice Magistrorum militum, *l.3. de Comitib rei mil.* veluti Comites Domesticorum: *l. vn. qui a præbit. tir.* & *l.1. de venat. ferar.* quæ & ideo *d l. vn. qui a præbit.* dicuntur, virtute sua triumphis Principis subiugare de hoste captiuos.

POST Magistros militum, *l.9 de re milit.* erant alii, qui dicuntur Militaris Ordinis Viri, *l.8. de desertorib.* Militaris nominis Viri, *l vn qui a præb. tir.* Militaris corporis Viri, *l.2. de Comitib. rei mil.* Militares Viri, *l.128. de Decurionib.* Quibus scilicet regendæ militiæ cura commissa erat, *l. vlt. de re milit.* quibus militaris rei cura mandata erat, *l 1. de Iurisdict.* qui milites curabant, *l.1. de erog. mil. ann.* qui milites ducebant, *l.1 de Comitib. rei milit.* Puta COMITES Diœceseon integrarum *l vn. de Comitib. & Trib. scholar.* veluti Comes Ægyptiaci limitis, *l.52. de cursu:* Ægypti & Ponticæ diœceseos, *d. l vn. de Comitib. & Tribun. schol.* & Orientis, *l vlt. de Comitib rei milit. l 3. de Primicerio & notar.* quorum peculiaris ratio & gradus fuit. DVCES: de quibus agitur *l vn. de Comitib. & Arch. S P. l. 9.15. vlt de re milit. l 1. de Tironib. l. vn de lusor. Danub. l.6. de fil. mil. appar l vn. de Comitib. & Arch. l.3. de litor. & itin. custod l.13 de Veteranis, l.29 30.36. de erog mil. ann l 2. ne Comitib. l.3. de Comitib. rei milit. l 16. de Numerar. l.57. de cursu: l.49 de appellationib l.1. de patrocin vicorum: l.113.128.133. de Decurionib l.3. ad leg. Iul. repetund l.13. de operib. publ. l.8. de paganis:* Qui plenius Duces militum vocantur *l.13 seu vlt. de Veteranis:* Duces limitum, *l. vn. de lusor. Danub. l.7. ne Comit. & Trib. l.6 de fil. mil app l 1.133 de Decurion. l.2. de venatione ferarum.* Duces prouinciarum *l. vn de Comitib. & Trib schol. l. vlt. de cursu: l. vlt. de Comit. rei mil.* Quibus & administratio tribuitur, *l.3. de Comit. rei mil. l.13. de oper. publ. l.28. de Prætor* Et Spectabiles erant, *l.27. de Cohortalib. l.30. de erog.* Sub Magistris militum constituti *d l.9 de re milit. l. vlt. de Veteranis, l. vn de venat. ferar.* De eorum gradu vid. *l. vn de Comitib. & Arch S. P.* singulos vero Duces Ægypti, Armeniæ, Daciæ Ripensis, Libyæ, Mesopotamiæ, Osdroënæ, Sardiniæ, limitis Euphratensis, limitis Tripolitani, qui *hoc Codice* memorantur, exhibet *Notitia nostra.* Ab his vero munus ipsum dicitur Ducatus, *l.28. de Prætorib. l vlt. de domesticis, & Protector.* & officium eorum, Ducianum, *l.30. de erog. mil. ann. l.2. de venat. fer.* vt & ipsi, Duciani, *l.3.* seu *vlt. de lit. & itin. cust.* & qui Ducis officio functus, ex-Ducibus, *l.1. sup. de Decur. & fil. l. vlt. de domest.*

Tria vero Ducum genera deprehendo, de quibus *l.28. de Prætorib. l.13. de proximis.* De horum priuilegiis, vid. *l.28. de Prætorib.* De ipsorummet electione a Principe facienda, est Theodosii iun. *Nouella de Ambitu 31.* De integritate, fortitudine, vigilantia, quam probata rerum documenta commendent, in his requisita, videnda est eadem Nou. vt & de eorundem Officio seu munere. Officium vero eorum inter alia fuit, in limite sibi commisso Turres veteres reficere, & nouas extruere adiumentis militum, *l 13. de operib. publ.* Itemque lusorias naues, v. g. in Danubio nouas certo numero per singulos annos fabricare, veteres reparare, *l. vn. de lusor. Danubii.* De variis eorum commodis & annonis *postea.* De eorum Domesticis Manipulariis, & Ministris, *l.3. ad l. Iul. repet.* De officiis seu Officialibus & Apparitoribus eorum, *d. l.30. de erog. l. vn. de lusor. Danub. l.16. de Numer. l.1. inf. l.2. de venat. fer. l.3. de lit.* & *itin. cust. l.57. & l. vlt. de cursu publ. l. vn. de quadrim. breuib. l.133. de Decur.* Notandum tamen eundem aliquando & Ducem & Præsidem eiusdem prouinciæ fuisse, *d.l.3. ad leg. Iul. repet.* Ducem & Correctorem, *l.133. de Decurion.*

COMITES: de his est *titulus 14. lib.6. de Comitib. rei milit.* de iisdem agitur *l. vlt. de off. Iudic. omn.* (quanquam *hæc lex* pariter vt *lex 32. de erog.* accipienda de Comitibus, qui prouin-

cias regebant:) *l. 4. 9. vlt. de re milit. l. 3. 12. 32. de erogat. l. 2 de Salgamo: tit ne Comitib. & Trib l. vlt de Veteranis: l. 49. de cursu publ. l. 11. de diu off. in subscript. l. 4 de patroc. Vicor. l. 128 de Decurionib.* Comites, inquam, militum: *l. 13. de Veteranis:* Comites rei militaris, *l. 17. de Proximis: l. 1. de Comitib. rei mil. l. 3. de erogat.* veluti per Africam, *d. l. 3. de erogat.* per Transmarinas prouincias, *d l. 1. de Comitib. rei mil.* Qui scilicet cum Comitiua primi ordinis, *l. 1. & 3. de Com. rei mil.* contemplatione meritorum intra prouincias militem ducebant, *d. l. 1.* Seu qui peculiariter ad prouinciam vel prouincias defendendas milite credito a Principe destinabantur, *d. l. 3.* Dicuntur comites minores & inferiores, *l. 1. & 2 ne Comit. & Trib.* ad differentiam Illustrium Comitum & Magistrorum militum, de quibus *supra*. Cæterum inter hos Comites peculiaris ratio & dignitas fuit eorum, qui per transmarinas prouincias milites duxissent, *d l. 1 de Comit. rei mil* Æquati vero Comites Ducibus, *l. 3 de Comitib rei mil.* quibus & alicubi postponuntur, *l. 9. de re milit. l. 128. de decurion.* at præponuntur *l. vlt eod* & *l. vlt de Veteranis*, & *d. l 11 de diu. offic.* pariter vt in *Notitia Imperii*. Et hæc de Comitibus, & Ducibus separatim. Aliquando vero idem & *Comes* & *Dux* appellatus: *l. vlt. quorum appellat.*

Sub his iam erant PRÆFECTI: de quibus *l. 2. de Veteranis:* Post Præfectos TRIBVNI: de quibus *l. 2. de Veteranis: l. 2. 10. 12. 13. 17. de re mil. l. 1. 23. 28. 29. vlt de erog. mil. ann l. 2 de Salgamo, l. 1. 2. ne Comitib. & Trib l vn. qui a præbit. tyron. l. 4 de Patrociniis vicor. l. 113. 128. de Decurionib.* vnde & Tribunatus, *l. 18 de Tironib. l. 13.* seu *vlt. de Veteranis:* Qui plenius Tribuni militum dicti,
P.257 *l. 49. de cursu publ.* Tribuni militares, *l. vn qui a præbit. tir.* Tribuni cohortium, *l. 1 de commeatu: l. 10. de Veteran.* Tribuni Numerorum, *l. 23. vlt. de erog. mil. ann. l. 11. de murilegulis:* Tribuni vexillationum, & Scholarum, *l. 23. de erogat. mil ann.* Pars vero his tribuitur, *l. 13. inf. de re milit.* Hinc & epistulæ ex Tribunis, de quo *tit. 21.*

Inter Tribunos & Præpositos COMITES quidam medio loco memorantur, *l. vlt. de erog. mil ann.* vt existimo Comites secundi ordinis, vid. quæ ibi dixi. Post hos PRÆPOSITI: de quibus agitur *l. 2. & 10 de re mil l. 1. vlt. de erogat. l 1. 2 de salgamo, l. 113. de Decurionib. l. 1. de Commeatu: l vn de Comitib. & trib Schol* Qui plenius Præpositi militares dicti *l. vn qui a præb tyr.* Præpositi Numerorum, *l. vlt. de erog. mil. ann.* vnde & Præpositura, *l 18 de tiron. l. vlt. de Veteranis: l. vn. de Comitib. & Trib. schol l. 2. de testimon.* Præpositura castri ac militum, *l. 11. de diu off* Quomodo & Præpositi erant Classium, Lætorum, & Romanarum legionum, *l. 10. de Veteranis.* Distinguuntur porro passim Præpositi a Tribunis: ita quidem, vt Præpositi Tribunis præponantur, *l. vn. de Comit & Trib schol.* postponantur vero frequentissime *l. 1. & l. vlt. de erog. mil. ann. l. 2. 10. de re militari: l. 2. de salgamo: l. 113. de decur.* In eadem *l. vn. qui a præb tyronum*, modo præponuntur, modo postponuntur. Porro quandoque scholaribus laborum intuitu regendi Numeri dabantur a Principe, *leg. 34 de erogat. mil ann.* Erant & *Curiosi* litorum, *l. 10. de Curiosis.* Custodes litorum & portuum, *tit de litorum & itin. custod. l. 9. de metallis.* Memorantur tandem DECVRIONES, *l. 1. de commeatu:* qui scilicet alis seu turmis Equitum præerant. Et hæc de Militibus & Dignitatibus, militaribus, quæ & ipsæ Barbaris hoc æuo passim collatæ: de quo in *Prolegom.*

OPERA nunc militaria persequamur, & MVNIMENTA quæ hostibus seu Barbaris obiecta erant Fuere igitur per orbem Romanum hoc tempore, 1. *Castra:* in quibus milites seu defensores constituti erant, *l. 5. 10. h. t. l. 1. de commeatu: l. 15 30. de erog. mil. ann.* De quibus & *Nou.* Theodosii *de ambitu*, 31. vbi & castris lusuriæ iunguntur: vnde & Castriciani milites dicti, *l. vlt. de re milit.* in castris constituti, *l. 15. de erogat milit. annonæ.* quibus & Præpositi præerant: vnde Præpositura Castri, *l 11 de diu. off.* In his vero castris erant condita militaria, seu annona militaris, *d l. 15.* Erant 2. & *Castella:* de quibus *l 13. de desertorib. l 2. de terris limit.* a quibus Castellanus miles, *d. l. 2.* cui castellorum loca seu territoria adscribebantur, *d. l 2.* Itaque in limite erant, argumento *d. legis 2.* quæ posita est sub *tit. de terris limitaneis.* 3 Erant & *Burgi*, a quibus *Burgarii*, de quibus *infra tit. 14.* 4 *Muris* quoque validis hac tempestate muniebantur ciuitates, qui pro necessitate vrgente sæpe constructi, reparati; ad quod quidem omnes promiscue tenebantur: *l. 13. de metatis: l. 4. de equorum conl. l. 34. 36 49. 51. de operib. publ* & *Nouella* Valent. *inter Theodos. 40 de Pantapolis*, quomodo & ad murorum portarumque custodiam quotiens vsus exigeret, ab omnibus obsequendum erat, *d. Nou. Valent. 40.* Adsignata etiam in id aliquando materia, ex demolitione Templorum paganorum, *d l. 36.* Quinto, in hisce quoque Muris *Turres* erant, tum in vrbe Constantinopol. de quibus *d l 13 de metatis, d. l. 51. de operib. publ.* & *d. Nouella 40.* in limite, per opportuna loca, quæ per Duces, adiumentis militum extruebantur, & reparabantur, *l 13 de operib publ* 6. Erant & *Fossata* in limitibus, *l 1. de terris limit.* ad quorum curam & munitionem Gentiles appositi erant, *d l 1.* 7. His quoque adnumerari possunt *Pontes* quidam, vt in sp. *l 2, ne operæ a conlatorib.* 8. Fuere & *Classes*, seu *Naues* armatæ in limitibus, de quo *infra* 9. His tandem connumerentur *Castra* ipsa, quibus exercitus in expeditione septus erat: de quo postea.

Proxime nunc videndum est de APPARATV bellico. SVBSIDIOQVE & INSTRVMENTO omni militari. Ac primo quidem de personis, vbi *initio* occurrit DELECTVS (quæ vox propria est, *de qua mox:* vtitur & Claudianus *de bel. Getico*,) militum & Tyronum. Igitur voluntarius partim miles erat, qui se militiæ offerebat, *l. 1. 2. quid probare deb.* seu cinguli sacramenta desiderabat, *d. l. 2. quid prob.* vnde & spontanea militia, *l. 6 de Tironib.* Quid vero spectatum in milite hoc, mox, vbi de Tironibus, dicemus. Partim vero miles collatus

tributus

tributus TIRONES scilicet, dequibus est peculiaris *titulus 13. de Tironibus* (a quibus Tironatus, *l. 21 eo tit.* & Tirocinia castrensia, *l. 12. de Veteranis*, qui & dicuntur *Homines* absolute, *l. 7. eo tit de Tironib.* & iuniores *l. 1. 6. 7. 10. 12 15. 18. eod. tit. l. 13 de Agentibus: l. 8. 9. 10. 14. de desertorib. l. vlt. de fil. mil. apparit. l. 78. de Decurionib.* publica vtilitate suadente, *l. 12. de Tironib.* conrta hostiles impetus, *l. 16. eod.* in supplementa Exercitus & Numerorum, *l. 9. eod. tit.* in militiæ supplementa, *l. 3. de Tabular.* in necessaria supplementa: *l. 6. de desertorib.* seu reparando exercitui: *Nouella* Valent. *inter Theodos. 41. l. 1.* vt adiectis viribus per delectum roboris militaris Romanus augeretur exercitus, *d Nou. l. 2.* in arma, *l. 12. de Tironib* in Tirocinium militiæ, *l. 11. eod* indicebantur, *d. l. 13 sup. de Agentib* Edicto emisso, *l. 8. de tironib* conscri-
P.15 bebantur, *d. l. 12. eod.* dabantur, *l 8. eod.* exhibebantur, *l. 1. & 2 eod.* offerebantur, *l. 6. 7. 10 11. eod.* conferebantur, *l. 18. eod* tradebantur, *l. 2. 6. de desertorib.* Ex opportunis videlicet regionibus, *l. 9. eod de tironib.* Indicti vero ii, aceptoinde collati a Senatoribus, *l. 7. 13. 14. eod.* ab Honoratis, *l. 7. 15. 18 20. eod. l. 2. de Decur. & fil. d l 13. de Agentib.* vid & *l. 3. de Proximis:* ab Honoratiis, *l. vn qui a præbit. Tironum:* a Sacerdotibus, *l vlt de Tironib* a Principalibus Decurionibus, *d. l. 7. eod.* ab officiis Iudicum, *d. l. 20. eod.* (exceptis his, de quibus *l. vlt. de fil. mil. appar. l. 78. de Decur.*) Denique a plebeiis omnibus qui patrimonium possidebant, & censibus tenebantur, *d l 7 12.* Exacti quoque aliquandò Tirones Vicarii ab his qui cum militiam subire ipsi debuissent, alteri Collegio seu Corpori se sociarant: *l. 78. de Decurion. l. vlt de fil. mil. appar.*

Et *Immunes* tamen quidam erant ab hac Tironum collatione seu officio (vt vocatur *l. vlt. de Tironib.*) de quo expressus est *titulus 18 lib. 11 Qui a collatione Tironum excus.* vt puta Domus Principis certis casibus & temporibus, *l. 2. 12. de Tironib.* Item Honorati, qui non Codicillis, verum labore dignitates consecuti fuerant, *l. 15. de Tironib. l. 1. 3. de Princip agent. l. 2 de Decur. & fil. l. 3 de Proximis:* Palatini remunerationum Sacrarum: *l. 21. de Palat. S. L.* vt & qui præsenti tempore publicum munus exercebant: *l. 20. de Tironib.* Barbara item vastitate depulsi, *d l. 20.* Tribuni, Præpositi militum, *l. 18. eod.* Sacerdotes quidam maiores, puta Africæ prouinciæ Proconsularis *l. vlt. eod.* Medici & Professores vrbis Romæ, *l. 3. 10 16. de Medicis & profess.* Item regiones suburbicariæ, in sp. *l. 12. de extraord mun.* (quod abrogatum *Nouella* Valentiniani, *inter Theodosianas*, *41. l. 2.* vt & cespites quidam tuendo statui vrbis Romæ destinati: *Nouella* Valent. *inter Theodosianas 40. in fin.* Et hæc ipsa tamen ita, nisi hostiles impetus & imminentes necessitates vrgerent *l. 16. 17. de Tironib.* Postulabantur porro, flagitabantur Tirones, modo in Corporibus, seu Corpora ipsa Tironum conferebantur, *l. 2 7. 14. eod.* modo pretia eorum loco, *d. l. 7. 13. 14. 20. eod* Si Corpora, tum in id delecti Viri, atque ab omni suspicionis prauitate immunes in prouincias mittebantur, *l 9. eod.* quos *Turmarios* dicebant, *l. 3 de priuil eorum qui in S. Pal.* qui & *Capitularii* dicti, *d. l. 3.* vnde *Capitularia functio:* quamquam *Capitulariorum* & *Capitulariæ functionis* appellatio generalis fuit, qua & Turmarii & Temonarii (de quibus mox) comprehendebantur, qui scilicet vel corpora Tyronum, vel pretia exigerent: vt ostendit *lex 14. 15 18. de extraordinar.* Probandis videlicet Tironibus Turmarii præerant, quæ *probandi* vox hac in re propria est: *l. 1. de Tironib l. 10. de decurionib. l 5. de fil mil. apparit.* Quia scilicet inutiles & probrosi sæpe dabantur, & fugaces: *l. 16. de desertoribus:* vt generaliter Milites probabantur; de quo nunc dicendum: Atque hic est qui *Delectus* dicebatur, *l. 3. 10. de tironibus l. 10. de desertorib. l. 12 de Veteranis:* vtrum videlicet miles armorum honore condignus esset *l. 8. de re milit.* vtrum castris idoneus, *l. 10. eod.*

Primo *Origo* tironum & militum inquirebatur, præsentibus Decurionibus, ne forte militiæ obtentu nonnulli Curias defugerent, quod passim fiebat *l. 1. de Tironibus:* Quare & venientes ad militiam quamcunque *tit quid probare debeant:* seu alicui militiæ se offerentes *l. 1. eo tit.* cinguli sacramenta desiderantes, *l. 2 eod.* probare debebant, *d tit.* statim, *d. l. 1.* primitus, *d l. 2* in ea vrbe in qua nati erant, vel in qua domicilium conlocarant, *d l. 2.* actis confectis, *d. l. 2* examine habito, *d. l. 1.* honestissimorum hominum testimonio adstipulante, *d. l. 1.* de natalibus suis, *d. l. 1.* videlicet, vt domum, genus & parentes ederent, *d l. 1.* ostenderent se penitus liberos aut genere, aut vitæ conditione, *d. l. 1.* ac nominatim se non patre, non auo municipe, id est, Decution●esse, penitusque ab *Ordinis*, id est, Curiæ, necessitate alienos, *d. l 2.* Quinimo si quis e Curia transfuga ad militiam armatam se contulisset, Curia per militiam regulariter non liberabatur, etiam Principis beneficio nequidem Veteranus: verum ad Curiam reuocabatur, vel alium pro se Curiæ dare debebat, nisi extra ordinem, post certum annorum & stipendiorum numerum modo quinque, modo decem, modo quindecim, modo viginti: de quo sunt complurimæ leges *tit. de Decurionib* puta *l. 10. 11. 13 37. 38. 40 43. 45. 56. 58. 64. 87. 88. 94. 95. 102. 113 125. 129. 137. 139. 143. 144. 147 154. 168. 179. 181.* Quomodo nec officiali militia quis liberabatur: de quo *tit. de diu. off.*

Secundo *Ætas* spectata & probata in milite, *l. 24. de fil. mil. apparit l. 19 58. de Decurion.* Post decimum octauum scilicet annum expletum a decimo nono ad militiam tiro seu miles deligebatur: *d. l. 1 de Tironib* & *l. 58 de Decurionib.* Vide & quæ *infra* de Veteranorum filiis dicetur.

Tertio, *Proceritas* & *Statura* in milite exacta, *l. 5. de re milit. l. 8 de fil mil. appar. l. 13. de diu off l. 12. de Veteranis:* vnde ftitura militaris, *l 9. de desertorib.* In quinque vero pedibus & septem vnciis vsualibus delectus hic habitus in Italia, *l. 3 de Tironib*

Quarto, *Status* quoque in Tirone spectatus: Neque enim serui, aliique vitæ genere
P.159 ignobiles, veluti ex caupona ducti, ex Tabernarum ministeriis, ex Coquorum & pistorum

numero, vel ex iis quos obsequii deformitas a militia secernit, ex ergastulis oblati Tirones admittebantur: *l. 8 11 de Tironib.* non vagi item, non veterani: *l. 6. eod. tit.*

Quinto, *Robur* quoque & *Habitudo* corporis in milite exacta, *l. 5. de re milit. l. 9. de desertorib. l 8. de fil mil. apparit. l. 13. de diu. off.* Et, quod notandum, diuersum robur, diuersaque statura exacta pro diuersitate legionum, *d. l. 8.* imo & pro diuersitate equestris & pedestris militiæ: *l. 2 de fil. mil. apparitorum.*

Sexto, habita & *Sectæ* ratio in milite. Iudæi quippe armata quoque militia prohibiti: *l. 24. de Iudæis.* Tanta vero, probandi militis ratio habita, vt Imperatores quoque milites quandoque conspectui suo subiici atque ad sese deduci voluerint, *l. 2. 5. de fil mil. appar.*

Receptis iam Tironibus stigmata infligebantur, *l. 4. de Fabricensibus:* Locoque semper posteriore ponebantur, *l. 14. de re milit. l. 19 de Tironib.* (quamquam hæ leges ad Scholas Palatinas potius pertinent) Quod Sacramentum militum attinet, de eo postea.

Tironum vero alii initio nondum milites erant, nondum Aquilis sociati: alii autem iam militarium initiati auspicio, *l. 9. de Desertorib.* seu in numeros relati, de quo ad *eam l. 9.* Hanc etiam tyronum militiam per hæc tempora, & quidem per Italiam nominatim multi desugiebant digitorum amputatione, seu truncatione: *l. 4. 5. 10. de Tyronib.* castraque fugiebant, *d. l. 4:* seu sacramenta militiæ, *d l. 5.* vsum denique armorum declinabant, *d l 10.* Et hi tamen ipsi si in aliqua Reipubl. parte prodesse possent, ibi militare cogebantur: *d. l. 4. 10.* Quin & tironatus tempore multi refugiebant, & ab aliis occultabantur: *l 21 eod. tit.* de quo infr. vbi de Desertoribus Priuilegia denique tironum quædam erant, de quibus *l. 6. 7. eod. tit. de Tironib.* Et hæc de ipsis Tironibus.

Vicissim Aurum aliquando pro rerum necessitate loco tironum exigebatur, *l. 18. eod. l. vn. qui a præb. tiron. l. 2. de Medicis & profess.* vel a certis tantum prouinciis & regionibus, *l. 2. 9. de Tironib.* Aliquando optio dabatur, veluti Senatui, tyronis præstandi vel pretium seu aurum, *l. 13 eod.* Auro vero exigendo præerat, qui *Temonarius* dicebatur; *l. 7. eod.* vbi dicam, & *l. 3 de desertor l. 3. de priuil. eor. qui in S. Pal.* vnde temonariorum obsequium, *d. l. 3.* temonaria functio, *l. 14. de extraord. s. sordid mun.* temonarium onus *l. 6. eod. tit* temonis necessitas, *l. 15. eod.* temonis onus *l. 18. eod* temonis iniuria, *l. 14. de Prox.* Quod & Capitulariorum & Capitulatiæ functionis nomine veniebat, de quo *supr.* Varie autem tirones taxabantur pro Principum arbitrio: *l. 7. 13. 20. de tironibus:* modo vigintiquinque solidis, *d. l 13.* modo triginta, *d. l 20.* & Nou. Valent. *de tironib. 41. l. 3.* modo triginta sex, *d l. 7.* Aliquando pro pœna, maiore longe pretio taxati: *l. 8. 9. de desertorib.* Ex pretio deinde tyrones emebantur: *l. 7. de Tyronib.* Quod comparandorum Tironum munus *Protostasia*, seu *prototypia* vocabatur, de quo *l. 3. de desertoribus:* & peculiari *tit. lib. 11. de Protostasia.* Et hæc quidem de Tironibus, militumque delectu.

Secundum militare subsidium in eo erat, quod reparando exercitui, & vt sublatus numerus reparari posset, *l. 6. de Tironib.* vt compensatio fieri posset, *d. l. 6.* vt in locum eorum qui defensi sunt militia alii subrogari possent, *l 7. eod. tit.* in exercitu habebantur matriculis adscripti, *Adcrescentes:* qui nondum gerendis armis idonei erant: *l. 11. de re militari: d. l. 6. & 7. & l. vn. de Classicis:* iuniores videlicet a parentibus oblati: *d. l. 11. & l. 5. de milit. veste.* qui a fortissimis militibus distinguuntur, *ea l. 5.* quibusque ideo fiscalis annona nondum præbita, sed alimoniam a parentibus sumebant, quoad gerendis armis idonei fuissent æstimati, *d. l. 11.* Et tamen a censu iam immunes erant *d. l 6.*

Tertio, erant quoque certa corpora hominumque genera, delectibus obnoxia, *l. 12. de Veteranis:* qui nullo obiectu a militia liberari poterant; ne clericatu quidem, quo quidam non tam obseruatione cultus, quam otii & socordiæ amore confugiebant: *d. l. 12.* In his erant *Filii Veteranorum*, de quibus est, *titulus 22. de filiis militar. Apparitorum & Veteranorum.* Filii, inquam, seu liberi Veteranorum, *d. tit. & l. 5. 8. de re milit. l. 2. de Veteranis: l. 3. de Tabulariis* eorum qui armis adhæserant, *d. l. 5.* militum, *l. 6. & 10 eod. tit. de filiis militarium Apparitorum:* Primipilarium, *l. 11. eod.* omnesque adeo Castrensi stirpe progeniti, *l. 7. 9. eo tit.* seu militaris prosapiæ, *d. l. 7.* militiæ munera subire cogebantur, *l. 2. 4. eod. tit.* propterque priuilegia parentibus eorum indulta vacare non sinebantur, verum ad vsum bellicum & castra reuocabantur: *d. l. 5. de re milit.* & *d. l. 2. de Veteranis.* Definitaque eam in rem certa erat Ætas, *d. l 5. de re milit.* varie. Modo, postquam legitimos annos ingressi fuissent, *l. 11. eod tit. de filiis milit. appar.* ab anno 20. ad 25. annum: *l. 2. eod.* Aliquando octo-
P.260 decim anni constituti, *l. 19. de Decurionib.* Aliquando, sedecim: *l. 4. eo. tit. de filiis milit appar & l 2. de Veteranis*, vt quidem ipse restituo, & *l. 35. de Decurionib.* Si modo eos vigor & fortitudo defendendæ Reipubl. idoneos faceret: *l. 5. eo tit. de fil. mil. app.* si eos militaribus ministeriis seu muniis aptos insitum robur ostenderet: *l. 7. & 9. eod. tit.* si armorum honore condigni essent, *l. 8 de re milit.* Alioquin veteranorum filii si gerendis armis habiles non extarent, *l 4. d. tit. de fil. mil. app.* si inualidi & imbecilles essent: *l. 5. eo tit.* si inutiles sacramento minusque idonei, *d. l. 5.* si inepti militiæ, *d l. 5.* si eos imbecillitas valetudinis, aut habitudo corporis, aut mediocritas proceritatis ab armatæ militiæ conditione submoueret, *l 5. sup. de re milit.* vel etiam si delitiosis nutrimentis eneruati essent, *d. l. 5. eo tit de fil.* si gestandis armis idonei non essent, *l. 32. 35. de Decurion.* denique si militiæ nomen inferere vel non possent, vel supersederent, & militare detrectarent, *l. 18. 19. inf. de Decurion.* tum Curiis mancipabantur; Quod docent duodecim *leges*, puta *l. 1. 2. 4. 5. 7. 11. eo tit de fil mil. app. l. 5. de de re milit. l. 15. 32. 35. 78. 89. de Decurionib.* Quandoque etiam Præsidialibus seu Iudicum

Officiis

Officiis adiungebantur, *d. l. 5. de re mil.* & *d l. 2 de Veteranis:* si videlicet, vt dixi, militiæ inhabiles essent: Alioquin prohibebantur Veteranorum filii in officiis Iudicum militare: *l. 6. 7 9 10. eo tit. de filiis:* & *l. 12 de cohortalib.* vel etiam in officiis publicis: *l. 8. eod. de filiis*, vt & rebus propriis vacare, *l. 10. eod.* Eum vero in finem iubebantur parentes Veterani filios suos militiæ offerre, *l. 7. 9. eod.* & *l. 8. de re milit.* Cæterum priuilegia his Veteranorum filiis vt militiam subirent, varia data sunt: de quibus *l. 9. de Veteranis:* inter alia, quod his statim eorum stipendiorum & annonarum copia deferebatur, qui alterius gradus militiæ salutarem maxime Reipubl. operam persequebantur, *l. 5. de re mil.* vbi dico, & forte *l. 2. de veter.* seu, qui gradus præbebatur aliis post laborem, *l. 2. de fil. mil. app.* Item negotiari cum plena immunitate, *l. 9. de veter.*

Quarto, Euocati quandoque Edicto extra ordinem pro imminentibus necessitatibus contra hostiles impetus ingenui omnes, proposito stipendio, cuius etiam pars repræsentabatur, *l. 17. de Tironib.* imo & serui, proposito libertatis præmio, & pulueratico quodam *l. 16. de Tironib.*

Quinto, ex vagis & vacantibus. Huc, ad tuendum inquam exercitus numerum, militia suppleta, *l 3. de Tabular.* referri possunt & sequentia. Missi quandoque quidam veluti Tribuni & Protectores per prouincias ad inquisitionem & indagationem vagorum desertorum, filiorum veteranorum, eorumque quos militiæ origo consignat ad delectum, *l. 9. 10 & vlt de desertoribus l. 2. in fin. de fil. mil appar* Perperam item militia missi, ad eam retracti, pristinisque Numeris restituti, *l 4. 7. in fine, de re militari, l. 12. de Veteranis.* Pœnæ item propositæ Veteranis liberos suos non offerentibus, *l. 8. de re militari.* vid. & *inf. de Veteranis:* Vt & militiam detrectantibus, atque ideo etiam sese mutilantibus, de quo *supra.* Quin & militibus qui ingenuos propinquitate simulata, vel lixarum conditione abducerent, *l. 10. de re milit.* (vbi ratio redditur expresse, vt numerosissima, inquit, prole cresceret exercitus.) Addi possunt & pœnæ emansorum & desertorum, de quibus postea. Item interdictum ad honores perueniendi ante impleta stipendia, *l. 7. de re milit.* Huc contra faciunt præmia, priuilegia, & commoda militum & Veteranorum, de quibus *infra:* Facit huc euitandæ alterius conditionis, veluti Curialis & officialis, modus, certo annorum & stipendiorum numero: de quo *tit. de Decurionib* & *l. 6 de re militari*, & *tit. de diu. offic.* Tandem huc pertinent quamplurima quæ infra de disciplina militari dicentur.

Nunc de RERVM apparatu subsidioque. Ac primum de ANNONA militari. Ea vero collata in vsus militares a prouincialibus: seu in prouinciis ea a possessoribus congregata, vt loquitur *lex 21. de erogat. mil. ann.* De cuius variis speciebus postea, vbi de stipendio militum agetur. Ea postquam collata condita, seruataque certis locis: Erant scilicet species annonariæ militares repositæ seu reconditæ per limites & castra, *l. 15. de erogat. milit. annonæ. l. 6. de Numerariis*, id est, per castra limitanea, in horreis quibusdam in id destinatis, *l. 1. 5. 11. 13. de erogat. milit. annonæ l. 17. de cohortal.* quæ & horrea publica dicuntur, *l. 32. de erogat.* seu fiscalia horrea, *l. 16. eod.* (Indeque horreaticæ species, *l. vlt. de conditis in publ horreis:*) Itemque in Mansionibus *l. 12 de re militari:* vt & in Portubus expeditionalibus, *l 35. de nauicular. l. 2. de naufragiis:* Atque hæc quidem proprie *condita*, dicuntur, *l. 3. 15. de erogat. milit annonæ.* horreorum condita, *d. l. 10. de Numerariis:* fiscalia condita, *l. 16. de erogat.* Conferebantur autem ad castra limitanea seu transferebantur a vicinioribus prouincialibus, *l. 15. de erog* videatur & *l. 21 22. de ann. & trib.* & *tit.* de eo peculiaris, *de excoctione & translatione annonarum*, & *lex 3. Nouellæ Theodosii 12.* Cura huius annonæ militaris pertinebit ad Præfectum prætorio, quod variæ *leges* ostendunt, ac nominatim *tit. de erogat. mil. annonæ*, & ad Vicarium, *leg. 1. de offic. Vicarii*, *leg 3 de erogat. mil. annonæ.*

p. 261 Exigendæ huius annonæ a prouincialibus imminebant iudices seu Rectores prouinciarum eorumque Officiales, *l. 26. de erogat mil. annonæ.* & in his qui Primipilares dicebantur, *leg. 6. de cohortalibus* qui solemniter ad pascendos milites ad limitem destinabantur, *d. l. 6.* & ex more omnes alimonias militares susceptas ad limitem peruehebant, *d l 6.* Indeque Primipili necessitas, *l. 7. de Cohortal.* Primipilum, *l. 11. de indulg deb.* & *l. 11 de Decur.* pastus, *d. l 11.* pastus primipili, *l. 8 10. 11. 16. de Cohortalib.* pastus militaris translatio, *l. 18. de extraordin.* ad quam parangariarum præbitio, a qua nemo immunis erat, *d l 18* Primipili reliqua, *l 11 de indulg. debitor.* plura vid. in *Paratitlo de Cohortal.* & quæ dico ad *leg. 6. eius tit.* vid. & *l. 11. de Decur.* ipsis vero Iudicibus & eorum officiis insistebant, quo scilicet id quod annonæ militaris nomine debebatur, postularent, exigerent, ii qui extra ordinem milites mittebantur, & Opinatores dicebantur, *l. 26. de erogat. mil. ann. l. 1. de excoctione: l. 34. de annona & trib. l. 16. de exactionib. l. 186 de Decurionib* Susceptores denique eius annonæ erant, de quibus est *tit. de susceptorib. lib. 12.* Et hæc de militari annona, eiusque exactione.

EROGATIO eius sequitur. de quo est peculiaris ferme in id *tit. de erogatione militaris annonæ:* vid. & *tit. de quadrimenstr. breuibus.* Circa erogationem hanc vero quatuor Officia occupabantur, Subscribendarii, Actuarii, Optiones, Susceptores. De *Subscribendariis* agitur *l. 1. d. t. de erog. mil. annonæ. Actuarii*, de quibus, & eorum conditione, agitur. *l 11. 13. 16. 24. 28. eo tit.* & *l. 3. 5. 10. 14. 15. de Numerar. & Actuariis. l. 4. de executoribus, l 125. de Decurionibus*, erant, qui Numerorum (militarium) ratiocinia pertractabant, *d. l. 16. de erogat.* id est, quantum Numero cuique, quantum militi annonæ competeret. Quare & ipsi sub Magistris militum erant, *d. l. 5.* & *l. 10. de Numerar.* Optiones vero, de quibus agitur *l. 1. & 24. de erogat. mil. annonæ.* & *l. vlt. de iure fisci*, erant qui annonam militarem a susceptore flagi-

flagitabant, *d. l. 24. eo tit.* Susceptores denique (seu Procuratores, *l. 1. eo tit.* quorum etiam quidam Præpositi horreorum dicebantur, *d. l. 1. eo tit.*) erant, qui species annonamque militarem a se susceptam sibique commissam Optionibus flagitantibus erogabant, a quibus erogatio celebrabatur, *l. 11. & 24. eo tit.* species de horreis proferebantur *l. 11. & 13. eo tit.* denique qui numerationibus obligati erant, *l. vn. de quadrimenstruis breuib.* Cæterum antequam id facerent, pittacium authenticum ab Actuariis eos suscipere prius oportebat, *l. 11. 13. 16. (24. 28.) eo tit.* quæ per singulos, vel, vt multum, binos dies prorogabant, *d. l. 13.* vel expleto mense, seu triginta dierum spatio, *d. l. 16.* de quo *inf.* nam si absque pittacio quid erogassent, iis imputabatur, *d. l. 11.* Viciſſim, si quid amplius Actuariis vel Optionibus postulantibus erogassent, extra culpam erant: *d. l. 24* vide tamen *d. l. vn. de quadrim. breuib.* Porro, ne qua Actuariorum & Optionum fraudibus superpostulationis occasio relinqueretur, *d. l. 28* breues ante Indictionis principium ad scrinia Principis dirigi oportebat, secundum quos a susceptoribus erogatio celebranda erat, postea vero alii breues erogationis factæ modum continentes, *d. l. 24.* vt ita ex duorum horum breuium collatione, de Actuarii vel Optionis gradibus postea constare posset: de quibus breuibus dixi *suo titulo 25. lib. 11.*

Ad dispensationem vero annonæ istius pertinet, quod definitum *l. 2. de erogat.* de modo Præsegminum carnis militibus erogandæ; Ac ne species militibus corruptæ erogarentur, variis *legibus* & rationibus cautum fuit: *l. 1. 13. 16. 17. 18. 20. 21. eo tit. de erogat.* A certis etiam temporibus certarum specierum erogatio fiebat: Capitatio enim, id est, palea (noua scilicet) ex Kalendis Augusti militibus præbebatur, *l. 8. eo tit.* Vinum item nouellum a Nouembri mense a possessoribus militi præbebatur: *l. 25. eod.* Ad certum item dierum numerum vna solutione milites annonam consequebantur *l. 4. 5. 6. eod.* Petere quoque seu transuehere & conuectare eam milites tenebantur, *l. 5. eod.* neque enim omnis ad eos semper deferebatur, *l. 15. & 23. eod.* idque certo locorum interuallo, puta capitum non vltra vicesimum lapidem, *l. 7. & 9. eod.* Pro speciebus sane annonariis pecuniam seu pretium exigere militi Tribunoue aut Præposito non licebat: alioquin & pretium & species amittebat, *l. 1. 18. 20. 22. eod.* Non tamen annonam semper in ipsa specie, verum pro ea pretium quandoque milites iure consequebantur, *l. 10. 14. 22. vlt. eod.* & *l. 17. 19. de cohortalib.* Per certas quoque prouincias, puta per tres Palæstinas, *l. 30. de erog. mil. ann.* per Orientem & Ægyptum, *l. 31. eod.* Atque hoc sensu dicuntur annonæ adærari, *l. 28. eod.* Hinc adæratio, *l. 30. 32.* adæratæ annonæ, *l. 31.* ærariæ annonæ, *l. 34. 35. 36.* cum scilicet eæ in ære persoluebantur, pretio certo taxabantur, *d. l. 30.* Pretium autem taxabatur, pretia nummaria defigebantur, adærationes statuebantur, *d. l. 29. & 30.* prout in foro rerum venalium habebatur, *l. 10. 32. & l. vlt.* vide & ad aliquid *l. 28. in fin.* certum videlicet ac distinctum locis & numero, *d. l. 31.* Prorogari autem ex eo
P.262 quidquam militi vetitum, *l. 28. de susceptoribus.* Neque de conditis quidquam vsurpari a Comite rei militaris, nisi ex Vicarii arbitrio, *l. 3. de erogat. milit. annonæ.*

Notandum etiam fuisse & pistores pani militari conficiendo, qui Præpositos suos habuere, & Diadotas, de quibus *d. l. 28. de erogat.* Postremo Apparitores Ducum quadrimenstruos breues erogationis factæ in militares expensas conficiebant *l. vn. de quadrim. breuib.*

VESTIS quoque militaris, de qua *titulus 6.* peculiaris est hoc *lib. 7.* deque eadem agitur *l. 33. de cursu publico:* seu Chlamys, *l. 4. eod. tit. de milit. veste,* in conditis habebatur: quæ a prouincialibus conferebatur, seu a prouinciis dirigebatur, *d. l. 33.* vnde canon vestium, *l. 2. de milit. veste.* vestis collatio annua, *l. 3. eod.* vestes canonicæ, *l. 1. de distrab. pign.* vestium debitum, *l. 2. eod. tit.* Conferebantur autem vestes pro certo iugorum seu capitum numero: *l. 3. eod. de milit. veste:* & diuerse quidem pro diuersis diœcesibus & prouinciis, *d. l. 3.* Quandoque vestis ipsa, quandoque adæratio eius, seu aurum, quod *Comparatitium* dicebatur, eius nomine: *d. l. 3. & vlt. eod.* vnde postea singuli solidi pro singulis chlamydibus militi dabantur, *l. 4.* vel sane vestis a Gynæciariis contexta, *d. l. vlt.* Et quidem ex Kalendis Septembris ad Kalendas Aprilis, *l. 2. eod.* fiebat hæc collatio. Immunitas ab hac collatione ne nauiculariis quidem competebat, etsi ab annonaria præstatione excusarentur, *l. 14. de nauicular.* Huius vestis susceptor proprius erat, *l. 1. eod.* & *l. 4. de susceptorib.* vnde & susceptio vestium, *l. 31. de susceptorib.* qui quidem per Africam creabatur ex Principalibus vel Honoratis Proconsulis officii periculo: Vnoque anno hoc munus exercebat, *l. 1. eod. de mil. veste.* Quod immutatum, *d. l. 31.* De inspectione harum vestium agitur *d. l. 33. de cursu publ.* Statuiturque vt tales vestes a prouinciis dirigantur, quæ priusquam moueantur, inspectione Rectoris prouinciæ displicere non possint. De translatione earum agitur quoque *d. l. 33.* de quo dicemus vbi de stipendiis militum. A Gynæceariis porro seu Gynæceis Principis hæc vestis contexebatur, qui sextam partem auri comparatitii pro contextione vestium Tironum & Gregariorum militum suscipiebant, *l. 5. eod. de milit. veste.*

EQVI etiam ad militares vsus collati: de qua collatione sunt quatuor tituli, *tit. de oblatione Equorum: tit. de Equorum collatione: tit. qui a collatione Tironum vel equorum excus. tit. de Stratoribus.* De eadem collatione est quoque *lex 29. de annona & trib. l. 2. de Decur. & silent. l. 3. 14. 15. de Proximis: l. 2. de priuil. eor. qui in S. P. l. 2. de Medicis: l. 12. de extraordinar. s. sordid. mun. l. 138. de Decurion. l. 15. de Naucul.* Equorum scilicet (qui per Africam nominatim A. D. 401. *Curatorici* dicebantur, *l. 29. de annona & trib.* seu Curatoricio nomine flagitari, *l. 2. de equorum conlat.* Canonici militares, *l. 3. de equorum conlat.* solemnes, *l. 2. de priuil. eor. qui in S. P.*) indictio *l. 15. de Proximis,* atque inde conlatio fiebat, *d. l. 1. de equorum conl.* inlatio, *l. 1. de distrab. pignor.* oblatio, *tit. de oblatione equor.* præstatio, *l. 2. de decur-

cur & fil l.14 de Proximis: l. 2. de Medicis: repræsentatio, *d. l. 2. de priuil. eor. qui in S. P.* exactio, *l.12. de extraordin.* præbitio, *l.15. de Nauicul.* pro rerum necessitate, *d. l. 2. de decur & fil.* ad militare subsidium, *l.3. de Proximis:* vt instrueretur vsus armorum, *d. l. vn. de oblat. equorum.* Ab Honoratis, *d. l. 2 de decur. & fil. l. 3. de Proximis: l. vn. de obl. equor. d. l. 2. de priuil. l.138. de decur. l.14 de nauicul.* ab Honorariis, *d. l. vn de obl. equ.* qui vsque ad honorariam dignitatem peruenerant, *d. l.138. de decurion.* etiam Nauicularii *l.14.15. de nauicul.* A Colonis & obnoxiis (rei priuatæ) *l. 1. de Equorum conlat.* Hi autem qui vel ipsi præstabantur, missis ad comprobandos seu probandos eos Stratoribus: certa enim forma, statuta ætate, equi conferebantur: quibus ideo Stratoribus probæ nomine vnus solidus dabatur, *l. vn. de Stratorib.* vel equi adærabantur: *l.3 de equorum conl.* id est, solidi pro his exigebantur, *l. 1. eod.* in pretio equorum exactio fiebat, *l 2. eod. l. 12. de extraord. §. sordid. mun.* Per singulos scilicet equos, *d. l. 1. de equorum conlat.* pro singulis equis, *l. 2. eod. l 19 de annona & trib.* præstabantur in Oriente ex Valentis lege viceni terni solidi, *d l. 1. de equorum conlat.* in Occidente Honorii tempestate per Africam viceni solidi primum dati, *l. 2 eod.* verum postea pro diuersitate prouinciarum, *l 3. eod.* octoni & deni tantum solidi per Proconsularem & Numidiam, *d. l. 29.* ex Byzacena & Tripolitana quini & deni, *d. l. 29.* Ex his autem septeni solidi contubernalibus dabantur, *l. 2. de equorum conlat.* seu deuotissimo militi ministrabantur, *l. 3. eod.* Comitibus stabuli pro sportulis bini solidi pro singulis equis, *d. l. 3. eod.* quod abrogatum *d l. 29.* Immunes ab hac præstatione quidam erant: Iuxta alios, de quibus *proprio titulo, qui a præbitione tironum vel equorum excus.* Archiatri & ex-Archiatris, *l. 2. de Medicis:* Decuriones, & silentiarii, *l. 2. de Decur & silent.* Proximi, Comites dispositionum, *l 14 de Proximis:* In sacris scriniis militantes, *l. 15. de Proximis.* Memoriales & Palatini, qui ad agendas curas Reipublicæ vel alterius officii fuerant destinati, *l. 2. de priuil eor. qui in S. P.* Curiales, qui gradu meritorum ad honorariam dignitatem perue-
P. 263 rant; *l.138. de decur.* Cæterum Valentinianus *d. l. vn. de oblat equor.* duo circa hanc oblationem inuexit: Primum, vt quinto deinceps quoquo anno hæc collatio fieret iugiter; Deinde constituit, vt Honorarios codicillos adepti, modo tres equos, modo duos tantum offerrent, pro ratione dignitatis: tres, si ex Comite honorarios codicillos impetrassent: duos, si ex Præside.

MATERIÆ etiam quædam collatæ in vsus militares & bellicos ad fabricationem videlicet armorum, aliaque opera militaria; veluti Æs: de quo est *titulus, de collat. æris:* Ferrum, *l. 2. de Fabricensibus:* Materiæ etiam & Lignum, & Tabulata, & Carbones, *l. 18. de extraordin.*

COMPARATIO item specierum, frumenti videlicet exacta sæpe ad necessitates bellicas, *l. vlt. de equorum conlat.* seu *l. 49. de operib. publ.* de qua *publica comparatione* in commune, quæ Græcis *συνωνὴ*, est *titulus* expressus *15. lib. 11.*

OPERÆ pariter variæ a prouincialibus in vsus militares præbitæ, vt & ANIMALIA. Præter constructionem murorum, de qua *supra.* Excoctio panis *l. 1. de excoct.* & *l. 15. 18. de extraordinar.* & buccellati, *l. 2. de excoct.* Translatio annonæ, seu transuectio specierum: de qua est peculiaris *titulus; de excoctione & transl. ann.* & *l. vlt. de equorum conlat.* Pollinia item confectio, Calcis excoctio, *l. 15. & 18. de extraordin.* Operæ ad militaria opera, de quibus *supra:* Parangariæ denique & paraueredi: de quibus *tit. de cursu publ.* & *d. l. 15.* & *18. de extraordin.*

ARMA militaria veluti cassides, bucculæ, publice fabricata: fabricæque adeo in id destinatæ: de quo est titulus *lib 10 de fabricensibus:* de eadem armorum fabricatione est quoque *l.15.18 de extraordin.* vt & de fabricensium bonis, *Nouella Theodosii 13.* Fabricæ scilicet *l. 2. 3. 4. de Fabricens. l. 37. de Decurion. l. 8. de metatis: l. 10. de Veteranis*, variæ per orbem Romanum erant: per Orientem, quo pertinet *lex 2. 4. 5. 6. de Fabricens.* veluti Antiochiæ, *l. 1. de fabricensibus: d. l 8. de metatis:* aliisque in ciuitatibus, *d. l. 8.* Item per Occidentem: quo spectat *lex 3 de Fabricensib. l 10. de Veteranis.* De collatione materiæ ad has fabricas iam antea dixi. In his vero fabricis qui fabricabant, *Fabricenses* dicebantur, de quibus præter *l. 4. 5. 6. de fabricensib. l. 37. 81 de Decurion. l. 8. de metatis* qui muneribus ciuilibus obligati essent, non vero Curiali genere & nexu, *l. vlt. de fabricensib. d l. 37 81. de Decurion.* Ab hac vero conditione hi recedere non poterant, vt neque soboles eorum, *d Nou Theodosii 13* & ideo vt dignosci possent, stigmata horum brachiis exemplo tironum infligebantur: *l. 4. de fabricensibus.* Harum fabricarum & fabricensium Præpositi quidam fuere, quorum mentio *l. 10. de Veteranis;* Et inter cæteros Primicerius fabricæ, *l 3. de fabricensib.* Erantque hæ fabricæ, & fabricenses, sub dispositione Magistri officiorum: *l. 3. 4. 5. eod. l. 8. de metatis.* Priuilegia fabricensium quoque certa fuerunt, veluti vt a Metati onere immunes essent, *d. l. 8. de metatis.* Neque fabricandis tantum armis fabricenses destinati; qui scilicet armarent exercitum; verum & qui ornarent, vt loquitur Theodosius *d Nouella 13.* æreque tegendis bucculis, cassidibus, auroque & argento decorandis, qui *Barbaricarii* dicti, quales Constantinopoli & Antiochiæ erant: *l. 1. de fabricensibus*, & *l. 2. de excus. artific.*

Debilitandis retro sistendisque hostibus nonnulla alia constituta. Merces primum quædam resque ad Barbaros transferri vetitæ: *l. 3 de litorum & itin. custod. l. 1. si quis pecun. consl. l. 10. de curiosis:* veluti pecuniæ; *d. l. 1.* Nauium item fabricandarum notitiam Barbaros docere vetitum, *l. vlt. de pœnis.* Sed & custodes adpositi quandoque Tyrannici furoris & Babaricæ feritatis occasione, in Stationibus nauium, portubus, litoribus, omni-

busque abscessibus prouinciarum, abditis locis & insulis, vt nullus vi vel clam vel etiam occulto posset Imperii regiones inrepere: deinde & ne ad alium quam Principem literæ transmitterentur *l. 2. de litorum & itin. custod.*

MILITIA ipsa nunc sequitur: ac primum EXPEDITIO militaris seu bellica, cuius mentio fit *l. 6. de domest. & protect. l. 4. 5. 6. de erogat. mil. ann. l. 1. de commeatu: l. 14 de metatis:* (vbi felix expeditio vocatur,) *l. 4. de diu. offic. l. 15. 18. de extraordinar. l. vlt. de cursu publ.* (vnde & expeditionalis annona dicitur, de qua mox: & portus expeditionalea, *l. 35. de Naticular. l. 2. de naufragiis:*) & Procinctus bellicus, *l. 2. de domest. & protectoribus:* vbi notanda sunt sequentia. Primo ad mouendum militem missi aliquando ab Imperatore Agentes in rebus, qui & paraueredum eum in finem exigere poterant, *l. 7. de cursu publ.* Magistratus militares, Magistri militum, Duces, Comites, Tribuni cursu publico vsi: *l. 49. 57. vlt. de cursu publ.* forte & *l. 23.* Secundo, Imperatores ipsi quandoque felicibus pro Republica expeditionibus occupati erant; *l. 14. de Metatis.* Tertio, delegatorias de specierum præbitione in prouincias missi milites perferebant, quibus annonarum modus & pretium continebatur, *l. 12. de erogat. mil. ann.* Quarto buccellatum panisque excoctio præparabatur, *l. 1. 2. de excoctione & annonæ.* Quinto miles non semper via publica incedebat, sed etiam
P.264 militari, quæ sic inde dicta: *l. 3 de cursu publ.* Sexto, in *Mansionibus* miles agebat, solitis ac publicis, quæ annona instructæ erant, *l. 12. de re milit.* Septimo, *Expeditionalem annon.* (buccellatum scilicet & acetum,) certorum dierum, viginti ferme ex horreia susceptam propriis necessitatibus in expeditione sibi profuturam miles ipse in expeditione degens transuehebat: *l. 4. 5. 15. de erog. mil ann.* Octauo in portubus expeditionalibus annonam conditam sumebat, *l. 2. l. 35. de naufragiis.* Nono, Pastui animalium militarium Curiales prouidere oportebat, *l. 3. de pascuis.* Contra, decimo miles pascua seu prata publica priuata depascere vetitus, de quo postea.

Tandem METATA militibus & Ducibus proficiscentibus ad bella vel redeuntibus ex procinctu certa adsignata, de quibus alioquin Metatis in vniuersum agitur peculiari *titulo 8. de Metatis:* cuius *tituli* & materiæ hoc Paratitlon & argumentum est. Metatum, *Rubr.* & *l. 15.* (de quo est quoque *Nouella Theodosii Iun. 32. de metatis:*) est hospitum recipiendorum molestia, *l. 16. eo. tit.* & *l. 3. 10. de Medicis* (seu hospitii præbendi, *l. 18. inf. de Medicis:* hospites suscipiendi: *l. 8. de Episcopis:* hospitalis molestia *d. l. 18.* hospitum inquietudo, *l. vlt. de decur. & silent.* hospitalitatis munus, *l. 3. eod. tit de metatis:* & simpliciter, hospitalitas: *l. 11. eod.* hospitalium domorum cura, *l. 15. de extraordinar.* Vnde & ipsi hospites dicuotur Metatores, *l. vlt. de metatis.*) hospitum, inquam, recipiendorum: veluti 1. *Principis* Comitatus, *l. 5.* & *8. eod.* 2. *Iudicum*, Administratorum in dignitate pusitorum, *l. 6. 10. 11. eod. tit. l. 16. de Medicis: d. l. vlt. de Decur. & silent.* 3. *Militum* denique hospitandorum: *l. 5. 13. de Metatis. l. 10. 13. 18. de Medicis:* siue ad bellum proficiscerentur, *l. 13. eod. tit. de metat.* & pro salute Reipub. expeditionibus occupati essent, *l. 14. eod.* siue ex procinctu redirent, *d. l. 13.* & securi intra vrbia Constantinop. tecta residerent, *l. 14. eod.* Hinc & hospitii meritum, id est iua Metati, *l. 2. eod.*

Præparandæ vero huius rei gratia Mensores Principis erant, *l. 4. 5. 10. eod. l. vn. de mensorib.* qui scilicet deputatas singulis quibusque domos enotabant, & postibus habitaturi nomen adscribebant, *d. l. 4.* Cura Metati, Mensoresque ipsi erant sub dispositione Magistri officiorum, vt docet *lex 2. 3. 4. 5. 8. 14. 15. 16 seu vlt. eod.* & *d. lex vn. sup. de Mensoribus: lex 17.* (iuncta *legi 16.*) *18. de Medicis:* qui administrantibus per Africam adimuntur, *l. 10. de metatis.*

Modus metatorum hic erat: Priuati tertiam domus partem eiua rei gratia tantum exhibebant: *l. 15.* & *13. eod.* quo etiam alludit *l. 11. eod.* nisi hospites (id est, hospitio excipiendi) Illustres essent: his enim mediam partem domus dominua præstare tenebatur *d. l. 5.* viceuersa, domini domorum Illustres si plures domos haberent, vnam ad manendum in solidum tenebant, cæteras hospitibus ipsi præbebant: *l. 3.* quod vt extensum fuerit, vid. *l. vlt.* Neque tantum domus in ciuitatibus metati onus sustinebant, sed & prædia in agris, *l. 10.* priuatorum possessorum, *d. l. 10.* sola enim Principis prædia domusque excipiebantur, *l. 7. 9.* Neque vlliua priuati domus ab hoc onere immunes erant, *l. 2. 3.* Exceptis paucis quibusdam.

Immunes scilicet erant a metato Clerici, *l. 8. de Episcopis:* Senatorum domua, ex *l. 1. de metatis:* Synagogæ Iudæorum, & Religionum loca, *l. 2. eod.* Illustres, ex *l. 3. 14. vlt.* Ergasteria item mercimoniis deputata, *l. 5.* Prætoria Iudicum ordinariorum, his præsentibus, *l. 6.* Decurionum item & silentiariorum, *l. vlt. de decur. & silent.* fabricensium domus, *l. 8.* publica ædificia, veluti Turres murorum, exceptis turribua muri noui vrbis Constantinopol. in sp. *d. l. 13.* Professores & Medici: *l. 3. 10. 16. 17. 18. de Medicis & professor.* picturæ professores, *l. vlt. de excus. artif.* Et immunitas tamen omnis cessabat Præsente Comitatu, *l. 8. 14.* In Palatiis certe cuicunque tandem manere prohibitum, *tit. 10. ne quis in Palatiis:* Palatio fulmine tacto ad Principem referendum & quod huius loci proprium est, in his omnibus nulli transeunti, cuiuscunque dignitatis esset, manendi potestas erat regulariter, *l. 1. 2. de metatis*, & *tertia* insuper; *l. vn. C. Iust. de Palatiis:* Exceptis tantum Iudicibus ordinariia, in specie *l. 2. de metatis:* & Præfecto vrbis Romæ, *l. 3. de bonis vacantib.* Postremum, quod expeditioni militari metatisque commune est; omnium debebat esse adceleratum iter atque continuum, nec vlli licebat residere, ne diuturnitas commanentium vlla ex parte prædium vexaret, *l. 10. de metatis.* Et hæc quidem de Expeditiune & Procinctu militari.

CASTRA

CASTRA nunc & EXERCITVS sequuntur. Castrorum militarium mentio fit *l. 5. 10. de re milit. l. 4. de Tironib. l. 12. 15. de desertorib. l. 1. de commeatu:* quæ & felicia castra dicuntur, *l. 3. de testimoniali:* indeque multa *Castrensia* dicta, veluti Tirocinia, id genus alia. TENTORIORVM mentio fit, *l. 13. de re milit.* SIGNORVM militarium, a quibus recedere miles veticus, mentio, *l. 2. 12. de re milit. l. 1. de commeatu: l. 1. 3. de testimoniali: l. 4. de desertoribus* (vbi signa felicia vocantur,) & *l. 9. 14 eod. tit.* Inter hæc vero signa erant Aquilæ, *l. 9. de desertor.* vbi victrices Aquilæ vocantur: Equitum proprie vexilla; vnde Vexillationes (de quibus *supra*) Labarum quoque, seu Laborum in his erat: de quo, eiusque Præpositis est *l. 25. lib. 6.* PRINCIPIA in castris; quorum mentio fit *l. 2. de Veteranis:* erant, vbi Iudices militares seu Præpositi coibant, cognoscebant, ius dicebant: quo & Principes ingredientes, acclamationibus excipiebantur, *d. l. 2.*

MILITEM nunc ipsum in castris & Exercitu spectemus. Ac primo quidem vestem eius, cinctumque. VESTIS scilicet militi propria erat, seu habitus militaris; puta chlamys, *l. 1. de habitu quo vti oportet: l. 4. de milit. veste.* CINCTVSQVE miles, idque primum a Duce, *l. 5. de fil. mil. appar.* Inde militantes Præcincti dicti, *l. 3. de postulando.* Inde Cingulum militare, & Cinguli sacramentum: *l. 2. quid probare deb l. 181 de decur. l 24. de Iudæis:* prærogatiua Cinguli, *d l. 3. de postulando:* Inde Cingulo solui, pro, militia exui: *d. l 181. & l. 27 de Iudeis.* ARMA militis, inter alia erant, cassis & bucula, de quorum fabrica & ornamentis *supra.* SACRAMENTO auctoratus miles: cuius sacramenti militaris mentio, *l. 4. 6. de re milit. l. 2. quid probare deb. l. 5. 6. 7. de tironib. l. 5. de fil. mil. appar. l 15. de metatis: l. 3. de immunit. conc. l. 10. 43. 87. 95. 113. 147. 168. 179. 181. de decurion.* armatum sacramentum vocatur, *l. 181 de decur.* MATRICVLÆ inscripta erant militum etiam Adcrescentium nomina: cuius Matriculæ mentio, *l. 11. de re milit. l 16. de desertorib.* Fuere in militia & exercitu LIXÆ, de quibus *l. 10. de re milit.* Fuere & IMPEDIMENTA: de quibus *l. 28. de erogat. mil. ann.* Quod FAMILIAS, id est vxores, Liberos, Seruos militum, attinet, ad se euocare eas quandoque licuit Principis permissu, in sp. *l. 3. de re milit.* Erant denique in militia armata præter milites, seu militantes, ii qui militari annonæ seruiebant, veluti Actuarii, Opinarores, Optiones, de quibus *supra:* qui & ipsi Milites dicti, vt Opinatores, *l 34 de Annon. & Trib l 16. de exactionibus.* Fuerunt & Magistrorum militum Officiales, Cohortales, Apparitores, quorum etiam nonnulli ordinis militaris dicuntur, *l. 6. de susceptoribus,* vbi dixi: & sub armis militiam tolerabant, & expeditionibus aderant, *l. 4. de diu. offic.* qui & ipsi militaribus priuilegiis fruebantur: *l 5. de diu. off. l. vn. de priu. appar. Mag. pot.* Erant denique & Duciani de quibus *sup.* vbi de Ducibus. Quod MVNIA militaria attinet, *l. 40. de Decurionib.* seu obsequia, *d. l. 40.*

GRADVS militiæ varii fuere: *Rubr. & l. 1. 2. quis in gradu præf. leg 5. 10. de re mil. l. vlt. de Commeatu: l. 19 de tironib l. 2. 5. de fil. mil. appar. l. 58. de Decurionib.* Ordinem vocat *dicta lex 10. & l vlt. de Veteranis: l. 1. de testimon. l. 11. de decur.* Stationem, *lex 2 quis in gradu:* Locum, *lex 14 de re mil lex 11. de Decurionib.* in eadem scilicet schola & numeros de quo vid. & quæ *infr. cap. de Promotionibus.* Erant scilicet inter alia promoti, alii munifices, *l 2. de cursu publ.* quanquam *lex* illa est de militia officiali. Erant gregarii milites, *l. 5 de milit veste.* Erant Manipularii, *l. 3 ad l. Iul. Repetund.* Erant Iuniores seu Tirones, de quibus *supra.* Inter Equites seu in Equestri militia erant quidam, qui Circitores vocabantur, qui gradus post laborum præbebatur, *l. 2. de fil. mil. appar.* De Primipilaribus, Actuariis, Opinatoribus, Optionibus, qui omnes circa annonam militarem occupati erant, dictum *supra.*

STIPENDIORVM quoque certus & status numerus erat, quem explere miles debebat, de quo *l. 1 de rei vindic l. 4 7. de re milit. l. 37. 38. 40. 87. 95 100. 113. 154 de Decurionib. l. 3. 14. de lustrali collat. l. 19. de desertorib.* vnde stipendia iusta, *l. 6. de Veteranis.* Ante quem expletum & emensum regulariter militi missio non dabatur: de quo *infra,* vbi *de Missione.* Porro nulla satis constitutione stipendiorum numerus exprimitur *hoc Codice,* quanquam eo pertinet *l. 14. de Veteranis.*

EXERCITIVM militare seu exercitationes variæ fuere: de quibus etiam Theodosius Iun. *Nouella de Ambitu 31.* de Notandi vsu est *lex 13 de re milit.* Adiumentis etiam militum opera militaris extructa, & in his turres in limite, *l. 13. de operibus publicis.* Expeditionalem annonam certorum dierum, puta viginti, propriis in expeditione necessitatibus profuturam miles ipse transuehebat, portabat, *l. 5. de erogat mil. ann.* vel tertiam partem vehere cogebatur, cum duas in castris, de conditis sumeret, *l. 15. eod.* vt & capitum seu pabulum animalis e certo loco ipse petebat, *l. 7. 9. de erogat. mil. ann.* Victus militaris temperantiam ostendent mox ea quæ de Annona militari dicentur.

STIPENDIA, seu COMMODA, vt vocantur *l. 10. 12 d. erogat. mil. ann* emolumenta, *l. 28 de suscepter. l. 3. de pascuis:* ex Principis largitatibus, *l. vlt de falgamo, l 4. de pascuis,* militum, consistebant primum in ANNONARVM e fisco perceptione, *d l. 12. de qua supra* plene: vnde Annona militaris, *Rubr. & l. 33. de erogat mil. ann.* Annona fiscalis, *l. 11. de re milit.* Alimonia militaris, *l. 6. de Cohortalib.* Annonaria commoda, *d l. 10 de erog mil ann.* Ea porro Annona militaris consistebat in speciebus, *l. 1. 11. de erogat.* vnde species annonariæ, *l. 3. 15. 18. de erogat.* Erant autem hæ ferme: Buccellarum, *l. 6. de erogat. l 2. de excoctione:* & Acetum *d l 6* quæ duo *expeditionalis annonæ* appellatione designantur *l. 4 & 5.* Item panis, *d. l. 4. 6.* & vinum, *d. l. 4. & 6. & l. 25.* quod quidem nouellum per Syriam a Nouembri mense militi dabatur, *d. l. 25.* oleum item, *l 17. de cohortalibus.* Sal, *d. l. 17.* Laridum seu

ſeu larida caro certo pondere, *l. 2. 6 de erog. mil. ann. l. 17. de cohortalib.* Caro recens certo pondere, *d. l. 2. de erogat. mil. ann.* veluti porcina, *d. l. 2.* Item caro vervecina, *d. l. 6.* Et hæc quidem alternatione quadam ſeu alternis ferme diebus præbita militi, *dictis legibus 4. & 6.* Præbita & militi fœnum & paleæ, *l. 9. 23. de erogat.* quæ duo poſtrema *Capitum* dicebantur, *l. 7. 13. 17. de erogat. l. 1. de domeſticis & protectorib. l. 10. de Numerar.* imo & capitatio, *l. 8. de erogat. l. vlt. de collat. donat.* Breuiter, hæc duo militibus e fiſco præſtabantur, Annonæ & Capitum: quæ duo ideo iunguntur, *d. l. 17. & d. l. 10.* ſeu ſpecies capitorum annonarumue, *l. 19. de erogat.* Singulis porro diebus (vel certe competenti tempore priuſquam annus elaberetur) eas conſequebantur, *l. 1. 11. 13. 17. de erogat. mil. ann.* Et ex his ipſis tamen annonis militum Duces & Tribuni ſtillaturas quaſdam accipiebant, *l. 28. 29. de erogat.* Tandem quomodo quaue ratione ea in milites erogata, dictum *ſupra*: vbi de Annonæ apparatu: Data & militi VESTIS e largitionibus, de quo ſupra pariter: ſic tamen vt pecunia aliquando pro veſte daretur: alibi bini tremiſſes: alias ſolidus; *l. 2. de milit. veſte.* Cæterum, militares veſtes ad ea vſque loca transferebantur, vbi ipſi milites erant conſtituti: neque enim (vt ait *lex 33. de curſu publ.*) paulo diuerticulo abducendi ſunt ab excubiis ſibi pro publica vtilitate commiſſis. ARMA quoque data militi, caſſides bucculæ: vid. *ſupr.* Quod PECVNIAM attinet, vix eius mentio *hoc Codice* occurrit: niſi quod annona, vt iam dixi, veſtiſque aliquando data adærata, ſeu in pretio: Et Ripsrienſes nominatim milites nouem menſibus in ipſa ſpecie annonas conſequebantur, pro tribus pretia: *l. 14. de erogat.* Datum & pretium in ſp. *l. 28 de ſuſceptorib.* Extra ordinem etiam ingenuis, imo & ſeruis ad militiam euocatis certus ſolidorum numerus, & ſeruis quidem pulueratici nomine promittebatur, ex ærario: *l. 16. 17. de Tironib.* Limitaneis tandem militibus terræ datæ, limitaneæ ſcilicet de quo *tit. 15. de Terris limitaneis:* Terræ limitaneæ, inquam, *Rubr. d. tit.* ſpatia, *l. vn. de rei vindic.* terrarum ſpatia, *l. 1. eod. de Terr. limit.* vt & Caſtellorum loca, ſeu territoria: *l. 2. eod.* quæ, v. g. Gentilibus propter curam foſſati munitionemque ſeu tuitionem limitis, *d. l. 1.* & Caſtellanis militibus, *d. l. 2.*, conceſſa erant, deputata, adſcripta antiquorum prouiſione, ſeu antiquitate iudicante: *d. l. 1. & 2.* ſic quidem, vt ſoli milites, non priuati, ea poſſidere poſſent: *d. l. 1. & 2.* de quo videnda quoque elegans *Nouella* Theodoſii Iun. 31. *de Ambitu & locis limitaneis inibi redhib.* & quidem ab omni onere vacua, *d. Nou. 31.* Duplici autem ratione huiuſmodi terræ, ſeu ſpatia, loca militibus data: de quo vid. *d. l. vn. de rei vind.* & *l. 9. de cenſitorib.* & *l. 1. de terr. limit.* Huc pertinent & terræ Læticæ, de quibus *ſupra* vbi de *militum generibus.*

Quod Comites, Duces, Tribunos, Præpoſitoſque attinet, & hi annonas & Cellarienſes ſpecies ſuæ dignitatis, ſuæ dignitati congruas, pro dignitate ſua accipiebant: *leg. vlt. de off. iudic. omn. l. 1. 32. vlt. de erog. mil. ann.* (quanquam videri poſſint *d. l. 32. & d. l. vlt. de off. Iud. omn.* accipiendæ de Comitibus qui prouincias regebant.) Sed & caballationis rationem quandam, *l. 34. de erogat.* Ita quidem, vt ſi antequam annonas temporis per quod adminiſtrarunt, acciperent, deceſſerint, hæredibus eorum eæ præſtari deberent, *d. l. 34.* Sed & alia quædam licite ſibi vindicabant Duces, *d. l. vlt.* Et inter alia Duces & Tribuni ſtillaturas quaſdam a militibus ſeptem dierum, in pretio pro foro rerum venalium, iuxta numinaria defixa pretia, vel iuxta formam ærariarum annonarum accipiebant, *l. 28. 29. de erog. mil. ann.* quo pertinet & *d. l vlt.* ſeu aliquam militis annonarum partem decerpebant; *Nouella* Theodoſii Iun. 31. *de Ambitu:* exceptis militibus Saracenorum Fœderatorum, aliarumque gentium. Quin & ſportulas quaſdam a Primipilaribus accipiebant, *l. 6. 9. 27. de Cohortalibus.* Quantum vero & quatenus de curſu publico vſurpare poſſent, definitur *l. 49. 52. 57. & l. vlt. de curſu publ.* Priuilegia tandem horum nonnulla vid. *d. l. 49. & l. vlt. & l. 28. de Prætorib. l. 13. de Proximis.*

PROMOTIONES militares ſequuntur. Nempe de gradu in gradum promotiones fiebant, pro loco atque ordine: *l. 10. de decurion.* (quanquam & aliquando extra ordinem vnus gradus additus pro præmio, *l. 10. de re mil.*) Quare promotiones ſaltuariæ per ambitionem & gratiam Principis improbatæ, *l. 2. quis in gradu.* Prohibita & translatio de quocunque Numero in alium Numerum, contra publicam vtilitatem: quis ſcilicet honoris augmentum non ambitione, ſed labore ad vnumquemque conuenit deuenire: *leg. vlt. de re milit.* Tandem prohiberi milites ante impleta ſtipendia ad indebitos honores ſuffragiorum ambitione peruenire, veluti ad purpuram Principis adorandam: ita quidem vt qui cæteros in labore poſitos feſtina cupiditate tranſirent; nec teſtimonium quidem emeriti laboris acciperent: *l. 7. de re milit.*

PRIVILEGIA militiæ, præmiaque militum, *l. 7. de Tironibus, l. 10. de Veteranis, l. 28. de Cohortalib. l. 3. de immunitate:* ſeu prærogatiuæ, *l. 9. de adulteriis*; varia fuere: partim vt his
P. 267 militaturorum deuotio prouocaretur, *d. l. 7. de Tironibus*: partim vt militiæ ipſi conſuleretur, atque ideo Reipubl. quorum quidem nonnulla memorantur *d. l. 7.* Id his vero fuit & peculii caſtrenſis, eorumque, quæ exinde comparata, prærogatiua; *l. 3. de re milit. l. 2. de Adſeſſorib. l. vlt de poſtulando.* Fori item militaris præſcriptio: de quo mox. Huc refero & priuilegium militum, ne ad Comitatum exhibeantur, *Nouella* Theodoſii, *ne Duciani 46.* Huc refero ſpem Emeritorum propoſitam, præmiaque & priuilegia Veteranorum, de quibus poſtea. Item quod certo ſtipendiorum ſeu annorum in militia tranſactorum numero, conditionis naturalis nexum miles quandoque euitare poterat, veluti Curiæ; ſeu curialis conditionis; *hoc titulo l. 6.* de quo *tit. de Decurionibus, l. 11. 13. 38. 56. 88. 96. 100. l. 23. de cohorta-*

hortalibus. Alias Curia non liberabat militia *l. 10. 11. 13. 37. 38. 40. 43. 45. 64. 87. 94. 95. 100. 108. verſ. niſi: l. 103. 120. 129. 137. 139. 143. 144. 147. 154. 168. 179. 181. de Decurionib.* & officialis, *l. 22. 23.* vel *28. de Cohortalib. l. 5. 6. de diu. offic.* In hunc quoque cenſum refero, quod bona militum inteſtatorum ſine legitimo hærede decedentium, ad legiones, vexillationes, cuneos pertinebant, in quibus militauerant: *l. vn. de bonis militum.* In multis alioquin æquo cum priuatis iure miles agebat. Nam & præſcriptio 30. annorum militibus obſtabat. *l. vn. de act. certo tempore fin.* & ciuilibus in cauſis Rectorem prouinciæ Iudicem habebat, *l. 2. & 9. de Iuriſdict.*

DISCIPLINÆ Militaris *ſcita* quædam *neceſſaria*, (vt vocantur *l. 12. de re militari:*) Legeſque adeo militares erant: quibus miles in obſequio, officioque continer etur: quibuſque prouinciarum & prouincialium ſaluti, ſecuritati, indemnitati conſultum eſſe poſſet: quarumque obſeruantia Tribunis & Præpoſitis militaribus incumbebat, *l. 12. 13. de re milit.* Vetiti igitur milites Familiam & vxorem, niſi Principis auctoritate ſeu beneficio ad ſe euocare *l. 3. de re milit.* quo caſu etiam quid *familiæ* appellatione veniret, arcte definitum *d l 3.*

Iumenta ſua a ſe dimittere, vel etiam Regalibus & Legatis eorum in Imperium Romanum venientibus ſuppeditare, *l. 9. de re milit.* Inhoneſte & inuerecunde ſeſe natando in flumine in conſpectu Legionum, & exercitus gerere: *l. 13. de re milit.*

Pretium annonæ ſibi delegatum excedere, *l. 22. de erog. mil. ann.* Fœnum vt ad oppidum ſibi deferatur, cogere: *l. 23. de erogat.* Præſumere aliquid vltra ea quæ largitate Principis conſequebantur, *l 4 de paſcuis:* Contra, his ſufficere oportere Principis largitates: *l. vlt. de Salgamo.*

Poſtulare quidquam ab hoſpite, quod vel hominum, vel animalium paſtui neceſſarium creditur: *l. 16. de metatis.*

Cænatica ſuperſtatuta a prouincialibus depoſcere: *l. 12. de erogat. mil. ann.* Salgamum item ab hoſpitibus accipere, *tit. 9. de Salgamo hoſpitibus non præbendo:* Salgamum, quod vocatur, *Rubr.* & *l. 3 illius tituli*, ſunt neceſſariæ res, veluti oleum, lignum: *l. 1. 2. 3. 4 illo tit.* culcitæ etiam, *d l. 2. 3.* aliaue eiuſmodi, quæ Comites, Tribuni, Præpoſiti, *d. l. 2.* milites, *d. l. 2. 4.* militantes, *d l. 3.* hominum vel animalium paſtui neceſſaria, *l. 10. de metatis*, malo more ſæpe a ſuis hoſpitibus, *d l. 2. & 3.* poſcebant, poſtulabant, flagitabant, vſurpabant, extorquebant. Quod quidem *omnibus illius tituli legibus* inhibitum a Conſtante *l. 1.* a Conſtantio *l 2.* a Theodoſio M. *l. 3.* a Theodoſio Iun. *l. 4.* itemque *l 10. & 12. de metatis.* Propria ſane voluntate & ſpontanea humanitate ea præbere aliquando hoſpiti permiſſum fuit, *l. 1. & 2. h. t.* quod & ipſum tamen quoque prohibitum, *d. l. 10. de metatis.* Paſcua item ſeu prata prouincialium: vel publica amœna depaſcere, mutilare, vexare, vetitus miles: *l. 3. 4 5. tit. 7. de paſcuis.* Paſcua ſcilicet *d. tit.* paſcuæ animalium, *l. 1.* paſcui ſaltus, *l. 2.* prata, *l. 3. 4. 5.* alia erant rei priuatæ, *l. 1. & 2.* ſeu ex rebus priuaris Principis, *d. l. 1.* quæ certa & ſtatuta antiquitus penſione, non prouincialium licitatione locabantur: ita tamen vt animalia ex rebus priuatis Principis in iis paſcerentur, *l. 1. & 2.* Alia erant publica, id eſt Ciuitatum, vt ea de quibus agitur *l. 3.* qui & ſaltus Reipublicæ, *l. 2. de locat. fund. iur. emphyt.* alia publica prata ac amœna, *l. 2. de paſcuis.* Alia denique priuatorum, *l. 3.* ſeu prouincialium, *d. l. 3. & l. vlt.* poſſeſſorum & colonorum, *l. 4. & l. vlt.* Vtraque vero a militibus depaſci vetita, *l 3. 4. vlt.* A ſignis própriis & manſionibus ſolitis & publicis recedere, & a Numeris ſuis per priuatorum poſſeſſiones euagari, & vel maxime miles vetitus, *l. 12, 16 de re milit.* alioquin de eo ad ſe referri Principes voluere: *d. l. 12. 16.* Abeſſe item a caſtris & ſignis vel vltro, vel per commeatum promiſcue vetitus miles, *l. 2. de re milit. l. 1. de commeatu:* vel certe vltra commeatus diem morari, *l 3. de commeatu.* Commeatus *Rubr.* & *l. 1. 2. 3. de commeatu:* & *d l. 2. de re milit. l. 16. de deſertoribus*, eſt Vacatio, *d. l. 2. de commeatu:* Vacatio temporaria, *l. 3. eod.* ad certum diem, *d l 2. 3.* diſcedendi a caſtris atque a ſignis facultas, vel his etiam locis in quibus prætendit, *d. l. 1. eod.* Huiuſmodi porro commeatus dari non poterat a Præpoſito, Decurione, Tribuno cohortis. ex *d l. 1. eod.* & *d. l. 2 de re mil.*

Priuato quoque in obſequio retineri miles vetitus, *l. 15. de re milit.*

Sibi vel alieno obſequio intentus eſſe, *l 11 de re mil*

Per commeatum ſi quando neceſſitatis aliquid ſibi vſurpare, vel aliquibus actibus ſeſe immiſcere: *l. 3. de commeatu.*

Procuratores & Aduocati eſſe: *l. 6. de procurator. l. vlt. de commeatu.* Exactoris munere fungi, ne alioquin militaris terror inferret formidinem *l. 6. de executor.* ſuſceptores fieri, defenſoreſue cauſarum, neque ad cognitionem alieni iurgii ſuffragatores accedere: *l 6. de cognitor. & procur.*

Ad indebitos honores ante impleta ſtipendia peruenire, *l. 7. de re milit.* de quo *ſup.* vbi de *Promotionibus.*

Ad Comitatum etiam miſſi a Numero, vel a Tribuno, diu emanere: *l. 17. de re milit.* contra, cito remeare iuſſi; *d. l. 17.*

Mitti militia, niſi duabus de cauſis, *l. 4. de re milit.*

Transfugere ad hoſtes, quibus & ideo poſtliminii ius denegatum, *l. 1. de poſtliminio.*

Deſerere denique militiam in quos eſt *titulus*, *de deſertoribus.*

DESERTORES abſolute ita vocati, nullo addito, ſunt Refugæ, *l. penult. ſupra, de Tironib.* qui belli tempore abſunt a ſignis, *l. 4.* qui caſtra & militiam deſerunt. *l. 14.* Horum alii Iuniores ſunt, ſeu Tirones, *l. 9. 10. 14. d. l. penult.* Quorum quidam iam militiæ tra-

 diti,

diti, *l. 2.* felicibus fignis adplicati, *l. 4.* militarium initiati aufpicio, *l. 9.* militiæ rudimenta timentes, *d. l. 4.* inter ipfa exordia deferunt, *l. 6.* tironatus tempore, *d. l. penult. fup. de tironib.* Quidam Tirones nondum victricibus Aquilis fociati, fed idonei militiæ: *l. 2.* Veteranorum filii vagi & quos militiæ origo confignat, *l. 10.* Alii denique milites ftipendiis militaribus iam honorati, *l. 4.* milites profugi defertorefque Caftrorum funt, *l. 12.* militaria caftra relinquunt, *l. 15.* Hi itaque flagitiofa ignauia delitefcentes, *l. 4.* vel ad prædationes feu latrocinia fe conferentes *l. 15.* correpti gladii pœna adficiuntur, *d. l. 4.* capitis pœnam fubeunt, *leg. 8. in fin.* Præfecti Prætorio poteftate *d. l. 8. in fin.* vel Magiftri militum arbitratu *l. 11.* Et fi inuenti refiftendum atque obnitendum putauerint, tanquam rebelles a quouis prouincialium opprimi poffunt, *l. 11 13. 14.*

INQVISITIO autem fæpe ad requirendos vagos & defertores, *l. 17.* adhibebatur, *l. 8.* id eft, quibufdam cura defertores indagandi mandabatur, *l. 9.* feu quidam ad inquifitionem vagorum defertorum per Prouincias dirigebantur, *l. 10.* quidam forinfecus inuigilabant, *l. 4.* (vt puta Protectores, *d. l 10.* & Tribuni *l. vlt.* officia publica, *d. l. 4.*)

PRODITORES quoque defertorum præmiis euocabantur: Seruus quippe defertorem prodens, libertate donabatur. Ingenuus mediocris loci, immunitate potiebatur, *l. 14.* Temonarius protoftafiæ onere biennio releuabatur, *l. 3.* Quin & ipfi defertores fi fponte proceffiffent, fefeque prodidiffent, indulgentiam merebantur, *d. l. 4.*

OCCVLTATORES viciffim defertorum, *Rubr.* & *l. 14 in fin.* de quibus eft quoque titulus *lib. 9. tit. 29.* eiufque tituli *lex 2.* iungenda *legi 8 h. t.* id eft ii apud quos defertores de prehenfi fuerint, *l. 1.* qui defertores probatos in confortio fuo habent, nec eos produnt *dict. l. 1.* apud quos idonei militiæ vel ante iam traditi latuerint, *l. 2.* qui latebram præbuerint defertori *l. 4. 8.* qui defertores agro tectoque fufceperint, atque apud fe diu delitefcere paffi fuerint; *l. 5.* qui in fundo fuo defertorem fe habere meminerint, *l. 7.* qui refugas occultands putauerint. *d. l. penult. fup. de Tironib.* a fe receptum vel in fuo latitantem cognofcunt, *l. 8.* qui in domo patrimonioue fuo, vel qualibet abftrufa & longiffime a fe poffeffione difcreta defertorem latere cognofcunt, *l. 9.* qui militem profugum defertoremque caftrorum in prædio fuo fufcipiunt, *l. 12.* ii, inquam, velut rebelles ac decretorum temeratores, *d. l. penult. fup. de Tironib.* feueriffimis fuppliciis adficiebantur. Nam fi plebeiæ & humilioris conditionis effet, *l. 1.* vel in metallum damnabatur, *d. l. 1.* & *8.* vel fuftibus coërcebatur, *d. l. 8.* vel exilio perpetuæ relegationis plectebatur, *d l. 8.* vel fi altioris effet dignitatis, media bonorum parte multabatur, *d. l. 1.* Si vero Actor fundi, vel procurator loci poffeffionis, vel etiam colonus effet, feuero fupplicio damnabatur, *l. 12.* capitali fupplicio fubiugabatur, *l. 5. 7. 8.* flammis fubiiciebatur, *l. 2. 4. 6.* etiam Actor rei priuatæ Principis, *l 7.* & *12.* Quinimo fi dominus fundi huius rei confcius effet, prædio quo defertor receptus fuiffet, multabatur: *dict. l. 4. 5. 6. 7. 12.* Dabatur tamen prius vtrifque tempus aliquod modicum, intra quod nifi defertores obtuliffent, tum demum memoratis pœnis fubiiciebantur, quandoque duorum menfium, *l. 8.* quandoque quatuor *l 9.* quandoque fex, *l. 7.* Poftremo excipiebantur quoque quidam a pœnis defertorum & occultatorum, de quibus agitur *l. 8.* & *9.* Illud quoque notandum non tantum militiam deferere vetitum, fed & e militia ad aliud militiæ vitæque genus tranfire; veluti ad gladiatorium munus, *l. 2. de gladiatorib.* Denique Barbaris deprædandi facultatem danti, vel deprædationem factam diuidenti, ignis pœna impofita, *l. 1. de re milit.*

P.269 Et hæ quidem funt Leges militares, militibus & difciplinæ militari in commune pofitæ: Actuariorum enim militarium nominatim fraudibus & fuperexactioni, Optionum item & Opinatorum alibi occurfum, *l. 24. 28. de erog. milit. ann. l. 16 de fufceptorib.* Atque inter alia Actuariorum, ne annonam exigerent, nifi pro fubftantibus militibus atque in præfenti conftitutis *d. l. 28.*

MAGISTRIS quoque Militum Illuftribus & DVCIBVS, TRIBVNISQVE & Præpofitis Leges complures pofitæ: quibus modus auiditati eorum pofitus, & ne modum egrederentur in præiudicium vel fraudem difciplinæ militaris, vel etiam Reipubl. aut priuatorum, imo & militum. Quare, quæ horum ferme crimina erant vetiti, hi inter alia commeatum militi dare vel omnino, vel expeditionis faltem tempore, de quo & iam *fup.* & *l. 2. de re milit. l. 5. de commeatu.* Imo & non dato commeatu fi miles difceffiffet, Tribunum & Præpofitum teneri voluit aliquando Imperator, *d. l. 2.* pœna grauiffima propofita, de qua *d. l. 1. de commeatu.*

Transferre milites a Numeris ad Numeros, *l. vlt. de re mil.*

Milites deprædari; ftillaturarum modo non feruato: *l. 28. 29. de erogat. mil ann.* vel etiam Primipilares munerum vel fportularum modo non feruato: *l. 6. 9. 27. de cohortalib.*

Curiales iniuriis afficere: *l. 128. de decurion.*

Per poffeffiones euagari, *l. 12. de re mil.*

Metatorum modum egredi, vid *fup. de metatis.*

Salgamum ab hofpitibus poftulare, de quo *fup.*

Lauacra etiam feu balnea a prouincialibus exigere, propofita dupli pœna, *tit. 11. ne Comitib. & Tribunis lauacra præftentur.* Lauacra fcilicet *Rubr.* & *l. 2. illius tit* feu priuatas balneas, *l 1. eod.* quæ & fimpliciter *priuatum* dicuntur: *l. 12. fup. de metatis:* balnea, *d. l. 2.* præftari, *Rubr.* fuccendi, *d. l. 1.* id eft, ligna ad ea conferri, *d. l 2.* miniftrari, *dict. l. 1.* a Curia & ciuitatibus, *d l. 1.* a prouincialibus, *d. l. 2.* in vfum fuum, *d. l. 1.* & diurnum, *d. l. 2.* Tribuni & Comites, *d. Rubr.* Comites inquam minores, *d. l. 1.* inferiores, *d. l. 2.* itemque Duces limi-

limitum, *d. l. 2.* exigere ſoliti. Quod illis *legibus* prohibitum. Illuſtribus tantum Comitibus & Magiſtris militum eo conceſſo, *d. l. 1.*

Repetundarum item crimine ſeſe inuoluere vetiti, id eſt, prouinciales ſpoliare, vexare, *l. 3. ad leg. Iul. repet.* ſub quadrupli pœna, *d. l. 3.* idque reuocato, retracto Duce, poſt Ducatum geſtum, in prouinciam: *d. l. 3.*

Patrocinia etiam vicis ſeu vicanis & ruſticis in necem publicam fraudemque tributorum præbere: *l. 1. 4. de patrociniis vicorum.*

Tuitionem vel executionem militarem in negotiis priuatorum dare: *l. vn. de off. Iudic. ciuil.*

Ciuilem cauſam ſibi abſque reſcripto Principis vindicare: *l. 2. & 9. de Iuriſd.*

Sententiam quoque a ſe dictam ſemel, mutare: *l. 5. de ſententiis*; euectionum curſus publici faciendarum ius vindicare ſibi Magiſtri quoque militum vetiti, *l. 43. 56. de curſu publ.* & Comites Duceſque limitum, *l. 52. 57. eod.* Imo & hi curſu publico vti vetiti poſteaquam ſemel prouinciam ſuam ingreſſi fuerant, *l. vlt. eod.* vel certum ipſi modum ſibi præſtitutum egredi: *l. 49. eod.* vel ſine euectione facultatem curſus publici vindicare, *l. 57. eod.* FORVM militare ſeu fori præſcriptio (*l. vlt. de adulter.*) ſequitur. Militantes ſcilicet ciuilibus in cauſis, ſiue Rei, ſiue Actores, Rectorem prouinciæ Iudicem habebant: *l. 2. 9. de Iuriſdict.* vt & in criminalibus, ſi Actores eſſent, *d. l. 2.* ſi vero Rei, militarem Iudicem ſortiebantur, *d. l. 2.* & *l. 2. de exhib. reis:* Non tamen in crimine adulterii, *d. l. vlt. de adulter.*

POENÆ quoque militares notentur. Frequens in his pœna *Regradationis:* Nempe, ſicut pro meritis, vel pro præmio in potiorem & altiorem gradum miles promouebatur, ita retro pro pœna ad inferiorem ordinem reuoluebatur, & non abſque deuotionis nota, & morſu honoris alieni, commilitonibus poſtponebatur, *l. 10. de re milit l. 16. de deſertoribus* (quæ ſummopere notanda eſt:) & *l. 2. & vlt. de Commeatu.* (quarum prior tamen ad Palatinam militiam pertinet.) Eaque gradus proprii diminutio dicitur, *d. l. vlt. de commeatu* Regradationis humilitas, in ſimili *l. 2. in fin. de curſu publ.* teſtimonio emeriti laboris priuari *l. 7 de re milit.* Altera & grauior pœna fuit, *Exauctorationis*, quæ & *Exauctoritas* dicitur *l. 35. de curſu publ.* ſeu Reiectionis, *l. 11. de diu. off.* quod his formulis exprimitur: Cingulo ſolui: *l. 181. de decurionib. l. 27. de Iudæis*: Matricula eximi: *l. 16. de deſertorib. d. l. 2. de Commeatu, l. 4. 9. de executor. l. 11. de indulg. crim.* Sacramento militari abſolui *l. 11. 147. de Decur.* ſeu ſacramento exui: *l. 181. de Decurion.* Exercitæ & aliæ pœnæ; veluti Grauis vexatio, *l. 2. de ſalgamo*: pœna viuicomburii ſeu ignis, in ſp. *l. 1 de re militari.* Sed & multæ pecuniariæ, *l. 2. de re mil.* facultatum item proſcriptionis ſeu condemnationis, *l. 16. de re mil.* Curiæ item addictionis, *l. 5. h. t. l. 1. 7 de fil mil. appar.* Facultatum ſuarum condemnatione, *l. 16. h. t.* De gladii capitiſque pœna aduerſus Deſertores iam *ſupra.* De Tribunorum graui ſupplicio, ſi diſciplinam non tenuerint, *l. 13. de re milit.*

FINIS tandem militiæ, ſeu MISSIO militaris ſequitur, quæ triplex erat, Honeſta, Cauſaria, & Inhoneſta. Militibus ſcilicet honeſta miſſio data, *l. 3. de teſtimonial. l. 9. de deſertorib. l. 43. 45. de Decurion. l. 14. de luſtrali coll. l. 8. 12. de Veteranis.* emeritis felicibus caſtris: *d. l. 3. de teſtimon* expletis ſtipendiis, poſt impleta, expleta ſtipendia, expleto ſtipendiorum numero, emenſo ſub ſignis tempore, peracto militiæ labore, poſtquam ſtipendia iuſta meruerant, *l. 4. 7. de re milit. l. 9. de deſertorib l. 8. de Veteranis; l. 3. de teſtimon. l. 43. 45. de Decur. l. 14. de luſtrali coll.* vnde emeritæ miſſionis epiſtolæ, *l. 4. de Veteranis.* Vel dabatur Miſſio ante impleta ſtipendia iuſtis de cauſis, *d. l. 3. de teſtimonial.* ob contrariam corporis valetudinem, *l. 4. de re milit.* ſenectutis, vel debilitatis cauſa, *l. 4. de Veteran.* ob belli vulnera, *d. l. 4* ob defeſſam ætatem, aut corporis ægritudinem, aut glorioſorum vulnerum cicatrices: *l. 12. de Veteranis.* probata debilitate: *l. 9 de deſertorib.* Quæ *Cauſaria Miſſio* dicebatur, *d. l. 9 de deſertorib. l. 14. de luſtrali coll l. 8. de Veteranis*: Quæ & ipſa honeſta dicta, *d. l. 3. de teſtimon. l. 4. 12. de Veteranis.* Denique fuit *Inhoneſta miſſio*, exauctoratio ſcilicet de qua *ſupra.*

Exinde iam *honeſta* ita vel *cauſaria* miſſione dimiſſi, ſeu qui miſſionem peruerant, *l. 1. & 4. de Veteranis:* quibus quies poſt arma conceſſa, *l. 7. de fil. mil. apparit.* qui quieti & otio traditi, *l. 4 de re milit.* qui militia abſoluti, *l. 3. in fin. de teſtimon.* dimiſſi, *d. l. 4.* &c.

VETERANI dicti: de quibus eſt *tit.* peculiaris *de Veteranis:* qui non illo tantum *titulo* paſſim ita vocantur, verum & *l. 8. de re milit l. 45. de decurionib.* Quos etiam Conſtantinus Imp *Conueteranos* ſuos vocat, *l. 2. de Veteranis.* Cæterum Vetetanis cum mitterentur, caſtrenſibus muniis abſolutis domum redeuntibus *l. 1. de Tractoriis*, dabantur Teſtimoniales, *Rubr.* & *l. vlt de teſtim ex Tribunis:* & *l. 12. de Veteranis: l. vlt. de honor. codic. l. 156. de Decur.* Teſtimoniales, id eſt, teſtimonium emeriti laboris, vt vocantur *l. 7. de re milit.* vel etiam Epiſtolæ, *l. 1. de teſtimon. l. 2. de Veteranis, l. 11. de deſertor. l. 23. de diu off. l. 1. de tractor. & ſtat. l. 45. de decurionib.* & plenius emeritæ miſſionis epiſtolæ, *l. 4 de Veteranis:* Epiſtolæ, quibus Imperator ſingulos proſequebatur, ad æui reliqui teſtimonium, *l. 1 de Tractoriis.* Honoraria Miſſio, *l. 3. de Teſtim.* & *l. 153 de Decurion.* Eum in finem ſcilicet, vt quibus ea data fuiſſet, emeriti laboris honore, priuilegiis, præmiis, & commodis perfruerentur: *leg. 15. de extraordin. & 156.* vnde teſtimonialium ſuffragium, eoque muniri, *d. l. 15.* Niſi, quod ſæpe fiebat, teſtimoniales fraude quæſitæ eſſent ab his qui milites non fuerant: *d. l. 12. de Veteranis.* Porro non nudæ hæ Teſtimoniales ſemper erant; verum his Tribunorum, Præpoſitorum, vel Protectorum dignitas pro præmio ſæpe conferebatur, ſeu ex Protectore dimittebantur: Quo pertinet proprie *titulus, de Teſtimoniali*, &c. & inſuper *lex 5. 8. & 12. de Veteranis: l. 2. 3.*

de

de diu offic. l. 7.14. de lustrali coll. l.153. de decurionib. Cuius dignitatis quia quamplurima priuilegia erant, de quibus, *tit. de domesticis & protectorib.* ideo quamplurimi hac tempestate huiusmodi Epistolas seu Testimoniales affectabant, ad euitandam conditionem aliquam: veluti Decuriones, Collegiati, Negotiatores, Officiales: ideo eas nec quicquam prodesse voluerunt Imperatores, *dictis legibus*, ad euitandam conditionem: de quo ad *d l. 2. de diu. offic.* Item militiæ obtentu multi has Epistolas reportabant, cum nec aciem vidissent, nec signa perspexissent, nec arma tractassent, denique non decurso armorum honore: ideo honorarias has Missiones his prodesse noluerunt Imperatores, *l. 1.3.4. de Testimoniali.* Sed & Veteranis, seu militia missis, eadem epistola dabantur Tractoriæ, quibus viaticum conficiendi itineris continebatur, modus annonarum in itinere præbendarum, *l. 11. de desertoribus:* de quibus vid. *tit de Tractoriis & Statuis:* ac nominatim *l.1. eius tit.*

Privilegia, præmiaque alia Veteranorum sequuntur (ex Causaria etiam missione missorum; velûti quia debilitati belli vulneribus gloriosorumque vulnerum cicatricibus) Ac primo quidem immunitas a censibus, modo pro suo tantum capite, modo pro vxoris simul, pro diuersitate militiæ & missionis, Veteranis competebat: *l. 4. de Veteranis.* Et tamen si terras censibus insertas tenerent, tributis obnoxii erant: *l. 28. de ann. & trib.*

Secundo variis rationibns Veteranorum partim inopiæ, partim vero Latrociniis occursum: iis nempe, ne inopia laborarent, *l. 3. de Veteranis*: imo ne latrocinia perpetrarent, *l. 7. eod.* horum alterum iniunctum erat, vt vel rura colerent, vel mercimonia commerciaque agitarent, *l. 3. & 7. eod.* Eum vero in finem, vacantes eis terræ Principum præcepto adsignabantur, *d. l. 3. & 8 eod. & l. vn. de rei vindic.* locaque absentium squallida & dissimulationis situ horrentia, *l 11. eod. tit. de Veteranis.* Et his quidem adhuc conditionibus accedentibus: Nam & ad emenda ruri necessaris pecunias in nummis XV. millia follium consequebantur, *d. l. 3.* & ad culturam agrorum animalia & semina eisdem ex fisco præbebantur, *l. 8. eod.*
P.271
puta boum par, & frugum promiscuarum, seu vtriusque frugis modii centum, vel quinquaginta; *d. l. 3. & 8.*

Tertio terras illas perpetuo immunes habebant, *d. l. 3.* nullumque ex his agris stipendium, nullam annuam præstationem præbebant, *d l. 8.*

Quarto illis solis eorundem fructus cedebant & sine molestia præiudicioque dominorum prouentuum eis emolumenta quærebantur, neque illis quicquam messium tempore Agratici nomine deferre cogebantur, *l. 11. eod.* At si mercimonia agitare mallent Veterani, emere eis, vt & eorum filiis vendere, negotiari, permittebatur: *d. l. 2. & 9. eod.* cum immunitate plenissima quandoque, sic vt indistincte ab omni munere vniuersisque auri & argenti reditibus & portorio, *d. l. 9.* Publicani his non imminerent, *l. 2. de Veteranis*, in quibuscumque nundinis interessent, nulla proponenda darent *d. l. 2.* quandoque intra certum pecuniæ modum, *l 3. de Veteranis, l. 2.7.14. de lustrali coll.*

Quinto hæc omnium Veteranorum priuilegia erant, vt ab omni munere ciuili, ab omnibus operibus publicis, a collatione omni, vectigalibus immunes essent, *d. l. 2.* corporalium, seu personalium munerum vacatio eisdem tribueretur: *l. 6. eod. tit.*

Sexto equorum vsus ad itineris necessitatem Veteranis, qui sub armis militia functi erant, concessus: *l. 1. quib. equorum vsus.* Sane Veteranis Protectoria dignitate auctis sua & singularia priuilegia competebant, *l. 5. 8. eod.* vt & iis qui ad Tribunatus Præposituras que peruenerant, *l. 10. & vlt.*

His porro priuilegia Veteranorum tantum competebant, qui stipendia iusta meruerant, vel qui causaria missione dimissi fuerant: *l. 1. 6. 10. eod.* non vero his qui testimoniales fraude quæsiuerant, cum milites non fuissent, vel stipendia non implessent: *l. 12. eod.* quique ambitu ac suffragiis Veterani facti & Veteranorum dignitates adepti fuissent. Tandem notandum, concessum Veteranis, vt priuilegia sibi indulta tabulis vel encausto & cerussa conscriberent, *l 1. de Veteranis.* De filiis Veteranorum dictum *supra*, vbi de *Delectu*.

Sub finem adiicere libet, quæ bello finito siue aduersus hostes, siue aduersus Tyrannos, siue aduersus coniuratos, & sic iam pacatis rebus, *l. vlt. de infirm. his quæ sub Tyran.* actitata. Primo quidem ilico post victoriam missis militia seu Veteranis, indulgentiæ tributæ: Deque his *Edicta* proposita: *l. 1. de Veteranis.* Secundo, vbi bella desinerent, orirentur victoriæ, *Nuncii* victorias, strages hostium, triumphos, compositam pacem nuntiaturi vbique mittebantur ob lætitiam, & ad gratulationem, qui sæpe ea re prouinciales concutiebant: cui occursum *tit. ne quid publ. læt.* Tertio, aurum *Coronarium* Imperatoribus oblatum: de quo *tit. de auro coronario*; vt & aurum oblatitium, *l. 14. de Senatoribus & glebali coll* Quarto, *Indulgentiæ* criminum ab Imperatoribus emissæ, vid. *tit. de indulg. crim. & tit. de infirm. his quæ sub Tyr.* Quinto, infirmata complurima, retro firmata nonnulla, quæ sub Tyrannis actitata, *d. tit. de infirm. l. 9. de desertorib. l. 1. de immunit. conc.* Ad hoc quoque tempus belli patrati referenda sunt sequentia: Postliminii vide ius, de quo *tit. 5. lib. 5.* Item, reparatio litium, rerumque. Hostibus quippe siue perduellionibus debellatis, reparatio appellationum his qui per hostes temporis lapsum incurrerant, statim primaque concedebatur: *l. 7. de reparat. appell.* Quin & missi quandoque inspectores ad restituenda loca pristinis dominis, vnde expulsi fuerant a coniuratis hostibus, vel certe his recusantibus ad idoneos possessores transferenda, *l. vn. in fin. de Saturianis.*

Illud postremo notandum, intestatorum militum bona, sine legitimo hærede deficientium, ad legionem vel vexillationem in qus militauerunt, pertinere: *l. vn sup. de bonis militum.*

DE

P. 272

DE RE MILITARI.

TITVLVS I.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXXVI.

De eo qui Hostibus *prædandi facultatem præbet, vel prædam cum his diuidit.*

I. (a) Imp. Constantinus A. & Cæsar. (b) ....

Si quis Barbaris, (c) scelerata factione (d) facultatem deprædationis (e) in Romanos (f) dederit, vel si quis alio modo (g) factam (h) diuiserit, viuus (i) amburatur. (k) Dat. IV. (l) Kalend. Mai. Seuero & Rufino Conss. [323.]

Interpretatio. (m) *Si quis cum* (n) *quibuslibet hostibus prædas egerit, aut prædam cum prædonibus diuiserit, incendio concremetur.*

NOTAE.

(a) *Lex 9. C. Iust. eod. tit.* Iungenda autem, seu committenda huic est *lex 1. inf. de Commeatu*: Quæ *lex* in *Cod. Iust.* inscribitur *ad Leontium PP.* Extat hæc *lex* quoque *Capitular. lib. 6. cap.* 288. GOTHOFREDVS.

(b) Recte, *& Cæsar*; quod hic additum in *Tiliana editione*, & *An. Regio*, vt & in *Cod. Iust.* quod in *Paris.* omissum; quia & omissum in MS. archetypo *huius Codicis*, imo & *d. l. 1. inf. de Commeatu.* IDEM. Cod. Wurceb. habet *& Cæsar*, & ita etiam Codex Gothanus & Edit. Sichard. quod non agnoscunt omnes Cuiacii editiones. RITTER.

(c) *Gothi*, Sarmatæ, Scythæ in specie *huius legis* intelliguntur: pariter vt in sp. *d. l. 1. inf. de Commeatu.* GOTHOFR. Cod. Wurceb. *Si quis barbarus*, male. Cod. Gothan *Si quis cum barbaris*, errori interpretatio dedit occasionem. RITTER.

(d) Id est, proditione: *Factio*, est plurium consensus in prauum, atque in Reip. necem, coniuratio, conspiratio: dixi *ad leg. 3. ad leg. Cornel. de sicar.* GOTHOFREDVS.

(e) *Facultatum deprædatione*, Cod. Gothan. RITTER.

(f) Teutet quis *in Romano S.* id est solo: Quo nil opus. GOTHOFREDVS.

(g) Non præbita scilicet facultate deprædationis, verum per negligentiam, vt in Sirmondi *Chronico*, de quo mox. IDEM.

(h) Deprædationem. IDEM.

(i) Hæc vox a recentiore manu ad Cod. Gothan. adscripta. RITTER.

(k) *Comburatur* Cod. Iust. & *Capitular. d. c.* De Flammæ supplicio vid. Paratitl. *de pœnis*: vid. & Fornerium 2. *Quotid.* 7. GOTHOFREDVS Cod. Gothan. *comburatur.* RITTER.

(l) *V. Kal.* Cod. Goth. male, vt docet subscriptio *leg. 1. de Commeat.* IDEM.

(m) *Interpretatio* hæc vnica *hoc libro & titulo* occurrit, quæ in iuris Gothici breuiarium relata. Cæterum ideo quoque huic *titulo* in Aniani *Codicib.* præfixus est *titulus*, *de deprædationib.* GOTHOFREDVS.

(n) Male. IDEM.

COMMENTARIVS.

Hostibvs Imperii Romani, (quos *Barbaras* vocabant) deprædandi facultatem in Romano solo, *factione scelerata*, dantem (veluti derelicta limitis aut Castri custodia, vt suadet *lex 1. inf. de Commeatu*, quæ huic *legi* coassanda est: & Chronicon *Sirmondi*, vbi ait, *Cum Constantinus Thessalonica esset, Gothos per* neglectos limites *erupisse*: immissoque adeo in Romana hoste) vel prædam saltem ab his factam cum iis diuidentem, & sic Hostem Pvblicvm viuicomburii pœna affici iubet *Constantinus M.* hac constitutione, A. D. 323. Quæ pars est prolixioris constitutionis Constantini M. Barbarorum incursionibus occurrentis, inter alia disciplina militari, limitisque custodia erecta, vt apparet ex *d. l. 1. inf. de Commeat.* quæ huic *legi* ceu eiusdem constitutionis pars, vt iam dixi, coassanda seu committenda venit: Quæque etiam agit de eruptione seu incursione Barbarorum, & de militum, qui a Castris & signis, vel etiam his locis, in quibus prætendunt, discesserunt, pœnis. Sane eadem pœna, quæ *h. l.* proponitur & *l. 8. § 2. D. de Pœn.* Hostes *autem*, inquit, *item transfuga ea pœna adficiuntur, ut viui exurantur.* Sed & hoc altero Capitolini loco, in *Maximinis c. 16. Consul*, inquit, *retulit, P. C. de Maximinis quid placet? Responsum est*, Hostes, hostes: *qui eos acciderit, præmium merebitur: Item Consul dixit, de amicis Maximini quid uidetur? Acclamatum est*, hostes, *Hostes, qui eos acciderit, præmium merebitur. Acclamatum est; inimicus Senatus, in crucem tollatur: Hostis Senatus*, vbicvnqve feriatvr: *Inimici Senatus viui exurantur. Hostium* scilicet appellatione, *in. d. l. 8. §. 2.* vt & *l. 3. in fin. D. ad leg. Corn. de sicariis*, intelligendi sunt *perduelles*, qui (vt loquitur *lex vlt. D. ad Leg. Iul. Maiest.*) hostili animo aduersus Rempublicam vel Principem animati sunt. Quorum sane numero sunt & ii, qui cum inimicis consilia miscent, qui factione scelerata deprædandi facultatem hostibus præbent; qui etsi non præbuerint, prædam tamen cum his partiuntur. Denique quos Senatus *hostes* iudicare solebat. Eos sane a Transfugis separat, præter *d. l. 8. §. 2.* & *d. l. 3. in f.* quoque *lex 5. D. de cap. Minut.* Et nihilominus tamen & ipse transfuga hosti quam proximus est, hostiumque numero, seu pro hoste habendus est, & quasi hostis: *d. l. 5. l. 19. §. 4. D. de Captiu. l. 7. D. de Re Milit. l. 3. in fi. D.* ad

ad L. Corn. de Sicar. Ideo *Hostes* & *Transfugæ* iuoguntur: *d. l. 8. § 2.* Atque ita quidem interim *legem* illam *8. §. 2. D. de Pœnis*, interpretari, hacque interpretatione receptam eius lectionem tueri oportet, quæ necquicquam a Cuiacio emendatur, locis tribus; puta, *lib. VI. Obseru. cap. 9.* & *lib. VI. cap. 26.* & *lib. XV. cap. 34.* *Hostium* itaque, eo quo dixi sensu, pœna, viuicomburium est. Certe iure quoque antiquissimo, (lege, inquam, XII. Tabb.) is qui hostem concitasset, capite luebat: *l. 3. D. ad Leg. Iul. Maiest.*

Quod Historiam *huius leg.* attinet, pertinet ea, vt & *d. lex 1. inf. de Commeatu* (quam *huic* coniungendam dixi) ad Gothorum, Scytharum & Sarmatarum hoc tempore incursiones seu eruptiones: qui-
P.273 bus hoc ipso anno bello deuictis & captiuis eorum per vrbes distributis, Thessalonicam sese Constantinum M. recepisse, fidem faciunt, Auctor *vita Constantini, lib. 4. cap. 5. 6.* Zosimus, *lib. 2. cap. 21. 22.* Sozomenus, *lib. 1. cap 8.* de quo & h e Auctoris veteris anonymi, qui apud Sirmondum extabat, postea vero a præstantissimo Valesio editus est, locus obseruatu dignus ad rem nostram occurrit *pag. 714. ad eadem Marcellin. edit. Gronou.* *Cum Constantinus Thessalonica esset, Gothi per* NEGLECTOS LIMITES *eruperunt, & vastata Thracia Mæsiaque* PRÆDAS *agere cæperunt. Tunc Constantini terrore & metu repressi, captiuos illi impetrata pace reddiderunt. Sed hoc Licinius contra pactorum fidem factum conquestus est, quod partes sua ab alio fuerint vindicata.* Vbi vides Gothus irrupisse per NEGLECTOS limites, PRÆDASQVE egisse; quod ex *hac l.* & *d. l. 1. inf. de Commeatu*, interpretationem planissimam accipit: Igitur & *h. l.* & *d. l. 1, inf. de Commeatu.* Constantinus horum eruptionibus seu incursionibus deinceps obuiam ire instituit, disciplina militari inter alia erecta seu restituta, & milite nominatim sub signis & in prætenturis suis retento, per limitem incursionibus Barbarorum infamem. Eodem porro quoque tempore a Constantino Daphnen, (quæ ab eo ideo *Constantiniana Daphne* in nummis vocatur) Castrum seu munimentum in Mœsia secunda, ad Danubium aduersus Gothorum excursiones ædificatum e regione Transmarisca autumo: De quo Procop. *4. de Oper. Iustiniani cap. 8.* & Amm. Marcellin. *lib. 27. c. 5.* Procopii verba hæc sunt. Τὸ Τραμμακαρισκας, ὀχύρωμά ἐστιν. ὅπερ καταντικρὺ ἐν τῇ ἀντιπέρας ἠπείρῳ Κωνσταντῖνος ποτὲ Ῥωμαίων βασιλεὺς Φρούριον ἐκ ἀπημελημένως ᾠκοδομήσατο Δάφνην ὄνομα ἐκ ἀξύ.. φορον νενομικὼς εἶναι φυλάσσεσθαι ταύτῃ τὸν ποταμὸν ἑκατέρωθεν, id est, *Trismarisca castellum cui ex aduerso in opposita continente Constantinus olim Romanorum Imp. castrum non obscurum exstruxit Daphnen nomine, e re publica fore ratus, si vtramque fluminis ripam eo modo custodiret.* Prope hoc castrum postea, Valens Imperator aduersus Gothos moturus castra metatus dicitur ab Amm. Marcellino *d. lib. 27. c. 5.*

Ex *hac* interim *leg.* vt ad eius sententiam redeamus nutandum: subreptum seu prædam, diuidere, in pari causa esse, atque latrones seu hostes iuuare: Quod & ipsum in alia specie statuitur, *l. 1. in fin. D. de Receptat.* Seu pati pœna plecti eum qui prædam fecit, vel qui factam cum hoste diuisit, atque eum qui hostem ipse concitauit.

Tandem, vt de Constantini instituto *h. l.* & *d. l. 1. inf. de Commeatu*, adhuc agamus, quis iam non de Zosimi fide dubitare incipiat, qui inter alia Constantinum M. ideo insectatur *lib. 2. c. 34.* quod limitem imperii Romani Barbaris exposuerit, vtpote submota maiore militum parte a limitibus Φρουρίοις καὶ πύργοις, τῶν στρατιωτῶν τὸ πολὺ μέρος τῶν ἐσχατιῶν ἀποστήσας, contractisque iis in vrbibus nullius opis indigentibus, καὶ τὰς ἐνοχλουμένας ὑπὸ βαρβάρων ἐγύμνωσε βοηθείας. Cum contra videamus, *d. l. 1. de Commeatu*, Constantinum tam enixe in id incumbentem, vt ne milites a castris aut signis vel prætenturis suis abducantur; & *h. l.* Barbaris prædandi facultatem adimentem.

De COMMEATV *militi non dando a Tribunis & Præpositis.*

II. (a) Imp, Constantinus (b) A. ad Siluanum (c) Com. (d) Magistrum (e) Equitum & Peditum.

SI quis miles per Commeatum dimissus fuerit a Tribuno vel Præposito, aut inconsulto eodem ab obsequio militari signisque discesserit, per singulos milites Tribuni & Præpositi quina pondo auri fisco inferant. Dat. VI. Kal. Iun. Sirmio, Limenio & Catullino CONSS. [349.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda vero ei est *lex 3. inf. de diuersis officiis.* GOTHOFREDVS.

(b) CONSTANTI tribuenda est hæc *lex*, Galliarum videlicet Imperatori; sicut & *lex prox.* sequens, vel Constantio. Proinde inscriptio ita restituenda venit: *Constantius & Constans AA.* Sane *d. lex 3.* quoque inscriptum habet Imperatorem *Constantium.* IDEM.

(c) *Syluani* huius meminit sexennio post Amm. Marcellin *lib. 15. c. 5.* (in gestis anni 355.) inter Gallias. Cuius pater Bonitus, natione FRANCVS fuerit. Et hic idem ille Siluanus est, qui a Magnentio ad Constantium ante Mursense prælium transgressus, A. D. 351. vel 352. teste Victore Schotti *c. 42.* Marcellino *lib. 15. c 5.* Zonara (vnde Constantius alacrior factus ad persequendum Magnentium, de quo vid. Iulianum *orat. 1. & 2.*) obligatum gratia Constantiorum retinuit. Postea vero A. D. 355. quasi res nouas molitus, Agrippinæ in Galliis, Vrsicini dolo (cui & ipse Am. Marcellinus iunctus fuit) interfectus est. Quod præter Am. Marcellinum *eodem libro & capit.* docet quoque Victor Schoti *l. c.* Hieronymus, *in Chronico*, & Zonaras. Et sane Tyrannidis ab eo susceptæ argumento, est quoque hic nummus teste Goltzio, & Scaligero in not. ad Chron. Hieronymi *pag. 255.* D. N. FL. SILVANVS P. F. AVG. IDEM.

(d) *Comites* simul etiam dicebantur Magistri militum, vt & ex *h. l.* patet & *l. 13. inf. h. t.* v. Paratil. *huius libri.* IDEM.

(e) Ex *hac leg.* apparet Siluanum antequam ad Constantii partes accederet, sub Constante A. D. 309. Magistrum militum fuisse: error proinde videatur eorum qui eum Armaturarum Tribunum fuisse aiunt eo tempore quo in Magnentii partes concessit. Et tamen scriptores omnes alii teniti videntur. Nam & Victor ait *c. 40. eum ordine militiæ*, SIMVL *a Magnentio ad Constantium transgressum pedestre ad Magisterium adolescentiorem meruisse*, seu subuectum. Et Marcellinus cum ait *cit. loc.* eum cum Armaturis ad Constantium transgressum, aperte Armaturarum Tribunum indicat (cuius alibi sæpe meminit:) & Zonaras eum vocat ἕνα τῶν ταξιαρχῶν, id est Tribunum. Neque Iulianus, *orat. 1. pag. 40. & orat. 2. pag. 97. edit. Lipsiens. Spanhem.* aliud quam τάξιν ἱππέων *equitum turmam*, seu τῶν ἐπιλέκτων ἱππέων ἴλην τοῖς σημείοις καὶ τὸν στρατηγὸν ἄγουσαν *electorum equitum turmam cum vexillis ac duce ipso* a Magnentio ad Constantium transgressum ait. Quare his omnibus inspectis, credat quis Consulatum *huic l.* hunc subscribendum, *post consulatum Limenii & Catullini.* IDEM.

COM-

COMMENTARIVS.

VT recedere a militia signisue suis Milites inivste seu intempestiue nullo prætextu oportet, ita nominatim commeatv, id est, missione vel epistola (est enim *Commeatus*, epistola missionis, *l. 11. inf. de desertoribus*, hinc in *Gloss. Nomicis*, Κομεάτον οἷμαι ἐπιςολὴ ἢ πιττάκιον, de quo plura *in paratitlo*) gratiosa & temporaria Tribuni, vel Præpositi id fieri vetat Imp. *h. l.* Quod & ipsum vetatur *l. 1. de Commeatu.* quam *legi 1. sup.* coaſſandam ostendi. Tribunus scilicet & Præpositus commeatus dandi ius non habuere.

P. 274

At quod subiicitur, Præpositum & Tribunum, *si inconsulto quoque eo miles ab obsequio militari, signisque discesserit*, quinque auri pondo multari, durum satis videri possit; Fugam scilicet militis a Tribuno vel Præposito præstari, quæ alioquin a nemine præstatur. Itaque legendum putet quis, *aut* havd *inconsulto eodem*, vel, *aut consulto*; hoc sensu; Tribunum & Præpositum, non tantum si expresse *commeatum*, id est, missionis epistolam gratiosam & temporariam militi indulserit, puniri: Verum etiam si militem non quidem epistola commeatus data, verum conniuentibus oculis discedere seu abesse, vagarique permiserit. Nisi putet quis hac immutatione nil opus; quasi hac quoque ratione Constans Imp. disciplinam castrorum labantem in Galliis erigere voluerit. Huc interim facit omnino Spartiani locus, *in Hadriano c. 10. Nunquam passus*, inquit, *aliquem a Castris* inivste *abesse, cum Tribunos non fauor militum, sed iustitia commendaret*: Cuius loci sensus hic est; sub Hadriano Tribunos sese non commendasse fauore erga milites, veluti militibus commeatum, seu epistolas commeatus dando, vel indulgentia discedere & abesse a castris permittendo, verum *iustitia*, id est, obseruantia exacta disciplinæ militaris. Eodemque pertinet Iustiniani *lex a §. 9. Cod. Iust. de offic. Præf. Præt. Afr.* vbi pariter dum hæc prohibentur, ne Duces aut Tribuni milites concedant diuagari, & nullum ex militibus audeant *commeatalem* dimittere seu relinquere, id est, cum commeatus epistola dimittere, commeatum ei tribuere; quod & pretio certo, vel lucro, facere solebant, quæstumque inde facere, vt eadem *lex* docet, & altera Anastasii *lex 46. Cod. Iust. de erogat. milit. ann.* verum de hoc plura *inf. tit. de Commeat.* vbi, quando, & quam parcissime commeatus dandus sit, dicetur. Interea vide & *l. 1. 3. 12 14. D. de re milit.* Cæterum, sicut militiam deseri noluit *hac l.* Imp. quocunque tandem obtentu: ita retro neque militiæ obtentu suum officium ab Officialibus Iudicum relinqui, *l. 3. inf. de diuers. offic.* quæ *huic* coniungenda seu coaſſanda est. Breuiter igitur, Imp. constitutione sua *ad Siluanum* Magistrum militum emissa, suum militiæ vigorem, & quidem per Gallias, ita constare voluit, vt ne hoc obtentu alia officia desererentur.

Familiæ *ad se euocandæ iure militi indulto, quid contineatur.*

III. (a) Idem (b) A. ad Titianum PP. (c)

QVICVNQVE militum ex nostra Auctoritate (d) *Familias suas* ad (e) se venire meruerint, (f) non amplius quam coniugia, (g) liberos, seruos etiam de peculio castrensi emptos, neque adscriptos censibus, ad eosdem Excellentia (h) Tua dirigi faciat. Dat. III. Kal. Iun. Limenio & Catulino Conss. [349.]

NOTAE.

(a) *Lex 10. Cod. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) Non Constantinus: At Constantius, vel *Constans*: pariter vt *lege superiore*, vt inibi ostendi. IDEM.

(c) Galliarum: qui perperam in *inscriptione legis 2. inf. de Rapt. virgin.* hoc ipso anno 349. *Tatianus* dicitur. Meminit eius quoque Hieronymus *in Chronico* (A. D. 346) *Titianus*, inquit, *vir eloquens, Præfecturam Prætorianam apud Gallias administrat.* Et hunc ipsum existimo esse, cui nulla dignitate adiecta inscribitur *lex 36. inf. de Decurion* (Anno D. 341.) Quinimo hic idem est, quem Zosimus *lib. 2. c. 44.* ait, Magnentiacæ parti adhæsisse: quæ quidem factio erupit anno hanc legem proxime sequente, (id est A. D. 350.) Denique Notitia *Præfectorum vrbi*, quam Cuspinianus e situ primus eruit, eum sub Magnentio Præfectum vrbi fuisse testatur (Anno 351.) IDEM.

(d) *Auctoritate*, id est rescripto. vid. *Paratit. de constit. & de diu. rescr.* IDEM.

(e) *Quicunque militum meruerint ex nostra autoritate familias suas ad se venire.* Ita Cod. Iust. inuerso. IDEM.

(f) *Meruerint*, id est, impetrauerint, obtinuerint: v. *Gloss. Theod.* IDEM.

(g) *Coniugia*, pro coniuges. Quomodo etiam hic habet *Cod. Iust.* vide *Gloss.* IDEM.

(h) Scilicet, quia Præfecti Prætorio euectionum & cursus publici ius habebant; de quo *inf. tit. de cursu publico.* IDEM.

COMMENTARIVS.

FAMILIAS suas in militiam secum ducere, vel ad se euocare, militib. speciali quandoque beneficio Principis concedebatur: cum regulariter alioquin id illis non liceret: A quo haud adeo abludit, quod de Præsidib. & Magistratib. olim definitum erat *l. 4. §. 2. D. de off. Proconſ.* Singularis certe huius concessionis exemplum elegans, & geminum iuxta *hanc legem* (cuius auctorem Constantinum M. perperam faciebat Balduinus) occurrit apud Amm. Marcellinum *lib. 20. c. 4.* (in *gestis* A. D. 360.) Nam cum de auxiliaribus militibus vel etiam dedititiis, a Gallia, vbi sub Iuliano agebant, in Orientem Constantii Imp. iussu transferendis ageretur, iique charitates suas (id est Coniuges, liberos) sese ad orbis terrarum extrema translatis, Alemannis denuo seruituras dicerent, atque adeo sine his proficisci ad Orientis expeditionem nollent, *Iulianus* (vt scribit Amm. Marcellinus) *contemplans rationabiles querelas, cum* Familiis *eos ad Orientem proficisci præcepit, Clabularis cursus facultate permissa.* Quem locum iam alia occasione quoque laudaui, ad *l. 5. supr. de Curiosis.* Georgius quoque Codinus, *de Origin. Constantinop. pag. 12. Tom. XII. Corp. Byzant. edit. Paris.* *Familiarum militarium* meminit, hoc loco: ἔδοξαν εἶναι ἐκ φαντασίας εἰς τὴν Ῥώμην· εὑρόντες δὲ καὶ τὰς φαμιλίας αὐτῶν ἐξεπλάγησαν· ἐρωτήσαντες δὲ τὰς ἑαυτῶν φαμιλίας, &c. *putabant se per somnium esse Romæ. Cum vero & familias suas inuenirent obstupescebant: vbi vero eas interrogarunt* &c.

Cæterum, cum huiuscemodi indulgentia vel in-
P. 275 condita familiarum militarium turba, militia oneraretur (vel etiam cursus publicus nimio vexaretur) definiri oportuit, quidnam *Familiæ* appellatione, huiusmodi beneficio impetrato, proprie contineretur, id est, quasnam personas ad se euocare milites possent, familiæ euocandæ iure sibi indulto? Et vero *h. l.* definitur *Familiæ* appellatione contineri nonnisi hæc tria *Vxores*, *Liberos*, *Seruos* denique: Et hos ipsos non omnes, verum ex peculio tantum Castrensi emptos, neque adscriptos censibus; quod de Adscriptitiis colonis omnes ferme accipiunt, de quibus plene *sup. tit. de fugitiuis colonis*, ego de seruis & mancipiis censitis accipio, de quibus *l. 2. inf. sine censu. l. 3. & 7. Cod. Iust. de Agricolis.* *Familiæ* scilicet appellatione hac parte (iis quas paulo ante dixi de causis) nonnisi Coniuges, Liberi, seruique illi continentur: cum alioquin in aliis iuris articulis, suis & iustis de causis, *Familiæ* appellatio latius quoque protendatur: (vt nominatim liquet ex *l. vlt. Cod. Iust. de verb. signif.*) & quidem propinquos omnes, agnatos, libertos, patronos & seruos quoscunque indistincte complectatur. Sic sane & apud Trebellium Pollionem *in vita Claudii* cum familiarum militarium mentio fiat *cap. 6.* mox ex ipsa Claudii epistola *c. 8.* apparet, de *mulieribus* id accipiendum.

Ex *hac* interim *lege*, vt & prædicto Amm. Marcellini loco apparet, huiusmodi militum familiis ad milites proficiscentibus *cursus publici* copiam patuisse: & quidem, quod idem Marcellinus docet, clabularis: nempe quia familiæ transuehendæ magis opportunus hic cursus foret, vt plenius ostendi *ad d. l. 5. supr. de Curios.* Nempe, quia capacissimus erat, non vero, quod nonnulli censent, quia ægris tantum vehendis opportunus. Porro, quod *hic* potissimum, neque inani etiam coniectura ducor, *h. l.* imminenti periculo Imperatorem occurrere voluisse; cum iam militia Gallicana, hoc inter cætera obtentu, familiæ, inquam, suæ arcessendæ, Barbaris, ac FRANCIS nominatim iusto plus repleretur; vnde iustus ei factionis alicuius metus obortus.

Cuiusmodi certe metum circa hæc tempora erupisse deprehendo initio anni 350. Magnentio auctore, qui ipse a LÆTIS FRANCIS oriundus, Francisque subnixus erat: quinimo & eo ipso Titiano PP. Galliarum, cui hæc *lex* inscribitur, (quod docet Zosimus *lib. 2. c. 44.*) Magnentio adhærente. Itaque sic interfectus Constans: adeo vt solus Lansogaisus e Francis morituro Constanti adfuerit, quod Amm. Marcellinus prodit, *lib. 15. c. 5.* Non omittendus & hic Iuliani locus, *orat. 1. pag. 34. edit. Spanhem. Lips.* vbi ait, Gallias Constantii fratribus (& sic Constanti) supplementi militaris ac delectus non pœnitendam copiam præbuisse: ibidemque de Francorum & Saxonum auxiliis agit loco insigni.

Tandem ex *h. l.* apparet, hac quoque tempestate vt iam olim (contra quam aliquando Seuerus Imp. militibus concesserat, Herodiano teste *lib. 3. c. 8.*) regulariter non licuisse militibus σωφροσύνῃ στρατιωτικῇ, ex disciplina militari, secum militiæ vxores habere, γυναιξὶ συνοικεῖν Cum contrarium tamen minus pense ex *h. l.* nonnulli colligebant. Quod & ipsum ex *l. 6. 7. inf. de Tyronibus* quoque perperam colligunt, vt ad *eas* dicetur. Neque pro ea sententia quidquam facit Libanii locus *in Iuliani Imp. necem, p. 284 edit. Morell.* Vbi dicitur, vxores militum, qui Constantii iussu ex exercitu Iuliani per Gallias in Orientem transferendi erant, quæque ex his liberos susceperant, pueros & infantes subrumos seu mammis applicitos militibus ostendisse, orantes obtestantesque, ne seipsas, ne liberos prodere vellent. Eodem quippe pertinet hic Libanii locus quo & superior ille Marcellini: Vnde tamen non efficitur, milites vxores secum militiæ habuisse, sed vxores habuisse. De Gallicanis enim militibus vtroque loco agitur, qui suas vxores in ciuitatibus habere poterant, siue indigenas, siue ex Francia & Alemannia ex priuilegio euocantes. Imo Iuliani permissio post hanc vxorum querelam, contrarium euincit, id scilicet tantum ex speciali indulgentia concessum, vt alio migrantes maritos vxores comitarentur.

De RESTITVENDIS *gratiosa* MISSIONE *donatis militibus numeris suis.*

IV. (a) Idem A. (b) ad Cretionem (c) V. C. Com. (d)

QVAMVIS omni (e) tempore opera dari debuerit, (f) ne sacramentis militaribus separatio (g) traderentur, qui nec (h) stipendiorum numero, nec contraria (i) corporis valetudine quiete perfrui debent, tamen Prudentiæ (k) Tuæ prosecutione (l) admissa, quæ apud nos verbis facta est, præcepimus, (m) vt qui ante stipendia emensa vel integra corporis valetudine otio mancipati sunt, restituantur pristinis Numeris. Dat. V. Kal. Iul. Sergio & Nigrianino CONSS. [350.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) CONSTANTIO hæc *lex* tribuenda est. Certe, huius anni initio Constans interfectus est. IDEM.

(c) *Cretionis* huius duobus locis meminit Marcellinus *lib. 21. cap. 7. & lib. 26. cap. 5.* IDEM.

(d) *Comitem* autem rei militaris accipe: quod vel *huius legis* argumentum satis ostendit. Quem ipsum Cretionem Comitem rei Militaris *per Africam* nominatim fuisse vndecim annos post hanc *leg.* in *gestis* ann 361. (& sic extremis Constantii) testatur Amm. Marcellin. *d. lib. 21. cap. 7.* An vero Cretio hoc tempore Comes rei militaris fuerit *per Africam* nominatim, istud est quod nescio: Nisi quod id suadet quod Amm. Marcellin. *d. lib. 26. cap. 5.* indicat, eum DIV Comitem Africæ fuisse, dum ait, *ab eo filium Masaucionem Domesticum Protectorem in Africa diu educatum.* IDEM.

(e) Etiam pacis, *l. 1. inf. de Commeatu.* IDEM.

(f) Atque adeo puniendus veniat, qui missionem dedit. IDEM.

(g) Audio recte reponentem Cuiacium *Separati otio.* Nam & ita mox, *otio mancipati*: vel ita quoque possis, *sacrati otio. Otium* certe proprie de militari, non *hac* tantum *leg.* verum etiam *l. 5. prox. & l. 45. inf. de Decurionib.* Et author subditus *Notitiæ Imperii, cap. 5. Honesta missione donatus vacans sibi otio gaudeat absolutus.*
P. 276 IDEM.

(h) Honestæ missionis duas species hic recte perstringit: vnam, quæ emeritis stipendiis indulgetur: alteram causariam;

riam; quæ propter valetudinem laboribus militiæ soluit; De quibus obuia sunt, quæ dici possunt, omnia: vid. saltem *Parathion.* *IDEM.*

(i) Id est aduersa. *IDEM,*

(k) Nota titulum Comitis rei militatris, *Prudentiæ Tua.* *IDEM.*

(l) *Profecutio*, hic quid? mox dicam. *IDEM.*

(m) Videatur reponendum, *præcipimus*: Sed illud quoque defendi possit. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

GRATIOSA MISSIONE dimissos milites RESTITVI Numeris suis iubet Constantius *h. l.* A. D. 350. Scilicet Missio militi quocunque tandem tempore (id est, etsi nulla tum hostis eruptio sit, vel metuatur, vt ostendit *lex 1. inf. de Commeat.*) nonnisi post emeritam militiam, aut ob contrariam corporis valetudinem (adde & animi vitium, *l. 13. § 3. D. de Re Milit.*) a Comitibus rei militaris dari debet: aliter missi, suis sunt Numeris restituendi. Gratiosam scilicet missionem abrogat hac constitutione Constantius Comitibus rei militaris: Gratiosam dico (ita enim vocatur a Liuio) quæ scilicet per gratiam ante emerita stipendia, vel citra causam valetudinis indulgetur: *Et quorum stipendia*, inquit *ante emerita, gratiosa missio sibi visa esset.* Cæterum *h. l.* Constantius pœnam remittere videtur Tribunis & Præpositis, quam incurrerant, ob datam videl. intempestiue militibus missionem, contentus milites ad Numeros suos reuocare, quod hæc verba suadeant. *Quamuis* OMNI TEMPORE *opera dari debuerit*, &c. *tamen Prudentia Tua profecutione admissa, qua apud nos verbo facta est*, &c. quasi diceret, & sine pacis quidem tempore miles dimitti debuerit, ante expleta stipendia, vel alias iniuste; attamen quia Cretio Constantio insinuasset, tanquam pro deprecanda pœna, nullam per ea tempora incursionem hostium factam, neque militum opera limitem Romanum adeo tum eguisse, pœnam Tribunis & Præpositis singulari gratia remittit: Ad *profecutionem*, inquam: id est, vt hodie loqui mos est, repræsentationem Cretionis Com. rei militaris, qui id verbo Imperatori repræsentari fecerat, aliquo in id misso ad Constantium; vel certe negotio eius rei alicui dato. Et sane, commeatu quoque iniuste dato, si per id temporis nulla eruptio fuerit, mitior pœna imponitur; *d. l. 1. inf. de Commeatu.* *Profecutio* est alicuius rei significatio, insinuatio, quæ modo fit scripto; vnde & *profecutoriæ* (quarum mentio *l. 7. supr. de Priuileg. cor. qui in S. P. l. vn. inf. de Aur. Publ. profec. l. 5. inf. de exhib. reis*) modo verbis, vt *hac l.* de quo vid. plura in *Gloss.* Contentus itaque suis Constantius in *huius leg.* specie, milites ad Numeros suos reuocare: quod vtique ipsa temporum ratio suadebat, cæso videl. paulo ante, hoc ipso anno, Constante; & turbantibus Tyrannis, Magnentio & Veteranione: Quam huiusce *legis* occasionem fuisse, omnino censeo. Quare & *Prudentia* hoc consilium *h. leg.* adscribi videmus.

VETERANORVM LIBERI *ad militiam euocantur.*

V. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. (b) *

EORVM liberos qui armis inhæserunt, (c) ad vsum (d) bellicum & castra reuocantes, eis quoque eorum stipendiorum copiam deferemus, (e) qui alterius (f) gradus militiæ salutarem maximæ (g) Reipublicæ operam persecuntur. Quod si quosdam aut imbecillitas valitudinis, aut habitudo corporis, aut mediocritas proceritatis, (h) ab armatæ militiæ condicione submouerit, eos iubemus in Officiis (i) ceteris militare. Nam si post definitam (k) a nobis ætatem ignobile (l) otium adamauerint, Curiis (m) obnoxii erunt sine controuersia pro virium (n) qualitate: ita vt hii quos debilitas fortuita, aut morbus & corporis valitudo confecta (o) ita eneruauerit, vt ad vsum castrorum militiæque (p) idonei esse non possint, vacationem perpetuam, (q) depulsis (r) Curialium munerum sollicitudinibus, consequantur: & cetera. Dat. III. Kal. (s) Maii, Hadrianopoli, Diuo Iouiano & Varroniano CONS. [364.]

NOTAE.

(a) Hæc *lex*, vt & *lex* 9 *inf.* melius relatæ fuissent in *titulum* expressum 22. *inf. de filiis militar. apparit. & veteranor.* Iungendæ autem huic sorte sunt *lex* 8. *inf. de Cobortal. lex* 52. *inf. de Decurionib.* & *lex* 18. *inf. de cursu publico.* GOTHOFREDVS.

(b) Num hæc *lex* est EDICTVM, quo exciti Veteranorum filii ad militiam, vt sic nil hic desideretur; vel EDICTI vox supplenda saltem sit: An vero *Mamertino PP.* inscribenda hæc *lex* est, pariter vt dictæ tres *leges*, quæ *huic* coniungendæ sunt? Istud probo. *IDEM.*

(c) Veteranos intelligit: vide & *l. 2. vers. filios, inf. de Veteranis.* *IDEM.*

(d) Ad Tyrocinium militare. *IDEM.*

(e) Recte. Neque reponendum. *deferimus.* Hac scilicet *leg.* Imperator præmia, quæ largiturus esset liberis veteranorum, militiæ sese offerentibus ostentat. *IDEM.*

(f) Locus corruptus videri possit: Proinde ita quis restituat, *Qui in altiore gradu*: vel *Qui altioris gradus*, scilicet existentes: argumento *legis* 3 *inf. quis in grad. prefer.* vel, *Qui alicuius gradus*, arg. *l. 14. inf.* Quasi diceret, gradum qui aliis præbetur post aborem, vt *l. 2. de fil. milit. apparit.* Nihil tamen muto: *Alterius*, (quam Tironum scilicet) arg. *l. 14. inf. vt d. l. 8. inf. de Cobortalib.* vbi ita quoque dicitur *alterius gradus sacramentum.* *IDEM.*

(g) *vel Maxime.* *IDEM.*

(h) De *Statura* militari agitur quoque *l. 3. inf. de Tironib* vbi plene dicam & *l. pen. inf. de Veteran.* & *l. 9. inf. de desertor. l. 8 inf. de milit. appar* & *l. 13 inf. de diuers. offic.* *IDEM.*

2277 (i) Inter Officiales Rectorum Prouinciarum arg. etiam *d. l. 8. inf. de Cobortal.* vt *l. 2. 4. 11. inf. de fil. milit. appar.* & *l. 2. inf. de Veteranis.* *IDEM.*

(k) Sedecim annorum, vt *d. l. 4. inf. de fil. milit. appar.* & *l. 35. inf. de Decurion.* *IDEM.*

(l) *Ignobile otium:* Poetice: Sic *inf. l. 6.* impigro labore: sic *l. 10.* numerosissima pube. *IDEM.*

(m) Vid. *inf. tit. de Decurionib.* *IDEM.*

(n) Id est, si patrimoniis idonei esse noscuntur, *d. l. 4. de fil. milit.* *vires* pro facultatibus. vid. *Gloss.* *IDEM.*

(o) Forte melius, *confectos.* Sustineri tamen hoc potest. *IDEM.*

(p) Armate officialis. *IDEM* Hoc quid sit, non capio. Forte *armata militia* schedæ habuerunt, vti Sulpitius *in Vit. S. Martin. c. 2.* quem citat mox noster. *RITTER.*

(q) Plenam & absolutam. *GUTHOFREDVS.*

(r) Quoque. *IDEM.*

(s) *Id.* vt *d. l. 8. 18. 58.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Imp. septem Constitutiones ordine sequuntur, de re militari; puta hæc *lex*; & *lex 6. 7. 8. 9. 10. 11. inf. h. t.* ex quibus etiam apparet, quam hic Imp. disciplinæ militaris censor eximius fuerit, quod eius elogium est apud Amm. Marcellinum *lib. 30. cap. 9.* item, quam verum sit, quod idem scribit *eod. lib. 30. c. 7.* eum exercitus auxisse valido supplemento: cui subscribit & in partem Zosimus *lib. 4. cap. 12.* Inter alia porro exercituum supplementa fuit & LIBERORVM VETERANORVM ad militiam euocatio, de quo præter hanc Constitutionem, sunt sexdecim præterea constitutiones *hoc Cod.* puta Constantini M. *lex 15. 18. 19. inf. de decurion. lex 1. 2. 4. 5. inf. de filiis mil. appar. & veteranorum*: Constantii *lex 32. 35. inf. de decur.* Valentiniani Sen. præter *hanc legem* altera *lex 8. inf. de fil. militar. l. 58. inf. de decurion. l. 78. d. t.* Valentis *lex 7. inf. de fil. mil. app.* Gratiani vel Valentiniani Iun. *lex 89. inf. de decurionib.* Theodosii M. *lex 83. inf. de decurionibus. l. 11. inf. de fil. mil. appar.* Hæc sane *lex*, pars videtur maioris constitutionis Valentinianeæ, ex qua supersunt tres aliæ, puta *lex 8. inf. de Cohortal. l. 58. inf. de Decurionib. lex. 18. inf. de Cursu Publico:* Sic vt dies *huic leg.* subscriptus ex illis tribus emendandus veniat. Quæ pleræque etiam occupatæ sunt circa liberos eorum qui publico munere funguntur. Nam vt hæc *lex* est de liberis veteranorum, ita *d. lex. 8. inf. de Cohortal.* est de liberis Officialium & *d. lex 58. inf. de Decurion.* de Liberis Curialium. LIBERI igitur VETERANORVM propterea quod eos defendebant decertationes, quæ in patris persona fuerant, vt loquitur Constantinus *l. 2. de Veteranis*, seu propter priuilegia parentibus eorum indulta, vt loquitur idem Constantinus M. *d. l. 2. inf. de filiis mil. app.* hoc iure non vacare sinebantur, verum militiæ adstricti erant: cuius rei Authorem puto ipsummet Constantinum M. cuius antiquissima super ea re constitutio incidit in Annum 319. puta *lex 1. inf. de fil. milit. appar.* quam & Sarmatici belli occasione tulisse videtur. Quo pertinet quoque Gregorii Nazianzeni locus, *epist. 123. ad Ellebichum Magistrum militum* (cui etiam inscribitur *lex 1. inf. de calumniator.*) sub Theodosio M. vbi Ellebichum rogat, vti Mamanti Lectori, Veterani filio, immunitatem a militia daret: *Μάμαντα τὸν ἀναγνώστην, ὄντα μὲν ἀπὸ στρατιώτου πατρὸς, καθιερωθέντα δὲ τῷ Θεῷ διὰ τὸν τρόπον, ἄφες τῷ Θεῷ καὶ ἡμῖν. ἀλλὰ μὴ συναριθμήσῃς τοῖς πλάνησι, καὶ δὸς ἔγγραφον τὴν ἐλευθερίαν, ἵνα μηδὲ ὑπὸ ἄλλων ἐπηρεάζηται. δώσεις γὰρ σεαυτῷ δεξιὰς τὰς τοῦ πολέμου καὶ τῆς στρατηγίας ἐλπίδας. Mamantem lectorem, qui cum militem patrem habeat, Deo tamen ob morum probitatem consecratus est. Hunc quæso Deo ac nobis missum fac, nec inter errones numera. Atque libertatem ac vacationem ei scripto consignatam tribue, vt ne ab aliis quidem per calumniam vexetur. Sic enim faustas quoque tibi ipsi belli atque militaris imperii spes dabis.* Quare subinde pro rerum vrgentium necessitate ad militiam ii euocabantur, & quidem programmate seu Edicto per omnes Ciuitates proposito, vt docent complures aliæ leges, ac nominatim, *d. lex 2. inf. de Fil. Milit. apparit.* Sulpitius quoque Seuerus, *in Vita S. Martini c. 2.* EDICTVM *a Regibus, vt veteranorum filii ad militiam scriberentur.* Pro rerum, inquam, necessitate. Qualis certe hac tempestate maxima fuit, quæque adeo huic *legi* occasionem præbuisse videtur. Testetur quippe Amm. Marcellinus, *lib. 26. c. 4. 5. 6.* (in huius anni, imo & mensis ferme ipsius gestis) hoc tempore, velut per vniuersum orbem Romanum, bellum canentibus buccinis, excitas Gentes sæuissimas, limites sibi proximos persultasse: & in his quidem Sarmates & Quados, Pannonias vexasse: Thracias vero, Gothos. Itaque exciti & euocati hac occasione ad vsum bellicum Veteranorum liberi *has lege*, propositis præmiis & pœnis: pariter vt *l. 8. inf.* Sed pœnis ipsismet Parentibus veteranis, filios non offerentibus, indictis.

Prima conditio, quæ *h. l.* proponitur, eaque vt vulgo creditur obscurior, hæc est; huiusmodi Veteranorum liberis eorum quoque stipendiorum copiam deferendam, quæ iis deferiur, qui ALTERIVS *gradus militia constituti, salutarem maxime Reipub. operam impendunt.* Quorum verborum hic sensus est; Huiusmodi Veteranorum filiis non iam vt Tironib. annonas seu stipendia præbenda (quæ sane minora fuisse testatur quoque anonymus scriptor subditus *Notitiæ Imperii cap. 5.*) atque adeo non ad tirocinium proprie euocari, verum ea quæ præbentur iam aliis, post laborem in altero (quam tironum scilicet) gradu constitutis. Et vero hanc interpretationem suppeditat omnino *lex 14. inf.* & maxime *d. lex 2. inf. de Fil. Milit. Appar. & Veteran.* vt proinde nonnulli frustra sint, qui hanc *leg.* hac parte velut vitiosam emendant. Scilicet de more, qui in militiam allegabantur, vt inter vltimos sternebantur, *l. 14. inf. h. t.* (vbi dicam, etsi ea *lex* ad militiam Palatinam magis pertineat) ita & stipendia pro gradu suo accipiebant minora: mox laborum suffragiis & promotionibus, vt incrementa militiæ consequebantur, *d. l. 14.*, ita & stipendia maiora. De quo est & Procopii locus *in anecdotis*, *cap. 24.*

Altera conditio hæc proponitur, vt si militiæ inhabiles sint filii Veteranorum, veluti quia imbecilliore valetudine sunt, aut inepta corporis habitudine, aut iniustæ proceritatis vel staturæ, in officiis cæteris: id est, inter officiales, Proconsulum, Consularium, Correctorum, Præsidum (vt ostendit dicta *lex 2. inf. de Veteranis:* & *lex 8. inf. de Cohortalib.* si modo ea *huic* nostræ coniungenda est) militent. At si iustæ proceritatis, habitudinis, valetudinis, item ætatis, militiam detractent, Curiis vindicentur: Cæteri vero penitus eneruati, morbo aut aliter, a Curiis etiam immunes sint. Denique, vt hæc *lex* melius adhuc intelligatur, videndus est *totus titulus 1. de fil. milit. apparit. & Veteran.* hanc in rem *expressus*, quo hæc *lex* melius relata fuisset.

CVRIA

P.378 ## CVRIA *seu Curiali nexu quot annorum militia armata & Officiali militia* LIBERET.

VI (a) Idem AA. Mauris Sitifensibus. (b)

SI quis armatæ sacramenta militiæ impigro (c) quinquennii labore pertulerit, auo licet ac patre sit Decurione progenitus, ab omni nexu Curiali personam duntaxat (d) propriam vendicauerit. (e) Diuersis autem Officiis (f) seruientes, quinque & viginti annis in militia decursis pari securitate donamus: & cetera. Dat. IX. Kal. Maii. Treuerini, (g) Valentiniano & Valente (h) AA. CONSS.

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem ei *lex* 64. *inf. de Decur.* Indicatur ea *leg.* 16. *sup. de Agentib. in reb.* & *l.* 28. *inf. de Cohortalib.* GOTHOFREDVS

(b) *Mauritaniæ* duæ inter sex Africæ Prouincias fuere: vna *Sitifensis*, altera *Cæsariensis*: vtraque Præsidialis, quod docet Rufus Festus *in Breuiario pag.* 78. *edit. Cellar.* vt & *Imperii Notitia fol.* 165. De Mauris *Sitifensibus*, vide quoque *Nouellam* Valentiniani, *inter Theodosianas* 21. Meminit quoque Sitifensis Mauritaniæ Ammianus Marcellinus *lib.* 29. *locis duobus c.* 5. in historia de *Firmo*, in Gestis A. 372. & 373. quo forte etiam hæc *lex* referenda est. *IDEM.*

(c) Impigro labore. *IDEM.*

(d) Non vero liberorum. *d. l.* 64. *IDEM.*

(e) Fugitiua est hæc *huius legis* pars, & ad *Tit. de diuers. officiis* referenda potius erat: videnda *lex* 5. & 6. *illius Tituli.* *IDEM.*

(f) Id est officiales iudicum. *IDEM.*

(g) *γρ. Treuiris* in MS. Treuerini male. *IDEM.*

(h) *γρ. Valentiniano & Valente IV. AA.* id est A. D. 373. de quo mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

QVINQVENNALI Militia armata, CVRIA seu Curiali nexu (cui alioquio tenebantur Curiales) Curialem liberari iubet Valentinianus Sen. hac Constitutione (quam indicat *lex* 16. *inf. de Agent. in reb. l.* 28. *inf. de Cohortalib.* cuique coniungenda venit *lex* 64. *inf. de Decurion.*) pariter vt Constantius, *l.* 38. *de Decurion.* Valentin. Iun. *l.* 88. *inf. eod. tit.* Cum alias huic rei alia atque alia tempora præstituta fuerint, de quo plene *ad. l.* 10. *inf. de Decurion.* Vt maxime vero quinquennali militia ipsum Curialem liberari voluerit Valentinianus, non ideo tamen liberari voluit liberos eius *h. l.* sed ipsum *duntaxat*, vt diserte *hac l.* dicitur. Quod etiam de liberis statuitur *d. l.* 64. *inf. de Decurion.* Finge, Curialis me conditionis esse, vt qui Patre vel Auo etiam Decurione genitus sim? vtique, si quinquennio continuo militavero, Curiali nexu liberor, at non etiam liberi mei: Nam (vt eleganter loquitur *d. lex* 64.) *priuilegio militiæ paternæ se non vindicat, quem auitus Curiæ nexus adstringit.* Paternum itaque priuilegium ad posteros hac parte non dimanat, & nascendi lex seu conditio paterno priuilegio non impeditur, verum auita conditio præualet. Et rursum, vt *d. lex* 14. *sup. de Priuil. eor. qui in S. P.* loquitur, *Satis est parentibus eorum vacationem pro remuneratione concessam fuisse.* Deoique potantior est auitus nexus paternoo priuilegio. Et hæc quidem de Armata militia.

Aliud vero in militia *Officiali*; quæ differentia notetur inter militiam Armatam & Officialem. Curialis scilicet coodstio, ex Valeotiniaoi Sen. mente, quinquennali militia Armata euitatur: Officialis vero militia non nisi vicena & quina, quomodo & Theodosio complacuit, *d. l.* 14. *supr. de Priuil. eor. qui in S. P.* qua alioquin ab hac Valentinianea constitutione aliquantum recessit, quod ipsemet profitetur *l.* 28. *inf. de Cohortal.* quæ *d. l.* 14. iungenda est. Maius scilicet hac quoque parte militiæ Armatæ, quam inermi priuilegium datum. Et hoc quidem sæculo, quo res militaris pessum ibat, militiaque deferebatur. Cæterum, si mens bene augurat, pertinet hæc *lex* ad *Firmi* Tyrannidem in Mauritania, & ad militem Indigenam (cuius meminit diserte Amm. Marcellinus, *lib.* 29. *c.* 5.) Mauritaniæ Sitifensis, quo Theodosius Magister Militum a Valentiniano ex Galliis missus appulit; vbi & Sitifi quidem, legiones, quæ Africam tuebantur, recensuit. *loc. cit.* Mox & eodem redit, *l. cit.* landem & Firmo iam extincto *l. cit.* Sitisim triumphanti similis rursum redit, *l. cit.* Memorat & Zosimus *lib.* 4. *cap.* 16. Valentioianum, nuncio de Firmi tyrannide allato, statim numeros quosdam militares *τάγματα τινὰ ϛρατιωτικὰ* relicta Panooniæ Mysiæque superioris custodia in Africam nauigare iussisse.

De PROMOTI *militis ad honores per* SALTVM *& suffragium pœna.*

VII. (a) Idem AA. Iouio (b) Magistro Equitum, & Peditum.

PLVRES de diuersis Numeris ante impleta stipendia, ad indebitos honores suffragiorum ambitione (c) perueniunt. Siue igitur eos purpuram adorasse (d) constabit, siue excepisse (e) aliquas dignitates, eo quem ceperint honore soluantur: ita vt qui ceteros in labore positos festina cupiditate transierint, nec (f) testimonium (g) quidem emeriti labo-
P.379 ris accipiant. Quod si aliquibus fortasse Rationibus (h) adtinentur inplicit, ad eos Numeros de quibus per ambitionem exierant, reuertantur. Dat. Prid. Kal. Iun. Med. Valentin. & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Iungatur non ita male huic legi, *lex 10. inf. de Numerar.* alterutrubi tamen emendato die subscripto. Finis certe *huius* illi maxime conuenit. *GOTHOFREDVS.*

(b) *γρ. Iouino.* Pariter vt *l. 9. & 10. inf. h. t.* Et apud Amm. Marcellinum vbique: Magistrum Equitum & Peditum vocat hæc *lex*: Magistrum Equitum tantum *l. 9.* &c. *IDEM.*

(c) *Ambitio* hic & mox, pro, *ambitu.* *IDEM.*

(d) De *Purpuræ adoratione* dixi plene ad *l. vn. sup. de Præpos. S. Cubic.* Adorasse autem accipe inter Protectores; *l. 3. & 4. supr. de Domest. & Protector. & tot. tit. inf. hoc libro, de Testimoniali ex Tribun. & Protector.* *IDEM.*

(e) Pro accepisse *IDEM.*

(f) Ne quidem testimonium. *IDEM.*

(g) Testimonialem: vid. *inf. de Testimonial.* *IDEM.*

(g) Primipili & annonæ scilicet: vid. *d. l. 10. inf. de Numerar.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

AD HONORES indebitos ANTE impleta stipendia, atque adeo per saltum promotos milites, etsi vel purpuram Principis (inter Protectores scilicet) adorauerint (de quo honore dictum fusius ad *l. vn. supr. de Præp. S. Cub.*) item etsi ad aliquas dignitates peruenerint, honore priuari iubet *hac l.* Valentinianus Sen. quin & *Testimoniales* emeriti laboris (de quibus *suo tit. inf. 21.*) his denegari. Elegantissima ratione inspersa, scilicet, qui *festina cupiditate* (id est, per saltum) non emeritis stipendiis commilitones suos in labore positos, & stipendia legitime decertantes seu decurrentes præuertere voluerunt, ne testimonio quidem emeriti laboris digni sunt; & qui præpostera ambitione Primi esse voluerunt, nouissimi, imo nulli haberi debent: Quinimo Numeris suis quandoque restitui, milites ita per saltum promotos, vult; si videlicet *rationibus sint impliciti:* id est si rationem Numerorum militarium tractauerint, & sic *Actuarii*: (de quibus dicetur ad *l. 11. inf. de Erog. Milit. Annon.*) Et vero de iisdem etiam agitur *d. l. 10. inf. de Numerar. & Actuar.* (quam *huic* nostræ haud improbabiliter coniungi posse puto:) *Annona* scilicet hinc militaris & primipili magna hæc & singularis est ratio, inter cetera eius priuilegia, de quibus affatim alibi. Inde vero, eæ fraudes Actuariorum fuerunt, (de quibus plena manu ad *d. l. 11. de erogat. & leg. 3. de numerar.*) vt id constitui oportuerit. Cum alias alii qui ante impleta stipendia ad indebitos honores suffragio, seu ambitione peruenerunt, ad militiam non reuocarentur. Cæterum notandum, argumento *Iouini*, cui hæc *lex* inscribitur, hanc ipsam *leg.* proculdubio pertinere ad *Gallicanum militem*, Alamannis oppositum: de quorum irruptionibus in Galliam hoc anno, testatur Am. Marcellin. *lib. 26. cap. 5.* de quo Iouio, vel Iouino hic semel agendum, cui inscribuntur *duæ* præterea *huius tituli leges*, puta *l. 9. & 10.*

Igitur Iouinum hunc (de quo & sub Iuliano nondum firmato Imp. Marcellinus *lib. 22. cap. 3.*) Magistrum Equitum & Peditum vocat hæc *lex*: Magistrum Equitum tantum, *d. l. 9. h. t. & dicta lex 10. inf. de Numerar.* Magistrum militum, *d. lex 10. h. tit. & lex 11. inf. de Veteran.* Magistrum Armorum, Marcellinus, *lib. 25. cap. 8. lib. 26. c. 5.* Hic a *Iuliano* per Illyricum primum factus, teste Am. Marcellino *lib. 22. cap. 3.* deinde ab eodem Iuliano Magister Armorum per Gallias *lib. 26. cap. 5. & lib. 25. cap. 8.* in quo officio confirmatus a Iouiano An. Dom. 364. *lib. 25. in fin.* Eodemque anno in diuisione Imperii, inter Valentinianum & Valentem, illi cessit, A. 364. eodem teste, *d. lib. 26. c. 5.* Exinde A. 366. eodem teste, *lib. 27. cap. 2.* Magister Equitum in Galliis aduersus Alamannos mouit, quorum & prope Scarponam (cuius mentio quoque in *Itin. Peutinger.* apud Paulum Diaconum *de Episcopis Mettensibus*: vnde & Comitatus Scarponensis postea dictus, *Charpeigne* ad Mosellam,) mox prope *Cathalaunos* magnam stragem edidit. Sequente An. 367. consul designatus fuit, eodem teste, *lib. 27. c. 2.* Quod verum est, habuit enim Annus ille *Lupicinum & Iouinum Consules.* Quod etiam Fasti docent, vbi plenius & integro nomine *Flauius Valens Iouinus* vocatur, quomodo & Ammianus ipse *lib. 28. c. 3. Valentem Iouinum* vocat. Denique idem Marcellinus *lib. 27.* eodem Anno eiusdem meminit intra Gallias Magistri, mox ad Britannias missi: vide eum *lib. cit. c. 8.* A. 368. Cum Valentiniano & Gratiano Rhenum transgressus est aduersus Alamannos *lib. 27. cap. 10.* De eodem accipiendus est Sidonius Apollinaris, *carm. 23. vers. 172. seqq.* de eodem scribit Flodoardus, *lib. 1. cap. 6. histor. Eccles. Remens.* vbi antiquos aureosque Versus refert a Iouino positos in templo quod Remis ipse fundarat, ad corporis sui sepulturam, vbi hæc inter cætera de Magisteria Sua Militum, & duplici quidem, quam modo memoraui, scribit.

Felix militia sumpsit deuota Iouinus
Cingula, virtutum culmen prouectus in altum,
Bisque datus meritis Equitum Peditumque Magister. (a)

Postremo huic Iouino Magistro Equitum, successit Theodosius, Theodosii M. Imp. pater: teste Ammiano, *lib. 28. cap. 3.* Ex superioribus, apparet in *inscript. huius l.* & *peditum* tollendum videri.

(a) Jam notauerat hæc Cl. Valesius ante nostrum ad Marcellinum *lib. 28. cap. 3.* qui ex Flodoardo sequentia etiam
Extulit, aeternum scelorum in secula nomen
addidit, quæ Consulatum eius notant, quem cum Lupicino gessit, quæ miror nostrum non tetigisse. De Iouino vero plura notata videbis apud Ioannem Tristanum in Commentariis historicis ad numismata Augustorum.

P.280 LIBERI VETERANORVM *ad militiam a Valentiniano euocantur pœna proposita Patribus, liberos non offerentibus.*

VIII. (a) Idem AA. ad Equitium (b) Comitem (c) & Magistrum Militum.

OMNIBVS omnino Veteranis Auctoritas (d) tua denuntiet, (e) Quod si quis filium suum armo-

armorum honore condignum (f) non propria voluntate militiæ, quam ipse sudarit, obtulerit, nostræ sit legis laqueis (g) inplicandus. Dat. (h) VIII. Kal. Octob. Heracleæ, Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Eaque pariter vt eiusdem argumenti *quinta* supra: in *Tit. de filiis milit. apparit.* melius connecta fuisset: quo etiam titulo *lex 7.* eiusdem Valentiniani, & plures aliæ *leges* huic concordant. Iungenda porro mihi *huic l.* videtur *lex 3. C. Iust. de Agricolis & mancip. dom* de quo mox plura. GOTHOFR.

(b) *Equitii* huius Comitis mox Magistri militum meminit & Amm. Marcellinus *lib.* 26. (in gestis huius, & superioris, & proximi Anni *c.* 1.5.) & *lib.* 29. *c.* 6. (in gestis A. 374 quo & Consul fuit *lib.* 30 *c.* 3.) vt & Hieronym. *Chronico* (in A. D. 373.) & Zosimus, *lib.* 4. *cap* 19. (in gestis Anni 375.) vbi eum *ταξιάρχην* vocat. Ac nominatim Amm. Marcellin docet, eum Illyriciano exercitui præpositum, seu per Illyricum, primo Comitem, mox Magistrum militum seu armorum a Valentiniano Sen. factum *lib.* 26. *c* 5. *lib.* 29. *c.* 6. Hieronymus noque eum *Comitem Illyrici* vocat, addidque, eum *iniquissimus tributorum exactionibus prouincias quas regebat; quam a Barbaris vastarentur, vastasse.* Eiusdem mentio in veteri inscript. Viennæ in Austria, *apud Gruterum CLXIV n.* 3. quæ præfert, *Valentinianum & Valentem Tertium* COSS. id est A. D. 370. Eidemque inscribitur & *lex* 3. *C. Iust. de agricolis & mancip. dom.* quæ forte *huic* iungenda est, etsi die & Consule careat. Tandem, quod nomen eius attinet modo *Æquitius*, modo *Equitius* scribitur. Ad eundem refero alteram inscriptionem *pag. ead.* quæ Strigone, vbi adnotatus Consulatus *Gratiano 2. & Probo*: id est A. D. 371. IDEM.

(c) Comites, Magistri militum, dixi *ad l. 2. h. tit.* IDEM.

(d) Sic & *inf l. 9. h. tit.* IDEM.

(e) Nota: Denunciasse Magistros militum, quæ Imperatores iuberent. IDEM.

(f) Vt qui a valetudine prospera, corpore apto, iusta statura, vid. *l. 4. sup.* IDEM.

(g) *Legis Laquei*, pro multa: *h. l. & l. 9. inf. de fil. milit. appar.* (quæ in hoc eodem argumento versatur) *l. 16. inf. de diuers. offic. l. 38. inf. de haret. l. vlt. inf. de habit. quo vti.* IDEM.

(h) An *Data*, pro *Reddita*? Valentinianus enim hoc tempore in Illyrico non erat: Valens vero in Oriente. Cæterum *Heraclea* hæc vrbs Macedoniæ Illyrici est, in qua Equitius Magister militum per Illyricum tum consistebat. Neque enim Heraclea *hic* accipienda, quæ Prouincia trans Bithyniam est, in qua Valentem hoc tempore constitisse docet Amm. Marcellin. *lib.* 26 *cap.* 6. 8 indeque eum in Syriam profectum per Cæsaream Cappadociæ, *lib.* 26. *c.* 7. Multo minus Heraclea Syriæ hic accipienda est. IDEM.

COMMENTARIVS.

LIBERI VETERANORVM *hac l.* vrgenti rursum rei bellicæ necessitate, a Valentiniano Sen. ad militiam euocantur, iussis parentibus veteranis filios suos offerre; pariter vti iubentur ab eodem Valentiniano *l. 5 sup. & l. 58. inf de Decurion.* (non tamen in specie *l. 78. d. tit.*) pariter vt ab aliis Principibus; vt liquet ex aliis legibus quatuordecim, quas notaui ad *d. l. 5. sup.* Et pœna quidem parentibus veteranis indicta, nisi filios suos militiæ idoneos obtulerint, pariter vt *d. l. 9. de fil. milit. appar.* (denuntiatione scilicet Equitii Magistri militum per Illyricum conuenti) cum *d. l. 5. sup.* præmiis & pœnis ipsis Veteranorum filiis indictis, euocati fuerint. Atque hac quidem, inter alias, ratione Valentinianus militiam (& quidem per Illyricum, mox vt ostendam) erectum iuit, hac constitutione ad Equitium Magistrum militum emissa, vti retro altera constitutione ad eundem Equitium emissa, seruos colonos rei priuatæ, eorumque filios & nepotes, si armatæ sacramenta militiæ susceperint, etiam Protectorum nomen adeptos discingi, reique priuatæ reddi iussit, *l. 3. C. Iust. de Agricolis & mancipiis dominicis*, quæ forte *huic* iungenda videatur.

Cæterum rei bellicæ necessitas, quæ huic *legi* occasionem præbuit, videri possit Procopii Tyrannis siue metus, cui Illyrico inhianti. Equitius (cui hæc *lex* inscribitur) antea Comes Illyriciano exercitui appositus, nunc Magisterii dignitate auctus, a Valentiniano Sen. oppositus, operam nauauit; vt testatur Amm. Marcellinus, *lib. 26. c. 5. Et circa id tempus*, inquit, *aut non multo posterius in Oriente Procopius in res surrexerat nouas, qua prope Kal. Nouemb. venturo Valentiniano Parisios, eodemque nunciata sunt die: Super appetitu vero Procopii, antequam adolesceret, reprimendo, curis diducebatur ambiguis, ea potissimum ratione sollicitus, quod ignorabat, vtrum Valente superstite an extincto memoratus imperium adfectaret. Equitius enim relatione Antonii Tribuni accepta, regentis in Dacia mediterranea militem, qui nihil prater negotium ipsum auditum obscure significabat, ipse quoque nondum liquida fide compertа, simplicibus verbis Principem gestorum conscium fecit. His cognitis Valentinianus, eodem Equitio aucto magisterii dignitate, repedare ad Illyricum destinabat, ne persultatis Thraciis perduellis iam formidatus inuaderet hostili exercitu Pannonias.* Et post *c. 7. Electi quidam* (a Procopio) *strolditate pracipites, adcapessendum Illyricum missi sunt, nullo prater Petulantium adiumento confisi; aureos scilicet nummos effigiatos in vultum noui Principis, aliaque ad illecebras aptantes, quos correptos Equitius per eas regiones militum Rector, extinxit genere diuerso pœnarum. Pariaque deinde metuens, obstrinxit tres aditus angustissimos, per quos Prouinciæ tenentur, Arctoæ; vnum per Ripensem Daciam, alterum per Succos notissimum, tertium per Macedonas, quem appellant Acontisma.* Vid. & eundem Am. Marcellin. *lib. 26. cap. 10.* Vbi de Philippopolis obsidione: Et tamen non eo referendam quis putet hanc *legem*, ad Procopianam, inquam, Tyrannidem, vtpote quam post hanc demum *legem* erupisse 4. Kal. Octob. scribunt Fasti Idaciani *his* Coss. Igitur nisi Procopiana Tyrannis anterior fuerit *hac leg.* (quod suadet inscriptione *huius l.* Magistri militum dignitas, Equitio tum addita: qua eum auctum post Procopianam Tyrannidem exortam, exerte scribit Amm. Marcellinus *lib. 26. pag. 340.*) referenda aliP.281
cui potius videatur hæc *lex* ad metum a Gothis, qui Thracias & Illyricum diripiebant. Nam eo tempore *Equitium Comitem Illyrici fuisse*, ait Hieronymus.

IVMENTA *sua Milites, ad Rheni limitem constituti, suppeditare, etiam Regalibus (Francorum & Alamannorum) eorumque Legatis, ad comitatum Imp. proficiscentibus a Valentiniano Sen. vetantur.*

IX. (a) Idem AA. ad Iouinum (b) Magistrum Equitum.

TAM Duces, quam etiam COMITES, & (c) quibus RHENI est mandata custodia, Sinceritas (d) Tua protinus admonebit, vt neque Regalibus, neque Legatis, sua Mili-

tes (e) iumenta (f) subpeditent: Etenim, cum propriis (g) animalibus (h) eo vsque veniendum est, vbi obsequium cursuale succedit. Sane, sollicitudinem (i) competentem Auctoritas (k) tua iubebit adhiberi, vt eorum pecoribus, vbi conlocauerint Mansionem, (l) alimenta non desint. Dat. IV. Kalendas Feb. Remis, (m) Lupicino & Iouino CONSS. [367.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) De hoc IOVINO dixi plene *ad l. 7. sup.* Superiore anno 366. de ALAMANIS victoriam reportauit: cuius rei historiam vide apud Amm. Marcellin *initio lib. 27.* Huius vero *legis*, vt & *prox.* 10 subscriptioni, DAT. REMIS, apprime congruit, quod memorat Flodoardus, *1. Hist. Rhem cap. 6.* hunc Iouinum REMIS templum fundasse ad corporis sui sepulturam: de quo iam dixi *ad d. l. 7.* & dicam adhuc mox. *IDEM.*

(c) Nota voculam, ET: Alii sunt igitur a Comitibus, *ii, quibus Rheni custodia est mandatas* de quo mox plura. *IDEM.*

(d) *Sinceritas Tua*: titulus Magistri militum. *IDEM.*

(e) Equites scilicet de quorum iumentis hic agitur, & quibus præerat Iouinus Magister Equitum. *IDEM.*

(f) *Iumenta*, pro equis. sic Am. Marcellinus *lib. 21. c. 6.* vbi agit de apparatu bellico, & collatione in id prouincialium, *& diuersa genera iumentorum.* *IDEM.*

(g) Ambrosius, *de obitu Valentiniani num. 25. pag. 1181. Tom. II. edit. Benedict. Reus mihi videbar sperata meæ præsententiæ nec impleta: Sed vtinam viuenti tibi bunc deberem reatum. Excusarem quod non potuissem* PROPRIIS ANIMALIBVS *occurrere, etiamsi iter ingressus essem.* *IDEM.*

(h) *Animalia*. & *pecora*, & *iumenta*, pro Equis: *h. l.* & *l. 4. inf. de Murilegal.* & *l. 1. inf. si quis pecon. conf.* sicut Græcis ἄλογα. vid quæ dicam *ad l. 7. inf. de erogat. milit. an.* Glossæ animalia ψυχικά ζῷα ἄλογα. Diaconus *Histor. Miscell. in vita Heraclii pag. 129. Tom. I. Script. Rer. Ital. Romani animalia sua noble & adaequaverunt, & acceperunt.* Itaque Petrus Nannius *ad Ambrosium* suauis est, qui scribit, *animalia* vsurpare pro iumentis, prorsus esse infacetum, neque Ambrosianæ elegantiæ. *IDEM.*

(i) Magistri militum, quæ circa rem militarem Principes iubebant, exequebantur: *h. l.* & *l. 4. sup.* *IDEM.*

(k) Sic & *l. 8. sup.* *IDEM.*

(l) De *Mansionibus* quoque iam aliquid dixi ad *l. 4. sup. de off. Rect. Prou.* & dicam plenissime semel, *l. 9. inf. de Annon. & Tributis.* *IDEM.*

(m) Mox id expendam. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

EQVOS suos, milites in sp. *huius l.* ad Rhenum constituti, etiam Regalibus Alamannorum, vel etiam FRANCORVM (& illorum nominatim in sp. *huius l.*) aut Legatis eorundem (ad Comitatum Principis proficiscentibus) suppeditare a Valentiniano Sen. prohibentur: Verum ipsimet Regales aut Legati proprii suis animalibus venire iubentur, ad eum vsque locum vbi cursus publicus erat. Cursus enim exinde publicus Gentilium Legatis parebat, vt testatur quoque *lex 57. inf. de cursu publ.* & Menander, *loco*, quem *ibi* laudaui. Illud etiam Magistro militum iniungit Imperator, vt sollicitudinem adhibeat, quo eorum animalibus pabula præbeantur, in mansionibus. Iam antea certe quoque scripserat Paternus Iurisconsultus *in l. 2. §. 1. D. de Re Milit. eum qui armato præest, equum militarem* EXTRA PROVINCIAM *duci, permittere non debere.* Verum id generalius est etsi ad eundem finem collineet. Id vero in tantum *h. l.* prohibetur, vt ne Regalibus quidem. aut Legatis eorum, in Comitatum (id est, Aulam Imperatoris) contendentib. (qui tum Remis erat in Belgica secunda, quod *huius l.* subscriptio docet) præberi velit. Equos militum limitaneorum ne quidem hac occasione ab obsequio militari, seu custodia limitis abduci oportet: alta quamlibet pace, vel fœderibus conciliandis, vel necessitatibus publicis expediendis. Hæc *huius leg* sententia est. Ex qua interim complurima notanda veniunt, quæ ad instaurandam. *Historia Gallo-Francica* memoriam maxime faciunt: quibus illustrandis liberalior nunc ideo decurret oratio.

Primum igitur, DVCES & COMITES rei militaris per Galliam *huius leg. initio* memorantur, qui scilicet per vtramque Germaniam Cisrhenanam & Belgicam fuere, aut etiam per Sequanicam: de harum enim Prouinciarum omnium militibus, Ducibus & Comitibus *lex* nostra intelligenda est: Pereas quippe prouincias FRANCIS & Alamanois, (qui populi tum vtrique Transrhenani erant, seu trans Rhenum sedes habebant) oppositus miles erat, & per easdem Prouincias ad Valentinianum in Galliis hærentem (PARISIIS primum, mox REMIS) Francis & Alamannis ad fœdera ineunda, iter erat necessario. De limitaneo alioquin ad Rhenum milite aliunde res nota est; & de eo prolixe *alibi* dicam. Consulendi interim sunt Authores Panegyricorum, quos Beatus Rhenanus primus in lucem, magno rei literariæ Historiæque bono prodidit. Et consulendi præterea plerique omnes Augustorum Temporum scriptores. At de *Comitib.* nominatim, quorum *hac l.* mentio fit, non vno loco Ammianus Marcellinus agit, & quidem in Gestis Anni superioris P.2[illegible]
366. *lib. 27. cap. 1.* his verbis, *Alamanni Gallicanos limites formidati iam persultabant. Horum portioni prima Carietto, tunc per vtramque Germaniam Comes, occursurus cum milite egreditur.* Caute ait Marcellinus, *Tunc*: ideo quoque quia scilicet post Carietonem (eo ipso anno 366. bello Alamannico interfectum) non iam vnus Comes per Germaniam, verum duo Comites fuerunt; Nannenus videlicet & Quintious. Cuius Nanneni meminit idem Marcellin. *lib. 28. c. 5.* & *31. c. 10.* (in gestis Anni 370. & 377.) & de vtroque agit Sulpitius Alexander *lib. 3.* & *4. Historiar.* apud Gregorium Turonensem, *Histor. Francic. lib. 2. cap. 9.* Vbi notat quoque Maximum Tyrannum infantiam filii sui Victoris, tutelamque Galliarum his commisisse. Mox Nannenus solus remansit: verum in eius locum denuo duo suffecti; Carietto videl. (forte superioris filius) & Syrus, vt idem Sulpitius Alexander scribit (in gestis Anni 388.) *Eo tempore*, inquit, *Carietto & Syrus in locum Nanneni subrogati in Germania, cum exercitu opposito Francis diuersabantur.* Sed & Amm. Marcellinus *initio lib. 27. c. 1.* alterius Comitis quoque meminit; Seueriani, inquam, Comitis, qui apud Calidona (in Gallia, F. *Salisona*) (a) Diuitensibus præsidebat & Tun-

(a) Noster exemplar regium & editionem Augustanam sequutus est, vbi legitur *apud Calydona*. Sed coniectura de *Sa isona* valde displicet. Hadrianus Valesius *ad Marcellin lo.* legit *Cabilona*. Nam Marcellinus *lib. 14. Cabillona* pro *Cabillonem* in quarto casu bis appellat more græcanico, & *militem omnem apud Cabillona collectum esse* scribit, Constantio A per Arelate & Valentiam Rauracos ac Rheni ripam petente, vt Alemannis bellum in-

Tungricanis; qui tamen in inscriptione *legis 1. sup. de Postlim. reuers.* anno superiore 366. *Seuerianus Dux* vocatur, non Comes. Plures igitur Comites Militum FRANCIS & Alamannis oppositi in Gallia fuere: FRANCIS, inquam, in Germania vlteriore seu inferiore: Alamannis vero in superiore, vt FRANCICA plenius docebunt.

Præter hos Comites fuerunt & DVCES in Gallia, Francis pariter & Alamannis oppositi: vt hæc *lex* nostra restatur. Inclinante certe Romano Imperio, & parte Galliarum in FRANCORVM iura iamiam transgressa (Theodosii videlicet Iunioris temporibus) vnicum tantum Comitem, neque tractus adeo magni: Tres vero, limitem Rheni versus, Duces fuisse, docet nos *Breuiarium* Theodosii: siue *Notitia Imperii*, scripta A. D. 427. Comitem, inquam, Argentoratensem *fol. 164.* Ducem Moguntiacensem *fol. 178.* (cuius cura seu dispositio a Saletione, quod hodie *Seltz* vocatur, Antonacum vsque, quod hodie *Andernach*, sese protendebat, & cuius mentio quoque fit apud Amm. Marcellinum *lib. 17. cap. 2.*) Item Ducem Belgicæ primæ, & Ducem Belgicæ secundæ. Atque hæc de Ducibus & Comitibus Rheni, vel certe Rheno seu limiti Galliarum proximis dicta sint.

Præter hos memorantur *b. l.* & Tertii, *quibus* RHENI MANDATA *erat* CVSTODIA, a Ducibus & Comitibus diuersi, vt ostendit vocula ET, quam plerique omnes temere *hic* expungunt vel prætereunt, vt Comites Palatinos Rheni hinc nobis, si Deo placet, arcessant. Cum tamen neque Comites Rheni hic appellentur, & præterea Comitum horum & nominis alia ratio, & dignitas alia fit. Hi quippe Palatii Comites: illi vero Rei militaris fuere: adeo vt Palatii Comites etiam in Saxonia, Franconia, & Sueuia memorentur, *in speculo Saxonico, lib. 3. art. 53. Qualibet Prouincia*, inquit, *Teutonica terra suum habebat Palatigrauionatum. Saxonia, Bauaria, Franconia, & Sueuia.* Itaque corruit iam recepta ferme coniectura de Comitibus Palatinis recentioribus: de qua alioquin consulenda Pithœi *de Comitibus Palatinis* obseruatio, & Freheri *Palatina Or.* & Cluuerii *Germania*, & speciales aliorum super ea re tractatus. Ii igitur, quibus Rheni mandata custodia, *b. l.* dicitur, sunt omnino (nequis erret, aut hæreat) Præfecti speciales, Prætenturarum singularium, in singulis Ciuitatibus ad Rheni ripam constituti; qui pariter vt Comites & Duces sub dispositione Magistri militum fuerunt. Sane huiusmodi Præfectos militum plures memorat sub Duce Moguntiacensi prædicta Imperii Notitia; *Præfectum*, inquam, *militum Saletione, Tabernis, Vico Iulio, Nemetibus, Altaripa, Vangionibus, Moguntiaci, Bingii, Bodobriga, Confluentibus, Antonaci.* Quæ certe Ciuitates omnes ad Rhenum sunt, ac proinde Præfectis in iis constitutis, Rheni custodia *mandata erat.* Tria proinde nunc hæc obserua. Duces, Comites, Præfectos militum. Et hos quidem postremos, sic vt dicam, locales; illos vero generaliores, & quorum sub dispositione hi postremi fuere. Ducibus videlicet & Comitibus vniuersa Prouinciæ commissa erat (hinc & *Duces Prouinciarum* dicuntur) At Præfectis, vrbs certa ad Rhenum, limiti tuendo, Rhenoque custodiendo, demandata erat.

Nunc de REGALIBVS, qui *b. l.* memorantur. Regales hi sunt, non alii, quam Regiæ Francorum & Alamannorum (& horum nominatim in spec. *huius leg.*) stirpis Principes, Filii Agnati, regali stirpe orti, quorum frequens quoque apud Amm. Marcellinum mentio occurrit. *lib. 16.* vbi de Chonodomario & Serapione Alemannorum Regibus egit, *c. 12. Hos sequebantur potestate proximi Reges numero quinque*, REGALESQVE *decem, & Optimatum series magna.* Et paulo post: *Alamannorum peditum fremitus auditus est, vnanimi conspiratione vociferantium, relictis equis secum oportere versari* REGALES. Vbi tamen *Regalium* appellatione etiam Reges ipsos intelligit, vt sequentia *ibi* ostendunt, pariter vt *lib. 22. c. 12. lib. 18. c. 2. Hortarius*, inquit, *Rex nobis ante fœderatus, amicus finitimis quoque suis, Reges omnes, & Regales, & Regulos ad conuiuium corrogatos retinuit.* Item: *lib. 27. c. 10.* (in gestis sequentis Anni 386. vel etiam huius ipsius:) *Sub idem fere tempus*, inquit, *Valentiniano ad expeditionem caute, vt rebatur, profecto, Alamannus Regalis, Rando nomine, diu præstruens quod cogitabat, Moguntiacum præsidiis vacuam cum expeditis ad latrocinandum latenter irrepsit.* Quo loco Richardus *in Diuionensib. Antiq. p. 9.* perperam reponebat *Gregalis*, vt gregalem militem & latronem inde eruat. Sed & idem Marcellin. *lib. 17. c. 12.* Inter Quados *Regalem* quoque nominat: *Quadorum*, inquit, *Regalis Vitrodorus, Viduarii filius Regis, & Agilimundus subregulus, aliique optimates & Iudices varius populis præsidentes.* Eodemque libro & capite meminit inter Sarmatas Regalis, mox Regis; Zizais & Araharii & Viatri Regalium. Denique inter Persas quoque Hormisdæ Regalis *lib. 16. c. 10. 24. c. 2. 26. c. 8.*

Ex his interim omnibus discere licet, Regibus proximos Regales fuisse: Regalibus rursum, Regulos & subregulos (quanquam & hi quandoque cum illis miscentur) Vetus Grammaticus *de differentiis vocum: Inter Regem, & Regalem, hoc interest: quod Regis puer Regalis est: Rex, qui Regnum regit.* Græci Βασιλικὸς dicerent. FRANCORVM sane Regales memorat nominatim Sulpitius Alexander, *lib. 4. Histor.* apud Gregorium Turonensem, *Histor. Francic. lib. 2. cap. 9.* Qui tamen *Regulos* illos, mox *Subregulos* vocat. Cæterum hanc *Regalium* vocem Gregorius Turonensis minus intelligere potuit. Nam cum verba Sulpitii hæc notaret, *Marcomere & Sunnone Francorum Regalibus transacto cursim colloquio*, &c. & mox ista; *Arbogastes Sunnonem & Marcomerem, subregulos Francorum gentilibus odiis insectans*, &c. Gregorius dubitans hæc subiicit: *Cum eos Regales vocet*, NESCIMVS *vtrum Reges fuerint, an vices tenuerint Regum.* Sulpitii vero, Gregorii, Regales, neque Reges, neque vice Regum proprie, sed Regiæ stirpis fuere. At de Regulis Francorum elegans locus extat apud Sidonium *lib. 4. Epist. 20.* Regulorum denique mentio fit *l. 5. inf. de Legatis.* Fatendum tamen, *Regalium* appellatione & ipsos Reges sæpe comprehendi: vt apud Marcellinum. Et forte etiam *hac ipsa leg.* P. 183.

Neque prætereunda est *legis* huius subscriptio, sicut & *legis 10. prox.* Hæc inquam; DATA REMIS: Lutetia scilicet Parisiorum Valentinianum in Belgicam secundum Remos progressum, anno 366. superiore, testatur Amm. Marcellinus, *lib. 26. cap. 5. Replicabat*, inquit, *aliquoties hostem suum fratrisque solum esse Procopium; Alamannos vero, totius orbis Romani, statuitque nusquam interim extra confinia moueri Gallorum, adusque Remos progressus.* Hinc adeo complurimæ leges, hoc, & superiore Anno Remis datæ *hoc Codice* occurrunt, quas ex *Chronico Theodosiano* petere licet. Quinimo & ipsemet Iouinus Magister Equitum, cui hæc *lex* inscribitur: imo Magister Militum per Gallias in vniuersum, REMIS hoc tempore constitere, vt ex Amm. Marcellino colligimus *lib. 25. cap. 10.* Imo Iouinum hunc ipsum Remis templum seu Basilicam fundasse, ad corporis

ferret. Errorem ortum acute coniicit Valesius ex transpositione trium literarum & ex similitudine literarum b. & d. Nam ex *Cabilona* vel *Cabillona* ab his qui vrbem non nouerant, factum est *Calibona*, transpositis 3. literis, ex *Calibona Calidona* aut *Calydona.* Diuitenses certe & Tungricani tum in præsidio erant Cabillone ad Ararim, quibus præerat Seuerianus Comes. Et hoc remedium quod vir clarissimus huic loco attulit, multo commodius & opportunius etiam iudicat Iac. Gronouius, quam quo noster vsus est.

sui sepulturam, positis ibi quoque versibus, titulo S. Agricolæ, testatur Flodoardus, *l. Histor. Rhem. cap. 6.*

Est & illud in *h. l.* obseruandum, Regalibus & Legatis de diuersis gentibus ad Imperatoris Comitatum proficiscentibus, cursus publici vsurpandi facultatem & copiam datam, quod etiam confirmat *lex 57. inf. de Cursu Publico.* Quod ipsum, alias legatis ad Principem missis commune fuit: missis inquam, vel a Senatu, vel a Prouincialibus *l. 32. inf. de curs. Public.* & *l. 6. 9 inf. de Legatis.* Sed & annonas seu pabula, & (vt proprio verbo vtar) *Capitum*, (de quo *l. 7. inf. tit. De erog. Milit. Annon*) huiusmodi Regalium & Legatorum animalibus, de publico præberi *h. l.* iubetur. De quo vide etiam quæ scribam *ad l. 2. inf. de Legatis.* De Legatis Gentilium, vid, & *d. l. 5. inf. de Legatis.* Postremo ex *h. l.* colligas, cum Alamannis saltem (ad quos hæc *lex* magis pertinet) pacem hoc tempore fuisse: qui primis superioris anni mensibus a Iouino (cui hæc *lex* inscribitus) deuicti fuerant: Vt Amm. Marcellinus *lib. 27. cap. 2.* pluribus testatur. Certe idem Marcellinus hoc ipso Anno, *lib. 27. c. 8.* scribit, Francos, & Saxones, Gallicanos tractus iisdem confines, quo quisque erumpere potuit, terra vel mari, prædis acerbis, incendiisque, & captiuorum hominum funeribus violasse. Et anno demum proximo, 368. *lib. 27. c. 10.* Alamannum REGALEM Randonem nomine, diu præstruentem quod cogitabat, Moguntiacum præsidiis vacuam irrepsisse.

IVVENES *ingenuos militiæ idoneos penes se occultantium militum pœna: contra, prodentium eos præmium.*

X. (a) Idem AA. ad Iouinum (b) Magistrum Militum.

PLERIQVE milites secum homines (c) condicionis ingenuæ, propinquitate (d) simulata, vel condicione Lixarum, (e) frequenter abducunt; ideoque vt numerosissima pube (f) crescat exercitus, moneantur, vt ipsi sponte huiuscemodi homines, quos penes se esse meminerint, Tribunis suis siue Præpositis offerant ad tuum Officium (g) dirigendos, aut sciant se non absque deuotionis (h) nota, & morsu honoris alieni, (i) commilitonibus (k) esse postponendos: Etenim (l) his qui occultatores perfidos publicauerint, pro præmio huius indicii gradus vnus addetur: Hi vero ad inferiorem ordinem reuoluentur, qui castris idoneos iuuenes (m) studio inertis obsequii putauerint occulendos. Dat. XVI. Kalend. Mart. Remis, (n) Lupicino & Iouino CONSS. [367.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) De hoc *Iouino* Magistro militum dixi iam *l. 7. & 9. sup.* quæ ad eum pariter datæ sunt. Hic hoc ipso anno 367. in Britanniam profectus est aduersus Barbaros qui eam vexabant, teste Ammiano Marcellino *lib. 27. cap. 8.* IDEM.

(c) Castris idonei iuuenes, *fine l.* IDEM.

(d) Vid. & *l. 3. §. 1. D. de muneribus.* IDEM.

(e) *Lixæ*, impedimenta; *l. 22. inf. de erogat. mil. ann.* calones etiam Vegetio & aliis. De his est præter Festi locum, Valerii Maximi *lib. 2. cap. 7.* de Scipione & Metello: Marcellini *lib. 28. cap. 4.* ex quibus definire licet qui fuerint Lixæ, quo sensu in Glossis *lixa ἀγοραῖος*, id est propola. Insignis etiam extat apud Suidam locus *in verb. λιξῶν.* IDEM.

(f) *Pubes* de iunioribus seu tironibus militibus nouiter in militiam adscitis. Ita & Ammianus Marcellinus hoc ipso Anno, *loco* quem mox laudabo. Et est Poëtica Virgilii imitatio. IDEM

(g) *Officium*, id est Apparitores Magistri militum obserua. IDEM.

(h) Est qui legat *indeuotionis*, cui & suffragari videatur *lex 119. inf. de Decurion.* vt & ea quæ dixi ad *l. vn. sup. de off. Vicarii.* Verum, nil mutandum: *deuotionis* scilicet nota dicitur, pro læsæ deuotionis crimine, quomodo & *Maiestatis nota*, seu *crimen*, pro læsæ Maiestatis crimine καθοσιώσεως ἔγκλημα: & τὸ τῆς καθοσιώσεως, imo & καθοσιώσεις, apud Græcos pro maiestatis & indeuotionis crimine apud Socratem *lib. 5. cap. 14.* & Suidam *voc.* Καθοσίωσις. & in Chalcedon. Concilio *act. 3.* in libello aduersus Dioscorum. & in libello Ischyrionis & apud Theodoretum *in Danielem, cap. 6. com. 4.* vt ex Græcis nondum editis adfert Petauius *in Epiphanium, p. 79. edit. Colon. siu. Lips.* cuius obseruationi locus hic addatur. IDEM.

(i) *Morsum honoris alieni* vocat dolorem & sensum aculeatum, quem quis exinde capit, cum alios sibi prælatos videt. IDEM.

(k) Etiam Principes ipsi, milites *Commilitones* vocabant, συστρατιώτας teste Synesio *de regno p. 11.* IDEM.

(l) *Atenim:* Neque ideo tamen muto. IDEM.

(m) *Iuuenes*, pro Tironibus *h. l.* & passim alibi. vid. *l. 1. inf. de tironib.* vbi dicam. IDEM.

(n) *Remis* data hæc lex; pariter vt *lex 9. sup. prox.* vbi dixi. IDEM.

COMMENTARIVS.

P.284 IVVENES ingenuos, castris militiæque idoneos, propinquitate simulata, vel conditione lixarum, milites abducere, occultare, penesque se retinere quandoque solit.; Qui sic, non patriæ tantum inutiles reddebantur, (cuius munera tergiuersabantur, vt ostendit quoque *lex 3. §. 1. D. de muneribus;*) verum, (quo spectat hæc *lex*) mil tiæ inutiles, cuius ipsius munia hac ratione declinabant; dum videl. numeris non adscripti, aliis sese iustis militibus applicarent, vel tanquam propinqui seu familiares, vel tanquam Lixæ eorum. Hæc enim duo affeclarum, quos secum milites ducebant, & in obsequio habebant, genera fuerunt: familiæ seu familiares, & lixæ; vtrique inter impedimenta magis militiæ, quam milites. Hinc adeo *inertis obsequii studium* hac *leg.* his tribuitur: Quomodo & Silio Italico *lib. 5. v. 34. Inertia Marti*

Marti lixarum vulgus dicitur. Semperque adstricti quique militiæ vindices hæc ipsa vel inhibuere, vel certe temperauere, ceu inertiæ adiumenta, militiæque impedimenta: soluta contra militia nimio plus increbuere, corruptaque adeo & hac ratione disciplina militaris. In tantum vero, vt hoc obtentu etiam ingenuæ conditionis iuuenes inter lixas haberentur. Cui rei remedium aliud atque aliud subinde allatum. Scilicet, huiusmodi militum cognati, legibus patriæ suæ & Prouinciæ obedire: id est, municipalia munera obire iussi: *l. 3. §. 1. D. de Muneribus.* (quanquam eo loco non exprimitur quidquam de his in militiam ductis.) Hac vero constitutione Valentinianus Sen. huiusmodi iuuenes prodi, militiæque adscribi iubet, *vt numerosissima* videl. *pube cresceret exercitus*, quod ipsemet profitetur: Simili locutione, qua Amm. Marcellinus *lib. 27. cap. 8.* hoc ipso tempore, seu in eadem historia, quo forte hæc *lex* referenda est de Theodosio post Iouinum, cui hæc *lex* inscribitur, in Britanniam misso; *ascitaque animosa legionum & cohortium pube ire tendebat.* Nempe id ita Valentinianus *h. l.* constituit, quod de exercitu Gallicano hoc tempore agitaret, ipse in Gallia Remis constitutus; quo numerosissimi exercitus terrorem hostibus obiiceret: siue Trans-Rhenanis populis, Francis, inquam, & Alemannis, qui Gallias subinde incursabant, per hæc nominatim tempora, teste Amm. Marcellino *lib. 27. c. 8.* de quo iam dictum *ad legem superiorem*; quæ eidem Iouino Magistro militum inscribitur: siue Barbaris Britannias hoc tempore vexantibus; de quo Am. Marcellinus *d. lib. 27. c. 8.* in cuius etiam rei historia ait, Iouinum (cui hæc *lex* inscribitur) ad Britannias profectum, ante Theodosium, Theodosii M. Imp. patrem.

Ergo Valentinianus, vt ad *huius leg.* sententiam progrediamur, huiusmodi iuuenes prodi, militiæque adscribi iubet: hinc pœna proposita occultatoribus huiusmodi iuuenum degradationis videl. inde præmio proposito, militibus denunciatoribus pro indicina, puta promotionis in superiorem proxime gradum. Quæ, tum *Regradationis* pœna, tum Promotionis præmium notanda veniunt; Scilicet illa militiæ subinde vsurpata pro pœna culpæ alicuius militaris: degradatio, inquam, seu gradus deiectio: Exempla e veteri militia apud Valerium Maximum *lib. 2. cap. 7. num. 15.* (vbi de captiuis a Pyrrho redditis) & de Pisone *ibid. num. 9.* Liuium *lib. 25. c. 6.* in oratione fugitiuorum Cannensium. Modestinum, *in l. 3. §. 1. D. de Re Milit.* Ex huius æui militia; vt in *h. l.* & *l. 16. inf. de Desertor. l. 2. vlt. inf. de Commeat. l. 15. sup. de Agent. in Rebus l. 2. inf. de Cursu Publico*: ita & apud Amm. Marcellinum sæpe: *lib. 15. cap. 3. quosdam ad infimam trusere militiam. lib. 24. c. 5. reliquos ex ea cohorte ad pedestrem compegit militiam, qua onerosior est, dignitatibus imminutis*: vbi non tantum regradatio, sed militiæ mutatio indicatur. Et *lib. 29. cap. 5. Equites quartæ sagittariorum cohortis omnes contrusit ad infimum militiæ gradum.* Ex quibus omnibus patet, mutationem hanc militiæ, seu regradationem non vna ratione, imo quadruplici factam: 1. Modo scilicet miles pro pœna in proximum sibi locum, vel vlteriorem aliquem regradatus, vt *h. l.* de quo est & hic vulgatus Hieronymi locus, *ep. ad Pammachium: aduers. err. Ioan. Hierosolymit. p. 115. Tom. II. Oper. edit. Finge aliquem Tribunitiæ potestatis suo vitio regradatum per singula equestris militiæ officia, & Tyronis vocabulum deuolutum: Nunquid ex Tribuno statim fiet Tyro? Non, sed ante Primicerius, deinde Senator, Ducenarius, Biarchus, Circitor, Eques, dein Tyro. Et quanquam Tribunus quondam miles gregarius sit, tamen ex Tribuno non Tiro, sed Primicerius factus est*: &c. 2. Modo ad infimum militiæ gradum miles detrusus. 3. Modo, ex vno & potiore militiæ genere, puta equestri, in pedestrem, velut grauiorem, reuolutus: & quidem veteri militia, in funditorum auxilia; vt apud Valerium, quæ proprie militiæ mutatio est. 4. Imo tandem inter impedimenta, sarcinas & captiuos, & sic extra militarem ordinem miles proiectus, militiæque retentus. Ita Iulianus Imp. teste Amm. Marcellino, *lib. 25. c. 1. Equestrem Tertiacorum numerum, ademptis signis hastisque diffractis inter impedimenta, & sarcinas & captiuos agere iter imposuit.* Et hæc quidem omnia, *Regradatio*, *militiæ mutatio*, *Gradus deiectio* promiscue vocantur. In Glossis quoque *Regradatio* Καταβιβασμός. Et *hac leg.* vicissim nota pro præmio vnius gradus adiectionem, seu in superiorem proxime locum promotionem; & vt altera propria voce vtar, *processum.* Quomodo & extra ordinem Macrinus Imperator pro Imperio *solitas promotiones sed* GEMINATAS dedit, promisit: teste Lampridio *in Antonino Diadumeno, cap. 2.* vel vt *ibidem* filius eius Diadumenus ait, *honores* DVPLICATOS. Qui alioquin in commune promotionis mos, & lex fuit; vt in militia Armata, de quo etiam peculiare caput occurrit apud Vegetium, *lib. 2. cap. 21.* ita & in Palatina: de quo *superiore lib. 6.* sæpe.

De ADCRESCENTIVM *annonis quando eas e fisco accipere debeant.*

XI. (a) Idem AA. (b) ad Seuerum (c) Magistrum militum.

Pais. HII qui inter Adcrescentes matriculis (d) adtinentur, tam diu alimoniam a parentibus sumant, quoad gerendis armis idonei fuerint æstimati, ita vt cesset super eorum nomine præbitio fiscalis annonæ. Dat. VIII. Kal. Maii, Triueris, (e) Modesto & Arintheo CONSS. [372.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) Addendum est *Gratiani* nomen. Proinde ita reponendum. *Idem AA. & Gratianus.* IDEM.

(c) *Seueri* huius aliquando etiam Comitis Domesticorum, Magistri militum per Gallias, meminit quoque sub hoc ipso Valentiniano Amm. Marcellinus, *lib. 27. c. 6. & 10.* (in gestis anni 367. 368.) & *lib. 28. cap. 5.* (an. 370.) Eundemque nominatim tribus locis *Magistrum Peditum* fuisse scribit. Quem alibi *lib. 29. cap. 4.* (an. 371.) *Magistrum rei Castrensis* vocat. Eidem inscribitur & superioris anni 371. *fine l. 11. inf. de diuers. offic.* Ergo Magister militum, & quidem Peditum fuit Seuerus hic sub Valentiniano, vt minimum per sexennium. Ab An. 367. ad 372. IDEM.

(d) Vide *legem 26 inf. de Desertorib.* IDEM.

(e) Vide Amm. Marcellinum, *lib. 29. cap. 4.* IDEM.

Cæterum, cum huiuſcemodi indulgentia vel in-
P. 275 condita familiarum militarium turba, militia oneraretur (vel etiam curſus publicus nimio vexaretur) definiri oportuit, quidnam *Familiæ* appellatione, huiuſmodi beneficio impetrato, proprie contineretur, id eſt, quaſnam perſonas ad ſe euocare milites poſſent, familiæ euocandæ iure ſibi indulto? Et vero *h. l.* definitur *Familiæ* appellatione contineri nonniſi hæc tria *Vxores*, *Liberos*, *Seruos* denique: Et hos ipſos non omnes, verum ex peculio tantum Caſtrenſi emptos, neque adſcriptos cenſibus; quod de Adſcriptitiis colonis omnes ferme accipiunt, de quibus plene *ſup. tit. de fugitiuis colonis*, ego de ſeruis & mancipiis cenſitis accipio, de quibus *l. 2. inf. ſine cenſu. l. 3. & 7. Cod. Iuſt. de Agricolis.* *Familiæ* ſcilicet appellatione hac parte (iis quas paulo ante dixi de cauſis) nonniſi Coniuges, Liberi, ſeruique illi continentur: cum alioquin in aliis iuris articulis, ſuis & iuſtis de cauſis, *Familiæ* appellatio latius quoque protendatur: (vt nominatim liquet ex *l. vlt. Cod. Iuſt. de verb. ſignif.*) & quidem propinquos omnes, agnatos, libertos, patronos & ſeruos quoſcunque indiſtincte complectatur. Sic ſane & apud Trebellium Pollionem *in vita Claudii* cum familiarum militarium mentio fiat *cap. 6.* mox ex ipſa Claudii epiſtola *c. 8.* apparet, de *mulieribus* id accipiendum.

Ex *hac* interim *lege*, vt & prædicto Amm. Marcellini loco apparet, huiuſmodi militum familiis ad milites proficiſcentibus *curſus publici* copiam patuiſſe: & quidem, quod idem Marcellinus docet, clabularis: nempe quia familiæ tranſuehendæ magis opportunus hic curſus foret, vt plenius oſtendi *ad d. l. 5. ſupr. de Curioſ.* Nempe, quia capaciſſimus erat, non vero, quod nonnulli cenſent, quia ægris tantum vehendis opportunus. Porro, quod *hic* potiſſimum, neque inani etiam coniectura ducor, *h. l.* imminenti periculo Imperatorem occurrere voluiſſe; cum iam militia Gallicana, hoc inter cætera obtentu, familiæ, inquam, ſuæ arceſſendæ, Barbaris, ac FRANCIS nominatim iuſto plus repleretur; vnde iuſtus ei factionis alicuius metus obortus.

Cuiuſmodi certe metum circa hæc tempora erupiſſe deprehendo initio anni 350. Magnentio auctore, qui ipſe a LÆTIS FRANCIS oriundus, Franciſque ſuboixus erat: quinimo & eo ipſo Titiano PP. Galliarum, cui hæc *lex* inſcribitur, (quod docet Zoſimus *lib. 2. c. 44.*) Magnentio adhærente. Itaque ſic interfectus Conſtans: adeo vt ſolus Lanfogaiſus e Francis morituro Conſtanti adfuerit, quod Amm. Marcellinus prodit, *lib. 15. c. 5.* Non omittendus & hic Iuliani locus, *orat. 1. pag. 34. edit. Spanhem. Lipſ.* vbi ait, Gallias Conſtantii fratribus (& ſic Conſtanti) ſupplementi militaris ac delectus non pœnitendam copiam præbuiſſe: ibidemque de Francorum & Saxonum auxiliis agit loco inſigni.

Tandem ex *h. l.* apparet, hac quoque tempeſtate vt iam olim (contra quam aliquando Seuerus Imp. militibus conceſſerat, Herodiano teſte *lib. 3. c. 8.*) regulariter non licuiſſe militibus σωφροσύνῃ στρατιωτικῇ, ex diſciplina militari, ſecum militiæ vxores habere, γυναιξὶ συνοικεῖν. Cum contrarium tamen minus penſe ex *h. l.* nonnulli colligebant. Quod & ipſum ex *l. 6. 7. inf. de Tyronibus* quoque perperam colligunt, vt ad *eas* dicetur. Neque pro ea ſententia quidquam facit Libanii locus *in Iuliani Imp. necem, p. 284 edit. Morell.* Vbi dicitur, vxores militum, qui Conſtantii iuſſu ex exercitu Iuliani per Gallias in Orientem transferendi erant, quæque ex his liberos ſuſceperant, pueros & infantes ſubrunios ſeu mammis applicitos militibus oſtendiſſe, orantes obteſtanteſque, ne ſeipſas, ne liberos prodere vellent. Eodem quippe pertinet hic Libanii locus quo & ſuperior ille Marcellini: Vnde tamen non efficitur, milites vxores ſecum militiæ habuiſſe, ſed vxores habuiſſe. De Gallicanis enim militibus vtroque loco agitur, qui ſuas vxores in ciuitatibus habere poterant, ſiue indigenas, ſiue ex Francia & Alemannia ex priuilegio euocantes. Imo Iuliani permiſſio poſt hanc vxorum querelam, contrarium euincit, id ſcilicet tantum ex ſpeciali indulgentia conceſſum, vt alio migrantes maritos vxores comitarentur.

De RESTITVENDIS *gratioſa* MISSIONE *donatis militibus numeris ſuis.*

IV. (a) Idem A. (b) ad Cretionem (c) V. C. Com. (d)

QVAMVIS omni (e) tempore opera dari debuerit, (f) ne ſacramentis militaribus ſeparatio (g) traderentur, qui nec (h) ſtipendiorum numero, nec contraria (i) corporis valetudine quiete perfrui debent, tamen Prudentiæ (k) Tuæ proſecutione (l) admiſſa, quæ apud nos verbis facta eſt, præcepimus, (m) vt qui ante ſtipendia emenſa vel integra corporis valetudine otio mancipati ſunt, reſtituantur priſtinis Numeris. Dat. V. Kal. Iul. Sergio & Nigrianino CONSS. [350.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) CONSTANTIO hæc *lex* tribuenda eſt. Certe, huius anni initio Conſtans interfectus eſt. IDEM.

(c) *Cretionis* huius duobus locis meminit Marcellinus *lib. 21. cap. 7. & lib. 26. cap. 5.* IDEM.

(d) *Comitem* autem rei militaris accipe: quod vel *huius legis* argumentum ſatis oſtendit. Quem ipſum Cretionem Comitem rei Militaris *per Africam* nominatim fuiſſe vndecim annos poſt hanc *leg.* in *geſtis* ann 361. (& ſic extremis Conſtantii) teſtatur Amm. Marcellin. *d. lib. 21. cap. 7.* An vero Cretio hoc tempore Comes rei militaris fuerit *per Africam* nominatim, iſtud eſt quod neſcio: Niſi quod id ſuadet quod Amm. Marcellin. *d. lib. 26. cap. 5.* indicat, eum DIV Comitem Africæ fuiſſe, dum ait, *ab eo filium Maſaucionem Domeſticum Protectorem in Africa diu educatum.* IDEM.

(e) Etiam pacis, *l. 1. inf. de Commeatu.* IDEM.

(f) Atque adeo puniendus veniat, qui miſſionem dedit. IDEM.

(g) Audio recte reponentem Cuiacium *Separati otio.* Nam & ita mox, *otio mancipati:* vel ita quoque poſſis, *ſacrati otio. Otium* certe proprie de militari, non *hac* tantum *leg.* verum etiam *l. 5. prox. & l. 45. inf. de Decurionib.* Et author ſubditus *Notitia Imperii. cap. 5. Honeſta miſſione donatus vacans ſibi otio gaudeat abſolutus.*
P. 276 IDEM.

(h) Honeſtæ miſſionis duas ſpecies hic recte perſtringit: vnam, quæ emeritis ſtipendiis indulgetur: alteram cauſariam;

riam; quæ propter valetudinem laboribus militiæ soluit: De quibus obuia sunt, quæ dici possunt, omnia: vid. saltem *Paratitlon.* IDEM.

(i) Id est aduersa. IDEM.

(k) Nota titulum Comitis rei militaris, *Prudentiæ Tua.* IDEM.

(l) *Profectio*, hic quid? mox dicam. IDEM.

(m) Videatur reponendum, *præcipimus*: Sed illud quoque defendi possit. IDEM.

COMMENTARIVS.

Gratiosa missione dimissos milites restitui Numeris suis iubet Constantius *h. l.* A. D. 350. Scilicet Missio militi quocunque tandem tempore (id est, etsi nulla tum hostis eruptio sit, vel metuatur, vt ostendit *lex 1. inf. de Commeat.*) nonnisi post emeritam militiam, aut ob contrariam corporis valetudinem (*adde* & animi vitium, *l. 13. §. 3. D. de Re Milit.*) a Comitibus rei militaris dari debet: aliter missi, suis sunt Numeris restituendi. Gratiosam scilicet missionem abrogat hac constitutione Constantius Comitibus rei militaris: Gratiosam dico (ita enim vocatur a Liuio) quæ scilicet per gratiam ante emerita stipendia, vel citra caussam valetudinis indulgetur: *Et quorum stipendia*, inquit *ante emerita, gratiosa missio sibi visa esset.* Cæterum *h. l.* Constantius pœnam remittere videtur Tribunis & Præpositis, quam incurrerant, ob datam videl. intempestiue militibus missionem, contentus milites ad Numeros suos reuocare, quod hæc verba suadent. *Quamuis* omni tempore *opera dari debuerit*, &c. *tamen Prudentia Tua profectione admissa, quæ apud nos verbis facta est*, &c. quasi diceret, & sine pacis quidem tempore miles dimitti debuerit, ante expleta stipendia, vel alias iniuste; attamen quia Cretio Constantio insinuasset, tanquam pro deprecanda pœna, nullam per ea tempora incursionem hostium factam, neque militum opera limitem Romanum adeo tum eguisse, pœnam Tribunis & Præpositis singulari gratia remittit: Ad *profectionem*, inquam: id est, vt hodie loqui mos est, repræsentationem Cretionis Com. rei militaris, quâ id verbo Imperatori repræsentari fecerat, aliquo in id misso ad Constantium; vel certe negotio eius rei alicui dato. Et sane, commeatu quoque iniuste dato, si per id temporis nulla eruptio fuerit, mitior pœna imponitur; *d. l. 1. inf. de Commeatu. Profectio* est alicuius rei significatio, insinuatio, quæ modo fit scripto; vnde & *profectoria* (quarum mentio *l. 7. supr. de Priuileg. eor. qui in S. P. L. vn. inf. de Aur. Publ. profec. l. 5. inf. de exhib. reis*) modo verbis, vt *hac l.* de quo vid. plura in *Gloss.* Contentus itaque fuit Constantius in *huius leg.* specie, milites ad Numeros suos reuocare: quod vtique ipsa temporum ratio suadebat, cæso videl. paulo ante, hoc ipso anno, Constante; & turbantibus Tyrannis, Magnentio & Veteranione: Quam huiusce *legis* occasionem fuisse, omnino censeo. Quare & *Prudentia* hoc consilium *h. leg.* adscribi videmus.

Veteranorvm Liberi *ad militiam euocantur.*

V. (a) Impp. Valentinianvs & Valens AA. (b) *

Eorvm liberos qui armis inhæserunt, (c) ad vsum (d) bellicum & castra reuocantes, eis quoque eorum stipendiorum copiam deferemus, (e) qui alterius (f) gradus militiæ saluratem maximæ (g) Reipublicæ operam perfecuntur. Quod si quosdam aut imbecillitas valitudinis, aut habitudo corporis, aut mediocritas proceritatis, (h) ab armatæ militiæ condicione submouerit, eos iubemus in Officiis (i) ceteris militare. Nam si post definitam (k) a nobis ætatem ignobile (l) otium adamauerint, Curiis (n) obnoxii erunt sine controuersia pro virium (n) qualitate: ita vt hii quos debilitas fortuita, aut morbus & corporis valitudo confecta (o) ita eneruauerit, vt ad vsum castrorum militiæque (p) idonei esse non possint, vacationem perpetuam, (q) depulsis (r) Curialium munerum sollicitudinibus, consequantur: & cetera. Dat. III. Kal. (s) Maii, Hadrianopoli, Diuo Iouiano & Varroniano Cons. [364.]

NOTAE.

(a) Hæc *lex*, vt & *lex 9 inf.* melius relatæ fuissent in *titulum* expressum *12. inf. de filiis militar. apparit. & veteranor.* Iungendæ autem huic sunt *lex 8. inf. de Cohortal. lex 58. inf. de Decurionib.* & *lex 18. inf. de cursu publico.* GOTHOFREDVS.

(b) Num hæc *lex* est Edictvm, qua exciti Veteranorum filii ad militiam, vt sis nil hic desideretur; vel Edictivox supplenda saltem sit: An vero *Mamertino PP.* inscribenda hæc *lex* est, pariter vt dictæ tres *leges*, quæ *huic* coniungendæ sunt? Istud probo. IDEM.

(c) Veteranos intelligit: vide & *l. 2. vers. filios, inf. de Veteranis.* IDEM.

(d) Ad Tyrocinium militare. IDEM.

(e) Recte. Neque reponendum. *deferimus.* Hac scilicet *leg.* Imperator præmia, quæ largiturus esset liberis veteranorum, militiæ sese offerentibus ostentat. IDEM.

(f) Locus corruptus videri possit: Proinde ita quis restituat, *Qui in altiore gradu*: vel *Qui altioris gradus*, scilicet existentes: argumento *legis 5 inf. quis in grad. prefer.* vel, *Qui alicuius gradus*, arg. *l. 14. inf.* Quasi diceret, gradum qui aliis præbetur post aborem. vt *l. 2. de fil. milit. apparit.* Nihil tamen muto: *Alterius*, (quam Tironum scilicet) arg. *l. 14. inf. vt d. l. 8. inf. de Cohortalib.* vbi ita quoque dicitur *alterius gradus sacramentum.* IDEM.

(g) *al. Maxime.* IDEM.

(h) De *Statura* militari agitur quoque *l. 3. inf. de Tironib* vbi plene dicam & *l. pen. inf. de Veteran.* & *l. 9. inf. de desertor. l. 8 inf. de milit. appar.* & *l. 13 inf. de diuers. offic.* IDEM.

477 (i) Inter Officiales Rectorum Prouinciarum arg. etiam *d. l. 8. inf. de Cohortal.* vt *l. 2. 4. 11. inf. de fil. milit. appar.* & *l. 2. inf. de Veteranis.* IDEM.

(k) Sq-

(k) Sedecim annorum, vt *d. l. 4. inf. de fil. milit. appar.* & *l. 35. inf. de Decurion.* *IDEM.*

(l) *Ignobile otium*: Poetice: Sic *inf. l. 6.* impigro labore: sic *l. 10.* numerosissima pube. *IDEM.*

(m) Vid. *inf. tit. de Decurionib.* *IDEM.*

(n) Id est, si patrimoniis idonei esse noscuntur, *d. l. 1. de fil. milit.* vires pro facultatibus. vid. *Gloss.* *IDEM.*

(o) Forte melius, *confectos.* Sustineri tamen hoc potest. *IDEM.*

(p) Armata officialis. *IDEM* Hoc quid sit, non capio. Forte *armata militia* schedæ habuerunt, vti Sulpitius *in Vit. S. Martin c. 2.* quem citat mox noster. *RITTER.*

(q) Plenam & absolutam. *GOTHOFREDVS.*

(r) Quoque. *IDEM.*

(s) *Id.* vt *d. l. 8. 18. 58.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Imp. septem Constitutiooes ordine sequuntur, de re militari; puta hæc *lex*; & *lex 6. 7. 8. 9. 10. 11. inf. h. t.* ex quibus etiam apparet, quam hic Imp. disciplinæ militaris censor eximius fuerit, quod eius elogium est apud Amm. Marcellinum *lib. 30. cap. 9* item, quam verum sit, quod idem scribit *ead. lib. 30. c. 7.* eum exercitus auxisse valido supplemeoto: cui subscribit & in partem Z simus *lib. 4. cap. 12.* Inter alia porro exercituum supplementa fuit & LIBERORVM VETERANORVM ad militiam euocatio, de quo præter hanc Constitutionem, sunt sexdecim præterea constitutiones *hoc Cod.* puta Constantini M. *lex 15. 18. 19. inf. de decurion. lex 1 2. 4. 5. inf. de filiis mil. appar. & veteranorum*: Constantii *lex 32. 35. inf. de decur.* Valentiniani Sen. præter *hanc legem* altera *lex 8. inf. de fil. militar. l. 58. inf. de decurion. l. 78. d. t.* Valentis *lex 7. inf. de fil. mil. app.* Gratiani vel Valentiniani Iun. *lex 89. inf. de decurionib.* Theodosii M. *lex 83. inf. de decurionibus. l. 11. inf. de fil. mil. appar.* Hæc sane *lex*, pars videtur maioris constitutionis Valentinianeæ, ex qua supersunt tres aliæ, puta *lex 8. inf. de Cohortal. l. 58. inf. de Decurionib. lex. 18. inf. de Cursu Publico:* Sic vt d es *huic leg.* subscriptus ex illis tribus emendandus veniat. Quæ pleræque etiam occupatæ sunt circa liberos eorum qui publico munere funguntur. Nam vt hæc *lex* est de liberis veteranorum, ita *d. lex. 8. inf. de Cohortal.* est de liberis Officialium & *d. lex 58. inf. de Decurion.* de Liberis Curialium. LIBERI igitur VETERANORVM propterea quod eos defendebant decertationes, quæ in patris persona fuerant, vt loquitur Constantinus *l. 2. de Veteranis*, seu propter priuilegia parentibus eorum indulta, vt loquitur idem Constantinus M. *d. l. 2. inf de filiis mil. app.* hoc iure non vacare sinebantur, verum militiæ adstricti erant: cuius rei Authorem puto ipsummet Constantinum M. cuius antiquissima super ea re constitutio incidit in Anoum 319. puta *lex 1. inf. de fil. milit. appar.* quam & Sarmatici belli occasione tulisse videtur. Quo pertinet quoque Gregorii Nazianzeni locus, *epist. 123. ad Ellebichum Magistrum militum* (cui etiam inscribitur *lex 1. inf. de calumniator.*) sub Theodosio M. vbi Ellebichum rogat, vti Mamanti Lectori, Veterani filio, immunitatem a militia daret: *Μάμαντα τὸν ἀναγνώστην, ὄντα μὲν ἀπὸ στρατιώτου πατρὸς, καθιερωθέντα δὲ τῷ Θεῷ διὰ τὸν τρόπον, ἄφες τῷ Θεῷ καὶ ἡμῖν. ἀλλὰ μὴ συναριθμήσῃς τοῖς πλάνησι, καὶ δὸς ἔγγραφον τὴν ἐλευθερίαν, ἵνα μηδὲ ὑπὸ ἄλλων ἐπηρεάζηται· δώσεις γὰρ σεαυτῷ δεξιὰς τὰς τοῦ πολέμου καὶ τῆς στρατηγίας ἐλπίδας.* *Mamantem lectorem, qui cum militem patrem habeat, Deo tamen ob morum probitatem consecratus est. Hunc quasi Deo ac nobis missum fac, nec inter errones numera. Atque libertatem ac vacationem ei scripto consignatam tribue, vt ne ab aliis quidem per calumniam vexetur. Sic enim faustas quoque tibi ipsi belli atque militaris imperii spes dabis.* Quare subinde pro rerum vrgentium necessitate ad militiam ii euocabantur, & quidem programmata seu Edicto per omnes Ciuitates proposito, vt docent complures aliæ leges, ac nominatim, *d. lex 2. inf. de Fil. Milit. apparit.* Sulpitius quoque Seuerus, *in Vita S. Martini c. 2.* EDICTVM *a Regibus, vt veteranorum filii ad militiam scriberentur.* Pro rerum, inquam, necessitate. Qualis certe hac tempestate maxima fuit, quæque adeo huic *legi* occasionem præbuisse videtur. Testatur quippe Amm. Marcellinus, *lib. 26. c. 4. 5. 6.* (in huius anni, imo & mensis ferme ipsius gestis) hoc tempore, velut per vniuersum orbem Romanum, bellum canentibus buccinis, excitas Gentes sæuissimas, limites sibi proximos persultasse: & in his quidem Sarmatas & Quados, Pannonias vexasse: Thracias vero, Gothos. Itaque exciti & euocati hac occasione ad vsum bellicum Veteranorum liberi *hac lege*, propositis præmiis & pœnis: pariter vt *l. 8. inf.* Sed pœnis ipsismet Parentibus veteranis, filios non offerentibus, indictis.

Prima conditio, quæ *h. l.* proponitur, eaque vt vulgo creditur obscurior, hæc est; huiusmodi Veteranorum liberis eorum quoque stipendiorum copiam deferendam, quæ iis defertur, qui ALTERIVS *gradus militia constituti, salutarem maxime Reipub. operam impendunt.* Quorum verborum hic sensus est; Huiusmodi Veteraoorum filiis non iam vt Tironib. annonas seu stipendia præbenda (quæ sane minora fuisse testatur quoque anonymus scriptor subditus *Notitia Imperii cap. 5.*) atque adeo non ad tirocinium proprie euocari, verum ea quæ præbentur iam aliis, post laborem in altero (quam tironum scilicet) gradu constitutis. Et vero hanc interpretationem suppeditat omnino *lex 14. inf.* & maxime *d. lex 2. inf. de Fil. Milit. Appar. & Veteran.* vt proinde nonnulli frustra sint, qui hanc *leg.* hac parte velut vitiosam emendant. Scilicet de more, qui in militiam allegabantur, vt inter vltimos sternebantur, *l. 14. inf. h. t.* (vbi dicam, etsi ea *lex* ad militiam Palatinam magis pertineat) ita & stipendia pro gradu suo accipiebant minora: mox laborum suffragiis & promotionibus, vt incrementa militiæ consequebantur, *d. l. 14.*, ita & stipendia maiora. De quo est & Procopii locus *in anecdotis, cap. 24.*

Altera conditio hæc proponitur, vt si militiæ inhabiles sint filii Veteranorum, veluti quia imbecilliore valetudine sunt, aut inepta corporis habitudine, aut iniustæ proceritatis vel staturæ, in officiis cæteris: id est, inter officiales, Proconsulum, Consularium, Correctorum, Præsidum (vt ostendit dicta *lex 2. inf. de Veteranis:* & *lex 8. inf. de Cohortalib.* si modo ea *huic* nostræ coniungenda est) militent. At si iustæ proceritatis, habitudinis, valetudinis, item ætatis, militiam detractent, Curiis vindicentur: Cætari vero penitus eneruati, morbo aut aliter, a Curiis etiam immuoes sint. Deoique, vt hæc *lex* melius adhuc intelligatur, videndus est *totus titulus 1. de fil. milit. apparit. & Veteran.* hanc in rem *expressus*, quo hæc *lex* melius relata fuisset.

CVRIA

Pr.4

CVRIA *seu Curiali nexu quot annorum militia armata & Officiali militia* LIBERET.

VI (a) Idem AA. Mauris Sitifensibus. (b)

SI quis armatæ sacramenta militiæ impigro (c) quinquennii labore pertulerit, auo licet ac patre sit Decurione progenitus, ab omni nexu Curiali personam duntaxat (d) propriam vendicauerit. (e) Diuersis autem Officiis (f) seruientes, quinque & viginti annis in militia decursis pari securitate donamus: & cetera. Dat. IX. Kal. Maii. Treuerini, (g) Valentiniano & Valente (h) AA. CONSS.

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem ei *lex 64. inf. de Decur.* Indicatur ea *leg. 16. sup. de Agentib. in reb.* & *l. 28. inf. de Cohortalib.* GOTHOFREDVS

(b) *Mauritaniæ* duæ inter sex Africæ Prouincias fuere: vna *Sitifensis*, altera *Cæsariensis*: vtraque Præsidialis, quod docet Rufus Festus *in Breuiario pag. 78. edit. Cellar.* vt & *Imperii Notitia fol. 165.* De Mauris *Sitifensibus*, vide quoque *Nouellam* Valentiniani, *inter Theodosianas 21.* Meminit quoque Sitifensis Mauritaniæ Ammianus Marcellinus *lib. 29. locis duobus c. 5.* in historia de *Firmo*, in Gestis A. 372. & 373. quo forte etiam hæc *lex* referenda est. *IDEM.*

(c) Impigro labore. *IDEM.*

(d) Non vero liberorum. *d. l. 64.* *IDEM.*

(e) Fugitiua est hæc *huius legis* pars, & ad *Tit. de diuers. officiis* referenda potius erat: videnda *lex 5. & 6. illius Tituli.* *IDEM.*

(f) Id est officiales Iudicum. *IDEM.*

(g) *γρ. Treuiris* in MS. Treuerini male. *IDEM.*

(h) *γρ. Valentiniano & Valente IV. AA.* id est A. D. 373. de quo mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

QVINQVENNALI Militia armata, CVRIA seu Curiali nexu (cui alioquin tenebantur Curiales) Curialem liberari iubet Valentinianus Sen. hac Constitutione (quam indicat *lex 16. inf. de Agent. in reb. l. 28. inf. de Cohortalib.* cuique coniungenda venit *lex 64. inf. de Decurion.*) pariter vt Constantius, *l. 38. de Decurion.* Valentin. Iun. *l. 88. inf. eod. tit.* Cum alias huic rei alia atque alia tempora præstituta fuerint, de quo plene *ad. l. 10. inf de Decurion.* Vt maxime verò quinquennali militia ipsum Curialem liberari voluerit Valentinianus, non ideo tamen liberari voluit liberos eius *h. l.* sed ipsum *duntaxat*, vt diserte *hac l.* dicitur. Quod etiam de liberis statuitur *d. l. 64. inf. de Decurion.* Finge, Curialis me conditionis esse, vt qui Patre vel Auo etiam Decurione genitus sim? vtique, si quinquennio continuo militavero, Curiali nexu liberor, at non etiam liberi mei: Nam (vt eleganter loquitur *d. lex 64.*) *priuilegio militiæ paternæ se non vindicat, quem auitus Curiæ nexus adstringet.* Paternum itaque priuilegium ad posteros hac parte non dimanat, & nascendi lex seu conditio paterno priuilegio non impeditor, verum auita conditio præualet. Et rursum, vt *d. lex 14. sup. de Priuil. eor. qui in S. P.* loquitur, *Satis est parentibus eorum vacationem pro remuneratione concessam fuisse.* Denique potentior est auitus nexus paterno priuilegio. Et hæc quidem de Armata militia.

Aliud vero in militia *Officiali*; quæ differentia notetur inter militiam Armatam & Officialem. Curialis scilicet conditio, ex Valentiniani Sen. mente, quinquennali militia Armata euitatur; Officialis vero militia non nisi vicena & quina, quomodo & Theodosio complacuit, *d. l. 14. supr. de Priuil. eor. qui in S. P.* qua alioquin ab hac Valentinianea constitutione aliquantum recessit, quod ipsemet profitetur *l. 28. inf. de Cohortal.* quæ *d. l. 14.* iungenda est. Maius scilicet hac quoque parte militiæ Armatæ, quam inermi priuilegium datum. Et hoc quidem sæculo, quo res militaris pessum ibat, militiaque deserebatur. Cæterum, si mens bene augurat, pertinet hæc *lex* ad *Firmi* Tyrannidem in Mauritania, & ad militem Indigenam (cuius meminit diserte Amm. Marcellinus, *lib. 29. c. 5.*) Mauritaniæ Sitifensis, quo Theodosius Magister Militum a Valentiniano ex Galliis missus appulit; vbi & Sitifi quidem, legiones, quæ Africam tuebantur, recensuit. *loc. cit.* Mox & eodem rediit, *l. cit.* tandem & Firmo iam extincto *l. cit.* Sitifim triumphanti similis rursum rediit, *l. cit.* Memorat & Zosimus *lib. 4. cap. 16.* Valentinianum, nuncio de Firmi tyrannide allato, statim numeros quosdam militares τάγματα τινὰ ςρατιωτικὰ relicta Pannoniæ Mysiæque superioris custodia in Africam nauigare iussisse.

De PROMOTI *militis ad honores per* SALTVM *& suffragium pœna.*

VII. (a) Idem AA. Iouio (b) Magistro Equitum, & Peditum.

PLVRES de diuersis Numeris ante impleta stipendia, ad indebitos honores suffragiorum ambitione (c) perueniunt. Siue igitur eos purpuram adorasse (d) constabit, siue excepisse (e) aliquas dignitates, eo quem ceperint honore soluantur: ita vt qui ceteros in labore positos festina cupiditate transierint, nec (f) testimonium (g) quidem emeriti laboris accipiant. Quod si aliquibus fortasse Rationibus (h) adtinentur inplicìti, ad eos Numeros de quibus per ambitionem exierant, reuertantur. Dat. Prid. Kal. Iun. Med. Valentin. & Valente AA. CONSS. [365.]

P.279

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Iungatur non ita male huic legi, *lex* 10. *inf. de Numerar.* alterutrubi tamen emendato die subscripto. Finis certe *huius* illi maxime conuenit. *GOTHOFREDVS.*

(b) *γρ. Iouino.* Pariter vt *l.* 9. & 10. *inf. h. t.* Et apud Amm. Marcellinum vbique: Magistrum Equitum & Peditum vocat hæc *lex*: Magistrum Equitum tantum *l.* 9. &c. *IDEM.*

(c) *Ambitio* hic & mox, pro, *ambitu.* *IDEM.*

(d) De *Purpuræ adoratione* dixi plene ad *l. vn. sup. de Præpos. S. Cubic.* Adorasse autem accipe inter Protectores; *l.* 3. & 4. *supr. de Domest. & Protector.* & *tot. tit. inf. hoc libro, de Testimoniali ex Tribun. & Protector.* *IDEM.*

(e) Pro accepisse *IDEM.*

(f) Ne quidem testimonium. *IDEM.*

(g) Testimonialem: vid. *inf. de Testimonial.* *IDEM.*

(g) Primipili & annonæ scilicet: vid. *d. l.* 10. *inf. de Numerar.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

AD HONORES indebitos ANTE impleta stipendia, atque adeo per saltum promotos milites, etsi vel purpuram Principis (inter Protectores scilicet) adorauerint (de quo honore dictum fusius ad *l. vn. supr. de Præp. S. Cub.*) item etsi ad aliquas dignitates peruenerint, honore priuari iubet *hac l.* Valentinianus Sen. quin & *Testimoniales* emeriti laboris (de quibus *suo tit. inf.* 21.) his denegari. Elegantissima ratione inspersa, scilicet, qui *festina cupiditate* (id est, per saltum) non emeritis stipendiis commilitones suos in labore positos, & stipendia legitime decertantes seu decurrentes præuertere voluerunt, ne testimonio quidem emeriti laboris digni sunt; & qui præpostera ambitione Primi esse voluerunt, nouissimi, imo nulli haberi debent: Quinimo Numeris suis quandoque restitui, milites ita per saltum promotos, vult; si videlicet *rationibus sint impliciti:* id est si rationem Numerorum militarium tractauerint, & sic *Actuarii*: (de quibus dicetur ad *l.* 11. *inf. de Erog. Milit. Annon.*) Et vero de iisdem etiam agitur *d. l.* 10. *inf. de Numerar. & Actuar.* (quam *huic* nostræ haud improbabiliter coniungi posse puto:) *Annonæ* scilicet hoc militaris & primipili magna hæc & singularis est ratio, inter cetera eius priuilegia, de quibus affatim alibi. Inde vero, ex fraudes Actuariorum fuerunt, (de quibus plena manu ad *d. l.* 11. *de erogat.* & *leg.* 3. *de numerar.*) vt id constitui oportuerit. Cum alias alii qui ante impleta stipendia ad indebitos honores suffragio, seu ambitione peruenerunt, ad militiam non reuocarentur. Cæterum notandum, argumento *Iouini*, cui hæc *lex* inscribitur, hanc ipsam *leg.* proculdubio pertinere ad *Gallicanum militem*, Alamannis oppositum: de quorum irruptionibus in Galliam hoc anno, testatur Am. Marcellin. *lib.* 26. *cap.* 5. de quo Iouio, vel Iouino hic semel agendum, cui inscribuntur *dua* præterea *huius tituli leges*, puta *l.* 9. & 10.

Igitur Iouinum hunc (de quo & sub Iuliano nondum firmato Imp. Marcellinus *lib.* 22. *cap.* 3.) Magistrum Equitum & Peditum vocat hæc *lex*: Magistrum Equitum tantum, *d. l.* 9. *h. t.* & *dicta lex* 10. *inf. de Numerar.* Magistrum militum, *d. lex* 10. *h. tit.* & *lex* 11. *inf. de Veteran.* Magistrum Armorum, Marcellinus, *lib.* 25. *cap.* 8. *lib.* 26. *c.* 5. Hic a *Iuliano* per Illyricum primum factus, teste Am. Marcellino *lib.* 22. *cap.* 3. deinde ab eodem Iuliano Magister Armorum per Gallias *lib.* 26. *cap.* 5. & *lib.* 25. *cap.* 8. in quo officio confirmatus a Iouiano An. Dom. 364. *lib.* 25. *in fin.* Eodemque anno in diuisione Imperii, inter Valentinianum & Valentem, illi cessit, A. 364. eodem teste, *d. lib.* 26. *c.* 5. Exinde A. 366. eodem teste, *lib.* 27. *cap.* 2. Magister Equitum in Galliis aduersus Alamannos mouit, quorum & prope Scarponam (cuius mentio quoque in *Itin. Peutinger.* apud Paulum Diaconum *de Episcopis Mettensibus*: vnde & Comitatus Scarponensis postea dictus, *Charpeigne* ad Mosellam,) mox prope *Cathalaunos* magnam stragem edidit. Sequente An. 367. consul designatus fuit, eodem teste, *lib.* 27. *c.* 2. Quod verum est, habuit enim Annus ille *Lupicinum & Iouinum Consules*. Quod etiam Fasti docent, vbi plenius & integro nomine *Flauius Valens Iouinus* vocatur, quomodo & Ammianus ipse *lib.* 28. *c.* 3. *Valentem Iouinum* vocat. Denique idem Marcellinus *lib.* 27. eodem Anno eiusdem meminit intra Gallias Magistri, mox ad Britannias missi: vide eum *lib. cit. c.* 8. A. 368. Cum Valentiniano & Gratiano Rhenum transgressus est aduersus Alamannos *lib.* 27. *cap.* 10. De eodem accipiendus est Sidonius Apollinaris, *carm.* 23. *vers.* 172. *seqq.* de eodem scribit Flodoardus, *lib.* 1. *cap.* 6. *histor. Eccles. Remens.* vbi antiquos aureosque Versus refert a Iouino positos in templo quod Remis ipse fundarat, ad corporis sui sepulturam, vbi hæc inter cætera de Magisteria Sua Militum, & duplici quidem, quam modo memoraui, scribit.

Felix militiæ sumpsit deuota Iouinus
Cingula, virtutum culmen prouectus in altum,
Bisque datus meritis Equitum Peditumque Magister. (a)

Postremo huic Iouino Magistro Equitum, successit Theodosius, Theodosii M. Imp. pater: teste Ammiano, *lib.* 28. *cap.* 3. Ex superioribus, apparet in *inscript. huius l.* & *peditum* tollendum videri.

(a) Jam notauerat hæc Cl. Valesius ante nostrum ad Marcellinum *lib.* 18. *cap.* 3. qui ex Flodoardo sequentia etiam
Extulit, æternum seclorum in secula nomen
addidit, quæ Consulatum eius notant, quem cum Lupicino gessit, quæ miror nostrum non tetigisse. De Iouino vero plura notata videbis apud Ioannem Tristanum in Commentariis historicis ad numismata Augustorum.

P.280 LIBERI VETERANORVM *ad militiam a Valentiniano euocantur pœna proposita Patribus, liberos non offerentibus.*

VIII. *(a)* Idem AA. ad Equitium *(b)* Comitem *(c)* & Magistrum Militum.

OMNIBVS omnino Veteranis Auctoritas (d) tua denuntiet, (e) Quod si quis filium suum armo-

armorum honore condignum (f) non propria voluntate militiæ, quam ipse sudarit, obtulerit, nostræ sit legis laqueis (g) inplicandus. Dat. (h) VIII. Kal. Octob. Heracleæ, Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Eaque pariter vt eiusdem argumenti *quinta* supra: in *Tit. de filiis milit. apparit.* melius connexa fuisset: quo etiam titulo *lex 7.* eiusdem Valentiniani, & plures aliæ *leges* huic concordant. Iungenda porro mihi *huic l.* videtur *lex 3. C. Iust. de Agricolis & mancip. dom* de quo mox plura. GOTHOFR.

(b) *Equitii* huius Comitis mox Magistri militum meminit & Amm. Marcellinus *lib. 26.* (in gestis huius, & superioris, & proximi Anni *c. 1. 5.*) & *lib. 29. c. 6.* (in gestis A. 374 quo & Consul fuit *lib. 30 c. 3.*) vt & Hieronym. *Chronico* (in A. D. 373.) & Zosimus, *lib. 4. cap 19.* (in gestis Anni 376.) vbi eum ταξιάρχην vocat. Ac nominatim Amm. Marcellin docet, eum Illyriciano exercitui præpositum, seu per Illyricum, primo Comitem, mox Magistrum militum seu armorum a Valentiniano Sen. factum *lib. 26. c 5. lib. 27. c. 6.* Hieronymus itoque eum *Comitem Illyrici* vocat, addique, eum *iniquissimis tributorum exactionibus provincias quas regebat, quam a Barbaris vastarentur, rasisse.* Eiusdem mentio in veteri inscript. Viennæ in Austria, *apud Gruterum CLXIV n. 3.* quæ præfert, *Valentinianum & Valentem Tertium* COSS. id est A. D. 370. Eidemque inscribitur & *lex 3. C. Iust. de agricolis & mancip. dom.* quæ forte *huic* iungenda est, etsi die & Consule careat. Tandem, quod nomen eius attinet, modo *Æquitius,* modo *Equitius* scribitur. Ad eundem refero alteram inscriptionem *pag. ead.* quæ Strigone, vbi adnotatus Consulatus *Gratiano 2. & Probo*: id est A. D. 371. IDEM.

(c) Comites, Magistri militum, dixi *ad l. 2. h. tit.* IDEM.

(d) Sic & *inf l. 9. h. tit.* IDEM.

(e) Nota: Denunciasse Magistros militum, quæ Imperatores iuberent. IDEM.

(f) Vt qui a valetudine prospera, corpore apto, iusta statura, vid. *l. 4. sup.* IDEM.

(g) *Legis Laquei,* pro multa: *h. l.* & *l. 9. inf. de fil. milit. appar.* (quæ in hoc eodem argumento versatur) *l. 16. inf. de diuers. offic. l. 38. inf. de heret. l. vlt inf. de habit. quo vti.* IDEM.

(h) An *Data,* pro *Reddita*? Valentinianus enim hoc tempore in Illyrico non erat: Valens vero in Oriente. Cæterum *Heraclea* hæc vrbs Macedoniæ Illyrici est, in qua Equitius Magister militum per Illyricum tum consistebat. Neque enim Heraclea *hic* accipienda, quæ Prouincia trans Bithyniam est, in qua Valentem hoc tempore constitisse docet Amm. Marcellin. *lib. 26. cap. 6. 8.* indeque eum in Syriam profectum per Cæsaream Cappadociæ, *lib. 26. c. 7.* Multo minus Heraclea Syriæ hic accipienda est. IDEM.

COMMENTARIVS.

LIBERI VETERANORVM *hac l.* vrgenti rursum rei bellicæ necessitate, a Valentiniano Sen. ad militiam euocantur, iussis parentibus veteranis filios suos offerre; pariter vti iubentur ab eodem Valentiniano *l. 5. sup.* & *l. 58. inf de Decurion.* (non tamen in specie *l. 78. d. tit.*) pariter vt ab aliis Principibus; vt liquet ex aliis legibus quatuordecim, quas notaui ad *d. l. 5. sup.* Et pœna quidem parentibus veteranis indicta, nisi filios suos militiæ idoneos obtulerint, pariter vt *d. l. 9. de fil. milit. appar.* (denuntiatione scilicet Equitii Magistri militum per Illyricum conuenti) cum *d. l. 5. sup.* præmiis & pœnis ipsis Veteranorum filiis indictis, euocati fuerint. Atque hac quidem, inter alias, ratione Valentinianus militiam (& quidem per Illyricum, mox vt ostendam) erectum iuit, hac constitutione ad Equitium Magistrum militum emissa, vti retro altera constitutione ad eundem Equitium emissa, seruos colonos rei priuatæ, eorumque filios & nepotes, si armatæ sacramenta militiæ susceperint, etiam Protectorum nomen adeptos discingi, reique priuatæ reddi iussit, *l. 3. C. Iust. de Agricolis & mancipiis dominicis,* quæ forte *huic* iungenda videatur.

Cæterum rei bellicæ necessitas, quæ huic *legi* occasionem præbuit, videri possit Procopii Tyrannis siue metus, cui Illyrico inhianti. Equitius (cui hæc *lex* inscribitur) antea Comes Illyriciano exercitui appositus, nunc Magisterii dignitate auctus, a Valentiniano Sen. oppositus, operam nauauit; vt testatur Amm. Marcellinus, *lib. 26. c. 5. Et circa id tempus,* inquit, *aut non multo posterius in Oriente Procopius in res surrexerat nouas, qua prope Kal. Nouemb. venturo Valentiniano Parisios, eodemque nunciata sunt die: Super appetitu vero Procopii, antequam adolesceret, reprimendo, curis diducebatur ambiguis, ea potissimum ratione sollicitus, quod ignorabat, vtrum Valente superstite an extincto memoratus imperium adfectaret. Equitius enim relatione Antonii Tribuni accepta, regentis in Dacia mediterranea militem, qui nihil præter negotium ipsum auditum obscure significabat, ipse quoque nondum liquida fide comperta, simplicibus verbis Principem gestorum conscium fecit. His cognitis Valentinianus, eodem Equitio aucto magisterii dignitate, repedare ad Illyricum destinabat, ne persultatis Thraciis perduellis iam formidatus inuaderet hostili exercitu Pannonias.* Et post *c. 7. Electi quidam* (a Procopio) *stoliditate præcipites, adcapessendum Illyricum missi sunt, nullo præter Petulantium adiumento confisi; aureos scilicet nummos effigiatos in vultum noui Principis, aliaque ad illecebras aptantes, quos correptos Equitius per eas regiones militum Rector, extinxit genere diuerso pœnarum. Pariaque deinde metuens, obstrinxit tres aditus angustissimos, per quos Prouinciæ tentantur Arctoæ; vnum per Ripensem Daciam, alterum per Succos notissimum, tertium per Macedonas, quem appellant Acontisma.* Vid. & eundem Am. Marcellin. *lib. 26. cap. 10.* Vbi de Philippopolis obsidione: Et tamen non eo referendam quis putet hanc *legem,* ad Procopianam, inquam, Tyrannidem, vtpote quam post hanc demum *legem* erupisse 4. Kal. Octob. scribunt Fasti Idaciani *his* Coss. Igitur nisi Procopiana Tyrannis anterior fuerit *hac leg.* (quod suadet inscriptione *huius l.* Magistri militum dignitas, Equitio tum addita: qua eum auctum post Procopianam Tyrannidem exortam, exarte scribit Amm. Marcellinus *lib. 26. pag. 340.*) referenda alip. 231 cui potius videatur hæc *lex* ad metum a Gothis, qui Thracias & Illyricum diripiebant. Nam eo tempore *Equitium Comitem Illyrici fuisse,* ait Hieronymus.

IVMENTA *sua Milites, ad Rheni limitem constituti, suppeditare, etiam Regalibus (Francorum & Alamannorum) eorumque Legatis, ad comitatum Imp. proficiscentibus a Valentiniano Sen. vetantur.*

IX. (a) Idem AA. ad Iouinum (b) Magistrum Equitum.

TAM Duces, quam etiam COMITES, & (c) quibus RHENI est mandata custodia, Sinceritas (d) Tua protinus admonebit, vt neque Regalibus, neque Legatis, sua Mili-

tes (e) iumenta (f) subpeditent: Etenim, cum propriis (g) animalibus (h) eo vsque veniendum est, vbi obsequium cursuale succedit. Sane, sollicitudinem (i) competentem Auctoritas (k) tua iubebit adhiberi, vt eorum pecoribus, vbi conlocauerint Mansionem, (l) alimenta non desint. Dat. IV. Kalendas Feb. Remis, (m) Lupicino & Iouino CONSS. [367.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS

(b) De hoc IOVINO dixi plene *ad l. 7. sup.* Superiore anno 366. de ALAMANIS victoriam reportauit: cuius rei historiam vide apud Amm. Marcellin. *initio lib.* 27. Huius vero *legis*, vt & *prox.* 10. subscriptioni, DAT. REMIS, apprime congruit, quod memorat Flodoardus, *1. Hist. Rhem. cap. 6.* hunc Iouinum REMIS templum fundasse ad corporis sui sepulturam: de quo iam dixi *ad d. l. 7.* & dicam adhuc mox. IDEM.

(c) Nota voculam, ET: Alii sunt igitur a Comitibus, *ii, quibus Rheni custodia est mandata*: de quo mox plura. IDEM.

(d) *Sinceritas Tua*: titulus Magistri militum. IDEM.

(e) Equites scilicet de quorum iumentis hic agitur, & quibus præerat Iouinus Magister Equitum. IDEM.

(f) *Iumenta*, pro equis. sic Am. Marcellinus *lib. 21. c. 6.* vbi agit de apparatu bellico, & collatione in id prouincialium, *& diuersa genera iumentorum.* IDEM.

(g) Ambrosius, *de obitu Valentiniani num. 2c. pag. 1181. Tom. II. edit. Benedict. Reus mibi videbar sperata mea præsentatie nec impleta: Sed vtinam viuenti tibi hunc deberem reatum. Excusarem quod non potuissem* PROPRIIS ANIMALIBVS *occurrere, etiamsi iter ingressus essem.* IDEM.

(h) *Animalia.* & *pecora*, & *iumenta*, pro Equis: *b. l.* & *l. 4. inf. de Murilegul.* & *l. 1. inf. si quis pecun. conf.* sicut Græcis ἄλογα: vid. quæ dicam *ad l. 7. inf. de erogat. milit. an.* Glossæ animalia ψυχικὰ ζῶα ἄλογα. Diaconus *Histor. Miscell. in vita Heraclii pag. 129. Tom. I. Script. Rer. Ital. Romani animalia sua nocte & adaquauerunt, & occeperunt.* Itaque Petrus Nannius *ad Ambrosium* suauis est, qui scribit, *animalia* vsurpare pro iumentis, prorsus esse infacetum, neque Ambrosianæ elegantiæ. IDEM.

(i) Magistri militum, quæ circa rem militarem Principes iubebant, exequebantur: *b. l.* & *l. 4. sup.* IDEM.

(k) Sic & *l. 8. sup.* IDEM.

(l) De *Mansionibus* quoque iam aliquid dixi ad *l. 4. sup. de off. Rect. Prov.* & dicam plenissime semel, *l. 9. inf. de Annon. & Tributis.* IDEM.

(m) Mox id expendam. IDEM.

COMMENTARIVS.

EQVOS suos, milites in sp. *huius l.* ad Rhenum constituti, etiam Regalibus Alamannorum, vel etiam FRANCORVM (& illorum nominarim in sp. *huius l.*) aut Legatis eorundem (ad Comitatum Principis proficiscentibus) suppeditare a Valentiniano Sen. prohibentur: Verum ipsimet Regales aut Legati propriis suis animalibus venire iubentur, ad eum vsque locum vbi cursus publicus erat. Cursus enim exinde publicus Gentilium Legatis parebat, vt testatur quoque *lex 57. inf. de cursu publ.* & Menander, *loco*, quem *ibi* laudaui. Illud etiam Magistro militum iniungit Imperator, vt sollicitudinem adhibeat, quo eorum animalibus pabula præbeantur, in mansionibus. Iam antea certe quoque scripserat Paternus Iurisconsultus *in l. 2. §. 1. D. de Re Milit. eum qui armato præest, equum militarem* EXTRA PROVINCIAM *duci, permittere non debere.* Verum id generalius est etsi ad eundem finem collineet. Id vero in tantum *h. l.* prohibetur, vt ne Regalibus quidem, aut Legatis eorum, in Comitatum (id est, Aulam Imperatoris) contendentib. (qui tum Remis erat in Belgica secunda, quod *huius l.* subscriptio docet) præberi velit. Equos militum limitaneorum ne quidem hac occasione ab obsequio militari, seu custodia limitis abduci oportet: alta quamlibet pace, vel fœderibus conciliandis, vel necessitatibus publicis expediendis. Hæc *huius leg.* sententia est. Ex qua interim complurima notanda veniunt, quæ ad instaurandam, *Historia Gallo-Francica* memoriam maxime faciunt: quibus illustrandis liberalior nunc ideo decurret oratio.

Primum igitur, DVCES & COMITES rei militaris per Galliam *huius leg. initio* memorantur, qui scilicet per vtramque Germaniam Cisrhenanam & Belgicam fuere, aut etiam per Sequanicam: de harum enim Prouinciarum omnium militibus, Ducibus & Comitibus *lex* nostra intelligenda est: Per eas quippe prouincias FRANCIS & Alamannis, (qui populi tum vtrique Transrhenani erant, seu trans Rhenum sedes habebant) oppositus miles erat, & per easdem Prouincias ad Valentinianum in Gallia hærentem (PARISIIS primum, mox REMIS) Francis & Alamannis ad fœdera ineunda, iter erat necessario. De limitaneo alioquin ad Rhenum milite aliunde res nota est; & de eo prolixe *alibi* dicam. Consulendi interim sunt Authores Panegyricorum, quos Beatus Rhenanus primus in lucem, magno rei literariæ Historiæque bono prodidit. Et consulendi præterea plerique omnes Augustorum Temporum scriptores. At de *Comitib.* nominatim, quorum *hac l.* mentio fit, non vno loco Ammianus Marcellinus agit, & quidem in Gestis Anni superioris 366. *lib. 27. cap. 1.* his verbis, *Alamanni Gallicanos limites formidati iam persultabant. Horum portioni prima Carietto, tunc per vtramque Germaniam Comes, occursurus cum milite egreditur.* Caute ait Marcellinus, *Tunc*: ideo quoque quia scilicet post Carietronem (eo ipso anno 366. bello Alamannico interfectum) non iam vnus Comes per Germaniam, verum duo Comites fuerunt; Nannenus videlicet & Quintinus. Cuius Nanneni meminit idem Marcellin. *lib. 28. c. 5.* & *31. c. 10.* (in gestis Anni 370. & 377.) & de vtroque agit Sulpitius Alexander *lib. 3.* & *4. Historiar.* apud Gregorium Turonensem, *Histor. Francic. lib. 2. cap. 9.* Vbi notat quoque Maximum Tyrannum infantiam filii sui Victoris, tutelamque Galliarum his commisisse. Mox Nannenus solus remansit: verum in eius locum denuo duo suffecti; Carietto videl. (forte superioris filius) & Syrus, vt idem Sulpitius Alexander scribit (in gestis Anni 388.) *Eo tempore*, inquit, *Carietto & Syrus in locum Nanneni subrogati in Germania, cum exercitu opposito Francis diuersabantur.* Sed & Amm. Marcellinus *initio lib. 27. c. 1.* alterius Comitis quoque meminit; Seueriani, inquam, Comitis, qui apud Calidona (in Gallia, F. *Salisona*) (a) Diuitensibus præsidebat & Tun- P.280

(a) Noster exemplar regium & editionem Augustanam secutus est, vbi legitur *apud Calydona.* Sed coniectura de *Salisona* valde displicet. Hadrianus Valesius *ad Marcellin. loc.* legit *Cabilona.* Nam Marcellinus *lib. 14. Cabillona* pro *Cabillonem* in quarto casu bis appellat more græcanico, & *militem omnem apud Cabillona collectum esse* scribit, Constantio A. per Arelate & Valentiam Rauracos ac Rheni ripam petente, vt Alemannis bellum in-

Tungricanis; qui tamen in inſcriptione *legis 1. ſup. de Poſtlim. reuerſ.* anno ſuperiore 366. *Seuerianus Dux* vocatur, non Comes. Plures igitur Comites Militum FRANCIS & Alamannis oppoſiti in Gallia fuere: FRANCIS, inquam, in Germania vlteriore ſeu inferiore: Alamannis vero in ſuperiore, vt FRANCICA plenius docebunt.

Præter hos Comites fuerunt & DVCES in Gallia, Francis pariter & Alamannis oppoſiti: vt hæc *lex* noſtra teſlatur. Inclinante certe Romano Imperio, & parte Galliarum in FRANCORVM iura iamiam tranſgreſſa (Theodoſii videlicet Iunioris temporibus) vnicum tantum Comitem, neque tractus adeo magni: Tres vero, limitem Rheni verſus, Duces fuiſſe, docet nos *Breuiarium* Theodoſii: ſiue *Notitia Imperii*, ſcripta A. D. 427. Comitem, inquam, Argentoratenſem *fol. 164.* Ducem Moguntiacenſem *fol. 178.* (cuius cura ſeu diſpoſitio a Saletione, quod hodie *Seltz* vocatur, Antonacum vſque, quod hodie *Andernach*, ſeſe protendebat, & cuius mentio quoque fit apud Amm. Marcellinum *lib. 17. cap. 2.*) Item Ducem Belgicæ primæ, & Ducem Belgicæ ſecundæ. Atque hæc de Ducibus & Comitibus Rheni, vel certe Rheno ſeu limiti Galliarum proximis dicta ſint.

Præter hos memorantur *h. l.* & Tertii, *quibus* RHENI MANDATA *erat* CVSTODIA, a Ducibus & Comitibus diuerſi, vt oſtendit vocula ET, quam plerique omnes temere *hic* expungunt vel prætereunt, vt Comites Palatinos Rheni hinc nobis, ſi Deo placet, arceſſant. Cum tamen neque Comites Rheni hic appellentur, & præterea Comitum horum & nominis alia ratio, & dignitas alia ſit. Hi quippe Palatii Comites: illi vero Rei militaris fuere: adeo vt Palatii Comites etiam in Saxonia, Franconia, & Sueuia memorentur, *in ſpeculo Saxonico, lib. 3. art. 53. Qualibet Prouincia*, inquit, *Teutonicæ terræ ſuum habebat Palatiigrauionatum. Saxonia, Bauaria, Franconia, & Sueuia.* Itaque corruit iam recepta ferme coniectura de Comitibus Palatinis recentioribus: de qua alioquin conſulenda Pithœi *de Comitibus Palatinis* obſeruatio, & Freheri *Palatina Or.* & Cluueri *Germania*, & ſpeciales aliorum ſuper ea re tractatus. Ii igitur, quibus Rheni mandata cuſtodia, *h. l.* dicitur, ſunt omnino (nequis erret, aut hæreat) Præfecti ſpeciales, Prætenturarum ſingularium, in ſingulis Ciuitatibus ad Rheni ripam conſtituti; qui pariter vt Comites & Duces ſub diſpoſitione Magiſtri militum fuerunt. Sane huiuſmodi Præfectos militum plures memorat ſub Duce Moguntiacenſi prædicta Imperii Notitia; *Præfectum*, inquam, *militum Saletione, Tabernis, Vico Iulio, Nemetibus, Altaripa, Vangionibus, Moguntiaci, Bingii, Bodobriga, Confluentibus, Antonaci.* Quæ certe Ciuitates omnes ad Rhenum ſunt, ac proinde Præfectis in iis conſtitutis, Rheni cuſtodia *mandata erat.* Tria proinde nunc hæc obſerua. Duces, Comites, Præfectos militum. Et hos quidem poſtremos, ſic vt dicam, locales; illos vero generaliores, & quorum ſub diſpoſitione hi poſtremi fuere. Ducibus videlicet & Comitibus vniuerſa Prouincia commiſſa erat (hinc & *Duces Prouinciarum* dicuntur) At Præfectis, vrbs certa ad Rhenum, limiti tuendo, Rhenoque cuſtodiendo, demandata erat.

Nunc de REGALIBVS, qui *h. l.* memorantur. Regales hi ſunt, non alii, quam Regiæ Francorum & Alamannorum (& horum nominatim in ſpec. *huius leg.*) ſtirpis Principes, Filii Agnati, regali ſtirpe orti, quorum frequens quoque apud Amm. Marcellinum mentio occurrit, *lib. 16.* vbi de Chonodomario & Serapione Alemannorum Regibus egit, *c. 12. Hos ſequebantur poteſtate proximi Reges numero quinque*, REGALESQVE *decem, & Optimatum ſeries magna.* Et paulo poſt: *Alamannorum peditum fremitus auditus eſt, vnanimi conſpiratione vociferantium, relictis equis ſecum oportere verſari* REGALES. Vbi tamen *Regalium* appellatione etiam Reges ipſos intelligit, vt ſequentia *ibi* oſtendunt, pariter vt *lib. 22. c. 12. lib. 18. c. 2. Hortarius*, inquit, *Rex nobis ante fœderatus, amicus finitimis quoque ſuis, Reges omnes, & Regales, & Regulos ad conuiuium corrogatos retinuit.* Item: *lib. 27. c. 10.* (in geſtis ſequentis Anni 386. vel etiam huius ipſius:) *Sub idem fere tempus*, inquit, *Valentiniano ad expeditionem caute, vt rebatur, profecto, Alamannus Regalis, Rando nomine, diu præſtruens quod cogitabat, Moguntiacum præſidiis vacuam cum expeditis ad latrocinandum latenter irrepſit.* Quo loco Richardus *in Diuionenſib. Antiq. p. 9.* perperam reponebat *Gregalis*, vt gregalem militem & latronem inde eruat. Sed & idem Marcellin. *lib. 17. c. 12.* inter Quados *Regalem* quoque nominat: *Quadorum*, inquit, *Regalis Vitrodorus, Viduarii filius Regis, & Agilimundus ſubregulus, aliique optimates & Iudices variis populis præſidentes.* Eodemque libro & capite meminit inter Sarmatas Regalis, non Regis; Zizais & Araharii & Viatri Regalium. Denique inter Perſas quoque Hormiſdæ Regalis *lib. 16. c. 10. 24. c. 2. 26. c. 8.*

Ex his interim omnibus diſcere licet, Regibus proximos Regales fuiſſe: Regalibus ſurſum, Regulos & ſubregulos (quanquam & hi quandoque cum illis miſcentur) Vetus Grammaticus *de differentiis vocum: Inter Regem, & Regalem, hoc intereſt: quod Regis puer Regalis eſt: Rex, qui Regnum regit.* Græci Βασιλικὸς dicerent. FRANCORVM ſane Regales memorat nominatim Sulpitius Alexander, *lib. 4. Hiſtor.* apud Gregorium Turonenſem, *Hiſtor. Francic. lib. 2. cap. 9.* Qui tamen *Regulos* illos, non *Subregulos* vocat. Cæterum hanc *Regalium* vocem Gregorius Turonenſis minus intelligere potuit. Nam cum verba Sulpitii hæc notaret, *Marcomere & Sunnone Francorum Regalibus tranſacto curſim colloquio*, &c. & mox iſta; *Arbogaſtes Sunnonem & Marcomerem, ſubregulos Francorum gentilibus odiis inſectans*, &c. Gregorius dubitans hæc ſubiicit: *Cum eos Regales vocet*, NESCIMVS *utrum Reges fuerint, aut vices tenuerint Regum.* Sulpitii vero, Gregorii, Rega- P. 283.
les, neque Reges, neque vice Regum proprie, ſed Regiæ ſtirpis fuere. At de Regulis Francorum elegans locus extat apud Sidonium *lib. 4 Epiſt. 20.* Regulorum denique mentio fit *l. 5. inf. de Legatis.* Fatendum tamen, *Regalium* appellatione & ipſos Reges ſæpe comprehendi: vt apud Marcellinum. Et forte etiam *hac ipſa leg.*

Neque prætereunda eſt *legis* huius ſubſcriptio, ſicut & *legis 10. prox.* Hæc inquam; DATA REMIS: Lutetia ſcilicet Pariſiorum Valentinianum in Belgicam ſecundum Remos progreſſum, anno 366. ſuperiore, teſtatur Amm. Marcellinus, *lib. 26. cap. 5. Replicabat*, inquit, *aliquoties hoſtem ſuum fratriſque ſolius eſſe Procopium; Alamannos vero, totius orbis Romani, ſtatuitque nuſquam interim extra confinia moueri Gallorum, aduſque Remos progreſſus.* Hinc adeo complurimæ leges, hoc, & ſuperiore Anno Remis datæ *hoc Codice* occurrunt, quas ex *Chronico Theodoſiano* petere licet. Quinimo & ipſemet Iouinus Magiſter Equitum, cui hæc *lex* inſcribitur: imo Magiſtri Militum per Gallias in vniuerſum, REMIS hoc tempora conſtitere, vt ex Amm. Marcellino colligimus *lib. 25. cap. 10.* Imo Iouinum hunc ipſum Remis templum ſeu Baſilicam fundaſſe, ad corporia

ferret. Errorem ortum acute coniicit Valeſius ex tranſpoſitione trium literarum & ex ſimilitudine literarum b. & d. Nam ex *Cabilona* vel *Cabillona* ab his qui vrbem non nouerant, factum eſt *Calibona*, tranſpoſitis 3. literis, ex *Calibona Calidona* aut *Calydona*. Diuitenſes certe & Tungricani tum in præſidio erant Cabillone ad Ararim, quibus præerat Seuerianus Comes. Et hoc remedium quod vir clariſſimus huic loco attulit, multo commodius & opportunius etiam iudicat Iac. Gronouius, quam quo noſter vſus eſt.

fui fepulturam, pofitis ibi quoque verfibus, titulo S. Agricolæ, teftatur Flodoardus, *1. Hiftor. Rhem. cap. 6.*

Eft & illud in *h. l.* obferuandum, Regalibus & Legatis de diuerfis gentibus ad Imperatoris Comitatum proficifcentibus, curfus publici vfurpandi facultatem & copiam datam, quod etiam confirmat *lex 57. inf. de Curfu Publico.* Quod ipfum, aliis legatis ad Principem miffis commune fuit: miffis, inquam, vel a Senatu, vel a Prouincialibus *l. 32. inf. de curf. Public.* & *l. 6. 9 inf. de Legatis.* Sed & annonas feu pabula, & (vt proprio verbo vtar) *Capitum*, (de quo *l. 7. inf tit. De erog. Milit. Annon)* huiufmodi Regalium & Legatorum animalibus, de publico præberi *h. l.* iubetur. De quo vide etiam quæ fcribam *ad l. 2. inf. de Legatis.* De Legatis Gentilium, vid, & *d. l. 5. inf. de Legatis.* Poftremo ex *h. l.* colligas, cum Alamannis faltem (ad quos hæc *lex* magis pertinet) pacem hoc tempore fuiffe: qui primis fuperioris anni menfibus a Iouino (cui hæc *lex* infcribitur) deuicti fuerant: Vt Amm. Marcellinus *lib. 27. cap. 2.* pluribus teftatur. Certe idem Marcellinus hoc ipfo Anno, *lib. 27. c. 8.* fcribit, Francos, & Saxones, Gallicanos tractus iifdem confines, quo quifque erumpere potuit, terra vel mari, prædis acerbis, incendiifque, & captiuorum hominum funeribus violaffe. Et anno demum proximo, 368. *lib. 27 c. 10.* Alamannum REGALEM Randonem nomine, diu præftruentem quod cogitabat, Moguntiacum præfidiis vacuam irrepfiffe.

IVVENES *ingenuos militiæ idoneos penes fe occultantium militum pœna: contra, prodentium eos præmium.*

X. (a) Idem AA. ad Iouinum (b) Magiftrum Militum.

PLERIQVE milites fecum homines (c) condicionis ingenuæ, propinquitate (d) fimulata, vel condicione Lixarum, (e) frequenter abducunt; ideoque vt numerofiffima pube (f) crefcat exercitus, moneantur, vt ipfi fponte huiufcemodi homines, quos penes fe effe meminerint, Tribunis fuis fiue Præpofitis offerant ad tuum Officium (g) dirigendos, aut fciant fe non abfque deuotionis (h) nota, & morfu honoris alieni, (i) commilitonibus (k) effe poftponendos: Etenim (l) his qui occultatores perfidos publicauerint pro præmio huius indicii gradus vnus addetur: Hi vero ad inferiorem ordinem reuoluentur, qui caftris idoneos Iuuenes (m) ftudio inertis obfequii putauerint occulendos. Dat. XVI. Kalend. Mart. Remis, (n) Lupicino & Iouino CONSS. [367.]

NOTAE.

(a) Abeft & hæc *lex* a *Cod. Iuft.* *GOTHOFREDVS.*

(b) De hoc *Iouino* Magiftro militum dixi iam *l. 7. & 9. fup.* quæ ad eum pariter datæ funt. Hic hoc ipfo anno 367. in Britanniam profectus eft aduerfus Barbaros qui eam vexabant, tefte Ammiano Marcellino *lib. 27. cap. 8.* *IDEM.*

(c) Caftris idonei Iuuenes, *fine l.* *IDEM.*

(d) Vid. & *l. 3. §. 1. D. de muneribus.* *IDEM.*

(e) *Lixæ*, impedimenta; *l. 22. inf. de erogat. mil. ann.* calones etiam Vegetio & aliis. De his eft præter Fefti locum, Valerii Maximi *lib 2. cap. 7.* de Scipione & Metello: Marcellini *lib. 28. cap. 4.* ex quibus definire licet qui fuerint Lixæ, quo fenfu in Gloffis *lixa ἀγοραῖος*, id eft propola. Infignis etiam extat apud Suidam locus *in verb.* Λήξαι. *IDEM.*

(f) *Pubes* de iunioribus feu tironibus militibus nouiter in militiam adfcitis. Ita & Ammianus Marcellinus hoc ipfo Anno, *loco* quem mox laudabo. Et eft Poëtica Virgilii imitatio. *IDEM*

(g) *Officium*, id eft Apparitores Magiftri militum obferua. *IDEM.*

(h) Eft qui legat *indeuotionis*, cui & fuffragari videatur *lex 19. inf. de Decurion.* vt & ea quæ dixi ad *l. vn. fup. de off. Vicarii.* Verum, nil mutandum. *Deuotionis* fcilicet nota dicitur, pro læfæ deuotionis crimine, quomodo & *Maieftatis nota*, feu *crimen*, pro læfæ Maieftatis crimine Καθοσιώσεως ἔγκλημα: & τὸ τῆς καθοσιώσεως. imo & καθοσιώσεις, apud Græcos pro maieftatis & indeuotionis crimine apud Socratem *lib. 5. cap. 14* & Suidam *voc.* Καθοσίωσις. & in Chalcedon. Concilio *act. 3.* in libello aduerfus Diofcorum. & in libello Ifchyrionis & apud Theodoretum *in Danielem, cap. 6 tom. 4.* vt ex Græcis nondum editis adfert Petauius *in Epiphanium, p. 79. edit. Colon. fiu. Lipf.* cuius obferuationi locus hic addatur. *IDEM.*

(i) *Morfum honoris alieni* vocat dolorem & fenfum aculeatum, quem quis exinde capit, cum alios fibi prælatos videt. *IDEM.*

(k) Etiam Principes ipfi, milites *Commilitones* vocabant, συστρατιώτας tefte Synefio *de regno p. 14.* *IDEM.*

(l) *Atenim*: Neque ideo tamen muto. *IDEM.*

(m) *Iuuenes*, pro Tironibus *h. l.* & paffim alibi. vid. *l. 1. inf. de tironib.* vbi dicam. *IDEM.*

(n) *Remis* data hæc lex; pariter vt *lex 9. fup. prox.* vbi dixi. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

P. 284

IVVENES ingenuos, caftris militiæque idoneos, propinquitate fimulata, vel conditione lixarum, milites abducere, occultare, penefque fe retinere quandoque folitos; Qui fic, non patriæ tantum inutiles reddebantur, (cuius munera ita fugiebant, vt oftendit quoque *lex 3. §. 1. D. de muneribus*;) verum, (quo fpectat hæc *lex*) militiæ inutiles, cuius ipfius munia hac ratione declinabant; dum videl. numeris non adfcripti, aliis fefe iuftis militibus applicarent, vel tanquam propinqui feu familiares, vel tanquam Lixæ eorum. Hæc enim duo affeclarum, quos fecum milites ducebant, & in obfequio habebant, genera fuerunt: familiæ feu familiares, & lixæ: vtrique inter impedimenta magis militiæ, quam milites. Hinc adeo *inertis obfequii ftudium* hac *leg.* his tribuitur: Quomodo & Silio Italico *lib. 5. v. 32. Inutile Marti*

Marti lixarum vulgus dicitur. Semperque adstricti quique militiæ vindices hæc ipsa vel inhibuere, vel certe temperauere, ceu ioertiæ adiumenta, militiæque impedimenta: soluta contra militia nimio plus increbuere, corruptaque adeo & hac ratione disciplina militaris. In tantum vero, vt hoc obtentu etiam Ingenuæ conditionis iuuenes inter lixas habeantur. Cui rei remedium aliud atque aliud subinde allatum. Scilicet, huiusmodi militum cognati, legibus patriæ suæ & Prouinciæ obedire iid est, municipalia munera obire iussi: *l. 3. §. 1. D. de Muneribus.* (quanquam eo loco non exprimitur quidquam de his in militiam ductis.) Hac vero constitutione Valentinianus Sen. huiusmodi iuuenes prodi, militiæque adscribi iubet, *vt numerosissima* videl. *pube cresceret exercitus*, quod ipsemet profitetur: Simili locutione, qua Amm. Marcellinus *lib. 27. cap. 8.* hoc ipso tempore, seu in eadem historia, quo forte hæc *lex* referenda est de Theodosio post Iouinum, cui hæc *lex* inscribitur, in Britanniam misso; *assciteque animosa legionum & cohortium pube ire tendebat.* Nempe id ita Valentinianus *h. l.* constituit, quod de exercitu Gallicano hoc tempore agitaret, ipse in Gallia Remis constitutus; quo numerosissimi exercitus terrorem hostibus obiiceret: siue Trans-Rhenanis populis, Francis, inquam, & Alemannis, qui Gallias subinde incursabant, per hæc nominatim tempora, teste Amm. Marcellino *lib. 27. c. 8.* de quo iam dictum *ad legem superiorem*; quæ eidem Iouino Magistro militum inscribitur: siue Barbaris Britanniis hoc tempore vexantibus; de quo Am. Marcellinus *d. lib. 27. c. 8.* in cuius etiam rei historia ait, Iouinum (cui hæc *lex* inscribitur) ad Britannias profectum, ante Theodosium, Theodosii M. Imp. patrem.

Ergo Valentinianus, vt ad *huius leg.* sententiam progrediamur, huiusmodi iuuenes prodi, militiæque adscribi iubet: hinc pœna proposita occultatoribus huiusmodi iuuenum degradationis videl. inde præmio proposito, militibus denunciatoribus pro indicina, puta promotionis in superiorem proxime gradum. Quæ, tum *Regradationis* pœna, tum Promotionis præmium notanda veniunt; Scilicet illa militiæ subinde vsurpata pro pœna culpæ alicuius militaris: degradatio, inquam, seu gradus deiectio: Exempla e veteri militia apud Valerium Maximum *lib. 2. cap. 7. num. 15.* (vbi de captiuis a Pyrrho redditis) & de Pisone *ibid. num. 9.* Liuium *lib. 25. c. 6.* in oratione fugitiuorum Cannensium. Modestinum, *in l. 3. §. 1. D. de Re Milit.* Ex huius æui militia; vt in *h. l. & l. 16. inf. de Desertor. l. 2. vlt. inf. de Commeat. l. 15. sup. de Agent. in Rebus l. 2. inf. de Cursu Publico*: ita & apud Amm. Marcellinum sæpe: *lib. 15. cap. 3. quosdam ad infimam trusere militiam. lib. 24. c. 5. reliquos ex ea cohorte ad pedestrem compegit militiam, quæ onerosior est, dignitatibus imminutis*: vbi non tantum regradatio, sed militiæ mutatio iudicatur. Et *lib. 29. cap. 5. Equites quartæ sagittariorum cohortis omnes contrusit ad infimum militiæ gradum.* Ex quibus omnibus patet, mutationem hanc militiæ, seu regradationem non vna ratione, imo quadruplici factam: 1. Modo scilicet miles pro pœna in proximum sibi locum, vel vlteriorem aliquem regradatus, vt *h. l.* de quo est & hic vulgatus Hieronymi locus, *ep. ad Pammachium: aduers. err. Ioan. Hierosolymit. p. 115. Tom. II. Oper. edit. Finge aliquem Tribunitiæ potestatis suo vitio regradatum per singula equestris militiæ officia, & Tyronis vocabulum denotatum: Nunquid ex Tribuno statim fiet Tyro? Non, sed ante Primicerius, deinde Senator, Ducenarius, Biarchus, Circitor, Eques, dein Tyro. Et quanquam Tribunus quondam miles gregarius sit, tamen ex Tribuno non Tiro, sed Primicerius factus est.* &c. 2. Modo ad infimum militiæ gradum miles detrusus. 3. Modo, ex vno & potiore militiæ genere, puta equestri, in pedestrem, velut grauiorem, reuolutus: & quidem veteri militia, in funditorum auxilia; vt apud Valerium, quæ proprie militiæ mutatio est. 4. Imo tandem inter impedimenta, sarcinas & captiuos, & sic extra militarem ordinem miles proiectus, mixtusque retentus. Ita Iulianus Imp. teste Amm. Marcellino, *lib. 25. c. 1. Equestrem Tertiacorum numerum, ademptis signis hastisque diffractis inter impedimenta, & sarcinas & captiuos agere iter imposuit.* Et hæc quidem omnia, *Regradatio*, *militiæ mutatio*, *Gradus deiectio* promiscue vocantur. In Glossis quoque *Regradatio* Καταβιβασμός. Et *hac leg.* vicissim nota pro præmio vnius gradus adiectionem, seu in superiorem proxime locum promotionem; & vt altera propria voce vtar, *processum.* Quomodo & extra ordinem Macrinus Imperator pro Imperio *solitas promotiones sed* GEMINATAS dedit, promisit: teste Lampridio *in Antonino Diadumeno, cap. 2.* vel vt *ibidem* filius eius Diadumenus ait, *honores* DVPLICATOS. Qui alioquin in commune promotionis mos, & lex fuit; vt in militia Armata, de quo etiam peculiare caput occurrit apud Vegetium, *lib. 2. cap. 21.* ita & in Palatina; de quo *superiore lib. 6.* sæpe.

De ADCRESCENTIVM *annonis quando eas e fisco accipere debeant.*

XI. (a) Idem AA. (b) ad Seuerum (c) Magistrum militum.

Paris. HI qui inter Adcrescentes matriculis (d) adtinentur, tam diu alimoniam a parentibus sumant, quoad gerendis armis idonei fuerint æstimati, ita vt cesset super eorum nomine præbitio fiscalis annonæ. Dat. VIII. Kal. Maii, Triueris, (e) Modesto & Arintheo CONSS. [371.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) Addendum est *Gratiani* nomen. Proinde ita reponendum. *Idem AA. & Gratianus.* IDEM.

(c) *Seueri* huius aliquando etiam Comitis Domesticorum, Magistri militum per Gallias, meminit quoque sub hoc ipso Valentiniano Amm. Marcell. *lib. 27. c. 6.* (*c.* 10. (in gestis anni 367. 368.) & *lib. 28. cap. 5.* (an. 370.) *lib. 29. cap. 4.* (an. 371.) Eundemque nominatim tribus locis *Magistrum Peditum* fuisse scribit. Quem alibi *Magistrum rei Castrensis* vocat. Eidem inscribitur & superioris anni 371. *fine l. 11. inf. de diuers. offic.* Ergo Magister militum, & quidem peditum sub Seuerus hic sub Valentiniano, vt minimum per septennium. Ab An. 367. ad 372. IDEM.

(d) Vide *legem 26 inf. de Desertorib.* IDEM.

(e) Vide Amm. Marcellinum, *lib. 29. cap. 4.* IDEM.

COMMENTARIVS.

ANCRESCENTES, σχολάζοντες, vt in militia Palatina, *l. vlt. sup. de Agent. in reb. l. 15. 17. sup. de Palatin. S. L. l. 2. sup. de Castrensian.* ita & in militia armata fuere. Adcrescentes, inquam: Ita enim non *hac* tantum *leg.* verum etiam *l. 6. & 7. inf. de Tironib. & l. vn. inf. de Classic.* exerte vocantur. His proximi sunt, qui in veteri militia *Accensi*, vel Adscriptitii dicebantur; qui scilicet ad obsequia & ministeria Iudicum vel Tribunorum, nec non Principalium deputabantur, accensebantur, & hic vtilitatibus priuatis vacabant; Et quanquam annonas de publico consequerentur, iusti tamen milites non erant, imo inermes: teste Pomp. Festo *de V. S.* Vbi addit, eosdem etiam a quibusdam vocatos *Ferentarios, quia depugnabant fundis & lapidibus: His* (dein quo) *armis qua ferrentur, non qua tenerentur.* Et Varro *lib. 6. de Lingua pag. 53. edit. Gothofred. inter Auct. Lingu. Latin. Adscriptivi,* inquit, *dicti, quod olim adscribebantur inermes, qui succederent armatis militibus: id est, si qui eorum deperissent.* Vegetius, *lib. 2. cap. 19. Nec aliquibus milites instituti deputabantur obsequiis, nec priuata iisdem negotia mandabantur. Siquidem incongruum videretur, Imperatoris militem, qui veste & annona publica pascebatur, vtilitatibus vacare priuatis. Ad obsequia tamen Iudicum vel Tribunorum, nec non etiam principalium deputabantur milites, qui vocantur Accensi, hoc est, postea additi quam fuisset legio completa, quos nunc supernumerarios vocant.* Quorum *supernumerariorum* Vegetius rursum meminit *lib. 3. cap. 18.* Quemadmodum & inter Palatinos quoque quosdam *supernumerarios* hoc eodem sæculo dictos ostendit *d. lex 15. 17. sup. de Palatin. & lex 2. inf. de Castrensian.*

Adcrescentes vero nostri, a superioribus paulum diuersi, supernumerarii milites erant, per singulos Numeros militares, certo Numero matriculis comprehensi, qui interim quidem non militabant, verum in promptu parato & veluti condito habebantur, vt in locum legitimorum militum amissorum, si ita res tulisset, subrogarentur, atque ita Numerus, si quando imminutus, repararetur: De quo insignis locus extat apud veterem scriptorem, Vegetio supparem, qui subditus est *Notitia Imperii. cap. 5.* quod est *de releuando militari sumptu. Quia,* inquit, *nonnunquam bellorum ruina, aut fastidio Castrensium munerum deserta militia, de summa integritatis intercipit, tali remedio huiusmodi damna supplenda sunt: Scilicet vt centeni aut quinquageni* IVNIORES, *extra hos qui in matriculis continentur, habeantur in promptu, armis exerciti, & minori, vtpote tirones, stipendio subleuati, in locum amissorum, si res ita tulerit, subrogandi.*

Porro inter hos Adcrescentes, siue Supernumerarios, alii nondum gerendis armis habiles erant, sed in spem militiæ succrescebant, & Campidoctoribus erudiebantur: alii vero iam armis gerendis idonei erant. Igitur vt militaris sumptus releuaretur, Valentinianus hac constitutione cauet, vt prioribus fiscalis annona non præbeatur, & vt loquitur, CESSET *prabitio fiscalis annona* (quod ostendere videtur, antea præbitionem hanc factam, id est, illis pariter e fisco annonam præberi solitam.) A Parentibus igitur tamdiu alimoniam huiusmodi Adcrescentibus præberi vult; Posterioribus tantum annonam de publico præberi iubet. Minus tamen stipendium, vtpote tirones, adscriptitios istos e fisco accepisse, superior ille incerti Authoris locus ostendit: Releuando igitur sumptui militari lata fuit hæc *lex*; ideoque non adeo male quoque collocata fuisset sub *titulo de Erogat. Milit. Annon.* Eademque ratio fuit Alexandro Seuero, cum iureiurando se constrinxit, *Ne quem adscriptum, id est, vacantium haberet, ne annonis Rempub. grauaret, dicens, malum pupillum esse Imperatorem, qui ex visceribus prouincialium homines non necessarios, nec Reipubl. vtiles pasceret:* vt scribit Lampridius *in eius vita cap. 15.* quo loco malus pupillus dicitur prodigus & nepos: rerumque suarum incuriosus administrandique nescius. Eodemque prorsus modo scribit Capitolinus *in Gordian. Tert. c. 28. Misitheum Præfectum nullum fenere militare passum, nullum* PVERVM *annonas accipere*, de quo loco plura ad *l. 14. inf.* Eodem modo apud Trebellium Pollionem, *in v. Balista. c. 18* Valerianus Imp. *epistola ad Balist.* gaudet, *quod eius consilio nullum adscriptitium (vel adscriptum) id est, vacantem haberet, & Tribunum nullum stipatorem, qui non vere pugnaret.* Cæterum, pertinet hæc *lex* ad militem Gallicanum oppositum hoc tempore Alamannis, & in his Macriano Alamannorum Regi, aduersus quem operam nauauit sæpe *Seuerus*, Magister Militum Peditum, cui hæc *lex* inscribitur, vt ex Amm. Marcellino discere est, *locis iam sup. laudatis, lib. 27. & 28.*

P. 286 *Ne* VAGENTVR *per possessiones priuatorum milites.*

XII. (a) Imppp. Gratianus, (b) Valentinianus, & THEODOSIVS AAA. Cynegio PP. (c)

TRIBVNI vel Milites nullam euagandi per possessiones (d) habeant facultatem: cum signis propriis in Mansionibus (e) solitis ac publicis maneant: Aut si quis (f) tam necessaria (g) scita contempserit, de eo, (h) ac Tribuno eius ad Nostram Scientiam, Rectorum, ac Defensorum (i) relationibus, protinus deferatur. (k) Dat. IV. Id. April. Constantinop. Richomere & Clearco CONSS. [384.]

NOTAE.

(a) *Lex 11. Cod. Iust. eod. tit.* Et iungenda huic est *lex 41. inf. de cursu publico.* Concordat denique *lex 16. inf. h. t. & lex 3. & vlt. inf. de Pascuis.* GOTHOFREDVS.

(b) Rescribendi hic Imppp. *Valentinianus*, THEODOSIVS, & *Arcadius.* vid. *Consularia Theodos.* IDEM.

(c) *Cynegius*, PP. sub Theodosio M. Orientis scilicet, de quo alibi sæpe: & in *Prosop.* IDEM.

(d) Priuatorum scilicet de quo mox plura. IDEM.

(e) De *Mansionibus* dixi semel ad *l. 4. sup. de offic. Rector. Prouinc.* IDEM.

(f) Miles. IDEM.

(g) *Necessaria*, id est, vtilia, quæ vtilitatem Prouincialium respiciunt. Quanquam & id hac voce indicatur, malum hoc tum valde increbuisse, sic vt necesse fuerit ei hac constitutione occurrere. IDEM.

(h) Mi-

(h) *Milite.* IDEM.

(i) *Defensores Ciuitatum* intelligit: De quibus *lib.* 1. suo *titulo* plene. IDEM.

(k) *Referatur* Cod. Iust. vbi & hæc subliciuntur, *Quatenus seuerissime in eos animaduertatur*: de quo additamento mox. IDEM.

COMMENTARIVS.

VAGARI seu palare per priuatorum possessiones, & a signis suis ac mansionibus solitis ac publicis recedere, atque ita agros vastare, villas expugnare prædas agere, (vt ait Sallust. *in Iugurth. cap.* 20.) Tribuni & milites hac Theodosii M. constitutione vetantur; (pariter vt cursum publicum vexare: *l.* 45. *inf. de Cursu Publico*, quæ huic, ceu vnius eiusdemque constitutionis Theodosianæ pars coassanda seu coniugenda est,) & rursum ab Arcadio: *l.* 16. *inf.* Quod facere sæpe milites sulent, annonis suis in mansionibus non contenti, & sic prædandi animo.

Quod quidem, vt Disciplinæ militaria pars magna est, semperque fuit; ita quantum res hæc curæ Theodosio M. fuerit, fidem facit; quod (quæ altera iam *huius leg.* pars est) eius rei, si quid tale admissum fuerit, ad se Principem referendæ curam, & Rectoribus Prouinciarum & Defensoribus Ciuitatum iniungat *hac leg.* Res hæc scilicet si quæ alia, Principis curam requirit, & ideo de eo ad ipsum referendum est: quæ *Relationis* species notanda est. Rursum si quæ res ad sollicitudinem Rectorum & Defensorum pertinet, ea hæc est; vt qui disciplinæ publicæ & prouincialium tuitioni & indemnitati præpositi sunt. De Rectoribus, res nota est. Defensorum sane munus istud fuit atque in id instituti erant, vt disciplinæ & actibus quotidianis præessent, & vnumquemque Ciuium ac Possessorum ab improbitate insolentum vindicarent, quicunque scilicet Prouinciales seu Possessores concuterentur. De quo consulendum est *paratitlon lib.* 1. *de Defensoribus Ciuit.* Itaque & eosdem indicari puto *l. vlt. inf. de Pascuis*: quæ huic nostræ argumento quoque respondet. Atque vt in commune Defensorum hoc officium fuit, ita Theodosium M. nominatim hac tempestate, qua miseri Prouinciales variis rationibus vexabantur, varia Defensoribus in id subinde delagasse, eorumque officium excitasse reperio; vt *h. l.* ita & *l. vn. supr. si quacunque prædit. potest. l.* 12. *inf. de Exaction. l.* 19. *inf. de Annona & Tribut. l.* 23. *inf. de susceptor. l. vlt. supr. de Defens. Ciuit.* de quo in Theodosii M. *Characterismo.*

Seuerissima porro subinde pœna hæc militum euagandi licentia, seu flagitium istud prædaque coërcita fuit. Quæ causa etiam est, cur *h. l.* Theodosius M. *ad se referri de hac re* velit. Nempe referri ad se eum Imperatores iubent, indicant quantopere hæc eis res curæ fuerit, quamque non tralatitia, verum seuerissima pœna coërcendum sit facinus: vt proinde non adeo debuerit Tribonianus, ad explendam huiusce *legis* sententiam addere, *Quatenus seuerissime in eos animaduertatur.* Et certe Relationum ad Principes *hac* in commune *lex* fuit, vti Principes nonnisi de maximis ad se negotiis referri vellent; de quo *inf. tit. de Relation.* Verum ad rem, vt omittam vetustiora, in queis & vetus illa sacramenti militaris formula, referente Cincio apud Gallium *Noct. lib.* 16. *cap.* 4. *se in exercitu, decemque millia passus prope, furtum non facturum, dolo malo, solum, neque cum pluribus:* de Alexandro Seuero memorat Lampridius *in eius vita cap* 51 *A signis abesse eum neminem passum; &* illico subiicit: *Siquis de via in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate Loci, aut fustib subiiciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnationi: aut si hæc omnia transiret dignitas hominis, grauissimis contumeliis, cum diceret; Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis?* &c. Quo loco *Condemnationis* appellatione alii militiæ mutationem vel regradationem (de qua dictum *ad leg.* 10. *supr.*) intelligunt; alii vero multam pecuniariam: Pro vtraque sententia est quod dici possit. Certe pro posteriore tuto dici potest, *Condemnationem* absolute de multa sæpe accipi, vt ostendunt *lex* 2. *inf. de Milit. Veste: l.* 1 *inf. Ne quis in Palat. man. l.* 38. *inf. de Appellation.* collata cum *l.* 25. *C. Iust. eod. tit. & l.* 48 *inf. eod. tit. l vlt. inf. de Ponderator. l.* 47. *inf. de Decurionib.* Et Nonius, *cap.* 6. *num.* 83. *Multare, condemnare est.* Lampridius *in Alexandr. Seu. c.* 21. *Condemnationes & raras esse iussit, & quæ factæ fuerant, non indulsit.* Sed non eodem sensu apud eundem Lampridium *in eiusdem Alexandri vita c.* 19. *Senatorem nunquam sine omnium Senatorum,* P. 287 *qui aderant, consilio fecit, ita vt per sententias omnium crearetur,* TESTIMONIA *dicerent summi Viri: ac si fefellissent, vel testes: vel ii qui sententias dicebant, postea in vltimum reiicerentur locum ciuium:* CONDEMNATIONE *addita* (adhibita) *quasi falsi, Rei probati* (approbati) essent. Condemnatione, id est, elogio. Quem locum expendo *ad l.* 1. *inf. ad leg. Iul Repetund.* Ambrosius *ep.* 20. *num.* 6. *edit. Benedict. Condemnationes ilico grauissima decernuntur primo in corpus omne mercatorum,* &c. *exiguntur ducenta pondo auri infra triduum.* Et non ita multo post: *multam mercatorum* vocat aperte: Et *num.* 26. *Negotiatorib. quoque quod exacti de condemnatione fuerant, redderetur.* Vt proinde mirari subeat, Viros alioquin doctos scribentes, se nondum legisse, *Condemnationem*, de pecuniaria multa absolute dictam; quod tamen tot *leges* illæ, tot loca tam aperte ostendunt: Denique pœnarum militarium numero multam fuisse, passiua obseruatio est. Ad rem.

A signis igitur & mansionibus solitis & publicis militem euagari sine flagitio ius non est: Quemadmodum & Rectores Prouinciarum per Prouincias discurrentes, in mansionibus consistere quoque iubentur; contra ad priuatorum possessiones diuertere prohibentur: *l.* 4. *supr. de offic. Rect. Prou.* Vtrique proinde in mansionibus manere debebant. Et milites nominatim, necessario, vt *h. l.* dicitur, scito: ad Prouincialium videl. securitatem: vt ita eueniat, quod de Stilliconis milite Claudianus ait, *lib.* 1. *in eius laudes v.* 164. *seqq.* per militem,

- - - nullis vt vinea furtis
Vel seges erepta fraudarit messe colonum.
Vt nihil aut sæuum rabies, aut turpe libido
Suaderent: placidis seruirent legibus enses.

De his interim militum mansionibus (de quibus in commune alioquin alibi plene dicam, *ad l.* 9 *inf. de Annon. & trib.*) locus hic extat insignis apud Lampridium, in *Alexandr. Seuero cap.* 45. *Expeditiones*, inquit, *bellicas habuit, de quibus ordine suo edisseram: Primum tamen, eius consuetudinem dicam de rebus vel tacendis vel prodendis. Tacebantur secreta bellorum, itinerum autem dies publice proponebantur, ita vt edictum penderet ante menses duos in quo scriptum esset, Illa die, illa hora ab vrbe sum exiturus, & si dii voluerint, in prima Mansione mansurus. Deinde per ordinem Mansiones, deinde stativa, deinde vbi annona esset accipienda. Et id quidem eousque quamdiu ad fines Barbaricos veniretur.* Item *cap.* 47. *Milites expeditionis tempore sic disposuit, vt in Mansionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & septem, (vt solent) dierum, nisi in Barbarico.*

FLVMINI

FLVMINI *alicui legionibus insistentibus, milites fimo seu cœno flumen ipsum polluere, vel natatu oculos publicos nudi incestare vetiti.*

XIII. (a) Idem (b) AAA. Richomeri (c) Comiti & Magistro vtriusque (d) militiæ.

CVM supra virentes (e) fluminum (f) ripas omnis Legionum multitudo consistit, id prouida (g) auctoritate decernimus, Vt nullus omnino immundo fimo sordidatis fluentis commune poculum (h) polluat, neue abluendo equorum (i) sudore (k) deproperus (l) publicos oculos nudatus incestet, (m) atque (n) ita & turbido potum cæno misceat, & confundat (o) aspectum; sed procul a cunctorum obtutibus in inferioribus partibus fluuiorum, id (p) est infra tentatoria, vagus (q) natatus animalium, prout libitum videtur, exerceat. Sublimia igitur Magnificentia Tua id sollicitudinis studio, & admonitionis præcepto, faciet custodiri, vt vnusquisque Tribunus agnoscat, graui se subdendum esse supplicio, in cuius parte (r) neglectum probabitur, quod agnoscit imperatum. Dat. VI. Kal. Iun. Vincentiæ, (s) Tatiano & Symmacho CONSS. [391.]

NOTAE.

(a) Lex 12. *Cod. eod.* GOTHOFREDVS.

(b) Id est, Impp. VALENTINIANVS *Theodosius & Arcadius.* IDEM.

(c) De hoc *Richomere* mox. Ad eundem extant Libanii *epistolæ* in Codice Vaticano, quatuor: *lib. 2. epist. 258. lib. 5. epist.* 231. 264. 28. in Codice Regio, puta *ep.* 702. 866. & 900. IDEM.

(d) Id est, Peditum, & Equestrum. IDEM.

(e) *Virentes* fluminum ripas. Virgil. 7. *Æneid. v.* 495.

. . . . . *Ripaque æstus viridante leuaret.*

Senec. *Trag.*

Quæque virenti tacitum ripa bibis Ismenon.

Hinc & Valerio Flacco *lib.* 3. *v.* 186.

. . . . *Tumulumque virentia supra*
Flumina.

Eodem sensu Ammian. Marcell. *lib.* 14. *c.* 3. *amnis herbidas ripas*, dixit. vid. & Pacatum, &c. IDEM.

(f) Veluti Rheni, Mosellæ, vel Mosæ: qua parte ferme exercitus Gallicanus hoc æuo constitit, retundendis Alamannis & Francis. Verum an eo pertineat hæc *lex*? mox disquiram. IDEM.

(g) *Prouidam* ideo vocat, quia scilicet & munditiei & honestati publicæ consulit. IDEM.

(h) *Commune poculum* flumen eleganter vocatur. Quod & ipsum Virgiliana imitatio est. Ita scil. *lib.* 3. *Georg. v.* 529. de Equis.

Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu
Flumina.

P.283 Apulei. quoque 1. *Asin. Aur. pag.* 12. *edit. Lugdun. Bat. Ioan. Maire, de an.* 1621. *In planiorem ripæ marginem, complicitus in genua appronat se, auidus adfectans* POCVLVM. *Necdum satis extremis labiis summam aquæ rorem attigerat*, &c. Nempe vetus humano generi mos potare flumina. Poculum denique pro potione apud Auctores obuium & protritum: Lampridius *Heliogabalo cap.* 19. Masticatum puleiatum rosatum *poculorum genera* vocat. Item & Solinus *cap.* 32. *medentes quippe ex ipsis* (scincis) *pocula inficiunt.* Vbi potionem intelligit quæ bibitur, non vas ex quo bibitur. Quomodo & innumeris locis apud Marcellum Empiricum, obseruante Claud. Salmasio *ad citat. Lamprid.* locum. IDEM.

(i) *Hirquorum* forte: de quo mox: Ab his sane *hirquinæ alæ* Planto, *Pœnulo Act.* 4. *scen.* 2. *v.* 51. IDEM.

(k) *Sudores*: C. Iust. Valer. Max de Castoribus *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 41. *suum equorumque sudorem abluere visi sunt.* IDEM.

(l) *Deproperans* in Cod. Iust. male *Deproperus*, pro, valde propero seu probroso. Et *defœdus*, pro valde fœdo. Glossæ vtræque. *Properum* ὀνειδιστικός: *Improperium* ὀνειδισμός. *Improperat*, ὀνειδίζει. Sic rursum *deparcus*, pro valde parco, apud Sueton. *in Neron. c.* 30. Apulei. *Apolog. p.* 263 *ed. Lugd. B. Ioan. Maire.* Donatus *Adelph Act.* 4. *scen.* 6. *De valde* significat. Item *Hecyr Act.* 5. *scen.* 2. *Deierat, si producte valde iurat.* Glossæ Philoxeni, *Demagis* ἀποδεῖξ. His adde & Pompei. Festum verb *Decultarans, deditu, defrui, deperire, despretas, deamare, dequeri, decertare*, eodem augendi sensu. Sic *in l.* 6. *inf. de malefic ad properum facinus* lego. Et sane Lucas quoque de Penna, in corrupta illa, quam dixi, *Cod. Iust.* voce, particulam *de* valde denotare vidit. IDEM.

(m) Ita *l.* 5. *inf. de Sepulc viol. Quod quidem oculos hominum infaustis incestat aspectibus.* Prudentius *Harmatigen. v.* 311. *Incestans miseros fœdo oblectamine visus.* Saluianus *lib* 2. *de Gubernat Dei: num.* 54. *edit Bremens. Quam oculi etiam totius orbis publico fœdarentur incestu* Ambrosius lib. 1. officior. c. 18. *ab aspectu nostro auerteret, ac purgatu ventris visum oculorum offenderet.* Omitto id genus alia. IDEM.

(n) Hi. versiculus abest a *Cod. Iust.* IDEM.

(o) Ambros 1. *offic.* 18. ad rem omnino; *Quæ abscondenda, inquit, accepimus, si cusu aperiantur hæ partes*, CONFVNDITVR *verecundia: si studio, impudentia æstimatur.* IDEM.

(p) Tribonianus, sequentibus omnibus resecatis, ita hunc locum deformauit: *In inferioribus partibus fluuiorum hoc ipsum faciat.* IDEM.

(q) Id est, Vagos IDEM.

(r) *Partem* vocat tractum Tribuno commissum: v. *Gloss.* IDEM.

(s) Valentinianus Iun & Theodosius hoc anno Mediolano Concordiam; mox Vincentiam profecti: vbi hæc *lex* lata: eodemque die ibidem lata *lex* 2. *sup. de Constit. Princip.* Et famosa *lex* 6. *sup. de contrab. empt.* vid. *Chronicon Theodosian.* IDEM.

COM-

COMMENTARIVS.

SVPRA ripam FLVMINIS consistentib. Legionibus, duo circa fluminis ipsius vsum, tum verecundiæ seruandæ, tum & munditiei, *hac* Valentiniani Iun. Theodosiique M. *lege* constituuntur. Duo, inquam, quod etiam Græci recte agnouerunt, vti fidem facit Synopsis Basilicorum: Sed & Lucas de Peona: non, vt Cuiacius credidit, vnum tantum. Imo ne illud quidem forte, quod Cuiacius credidit. Primum igitur, *Fimo* immundo, seu cœno turbidu aquam fluminis miscere seu polluere milites prohibentur: ne alioquin *commune poculum* (id est ne aqua ipsa fluminea, cuius vsus in commune promiscuus est, & quo milites in commune potantur) polluatur. Denique aqua *olesari* vetatur: qua voce in Aquæductuum negotio Veteres leges vsæ, teste Frontino, *de aquaduct. articul. 97. pag. 171. edit. Ioan. Poleni.* Qua ipsa quoque ratione in inferioribus fluuiorum partibus, ii qui morticina tractant in vrbibus, & id genus alia, artem suam exercere ferme solent, ne alioquin commune poculum polluatur.

Secundo prohibentur milites, in parte fluminis, ad cuius ripam Legiones constitutæ sunt, *Natare*, & vt mox loquitur, *vagos natatus animalium exercere*: id est more animalium. Scilicet ne abluendo sudores, *deproperus*, id est, defœdus ac turpis miles nudatus oculos incestet, atque adeo publicum aspectum confundat procaci natatu, vt Symmachus loquitur *lib. 8. ep. 23.* Quos vagos natatus describit etiam egregie Manilius *lib. 5.* Principtum scilicet flagitii est, quod ait Ennius *in fragmentis p. 300. ed. Hesselii. inter ciues nudare corpora.* Vide & quæ Cicero 4. *Tuscul.* refert, & Ambrosius 1. *offic. c. 18.* de hac verecundia. Et hæc quidem ratio suadet, non ad equorum ablutionem hanc alteram prohibitionem spectare, ac maxime, cum id satis prima prohibitione (de flumine scilicet fimo & cæno non polluendo) contineatur: vt proinde hoc loco non *equorum*, sed *hirquorum* legendum videri possit: agitur enim hic de natatu ipsorum militum, quem milites æstate vsurpare soliti, abluendis (hirquorum maxime) sudoribus. Veget. *lib. 1. cap. 3. Sudorem*, inquit, *cursu & campestri exercitio collectum natans iuuentus abluebat in Tiberi.* Et *lib. 1. cap. 10. Romani veteres campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo iuuentus post exercitium armorum sudorem pulueremque dilueret, ac lassitudinem cursus natandi labore* (al. læuore) *deponeret*: Et *lib. 3. cap. 4. Seu mare, seu* FLVVIVS *vicinus est sedibus, æstiuo tempore ad natandum cogendi sunt omnes.* Vbi nota pariter, extra vrbem natatui inferiores partes Tiberis ad Romam destinatas fuisse, vt *h. l.* partes inferiores fluminum militum natatui destinantur. Eadem ratione imo & peculiari quoque sacrorum intuitu, infra templa & sacella flumini alicui adiacentia, *in superiore parte nauigare tantum,* INFRA *etiam natare concessum.* Quod de Clitumno fonte seu flumine, & minoribus aliis qui Clitumno miscentur, testatur Plinius *lib. 8. ep. 8.* Ad rem. Ergo de hirquorum sudoribus illud accipiendum videatur: etsi idem Vegetius *de equorum natatu* eodem capite agit. Et vero hanc interpretationem nostram Græci quoque agnouerunt, etsi alteram de equis non respuant. Itaque & Lucas de Penna vtrumque amplexus est: *Nec se*, inquit, *aut equum sudore madefactum abluere.* Qui de equorum natatu *legem* tueri volunt, illud pro sua sententia quoque forte dicant, quod Accursius quoque notauit, scutiferum equi sudoribus abluendis in aqua sese spoliare & nudare. Si vtrumque admittimus, locus ita legendus videri possit: *neue abluendo equorum suoue sudore.* Certe, Curialis hæc *lex*, (vt eleganter eam vocat Accursius) appetente mox mox æstate, imo tempestate natatui accommoda iam affulsa, lata fuit: vt hoc quoque argumento emendatio prior firmari posse videatur. Natandi quippe vsus militibus æstiuis tantum mensibus. Quanquam vice versa dici potest, *legem* hanc, etsi æstiuo ferme mense latam, vim tamen & authoritatem suam prouidam in omnes anni menses diffundere, quocunque iam tempore siue mense supra ripas fluminum legiones consistant.

Non temere etiam illud addatur, vt in commune milites sudori abluendo natatus exercere soliti, ita natatu & Gallos & FRANCOS iam olim inclaruisse. Non temere, inquam, quia hæc ipsa *lex* ad Galliam & Francos, pertinere videri possit, ex quibus ferme Legiones in Gallia hoc tempore constabant. De GALLIS & Germanis (in quibus Franci) luculentum testimonium occurrit apud Amm. Marcellinum *lib. 25. cap. 6.* in rebus Iouiani Imperatoris: Cum enim de Tigride transeundo natatu agitaret exercitus, qui iam exortu canis tumeret; cum plerique nandi imperiti essent, id *impetrauit Iouianus agerrime, vt missi cum Arctois* SARMATIS GALLI, *amnem primi omnium penetrarent: vt his magnitudine fluentorum abreptis, reli-* P. 389. *quorum pertinacia frangeretur: aut si id perfecissent innocui, transitus fidentior tentaretur. Electique sunt ad id negotium habiles, qui maxima præ cæteris flumina transmeare in* REGIONIBVS GENVINIS *a prima pueritia sunt instituti: & cum latendi copiam nocturna quies daret, tanquam e transenna simul emissi, spe citius ripas occupauere contrarias.* Et mox *c. 7. vno parique natatu 500. viri transgressi tumidum flumen incolumes, custodibusque confossis reliquos consortes suos ad similem fiduciam concitarunt.* Hactenus Marcellinus; qui paulo post Germanos tantum nominat. De Francis Sidonius *Carm. 7. vers. 241.* compluribus nationibus suam cuique dotem adscribens, eos diserte natatu excelluisse scribit.

Cursu Herulus; Chunus iaculis; Francusque natatu:
Sauromata clypeo; Salius pede; falce Gelonus.

Prohibitio proinde hæc maxime necessaria, ac potissimum cum iam olim Cæsar scripserit, *lib. 6. Commentar. c. 21. Apud Germanos rei turpis nullam fuisse occultationem; quod* PROMISCVE *in fluminibus perluerentur.* *Promiscue*, id est, *nudis prorsus*. Denique & Richomeres ipse ad quem hæc *lex* directa est *Francus* fuit, de quo mox plura. Et quidem hoc tempore constitutus in Gallia, vel Italia fuerit. Quod ego plane existimo, iis ductus quæ Zosimus scribit *lib. 4.* & mox exinde excripsimus, A. D. 371. cuius occasione facere non possum, quin Richomeris istius, in gratiam gentis *Francicæ*, memoriam omnem quæ superest, huc loco excitem: cuius pleni sunt veteres Scriptores, & Annales: Am. Marcellinus, Symmachus, ad quem eius 16. Epistolæ extant ab *epist. 54. ad 69.* inclusiue: Libanius, *de vita sua pag. 67. edit. Morell.* epistolæ eiusdem tres in *Codice Regio*, *epist. 762. 866 900.* in *Vaticano*, quatuor *lib. 2. epist. 258. lib. 5. ep. 231. 264. 280.* Fasti Consulares, anni D. 384. Zosimus *lib. 4. cap. 54. 55.* Philostorgius *lib. 10. cap. 8.* Francum fuisse & Gentilem seu Paganum docet Libanius, *de vita sua, pag. 67. edit. cit.* & in *Epistolis*. Claris Natalibus fuisse testatur Marcellinus *lib. 31. cap. 12.* Sequitur honorum & gestorum eius pagina: quæ vtique gesta magna sunt illius tria, angulia: nempe Magisteria militum, pugnæ, victoriæ. Tyranni excidium, teste Libanio *epist.* cuius initium ἐξετάζων ἐγώ, quorum alia prudentia, alia fortitudine assecutus est. Idque per 18. annos.

Sub GRATIANO *Imp.*

In Galliis A. D. 377. Comes domesticorum intra Gallias cum Gratiano fuit; Marcellinus *lib. 31. c. 7. 8.*

In Orientis Imperio. Eodem anno missus e Galliis a Gratiano in Thraciam. Valenti suppetias laturus aduersus Gothos *d. cap. 7.* vna cum Profuturo,

ro, & Traiano; iste voluerfos regens ex communi fententia *dict. cap. 7.* Inde prælio finito Gallias repetit ob maiorum præliorum fremitum, qui timebatur, inde adminicula perdu&urus, *lib. 31. cap. 8.* De prælio tum gesto *lib. cit. cap. 7.*

A. D. 378. Rursum a Gratiano in Thraciam præmissus, cum literis indicantibus ipsum quoque mox venturum, *lib. 31. cap. 12.* Fritigerne Gothorum R. postulante, vt Imp. Valens ex Nobilibus Viris aliquos adse obsides mitteret, fponte se Richomeres obtulit, *indicia* dignitatis inquit Marcellinus, *& Natalium daturus lib. 31. cap. 12.* Eo vero ad vallum hostile tendente, quomodo Richomeris alacritas fracta sit, nusquam iterum permissi, idem describit *ibidem.*

A. D. 379. Magister militum στρατηγὸς Libanio *d. pag. 67. de vit. sua. edit. Morell.*

Gratianus eum Comitam Sirmii Theodosio primo eius Imperi die dat.

A. D. 383. Ad Theodosium profectus, Zosimus, *lib. 4. cap. 54.*

In Oriente consistit cum Theodosio. Libanius *de vita sua, pag. 67. edit. cit.*

Sub THEODOSIO *M.*

Antiochiæ constitit Libao. *de vit. d. p. 67.* vbi Libanium fingulari amicitia, quem antea quoqua amauerat, complexus est, vid. Libanii *epist.* ἐξετάζων, & *ep.* τῶν τιμῶν τῆς ἡμέρας, vode postea Libanius ad eum plures literas dedit, & Antiochiam ipsum inuitauit. Inde ad Theodosium M. Constantinopolim profectus *d. p. 67. Consul* designatus, Libaoium ad Consulatus officium inuitat binis literis, *d. p. 67.*

A. D. 384. *Consul* in Oriente fuit vna cum Clearcho, vide de eo & Symmachi *lib. 3. ep. 59. & 61.* Panegyricum ei dicit Libanius, *d. p. 67.* præ reliquis Id. *de vit. pag. 68.* fibi gratum, Theodosio interroganti respondit *d. p. 67.* Munera Consulatus ad Amicos mittit, & Anno demum proximo 785. ad Symmachum, *d. ep. 59. & 61.*

388. io Occidente Theodosius eum aduersus *Maximum* Tyrannum mittit, plutibus eius Viri fortitudinem expertus: (quod etiam Libanius indicat, *ep.* quæ incipit ἐξετάζων) Philostorgius, *lib. 10. c. 8.* vna cum tribus aliis Ducibus feu Magistris militum, puta Timasio, Promotio, & Arbogasto, *d. c. 8.*

389. Maximo deuicto, *Roma* cum Theodosio & cum Valentiniano Iun. egit: Symmachus, *lib. 3. ep. 55.* & Libanius *d. ep.* ἐξετάζων.

Roma mox recedit cum Theodosio, eique adhæret: Symmachus, *ep. 55. & 58.*

Sub VALENTINIANO *Iun.*

A. D. 391. In Gallia consistit.

Magister iam vtriusque militiæ ante Valentioiani cædem, vt docet *hac l. 13. de re milit.* & quidem ad Rhenum, vt ex Zosimo colligitur. Idem Zosimus prodit *lib. 4. c. 54.* Richomerem in Regia Valentiniani; hoc est Mediolaoi in Italia vertatum, quo tempore Arbogasti populari suo, atque amico FL. Eugenium commendauerat: At postea ad *Theodosium* Imperatorem profectus fit.

Sub THEODOSIO *M.*

In Oriente 393. Equestribus turmis Præfectus, Zosimo teste, *lib. 4. cap. 55.* a Theodosio M. expeditionem in Eugenium parante: qui pluribus bellis eius fortitudinem expertus fuerat: Zosimus, *cit. cap.*

394. Hoc anno ante expeditionem mortuus est, cum a Theodosio M. ex Oriente in Gallias aduersus Eugenium mittendus esset: *d. lib. 4. c. 55.*

Virtutes eius commendat Symmachus, *lib. 3. ep. 54-58.* Libanius *ep.* τῶν τιμῶν: & in his constantiam in amandis amicis, *d. ep. 54.* de publicis eius actibus Symmachus, *lib. 3. ep. 57.* pro Legibus excubasse, & iustitiam administrasse, *ep. 69.* & Libanius *epist.* τῶν τιμῶν. Amicos habuit Symmachum, cum quo literas commutauit, in eum studium suum testatus, cuius 16. ad eum extant epistolæ: Libanium, cuius pariter non vna ad eum extat epistola: Flauianum, qui & Roma ad eum profectus est, teste Symmacho, *lib. 3. ep. 58.* Magna apud Imperatores authoritate & gratia fuit, teste Symmacho, *lib. 3. ep. 55. & 67.* Quare si quid impetratum quis vellet apud Imperatorem, ei commendabatur: *d. epist. 67.* vt & Libanius *Epistola* τῆς ἡμέρας. De eius ægritudine Symmachus *lib. 3. ep. 56.* Hic idem tandem nonnullis videtur, qui in Consulatibus, a Gregorio Turonensi citatis, *lib. 2. c. 9. Richimeres* vocatur, Theodomiris Regis Francorum ex Ascihila pater. P. 190

INFANTIBVS *vel* PVERIS *militantibus qui locus debeatur.*

XIIII. (a) Imppp. THEODOSIVS, Arcadius & Honorius AAA. Theodoto (b) Magistro Officiorum.

QVICVNQVE infantes, vel pueri, militare cœperunt, sterni (c) eos inter vltimos iusfimus; ita vt ex eo tempore, ex quo parere (d) cœperint, locum (e) fibi incipiant vindicare, vt laborum suffragiis incrementa militiæ consequantur. Dat. III. Kalend. Mart. Constantinop. Arcadio III. & Honorio II. AA. CONSS. [394.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Concordat ei *lex 5. supr.* Est autem fugitiua ea. GOTHOFREDVS.

(b) *Theodotus* Magister Officiorum sub Theod. M. Eidem inscribitur *lex 4. inf. de Metatis*, anno superiore 393. IDEM.

(c) De hac *Sternendi* voce vide *Glossar.* IDEM.

(d) Id est apparere, militare, seruire. IDEM.

(e) De hac voce, mox. IDEM.

COMMENTARIVS.

INFANTES, vel PVEROS, statim vt militare cœperint, id est, statim vt allecti in militiam fuerint, sterni inter vltimos iubet *hac leg.* Theodosius M. ita quidem, vt exinde, seu ab eo tempore, *lo-*

cum sibi incipiunt vindicare, id est, quod *hac l.* exprimitur *laborum suffragiis incrementa militiæ consequantur*, suoque ordine in altiorem gradum promoueantur neque a posterioribus, quamlibet ætate potioribus, prætereantur, aut proterantur: *locus* est *ἀξία gradus*. Gloss. *loci ἀξίας* Militares itaque loci quoque apud Spartianum, pro gradibus militaribus; Vopiscus *Numerian. c. 15. Diocletianus in minoribus adhuc locis militans:* Trebellius in Macriano *c. 12. Arripe locum meritis tuis debitum*. Valerianus apud Pollionem *in Claudio cap. 15. Desine conqueri, quod adhuc Claudius est tribunus, nec exercitus Ducem* (eum scilicet) *loco accepit*, id est; quod gradum ei Ducis nondum contulimus, cui tamen annonas quasi duci detuli, vt ex alia *epistola* eique scripta apparet *ibid. c. 14.* Itaque oppositio ibi fit *loci* & *Annonarum*: scilicet *Annonis* vt Ducem iuuit, sed Ducem *loco*, id est gradu exercitui non dedit. Proinde labitur Vir doctus, Claud. Salmasius, qui eum locum corruptum putat; vid. & *l. 1. ot dignitat. ordo*: Et hæc porro *lex* nisi ad suam speciem commode referatur, in disciplinam militarem incurrere, cumque aliis *legibus* omnino pugnare videbitur. Illud equidem in armata militia quoque tralatitium fuit, vt Allecti seu Adcrescentes inter vltimos sternerentur, imo, si verum amamus, ne quidem inter milites sternerentur: *l. 11. sup.* & *arg. l. 5. sup.* Item & illa militiæ lex fuit, vt nunc primum adsciti vltimi sternerentur: de quo est & Euagrii locus, *Histor. lib. 2. cap. 1.* vbi de Marciani, qui postea Imperator factus est, in militiam cooptatione ait; eum non, vt militiæ lex erat, infimo loco positum, verum ad quendam honoris gradum statim promotum. *καὶ σφίσιν αὐτοῖς ἐγκαταλέγουσιν, ὅτι ἔσχατον, ὡς ὁ στρατιωτικὸς ἐθέλει νόμος. ἐς δέ τινα βαθμὸν ἄρτι τετελευτηκότος ἀνδρός. & in suum numerum cooptarunt, non tamen postremo loco vt militaris lex postulat, sed in quodam gradu militis recens defuncti.* Illud quoque in militia armata tralatitium fuit, vt promotionibus per gradus proximos semper locus esset, neque a posteriore quis protereretur, per saltum promoto, quod *Diuinum institutum* vocat Vegetius; de quo alibi. Atenim insolens armatæ militiæ, vt pueri vel infantes ceu iusti milites, militarent, locumue aliquem occuparent, annonasque exinde acciperent, spemque promotionis habere possent, vt contra omnino statuatur; *l. 11. sup.* Quo pertinet & illud. quod Capitolinus scribit, *in Gordian. Tert. c. 28 Misitheum Præfectum nullum senem militare passum, nullum* PVERVM *annonas accipere.* Etsi scio, quandoque pueris seu pupillis, nobilioris forte originis, seu illustri familia ortis, Tribunatus concessos, vti docet *lex vlt. C. Iust. De Testam. Mil.* (cuius *leg.* lectionem sollicitati non fero:) & Suetonius *Augusto, c. 38.* Quod & ipsum non fero *imaginarium militiæ genus* vocari, quod ab hoc multum distat. Illud enim a titulo tenus intra codicillorum insignia, seu honorarios codicillos stetit; & nudam sine militia dignitatem: istud vero, veræ militiæ nomen erat, etsi alieno subsidio per ætatem regeretur; eo fine, vt exinde puerorum iam militia censeretur. Quod tamen Hadriano displicuit, de quo Spartianus testis, *in Vit. cap. 10. cum Tribunum nisi plena barba fecisset, aut* (vel at) *eius ætatis qua prudentia & annis Tribunatus robur impleret.* Apud Vopiscum in *v. Probi, cap. 4.* Valerianus Imp. ad Mulvium PP. *Miraris fortassis quod ego imberbem Tribunum fecerim, contra constitutum D. Hadriani. Sed non multum miraberis, si Probum cogitas* ADOLESCENTEM *opere probum.* Quibus adde & alteram Valeriani epistolam *ad Gallienum eod. cap.* Quid igitur? Est hæc *lex* non de militia Armata accipienda, verum de Palatina seu de Magisteriana, sub Magistro videl. officiorum; in quo censu fuerunt Agentes in rebus, vt patet ex inscriptione *huius leg.* inscribitur enim ea *Magistro officiorum:* quæque adeo male in hunc titulum relata fuit, pariter vt in titulum de Tironibus, *lex 19. illius tit.* collata est. Sane & *sternendi* vox, vt & *vltimorum*, *h. leg.* vsurpata, pari P.291
prorsus sensu in militia Palatina Agentium in rebus, qui sub Magistri officiorum dispositione fuerunt, vsurpatur *l. 3. supr. de Agent. in reb.* Imo & *parendi* vox *h. l.* eodem pertinet. Quibus omnibus addenda & *lex 5 sup. de Domestic. & Protector.* & *lex vnic. supr. de Mensorib.*

Privato *in obsequio retineri militem non oportet.*

XV. (a) Impp. Arcad. & Honorius AA. Rhemistheo (b) Duci Armeniæ.

Si quis posthac Militem in priuato obsequio repertus fuerit retinere, quinque libras (c) auri multæ nomine feriatur. Dat. XII. Kalen. Mart. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. Conss. [396.]

NOTAE

(a) Ex *hac lege*, simul & *duab. sequentib.* conflata est *vnica lex* in *Cod. Iust.* puta *lex 13. eod. tit.* Concordat autem huic legi, *lex 17. infr.* GOTHOFR

(b) *Rhemistheo* huic Duci Armeniæ, sequenti quoque anno 397. inscribitur *lex 57. infr. de cursu publico.* IDEM.

(c) *Libris*: Cod. Iustin. IDEM.

COMMENTARIVS.

Arcadii Imp. tres constitutiones ordine sequuntur, de Re Militari. Hac sane, vt & rursum *l. 17. inf.* Miles PRIVATORVM obsequiis, negotiis & vtilitatibus vacare prohibetur. De quo etiam fuit *lex 6. supr. de cognitor. & Procurat.* Vbi iam dixi. Est & *lex 3.* seu *vlt. inf. de Commeatu.* In eandem quoque rem & sententiam sunt *lex 12. §. 1. D. de Re Milit.* & Leonis *lex 15. C. eod. tit.* & Cassiodori locus *II. Variar. 31.* Et *Nouella Iustiniani 116.* Et duo insignes præterea loci: Prior Ambrosii, 1. *officior. c. 36. num. 184. edit. Benedict. Is qui Imperatori militat, a susceptionibus litium, actu negotiorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legib.* Posterior Vegetii; *lib. 2. cap 19. Nec aliquibus milites instituti deputabantur* OBSEQVIIS, *nec* PRIVATA *iisdem negotia mandabantur: siquidem incongruum videbatur, Imperatoris militem, qui veste & annona publica pascebatur, vtilitatibus vacare* PRIVATIS. Et hæc de ea interdictione qua miles aliorum negotiis vacare prohibetur. Alia quippe est prohibitio, quæ cum hac confunditur, etsi ad eundem finem spectet; qua *sibi vacare*, propriisque vtilitatibus & negotiis a militia alienis interdicuntur: de quo alibi: huc quoque pertinet *lex 15. C Iust. de Re Milit. lex. vn. C. eod Negotiator. ne milit.* Chrysostomi denique locus *ep. 1. ad Timotheum. στρατιώτης προσανέχων πραγματείαις καθάπερ τις λειποτάκτης κρίνεται.* De vtroque agitur iunctim *l. 17. inf.* ibi, *vel sibi vacans, vel alieno obsequio contentus.*

Cæterum Arcadius hac constitutione ei, qui militem priuato obsequio retinet, multam quinque librarum auri imponit. Cui similem, sed & maiorem, constituit postea simili occasione Iustinianus, *Nouella de Militib. 116.* Confiscationis, inquam, bonorum omnium: Ipsum vero militem, qui se in obsequio retineri passus est, cingulo spoliat, eique extremum supplicium inferri iubet. Cuiusmodi pœna ipsi militi *hic* nulla imponitur, sed priuato tantum in obsequio militum retinenti. Demum notari cupio, *legem* hanc inscriptam Duci ARMENIÆ, vtpote quæ legis ferendæ occasionem nobis suggerit. Autor est scilicet Socrates *lib. 6. c. 1.* & Sozomenus *lib. 8. cap. 1.* Hunnos quasdam Orientis partes, & in his *Armeniam* (immittente, vt credebatur, Rufino) his temporib. incursasse, deuastasse: eodemque spectare puto *l. 34. inf. de Oper. Public.* Reuocati igitur ad Numeros suos milites ab Arcadio *h. l.* in Armenia, quæ Hunnis eorumque direptionibus patuerat, inter cætera, propter milites Armeniæ alioquin tuendæ constitutos, qui non pauci a signis suis ad priuata obsequia sese contulerant. Cœteroquin quantum ad Imperii securitatem pertineret Armeniæ salus & conseruatio, discimus ex Libanii *ep. 101. ad Philagrium*; vbi de Eutherio Armeniæ Præfecto *πόλεσιν, ἧς οἰκεῖσθαι καλῶς τῆς βασιλείας ἐστιν ἀσφάλεια.*

De VACANTIBVS *a numeris suis militibus corripiendis.*

XVI. (a) Idem AA. Theofilo Vicario Asiæ. (b)

SI quos Milites per Prouincias, (c) relictis propriis Numeris, passim vagari cognoueris, correptos facias custodiri, donec de his Clementiæ Nostræ auribus intimetur; & *Quid fieri oporteat* decernamus. Ita, vt si quis Miles in prouincia sine suo Numero repertus fuerit, ac post elapsus (d) esse nuntiabitur, facultatum suarum, periculo totius Officii, (e) condemnatione (f) grauissime vindicetur. Dat. v. Kal. Feb. Constp. Honorio A. IIII. & Eutychiano CONSS. [398.]

NOTÆ.

P. 292 (a) Et hæc *lex*, vt ad *superiorem* dixi, partem, & quidem postremam *legis 13 Cod. Iust. eod. tit.* constituit. Concordat autem huic legi, *lex 12. supra & ex 17. infr pr.* GOTHOFREDVS.

(b) Quæ ab Hellesponto per Lydiam ac Pisidiam, in Pamphyliam vsque porrigebatur, teste Eunapio *in vita Maximi pag. 104. edit. Commelin. Andr. Schotti,* & *Notitia Imperii fol. 77.* IDEM.

(c) Per Prouincias Asiæ scilicet, vt docet inscriptio *legis:* atque adeo per Phrygiam, aliasque diœceseos Asianæ Prouincias. IDEM.

(d) Posteaquam scilicet a fuga, sic vt dicam, retractus est. IDEM.

(e) Officium Vicarii Asiæ obserua. De quod vid. *Notitiam d. loc.* IDEM.

(f) *Condemnatione*, id est, multa: dixi ad *leg. 12. sup.* IDEM.

COMMENTARIVS.

VAGANTES a signis suis per Prouincias (Asiæ, seu diœceseos Asianæ milites in sp. *huius l.*) Arcadius, *h. l.* a Vicario Asiæ comprehendi, deque his ad se referri iubet. Rursum dilapsos, facultatibus suis omnibus multari; & vt loquitur Lampridius, loco quem laudaui *ad l. 12. sup.* condemnationi subiici. Non quidem ea priuata ratione, ob Prouincialium securitatem, qua milites per possessiones priuatorum seu prouincialium euagari prohibentur, *l. 12. sup.* (de qua ratione plura quoque dicemus *inf. tit. de Pascuis:*) verum longe alia & quidem publica. Quæ reperenda, cui videatur, ex Historia Tribigildi, & Gainæ Gothi, Tyranni, res nouas in oriente, ac nominatim in Asia, seu Asiana diœcesi hac tempestate moliti. Qua de re consulendus est Socrates, *lib. 6. c. 6.* & Sozomenus *lib. 8. c. 4.* Theodoretus *lib. 5. c. 32. 33.* Zosimus *lib. 5. c. 16. 17.* Claudianus *in Eutropium lib. 2. v. 94. seq.* & *v. 151. seq.*

REVOCARI *suos quosque ad numeros & sedes, tam Præsentales, quam Prouinciales milites iubentur.*

XVII. (a) Idem AA. Romuliano (b) P. V.

SI * qui miles, ex his qui Præsentes diuino obsequio Nostræ Clementiæ deputati sunt, & qui in hac (c) esse Vrbe præsente (d) Comitatu (e) concessi sunt, quiue de aliis Numeris vel Legionibus sunt, repertus fuerit vel sibi vacans, (f) vel alieno obsequio contentus, (g) nobis ilico nuntietur, ita vt conscii, qui talium præsentiam non prodiderint, viginti libras auri sciant esse (h) multandos. Sin * vero quisquam missus a Numero vel a Tribuno ad Comitatum Serenitatis Nostræ peruenerit, (i) ilico se Viris Inlustribus Comitibus (k) offerre festinet, & causas profectionis exponat, vt & responsum cæleste (l) mereatur, & citam remeandi accipiant (m) facultatem. Dat. Kal. Feb. Constp. Honorio A. IIII. & Eutychiano CONSS. [398.]

NOTAE

NOTAE.

(a) Et hæc quoque *lex*, vt duæ superiores, interpolata tamen, *legis* 13. *C. Iust. eod. tit.* partem aliquam constituit. GOTHOFREDVS

(b) *Romulianus* P. V. Constantinopol. sub Arcadio. *IDEM.*

* Prior sententia de VRBANIS militibus, & PRÆSENTALIBVS. *IDEM*

(c) Constantinopolitanam vrbem intelligit, vt subscriptio *legis* docet. *IDEM.*

(d) Hinc præsentales. *IDEM.*

(e) An *Comitatenses* intelligit, de quibus ad *leg. sequentem?* *IDEM.*

(f) Vid. *l. 5. sup.* & quæ ad eam dixi. *IDEM.*

(g) Retineri potest; nisi quis malit, *intentus.* *IDEM.*

(h) *ye. sese:* errore *in hoc Codice* sæpe admisso. *IDEM.*

* Altera sententia de PROVINCIALIBVS militibus. *IDEM.*

(i) *Aliter enim eos hoc facere vetamus.* Hoc Tribonianus addidit. *IDEM.*

(k) *Sub quorum regimine constituti sunt.* Hoc amplius Tribonianus. *IDEM.*

(l) *Cæleste*, id est, Principis, v. *Glossar.* *IDEM.*

(m) *ye.* accipiat. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

VAGANTES milites, sibique VACANTES, vel alieno obsequio intentos, REVOCARI suos ad Numeros, Arcadius hac Constitutione, ad Præf. Vrbis Constantinopolitanæ emissa, satagit. Milites, inquam, qua præsentales, qua Prouinciales. Præsentales dico, qui de more in Vrbe Constantinopolitana, præsente in ea Principe, eiusque Comitatu, versari solebant, & Principis obsequio deputati erant, &c. His scilicet verbis intelliguntur *Præsentales*, qui Principe Constantinopoli hærente, inibi quoque degebant. Quomodo & Dignitates ipsæ nonnullæ veluti Magistri militum *Præsentales*, eadem ratione dictæ: de quo alibi. Et hæc de Præsentalibus.

De Prouincialibus autem, id est, iis qui ad vrbem Constinop. ex Prouinciis ad Imperatorem missi a Numero, vel a Tribuno, negotio alicui persequendo, Constantinopoli hærebant, hoc pariter statuit Arcadius; eos statim vt venerint, Comitibus seu Magistris militum, qui Constantinopoli erant & Præsentales, suæ protectionis causas exponere debere, vt ita responso accepto, statim ad Numeros suos redire possint. Publici negotii ergo miles missus, diu detineri non debet, verum cito, vt loquuntur, expediri. Quæ omnia, vt generalem habent ratio-
Pag. 393 nem, ne milites a signis suis aut Numeris diutius discedant, atque a militia abducantur; ita specialem habent ex ea occasione, quæ hanc *legem* extorsit. Ea porro, ex Tribigildi, pariter vt *superioris leg.* occasio, motus historia repeti debet. Et vero hac ratione siue occasione, & *hac l.* & *superiore* Arcadius & vrbi Constantinopolitanæ, & Orientalibus simul Prouinciis consultum voluit; ad vrbem Constantinopolitanam, iamiam aduentante ipso Gaina: de quo specialius aliquid adhuc dici posset, si Eusebii Scholastici Gainas (id est Gainæ istius motus historia quatuor libris expressa) vel etiam Ammonii poëma, quorum meminit Socrates *lib. 6. cap. 6.* ad nos peruenissent. Sane eadem ratione paulo post hanc *legem* hoc ipso Anno idem Arcadius ad Præfectum vrbis pariter, *l. 14. inf. de Numerar.* Numerarios ab Actuariorum societate diuelli voluit, Actuariosque intra 50. diem ab vrbe recedere. Huc denique facit, quod Synesius *orat. de Regno*, quam habuit is ad Arcadium Imp. hoc ipso Anno 398. inter alios defectus, exitium Imperio Orientali minantes, ponit hanc vagandi militum licentiam, *pag. 22. edit. Paris. Dion. Petauii.* agens quippe de Barbaris militibus, quorum opera tum Imp. vtebatur; subnicit: τό δὲ μήτε ἀντίπαλον αὐτοῖς κατασκευάζεσθαι δύναμιν, καὶ ὡς ἐκείνης οἰκείας ὔσης, ἀςρατείαν τε διδόναι πολλοῖς αἰτοῦσι, καὶ πρὸς ἄλλοις ἔχειν ἀφιέναι τοὺς ἐν τῇ χώρᾳ, τί ἄλλο ἢ σπευδόντων ἐςὶν εἰς ὄλεθρον ἀνθρώπων, id est, *At neque contrarias illis* (Barbaris) *vires opponere, & perinde ac si illorum* (vires) *nostra essent, vacationem a militia postulantibus indulgere, cæterosque, qui in regione versantur, aliis rebus occupari permittere, quid aliud est quam hominum ad interitum festinantium?* Qui locus admodum singularis hanc *legem* nostram & superiorem apprime illustrat.

TRANSFERRI *de vno Numero ad alium Numerum miles quicunque prohibetur.*

XVIII. (a) Idem AA. Stilichoni Magistro Militum. (b)

CONTRA publicam vtilitatem nolumus a Numeris ad alios Numeros milites nostros transferri. Sciant igitur Comites vel Duces, quibus regendæ militiæ cura commissa est, non solum de Comitatensibus ac Palatinis Numeris ad alios Numeros militem transferri non licere, sed ne (c) ipsis quidem seu (d) de Comitatensibus Legionibus, seu de Ripariensibus, Castricianis, (e) ceterisque, cuiquam (f) eorum transferendi militem copiam adtributam: (g) quia *Honoris augmentum non ambitione* (h) *sed labore ad vnumquemque conuenit deuenire.* Quod si qui (i) contra fecerint, per singulos milites singulas auri libras a se nouerint exigendas. Dat. XIIII. Kal. April. Med. Stilichone & Auriliano CONSS. [400.]

 NOTAE.

NOTAE.

(a) Lex 14. *Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Per Gallias scil. vt clare ostendit *lex* 11. *infr. de Veteranis*, aliquot supra mensem diebus lata. *IDEM.*

(c) *De ipsis.* *IDEM.*

(d) *Pseudo-Comitatensibus:* ἐνοχαις reposuit primus Cuiacius, *I. Obseruat cap.* 25. de quo mox plura. Cuius emendatione ἐνοχια illis tantum placere non potuit, quibus nil placet quod rectum est. *IDEM.*

(e) *Castrensianis*, in Cod. Iust. de quo mox. *Castriciani* porro, vt *Laetitiani*, de quibus *l.* 12. *infr. de Veteran.* *IDEM.*

(f) Comitum, vel Ducum scilicet. *IDEM.*

(g) *Nisi hoc Augusta Maiestas publicae vtilitatis gratia fieri iusserit.* Hæc exceptio addita a Triboniano *d. l.* 14. *IDEM.*

(h) v. *l.* 4. *supr. de Curiosis.* Non gratia ἢ χάριν. Eodem modo in *August. Sueton. c.* 25. *IDEM.*

(i) Comites, vel Duces scilicet *IDEM.*

COMMENTARIVS.

TRANSFERRI de quocunque tandem Numero ad alium Numerum miles hac Honorii Constitutione vetatur: (quod olim tamen fieri potuisse indicat *lex vn. in fin. D. de bon. poss. ex test. milit.* testantur & Veteres nonnullæ Inscriptiones:) Cuius rei ratio *hac eadem lege*, non tantum in genere a publica vtilitate *initio l.* reperitur, ibi; *contra publicam vtilitatem*, verum speciatim hæc redditur: *Quia honoris augmentum non ambitione, sed labore ad vnumquemque conuenit deuenire.* In ea scilicet quisque militia, in eo Numero permilitare debet, quem semel elegit: ne alioquin in alieno Numero quis honoris augumentum præcipiat illis, qui ordine stipendiorum & laborum merito ad superiorem locum per alterius mortem subuehi debebant. Vnusquisque eius Numeri, quem primum militando delegit, ordinem persequi debet, nec in altero Numero, priore deserto, finem militiæ & honoris augmentum requirere. Denique promotionum ordo neutiquam interturbandus est. Quod & ipsum pariter in militia Palatina seu scholis Palatinis ferme obtinet; vt videlicet in promotionibus per singulas scholas ordo Matriculæ per insititium & aduentitium aliquem, vel etiam remotiorem, aut Redeuntem, interturbari, peruertiue non possit: Veluti, in schola Domesticorum: *l.* 7. 8. 10. *vlt. sup. de domesticis & protectorib.* in schola Agentium in rebus, *l.* 7. 9. 14. *sup. de Agentibus in rebus:* & *l.* 4. *sup. de Curiosis:* (vbi pariter hæc verba occurrunt, *Cessit omnis* AMBITIO *atque suffragium in schola vestra*) Item in scriniis Palatinis, *l.* 5. 9. *sup. de palatinis sacr. larg.* (vbi *ex leg.* 5. hæc quoque verba notentur; *vnusquisque eius scrinii quod primum militando delegit, ordinem persequatur, nec in alterius loco finem militiæ requirat*) Item in schola Castrensianorum, *l.* 1. *sup. de Castrensianis:* Decanorum, *l. vn. sup. de Decanis:* denique & in officialium militia, *l.* 2. *inf ad leg. Iul. de Ambitu:* (vbi v. quæ dicam P.294 adhuc:) *l.* 1. *inf. de Numerariis:* *l.* 1. *inf. de diuers. offic.* De alio vero translationis genere est, quod tamen cum hoc confundunt Viri docti, de quo agitur *l.* 4. *Cod. Iust de off. Magistri milit.* nempe de loco ad alia loca. Idque ipsum certe & olim in Ecclesia obtinebat, seu in sacra Militia (vt plurima in militia Ecclesiastica, exemplo militiæ Romanæ fuerunt instituta;) Itaque nec Clericis de minore titulo ad maiorem transire licebat, Concilio Rhemensi sub Leone III. *can.* 20. Concilio Turonensi 3. *can.* 14. vel ab vna Ecclesia ad aliam, *Nouella.* 123. *cap.* 9. *can. si quis Presbyter*, 7. *q.* 1. *can. placuit*, *ibid.* Quod a Doct. Merillio recte notatur, *III. Obs.* 2.

Cæterum generalis adeo hæc *huiusce leg.* prohibitio est, vt in nullo non Numero id obseruari velit Honorius: non tantum, inquam, in Comitatensibus, vel Palatinis Numeris, verum etiam in Pseudocomitatensibus legionibus seu Riparienfibus, Castricianis, cæterisque. Vbi prolixus admodum tractatus occurrit de Numeris & Legionibus illis, quarum *h. l.* & aliis præterea complurimis *legibus huiusce Codicis* mentio fit. Qua parte primum illud notandum, in duas species hasce Legiones Numerosque diduci, seu in duplicem censum seu classem coniici: in priorem, *Comitatenses* & *Palatinos:* in posteriorem, *Pseudocomitatenses Legiones seu Riparienses*, *Castricianos*, *cæterosque.* De duobus prioribus, ceu dignioribus, vt mox ostendam, primo loco videndum est.

Et de PALATINIS quidem ante omnes, quorum vt primo id loco moneam, duabus præterea constitutionibus *huiusce Codicis* mentio fit; puta *l.* 10. *inf. de Numerariis:* quæ Valentiniani Imp. est & data A.D. 365. & *l.* 22. *inf. de erogat. mil. annona*, quæ data est An. D. 396. vt *hæc* nostra An. D. 400.

Ante omnes, inquam, etiam Comitatenses (quod Secundo notandum:) nam etsi in eodem cum Comitatensibus censu sint, imo etsi *hac l.* Palatini Comitatensibus ordine literæ postponantur, pariter vt *d. l.* 22. *inf. de erog. mil. ann.* attamen & eos præueniunt, *d. l.* 10. *inf. de Numer.* & in illustri Imperii Romani inclinantis instrumento, quæ *Notit. Imp.* dicitur, quæque scripta est A.D.427. semper Palatini Comitatensibus præponuntur in *Notitiis* Magistrorum militum siue præsentalium siue aliorum per Diœceses: puta vexillationes Palatinæ vexillationibus Comitatensibus: Legiones Palatinæ, Legionibus Comitatensibus: idque tam in Oriente quam in Occidente; Quod quidem certissimum argumentum est pro præcedentia Palatinorum supra Comitatenses: quandoquidem ea *Notitia* est, quæ ordinem dignitatum accurate assignare & edisserere instituit. Quod & *superiore libro sexto* passim ostensum est.

Tertio loco de Palatinis obseruandum est, non tantum Legiones (Peditum scilicet) sed & vexillationes Equitum Palatinas fuisse, quod vt *d. l.* 22. *inf. de erogat. mil. annonæ*, docet, ita & *Notitia Imperii.* Quod & ipsum Comitatensibus commune est; nam & Comitatenses aliæ Legiones fuerunt, Peditum scilicet, aliæ vexillationes, vt ostendit *lex vn. sup. de bonis mil.* & *d. l.* 22. & *Notitia Imperii.*

Quarto, Palatina quoque Auxilia fuisse, non tantum Legiones, vt etiam elici potest ex *d. l.* 22. & diserte testatur *Notitia Imperii*, id est, alios fuisse indigenas Romanos, alios vero e sociis & fœderatis gentibus vel deditiis adscitos: id enim inter *Auxilia* & *Legiones* interest, nempe quod Legiones Romanæ essent, vt etiam diserte vocantur *l.* 10. *inf de Veteranis.* Auxilia vero a sociis vel fœderatis mittebantur: Vegetius *lib.* 2. *cap.* 1. *Ipsi Pedites in duas diuisi sunt partes, hoc est in Auxilia & Legiones: sed Auxilia a sociis vel fœderatis Gentibus mittebantur: Romana autem virtus præcipue in legionum ordinatione præpollet: in Auxiliis minor, in Legionibus longe amplior consueuit militum Numerus adscribi.* Et iterum, *cap.* 2. *Quid inter Legiones & Auxilia interesse videatur, expediam: Auxiliares conducuntur ad prælium ex diuersis locis, ex diuersis Numeris venientes, nec disciplina inter se, nec notitia nec affectione consentiunt: alia instituta, alius inter eos est vsus armorum: Legio autem propriis cohortibus plena cum vno animo parique consensu castra muniat, &c.* Auxiliariorum sane cuneorum & Auxiliorum fit quoque mentio *l.* 1. & 7. *inf. de Tironibus.* Ergo Palatina quoque Auxilia fuerunt, cuiusmodi Comitatensia nulla reperio, etsi *Pseudocomitatenses* quoque *Auxiliares* reperiam, de quo infra. Et certe cum Legio-

giones & Vexillationes Comitatenses ordine recenseo, quæ in *Notitia* sigillatim memorantur; nullas Legiones, nullas Vexillationes e Barbaris Gentibus repetio (solis Clibanariis Parthis exceptis, & Taifalis Iunioribus:) cum contra, inter Palatinas, repetiam non tantum Taifalos & Persas, verum etiam *Salias, Anglevarios, Dacos, Scythas, Tubantes, Buccinobantes, Tervingas, Herulos, Bructeros, Ampsivarios, Alanos.* Et hactenus quidem de Palatinis, & nonnullis inter eos & Comitatenses tum communibus, tum differentiis. Nunc de COMITATENSIBVS speciatim, quorum octo constitutionibus *huius Codicis* mentio fit, puta præter hanc legem, *l. vn. sup. de bonis militum: l. 22. inf. de erogat. mil. ann. l. 7. inf. de Tyronib. l. 4. inf. de Veteranis: l. 8. de filiis milit. apparit. l. 12. inf. de Numerariis: l. 17. inf. de Cohortalib.* Quib s addenda insuper & nona ex *Cod Iust.* puta *l. 2. § 8. de off. Præf. Prætor. Afr.* Eorum vero (quod secundo notandum) mentio iam occurrit sub Constantino M. A. D. *325.* in *d. l. 4. inf. de Veteranis.* Et deinceps eorum mentio occurrit, (quod Tertio obseruandum) extra *leges* nostras, non tantum in *Notitia Imperii*, verum etiam apud Ammianum Marcellinum sub Valentiniano An. D. 372. *lib. 29. c. 5.* *Ad abolendum*, inquit (Firmum) *cum Comitatensis auxilio militis pauci Theodosius Magister Equitum mittitur* (e Gallia in Africam.) Quarto tenendum, quemadmodum Comitatenses Palatinis sociari diximus, & vtrosque Pseudocomitatensibus Ripatiensibus Castricianis alicubi opponi, ita in plerisque *legibus* fieri tantum mentionem & oppositionem Comitatensium, & Ripariensium, nulla Palatinorum mentione facta. Quinto tenendum, vt Palatinos ita & Comitatenses cæteris potiores fuisse: atque adeo singularibus priuilegiis gauisos. Hinc scilicet Actuariis Palatinorum & Comitatensium Numerorum maiores annonæ, maiusque Capitum dabatur quam Pseudocomitatensibus, *l. 12. inf. de Numerariis.* Hinc Capitationis seu census immunitas maior per Comitatensem, quam per Ripensem militiam obtingebat: *l. 7. inf. de Tironibus*: & *l. 4. inf. de Veteranis*: Hinc Comitatensibus species ipsæ aliquando solutæ fuerunt, limitaneis vero (in quibus Ripenses) pretia tantum, *l. 17. inf. de Cohortalib.* Hinc & maius corporis robur, maiorque statura in Comitatensibus requirebatur, quam in Ripensibus, *l. 8. de filiis milit. apparit.* Hinc denique *hac ipsa l.* id quod indubitatum magis erat, in Palatinis & Comitatensibus, velut potioribus, ad Pseudocomitatenses, Castricianos cæterosque, velut inferiores extenditur.

Et hæc de primo censu seu prima specie Legionum & Numerorum: sequitur altera: qua parte primo loco nominantur PSEVDO COMITATENSES,
Pag. quomodo in *Cod. Iust.* Cuiacius recte restituit *lib. I. Obs. cap. 25.* quorum mentio fit non *hac* tantum *leg.* sed & altera, puta *l. 10. inf. de Numerariis*: & non vno loco in *Notitia Imperii.* De his id obseruo, pauciores Numeros Pseudo-comitatenses quam Palatinos aut Comitatenses, non recenseri in *Notitia.* Item sub omnibus Magistris militum fuisse Comitatenses, non vero sub omnibus Pseudo comitatenses. Ac vt recensum eorum faciam, in Orientis Imperio sub dispositione Magistri militum præsentalis ponuntur Pseudo-comitatenses Auxiliarii Sagittarii: sub Magistro militum per Orientem, decem Legiones Pseudo-comitatenses: sub Magistro militum per Illyricum, nouem. In Occidentis vero imperio, sub Magistro peditum præsentali, Legiones Pseudo-comitatenses decem & octo. Et ita quidem vt quemadmodum hic, ita & in *prædicta Notitia* semper Pseudo-comitatenses eorumque insignia post Palatinos & Comitatenses sternantur. De his & illud obseruo, nullas vexillationes Pseudo-comitatenses memorari in *Notitia Imperii.* Quanquam & hasce quoque fuisse colligitur ex *l. 10. infr. de Numerariis*, quæ non tantum *Iouio Magistro Equitum* inscribitur, & de Pseudo comitatensibus agit. Sed & nominatim de Capito pro equis his præbito. Denique hic repetendum quod antea quoque iam monui, Annonas & Capitum tertia parte minora, seu deductiora præbita quam Palatinis & Comitatensibus: nam cum his Sex Annonæ & totidem Capita præstarentur, Pseudo comitatensibus quaternæ tantum Annonæ & quaternum Capitum dabantur, vt eadem *lex 10. inf. de Numerariis*, definit. Illud mihi interim omnino verisimile, Pseudo-comitatenses sub se comprehendisse Riparienses, Castricianos, cæterosque. Argumento primum *huius l.* ibi; *Sed ne de ipsis quidem Pseudo comitatensibus legionibus*, SEV *de Ripariensibus, Castricianis, cæterisque.* Cui accedat hoc alterum, quod quemadmodum *h. l.* Palatini & Comitatenses, Pseudo comitatensibus seu Ripariensibus opponuntur, &c. ita passim alibi Comitatenses & Ripenses, seu in Ripa constituti, inter se solemniter opponantur; *l. 7. de Tironib. l. 4. de Veteranis*, *l. 8. de filiis mil. apparitor.* pariter vt Comitatenses & Limitanei opponuntur, *l. 17. inf. de Cohortalibus.* His addatur omnibus, quod quemadmodum ex *hac l.* simul & *l. 12. inf. de Numerariis*, & ex *Notitia* ostendimus, Pseudo-comitatenses gradu & priuilegiis annonisque, Comitatensibus inferiores fuisse; ita nominatim quoad ius successionum vindicandarum a Comitatensibus distulisse videantur; ῥητῶς enim in *l. vnica, supra de bonis militum*, cauetur, vniuersis tam Legionibus, quam Vexillationibus.

Comitatensibus, seu Cuneis ius competere vindicandorum bonorum eius militis, qui intestatus sine legitimo hærede decesserit: vt ita κατ᾽ ἀντιδιαστολὴν id dictum videatur; non idem ius competere Pseudo comitatensibus. Quod *Riparienses* attinet, de iis demum agitur *l. 14. inf.* de *erogatione milit. ann.* & *leg. 7. de Tironib.* dicuntur iidem & Ripenses, *l. 4. de Veteranis*, neque enim alii sunt *Ripenses*, quam *Riparienses*; (quidquid Casaubonus tradiderit) qui scil. in Ripa per Cuneos, & Auxilia constituti erant, *d. l. 7. de Veteranis*: vnde & Ripensia militia, *l. 8. de fil. mil. app.* cuius minor dignitas erat quam Comitatensium, quibus & opponuntur, *d. l. 7.* & *d. l. 8* & *l. 4. de Veteranis*: Eadem vero forma & prouinciæ Ripenses dictæ: Dacia Ripensis, quæ & Ripariensis dicitur in *Notit. Imper* Noricum item, Valeria & Gallia Ripensis. Epistola quoque Aureliani ad Vipium Crinitum referente Vopisco *c. 38.* vbi de bello Monetariorum. *Hi compressi sunt, septem millibus Hiberorum* (restituit Salmasius *Lembariorum*; ego malim *Liburnariorum*, vt in *Notitia* Ducis Pannoniæ primæ, & Norici Ripensis,) RIPARIANSIVM, *& Castrianorum, & Daciscorum interemptis.* Quod Daciscos attinet, puto eos esse, quos Aurelianus e prouincia trans Danubium Dacia quam reliquit, desperans eam posse retineri, abduxit: de quo vide eundem Vopiscum. Quomodo & Ripatienses partim erant ex altera Dacia. Ne quid hic addam de Ripuariis, seu Ribuariis vel Ripariolis, qui postea dicti. Legiones etiam *Riparienses* memorantur sub Duce Mœsiæ. sub Duce Scythiæ in *Notitia* Imperii. *Castriciani* tandem iidem sunt cum *Castrianis*, quomodo vocantur in *epistola supra dicta* Aureliani: nam vt ibi Ripariensibus iunguntur, ita & hic quoque: *Castricianis*, videl. ad differentiam eorum qui Castrenses & Castrensiani in Palatina militia dicti; hi quippe in Castris constituti; vt dicitur *l. 15. de erogat. milit. ann.*

QVID

QVID (a) PROBARE (b) DEBEANT AD QVAMCVMQVE (c) MILITIAM VENIENTES.

TITVLVS II.

(a) Curiali conditione se se liberos esse. *l. 1.* & *2.*

(b) *Probandi* vox hac in re propria, vid. Traiani *epist. 39. ad Plinium, lib. 10.*

(c) Etiam Legionariam.

P.296 CVRIALI *conditione liberum sese is, qui militiæ se offert, probare debet, & quomodo.*

I. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA. Postumiano PP. (b)

QVOTIESCVMQVE se aliqui (c) militiæ crediderit offerendum, statim de natalibus ipsius ac de omni vitæ condicione examen habeatur, ita vt domum, genus, non dissimulet & parentes; Nec tamen huic ipse (d) rei nisi honestissimorum hominum testimonio adstipulante credatur: ita enim fiet, vt & Curias nemo decliner, & ad militiam nullus adspiret, nisi quem penitus liberum aut genere, aut vitæ condicione, inquisitio tam cauta deprehenderit. Data XIIII. Kal. Aug. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino CONSS. [383.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic, *lex 102. infr. de Decurionib.* quæ etiam argumento huic respondet. *GOTHOFREDVS.*

(b) Iterum PP ita *d. lex 102. v. Prosopogr. IDEM.*

(c) *Aliquis*, vel *alicui quis.* Alicui porro, etiam Legionariæ, *v. l. 1. infr. de Tironib. IDEM.*

(d) *vt. Ipsi*: & ita diserte habet MS. Archetypon. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

NATALES ad Militiam sese offerentis exigi, examinari, *probari* (& quidem honestissimorum testimonio accedente) iubentur a Theodosio M. *h. l.* vt & a Valentiniano Iuo. *l. 2. inf.* igitur eum qui ad militiam promoueri vult, probare iubet, se liberum ab omni nexu esse: *nexu*, inquam, Curiæ alioue, conditioni alioquio alicui adstricti, ad militiam non admittuntur, vel etiam admissi eiiciuntur, vt puta Curiales, *h. l.* & *l. prox.* & *l. 1. inf de Tironibus*: de quo complures extant leges *inf. tit. de Decur.* Traiani epistola ad Plinium *lib. 10. ep. 39.* Coloni & Saltuenses, *l. 3. Cod. Iust. qui militare:* Cohortales *l. 4. d. t.* aliam iam Militam Sustinentes, *l. 5* & *8. d. tit.* Serui, *l. 6. 7. d. t.* & *l. 8. 11. 16. inf. de Tironib. l. 9. de desertoribus*: negotiatores, *l. vn. Cod. Iust.* *Negotiatores ne militent.* Et Sidonius *lib. 1. epist. 8. de quo alibi:* aliue, veluti litis causa, *l. 1. Cod. eod. qui militar.* vel in fraudem ciuilium munerum, *l. 2. d. tit.* Sed Curialium maxime causa hæc *lex*, vt & proxima lata est; qui non Reipublicæ amore, sed Curialis conditionis euitandæ ad Militiam adspirabant, vt ostendit quoque *lex 102. inf. de Decurionibus*, quam *huic* coniungendam dixi. Similis autem siue probatio, siue Inquisitio δοκιμασία fiebat circa recipiendos in Militiam Palatinam, vt docet *lex 4. sup. de Agentib. in reb.* & *lex 15. 16. 17. sup. de Palatinis:* & quidem eodem fine. De honestissimorum Virorum testimonio alibi dicam: Idemque de recipiendis Tironibus, *l. 1. inf. de Tyronib.*

A CVRIALI *nexu immunem sese esse is, qui se militiæ offert, probare debet.*

II. Idem AAA. (a) ad Neotherium PP.

QVISQVIS cinguli (b) sacramenta desiderat, in ea vrbe qua natus est, vel in qua domicilium conlocat, primitus Acta conficiat, & se ostendat, non patre non auo esse Muni-

Municipe, (c) penitusque ab Ordinis (d) necessitatibus alienum, sciturus se in perpetuum reuocandum, nec temporis nec militiæ prærogatiua, si (e) ita non gesserit, defendendum. Ordines etiam Vrbium nouerint, si cuiquam præstitisse gratiam doceantur, ac non vera Actis promendo per mendacium quenquam abire (f) permiserint, se periculo subiacere. Dat. VI. Id. Iul. Med. Arcadio A. I. & Bautone CONSS. [385.]

NOTAE.

(a) Reponendi hi *Imppp.* VALENTINIANVS *Theodosius & Arcadius.* *GOTHOFR.*

(b) Militaris videlicet. *IDEM.*

(c) Id est, Curiali. *IDEM.*

(d) Id est, Curiæ. *IDEM.*

(e) *γρ. si se.* *IDEM.*

(f) Reponit Fornerius *Quotid. 26. ambire*, quod hic de iis agatur qui Militiam ambiunt, vt initium *legis* ostendit. Proinde tentat testimonis abrasi restitutionem, quod eam ratio manifesta disputationis exposcat. Sed nil necesse est: & legitimum est *abire.* Agitur enim in *h. l.* de his quos Ordines vrbium per gratiam & ambitiosa decreta e Curia ad Militiam abire permittunt. *Abire igitur permiserint*, id est, Curia & Curiali nexu liberos dimiserint: vt in simili *l. 1. inf. de Tironib. Decurionibus hac fiducia denegetur, ne forte quis fugiens militiam, addito nomine Decurionis e militia* ABSCEDAT. *IDEM.*

P 297

COMMENTARIVS.

INQVISITIONI (sic enim vocatur *lege superiore*) seu quæstioni (vt in simili dicitur *l. 3. sup. de Agent. in reb.*) probationi denique (quod *probandi* verbo non tantum *hoc titulo*, verum etiam *l. 4. sup. de Agent. in reb.* significatur, & *l. 2. inf. de Tironibus*, vbi dicam) de qua ad *legem superiorem* dictum fuit, exacta magis forma hac *Valentiniani Iunioris* constitutione inducitur: Hæc scilicet, vt Acta super ea re conficiantur, & quidem in ea vrbe, in qua miles præsentandus, natus est, vel in qua domicilium habet. *Acta* inquam requiruntur, id est, municipalia gesta, quibus munitus ad militiam admittatur: Cum *lex* superior honestissimorum hominum testimonium tantum requirat. Et quidem in tantum, vt si acta hæc non bona fide facta, sed ambitiosa seu per gratiam expressa fuerint, Curiæ ciuitatum multari debeant. Ordinis ambitiosa decreta sacris constitutionibus reprobantur, *l. a. Cod. Iust de Decretis Decurionum*, & *l. 4. D. de Decretis ab ordine faciendis. Ambitiosa* decreta sunt per gratiam expressa in ciuitatum & Curiarum perniciem. Eodem sensu *ambitiosæ* sententiæ, sed & *Perfusoriæ adsertiones.*

QVIS (a) IN GRADV PRÆFERATVR.

TITVLVS (b) III.

(a) *Assiduus* infrequenti, *l. 1.* ordine promotus, per saltum promoto, *l. 2.*

(b) Concordat Titulus *supr. vt dignitatum ordo seruetur*, lib. 6.

ADSIDVVS *infrequenti præferendus in gradu, seu* PROMOTIONE.

I. (a) Imppp. THEODOSIVS, Arcadius & Honorius AAA. Rufino PP. (b)

IN omnibus qui militiæ nomen dederunt, ratio est habenda meritorum, vt is potissimum potiorem adipiscatur gradum, qui meruerit de labore suffragium: nec quæratur, quis militarit primus, sed quis manserit in studio Apparitionis adsiduus. Dat. Prid. Idus Feb. Constp. Theodosio A. III. & Abundantio V. C. CONSS. [393.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* est *lex* 13. *infr. de metallis.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Rufinus* PP. Orientis scil. sub Theodosio M. vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

ASSIDVVM in studio & militia, infrequenti (vt verbo veteri vtar) etsi tempore priori, in gradu & PROMOTIONE præferri iubet *h. l.* Theodosius M. Atque ideo cum de promotione an vacan-

tem & superiorem gradum agitur, huic ille præfertur. Eleganter Theodosius, *In omnibus qui militia nomen dederunt, ratio est habenda meritorum, vt is potissimum potiorem adipiscatur gradum qui meruerit de labore Suffragium.* Et rursum; *Nec quæratur quis militarit primus, sed quis manserit in studio* APPARITIONIS *assiduus.* Quod vtiliter alio traduci potest, Et vero traduci compertum habeo. Itaque idem ipsum quoque *cauetur* de Domesticis & Protectoribus, *l. 6. sup. de Domesticis & Protectoribus.* Et sane Fugitiua est hæc *lex* ab hoc de *militia Armata* tractatu, vt complures aliæ *huius libri.* Quod vt *legis* inscriptio arguit, ita & hæc verba extrema magis adhuc: *Sed quis manserit in studio* APPARITIONIS *assiduus.* Proinde de militia *Officiali* agitur, seu de Apparitoribus omnibus PP. Et tamen ratio *legis* alio recte trahi potest. De promotione sane militum est alioquin hic Lampridii locus in *Alex. Seuero c. 21. De promouendis etiam sibi annotabat, & perlegebat cuncta Pittacia, & sic faciebat, diebus etiam pariter annotatis, & quis & qualis esset, & quo insinuante promotus.* Verum de Promotionibus plane ago ad *l. 2. inf. de falsa mon.* & ad *l. 2. inf. ad leg. Iul. de ambitu.*

Page 298 ORDINE *promotus præferendus in gradu, promoto per saltum & beneficium Principis.*

II. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Anthemio PP.

CVM alios in altiores militiæ gradus iugis (b) obseruatio, nonnullos in eadem militiæ statione Cæleste (c) peruexisset (d) oraculum, ac tempore prouehendæ (e) dignitatis exoreretur contentio, *Quisnam prior incederet, quisque subsequeretur cum vterque pari eiusdem gradus niteretur auspicio* non inmerito placuit, Vt quotiens codicillis vel sacris affatibus vllus ex alio ad alium gradum cum hisdem stipendiis emigrarit, triennio ei postponatur, (f) quem sors militiæ in eum progessum duxerit. (g) Dat. X. Kal. Oct. (h) Honorio VIII. & Theodosio III. AA. CONSS [409.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* est *lex vn. infr. de Nili aggeribus non corrumpendis.* Sed & hanc quoque legem *Fugitiuam* existimo, inter alia, Inscriptionis argumento. *GOTHOFREDVS.*

(b) Id est continuatus ordo laborum. *IDEM.*

(c) Id est, Principis Codicilli & Sacri Affatus, vt mox quoque vocantur: Similiter *l. 1. sup. de Senator. l. 9. sup. de Iurisdict. v. Gloss. theod. IDEM.*

(d) *Prouexisset. IDEM.*

(e) Id est, eo tempore quo per decedentis alicuius obitum, vel abitum, locus fit subsequentibus in proximum gradum subuehendis & promouendis. *IDEM.*

(f) Quid est triennio postponi? nonnisi triennio post, ad eum gradum promoueri. *IDEM.*

(g) Euexerit. *IDEM.*

(h) Constantinopoli, vt *d. l. vn. IDEM.*

COMMENTARIVS.

ORDINE, seu CONTINVATO per gradus singulos labore, τάξει καὶ νόμῳ ἀναβάσεως τῆς τιμῆς, qui in altiorem gradum peruenit, eum triennio præcedit, qui Codicillis eundem gradum adeptus est, & ad eum per saltum *promotus* beneficio Principis: (quod dicitur σχεδιάζειν τὸν βαθμὸν Gregorio Nazianzeno agenti de ecclesiasticis promotionibus *Orat. 20. p. 335. edit. Lips. Weidm.*) etsi temporis antiquitate concurrat. Codicillarii & ex beneficio PROMOTI in commune, vt Actualibus, ita per gradus singulos obsequio & labore ad eundem honorem prouectis, ordine stipendiorum cedunt: de quo dixi plene ad *leg. 1. sup. vt dignitat. ordo seruetur:* & ad *leg. vn. sup. de Consulib.* Et si in aliquo Militiæ gradu quis militauerit, nisi tamen gradus omnes expleuerit, cedit, qui alioquin in eodem gradu hodie reperitur. Breuiter, *Actualis* non tantum nudum & merum Codicillarium vincit, verum etiam *Saluarium* (quo pertinet hæc *lex*) qui per saltum videlicet codicillis promotus est: vincit inquam; & cum de Ordinis prærogatiua quæritur, seu de præcedentia, & cum de prouehenda dignitate, id est, de promotione seu altiore gradu adipiscendo agitur. De *Promotis,* & *Promotionibus* beneficio Principis, dico plene ad *leg. 2. inf. de falsa moneta:* & hac de re omni ad *leg. 2. inf. d. leg. Iul. de ambitu.*

DE EROGATIONE MILITARIS (a) ANNONÆ (b)

TITVLVS IV.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXXVII.

(a) De *Iudicum* Annonis tamen est lex 17. 32. & 35.

(b) Τροφὴ στρατιωτική.

ADÆ-

ADÆRARI *Annonas, id est* PRETIA *loco Annonarum dari Tribunis & Præpositis prohibetur.*

I. Imp. Constantinus A. HABE (a) Felix k. NB.

TRIBVNOS, (b) siue Præpositos, qui milites nostros curant, annonas (c) (per dies singulos scriptionis (d) indicio (e) sibi debitas) in horreis derelinquere non oportet, vt Procuratores (f) seu Susceptores vel Præpositi pagorum & Horreorum eam (g) conparent: (h) hinc enim fit, vt a Prouincialibus non annonas, sed pecunias, postulent me- P.199 morati, (i) ipsis etiam speciebus remaneant (k) vitiatis adque corruptis: Constituimus ideoque derelictæ (l) annonæ fisco conpendium vendicari, Subscribendario & Optione gladio feriendis: quoniam fieri non potest, vt vel (m) prouinciales iterata conlatione grauentur, vel militibus corruptis (n) species diuidantur, detrectantibus (o) memoratis ad diem sumere annonas suæ congruas (p) dignitati. In qua culpa si quis fuerit adprehensus, (q) nec personæ merito, nec honoris fastigio defendendus est. Dat. XIIII. Kal. Nou. Aquis (r) Paulino & Iuliano CONSS. [325.]

NOTÆ.

(a) Geminam vide inscriptionem, lege 4. *inf. de operibus publicis.* GOTHOFREDVS.

(b) De *Tribunis & Præpositis* militum, consule *Paratitlon de re Militari*, *sup.* ID.

(c) *Annonæ* multitudinis numero enunciatæ *hic*, & *l.* 3. 10. 12. 13. 17. 19. 20. 22. 27. 28. 29. 31. 32. 34. 35. *vlt.* omnes omnino species annonarias significant, non tantum panes, quod ipsum mox *hac ipsa l.* numero singulari effertur. Et nihilominus *Annonarum* appellatione quandoque vnicam speciem veluti panem indicari, vel paucas tantum fateor; sicut nomen generis vni speciei sæpe aptatur, sed non quasi *Annonæ* multitudinis numero enunciatæ PANES tantum significent; at singulari numero frumentum, vinum, oleum, laridum, capitum: vice versa, panem non dici *Annonam*: de quo ad *l.* 2. *inf. de frum. Vrb. Constantinop.* ID.

(d) Vt *leg.* 3 *inf. nisi Vicarius Comitis scriptione conuentus didicerit qui numerus annonarum, & quibus debet erogari.* Eodem sensu *solemnis expressio l.* 3. *inf. Tributa in ipsis speciebus.* ID.

(e) male in aliis *Iudicio.* De voce *indicii* vide *Glossarium.* ID.

(f) V. *l.* 32. *inf.* ID.

(g) γρ. *eas* scilicet annonas: quanquam &, *eam*, sustineri potest. ID.

(h) Id est, quo scilicet postea eas Procuratores, &c. comparent. ID.

(i) Procuratores scilicet, susceptores, Præpositi &c. ID.

(k) γρ. *remanentibus.* Vel sustineri illud potest, quasi ita scriptum foret, & *annonæ* remaneant, ipsis speciebus vitiatis: eodemque sensu forte pro *ipsis*, reponendum *ipsæ.* ID.

(l) In horreis, neque exactæ. ID.

(m) γρ. *vt ne.* ID.

(n) γρ. *corruptæ.* Et ita habet M.S. ID.

(o) *Detrectationibus*, in MS. ID.

(p) De hoc dixi ad *l.* 11. *sup. de Palatinis S. L.* vide & *l.* 32. & *l. vlt. inf.* ID.

(q) *Adprehensus* pro *deprehensus.* ID.

(r) Vide quæ ad *Chronologiam* noto. ID.

COMMENTARIVS.

SPECIES IPSAS annonarias per singulos dies suæ dignitati debitas *Tribuni & Præpositi* militum exigere iubentur *h. l.* a Constantino M. & horreis decipere: ac non etiam eas in horreis relinquere, & earum loco seu vice, pretium exigere, seu *adærare*: (de qua voce postea) alioquin derelicta ita annona fisco vindicatur: *Subscribendarius*, & *Optio* (de quibus mox) gladio feriuntur. Tribuni scilicet & Præpositi, quod pecuniam quam species ipsas mallent (& quidem ea occasione, quæ notatur *l.* 20. *inf.*) pretium annonarum sibi seu suæ dignitati deputatarum a susceptoribus exigebant, sic vt species annonariæ penes Susceptores remanentes, vitiarentur & corrumperentur: Vnde alterutrum hoc incommodum emergebat, vt vel has species corruptas militi præstari postea contingeret: vel sane cum milites corruptas species accipere recusarent, Prouinciales iterata collatione grauarentur; id est, denuo species annonarias conferre cogerentur. Proinde *hac* Constantini *lege* vtrique occurritur. Breuiter *Adærari annonæ Tribunorum non debent.* Valerianus *ep. de Claudii Tribuni salario*, ad Zosimionem Procuratorem Syriæ apud Pollion. *in Claud. c.* 14. *Præstabis*, inquit, *sed ita vt nihil* ADÆRETVR: *& si alicubi aliquid defuerit, non præstetur, nec in nummo exigatur.* Idque ipsum de militibus pariter statuitur *l.* 17. 18. 20. 21. *inf. h. t.* Verum vtrumque abolitum. Ex hoc quidem, *vt l. vlt. inf.* ostendit.

Plurima interim *h. l.* notanda veniunt. Primum, Tribunis siue Præpositis militaribus annonas per dies singulos scribtionis indicio adsignatas. *Scribtionis indicio*, id est, Comitis scribtione, *l.* 3. *inf.* Quales extra ordinem Epistolæ Principum, quibus Princeps Tribuno & Præposito proficiscenti annonas & salarium constituebat. Cuiusmodi Epistolas plures videre est apud Pollionem, *in Claudio*, Vopiscum, *in Aureliano & in Probo.* Ex illis interim, quas dixi, Epistolis apparet salarium siue annonas quandoque annuas constitutas, quod etiam docet *lex* 17. *inf.* quandoque vero & quasdam *quotidianas*, diurnas, seu per dies singulos (vt *lex* nostra loquitur) Epistola Valeriani de salario Claudii Tribuni *apud Pollion. in Claud. c.* 14. *Huic salarium de nostro priuato ærario dabis, annuos frumenti modios tria millia, hordei sex millia, laridi libras duo millia, vini veteris sextarios tria millia quingentos, olei boni sextarios centum quinquaginta, olei secundi sextarios sexcentos*, &c. Et mox: *Ligni quotidiani pondo mille, si est copia* &c. *coctilium quotidiana batilla, quatuor.* Item Epistola Valeriani apud Vopiscum in

in Prob. c. 4. de salario Prob. Tribuni hæc verba continet: *Huic dari iubebis in salario diurno bubula pondo porcina pondo sex, caprinæ pondo decem, gallinaceum per biduum; olei per biduum sextarium vnum, vini veteris diurnos sextarios decem, cum larido bubalino, salis, holerum. lignorum quantum satis est.* Rursum Epistola Valeriani de Aureliano Duce apud Vopiscum *in Aurelian. c. 9.* *Sinceritas tua supradicto viro efficiet, quamdiu Romæ fuerit, panes militares mundos sedecim, panes militares castrenses quadraginta: Vini mensalis sextarios quadraginta, porcellum dimidium, gallinaceos duos, porcina pondo triginta, bubula pondo quadraginta, olei sextarium vnum, & item olei secundi sextarium vnum, liquaminis sextarium vnum, salis sextarium vnum, herbarum, holerum quantum satis est* &c. *Ipsi autem, ad sumptus, aureos Antoninianos diurnos binos* &c. Verum de hoc plura dicam *ad l. 17. inf.* Secundo, officiorum variorum *h. l.* fit mentio. *Procuratores* seu *susceptores* primum nominantur: proinde Procuratores Susceptoribus proximi, de quibus accipio & istud Vegetii *lib. 4. c. 7.* (quod eius Interpretem alioquin torsit) *Parum*, inquit, *proficit plurimum collegisse, nisi ab exordio dimensione salubri per idoneos Procuratores erogatio temperetur.* Procurato-
P 300 res Curiarum vocat *l. 32. inf.* hinc & procurationes vel Curæ ciuitatum *l. 20. inf. de Decurionib.* Procuratores igitur quoque Susceptores, quique dispensandis, & erogandis speciebus annonariis præpositi. Alioquin & simpliciter *Curatores* dicti, qui frumenta distribuendo, diuidendo præpositi erant, vt docet Suetonius, *in Octauio cap. 37.* Vide & Cassiodorum *VI. Variar. 18.* Idemque curator Minutiæ dictus, de quo Casaubonus monuit ad *Sueton. loc. cit.* Sequuntur *Præpositi pagorum.* De quibus agitur *h. l.* & *l. 1. sup. de pignor.* & *l. 8. inf. de susceptor.* & *l. 49. inf. de decurion. l. 1. inf. de iis qua administr.* De quibus etsi quædam monuerim ad *l. 1. sup. de pignoribus*, hic tamen vela laxanda sunt. Igitur vt *h. l.* ita & *l. 8. inf. de susceptoribus*, Præpositura Pagorum, horreorum & Susceptores coniunguntur. *Præpositum pagi* vocat *lex 1. inf. de iis qua administrantib.* Præfectum pagis *d. lex 1. sup. de pignorib.* (quomodo legem illam restituendam dixi e *Codice Iustinianeo*) eodemque modo *Præpositi pagi*, non *pacis* in *l. 49. inf. de Decurionib.* Nam & in *d. l. 1.* Intercessoribus seu exactoribus debitorum publicorum pariter, *vt in h. l.* Præpositis vero horreorum, & susceptoribus diuersarum speciatum *d. l. 49.* coniunguntur. Horum mentio fit apud Eusebium, *lib. 9. cap. 1. circa medium* in epistola Sabini P. P. πρὸς τὰς λογιςὰς καὶ ςρατηγὰς καὶ τὰς πραιποσίτας inquit τοῦ πάγου ἑκάςης πόλεως *ad curatores & magistratus, & ad præpositos pagi singularum ciuitatum.* Vbi est quoque qui rentat reponendum τῶν πάγων. Paulo post eosdem appellat τοὺς κατ' ἀγροὺς ἐπιτεταγμένους. Λογιςαῖς loquit καὶ ςρατηγοῖς καὶ τοῖς κατ' ἀγροὺς ἐπιτεταγμένοις *Curatoribus & magistratibus & agrorum præpositis* &c. Παγάρχοι iidem dicuntur apud Isidorum Pelusiotam *lib. 2. ep. 91.* in *Iustiniani Nouellis & in Edicto 13. in præfat. & cap. 24.* Vnde & verbum παγάρχειν quod restituo in *d. l. 1. inf. de iis qua administrantib.* Magistratus vocantur *l. 2. inf. de Salgamo l. 2. inf. de Veteranis.* Siculus Flaccus *de Conditionibus agrorum pag. 9.* inter *Scriptor. rei agrar. Wilelm. Goesii.* eos *Magistros pagorum* vocat, & exactionibus incubuisse ostendit. *Vicinales*, inquit, *viæ de publicis, quæ diuertuntur in agros, & sæpe ad alteras publicas perueniunt, aliter* [quam publicæ] *muniuntur per pagos* [scilicet] *id est, per Magistros pagorum, qui operas a possessoribus ad eas tuendas exigere soliti sunt.* Et sub *finem libri pag. 25.* *Sed & pagi sæpe significanter finiuntur, de quibus non puto quæstionem futuram, quorum territoriorum ipsi pagi sint, sed quatenus territoria.* [scilicet procurrant] *Quod tamen intelligi potest vel ex hoc, Magistri pagorum, quo* (ita enim legendum: id est, quousque) *pagos lustrare soliti sunt, vbi trahamus.* [id est, eousque territorium protrahamus] *quatenus lustrarent. Si vero de ipsis pagis quæstionem quis moueat, ampla rei negotium mouebitur; respiciendum tamen vt sæpe diximus, quibus ex vtroque locantur. Nam & quoties* MILITI *prætereunti aliiue cui comitatui* ANNONA *publica præstanda est. si ligna aut Stramenta deportanda, quærendum cui ciuitati, a quibus pagis* (ita enim locus restituendus est) *huiusmodi munera præberi solita sint.* De quo loco vid. & quæ dicam ad *l. 23. inf.* & *ad l. 2. inf. de excoctione.* (a) Præfecti itaque pagorum seu Magistratus per

(a) Si quid ego video, locum hunc multo accuratius emendauit CL. GOESIVS, quam quidem noster, totus enim vir laudatus in elucidandis antiquitatibus rei agrariæ fuit, atque qui ante eum dixerunt, omnes longe antecelluit. integra eius hic habes verba. *Magistri pagorum*, instituti a Numa Pompilio, vt refert Dionysius Halicarnassens. Eorum munus fuit per possessores prædiorum *vias vicinales* munire, pagos lustrare, horreis publicis præesse, munera debita ex pagis præbere. Hi & *præpositi pagorum* dicti fuere. Vnde *l. 2. C. de susceptoribus*, vocatur eorum munus, *præpositura horreorum & pagorum.* Hos designauit Horatius, vbi dixit,

. . . . . Villula tectum
Præbuit, & Parochi quæ debent ligna salemque

Ad quæ Acron: *Parochi genus officii, qui solent peregrinis salem & ligna præbere.* Idem alibi: *Parochi dicuntur, qui hospitibus publice exhibent necessaria.*

Vti trahamus q. l. Iacobus Gothofredus *ad leg. 10. Cod. Theodos. de erogat. milit. ann.* legendum censet, *vbi trahamus.* minus recte. Vult enim auctor, *vti fines pagi eo vsque trahamus ac producamus, quatenus magistri pagorum lustrarent.*

Pagos lustrare sacrificio ambaruali solent magistri, quod in fine territorii peragi solitum tradit Strabo *lib. 5.*

Quibus ex vtroque locantur. Hæc quamuis nullum sensum admittant, ita tamen citat postremus commentator ad Trebell. Pollion. & Iacobus Gothofredus *ad leg. 10. de erogat. militar. ann.* Sed legendum opinamur: *a quibus euocantur.* Scilicet in hujusmodi hæsitatione quærendum, a quibus ciuitatibus euocantur pagi ad præstanda munera solemnia. Nam & sic *leg. 7. C. de appellat. qui ad aulica munera, vel ad decurionatum, vel honores euocantur.* Pagi ergo in illarum ciuitatum territorio esse intelliguntur a quibus euocantur, cum munera erunt præstanda

Aliiue cui comitatui, publico nomine iter facienti. Quale faciebat

. . . . Mecænas optimus atque
Cocceius, missi magnis de rebus vterque
Legati

Quin & hoc præstitum iis quoque non dubito, qui priuatis de caussis legationes liberas obibant. Quo hæc Ciceronis respicere puto Agraria 2. *Atque illud circumspicite vestris mentibus, legatos, vestros homines auctoritate tenui, qui rerum priuatarum caussa legationes liberas obeunt, tamen exteræ nationes ferre non possunt. Graue enim est nomen imperii, atque id etiam in leui persona pertimescitur, propterea quod non suo, sed vestro nomine, cum hinc egressi sunt abutuntur.*

Quæ ciuitates quibus pagis. Quamuis Iacobus Gothofredus legendum censeat, *cui ciuitati a quibus pagis huiusmodi*

per pagos singulos, inter cætera anoonæ militoris exigendæ, suscipiendæ & vicissim erogandæ cuism præstabont. De Præpositis horreorum dicam infra *Titulo de Susceptoribus*.

Sequitur *Subscribendarius*. Eum eundem facit Cuiacius cum Actuorio (de quo olioquin agetur *l. 11. h. t.*) Nam vt Actuarius Optioni iungitur *in l. 24. inf. h. t. Et Novella Martiani De indulgentiis reliquorum 2.* ito *hac lege* pariter Optioni Subscribendarius iungitur: Et nominis etiam rotio eadem videri possit: Actuarius sane ideo dicitur quod Numerorum ratiocinia pertractaret, *l. 16. inf. h. t.* & octa conficeret eius, quod cuique militi deberetur: Omnibus sane per Orientem Comitibus & Ducibus rei militaris in *Notitia Imperii* tribuitur Subscribendorius, eiusque rursum fit mentio *l. 8. inf. de Cohortalib.* vbi iungitur Tobularius diurnoriis, logographis Censualibus. Verum alius omnino fuit Subscribendorius ob Actuario. Actuorius, in singulis numeris fuit, & militum rotiocinio tractauit: *Subscribendarius* vero vnus tantum fuit sub Comite vel Duce rei militaris, sub quo complures Numeri fuerunt, otque odeo Tribuni & Præpositi. Deinde munus diuersum fuit. Subscribendarius enim, commonitorium siue scriptionis indicium nomine *Comitis & Ducis* conscriptum mox subscribebot. Scriptio erot hac ferme formula seu commonitorio od Procuratores, Præpositos pagorum vel horreorum. *Huic vel illi Tribuno siue Præposito efficies siue dabis tantum annonarum, quam hic, aut ille optio exiget.* Non temere igitur est, quod Subscribendario *h. l.* pœno imponitur pecuniom Tribuno siue Præposito præberi iubenti, cum ipsas species annonarias præberi commonitorio suo complecti debuisset.

Optio (cuius *h. l.* & *l. 24. inf. h. t.* & *l. vlt. de iure fisci*, & *l. 22. inf. de diu. offic.* mentio fit, & *dicta Novella Martiani 2.*) est, qui a Susceptore onnonam militarem exigebat, quom postea erogabat, distribuebat militibus, Tribunis, & Præpositis. Breuiter, *Optio* est erogotor militoris annonæ. Ideo Græci *Basilicorum lib. 54.* quom *lex 1. §. 2. D. de muneribus & honoribus*, oononæ diuisionem vocat, ipsi *Optionem militum* vertunt. Et apertissime Iustinionus *Novella 130. c. 1.* τὰς ἑκάστου τάγματος ὀπτίωνας ἀποδέχεσθαι τὰ εἴδη δίχα τινὸς διαστροφῆς καὶ ἐργένειν τοῖς ἐξάρχοις καὶ τοῖς στρατιώταις τὰς ἐν εἴδη χορηγουμένας id est, *vniuscujusque Numeri optiones suscipere species sine vlla tergiuersatione, & erogare Præpositis & militibus in specie præbitas annonas.* Vide & *Novellam 117. cap. 11.* Sed & Procopius *lib. 1. de Vandalico cap. 17.* ὃς οἱ ἐπεμελεῖτο τῆς περὶ τὴν οἰκίαν δαπάνης. Ὀπτίωνα τοῦτον καλοῦσι Ῥωμαῖοι, id est, *Curam gerebat erogationis militaris. Optionem hunc vocant Romani.* (b) Quo loco Vir doctus nescio quos *Optiones* domesticos somniat ob Optionibus militoribus diuersos. Nam ἡ περὶ οἰκίαν δαπάνη est erogotio militaris quæ fiebot in familios militum. Cyrillus quoque in lexico ὀπτίωνα, vertit ὀψώνα, id est, *obsonatorem*, non vt quidam voluit *obsidem*. Synesius *epistola 87.* ταμίαν καὶ σιτοδότην τοῦ τάγματος appellat. Optionis officium Nicolaus Pepigumenus *in Panegyrico Sancti Isidori in Act. Sanct. ad XV. Maj.* declarot. Denique huoc eundem Annonarium dici existimo, *l. 3. inf. de Numerariis.*

Postremo notanda sunt *h. l.* illo verba, *Annonas suæ congruas dignitati sumere.* Quæ jam expendi & illustravi prolixius ad *l. 11. sup. de Palatinis:* vid. & *l. 32.* & *l. vlt. inf.*

Hinc interim obseruetur; statum cuique dignitoti militori onnonarum modum fuisse. Comitibus & Ducibus compertum. Sic vt ad Tribuni, vel Præpositi dignitotem euecto aliquo, nil opus foret Principis Codicillis onnonarum modum adscribi: quod etiom confirmot *lex vlt. inf. h. tit.* Proinde, quæ salaria seu onnonæ specialiter Epistolis Imperotorum apud Historiæ Augustæ Scriptores Tribunis vel Ducibus deferuntur, vltro ordinis sui ferme grodum decerni obseruandum est & hobendum.

munera præberi solita sint. nihil tamen erit mutandum. Nam ipsæ ciuitates præbebant annonam pagis, siue per pagos eorumque magistros, militi aliive comitatui prætereunti.

(b) Vide quæ de *Optione* notat Cuiacius od *leg. 7. Cod. Iust. de exact. tribut.* cuius hic noster vestigia pressit.

P. 301 PRÆSEGMINVM CARNIS *militibus erogandæ; modus a Constantino definitur.*

XI. (a) Imp. Constantius A. ad Taurum. (b)

CVM Militibus, per Africam (c) constitutis, laridum, vel recens forsitan caro, deinceps erogabitur, vngulas orisque tantummodo summitatem præcidi amputarique præcipimus, ne porcina integra separetur, sed erogationi proficiat annonariæ. Dat. VIII. Id. April. Arbitione & Lolliano Conss. [355.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) P. P. Italiæ, vt vel *Africæ* mentio in *hac & sequente lege* ostendit: cuius multo quoque mentio optd Ammianum Marcellinum & historiæ Ecclesiasticæ Scriptores: Porro quia Annonæ militaris vt totius rei annonariæ) cura ad Præfectos Prætorio pertinebat, quod ex Zosimo & Ammiano Marcellino liquet, ideo tot *leges* hoc titulo *Præfectis Prætorio* inscribuntur. *ID.*

(c) Ad eandem *Africam* pertinet quoque *lex proxima seq. ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII quinque constitutiones ordine sequuntur, de Annono militari: e quibus duæ priores ad Africam pertinent, tres postremæ od Orientem. Hæc est de PORCINÆ carnis in milites erogatione. Caro scilicet, & Porcino quidem, oonnonæ militaris numero olim fuit; id est, inter cæteras species militi pro stipendio præberi solitas, etiom caro porcina fuit: vt præter *hanc legem* docet quoque *lex 6. h. t.* & *l. 17. inf. de Cohortalib.* Docent id præterea plures Imperotorum Epistolæ, quas od *superiorem legem* protuli. Quin & Gregorius Nazianzenus *Orat. 21. in Athanasium. p. 382. edit. Colon.*

Colon. siu. Lipf. Weidm. qui susceptoris hujus laridæ carnis meminit: τὰ τελευταῖα δὲ καὶ πολιτεία παρεισφθαρὲν καὶ πιςευθὲν ταύτης τὰ ἔσχατα ὅσον ὑείων κρεῶν ὑποδοχέα γενέσθαι. οἷς τὸ ςρατιωτικὸν τρέφεται. *cum ad rempublicam gerendam pestifere se contulisset, atque extremo & sordidissima illius muneri, hoc est suillis carnibus, quibus turba militaris alitur suscipiendis præfectus fuisset.* Sed & Themistius *orat. 4 edit. Petav. sive Orat, 23. edit. Harduin. p. 292.* Quo loco ait, se contentum viuere pane & oleo, seu eo salario quod ad annonam ciuicam magis accederet, quam ad militarem: cum tamen vi decretæ sibi a Printipe anoonæ posset longe plura percipere, quæ indecorum ipse putet Sophistæ capere: ὅςις οὖν φιλοσοφίας μεταποιούμενος, καὶ τῦτα τὄνομα ἕλκων τε καὶ ἀναγκάζων ἱςατεύει ταρίχη καὶ ζυγομαχεῖ τοῖς ταμίαις, τὸν οἶνον καὶ τὰ ὄψα ἀπαργυρίζων. ἔτος ψεύδεται μὲν τὰ τριβώνιον ἅπτει δὲ ἐπὶ τὴν ζώνην καὶ τὴν χλαμύδα καὶ φορτικώτερός ἐςι τῶν τὰ ὅπλα φερόντων ςρατιωτῶν. Διὰ ταῦτα οὖν ὅσα μὲν τὴν χρείαν μοι ἀναγκαίαν εἶχε, καὶ οἷς σιταδοτεῖ βασιλεὺς τὰς οἰκήτορας τῆς πόλεως ἢ τὰς ςρατιώτας, ἀπολαύω καὶ αὐτός, ὦ ἄνδρες, τὰ μέρος. μετέχω γὰρ τῆς πολιτείας, &c. *Quare qui Philosophiam profitetur, atque istud nomen ubique trahens, atque obtrudens, interim salsamenta suilla carnis appendit, & cum dispensatoribus rixatur, vinum atque obsonia distrahens: hic & pallium ementitur, & ad cingulum & chlamydem conuolat, & arma ferentibus militibus multa est importunior. Propterea quæcunque ad usus vitæ quotidianæ necessaria sunt, ac quicquid frumenti non in milites, sed in ciues diuidit imperator: harum partem & ego, auditores, accipio. Ciuis enim huius vrbis sum.* Quo loco, vti dixi, Themistius annonam ciuicam Constantinopolitanam & militarem quæ militibus dabatur, distinguit: nempe illam frugalem fuisse, quæ sane panem & oleum non excedebat, vt docebit *titulus inf. de annonis ciuicis*: hanc vberiorem longe, vt quæ contineret laridum, vinum, & obsonia. Quem huius loci sensum cum non caperet Petauius, turbide omnia miscuit in notis subiectis. (a) de quo dicam etiam in partem *ad l. 7. inf. de annon. ciuic.* Porro porcina, quæ militi dabatur, non recens semper erat sed *larida* aridaque: ideoque *laridi* appellatione *h. l.* vt & *l. 6. inf.* significatur, seu laridæ carnis, *d. l. 17. inf. de cohort. abb.* Quare & in *Glossis* Philoxeni, *laridus* ξηρός. Et tamen Recens quandoque caro etiam præbita fuit militi, vt *hac lex* testatur: Quia appellatione (*hac* quidem *lege*) proprie recens porcina venit, quandoquidem vtrumque (laridum inquam, & caro recens) *initio legis* expressum, *fine eiusdem* vnica *porcinæ* appellatione comprehenditur. Certe præter laridum seu porcinam (non recentem scil.) recentem etiam præbitam, Valeriani quoque Epistola docet apud Vopiscum *in Aurelian. c. 9. Porcellum*, inquit, *dimidium, gallinaceos duas, porcina pondo triginta, bubula ponda quadraginta.* Quinimo & Veruecina militi data, quæ *larido* opponitur, *d. l. 6. inf.* Item bubula quandoque & caprina, Epistola Valeriani de Probo Tribuno apud Vopiscum *in Probo cap. 4. Huic dari iubebis in salario diurno bubula pondo, porcina pondo sex. caprina panda decem, gallinaceum per biduum, olei per biduum sextarium vnum, vini veteris diurnos sextarios decem, cum larido bubalino, salis, olerum, liguorum, quantum satis est.* Vbi obiter notandum, *laridi bubalini* appellatione, non porcinam, non bubulam intelligi (earum enim superius facta mentio) verum carnem non recentem de bubalo. Laridum enim omne ξηρὰς secerenore significatu, vt iam dixi, *Glossa* Philoxeni *Laridus* ξηρός. Et tamen recentem carnem haud frequenter datam militi, hæc ipsa *lex* indicat, voce FORSITAN.

Porro militibus seu militaribus certus librarum seu pondo numerus præstitutus fuit, quem nunc non eruo. De eo qui Ducibus & Comitibus, itemque Tribunis quandoque præbitus, monent satis Historiæ Augustæ Scriptores. Proinde ad libram & pondus erogata caro, vt præter *hanc legem* ostendit *lex 17. inf. de Cohartalib.* Et Augustæ historiæ illi præterea *Scriptores*. Quin & Themistius superiore loco *aratione 23. pag. 292. edit. Harduin.* ὅςις οὖν φιλοσοφίας μεταποιούμενος, ἱςατεύει ταρίχη, καὶ ζυγομαχεῖ τοῖς ταμίαις, τὸν οἶνον καὶ τὰ ὄψα ἀπαργυρίζων, ἔτος ψεύδεται μὲν τὸ τριβώνιον, ἅπτει δὲ ἐπὶ τὴν ζώνην καὶ τὴν χλαμύδα, καὶ φορτικώτερός ἐςι τῶν τὰ ὅπλα φερόντων ςρατιωτῶν, id est: *Qui igitur Philosophiam profitetur, & interim porcinam appendit, & cum Susceptoribus de libra seu pondere contendit, vinum etiam & annonam adærans, hic & pallium ementitur, & ad cingulum & Chlamydem conuolat, armaque ferentibus militibus onerosior est.* Qui locus ad hanc *legem* quoque eo facit, vt ostendat scilicet exortas inter milites & susceptores contentiones, non tantum de ipso porcinæ pondere, verum quid appendendum, militique erogandum veniret. Volebant scilicet milites opimam & optimam sibi carnem appendi, resecatis & abiectis quamplurimis: quod & hactenus factum videtur: idque innuit vox DAINCEPS *h. l.* Verum hac Constantii constitutione cauetur, vngulas & oris tantummodo summitatem præcidi & amputari deinceps oportere, ac p. 302
non etiam aut pedes integros, aut caput integrum, quia & his partibus non minimum carnis adhæret; quod his verbis indicatur, *ne porcina* INTAORA *separetur.* Præsegminum igitur modum hæc *lex* constituit: id enim sibi vult proprie *præsegminum*, vel *resegminum* vox: vid. Nonium, *c. 2. num 639.* & Fabium, Planciadem Fulgentium in *exposit. serm. antiqu.*

His ita perspicue constitutis, apparet quam falsum huic legi sensum Gutherius affinxerit *de off. dom. Aug. lib. 2. c. 9. pag. 368. edit. Lips.* quasi id *h. l.* constituatur, in Africa annonas præbitas in larido, vngulis orisque summitatibus.

Sane neque hinc abludit auctoritas Turcii Aproniani P. V. qua *præsegminum* pariter modus, qui lanioni cederet, & in venditionem venire non debebat, statuitur.

ADPENSO PECORE: CAPITE, PEDIBVS, ET SEVO LACTANTE, ET SVAGVLARI, LANIO CEDANTIBVS, RELIQVA CARO CVM PELLE ET INTERANEIS PROFICIAT VENDITORI &c.

Tandem obseruandum, hanc *leg.* pertinere ad Milites per Africam constitutos (pariter vt *lex prox.*) Nempe hac Constantii quoque Imp. tempestate Austurianis Mauricisque Gentibus qui Africam subinde incursabant, miles oppositus erat. Neque ideo minus ad alias prouincias huius Constitutionis ius producendum est, quod tamen nonnulli negare visi sunt, quasi in Africa tantum id obtinuerit, vel obtinere debuerit.

(a) Rectius interpretatur locum *Cl. Harduinus*, qui nostri sententiam sequutus est, quamuis Gothofredianum nomen (quod ipsi solemne est) tacuerit.

III. (a) Idem A. & Iulianus Cæsar ad Taurum. (b)

COMES (c) Militaris rei per Africam conſtitutus contra veritum ſpecies annonarias de conditis (d) arbitrio ſuo dicitur vſurpaſſe: Hoc de cætero citra Vicarl (e) arbitrium fieri non poteſt, niſi (f) Vicarius, Comitis ſcribtione (g) conuentus, didicerit, quinumerus annonarum & quibus debet erogari, atque id fieri oportere cenſuerit. (h) Dat. XV. Kal. Ian. Sirmio (i) Conſtantio A. VIIII. & Iuliano C. (k) CONSS. [357.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFREDVS.

(b) Taurus Præfectus Prætorio Italiæ ſub Conſtantio. Quad ex *Africa* mentione patiter vt *h. l.* ita & *ſuper.* liquet, de eo plura in *Proſopogr.* IDEM.

(e) De Coonte rei militaris per Africam alibi dico. Eius quoque mentio apud Ammianum Marcellinum, *lib.* 30. *c.* 2. IDEM.

(d) De hoc dicam mox. IDEM.

(e) De *Vicario* Africæ alibi dicetur. IDEM.

(f) Addendum videtur, ET. vel, *id eſt*, vel *niſi ſcil.* ID.

(g) De hac *Scriptionis* voce dixi *ad l.* 1. *ſup.* ID.

(h) Id eſt, iuſſerit. ID.

(i) *Sirmii* hoc tempore conſtitutus erat Conſtantius, vt teſtatur quoque Ammianus Marcellinus *lib.* 16. *c.* 10. Sozomenus *lib.* 4. *cap.* 14 Ibidem data hoc ipſo Anno ad eundem Taurum *l. l. lex* 17. *infr. de appellat.* Nempe Sarmatarum motibus componendis: vide *Chronicon.* ID.

(k) Addendum *II.* ID.

COMMENTARIVS.

COMES REI MILITARIS de conditis militaribus (id eſt, ex ſpeciebus annonatiis in horreis repoſitis) quicquam depromere ſeu vſurpare citra Vicarii Præfecti prætorio authoritatem, vt antea vetabatur, ita & *hac* Conſtantii *lege* prohibetur, vt de conditis ſcilicet aliquid depromi in vſus militares poſſit, & *excludi* (vt vtat verbo *legis* 16. *inf. h. t.*) Vicarii authoritas requiritur: & quidem hac forma; Comes ad Vicarium ſcribere debet, quantus annonarum numerus & quibus debeat erogari. Tum demum approbante Vicario erogatio fieri debet: Vt enim *Vicarium* conlationis cura reſpiciebat (*l. 1. ſup. de officio vicarii*, vbi plenius dixi; Eodemque refero *l. 1. de off. Iudic. omn. l. 1. de ann. & trib.*) ita & erogationis ipſius ſollicitudo, *h. l.* Neque id Comitib. rei militaris permitti oportuit, ne alioquin annonæ militaris ratio non conſtaret, quidlibet pro arbitrio ſuo ex horreis Comite promente, præſumente, & vſurpante; idque in prouincialium damnum, quos annonæ militaris collatio reſpiciebat. Quæ diſpenſatio militaris annonæ notanda eſt, tum vt ne militi quid deeſſet, tum vt ne prouinciales iterata collatione affligerentur. CONDITA *h. l.* & *l.* 15. *inf. h. t.* (quæ & *horreorum condita* dicuntur, *l.* 10. *inf. de Numerariis*: & fiſcalia condita, *l.* 16. *infr. h. t.* Et de quibus eſt *infr. titul. de conditis in publicis horreis*, & de quibus vide *Gloſſar.* plenius) ſunt ſpecies annonariæ fiſcales ſeu publicæ in horreis reconditæ ſeu repoſitæ. Condita militaria dixit Spartianus *in Hadriano c.* 11. *Laborabat*, inquit, *vt condita militaria diligenter agnoſceret.* Meminit & Capitolinus *in Gordiano Tertio c.* 28. *Cuius viri*, inquit, *tanta in Republ. diſpoſitio fuit, vt nulla eſſet vnquam Ciuitas limitanea potior, & quæ poſſet exercitum populi romani ac principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento, & larido atque hordeo & paleis condita non haberet. Minores vero vrbes aliæ triginta dierum, aliæ quadraginta, nonnullæ duorum menſium, quæ minimum, quindecim dierum.* Et mox *c.* 29. *Tantum quantum diximus, habuerat conditorum, vt vacillare diſpoſitio Romana non poſſet.* Frequens horum apud Symmachum *mentio*, & alios. Græci pariter vocant ἀπόθετα in *Nouella Iuſtiniani* 163. & in *Gloſſis* Cyrilli ἀπόθετον *Conditum*, Polybius *lib.* 2. *c.* 15. παραθέσεις εἰς τὰ στρατόπεδα vocat: quo loco & de *Poreis* agit. Huc & iam pertinet Ammiani Marcellini locus *lib.* 14. *c.* 2. LOCVM, inquit, *pertinere, Paleas nomine, vbi conduntur nunc vſque commeatus, diſtribui militibus omne latus Iſauriæ defendentibus, adſueti.* Vide & Caſſiodorum IX. *Var.* 5. De locis porro in quibus hæc condita, dicam *ad l.* 15. *inf.*

P303

IIII. (a) Idem A. Helpidio. (b)

CVM in expeditione militea degant (c) biduo Expeditionalem annonam, tertio die panem conſequantur ac vinum. Dat. IIII. Kal. Ian. Doridæ, (d) Datiano & Cereale CONSS. [358.]

NOTAE.

(a) Concordat *lex* 6. *infr.* ad aliquid. Et tamen *ea ipſa lege* partim abrogatur. GOTHOFR.

(b) An hoc iam tempore Præfect. Prætorio Orientis erat? Eidem inſcribitur *d. l.* 6. *infr.* qua hæc ex parte abrogatur, & *l.* 11. *infr. de curſu publ.* A. D. 360. Cætera de hoc Helpidio, vide in *Proſopog. Cod. Theod.* ID.

(c) Forte *degunt* vel potius *degent*. Quanquam & *degant* ſuſtineri poteſt. vt ita, CVM, cauſaliter accipiatur quaſi dixiſſet, *Quandoquidem milites in expeditione degant, æquum eſt*, &c. vel denique *cum degant*, huius ſeculi ſtylo in barbarum iam flexo, *Id.*

(d) An potius *Doride* Macedoniæ regione? ID.

COM-

COMMENTARIVS.

EXPEDITIONALIS annonæ, seu specierum, ALTERNATIO quædam erat: id est, alternis diebus milites Expeditionis tempore seu in Expeditione degentes, modo hanc minoris pretii & gustus, modo illam maioris consequebantur; vt præter hanc *legem* ostendit pariter *lex 6. infr.* Hac sane *lege* (veteri consuetudine abrogata, vt docet *d. lex 6*) Constantius iubet, biduo expeditionalem annonam militi dari, tertio tantum die, panem & vinum. De larido & vernecina nihil agit, imo vtrumque militi denegare videtur, de quo ad *leg. 6. inf.*

Expeditionalis annona *hic*, & *l. prox. 5.* est quæ solenniter & frequentius expeditionis tempore militibus datur, quæque nonnisi expeditionis tempore præbebatur; Ita & *vsus expeditionalis* in hoc eodem argumento, Spartiano & Am. Marcellino *lib. 28. c. 6.* & *Portus expeditionales* dicuntur, *leg. 35 inf. de Nauicularis* & *l. 2. inf. de naufragiis* & Tessera expeditionalis, Marcellino, *lib. 23. c. 2.* Forte vox ea restituenda apud Suidam *voce* ἐσκεπονδίαι vbi sic scriptum, ἐσκεπονδίαι κατὰ Ῥωμαίους στρατιωτικὰ ἐφόδια. Ἐσκεπονδίαι. *Sic romanorum lingua nominantur commeatus militum.* Scribam ἐξπεδῖται. Quanquam in *Glossis Basilicorum* σεσκεπονδία editum. (a) Porro oppositio quæ *h. l.* fit huius annonæ expeditionalis & panis vinique, aperte ostendit, expeditionalis annonæ appellatione duo hæc, buccellatum & acetum intelligi oportere: quorum illud pani, hoc vino, in *d. l. 6.* opponitur; vbi dicendi locus erit plenior. Nempe enim etsi expeditionis quoque tempore panis & vinum militi præberetur, attamen quia & in sedibus dabantur, expeditionalis annonæ appellatione non veniebant, sed buccellatum & acetum, quia in expeditione tantum dabantur: Qua parte tamen multi lapsi qui hæc non distinguunt.

Huic *legi* & *duab. sequentib.* commune istud est, quod ad eundem Præfectum Prætorio scriptæ sint, & pertineant ad expeditionem PERSICAM, seu ad milites Sapori R. Persarum siue limiti Persico oppositos. De qua expeditione videndus est Ammianus Marcellinus *lib. 17. cap. 5. 14.* ac nominatim in *Gestis* Anni 359. & 360. *lib. 18. c. 4. lib. 20. c. 4. 6. 7. 8.* Cæterum, vt dixi, alternatio hæc, obtinet, cum milites in expeditione degunt, & vt *d. lex 6. inf.* pariter ait: *expeditionis tempore.* Proinde, alius modus fuit, quoties *in sedib.* milites degebant. Alia scilicet est ratio militum in expeditione degentium, alia in sedibus constitutorum, vt *alibi* ostendo.

(a) *Lud. Kusterus* notat, vocabulum vtrumque & apud Suidam quod occurrit & quod in Gloss. Basili or est, videri detortum esse ex voce latina *stipendium.* Satis ingeniose. Gothofredus multo cautior, qui ex Suidæ mente & natura rei coniecturam fecit, quamuis nondum videam, quomodo vox ἐξπεδῖται in ἐσκεπονδίαι abire potuerit.

V. (a) Idem A. Helpidio PP. (b)

EXPEDITIONALEM (c) annonam ex horreis milites viginti dierum debent suscipere, vt eam transuehant propriis in Expeditione necessitatibus profuturam. Dat. Prid. Id. Mart. Constantinop. (d) Eusebio & Hypatio CONSS. [359.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) Helpidius PP. Orientis sub Constantio. Meminit eius Ammianus Marcellinus *lib 21 cap. 6.* in Gestis Anni 361. Et Hieronymus, *in vit. Hilarionis pag. 158. Tom. I. oper. edit. Francf. Christ. Genschii Sumptib.* Vide & *l. 4. supr.* & *l. 6. infr.* & plene *in Prosopogr.* ID.

(c) dixi ad *l. super.* ID.

(d) Vide quæ notaui *in Chronico.* ID.

COMMENTARIVS.

PORTARE seu Transuehere miles ipse, in expeditionem pergens, annonam EXPEDITIONALEM ex horreis acceptam, seu ἐφόδιον στιπηρίσιον, ad aliquot dierum vsum, puta ad viginti dies, iubetur a Constantio Imp. *hac constitutione.* Quod & ipsum Iulianum quoque Cæsarem egisse testatur Ammianus Marcellinus *lib. 17. cap. 8.* (in Gestis anni superioris 358.) *Viginti*, inquit, *dierum frumentum, ex eo quod erat in sedibus consumendum, ad vsus diuturnitatem excoctum, buccellatum, vt vulgo appellant, humeris imposuit libentium militum, hocque subsidio fretus, secundis vt ante auspiciis profectus est intra mensem quintum vel sextum duas expeditiones consummari posse vrgentes & necessarias arbitratus.* Sed & *lib. 16. cap. 11.* *Victum*, inquit, *defensoribus ibi locandis ex barbaricis messibus non sine discriminis metu, collectum militis manu condidit in vsus anni totius. Nec sane hoc solo contentus, sibi* [id est, ad Expeditionem] *quoque viginti* P.304 *dierum alimenta parata collegit.* Item quoque Libanius *orat. funebri Iuliani, pag. 302. edit. Morell.* tradit de eodem Iuliano iam Imperatore, bello Persico. ἐπεὶ δὲ τῆς μὲν πεφυτευμένης ἐπὶ τόλει τῆς δὲ ψιλῆς το καὶ ὁδὸν φαυλοτέρας, ἦσαν ἐν μέσῳ κηρύπτει σιτία φέρεσθαι τὸν στρατὸν ἡμερῶν εἴκοσι: τοσαύτη γὰρ ὁδὸς ἐπὶ τὴν ἀρίστην τε πόλιν καὶ ἅμα τῆς ἡμετέρας ὅμορον. *Quoniam autem in exitu terra consita erant, atque in medio nuda ac nihilo deterior it, promulgat vt frumenta ferret exercitus ad viginti dies. Tantum enim via fuit ad vrbem optimam, ac simul nostræ conterminam.* Et alioquin tamen solemnis ferme hac parte dierum numerus fuit decem & septem. Lampridius *in Alexandro Seu.* cap. 47. *Milites Expeditionis tempore sic disposuit, vt in Mansionibus annonas acciperent; nec portarent cibaria decem & septem (vt solent) dierum, nisi in Barbarico: Quamuis & illic mulis eosdem atque camelis adiuuerit, dicens milites se magis seruare, quam se ipsum, quod salus publica in his esset.* Recte Lampri-

Lamprid. VT SOLENT. Itaque & Ammianus Marcellinus *d. lib. 17. cap. 9.* paulo post superiorem locum, *Ex Annona*, inquit. *decem dierum & septem, quam in Expeditionem pergens vehebat cervicibus miles, portionem subtractam in iisdem condidit castris.* Solitus proinde ferme dierum numerus, septendecim erat. Itaque & Cicero *in Tusculana 2. c. 16.* inter agminis onera ponit ferre plus dimidiati mensis cibaria. Verum ex conditione locorum & consiliis Ducum id alias sæpe pependit. Nam etiam triginta dierum, id est, menstruum seu totius mensis frumentum, militem ferre iussum a Scipione Numantino, narrat Liuius *l. 44. c. 2.* *Menstruum iusso milite secum ferre profectus est.* Et in Epitom. lib. 57. *Et triginta dierum frumentum ad septenos vallos ferre cogebat.* Apud Cæsarem, *lib. 1. de bell. ciuil. cap. 78.* frumentum dierum 22. Tridui viaticum memorat Iosephus *lib. 3. c. 5.* Sed & Curtius *lib. 5. cap. 4.* Alexandrum M. refert iussisse militem *tridui alimenta portare.* Vide & ad aliquid Vibicum *lib. 5. c. 4.* (a) In genere de annona expeditionali quam miles ipse portabat, est & hic incerti Scriptoris apud Suidam locus *voc.* σιτύρα. *σιτύρας ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτοὶ φέροντες, ἐν οἷς δὴ ἄλλο οὐδὲν ὅτι μὴ διπύρους ἄρτους οἴκοθεν ἐμβεβλημένοι ἀφῆκοντο. Sisyras in humeris ferentes in quas nihil aliud quam panes bis coctos domo abeuntes coniecerant.* Porro *expeditionalis annonæ* appellatio *h. l.* eodem modo quo superiore exaudienda est, & quidem pro buccellato: vt Ammiani Marcellini *locus* superior suadet.

(a) Quæ hic congessit noster omnia notauerat cum aliis huc pertinentibus CL. LINDENBROGIVS ad Marcellin. *lib. 16. cap. 11.* & CL. LIPSIVS *de militia Rom. lib. 5. dialog. 11.*

VI. (a) Idem A. & Iulianus Cæs. Helpidio PP. (b)

REPETITA consuetudo (c) monstrabit (d) Expeditionis (e) tempore buccellatum ac panem, vinum quoque atque acetum, sed & laridum (f) carnem & verbecinam etiam milites nostros ita solere percipere: biduo, buccellatum; tertio die, panem, vno die vinum, alio die acetum; vno die laridum, biduo carnem berbecinam. Dat. XVI. Kal. Iun. (g) Hierapoli, Constantino (h) X. & Iuliano C. III. CONSS. [360.]

NOTAE.

(a) Lex 1. *Cod. Iust. eod. tit.* Concordat *lex 4. sup.* argumento scil. Sed dispositione aliquantum discordat. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Helpidius* PP. Orientis sub Constantio. vid. *Prosopogr. ID.*

(c) Quæ obtinebat ante *l. 4. sup. ID.*

(d) Nil immutandum. *monstrauit* in *Cod. Iust. ID.*

(e) *Cum in expeditione milites degunt.* Ita pariter *d. l. 4. sup. ID.*

(f) *Sed & laridum, & carnem veruecinam etiam.* Ita *Cod. Iust.* potest ita restitui transponendo, ET, *laridum, & carnem veruecinam.* vel ita, *laridam carnem, &c.* vt *l. 17. infr. de cohortalibus. ID.*

(g) Forte, *Ian. ID.* Dubius hic hæsit Gothofredus. Et forte *Hierapoleos* nomen eum monuit, vt statuere maluerit, legendum esse *XVI Kal. Ian.* datamque legem sub anni finem fuisse. In *Chron. hist. huius anni* miratur, Marcellinum huius ciuitatis nullam iniecisse mentionem, cuius tamen ego expressa hanc in rem verba excitaui, simulque indicaui legem hanc ad hunc annum referri non posse, quod tamen credidit noster, sibi etiam persuasit Cl. Pagius *in Critic. ad Annal. Baron. ad h. an.* dum ad expeditionem Persicam eam referunt. Sed lex data omnino est propter expeditionem, quam meditabatur *Constantius* aduersus Iulianum, iam lenito metu Persico, imo plane deposito, Augustus copias reduxit ex Mesopotamia Hierapolim, vt expresse testatur Marcellinus *lib. 21. cap. 13.* *Lenitoque metu, reuocatis omnibus, præter eos quos consuetudo præsidio Mesopotamiæ destinarat, reuersus est* (Constantius) *Hierapolim.* Neque prius constitisse Constantinum *Hierapoli* apud auctores legimus. Duo restant dubia, primo *inscriptio*, quæ *Iuliani* præfert nomen, quod tamen Constantius contra tyrannum mouens, non addidisset. Secundo *subscriptio* huius anni Coss. exprimit, quo tamen anno Hierapoli non fuit Constantinus. Sed ita mihi videtur. Iulianus mirifice fauens militibus, & studiosissimus eorum commodis, legem Constantii Hierapoli datam renouauit addito suo nomine, & cum *Tauri & Florentii* Consulum nomina quæ sequentem designabant annum, essent ipsi inuisa eorundemque damnata memoria, quod patet ex Ammiano *lib. 22. cap. 3.* factum forte, vt subscriptum fuerit legi *P. CO Constantii X. & Iuliani C. III.* Coniunge hæc cum iis, quæ noto in Chron. histor. h. a. & obseruabis rationem fuisse, quod ita senserim. Si quis vero Ammiani verba. *reuersus est* (Constantius) *Hierapolim* putaret indigitare, quod Imperator hac in vrbe iam ante constiterit (quod tamen si integrum locum inspicimus vix probari potest, neque latinum est) tum nihil mutandum, neque admittenda nostri coniectura *Kal. Ian.* Sed placet prior sententia, quam etiam videntur confirmare priora huius legis, *repetita consuetudo monstrabit. RITTER.*

(h) *γρ. Constantio. GOTHOFR.*

COMMENTARIVS.

ALTERNIS diebus præbendæ militibus expeditionis tempore annonæ forma, vt *l. 4. sup.* a Constantio præstituta fuit; ita & *hac* quoque, & plenius & paulo aliter ab eodem Imp. constituitur A. D. 360. Ab eodem, inquam, Constantio (Balduinus perperam hanc *leg.* inter Constantinianeas referebat.) Et hæc quidem biduo scilicet, buccellatum, tertio die panem (in quo huic *legi* cum *d. l. 4.* conuenit) vno die vinum altero acetum, præberi iubet Constantius. (Proinde abrogatur hac parte *d. lex 4. sup.* quæ biduo acetum, tertio tantum die vinum præberi volebat.) Denique; quod omissum

penitus *d. l. 4. sup.* vno die laridum, biduo carnem veruecinam. Plenius itaque *h. l.* Constantius militibus consultum iuit, & vt ipse volt, *reperta consuetudine.* Quod & idem videlicet obseruaretur ante *d. lege 4. sup.*

De buccellato & aceto laridoque nunc videndum est: quandoquidem priora duo *expeditionalis annona* appellatione venisse, superius ad *d. l. 4.* ostensum est. Quanquam & iam ferme nota sint pleraque quæ de iis dici possunt. Buccellatum igitur, *h. l.* & *l. 2. inf. de excoctione,* est non panis (recens scilicet) a quo *hac l.* separatur buccellatum: pariter vt *l. 4.* expeditionalis annona a pane separatur: verum frumentum ad vsus diuturnitatem excoctum, vt Ammiani Marcellini locus ostendit, quem ad superiorem *legem* laudaui; de qua excoctione agetur *inf. tit. prox. de excoctione & translatione annonarum.* cuius tituli *l. 2.* nominatim de *buccellati* excoctione agitur. Iulianus *Orat. ad S. P. Q. Atheniens. fere sub fin. pag. 286 edit. Lipsiens.* in historia huius ipsius temporis *πυρὸν κατειργασμένον frumentum elaboratum* vocat. Olympiodorus quoque, *apud Photium & Tom. I. Script. Rer. Byzant. pag. 146. edit. Venet.* τὸν ξηρὸν ἄρτον βυκέλλατον καλεῖσθαι *panem siccum buccellatum vocari* ait, & addit inde *Buccellarios* milites dictos: quem secutus est etiam Constantinus *primo libro* περὶ θεμάτων *themat. 6.* vbi inter cetera βύκελλος τὸ κρικελλοειδὲς ψωμίον καλεῖται *Buccella*, inquit, *panis dicitur in modum circuli factus:* In Glossis, *Buccella* ψωμία. Meminit & Vulcatius *in Cassio, cap. 5. præter laridum*, inquit, *ac buccellatum atque acetum, militem in expeditione portare prohibuit: Et si aliud quidpiam reperit, luxuriem non leui supplicio affecit.* Sed & Spartianus *in Pescennio Nigro, c. 10.* cuius verba paulo altius repetenda sunt: *Hic tanta fuit seueritatis, vt cum milites quosdam in cāneo argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, iusserit omne argentum submoueri de vsu expeditionali: addito eo, vt ligneis vasis vterentur.* Et mox; *Idem iussit vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto vniuersos esse contentos: Idem pistores sequi expeditionem prohibuit, buccellato iubens milites & omnes contentos esse.* *Græci* δίπυρον καὶ ἄρτον ξηρὸν dixerunt. V. Suidam in δίπυρος ἄρτος. Iulianus *in fin. epistola 27. ad Libanium*, de sua in Persas expeditione *pag. 402.*
P. 305 *edit. Lips. Spanhem.* ναῦς πληρῶνται ποταμίαι πυρῶν, μᾶλλον δὲ ἄρτων ξυρῶν καὶ ὄξυς. *Naues fluuiatiles implentur frumento vel potius pane cocto atque aceto.* His interim locis ferme omnibus obseruа, buccellatum aceto iungi, quod vtrumque *expeditionalis annona* proprie appellatione comprehendi ostendis, quin & laridum quandoque, vt apud *Vulcatium:* cætera tria extra hunc numerum ferme fuere, panis inquam, vinum, & veruecina.

Vt ad *buccellatum* redeam: Glossarium vetus manuscriptum *Reg. Cod. 2062.* βυκελλᾶτυ ἤγουν ἐλαφρῦ ὃς λέγεται κολλίκιον; vbi ἔλαφρος vocatur, quod minoris ponderis esset quam panis: scilicet buccellati duplex commoditas erat, ad vsus inquam diuturnitatem excoctum; vt diserte ait Ammianus Marcellinus *lib. 17. cap. 8.* & vt facilius portaretur. De *buccellato* vide & locum Procopii *de bell. Vandal. lib. 1. cap. 13.* vbi de Ioanne PP. Qui plura volet, consulat *Glossarum Collectores* nuperos & Græcos μιξοβαρβάρους. (a) *Paxamadia* seu *Paxamatia*, & *paxamata*, panes eum h s eosdem faciunt, de quibus vide *Suidam voc.* παξαμᾶς. De eorum pondere scribit Cassianus, *Collat. 2. cap. 18. Praposuerunt cunctis illis refectionem sicci panis, cuius æquissimum modum in duobus paxamatiis statuerunt, quos paruulos panes vix vnius libra pondus habere certissimum est.*

Illud præterire non possum, ab hac *expeditionali annona* Eulogias quoque in Ecclesia, quas Episcopi ad alios dirigebant, buccellatum eleganter vocari a Paulino *ep. 36.* Ne *vacuum fraterna humanitatis officium videretur, de buccellato Christiana expeditionis, in cuius procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi pariter & filio nostro Licentio misimus.* De *Aceto* præter superiora docuerunt iam multi, Expeditionalis annonæ partem id fuisse: Scilicet aceto aqua diluto milites potabantur, acetumque vini loco apud Veteres habitum, vel Iurisconsulti nostri docent. De *Larido* tandem, præter Themistii locum, superioresque alios, est & hic Nazianzeni locus de Gregorio Cappadoce *orat. 21. in laudem M. Athanasii, pag. 382. edit. Colon. siu. Lips. Weidm.* Καὶ πιστευθὲν ταύτης τὰ ἔσχατα, ὅσον ὑείων κρεῶν ὑποδοχέα γενέσθαι οἷς τὸ στρατιωτικὸν τρέφεται. *Atque extremo & sordidissimo illius muneri, hoc est suillis carnibus, quibus turba militaris alitur suscipiendis præfectus fuisset.* Capitolinus de Misitheo Præfecto Prætorio sub Gordiano tertio *cap. 28. Cuius viri tanta in Republ. dispositio fuit, vt nulla esset vnquam ciuitas limitanea potior, qua non posset exercitum Pop. Rom. ac Principem ferre, qua totius anni in* ACETO, FRVMENTO, *&* LARIDO, *atque* HORDEO *&* PALEIS CONDITA *non haberet: Minores vero vrbes, alia 30. dierum, alia 40. nonnulla duorum mensium: qua minimum, 15. dierum.* Porro quod iam etiam indicatum ad *leg. 4.* pertinet hæc *lex* ad Expeditionem Persicam hoc tempore a Constantio susceptam, de qua Ammianus *lib. 17. cap. 5. 14. lib. 18. cap. 4. lib. 19. cap. 1. seqq. lib. 20. cap. 4. 6. 7. 8.* Zosimus *lib. 3. cap. 3.* Quare etiam Hierapoli ab eo hæc *lex* data.

(a) Dixerunt enim de buccellis, buccellatis & buccellariis, plurimi quorum nomina excitauit Cl. Philippus Labbe S. J. *in notis ad Olympiodorum pag. 200. Edit. Venet.* sed inter hos eminet Cl. Salmasius, qui in notis ad Vopisc. Aurelian. quæ huc pertinent multa cum industria collegit, cui adde Valesium & Lindenbrogium ad Marcellin. *lib. 17. c. 8.* & Ill. Spanhemium *in not. ad Iulian. Orat. 1. pag. 107.* De *Paxamatio* confer du Fresne *in Glossar. med. & infim. Latinitat. voc. Paxamatium* Addo de *Buccellato:* nonnullos fuisse, qui inde nomen habere putarunt, quod milites, cum cibi, aut panis penuria laborarent, confractum & in partes dissectum minutas, in lagenam plenam aqua, quam *buccellam* dixerunt, mittere consueuerint, quo madefactus panis hoc modo, facilius posset manducari Sed auctoritate destituuntur, qui hæc sibi persuadent. Recte *buccellatum* deriuatur a *buccella*, siue panibus paruulis rotundis, vti vocat Constantinus loc. a Gothofredo citato, cui adde du Fresne in Glossar. *voc. Buccella.*

CAPITVM *e quo* loco *peti debeat a militibus.*

VII. (a) Impp. IVLIANVS A. Sallustio PP. (b)

MILITES (c) ad vicensimum lapidem (d) capitum petere iussimus. Dat. VIII. Id. Ian. Mamertino & Neuita CONSS. [362.]

NOTAE.

NOTÆ.

(a) Concordat *lex 9. inf.* GOTHOFRED.

(b) Salustius PP. De quo vid. Ammianum *lib. 21. cap. 8.* in Gestis A. 361. & *lib. 23. cap. 1.* in Gestis A. 363. Triennium igitur fuerit PP. Galliarum. Et tamen de Secundo Sallustio potius accipiam PP. Orientis, de quo vide Ammianum in Gestis A. 361. *lib. 22. c. 3.* in Gestis A. 363. *lib. 23. c. 5.* in Gestis A 364. *lib. 26. c. 5.* Libanium *ep. 638.* ad Iulianum; Zosimum *lib. 3. cap. 29. 31. 36. lib. 4. cap. 1. 2. 6.* Vid. & de hoc eodem Suidam, verb. Σαλούσιος, qui & frequentissime *hoc Codice* vocatur *Secundus*, & quidem mox *l. prox.* ID. Recte lex hæc ad Sallustium PP. Orientis refertur. Superiore enim anno 361. Tauro & Florentio Coss. Constantinopolin venit Iulianus, ibique per octo mensium spatium constitit. Vid. Pagi *in Crit. ad Annal. Bar. ad an. 361 num. 6.* Qua in urbe correcturus disciplinam castrensem, militumque lasciviam, *quibus non saxum erat vt antehac cubile, sed pluma & flexiles lectuli, & graviora gladiis pocula, & quos testa bibere pudebat, quique quærebant ædes marmoreas*, teste Marcellino *lib. 22. c. 4.* iussit a vicesimo eos lapide capitum petere, quo corpora exercerentur labore. Ergo hic in subscriptione addendum *Constantinopoli*. RITTER.

(c) In sedibus constitutos. GOTHOFRED.

(d) Viginti millia passuum. ID.

COMMENTARIVS.

IVLIANI Imp. duæ Constitutiones sequuntur, *de Annona militari*, & quidem, militis in Oriente Persis oppositi: quibus Imp. ille militem animus deliciis & otio ad severitatem & disciplinam castrensem revocatum ivit: Et vtraque quidem de PABVLO animalium militarium, & primum quidem de LOCO, vnde id miles petere debeat: quo pertinet *hæc lex.* Secundo de TEMPORE, a quo tempore id militi a provincialibus præstari debeat, quo spectat *lex proxima 8.*

PETERE igitur *h. l.* (seu conuectare sibi *l. 9. inf.* deferre, *l. 23.*) milites capitum, idest, pabula iumentorum, veluti paleas, fœnum, ad vicesimum lapidem iubet Iulianus *h. l.* vt & Iovianus *d. l. 9. h. t.* Quod solemne fuit & legitimum diurni itineris spatium, vt docet *lex. 1. D. si quis cautionib.* & *l. 3. de V. S. l. 13. §. 1. D. de excusation.* Paulus IV. *sent. tit. 6. de Vicesima* §. 3. Eaque dinumeratio legitima fuit, *l. 6. inf. de reparat. appell.* Paulus V. *sent. tit. 33. §. 1.* Atque ita quoque *hac leg.* Iulianus, milites a Vicesimo lapide Capitum petere iussit: Nempe militi exercendo, quem lasciuientem repererat. Huc enim referendum est, quod Ammianus. *lib. 22. c. 4.* initia Imperii Iuliani describens, de flagitiis, ambitione, luxu, otio Militum, sub Constantio, vt ea Iulianus repererat, scribit. Item quod mox subicit de Iuliano, *lib. 22. cap. 7.* eum curasse hoc tempore, *ne alimenta militibus deessent.* Hinc interim apparet, milites in sedibus suis, stativis, & castris constitutos (non etiam in Expeditione) pabula etiam aliunde conuectasse, neque in sedibus ea prorsus parata, vel condita habuisse: vid. & *l. 15.* & *l. 23 infr.* moderato tamen, vt dixi spatio; In mansionibus enim pabula fuere: Atque hæc Sedium, Stativorum, & Mansionum differentia fuit: de quo ad *l. 9. inf. de Annona & Tributis.* Atque huc pertinet Lampridii locus, *in Alex. Severo c. 45. Tacebantur Secreta bellorum: itinerum autem dies publice proponebantur, ita vt Edictum penderet ante menses duos, in quo scriptum esset, Illa die, illa hora ab vrbe sum exiturus, & si Dii voluerint, in prima Mansione mansurus: deinde per ordinem Mansiones, deinde Stativa, deinde vbi Annona esset accipienda, & id quidem eousque quamdiu ad fines Barbaricos veniretur.* Item hinc apparet, provinciales Capitum ad oppida non detulisse: de quo vid. *l 22. inf.*

Nunc monendum semel (etsi iam alii plures de eo nonnihil monuerint) quid CAPITVM *h. l.* significet, (cuius etiam mentio fit *l. 13. 17. inf. h. t.* & *l. 1. sup. de Domest. & Protector.* quæ & ipsa est Iuliani Imp. & *l. 10. inf. de Numerar.* quæ est Valentiniani triennio post, quod & ipsum *capitatio* dicitur *l. 8. prox. h. tit.* & *l. vlt. inf. de collat. donat.*) vel ex huius igitur *legis* cum *l. 9.* collatione, satis apparet, paleas *capitis* appellatione venisse: & breviter, pa- P.306 bulum iumentorum seu animalium. Ammianus Marcellinus sub Iuliano pariter *lib. 22.* (in superioris Anni 361. gestis) *cap. 4.* apertissime; *Interrogatus ille, quid haberet ex arte compendii? vicenas diurnas respondit Annonas, totidemque pabula iumentorum, quæ vulgo dictitant Capita.* Hesychius quoque *in Lexico:* Κάπετα κτηνῶν τροφή, & rursum: Κάπητον παράβλημα ἀλόγων, id est, *pabulum iumentorum:* ἄλογα quippe Anonymo ζῶα νωτοφόρα ἀχθοφόρα. Et ἄλογα sæpe pro *equis* apud Leonem Mauricium, & alios. Hinc & apud Curopalatem ἀλογάτωρ καὶ πρωταλογάτωρ. Et græca lingua vulgari, ἄλογο *equus*: (a) sic animalia & pecora, pro equis, *l. 9. sup. de re milit.* Hinc & *Capitum animalis* apud Vopiscum *in Aurelian. cap. 7. Equum sagmarium suum defricet, Capitum animalis non vendat:* (Cassiodorus VII. *Variar.*) *Proinde Annona fuit Domini & familiæ eius: Capitum animalis:* Hinc quemadmodum pabula & sumptus, *l. vlt. inf. de iur. fisci*, ita & Annonæ & Capitum iunguntur, *l. 17. h. tit. l. 10. inf. de Numerar.* & *d. l. 1. sup. de Domesticis.* Militares Annonæ & Capitum, *Nov.* Valentin. *inter Theodosianas 23. de tribut. fiscalib.* Et *tit. Cod. Inst. de annonis & capitu:* vel vt Alii non male, *de Annonis & Capitatione.* Nam & Capitatio eodem sensu dicebatur, vt *supra* monui. Adde *Edictum* Iustiniani 13. *c. 3.* vid. & *leg. 1. §. 8. Cod. Iust. de off. PP. Africa.* Interim audio Florentem Christianum ad Aristophanis εἰρήνην *p. 160. edit. Kusteri*, & alios deinceps deducentes *Capitum* ἀπὸ τοῦ κάπτειν, vel κάπειν, ab *edendo:* vnde & κάπη *præsepe*, ἀπὸ τοῦ κάπτειν ἀπ' αὐτῆς, inquit Hesychius. Ab hac voce & alimentorum composita quoque vox ἀλλιμκάπιτα (si modo recta est in *Gloss. Nom.*) τροφεῖα τῶν ὀρφανῶν παίδων, videatur: vel potius legendum ἀλλιμμέντα.

(a) Vide Scriptores, qui hac voce magno numero vtuntur apud du Fresne *in Glossar. med. & infim. Græcit. voc.* ἄλογον.

CAPITVM *a quo* Tempore *militi præberi debeat.*

VIII. (a) Idem A. Secundo PP. (b)

MILITIBVS ad (c) Kalendas Augustas capitatio (d) denegetur; ex Kalendis Augustis præbeatur. Dat. Calend. (e) Aug. Nicomediæ (f) Mamertino & Neuitta VV. CC. CONSS. [362.]

NOTAE.

(a) De tempore agit, quo militi a prouincialibus capitatio præstanda. *RITTER.*
(b) Orientis *GOTHOFREDVS.*
(c) Id est, vsque ad. *ID.*
(d) *Capitatio h. l. & l. vlt. inf. de collat. donat.* quod Capitum alias. v. quæ notaui *ad l. superiorem.* *ID.*
(e) Igitur eo ipso die data hæc *lex* fuerit, quo initium erogationis Capiti esse iubetur: Verum de eo mox. *ID.*
(f) Vide Ammianum *lib. 22. cap. 9.* *ID.*

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc Iuliani *hoc titulo* Constitutio est, de CAPITO seu pabulo animalium militarium, qua TEMPVS designatur, a quo pabulum seu capitum militi a prouincialibus præberi debeat: A certo scilicet tempore nouæ species militibus a prouincialibus conferebantur, ideoque tempus id constitutionibus quandoque definitum: idque prouincialium ferme causa: Vt ecce; vinum nouellum à Nouembri mense dari constituit Arcadius, *l. 25. inf. h. t.* at non etiam vetus amplius exigi: Nempe, quod veteris (vtpote maioris pretii) dispendiosa esset Prouincialibus erogatio: Proinde a Nouembri mense nouellum vinum miles accipiebat.

Ita quoque, Prouincialium pariter causa, constitutum *h. l.* a Iuliano, vt non ante Kalendas Augustas *capitatio*, id est, *palea*, militi præberetur. Huius vero rei quænam *Ratio* sit, videndum est; Sane si de Annona ipsius militis agetur, hasce quis afferre posset; *Primam* ne intermisso & seposito alio opere rustico & necessario, excutere frumentum prouinciales festino cogerentur, cum magnis etiam sumptibus corrogatis operis: Et vt in simili loquitur *lex 31. inf. ne nimia festinatione poscendi, conlatorum vires atteri videantur.* *Secundam*, quod dispendiosa esset prouincialibus tam festina grani excussio, vtpote cum compertum sit, frumentum quamlibet meridiano sole recoctum, spicæ & paleæ adnexum vires aliquanta temporis mora colligere, & corroborari, excusso etiam omni humore, vt norunt, qui rem rusticam diligenter accurant, idque etiam notant rei rusticæ Scriptores: *Tertiam* addere quoque quis posset; hanc inquam, quod vt maxime segetes ante Augustum maturescant, id tamen aliquando aliter eueniat. Quæ quidem ratio huic *legi* aptari non potest, vtpote cum ad Præfecturam Orientis hæc *lex* pertineat, vbi proculdubio longe ante id tempus segetes semper maturescunt. Verum vt hæc postrema ratio, ita & superiores duæ ad *hanc leg.* non faciunt; Neque enim *h. l.* agitur de Capitatione humana, seu annona ipsius militis; verum de capitatione *animalium* (vt loquitur *lex vlt. inf. de collat. bonor,*) id est, de Capito seu pabulo animalis: de quo fuit quoque eiusdem Iuliani *lex prox. 7. sup.* Ergo præstari *hac l.* vetat Iulianus a prouincialibus militi pabulum animalis, vsque ad Kal. Augustas: Quia scilicet miles pabulum ipse equis iam in pascuis reperire potest, terra vndique pabulo vestita, atque ideo pabulatum mittere animalia sua.

Cæterum, vt speciebus præstandis *h. l. & l. 25.* tempus præfinitum: ita etiam PRETIIS adærataum annonarum, *d. l. 31. inf. h. t.* vbi dicam.

Illud omittere non possum, euidens mendum in subscriptione *huius legis* residere, *Dat. Kalend. Aug.* duplici ratione. Prima quia ipsum *legis* argumentum persuadet, ante Kal. Augustas eam latam oportuisse, cohibendæ militum licentiæ, qui non expectatis Kalendis Aug. capitationem exigebant: Secundo, ex vrbis *Nicomediæ* adiectione, vnde hæc *lex* a Iuliano data est, quam sane Iulianus hoc tempore ante Antiochiam ingressus fuit, vt testatur Ammianus Marcellinus *l. 22. c. 9.* Atqui Antiochiæ iam erat Iulianus *V. Kal. Aug.* (a) vt docet subscriptio *legis 2. sup. de Offic. Rect. prouinc.* seu *l. vlt. C. Iust. de pedan. Iudicib.*

Porro vt ad Historicam *huius & superioris legis* P.57 causam descendam, pertinet eo, quod hoc ipso tempore Iuliano aduersus Persas cogitante Ammianus Marcellinus scribit *lib. 22. cap. 9.* eum, *omnibus, quæ res diuersa poscebant & tempora, perpensa deliberatione dispositis, & militibus orationibus crebris, stipendioque competenti,* ad expedienda *incidentia* promptius animatis, Antiochiam ire contendisse.

(a) Imo si fides habenda Hieronymo *in cap. 8. Ezechielis*, *Adonia* mense Iunio quotannis reuenisse circa solstitium æstiuum, Iulianus iam sub exitum mensis Iunii Antiochiam ingredi debuit, nam hac in vrbe eum *Adonia* celebrasse refert Marcellinus *lib. 22. cap. 9.* & ita subscriptioni legis difficile foret medelam facere, nisi statuamus apud Hieronymum loco *Iunii* substituendum *Iulii* quod viris doctis in mentem venit. Vid. *Chronolog. h. a.* & ibi Relandum, atque Valesium *in not. ad Marcellin. l. cit.*

CAPITVM *e quo* loco *milites petere debeant.*

VIIII. (a) Imp. Iouinus (b) A. Secundo PP. (c)

E (d) Vicensimo non amplius lapide milites sibi iubemus paleas (e) conuectare. Dat. V. Cal. Oct. Ædesa, (g) Iouiano (g) & Varroniano CONSS.

NOTAE.

NOTAE.

(a) Lex 2. *Cod. Iust. eod. tit.* Concordat. *lex* 2. *sup.* Hanc legem vero Tribonianus prætulit, abdicata *d. l.* 7. tum quia illa Iuliani est: deinde quia hæc manifestior est & expressior. *GOTHOFRED.*

(b) *vg.* Iouianus quomodo habet *Cod. Iust. ID.*

(c) Orientis, qui & Sallustius, cuius sub Iouiano quoque *huius legis* auctore meminit Marcellinus *lib.* 25. *cap.* 5. 7. Vid. *Prosopogr. ID.*

(d) Abest hæc vocula a Codice Iust. *ID.*

(e) *L.* 7. *sup. h. t.* Capitum quod idem est. *ID.*

(f) *Ædesæ* Iouianus in Osdroena, de qua dicam ad *l.* 79. *inf. de Decurionib. ID.*

(g) Nisi hic reponamus diem *V. Kal. Febr.* emendandi hi Consules sunt. Iouianus enim his Consulib XII. Kal. Mart. iam obierat. Itaque ad præcedentes Consules hæc *lex* referenda fuerit. Deinde id etiam doceat *Ædesæ* mentio. In eo quippe tractu Iouianus mortis Iuliani tempore, & statim post eius mortem substitit, tandemque cum Persis pacem iniit, atque inde Antiochiam profectus est. Videndus ea de re Ammianus Marcellinus. Id ipsum & Philostorgius quoque testatur *lib.* 8. *cap.* 6. vbi vid. quæ dixi. *ID.* Omnino hic veniunt Consules corrigendi. Nam *Ædesæ* fuit Imperator, pace cum Persis facta quod superiore anno contigit: de quo nemo dubitat: ex Osdroëna autem prouincia Antiochiam abiit; quod docet Marcellinus *lib.* 25. *cap.* 10. & in hanc vrbem venit mense *Hyperberetao* (siue Octobri) quod obseruat ex Theophane Anton. Pagi in Critic ad Annal. Baron. ad an. 363 num 8. Ergo superiore anno fuit Antiochiæ, hoc enim anno mense Februario iam obiit. Oportuit autem eum prius Ædesæ commorari, quam pergere posset Antiochiam. Accedit, demum eum Antiochia discederet in itinere Constantinopolin versus, Ancyræ Consulatum eum iniisse, Marcellin. *loc. cit.* quod facit, vt conjectura Gothofredi, qui diem *V. Kal. Februar.* substituendum putat, locum habere non possit. Nam non potuit Iouianus *Ædesæ* esse, nisi anno superiore. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

SENTENTIA *huius legis* eadem est, quæ *legis* 7. *sup.* sic tamen vt quemadmodum Iulianus indurando militi, cum Capitum a vicesimo lapide petere iussit. *l.* 7. *sup.* ita contra, *hac lege* Iouianus militi consulens ne plus æquo grauaretur, vel a signis nimis diu abesset; e vicesimo *tantum* lapide paleas sibi conuectare velit, *non amplius*, seu non vltra. Porro & *hac lex* ad militem Persis oppositum pertinet: pariter vt Iuliani duæ *leges sup.* ad eundem PP. datæ. Secundus enim PP. cui hæc lex inscribitur, est secundus Sallustius, qui modo *Secundus* vocatur, vt *l.* 8. modo Sallustius *l.* 7. quemque a Iouiano *huius leg.* auctore cum Arintheo in occursum Persarum paci tractandæ missum, auctor est Ammianus Marcellinus *lib.* 25. *c.* 7.

ADÆRATIO *seu pretium annonarum Protectoribus erogandarum quodnam.*

X. (a) Impp. VALENTINIANVS (b) & Valens AA. ad Symmachum P. V. (c)

PROTECTORES, (d) fori (e) rerum venalium (iuxta Veteris moris obseruantiam) in (f) annonarum suarum commoda, (g) pretia consequantur. Dat. X. Cal. Mai. Antiochiæ, (h) Diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust. GOTHOFRED.*

(b) Valentiniani hæc *lex* est, quæ & pars videtur esse constitutionis eius quæ memoratur & confirmatur *leg.* 22. 23. *inf. IDEM.*

(c) Symmachus P. V. Romæ sub Valentiniano Sen. v. *Prosopogr. ID.*

(d) Ita distinguendus hic locus, ne alioquin *Protectores fori venalium* ab aliis Protectoribus diuersos, quod nonnulli fecerunt, hic somniemus. Vide & *l.* 27. *infr.* & *tit. sup. de Domest. & Protectorib. lib.* 6. *tit.* 24. *ID.*

(e) Vid. & *l.* 32. & *l. vlt. ID.*

(f) Id est, pro annonarum suarum commodis. *ID.*

(g) De hoc vide Commentarium. *ID.*

(h) Non Syriæ Antiochiam accipio: verum Insulam Antiochiam, quæ prope Constantinopolim (vbi paucis ante diebus Valentinianus & Valens constitere) cuius sane mentio in *Itinerario Augustano. ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI quatuor Constitutiones super annona militari sequuntur puta hæc *lex*, & *lex* 11. 13. 16. *infr.* ex quibus apparet quam eniχam hic Imper. annonæ militaris curam gesserit: quod etiam diserte testatur Zosimus *lib.* 4. *cap.* 3. ὁ Οὐαλεντινιανὸς περὶ τὰς εἰς πράξεις τῶν εἰσφορῶν καὶ τὰς ἐκ τούτων χορηγουμένας στρατιωτικὰς σιτήσεις ἀκριβέστατος ἦν. *Valentinianus in exactionibus tributorum ac militaribus annonis, quæ inde suppeditabantur rigidissimus erat.* Vide & alterum Zosimi locum, quem notabo *ad l.* 15. *inf.* Hæc vero *lex* est de PROTECTORVM annona in pretio his

P 308 his soluenda. PRETIVM scilicet specierum, non ipsas species, aononarum seu salarii sui nomine, ex hac Valeooioiani constitutiooe Milites scholæque consequebantur, vt docet etiam *lex 22. 23. infr.* Ac numinatim in his PROTECTORES (de quibus rursum agetur *l. 27. inf.* deque iis fuit titulus peculiaris *sup. de Domest. & Protectorib.*) Protectores inquam, qui & ipsi Armatam militiam subibant, *l. 9. d. t. de Domest. & Protect.* Sic quidem, vt quandoque expeditionibus bellicis prodessent, *l. 6. d. t.* vtpote tuitione locorum quoque eis commissa: *d. l. 27. infr. h. t.* atque adeo magistri militum dispositioni tum suberant, *d. l. 6 de Domest. & protect.* quandoque aliis Principis missionibus parebaot, hisque executiones mandabantur, quod ex compluribus Marcellini quoque locis constat, etiam in vrbe Roma (quo pertinet hæc *lex* ideo Præfecto Vrbis Romæ inscripta) de quo consule *Paratitlon de domest. & protect.* (etsi solemniter magis præsentes erant, & in conitatu Principis hærebaot, protegendo Principis lateri, *d. l. 9. de domest. & protect.*) His igitur nominatim annonæ, ooo io ipsis speciebus, verum in pretio & adæratæ soluebantur, cuius certe annooarum solutioois cura Romæ ad Præfectum vrbi pertiocbat, vt huius *legis* Inscriptio docet, & locus apud Vopiscum *in Aureliano c. 9. Eiusdem* inquit, *Valeriani alia est Epistola, qua laudes illius* [Aureliani] *continet, quam ego ex scriniis Præfecturæ vrbanæ protuli. Nam illi Romam venienti salaria sui ordinis sunt decreta. Exemplum Epistolæ; Valerianus Augustus Ceionio Albino Præfecto vrbi. Vellemus quidem singulis quibusque deuotissimis Reipub. viris multo maiora deferre compendia quam eorum dignitas postulat: sed facit rigor publicus, vt accipere de Prouinciarum oblationibus vltra ordinis sui gradum nemo plus possit &c. Quare Sinceritas tua mi Parens Charissime, supradicto viro efficiet, quamdiu Roma fuerit, panes militares mundos sedecim, panes militares castrenses quadraginta, &c. Sane quoniam ei aliquid præcipue decernendum est, quamdiu Roma fuerit, pabula extra ordinem decernes. Ipsi autem ad sumptus aureos Antoninianos diurnos binos: Argenteos Philippeos minutulos quinquagenos: Æris denarios centum: reliqua per Præfectos ærarii præbebuntur.*

Porro quod *huius legis* præcipuum caput est; Pretium forense hac parte spectari vult Valentinianus; scilicet cum pretia specierum soluebantur, pretium forense ferme spectabatur, prout in foro rerum venalium erat, *h. l. & l. 32. & l. vlt. h. tit. l. 19. inf. de cohortalibus*: iuxta nundinatiooem, quæ foro rerum veoalium continetur, *d. l. 32.* Non maius *d. l. vlt.* pretium cuiusque rei censetur, quod in nundinatione & conuersatione publica est: Pretio rerum communiter funguntur. Et hæc quidem in vrbe & Prouinciis. In prouinciis enim aliquin aliter atque aliter delegationibus taxabantur, *l. 22.* (qua huius Valentinianeæ constitutionis pars altera confirmatur) 28. 30. 31. 32. 35. *inf. h. tit.* Itaque & *l. vn. Cod. Iustin. de annonis & capitatione administr.* cauetur, Iudices eorumque adsessores debere consequi ea pretia, pro annonis & capito dignationi suæ debitis, quæ particularibus delegationibus solent contineri. *Particulares delegationes* suot notitiæ, quæ singulis Iudicibus dantur, & quibus annonæ eis debitæ taxaotur: vide & *Nouellam* Valentiniani *inter Theodosianas de Tributis fiscalibus 23.* Verum de hoc dicam plene ad *legem vlt. inf.* His ita coostitutis, apparet de errore Gutherii, qui protectores fori rerum venalium, hinc oescio quos eruebat, ex vitiosa *huius legis* interpretatione *de Off. dom. aug. lib. 3. cap. 12. pag. 618. edit. Lips.*

Tandem notanda *hac l.* venit *Commodorum* vox hac in re propria, vt *h. l.* ita *l. 12. inf. Vt milites,* inquit, *recordentur* COMMODA *sua, quæ in annonarum perceptione adipiscuntur.* Diomedes *lib. 1. pag. 395. apud Putschium inter Grammat. Cæsar apud milites de* COMMODIS *eorum: Non frustrabo vos Milites.* Et Ouidius, 1. *de Arte v. 131.*

Romule militibus scisti dare COMMODA *solus:*
Hæc mihi si dederis COMMODA, *miles ero.*

Glossæ veteres Philoxeni, *Commodum* τὸ σιτώνιον ἢ ὀψώνιον: ita enim lego, vel ϛρατιωτικὸν ὀψώνιον, vt in iisdem *stipendium* ὀψώνιον ϛρατιωτικὸν, hactenus editum τοσιτονιωνὲν. Et Vulgatus τὸ ὠνάτιον male reponit. Isidori Glossæ *Commoda, diaria;* ita enim quoque repono. Apud Suidam quoque *voc.* Κέμοδα legendum Κόμοδα δόσις ἐπὶ τῷ σιτισμῷ παρεχομένη, non σεισμῷ, (a) Hinc Celso I. C. *in l. 22, D. de legatis 2.* Commoda militiæ; Commoda veteranorum Suetonio *in Nerone 32.* Commoda missionum *Sueton. Octauio c. 24. & 49.* Breuiter Commoda de stipendiis, annonis. Eodem sensu alia, de quibus in *Glossario.*

(a)* Ita Cl. Lipsius emendauit *de milit. Roman. lib. 5. dial. 19.* vbi & illa de militum *commodis* habes loca, quæ Gothofredus noster huc posuit. Adde du Fresne *in Glossar. voc. commodum* & Pet. Burmannum *in not. ad Ovid. locum cit.* qui elegantissimum Poetæ testatur ingenium, dignus vt integer legatur. Raptum enim Sabinarum depingit, & belle ludit occasione vocis *commodi.* Ex Digestis adde *leg. 23. de adimend. vel transferend. legat.* vbi significantissima Papiniani sunt verba: imo huc pertinent *legata commoda*, quæ nescio quod male sanum caput per *Commodiana* expliare tentavit.

XI. (a) Idem AA. ad Mamertinum PP. (b).

SVSCEPTOR, (c) antequam diurnum (d) pittacium authenticum ab Actuariis susceperit, non eroget: Quod si absque pittacio fuerit (e) erogatio, id quod expensum est, damnis eius potius subputetur. (f) In qua re Officium Grauitatis tuæ in speculis esse debebit, non sine detrimento propriarum facultatum id futurum sciens, si neclexerit vt præscribtæ formæ tenor custodiatur: Nec prius de horreis species proferantur, (g) & maxime (h) Capitationis, (i) quam (vt dictum est) ad diem pittacia authentica fuerit (k) prorogata. Dat. Idibus Decemb. Triu. (l) Diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364.]

NOTAE.

(a) Concordat huic *lex 13. infra & lex 16.* GOTHOFREDVS.
(b) Italiæ, Africæ, Illyrici. *ID.*

(c) De

(d) De Susceptoribus, *inf. suo titulo.* ID.

(d) Vid. *l. 1. sup. l. 13. infr.* & *l. 17, h. t.* Imo menstruum, *l. 16. inf.* IDEM.

(e) Fuerit facta. vel fieret. IDEM.

(f) Id est, imputatur. v. *Gloss. Theodos.* ID.

(g) Alii, *proferatur.* ID.

(h) Cur maxime? IDEM.

(i) Capitatio *hic* & *l. 8. sup.* quod alibi Capitum: & nominatim *l. 13. inf.* quæ *huic* respondet. IDEM.

(k) *Fuerint.* IDEM.

(l) Vitium hic hæret: Neque enim hoc tempore Valentinianus Treuiris fuit in Gallia: malim igitur *Trid.* vt sit *Tridentum.* ID.

P 309

COMMENTARIVS.

PITTACIO authentico diurno, non nisi ab Actuario prius accepto, Susceptor annonas seu species de horreis proferre, atque adeo præstare vetatur a Valentiniano Sen. *h. l.* & *l. 13. 16. 24. 28. inf. h. t.* Pittacium Actuarii diurnum præcedere debet: vel vt hæc *lex* & *d. l. 13.* loquuntur, *prorogari*, antequam susceptor quid eroget: *Prorogare* est ante erogare, & præmittere, vt prorogata iussio: *l. 2. inf. de Pascuis:* ea pecunia aliquid prorogare, *l. 26. inf. de susceptor.* quæ huic concordat. *Diurnum* porro pittacium, nempe quo quid per singulos dies erogandum esset, ἡμερήσιον continebatur: Quomodo & ciuitatum ministeria & officia nominantur *Diurnarii*, vna cum Subscribendariis, Logographis, Censualibus *l. 8. de cohortalibus* scilicet qui Diurna efficiebant, conscribebant, ἡμερόλογοι.

De duobus interim *hac leg.* monendum est: Primo de *Actuariis*, quorum *hac l.* mentio fit, & *d. l. 13. 16. 24. 28. h. t.* & *l. 3. 5. 10. 14. 15. inf. de Numerar. & Actuar. l. 4 inf. de executor. l. 125. inf de decur.* ACTVARII igitur, de quibus iam aliquid dixi *ad l. 1. sup.* erant, vt testatur *d. l. 16. h. t.* in singulis Numeris militaribus: quod etiam exerte *lex 10. inf. de Numerar. & Actuar.* Singulorum Numerorum ratiociniis pertractandis, vt diserte dicitur *l. 16.* quantum scilicet cuique militi, & quot militibus annonæ deberentur, vt postea erogationis faciendæ tempore id Susceptori Pittacio significarent: Ideo Græcis *Actuarius* ὑπομνηματόγραφος, ὑπομνηματόφυλαξ. Et Ammianus pariter *extremo lib. 25. cap. 10.* Actuarium *ratiocinia tractasse* docet, vbi de Iouiano Imp. *Ex Actuario ratiocinis scrutandis incubuit;* vbi rectum est, *Scrutandis*: vult scilicet Ammianus, Iouianum incubuisse cuidam, qui Actuarius fuerat, & ratiocinia eius scrutatum Iouianum. Quare male id in *scribendis* mutatum. En locum: *Et tanquam in alto gentis silentio extra calcem, vt dicitur, procurrebas, & intempestiue parum etiam tum firmatis omnibus ex Actuario ratiociniis scrutandis incubuit: qui fraudum conscius & noxarum ad militaria signa confugit; finxitque Iuliano superstite in res nouas quendam medium surrexisse, cuius fallaciis turba militaris acerrime concitus, Lucillianum & Semiauchum occidit.* Horum Actuariorum mentio apud eundem, *lib. 20. cap. 5. Pro Actuariis*, inquit, *obsecrauere Petulantes & Celta.* [Numerorum militarium hæc sunt nomina] *recturi quas placuisset prouincias, mitterentur: quo non impetrato, abierenet offensi, nec tristes.* Ab hoc diuersus Rationarius Apparitor Ducis, quem idem Marcellinus memorat *lib. 18 cap 5.* Et Rationatius Apparitionis armorum magistri, *lib. 15. cap. 5.* De horum fraudibus est insignis locus apud Aurelium Victorem Schotti *cap. 33.* quem ad *l. 28. inf.* quoque proferam: *Tantum*, inquit, *Actuariorum in exercitu factiones vigent, vt ardnum petentibus malitia patraretur: Genus hominum, præsertim hac tempestate, nequam, venale, callidum, seditiosum, habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes celandasque quasi ab natura factum, annona dominans, eoque vtilia* (recte habet hæc vox) *curantibus, & fortunis aratorum infestum, prudens in tempore his largiendi, quorum vecordia damnoque opes contraxerit:* Eorundem mentio apud Trebellium Pollionem, in *Victorino Seniore cap. 5. Victorinus*, inquit, *quod matrimoniis militum & militarium corrumpendis operam daret a quodam Actuario, cuius vxorem stuprauerat composita factione Agrippina peremptus.* Eandem quoque rem narrat Victor *l. c.* & Eutropius *lib. 9. cap. 7.* apud quem male Pæanius *Actuarium* putauit, esse proprium hominis nomen. Item seruum fuisse: cum tamen & *Officii* nomen fuerit, & quidem, *militaris*. *Militaris* inquam fuit Actuarius proprie, non *miles*, vt Pollio *superiore loco* indicat. Nam etsi *Militares* sæpe pro ipsis Militibus dicantur, eo tameo loco Pollio *Milites*, a *Militaribus* separauit, vt Milites sint, *Militantes*; *Militares* vero, qui non quidem militarent, sed *Militari annona*, vel aliter inseruirent: qualis Actuarius. In tantum, vt & hi ipsi quandoque *Milites* dicantur. Hinc certe milites, pro Opinatoribus, *l. 34. inf. de annona & tributis*, & *l. 16. inf. de exactionibus.* Hinc & immunitas a capitatione his tanquam militibus data, *l. 3. inf. de Numerar. & Actuariis.* Et hæc de Actuariis, qui (vt hoc addam) factionibus in militia opportuni fuere, & militibus grati, vtpote penes quos Annonæ cura erat: quod docuerunt iam Victor & Marcellinus *locis sup. allegatis;* Hi priuilegio quoque militari fruebantur & sibi blandiebantur, *l. 125. inf. de decurionib.*

Pittacium, *h. l.* & *l. 13. 16. inf.* est idem quod Breue, seu Breuis, Notoria, indicium, rationes, & commentarios. Glossæ Cyrilli. πιττάκιον *Pittacium, Breuis.* Breuiter, est Index vel Titulus: adeo vt & amphoris & doliis affixa pittacia dicerentur ea, quæ vini patriam & senectutem indicabant apud *Petronium cap. 34. pag. 20. edit. Lugdunens. Ioan. Maire. Statim allata sunt amphora vitrea diligenter gipsata, quarum in ceruicibus pittacia erant affixa, cum hoc titulo: Falernum, Opimianum, annorum centum.* Itemque indices libri affixi, qui nomen Authoris præferrent, πιττάκια dicebantur. Imo & Celsus *lib. 3. cap. 3.* splenia & emplastra, quæ fronti ad dolorem capitis illinuntur, *pittacia* vocauit. Moschopulus περὶ σχεδῶν πιττάκια δωρικῶς τὰ λεκτὰ περιτμήματα τῶν δερματίων ἀφ' οὗ ἡμεῖς πιττάκια λέγομεν. Cassiodorus *Variar. l. 18. Si Romani prædium sine Delegatoris cuiusquam pittacio præsumptor barbarus occupauit.* Vt ad pittacia militaria reuertar, eorundem meminit Lampridius *in Alexandro Seuero c. 21. De promouendis*, inquit [militibus] *etiam sibi annotabat, & perlegebat cuncta pittacia: & sic faciebat, diebus etiam pariter annotatis, & quis & qualis esset, & quo insinuante promotus.* (a) Paulo ante, *Breues* appellauit *eod. cap.*

Milites

(a) Ad hunc locum vid. quæ Cl. Viri Casaubonus atque Salmasius dixerunt, quorum Obseruationibus noster vsus est. Adde du Fresne *in Glossar. voc. Pittacium.* Denique noto, locum Cassiodori a nostro aliter alle-

Milites suos sic vbique sciuit, vt in cubiculo haberet breues & numerum & tempora militantium, semperque cum solus esset, & rationes eorum, & numerum, & dignitates, & stipendia recenseret, vt esset ad omnia instructissimus. Higinus *de limitibus constituendis, p. 204. inter Script. rei agrar. Goesii. Deinde ex decuriis, antequam sortes tollant, singulorum nomina in pittaciis & in sorticulis, & id ipsi sortientur, vt sciant quis primo, aut quosocunque loco exeant.* Pittacia igitur hic nihil aliud sunt, quam quae nos *Bulettas* vocamus, secundum quae species annonariae militibus erogabantur.

Illud postremo monendum superest, perperam & incondite a nonnullis colligi, quasi susceptores sub Arcariorum dispositione fuerint. Nil tale: distincta haec erant munia, neutrum alteri suppositum. Quin & ex alio hominum genere creabantur. Susceptores scilicet e Curialium numero. *l. 19. 54. inf. de decurionib. l. 9. 20. 24. 31. de susceptor. l. 2. de quaestionibus.* Quo pertinet etiam Basilii locus *ep. ad Praesidem Cappadociae emissa 389.* (84. *edit. Benedict.*) vbi pro filio senis cuiusdam a Curia excusati, vix quadrienni pariter excusando agens, rem ad absurdum deducens ait, eum neque in Curialium numerum recte allegi, neque tributis exigendis praeponi, neque erogandae annonae militari: *ὐ γὰρ δή πυ τὸ παιδίον εἰς βυλευτὰς συντελέσει, ἢ ἐκλέξει τὰς εἰσφορὰς, ἢ ςρατιώταις χορηγήσει τὸ σιτηρέσιον. Non enim puerulus in curialium album adscribetur aut tributa colliget, aut militibus annonam suppeditabit.*

gari, impressi enim habent *delegatoris cuiusquam petitione.* An ex MSS. fide emendauerit Gothofredus nescio. Apud Gellium etiam *Noct. 16. cap. 7. Pittacium* occurrit, quod tamen de vestimenti quodam genere intelligendum est.

P. 310

XII. (a) Idem AA. ad Victorem (b) Mag. mil.

IN prouinciis stationes militum adfici posse (c) possidentes Vrsicini (d) Comitis suggestione cognouimus, a quibus superstatutorum (e) graue atque inusitatum quoddam nomen (f) *Cenaticorum* fuerit introductum, quod Magnifica auctoritas tua missis competentibus litteris in omnibus prouinciis iubebit aboleri, vt milites recordentur, commoda (g) sua, quae in annonarum perceptione adipiscuntur, extrinsecus detrimentis prouincialium non esse cumulanda. (h) Dat. VI. Kal. Ian. (i) Bonamansione, (k) Diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364.]

NOTAE.

(a) Lex 3. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata est, resecatis quamplurimis. *GOTHOFREDVS.*

(b) De hoc Victore mox *in Commentario. IDEM.*

(c) Reponebat Cuiacius *adficere possidentes.* Possis etiam ita, *adflixisse possidentes.* Malim tamen ita, *ad officia posse re possidentes*, id est, ad officium, Xeniolum, praestandum: *deposcere*, vocare, cogere. *Officiorum* vox hac in re propria, haud aliter ac Humanitatis, *l. 1. infr. de Salgamo*: Et Ministerii, *l. 1. infr. Ne Comitib. & Tribun. lauacra praestentur.* Sed & *Poscendi* vox hac in re propria, *l. 3. in fin. de Salgamo*, Possis & ita, *adficere passim possidentes. IDEM.*

(d) De hoc *Vrsicino.* Vide Commentarium. *IDEM.*

(e) *Superstatutorum*, vt superpostulationis, *l. 18. infr. hoc eod. tit. IDEM.*

(f) Nomen hic cum aboletur res vna cum nomine tollitur. Similia vide ad *l vn. infr. de Irenarchis: l. 33. infr. de petition. l. vlt. infr. de patrocin. vicor.* Aliquando nomen tantum, *l. 2. infr. de frum. Alex.* vbi dicam. *IDEM.*

(g) De hac voce dixi ad *l. 10. sup. ID.*

(h) *Augenda. ID.*

(i) *γε. VI. Kal. Iun.* id quod docet Collatio aliorum *legum*, & ex parte *l. 1. infr. de priuil. Corp. V. R.* euincit tandem Valentinianei itineris ratio, de quo ad *d. l. 1.* & in *Consular. Theodosianis. ID.*

(k) Ibidem data eodem procuIdubio die *d. lex 1. infr. de priuileg. Corp. V. R.* ad Symmachum P. V. *Bonamansio* haec inter Philippopolim & Sardicam: vt docet *Itinerarium* Burdegalense, seu Hierosolymitanum, de quo plenius ad *dict. l. 1. IDEM.*

COMMENTARIVS.

CENATICI nomine milites a Prouincialibus quicquam exigere a Valentiniano & Valente A. D. 364. vetantur: contra suis annonis contenti esse iubentur *hac l.* quae ad Orientem pertinet, & ad militem Persis appositum. Ita Aurelianus quoque apud Vopiscum *c. 7.* in *Epistola* militari, ad Vicarium suum data: *Si vis Tribunus esse, imo si vis viuere, manus militum contine: Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigiat:* ANNONA SVA CONTENTVS SIT: *De praeda hostis, non de lacrymis Prouincialium habeat.* Spartianus in Pescennio Nigro *c. 3. Nunquam sub eo miles Prouinciali lignum, oleum, operam extorsit.* & *l. 4. inf. de pascuis: Possessores nihil plus debent quam quod nostro arbitrio, nostrae perennitatis & magnificae sedis tuae dispositione per annos singulos iubentur inferre. Nec vero milites aliquid praesumere debent nisi quod largitate Nostri Numinis consequentur.* Et *leg. vlt. inf. de Salgamo: Militib. nostra sufficient largitates, & Conlatoribus annona tantummodo semper imminebit indicto.* Huc etiam optime referri potest Stratoris Dominici (id est, Ioannis Baptistae) ad milites responsum (cui Aureliani dictum consimile) apud D. Lucam, *c. 3. vers. 14. μηδένα διασείσητε μηδὲ συκοφαντήσητε καὶ ἀρκεῖσθαι τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν*: id est, *Neminem concutite, nemini quicquam per iniuriam eripite, & obsoniis* [seu annonis] *vestris contenti estote.* Sic enim locus ille verti debet: *ὀψώνια* scil. sunt, vt recte Gregorius Nazianzenus

zenus *orat. 9.* ad Iulianum tributorum perequatorem *pag. 155. edit. Lipſ. Weidmann.* τί λεγων ὀψώνιον, τὰ βασιλικὸν σιτηρέσιον δηλονότι, καὶ τὰς ὑπαρχούσας, ἐκ νόμου τοῖς ἀξιώμασι δωρεάς. *ſtipendii porro nomine regiam annonam ſignificat. muneraque ea, quæ iis qui dignitates obtinent, lege conſtitutæ ſunt.* συκοφαντεῖν eo loco non eſt calumniam alicui facere, vt reddidit vulgatus Interpres, verum præter ius & fas alicui quid extorquere. Quo ipſo ſenſu apud eundem Lucam *cap. 19. verſ. 8.* Magiſter Publicanorum Zachæus ait, καὶ εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα, ἀποδίδωμι τετραπλοῦν: id eſt, *ſi quid cui præter fas extorſi, quadruplum eius reddo.* συκοφαντεῖν eo loco idem eſt quod paulo ante *cap. 3. verſ. 13.* præcedente πλέον τι παρὰ τὸ διατεταγμένον πράσσεσθαι: id eſt, *aliquid præter ius faſque exigere.* Verum de ſimilibus omnique adeo militarium concuſſionum genere agetur *infr. l. 12. de metatis*: & *tit. infr. de ſalgamo hoſpitib. non præbendo.* Item *toto titulo, Ne comitib. & Tribunis lauacra præſtentur.* Item *infr. tit. de Paſcuis*: & *l. 12. inf. de Metatis*: & *tit. inf. Ne opera a conlatorib. exigantur, & Tit. inf. Ne damna Prouincialibus infligantur.*

De *Cenaticis* tantum hic videndum eſt. Graue hoc Cenaticorum nomen & Prouincialibus detrimentoſum fuiſſe hæc *lex* teſtatur: Itemque a militibus ipſis præter morem introductum ob exactum, ſuper ſtatuta, id eſt, præter collationes militares ſolemnes & legitimas. Nominis equidem indicio ſatis apparet, exactum hoc quaſi pro *cena* a Prouincialibus: Galli nos diceremus, *la paſſade.* Simile prædæ genus fuit *Cerarium*, quod Verres in Sicilia quaſi pro cera exigebat, *Cicero lib. 3. in Verrem cap. 78.* Item *Vnguentarium*, quod Plinius teſtatur *lib. 2. Epiſt. 11.* Marium Priſcum a Prouincialibus exegiſſe quaſi pro vnguento. *Pulueraticum* pariter: cuius mentio *Nouella Maiorani 1.* & *l. 16. inf. de tironib.* vbi dicam. His non adeo abſimilia *Epidemetica* ſunt, de quibus *Tit. de Metatis.* vt & *Salgamum*: de quo *infra ſuo Titulo.* Denique hæc ſunt & huius generis alia, quæ in quæſtum reperta, ipſo tributo grauius tolerari ait Tacitus in *v. Agricolæ.*

Tandem obſeruandum quod hæc *lex* inſcribitur *Victori Magiſtro Militum.* Victoris huius Magiſtri Militum ſub Valente hoc ipſo Anno meminit Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap. 5. Partiti ſunt Comites, & Valentiniano quidem Iouinus euenit, dudum promotus a Iuliano per Gallias Magiſter armorum, & Dagalaiphus quem militiæ Rectorem prouexerat Iouianus. In Orientem vero ſecuturus Valentem, ordinatus eſt* VICTOR *ipſe quoque iudicio Principis ante dicti prouectus, cui iunctus eſt Arinthεus: Lupicinus enim pridem a Iouiano pari modo promotus Magiſter Equitum partes tuebatur Eoas.* P. 311 Eiuſdem meminit Anno 366. *lib. 27. c. 5.* & An. 373. *lib. 30. c. 2.* & A. 377. *lib. 31. c. 7.* & Zoſimus *lib. 4 cap. 2.* Ad Victorem στρατηλάτην extat Baſilii *ep. 374.* vide & Gregorium Nazianzenum *ep. 133. 134.* Ab hoc Victore alius eſt Victor Dux Ægypti, cui hoc ipſo Anno inſcribitur *lex 5. inf. de legatis.*

Vrſicini quoque Comitis *hac l.* fit mentio, cuius nullam alibi mentionem reperio: Niſi idem ille ſit, cuius multa mentio ſub Conſtantio apud Ammianum Marcellinum, cuius etiam variam fortunam perſequitur: quemque Anno 360. (id eſt, ante quadriennium) adpetitum calumniis depoſita militia digredi iuſſum ad otium a Conſtantio, ſcribit *lib. 20 c. 2.* vt proinde poſt Conſtantium recinctus videri poſſit. Quanquam videri quoque poſſit hic Vrſicinus Alemannorum Rex, cuius ſub Iuliano C. meminit Marcellinus *lib. 16. c. 12.* in geſtis, An. 357. & *lib. 18. c. 12.* in geſtis A. 359 qui pace facta *Comitis* dignitatem aſſecutus apud Romanum aduentum: quod aliis pluribus euenit.

XIII. (a) Idem AA. ad Populum. (b)

ACTVARII, (c) per ſingulos, (d) vel (e) vt multum binos, dies, authentica pittacia prorogent, (f) vt hoc modo immiſſis (g) pittaciis, ſpecies capitum (h) annonarumue ex horreis (i) proferantur. Quod niſi fuerit cuſtoditum, Actuarius & Suſceptor, ſed & Officium Iudicantis, quod non inſtiterit huic iuſſioni, ſtatutæ, (k) obnoxium tenebitur. Dat. Kal. Oct. Aquil. Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) Concordat huic legi *lex 11. ſup.* & *lex 15. infr.* GOTHOFREDVS.

(b) Quare *ad populum*? De hoc mox dicam. IDEM.

(c) De *Actuariis* dixi ad *l. 11. ſuper.* IDEM.

(d) Vid *l. 1.* & *11. ſup.* & *l. 17. infr.* imo per ſingulos 30. dies: id eſt, ſingulos menſes, *l. 16. infr.* IDEM.

(e) Ita *d. l. 17. ſingulis diebus, aut certe competenti tempore.* IDEM.

(f) Vt *fine l. 11. ſup.* pittacia prorogata. ID.

(g) *Emiſſis*, vel *ante miſſis*, ſeu *præmiſſis.* ID.

(h) Recte *Capitum* in plurali, non aliter inflexum quam *Caput.* Tentabam aliquando *Capitûm*, vel *Capituum.* Nam & *Capitus* dictum videtur: Hinc *Titulus* Codicis Iuſt. *De Annonis & Capit.* Porro *de* Capito iam dixi ad *l. 7. 8. ſup.* IDEM.

(i) Ex horreis *h. l.* & *d. l. 17. infr.* Ex fiſcalibus conditis, *d. l. 16. inf.* ID.

(k) Statutæ multæ. ID.

COMMENTARIVS.

PITTACIA ſingulis diebus, vel ſaltem quoquo biduo, Actuarii prorogare debent: alioquin & Actuarius & ſuſceptor, quinimo & Officium Iudicis, puniuntur. *Actuarius* ideo & Suſceptor, Ne alioquin vltra modum & temere ſpecies annonariæ erogentur, vel etiam ne ſpecies non tempeſtiue erogatæ, vitium contrahant. Denique ne militari annonæ percipiendæ mora fiat. His tribus rationibus niti poteſt *huius legis* diſpoſitio. Secundam rationem ſuppeditat *lex 1. ſup.* Primam *lex 11. ſup.* Cæterum cur *ad Populum* emiſſum ſit hoc *Edictum*, obſcurum eſt. Prima ratio, & Se-

cunda quas superius allegaui: suadere videntur, ideo ad populum emissum hoc Edictum, quia Populus seu Prouinciales erogatione a susceptore temere facta vel vitiata annonis iterum conferendis grauarentur. Et tamen cum rem propius intueor, non videtur hæc inscriptio *ad Populum* stare posse: quia si ad Prouinciales hæc *lex* pertineret, ita ea inscriberetur, *ad Prouinciales*, vel ita plenius, *ad Prouinciales & Possessores*: Cum enim ad *Populum* lex emittitur, intelligitur Populus V. R. Itaque reponam hic, *ad P°. Præfectum*: id est, *ad Prætorio Præfectum*. Vel quid si legamus *ad Probum*. Et tamen *ad Populum* quoque data *lex 9. de desertorib.*

XIIII. Idem AA. Secundo PP. (a)

RIPARIENSES, (b) milites mensibus nouem in ipsa specie consequantur annonam, pro tribus pretia percipiant. Acc. Kal. Dec. Calcedone, (c) Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) De hoc *Secundo* PP. dixi iam ad *l. 7. 8. 9. sup.* Idem ille est cum *Sallustio*. GOTHOFR.

(b) De Ripariensibus militibus his dixi plene ad *l. vlt. sup. de re militari.* ID.

(c) De hac subscriptione mox dicam. *ID.*

COMMENTARIVS.

SPECIES partim ipsas, partim vero PRETIVM loco specierum, Ripariensibus militib. (de quibus ad *l. vlt. sup. de re militari*) in Oriente Valens hac constitutione præberi iubet. Ita quidem vt nouem mensibus, id est, tribus Anni partibus, species ipsæ præbeantur: pro quarta vero Anni parte, seu pro tribus mensibus, pretia. Quod singulare P.312. est in Ripariensibus hoc tempore per Orientem constitutis: cum antea non nisi ipsæ species militibus præberentur. Et postea quoque *l. 18. l. 20. 21. infr.* aliisque legibus, vel certe pretia tantum præbita fuerint, de quo *sequentibus aliquot legib. & l. 17. infr. de Cohortal.* Verum hæc ita variarunt, pro locorum & temporum varietate, & militum ipsorum possessorumque vtilitate perspecta, *l. 30. infr. h. t.* Cæterum pertinet hæc *lex* ad militem tum Procopio Tyranno oppositum, vt characterismi loci & temporis docent. Porro ex Ammiani Marcellini verbis colligo, cur Valens pro tribus mensibus pretia milites Riparienses percipere velit *h. l.* nempe propter inopiam commeatuum quæ tum erat: Calcedonis quippe oppugnationi a Procopio occupatæ, Valentem hoc tempore instituisse adulta hyeme his Coss. author est Ammianus Marcellinus *lib. 26. c. 8.* Verum frustra. Eius quippe suburbano digredi coactus, elapsusque, tum propter inopiam commeatuum, tum propter obstinationem defensorum, & imminentem Procopii exercitum. Itaque Bithynia in Procopii ditionem redacta: Etsi postea, vt idem *lib. cit. cap. 10.* ostendit, sequentib. Coss. seu A. D. 366. interfecto Procopio, Marcellus occupasset Chalcedona. Sed & Socrates *lib. 4. cap. 8.* muros Chalcedonis mox destructos scribit. Vide & Ammianum Marcellinum *initio lib. 31.* Ex huius igitur vrbis suburbano missam sibi a Valente hanc constitutionem Secundus Præfectus Prætorio accepit. Atque ita accipi oportet hæc verba, *Acc. Calcedone.* Est proinde *hæc lex* singularis ad constituendum probe characterismum Tyrannidis Procopianæ: de quo dixi *ad Philostorgium, lib. 9. c. 5.*

XV. (a) Idem AA. ad Auxonium PP. (b)

SICVT fieri per omnes Limites salubri prospectione præcipimus, (c) species annonarias a vicinioribus Limitibus (d) prouincialibus ordinabis ad Castra (e) conferri: (f) & inuito (g) oneris Castris constituti milites duas alimoniarum partes ibidem de Conditis (h) sumant, nec amplius quam tertiam in partem ipsi vehere cogantur. Dat. v. Non. Mai. Marcianopoli (i) Valentiniano N. P. & Victore CONSS. [369.]

NOTÆ.

(a) Lex 4. *Cod. Iust. eod. tit.* Concordat *lex 9. 11. 21. 22. infr. de annona & trib.* & *l. 1. Cod. Iust. de fundis limitrophis.* GOTHOFREDVS

(b) *Auxonius* PP. de quo vide Zosimi locum *lib. 4. c. 10.* quem mox laudabo. *PP. Porro Orientis* fuit: vt docet quoque *lex vn. infr. de classicis*: Salutio in ea Præfectura suffectus, cique vicissim Modestus: vide Zosimum, & *Prosopograph. ID.*

(c) An *Præcepimus*? an vero *percipimus*? Illud malo. *IDEM.*

(d) A *Prouincialibus vicinioribus limitibus*, id est a Prouincialibus qui viciniores sunt limiti. *IDEM.*

(e) *Castra* in limitibus. *IDEM.*

(f) Eadem voce vtitur *lex 21. infr. de annona & tributis*: vehi, *in fine huius legis*: transuchi, *l. 11. infr. de annonis & tributis. IDEM*

(g) *Seu in veteranis Castris.* Ita Codex Iustin. Est qui tentat, *vt in limitaneis Castris*: Forte *vg. & vel, vt, in Vetorinis castris*, de quo mox. *IDEM.*

(h) De *Conditis*, dixi ad *l. 3. sup. IDEM.*

(i) Vide Zosimi locum prædictum: & Ammianum Marcellinum *lib. 27. c. 5. ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

CONVEHI, sen CONFERRI, transuehiue Annonam Limitaneam (id est, Annonam militarem) ad Imperii limites, militesque qui in limite sunt, a Viciniorıbus, Prouincialibus, seu pro loco ac proximitate possessionum, ad castra limitanea, iubet hac constitutione Valens: pariter vt Valentinianus Sen. frater eius; *l. 11. inf. de annona & tributis*: vbi dicam plenius, adductis etiam in id e Pollione *in V. Ballista*: & Tacito, *in V. Agricolæ*, locis: nempe ne plus habeat dispendii translatio, quam ipsa illatio, vt loquitur *lex 22. infr. de annona & tributis*. Ideo salubris prospectio *h. l.* dicitur. Et tamen postea Theodosio M. aliquando aliter visum fuit, videlicet vt ad conferendas species, seu annonam limitaneorum, Prouinciales longius quoque delegari possent, *l. 21. infr. de annona & tribnt.* (etsi ad conferendas alias species itineris ratio nem haberi vellet.) Quod ipsum tamen displicuit Iustiniano, interpolata *illa l. 21.* Maneat igitur Limitaneam quoque Annonam a proximis possessoribus transuehendam, & quidem ad castra limitanea, ibi videlicet condendam seruandamque atque exin de militibus erogandam. Verum de hoc omni plenius *ad d. l. 11. inf. de annona & trib.*

Cuius occasione (cum de *conditis* ipsis *ad l. 3. h. t.* dixerimus) videndum est, quibus in locis hæc condita fuerint. De Ciuitatibus sane locus est apud Capitolinum *in Gordiano Tertio c. 28. Cuius*, inquit, *viri tanta in Rempublicam dispositio fuit, vt nulla esset vnquam ciuitas limitanea potior &c. quæ tarius anni in aceto, frumento, & lardo, atque hordeo, & paleis*, CONDITA *non haberet. Minores vero vrbes alia triginta dierum, alia quadraginta, nonnulla duorum mensium: quæ minimum quindecim dierum.* Ammianus quoque Marcellinus *lib. 18. cap. 2.* de Iuliano loquens, oppida Galliæ ad Rheni ripam recuperante. *Id inter potissima*, inquit, *mature duxit implendum, vt ciuitates multo ante excisas introiret, receptasque communiret: borrea quin etiam extrueret pro incensis, vbi* CONDI *posset annona a Britannis sueta transferri.* Zosimus pariter *lib. 4. cap. 10.* Ideo quem paulo post plenius consignabo: τὴν ϛρατιωτικὴν σίτησιν ταῖς ἐπικειμέναις τῷ ποταμῷ πόλεσιν ἐναποτιθέμενος. *Militarem annonam in oppida propter amnem sita recondens.* Sed & Procopius *lib. 2. Persicorum cap. 19.* ἐν ..άραις τε καὶ Νισιβίδι πόλει ἐν δημοσίῳ τὰς ἐπετείας τροφὰς ἀποτίθεσθαι νενομίκασιν. *Dare Nisibique mos erat vt annona in publico borreo reponeretur.* Ammianus Marcellinus de munimentis testis, *lib. 14. cap. 2. Et quoniam*, inquit, *inedia graui afflictabantur*, LOCVM *petiuere, Paleas nomine, vergentem in mare, valido muro firmatum: vbi* CONDVNTVR *nunc vsque commeatus, distribui militibus, omni latus Isauriæ defendentibus, adueti.* Quibus locis
P. 313 munimentum de castris castellisque accipi potest: quomodo & Marcellinus idem Tres tabernas illas *castrorum* appellatione complectitur *lib. 16. cap. 11.* Nam & eas muris firmabant, vnde κωμητικὰ τείχη apud Synesium *in orat. de Pentapoli.* Castella vocantur, & a Ciuitatibus distinguuntur. Vegetius sane monet *lib. 3. cap. 3.* pabula, frumentum, cæterasque annonarias species, quas a prouincialibus consuetudo deposcit, maturius exigi, & in opportunis ad rem gerendam munitissimis locis aggregari. Et tamen de *castris limitaneis* ambigi video, num in his condita fuerint, seu condita militaris annona. Est enim qui negat annonam militarem in Castris condi solitam. Quem sane refutat hæc lex omnium apertissime. Neque enim tantum *hac lex* ait, *species annonarias a viciniorıbus limiti prouincialibus ad castra conferri*, quasi mox mox erogandas. Verum subiicitur, *in castris constitutos milites alimoniam* IBIDEM DE CONDITIS SVMERE. Et certe *condita* non sunt, nisi eo loci, vbi condita sunt: & quæ ex peregrino loco condita alio transferuntur mox eroganda, ibi certe Condita iam amplius non sunt, sed Commeatus appellatione veniunt: Commeatus, inquam militaris, seu annonarii.

Sed Ammiani locus non minus manifestus est *lib. 17. cap. 9.* de munimentis flumini Mosæ impositis, agentis. *Ex annona decem dierum & septem, quam in expeditionem pergens vehebat ceruicibus miles, portionem subtractam in iisdem* CONDIDIT *castris, sperans ex Chamauorum segetibus id suppleri posse quod ablatum est.* Sed & Eunapius *in Excerptis Legationum ab init. pag. 11. edit. Venet. Tom. 1. Script. Rer. Byzant.* τὴν ἐκ τῆς Βρεττανικῆς νήσου σιτοπομπίαν εἰς τὰ Ῥωμαϊκὰ φρούρια διαπέμπεσθαι. *Commeatum ex insula Britannia in romana castella mittere.* Φρούριον enim, vt nemo iam nescit, Castrum est, & Castellum vt constat ex Suida & Glossario Cyrilli. Procopio *lib. 2. de ædificiis Iustiniani cap. 5.* καςέλλους γὰρ τὰ φρούρια τῇ Λατίνων καλοῦσι φωνῇ. *Etenim quæ græci* φρούρια, *ea Latini castella vocant.* Vide & *lib. 3. cap. 4. & 6.* vbi τῶν φρουρίων multa mentio. Et Iustinianus ipse *Nouella 28.* procem. Πιτυοῦντα γὰρ δὴ καὶ Σεβαςόπολιν ἐν φρουρίοις μᾶλλον ἀριθμητέον ἢ πόλεσιν. *Pityus enim & Sebastopolis inter castra potius quam vrbes numeranda sunt.* Etsi nescius non sim, de omnibus munitis locis (in quibus & ciuitates) φρούρια quoque dici: Ac maxime cum Ammianus Marcellinus de eadem re agens, de qua Eunapius, *Ciuitates* nominet. Rursum Ammianus *lib. 16. cap. 11.* de munimento trium Tabernarum agens, id est, de castro (vt mox quoque vocat) *Victum*, inquit, *defensoribus ibi locandis ex barbaricis messibus collectum militis manu* CONDIDIT *in vsus anni totius.* Denique & Ausonius, *in Mosella, v. 455.*

Maniaque antiquis te prospectantia muris
Addam præsidiis, dubiarum CONDITA *rerum,*
Sed modo securis, non castra, sed horrea, Belgis.

Scilicet hoc vult Ausonius, postea quam Belgicæ securitas reddita, retusis Francis & Alemannis, & pax cum illis firmata, castra, quæ continendo militi limitaneo potissimum extructa fuerant, horrea MAGIS facta fuisse. Magis inquam; nihilominus enim milites semper aliqui limitanei in his castris fuerunt. Nam vtcumque fœdus cum gentibus illis sæpe renouatum, pax tamen semper infida fuit, vixque Gallicum vallum siue Rheni ripa incustodita fuit. In his igitur castris semper milites, sed aliquando maiorem vsum Conditis asseruandis, quam militi continendo præbuerunt. Atque hæc de prima *huius legis* sententia dicta sint.

Altera hæc est: In castris milites constitutos, de translatis eo, conditisque duas annonæ partes ibidem sumere oportere; atque ita, sic vt dicam, pransum paratum, annonam paratam, mansionem paratam habere, sine vllo petendæ ex remoto annonæ onere, nisi pro tertia parte. Obscurum tantum hic, quid sub his verbis *inuitto oneris castris*, lateat: pro quibus in *Cod. Inst.* editum, *in veteranis castris.* Vir doctus emendabat, *in limitaneis castris*: Forte hic reponendum, *In Vetorinis castris.* Quomodo sane Græci legerunt βετωρινοῖς: (a) *Vetorina* scilicet

(a) Ita iam ante nostrum placuit magno Cuiacio *in not. ad tit. Cod. Iust. de erogat. militar. an. l. 4.*

eet castra hic fuerint BETORINA in limite Arabico Persis opposito (non Victurina, quæ a Victorio, vel Victurino Tyranno excitata sub Gallieno, de quibus Pollio *in Lolliano c. 5.* vt nonoulli coniiciebant; quæ non placent) quorum meminit *Notitia Imperii* in Duce *Arabiæ fol 93. Sub dispositione*, inquit, *viri Spectabilis Ducis Arabiæ Præfectura legionis quartæ Martiæ Betthora.* Proinde pertineat hæc *lex* propriæ ad limitem Arabicum, & castra Arabiæ; quorum meminit præter *Notitiam Imperii*, Ammianus Marcellinus *lib. 14. c. 7.* *Arabia*, inquit, *opima varietate commerciorum, castrisque oppleta validis & castellis, quæ ad repellendos gentium vicinarum excursus sollicitudo peruigil veterum per opportunos saltus erexit & cautos.* Item Author incertus, qui subditus est *Notitiæ Imperii*: *Habitabunt*, inquit, *veterani limites Arabum, quæ dudum defenderant loca, & laborum desiderio potiti erunt, ex milite collatores.* Et ita quidem hic legeodum videatur, si modo hæc lex ad *Arabicum* limitem pertinet: quæ non inanibus argumentis potius ad Scythicum pertinere videri possit. Sane de Scythico limite insignis Zosimi locus *lib. 4. cap. 10.* (cuius partem antea quoque laudaui) occurrit, ex quo etia huic *legi* prorsus respondent. *Legis* inquam inscriptioni, Subscriptioni, & Argumento ipsi. *Διανοουμένους δὲ αὐτοὺς* [Scythas scilicet] *ἐπιέναι τοῖς Ῥωμαίων ὁρίοις αἰσθόμενος ὁ βασιλεὺς καὶ πρὸς αὐτὸ ἤδη συνειλεγμένους ἅπαντας σὺν ὀξύτητι πάσῃ. τὸ μὲν στρατόπεδον τῇ ὄχθ. τοῦ Ἴστρου συμπαρατείνας, αὐτὸς δὲ ἐπὶ τῆς Μαρκιανουπόλεως (ἡ μεγίστη τῶν ἐν Θρᾴκῃ πόλεων ἐστὶ) διατρίβων, τῆς τε τῶν στρατιωτῶν ἐν ὅπλοις ἀσκήσεως ἐπιμέλειαν ἐποιεῖτο, καὶ μάλιστα τοῦ μηδεμίαν αὐτοῖς ἐπιλεῖψαι τροφήν: ὕπαρχον μὲν οὖν τῆς αὐλῆς Αὐξόνιον ἀπεδείκνυ, Σαλούστιον ταύτης διὰ τὸ γῆρας ἀφεὶς, ἤδη δεύτερον ταύτην μεταχειρισάμενον τὴν ἀρχήν. Αὐξόνιος δὲ, καίπερ ἐνεστῶτος οὕτω μεγάλου πολέμου περί τε τὴν τῶν εἰσφορῶν εἴσπραξιν δίκαιος ἦν, οὐδένα βαρύνεσθαι παρὰ τὸ καθῆκον καὶ ὀφειλόμενον ἀνεχόμενος; καὶ ὁλκάδων πλήθει τὴν στρατιωτικὴν σίτησιν διὰ τοῦ Εὐξείνου πόντου ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ Ἴστρου παραδιδοὺς, κἀντεῦθεν διὰ τῶν ποταμίων πλοίων ταῖς ἐπικειμέναις τῷ ποταμῷ πόλεσιν ἐναποτιθέμενος, ὥστε ἐξ ἑτοίμου γενέσθαι τῷ στρατοπέδῳ τὴν χορηγίαν.* Id est. *Cum autem sensisset Imperator eos* [Scythas scilicet] *de finibus Romanis inuadendis cogitare, atque ob eam rem omnes cum magna celeritate iam collectos, exercitum quidem ad ripam Istri prætendens, ipse vero* MARTIANOPOLI *(quæ vrbium Thraciæ maxima est) consistens, tum vt in armis milites exercitarentur, studiose curabat, tum ac maxime quidem, ne vlla* ANNONA *eis deesset.* PRÆFECTVM PRÆTORIO *igitur* AVXONIVM *designauit Salustio propter senectutem ab hoc munere dimisso, qui quidem iam secundo Magistratum hunc gesserat. Auxonius vero, etsi tanta molis bellum immineret, nihilominus circa tributarum illationem iustus fuit, neminem sustinens prægrauari præter æquum & debitum: simul & numero nauium onerariarum* MILITAREM ANNONAM *per Euxinum Pontum Ostiis Istri immittens, atque inde fluuiatilibus nauigiis* RECONDENS IN CIVITATIBVS *flumini impositis: vt ita* EROGATIO [militaris scilicet annonæ] *exercitui facile fieri posset.* Ecce quatuor huic *legi* congruentia. Nempe 1. de Valentis mora *Martianopoli*, vnde quoque hæc lex data est. 2. de *Auxonio PP.* cui hæc eadem *lex* inscribitur. 3. de *Militaris annonæ* cura & solicitudine ab Auxonio PP. suscepta, ad tuitionem limitis Scythici, citra prouincialium iniuriam. 4. de ea in ciuitatibus flumini impositis, & sic limitaneis recondita. Eo P.372 dem omnino pertinent ea quæ prolixe Themistius scribit *oratione* 10 (hoc anno habita (*a pag. 136. ad 38. edit. Harduin.* quæque dicam de Valentis studio in exonerandis & leuandis colonis prouincialibus, *ad l. 11. inf. de iure fisci.* Neque tamen ideo recedendum ab emendatione nostra putem.

SVO TEMPORE ACTVARII PITTACIA *non prorogantis pœna.*

XVI. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Probum (b) PP.

ACTVARII, (c) nisi expleto triginta (d) dierum spatio pittacia (e) authentica confestim tradiderint, species quas ex fiscalibus conditis (f) dissimularint excludere, (g) vel Numero cuius Ratiocinia (h) pertractant, superſederint erogare, (i) de propriis facultatibus vel Militibus ipsis, vel fiscalibus horreis adigantur inferre. Dat. (k) VI. Id April. Sirmio, Valentiniano & Valente AA. CONSS. (l)

NOTAE.

(a) Lex 5. *Cod. Iust. eod. Tit.* GOTHOFRED.
(b) *Probus* PP. Sub Valentiniano Sen. v. *Prosopogr. ID.*
(c) De Actuariis dixi plene ad *l. 11. supr. ID.*
(d) Id est, Mensis. *ID.*
(e) De *Pittaciis* quoque dixi ad *l. 11. ID.*
(f) De *Conditis* dixi ad *l. 3. sup.* id est, de horreis, Vt *l. 17. prox. infr.* & *l. 13. sup. ID.*
(g) *Excludere*, recte *hic* & *Cod. Iust.* Non vt vir Doctus Iuretus in Symm. *lib. 9. ep. 121.* emendabat *excudere*. *Excludere* tamen, & excludi aqua, alio sensu *l. 1. §. 2. D. de aqua, & aqua pluuiæ arcend.* nempe opere facto repellere, ne ingrediatur: At hic species *excludere*, est e conditis depromere & horreo excludere, efferreque. Horatius dixit *Carm. III. Od. 28. v. 8. Horreo deripere, de horreo promere, Parcis* DERIPERE, *Horreo cessantem Bibuli Consulis amphoram.* προαιρεῖν Græcis. quod notum. *ID.*

(h) Dixi

(h) Dixi ad *d. l. 11. sup. ID.*

(i) Non ipsi Actuarii excludunt, non ipsi erogant; sed pittacio emisso excludi & erogari faciunt. Et nisi emiserint, & exclusionis & erogationis sua die non factæ periculum ad eos pertinet. *ID.*

(k) Pro, *reddita Sirmii*: vbi Probus PP. cui hæc *lex* inscribitur, tum erat: vid. Ausonium, *carmine subiecta epist.* 16. & Marcellinum *lib. 29. cap. 6. ID.*

(l) *ȝȝ.* III. AA. id est, Anno 370. quod vel ex ordine legum *h. t.* apparet. Vel certe IIII. id est An. 373. Quod postremum, si ita est, tum *hæc lex* pertineat ad militem Quadis oppositum, cum quibus hoc tempore Valentiniano res fuit; Vid. Marcellinum *lib. 29. cap. 6.* quo tempore Probus PP. Sirmii erat, *cap. cit. ID.*

COMMENTARIVS.

ACTVARIVS suo die pittacia annonæ militaris non tradens, vt tradere teneri probauit iam *l. 11. 13. sup.* atque ita annonæ militaris erogationem retardans, species de suis facultatibus vel militibus ipsis, vel horreis præstare cogitur. Vel horreis, inquam, in quibus videlicet species sua die non erogatæ, corruptæ resederunt: vt ostendi *ad l. 1. sup.* Itaque vel ipsi militi eas soluet, vel in horrea inferet, militibus soluendas. Moratoris Actuarii hæc pœna est, sua die pittacia non emittentis, & vt verbo vtar proprio non *proroganitis.* Porro diem *hæc lex* statuit huic rei, post trigesimum quemque diem. Fuerunt igitur pittacia menstrua hoc tempore, & in Præfectura Prætoriana Probo commissa, quæ diurna ferme ante fuerunt, imo & postea: vt ostendi *l. 1. 11. 13. sup.* & *l. 17. inf. prox.* Quandoque & quasdam annuas fuisse docebo *dict. l. 17. prox.*

SVO TEMPORE *annonas non accipientis militis pœna.*

XVII. (a) idem (b) AAA. ad Modestum PP. (c)

FORTISSIMI (d) ac deuotissimi (e) Milites, Familiæ (f) quoque, sed & ceteri quibuscunque præditi dignitatibus, annonas & capitum (g) singulis diebus, aut certe competenti tempore, id est priusquam annus (h) elabatur, de horreis (i) consequantur, aut si perceptionem (k) suam ac si (l) debitam studio voluerint protelare, (m) id quod competenti tempore minime perceperint, fisci nostri commodis vendicetur. Dat. prid. Non. April. Antiochiæ, (n) Gratiano A. IIII. & Merobaude V. C. CONSS. [377.]

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) Tribuenda hæc lex VALENTI, *Gratiano & Valentiniano.* vid. *Consul. Theod. ID.*

(c) Orientis. *ID.*

(d) Fortissimi milites, *h. l. & l. 4. vlt. inf. de milit. veste.* Viri fortes, *l. 12. inf. de veteranis*; *l 27. inf. de cohortalibus*: Themistius *Orat. 7. pag. 88. edit. Harduin.* ἡ ῥωμαίων φωνὴ, τοῖς στρατιώταις ἐξ ἀνδρείας μόνης τὰς ἐπωνυμίας ἐθέμενοι. *Romanorum lingua militibus de sola fortitudine nomen imposuit.* Hinc formula, qua Imperatores
P. 315 milites alloqui soliti, *Fortes & fidi.* vid. Ammianum *lib. 15. cap. 8. & lib. 20. cap. 5.* Etiam Christiani in suis supplicationibus sic orabant. *Fortis esset exercitus & fidus.* Prudentius *in martyrio Romani Hymn. 10. v. 416.*

Nunquam pro salute & maximis
Fortissimisque Principis cohortibus
Aliter precabor, quam fidele vt militent.

Et Tertullian. *Apolog. cap. 30. Oramus pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt.* In epistola exercitus apud Vopiscum in *Aureliano cap.* 41. *Felices ac fortes exercitus, Senatui Populoque Romano. ID.*

(e) *Deuotissimi* milites, *h. l. & l. 13. inf. de metatis, l. 28. inf. de susceptoribus, l. 3. inf. de equorum conlat. l. 19. inf. de tagnuis, l. 2. inf. de excoct. & translat. annonæ.* Valerianus ep ad Zosimionem Procuratorem Syriæ apud Trebell. Pollionem *in Claudia cap. 14. Claudium Tribunum dedimus: virum deuotissimis quibusque ac fortissimis veterum præferendum.* Nemesianus *Cynegetico. v.* 82.

Et fidos ad bella Daces & milite multo
Agmina, queis fortes animat DEVOTIO *mentes*

Tributus hic titulus & aliis: vid. *Glossar. ID.*

(f) Vid. *l. 28 31. inf. & l. vlt. inf. de iure fisci: l. 1. inf. de excoct.* Cæterum hæc verba, *familiæ quoque sed & ceteri quibuscunque præditi dignitatibus,* Tribonianus recidit. *ID.*

(g) De *Capito* dixi *ad l. 7. 13. sup. ID.*

(h) An potius *priusquam mensis?* arg. *l. 16. sup. prox.* Non. *ID.*

(i) Ex fiscalibus conditis eodem sensu *d. l. 16. prox.* De horreis *h. l. & l. 16. sup. ID.*

(k) *Perceptionem* vocat annonam præbendam: vt mox *perceperint* vid. & *l. 31. inf. ID.*

(l) *Et si*: vel *ac sibi. ID.*

(m) *Protelare,* differre. *ID*

(n) Vid. Socratem *lib. 4. c. 35. 36. ID.*

COMMENTARIVS.

SVO TEMPORE annonas sibi debitas qui accipere morantur, siue recusant, annonis suis mulctari a Valente iubentur *h. l.* A. D. 377. annonæque ipsæ fisco vindicari, vt *h. l.* & *l. 1. sup.* & *l. 18. 20. inf.* Vt Actuarii moratoris pœna est, sua die pittacium non prorogantis, *l. 16. prox. sup.* ita & militis ipsius moratoris pœna est, sua die non accipientis. Hac vtrique communi quoque ratione, ne alioquin species in horreis relictæ, neque sua die exclusæ, aut erogatæ, ex longiore situ vitium contrahant: quæ ratio nominatim continetur, *d. l. 1. sup.* Cæterum de duobus *h. l.* videndum est. Primum, de *Familiis*, quarum, vt *h. l.* ita & *l. 28 31. inf. h. tit.* & *l. vlt. inf. de iure fisci:* & *l. 1. inf. de excoctione* mentio fit. Familiæ igitur istæ *h. l.* a militibus separantur; & a cæteris quacunque præditis dignitate. Pariter *d. l. 28.* separantur a Numeris, & ab impedimentis. *A Prouinciarum*, inquit, *Rectoribus caueatur, vt tam Numeris quam Familiis, nec non & impedimentis, præter eas annonas quæ adærantur, id tantum in specie præbeatur quod* MILITIS *flagitarit inspectio, ne Actuariorum fraudibus vlla relinquatur superpostulationis occasio: cum per præpositos pistorum & diatotas legis forma caueatur, vt nulli omnino nulla in specie præbeatur annona, nisi quem subsistentem, atque in præsenti constitutum postulare constiterit.* Ex qua *lege* illud nihilominus apparet, generali *militis* appellatione familias quoque venisse, etsi a fortissimis & deuotissimis militibus, *h. l.* & a Numeris *d. l. 28.* separentur: Itaque & Actuarios illorum quoque ratiocinia tractasse, non minus quam Numerorum: id est, militum, *eadem lex* ostendit, item ab Impedimentis familias separandas: Impedimenta sunt calones, seu lixæ, saginarii, iumenta, vt notum est. Tertio ex *h. l.* & *d. l. 28.* sed & *l. 31. inf.* & *l. vlt. inf. de iur. fisci:* *d. l. 1. inf. de excoctione:* apparet huiusmodi familiis annonas & capitum seu pabula & sumptum non minus quam militibus, de horreis & fisco præbita. Denique ex his omnibus legibus apparet, Familias has tum per Orientale Imperium fuisse, ac nominatim per Orientis diœcesim & Ægyptum, *d. l. 31.* tum per Occidentem, *l. 1. inf. de excoct.* Neque dum tamen hæc sufficere possunt ad Familiarum illarum notitiam. De alio sane familiarum genere accipienda *lex 3. sup. de re milit.* cum ea non milites, verum coniuges, liberi & serui militum indicentur, qui sane militum appellatione censeri non possunt: Sed neque illis annonas aut capitum præbitum legi, neque verisimile est. Tandem familiæ illæ cum ipsis militibus ambulant, hi vero a militibus separatæ: An igitur de illis familiis accipiendæ, quarum frequens mentio fit apud auctores libellorum *de coloniis*, vbi certe a Militibus, & Veteranis separantur, itemque a colonis. Sic Iul. Frontinus *de Colon. pag. 111. inter Script. Rei agrar. Wilelm. Goesii. Territorium*, inquit, *Panormitanum Imp. Vespasianus assignauit militibus veteranis, & familiæ suæ:* Et Idem auctor *pag. 104. Cereate Mariana municipium. Familia Caii Marii obsidebat. postea a Druso Cæsare militibus & ipsi Familiæ in iugeribus est assignatum:* Item Idem *pag. 105. Dunos, municipium. familia D. Augusti condidit.* Et *pag 106. Nola ager militi fuerat adsignatus, postea colonis & Familiæ est adiudicatus:* Et *pag. 134. Cerettum municipium Familia Marii obsidebant, postea a Druso Cæsare militibus & ipsi Familiæ in iugeribus est assignatum.* Et *pag. 136. Aeclanum municipium coloni vel familiæ Imperatoris Vespasiani iussu acceperunt;* Et *pag. 139. Nola ager limitibus Sullanis militibus fuerat assignatus, postea intercisiuis mensuris familiæ est adiudicatus.* Et tamen neque de his familiis hæc *lex*, aliæque accipienda. Quid igitur? *Familiarum* appellatione intelligendos quis putet milites, qui in suspectis locis habebantur sub Hirenarcho: *arg. l. vlt. inf. de iure fisci.* Sed putem ipse fuisse eos, qui in castris habebantur, nondum in Numeris aut signis; vnde *Familiæ* hæ medio loco nominantur inter Numeros militares & impedimenta: *l. 28. inf. h. t.* Denique tirones, de quibus *inf. suo titulo:* vel adscriptitii de quibus *l. 11. sup. de re milit.* Scilicet vt iusti milites in numeros & turmas diuisi, ita tirones & adscriptitii in Familias: A familiis sane dicta sunt *familiarica:* id est, annonæ quæ familiis præbebantur, quorum meminit Mauritius *Strategicon lib. 1. cap. 2.* χρὴ ἀναγκάζεσθαι τοὺς στρατιώτας καὶ μάλιστα τοὺς τὰ Φαμιλιαρικὰ λαμβάνοντας πάντως παῖδας ἑαυτοῖς ἐπινοεῖν ἢ δούλους, ἢ ἐλευθέρους κατὰ τὴν γενομένην διατύπωσιν. *Oportet etiam adigere milites eos maxime qui pecunias familiaribus alendis accipiunt, vt sibi pueros seruos liberosue comparent pro constitutione facta.*

Secundo, accipiendæ annonæ tempus militi *h. l.* constitutum obseruandum est: Singulis, inquit, diebus aut certe competenti tempore, id est, priusquam annus elabatur: Quod quidem ita interpretor, vt quæ de singulis diebus dicuntur, ad milites referri oporteat, (quod etiam docet *lex 1. 11. sup*) quæ de anno: ad eos qui præditi dignitatibus, vt suadent, quæ notaui *ad d. l. 1. sup.*

Neque postremo omittendum, hanc *leg.* pertinere vel ad militem Thraciæ, Mysiæ, &c. cui Gothi hac tempestate incubuere, de quo vid. Ammianum *lib. 31. cap. 6. 7. 8. 9. 10. 11.* & Eunapium *in Excerptis Legationum pag. 14. edit. Venet. Tom. I. Script. Rer. Byzantin.* vel ad militem Persis oppositum, & Armeniam defensantem; de quo vide hoc ipso anno Ammianum *lib. 31 cap. 7.* Ad quod Persicum bellum pertinent etiam nonnullæ ad huoc *Modestum* Libanii epistolæ.

P. 316 PRETIA *loco specierum milites exigere prohibentur a Theodosio M.*

XVIII. (a) Imppp. Valentinianus (b) THEODOSIVS, & Arcadius AAA. Abundantio, (c) Stilichoni, (d) & ceteris Comitibus & Magistris Vtriusque militiæ.

NE quis (e) pro speciebus annonariis pretia temptet exigere: (f) vel si contra Legem datam venire temptauerit, nec illud quod in pretio expetiit permittatur exigere, nec illud quod suo tempore accipere in speciebus neclexerit, consequatur, Dat IV. Kal. Aug. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio V. C. CONSS. [393.]

NOTAE.

N O T A E.

(a) Iungenda *huic* est *lex* 3. *inf. de salgamo.* GOTHOFRED.

(b) Restituendi Imperatores vt *h. l.* ita & *d. l.* 3. hi, *Imppp. Theodosius Arcadius & Honorius*; Superioris enim anni mense Maio Valentinianus Iun. iam obierat: & huius Anni mense Ianuario Honorius a patre Augustus creatus fuerat. *ID.*

(c) Eidem *Abundantio* inscribitur quoque superiore anno lex 128. *inf. de Decurionibus.* Sed & eius meminit Zosimus *lib* 5. *cap.* 11 & Claudianus *in Eutropium l.* 1. *v.* 154. & Hieronymus *in Epitaph. Nepotiani fol.* 17. *Tom. I. Oper. edit. Francf. ID.*

(d) Dicam de hoc Stilichone plene *l.* 1. *inf. de litorum & itinerum custodia* & *leg.* 20. 21. 22. *de bonis proscriptor.* Ex *hac* interim quoque *leg.* apparet hoc tempore in Oriente Stilichonem Magistrum militum fuisse, quod etiam ex Claudiano videre est, *lib.* 1. *in Rufinum*, & plenissime *lib.* 1. *in laud. Stil.* & Zosimo, *lib.* 4. *cap.* 57. quem sibi mox a. 394. aduersus Eugenium moturus, Theodosius adsciuit *loc. cit.* belloque illo defunctus mox & ipse, apud Honorium reliquit. Ac nominatim hoc tempore Stilicho in Thracia occupatus erat aduersus Getas: de quo vide Claudianum 1. *in Rufinum a vers.* 319. *seqq.* & in laud. Stilichon. *lib.* 1. *a vers.* 107. *seqq. ID.*

(e) Comites etiam Tribunus & Præpositus *leg.* 1. *sup.* & *leg.* 2. *de salgam.* ita *l.* 20. *inf.* nulli militarium & *l.* 21. si a militaribus & *d. l.* 3. *de salgamo* nemo militans. *ID.*

(f) A Prouincialibus *l.* 20. 21. *infr.* (vbi dicam) idque etiam ostendit coniunctio *dicta l.* 3. *infr. de salgamo. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

Theodosii M. tres Constitutiones sequuntur, de annona militari: & hæc quidem, & *lex* 20. in eandem sententiam. Nempe PRETIVM loco specierum exigere omnes militantes *hac* Theodosii M. *lege* interdicuntur: Alioquin tantum abest exigere miles pretium possit, vt specie quoque ipsa multetur, qui suo tempore eam non accepit: Quod ipsum quoque iam antea cautum fuit, *l.* 1. & *l.* 17. *sup.* Sed postea ab eodem Theodosio M. *l.* 20. & Arcadio, *l.* 21. *inf.* Quod ad Prouincialium securitatem constitutum est, vt docoit iam *d. lex* 1. idque ipsum pariter ex coniunctione *legis* 3. *inf. de Salgamo* apparet: quæ & ipsa prouincialium securitati & indemnitati prospicit, circa annonariarum specierum &c. exactionem. Idque rursum ostendet *d. l.* 20. 21. *inf.* Verum aliter alicubi aliquando statutum: *vid. l.* 30. *inf.* & *l.* 17. *de cohortal.* quæ & ipsa Theodosium M. auctorem habet. Porro quid Zosimus de Theodosii M. temporibus circa annonam militarem senserit? videndus is, *lib.* 4. *cap.* 27. & *lib.* 2. *cap.* 33. vbi & iudicium eius vide de multiplicato Magistrorum militum numero, quod ad *huius leg.* inscriptionem pertinet.

Provinciæ *transuectioni publicæ & arcæ inhabiles*, *Officialium annonis præbendis destinatæ, a Tatiano PP. mox a Theodosio M. Imp.*

XIX. (a) Idem AAA. Tatiano (b) PP.

Officiorvm (c) annonas, dispositione prouidentissima, his prouinciis distributas, quæ nec Transuectioni publicæ, nec Arcæ, possunt aliquod deferre conpendium, conprobamus. Dat. prid. Kal. Aug. Constantinop. Theodosio A. III. & Abundantio V. C. conss. [393.]

N O T A E.

(a) Fugitiua & hæc *lex* est a tractatu *de re militari.* GOTHOFREDVS.

(b) De huius loci restitutione, mox. *IDEM.*

(c) Id est, officialium. *IDEM.*

C O M M E N T A R I V S.

Provincias, quæ neque transuectioni publicæ, neque Arcæ aliquod compendium deferre possent, Officialium annonis conferendis deputandas esse definit *hac leg.* Theodosius M. Scilicet. Prouinciæ nonnullæ vel nimium remotæ a limite erant, ad quem transuehenda annona erat: vel eoam vias non faciles, neque nauigeta flumina habuere, quin vastæ, incultæ, squalentes, tene- P. 317 brosæ, vias etiam militares habuere confragosas, & alternis montibus arduas atque præcipites, vt vix semipleoa carpenta, interdum certe vacua, transmitterent: Ex quo sæpe accidebat vt obsequia ipsorum tarda essent, cum paucarum frugum illis difficilior esset EVECTIO, quam cæteris Prouinciis plurimarum: vt de Æduis (qui hodie *Burgundi* sunt) circa Annum 319. scribebat Eumenius, *in Gratiarum actione Flauiensium nomine*, de quo plenius ad *l.* 1. & 3. *inf. ne conlat. transl. postul.* Et ob harum igitur alterutram rationem, & vt malim priorem, *hac lege* dicitur, Prouincias quasdam transuectioni publicæ aliquod compendium deferre non posse. Rursum Prouinciæ pariter fuerunt, quæ *Arca* quoque compendium aliquod deferre non potuerunt. *Arca h. l.* transuectioni publicæ opponitur; Cuius alioquin Arcæ frequens sit mentio hoc Codice: sed & in *Nouellis Theodosii & Valentiniani.* De qua autem *Arca* id accipiendum ambigitur? An de Arca Præfectoria id accipiendum, quæ ita voca-

vocatur *l. 9. inf. de indulgentiis debitorum*, vbi horreis pariter vt *h. l.* transuectioni publicæ eodem sensu opponitur. Transuectio scilicet publica pertinet ad species publicas, quæ ad horrea transferebantur: Arcæ vero Præfectoriæ seu Arca Sublimium potestatum (vt vocatur *l. 6. inf. de indulg. debitorum*) ad eas species, quæ non ad horrea publica seu fiscalia militibus postea erogandæ, verum ad Arcam Præfecti Prætorio, in eius vsus & necessitates absumendæ, conferebantur. Sed de hac Arca Præfectoria alibi plenius. An vero hic accipiendum de Arca rei priuatæ, seu *fiscali Arca*, quæ & largitionalibus titulis opponitur, *l. 12. inf. de Numerariis*; quæ & ipsa Theodosii M. est: de qua v. & *l. 2. de his q. ex publ. coll. l. 6. de contat. donat. l. 26. 29. 30. de susceptor. h.* Illud verius. Ergo Prouincias in habnes Transuectioni publicæ vel Arcæ, soluendis officialium Rectorum Prouinciarum Annonis, deputari vult *h. l.* Theodosius M. Quæ prouinciarum & annonarum diuisio notanda est. Cui haud absimilis est Annonatiarum prouinciarum origo, de quibus alibi.

Cæterum quod *hac leg.* a Theodosio M. statuitur, id non ab eo nunc primum statuitur, verum confirmatur Tatiani Præfecti Prætorio dispositio hac parte: Tatiani inquam; erronea quippe est *huius legis* inscriptio, vtpote cum superiore iam anno Tatianus Præfectura Prætoriana deiectus fuerit, eique suffectus Ruffinus, vt docet Zosimus *lib. 4. cap. 52.* & complures; idque plenius adhuc confirmat *lex 12. inf. de bonis proscript.* & *lex 23. inf. de annona & tribut.* Quibus certe *legibus*, hac nostra anterioribus, Tatiani huius deiecti acta rescinduntur: scilicet nonnulla Tatiani acta Theodosius infirmanda duxit, alia vero ab eo recte disposita comprobare voluit. Proinde restituendum *huius legis* initium ita puto, retractis nonnullis ex inscriptione ad initium *legis*, sic: *A Tatiano PP Officiorum annonas*, &c. Neque mirum eiusdem acta quædam improbari, probari alia: nam & huius motis exempla præbebit *tit. infr. de infirm. his quæ sub Tyrann.*

PRETIA *loco specierum milites exigere prohibentur a Theodosio M. & exigentis pœna.*

XX. (a) Idem AAA. Rufino PP.

NVLLI (b) militarium (c) pro his annonis, quæ in prouinciis delegantur, (d) repudiata ad tempus specierum copia, & inopiæ occasione captata, (e) pretia liceat postulare; ita vt si quis propter anni abundantiam suscipere oblata neglexerit, ac postea inpositis pro necessitate rerum prædiis, (f) repudiata taxauerit, neque id quod contra hanc legem expetit, sinatur exigere, neque illud quod accipere dissimulauerit, (g) consequatur. Dat. III. Kal. Aug. Constantinop. Theodosio A. III. & Abundantio V. C. CONSS. [393.].

NOTAE.

(a) *Lex 7. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Etiam Tribuno & Præposito *vt l. 1. sup. l. 18. sup. ne quis. &c.* IDEM.

(c) *Militaris* hoc Codice frequenter pro militibus: *h. l. & sequ. & l. 7. 11. de annon. ciuic. & l. 18. 32. inf. de Decurionibus.* Sed & apud Historiæ Augustæ Scriptores. Quandoque tamen pro Veteranis; quandoque pro iis qui non tam milites, quam *militari annona* seruiebant, vt *supra* ostendi ad *l. 11.* ID.

(d) Hinc delegatoriæ, de quibus *l. 22. inf.* vid & *l. 35. inf.* ID.

(e) Vid. *l. 1. inf. sine censu.* ID.

(f) *vg. pretiis:* vt Codex quoque Iustinian. recte præfert. ID.

(g) *Dissimulauerit*, pro distulerit, neglexerit, vt *l. 18. sup.* protelauerit. *l. 17.* detrectauerit, *l. 1. sup.* ID.

COMMENTARIVS.

PRETIA specierum, sub specierum ipsarum confiscationis pœna rursum exigi a Prouincialibus *h. l.* a Theodosio vetantur: pariter vt *l. 1. 17. 18. sup.* & *l. 21. inf.* Ratio interim *h. l.* notanda est, ob quam milites sæpe annonas suas accipere ad tempus differebant: Scilicet *Charistiam* (vt nostri loquuntur) seu annonæ caritatem milites aliquamdiu expectabant, vt ita maius pretium acciperent: pretium inquam, eius temporis quo iam annonas suas exigebant, non quo eas accipere debuerant. Quod & ipsum iniquum erat, cum pretium rei, quanti fuit, quo tempore solui debuerat, non quanti postea fuerit, orta caritate, æstimetur, *l. 22. D. de rebus creditis.* Notandum vero, quod lex ait, *Annonis quæ in Prouinciis delegantur:* Scilicet militibus annonæ quandoque ex horreis seu conditis erogabantur: de quo est *lex 1. sup.* & *lex 11. 13. 16. 17.* quandoque prouinciales delegabantur, a quibus milites exigerent, *h. l.* & *l. 18. sup. l. 21. inf.*

P 318

PRETIA *loco specierum exigere Militares a Prouincialibus prohibentur ab Arcadio; & quidem enixe, A. D. 396.*

XXI. Impp. ARCADIVS, & Honorius AA. Cæsario PP.

SI a Militaribus (a) prouincialis (b) quælibet damna pertulerint, ac non ipsas species quæ in prouinciis a possessoribus congregantur (c) fuerint consecuti, illico interpellato Iudice admissum crimen ad Nostram Clementiam perferatur, vt admissum crimen congrue vindicetur. Si vero tantum nefas simili taciturnitate contexerint, (d) præter eam multam quam Rectores Officiaque subire (e) conueniet, etiam detrimentorum quantitas in duplum (f) de eorum facultatibus exigitur, (g) reddenda ac restituenda his qui dispendia talia pertulerunt. Dat. XV. Kal. Mai. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTAE.

(a) An *milites* intelligit ipsos? vt *l. 20. sup.* an *Optiones* militaris annonæ exactores? *Militares* enim eo significatu accipi, iam probaui *ad l. 11. sup.* pro seruientibus exigendis annonis militum, vt loquitur *lex 22. infr. prox.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Pro *prouinciales*: v. interim quæ dixi ad *l. 20. prox. sup.* vt *infra l. prox.* vbi *seruientis*, pro *seruientes.* *ID.*

(c) Delegantur in prouinciis: *l. 20. sup.* *ID.*

(d) *Contexerint*, pro texerint. Rectores & officia: nisi malis, *Contexerit*, Iudex scilicet, cuius tantum adhuc facta mentio. *ID.*

(e) Te Præfecto Prætorio, infligente. *ID.*

(f) Dupli pœnam obserua *b. l.* & *l. 24. inf.* *ID.*

(g) *γρ. exigetur.* *ID.*

COMMENTARIVS.

PRETIA loco specierum a Prouincialibus seu possessoribus exigere Militares, hac Arcadii constitutione rursum, & enixe quidem vetantur; duobus videlicet additis: Primum, vt Querelæ possessorum apud Iudicem eo nomine interponantur, mox ad Principem perferantur. Secundo vt Rectores & Officia id dissimulantes, multentur, a Præfecto Prætorio scilicet, sub cuius dispositione Rectores Prouinciarum erant (qua causa etiam hæc *lex* Præfecto Prætorio inscribitur) Ac præterea, duplum eius quod possessori ereptum est, seu extortum, restituant: Iudicibus scilicet hæ pœnæ impositæ, vt eo cautius incumberent prohibendo huic sceleri. Dissimulantis interim Iudicis, & Prouincialium deprædationi conniuentis pœnas obserua: Itemque eius Officium; *V.* & *l. 13. sup.*

PRETIORVM *modum in exigendis annonis militaribus Valentiniani Sen. constitutione præscriptum obseruari iubet* Honorius.

XXII. (a) Idem AA. Hilario (b) PP.

NEQVE Scholæ, neque Vexillationes (c) Comitatenses, (d) aut Palatinæ, neque Legiones (e) vllæ, neque Auxilia, (f) qualeslibet ad Prouincias delegatorias (g) de specierum præbitione pertulerint, audiantur, si pretia poscant vltra ea quæ generali Lege Diui Patris Senioris Valentiniani (h) constituta sunt: Nec enim fas est, vt exigendis annonis militum nostrorum seruientis (i) noua (k) Possessoribus pro arbitrio proprio indicant; Siue (l) mentionem etiam pretiorum nullam delegationem valere præcipimus. Dat. III. Kal. Iun, (m) Med. Arcadio IIII. & Honorio III. CONSS. [396.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic *lex 5. inf. de conlat. æris*: quæ argumento huic quoque respondet. *GOTHOFR.*

(b) Eidem inscribitur hoc ipso anno *lex prox. 23. inf.* *ID.*

(c) De vexillationibus vid. & *l. vn. sup. de bonis militum.* *ID.*

(d) De Comitatensibus dixi ad *l. vlt. sup. de re milit.* Vt & de Palatinis. *ID.*

(e) Quid inter *Legiones* & *Auxilia* intersit, dixi *ad d. l. vlt.* *ID.*

(f) De *Auxiliis* v. insuper *l. 17. inf. de Tyronib.* *IDEM.*

(g) Vt *sup. l. 20.* annonis quæ in Prouinciis delegantur. Et *l. 35. inf.* annonas quæ, &c. adminiculis dignitatum adsolent delegari. *IDEM.*

(h) V. & *l. 23. inf. prox.* *ID.*

(i) *Seruitutes*: vt prouincialis *l. prox. sup.* Cæterum optiones intelligit de quibus ad *l. 1. sup.* *ID.*

(k) Scilicet pretia. *ID.*

(l) *γρ. Sine mentione.* *ID.*

(m) Forte reponendum *Ian.* vt ita coniungatur *lex. 2. inf. de conlatione æris*: quod omnino existimo. *ID.*

P. 39

COMMENTARIVS.

PRETIA specierum annonariarum tantum abest sicut in Oriente, ita & in Occidente exigi vetarentur, vt contra pretia omnino pro speciebus exigerentur (pro speciebus inquam annonariis; capitum enim, in ipsis speciebus præbebatur: *l. 23. prox. inf.*) Et tamen, ne pro arbitrio suo milites pretia taxarent seu exigerent, certa ac distincta locis, Constitutionibus Principum pretia definita fuerunt, ne iis conferendis Prouinciales grauarentur. Quod & ipsum postea per Orientem factum, docebunt deinceps *leges aliquot*. Et quidem hæc *lex & sequens* ostendunt *generalem* & solemnem ea de re fuisse aliquam Valentiniani Senioris constitutionem, quæ constitutio ab Honorio *h. l.* vt & *lege sequenti* confirmatur. Eiusque si non pars, certe eiusdem generis fuit *lex 10. sup.* De eo genere quoque fuit Valentiniani huius *lex pro imminutione 2. Cod. Iust. de veteris numism. potest.* vbi statuit, *pro imminutione, quæ in æstimatione solidi, forte tractata, omnium quoque specierum pretia decrescere oportere.* Quam *leg.* singulari dissertatione illustrauimus. Ad rem.

Duo igitur *h. l.* constituuntur; Primum, vt exactoribus militaris annonæ, præter & supra modum Valentiniani *lege* expressum, nihil omnino exigere liceat, qualeslibet ad Prouincias delegatorias de specierum præbitione, Scholæ, Vexillationes, Legiones, Auxilia pertulerint. *Delegatoriæ* sunt, (seu vt *fin. l.* vocantur, *Delegatio*) Principis aut Præfecti Prætorio Epistolæ, quibus iubentur Prouinciæ hoc vel illud Numeris, Scholis, &c. præbere. Qua in re & delegandi verbo vtitur *lex 20. sup.* & *lex 35. inf.* Cæterum *Vexillationes* (quarum *h. l.* mentio fit, & *l. vn. sup. de bonis militum*, & *l. 23. prox. inf.*) sunt Equitum, quemadmodum Legiones proprie Peditum erant, haud aliter ac Numeri. Itaque Vexillationes & Legionibus & Numeris opponuntur *h. l.* & *d. l. prox. inf* & *d. l. vn.* Vegetius *lib. 2. cap. 1.* *Equitum alæ dicuntur ab eo, quod ad similitudinem alarum ab vtraque parte protegatur acies, quæ nunc Vexillationes vocantur, ab eo quod Velis, hoc est* FLAMMVLIS, *vtuntur.* Et Cedrenus *pag. 169. edit. Parif. pag. 135. edit. Venet. inter Script. Rer. Byzant.* Βιξιλατίωνες οἱ Ῥωμαίων ἱππεῖς καὶ βίξιλα παραπετάσματα ἐκ πορφύρας καὶ χρυσοῦ, εἰς τετράγωνον σχῆμα πεποιημένα, ταῦτα ἐξαρτῶντες ἐπὶ μακρῶν δοράτων, κυκλῷ παραπορευόμενοι τῶν Βασιλέων κατασκέπτουσιν αὐτούς. εἰσὶ δ' αὐτὰ λεγόμενα ΦΛΑΜΟΥΛΑ. id est. *Vexillationes sunt Romanorum Equites, vexilla autem sunt vela e purpura &* AVRO, *in quadratam formam facta: Hæc adaptantur longis hastis, & Principes circumeuntes circulo quodam tegunt: Erant autem illa, quæ nunc* FLAMVLA *dicuntur.* Hinc interim patet AVRIFLAMVLÆ in Historiis Francicis decantatæ, quæque in Dionysii fano reposita erat, vsus & origo. (a) Neque etiam aliter Galli veteres olim, quod Polybius notauit *lib. 2. cap. 32.* τὰς χρυσᾶς σημαίας τὰς ἀκινήτους λεγομένας ἐν τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερῷ εἶχον, id est; AVREA *signa quæ immota vocabantur, in fano Mineruæ habebant.* In Glossario veteri Βεξιλλατίων *vexillatio.* Denique *Vexillationes* ideo dictæ, quia per turmas & vexilla diuisi equites: Vexilla, id est, pusilla vela: Vexillum enim tractum a veli diminutione, vt Seruius ad *Virgilium 8. Æneid. v. 1.* vbi & illud ait in tumultu duo Vexilla elata; *vnum Roseum quod Pedites euocabat; & vnum Ceruleum, quod erat Equitum.* (*Nam ceruleus color, maris est, a cuius Deo equum constat inuentum.*) Et paulo post: *alii Album & Roseum vexillum tradunt: & Roseum, bellorum; Album, comitiorum signum fuisse.* Harum vexillationum frequens mentio in *Notitia Imperii. Vid. fol. 21. 30. 33. 36. 38.* Sed & in veteri lapide, *apud Gruterum* CCCCXLI. *num. 4.* Cæterum vt vexillationes Legionibus opponuntur, ita pariter, & eodem sensu Legionaria militia equestri militiæ opponitur, *in l. 2. in f. inf. de filiis militar. Apparit.* *Scholæ* autem, quarum *h. l.* mentio fit, vt & *l. 23. prox.* & *tit. 13. lib. 6. sup. de Comitibus & Tribunis Scholarum*: & *leg. 8. 9. 10. 11. & 12. infr. de Annonis Ciuicis*, a quibus, qui in iis militabant, Scholares, *l. 34. inf. h. t.* & *l. 9. inf. de diuersis officiis l. vn. qui a præbit. tyron.* quæ *Palatinæ scholæ* dicuntur Ammiano Marcellino *lib. 14. duob. locis c. 7.* sunt scholæ Scutariorum, vt docet *d. lex 9. de annon. ciuic.* Item Scholæ Gentilium sub dispositione Magistri officiorum, quæ quidem septem sub Theodosio Iun. erant, vt testatur *Imperii Notitia fol. 42.* imo sub Comite & Magistro militum, *l. 23. prox.* Gentilium certe meminit quoque Ammianus Marcellinus *lib. 15. c. 5. lib. 16. c. 4. lib. 20. c. 4.* Idemque meminit Scholæ Scutariorum primæ, & secundæ, *lib. 23. circa finem*, & *lib. 26. circa principium.* His Scholis præerant sui Tribuni, vel Comites, quorum meminit *d. lex 23. prox.* & *titulus sup. de Comitibus & Tribunis Scholarum*: & Marcellinus *Chron. sub Consul. Celeris & Venantii.* Eorundem meminit Ammianus *d. lib. 26. cap. 1.* qui idem eos Rectores Gentilium & Scutariorum vocat. Proximi his erant, qui *Capita Scholarum* dicebantur, Ammianus *dicto lib. 25. in fin.* Cæteri omnes, Scholares: *l. 34. inf.* De Gentilibus autem iam dictum fuit *supra, titulo de nuptiis Gentilium.* De Scutariis agetur *d. l. 9. inf. de Annonis ciuicis.* De his Scholis & Scholaribus insignis est locus Agathiæ *lib. 5. pag. 111. edit. Venet. Tom. III. Script. Rer. Byzant.* ἦσαν δὲ οὐ μάχιμοι ὡς ἀληθῶς, οὐδὲ μετρίως γοῦν τὰ τοιαῦτα πεπαιδευμένοι, ἀλλ' ἐκ τῶν ταγμάτων ἐκείνων οἱ ἐς τὸ διημερεύειν τε καὶ διανυκτερεύειν ἐν τῇ αὐλῇ ἀποκέκριντο, οὓς σχολαρίους ἀποκαλοῦσιν. οὗτοι δὲ στρατιῶται μὲν ὀνομάζονται, καὶ ἐγγεγράφαται τοῖς τῶν καταλόγων βιβλίοις. εἰσὶ δὲ οἱ πολλοὶ ἀστικοί τε καὶ φαιδρειμονες, καὶ μόνον εἰμαι ὄγκου τοῦ βασιλείου ἕνεκα καὶ τῆς ἐν ταῖς προόδοις μεγαλαυχίας ἐξευρημένοι, &c. id est. *Erant autem non reuera milites, neque rei bellicæ periti, sed ex cohortibus illis, quæ totam diem, ipsamque noctem in aula consumunt, quos Scholares vocant. Hi quidem milites vocantur, & matriculis continentur, plerique tamen pagani sunt, & splendide vestiti, & magnificentiæ causa tantum Imperatoriæ, & in processibus fastus ergo reperti.* Et hæc de primo *huius l.* capite.

Secundo,

(a) Vide hac de re latius differentem Car. du Fresne *differt. XVIII. ad Joinvillam* & in Glossar. *voce auriflamma.* De vexillis autem & vexillationibus differit magnus Salmasius *in not. ad Capitolin. Pertinacem cap. 2.* & *ad vopisci Firmum cap. 4.*

Secundo, adeo prouincialibus prospectum *h. l.* vult Honorius, ne videlicet pretia ab his specierum illegitima exigantur, vt & illud constituat, *Ne vlla delegatio valeat sine pretiorum mentione:* ita enim *hic* legendum. Scilicet non tantum Valentinianeæ constitutionis generalis (id est, qua generaliter & indistincte modus adærationis definitus, comprehensus fuerat) formam Optionibus præscribere contentus est Honorius, verum ne quod suffugium adhuc sit, aut esse possit, singulis delegatoriis, pretium seu adærationis modum adscribi iubet, & absque eo delegationem valere vetat. Breuiter, prouincialium indemnitati *h. l.* cauetur, & vt *lex prox.* ait, *Prouincialium commodis subuenitur.*

---

p.310 FOENVM *in specie quidem militibus præstandum: at non etiam ad oppidum deferendum ex hac Honorii constitutione.*

XXIII. (a) Idem AA. Hilario (b) PP.

PROVINCIALIVM (c) commodis non (d) conuenit subuenire. Ad omnium vtique (e) Numerorum, (f) siue Vexillationum, aut etiam Scholarum (g) Tribunos per (h) Viros Inlustres Comites (i) Sublimitas tua faciat peruenire, Vt meminerint fænum militibus hisdem (k) capitibus præstandum, iuxta legem Diui Valentiniani, de (l) quinta decima Indictione; nec tamen ad oppidum deferendum. Dat. XVI. Kal. Iul. Arcadio A. IIII. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTAE

(a) Lex 8. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) Eidem inscribitur hoc ipso anno *lex prox.* 22. *sup.* & quæ ei iungenda est *lex* 2. *infr. de coll. æri*; *ID.*

(c) Possessorum collatorum. *ID.*

(d) *γρ. Non* vt etiam *Codex Iustin.* recte præfert. *ID.*

(e *Itaque* in Cod. Iustin. male, nam illud sustineri omnino oportet, ex *legis* sententia. *ID.*

(f) *Numeri* hic pro Peditum Numeris: quibus Vexillationes opponuntur: dixi ad *leg. superiorem.* *ID.*

(g) *De* his Scholis dixi ad *d. l. superiorem*: deque earundem Tribunis dicetur plenius ad *l.* 8. & 9. *infr. de Ann. Ciuic.* *ID.*

(h) in Cod. Iust. *Vel*, quod minus probo. *ID.*

(i) Comitibus illustribus suberant Numeri, Vexillationes, Scholæ, eorumque Tribuni. Scholæ inquam Gentilium, Scutariorum. quas tamen postea dispositioni *Magistri Officiorum* subiicit *Notitia Imperii. vid. fol.* 42. *ID.*

(k) *Iustis*, in Cod. Iust. male, præter *huius legis* sententiam. *ID.*

(l) Hæc verba, *de quinta-decima Indictione* absunt a *Cod. Iustin.* Et tamen pro, *de quinta-decima*, reponendum *Sequente decima.* Decima quippe indictio inceptura erat hoc Anno tribus Mensibus post hanc *legem*, Mense Septembri. Vnde indictionum Constantinianarum initium, de quibus Indictionibus dicam plene *inf. tit. de Indulgentiis debitorum.* Vide & *l.* 24. 31. *infr. l.* 2. *inf. de militari veste.* *ID.*

COMMENTARIVS.

FOENI alia ratio fuit in occidente, quam specierum annonariarum. Scilicet species annonæ Valentiniani constitutione (de qua dictum *ad l. superior.*) in pretio a Prouincialibus Solui iubebantur: At fœnum militibus (quorum numero quoque scholares erant, de quo tamen vide quæ dixi *ad legem supr.*) hisdem capitibus præstari Valentinianus voluit. Hisdem capitibus, id est, in speciebus, non in pretio. *Capita eadem* sunt, ipsæ capitum species, vt vocantur *l.* 13. *sup.* de qua alioquin capitum, & capiti appellatione, dixi *ad l.* 7. *sup.*

Hoc igitur alterum Valentinianeæ constitutionis caput, de Fœno in specie præbendo (De primo quippe dictum fuit *ad legem præcedentem*, quod fuit de Pretio specierum annonariarum) hac Honorii constitutione confirmatur. In quo notanda differentia fœni, & cæterarum specierum annonariarum; cuius hanc rationem colligo: quod scilicet species annonariæ ex situ facile vitium contrahant, atque adeo Prouinciales corruptas species militibus obtruderent (de quo dictum fuit *ad l.* 1. 16. 17. 18. *sup. hoc titulo*) at non etiam capitum seu fœnum. Qua re vtique militum commodis subuenitur, quod voce, VTIQVE, *h. l.* indicatur: Quod in ITAQVE a Triboniano perperam mutatum est; scilicet *h. l.* partim militibus, partim prouincialibus subuenitur: Militibus inquam, priore *legis* parte, de qua iam modo dictum fuit: Posteriore vero, de qua nunc agendum, Prouincialium commodis. Nam etsi fœnum in ipsa specie Prouinciales præstare teneantur; tamen iidem non cogendi sunt, fœnum ad oppidum deferre: Prouinciales quippe ab hoc onere immunes esse Honorius vult, & milites ipsos capitum petere, conuectare, deferre, de quo dictum fuit *ad l.* 7. 9. *sup.* Et tamen insignis locus extat apud Siculum Flaccum *de Conditionibus agrorum, sub finem pag.* 25. *int. auct. Rei agrar. W. Goesii.* quo ostendit, *Possessores annonam publicam, & in his stramenta militi præstanda ad ciuitates deportasse.* Locum iam consignaui ad *legem* 1. *huius Tituli.*

SVPERPOSTVLATIONI *Actuariorum & Optionum occurritur ab* Arcadio: *& de* Breuibus *ad Scrinia mittendis.*

XXIIII. (a) Idem AA. (b)

EXCELLENTIA Tua erogationis per Susceptores factæ modum quantitate (c) breuium (d) conferri perficiat, ita vt ex quo die Numeris datum sit, diligentius exploretur, ac si quid amplius Actuarios vel optiones accepisse constiterit, quam breuium datorum scriniis (e) nostris veritas continet, memorati in duplum (f) reddere compellantur: Susceptoribus ea summa imputanda (g), quam semel flagitantibus hisdem (h) erogasse monstrauerint. Nam ad Inlustres quoque Magistros vtriusque militiæ sacri apices cucurrerunt (i), quibus prouida (k) sanctione decreuimus, vt breues ante Indictio-
P.3 nis (l) principium summa fide ac veritate confecti, ad nostra Scrinia dirigantur, secundum quos a Susceptoribus erogatio celebretur. Dat. VIII. Kalend. April. Constantinop. Honorio A. IIII. & Eutychiano V. C. CONSS. [398.]

N O T A E

(a) Lex 9. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) Scripta fuit hæc *lex* ad Præfectum Prætorio: Quod etiam Accursius vidit. Sed & Græci. Titulus *Excellentia Tua* id satis comprobat: & argumentum *legis* ipsum. IDEM. Curacius in Cod. Iust. edidit; *Iidem AA. Fidem.* Nulla adducta q a moueri potuerit ratione. RITTER.

(c) Cum quantitate. GOTHOFRED.

(d) De *Breuibus* vide *Glossar.* & dicam alibi ID.

(e) In Scriniis nostris. ID.

(f) Dupli pœnam obserua *& l. & l. 21. sup.* ID.

(g) Atque adeo impunitis & immunibus crimineque vacuis. ID.

(h) Actuariis vel Optionibus ID.

(i) Id est, Epistolæ & Constitutiones nostræ promanarunt & emissæ sunt. ID.

(k) Id est, Prouida Sanctio eodem modo *hic*, quo *l. sup.* ID.

(l) De Indictionibus suo dicam loco *inf. tit. de indulgentiis debitorum, & tit. de Indictionibus.* ID.

C O M M E N T A R I V S.

ACTVARIORVM & OPTIONVM (de quibus dixi ad *legem 1. & l. 11. sup.*) fraudibus & superpostulationi *hac lege* occurritur: de quorum Actuariorum fraudibus dicam aliquanto plenius *ad l. 28. inf.* Actuariorum inquam & Optionum: nam & ita pariter iunguntur *Nouella Martiani, de indulgentiis reliquorum 2.* Quomodo & *Annonarii & Actuarii* iunguntur *l. 3. inf. de Numerariis.* Igitur horum fraudibus vt occurratur, id Arcadius *h. l.* constituit, vt ante Indictionis exordium a Magistris militum Breues mittantur, quibus contineatur, quomodo a Susceptoribus erogatio facienda sit:, id est, quantum necessitas militatis exposcat, singulis Numeris erogari. Erogationis proinde faciendæ hi breues fieri debent: Mox vbi erogatio facta fuerit, alii breues erogationis factæ pariter ad Scrinia Principis mitti debent, vt ita ex vtrorumque breuium collatione liquido postea constare possit, numquid Actuarii vel Optiones (quorum illi, Numeri ratiocinia tractabant, hi vero a Susceptore annonam exigebant) amplius quam oportebat, & quam breuibus continebatur, ad scrinia missis, exegerint vel acceperint. Quo certe etiam casu duplo multari eos iubet: Susceptores autem securos & extra culpam esse. Susceptoribus enim sufficiebat pittacium Actuarii sequi, vt ostendit iam *lex 11 13. 16. sup. hoc tit.* Extra fraudem omnem erat Susceptor, qui pittacium ita secutus fuisset: & quidquid erogasset, imputabatur, *Luy estoit alloué:* Contra, multati Actuarius & Optio quid superpostulantes. Ita enim ferme Actuarius & Optio colludere solebant, in superexactionibus, vt præter *hanc legem* ostendit quoque *dicta Nouella Martiani 2.*

VINVM *nouum a Nouembri mense per Orientem militi præberi iubet* Arcadius.

XXV. (a) Idem AA. Eutychiano PP. (b)

QVONIAM Clementia Nostra poscenti Episanis Ordini (c) consensit, vt Nouembri mense nouellum Vinum militi præberetur, propterea quod veteris dispendiosa videtur erogatio, Inlustris Auctoritas Tua per omnes prouincias (d) cunctis Numeris ac militibus a Nouembri (e) mense de nouello vino annonam dari disponat. Dat. X. Kalend. Iun. Constantinop. Honorio A. IIII. & Eutychiano V. C. CONSS. [398.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) *Lex* 10. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata est: resecto & amputato capite historico. Ex quo tamen ratio, & sic vt dicam, ἰσαγωγὴ *legis* & anima cognoscitur. *GOTHOFRED.*

(b) Male in edition prioribus Cuiac. *Eutychiano Praefecto.* Vid. *Prosopograph. RITTER.*

(c) Ordo, id est, Curia, vid. *infr. tit. de Decurionib.* *GOTHOFR.*

(d) Praefecturæ suæ suppositas: Orientis scilicet. *ID.*

(e) Vide & *l.* 31. *infr.*

COMMENTARIVS.

VINVM NOVVM per Orientis Prouincias (ac nominatim per Syriam) iam a Nouembri mense militi (qui vetus tamen mallebat, & poscebat) præberi iubet *hac l.* Arcadius: Hac ratione *quod veteris vini dispendiosa sit erogatio.* Quod in frumento secus est. Noui quippe, non veteris dispendiosa est erogatio, *l.* 1. *inf. de conditis in publicis horreis*: Vetus scilicet vinum, Saluatoris quoque NOSTRI dicto, nobilius, in Oriente (& *Syria* hac ipsa) versantis, *Luca* 5. *vers. vlt.* Pindarus quoque Olymp. IX. v. 73.

- - - Αἴνει δὲ παλαιὸν
μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων.
- - - *Lauda autem senex*
quidem vinum, flores vero hymnorum.

Et Plauti dictum nobile; *Casin. Prolog. v. 5. Qui vino vetere vtuntur, sapientes puto*; Horatius 2. *Epist.* 1. *v.* 34. *Si meliora dies vt vina poemata reddit.* Plura non congero. Quod intelligendum tamen est de vinis, quæ processum temporis ferunt, & ætate fiunt meliora, non de iis quæ sæpe vix annum ferunt. Ad eiusmodi vina, & quidem Italica vrbicaria, pertinet *lex* 3. *inf. Tributa in ipsis speciebus inferri*: qua *lege* iubentur, ea vina erogari, quæ natura sua processum temporis ferre non possunt.

p.312

Ex hac interim *lege* notandum, Vinum vetus censeri anni prioris, & quod annum excessit: Alioquin quando *vetus vinum*, dici debeat? ex more cuiusque regionis statuendum est: *Argumento l.* 65. *§. vlt. D. de legatis* 3. Tum demum si non appareat de consuetudine regionis, *vetus* dicitur quod annum vnum seruatum est: vt docet quoque *lex* 11. *D. de tritico, vino, oleo legato.* Et hoc ita, si post annum aptum sit potui. Alioquin si tale vinum est quod non nisi post multos annos potui tempestiuum est, vt Falernum, quod non ante decimum: Surrentinum, quod non ante vicesimum quintum aptum redditur potui, vt testatur Galenus, aliaque eiusmodi vina, de quibus Athenæus *lib.* 1. *Deipnosoph. pag.* 26. *edit. Casaubon. apud Commelin.* merito ante illud tempus vetera dici non debent. Breuiter quando vinum vetus censeri debeat, & ex more regionis, & ex vini natura statuendum est. De vino interim Syro (cuius etiam mentio apud *Horatium Od. I.* 31. *v.* 12) hæc *lex* nostra proprie accipienda est *Epifaniam* quippe de qua *h. l.* agitur, in Syria accipio, cuius alioquin nominis quatuor Ciuitates cognominis per Orientem memorat *Stephanus de Vrbib. voc.* Ἐπιφάνεια. Syriacæ huius meminit quoque *Ptolomaeus*, & *Itinerarium verumque*: *pag.* 188. 194. 712. *edit. Wesseling.* Eaque ab Apamia non adeo semota, de qua hoc ipso Anno, paucis ante hanc *legem* mensibus agitur *l.* 3. *inf de Pascuis.* Denique a Nouembri vinum nouellum militi præberi iubetur, quia tum potui aptum, quia tum despumauit. His proxima quædam notaui de Capitatione, *l.* 8. *sup.* De pretiis specierum, ad *d. l.* 31. *inf.* dicam. Atenim pro præmio Tribunis vel Ducibus certe datum semper, vel sæpe vetus in eadem Syria, apud Pollion. *Claudio cap.* 14. Valerianus de Claudii Tribunatu salario ad Procuratorem. *Huic salarium dabis, &c. vini* VETERIS *sextarios tria millia quingentos*; apud Vopiscum in *Probo*, Valerianus de Probi Tribunatu *c.* 4. *Vini* VETERIS *diurnos sextarios decem.*

OPINATORES *non Prouincialibus, verum Iudicibus, eorumque officiis imminere debent.*

XXVI. (a) Idem AA. Prouincialibus Prouinciæ Proconsularis. (b)

OPINATORIBVS (c) nullum sit cum prouinciali commercium; ita vt a Iudicibus (d) vel Officio prouinciali omnis summa debiti (e) postuletur intra anni spatium conferenda. Dat. Prid. Kal. April. Med. Vincentio & Fravitta CONSS. [401.]

NOTAE.

(a) *Lex* 11. *Cod. Iust. eod. tit.* Iungendæ autem *huic* sunt *lex* 29. *inf. de annona & trib. l.* 64. *inf. de cursu publ.* Imo *lex* 1. *inf. de indictionib.* Concordat *lex* 16. *inf. de exactionib.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Prouincia Proconsularis* (quod semel monendum est) *h. l.* & *l. vlt. inf. de tironibus*: *l.* 34. 63. *inf. de cursu. l.* 28. *inf. de annona & tributis*: *l.* 13 *inf. de indulgentiis debitorum*; *l.* 186. *inf. de Decurionibus*: *l. vlt. inf. de Susceptoribus*: est Africa, seu Prouincia Carthaginiensis. Nempe quia vnica hæc Prouincia in diœcesi Africæ Proconsularis erat, cum cæteræ essent *Consulares* vel *Præsidiales*, vt docet Rufus Festus *in Breuiario cap.* 4. Index Schonhouianus *pag.* 78. *edit. Cellar.* & *Notitia Imperii fol.* 114. 148. Et frequens eo significatu *Proconsularis Prouinciæ* mentio in *Conciliis Africanis.* *In Collatione Carthaginiensi*, *Cognit.* 1. *cap.* 18. *Tom I. Concil. Harduin. pag.* 1060 apud Victorem Vitensem *lib.* 1. & *locis aliis.* Ob id eius Episcopi & Synodi *Proconsulares* quinque dicebantur. Vid. *Cod. Canon. Eccles. African. Tom. I. Concilior. Harduin. pag.* 881. [illegible] *Legati decreti sunt Episcopi Proconsulares ad Concilium*

Adrume-

Adrumetinum. Victor Tunnunensis *in Chronico pag.* 11. *edit. Scaliger. in thesaur. tempor. Proconsularis Concilii Prouincia Africanæ Sacerdotes:* Et statim, *Concilii Numidiæ Episcopi adinstar Proconsularium Sacerdotum collecti. ID.*

(c) Id est, *Exactoribus militaris annonæ.* Hoc Tribonianus recte inseruit. *ID.*

(d) Vt *l. 34. inf. de annona & tributis. ID.*

(e) Debitum pro tributo, annona: V. *Gloss. ID.*

COMMENTARIVS.

OPINATORES non Prouincialibus, sed Iudicibus & eorum Officiis imminere, ab Honorio *h. l.* iubentur, & nominatim per Africam ProConsularem A. D. 401. Quæ lex maioris constitutionis pars est, qua Africæ, ne inter alia nimio fasce annonæ militaris, quæ tum necessaria erat ad limitem Africæ tuendum, (de quo plene ad *l. 28. inf. de susceptor.* quæ hoc ipso anno data est ad Proconsulem Africæ) opprimeretur, consultum fuit, vt docent illæ *leges*, quas *huic* coniungendas esse ostendi.

Opinatores (quorum *h. l.* mentio fit, & *l. 34. h. t. l. 34. inf. de annon. & trib. l. 1. inf. tit. prox. de excoctione, l. 186. inf. de Decur.* & *l. 16. inf. de exaction.*) Tribonianus recte interpretatur Exactores militaris annonæ: Nam & ita Glossæ Philoxeni, *Opinator ὁ τῆς στρατιωτικῆς ἀννώνης ἀπαιτητής:* Sed & *d. l. inf. de excoctione*, *Opinatoribus species in prouinciis delegari*, dicuntur: item *Opinatores in Prouinciis delegari, Excoctionem panis efflagitare, pretium* TAXATIONE *deposcere:* Quin & *l. 34 inf. de annon. & trib.* Opinator dicitur *miles, cui debiti postulati ratio delegatur:* Et *l. 16. inf. de exact.* missi Opinatores cum delegatoriis: mox & Milites dicuntur, vt *l. 34. inf. de annon.* Neque tantum exactores fuere sed & erogatores, quod docet *lex 34. infra hoc titulo.* Neque, dum tamen id satis est, nam & alii circa exactionem annonæ pariter occupati erant. Erant *Exactores*, specialiter sic dicti: Erant & *Optiones.* Hos omnes igitur ita distinguo. Annonæ militaris exactores alii erant solemnes seu ordinarii: inter ordinarios, alii exigebant a Prouincialibus ipsis, & hi proprie *Exactores* dicebantur, *l. 16. inf. de exactionibus:* alii vero iam exactam & traditam a Susceptoribus exigebant militibus erogandam, & hi dicebantur *Optiones*, de quibus dixi ad *l. 1. h. tit.* Et hi erant Ordinarii seu canonicarii exactores. Extraordinarii autem erant *Opinatores*, qui scilicet, si annonæ militari mora fieret, ad vrgendam eius exactionem in Prouincias mittebantur: quomodo & Compulsores ad alia tributa vrgenda extra ordinem mittebantur. Vnde Compulsor & Opinator iunguntur in *l. 34 inf de*
P. 323 *annona, l. 186. inf. de Decurionib.* Vterque exactores extraordinarii. Compulsor, ceteris tributis: Opinator, militari tantum extra ordinem exigendo. Vicissim vt Optio, ita & Opinatur exactores fuerunt, verum duplici discrimine. Optio, ordinarius, Opinator extraordinarius: Optio, a susceptore exigebat, Opinator vero vel Iudici vel Prouinciali imminebat: (a) itaque errant qui Optiones cum Opinatoribus confundunt. Item errant, qui *Opinatoris* officium fuisse tradunt aliud ab eo quod diximus. Ceterum *Opinatores* Cuiacius *ad leg. 7. Cod. Iust. de exact. tributor.* dictos putat, quod exigerent *Opinionem*, id est, censum agri: Quo sensu *Opinionis* vox accipitur in *l. 8. inf. de prædiis nauiculariorum:* & *l. vlt. Cod. Iust. de collatione fundorum fiscalium.* Opinio scilicet est census & æstimatio: Glossæ, *Opinio δόξα, ὑπόληψις, ὄπισις, σύνοψις.* Quod non adeo probabile. Itaque maluit V. C. Turetus *Opinatorem* interpretari non censûs, seu opinionis Exactorem; verum Æstimatorem, quod scilicet æstimaret, quanti species adærandæ forent. Quod magis probo. Nam & ita in *Glossis* Isidori, *Opinatores, Æstimatores, vel arte militares:* qui locus alioquin corruptus, a me alibi restituendus est. Et in Glossis veterib. Opinator, æstimator est, vel qui conducit aliquid, trutinat, vel appendit. Denique ex *l. 34 inf. h. eod. tit.* apparet, eius, *aranias annonas*, id est, æstimationem & pretium exegisse: & apertissime omnium *lex 1. inf.* de excoctione: eos *pretium* TAXATIONE depoposcisse. Alius *eodem* Isidori *loco* nixus æque ab æstimando seu Opinando dici putat, sed alia ratione, quod scilicet probarent, spectarent annonam, quam exigendam haberent. Itaque vtrumque hoc probo. Vtcumque hæc sese habeant, horum Opinatorum munus sæpe variauit. Quandoque enim prouincialibus ipsis imminebant, eosque ad collationem vrgebant, vt docet *hæc lex* & *lex 1. infr. de excoction.* & *lex 34. infr. h. t.* Quandoque Iudicibus tantum & eorum Officiis, vt ipsi exactionem curarent, imminere iubebantur, *l. 34. inf. de annona lex 16. inf. de exactionibus lex 186. inf. de decurionibus.* Denique Opinatoris meminit & Symmachus *lib. 9. Ep. 49. Orto*, inquit, *certamine inter Numerarium quendam & Opinatorem, dudum supradicti possessoris colonum, qui superiorum temporum ratiocinia in Lucilii*, &c. Sed & (Augustinus *Epistola 219.*) Cum *ab Opinatoribus vrgeretur vt redderet.* De *Opinatoribus* his dicam adhuc aliquid *ad l. 34.*

(a) Cuiacius *ad leg. 7. Cod. Iust. de exaction. Tributor. Opinatores*, inquit, *missi in prouincias non funguntur exactorum officio, sed instabunt Præsidibus & officiis eorum, & curialibus tantum, quibus titulorum fiscalium exactio competit, vt intra anni spatium annonas accipiant, leg. 11. Cod. Iust. de erogat. militar. annon.*

PROTECTORIBVS, *vel* DOMESTICIS *in Prouincias missis, annonæ vltra annum non debentur, nisi commonitorio reparato.*

XXVII. Idem AA. & Theodosius A. Anthemio PP. (a)

NVLLVS Protectorum (b) vel Domesticorum, cui aut tuitio Locorum, (c) aut quædam longior est commissa necessitas, aut certe Iudicum nostrorum præceptis iussus (d) obtemperat, annonas vel emolumenta percipiat, nisi circumacto anni tempore

pore post completum Consulatum in alterius anno (e) Consulis Commonitorium reparare curauerit. Dat. Kal. April. Constantinop. Arcadio A. VI. & Probo V. conss. [406.]

N O T A E.

(a) Orientis. *GOTHOFRED.*

(b) De *Protectoribus* actum fuit *l. 10. sup.* Tam de Domesticis, quam Protectoribus *suo titulo. ID.*

(c) *A Nobis* scilicet. *ID.*

(d) An iussis? *ID.*

(e) *In alterius Consulis anno. ID.*

COMMENTARIVS.

Protectores & domestici (de quibus suo titulo plene dictum fuit, & *d. l. 10. sup.* & *ad leg. vlt. inf. de litor. & itin. custod.*) etsi intra Palatium ferme militarent, & in Comitatu essent, seu præsentales, sæpe tamen in prouincias emittebantur, *l. 4. inf de executorib.* (vt etiam plenius docuit *Paratitlon de Domesticis & Protectoribus,*) inter cætera vero tuendis Locis, vel necessitati longiori exequendæ, vel etiam vt præceptis Iudicum parerent: vt hæc *lex* nominatim testatur. Idque etiam ex variis Ammiani Marcellini locis apparet *lib. 14. in* gestis anni 354. *c. 7.* & *10.* Et *lib. 15. c. 3. A. D.* 355. *Missus*, inquit, *ad eos corripiendos Teutomeres, Protector domesticus cum collega onustos omnes catenis, vt mandatum est, perducebat.* Et *lib. cit. cap. 5. Protinus iubetur exire Tribunis & Protectoribus domesticis decem, vt postularat ad iuuandas necessitates publicas, commentis.* Et de tuitione Locorum, nominatim idem Ammianus *lib. 26. cap. 5. Sollicitus super Africa, ne repente perrumperetur, Vulterium postea Cos. tunc Notarium, ad eandem tuendam ire disposuit: Et Masaucionem Domesticum Protectorem, ea consideratione, quod diu sub patre Cretione Comite quondam educatus, suspecta nouerat loca: hisque & Scutariorum adiunxit Gaudentium, olim sibi cognitum & fidelem.* Ergo Protectoribus his & domesticis vt aliæ necessitates committi solebant, ita & Tuitio Locorum, id est, limitum prouinciarum aduersus hostes; vt ex *hac l.* & Ammiano Marcellino liquet, & *l. vlt. inf. de litor. & itiner. custod.* Vt de *Protectorib. Fabrica*, quod faciunt nonnulli, nihil hic somniandum sit.

De his igitur Protectoribus & Domesticis istud *h. l.* cauetur, vt iis annonæ vel emolumenta non præbeantur, nisi completo anno curauerint sibi reparari commonitorium. *Commonitorium* est hic, præceptum, mandatum, quo negotium alicui committitur, & quidem in Prouincia. In *Glossario Nomico* Κωμμοντόριον ἐπιστολὴ προστατικὴ: ἀποστελλομένη εἰς χώρας. & Suidas *voc.* Κομμονιτήριον. ἐπιστολὴ προστατικὴ ἀποστελλομένη εἰς χώρας. *Epistola continens mandata, quæ (ab imperatore vel rege) in prouincias mittitur.* Ita *l. 10. sup. de Curiosis*: *Curiosi idonei per diuersas regiones atque Prouincias,* P.324. *litora insuper portusque & loca alia transmittantur, commonitoriis competentibus atque mandatis instructi. Commissions. Instructions*: Alias, *Mandata* quoque dicuntur: De quo vide *Titulum supra, De mandatis Principum,* Et Ammianum Marcellinum *lib. 28. cap. 1. Commonitorium cum Augusti literis tradidit.* Reparare commonitorium, est, quod vulgo dicimus *Raffraichir la commission.* Hinc forte commonitorii breues, *l. 3. inf. de indulg. deb.* vbi tamen editum; *nominatorios Breues.* Cur autem commonitorium reparari velit *Arcadius*, hæc causa videtur, ne scilicet aliis curis districto Principe, & peracto, cuius causa missi sunt, negotio. Protectores & Domestici, in Prouinciis otiosi militaribus annonis vltra iuuentur, fruanturque. Quod velut singulare exemplum notandum est admodum: Muneris videlicet, atque adeo salarii anno expirantis (cui haud absimile est quod continetur *l. 2. inf. de Legatis*) & reparandi de necessitate commonitorii: Porro vt munus publicum seu commissio huiusmodi personis data, Anno expirat, ita & commeatus: v. *Nouellam Theodosii 14. l. 1.*

Actvariorvm *superpostulationi occurritur.* In præsenti *non nisi constitutis annona præbenda.* Stillatvræ *adæratio pro ratione Fori rerum venalium.*

XXVIII. (a) Imppp. Arcadivs, Honorius, & Theodosius AAA. Anthemio (b) PP.

A Prouinciarum Rectoribus caueatur, vt tam Numeris, quam Familiis, (c) nec non & Inpedimentis, (d) præter eas annonas quæ adærantur, (e) id tantum in specie præbeatur, quod militis flagitarit inspectio, ne Actuariorum fraudibus vlla relinquatur superpostulationis occasio; cum (f) per Præpositos (g) pistorum & diadotas (h) Legis forma caueatur, vt nulli omnino nulla in specie præbeatur annona, nisi quem substantem, (i) atque in præsenti constitutum postulare constiterit. Hoc * quoque Legis auctoritate complexo, vt semper (k) dierum, per quas (l) resistentes Tribuni emolumenti gratia solemniter Stillaturæ (m) nomine consecuntur, species non aliter adærentur, nisi vt in Foro (n) rerum venalium distrahuntur. Dat. V. Id. April. Constantinop. Arcadio A. VI. & Probo V. C. conss. [406.]

NOTAE.

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Anthemias* Pr. Orientis sub Arcadio *v. Prosopogr.* ID.

(c) De *Familiis* dixi *ad l. 17. sup.* ID.

(d) De *Impedimentis* mox. ID.

(e) *Adarare* quid? V. *in Comment.* ID.

(f) Inuoluta oratio: Clarius ita, *Cum legis forma caueatur, vt nulli omnino per Præpositos pistorum & Diadotas nulla in specie, &c.* ID

(g) Præpositos pistorum a Diadotis distinguit. ID.

(h) *Diadotæ* quid, mox dicam. ID.

(i) *Substans* dicitur, qui mox etiam *resistens*: Et vtrumque pro eo qui in præsenti est constitutus, residens, *Qui est present, Qui est en estat.* ID.

* Lex 12. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est ID.

(k) *Septem*, in *Cod. Iustin.* De quo mox. ID.

(l) *Per quos*, Cod. Iustin. Illud duriusculum est. ID.

(m) *Stellaturam* Spartianus Lampridius & Codex Iust. dicunt, de quo mox. ID.

(n) Dixi ad *l. 10. sup.* & dicam ad *l. prox.* ID.

COMMENTARIVS.

DVOBVS hominum generibus, annonam militarem fraudantibus occurrit *hac. l.* Arcadius ACTVARIORVM primum fraudibus, vt *lege 24. sup.* ita & *priore huius legis parte* ab Arcadio occurritur: de quibus alioquin Actuariorum fraudibus insignis locus extat apud Victorem Schotti, *in Gallieno cap. 33. Tantum*, inquit, *Actuariorum in exercitu factiones vigent, vt arduum petentibus malitia patraretur: Genus hominum præsertim hac tempestate, nequam, venale, callidum, seditiosum, habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes velandasque quasi ab natura factum:* ANNONÆ DOMINANS, *eoque vtilia curantibus, & fortunis aratorum infestum, prudens in tempore his largiendi, quorum vecordia damnoque opes contraxerit.* Inter alias igitur Actuariorum fraudes hæc quoque fuit, quod pro maiore militum numero annonas postularent, quam reuera matriculis Numerorum continerentur: Atque ita *superpostularent*, in sinum suum auerso deficientium & decedentium stipendio; vt alioquin de Tribunis & præpositis Numerorum Themistius, *oratione 10. pag. 136. edit. Harduin.* scribit, τῶν φυλάκων ἐλαττοῦσθαι, τὸν ἀριθμὸν ὅπως ἂν γίνοιτο κέρδος αὐτοῖς ἡ μισθοφορὰ τῶν ἐκλειπόντων. *Præsidiariorum numerum imminui, quo eorum qui deerant stipendium priuatum illi ad lucrum interuerterent.* Proinde id *h l* statuitur, tollendæ huic superpostulationis occasioni, ne vlli annona præbeatur in specie per Præpositos Pistorum, & diadotas seu diribitores, nisi qui *in præsenti* constitutus fuerit, quique ipse sub oculis huiusmodi Præpositorum constitutus suas annonas postulauerit. Breuiter, Nullius absentis nomine a Diuisoribus speciem erogari Arcadius *hac leg.* constituit. Et hæc quidem est prima huiusce *legis* sententia: in qua multa notanda veniunt & illustranda; & quatuor quidem.

Primum est, (præter *familiæ* nomen) *Impedimentorum* vox. Impedimenta quid sint? notum est: P. 325 eorum mentio quoque apud Ammianum Marcellinum *lib. 25. cap. 1.* & Vegetium *lib. 3. cap. 6.* Horum numero fuerunt qui *hac leg.* indicantur, calones. *Impedimenta*, inquit, *Saginarii, Calones vehiculaque in medio collocentur.* Vbi Saginarii sunt Equi sarcinarii, de quibus dicam alibi. Calones vero iidem cum Lixis: de quibus *l. 10. sup. de re militari.*

Secundo notanda *Adarandi* vox. Adærare est ære seu pretio rem æstimare & taxare, huius ætatis & æui voce, quæ *hoc Codice* frequens est, *h. leg.* & *l. 19. inf. de Cohortalib. l. vlt. inf. de murilegulis: l. 3. inf. de conlatione Equor. l. 8. inf. de desertorib. l. vlt. circa princip. inf. de conlatione donat.* Hinc & Adæratio, *l. 30.* & *32. inf. h. tit.* & *l. vlt. de militari veste:* & *Nouella* Valentiniani *inter Theodosianas 33.* quæ & *compensatio* quoque vocatur, *l. 4. inf. de suariis:* & Adæratæ Annonæ, *l. 31. inf.* quæ & Ærariæ Annonæ dicuntur, *l. 34. 35. 36. h. t.* (χρυσικὴ ῥόγα Mauritio *strategicon 2. c. 2.* χρυσικὴ συνήθεια eidem *alibi*) & *Adaræta* species in *l. 4. inf. de suariis:* vt eam restituo; Non, *moderata*, vt hactenus legitur. Eandemque vocem recte restituit Vir doctus, Is. Casaubonus, qui primus Historiæ Augustæ Scriptores tractauit, in *Epistola* Valeriani ad Zosimionem Procuratorem Syriæ apud Trebell. Pollionem *in Vit. Claudii cap. 14. Iam cætera pro moderatione præstabis, sed ita vt nihil adæretur: & si alicubi aliquid defuerit, non præstetur, nec in nummo exigatur.* Cum antea legeretur, *nihil adderetur*, & postea *nec in minimo exigatur.* Hanc vocem vsurpat quoque Ammianus *lib. 31. cap. 14.* in *adærandis* reliquorum debitis. Sed in *Glossis* Philoxeni, *Adærat.* ἐξαργυρίζεται. Et in *Glossis* Cyrilli, ἀπαργυρισμὸς *Adæratio.* Item ἐξαργυρίζω, *Adæro.* & ἐξαργυρισμὸς *adæratio.* Harmenopolus *lib. 2. tit. 5.* ἀπαργυρίζεσθαι λειτουργίαν, τουτέστιν ἀντὶ τῆς λειτουργίας καὶ τοῦ ἐργάζεσθαι αὐτὴν, διδόναι χρήματα. Breuiter *Adæratio* est taxatio seu æstimatio in ære: (a) sic & in *ære percipere* dicitur *l. 36.* vbi etiam mox *adærandi* vox vsurpatur: Vox etiam vsurpata in *legibus Visigothicis lib. 4. tit. 5. l. 3.* Eodem pertinet *tit.* Codicis, Iust. *de Collat. donat. vel releuat. seu adæratorum:* & Nouella Theodosii 33. *de releuatis, adæratis vel donatis possessionib.*

Tertio notandum quod de *Inspectione* militis dicitur. *Inspectionem* militis an vocat quam Nos, *la Monstre?* Certe *Inspiciendi* vox in re militari propria. Lampridius *in Alexandro Seuero cap. 15. Annonam militum diligenter inspexit:* vt & *respiciendi* verbum. Vulcatius in *Auidio Cassio cap. 6. Arma militum septima die semper respexit, vestimenta etiam & calceamenta & ocreas.* Omitto similes locos.

Quarto notandum quod de Præpositis pistorum & Diadotis additur; Nempe hi annonam militarem distribuebant, vel saltem Diadotæ ab illis acceptam. *Diadotæ* Διαδόται sunt diribitores, distributo-

(a) Consule Claudium Salmasium *in notis ad citatum locum Trebell. Pollionis.*

butores, diuisores: Διαδότης, diribitor, diuisor. Et forte Præpositi pistorum a Diadotis ita distinguendi, quod illi panem & buccellatum diriberent, hi pretia vel capitum. Et hactenus de primo *huius leg.* capite.

II. TRIBVNORVM quoque stillaturis modum ponit *hac leg.* Arcadius. TRIBVNI scilicet & Duces (quod docet *lex proxima*, & *lex vlt. infr.*) præter Annonas suas quas de publico *pro dignitate sua*, vt ait *d. lex. vlt.* consequebantur, emolumentum & compendium siue lucellum quoddam faciebant ex ipsismet militibus, licito, vt *d. l. vlt.* hoc sæculo non improbatum, etiam receptum *hac leg.* & *l. prox.* & *d. l. vlt.* & *Nouella Theodosii 31. de ambitu & locis limitan.* solemniter *hac leg.* κατὰ τὰ σύνηθες, Zosimus *lib. 5. cap. 46.* ἀπὸ τῦ νόμυ κέρδος, istud vel simile vocat Synesius *in Elogia Ducis Anisii p. 305. edit. Petau.* Excepti tantum milites Saracenorum fœderatorum aliarumque gentium, *dict. Nouella Theodosii Iun. 31. de Ambitu.* Idque Lucelli genus proprie vocabatur STILLATVRA: quod quidem seueriores disciplinæ militaris obseruatores improbarunt. In his Hadrianus, de quo Spartianus, *in Vit. cap. 10. Cum nec pateretur*, inquit, *quidquam Tribunum a milite accipere.* Pescennius item Niger, de quo idem Spartianus, *in Vit. cap. 3. Ipse*, inquit, *a milite nihil accepit, cum Tribunatus ageret:* ET *nihil accipi passus est* (ita enim locus hic restituendus est) *Nam & Imperator Tribunos duos, quos constitit Stellaturas accepisse, lapidibus obrui ab Auxiliaribus iussit.* Et Alexander Seuerus, de quo ita Lampridius *in vit. cap. 15. Annonam militum diligenter inspexit: Tribunnos qui per stellaturas aliquid militibus tulissent* (id est, abstulissent.) *capitali pœna affecit.* Et *cap. 52. Quod in vitam suam nihil dici posset, quod vnquam Tribuni vel Duces de stipendiis militum quicquam accepissent.* Idque sub gratia donationis a militibus abstulisse Tribunos seu duces, *lex. 29. prox.* ait. Quibus sane verbis, *Stillatura* manifeste innuitur. De iisdem Stillaturis sensit quoque Libanius *Orat.* περὶ τῶν προςατειῶν, *pag. 22. edit. Gothofred.* vbi varios deprædandi sinus, quibus Duces seu Tribuni militum ditescerent, enumerans, inter alia hæc scribit: ὄντων δὲ τέτων μεγάλων, εἰσὶ πακτωλοὶ μείζονες, χρυσὰς ἃ δικαίως μὲν ἂν μείνας ἐν ταῖς χερσὶ τῶν στρατιωτῶν, μεθιστάμενος δὲ ἐπὶ τὰς τῶν στρατηγῶν, ὁ πένης τε καὶ ἀθυμότερος ὁ μάχιμος γίγνεται, μέρη τε ὑποδημάτων φορῶν καὶ χλαμύδος εἴδωλον. πολλάκις δὲ καὶ ἀπὸ τῆς γαστρὸς ἡ φορὰ, ὡς ἄγεσιν ἐπὶ τὰς μάχας πεινῶντα σώματα; id est, *Cumque hæc magna sint, sunt tamen adhuc Pactoli maiores: aurum scilicet iuste quidem in militum manibus mansurum, translatum vero in manus Ducum, quo miles & pauper & pusillanimior fit, & partes sandaliorum ferens, & chlamydis speciem: sæpe etiam a ventre tributum, sic vt esurientia corpora ad pugnas ducant.* Et solutæ Stillaturæ hæ adæratæ, vt *hac lex*, & *prox.* docent; & quidem in auro, quod Libanius ostendit *hoc loco*, & *lex vlt. inf. h. t.*

Iam vnde his Stillaturis nomen impositum, natumue sit? anxie inquiritur. Et verum est omnino quod Cuiacius dixit, *ad leg. 12. Cod. Iust. de erogat. milit. an.* Rem nos tenere, sed nominis rationem hactenus nescire nos. Equidem cum ex superioribus iam satis clarum sit, Tribunos de annonis militum aliquid demomordisse, & veluti degustasse, emolumenti, vel donationis gratia DECERPSISSE, quo verbo hac in re vtitur Theodos. Iun. *Nouella de Ambitu 31. vers. de Saracenorum:* eo ipso sane ad nominis rationem deducimur, vt *Stillatura* omnino, (non *Stellatura*,) sit meo quidem iudicio, quasi *stilla* quædam, & veluti strictura minima demorsa, abrasa, adrosa de annonis militum: *vn Esgout*, distillatio. Ita enim hic editum clare *Stillatura:* Non ita bene apud Spartianum & Lampridium, *Stellatura.* A *Stilla* igitur *Stillatura:* Qualia ferme nomina inuidiæ leuandæ emolumentis, præter annonam seu stipendia percipi solitis, imponi, culpæque adeo nomina prætexi solita, compluribus alia exemplis compertum est. Hinc enim pariter *Xeniola*, *Sportula*, *Cenatica*, *Eulogia*, *Pulueraticum*, (de quo ad *l. 16. inf. de tironibus*) *Filicon l. 32. inf de nauicularis: Epimetron*, *species* denique. Atque hæc est vera Stillaturarum, ni fallor, ignorata hactenus ratio. Cuiacius Spartiani & Lampridii scripturam secutus, tentabat *ad leg. cit. Stellaturas* dictas forsitan a *Mittendo:* Cuius coniecturam Vir doctus secutus est; (a) & Pancirolus inter

(a) Casaubonum indigitat, qui in notis ad locum Spartiani ita scribit: „ Id autem lucellum *stellaturam* vulgo „ fuisse vocitatum declarant Spartiani & Lampridii loci. Rationem nominis teneremus, si paullo plenius „ hoc exactionis genus nobis aperuissent veteres. Nam quod ait Iacobus Cuiacius, rem nos tenere, sed „ nominis rationem nescire: mihi aliter videtur: facilem fore nominis interpretationem & originem, si rem „ satis cognitam haberemus. Omnino vel a *stellare*, verbo latino, vel a στέλλειν Græcorum deducitur vox „ stellatura. Claudius Salmasius *ad locum Spartiani in Hadriano c. 10.* hanc coniecturam non improbabat, scribens: „ fortasse, stellatura dicta est, quam tribunis milites pro commeatu dabant. Nam στέλλειν „ est mittere aut dimittere. Hinc στόλος græcis, qui Latinis commeatus. στέλλειν autem stellare. Idem tamen ad locum Spartiani *in Nigro* excitatum, mutata sententia, statuit, *stellataram* & *stellionatum* & *stellionataram* idem esse. Quod ita probare studuit. „ *Stellionatus*, scribit, exponitur in veteribus glossis ἐπίθεσις & „ πανουργία. ἐπίθεσις ἡ χλεύη, *impostura*. *stellionatus* ἐπιθέτης *stellionator*, *impostor*. *impostura* igitur *stellionatura* „ fuit. Sed & *stellatura*, & *stellator* & *stellionator* idem. Improbos etiam & impostores versutosque homi„ nes & versatiles, quos ποικίλας & πολυτρόπας græci vocant, *stelliones* latini vocarunt & *stellionatores*. „ nam *stellio* est πανοῦργος & ἐπιθέτης ab illis maculis, quibus tanquam stellis variatus est *stellio*. „ Mox pergit: „ *per stellaturas* accipere, hoc est *per fraudes* & imposturas & πανουργίαν. Vnde & fraudare est σοφίζεσθαι. & forsitan hic melius legatur, *per stellaturas accepisse*, quam *stellaturas*, vt in Alexandro Seuero, „ *per stellaturas ferre.* Solebant autem tribuni militibus commeatum dare, aut muneris vacationem, accepta „ ab iisdem pecunia de eorum stipendiis. *Stellaturam* hoc dicebant, & *per stellaturam accipere*, vt Iustinianus „ in eadem re *per fraudem*. *Cod. de off. Præf. Prat. Afr. leg. 1.* Recte se illa habent, quæ *de commeatu* scripsit, atque probari possunt etiam ex §. 9. *legis cit.* 2. quam noster inferius adduxit, subtiliter magis quam accurate de ea disputans. Putat enim per *consuetudines* indicasse Iustinianum *stillaturam*, cum ipsa autem *stillatura* nihil commune habuisse *fraudem*, nihil commune etiam *commeatum*. Et quamuis ego primum facile concesserim, fatendum tamen fuit ingenue Gothofredo, seueriores disciplinæ militaris obseruatores omnem improbasse olim stillaturam aut stellaturam, quod testantur adducta auctorum loca. Nam cum in genere militum commodis prospectum vellent Imperatores, atque fraudes omnes tollere, *stellaturam* etiam improbarunt, quam omnino tribunos percepisse ex commeatu militibus dato patebit. Nolebant enim imperatores, correcturi disciplinam militarem, vt quis abesset a numero, hinc tribunos tam graues pœnæ seque-

inter alios quoque tentauit, *Var. 260.* quasi stellaturas illas acceperint Tribuni a militibus pro temporaria vacatione & commeatu. Verum id inane est. *Donationis* enim gratia, non *vocationis* accepisse

---

bantur, qui stellaturas accepissent, atque ideo discurrenti hinc inde militi indulsissent. Ego quando auctorum loca diligenter inspicio, inuenio, stellaturas accepisse tribunos *commeatus* ergo. Quid illa Spartiani? *tribunos duos, quos constitit stellaturas accepisse, lapidibus obrui ab auxiliaribus iussit.* Auxiliares puniebant tribunos, quod milites a legione abesse permisissent. Non enim erat tanta auxiliaribus dignitas, quanta quidem legionariis militibus, qui ideo licentiam affectabant, neque sub negligentibus imperatoribus disciplinæ militaris erant exacti obseruatores, onera plerque transferentes in auxiliares. Hinc Pescennius Niger Augustus, auxiliarium opera vtebatur in coërcendis tribunis, qui per absentiam legionariorum, auxiliarium auxerant labores, circa *stellaturam* colligendam vnice occupati. Et Alexander Seuerus *loco citato*, quando tribunos, qui per *stellaturas* aliquid tulissent, capitali affecit pœna, nihil intendit aliud, quam militaris rei correctionem, & ne duces aut tribuni *commeatum dando, rapiendoque* inde *annonas militibus*, eos ad mendicitatem & desperationem adigerent, quod doceor ab ipso Seuero, cuius verba adducit Lampridius cap. 52. *dicens* (Seuerus) *miles non timet, nisi vestitus, armatus, calceatus & satur & habens aliquid in zonula: idcirco quod mendicitas militaris ad omnem desperationem vocaret armatum.* Vergente autem magis ad interitum imperio romano, ita collapsa etiam est disciplina militaris omnis, vt coacti quasi fuerint Impp. ducibus *stellaturam* concedere: Nimis enim conniuere debebant iis, a quorum concordia ipsa fere Augustorum salus atque vita pendebat. Et hinc factum, vt quando ex *vacatione muneris* aut *dato commeatu* lucrum possent quærere duces atque tribuni, id ipsis permissum esset & inter licita referretur. Gothofredus quidem inanem hanc putat opinionem, & tantum *donationis* non *vacationis causa*, aut pro *laborum vicissitudine* tribunis datam stellaturam existimat. Sed id quidem est, quod ego nostro largiri non possum, cum persuasum mihi sit ex commeatu *stellaturam* olim accepisse duces. Videamus leges, quibus suam sententiam stabilire vult. Et hac quidem ad quid verba illa, *vt nulli omnino nulla in specie præbeatur annona, nisi quem substantem atque in præsenti constitutum postulare constiterit*, aliud volunt, quam absentes milites & quibus commeatus datus erat, annonam petere non potuisse, nimirum vti puto, seruandam ad tempus expeditionum bellicarum, qua de re multa dicta sunt in antecedentibus a nostro. Et hinc factum, vt ducibus & tribunis, militum qui aberant, adærarentur species, ibi: *vt semper dierum per quas residentes tribuni emolumenti gratia solemniter stillaturæ nomine consecantur species non aliter adærentur, nisi vt in foro rerum venalium distrahuntur.* Possimus hic legere *semper dierum* i. e. dierum tot, quot quidem absunt milites, & non recte Codex Iust. præfert *septem*. Verisimilior omnino nostra lectio, altera ridicula, vt nimirum septem dierum annonas a singulis militibus de stipendiorum singulorum annonis tribuni acciperent: quomodo enim illa concordant, *per quos residentes tribuni*? Recte vidisti Pancirolle, Codicem Iust. ex Theodosiano emendandum esse. *Residentes* enim *tribuni* sunt, qui in statione manent, quorum milites commeatum acceperunt, *non substantes sunt, non in præsenti constituti*, quorumque annonæ tribunis *emolumenti gratia* quod locum suum non deserunt, *semper dierum*, i.e. tot dierum illarumdierum, *per quas solemniter stillaturæ nomine consecuntur species*, (ita enim interpungendum est) *adærantur*. Verba legis sequentis 29. *si quas sub gratia donationis a militibus auferunt quam merentur annonas duces &c.* nihil quidem de commeatu, sed & nihil de *stellatura*: volunt enim Impp. tribunis & ducibus pretia danda annonarum, *quas auferunt* a præpositis pistorum & aliis, *gratia donationis a militibus* i. e. quasi a milite sibi donatas, quomodo solent huius æui scriptores. Donabat forte miles recens promotus Duci aut tribuno, quod factum fuisse docet Libanius *orat.* περὶ τῶν προσταςιῶν *pag. 22. edit. Gothofred*, idque genus sportulæ licitum erat, sed num *stellaturæ* aut *stillaturæ* nomine venerit ambigo, quamuis id noster velit in commentario. Neque lex vltima huius tituli refellit opinionem, *stellaturas* accepisse duces ex *commeatu* dato. Disponit enim lex primo de annonis, quas Duces *pro dignitate* sua accipiunt, postea vult, *si alias annonas, quæ non suæ dignitatis erunt*, (i. e. quæ ipsis non vt Ducibus præbentur, *sed alio modo* (aut vacatione muneris militi facta, aut commeatu dato, aut ob promotionem militarem) *dum tamen licito, suis commodis acquisitas, in auro sibi dari duces siue tribuni voluerint, pretiis contenti sint, quæ in forma arariarum annonarum militibus præbentur.* Tandem noto, nullam plane nouellam *Theodosii legem* 31. *de ambitu & locis limitaneis*, habere conuenientiam cum his legibus *de erogatione militaris annonæ*. Theodosius enim, quo limites optime tuerentur, mandat ibi, *vt Duces in ipsis limitibus commorari debeant, milites ad antiquum redigant numerum, & eorum exercitationibus inhæreant*, quod antea fuerat neglectum, vbi dispersis hinc inde & male exercitatis in armis, hostibus irrumpendi data fuerat occasio. Mandat præterea ipsis *castrorum in limitibus positorum refectionem*, & *pro vicissitudine laborum* permittit duci limitanei militis *duodecimam annonarum partem*. De *Saracenorum* vero & *fœderatorum* annonariis alimentis decerpere quicquam prohibet. Assignati enim erant *limitaneis militibus* agri, quos ipsi curabant & arabant, & ex his *duodecimam partem* Ducibus deputauit Theodosius, secus erat in Saracenis & fœderatis, qui annonas ex publico accipiebant, quibusque nihil adeo erat auferendum. Atque cum hac lege egregie conuenit constitutio Iustiniani *de Off. PP. Afr. leg. 2. §. 9.* Custoditos enim vult Iustinianus limites Africanos, & iubet *idonea corpora in numerum limitaneorum accipere*, quo possint limites absque commilitonibus commotione facta defendi: Vtque alii prouinciales se conferrent etiam ad loca limitanea, sanxit, *vt nullum dispendium a ducibus vel ducianis prædictis limitanei sustineant, nec aliquas sibi consuetudines de eorum stipendiis per fraudem ad suum lucrum conuertant.* Nimirum a Theodosii temporibus, licuit accipere ex agris *duodecimam annonarum partem*, atque earum prætextu fraudabant hoc tempore duces, milites circa stipendia. Iustinianus ergo per *consuetudines* intelligit *morem receptum, quo licuit ex agris limitaneis annonas ducibus capere*, a quo *fraudem* omnem abesse vult, quia multum rerum suarum patiebantur limitanei dispendium, atque reliqui prouinciales a limitum deterrebantur cultura. Et ita quidem illa sunt interpretanda *per fraudem*, non vti Salmasius voluit, quasi per *fraudem* hic *stellatura* indicaretur. Atque hæc legis pars conuenit cum Theodosii constitutione, altera vero de *commeatu* agit, & probat magni Salmasii sententiam, lucrum fecisse duces ex commeatu dato, pertinetque ad *legem hanc 28. de erogat. milit. an.* qua de eodem lucri genere ex commeatu facto, agitur, quod supra a me ostensum est. Hæc ideo digessi omnia, quo videat lector, valde probabile esse Casauboni atque Salmasii doctissimorum virorum coniecturas de *stellaturæ* origine, cum Gothofredi præter insignem ingenii vim parum habeat commendationis. Rectius etiam quis leget *stellatura* quam *stillatura*, sine dubio ἀπὸ τοῦ στέλλειν & *stellare*.

piſſe eas Tribunos, teſtatur *lex prox.* vel etiam pro laborum viciſſitudine, *d. Nouella 31.* Et quidem ſolemniter *h. l.* id eſt, ſolenni, ordinaria perceptione κατὰ τὸ σύνηθες, licito, *d. l. vlt.* Idque eſt etiam, quod indicatur *l. vlt. h. t.* his verbis: *Si alias annonas, quæ non ſuæ dignitatis erunt; ſed alio modo, dum tamen licito, ſuis commodis adquiſitas.* Similium munerum, & ſportularum, quas Duces quoque extorquere ſoliti, meminit *lex 6. inf. de Cohortalibus. Et Nouella Theodoſii 31.* Neque verior eſt nominis ratio, quæ Baptiſtæ Egnatio in mentem venit, primum, & pridem, quaſi Stellatura & Stellionatus idem ſint. Siquidem hoc *Stellaturæ* nomen, non eſt fraudis aut impoſturæ nomen, quale eſt *Stellionatus*: Quin potius coloratum, inuidiæ leuandæ. Et certe hoc ſeculo iam *ſolemne* conſuetum, & probatum: Alioquin neque ipſi Tribuni vnquam id nominis tuliſſent, neque id *leges* etiam probaſſent. Hinc ſimpliciter apud Spartianum *Stellaturas accipere*, id eſt, donationem modicam accipere, quod *h. l.* dicitur, *Stillaturæ nomine*: & apud Lampridium *per Stellaturas*, id eſt, per quandam ſtillæ inſtar deguſtationem: Panciroli quoque *d. loco*, inanis coniectura, a *Stellate* forte agro in Gallia Ciſalpina, quem Veteranis ſuis tres liberos habentibus C. Cæſar in Conſulatu præmii loco diuiſit. Rectum igitur eſt *Stillatura*, & recte eſt apud Lampridium ſcriptum. Neque cum Stillatura quicquam commune habet fraus aut impoſtura: nihil commune, commeatus. Stellaturas has quoque indicari *l. 2. §. 8. 9. Cod. Iuſt. de officio P. P. Africa* Steuuechius recte iudicauit *in obſeruat. ad Vegetium l. 2. c. 21.* ibi: *vt nullum diſpendium a Ducibus vel Ducianis prædicti limitanei ſuſtineant: nec aliquas ſibi conſuetudines de eorum ſtipendiis per fraudem ad lucrum ſuum conuertant*, &c. *Nullum audeant Duces aut Tribuni Commeatalem de ipſis dimittere, nedum ſibi lucrum ſtudeant conficere, incuſtoditas noſtras relinquant Prouincias: nam ſi vſurpauerint memorati Duces, vel officia eorum, ſeu Tribuni, commeatalem de militibus relinquere:* AVT *aliquod lucrum de eorum emolumentis ſibi adquirere: hoc non ſolum in quadruplum iubemus publico rependere, ſed etiam dignitate eos priuari. Magis enim debent & Duces & Tribuni ſupra deputata ſibi emolumenta ſecundum labores ſuos de noſtra largitate remunerationem ſperare, & non de commeatis militum* AVT *eorum ſtipendiis lucrum ſibi adquirere.* Quibus locis clare ſeparantur commeatus, eoque nomine pecunia quæſita a lucro, quod de ſtipendiis militum Tribuni ſibi adquirebant, quod quidem Stillatura eſt, & conſuetudinum appellatione priore loco indicatur. Qui ioculares alias huius *Stillaturæ* interpretationes ſeu originationes videre volet, conſulat Alciatum ad *l. 12. Cod. Iuſt. eod. tit.* Rhodiginum *lib. 11. c. 8.* Lazium *lib. 12. Comm. R. Rom. circa fin.* Marcellum Donatum *in Lampridium.* Forte tamen & recte ſcripſeris, *Stellatura*: nam & *ſtellio* e guttis & punctis quibus ſtellatus eſt, dicitur: Ouidius *Metamorphoſ. lib. 5. v. 460.*

> \- - - - *aptumque colori*
> *Nomen habet variis ſtellatus corpore* GVTTIS. (a)

Sic & de lapidibus Plinius, *hiſt. Natural. lib. 37. cap. 10. Ponticarum plura ſunt genera, eſt ſtellata nunc Sanguineis nunc aureis* GVTTIS. Item *l. c. Aeopis nitro ſimilis eſt aureis* GVTTIS *ſtellata.* Scilicet *Stellaturæ* de his dicitur, quæ punctis aut guttis velut ſtellis variantur. Eodem modo *Puncta*, & *Puncti ſolatia* dicta.

Modus autem huius Stillaturæ ſolemnis *hic* indicatur: Quem & poni ſubinde proculdubio hoc tempore oportuit. Sane Zoſimus *lib. 4. cap. 27.* imo & *lib. 2. cap. 33.* ſub Theodoſio M. Arcadii patre eo rem deueniſſe queritur, vt per Magiſtratuum militarium auaritiam & καπηλείαν milites nihil, vel nihil ferme ex annonis militaribus percepiſſe ſcribat. Modus vero huius Stillaturæ hic erat hoc tempore, vt *hæc lex* oſtendit: (prout ſcilicet ea emendanda eſt ex *Cod. Iuſtinianeo*, non vero *hinc*, Codex Iuſtinianeus; quod Pancirolus credidit) vt ſcilicet Tribuni *ſeptem dierum* annonas a ſingulis militibus acciperent, de ſtipendiis ſingulorum annuis; Quinquageſima igitur erat Stillatura, eaque adærata, quam non in ſpecie, ſed in pretio conſequebantur: vt præter *hanc legem* docet *lex 29. prox.* & *lex vlt. hoc tit.* Pretium autem illud varie conſtitutum reperio. Hac Arcadii ſana Conſtitutione pretium ſtatuitur, vt habetur in foro rerum venalium. De qua æſtimatione dixi *ad l. 10. ſup.* Poſtea vero pretium conſtitutum eſt, non quod in foro rerum venalium habetur, ſed pro forma ærariarum annonarum, ſeu iuxta nummaria pretia defixa *d. l. 29. prox.* & *l. vlt.* Denique ſemel hic adſcribendus eſt locus ex Theodoſii *Nouella 31.* quem iam ſæpe laudaui, qui de *Stillaturis* his, & earum modo. *Caſtrorum quin etiam ipſis* [Ducibus] *Luxuriarumque* [id eſt, Luſoriarum] *pro antiqua diſpoſitione curam refectionemque mandamus; quibus cum Principe* [principem Legionis intelligit, v. Vegetium & Ammianum] *Caſtrorum Præpoſitis, pro laborum viciſſitudine, Limitanei tantum militis duodecimam annonarum partem diſtribuendam videlicet inter eos, Magiſteria poteſtatis arbitrio, deputamus. De Saracenorum vero Fœderatorum aliarumque gentium annonariis alimentis, nullam penitus eos decerpendi aliquid vel auferendi licentiam habere concedimus, &c.* Notandum hoc loco Stillaturas has probari a Theodoſio, quas a Limitaneis militibus auferebant Duces: non vero a Fœderatis: Cum tamen & illud prohibeat Iuſtinianus *d. l. 2. Cod. Iuſt. de Officio Præfecti Prætorio Africæ.*

(a) Vid. Iſidorum *Origin. lib. 12. c. 4.* qui hunc ipſum Ouidii locum producit.

STILLATVRÆ *adæratio facienda iuxta formam annonarum ipſarum adæratarum.*

XXIX. Impp. Honorius (a) & THEODOSIVS AA. Anthemio PP.

SI quas ſub gratia donationis (b) a militibus auferunt (c) quam (d) merentur annonas Duces (e) ſeu Tribuni, iuxta nummaria defixa (f) pretia ſine vlla dubitatione percipiant. Dat. IIII. Non. Maii, Conſtantinop. Honorio VII. & Theodoſio II. AA. CONSS. [407.]

NOTAE.

(a) Vel hæc Inscriptio emendanda, vel Subscriptio. *GOTHOFREDVS.*

(b) Emolumenti, *l. 31 prox. sup.* non suæ dignitatis, *l. ult. inf.* *ID.*

(c) *Auferendi* vox hac in re propria: *v l. 1. infr. de Salgamo. Vnum nullus auferat.* Aurelianus apud Vopiscum *cap 7.* Et P. 327 *Novella Theodosii 31 de ambitu & locis limitaneis. De Saracenorum vero fœderatorum, aliorumque gentium annonariis alimentis nullam penitus eos* DECERPENDI vel AVFERENDI *licentiam habere concedimus.* ἀφαιρεῖσθαι voce hac in re vtitur Zosimus *lib. 5. cap. 46. de* Generide differens ἐν διδούς τε τοῖς στρατιώταις αὐτοῖς παρασχεῖν τὰς ἐκ τοῦ δημοσίου ... *& annonas eis suppeditans, nemini permittit, vt de his aliquid more consueto, detraheret.* *ID.*

(d) Hic Ellipsis est vocis *magis*, vel *amplius*, vt dict. *Novella Theodosii 24.* vt ita fiat oppositio annonarum, quas Duces & Tribuni merentur, id est, quæ illis debentur pro sua dignitate, & earum quas non merentur, sed auferunt a militibus idque sub gratia donationis. Similis Ellipsis in *l. 9. infr. de Susceptoribus* ibi. *quam eos qui in curia, & in l. 8. infr de paganis,* ibi; *actis pretio quam dignitate metienda,* de qua Ellipsi vide *Glossarum.*) *Si quid amplius* (inquit Theodosius) *quam eis ex nostra authoritate statutum est audeant vsurpare.* *ID.* Vide quæ dixi ad legem superiorem. *RITTER.*

(e) Vide *l. 6. infr de cohortalibus.* *ID.*

(f) Ærariis annonis *l. vlt inf. hoc titulo.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

STILLATVRÆ pretium, non vt in foro rerum venalium species distrahuntur, adærari seu æstimari debet, vt *lege superiore 28.* cautum fuerat: verum iuxta nummaria pretia defixa; id est, Duces & Tribuni pretiis illis contentiesse debent, quæ in forma ærariarum annonarum vniuersis militibus solenni obseruatione præbentur; vt loquitur *lex vlt. huius tituli*: vbi dicam quoque paulo plenius. Scilicet, non æquum visum fuit, alio pretio *Stillaturas* æstimari, quam annonarum militarium sunt structura quædam & delibatio, quam ipsas annonas militares: Et vt ipsis militibus annonæ adærantur, seu æstimantur, ita eodem pretio eas quæ a militibus exinde Ducibus aut Tribunis præstarentur, æstimari æquum fuit.

PRETIA *per Palæstinas tres, antea pro annonis statuta seruari iubentur.*

XXX. (a) Idem AA. Anthemio PP.

LIMITANEI milites (b) & possessorum vtilitate conspecta, (c) per primam, secundam, ac tertiam Palestinam huiusmodi norma processit, Vt pretiorum certa taxatione depensa, specierum intermittatur exactio: sed Ducianum (d) Officium sub Versamini (e) & Mœnæni Castri nomine, salutaria (f) statuta conatur euertere. Ideoque lege repetita censemus, vt si quis interclusam specierum exactionem restricare temptauerit, vel adærationes (g) statutas ausus fuerit inmutare, tam Vir Spectabilis (h) Dux centum librarum auri, quam etiam eius Officium pari condemnationis summa quatiatur, adiecta sacrilegii (i) pœna, quæ Diualium scitorum violatores palam insequitur. Dat. X. Kal. April. Constantinop. Honorio A. VIII. & Theodosio III. AA. CONSS. [409.]

NOTAE.

(a) Lex 13. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata est, resecto capite seu quatuor lineis prioribus historicis. *GOTHOFREDVS.*

(b) *vel Militie.* *IDEM.*

(b) *Conspecta*, id est, vtrinque perpensa *IDEM.*

(d) Ducis Palestinæ officium intelligit. De quo consulenda est *Notitia Imperii fol. 92.* *ID.*

(e) *Versabini*, id est, Bersabini, de quo mox *IDEM.*

(f) Vide *l. 13. sup. in eodem re.* salubri prospectione. *ID.*

(g) Dixi *ad l. 28.* *ID.*

(h) *Duces*, & in his Dux Palestinæ inter Spectabiles hoc tempore *h. l.* & in *Notitia Imperii fol. 91.* Qui antea sub Constantio quoque inter *Perfectissimos* erant, teste Ammiano Marcellino, *lib. 21. cap. 16.* *ID.*

(i) *Sacrilegii* pœna est, violati iuris pœna, *h l. & l. 2. sup vt dignitatum ordo*: & Novell. Valentiniani *inter Theodos. 38. de success. Curial.* Vide & *l. 15. infr de petitionib. & Paratitl. de consiliis Principum.* *ID.*

COMMENTARIVS.

PRETIA, non ipsas species, per Palestinam vniuersam militibus præberi, & quidem certa statutaque, ante hanc *legem* constitutum iam fuerat, Limitanei militis & possessorum vtilitate conspe-

conſpecta, id eſt, vtrimque perpenſa; quod id tam militi, quam poſſeſſoribus ſalutare eſſet. Vnde & *Salutaria ſtatuta*, vocantur *b. l.* Poſſeſſori inquam, propter longinqui itineris difficultatem, vt loquitur Valentinianus *Nouella inter Theodoſianas 23. de tributis fiſcalib.* Id *hac lege* rurſum confirma tur ſub magnæ pœnæ interminatione: Nempe quod Dux Paleſtinæ eiuſque officium, vel ſpecies exigerent, vel maius pretium ſtatuto depoſcerent. Id que *ſub Berſabini & Menani caſtri nomine* (ita enim *hic* legendum eſt.) Fuerunt ſcilicet hæc inter alia duo caſtra in Paleſtina, & quidem potiſſima, vt *hac lex* ipſa indicat: Quæ & ideo prima omnium memorat *Notitia Imperii fol. 91.* octodecim ferme annis poſt hanc legem conſcripta) *Sub diſpoſitione*, inquit, *viri Spectabilis Ducis Paleſtinæ. Equites Dalmatæ Illyriciani* BEROSABÆ, *Equites Promoti Illyriciani* MENOIDE, *Equites Scutarii Illyriciani, Chermulæ, Equites Mauri Illyriciani Æliæ.* Berſabin caſtri ſeu præſidii meminit quoque Author *de locis Hebraicis pag. 236.* in *Onomaſtico vrbium & locorum S. Script. edit. Clerici. Berſabee* (inquit) *in tribu Iuda ſiue Symeonis eſt, vſque hodie vicus grandis in viceſimo a Chebron miliario vergens ad Auſtrum: in quo &* ROMANORVM MILITVM PRÆSIDIVM POSITVM EST. *A quo loco termini Iudeæ terræ incipientes tendebantur vſque ad Dan.* Idem Author meminit quoque Menoidis *pag. III. Medemana*, inquit, in *tribu Iuda, cuius meminit Eſaias, & nunc eſt Menois oppidum, iuxta ciuitatem Gazam.*

P.328 De Paleſtina *ex hac* Theodoſii Iun. *conſtit.* quæ data eſt A.D. 409. notetur, eam hoc tempore in tres Prouincias diuiſam fuiſſe: In Primam, Secundam, & Tertiam: quod etiam oſtendit *Imperii Notitia* ſub eodem Theodoſio Iun. confecta, annis octodecim ferme poſt, A. D. 427. tribus locis: ac nominatim ſub PP. Orientis *fol. 3.* & ſub Comite Orientis collocantur *fol. 71. Paleſtina* [ſcilicet Prima] *Paleſtina ſecunda, Paleſtina ſalutaris* [id eſt, Tertia:] Tertiæ meminit quoque Procopius *de ædificiis Iuſtiniani lib. 5. c. 8.* ἐν δὲ τῇ πάλαι μὲν Ἀρραβίᾳ, νῦν δὲ Παλαιστίνῃ τρίτῃ καλουμένῃ. *in prouincia quam olim Arabiam, hodie Paleſtinam tertiam vocant.* Duarum quoque Paleſtinarum biennio poſt Notitiam Imperii 429. meminit *lex vlt. inf. de Iudæis.* Antiquioribus temporibus, Paleſtina Syriæ pars fuit, ſeu προσθήκη τῆς Συρίας, vt etiam vocat Ioſephus. Itaque & Syriam pro Iudæa ſeu Paleſtina dixit Tertullianus *in Apologetico, cap. 21.* Et Procuratorem Iudeæ apud Præſidem totius Syriæ cauſam capitis dixiſſe, ex *Ioſepho & Tacito* compertum eſt. Quin & Diuus Lucas, vt tempus, quo Chriſtus, (generis humani ſalus) hominem in Iudæa induit, memoriæ mandaret, *c. 2. v. 2.* Præſidem Syriæ nominat ἡγεμονεύοντος, inquit, τῆς Συρίας Κυρηνίου. Vbi Ambroſius *pag. 1294. Tom. I. oper. edit. Benedict. Pulcre autem*, inquit, *quod & præſidis nomen addidit vt feriem temporis deſignaret. Præſide* inquit, *Syriæ Cyrino facta eſt hæc prima profeſſio. Vt quaſi conſulem quendam ſigni gratia huic libro Euangeliſta adſcripſiſſe videatur. Nam ſi Conſules, adſcribuntur tabulis emptionis, quanto magis Redemptioni omnium debuit tempus adſcribi. Habes ergo omnia, quæ in contractibus eſſe conſueuerunt, vocabulum, ſummam illic poteſtatem gerentis, diem, locum, cauſam.* Sed & Ammianus Marcellinus ſuis adhuc temporibus *lib. 14. c. 8.* vltimam Syriarum Paleſtinam vocat. Verum a Syria diuulſa Paleſtina, & ab vno Proconſule recta ſub Theodoſio M. vt docet *lex 28. inf. quorum appell. lex vlt. inf. de fiſc. debitor. l. 42. inf. de appellat.* & Zoſimus *lib. 4. cap. 41.* Verum poſtea ex vna Paleſtina, Prouinciæ tres prodierunt, vt hæc *lex* docet, & *lex vlt. inf. de Iudæis.* Inter quas Hygia. ſeu ſalutaris Paleſtina, de qua *l. 3. inf. de protoſtaſia*. vbi dicam plene. Quomodo autem & per quos Magiſtratus Paleſtina deinceps recta fuerit. dicam ad *d. l. 3. inf. de protoſtaſia.* & ad *l. 55. inf. de Decurionib.*

Pretiorvm *præſtationi per Orientem & Ægyptum tempus ſtatuitur.*

XXXI. Idem AA. ad Anthemium PP.

MILITARIBVS commodis proſpicientes, adæratarum (a) annonarum, quæ Familiis (b) apud Orientem (c) vel (d) Ægyptum præberi conſuerunt, certa (e) ac diſtincta locis & numero (f) pretia ſtatuimus; Verum quia in hoc & (g) prouincialium nobis habenda eſt cura præcipua, ne nimia feſtinatione (h) poſcendi conlatorum vires adteri videantur, certum conſtitui tempus placet, quo eadem pretia debeant præberi poſcentibus. Quapropter, vniuſcuiuſque indictionis annonariam in pretiis rationem, tranſacta ea, ſequentis indictionis menſe Nouembri (i) completo præberi præcipimus. Dat. Prid. Kal. Decemb. Conſtantinop. Honorio VIII. & Theodoſio III. AA. CONSS. [409.]

N O T A E.

(a) Dixi ad *leg.* 28. GOTHOFREDVS.
(b) De *Familiis* his militaribus dixi ad *l. 27. 28. ſup.* & *l. vlt. inf. de iure fiſci.* IDEM.
(c) Orientis diœceſin intelligit. IDEM
(d) *Vel*, pro *Et*, cuius locutionis exempla alibi plura noto. IDEM.
(e) Nummaria defixa pretia, *l. 29. ſup.* pretia conſtituta, *l. 22. ſup.* IDEM.
(f) Puto numerum militarem intelligi, vt ita pretia annonarum conſtituta fuerint pro loci varietate, pro Numerorum militarium ratione, qui per loca illa diſperſi fuerunt. IDEM.
(g) Ita *lege* ſuperiore, *Limitanei militis* ET *poſſeſſorum vtilitate conſpecta.* Vide & *leg. 23. ſup.* IDEM.
(h) Simili ratione [illegible] *lex 8. ſup.* ID.
(i) Vide *l. 25. ſup.* ID.

COMMENTARIVS.

PRETIA annonarum *Familiis* militaribus apud Orientis diœcesim, & Ægyptiacam (de quo etiam Synesius *epistola 18.* & *lex 4. inf. de milit. veste:*) præberi iam ante constitutum fuerat: eaque varia pro locorum & numerorum varietate. Idque rursum militum ipsorum vtilitate perspecta, quorum scilicet magis interfuit, ærarias annonas quam species accipere. Nunc in prouincialium gratiam Tempus certum *h. l.* constituitur, quo Prouinciales huiusmodi pretia præbere tenentur, ne alioquin Prouinciales nimia festinatione, neque expectato tempore intra quod pecuniam ex speciebus redigere possunt, vexentur. Igitur cuiusque Indictionis seu anni, collatio annonaria, non ea ipsa Indictione seu anno exigi seu præstari debet, verum sequentis Indictionis seu anni mense decimum Nouembri completo, atque ita quatuordecim mensium laxamento præstito. Indictionum quippe initium a Septembri ducebatur, vt iam *supra* monui *ad l. 32.* vid. & *l. 2. inf. de militari veste.* Et plenius dicam *Titulo*, *de indulgentiis debitorum, infra.* Cæterum id laxamentum ideo tributum, vt intra id, pretium commode ex vendito vino redigi possit. Opportunitas commode vendendarum specierum nimia poscendi pretii festinatione Prouincialibus seu collatoribus eripi non debet. Quod si fieret, eorum vires attererentur. Qua ipsa ratione veteris vini erogandi dispendium iisdem collatoribus a mense Nouembri remittitut, *l. 25. sup.* Sed & capitu ante Kalendas Augustas præstandi, *l. 8. sup.*

P. 329 XXXII. Idem AA. Leontio Viro Inlustri PF. Illyrici.

PROCVRATORES (a) Curiarum, annonarum & Cellariensium (b) specierum (c) gratia minime fatigentur, quas in dignitatibus (d) constituti (id est Rectores (e) Prouinciarum, & Comites) (f) solent accipere: Nam cum adærationis (g) æstimatio prius per centum & viginti capita (h) exactione solidi teneretur, per sexaginta recens redegit auiditas, exindeque iam nutrita licentia ad tredecim (i) tributarios (k) non dubitauit artare, Procuratore damnum, quo ipse subditus fuisset, prouincialibus infligente. Ideoque per Cornicularium (l) cuiuscunque Prouincialis Officii hanc sollicitudinem impleri conuenict: Ita vt nulla ab eodem (m) exactionis molestia prouincialibus inferatur: sed erogandas (n) species, ex horreis publicis: & Cellariensium nomine, aurum ex titulo manifesto (o) eidem delegatum (p) pro erogationis qualitate suscipiat: etiam pretium his, qui adærare (q) voluerint, depensurus, iuxta nundinationem, (r) quæ aut foro (s) rerum venalium continetur, aut Amplissimæ Præfecturæ est culmini deputata: nec enim queri poterunt, qui vel species accipient debitas (t) dignitati, vel si auri perceptione (v) lætentur, æquari se tanto culmini non debebunt. (x) Temerantium etiam audacia punienda, Officio tui culminis (y) quinquaginta librarum auri multa continuo percellendo, si rite disposita obseruare neglexerit. Dat. XVI. Kalend. Septemb. Constantinop. Honorio VIIII. & Theodosio IIII. (z) AA. CONSS. [412.]

NOTAE.

(a) *Procuratores* absolute *l. 1. sup.* GOTHOFR.

(b) De *Cellariensibus* speciebus dixi ad *l. vlt. sup. de Officio Iudicum omnium.* Ita quoque vocatur *l. 16. inf. de indulgentiis debitorum.* IDEM.

(c) Exigendarum gratia. *ID.*

(d) Vt *l. 16. sup.* Cæteri quibuscunque præditi dignitatibus. *ID.*

(e) V. & *l. vlt. sup. de Officio Iudicum omnium.* *ID.*

(f) Comites primi Ordinis: De Comitibus minoribus secundi Ordinis, *l. vlt. infr.* *ID.*

(g) Dixi ad *leg. 28. sup.* *ID.*

(h) De *Capitibus*, id est, Iugis: Vid. *Gloss.* IDEM.

(i) Putem rescribendum *triginta* *ID.*

(k) *Tributarii*, suntne Prouinciales, vt mox etiam vocantur? Non: *Tributarii* sunt hîc *Iuga* vel *Capita.* *ID.*

(l) De *Corniculario* dicendi locus erit *suo tit. inf. de Cohortalibus Principibus, Cornicularris, & Primipilaribus.* IDEM.

(m) Corniculario scil. *ID.*

(n) In Rectores prouinciarum & Comites. *ID.*

(o) *Manifestum titulum* vocat non controuersum, neque exactionis molestiæ subiectum: sed Canonicum, liquidum, & thesauris, seu Largitionibus Principis, siue sacro ærario, aut arcæ Præfecturæ illatum. *Titulus* pro functionis, & collationis genere. De quo vide *Gloss.* apud nos *Recepte.* *ID.*

(p) A se Præfecto Prætorio: Scilicet Præfectus Prætorio delegatoriam ad Cornicularium ita miserit, vel emittere debuerit. *Ex hoc vel illo titulo aurum Cellariensium nomine Rectori Prouinciæ vel Comiti erogabis, vel persolues.* *ID.*

(q) De

(q) De *Aderundi* voce v. *Gloss.* *IDEM.*

(r) *Nundinationem* vocat æstimationem, pretium. De nundinationis voce vide *Gloss.* *IDEM.*

(s) Vide *l.* 10. & 28. *sup.* *ID.*

(t) Congruas dignitati *l.* 1. *sup.* Annonæ pro dignitate, *l. vlt. infr.* Et de hoc plene dixi ad *l.* 11. *sup. de Palatinis Sacrarum Largitionum.* *ID.*

(v) Vide *l.* 17. *sup.* *IDEM.*

(x) γε. *non dolebunt*: Vt supra *Nec queri poterunt, vel deflebunt.* Deflendi alioquin vox de querelis Prouincialium vsurpatur, *l.* 186. *inf. de Decurionib. l.* 9. *infr. de Legatis.* *IDEM.*

(y) Præfecti Prætorio culmen maximum, de quo *alibi* dico. *IDEM.*

(z) γε. V. *ID.*

COMMENTARIVS.

MAGISTRATIBVS Ciuilibus & Militaribus, eorundemque annonis communis est hæc Theodosii Iunioris constitutio, A. D. 412. quemadmodum & de iisdem aonoois vtrisque communis est *lex vlt. sup. de Officio Iudicum omnium.* Sententia autem huius *legis* hæc est: Aononarum & Cellariensium specierum (de quibus plene *dixi ad d. l. vlt.*) Rectoribus & Comitibus Prouinciarum constitutarum pro salario, nomine, per Primates Curiarum nihil amplius a Prouincialibus exigi debere deinceps, sed a Corniculario officii cuiusque prouinciæ annonas ipsas ex horreis publicis eis erogandas & soluendas. Ex *horreis*, inquam, publicis: id est, ex iis quæ ex collatione ordinaria & solemni seu titulo canonico, in horrea publica seu fiscalia deferuntur. *Cellariensium* autem *specierum* nomine, aurum iisdem præberi debere ex titulo manifesto, id est, auraria collatione, quæ in largitiones Principis confertur, prout Præfectus Prætorio id delegauerit. Quinimo & petentibus annonarum loco pretia dari iubentur, secundum æstimationem fori rerum venalium: vel secundum æstimationem annonarum Præfecto Prætorio deputatarum. Scilicet alia atque alia æstimatio annonarum facta, non tantum pro locorum & numerorum ratione, vt *l.* 31. *sup.* Verum etiam pro dignitatis ratione, vt *l.* 10. 28. *sup.* & *h. l.* vide & *l. vlt.* vbi dicam plene. Et hæc quidem omnia per Cornicularium cuiusque officii præstari, erogari, Soluique *h. l.* iubentur: qui quidem *Cornicularius* post Principem primus erat inter Officiales Magistratuum, de quo dicam plenissime *suo Titulo*, *lib.* 8. *ad l.* 10. Atque hoc ius nouum inducitur: Antea seu hactenus quippe Procuratores Curiarum, annonas & Cellarienses huiusmodi species Rectoribus, & Comitibus Prouinciarum erogabant, seu soluebant, eamque sollicitudinem gerebant. De quibus *Procuratoribus Curiarum* dixi ad *l.* 1. *huius tit.* & *l.* 20. *inf. de Decurion.* Item has annonas ipsi Prouinciales & Tributarii præbebant in pretiis scilicet. Verum id *h. l.* P. 330 aboletur; Nempe quod immensa pretia a Prouincialibus exigerentur. Nam cum constitutum initio fuisset, vt per *centum & viginti capita*, id est, pro centum viginti iugis vnus solidus præstaretur, auiditas Rectorum & Comitum hoc fine non stetit, sed pro dimidia iam capitum parte solidum exegit, id est pro sexaginta capitibus seu iugis, imo tandem pro Tredecim capitibus solidum exigere non dubitauit: vbi tamen malim legere *pro Triginta*, iusta proportione. Primum scilicet ad dimidium redacta fuerit æstimatio, tandem vero ad quartam. Alioquin quantum pro singulis capitibus per Gallias nominatim tributi nomine solueretur, docet singularis locus Ammiani Marcellini *lib.* 16. *cap.* 5. vbi de Iuliano Cæsare, *Quod*, inquit, *profuerit anhelantibus extrema penuria Gallis, hinc maxime claret, quod primitus partes eas ingressus, pro capitibus singulis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari; discedens vero septenos tantum, munera vniuersa complentes: ob qua, tanquam solem sibi serenum post squalentes tenebras affulsisse, cum alacritate & tripudiis lætabantur.* De annonarum æstimatione, vide & *Nouellam* Valentiniani *inter Theodosianas*, 23. *de Tributis fiscalibus.*

MODVM *Annonæ Militari necessarium in Africa inspiciendum committit* Honorius *duobus Viris Inlustribus: cui postea nil addatur.*

XXXIII. (a) Idem AA. Hadriano PP. (b)

NE (c) interiecti æquoris, (d) tractus (e) querelæ prouincialium (f) pereant, Flauianum, (g) & Cæcilianum (h) Viros Inlustres per Africam audientiam cunctis præbere decernimus. Militarem quoque annonam, quæ intra Africam contubernalibus (i) erogatur (k) eorum diligentia indagari (l) præcipimus, vt nihil his (m) post eorum examen addatur, & cetera. Dat. v. Non. Mart. Rau. Constantio & Constante VV. CC. CONSS. [414.]

NOTAE.

(a) Iungendæ *huic* sunt *lex* 12. *infr. de metatis*, & *lex* 11. *sup. de Curiosis*, quæ leges omnes pertinent ad *Africam* subleuandam. *GOTHOFRED.*

(b) *Italiæ*, sub cuius dispositione fuit diœcesis Africæ. *ID.*

(c) Pars hæc prior ab hoc titulo fugitiua est. *ID.*

(d) *Interiectum æquor*, id est, mare mediterraneum, inter Africam & Italiam, in qua Honorius Imperator ab hoc tempore consistebat; Et quidem Rauennæ, metropoli Flaminiæ, vt docet vel *huius legis* subscriptio. Itaque eo quoque sensu *Transmarina Prouincia*; de quibus alibi dixi. *ID.*

(e) γε.

(e) γρ. *In tractu.* *ID.*

(f) Africanorum. *ID.*

(g) De hoc *Flaminio* vide plura in *Indice Personarum.* *ID.*

(h) De hoc *Caciliano*, vide eundem *Indicem.* Vterque ex Præfecto Prætorio: ideo Viri Inlustres. Vide & Symmachum, Zosimum. *ID.*

(l) *Contubernales*, Milites *h. l.* & *l. 2. infr. de equorum conlatione*, quæ & ipsa ad Africam pertinet, vox apud rei militaris Scriptores frequens: Sed & Africano vsurpata, *l. 21. § 1.* D. *Commodati.* In *Glossis* Philoxeni *Contubernarius* σύσκηνος, & Gl. Cyrilli, σύσκηνος *Contubernalis.* Et vetus Glossar. κοντουβέρνιον, συσκήνωσις, συσκήνιον, σύνοικον στρατιωτῶν. Sunt commilitones, communium expeditionum Comites, *l. vlt.* D. *de auro, arg. Legato.* *ID.*

(k) Erogari debet. *ID.*

(l) *Inspici*: de qua *Inspectionis* voce dixi ad *l 28. sup.* Tentaret quis *integrari.* Quod non probo. *ID.*

(m) Quæ indagauerint, quæque necessaria perspexerint: vel contubernalibus. *ID.*

COMMENTARIVS.

AFRICA variis per hæc tempora malis, concussionibus, & nupera quidem Heracliani tyrannide afflicta fuerat: Mox tamen Heracliano cæso ad Imperium retracta fuit (de quo dicendi locus erit opportunior ad *l. 21. inf. de pœnis*, & *l. 13. inf. de infirmandis his quæ sub Tyrannis)* Honorius igitur ab Africa semotus, interiecto videlicet mari, ne interiecti æquoris tractu querelæ Africanorum perirent, (id est, ne ad se in Italia Rauennæ constitutum vel nunquam, vel saltem serius perferrentur, v. & quæ dicam *ad l. vlt. inf. de desertoribus:)* Flauianum & Cæcilianum Ex-Præfectis Prætorio delegauit, qui ipsi coram positi in Africa, querelas Africanorum exciperent, & audientiam cunctis præberent: v. quæ dicam ad *l. 3. inf. ad leg. Iul. repetund.* Sed & nominatim a nonnullis hominum generibus Africanos deprædari adsuetis, Africam vindicatam voluit: Ab *Apparitoribus* videlicet *l. 11. sup. de Curiosis*, quam huic coniungendam esse dixi: Item a *Curiosis*, *d. l. 11.* Denique a *Militibus*, *h. l.* & *l. 12. inf. de metatis*, quæ & ipsa pariter *huic legi* iungenda est. De militibus igitur id *h. l.* cauetur, vt postea quam Flauianus & Cæcilianus militarem annonam inspexerint, seu indagauerint, id est, posteaquam definiuerint, quantum Prouinciales Africani ad annonam militarem conferre debeant; post hoc eorum examen, post hanc indagationem, militibus nihil superpostulare liceat. Quæ ipsa sententia est *dicta l. 12. inf de metatis.* Scilicet hactenus noua augmenta subinde, nouæ indictiones militaris annonæ occasione inter Africam factæ videntur. De cuiusmodi nouis indictionibus tributariis elegans ex Saluiani querela *lib. 5. de Gubernat. Dei. cap. 8.*

P.131. *De* SCHOLARIVM, *quibus Numeri commissi, annonis & Caballatione.*

XXXIV. (a) Idem AA. Constantio (b) Magistro Militum. (c)

HIS Scholaribus, (d) quibus laborum intuitu regendos Numeros dederimus, de ærariis (e) annonis singulos solidos per Opinatores, (f) Caballationis (g) quoque rationem (h) pro administrato tempore debitam, quando militibus erogatur, sine mora præberi oportet: Vel si quis eorum antequam accipiat, in fata concesserit, quod ex vtraque (i) causa ei debebatur, hæredibus eius restitui. (k) Dat. XIII. Kal. Decemb. Constantio & Constante VV. CC. CONSS. [414.]

NOTAE.

(a) Lex 14 *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDO.

(b) Vide *Indicem Personarum*, vbi dixi: & ad *leg. vlt. infr. de infirm. his quæ sub Tyran.* *ID.*

(c) Per *Gallias*, scil. vid Olympiodorum, Zosimum, Sozomenum, alios. Qui etiam postea ab Honorio ad Imperium cooptatus, Valentiniani III. pater fuit; v. & *l. vlt. inf. de infirm. his quæ sub Tyran.* & quæ ibi notaui. IDEM.

(d) De his *Scholaribus* dixi plene ad *l. 22. sup.* *ID.*

(e) De *ærariis* annonis dixi ad *l. 28. sup.* *ID.*

(f) De *Opinatoribus* dixi ad *l. 26. sup.* *ID.*

(g) Retineri potest: nisi quis malit *Capitationis*: De quo mox. *ID.*

(h) *Rationem*, id est, modum & quantitatem, vt *l. 31. sup. annonariam in pretiis rationem.* Frustra igitur est, quod aliquando tentabam, *erogationem.* *ID.*

(i) Ærariarum videlicet annonarum, & caballationis. *ID.*

(k) *Restitui*, pro præstari, *h. l* & *l. 2. sup. de vsuris:* & *l. 1. sup. si certum petatur de suffragiis.* Et *l. 16. 18. inf. de annona & tributis. l. 90. infr. de Decurionib.* Quomodo &, *reddere*, pro *dare*, hoc eodem Codice. Vide *Glossar.* IDEM.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

SCHOLARIBVS, id eſt, iis qui io ſcholis Gentilium vel ſcutatiorum erani (de quibus dixi *ad l. 22. ſup.* Et quorum memioii quoque *lex inf. de diu. officiis.* forte etiam Valentinianus, *Nouella 7. de indulgentiis Reliquorum*) Et quidem in ſp. *huius leg.* per Gallias (erat enim hoc tempore Conſtaotius cui *hæc lex* inſeribitur, Magiſter militum per Gallias) pro laborum intuitu, quandoque regendi Numeri committebantur, id eſt vice Tribunorum & Præpoſitorum Numeros regebant: Etſi ipſi reuera *milites* non eſſent: vt Agathiæ loco elegantiſſimo oſteodi *ad d. l. 22. ſup.* Hoc huius ſeculi more receptum fuit, vt etiam non militibus regendi milites & Numeri committerentur, vt etiam docet *lex 10. inf. de Veteranis:* Imo & imberbibus, neque dum militaris ætatis aut roboris, neque æui maturi. Vid. quæ Spartianus *Hadriano cap. 10.* Valerianus *apud Vopiſcum in Prob. cap. 4.* & *l. vlt. Cod. de teſtam. militis.*

De his igitur Scholaribos Tribunis quæri cepit, an & his annona militaris deberetur? id eſt, An & his per Exactores militaris annonæ, annona ſolui deberet, quaſi militaribus? Quod *hac* Honorii *lege* ſtatuitur: Scilicet, his quoqua ab Opinatoribus eo tempore quo militibus annona erogatur, ſine mora præberi annonas ærarias, & Caballationis modom oportere: Et quidem ſingulos ſolidos de ærariis aononis, nempe diurnos: vt ita Tribunorum ſtipendium ærarium fuerit 30. ſolidorum, ſeu aureorum. De quo ſtipendio v. & Epiſtolas de Salario Tribunorum, apud *Hiſtoria Auguſta Scriptores*, & quæ *ibi* ſupputant Viri Docti. Tribuoi igitur hoc æuo ſtipendium æreum *diurnum*, fuit ſolidus.

Præbita his & *Caballationis* ratio, id eſt, caballationis modus aliquis: *Caballatio* proculdubio hic idem cum Capitatione, (quam ipſam vocem hic ſubſtitutam vellent nonnulli) ſeu capito & pabulo caballi, ſeu animalis. Etſi in *Epiſtola* Valeriani de Probi Tribuoi ſalario, apud Vopiſcum *in Prob. c. 4.* nulla præbendi pabuli ſeu capiti mentio fiat: in altera tantum de ſalario Tribuni Legionis Claudii fiat apud Pollionem *in Claud. c. 14.* Tribuno quippe Legionis quid amplius tributum, quam Tribunis Numerorum: vt nominatim, *fine eiuſdem Epiſtolæ Valeriani* de Probo continetur. *Hoſpitia præterea eidem vt Tribunis legionum præberi iubebis.* Et tamen Capitum quoque Tribunis Numerorum hoc tempore præbitum, hæc *lex* oſtendit. *Caballatio* quæ pro caballo data, exacta. Eadem ratio nominis *Camelaſii*, cuius meotio *l. vlt. §. 11. D. de muneribus:* Et apud Ammianum Marcellinum *lib. 17. cap. 3.* Ita *Caballarii*, pro Equitibus. *Gloſſ. Nom* Καβαλλάριος, ἐφιππος, ὁ ἐν ἵππω καθήμενος: *κάβαλλος γὰρ ὁ ἵππος.* Et Gloſſa Iſidori: *Caballarius, alaris*, Et Gloſſæ veteres *Caballarius κέλης ὑππεύς.* Porro & iſtud quoq. e de iſtis Tribunis ſtatuitur, vt debitas ſibi annonas & caballationem pro adminiſtrationis tempore ad hæredes ſuos tranſmittant. Stipendium ſcilicet (& quidem *in ſpecie huius legis*, diurnum, in dies ſingulos conſtitutum) non perceptum, pro ratione temporis elapſi ad hæredes tranſmittitur: pro rata temporis, non autem reſidui temporis. Tribunus aut miles totius anni ſtipendium non tranſmittit ad hæredes, ſicut & de ſcriba Quæſtoris miſſi in Prouinciam, pronuntiatum refert Plinius *lib. 4. Ep. 12.* Quandoque tamen & reſidui temporis ſeu anni totius tranſmittitur, vt in ſpecie *l. 11. Cod. Iuſt. de proximis ſacr. ſcrin.* & *l. 15. Cod. eod. de Adnot. diu. Iudicior* vid. & Accurſium *ad l. 1. §. 13. D. de extraordinariis cognitionibus.*

P.332

PALATINORVM *quoque annonæ* ADÆRANDÆ *Præfecti Prætorio auctoritate.*

XXXV. (a) Idem AA. Aſclepiodoto PP.

ANnonas omnes, quæ vniuerſis Officiis (b) atque Sacri Palatii Miniſteriis, (c) & Sacris ſcriniis, (d) ceteriſque cunctarum adminiculis (e) dignitatum adſolent delegari, (f) quaſque hii qui ad earum Exactionem mittuntur, pro cupiditate (g) ac libidine ſua grauiter ex Prouincialium viſceribus (h) eruebant, ad ſimilitudinem Militum, quibus ærariæ (i) præbentur annonæ, adærari (k) præcipimus, vt omnibus ſuperius deſignatis emolumenta (l) debita in pretiis diſpoſitio Culminis tui pro publica auctoritate taxatis præcipiat erogari. Dat. XVI. Kalend. Mart. Conſtantinop. Aſclepiodoto & Mariniano CONSS. [423.]

N O T A E.

(a) Lex 15. *Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) Palatinis. IDEM.

(c) Decuriones, Silentiarios, Domeſticos, Protectores, & ſimiles intelligit. ID.

(d) Scriniarios accipe. ID.

(e) Adminicula dignitatum intelligit Palatinos S. L. R. P. &c. Ita adminicula Prouincialis officii, *Nouella Valentiniani 7.* ID.

(f) V *l. 20. 22. ſup.* ID.

(g) *Cupiditate*, id eſt, auaritia. V. *Gloſſ.* ID.

(h) *Ex viſceribus Prouincialium eruere:* vt regionis viſceribus prædator inſidens, *l. 9. inf. de Exſecutorib.* quæ ex viſceribus vrbium abſtulerunt, *l. 98. inf. de Decurionib.* publicis viſceribus immunere, *l. 19. inf. de curſu.* IDEM.

(i) *Æraria annona*: de his dixi ad *l. 28. ſup.* χρυσικαὶ ῥογαι, χρυσικὰ συνήθεια, Mauritio, *Strateg. lib. 2. cap. 2.* ID.

(k) Dixi ad *l. 28.*

(l) Emolumenta, debita, ſtipendia, annonæ cuique Officio delegatæ, debitæ, deputatæ: Emolumenta ordinis ſui. ID.

COMMENTARIVS.

PALATINORVM Ministeriorum, Officiorum, & Officialium omnium annonæ, exemplo militum adærari a Præfecto Prætorio seu æstimari, taxari iubentur. Nempe quod Exactores harum annonarum in Prouincias missi, pro cupiditate & lub dine sua eas adærarent seu æstimarent; atque adeo ex Prouincialium visceribus eruerent, cum Prouincialium gemitu damnoque.

TRIBVNORVM, *Comitum, Ducum, &c. annonæ* ADÆRANDÆ *pro ratione fori rerum venalium: at Stillaturæ, pro forma ærariarum annonarum.*

XXXVI. (a) Idem AA. Procopio (b) Magistro Militiæ per Orientem.

SI quando Tribuni, siue Comites, (c) vel Præpositi Numerorum, per Prouincias annonas voluerint, hoc est quas pro dignitate (d) sua consequuntur in ære percipere, non aliis eas pretiis, nisi quæ in Foro (e) rerum venalium habeantur, adærandas (f) esse cognoscant: si alias annonas, quæ non suæ dignitatis erunt, sed alio modo, (g) dumtamen licito, suis commodis adquisitas, in auro sibi dari Duces (h) siue Tribuni voluerint, illis pretiis contenti sint, quæ in forma ærariarum (i) annonarum vniuersis militibus sollemni obseruatione præbentur. Sanctionis temerator sciat se & administratione simul & dignitate spoliandum, & facultatum suarum percellendum dispendio. Dat. III. Non. Decemb. Constantin. Victore V. C. CONSS. [424.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Procopius*, Magister militum per Orientem sub Theodosio Iuniore, Sidonius nominatim testatur, cum Magistrum militum factum ante biennium, post fœdus Gerticum *carm. 2. ad Anthemium v. 90* verba eius habes in *Prosopogr.* Quibus etiam eleganter expressit Orientem, seu Orientis diœcesim, per quem Magister militum Procopius fuisse, hac inscriptione quoque ostenditur. Limes scilicet Orientis. a Tauri montis iugo ad Nilum vsque porrigebatur: Quare Æthyopum quoque fines attingebat: Eiusque diœceseos vertex erat Antiochia ad Orontem *ID.*

(c) *Comites rei militaris minores* intelligit Secundi Ordinis: De quibus *fine legis 2. sup. de comitib. rei militaris, l. 1. 2. inf. ne Comitibus & Tribunis lauacra præst.* vbi dicendi locus erit. Dixi ad *l. 1. sup. de Comitib. rei militaris*, iam aliquid. De maioribus vid *l. 33. sup. ID.*

(d) *Pro dignitate sua*, & sic publice constitutas annonas. Suus cuique scilicet dignitati & ordini annonarum modus. Dixi plene *ad l. 11. sup. de Agentibus in rebus* V. & *l. 1. 32. sup. ID.*

(e) De Forensi hac æstimatione v. & *l. 10. 28. 32. sup. ID.*

(f) Dixi ad *leg* 28 *supr. ID.*

(g) *Stillaturæ* nomine Dixi *ad l.* 28 29. *sup* vid. & quæ ad *l. 6. inf. de Cobortalib. IDEM.*

(h) Vid. *l. 29 sup* & *d. l. 6. infr. de Cobortalibus. ID.*

(i) Ærariæ annonæ: De his ad *l. 28. sup. ID.*

P. 331

COMMENTARIVS.

TRIBVNI, COMITES, PRÆPOSITI Numerorum, annonas suas adæratas percipiunt, pro æstimatione Fori rerum venalium. *h. l.* Quem admodum & Protectores suas: *l. 10. sup.* Tribuni iam ante, Stillaturas; *l. 28. supr.* Rectores Prouinciarum & Comites Rei militaris primi Ordinis suas; *l. 32. sup.* cum vetustiori iure Tribuni & Præpositi ipsas species consequerentur, *l. 2. sup.* Ethæc de Annonis eorum suæ dignitati constitutis & congruis. Nam & aliæ erant annonæ, quas Duees & Ttibuni præterea suis commodis acquirebant, & quidem licito, vt hæc *lex* loquitur. Hæ scilicet erant, quas *Stillaturas* vocabant: de quibus dictum fuit *ad l. 28 29. sup.* munera vel sportulas, *l. 7. inf. de Cohortalibus.* Hæc igitur non, vt aliquando factum ostendit *d. l. 28.* pro foro rerum venalium æstimari *h. l.* iubentur, verum alio modo: nempe eo quo ærariæ annonæ militibus præbentur, seu iuxta nummaria defixa pretia quod idem est: *l. 29. sup.*

Tria hic interim adærationis seu æstimationis genera semel obseruentur. *Forense*, cuius mentio *l. 10. 28. 32.* & *h. l.* Defixum militibus seu ærariis annonis militum, idque pro locorum & Numerorum varietate, *l. 22. 29. 30. 32. 35.* & *h. l.* & *l. 19. inf. de cobortal.* Denique deputatum Magistratibus maioribus, velut Præfecto Prætorio, *d. l. 32.* Inter hæc Forense medium constituo: Defixo scilicet militibus maius ferme fuit, vt *hac lex nostra* indicare videtur, & *lex 28.* Deputato rursum maioribus magistratibus, minus, vt colligi potest ex *d. l. 10. 28. 32.* Ad Tribunos igitur redeamus: Vbi his ærariæ annonæ præstari cœperunt: Annonæ his præstitæ, procul dubio quæ maioribus deputatæ. At stillaturæ, primum forenses, *l. 28.* mox defixæ militibus, *l. 29.* Tandem annonæ forenses: Stillaturæ, defixæ: *h. l.* Hunceque annonarum gradum colligo ex his verbis, *iuxta veteris moris obseruantiam*, l. 10. *Non aliter adærentur, nisi*, &c. l. 28. *sine vlla dubitatione*, l. 29. *æquari se tanto culmini. l. 32. non aliis eas pretiis nisi*, &c. *h. l.* Item, *illis pretiis contenti sint.* Quibus verbis omnibus vel maiores ærariæ annonæ præstari indicantur, vel denegari.

DE EXCOCTIONE (a) ET TRANSLATIONE (b) ANNONARVM. (c)

TITVLVS V.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XXXVIIII.

(a) Vide *l. 15. & 18. de extraordin. siue sord. mun.* GOTHOFR.

(b) Vide *l. 15. & 23. sup. de erogat. milit. annonæ*; & *l. 2. 9. 11. 21. 22. infr. de annona & tributis.* De translatione vestis militaris, V. *l. 33. infr. de cursu publ.* ID.

(c) *Annonarum* vox, hic subseruit tam excoctioni, quam translationi: Vnica tantum, vel ad summum duæ Annonæ species excoquuntur, omnes transferuntur. Itaque minus tuta est obseruatio, *Annonarum* appellatione hic tantum *panem* vel *buccellatum* intelligi. Plura de hac voce ad *l. 1. sup. de erog. mil. ann.* & *l. 2. inf. de frum. vrb. Const.* Cæterum *militarium annonarum* hic accipe. Et ita quoque *Codex Iustin.* ID.

IBI *tantum excoctio flagitari potest, vbi familiæ* [*militum*] *consistunt.*

I. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS (b) AA. Stiliconi (c) Comiti & Magistro vtriusque militiæ.

OPINATORES, (d) quibus species in diuersis prouinciis delegantur, (e) vt (f) pretium maiore taxatione (g) deposcant, contra omnem consuetudinem nullis consistentibus (h) Familiis (i) excoctionem panis efflagitant. Inlustris igitur Auctoritas tua nouam vsurpationem congrua auctoritate percellat, (k) vt cum Opinatores in prouinciis delegantur, vetus consuetudo seruetur. Dat. Idib. Sept. (l) Mediol. Theodoro V. C. CONSS. [399.]

P. 314

NOTAE.

(a) Lex 1. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) *Arcad. & Theodosius Cod. Iustin* male. Theodosius enim anno demum 402. ab Arcadio Augustus creatus est. RITTER.

(c) De *Stilichone* dicam *inf. tit. de litterum & itin. custod.* GOTHOFR.

(d) De *Opinatoribus* dixi plene ad *l. 26. sup. de erogat. milit. ann.* & dicam ad *l. 34. inf. de ann. & trib.* ID.

(e) Cum delegatoriis missi, *l. 16. inf. de exact.* ID.

(f) *Vt pretium maiore taxatione deposcant.* Hæc ratio siue causa a Triboniano omissa est. ID.

(g) *Opinatores* ab hac quoque taxatione (quam, OPINIONEM Veteres dixere) appellatos ostendi ad *l. 26. sup. de erogat. mil. ann.* ID.

(h) Substantibus, resistentibus, *l. 28. sup. tit. prox.* ID.

(i) De *Familiis* dixi ad *l. 17. sup. de erogat. milit. annonæ*: Earundem fit mentio & *l. 28. pr. eiusdem tituli*: & *l. vlt. inf. de iure fisci.* ID.

(k) *Repellat.* Cod. Iustin. ID.

(l) *Decembr.* reponi vult Gothofredus. Vide *Chronolog. 6. a.* RITTER.

COMMENTARIVS.

EXCOCTIO panis, *h. l.* & *l. 15. 18. inf. de extraord. vel sordidis munerib.* itemque buccellati *l. 2. inf* quod militibus conueniebat præparari, inter onera seu munera Prouincialium fuit, & possesionum sic quidem, vt nullius possessio ab ea immunis foret; de quo *ad d. l. 7. prox.* Cæterum

eam ad rem pretium seu pecuniam Prouinciales contulisse hæc *lex* testatur. Excoctioni enim ipsi certum *pistorum* corpus intra Prouincias destinatum fuit: quorum etiam pistorum sui fuere & peculiares Præpositi; quorum meminit *lex 28. sup. tit. prox. de erogatione militaris annonæ*: quique militibus excoctum panem & buccellatum diuidebant seu præbebant, *d. l. 28.* De Pistoribus & hunc Spartiani locum omittere non possum, *in Pescennio Nigro cap. 10. Idem iussit*, inquit, *vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto vniuersos esse contentos: Idem* PISTORES [pani coquendo, vel aliis edulius,] *sequi expeditionem prohibuit, buccellato iubens milites & omnes contentos esse.* Sententia autem huius legis obscurior est. Hanc tamen omnino existimo: Intra Prouincias, in quibus familiæ (militum) vel milites non consistunt, nihil pro panis excoctione a Prouincialibus exigi debere seu posse. Idque pro veteri consuetudine. Aduersus quam consuetudinem *Opinatores*, ad exactionem annonæ militaris delegati (de quibus suo loco dixi *ad l. 26. sup. tit. prox.*) in iis Prouinciis etiam in quibus nullæ erant militum familiæ, panis nihilominus excoctionem exigere solebant; atque vt loquitur Imperator *h. l. Pretium specierum* MAIORE *taxatione deposcebant.* Quæ quidem verba Tribonianus omisit: & tamen sola ferme ad *legis* sententiam nos deducere possunt. Scilicet cum pretia specierum in Prouinciis exigerentur, pretio aliquid addi quasi pro excoctione Opinatores volebant. Proinde vult Honorius, intra quas Prouincias nullæ (militum scilicet) familiæ sunt, nihil pro excoctione specierum superexigi. Errarunt Interpretes in *huius legis* explicatione, quia *familia* appellatio, quid sibi vellet *h. l.* non intellexerunt.

IMMVNIS *nullus est, ne quidem Principis domus, ab Excoctione & Translatione annonæ militaris.*

II. (a) Idem AA. & Theodosius A. ad Hadrianum PP.

IN Excoctione Buccellati, (b) quod deuotissimis (c) militibus conuenit præparari (d) in Translatione etiam annonæ nullius excipiatur persona, videlicet, vt ne Nostra quidem Domus ab his habeatur immunis. Et si quisquam (quod (e) non opinamur) implere quæ sunt præcepta neglexerit, in Procuratorem (f) eius seuerissime vindicetur, ita vt si huiusmodi contumaciæ dominum conscium esse constiterit, quadruplum id quod pro eius capitatione (g) poscitur, posthabita dilatione soluatur. Dat. VIIII. Kalend. April. Romæ, (h) Honorio A. VI. & Aristeneto CONSS. [404]

NOTAE.

(a) Lex 2. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) De *buccellato* dixi *ad l. 6. sup. tit prox. de erogat. milit. annonæ.* IDEM.

(c) *Deuotissimi* milites dixi ad *l. 17. sup. tit. prox.* ID.

(d) *Præparari. Paratæ* quoque eo sensu in veteribus formulis & alibi, quæ & ferme cum mensionibus ambulant. Aimoinus quoque *lib. 5. cap. 17. Parafreda aut tributa aut telonea exigenda, ad Mansionaticos vel Paratas faciendas.* Præceptum Ludouici Pii pro Hispanis an. 815. (quod citat du Fresne *voc. Paratæ* & ante eum paullo aliter Cl. Bignonius *ad Marculfum pag. 258.*) Et *missis nostris, quos pro rerum vtilitate illas in partes miserimus, aut Legatis, qui de partibus Hispaniæ ad nos transmissi fuerint, paratas faciant, & ad subuectionem eorum veredas donent.* Ita mensor qui præparandi gratia ad possessionem venerit, *l. 16. inf. de metatis.* ID.

(e) Formulam obserua, *Quod non opinamur*: cui proximæ hæ; quod nolumus, *l. 40. inf. de hæreticis*, quod absit, *l. 15. inf. de bonis proscriptorum*, quod non optamus, *l. 4. inf. de conlat. donat.* ID.

(f) Procuratorem possessionis intelligit, seu Actorem potentis alicuius Domini: Cuius *hoc Codice* frequens mentio: Mox opponitur Dominus ipse scilicet. ID.

(g) *Capitationem* vocat, modum possessionis, iugationem, vt *l. 1. inf. ne quid publica latit. l. 2. 4. vlt. inf. de censibus, l. 36. inf. de Decurionib.* ID.

(h) Romæ hoc anno constitit Honorius, vbi & aliæ Leges ab eo datæ: de qua Honorii in Vrbe Roma mora, vide Claudianum *in 6. Consulat. Honorii.* ID.

P. 335

COMMENTARIVS.

IMMVNIS, nullius (quamlibet Potentis imo quamlibet Principis) domus aut possessio est ex *hac* Honorii Romæ positi *constitutione* ab excoctione buccellati, & translatione annonæ militaris; de quo plenius dicitur ad *l. 15 18. inf. de extraordin. munerib.* Alioquin, Procurator possessionis, qui hæc munera detrectat. seuerissime punitur: Si dominus ipse huius contumaciæ conscius sit, quadruplo multatur. Quadruplo inquam, eius, quod pro eius capitatione poscitur. Scilicet possessionum hoc onus est, & pro modo possessionem agnosci debet. De excoctione buccellati iam dictum est ad *l. 1. sup. hoc tit.* De translatione annonæ est & *lex 15. 23. sup. tit. prox. lex 18, inf. de extraord. siue sordid. mun. lex 2. 9. 11. 21. 22. inf. de annona & trib.* quo titulo dicam plenius. Hic interim *titulus*, hic *casus* notetur: quo ne Domus quidem Principis excusatur ab aliquo onere: adde *l. 2. 12. de tironib. l. 15. 18. de extraordin.*

DE

DE MILITARI VESTE.

TITVLVS VI.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XL.

De hac Militaris Vestis collatione est & Chrysostomi locus *homil. 9. ad Philipp. Comel. edit. pag. 1269.* Vide Commentarium.

SVSCEPTOR *vestium, ex quibus, & a quo, cuiusue periculo creandus sit. Item, annuum eius tantum officium esse.*

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Mamertinum PP. (b)

SIVE ex Principalium, (c) siue ex Honoratorum (d) numero Susceptor vestium nominetur (exceptis videlicet his qui Palatinæ militiæ priuilegiis fulciuntur, vel qui Officiis ac Ministeriis perfuncti merito stipendiorum consecuti sunt dignitates) & (e) Vir Spectabilis Proconsul Africæ moneatur, (f) vt ad excludendas fraudes vno anno non plus hæc necessitas procuretur: ita tamen vt creationis periculum a Proconsulari Officio non recedat. Dat. XIIII. Kal. Mai. (g) Mediolani, Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) Repetitur hæc lex, *l. 4. inf. de Susceptoribus.* inuerso tamen sententiarum ordine: contra abrogatur partim, *l. 31. inf. de Susceptoribus.* GOTHOFREDVS.

(b) Italiæ, Illyrici, Africæ, vid. Ammianum Marcellinum, *lib. 21. cap. 12. in fin. & lib. 26. cap. 5.* FD.

(c) De *Principalibus* consule *inf. Paratitlon, tit. de Decurionibus.* De his est hic quoque locus Saluiani, *lib. 5. de Gubernat. Dei cap. 4. Quæ enim sunt non modo vrbes, sed etiam municipia atque vici, vbi non quot Curiales fuerint, tot Tyranni sint? quanquam forte hoc nomine sibi gratulentur, quia potens & honoratus esse videatur. Nam & latrones ferme omnes gaudent & gloriantur, si atrociores admodum quam sunt, esse dicantur. Quis ergo vt dixi locus est, vbi non a* PRINCIPALIBVS *ciuitatum viduarum & pupillorum viscera deuorentur, & cum his ferme Sanctorum omnium?* IDEM. Vide ad hunc locum Stephan Baluzium, qui probat, apud Marium Mercatorem *pag. 621. curialem* dici, qui in antiqua versione concilii Chalcedonens. *pag. 1137.* vocatus est *principalis.* RITTER.

(d) De *Honoratis* dixi ad *l. vlt. sup. de Officio Iudicum ciuilium.* GOTHOFREDVS.

(e) Inducenda vocula ET: vel ET pro *etiam*: quasi diceret, non tantum ceteri ordinarii Rectores Prouinciarum moneantur: verum ipse Proconsul Africæ, qui alioquin eminet supra cæteros Rectores: Spectabilis scilicet, cum alii Clarissimi sint, de quo dicam alibi. IDEM.

(f) A te Præfecto Prætorio datis litteris, *d. l. 4. inf. de Susceptorib.* Proconsul Africæ sub dispositione P. P. Italiæ fuit. IDEM.

(g) *Iul. d. l. 4. de Susceptorib.* ID.

COMMENTARIVS.

DE SVSCEPTORE VESTIVM tria hac *Valentiniani* constitutione continentur. Primum: Ex Principalium, vel Honoratorum numero creandum illum: cum antea aliquando ex officio Proconsulari crearetur, quod *hac lex in fine* aliquo modo indicat: & magis adhuc *lex 31. inf. de susceptoribus.* Honorati sunt, dignitate aliqua euecti, functi. Neque tamen omnes Honorati ad hoc munus deuocari possunt, verum ii tantum qui citra Palatinam militiam, officium aut ministerium, breuiter circa meritum stipendiorum dignitates sunt (honorarias scilicet) consecuti: Hi enim posteriores a Nominatione ista sunt immunes, de qua Palatinorum immunitate dictum fuit *sup. tit. de priuil. eorum qui in Sacro Palatio.* Interea duo *Honoratorum* genera obserua: de quibus plene alioquin dixi ad *l. vn. sup. de officio Iudicum Ciuilium.* Priori scilicet honoratorum generi munera iniuncta, non posteriori. Verum ad officium Proconsulis postea reuocatum hoc munus susceptionis fuit, *d. l. 31. inf. de Susceptorib.* P.336

Secundo ANNVVM susceptoris vestium munus tantum esse iubetur: *ad excludendas fraudes*, ait hæc lex; scilicet excogitandis fraudibus opportuniora sunt officia diuturna, quam annua seu momentanea. Quæ autem hæ Susceptorum vestium fraudes fuerint, ex *hac l.* disci non potest.

Tertio notandum, in Africa a Proconsule Susceptorem vestium creandum fuisse periculo Officii Proconsularis: (de quo Susceptore vestium per Africam, est quoque *d. lex 31. de susceptor.*) Itidem Exactores

actores per Africam ordinati Karthagioe in Secterario, *l. 20. inf. de Exactionib.*

Auctarii vice addam de collatione vestium militarium quædam. Vt antiquiora omittam, & quæ ex Plutarchi *Graccho* notantur, qui primus *legem* tulit de vestibus ex publico militibus dandis. Huius quoque vestium collationis meminit Ammianus Marcellinus *lib. 21. cap. 6.* *Supplementa Legionibus scripta sunt, indictis per Prouincias Tyrocinus, omnisque Ordo & Professio vexabatur,* VESTEM *armaque exhibens & tormenta.* Vbi vox *professio* retinenda; neque mutanda cum Stewechio in *possessio.* Iulianus *orat. 2. pag 92. edit. Sphaubem Lipsiens.* τὸ δὲ ἐν τοῖς ἀγροῖς τῶν γεωργῶν φῦλον ἀρῶντες ἢ φυτεύοντες τροφὴν ἀποίσουσι τοῖς φύλαξι, καὶ ἐπικούροις αὐτῶν, μισθὸν καὶ ἐσθῆτα τὴν ἀναγκαίαν. *A rusticorum & aratorum multitudo, terram subigens & conserens, custodibus suis ac defensoribus alimenta mercedis nomine, quæque ad vestitum necessaria sunt suppeditabit.* Huius etiam meminit Chrysostomus *homil. 9. ad Philippens. cap. 2. pag. 1269. edit. Commelin.* πῶς γὰρ οὐκ ἄτοπον τῷ μὲν στρατευομένῳ βασιλεῖ ἐπιγείῳ πάντα εἰσφέρειν, καὶ ΕΝΔΥΜΑΤΑ, καὶ τροφὰς οὐ κατὰ τὴν χρείαν μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν περιουσίαν, &c. *Qui enim non absurdum sit, ei qui terreno Imperatori militat, omnia suppeditare, & vestimenta & cibaria. non solum quæ necessitas postulat, sed etiam plus quam satis est.* Et etiam, vt vestes & annonas iungit ideo & hic Titulus *de militari veste*, superioribus duobus, qui *de annona militari* fuerunt, proxime cohæret. De vestibus in salarium quoque Tribunis & Ducibus olim decretis, vid. Imperatorum *Epistolas* apud Pollionem *in Vita Claudii cap. 14. 15. 17.* & Vopiscum *in Vit. Probi cap. 4.* De quo iam etiam aliquid dixi *ad l. 11. sup. de Palatinis S.L.* Sed & Palatinis, vestis decreta, secundum sui ordinis cuique prærogatiuam *l. vlt. sup. de Proximis Comitibus dispositionum & d. l. 11.* Vbi interim nota *annonarum* appellatione venire & vestes. Militarium vestium meminit & Vegetius *lib. 2. cap. 19.* *Nec aliquibus*, inquit, *milites instituti deputabantur obsequiis, nec priuata iisdem negotia mandabantur: siquidem incongruum videbatur Imperatoris militem, qui* VESTE *& annona publica pascebatur, vtilitatibus vacare priuatis.* Ad quem locum fallitur vir doctus, cum negat vestem militi e publico, Vegetii æuo, datam. Quem refutat omnino *hic Codex:* quod ab Amico nostro D. Lindenbrogio recte notatum ad citat. Marcellini locum.

QVANDO *collatio vestium Largitionibus inferenda sit.*

II. (a) Idem AA. (b) Auxonio (c) PPō. (d)

OMNEM canonem (e) vestium, ex Kal. Sept. ad Kal. April. nostris largitionibus tradi præcipimus: proposita Rectori Prouinciæ, vel (f) eius Officio, condemnationis, (g) quæ tuæ (h) iustitiæ videbitur, pœna. Dat. XIV. Kal. Decemb. Marcianopoli, Valentiniano & Valente (i) CONSS.

NOTAE.

(a) Lex 1. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b Valentis hæc *lex* est. IDEM.

(c) Vide quæ notaui ad *l. 15 sup. de erogat. milit. annone.* IDEM.

(d) Orientis IDEM.

(e) Canonicæ vestes ideo *l. 1. inf. de distrab. pign. quæ trib. causa.* IDEM.

(f) *Vel*, pro *ET.* IDEM.

(g) Id est, multæ. vid. quæ notaui ad *l. 55. sup. de re militari.* IDEM.

(h) Scil. Præfecti Prætorio dispositioni Rectores Prouinciarum subiacebant. IDEM.

(i) *ys.* II. id est, A. 364. v. *Chronologiam:* & Ammianum *lib 27 cap. 5* vbi refertur anno secundo belli Gothici (qui hic est) Valentem *Martianopolim* ad hyberna discessisse. IDEM.

COMMENTARIVS.

TEMPVS intra quod Canonem seu tributum & collationem vestium militarium in vsus militum destinatarum, Largitionibus Principis inferri oporteat, *hac l.* definit Valens Imp. a Kalendis puta Septembribus, ad Kalendas Aprilis, medio quod intercedit tempore, & sic intra septimum mensem ab Indictionis initio: Id enim ex *Kal. Septembr.* exurgit Ambrosius *Epist. 23. num. 16. edit. Benedict.* Indictio *Septembri mense incipit.* Antea a. 24. Septembris Indictio incipiebat. De quo dicam plene *alio loco, diatriba singulari, inf. tit. de indulg. deb.* *Canon vestium*, est collatio integra vestium ex vna prouincia (vnde & *canonicæ vestes* dictæ *l. 1. inf. de distrab. pign. quæ trib. causa:*) cuius collationis sollicitudo ad Rectorem Prouinciæ pertinebat, eiusque Officium: Collationes inquam, intra id tempus vrgendæ, & ad largitiones Principis transmittendæ. Ideoque si id negligeret, tam ipse, quam eius Officium, multæ subiacere iubetur iudicio, seu arbitrio Præfect. Prætorio; cuius scilicet dispositioni Præsides & Rectores Prouinciæ suberant, vt *in fin. leg. h. tit.*

Cæterum cum tempus istud Canoni vestium inferendo præfigatur, quæri potest; Num igitur hæc causa fuerit, vt ita milites pecunia accepta ex Kalend. Aprilib. tempestiue vesti suæ, tota æstate, sex mensium fere spatio, in hyemis tempus prospicere possent: Pecunia enim militi pro veste ferme data, non vestis ipsa: de quo *d. l. 3. 4. inf.* Hæc ratio ad hanc *legem* non placet: nam imo in specie *huius leg.* vestis ipsa militi præbita. Quare hæc ratio vera est, nempe quia vestis præbita militi in vsus suos a Kal. Septemb. in Kal. Apriles, quæ sæuior est Anni tempestas præsertim in milite Gothico; vbi secundo iam anno districtus erat Valens hoc tempore; eoque Martianopolim (vnde hæc

lex

pæx data) ad hyberna discessit teste Ammiano Marcellino *lib. 27. cap. 5.* Igitur vt esset vnde vestis suo tempore militi præberetur, tempus illationis præstitutum. Hac ipsa de causa, Constantii *leg. 2.* P. 317 *inf. de Murilegulis*: Gynaciarii mancipium Gynæcei celantes intra Kal. Septembres prodere iubentur: vt ita ab eo tempore texendis vestibus vacare possint: de quo ad *l. vlt. inf.*

Interim notandum, & hanc legem de earum numero esse, quibus Valens rem militarem restituit, Annonæque militari consuluit: de qua alioquin Valentis mente vid & Themistium *orat. 10. ed. Harduin.* quæ inscripta est *de pace ad Valentem Imp.*

MODVS *Canonis Vestium per quinque Orientalis Præf. Prætorianæ Diœceses.*

III. (a) Imppp. VALENS, Gratianus & Valentinianus AAA. Modesto PP. (b)

PROVINCIÆ (c) *Trachiarum*, (d) per viginti iuga seu capita conferant vestem: Scythia & Musia, (e) in triginta iugis seu capitibus interim (f) annua solutione defendant: (g) per *Ægyptum* & *Orientis* partes, (h) in triginta terrenis iugis, per *Asianam* vero & *Ponticam* diœcesim, ad eundem numerum in capitibus, seu iugis annua vestis collatio dependatur: ita vt per Orientem prouinciæ in titulo Auri comparaticii, quod per iugationem redditur, compensationis (i) gratia perfruantur, exceptis Osroëne & Hisauria, (k) nam easdem constat Aurum comparaticium minime redhibere. Dat. v. Id. August. Hierapoli, (l) Gratiano A. IIII. & Merobaude V.C. CONSS. [377.]

NOTAE.

(a) Lex 2. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) *Modestus* PP. Orientis, vt iam alibi docui: verum id apertissime commonstrat hæc *lex*. V. Zosimum *lib. 4. cap 11.* & 14. Et Ammianum *lib 29. cap. 1.* Et *lib. 30. cap. 4.* IDEM.

(c) Ceteræ, puta Europa, Thracia, Heminontus, Rhodope, atque ita omnes, præter Scythiam & Mysiam. IDEM.

(d) Melius *Thraciarum*: *Thrachia* enim vel *Trachea* cognomentum Ciliciæ; Has voces quoque commutatas reperies apud Eusebium *Chronica an. 2089. pag. 163. edit. Scaligeri* quem vide ad hunc locum. Sed & plura habes *ad l. 3. sup. de Senatorib. & gleb. coll.* IDEM.

(e) Pro *Mysia*. Ceterum Mysiam Secundam intelligit quæ sub P.P. Orientis fuit. *Not. Imp. fol.* 4. Prima enim Mysia sub Præfecto Prætorio Illyrici erat: v. *Not. Imp. fol. 15.* IDEM.

(f) Dum aliud constitutum fuerit, pacatis prorsus rebus & reparatis. ID.

(g) *vs. Dependant*, vt mox *dependatur*: Et ita quoque habet *Codex Iustin.* ID.

(h) *Partes* pro tractu & diœcesi, vt *l. 12. inf. de extraordin muner ib. l. 15. de Episcopis, l. vlt. de Episcopali iudicio: l. 14. inf. de Naucilariis: l. 25. inf. de petitionibus: l. 49. de operibus publicis: l. 3. de fide catholica.* IDEM.

(i) *Compensationem* vocat adærationem, de quo dixi *ad l. 28. sup. de erogat. milit. ann.* ID.

(k) In Orientis diœcesi scilicet fuerunt hæ duæ Prouinciæ *Osroëne & Isauria*: V. *Notitiam Imp. fol. 3. Hisauria*, pro Isauria, frequens hoc πνευματισμῶν: olim libertas, quod aliis exemplis firmat Valesius *ad Marcellinum.* IDEM.

(l) HIERAPOLI hoc tempore constitit Valens: vbi & duæ præterea ab eo datæ hoc tempore constitutiones puta, *lex 3. inf. de fisci debitorib. l. 1. sup. de Senator. & gleb. coll.* ID.

COMMENTARIVS.

MODVS Canonis, vestium canonicarum seu militarium annuatim conferendarum per Prouincias & diœceses Orientis, atque adeo Præfecturæ Prætorio Orientis, hac *Valentis* constitutione definitur. Per Præfecturam, inquam, Orientis, cuius vt quinque diœceses fuisse, *Notitia Imperii fol. 3.* testatur, ita & *h. l.* nominatim illæ memorantur omnes: Cum qua non male conferatur *lex 3. inf. de fide Catholica:* vbi dicam plura. Sunt autem hæ quinque, & quidem eodem ordine hic expressæ, quo *in d. l. 3.* 1. Thracia, 2. Ægyptus, 3. Oriens, 4. Asiana, 5. Pontica. Sed & apud Sozomenum, quo loco *dictam leg. 3.* memorat *lib. 7. cap. 9.* Paulo alio ordine *Canone 2. Concilii Constantinopolitani*, & apud Socratem *lib. 5. cap. 8.* Et in *Notitia Imperii d. fol. 3.* Modus autem hic constituitur: In omnibus diœcesibus Orientis per triginta iuga seu capita, vestes singulas conferri iubet *Valens* annuatim. Exceptis quatuor Thraciarum prouinciis, puta Europa, Thracia, Hæmimonte, Rhodope, in quibus per viginti iuga vestis conferenda est. Proinde in sola Thraciarum diœcesi variatum hac parte; in duabus eius Prouinciis, puta Scythia & Mysia, per triginta iuga, vestis præbita, in reliquis quatuor, per viginti. Cuius diuersitatis ratio ex horum temporum historia petenda est: Nempe quod regiones Scythiæ & Mysiæ, Hunnorum, & Gothorum deprædationibus per hæc ipsa tempora deuastatæ direptæque fuissent. Cuius rei Historiam exequitur Ammianus Marcellinus, *lib. 31. cap. 8.* Et quidem hoc ipso Consulatu seu anno, inter alia hæc scribens: *Opportunitatem milites nacti, immensas Barbarorum cateruas inter Hæmimontanas Angustias clauserunt*, &c. *Hac Gratiano quater, &* *Merobau-*

Merobaude Consulibus agebantur. Et mox, *forteque iisdem diebus per Scythia regiones & Mæsiæ omnibus quæ poterant mandi consumptis, feritate urgente pariter & inopia, Barbari erumpere molibus magnis ardebant.* Hinc illa igitur Prouinciarum diœceseos Thraciæ hac parte diuersitas; Eoque etiam pertinet vocula INTERIM *h. l.*

In Orientis diœcesi Prouinciarum etiam quædam fuit diuersitas: Duæ quippe eius Prouinciæ, puta Osroëne & Isauria, vestem militarem ipsam præbebant, cæteræ vero Orientis Prouinciæ non vestem ipsam, sed adærationem, seu eius loco, & *compensationis gratia* aurum: Quod quidem *aurum comparaticium* vocatur: quia scilicet ideo confertur, vt vestes inde militares comparentur: sicut Vegetius scribit, *lib. 3. cap. 3. Si tributa deficiant prorogato auro comparanda esse omnia.* De qua pecuniæ collatione ad vestium coemptionem est & hic Libanii locus *ep. 510. ad Clematium* [vt puto Palæstinæ Rectorem] *δύο τοίνυν βοηθεῖ τοῖς ἀνθρώποις, τὸ*
P.138 *μὲν ὅπως ταχέως τ' ἀργύριον λάβοιεν, τὸ δὲ ὅπως μὴ πολλοῦ τὴν ἐσθῆτα πρίοιντο.* Cæteræ inquam Orientis Prouinciæ, quarum numero fuit Palæstina mox in tres diuisa, per quas postea idem constitutum fuit, de speciebus annonariis, quod *h. l.* de veste militari, *l. 30. sup. de erogatione milit. annone.* De *coëmptione* vestis militaris pluta ad *leges sequentes.* Neque illud omittere possum ex iisdem Diœcesibus quæ *hac l.* memorantur, quæque PP. Orientis suberant, Imperium Valentis constitisse: neque vlterius sese porrexisse. Nam Valentinianus in Imperii diuisione sibi, reliquam orbis Romani partem omnem seruauerat, & in his Illyricum *totum.* Testis nominatim Zosim. initio *lib. 4. cap. 3.* *Ἔδοξε τῷ Οὐαλεντινιανῷ, διελομένῳ πρὸς τὸν ἀδελφὸν τὴν ἀρχὴν ἐπιτρέψαι μὲν αὐτῷ τὴν Ἑῴαν, ἄχρις Αἰγύπτου καὶ Βιθυνίας καὶ Θρᾴκης. Λαβόντα δὲ τὰς ἐν Ἰλλυριοῖς πόλεις αὐτὸν, εἰς τὴν Ἰταλίαν διαβῆναι, καὶ τὰς ἐν ταύτῃ πόλεις ἔχειν ὑφ' ἑαυτῷ, μετὰ τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἐθνῶν, Ἰβηρίας τε καὶ τῆς Βρεταννικῆς νήσου καὶ Λιβύης ἁπάσης,* id est, *Visum Valentiniano, diuiso cum fratre Imperio, committere ei Orientem Ægyptum & Bithyniam, Thraciamque vsque: sibi vero seruatis Illyrici vrbibus, atque in Italiam transitu facto, eius vrbes tenere, vna cum Transalpinis gentibus, Hispaniaque & Britannica insula, & Africa tota.* Quare & forte exinde natum dissidium illud inter Valentem, & filios fratris, (id est Grattianum, & Valentinianum) quorum nomina *huic l.* inscripta: quod circa hæc ipsa tempora memorat Eunapius *in Excerptis Legationum pag. 13. edit. Venet. Tom. I. Script. Rer. Byzant.* cuius causa etiam Schythas in Imperium Romanum Valens immiserit: *ἔδοξε τῷ βασιλεῖ· καὶ γὰρ ὑπ' ἀντιζηλοτυπίας αὐτῷ πρὸς τοὺς συμβασιλεύοντας (οἱ παῖδες μὲν ἦσαν ἀδελφοῦ) καὶ γέγραπται οὕτω πρότερον τὴν βασιλείαν δὲ διαιρῆσθαι κατὰ σφᾶς ἐδόκουν τὸν διανομὴν, οὐκ ἐπιγνόντες ἐπὶ τὸν θεῖον. In sententiam imperatoris itum est & factum S C. ex æmulatione, quam habebat cum his qui imperium cum eo tenebant. Erant autem filii fratris, & vero ipsi primæ partes attribuebantur, sed illi imperatoriam potestatem ex æquis partibus inter omnes diuidi oportere censebant, neque vlla in re patruo concedebant.*

PRETIVM *singularum chlamydum; solidus.*

IV. (a) Impp. Arcadius & Honorius AA. Martiniano (b) Com. SL.

FORTISSIMIS (c) militibus nostris per Illyricum non binos trimisses (d) pro singulis chlamidibus, (e) sed singulos solidos dari præcipias. Dat. XVI. (f) Kal. Febr. Constp. Arcadio IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTAE.

(a) Lex 3. *Cod. Iust. eod. tit.* Et iungenda *huic legi* forte *lex* 14. *sup. de Palatinis Sacrar. Largitionum.* Et *lex* 6. *sup. de proximis Comitib. disposition.* Emendata tamen *huius legis* subscriptione. *GOTHOFR.*

(b) *Marciano* Cod. Iust. Sed hanc lectionem confirmat *d. l.* 14. *de Palat. S. L. Martiniano* inscripta. *RITTER.*

(c) *Fortissimi Milites*: de quo dixi ad *l.* 17. *sup. de erogat. milit. ann.* *GOTHOFR.*

(d) *Tremisses*, alii: De quo mox. *IDEM.*

(e) De *chlamyde* v. & *l.* 1. *inf. De habitu, quo vti oportet intra vrbem:* vbi *habitus militaris* dicitur: item *terror Chlamydis* dicitur, quietisque vestimentis opponitur. Scholiastes Iuuenalis ad illa Satyr. VI. v. 400. *Cumque paludatis Ducibus. Euntibus ad militiam,* inquit, *chlamydatis scilicet.* *Sallustius: togam paludamento mutauit.* *IDEM.*

(f) Forte XV. vt est in *dict. leg.* 14. & *d. l.* 6. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

PRETIVM vestis militaris vnius (a prouincialibus Illyrici soluendum) hactenus erat duorum tremissium: Verum Arcadius integrum solidum *h. l.* dari iubet. Illyrici inquam, quod duas habuit diœceses, Macedoniam & Daciam, vt vel ex *Imperii Notitia fol. 15.* liquet. *Tremissis* est, tertia pars assis, seu solidi. Isidorus de solido agens *Originum lib. 16. cap. 24. Hunc*, inquit, *vt diximus vulgus Aureum vocat, cuius tertiam partem ideo dixerunt Tremissem, eo quod solidum faciat, ter missus.* Verum dixit Isidorus de æstimatione tremissis, sed nugas agit in nominis ratione. Tremissis enim, vt semissis. Sed & Synodus Quarta Carthaginiensis prohibet *tremisses exigi solitos pro sacro Vnctionis balsamo.* Eius fit quoque mentio *l. 2. inf. Ne comitibus & Tribunis lauatra præstentur:* & *l. 16. Cod. Inst. de erog. milit. ann.* Sed & Lampridius in *Alexandro Seuero cap. 39.* meminit: *Vectigalia*, inquit, *publica in id contraxit, vt qui decem aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem Aurei præstarent, hoc est tricesimam partem. Tuncque primum semisses aureorum formati sunt; tunc etiam, cum ad tertiam partem*

partem aurei vectigal decidisse, Tremisses: dicente Alexandro etiam quartarios futuros, quod minus non posset. Quos quidem iam formatos in moneta detinuit, expectans vt si vectigal contrahere potuisset, & eosdem ederet. Sed quum non potuisset per publicas necessitates, conflari eos iussit, & Tremisses tantum solidosque formari. Quo loco Lampridii duo perperam sollicitari video a Salmasio. Primum ea quæ de semissibus aureorum formatis scribuntur, propter illa sequentia, *iussit Tremisses tantum solidosque formari.* Nam vt Vir Doctus recte monuit, pro temporum varietate, & pro modo tributi contracti primum semisses, postea tremisses formati fuerunt, quod hæc verba clare ostendunt, *Tumque* PRIMVM *semisses aureorum formati sunt:* TVNC ETIAM [id est, postea] *cum ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses.* Nam quæ præcedunt *vectigalia publica*, &c. ad postremam hanc imminutionem pertinent. Item pro *decidisset*, legunt *desedisset*. Perperam: *Decidit* eo loco, vel pro *recidit*, id est, eo contractum fuit, Vel *decidisse* actiue, Alexander scilicet, id est, contraxit, vt paulo ante, & postea rursum, vt *l. 4. inf. de Suariis. Cuius modum ponderatione certa deciderit Suarius.* Vide & Glossarium *in voce*, *Recidere*.

Vt ad tremisses redeamus, iidem quoque Trientes Aurei nominantur apud Trebellium Pollionem *in Claudio cap. 17.* vt recte monuit, qui primus ad eum locum scripsit Cl. Casaubonus. *Aureos Valerianos*, inquit, C. L. *Trientes Salominanos CCC.* Quo sensu & Trientes pensiones, & Trientarium fœnus. *Trimisium* vel *Tremisium* (promiscue pariter vt tremissis & trimisis) recentiores dixerunt: Passim Anastasius *de vitis Pontificum*, & hoc inter cætera loco *in Calestino: Possessionem Scaurianam in territorio Gaietano præstantem omnia inibi cum adiacentibus ad tignis solidos 312. & trimisium.* Idem paulo post, *Possessionem celeris in territorio Asilano præstantem solidos III. & trimisium.* Tremissis fit etiam frequens mentio *in legibus Visigothicis Burgundiorum, Alamannorum, Frisionum, Ripuariorum Baiuariorum tit. 3. §. 1.* & apud Paulum Warnefridum *lib. 5. c. 39. hist. Longobard.* In Ripuariis *Titulo 23. Tremissem, id est, quatuor denarios*, recte. Cæterum quandoquidem de vestibus militaribus per Illyricum *h. l.* agitur, omittere non possum locum ex *Epistola* Gallieni apud Pollionem *in vita Claudii cap. 17.* de his vestibus: *Misi*, inquit, *ad eum* CHLAMIDES *veri luminis limbatas duas, vestes diuersas sedecim, albam subsericam, paragaudem triuncem vnam, Zanchas de nostris Parthicis pariatria, singilliones Dalmatenses decem, chlamidem* DARDANICAM, *mantuelem vnam, penulam* ILLYRICIANAM *vnam, bardocucullum vnum, &c.* De *Dalmatica*, & *Dalmaticatis* alii iam monuerunt. p. 339

Avrvm *Comparatitium pro veste a Prouincialibus collatum quomodo* dispensandvm *sit.*

V. (a) Impp. Honorius & Theodosivs AA. Asclepiodoto PF. P.

Militaris (b) adæratio (c) vestis a conlatoribus (d) exigatur (Sacratissimis videlicet Largitionibus (e) inferenda) ita, vt quinque eius partes fortissimis (f) militibus erogentur in pretio, sexta vero portio a Gynæciariis (g) Clementiæ nostræ, absque vlla vel ipsorum vel publica incommoditate, pro eadem contextione (h) suscepta Iunioribus (i) Gregariisque (k) militibus in ipsa, quam maxime eos desiderare constitit, (l) specie præbeatur. Dat. VII. Id. Mart. Constantinop. Asclepiodoto & Mariniano conss. [423.]

N O T A E.

(a) Lex *vlt. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Militaris vestis adæratio. *ID.*

(c) Dixi ad *l. 28. sup. de erogatione milit. annonæ. ID.*

(d) Prouincialibus possessoribus. *ID.*

(e) Vide *l. 2. sup. ID.*

(f) Vt *l. 4.* & *l. 17. sup. de erog. milit. annonæ*: vbi dixi. *IDEM.*

(g) De *Gynæciariis* suo titulo dicetur *inf. l. 10. tit. 20. de Murilegulis & Gynæciariis.* Vel ex *hac* interim *lege* satis apparet contexendis EOS vestibus operam nauasse. *ID.*

(h) Dixi aliquid ad *l. vlt. sup. de Proximis Comitibus dispositionum. IDEM.*

(i) *Iuniores*, pro Tyronibus, dicam *inf. suo Titulo* plene. *ID.*

(k) *Gregarii* a tironibus diuersi: vt mirer Cuiacium *ad l. vlt. Cod. Iust. h. tit.* dicentem, tyronem & gregarium militem pro eodem dici. De quo *suo tit. inf. de Tironibus. ID.*

(l) Constiterit. *ID.*

COMMENTARIVS.

Avrvm comparatitivm, seu adæratio vestis militaris, id est, aurum a Prouincialibus loco vestis militaris collatum, & thesauris Imperatoris illatum, qua ratione dispensandum sit, *hac* Theodosii Iunioris *lege* constituitur. Scilicet totius collationis siue canonis vestium quinque partes fortissimis militibus in pretio erogari iubet: *Fortissimis* inquam *militibus*, id est, neque tyronibus, neque Gregariis; hi enim illis *h. l.* opponuntur: sextam vero portionem a Gynæciariis suscipi, vt contextæ inde vestes tyronibus & gregariis præbeantur, scilicet fortissimis militibus aurum pro veste datum, tyronib. & gregariis, vestis ipsa. Error enim est grauis cuiusdam, qui *h. l.* id tradi

putabat,

putabat, Gynæciariis pro contextione sextam partem adærationis cessisse. Differentiæ rationem Græci hanc recte adsignant notante Cuiacio *ad leg. vlt. Cod. Inst. h. t.* τύτυς γὰρ ἐ δεῖ πισεύεσθαι ἀργυρίῳ, *Gregariis & tironibus pecunia credi non debet:* Quia si pecunia his daretur, seu aurum comparaticium, in alios vsus facillime prodigerent. Quæ ipsa inter alias ratio est, cur in speciebus annonæ militi datæ fuerint, & meluerint olim, rem ipsam dare quam pretium; adeo vt nefas etiam haberent, vendere. Salustius *de bell. Iugurth cap. 44.* intra militaria probra recenset, *frumentum publice datum vendere: panem in dies mercari.* Sed & de Galba memorat Suetonius *cap. 7.* inter seueritatis eius exempla, *Militi, qui per expeditionem annona arctissima residuum cibariorum, tritici modium, centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simul atque indigere cibo cœpisset, a quoquam opem ferri, & is fame extabuit.*

DE PASCVIS.

TITVLVS. VII.

Hunc *titulum* loco mouit Tribonianus, & maluit ad tractatum *de re Rustica* referre: Hinc adeo *Cod. Iust. lib. XI. titulus 60. de Pascuis Publicis, vel priuatis.*

P.340 I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Germanianum Com. (b) S. L.

DEDIMVS litteras ad Viros Clarissimos (c) Præfectos (d) Prætorio, Vt, ab his conuenti Rectores (e) prouinciarum scirent, in locis rei Priuatæ Augmenta pensionum non esse facienda: Neque finerent, Pascua animalium ex rebus priuatis nostris prouincialium licitatione præberi. Dat. (f) V. Kal. Feb. Romæ Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex e Cod. Iust.* Et vero idem pene *hac leg.* constituitur, quod *lege seq.* quæ hac *de Pascuis* parte amplior est & apertior. Quin & prior *huius legis* pars ab *hoc titulo* fugitiua est, & melius locata fuisset sub *tit. de locat. fund. iur. emphyt.* Denique πρωθύστερον hic admissum ab huius Cod. Conditoribus: *hac* enim *sequente* posterior esse debuit, si modo hæc illam indicat. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Germaniano* huic Comiti S. L. inscribitur hoc ipso anno *lex 3. infr. de Murilegulis:* & A. 367. *lex 13. inf. de suscepttor.* & *l. 4. inf. de Metallis: l. 1. Cod. Iust. de vet. numism. potest.* quæ tres *leges* inter se coniungendæ sunt. *ID.*

(c) *Clarissimi* titulus nudus Præfectis Prætorio ab Alexandri Seueri instituto tributus Lampridio teste *in vit. Alexandr. Seueri cap. 21.* tributus adhuc hoc tempore inter initia Valent. vid. *leg. 7. de extraord.* & *leg. 16. de Prætorib.* mox autem & *Illustres* dicti: de quo dixi ad *l. 15. sup. de Prætorib.* In Constantii *leg.* dicitur Rufinus PP. Vir Clarissimus & Illustris. *leg. 6. infr. de ann. & trib.* item in *l. 19. de petit. l. 12. de extraord. ID.*

(d) Quomodo & ad Rufinum Præfectum Prætorio, *l. 2. prox. infr. IDEM.*

(e) Rectores Prouinciarum sub dispositione Præfectorum Prætorio fuerunt: *h. l. & l. prox. ID.*

(f) forte pro *reddita. ID.*

COMMENTARIVS.

PENSIONEM locorum vel pascuorum ad rem priuatam Principis pertinentium, ex licitatione prouincialium statui, vel semel addictis iis locis vel pascuis, augeri vetat hac constitutione Valantinianus Sen. pariter vt *l. 2. inf.* quam forte hæc indicat, cuius mentio fit *l. 3. inf. de locat. fund. iuris emphyt.* & *l. vlt. inf. de conlat. fund. patrimonial.* Breuiter ea pensio manere debet, quam antiquitas statuit: *h. l.* & *l. seq.* Neque licitatio in pascuis præbendis, neque augmenta iam factis admittenda sunt: De cuius rei ratione dicetur *ad l. prox.* quæ huius rei fundus est.

PENSIO *pascuorum rei priuatæ augmentum vel licitationem admittere non debet.*

II. (a) Id. AA. ad Rufinum PF. P. (b)

CVM nulla ratio sit, cur in pascuis saltibus (c) rei priuatæ debeat ampliari, (d) nequaquam pro libidine Ordinum augmenta (e) facienda sunt: etenim idcirco grauiorem pensio-

pensionem inponi ab Ordinibus accipimus, vt animalia (f) ex rebus priuatis nostris a locorum pastibus arceantur, quod fieri non oportere Diuæ memoriæ Iulianus prorogata (g) iussione constituit. Quare Excellens Auctoritas tua, conuentis Rectoribus prouinciarum, non eam licitationis necessitatem patiatur inferri, quam repentinam faciunt Ciuitatis, (h) sed eam manere decernant, (i) quam statuit antiquitas. Dat. VIIII. Kal. Oct. Luccriæ, (k) Valentiniano & Valente AA. CONS. [365.]

NOTAE.

(a) Lex 1. *Cod. Iust. eod. tit.* Hanc *legem* prætulit Tribonianus in partem, quia & amplior hac parte, & pascuis inquam, manifestior est. Cæterum hanc legem innuit *lex 1. sup.* Meminit eiusdem *lex 3. inf. de locat. fund. iur. emph. & l. vlt. inf. de conlat. fund. patrim.* GOTHOFRED.

(b) Italiæ, Illyrici, Africæ v. Ammianum quoque *lib 27. cap. 7.* ID.

(c) Vide *legem 2. inf de locatione fundorum iuris emphiteut.* IDEM.

(d) *Pensio* scilicet, quam vocem Tribonianus addidit ad maiorem euidentiam. Quæ tamen non adeo necessaria. *Ampliandi* quippe vox hac in re procul dubio propria. ID.

(e) V *legem 1. sup.* ID.

(f) Vid. *inf. Titulum de Grege dominico.* ID.

(g) Id est, iam antea rogata, promulgata. ID.

(h) Pro *ciuitates.* ID.

(i) Scilicet Rectores Prouinciarum. At in Codice Iustin. *decernat*, Præfectus Prætorio scilicet. ID.

(k) Luceria, inter Mediolanum & Veronam Aquileiamque. IDEM.

COMMENTARIVS.

PENSIONEM pascuorum rei priuatæ eandem manere, neque augmenta aut licitationis calorem recipere iubet Valentinianus Senior *hac constitutione* rursum vt *l. 1. sup.* Cuius rei *h. l.* ratio hæc redditur, *ne prætextu grauioris pensionis animalia de gregibus dominicis, arceantur a pastu illorum pascuorum.* Scilicet pascua rei priuatæ certa & antiquitus statuta pensione, eaque moderata locabantur, sub hac conditione & lege, vt animalia de sacris [id est, Principis] præsepibus (vt loquitur alicubi P.341 Claudianus *in Laud. Seren. Regin. v. 192.*) seu greges dominici (de quibus singularis titulus *lib. 10. inf.*) in iis compascendi ius nihilominus haberent. Igitur, ne prætextu grauioris pensionis eadem animalia arcerentur, neque licitationem, neque augmenta admitti Valentinianus Sen. voluit: Licitationis calorem, & augmenta, vt cæteroquin admitti publice vtile est, ita certis casibus, si admittatur inutile. Vide *legem 9. D. de Publicanis & vectigalibus: Et l. 4. Cod. Iust. Vectigal. nov. instit. n. posse.* Neque abludit Suetonii locus *in Iulio, cap. 20.* Hnc vero ipsum & de *aliis locis* rei priuatæ, seu fundis, Valentinianus constituerat *altero capite*, quod *huc* cohæserat, vt docet *d. l. 1. sup.* cuius Valentinianei *capitis*, & *constitutionis* mentio fit *l. 3. inf. de locat. fund. iur. emph. & l. vlt. inf. de conlat. fund.* Quinimo & alia adhuc *capita* huic constitutioni cohæsisse, veluti de *fideiussoribus*, quos conductores rei priuatæ dare deberent, docet *lex vn. inf. qui conduct. rei priu. fideiuss. exige non debent.* Denique solemnis hæc Valentiniani Senioris constitutio fuit, & generalis *de conductione fundorum & locorum rei priuatæ*, quam secuti deinceps Principes sæpe vsi sunt. Quanquam & hæc omnia ex æquo dici possint cohæsisse & *legi 1. sup.* non minus quam *huic*. Notandum vero datam hanc *leg.* a Valentiniano *Luceriæ:* quod de qua Luceria accipiendum sit quæri potest. Ego non de Apula id accipiam, sed de ea quæ in Gallia citeriore Padana, vbi Valentinianus hoc anno constituit. vid. *Chronologiam.*

A PVBLICIS *pratis Apamenis [vel ac amœnis.] & a* PRIVATORVM *Antiochenorum, militum animalia arceri iubet Arcadius Imp.*

III. (a) ARCADIVS & Honorius AA. Simplicio (b) Comiti & magistro vtriusque militiæ.

INSIGNIS (c) Auctoritas tua, hac condicione (d) a publicis pratis Apamenis (e) animalia militum prohiberi præcipiat, vt vniuersi (f) cognoscant, de emolumentis (g) eorum, tuique Officii (h) facultatibus, duodecim libras auri fisci commodis exigendas, si quisquam posthac memorata (i) prata mutilare temptauerit. Non minore decernenda pœna, si etiam prata priuatorum Antiochenorum fuerint deuastata: Ita tamen, vt sine læsione prouincialium prouideant Curiales, quo pacto animalium militarium pastui consulatur. Dat. V. Id. Mart. Const. Honorio A. IV. & Eutychiano V. C CONSS. [398.]

N O T A E.

(a) Lex. 1. *Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Simplicio* huic Magistro militum inscribitur quoque anno 396. *lex 56. inf. de cursu publico*: sed & *lex 28. sup. de Pretorib.* vbi perperam scriptum *Simplicio P. F. P.* Extant quoque ad hunc Simplicium tres Synesii Pentapoleos Cyrenes Episcopi Epistolæ: nempe 24. 28 & 129. Quarum priore eum simpliciter ἐν ἀξίᾳ constitutum fuisse docet: Posteriore nominatim Magistrum militum per Orientem fuisse ostendit. Nam & Ducis Cerealis ab eo Pentapolim missi meminit, & querelas male gesti Ducatus ad eum defert. *ID.*

(c) Eodem compellatio, *d. l. 56.* *ID*

(d) Seu hac pœna proposita, vt mox *inf.* decernenda pœna. *ID.*

(e) Ita diserte habet MS. Authenticus: ita quoque Codicem Iustinianeum *emendauit* Cuiacius I. *Obseruat.* 19. cum antea legeretur *ac amenis*, & in MSS. *ab amœnis*: de quo mox. *ID.*

(f) Milites. *IDEM.*

(g) *Emolumenta militum*, stipendia, *b. l.* & *l. 28. de susceptorib.* *ID.*

(h) *Officium* Magistri militum nota. *ID.*

(i) Publica. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

ANIMALIA MILITVM a publicis pratis Apamenis, vt & priuatorum Antiochenorum pratis hac Arcadii constitutione sub seuerissima pœna prohibentur, A. D. 398. Sed militarium animalium pastui sine Prouincialium læsione Curiales prouidere iubentur. De pascuis publicis videndus est Frontinus *de controuersiis agrorum, pag. 41. int. Script. Rei agrar. W. Gœsii.* & Aggenus *in Frontinum. pag. 73. edit. cit.*

De *Apamenis* vero pratis *h. l.* nominatim primo loco agi videatur, quomodo diserte habet MS. Authenticus, & Cuiacius restituit in *Cod. Iust.* Certe Apamœnorum quoque pratorum, Strabo meminit, hoc insigni loco, *lib. 16. pag. 1091. edit. Almeloueen.* cuius partem quoque laudauit Cuiacius *Obseruat. I. 19.* ἡ δὲ Ἀπάμεια καὶ πόλιν ἔχει τὸ πλέον εὐερκῆ· λόφος γάρ ἐστιν ἐν πεδίῳ κοίλῳ τετειχισμένος καλῶς, ὃν ποιεῖ χεῤῥονησίζοντα, ὁ Ὀρόντης. καὶ λίμνη περικειμένη μεγάλη καὶ ἕλη πλατέα λειμῶνας τε βουβότους καὶ ἱπποβότους διαχεομένους ὑπερβάλλοντας τὸ μέγεθος: ἥτε δὴ πόλις οὕτως ἀσφαλῶς κεῖται· καὶ δὴ καὶ χεῤῥόνησος ἐκλήθη διὰ τὸ συμβεβηκός, καὶ χώρας εὐπορεῖ παμπόλλης εὐδαίμονος, δι᾽ ἧς ὁ Ὀρόντης ῥεῖ, καὶ περιπόλια συχνὰ ἐν ταύτῃ ἐνταῦθα δὲ καὶ ὁ Νικάτωρ Σέλευκος τοὺς πεντακοσίους ἔτρεφεν ἐλέφαντας, καὶ τὸ πλέον τῆς στρατιᾶς, καὶ οἱ ὕστερον βασιλεῖς, &c. *Apamia vrbem habet magna ex parte probe munitam. Est enim collis quidam in campo muris bene cinctus, quem Orontes & ingens quidam lacus circum positus, & lata paludes peninsulam faciunt, tum prata pascendis equis & bobus amplissima circumiacent. Vrbs in tuto sita est, & Cherronesus e re ipsa vocata. Regione & multa & vbere abundat, per quam Orontes fluit & multus in ea vagatur. Hoc in loco Seleucus Nicator quingentos illos Elephantes alebat, & magnam exercitus partem, sic etiam posteriores reges.* Et mox *p. 1092.* ἐνταῦθα δὲ καὶ τὸ λογιστήριον τὸ στρατιωτικόν, καὶ τὸ ἱπποτρόφιον, θήλειαι μὲν ἵπποι βασιλικαὶ πλείους τῶν τρισμυρίων, ὀχεῖα δὲ τούτων τριακόσια. ἐνταῦθα δὲ καὶ πωλοδάμναι, καὶ ὁπλομάχοι, καὶ ὅσοι παιδευταὶ τῶν πολεμικῶν ἐμισθοδότουντο. *Emeriti milites ibi nutriebantur & equi alebantur, regis equa numero XXX millia superabant. Ibi erant admissariorum CCC. ibidem erant pullorum domitores: & ludi in armis magistri ara merebant, & qui alii artes militares docerent.* Nempe ait Strabo, Apamena prata pascendis equis & bobus amplissima fuisse. Ibi Seleucum Nicanorem olim 500. Elephantes & magnam exercitus partem aluisse, & insecutos pariter Reges: ibi sub Regibus Macedonum rationarium militare, & ἱπποτρόφιον fuisse Regis equas ibi vltra 30. M. altas: admissarios 300. pullorum domitores fuisse. De Apamea igitur Syriæ *h. l.* agitur, quod & Cuiacius notauit, non de Apamea Bithyniæ: quod ex Antiochiæ quoque mentione, quæ *h. l.* fit, colligatur. Vtraque sane P.348 ad Orontem fluuium sita erat, hæc Syriæ Phœnices metropolis, illa Syriæ Cœles, quæ alioquio *Epidaphne* dicta, de qua dicendi locus alius erit: Apameam, vel vt alioquin scribitur, Apamiam, eo quo descripsit Strabo situ, expressam videbis in Itinerario Augustano ad Antiochiam & Orontem: Eiusdem meminit & Ammianus Marcellinus *lib. 14. c. 8.* & *lib. 28. cap. 2.* Et ita quidem hic legitur Apamenis, quomodo & Cuiacius restituit in Codice Iustinianeo, loco *ab amœnis*. Etsi sunt qui hodie etiam veterem lectionem ibi tueri malint: quibus certe Ambrosii locus blandiri videtur *in Psalmum 118. serm. 5. num. 14. pag. 1022. Tom. I. edit. Benedictin.* vbi de statiuis militum agens; *Sic vbi vult*, inquit, *requiescere Rex terra exercitum suum, non ignobilem vicum, non commeatibus indigentem, non arenosa & nuda gignentem, sed vrbem ædificiis nobilem refertam, & vberem copiarum, aut agrum* AMOENVM *& virentem pascuis, aut nemorosa, & campestria statiuis opportuna decernit.* Imo & hic locus Claudiani adhuc magis (vt eum addam) biennio ante hanc legem *lib. 2. in Rufinum. v. 30. seqq.*

- - - *Iam* PASCVA *fumant*
Cappadocum, volucrumque parens Argæus EQVORVM
Iam rubet altus Halys, nec se defendit iniquo
Monte Cilix, SYRIÆ *tractus vastantur* AMOENI:
Assuetumque choris, & læta plebe canorum
Proterit imbellem SONIPES *hostilis Orontem.*

Amœna ergo *prata*, quæ Græcis αἱ ἀκταί· Ἀκταὶ *Amœnia* Glossæ, & passim apud Dicæarchum. Posidippus de Plateis τὸ πολὺ μὲν ἀκτὴ τοῖς δ᾽ ἐλευθερίοις πόλις. *Amœnia* inquam, vel *Amœna* potius: nisi dixerint olim *amœne*, & *amœnum*, ἀκταί. *Amœna litorum* vt vocat Tacitus histor. lib. 3. cap. 76. Secretorum littorum recessus, in quibus ἀπόλαυσιν maris fruebantur, ac epulabantur vt plurimum voluptuarii homines, quod ἀκτάζειν dicebant, vnde Prouerbium σήμερον ἀκτάζομεν. *Actas* vocari has littorum amœnitates Seruius annotat ad *5. Æneid. v. 613.* Idem confirmat Glossarium: *Acta littora amœna.* Hinc *Actare*, consistere in litrore, ἀκτάζειν. Neque hoc tantum accipitur de littoralibus locis, sed & de aliis, quamuis mediterraneis; locupletissimus testis Hesychius. Verum huic lectioni

lectioni aduersatur *hic Codex*, cui adstipulantur & quæ de Apamenis pratis modo dixi. Quin & Basilica notaote Iac. Cuiacio ad *leg. 2. Cod. Iust. h. t.* *μηδεὶς τοῖς λειμῶσιν Ἀπαμείας καταβοσκέτω.* Denique id euincat quoque vox *memorata*. Quanquam ad vocem, *publicum*, hæc vox commode referri possit. Ego certe in vtram partem censeam, animi adhuc pendeo; & fere est, *vt amœna* præferam. Nempe enim de *Antiochenis* pratis hic agitur, quorum alia *publica* erant prata & amœna; de quo *initio legis*: alia vero *priuatorum* Antiochenorum: de quo *fine leg.* Et cur de Apamia & de Antiochia simul agatur, cum Arcadius *hac l.* cauere voluerit, aduersus militum lasciuiam, in certo quodam loco tum consistentium; de quibus querelæ ad eum perlatæ fuerant, forte Curialium Antiochenorum: Quos interea, cum hæc in Antiochenorum gratiam statueret, prouidere voluit, vt pastui animalium militarium aliunde consultum esse posset. Porro est hæc Arcadii Constitutio data *ad Simplicium Magistrum militum* (de quo in *notis* dixi) occurrentis deprædationi Ducum, militumque: de cuiusmodi Ducis Cerealis deprædatione extat Synesii querela ad hunc ipsum Simplicium *epist. 129:* Et quidem eo quoque nomine, quod Cerealis militibus *ἀστρατίαν* venderet, item τὸ μὴ συντετάχθαι βαδίζειν ἐπιτρέψας ᾗ τις ὤετο θρέψεσθαι, id est, *ne in suis Numeris manerent commeandi licentia his data quo vellent alimonia causa*, vbi etiam forte legendum θέρψεσθαι, id est, *sese reficere*, vel *recreare*.

Privatorvm *prata milites depascere prohibentur.*

IV. (a) Impp. Honorius & Theodosivs AA. Auriliano (b) PF. P. & Patricio. (c)

Possessores nihil plus debent, quam quod nostro arbitrio, nostræ perennitatis, & Magnificæ Sedis Tuæ dispositione, per annos singulos iubentur inferre. Nec vero milites aliquid præsumere (d) debent, nisi (e) quod largitate nostri Numinis consequentur. Ideoque possessores vel Coloni (f) super pratis nullam molestiam patiantur. Dat. Non. Septembr. DD. NN. Honorio X. & Theodosio VI. AA. conss. [415.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Huius *legis* meminit lex c. *proxima*. GOTHOFRED.

(b) *Aurilianus* PP. sub Theodosio Iun. v. *Prosopogr.* ID.

(c) *Patricii* dignitas, sequela alterius. IDEM.

(d) *Præsumere*, id est, præterea sumere, & erogare. IDEM.

(e) Id est, annonis & capito suo contenti esse debent. Vide *l. 12. sup. de re militari.* & *l. 12. sup. de erogat. milit. annona.* IDEM.

(f) De *Colonis* dixi plene *Paratitl. de fugitiuis colonis.* ID.

V. (a) Idem AA. Comitibus & Magistris (b) militum.

Prata prouincialium nostrorum (c) perniciosum (d) est militum molestiis fatigari: ideoque legem (e) ad Amplissimam Præfecturam (f) promulgata censuimus, (g) Ne hoc deinceps vsurpetur: Super qua re vniuersos, quorum interest, (h) conuenire Tua Magnificentia non moretur, ne permittant (i) possessores vel Colonos pratorum
P.349 graui qualibet importunitate vexari. Dat. Non. Septemb. Honorio X. & Theodosio VI. AA. conss. [415]

NOTAE.

(a) Lex *vlt. Cod Iust. eod. tit.* Cæterum iungendæ sunt hæ duæ *leges*, eodem die, eadem de re, ad diuersos tantum Magistratus datæ. GOTHOFRED.

(b) Magistros militum per Orientem, Thracias, Illyricum accipe. ID.

(c) Et *præcipue rei priuatæ nostræ*. Hoc Tribonianus de suo satis incondite adiecit. ID.

(d) *Perniciosum*, id est, multo cum damno atque detrimento facultatum coniunctum. ID.

(e) γρ. *Lege*, vt etiam *Codex Iustin.* habet. Cæterum innuitur *lex 4. prox. sup.* IDEM.

(f) Ad Aurelianum PF. P. *l. 4. sup.* IDEM.

(g) Iussimus. ID.

(h) An intelligit Duces, Comites limitum & Prouinciarum? An potius Rectores & defensores ciuitatum: Quorum munus fuit inter cætera. Prouinciales a militum deprædationibus vindicare: vt ostendit *lex 12. sup. de re militari.* Quæ huic argumento respondet? Prius puto. ID.

(i) *Neque permittat.* Cod Iustin. Male. Referenda enim hæc verba sunt non ad Magistros militum, verum ad Duces vel Rectores Prouinciarum, & Defensores ciuitatum, vt paulo ante monui. ID.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. ſunt hæ duæ conſtitutiones in eandem ſententiam ad diuerſos Magiſtratus eodem tempore datæ, & ſic inter ſe coniungendæ: Prior ad Præfectum Prætorio, vtpote ad cuius diſpoſitionem pertinebat omnis ratio annonaria, ſummaque rerum & Iudiciorum, & prouincialium defenſio: poſterior ad Magiſtros militum, vtpote ſub quibus milites erant, & ad quorum curam ſpectabat diſciplina militum & caſtrorum: denique ſub quorum diſpoſitione erant Comites Rei militaris, Duces, Tribuni, Præpoſiti, quos illi conuenire iubent. Sententia harum *legum* eſt, MILITES prata prouincialium depaſcere, vel eo nomine Prouinciales vexare non oportere, ſed annonis & capito ſuo contenti eſſe iubentur; de quo plene dixi ad *leg. 12. ſup. de erogat. milit. ann.* atque etiam ad *l. 3. ſup. h. tit.* & *ad leg. 12. ſup. de re militari:* Vbi & Lampridii locus *in Alexandro* notatus.

DE METATIS.

TITVLVS VIII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XLI.

De metatis & Epidemeticis. Vbi *Epidemetica* ſunt, quæ milites vel Iudices hac ſpecie exigebant a Prouincialibus, ne illos hoſpitio grauarent: atque adeo quibus ſeſe Prouinciales redimebant ab onere hoſpitum ſuſcipiendorum. Quæ quidem abrogantur, *l. vlt. Cod. Iuſt. de metatis: Et Nouella 128. cap. 22.* Et *Nouella 134. cap. 1.* Græci *titulo huic* addiderunt, καί τινες ἐχ' ὑπόκηνται αὐτοῖς, nempe quia plures leges occurrunt de hac immunitate.

SENATORVM *domus a metato immunes ſunt.*

I. (a) Imp. Conſtantinus (b) A. ad Senatum. (c)

INVITIS Senatoribus noſtris in eorum domibus nullus hoſpitali iure conmaneat. (d) Dat. v. Non. Maii (e) Tauro & Florentio CONSS. [361.)

NOTAE.

(a) Abeſt, hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungendæ *huic* ſunt *leges* octo, puta *Lex 12. 13. ſup. de Prætorib. lex 7. inf. de annona & tributis: lex 1. inf. de publica comparatione: lex 1. inf. de Protoſtaſia, lex 48. inf. de Decurionib. lex 3. inf. de luſtrali collatione, lex 7. inf. de operibus publicis.* Sunt enim hæ *leges* omnes particulæ vnius & eiuſdem *Orationis* a Conſtantio Imperatore ad Senatum vrbis Conſtantinopolitanæ miſſæ, e Syriæ vrbe *Gephyra* (quæ ad Antiochiam) & quidem de Senatoribus eorumque priuilegiis: Cuius Orationis meminit quoque Themiſtius *Oratione 14. ed. Petau. 2. ed. Harduin.* GOTHOFR.

(b) *ye. Conſtantius*, vt & temporum ratio, & *leges* illæ omnes, quas *huic* coniungendas docui, oſtendunt. *IDEM.*

P. 344 (c) Vrbis Conſtantinopolitanæ. *ID.*

(d) Sic *conmanentium, l. 10. inf.* & conmanendi habeat facultatem, *l. 2. inf. ne quis in Pal. man.* *ID.*

(e) Adde *Gyſyra*, vt *l. 12. ſup. de Prætorib.* vbi dixi. *ID.*

COMMENTARIVS.

SENATORES ſeu Senatoriæ domus a metato immunes ſeu ἀνεπισταθμευτοὶ ſunt, nec niſi volentes hoſpites intra domos ſuas recipiunt: Ex hac *Oratione*, Conſtantii prolixiſſima, qua immunitates alias plures Senatoribus tribuerum iuit, his cum maxime fauens: quod etiam oſtendit vox, *Noſtris*, affectus ſingularis index, *hac l.* veluti, vt ne ad opera, quæ Iudices extruunt in prouinciis eorum ſubſtantia vocetur, *l. 7. inf. de operibus publicis*, vt a ſynoneu onere immunes ſint Ruſticani & Coloni eorundem, *l. 3. inf. de luſtrali conlatione*, vt pro coloois profugis ad exſoluenda tributa conueniri non poſſint, *l. 7. inf. de annona & tributis.* Sed & circa Protoſtaſiam priuilegii aliquid Senatoribus indultum; *l. 1. de Protoſtaſia.* Quæ quidem *leges* omnes, vt iam notaui, *huic* noſtræ, atque inter ſe coniungendæ ſunt, velut vnius & eiuſdem Orationis Conſtantianæ ad Senatum Conſtantinopol. partes: cuius meminit quoque Themiſtius, *Orat. 14. edit. Petau. 2. edit. Harduin.* vt oſtendi ad *d. l. 12. ſup. de Prætoribus.* Ergo inter cætera Senatorum priuilegia, fuit & immunitas ab onere metari. Et tamen priuilegium, quod *h. l.* memoratur, etſi a Symmacho quoque inculcari videatur *lib. 9. ep. 47.* ſeruatum

tum postea non fuisse, sequentes aliquot *leges* ostendent: Quo fit etiam vt hæc *lex* a *Codice Iustinianea* exulet.

De *Metato* interim vel illud ad *hanc primam huius tituli legem*, ἀπὸ τῶν ἔξω notari opportunum est: nempe Græcos inter alias τῦ Μιτάτυ quoque vocem retinuisse, vt apud Harmenopulum *lib. 2. t. 5.* τῦ βάρυς τῶν μιτάτων. Μέτατα alibi, vt *Ecloga 6.* & in quadam constitutione Tiberii. Suidas: Μιτάτωρ. ὁ προαποστελλόμενος ἄγγελος πρὸ τῦ ἄρχοντος. *Metator siue nuncius, qui ante principem præmittitur.* Ita etiam habent Glossæ Basilικῶν. Ἐπισταθμίαν Græci *metatum* vertunt, Modestinus *l. 6. §. 8. D. de excusationibus.* Sed & Hesychius ἐπισταθμία ὑποδοχὴ τῶν ξενῶν. (a)

(a) Vide du Fresne in Glossar. med. & infin. Latin. *voc. Metatus. Metator.*

SYNAGOGÆ IVDÆORVM *a metato immunes sunt ex hac Valentiniani Sen. Constitutione.*

II. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. Remigio (b) Magistro (c) Officiorum.

IN Synagogam Iudaicæ legis, (d) hospitii velut (e) merito, inruentes (f) iubeas emigrare: quos priuatorum domus, non religionum (g) loca, habitationum merito conuenit adtinere. (h) Dat. Prid. Non. Maii, (i) Triueris. Valentiniano & Valente (k) AA. CONSS.

NOTAE.

(a) Lex 4. *Cod. Iust. de Iudæis.* Hæc *lex* in MS. superiorem anteuertit. Eam refert, deque ea agit Baronius *An. 366. in fine.* GOTHOFR.

(b) *Remigii* huius Magistri Officiorum meminit sæpe Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 5. lib. 27.* (in Gestis anni 367.) *cap. 9. lib. 28. cap. 6. lib. 29. cap. 5. lib. 30. c. 2.* Quo loco & Leonem Magistrum Officiorum illi suffectum ostendit, eumque Gallum fuisse, & prope Moguntiacum genitum tradit, sed & laqueo vitam finisse *pluribus locis* ostendit. *ID.*

(c) Ad Magistrum Officiorum cura Metati pertinebat, de quo vide *Paratitlon. ID.*

(d) Lex pro Religione, & secta: quod etiamnum nonnullis locis dici solet: v. *Gloss. Theod. ID.*

(e) Sanus hic est locus, id est, velut iure hospitii; quomodo mox. *habitationum merito*, id est iure hospitii seu metati, hospitii gratia, *l. 7 inf.* Itaque frustra sunt qui reponunt; *In Synagoga Iudaica velut hospitio milites irruentes.* Neque melius Ranchinus, qui l. *Var. 6.* reponebat, *velut in hospitia meritoria irruentes. ID.*

(f) *Milites:* hoc additum in *C. Iust.* quomodo etiam *l. 10. inf. de Medicis & Professoribus.* (quæ eodem Anno data videtur, & eadem occasione.) Professoribus & Medicis hæc ipsa immunitas tribuitur, ne hospites militares recipiant: Et hæc *lex* generalior videri possit: vid. similem *legem* & formulam in *l. 12. inf. de Iudæis. ID.*

(g) *Religiosarum loca habitationum*, ita *Cod. Iust.* Sed male, *Habitationum* enim vox cum voce *merito* iungenda est: vt supra, *hospitii merito.* Atque ita nil mutatum oportuit. *IDEM.*

(h) *Attingere* Cod. Iust. RITTER.

(i) *Martii* Cod. Iust. GOTHOFR.

(k) *78. 11. 368.* vel certe 111. de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

SYNAGOGAS Iudæorum ab onere metati immunes esse iubet *hac leg.* Valentinianus Sen. Nempe, vt cæteroquin sui cultus libertas hoc tempore Iudæis relicta, suum Ecclesiasticum regimen, sui Patriarchæ, Iuniores & Seniores, sui ritus veluti circumcisionis, sua Synedria, suæ feriæ, de quo *tit. de Iudæis*: ita & Conuentus Iudæorum & Synagogæ sub his Imperatoribus Christianis licitæ fuerant, neque eorum conuentus prohibere, vel eorum Synagogas destruere vel exspoliare licuit, vel in eas irruere, vt constabit ex *toto* ferme *titulo inf. de Iudæis*: ac nominatim ex *l. 9. 12. 20. 21. 25. 26. 27. illius tituli.* Ac maxime sub Valentiniano *huius leg.* authore, sub quo magna Religionum stetit libertas, vt ostendam ad *l. 7. inf. de Paganis.* Ex *hac* igitur quoque *lege* idem Valentinianus Iudæorum Synagogas vindicari voluit, ab irruentibus in eas hospitii & metati merito, seu titulo & obtentu: scilicet, quibus Religionis & cultus sui libertas relinquitur, iisdem & Religionum suarum *loca* seu Templa inuiolata præstari oportet, iisque tutela debetur: de quo etiam ad *l. 2. infr. de fide Cathol.* Neque eorum nimietas probanda qui sub Christianæ legis obtentu illicita præsumunt, & *Religionum loca* violant, *d. l. 9. inf. de Iudæis.* Cæterum pertinet hæc *lex* proculdubio ad militares (in *Gallia*) hoc tempore Procinctus, de quibus *ad legem 5. & 12. inf. de Tyronibus.* P. 348

Illud omittere non possum, Constantinopoli postea Synagogam Saracenorum proprie & peculiari nomine Μιτάτον dictam: Nicetas *in Isaacio Angelo pag. 293. edit. Venet.* τῷ τῶν ἐξ Ἄγαρ συναγωγίῳ λάθρα ἐπεισπίπτουσιν ὃ φησι Μιτάτον ἡ δημώδης διάλεκτος. *in Saracenorum Synagogam quam vulgo Mitatum dicunt irrumpunt.* Cæterum Baronius *in Annal. Eccles. ad an. 365.* hanc *huius legis* occasionem adsignabat, quod quemadmodum haud ita pridem (Iuliani scilicet temporibus) Iudæi cum gentibus aduersus Christianos conspirassent,

rassent, ita nunc mutato rerum statu, sicut Gentibus ita & Iudæis Christiani milites negotium facesserent, quod Valentiniano cohibere visum. Ego non aliunde id profectum puto, quam ab insolentia militum, & similium, *communique* adeo Christianorum odio aduersus Iudæos, qui subinde in Synagogas Iudæorum irruere, vel occupando eas, vel destruendo, vel exurendo vel etiam Ecclesiis Christianis vindicando: quod subinde vetitum; *d. l. 9. 12. 20. 21. 25. 26. 27. inf. de Iudæis*, de quo semel ad *d. l. 9.* Certe vt *hac l.* Valentinianus Synagogarum tutelam in se recipit, ita & *l. 1. de fide Catholica*, Gentilitiorum Templorum: propter religionum libertatem ἐθελοθρησκείαν a se indultam.

Cæterum pertinet *hac lex* proculdubio ad Iudæos qui per Gallias erant, quo spectat quoque apertissime *lex 3. inf. de Iudæis*. *Remigius* enim Magister officiorum, cui hæc *lex* inscribitur, & cuius multa mentio apud Am. Marcellinum (vt iam in *Notis* notaui) vt ipse Gallus & prope Moguntiacum natus erat, dicto Marcellino teste, *lib. 30. cap. 2.* ita & Valentiniano in Galliis hoc tempore agenti adhæsit: ad Annum vsque 373. quo Leo ei suffectus fuit.

Quod *Consules* attinet, *huic legi* subscriptos; certa ad Annum 368. id est, ad *Valentinianum & Valentem II. Coss.* vel ad annum 370. id est, ad *Valentinianum & Valentem III. Coss.* ea referenda videtur, pariter vt hic numerus seu annus subscribitur, *legi 10. inf. de Medicis & Professorib.* quæ ipsa est de immunitate a metato militari, Medicis scilicet & Professoribus tributa. Ad annum profecto 365. referri non potest: quandoquidem Valentinianus eo anno mense Maio Treuiris in Gallia nondum erat: de quo vide *Chronicon nostrum*.

IMMVNIS *a metato nemo est, præter expressas hac Constitutione dignitates* Illustres: *Et adhuc, sub modo quodam.*

III. (a) Imppp. Gratianus, (b) Valentinianus & THEODOSIVS AAA. Palladio (c) Magistro Officiorum.

AB hospitalitatis munere domum, priuatorum (d) nullus excuset: prætor eos qui ex Præfectissimum (e) sibi fastigium dignitatis agendo (f) repererunt, (g) & ex Magistris equitum ac peditum, quos decursi actus inlustrati (h) auctoritas, atque ex Comitibus Consistorianis, qui participandis (i) Augusti pectoris curas agendo claruerunt: ex Præpositis quoque Sacri Cubiculi, quos tanta & tam adsidua nostri numinis cura inter primas (k) posuit dignitates: ea tamen lege, vt singulas domos sibi ad manendum quas voluerint teneant, hospitibus vero ceteras solito iure præbeant. Dat. XVI. Kal. Octobr. Constantinop. Richomere & Clearcho CONSS. [384.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) Reponendi hi Imperatores sunt, *Valentinianus, Theodosius, & Arcadius.* vide *Chronologiam. ID.*

(c) *Palladius* Magister officiorum sub Theodosio M. vid. *Prosopograph. ID.*

(d) *Priuatas* hic, an omnis præter Principem? An *priuatus* hic opposite ad dignitatibus fungentes? *ID.*

(e) *γρ. Ex-Præfectis Summum*, Ita quoque Claudianus *in Consul. Olybrii & Probini*, de Probo PP. *v. 58. seqq.*

. . . . . . Ad summi quoties fastigia iuris
Venerit, Italiæ late cum fræna teneret.
Illyricosque sinus, & quos arat Africa campos.

Similia multa de hoc dignitatum apice, vid. in *Notit. dignit. ID.*

(f) Pariter infra, *agendo claruerunt*: Item *decursi actus*. Cæterum Honorarii his verbis excluduntur, & ἀπράκτοι opponuntur: vid *sup. tit. de honorariis Codicill. ID.*

(g) *γρ. Pepererunt*: & ita postea deprehendi in MS. *IDEM.*

(h) *γρ Inlustrat*: Error natus ex sequentis vocis initio. *IDEM.*

(i) Pro, *participantes*. Porro ita quoque Assessores Administrantium, siue Magistratuum Socii, atque participes dicuntur, *l. 1. inf. de his quæ administrantibus*: & *l. 1. sup. si Prouinciæ Rector*. De quo vide *Paratitlon de Assessoribus supr.* Ita Comites Consistoriani Principis Curarum participes erant: Consiliis & Consistorio Principis intererant, *l. 3. ad leg. Cornel. de fisar. ID.*

(k) Dixi de hoc ad *legem vn. sup. de præpositis sacri cubiculi.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Magni duæ Constitutiones de Metatis sequuntur: Hac constitutione IMMVNEM nullum priuatorum esse iubet a Metati onere, exceptis nonnullis summis dignitatibus: Excipiuntur scilicet ab eo *h. l.* sequentibus dignitatibus Illustribus functi, puta, 1. *ex Præfectis* (vrbi scilicet, aut Prætorio:) 2. *ex Magistris* Equitum, & Peditum: 3. *ex Comitibus* consistorianis: 4. *ex Præpositis* sacri Cubiculi. Et id ipsum tamen hactenus, vt singulas tantum domus immunes habeant, quas elegerint ad manendum in iis: cæteras vero metato obnoxias. Quod ipsum confirmatur *l. 14. 15. inf.* Verum ampliata hæc postea immunitas fuit a Theodosio Iun. circa Præfectos, Magistros militum, & Præpositos cubiculi, *l. vlt. inf. h. tit.* Primum in eo: quod his non tantum vnius domus immunitas tributa fuerit, verum etiam dimidiæ præterea domus: Circa Consistorianos

P346 nos Comites *huius legis* iure seruato. Imo idem Theodosius Iun. post.a *Nonella de Metatis 32.* Consulatibus, iisdemque Patriciis, ternarum domorum immunitatem a metato tribuit. Secundo in eo, quod cum *h. l.* non eadem immunitas Honoratis tribuatur; *d. l. vlt.* tribuitur, vt *ad* eam legem plenius dicetur. Quod tamen ipsum postea abrogauit Theodosius Iun. *d. Nov. 32. verf. in posterum.*

De duobus tantum *h. l.* videndum est: De *Comitibus Consistorianis*, & *de Præpositis S. Cubiculi.* Comites Consistoriani, *h. l.* & *l. 3. vlt. infr. ad leg. Cornel. de sicar.*, inter Illustres numerantur, & quidem ante Præpositos sacri Cubiculi, de quo postea. Illustres proinde fuerunt hi Consistoriani. Et vero Comites hic sunt, non ii de quibus actum *supra*, *Titulo de Comitibus Consistorianis*, qui tantum spectabiles erant: Verum Comites Consistoriani Illustres, quo numero sunt Comites Sacrarum Largitionum, & Comites rerum priuatarum: Quo ipso sane sensu Comites domorum & Comites Consistorii accipiendi sunt *in l. 2. & 4. sup. de Palatinis sacrar. Largit. & rer. priuat.* Quanquam & hac appellatione comprehenduntur quoque Quæstores & Magistri Officiorum. Breuiter Quadrigam Illustrium TERTIAM hac voce intelligi oportet, de qua est *Titulus 9. sup. lib. 6.* Siquidem & *Comitis* titulo Magister quoque officiorum decorabatur, vt docet *l. 10. sup. de Curiosis*, *lex vn. supra de Decanis l. 8. inf. de cursu publico.* Et certe hi omnes *Augusti pectoris curas participarunt.* Itaque & Symmachus ad Ausonium Quæstorem *lib. 1. epist. 23. Quæstor es memini, Concilii* [alias *consilii*] *regalis* PARTICEPS. Et Procopius *lib. 1. de bello Persico cap. 24.* Tribonianum Quæstorem *πάρεδρον* vocat. Ac vt Consistoriani *hic* dicuntur, ita & *d. l. 3. ad leg. Cornel. de sicar.* Viri Inlustres, qui Consiliis & Consistorio Principis intersunt, & *l. 1. sup. de Quæstoribus*, Magistri Officiorum, dicuntur SACRARIO Principis explorata sedulitate obedire. Sacrarium porro idem cum Consistorio. Tandem id egregie ostendit *lex 5. inf. de fide testium & instrumentorum*, quæ sic habet. *Pars actorum habitorum apud Imperatorem Iulianum Augustum, Mamertino & Neuita Coss. X. Kal. April. Constantinop. in* CONSISTORIO *adstante Iouio Viro Clarissimo* QVÆSTORE, *Anatolio* MAGISTRO OFFICIORVM, FELICE COM. *S. L. &c. Imperator Iulianus A. dixit.* Et hæc de Comitibus Consistorianis. De quibus iam quoque egi *Discursu Histor. d. l. 3. ad leg. Corn. de sicar.* *Præpositus sacri Cubiculi*, *h. l.* inter primas dignitates positus dicitur, id est, inter Inlustres: Et tamen Comitibus Consistorianis postponitur, (id est, Quæstori, Magistro Officiorum: Comiti S. L. & Comiti R. P.) Verum postea Theodosii Iunioris Constitutione his quatuor fuit Præpositus sacri Cubiculi prælatus, & in primam Inlustrium Quadrigam transcriptus: id est, Præfectis vrbi, Præfectis Prætorio, & Magistris Equitum, ac peditum, exæquatus: *l. vn. sup. de Præpositis S. cubiculi.* Hinc adeo *l. vlt. huius tit.* ante alios Inlustres (id est, Consistorianos) nominatur, & Præfectis, vt & Magistris militum adiungitur: Denique hinc est, quod *titulus de Præpositis Sacri Cubiculi*, hoc Codice Theodosiano proxime cohæreat *titulo de Præfectis Prætorio*, *Vrbis*, *& Magistris militum.* Et vicissim præmittitur *titulo de Quæstoribus, Magistris Officiorum, Comite Sacrarum Largit. & Rerum priuatarum.* Quando circa Theodosii M. constitutiones versamur, de Metatis illud obseruandum quod Cedrenus ait *p. 251. edit. Venet. Tom. IX. Script. Rer. Byzant.* Thessalonicæ sub Theodosio ibi constituto seditionem excitatam, eo quod milites eius vrbem commouissent Metatis, *τῶν δὲ στρατιωτῶν αὐτοῦ ταραξάντων τὴν πόλιν διὰ μιτάτα*: quem alias locum Interpres non recte reddidit.

MENSORIS *manum delens, vt falsi reus puniendus est.*

IIII. (a) Imppp. Valentinianus, THEODOSIVS & Arcadius AAA. Theodoto (b) Magistro officiorum.

SI quis Mensorum nostrorum manu (c) qua deputatas (d) singulis quibusque domus (e) enotant, & postibus hospitaturi nomen adscribunt, delere non dubitauerit, ad instar falsi reus ex hac auctoritate (f) teneatur. Dat. VI. Kal. Nou. Constantinop. DN. Theodosio A. III. & Abundantio V. C. CONSS. [393.]

NOTAE.

(a) Lex 1. *Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFRED.*

(b) *Theodotus* Magister Officiorum sub Theodosio M. cui etiam inscribitur anno prox. 394. *lex 14. sup. de re milit. IDEM.*

(c) *γρ. Manum.* Et ita quoque habet Codex Iustinian. *Manum* vero, id est Scripturam manufactam. *ID.*

(d) *Deputatas*, id est, adsignatas. *ID.*

(e) Seu *domos.* *ID.*

(f) *Auctoritas*, pro lege, Sanctione, vid. *Gloss.* *ID.*

COMMENTARIVS.

MENSORIS manum seu scripturam & adnotationem qui delet, velut falsi reum puniri iubet *Theodosius M.* hac Constitutione. Quod ipsum iure hodierno Gallico obtinet. Nam qui *foderariorum*, vel eorum, quos *mansionum Marescallos* vocant, manum delent, his vt falsariis, manus amputantur. Vide *Codicem Henricianum lib. 18. tit. 27. Articulo 11.* Mensorum scilicet munus fuit (quod *hac lex* exerte testatur) deputatas singulis domos enotare, & postibus hospitaturi nomen adscribere: Mensorum, inquam tam Principis (de quibus hæc *lex* est, vt ostendit Inscriptio legis, *Theodoto Magistro officiorum*: quomodo & super hac *lex* eodem pertinet, & de quibus fuit *titulus sup. de Menso-*

Mensoribus) quam Militarium, quorum mentio fit apud Vegetium *lib. 2. cap. 7.* Inter quos, & Metatores; magna fuit differentia, quos tamen Cuiacius quoque confudit. *Metatoris* quippe munus laxius erat, Mensoris specialius: Metator, vniverso exercitui præmissus, locum deligebat castris: P.347 *Mensor* vero singulis militibus, Numeris, Legionibus, loca dimetiebatur, vel hospitia præparabat. Vegetii locus hanc ad rem & distinctionem luculentus *lib. 2. cap. 7. Metatores*, inquit, *qui præcedentes locum eligunt castris* [scilicet totis] & postea: *Mensores qui in castris ad podismum dimetiuntur loca in quibus milites* [singuli vel singularum cohortium] *tentoria figant, vel hospitia in Ciuitatibus præstant.* Breuiter, Metatores sunt Antecessores. Et ita quoque vocantur a Mauritio. Optatus Afer (Mileuitanus) *lib. 3. Cum ante venturos milites Metatores, vt fieri solet, mitterentur.* Et Suidas μετάτωρ ὁ προαποςελλόμενος ἄγγελος πρὸ τῦ ἄρχοντος. Etsi non nesciam, *Metatorem* quandoque cum Mensore confundi, & Metatorem dici omnem, qui non tantum locum Castris, non tantum itinera disponit, non tantum qui præcursor est aut antecessor; verum etiam qui hospitium præparat; quod Mensoris est proprium. Ita Cyprianus *lib. 4. ep. 1. (Ep. 6. edit. Brement. Ioan. Oxon.) Primum hospitium vobis in carcere præparauit: Et Metator quodam modo vester, nunc quoque vos antecedit.* Et Pacatus in Panegyrico *cap. 6. Diuinus ille animus venturus in corpus dignum prius metatur hospitium.* Sed & Lucillius *lib. 3.* apud *Nonium cap. 1. num. 316.* Mensoris meminit; *Viamque vis degrumari, vt castris Mensor fecit olim. Mansionarii*, postea dicti fuerunt apud Francos, Regis Mensores, quorum officium eleganter describit ex Adelhardo Hincmarus in Epistol. de Ordine & Offic. Palatii *cap. 16. & 23.* In Aula Constantinopolitana Δηριγευόμενοι apud Suidam. Προπορευομένυς quoque dixere, apud Constantinum *Themat. Orient. 4.* Porro ad hunc domorum notandarum manu mensorum morem, & postibus hospitaturi nominis adscribendi allusit Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 4.* cum vitia Nobilitatis Romanæ proscribens, inter cætera ait; quod cum a Siluani lauacro vel Mammææ aquis ventitarent sospitalibus, tandem electis aliquot vestibus inuolutos, *receptis anulis, quos ne violentur humoribus famulo tradiderant, digitis vt* METATIS *abire.* Nempe quod anulo recepto digitus signetur, tanquam hospite aliquo excepto signato. (a)

In *hac* interim *lege*, nota Falsi speciem, quæ aliis falsi titulis & generibus addenda.

Tandem inepti sunt, qui ex *hac l.* hanc Summam conficiunt, quod mensor post factam adnotationem corrigere inscriptionem non possit, perinde vt nec Iudex sententiam legitime latam. Hac enim *lege* non notatur factum mensorum, sed aliorum Dominorum, scil. vel inquilinorum qui inscriptionem mensoris deleuerint.

(a) Vide ad illustrationem eorum, quæ a Gothofredo hic notata sunt, Meursium *in Glossar.* Du Fresne in Gloss. lat. *voc. metator*, & *mansionarius*, & in Gloss. med. & infim. Græc. *voc.* Δηριγευόμενοι atque ad Ammiani locum quæ Valesii & Gronouius obseruarunt.

MODVS *metatorum præbendorum hac Arcadii constitutione definitur.*

V. (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Osio (b) Magistro officiorum.

IN qualibet vel nos ipsi Vrbe fuerimus, vel hii qui (c) nobis militant commorentur, omni tam Mensorum (d) quam etiam hospitum iniquitate summota, duas dominus propriæ domus, tertia hospiti deputata, eatenus intrepidus ac securus possideat portiones, vt in tres domus (e) diuisa partes, primam eligendi dominus habeat facultatem, secundam hospes, quam voluerit exequatur: (f) tertia domino relinquenda. Plenum enim æquitate atque iustitia est, vt qui aut (g) successione fruitur, aut empto, (h) vel exstructione gaudet, electam præcipue iudicio suam rem (i) teneat & relictam. *Ergasteria* vero, quæ mercimoniis deputantur ad prædictæ (k) diuisionis iniuriam non vocentur, sed quieta sint & libera, & ab omnibus (l) hospitantium iniuria defensata, solis dominis conductoribusque (m) deseruiant. Sane si stabulum, vt adsolet, Militari viro in tertia domus parte defuerit, ex (n) ergasteriis, nisi id dominus qualibet occasione prouiderit, pro animalium numero vel domus qualitate deputabitur. *Illustribus* sane *Viris*, non tertiam partem domus, sed mediam (o) hospitalitatis gratia deputari decernimus: ea duntaxat conditione seruata, vt alter ex his quilibet, (p) quiue maluerit, diuisionem arbitrii (q) æquitate faciat, alter elegendi habeat optionem. Et firmissimum perpetuo quod iussimus perseueret, ita vt triginta libras (r) auri, qui Inlustri (s) sunt præditi dignitate, fisco nostro se inlaturos esse cognoscant, ceteri vero militia sciant se esse priuandos, si generale præceptum amplius vsurpando quam iussimus reprehensibili temeritate violauerint. Dat. VIII. Id. Feb. Constantinop. Honorio IIII. & Eutychiano CONSS. [398.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Lex 2. *Cod. Iust. eodem tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Osii* huius quoque mentio apud Claudianum *lib. 2. in Eutrop. v. 346.* Eidem inscribitur hoc ipso anno lex 4. *inf. de Fabricensib.* & Ann. 396. *l. 6. de proximis*, & *l. 8. 9 sup. de Agentib.* A. 39.. *lex 7. sup. de Agentib.* de hoc dicam plura ad *d. l. 4. de Fabricensib.* Vide etiam, quæ notaui *num. XI.* discursu histor. *ad l. 3. ad leg. Cornel. de sicar.* IDEM.

(c) *Vel in qua ibi* Cod. Iust. Cuiacius tamen nostram lectionem se utus est. RITTER.

(d) Ita etiam Cuiacius edidit in Cod. Iust vulgati habent, *omnium eam metatorum.* IDEM.

(e) *Domui*, vel *domo*. Vt est in *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(f) *Exequatur*, pro consequatur, percipiat. IDEM.

(g) Nota tres titulos consequendæ domus. IDEM.

(h) Cod. Iust. *emptione*. Sed *empto* placuit Cuiacio. RITTER.

(i) *Partem* Cod Iustin. accurata est hæc lectio GOTHOFREDVS.

(k) *Prædictam* habet Cod. Iust nostram lectionem præfero RITTER.

(l) γρ. *Ab omni*, vt est quoque in Cod. Iust. vel *ab omnium.* GOTHOFREDVS. *Ab omni hospitum iniuria* legit Cod. Iust puto fuisse olim in nostro *ab omnibus hospitantium iniuriis*, quomodo sæpenumero solet, & solent huius æui scriptores. RITTER.

(m) Conducta ergasteria innuit. GOTHOFREDVS.

(n) γρ. *In* Cod. Iust *ex ergasteriis.* IDEM. *Ex ergasteriis* habent priores Cuiacian. vltima *& ergasteriis*, quæ lectiones omnes bene se habent, & miror nostrum, *in* voluisse, quo nil opus. Cuiacius in Cod. Iust. edidit, *id ex ergasteriis.* RITTER.

(o) *Dimidiam* Cod. Iust. recte se nostra habet lectio. *Mediam* pro *dimidio* notum, vid. Capitolin. *in Pio. c. 4.* IDEM.

(p) Ita impressi omnes, & hanc lectionem retulit etiam Cuiacius in Cod. Iust. sed vulgati habent, *si libet atque ma. fuerit:* Scribendum est, *cui libet, quiue maluerit.* IDEM.

(q) *Arbitraria æquitate*, Cod. Iust. Nostrum hoc rectius & elegantius. GOTHOFREDVS.

(r) *Librarum* Cod. Iust. RITTER.

(s) *Illustrissima* Cod. Iust. IDEM.

P.148

COMMENTARIVS.

MODVS Metatorum vel Comitatui, vel Principi militantibus præbendorum, hac ornata (vt Lucas de Penna eam vocat) Arcadii constitutione definitur (plenus æquitate & iustitia, *vers. plenum enim.* Et ibi, *iniquitate summota:* item ibi, *arbitrii æquitate:*) proculdubio ad suggestionem Osii Magistri Officiorum, cui hæc *lex* inscribatur, iuxta Claudiani de eo iudicium *lib. 2. in Eutrop. v. 346.*

- - - - - Hosia subnixa secundo,
Dulcior hic sane cunctis, prudensque nouandi
Iuris. - - - -

Nam ita recte locus ille habet, *prudens nouandi iuris:* Ita enim & Tiberius apud Tacitum, *Annal. l. 2. c. 30. Callidus & noui iuris repertor.* Modus autem isthic est: Tertiæ domus tantum pars a domino, vel inquilino hospiti præberi debet, *h. l.* & *l. 13. inf.* Et quidem sub duabus adhuc conditionibus: Prior, vt primam partem ipse dominus eligat αὐθεντικὸν οἴκημα (vt in hac re loquitur Iustinianus *Nouell. 130. c. 9.*) quod PRÆSVMANOT verbo quoque alegaotar iodicatur, *l. 11. inf.* Mox secundam hospes: Tertia domino relinquenda; Æquum scilicet & iustum est, non hospiti sed domino tribui electionem iure dominii, successiooe, emptiooe, vel ædificatione quæsiti.

Secunda conditio, vt *Ergasteria* ab hac diuisione separentur & immunia siot, *h. l.* & *l. 10. Cod. Inst. eod. tit.* Igitur siue domui ergasterium cohæreat, vt ferme cohæret, siue in plateis & angiportibus sit, (vt docet *d. l. 10.*) ergasterium hac diuisione comprehendi non debet, sed quod reliquum est domus, in tres partes diuidi debet: Ergasteria vero ad diuisionis & metati iniuriam vocari non debent, sed a metato penitus libera esse conuenit: Cuius rei ratio in aperto erit, vbi constiterit quidnam ergasteria sint: quanquam id satis ex *h. l.* apparet. Eraot scilicet loca mercimoniis deputata, vt *hac l.* exerte dicitur, de quibus agitur & *l. 9.* & *42.* (vbi dicam plenius) *inf. de operib. public.* & *l. 14. inf. de Episcopis: l. 3. inf. de conlat. donatar. l. 26 §. 1. vers. illos vero Cod. Iust. de vsuris*, quibus & ideo stationes iunguntur, & ex tabulato opere fuisse docet *lex 21. Cod. Iust. de operib. public.* Hæc, inquam, hactenus ex vtroque Codice de *Ergasteriis* discimus. Nisi quod adhuc obseruandum, *l. 14. inf. de Episcopis*, vnde desumpta est *lex 2. Cod. Iust. eod.* ergasteria cum tabernis nominari; *Ergasteriis*, inquit, *vel Tabernis:* ex qua pariter vt ex *hac l.* discimus, mercimoniis eas destinatas. Sic enim de immonitate Clericorum a præstatione negotiatorum agens: *Si quid enim vel parsimonia, vel prouisione, vel* MERCATVRA, *honestati tamen conscia, congesserint, in vsum pauperum atque egentium ministrari oportet: aut id quod ex eorundem* ERGASTERIIS, *vel* TABERNIS *conquiri potuerit, & colligi, collectum id Religionis æstiment lucrum.* Sic quoque *l. 10. inf. eod. tit. Negotiatorum dispendiis minime obligentur. Cum certum sit, quæstus quos ex tabernis* (sic restituo) *atque Ergasteriis agunt, pauperibus profuturos.* Ab his ἐργαστηρίοις tributum ἐργαστηριακὸν & ἐργαστηριάρχης Institor & Tabernarius, in *Gloss.* Ergo *Ergasteria* eraot mercimoniis agitandis seu negotiationi exercendæ *taberna*; quo sensu proprie *taberna* dictæ, simul & artificum officinæ: nam hæc coniuncta eraot, mercimonium scilicet & oegotiatio operum quæ artifices ipsi fecerant, vt in officiois plerisque ars simul exercetur, & quod ex arte fit opificium venale habetur: vnde Ergasteriis his nomen quod a Parente meo sanctissimæ mihi memoriæ notatum. De horum vero laxitate mox dicam. Hinc iam apparet, quam grauis sit erroe eorum qui ex *hac l.* colligunt, mercatores a metatis immunes fuisse, eum ergasteria taotum seu tabernæ eorum immunes fueriot relictæ. At enim vero, nisi aliunde domious prouideat, stabulum ex ergasteriis deputabitur. Vnde apparet, etiam ergasteria oon simplices fuisse taberoas, aut explicandis meci-

mercibus, aut operi faciendo destinatas, verum alia simul his cohæsisse, veluti horrea, stabulaque, vbi scilicet animalia mercibus vehendis stabulabantur, vbi merces reponebantur, *Magazins, riere-boutiques*, &c. Et hæc de Principi militantibus hospitibus quibuscunque, etiam Clarissimis, etiam Spectabilibus.

Illustribus enim, quæ tertia *huius legis* pars est, dimidia domus pars præberi debet: Et quidem hac conditione, vt vel dominus, vel hospes, prout voluerint, partes faciat, seu diuisionem; alteri vero eligendi arbitrium tribuatur. Æquissima est illa multorum populorum vsu, & plurimorum scriptorum testimonio comprobata, rerum ercifcundarum ratio, vt alteri quidem diuisio, alteri electio concedatur. Ex diuerso, non potest non iniquissima iudicari lex diuisionis, si vnus idemque partes faciendi, & simul optandi potestatem sibi vindicet. Crassus apud Ciceronem *sub finem lib. 2. de Oratore: Quis*, inquit, *Antonio permisit, vt & partes faceret, & vtram vellet, prior ipse sumeret.* Eodemque pertinet omnino Tiberii responsum; Nam eum is tres Reipubl. partes fecisset, quarum vnam ipse tegere, & ab Asinio Gallo interrogatus esset, quam partem sibi mandari vellet? Respondisse Tiberium Dio refert, *Iniquum esse, vt idem partes faciat, idemque eligat: καὶ πῶς οἷόν τέ ἐστι τὸν αὐτὸν καὶ νέμειν τι καὶ αἱρεῖσθαι.* Et de Cneio Pompeio, Seneca *5. de beneficiis, 16. Dum extraordinaria concupiscit imperia, dum Prouincias, vt eligat, distribuit: dum ita Triumuirit* [alii cum tertio] *Rempublicam diuidit, vt tamen in sua domo duæ partes essent.* Dicam etiam hac de re aliquid ad *l. vn. inf. de his qui se deferunt.* Porro cuinam potius diuisio e duobus tribui debeat, non inutilis est tractatus. In *huius* certe *legis* specie, cui libuerit, domino, vel hospiti diuisionis celebrandæ ius tribuitur, atque ita alter eliget. Alioquin ætate prouectioribus ferme, quia iudicii maturitate præpolleot, diuisionis arbitrium conceditur: iunioribus autem eligendi. Ambrosius *l. 1. de Abrahamo, c. 3. Firmior*, inquit, *diuidat, infirmior eligat, ne habeat quod conqueratur: Electionis enim sua partem* [id est, partem quam ipse elegit] *non poterit calumniari* [id est, eam reprobare postea non poterit] *Non residet* [enim] *occasio resiliendi, cui datur optio eligendi: Nec diuisor* [quoque] *grauatur; Nam quo prudentior, eo cautior, vt nec in diuisione circumscribatur, nec in electione fraudetur.* Aliud est, quod Concilii Carthaginiensis *canone 89.* seruari præcipitur, *vt ille diuidat, qui amplius temporis in Episcopatu habet, & minor eligat.* Id enim non huc pertinet, verum ad ordinis prærogatiuam, quæ inter Episcopos obseruatur, vt is potior sit, qui antiquior est in sede Episcopali, qui tamen idem posteriore ætate iunior esse potest. In diuisione certe patrimonii seu hæreditatis, frequens est apud Rhetores ea lex, *vt fratrum maior natu diuidat, minor eligat.* Quam variorum populorum moribus obseruari, hodie constat in Gallia & Germania. Eoque pertinet scholastica Controuersia Rhetorum scriptis nobilitata apud Senecam *6. Declam. 3.* Et apud Marcellinum, Hermogenis Interpretem. Verum quia circumscriptionibus & calliditatis commentis res hæc interdum obnoxia est, ideo vel Arbitri, vel Mensoris arbitrium tutius est, vel saltem diuisionem alicui cohæredum incommodum aut ingratam in meliorem statum reformari, quandoque licere debet, vt nominatim cautum reperio *moribus Andium, Artic. 279.*

PRÆTORIA *Iudicum immunia esse his præsentibus a metato.*

VI. (a) Idem AA. Vincentio PF. P. (b)

CVNCTOS (c) Iudices scire volumus, a Prætoriis (d) Ordinariorum (e) Iudicum his præsentibus abstinendum. Dat. XVI. Kalend. Feb. Med. Stilichone & Aureliano VV. CC. CONSS. [400.]

NOTAE.

(a) Lex 3. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Vincentius* sub Honorio Imp. PP. Galliarum: vide hoc ipso anno *l. vn. sup. virum vi; l. 10. inf. de desertoribus; l. 1. 2. & 3. inf. de his qui conditionem propriam.* Et in vniuersum vide *Chronologiam Anni* 398. 399. & 400. Et Sulpitium *Dialogo 1. cap 17.* Et Symmachum *lib. 9. ep. 7. 9. 25.* v. *Prosopogr.* ID.

(c) Cuiuscunque dignitatis, etiam inlustres. IDEM.

(d) De *Prætoriis Iudicum*, dixi ad *l. 3. sup. de officio Iudicum omnium.* Et dicam plenius ad *l. 2. infr. ne quis in Palatiis maneat.* Et ad *l. 8. 35. vlt. inf. de operibus publicis.* ID.

(e) Ordinarii Iudices sunt Consulares & Præsides, de quibus dixi iam ad *l. 6. sup. de officio Rectoris Prouinciæ.* Interim locum hunc nota de Præsidibus *Galliarum*, & Prætoriis per Gallias. ID.

COMMENTARIVS.

PRÆTORIA Iudicum ordinariorum (id est, Consularium, Correctorum, Rectorum denique Prouinciarum) & Præsidum ab onere metati sunt immunia: si videlicet Iudices ipsi Præsentes sint, id est, si in his Iudices commorentur. Alioquin Prætoria, in quibus præsentes non sunt Iudices, (vtpote quia Rector Prouinciæ tum discurreret, idque per æstatem, de quo alioquio Iudicum discursu, siue transitu, dixi ad *l. 4. sup. de officio Rectoris Prouinciæ*) vel quia huiusmodi Prætoria in singulis Prouinciis essent plura, vt docet *lex. 2. inf. ne quis in Palatiis:*) a metati onere non sunt immunia. Et ideo Iudices alii commeantes, transeuntes, e Comitatu Principis proficiscentes, vel eo redeuntes, in huiusmodi Prætoriis diuertere possunt, eaque hospitii metito occupare: Non etiam si præsentes sint: Cuiuscunque sint dignitatis, Iudices; & sic *cuncti*: etiam Inlustres commeantes. Illud notandum, *hanc leg.* pertinere ad PP. *Galliarum*: inscribitur enim ea Vincentio PP. Galliarum, de quo v. *Prosopographiam*.

Vt Principis *prædia alia a metato sunt immunia, ita & hostis publici prædia iis sociata, ac nominatim per Africam Gildonis bona immunia esse iubet Honorius* A. D. 400.

VII. (a) Idem AA. Pompeiano (b) Proconſ. Africæ.

Prædia (c) ex Gildonis (hostis (d) publici) & Satellitum (e) eius, bonis sociata domui nostræ, ne transeuntes hospitii gratia intrent, decernimus: vt sciant omnes a possessoribus (f) nostris penitus abstinendum: quinque auri libras multæ nomine inferre cogendo, quisquis prædium nostrum manendi causa insportunus intrauerit. Dat. VI. Id. Iun. Med. Stilichone & Auriliano conss. [400.]

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex*, & *lex* 9. *inf.* a *Codice Iustinianeo*: ideo quia ferme ad iuris perpetui causam non pertinent. Cæterum huius *legis* meminit; eamque simul confirmat, & extendit, *d. lex* 9. *infr.* GOTHOFR.

(b) *Pompeiano* huic Proconsuli Africæ septem præterea hoc ipso anno *leges* inscribuntur, imo & *lex* 27. *de susceptorib.* Suppleta eius inscriptione: & Anno proximo 401. quatuor. Vide *Prosopogr.* & *Chronolog.* ID.

(c) *Prædia* proprie hic, quæ in agris, non quæ in Ciuitatibus, vt ostendit *d. l.* 9. seu rustica. ID.

(d) De *hostibus publicis*, *l.* 21. *inf. de pœnis*: nam & Heraclianus hostis publicus pariter vocatur *d. l.* 21. vt & Stilicho, *l.* 1. *inf. de litorum & itinerum custodia.* IDEM.

(e) *Satellitum* Gildonis fit quoque mentio *l.* 19. *infr. de pœnis*, & *l.* 19 *inf. de bonis proscriptorum*: & apud Augustinum *contra Cresconium*, *lib.* 3. *cap.* 11. De aliorum Tyrannorum seu hostium publicorum satellitibus, vide & *l.* 3. *vlt. infr. ad leg. Corneliam de sicariis.* & *l.* 21. *infr. de pœnis*: & *l.* 20. & 22. *de bonis proscriptorum.* ID.

(f) Sustineri potest: vt apud Vegetium *lib* 1. *cap.* 7. *in fine.* Sed legendumne *possessionibus*, an *possessoribus*, dicam ad *l.* 7. *inf. de Tyronibus.* Malim ego *possessionibus.* IDEM.

P. 350

C O M M E N T A R I V S.

Sicvt principis prædia quæ ab antiquo eius sunt, ab onere metati immunia sunt, ita & prædia quoque *Hostium publicorum* quæ Principis bonis recenter sunt sociata seu incorporata, & ad eius ærarium delata: breuiter, confiscata: Prædia inquam, tam rustica, seu extra vrbana, *h. l.* quam vrbana, *l.* 9. *inf.* Eadem scilicet hac parte est ratio, idem ius, bonorum, quæ ab *antiquo* Principis fuerunt, & eorum quæ, recenter quamuis, incorporata sunt bonis Principis. Quod notandum est ad praxim, in argumento *de Domanio Principis.*

Est autem hæc *lex* nominatim de *Gildone*, seu de bonis Gildoniacis, de quo hic plene dicendum semel est. Gildo Comes & Magister vtriusque militiæ per Africam fuit, vt ostendit quoque Inscriptio *legis* 9. *inf. ad leg. Iul. de adulteris*, sed & Zosimus *lib.* 5. *cap.* 11. πάσης τῆς ὑπὸ Καρχηδόνα Λιβύης τὴν ἡγεμονίαν, *totius ad Carthaginem pertinentis Africæ ducatum*, habuisse scribit, idque per duodecim integros annos. Apud Claudianum *de bello Gildonico* ita Africa conqueritur *v.* 152. seqq.

Quid me temperies iuuit? quid mitior æther?
Gildoni fœcunda fui: iam solis habena
Bis senos torquent hyemes, ceruicibus ex quo
Hæret triste iugum: nostris iam luctibus ille
Consenuit, Regnumque sibi tot vendicat annis.

Ab anno igitur 386. ad annum 398. (quo scilicet is debellatus fuit) in Africa Gildo constitit. Hic Gildo siue Tyrannidem in Africa moliretur, siue quod Africam Occidentali Imperio detractam, Orientali adiunctam vellet, sub finem Autumni anni 396. Africam sibi vindicare cœpit. Apud Claudian. Roma conqueritur *de bell. Gildon. v.* 62.

- - - - - - *Spes vnica nobis*
Restabat Lybia.

& mox *vers* 66.

Hanc quoque nunc Gildo rapuit sub fine cadentis
Autumni.

& paulo ante *vers.* 16.

Quem veniens induxit hyems, Ver perculit hostem.

Mox Senatusconsulto prisco more Romæ facto, Gildo hostis publicus declaratus, bellumque in ipsum decretum, quod Claudianus & Symmachus memorarunt. Claudiani verba sunt hæc *in laudes Stilichonis* 1. *v.* 325. seqq.

Hoc quoque non parua fas est cum laude relinqui,
Quod non ante fretis exercitus adstitit vltor,
Ordine quam prisco censeret bella Senatus:
Neglectum Stilicho iam tot per secula MOREM
Retulit, vt ducibus mandarent prælia Patres
Decretoque Toga felix legionibus iret
Tessera. Romuleas leges rediisse fatemur
Cum Procerum iussis famulantia cernimus Arma.

Item 3. *panegyr. Stilichonis v.* 85. de Roma:

Ipsa iubes signis, bellaturoque Togatus
Imperat, & spectant Aquilæ decreta Senatus.

Mox *v.* 89.

Nil periit decoris prisci, nec libera quærit
Secula, cum donet fasces, cum prælia mandet.

De hoc ipso Senatusconsulto est hæc quoque Symmachi *epistola* ad Stilichonem, *lib.* 4. *ep.* 4. *Quid de* AFRORVM DOLORE *& militarium virorum querelis consultus præcepto sacro Amplissimus Ordo censuerit, plene atque aperte Gestorum Curialium inspectione cognosces. Sed quia me quoque familiariter indicem gesta rei esse iussisti, summatim quæ decreta sunt, non tacebo. Lectis Domini nostri Honorii Aug. literis atque sententiis, decursisque omnibus paginis, quæ* GILDONIS CRIMINA *continebant, par bonorum motus erupit. Consulti igitur in senatu* MORE MAIORVM *(neque enim sine legitimo* ORDINE *Iudicii authoritas stare potuisset) ingenti causæ deuotis sententiis satisfecimus. Adiecta est post* REI DAMNATIONEM *pro alimentis Pop. Rom. supplicatio: in metu enim sumus ne obsit commeatibus annonariis* NEOTERICI TEMPORIS *mora, & perturbatio plebis oriatur. Veniet in manus tuas quid pronunciauerim. Repperies & facti huius me adseruisse iustitiam, & apud D. nostrum Arcadium causam publicæ egisse concordiæ. Vale.* Ergo

Gildo hostis publicus ex Senatusconsulto dictus: quomodo sane etiam *hac leg.* vocatur: bellumque in eum decretum. Nam error est nuper Scriptoris Gutherii, qui cum videret Symmachum aliquando Præfectum V. fuisse (An. D. 384.) putauit Gildonem a Symmacho Præfecto Vrb. ex Senatus sententia capite damnatum, cum publicatione bonorum *de Off. D. A. lib. 3. cap. 26. pag. 775. edit. Lips.* Cæterum quomodo Gildo, agente id Stilichone, hostis publicus a Senatu Rom. declaratus, ita & ipse Stilicho paulo ante ab Arcadio, id agente Eutropio, qui Gildonem sibi absciuerat; testis Zosimus *lib. 5. cap. 11.* Εὐτρόπιος τοίνυν ἐν μὲν τῇ Κωνσταντινουπόλει παντάπασιν ἔχων οὐδένα τὸν ἀντιβλέπειν τολμῶντα, μόνον δὲ Στελίχωνα τὸν κατὰ τὴν ἑσπέραν κυριεύοντα πραγμάτων, κατὰ νοῦν ἔχων, ἀνελεῖν αὐτῷ διενοεῖτο τὴν ἐπὶ Κωνσταντινούπολιν ἄφιξιν: ἀναπείθει δὴ τὸν βασιλέα, τέως συναγαγόντα τὴν ΓΕΡΟΥΣΙΑΝ, κοινῷ δόγματι, τῆς βασιλείας ΠΟΛΕΜΙΟΝ αὐτὸν προσειπεῖν. οὗ δὴ γενομένου Γίλδωνα παραχρῆμα ἔχοντα πάσης τῆς ὑπὸ Καρχηδόνα Λιβύης τὴν ἡγεμονίαν οἰκειωσάμενος, ἀφίστησι διὰ τούτου τὴν χώραν τῆς Ὀνωρίου βασιλείας, καὶ τῇ Ἀρκαδίου προστίθησιν, id est. *Cum ergo iam neminem Constantinopoli prorsus haberet Eutropius, qui ei obniti auderet, solum Stilichonem, rerum in Occidente potientem animo versans quominus ille Constantinopolim accederet, aditum ei præcludere cogitat. Quare Imperatori persuadet, vt conuocato* SENATV, *decreto communi, Imperii* HOSTEM *eum declaret. Quo facto, mox sibi Gildonem qui Africa sub Carthagine ducatum nactus erat, adiungit: eiusque opera prouinciam Honorii Imperio detractam, Arcadiano adiicit.* Quare necesse, alterum alterius exemplo id fecisse. Igitur in apparatu huius belli Gildoniaci absumptus est annus 397. vel saltem pars eius, quo pertinent *l. 12. 13. 14. inf de Tyronibus.* Interea grauissima fames Romæ exorta, propter retardatum ex Africa commeatum: ad quam referri possunt variæ Symmachi *Epistolæ*, & nominatim *Epistola 4. lib. 4.* Deque ea multis agit Claudianus, *de bello Gildonico & lib. 1. in Eutrop. & lib. 1. in laud. Stilichonis:* Eoque etiam pertinent aliquot *huius Codicis* constitutiones, per anni 396. Decembrem mensem latæ: Nempe *lex 2. inf. de conditis in publicis horreis* (cui respondet prorsus *Epistola 54. Symmachi lib. 4.*) Et *lex 26. inf. de nauicularius & an. 397. lex 5. inf. de naufragiis, lex 3. inf. de canone frumentario vrbis Romæ:* Tandem verno tempore anni 398. Gildo debellatus, mox & strangulatus sua manu interiit. Cuius rei historiam require apud Claudianum, *de bello Gildonico:* Zosimum, *lib 5. cap. 11.* Orosium, *lib. 7. cap. 36.* Marcellinum *chronico*, & alios plures. Eo igitur cæso, cum plures emergerent calumniæ & delatores, vt ferme debellatis Tyrannis fieri solebat, Honorius eas repressit, *l. vlt. inf. de calumniatoribus:* Bona eius tamen fisco sociata fuerunt, vt & satellitum ipsius; vt præter *hanc legem*, & *l. 9. inf.* testatur *lex 16. 19. inf. de bonis proscriptorum:* & *lex 19. inf. de pœnis.* Quibus bonis, quod amplissima forent (vt ex Claudiano videre est) administrandis, suus & peculiaris P. 351 tandem Comes Præpositus fuit, qui *Comes Gildoniaci patrimonii* dictus est, cuius meminit *Notitia Imperii fol. 144.* (sicut Diuinæ domus per Cappadociam specialis quoque Comes fuit, *l. 2. supr. de Palatinis S L.*) Etsi recenti adhuc Gildonis clade, & bonorum ipsius confiscatione, ad Comitem & Procuratorem Diuinæ domus possessionum Gildonis cura pertinuerit, vt ostendit *lex 16. inf. de bonis proscriptorum:* Quæ *lex* data est Anno sequente 399. Absumpti quippe plures anni in Gildoniaco patrimonio, eiusque satellitum, requirendo; vt testatur *d. lex 19. inf. de pœnis*, & *d. l. 19. inf. de bonis proscriptorum.* Ac vt quæ ad Gildonem pertinent, absoluam, debellato Gildone vrbis annonæ summo studio prospectum mox fuit, vt testatur Symmachus *lib. 7. ep. 38.* Eoque pertinent Mense Aprili 398. tres constitutiones, nempe *lex 4. inf. de canone frument. vrbis Romæ: lex vn. de pretio panis Ostiensis, lex 20. inf. de pistoribus:* v. & Claudianum *lib. 1. in Eutropium.*

FABRICENSIVM *domos per Orientem, & nominatim Antiochiæ absente Comitatu, a metato immunes esse iubet Arcadius A. D. 400.*

VIII. (a) Idem AA. Æmiliano (b) Magistro officiorum. (c)

SECVTI suggestionem tuam, a Fabricensium (d) domibus (e) omnem molestiam hospitum præcipimus amoueri: De qua re & ad Illustrem Virum Comitem & Magistrum (f) militum per Orientem (g) sacras literas dedimus, Vt de (h) Antiochenæ ciuitatis fabricensibus excusandorum hospitiorum facultatem, absente scilicet Sacro Comitatu, quo & Antiochensibus & (i) ceterarum ciuitatum fabricis similis domorum excusatio præbeatur. Dat. XI. Kal. Feb. Constantinop. Stilichone & Aureliano CONSS. [400.]

NOTÆ.

(a) Lex 4. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc suire interpolata est. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Æmilianus* sub Honorio Magister officiorum: cui inscribitur & *l. 1. de mensorib. ID.*

(c) Magistro officiorum, cui hæc *lex* inscribatur ; mox dicam. *ID.*

(d) Ac nominatim *Antiochenorum. ID.*

(e) *Vbique Constitutis*; Cod. Iust. eod. *ID.*

(f) De Magistro militum per Orientem. Vid *Notitiam Imperii fol. 32. 33.* & *Notitiam nostram Dignitat. ID.*

(g) Cuius vertex ANTIOCHIA: ac proinde, & sedes ordinaria Magistri militum per Orientem. *ID.*

(h) te-

(h) *vt Dei*, &c. id est, relinquat immunes, atque adeo ne Fabricensium domos metati onere & nomine inquietet. & ita in MS. postea reperi. *IDEM.*

(i) Malit quis, *vt*, quod videantur *h. l.* primum exæquari Antiochenses Fabricenses cæterarum ciuitatum Fabricensibus: sed restituendum est, *Et*, propter ea quæ mox dicam. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

FABRICENSIVM qui arma fabricant domos a metato immunes esse iubet Arcadius: de quibus *Fabricensibus* erit peculiaris titulus, *lib. 10. tit. 22. de Fabricensib.* Ex *hac* vero *lege*, & *l. 3. 4. 5. de fabricent.* & ex *Notitia Imperii fol. 41. 42.* & *Nouella Iustiniani 85. de armis*, discimus, Fabricenses sub dispositione Magistri Officiorum fuisse. Ad cuius etiam suggestionem hæc *lex* ab Arcadio data est, inuigilantis Fabricensium commodis, quique Fabricensium querelas super hoc ad Principem pertulerat. Cæterum hæc *lex* proprie pertinet ad Fabricas seu Fabricenses, qui, quæue per diœcesim Orientis erant. Ac nominatim Fabricensium Antiochenorum *h. l.* fit mentio: quorum etiam fit mentio *leg. 1. inf. de Fabricensibus*, vbi de Barbaricariis, qui Fabricensium numero fuerunt. Imo & Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 7.* Sed & *Notitia Imperii d. l.*

Præter Antiochenos Fabricenses cæteri quoque per diœcesim Orientis *hac eadem lege* memurantur; *Cæteri* inquam, id est, Fabricenses Damasceni in Phænice, Ædesseni, per Osroënam: Irenopolitani, per Ciliciam. Per quatuor enim has Orientis diœceseos Prouincias & Ciuitates hæ fabricæ seu fabricenses fuerunt: *Sub dispositione*, inquit Notitia Imperii *fol. 42. viri Illustris, Magistri Officiorum, fabricæ infra scriptæ Orientis quinque: Scutaria & armorum Damasci: Scutaria & armorum Antiochiæ. Clibanaria Antiochiæ, Scutaria & armamentaria Ædissæ: hastaria Irenopolitana Ciliciæ.* Itaque diserte etiam Græci hoc loco (obseruante etiam Cuiacio *ad leg. 4. Cod. Iust. h. t.*) τὸ δὲ ἑτέρας πόλεως λέγεται περὶ Δαμάσκου καὶ Εἰρηνοπόλεως: *Ædessenos* omittunt illi.

Porro de *Antiochenis Fabricensibus* nominatim *h. l.* agitur, & Magister militum per Orientis diœcesim, Fabricenses Antiochenos a metato liberos relinquere iubetur; quia scilicet, cum Antiochia Orientis vertex esset, & caput, seu apex (de quo alioquin plene dicam ad *l. 169. inf. de Decurionibus*) Magister militum Orientis in ea vrbe versari solebat cum militibus. Et ideo nominatim de Antiochenis Fabricensibus agitur. Eodem nihilominus iure de cæteris Fabricensibus constituto. Exceptio tamen adiicitur, hac eadem lege: *Nisi comitatus Principis Antiochiæ versetur.* Scilicet nulla immunitas a metato tribuitur præsente Principis Comitatu. Quod etiam confirmat *lex 14. inf. A l'entrée des Roys, personne n'est exempt de loger & receuoir des gens.* Etiam Ecclesiastici: v. Bugnyon, *l. 1. n. 67.*

Quærunt hic Interpretes, vtrum hæc *lex* accipienda sit de priuatis Fabricensium domibus, an vero de publicis in quibus arma fabricabant. Ego ne dubitari quidem oportere censeo, de priuatis eorum domibus id accipiendum: nam publicas fabricas seu publicarum fabricarum domos a metato immunes ipso iure fuisse quis dubitare possit? cum & alia loca publica immunia sint.

P. 350 PRINCIPIS *ærario incorporatas per Africam ex Gildonis bonis Domos quoque a metato immunes esse iubet Honorius.*

IX. (a) Impp. HONORIVS & Theodosius AA. Sapidiano. (b)

LICET proxime (c) iusserimus, quinque librarum auri condemnatione proposita, *prædia*, quæ ex Gildonis bonis ad nostrum (d) ærarium delata sunt, ab hospitibus excusari, nunc etiam præcipimus, vt omnes *domus* ex eodem iure venientes, in quibuslibet ciuitatibus sunt constitutæ, ab hospitibus excusentur, quo possint conductores facilius inueniri. Si quis igitur contra nostram fecerit iussionem, multa (e) pridem ferietur inflicta. PP. Karthag. (f) VIII. Id. Aug. Honorio VIII. & Theodosio III. AA. CONSS. [409.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a Cod. Iust. vt monui ad *l. 7. sup.* quæ *hac leg.* confirmatur. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Sapidianus* sub Honorio *Vicarius Africæ*: vt ex *hac* alioquin colligi satis potest. Et ex Symmachi *lib. 9. ep. 16.* Vbi agit de animalibus & ludorum apparatu præparandis, quæ sane animalia ex Africa maxime petebantur. Et vero id expresse testatur *lex 34. inf. de Episcopis*, & *lex 30. inf de annona & tributis*, vbi vid. quæ dicam, quanquam ante decennium illa *lex 34.* lata vid. *Prosopogr. IDEM.*

(c) Quam proxime ante nouennium *l. 7. sup* Et sane mox in *fine legis*, ait *pridem.* Igitur hic forte rescribendum *præcise*, vel *proprie*, id est, prædiorum tantum facta mentione non domorum, nisi alia *lex* recentior indicetur, vel nisi Consulatus in *hac l.* emendandus videatur. *ID.*

(d) Ita pariter *l. 16. inf. de bonis proscript. ID.*

(e) Quinque librarum auri, *d. l. 7. sup. IDEM.*

(f) Karthago Vicarii Sedes. *IDEM.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

SICVT PRINCIPIS ætatio confiscatæ [ex Gildonis bonis *in huius legis specie*] possessiones rusticæ seu prædia extra vrbana a metati onere immunia sunt, quod constitutum *l. 7. sup.* ita & domus in Ciuitatibus constitutæ, immunes esse debent. Breuiter quod de *prædiis* Gildonis *l. 7. sup.* cautum fuerat, id *h. l.* ad *domos* ex eodem iure venientes, id est, ex iisdem bonis Gildonis promanantes extenditur. Eadem omnino ratione quod præcise *lege. XII. Tabul.* cautum fuerat: *de fundi vsucapione*, id interpretatione Prudentum mox ad ædes extensum fuit, vt testatur Cicero *in Topicis pag. 395. edit. Gothofred.* & pro *Cæcinna cap. 13.* Nam vt idem scribit (quod alioquin protritum est.) *Valeat æquitas, quæ in paribus caussis paria iura desiderat.* Æquitatis autem, *in specie huius legis*, ratio hæc redditur: ideo videlicet *domos* quoque a metato immunes esse oportere, quo possint Conductores earum facilius inueniri, Conductores facilius reperiuntur, proposita (metati nominatim) immunitate.

MODVS *hospitalitatis publicis personis, iter agentibus præbendæ per Africam hic constituitur.* I. Mensor *scil. non præmittendus.* II. Annonæ *nihil exigendum aut accipiendum.* III. Celeriter *transeundum.*

X. (a) Idem AA. Ioanni PF. P. (b)

DEVOTVM (c) possessorem (d) ab omni inquietudine liberamus. Primo igitur omnium ad nullum prædium per Africam (e) vel publicum, vel priuatum, domus nostræ vel cuiuscunque (f) iuris, nullus Mensor (g) accedat, si a quoquam (h) fuerit destinatus. Licentiam enim domino Actori, ipsique plebi (i) Serenitas nostra commisit, vt eum qui præparandi (k) gratia ad possessionem venerit, multandi, (l) expellendi habeat facultatem, nec crimen aliquod pertimescat, cum sibi arbitrium vltionis suæ sciat esse concessum, recteque sacrilegium (m) arceat, qui primus inuenerit. Administrantem (n) vero, eiusque Officii Proceres, (o) quorum præcepto (p) inhibitam personam, (q) ad agrum aliquem destinarit, in tempore (r) proscribi debere censemus. Solam sane hospitalitatem, sub hac obseruatione, concedimus, vt nihil ab hospite quod vel hominum vel animalium pastui necessarium creditur, postuletur: omniumque sit adceleratum iter atque continuum, nec vlli liceat residere, ne diuturnitas commanentium (s) vlla ex parte prædium vexet. Decem etiam librarum auri multa ferietur, quisquis Administrator, Togatus, Apparitor vllus aut Militans, vel iter (t) agens, vllo in loco aliquid ab hospite postularit. In tantum enim inhiberi sceleratum (v) morem iubemus, vt ipsis quoque præ-
P. 353 bentibus (x) inpunitum esse non patimur, (y) si quid vel (z) sponte contra præceptum nostrum probati fuerint obtulisse. Dat. Prid. Id. Iun. Rau. post Cons. Honor. VIIII. & Theodosio V. AA. CONSS. [413.]

NOTAE.

(a) Lex 1. *Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda huic, *lex 16. infr. de desertorib.* Et hæc *lex* indicatur *l. 12. inf.* *GOTHOFREDVS*

(b) *Ioannes* PP. Italiæ sub Honorio, vt vel ex *Africæ* mentione apparet: v. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) De *Deuoti* appellatione, vide *Glossarium*: Et quidem possessoribus tributa. *ID.*

(d) *Possessor* scil. agrorum: v. *Gloss. Theod.* *ID.*

(e) Sustulit hæc Tribonianus, ratione quæ satis nota est: nempe quia hæc ad historiam pertinent. *IDEM.*

(f) Id est, priuati iuris, seu priuatorum. *ID.*

(g) *Metator*. Cod. Iust. *ID.*

(h) Cuiuscunque dignitatis sit. *ID.*

(i) *Plebis* appellatione intelligit colonos rusticanos: hic & *l. 26. de annona & trib.* v. & *Gloss.* *ID.*

(k) *Præparandi* vox hac in re propria. Cyprianus *ep. 7. lib. 4. (ep. 6. edit. Bremens. Ioan. Oxoniens.)* *Primum hospitium, vobis in carcere præparauit, & metator quodammodo vester, nunc quoque vos antecedit.* ἑτοιμάζεσθαι voce hac in re Græci vtuntur. διὰ τὸ προπορεύεσθαι τοῦ βασιλέως (vel τῆς ἀρχῆς) καὶ κατασκευάζειν καὶ διευθύνειν τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ καὶ τὰς μονάς, *quod præirent Imperatorem, vt vias & domicilia ei præpararent atque concinnarent.* vt loquitur Constantinus *Them. Orient. 4.* Allusum eo ab Esaia 40. v. 3. & inde a Matthæo 3. v. 3. Marco 1. v. 3. Luca 3. v. 4. Vid. & Ioan. 1. v. 23. Haud absimilis locutio in *l. 9 sup. de Curiosis.* Et hic quidem, *præparandi* absolute, nullo addito. *ID.*

(l) Recidit hanc vocem Tribonianus propter eius ambiguitatem. Et tamen *multare* h. l. non est condemnationem (pecuniariam scilicet) infligere: Verum male mulctare, & plagis etiam afficere. *ID.*

(m) *Recteque sacrilegum prior arceat.* Ita *Iustinianus.* Interim huic *legi* optime respondet *lex 2. infr. ad leg. Corneliam de sicariis*: seu *lex 1. Cod. Iust. quando liceat vnicuique.* *ID.*

(n) *Admi-*

(n) *Administrantis*, seu *Administratoris*, vt mox *infr.* voce plerumque Rector Prouinciæ indicatur, vel Diœceseos; vid. *Not. Dignit. ID.*

(o) *Proceres* officii sunt Primates, Principes: de quibus *sup.* semel. *ID.*

(p) γρ. *Praeceptio*, vt Cod. Iust. *ID.*

(q) Mensorem. *ID.*

(r) *In tempus proscribi debere censuimus.* Cod. Iustin. quod de temporali relegatione accipiunt. Illud tamen sustineri potest, pro *ex tempore*, & *illico*. *ID.*

(s) Vt *l. 1. sup. ID.*

(t) Reponit Cuiacius *in not. ad leg. 5. Cod. Iust. h. t. interagente*, vel *interagentes*. Male. *Iter agens* h. l. opponitur diutius commanenti: Vetat scil. Theodosius etiam ab iter agente quidquam exigi, vel accipi: *Non pas mesmes en passant*; Vide quæ dixi de Cœnatico ad *l. 12. sup. de erogat. milit. annonæ.* *Vel iter agens*, id est, nequidem iter agens: *Vel* pro *nequidem*, vt *l. vlt. inf. de Salgamo*: Vel sane: *iteragens* est, quisquis præter Superiores publici negotii ergo iter agit. *IDEM.* Ediderat *Marvillius* ex schedis nostri, *vel igitur*, quod sensum non admittebat. Puto me Gothofredi animi sensa recte expressisse, quamuis hac ipsa obseruatione locum obscurum reddiderit, cui lucem afferre tentabat. Verum est *l. vlt. de salgam.* τὸ *vel* per *nequidem* explicari posse, sed ea locum hic non habet interpretatio. Rectissime se prima habet, quod vel mediocriter in iure versati, videbunt. *RITTER.*

(v) Vt infausta hospitalitatis præbitio, *l. 15. infr.* *GOTHOFRED.*

(x) Vt *d. l. 12.* præbitio. *ID.*

(y) γρ. *Patiamur*, vt in *Cod. Iustin. ID.*

(z) *Vel* abest a *Cod. Iustin.* *RITTER.*

COMMENTARIVS.

MODVS hospitalitatis *hac* Honorii *lege*, quæ singularis ac maxime notanda est in hoc argumento, constituitur: & nominatim quidem per Africam: per AFRICAM inquam, quæ cum variis per hæc tempora malis, concussionibus, deprædationibus, & hospitalitatis nominatim prætextu oppressa foret; his tot & tantis malis Honorius paulatim mederi in animum induxit. Illud igitur *h. l.* cauetur, *Primum*, vt Mensorem, nullus ad possessionem aliquam *praeparandi* hospitii gratia mittere possit, cuiuscumque sit dignitatis: Possessoribus alioquin vlciscendi se, & Mensorem multandi, expellendi, facultate tributa. Qui singularis casus addendus est illis, qui continentur, quique *Paratitli* vice suppleri solent, *Titulo Codicis Iust. quando liceat vnicuique se sine Iudice vindicare.* Mensorem igitur Iudici ad agrum aliquem, prædium seu possessionem præparandi gratia destinare non licet: Non quasi prædia in *agris*, a metati seu hospitii iure siue onere immunia sint; quod Cuiacius, aliique credidere, quem arguunt & hæc verba; *Solam sane hospitalitatem sub hac obseruatione concedimus*: Sed ne deuoti possessores, præmissis ita Mensoribus, a priuatis inquietentur. *Hospitalitatem* enim siue tectum, sic vt dicam, administratoribus *commeantibus*, possessores denegare non possunt; sed vt dixi, nullo Mensore præmisso. Atque ita hæc *lex* intelligenda est, explicandaque *hospitalitas*, quæ scilicet transeunti commeanti præbetur, sine præparatione, sine Mensore, quomodo hospiti transeunti præberi solet.

Hactenus prima conditio: vbi notandum est, hanc prohibitionem generalem esse, ratione personarum & prædiorum, cuiuscumque generis prædia sint, siue publica, siue priuata, siue ad domum Principis pertinentia, siue alterius cuiuscumque iuris. Hæc scilicet agrorum seu prædiorum quatuor genera hic proponuntur: vbi prædia cuiuscumque IVRIS, sunt veluti templorum, & similia: de quibus *lib. 10.* Item notandum, vltionem tribui Dominis, Actoribus, & plebi: hæc enim tria hominum genera prædiis incumbebant, Domini prædiorum, Actores eorum, plebs rusticana scilicet colonorum. Tandem notandum, crimen hoc, *Sacrilegium* vocari: vt alias violatores legum, & quidem quæ securitatem prouincialium spectant, Sacrilegii crimine implicantur: de quo vid. *Gloss. Th.*

Secunda conditio, seu vt hic dicitur *obseruatio* hospitalitatis, hæc est, vt nemo quidquam annonæ, vel capiti nomine exigere, vel accipere possit a possessore: siue sit Administrator, siue Togatus, siue apparitor, siue militans vel quicumque alius iter agens, idque sub seuerissima pœna non tantum exigenti, verum etiam offerenti indicta: de quo dicendi locus erit plenior *inf. tit. prox. de Salgamo hospitibus non praebendo.* Itaque & Præbitio illa, *sceleratus mos*, sine *legis* vocatur: imo *infausta* hospitalitatis præbitio, *l. 12.* vbi dicam.

Quod Togatos attinet: videri hi possint Patroni causarum, quomodo etiam hic Græci interpretantur. Malim tamen ipse hic accipere *togatos Augusteos*: Mensores inquam finitionum, seu limitum: Quo sensu Latinus & Myrsontius inter auctores rei agrariæ *Togati Augustorum Authores* vocantur *p. 254. edit. W. Goesii.* Cuiusmodi togati seu Mensores limitum ab Imperatoribus subinde missi fuerunt: Et quidem sub hoc ipso Theodosio Iuniore, vt ostendit Itinerarium Antonini vel Antonii Augusti, qui & ipse Togatorum horum numero fuit. p. 354 Cuius manuscripto regio hæc quoque continentur. *In quinto decimo anno Regni Imperatoris Theodosii praecepit ille suis* MISSIS *prouincias orbis terrae in longitudinem & latitudinem mensurari.* Mox, Duodecim versus prædictorum Missorum de Imperante Theodosio:

Hoc opus egregium, quo mundi summa tenetur:
Æquora quo montes, fluuii, freta, portus & vrbes
Signantur: cunctis vt sit cognoscere promptum.
Quicquid vbique latet, clemens genus, inclyta proles,
At per saecla pius, totus quem vix capit orbis.
*Theodosius Princeps, venerando iussit ab orbe **
** re ore.*
Confici ter quinis aperit cum fascibus annum,*
*Supplices * hoc famuli, dum scribit, pingit & alter*
Mensibus exiguis, Veterum monumenta secuti,
In melius reparamus opus, culpamque priorem
Tollimus, ac totum breuiter comprendimus orbem.
Sed tamen hoc tua nos docuit sapientia Princeps.

Hi ergo Togati *hic* sunt. Male *Cod. Iust.* hic exhibet *rogator*: Cuius causa ludos hic faciunt, qui nescio quos Rogatores nobis hic creant ministros Metatorum ac Apparitores; ita dictos, siue a rogandis, siue a vocandis hominibus vt præsto essent: siue a *Roga*, id est, erogatione militaris annonæ, quam isti exigerent; quomodo, & ῥογάτωρ pro opinatore apud Nicetam & Curopalatem: Quas omnes nebu-

nebulas dispellet *hic Codex*. Interim notetur & hic casus mirabilis, quo de suo quid vltro dare quis prohibetur, cuiusmodi prohibitiones plures *hoc Codice* occurrunt, ob iustam videl. præsumptionem metus & concussionis.

Tertia conditio est, vt celeriter commeantes transeant, neque diu in prædio aliquo hospitalitatis iure resideant, ne alioquin diuturnitate moræ prædium vlla ex parte vexetur; Breuiter Deuoti possessores Africæ, etsi hospitalitatem publicis personis iter agentibus denegare non possint, ab omni tamen inquietudine liberantur, iisque prospicitur triplici illa ratione: scilicet vt *Commeantes Mensorem præmittere non possint, vt celeriter transire debeant, vt nihil annonæ vel capiti exigere*; Addatur, neque sponte cui quidquam præbere licere: Qui casus singularis est, quo de suo liberalem esse non licet.

XI. (a) Idem AA. Probo (b) C. S. L. Post alia.

DE hospitalitate Iudicum, & omnium (c) personarum, quid sibi etiam ipse possessor præsumere (d) debeat; quaue censura omnia, quæ ad sui (e) dispendium pertinebunt, (f) submota sint, iam missa super hac re auctoritas (g) declarauit, Prælata (h) literis ad Eutychianum Præf. Vrbi. (i) Dat. IIII. Id. Ian. Constantio & Constante VV. CC. CONSS. [414.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustinianeo*: nempe quia nihil distincte definit. *GOTHOFR.*

(b) Eidem *Probo Com. S. L.* inscribitur hoc ipso anno *lex 24. de cohortalib.* quæ data *Rauennæ*: vnde liquet, Probum hunc Comitem S. L. fuisse per Occidentem: item Eutychianum, cuius *in fin. leg.* fit mentio, fuisse Præfectum V. Romæ. *ID.*

(c) Qui scilicet publici negotii causa iter agunt: vid. *leg. superiorem. ID.*

(d) *Præsumere*, id est, ante sumere, eligere: Vide *leg. 5. supra. ID.*

(e) Id est, *possessoris*, qui a Commeantibus vexabatur, quibusdam exactis. *ID.*

(f) *γρ. Pertinebant. ID.*

(g) *Auctoritas*, pro lege: v. *Gloss. & Paratitl. de Constitut. Princip. ID.*

(h) De hoc subscriptionis genere, v. idem *Paratitl. de Constit. Princip.* & quæ dico ad *l. vn. si per subrept.* Dubium tamen, an non potius hæc verba superioribus connectenda sint, quasi auctoritas quam allegat prælata fuerit literis ad Eutychianum Præfectum Vrbis. *ID.*

(i) Romæ: vid. quæ *supra* notaui ad *inscript.* in MS. perperam *Fundi. ID.*

COMMENTARIVS.

MODVS hospitalitatis seu metatorum, publici negotii ergo commeantibus præbendorum (veluti iudicibus) qualis esse deberet, anteriore aliqua *lege* iam *Honorius* constituerat: idque duobus Capitibus comprehendebatur. Primum, quamnam domus partem dominus sibi præsumere & eligere posset? Et vicissim, quantam hospiti relinquere? de quo alioquin fuit iam *lex 5. sup.* & erit *lex vlt. inf.* Alterum caput erat, de omni præbitione seu exactione ab hospite prohibenda, de quo ad *leg. super.* & ad *leg. prox. seq.* Eam igitur constitutionem confirmat: & ad eam sese *hic* refert Honorius.

HOSPITALITATIS *præbitio per Africam rursum tollitur: & priuati postulatio.*

XII. (a) Idem AA. Hadriano Proc. (b) Africæ.

HOc (c) prospectum est, vt infausta hospitalitatis præbitio tolleretur, nec priuatum (d) quisque (e) a domino ædium postulet. Dat. v. Non. Mart. Rau. Constantio & Constante CONSS. [414.]

NOTAE.

P. 355 (a) Lex 6. *Cod. Iust. eod. tit.* Et iungenda huic *legi* sunt *lex 11. sup. de Curiosis*; *lex 33. sup. de erogat. milit. annonæ. GOTHOFRED.*

(b) Emendanda est hæc inscriptio hunc in modum (vt etiam ostendunt *dictæ leges* huic coniungendæ) *Hadriano PP.* Et sane Hadrianus non Africæ Proconsul, sed Præfectus Prætorio fuit, ab anno 411. vt docet *lex 13. inf. de infirmandis his quæ sub Tyrannis. IDEM.* Male etiam se habet inscriptio Cod. Iust. *Procur. Africæ*, quod docere potest inprimis *d. l. 11. supr. de curiosis* eodem die, iisdemque Coss. data ad *Hadrianum PP. post alia.* Neque etiam *Procuratori* qui inter fiscum & priuatum cognoscebat, aliquid cum *metatis* commune. *RITTER.*

(c) Patet ex dictis, retrahendam vocem *Africæ* ad initium *huius legis*; vt ita legatur: *Africæ hoc prospectum est. Hoc*, id est, hac ratione, non *hoc Edicto*, & eundem prospectum *leg. 10. supr. GOTHOFRED.*

(d) *Balneum* substitutum *Cod. Iustin.* vid. *Gloss. ID.*

(e) *Quisque*, pro *quisquam*: vt *Cod. Iust. IDEM.*

COMMENTARIVS.

Modum hospitalitatis per Africam; iam antea constitutum *l. 10. sup.* hac rursum constitutione Honorius confirmat. Et hac quoque parte Africæ prospectum magis magisque cupiens, cui aliis quoque capitibus consultum fuit: duabus inquam illis *legibus*, quas *huic* nostræ coniungendas esse dixi, puta *l. 11. sup. de Curiosis*, & *l. 33. sup. de erogat. milit. ann.*

Duo igitur *hac l.* statuuntur: Primum, *vt infausta hospitalitatis prabitio tollatur:* Quibus verbis quid intelligendum sit, anxie quæritur. Græci notante Cuiacio *ad leg. 6. Cod. Iust. h. t.* ita interpretantur, *si id petatur vt hospites strigillent equos:* Item vt *σάβανα conferant.* Cæterum *σάβανα*, nil aliud sunt quam *lintea*, vt aliunde disci potest, quorum vsus abstersioni maxime in balneis, de quibus mox: & alibi, vt docet Hierocles *ἱππιατρ. lib. 1. cap 34.* Et *colloquium Scholasticum vetus.* Et Gregorius *M. lib. 3. Dial. cap. 17.* & Medicorum non vnus. (a) Vegetius *artis veteriuaria lib. 3. cap. 47. Post Sibanis validioribus abstergetur, & denuo vnctum operiatur:* Marcellus Empyricus de medicamentis *cap. 5. Caput laues, & crasso Sabano dihgenter siccabis.* In *Glossario* quoque Cyrilli *σάβανον sabanum, leucium,* vbi reponendum *linteum:* vt Iuuenalis *Satyr. 14 v. 22. Vritur ardenti duo propter lintea ferro:* Vbi Scholiastes: *id est, sic feruns cruciatur, propter duo fabana.* Cuiacius *ad leg. 6 Cod. Iust. h. t.* putat, *infausta hospitalitatis prabitione* etiam accipi posse, si ab hospitibus petantur scorta, quod *h. l.* prohibeatur: ne scilicet (vt h c Cuiacii sententiæ addam) fit illud Catulli, *Ille Domumnobis, atque dedit* DOMINAM. Verum restituta huius *legis* Inscriptio, & *lex* ipsa collata, cum *lege 12. sup.* ostendit per *infaustam hospitalitatis prabitionem* intelligendum, illud omne illicitæ exactionis genus; quod sibi commeantes vel ad annonam, vel ad capitum seu pabulum animalis præberi iubebant, & exigebant, more improbato, quod & ipsum ab Officialibus, de quibus etiam agit *l. vn. ne damna prouincialibus infl.g.* exigi consuetum, & in ciuitatibus, & in mansionibus, puta vt tam sibi quam animalibus alimoniæ sine pretio ministrentur, docet *l. 2. inf. de contuss. Aduocat. & Apparitor.* Itaque quem *sceleratum morem prabendi*, vocat *l. 10.* hæc nostra *infaustam* præbitionem nominat. *Infaustum* dicitur quidquid prouincialibus noxium est & damnosum. Ita *infaustum officium Tribunorum* (per Africam pariter) missurum, & sub huiusmodi professione Prouinciam vastantium *leg. vlt. de desertoribus.* *Prabitionis* voce hac in re pariter vtitur *l. 2. inf. de Salgamo.*

Secundo prohibetur *h. l.* quisque, id est quicumque, (etiam Comites & Tribuni scilicet,) Priuatum a Domino ædium postulare. Tribonianus pro *balneo* id accepit, & ideo eius loco in *Codice* suo *Balnei* vocem substituit: Et ita quoque Græci interpretati. Iulianus Ascalonita, *apud Harmenopulum περὶ βαλανείου κτίσματος, lib. 2. tit. 4 § 23.* Et Prochorus *de rebus gestis S. Ioannis Euangelista: ἦν δὲ πριβάτον ἀνὰ μέσον τῆς ὁδοῦ καὶ εἷς ἐκ τῶν ἱερέων εἰσελθὼν ἐν τῷ πριβάτῳ λούσασθαι, ἀπεπνίγη.* Et hanc interpretationem iuuat *lex 1. inf. ne Comitib. & Tribunis lauacra prastentur*, ibi, *Nec vllas priuatas ab his succendi balneas.* Neque alio sensu in veteri Romæ descriptione, Regione XIII. *Priuatum Hadriani* accipio *in Notit. Imper. in descript. vrb. ram.* Sane & in Vrbis Constantinopolitanæ veteri descriptione per singulas regiones numerus *Balnearum priuatarum*, & *pistrinorum priuatorum* adiicitur, & tandem colligitur. *Vid. Petri Gyllii Constantinopoleas Topographiam pag. 347. & 417. edit. Lugd. B. 1632.* & *Notit. imper. in vrbis Constantinopol. descriptione.* De priuatis his balneis, est quoque *lex 3. inf de caliat. donat.* Ergo *priuatum* hic absolute & substantiue pro balneo. Quanquam Hesychius priuatum quoque interpretatur locum Ergasterii: *πριβάτον, τόπος ἐργαστήριον.* Quæ interpretatio si admittitur, respondebit hæc lex *legi 5. supra, v. ef. Ergasteria.* Quidquid sit vt ex *hac. l.* ita ex Prochoro & Hesychio discimus *Priuatum* substantiue & absolute dici. Ex *hac* inquam *leg.* cui hac parte nil desit; etsi quoad cætera *caterat* vt loquuntur.

(a) Collegerat hæc loca Cl. Meursius *in Glossario voce σάβανον.* Plura habes apud Carolum du Fresne *in Glossar. med. & infim. græcit. voc. cad.* & in Glossar. med. & inf. latin. *voc. sabanum.* Ita in glossis MS quas citat, est: *Sabanum linteum villosum*, & in antiquo glossar. MS. *Manutergium ad tegendas manus vocatum, sabanus autem græcum est.* Et in Lexico græc. MS. regio Cod. 930. *περίβλημα, τὸ σάβανον τὸς ἱδρῶτας τῶ σώματος ἐκμάσσον.* *Sauanum* dixerunt multi ex antiquis, enontiatione græca. Vide porro Nicolaum Mirepsi *de antidotis Section 1 cap. 190.* ibidemque notas. *σάβα* … accurate Codex antiquus Vindobonensis, in argumento epistolæ S. Basilii ad Simplicium apud Lambecium *Bibl. Cæsar. lib. 3. pag. 132.* … *προσέταττε ἐνέχυρα καὶ κεραμέας ῥίψαι τὰ* ΣΑΒΑΝΑ *αὐτῶ ἔξω*, quod miror, editorem Gallum non animaduertisse. Recte etiam in homiliis Scholasticis antiquis, illud: *κατάγετε σάβανα εἰς τὸ βαλανεῖον*, obseruante Iacobo Cuiacio *Obseruat. IX 1.* Locus tamen ex antior non est, quo probari posset, ΣΑΒΑΝΑ fuisse *lintea, quibus in balneis siccabantur loti*, quam inter Medicos latinos Marcelli, Ex magistri Officiorum *libr. de medicam l. c. in Comment. Caput*, inquit, *laues, & crasso sabano diligenter siccabis, spongia demersis, & linteo vel sabano intorta vtrimque expressis. Radices beta lauabis & expressas sabano siccabis Sabano molli leniter deterges. In frigidam merge, & postea sabana diligenter exsicca. Melius erit, si hanc potionem post balineum in sabanis adhuc constitutus acceperis. Debis exuuati statim a balineo, ita vt dum Sabanis operitur, bibat.* Adde elegantem locum Palladii *lib. 7. tit. 7.* Isidorum Origin. *XIX cap. 26.* Casaubonum ad Sueton. *c. 83.* Barthium *Aduers. 99. 6.*

Permutata *cum priuatis loca (veluti* TVRRES *noui muri vrbis Constantinopolitanæ) metato obnoxia sunt.*

XIII. (a) Idem AA. Eustatio PF.P. (b)

Deuotissimos (c) milites, ex procinctu redeuntes, vel proficiscentes ad bella, Muri Noui, *(d) Sacratissimæ Vrbis singulæ Turres in pedeplanis suis suscipiant. Nec (e) aliquis possessorum (f) grauiter ferat, quasi illa dispositio (g) neque super pu-

blicis ædifieiis processerat (h) violata: cum priuatæ quoque domus tertiam (i) partem, talis rei gratia, soleant exhibere. Dat. V. (k) Non. Mart. Constp. Honorio XIII. & Theod. X. AA. CONSS. [422.]

N O T A E.

(a) Lex. 7. *Cod. Iust eod. tit.* vt hæc *lex* intelligi possit, adhibenda in consilium *lex 51. inf. de operibus publicis* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Eustathius* PP. Orientis scilicet sub Theodosio Iun. v. *Prosop.* *ID.*

P.356 (c) *Deuotissimi milites, h. l. & l. 17. de erogat. mil. annon. & l. 2. de excoct.* *ID.*

(d) Fit eius quoque mentio *d. l. 51.* *ID.* *Noui* abest a vulgatis Cod. Iust. edit quam vocem Cuiacius restituit ex hoc Cod. *RITTER.*

(e) Reliqua omnia, velut Historica & *χρονικὰ* Tribonianus omisit. *GOTHOFR.*

(f) Per quorum terras murus ductus fuit. *IDEM.*

(g) Locum ita restituo, *quasi illa dispositione, quæ, &c processerat, violata.* Minus recte qui nuper emendabat: *quasi illa dispositio, quæ super ædificiis publicis processerat, violetur.* *ID.*

(h) Intelligit dispositionem *d. l. 51.* *IDEM.*

(i) Vid. *leg. 5. supr. h. t.* *RITTER.*

(k) Abest nota numeralis a Cod. Iust. Cuiacii sed agnoscunt eam vulgati. *ID.*

COMMENTARIVS.

PERMVTATIONIS cuiusdam vice concessa e publico priuatis loca, pleno quamlibet iure, non ideo tamen a metato immunia esse definit *hac l.* Theodosius Iunior. Quod vt recte intelligatur, species & quidem Historica, huiusce *legis* apponenda est: adhibita in consilium *lege 51. inf. de operib. publicis.* Vnde desumpta est *lex 18. Cod. Iust. eod. tit.* Constantinopoli scilicet (circa A. D. 412. vel 413.) *Murus nouus* ad munitionem vrbis extrui cœpit a Theodosio Iuniore, huius *legis* Auctore, studio ac prouisione Anthemii P. P. (non vt Cuiacius notauit *ad leg. 7. Cod. Iust h. t. Cyri PP.* vt ostendam pluribus ad *eam l. 51. inf.*) Eum murum, quia per priuatorum quorundam terras *celebrari*, duci, extrui, oportebat, Theodosius, velut contractu quodam permutationis inito, turres eius muri priuatorum illorum vsui deinceps deputandas duxit: vti discere est ex *d. l. 51.* cuius verba hic apponenda sunt. *Impp. Honor. & Theodosius AA. Anthemio PF. P. Turres Noui Muri, qui ad munitionem splendidissimæ vrbis extructus est, completo opere, præcipimus eorum vsui deputari, per quorum terras idem Murus studio ac prouisione tuæ Magnitudinis ex Nostræ Serenitatis arbitrio celebratur: Eadem lege in perpetuum & conditione seruanda, vt annis singulis hi vel ad quorum iura terrula demigrauerint, proprio sumptu earum instaurationem sibimet intelligant procurandam, earumque vsu, publico beneficio potientes, curam reparationis ac sollicitudinem ad se non ambigant pertinere. Ita enim & splendor operis, & Ciuitatis munitio cum priuatorum vsu & vtilitate seruabitur.* *Dat. Prid. Non. April. Lucio V C.* CONS. 413. Cæterum huius Muri Noui fit quoque mentio *l. 18. Cod. Iust. de Sacrosanct. Eccles.* & *Nouell. Iustin. 59. cap 5.* & apud Zonaram *in reb. gest. Theodosii Iun.* in Chronico Alexandr. *A 439 Theodos. A XVII. & Fest. Coss. pag. 731. edit. Raderi.* Marcellini *Chronico A. 447. Ardabure & Callepio Coss. pag. 41. edit. Scaliger. in thesaur. tempor.* (a) Ita addictis igitur Turribus Noui huius Muri priuatorum vsui, & quidem cum reparationis annuæ onere, quæri cœpit, an a metati onere immunes essent Turres illæ? Quod affirmandum videbatur, hac dubitandi ratione, quod *d. l. 51.* (quæ *hic* indicatur) publico beneficio, permutationis cuiusdam vice, harum turrium vsus simpliciter citra exceptionem vllam, imo & cum onere reparationis, priuatis, quorum terræ occupatæ fuerant, deputatus fuerat: Atque ideo si hæ turres ad metati onus tenerentur, dispositio *d. l. 51.* violari videretur. Sed tamen contra rescribit *h. l.* Theodosius, non ideo scilicet a metati onere immunes has terras esse, ideoque milites, siue a militia Constantinopolim redeuntes, siue Constantinopoli ad militiam proficiscentes, in *pedeplanis* saltem earum turrium, & quidem singularum, suscipi oportere. Hac ratione, quod priuatæ quoque domus huic oneri subiaceant. Atenim Turres illæ, earumque vsus priuatis addictus, priuatarum & occupatarum terrularum locum vicemque subeant, quæ sane tertiam partem metati gratia soleant exhibere: quod etiam definitur *l. 5. sup.* & indicatur *l. 11.* Quod ad eam quoque regulam confirmandam facit, & deinceps adferri potest, subrogatum sapere naturam eius cui subrogatum est. Ex hac interim proportione colligi quoque possit, Turres illas *τριςέγυς* fuisse. *Pedeplana* porro sunt *ἐπίπεδα*: itaque Græci hoc loco obseruante Cuiacio *ad leg. cit. 7. Cod. Iust. h. t.* εἰς τὺς πύργυς τῦ καινῦ τείχυς Κωνςαντινυπόλεως ἐν τοῖς ἐπιπέδοις καταμένυσιν. Pedeplana sunt pars illa ædificii solo proxima quæ pede plano aditur: Nos vocamus *Rez: eas* *εὐρυχωρίας* prisci quoque Græci vocasse videntur, Philo *in Poliorcetic.* τῶν δὲ τειχίων ἁπάντων αἱ ἐκθέσεις καὶ ἐγκλίσεις καὶ τὰ ἐπικάμπια, καὶ αἱ εὐρυχωρίαι, ἁρμόττοντες τοῖς ὑπάρχυσι τόποις λαμβάνονται. *Plateformes.*

Cæterum huic *legi* occasionem dedit reditus militum hoc anno ex procinctu Persico: quod innuunt illa, *Deuotissimos milites ex procinctu redeuntes:* Pax quippe cum Persis hoc anno inita, vt docet diserte Socrates. *lib. 7. cap. 20.* & Marcellinus *Chronico, his Coss. pag. 39. edit. Scaliger.*

Et ita quidem hæc *lex*, cuius tantum pars prior in *Codicem Iustinianeum* relata est, recisa posteriore velut historica, quæ tamen ad *huius l.* intellectum plurimum facit, accipienda est; quam interpolatam Iustinianei Codicis Interpretes non intellexerunt, quamque adeo accipiunt multi de publicis locis: atque inde perperam axioma istud conficiunt; in vrbibus ipsis prius publica loca, metatis apta, quam priuata ciuium habitacula, metatis occupanda esse.

(a) Vide Petr. Gyllium *in Topograph. Constantinopol. lib. 1. cap. 3.* adde *Chronologiam Cod. Theodos. an. 413.* & ibi Ant. Pagium. plura videbis a me obseruata infra *ad leg. 51. de Oper. publ.*

IMMVNI-

Immvnitas *omnis cessat præsente Principis Comitatu.*

XIIII. (a) Impp. Theod. & Valentin. AA. Helioni Patricio (b) & Magistro Officiorum.

Vniuersi cuiuslibet Ordinis, cuiuslibet etiam Dignitatis, si quidem felicibus pro salute Reipublicæ expeditionibus occupati, aliarum prouinciarum, aliarumque Vrbium domiciliis detinentur, (c) propriis domibus, nullo vetante, pro Dignitatibus suis, vel præstitis sibi beneficiis perfruantur. (d) Si vero secundum communia vota, securi intra huius florentissimæ Vrbis (e) tecta residemus, nullius specialiter domum, Inlustrium quoque etiamsi ad summa conscenderent (f) fastigia dignitatum, præter singulas tantum in quibus eosdem manere constiterit, excusari ab hospitibus præcipimus, cessante omni beneficio Principali. Dat. X Kal. Iul. Constantinop. Hierio & Ardabure VV. CC. conss. [427.]

NOTAE.

P. 357 (a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Meminit *huius leg.* mox ipse Theodosius *l.* 18. *inf. de Medicis & Profess.* GOTHOFREDVS.

(b) Vide & *legem* 30. *sup. de Agentibus.* Et quæ dixi de *Patricii* dignitate alterius accessione, *ad l. vn. sup. de Consulib. & Patriciis.* De hoc Helione Patricio, vide Socratem *lib* 7. *cap.* 24. *in fine.* ID.

(c) *γρ. Detinemur*, sensu apertissimo. Vt mox *residemus*, opposita enunciatione. ID.

(d) Id est, integre, illibate fruentur. v. *Gloss.* ID.

(e) Constantinopolim intelligit. ID.

(f) *γρ. Conscenderint*: Quanquam & illud tolerari potest. IDEM.

COMMENTARIVS.

Immvnitatem a metato omni siue dignitate, siue beneficio Principis quæsitam in Vrbe Constantinop. cessare præcipit Theodosius Iun. præsente Principis *Comitatu* hac Constitut. quam mox ipse memorat, eique ex parte derogat, paulo post hoc ipso anno *l.* 18. *inf. de Medicis & Professorib.* Beneficio porro quæsitæ huius immunitatis exemplum iam quoque in *Fabricensibus* vidimus *l.* 8. *sup.* Dignitate quæsita, in Illustribus exemplum est. Et Illustres igitur huic quoque oneri subiacent, eorumque domus, singulis tantum eorum domibus exceptis, vt iam quoque dictum fuit *l.* 3. *sup.* Breuiter, *Immunitas non valet, nisi Principis Comitatu absente: contra cessat, præsente. h. l.* & *d. l.* 8. *sup.*

Domvm *ipse habens in vrbe Constantinopol. metatum in aliena exigere non potest.*

XV. (a) Idem AA. Ioanni Comiti, & (b) Magistro Officiorum.

Nemo in hac (c) Alma Vrbe, qui propriæ domus possessione lætatur, militari sacramento munitus, alterius domum infestare pertemptet, sed aut sua contentus, (d) abstineat aliena, aut certe in suis recipiat, qui in alterius sibi metatum existimat vindicandum: Nec enim videtur esse conueniens, cum Inlustribus viris vnam (e) in qua ipsi habitant domum excusare concessum (f) sit, alios & suas (g) omnib. domus extruere, & alienis ædib. inferre molestiam. Dat. VIII. Kalend. Mar. Constantinop. Theod. A. XIII. & qui fuerit nuntiatus. [430.]

NOTÆ.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* Concordat huic legi Nouella Theodosii 32. de metatis. Forte *huic* iungenda *lex vn. Cod. Iust. de Palatiis.* GOTHOFR.

(b) Ad duos hanc *leg.* emissam puto: ad Comitem S. L. Scil. *Ioannem*, & ad alium *Magistrum officiorum scil.* Fuit enim hoc tempore *Ioannes Comes S. L.* vt docet superiore anno *lex vlt. inf. de Iudæis*, & ex actis Concilii Ephesini patet, quod habitum A. D. 431. IDEM.

(c) Constantinopolim intelligit. ID.

(d) Videm similem locutionem *l.* 2. *sup. finium regundorum.* IDEM.

(e) Hoc extensum postea *l. prox.* & *d. Nouell. 32.* *ID.*
(f) *Leg. 3. & 14. sup.* *ID.*
(g) *vg. Et suis omnes domibus extrudere.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DOMVM PROPRIAM in loco vbi metatum exigitur (veluti Constantinopoli *in sp. huius leg.*) habens ipse militaris, quicumque tandem, etiam Illustris cuiuscumque loci vel Ordinis, ius metati exigendi in aliena non habet: Sed vel sua contentus esse debet, vel si nolit, hospites in suam recipere cogitur ex *hac* Theodosii Iun. *constitutione:* Et iterum *Nouella 32. de metatis;* Hoc argumento eleganti satis: quod Illustres tantum id priuilegii habeant, vt domum in qua ipsi habitant a metato excusare possint, nil vltra: Vt plane inconueniens sit, alios quam Illustres non tantum suas domus excusare, seu suis domibus alios *extrudere*, verum etiam in alienis metati ius exigere. Est ergo argumentum *a iure constituto.* Ait lex, *Nemo*, id est, militaris cujuscunque etiam sit ordinis, quomodo expresse *d. Nou. 32. neminem cuiuslibet loci vel ordinis:*

ILLVSTRI *dignitate functorum a metato immunitas diligentius & plenius a* Theodosio Iuniore *retractatur.*

XVI. (a) Idem AA. Valerio (b) Magistro Officiorum & Ex-Cons. (c) Ordinario.

CONSVLARIS (d) viri binas proprias domos in hac (e) alma Vrbe ab hospitum molestia habeant sibi immunes: Sin vero fati munus expleuerint, atque ad libe-
P. 15 ros vel parentes, fratres, sororesue, vxores etiam domus eorum fuerint delatæ, vna e duabus aliena sit a metatorum (f) molestia. Sed & si vnam (g) quis eorum (h) dereliquerit domum, illa ipsa in memoratorum (i) excusetur personis. His vero qui Præfecturæ dignitatem, (k) aut (l) ipsius apicis administratione, aut actu Magisteriæ Militum potestatis, aut quod Præpositi sacri nostri Cubiculi fuerint, aut quod honorarios eiusdem Præfecturæ meruerint codicillos, cum priore Lege vna domus excusaretur, alterius etiam, si habere in hac Alma vrbe eos contigerit, dimidiam partem nostra liberalitate dum in vita versantur, ita excusari decernimus, vt de altera parte dimidia pars tertia hospitibus deputetur; Post fata vero si ad parentes, liberos, fratres, sorores, vxoresue fuerint delatæ, duas ab vna domo partes, ipsis electionem habentibus, metatorum molestia liberari, tertiæ videlicet partis parte tertia hospitibus præstanda. Aliis sane Inlustribus viris, quibus vna domus honoris excusatur gratia, hoc præbendum esse censemus, vt si ipsi decesserint, & eorum domus ad suprascriptas personas peruenerint, medietatem domus quam ipsi elegerint, habeant excusatam, altera videlicet parte dimidia hospitiorum præbitioni in parte tertia subiicienda. Dat. IIII. Id. Mart. Constantinop. D. N. Theodosio A. XV. & qui fuerit nunciatus. [435.]

NOTAE.

(a) Hanc *leg.* suam allegat & ampliat Theodos. Iun. *Nou. de metatis 32.* *GOTHOFREDVS.*
(b) Eidem *Valerio Magistro officiorum* inscribitur hoc ipso anno, & quidem ante hanc leg. *lex vlt. sup. de Princip. agent.* *ID.*
(c) Iam a triennio: anno videlicet 432. vna cum Aëtio. *ID.*
(d) Pro *Consulares*, qui scilicet ex Consulibus sunt: qualis *Valerius*, cui hæc *lex* inscribitur. *ID.*
(e) Constantinopolim intelligit. *ID.*
(f) Possunt etiam hic *Metatores*, id est, hospites ipsi intelligi: eodem modo in eiusdem Theodosii *Nouella 32. de metatis*, qua hæc *lex* indicatur. vers: *idque in omnibus huius almæ.* *ID.*
(g) Vnam tantum scilicet. *ID.*
(h) Consularium. *ID.*
(i) Liberorum, &c. *IDEM.*
(k) Habent *ID.*
(l) Vid. *l. 3. sup.* & *l. 14. 15. sup.* *ID.*

COMMENTARIVS.

INLVSTRI dignitate functorum, IMMVNITAS a metati onere diligentius adhuc *hac* Theodosii Iunioris *lege* retractatur, sed & plenius quam *lege 3. 14. 15. sup.* Diligentius inquam; tribus videlicet Illustrium gradibus distinctis: Plenius autem, immunitate aucta siue extensa per eosdem Illustrium gradus, de quibus alioquin actum fuit *lib. 6.* Sicut igitur Primus Illustrium Gradus est, quo *Consules* comprehenduntur (vt ostensum fuit *titulo de Consulibus*, *supra*:) ita Consularibus (id est, ex Consulibus seu Consulatu functis, duarum domorum integrarum a metato immunitatem

h. l.

h.l. concedit Theodosius Iun. qui idem tamen postea Nouella *de metatis 32.* Consularibus qui auspiciis etiam Patriciatus exultant, id est, qui simul Patricii sunt, ternarum domorum immunitatem a metato tribuit. Secundo Gradui, seu Secundæ Quadrigæ Inlustrium (qua continentur Præfecti Prætorio, Præfecti vrbis, Magistri militum, & Præpositi S. Cubiculi) immunitatem tribuit Theodosius Iun. duarum domorum, exempta sexta vnius domus parte. Tertiæ Quadrigæ seu Tertio Gradui Inlustrium, quo continentur Comites Consistoriani (id est, Quæstor, Magister Officiorum, Comes S. Largitionum, & Comes Rer. priuatarum) unius tantum domus immunitatem tribuit: In hoc vltimo Gradu seruata hacparte, non in Secundo, immunitate pristina.

Ex his interim Gradibus hæc notari possunt, *Comites Consistorianos* loco suo & ordine motos, & in inferiorem Inlustrium Gradum, Præpositis Sacri Cubiculi antelatis detrusos a Theodosio Iuniore, atque adeo Tertio Gradui adscriptos, de quo plene dixi ad *l.3. sup.* Et hæc de diligentiore quam dixi retractat one circa Graduum distinctionem.

Plenius autem in duobus his consultum: Primum, quod cum antea ex *d.l.3.sup.* Actuales tantum Inlustres, quorum *ea leg.* fit mentio, metati immunitate donati fuerint; *hac lege* Honorariis eadem, quæ Actualibus, deferatur immunitas; de qua Illustrium differentia videndus est *Titulus de Honorariis Codicillis*, quod tamen idem Theodosius postea mutauit, redijtque adeo ad *l.3. d. Nouella sua 32. vers. in posterum.*

Secundo immunitatis quoque huius portio quædam ad Illustrium *Hæredes*, hac eadem constitutione propagatur, eadem semper Graduum proportione seruata: Ad hæredes, inquam, propinquos, veluti liberos, parentes, fratres, sorores: quin & vxores, non vltra: Igitur *Consularium* hæredibus vnius tantum domus tribuitur immunitas: Hæredibus *secundi Gradus Inlustrium* vnius domus immunitas, nona parte detracta, quæ metato obnoxia est: *Tertii Gradus Inlustrium* hæredibus, vnius domus immunitas sexta parte detracta, quæ metato subiacet. Illud adhuc singulare hac parte statuitur, vt hæredes dimidiam domus ipsi prius eligant, & tum in altera domus parte immunitatis proportio & ratio ineatur. Et hac quidem parte Theodosius Iun. hanc *legem* postea confirmauit *Nouella sua de metatis 32. vers. in hæredibus.*

P.359 # DE SALGAMO (a) HOSPITIBVS NON PRÆBENDO. (b)

TITVLVS IX.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XLII.

(a) De *Salgamo* dicam ad *l.3.* plene. *GOTHOFR.*

(b) *Præbitionis* vox hac in re propria: quanquam non omnis præbitio *huius tituli* constitutionibus inhibetur, verum coacta tantum. *IDEM.*

Exigere milites *Salgamum prohibentur: Vltro tribui seu præstare permittitur.*

I. (a) Impp. Constantius & Honorius (b) AA. ad Prouinciales. (c)

Qvicvnqve propria voluntate, eum (d) quem domum (e) receperit, necessariis rebus (oleo & ligno, aliisue huiusmodi) voluerit adiuuare, facultatem sibi istius rei sciat esse concessam. Quod si quis contra interdictum nostrum, eadem ipsa a vobis violenter voluerit vsurpare, interpellandi Præpositum (f) habebitis copiam, de (g) qua iniuria conquerendi liberam facultatem; vt nec spontanea in vobis humanitas (h) retardetur, nec contra voluntatem vestram, ac Patronorum (i) vestrorum, familiaris res adteratur. Dat. prid. Id. Aug. Acc. Capuæ, (k) Acindyno & Proculo conss. [340.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Grauis hic error. *γρ. Constantius & Constans. ID.*

(c) An omnes, an Campaniæ? quod indicare videtur: Subscriptio legis. *Acc. Capue. IDEM.*

(d) Militem: nam & mox *Præpositi* fit mentio. *ID.*

(e) Id est, *in domum. ID.*

(f) De

(f) De *Præpositis* rursum agitur *l. 2. prox. ID.*

(g) *γρ. deque ea iniuria:* vel simpliciter, *deque iniuria. ID.*

(h) *Humanitatis* vox hac in re, præbitione inquam specierum annonariarum, propria: vid. *Gloss. Theod. ID.*

(i) *Patroni* hic qui? dicam mox. *IDEM.*

(k) *Capua*, Metropolis Campaniæ. Hinc interim colligi forte possit, Constantem, cui hæc *lex* tribuenda est, fratre Constantino iuxta Aquileiam cæso, in Italia missitum copias habuisse, continendis, vt videtur, in officio *Italis*: exterum exortas aduersus horum immodestiam querelas. Vel certe, dicendum fuerit, abundare hic *Acc.* & Constantem hoc tempore Capuæ fuisse, argumento eorum quæ Athanasius scribit *apol. 1. ad Constantium p. 675. edit. Lipf. ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTIS Imper. hoc Edictum est, emissum ad *Prouinciales*, si non omnes, saltem Campaniæ, vbi hæc *lex* Vrbe Capuæ *Accepta* dicitur. Hoc vero Edicto Constans, pariter vt Constantius *l. 2.* Theodosius M. *l. 3.* Theodosius Iun. *l. 4.* vetat, ne quisquam miles, hospitio receptus a Prouinciali hospite suo quidquam exigat, violenter vsurpet seu extorqueat metati iure, veluti oleum, vinum, lignum, aliaque huiusmodi: sed sponte tantum seu propria voluntate ea tribui, iisque hospitem iuuare concedit: Quod & ipsa sententia est omnium *legum* quæ hoc *titulo* contioentur. Vltro tributa scilicet, seu spontanea *humanitas*, vt *hac l.* vocatur, non inhibetur; verum *violenta vsurpatio*, vt *hac leg.* rursum dicitur; ablatio ab inuitis & præbitio, *l. 2.* postulatio, *l. 3* flagitatio. *l. 4.* Et postea tamen aliquando spontanea quoque hæc prouincialium humanitas, & oblatio seu præbitio prohibita fuit; *l. 10. sup. de metatis*, & *l. vn. Cod. Iust. hoc tit.* (quæ alioquin ex *l. 2. huius tit.* desumpta est:) Impressionis scilicet & violentiæ semper suspicio hic subest, quam anteuertisse tantum, spontanea oblatione, seu vltronea præbitione miser prouincialis creditur; quamlibet vim miles aperte non intentet, solo tamen militaris nominis terrore atque obtentu vim quandam facere creditur: vim & minas *leges* illæ duæ non requirunt: denique sufficit, vt miles cingulo suo terribilis sit, vt in simili loquitur *lex vn. supra, si prouinciæ Rector*, vbi plura. Ad hanc interim prohibitionem, & disciplinæ militaris speciem pertinet quoque, quod Spartianus de Pescennio Nigro scribit *c. 3. Nunquam sub eo miles prouinciali lignum, oleum, operam extorsit.* Et Aurelianus Tribunus postea Imperator ad Vicarium suum, apud Vopiscum, qui scripsit sub Constantio *in Vit. Aurelian. cap. 8. Si vis tribunus esse,* P. 360
immo si vis viuere manus militum contine: oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit: de præda hostis, non de lachrymis prouincialium habeat. Et mox: *in Hospitiis caste se agant.* Quorum priore loco non est quod reponat, aut malit quis, *Prouinciali sal, lignum, oleum:* nam & ita prorsus solum oleum & lignum huius tituli *legibus* omnibus memoraotur, nulla salis mentione facta.

Duplici porro remedio Constans Imp. hoc Edicto Prouincialibus aduersus huiusmodi militum impressiones, Salgamum violenter vsurpantium consultum it. Primo quidem, conquerendi facultate Prouincialibus tributa apud *Præpositos*, militum scilicet (de quibus quoque *l. 2. inf.*) qui disciplinæ scilicet militari præerant, cuius pars nun vltima ea est, vt militum manus contineant; quod et am superior Aureliani Tribuni ad Vicarium suum *Epistola* docet, quo denique pertinent omnino loca quæ ex Spartiano & Vopisco modo retuli.

Secundo, *Patronorum* præsidio: Qua appellatione obscurum, quinam indicentur? Accipiat quis Magistratus; nam & ita *l. 2. prox. Nec inuitis Magistratibus vel hospitibus in prædictis speciebus aliquid auferant*, vbi plura. Scilicet Magistratos illi, Magistrique pagorum, prouincialium quodammodo Patroni defensoresque fuere. Putet alius de Patronis Vicorum id accipiendum, qui rum liciti fuerint: de quo *tit. de patrociniis Vicorum*: & ad Libanium *orat. περὶ προστασιῶν*: Annon vero patroni potius *hic* sint *domini* colonorum, actorum, procuratorum? Id omnium maxime mihi placet.

Tertium remedium *hac lege* non continetur, pœnarum videlicet sanctio, quæ contioetur *l. 2. prox.*

II. (a) Idem AA. (b) Leontio PF. P. (c)

NE quis, Comitum, vel Tribunorum, aut Præpositorum, (d) aut Militum nomine, (e) culcitas, lignum, oleum a suis extorqueat hospitibus, (f) nec inuitis vel Magistratibus (g) vel hospitibus in prædictis speciebus aliquid auferant: (h) sed prouinciales sint (i) nostri ab hac præbitione (k) securi: Comitibus, Tribunis, vel certe Præpositis militibusque, graui vexationi (l) subiacentibus. Dat. V. Id. Octob (m) CONSS. *

NOTAE.

(a) Lex *vn. Cod. Iust. eod. tit.* ex *hac l.* interpolata est. *GOTHOFR.*

(b) Vulgat. Cod. Iust. *Imp. Constantinus* A. & Cuiacii Cod. *Imp. Constantinus & Constans AA.* vterque male *Constantinus* enim iam *anno* 340. cæsus fuit, & *Leontius* vt vides nota sequente, demum ab anno 342. Præfecti Prætorio dignitate inclaruit. Vides iam quid seduxerit Balduinum, vt hanc legem *Constantino* tribueret, errore duplici, patreum etiam cum filio confundens. Sunt Codd. præferentes inscriptionem: *Imp. Constans AA. Leontio PP.* Sed recte noster Constantio tribuit legem, *Leontius* enim *PP. Orientis* erat, testantibus id legibus quas notatas vide in Chronologia *RITTER.*

(c) *Leontius* hic PP. erat Orientis: arg. subscriptionis *l. 6. infr. quorum appellat l. 5. inf. de falsa mon. l. 35. inf. de Decurionib. v. Prosopogr. GOTHOFR.*

(d) De his *Præpositis* agitur & *l. 2. sup. ID.*

(e) *Salga.*

(e) *Salgami gratia*, add. a Tribon. Vid. & *l. 3. inf.* *IDEM.*

(f) *Sed nec volentibus hospitibus, in prædictis speciebus aliquid auferat* (*auferant.* Cuiac Cod.) loco illorum *nec inuitis* usque ad *auferant*, Tribonianus in *Cod. Iust.* edidit: quæ congruunt *leg. 10. sup. de metatis.* *ID.*

(g) *Magistros* pagorum intelligo, aliosque Magistratus, de quibus mox *ID.*

(h) Eadem vox *l. 29. sup. de erogat. mil. ann.* *ID.* Editio quæ in 4to prodiit, legit *auferat* quomodo Cod. Iust. non male *RITTER.*

(i) Hæc vox in MS. clare habetur: quæ hactenus in editis omissa: quomodo & Codex Iustinianeus exhibet, *sed prouinciales sint.* *GOTHOFR.*

(k) *Prabitionis* vox hac in re propria. vid. *Rubricam, & l. 10. inf. & l. 12. sup. de metatis.* *ID.*

(l) Consules hi absunt in M. S. Sed procliue eos restituere vel ex A. 342. vel 343. vel 344. quo triennio Leontius cui hæc *lex* inscribitur, Præfectus Prætorio fuit: idemque Consul A. 344. vide *Chronol. & Prosopogr. Th.* ego referam ad A. 344. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. hæc constitutio est, non Constantini, vt voluit Balduinus *de leg. Constantini M. lib. 2. pag. 89. edit. Halens.* in eandem sententiam, quæ *legis 1. sup.* & *legis 3.* & *4. inf.* Singularia, quæ in *hac l.* multa occurrunt, tantum sectanda veniunt.

Primo ratione *Personarum:* Nempe Interdictum istud, non ad gregarios tantum milites pertinere, verum etiam ad Tribunos, Comites, Præpositos (de quorum discrimine alibi plena manu) qui & ipsi salgama ab hospitibus accipiebant in vsus suos: quo respexisse quoque videtur Libanius περὶ τῶν προςατιῶν, *pag. 21. in fin. edit. Gothofred.* Nihilo magis scilicet his ab hospitibus quidquam exigere licet, aut salgami nomine, *h. l.* aut lauacri *inf. tit. ne Comitibus & Tribunis lauacra præstentur*, qui alioquin propter cinguli sui auctoritatem facilius peccandi commeatum sibi faciebant: quibusque maius aliquid concedendum videbatur: Verum ab vna parte prouincialium securitas hanc paritatem exigit; ab altera, & hos obsoniis suis contentos esse æquum est, cum his sufficiant Principis largitates, vt loquitur *lex 4. inf.* De ipsis alioquin Comitibus, Tribunis, Præpositis, iam *superioribus titulis* dictum est.

Secundum singulare est ratione *Rerum:* Nempe hoc Interdictum pertinet quoque ad culcitas: quod & ipsum inculcatur *l. 3. prox.* & sic ad eas quoque res quæ prodigæ non sunt, id est quæ viendo non statim consumuntur. Quod quidem constitutum, non magis militi ad duritiem componendo, quam miseræ plebis solatio, ne videl. culcitis suis defraudentur, atque ideo quiete post diurnos & diuturnos labores.

Tertium singulare est, id quod de *Magistratibus* hac *leg.* adicitur: ne his inuitis in prædictis speciebus aliquid auferatur: Magistratus *hac l.* & *l. 2. inf de Veteranis*, sunt Magistri pagorum: de quibus dixi affatim ad *l. 1. supr. de erogat. mil. ann.* quorumque munus inter cætera erat, annonæ militaris exigendæ, suscipiendæ, & vicissim erogandæ cura, ac nominatim annonæ publicæ præstandæ militi prætereunti, aliiue cui comitatui: quam in rem locus est singularis Siculi Flacci *sive lib. de conditionibus agrorum*, quem ad *d. l. 1.* retuli. Ergo ab inuitis his quidquam exigi vetitum, seu vltra modum ab his præscriptum: vnde & *Patroni* (pagorum) dicuntur *l. 1. sup.* vtpote qui pagos & plebem ab insolentia militum aliorumque defenderent: Nisi Patroni vicorum potius ibi accipiendi sint; de quo P. 361
ad *d. l. 1.*

Postremum singulare est, sanctio pœnarum, *graui*, inquit, *vexationi subiacentibus:* quæ abest a cæteris *huius tituli legibus.* Sane decem librarum auri multa signate imponitur a Theodosio Iun. *l. 10. sup. de metatis.* Cæterum quod & temporum ratio suadet & Inscriptio legis ad PP. videlicet Orientis, pertinet omnino hæc *lex* ad militem Persis oppositum, cum quibus hoc tempore res erat Constantio: de quo Iulianus *orat. 1.* Eusebius, *Chronico:* aliique multi.

III. (a) Imppp. Valentinianus, (b) THEODOSIUS & Arcadius AAA. Abundantio, Stilichoni, (c) & ceteris Comitibus (d) vtriusque (e) militiæ. (f)

NEMO Militans a suo hospite *Salgami* aliquid nomine postulet, id est, ne lignum, aut oleum, culcitæue poscantur. Dat. IIII. Kalend. Aug. Const. Theod. A. III. & Abundantio V. C. CONSS. [393.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem ei *lex 18. sup. de erogat. mil. ann.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Restituendi vt *d. l. 18.* ita & *hac leg.* hi Imperatores. *Theodosius, Arcadius, & Honorius:* de quo ad *d. l. 18.* *Abundantio* huic Comiti & Magistro militiæ inscribitur, præter *hanc leg.* & *d. l. 18* Anno Superiore 392. *lex 120. infr. de Decurion.* De eodem videndus Claudianus, *lib 1. in Eutrop. v. 15*; Zosimus *lib. 5. c. 10.* (qui nominatim ait, eum ἐπὶ Θεοδοσίῳ στρατηγὸν ἀποδεδειγμένον.) & Hieronymus, *in Epitaph. Nepotian. fol. 17. Tom. I. Oper. edit. Francf.* *ID.*

(c) De *Stilichone* dico ad *l. 1. inf. de litorum & itin. custod.* *ID.*

(d) *& Magistris:* hoc amplius in *d. l. 18.* *ID.*

(e) Pedestris, equestris. *ID.*

(f) in Oriente, vid. Claudianum *lib. 1. in laud. Stilichonis, a vers. 173.* *ID.*

COMMENTARIVS.

SICVT PRINCIPIS ærario confiscatæ [ex Gildonis bonis *in huius legis specie*] possessiones rusticæ seu prædia extra vrbana a metati onere immunia sunt, quod constitutum *l. 7. sup.* ita & domus in Ciuitatibus constitutæ, immunes esse debent. Breuiter quod de *prædiis* Gildonis *l. 7. sup.* cautum fuerat, id *h. l.* ad *domos* ex eodem iure venientes, id est, ex iisdem bonis Gildonis promanantes extenditur. Eadem omnino ratione quod præcise *lege XII. Tabul.* cautum fuerat: *de fundi vsucapione*, id interpretatione Prudentum mox ad ædes extensum fuit, vt testatur Cicero *in Topicis pag. 395. edit. Gothofred.* & pro *Cæcinna cap. 13.* Nam vt idem scribit (quod alioquin protritum est.) *Valeat æquitas, quæ in paribus caussis paria iura desiderat.* Æquitatis autem, *in specie huius legis*, ratio hæc redditur: ideo videlicet *domos* quoque a metato immunes esse oportere, quo possint Conductores earum facilius inueniri, Conductores facilius reperiuntur, proposita (metati nominatim) immunitate.

MODVS *hospitalitatis publicis personis, iter agentibus præbendæ per Africam hic constituitur.* I. Mensor *scil. non præmittendus.* II. Annonæ *nihil exigendum aut accipiendum.* III. Celeriter *transeundum.*

X. (a) Idem AA. Ioanni PF. P. (b)

DEVOTVM (c) possessorem (d) ab omni inquietudine liberamus. Primo igitur omnium ad nullum prædium per Africam (e) vel publicum, vel priuatum, domus nostræ vel cuiuscunque (f) iuris, nullus Mensor (g) accedat, si a quoquam (h) fuerit destinatus. Licentiam enim domino Actori, ipsique plebi (i) Serenitas nostra commisit, vt eum qui præparandi (k) gratia ad possessionem venerit, multandi, (l) expellendi habeat facultatem, nec crimen aliquod pertimescat, cum sibi arbitrium vltionis suæ sciat esse concessum, recteque sacrilegium (m) arceat, qui primus inuenerit. Administrantem (n) vero, eiusque Officii Proceres, (o) quorum præcepto (p) inhibitam personam, (q) ad agrum aliquem destinarit, in tempore (r) proscribi debere censemus. Solam sane hospitalitatem, sub hac obseruatione, concedimus, vt nihil ab hospite quod vel hominum vel animalium pastui necessarium creditur, postuletur: omniumque sit adceleratum iter atque continuum, nec vlli liceat residere, ne diuturnitas commanentium (s) vlla ex parte prædium vexet. Decem etiam librarum auri multa ferietur, quisquis Administrator, Togatus, Apparitor vllus aut Militans, vel iter (t) agens, vllo in loco aliquid ab hospite postularit. In tantum enim inhiberi sceleratum (v) morem iubemus, vt ipsis quoque præ-
P. 353 bentibus (x) inpunitum esse non patimur, (y) si quid vel (z) sponte contra præceptum nostrum probati fuerint obtulisse. Dat. Prid. Id. Iun. Rau. post Cons. Honor. VIIII. & Theodosio V. AA. CONSS. [413.]

NOTAE.

(a) Lex 1. *Cod. Iust. eod. tit.* iungenda huic, *lex 16. infr. de desertorib.* Et hæc *lex* indicatur *l. 12. inf.* *GOTHOFREDVS*

(b) *Ioannes* PP. Italiæ sub Honorio, vt vel ex *Africæ* mentione apparet: *v. Prosopogr. IDEM.*

(c) De *Deuoti* appellatione, vide *Glossarium*: Et quidem possessoribus tributa. *ID.*

(d) *Possessor* scil. agrorum: v. *Gloss. Theod.* *ID.*

(e) Sustulit hæc Tribonianus, ratione quæ satis nota est: nempe quia hæc ad historiam pertinent. *IDEM.*

(f) Id est, priuati iuris, seu priuatorum. *ID.*

(g) *Metator*, Cod. Iust. *ID.*

(h) Cuiuscunque dignitatis sit. *ID.*

(i) *Plebis* appellatione intelligit colonos rusticanos: hic & *l. 26. de annona & trib.* v. & *Gloss.* *ID.*

(k) *Præparandi* vox hac in re propria. Cyprianus *ep. 1. lib. 4. (ep. 6. edit. Bremens. Ioan. Oxoniens.)* *Primum hospitium, vobis in carcere præparauit, & metator quodammodo vester, nunc quoque vos antecedit.* ἑτοιμάζεσθαι voce hac in re Græci vtuntur. διὰ τὸ προπορεύεσθαι τοῦ βασιλέως (vel τῆς ἀρχῆς) καὶ κατασκευάζειν καὶ διευθύνειν τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ καὶ τὰς μονάς, *quod præirent Imperatorem, vt vias & domicilia ei præpararent atque concinnarent.* vt loquitur Constantinus *Them. Orient. 4.* Allusum est ab Esaia 40. v. 3. & inde a Matthæo 3. v. 3. Marco 1. v. 3. Luca 3. v. 4. Vid. & Ioan. 1. v. 23. Haud absimilis locutio in *l. 9. sup. de Curiosis.* Et hic quidem, *præparandi* absolute, nullo addito. *ID.*

(l) Recidit hanc vocem Tribonianus propter eius ambiguitatem. Et tamen *multare* h. l. non est condemnationem (pecuniariam scilicet) infligere: Verum male mulctare, & plagis etiam afficere. *ID.*

(m) *Recteque sacrilegium prior arceat.* Ita *Iustinianus* Interim huic *legi* optime respondet *lex 2. infr. ad leg. Corneliam de sicariis*: seu *lex 1. Cod. Iust. quando liceat vnicuique. ID.*

(n) *Admi-*

(n) *Administrantis*, seu *Administratoris*, vt mox *infr.* voce plerumque Rector Prouinciæ indicatur, vel Diœceseos; vid. *Not. Dignit.* *ID.*

(o) *Proceres* officii sunt Primates, Principes: de quibus *sup.* semel. *ID.*

(p) *γρ. Praceptio*, vt Cod. Iust. *ID.*

(q) Mensorem. *ID.*

(r) *In tempus proscribi debere censuimus.* Cod. Iustin. quod de temporali relegatione accipiunt. Illud tamen sustineri potest, pro *eo tempore*, & *illico*. *ID.*

(s) Vt *l. 1. sup.* *ID.*

(t) Reponit Cuiacius *in not. ad leg. 5. Cod. Inst. h. t. interagens*, vel *interagentes*. Male. *Iter agens* h. l. opponitur diutius commanenti: Vetat enim Theodosius etiam ab iter agente quidquam exigi, vel accipi: *Non pas mesmes en passant*; Vide quæ dixi de Cænatico ad *l. 12. sup. de erogat. milit. annonæ*. *Vel iter agens*, id est, nequidem iter agens: *Vel* pro *nequidem*, vt *l. vlt. inf. de Salgamo*: Vel sane: *iteragens* est, quisquis præter Superiores publici negotii ergo iter agit. *IDEM.* Ediderat *Marvillius* ex schedis nostri, *vel igitur*, quod sensum non admittebat. Puto me Gothofredi animi sensa recte expressisse, quamuis hac ipsa obseruatione locum obscurum reddiderit, cui lucem afferre tentabat. Verum est *l. vlt. de salgam. τὸ vel* per *nequidem* explicari posse, sed ea locum hic non habet interpretatio. Rectissime se prima habet, quod vel mediocriter in iure versati, videbunt. *RITTER.*

(v) Vt infausta hospitalitatis præbitio, *l. 12. infr.* *GOTHOFRED.*

(x) Vt *d. l. 12.* præbitio. *ID.*

(y) *γρ. Patiamur*, vt in *Cod. Iustin.* *ID.*

(z) *Vel* abest a *Cod. Iustin.* *RITTER.*

COMMENTARIVS.

MODVS hospitalitatis *hac* Honorii *lege*, quæ singularis ac maxime notanda est in hoc argumento, constituitur: & nominatim quidem per Africam: per AFRICAM inquam, quæ cum variis per hæc tempora malis, concussionibus, deprædationibus, & hospitalitatis nominatim prætextu oppressa foret; his tot & tantis malis Honorius paulatim mederi in animum induxit. Illud igitur *h. L.* cauetur, *Primum*, vt Mensorem, nullus ad possessionem aliquam *præparandi* hospitii gratia mittere possit, cuiuscumque sit dignitatis: Possessoribus alioquin vlciscendi se, & Mensorem mulctandi, expellendi, facultate tributa. Quis singularis casus addendus est illis, qui continentur, quique *Paratitlis* vice suppleri solent, *Titulo Codicis Iust. quando liceat vnicuique se sine Iudice vindicare.* Mensorem igitur Iudici ad agrum aliquem, prædium seu possessionem præparandi gratia destinare non licet: Non quasi prædia in *agris*, a metati seu hospitii iura sine onere immunia sint; quod Cuiacius, aliique credidere, quem arguunt & hæc verba; *Solam sane hospitalitatem sub hac obseruatione concedimus*: Sed ne deuoti possessores, præmissis ita Mensoribus, a priuatis inquietentur. *Hospitalitatem* enim siue tectum, sic vt dicam, administratoribus *commeantibus*, possessores denegare non possunt; sed vt dixi, nullo Mensore præmisso. Atque ita hæc *lex* intelligenda est, explicandaque *hospitalitas*, quæ scilicet transeunti commeanti præbetur, sine præparatione, sine Mensore, quomodo hospiti transeunti præberi solet.

Hactenus prima conditio: vbi notandum est, hanc prohibitionem generalem esse, ratione personarum & prædiorum, cuiuscumque generis prædia sint, siue publica, siue priuata, siue ad domum Principis pertinentia, siue alterius cuiuscumque iuris. Hæc scilicet agrorum seu prædiorum quatuor genera hic proponuntur: vbi prædia cuiuscumque IVRIS, sunt veluti templorum, & similia: de quibus *lib. 10.* Item notandum, vltionem tribui Dominis, Actoribus, & plebi: hæc enim tria hominum genera prædiis incumbebant, Domini prædiorum, Actores eorum, plebs rusticana scilicet colonorum. Tandem notandum, crimen hoc, *Sacrilegium* vocari: vt alias violatores legum, & quidem quæ securitatem prouincialium spectant, Sacrilegii crimine implicantur: de quo vid. *Gloss. Th.*

Secunda conditio, seu vt hic dicitur *obseruatio* hospitalitatis, hæc est, vt nemo quidquam annonæ, vel capiti nomine exigere, vel accipere possit a possessore: siue sit Administrator, siue Togatus, siue apparitor, siue militans vel quicumque alius iter agens, idque sub seuerissima pœna non tantum exigenti, verum etiam offerenti indicta: de quo dicendi locus erit plenior *inf. tit. prox. de Salgamo hospitibus non præbendo*. Itaque & Præbitio illa, *sceleratus mos*, sine *legis* vocatur: imo *infausta* hospitalitatis præbitio, *l. 12.* vbi dicam.

Quod Togatos attinet: videri hi possint Patroni causarum, quomodo etiam hic Græci interpretantur. Malim tamen ipse hic accipere *togatos Augusteos*: Mensores inquam finitionum, seu limitum: Quo sensu Latinus & Myrsontius inter auctores rei agrariæ *Togati Augustorum Authores* vocantur *p. 254. edit. W. Goesii.* Cuiusmodi togati seu Mensores limitum ab Imperatoribus subinde missi fuerunt: Et quidem sub hoc ipso Theodosio Iuniore, vt ostendit Itinerarium Antonini vel Antonii Augusti, qui & ipse Togatorum horum numero fuit. p. 354
Cuius manuscripto regio hæc quoque continentur. *In quinto decimo anno Regni Imperatoris Theodosii præcepit ille suis MISSIS prouincias orbis terræ in longitudinem & latitudinem mensurari.* Mox, Duodecim versus prædictorum Missorum de Imperante Theodosio:

Hoc opus egregium, quo mundi summa tenetur:
Æquora quo montes, fluuii, freta, portus & vrbes
Signantur: cunctis vt sit cognoscere promptum.
Quicquid vbique latet, clemens genus, inclyta proles,
At per sæcla pius, totus quem vix capit orbis.
Theudosius Princeps, venerando iussit ab orbe * ve ore.
Confici * *ter quinis aperit cum fascibus annum,*
Supplices * *hoc famuli, dum scribit, pingit & alter*
Mensibus exiguis, Veterum monumenta secuti,
In melius reparamus opus, culpamque priorem
Tollimus, ac totum breuiter comprendimus orbem.
Sed tamen hoc tua nos docuit sapientia Princeps.

Hi ergo Togati *hic* sunt. Male *Cod. Iust* hic exhibet *rogator*: Cuius causa ludos hic faciunt, qui nescio quos Rogatores nobis hic creant ministros Metatorum ac Apparitores; ita dictos, siua a rogandis, siue a vocandis hominibus vt præsto essent: siue a *Roga*, id est, erogatione militaris annonæ, quam isti exigerent; quomodo, & ῥογάτωρ pro opinatore apud Nicetam & Curopalatem: Quas omnes nebu-

nebulas dispellet *hic Codex.* Interim notetur & hic casus mirabilis, quo de suo quid vltro dare quis prohibetur, cuiusmodi prohibitiones plures *hoc Codice* occurrunt, ob iustam videl. præsumptionem metus & concussionis.

Tertia conditio est, vt celeriter commeantes transeant, neque diu in prædio aliquo hospitalitatis iure residеant, ne alioquin diuturnitate moræ prædium vlla ex parte vexetur; Breuiter Deuoti possessores Africæ, etsi hospitalitatem publicis personis iter agentibus denegare non possint, ab omni tamen inquietudine liberantur, iisque prospicitur triplici illa ratione: scilicet vt *Commeantes Mensorem præmittere non possint, vt celeriter transire debeant, vt nihil annonæ vel capiti exigere;* Addatur, neque sponte cui quidquam præbere licere: Qui casus singularis est, quo de suo liberalem esse non licet.

XI. (a) Idem AA. Probo (b) C. S. L. Post alia.

DE hospitalitate Iudicum, & omnium (c) personarum, quid sibi etiam ipse possessor præsumere (d) debeat; quaue censura omnia, quæ ad sui (e) dispendium pertinebunt, (f) submota sint, iam missa super hac re auctoritas (g) declarauit, Prælata (h) literis ad Eutychianum Præf. Vrbi. (i) Dat. IIII. Id. Ian. Constantio & Constante VV. CC. CONSS. [414.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustinianeo*: nempe quia nihil distincte definit. *GOTHOFR.*

(b) Eidem *Probo Com. S. L.* inscribitur hoc ipso anno *lex 24. de cohortalib.* quæ data *Rauennæ*: vnde liquet, Probum hunc Comitem S. L. fuisse per Occidentem; item Eutychianum, cuius *in fin. leg.* fit mentio, fuisse Præfectum V. Romæ. *ID.*

(c) Qui scilicet publici negotii causa iter agunt: vid. *leg. superiorem. ID.*

(d) *Præsumere*, id est, ante sumere, eligere: Vide *leg. 5. supra. ID.*

(e) Id est, *possessoris*, qui a Commeantibus vexabatur, quibusdam exactis. *ID.*

(f) *γρ. Pertinebant. ID.*

(g) *Auctoritas*, pro lege: v. *Gloss.* & *Paratitl. de Constitut. Princip. ID.*

(h) De hoc subscriptionis genere, v. idem *Paratitl. de Constit. Princip.* & quæ dico ad *l. vn. si per obrept.* Dubium tamen, an non potius hæc verba superioribus connectenda sint, quasi auctoritas quam allegat prælata fuerit literis ad Eutychianum Præfectum Vrbis. *ID.*

(i) Romæ: vid. quæ *supra* notaui ad *inscript.* in MS. perperam *Fundi. ID.*

COMMENTARIVS.

MODVS hospitalitatis seu metatorum, publici negotii ergo commeantibus præbendorum (veluti iudicibus) qualis esse deberet, anteriore aliqua *lege* iam *Honorius* constituerat: idque duobus Capitibus comprehendebatur. Primum, quamnam domus partem dominus sibi præsumere & eligere posset? Et vicissim, quanam hospiti relinquere? de quo alioquin fuit iam *lex 5. sup.* & erit *lex vlt. inf.* Alterum caput erat, de omni præbitione seu exactione ab hospite prohibenda, de quo ad *leg. super.* & ad *leg. prox. seq.* Eam igitur constitutionem confirmat: & ad eam sese *hic* refert Honorius.

HOSPITALITATIS *præbitio per Africam rursum tollitur: & priuati postulatio.*

XII. (a) Idem AA. Hadriano Proc. (b) Africæ.

HOc (c) prospectum est, vt infausta hospitalitatis præbitio tolleretur, nec priuatum (d) quisque (e) a domino ædium postulet. Dat. v. Non. Mart. Rau. Constantio & Constante CONSS. [414.]

NOTAE.

P. 355 (a) Lex 6. *Cod. Iust. eod. tit.* Et iungenda huic *legi* sunt *lex* 11. *sup. de Curiosis*: *lex 33. sup. de erogat. milit. annona. GOTHOFRED.*

(b) Emendanda est hæc inscriptio hunc in modum (vt etiam ostendunt *dictæ leges* huic coniungendæ) *Hadriano PP.* Et sane Hadrianus non Africæ Proconsul, sed Præfectus Prætorio fuit, ab anno 413. vt docet *lex 13. inf. de infirmandis his quæ sub Tyrannis. IDEM.* Male etiam se habet inscriptio Cod. Iust. *Procur. Africæ*, quod docere potest inprimis *d. l. 1. supr. de curiosis* eodem die, iisdemque Coss. data ad *Hadrianum PP. post alia.* Neque etiam *Procuratori* qui inter fiscum & priuatum cognoscebat, aliquid cum *metatis* commune. *RITTER.*

(c) Patet ex dictis, retrahendam vocem *Africæ* ad initium *huius legis*; vt ita legatur: *Africæ hoc prospectum est. Hoc*, id est, hac ratione, non *hoc Edicto*, & quidem prospectum *leg. 10. supr. GOTHOFRED.*

(d) *Balneum* substitutum *Cod. Iustin.* vid. *Gloss. ID.*

(e) *Quisque*, pro *quisquam*: vt *Cod. Iust. IDEM.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

MODVM hospitalitatis per Africam; iam antea constitutum *l. 10. sup.* hac rursum constitutione Honorius confirmat. Et hac quoque parte Africæ prospectum magis magisque cupiens, cui aliis quoque capitibus consultum iuit: duabus inquam illis *legibus*, quas *huic* nostræ coniungendas esse dixi, puta *l. 11. sup. de Curiosis*, & *l. 33. sup. de erogat. milit. ann.*

Duo igitur *hac l.* statuuntur: Primum, *vt infausta hospitalitatis præbitio tollatur:* Quibus verbis quid intelligendum sit, anxie quæritur. Græci notante Cuiacio *ad leg. 6. Cod. Iust. h. t.* ita interpretantur, *si id petatur vt hospites strigillent equos:* Item vt σάβανα *conferant.* Cæterum σάβανα, nil aliud sunt quam *lintea*, vt aliunde disci potest, quorum vsus abstersioni maxime in balneis, de quibus mox: & alibi, vt docet Hierocles ἱππιατρ. *lib. 1. cap 34.* Et *colloquium Scholasticum veteri.* Et Gregorius *M. lib. 3. Dial. cap. 17.* & Medicorum non vnus. (a) Vegetius *artis veterinariæ lib. 3. cap. 47. Post Sabanis validioribus abstergetur, & denuo vnctum aperiatur:* Marcellus Empyricus de medicamentis *cap. 5. Caput laues, & crasso Sabano diligenter siccabis.* In *Glossario* quoque Cyrilli σάβανον *sabanum, lenteum,* vbi reponendum *linteum:* vt Iuuenalis *Satyr. 14 v. 22. Vritur ardenti duo propter lintea ferro:* Vbi Scholiastes: *id est, sic seruus cruciatur, propter duo sabana.* Cuiacius *ad leg. 6 Cod. Iust. h. t.* putat, *infaustæ hospitalitatis præbitione* etiam accipi posse, si ab hospitibus petantur scorta, quod *h. l.* prohibeatur: ne scilicet (vt huic Cuiacii sententiæ addam) fit illud Catulli, *Ille Domum nobis, atque dedit* DOMINAM. Verum restitura huius *legis* Inscriptio, & *lex* ipsa collata, cum *lege 10. sup.* ostendit per *infaustam hospitalitatis præbitionem* intelligendum, illud omne illicitæ exactionis genus; quod sibi commeantes vel ad annonam, vel ad capitum seu pabulum animalis præberi iubebant, & exigebant, more improbato, quod & ipsum ab Officialibus, de quibus etiam agitur *l. vn. ne damna prouincialibus infl g.* exigi consuetum, & in ciuitatibus, & in mansionibus, puta vt tam sibi quam animalibus alimoniæ sine pretio ministrentur, docet *l. 2. inf. de concuss. Aduocat. & Apparitor.* Itaque quem *sceleratum morem præbendi*, vocat *l. 10.* hæc nostra *infaustam* præbitionem nominat. *Infaustum* dicitur quidquid prouincialibus noxium est & damnosum. Ita *infaustum officium Tribunorum* (per Africam pariter) missurum, & sub huiusmodi professione Prouinciam vastantium *leg. vlt. de desertoribus. Præbitionis* voce hac in re pariter vtitur *l. 2. inf. de Salgamo.*

Secundo prohibetur *h. l.* quisque, id est quicumque, (etiam Comites & Tribuni scilicet,) Priuatum a Domino ædium postulare. Tribonianus pro *balneo* id accepit, & ideo eius loco in *Codice* suo *Balnei* vocem substituit: Et ita quoque Græci interpretati. Iulianus Ascalonita, *apud Harmenopulum* περὶ βαλανικ κτίσματος, *lib. 2. tit. 4 § 23.* Et Prochorus *de rebus gestis S. Ioannis Euangelistæ:* ἦν δὲ πριβάτον ἀνὰ μέσον τῆς ὁδοῦ καὶ εἷς ἐκ τῶν ἱερέων εἰσελθὼν ἐν τῷ πριβάτῳ λούσασθαι, ἀπεπνίγη. Et hanc interpretationem iuuat *lex 1. inf. ne Comitib. & Tribunis lauacra præstentur*, ibi, *Nec vllas priuatas ab his succendi balneas.* Neque alio sensu in veteri Romæ descriptione, Regione XII. *Priuatum Hadriani* accipio in *Notit. Imper. in descript. vrb. rom.* Sane & in Vrbis Constantinopolitanæ veteri descriptione per singulas regiones numerus *Balnearum priuatarum*, & *pistrinorum priuatorum* adiicitur, & tandem colligitur. *Vid. Petri Gyllii Constantinopoleos Topographiam pag. 347. & 417. edit. Lugd. B. 1632. & Notit. Imper. in vrbis Constantinopol. description.* De priuatis his balneis, est quoque *lex 5. inf. de collat. donat.* Ergo *priuatum* hic absolute & substantiue pro balneo. Quanquam Hesychius priuatum quoque interpretatur locum Ergasterii; πριβάτον, τόπος ἐργαστήριον. Quæ interpretatio si admittitur, respondebit hæc lex *legi 5. supra, v. ss. Ergasteria.* Quidquid sit vt ex *hac. l.* ita ex Prochoro & Hesychio discimus *Priuatum* substantiue & absolute dici. Ex *hac* inquam *leg.* cui hac parte nil deest; etsi quoad cætera *cæcutiat* vt loquuntur.

(a) Collegerat hæc loca Cl. Meursius *in Glossario voce* σάβανον. Plura habes apud Carolum du Fresne *in Glossar. med. & infim. græcit. voc. ead.* & in Glossar. med. & inf. latin. *voc. sabanum.* Ita in glossis MS. quas citat, est: *Sabanum linteum villosum*, & in antiquo glossar. MS. *Manutergium ad tergendas manus vocatum, sabanus autem græcum est.* Et in Lexico græc. MS. regio Cod. 930. περίψημα, τὸ σάβανον τὸ ἱδρῶτας τὸ ... ἀπο ψύχον. *Savanum* dixerunt multi ex antiquis, enuntiatione græca. Vide porro Nicolaum Mirepsi *de antidotis Section 1 cap. 190.* ibidemque notas. σάβανον accurate Codex antiquus Vindobonensis, in argumento epistolæ S. Basilii ad Simplicianm apud Lambecium, *Bibl. Cæsar. lib. 3. pag. 132.* ... ΣΑΒΑΝΑ αὐτοῦ ..., quod miror, editorem Gallum non animaduertisse. Recte etiam in hodiernis Scholasticis antiquis, illud: ... σάβανα εἰς τὸ βαλανεῖον, obseruante Iacobo Cuiacio *Obseruat. IX 1.* Locus tamen exstantior non est, quo probari posset, ΣΑΒΑΝΑ fuisse *lintea, quibus in balneis siccabantur loti*, quam inter Medicos latinos Marcelli, Ex magistri Officiorum *libr. de medicam. l. c. in Comment. Caput*, inquit, *laues, & crasso sabano diligenter siccabis, spongiis demersis, & linteo vel sabano interto vtrimque expressis. Radices beta lauabis & expressas sabano siccabis. Sabano molli leniter deterges. In frigidam merge, & postea sabano diligenter exsicca. Melius erit, si hanc potionem post balineum in sabanis adhuc constitutus acceperit. Dabis exeunti statim a balineo, ita vt dum Sabanis operitur, bibat.* Adde elegantem locum Palladii *lib. 7. tit. 7.* Isidorum Origin. *XIX. cap. 26.* Casaubonum ad Sueton. *c. 82.* Barthium *Aduers. 99. 6.*

PERMVTATA *cum priuatis loca (veluti* TVRRES *noui muri vrbis Constantinopolitanæ) metato obnoxia sunt.*

XIII. (a) Idem AA. Eustatio PF. P. (b)

DEVOTISSIMOS (c) milites, ex procinctu redeuntes, vel proficiscentes ad bella, Muri Noui, *(d) Sacratissimæ Vrbis singulæ Turres in pedeplanis suis suscipiant. Nec (e) aliquis possessorum (f) grauiter ferat, quasi illa dispositio (g) neque super pu-

 blicis

blicis ædificiis processerat (h) violata: cum priuatæ quoque domus tertiam (i) partem, talis rei gratia, soleant exhibere. Dat. V. (k) Non. Mart. Constp. Honorio XIII. & Theod. X. AA. CONSS. [422.]

N O T A E.

(a) *Lex. 7. Cod. Iust. eod. tit.* vt hæc *lex* intelligi possit, adhibenda in consilium *lex 51. inf. de operibus publicis* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Eustathius* PP. Orientis scilicet sub Theodosio Iun. v. *Prosop. ID.*

P.356 (c) *Deuotissimi milites, h. l. & l. 17. de erogat. mil. annon. & l. 2. de excoct. ID.*

(d) Fit eius quoque mentio *d. l. 51. ID.* *Noui* abest a vulgatis Cod. Iust. edit quam vocem Cuiacius restituit ex hoc Cod. *RITTER.*

(e) Reliqua omnia, velut Historica & χρονικὰ Tribonianus omisit. *GOTHOFR.*

(f) Per quorum terras murus ductus fuit. *IDEM.*

(g) Locum ita restituo, *quasi illa dispositione, quæ, &c processerat, violata.* Minus recte qui nuper emendabat: *quasi illa dispositio, quæ super ædificiis publicis processerat, violetur. ID.*

(h) Intelligit dispositionem *d. l. 51. IDEM.*

(i) Vid. *leg. 5. supr. h. t. RITTER.*

(k) Abest nota numeralis a Cod. Iust. Cuiacii sed agnoscunt eam vulgati. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

PERMVTATIONIS cuiusdam vice concessa e publico priuatis loca, pleno quamlibet iure, non ideo tamen a metato immunia esse definit *hac L.* Theodosius Iunior. Quod vt recte intelligatur, species & quidem Historica, huiusce *legis* apponenda est: adhibita in consilium *lege 51. inf. de operib. publicis.* Vnde desumpta est *lex 18. Cod. Iust. eod. tit.* Constantinopoli scilicet (circa A. D. 412. vel 413.) *Murus nouus* ad munitionem vrbis extrui cœpit a Theodosio Iuniore, huius *legis* Auctore, studio ac prouisione Anthemii P. P. (non vt Cuiacius notauit *ad leg. 7. Cod. Iust. h. t. Cyri PP.* vt ostendam pluribus ad *eam l. 51. inf.*) Eum murum, quia per priuatorum quorundam terras *celebrari*, duci, extrui, oportebat, Theodosius, velut contractu quodam permutationis inito, turres eius muri priuatorum illorum vsui deinceps deputandas duxit: vti discere est ex *d. l. 51.* cuius verba hic apponenda sunt. *Impp. Honor. & Theodosius AA. Anthemio P. F. P. Turres Noui Muri, qui ad munitionem splendidissimæ vrbis extructus est, completo opere, præcipimus eorum vsui deputari, per quorum terras idem Murus studio ac prouisione tuæ Magnitudinis ex Nostræ Serenitatis arbitrio celebratur: Eadem lege in perpetuum & conditione seruanda, vt annis singulis hi vel ad quorum iura terrula demigrauerint, proprio sumptu earum instaurationem sibimet intelligant procurandam, earumque vsu, publico beneficio potientes, curam reparationis ac solicitudinem ad se non ambigant pertinere. Ita enim & splendor operis, & Ciuitatis munitio cum priuatorum vsu & vtilitate seruabitur. Dat. Prid. Non. April. Lucio V. C.* CONS. 413. Cæterum huius Muri Noui fit quoque mentio *l. 18. Cod. Iust. de Sacrosanct. Eccles.* & *Nouell. Iustin. 59. cap. 5.* & apud Zonaram *in reb. gest. Theodosii Iun.* in Chronico Alexandr. *A. 439. Theodos. A. XVII.* & *Fest. Coss. pag. 731. edit. Raderi.* Marcellini *Chronico A. 447. Ardaburo & Callepio Coss. pag. 41. edit. Scaliger. in thesaur. tempor.* (a) Ita addictis igitur Turribus Noui huius Muri priuatorum vsui, & quidem cum reparationis sui ipsæ onere, quæri cœpit, an a metati onere immunes essent Turres illæ? Quod affirmandum videbatur, hac dubitandi ratione, quod *d. l. 51.* (quæ *his* indicatur) publico beneficio, permutationis cuiusdam vice, harum turrium vsus simpliciter citra exceptionem vllam, imo & cum onere reparationis, priuatis, quorum terræ occupatæ fuerant, deputatus fuerat: Atque ideo si hæ turres ad metati onus tenerentur, dispositio *d. l. 51.* violari videretur. Sed tamen contra rescribit *h. l.* Theodosius, non ideo scilicet a metati onere immunes has terras esse, ideoque milites, siue a militia Constantinopolim redeuntes, siue Constantinopoli ad militiam proficiscentes, in *pedeplanis* saltem earum turrium, & quidem singularum, suscipi oportere. Hac ratione, quod priuatæ quoque domus huic oneri subiaceant. Atenim Turres illæ, earumque vsus priuatis addictus, priuatarum & occupatarum terrularum locum vicemque subeant, quæ sane tertiam partem metati gratia soleant exhibere: quod etiam definitur *l. 5. sup.* & indicatur *l. 11.* Quod ad eam quoque regulam confirmandam facit, & deinceps adferri potest, subrogatum sapere naturam eius cui subrogatum est. Ex hac interim proportione colligi quoque possit, Turres illas τριςέγυς fuisse. *Pedeplana* porro sunt ἐπίπεδα: itaque Græci hoc loco obseruante Cuiacio *ad leg. cit. 7. Cod. Iust. h. t.* εἰς τοὺς πύργους τοῦ καινοῦ τείχους Κωνσταντινουπόλεως ἐν τοῖς ἐπιπέδοις καταμένουσι. Pedeplana sunt pars illa ædificii solo proxima quæ pede plano aditur: Nos vocamus *Rez-de-chaussées*. *Rez:* eas εὐρυχωρίας prisci quoque Græci vocasse videntur, Philo *in Poliorcetic.* τῶν δὲ τειχῶν ἁπάντων αἱ ἐκθέσεις καὶ ἐγκλίσεις καὶ τὰ ἐπικάμπια, καὶ αἱ εὐρυχωρίαι, ἁρμόττοντες τοῖς ὑπάρχουσι τόποις λαμβάνονται. *Plateformes.*

Cæterum huic *legi* occasionem dedit reditus militum hoc anno ex procinctu Persico: quod innuunt illa, *Deuotissimos milites ex procinctu redeuntes:* Pax quippe cum Persis hoc anno inita, vt docet diserte Socrates, *lib. 7. cap. 20.* & Marcellinus *Chronico, his Coss. pag. 39. edit. Scaliger.*

Et ita quidem hæc *lex*, cuius tantum pars prior in *Codicem Iustinianeum* relata est, recisa posteriore velut historica, quæ tamen ad *huius l.* intellectum plurimum facit, accipienda est; quam interpolatam Iustinianei Codicis Interpretes non intellexerunt, quamque adeo accipiunt multi de publicis locis: atque inde perperam axioma istud confiiciunt; in vrbibus ipsis prius publica loca, metatis apta, quam priuata ciuium habitacula, metatis occupanda esse.

(a) Vide Petr. Gyllium *in Topograph. Constantinopol. lib. 1. cap. 3.* adde *Chronologiam Cod. Theodos. an. 413.* & ibi Ant. Pagium, plura videbis a me obseruata infra *ad leg. 51. de Oper. publ.*

IMMVNI-

Immvnitas *omnis cessat præsente Principis Comitatu.*

XIIII. (a) Impp. Theod. & Valentin. AA. Helioni Patricio (b) & Magistro Officiorum.

Vniuersi cuiuslibet Ordinis, cuiuslibet etiam Dignitatis, si quidem felicibus pro salute Reipublicæ expeditionibus occupati, aliarum prouinciarum, aliarumque Vrbium domiciliis detinentur, (c) propriis domibus, nullo vetante, pro Dignitatibus suis, vel præstitis sibi beneficiis perfruantur. (d) Si vero secundum communia vota, securi intra huius florentissimæ Vrbis (e) tecta residemus, nullius specialiter domum, Inlustrium quoque etiamsi ad summa conscenderent (f) fastigia dignitatum, præter singulas tantum in quibus eosdem manere constiterit, excusari ab hospitibus præcipimus, cessante omni beneficio Principali. Dat. X Kal. Iul. Constantinop. Hierio & Artabure VV. CC. conss. [427.]

NOTAE.

P. 357 (a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Meminit *huius leg.* mox ipse Theodosius *l. 18. inf. de Medicis & Profess.* GOTHOFREDVS.

(b) Vide & *legem 30. sup. de Agentibus.* Et quæ dixi de *Patricii* dignitate alterius accessione, *ad l. vn. sup. de Consulib. & Patriciis.* De hoc Helione Patricio, vide Socratem *lib. 7. cap. 24. in fine.* ID.

(c) *γρ. Detinemur*, sensu apertissimo. Vt mox *residemus*, opposita enunciatione. ID.

(d) Id est, integre, illibate fruentur. v. *Gloss.* ID.

(e) Constantinopolim intelligit ID.

(f) *γρ. Conscenderint*: Quanquam & illud tolerari potest. IDEM.

COMMENTARIVS.

Immvnitatem a metato omni siue dignitate, siue beneficio Principis quæsitam in Vrbe Constantinop. cessare præcipit Theodosius Iun. præsente Principis *Comitatu* hac Constitut. quam mox ipse memorat, eique ex parte derogat, paulo post hoc ipso anno *l. 18. inf. de Medicis & Professorib.* Beneficio porro quæsitæ huius immunitatis exemplum iam quoque in *Fabricensibus* vidimus *l. 8. sup.* Dignitate quæsita, in Illustribus exemplum est. Et illustres igitur huic quoque oneri subiacent, eorumque domus, singulis tantum eorum domibus exceptis, vt iam quoque dictum fuit *l. 3. sup.* Breuiter, *Immunitas non valet, nisi Principis Comitatu absente: contra cessat, præsente. h. l. & d. l. 8. sup.*

Domvm *ipse habens in vrbe Constantinopol. metatum in aliena exigere non potest.*

XV. (a) Idem AA. Ioanni Comiti, & (b) Magistro Officiorum.

Nemo in hac (c) Alma Vrbe, qui propriæ domus possessione lætatur, militari sacramento munitus, alterius domum infestare pertemptet, sed aut sua contentus, (d) abstineat aliena, aut certe in suis recipiat, qui in alterius sibi metatum existimat vindicandum: Nec enim videtur esse conueniens, cum Inlustribus viris vnam (e) in qua ipsi habitant domum excusare concessum (f) sit, alios & suas (g) omnib. domus extruere, & alienis ædib. inferre molestiam. Dat. VIII. Kalend. Mar. Constantinop. Theod. A. XIII. & qui fuerit nuntiatus. [430.]

NOTÆ.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* Concordat huic legi Nouella Theodosii 32. de metatis. Forte *huic* iungenda *lex vn. Cod. Iust. de Palatiis.* GOTHOFR.

(b) Ad duos hanc *leg.* emissam puto: ad Comitem S. L. Scil. *Ioannem*, & ad alium *Magistrum offi iorum scil.* Fuit enim hoc tempore *Ioannes Comes S. L.* vt docet superiore anno *lex vlt. inf. de Iudæis*, & ex actis Concilii Ephesini patet, quod habitum A. D. 431. IDEM.

(c) Constantinopolim intelligit. ID.

(d) Videm similem locutionem *l. 2. sup. finium regundorum.* IDEM.

(e) Hoc extensum postea *l. prox.* & *d. Nouell. 32. ID.*

(f) *Leg. 3. & 14. sup. ID.*

(g) *vs. Et suis omnes domibus extrudere. IDEM.*

COMMENTARIVS.

DOMVM PROPRIAM in loco vbi metatum exigitur (veluti Constantinopoli *in sp. huius leg.*) habens ipse militaris, quicumque tandem, etiam Illustris cuiuscumque loci vel Ordinis, ius metati exigendi in aliena non habet: Sed vel sua contentus esse debet, vel si nolit, hospites in suam recipere cogitur ex *hac* Theodosii Iun. *constitutione*: Et iterum *Nouella 32. de metatis*; Hoc argumento eleganti satis: quod Illustres tantum id priuilegii habeant, vt domum in qua ipsi habitant a metato excusare possint, nil vltra: Vt plane inconueniens sit, alios quam Illustres non tantum suas domus excusare, seu suis domibus alios *extrudere*, verum etiam in alienis metati ius exigere. Est ergo argumentum *a iure constituto*. Ait lex, *Nemo*, id est, militaris cuiuscunque etiam sit ordinis, quomodo expresse *d. Nou. 32. neminem: cuiuslibet loci uel ordinis:*

ILLVSTRI *dignitate functorum a metato immunitas diligentius & plenius a* Theodosio Iuniore *retractatur.*

XVI. (a) Idem AA. Valerio (b) Magistro Officiorum & ExConf. (c) Ordinario.

CONSVLARIS (d) viri binas proprias domos in hac (e) alma Vrbe ab hospitum molestia habeant sibi immunes: Sin vero fati munus expleuerint, atque ad libe-
P. 358ros vel parentes, fratres, sororesue, vxores etiam domus eorum fuerint delatæ, vna e duabus aliena fit a metatorum (f) molestia. Sed & si vnam (g) quis eorum (h) dereliquerit domum, illa ipsa in memoratorum (i) excusetur personis. His vero qui Præfecturæ dignitatem, (k) aut (l) ipsius apicis administratione, aut actu Magisteriæ Militum potestatis, aut quod Præpositi sacri nostri Cubiculi fuerint, aut quod honorarios eiusdem Præfecturæ meruerint codicillos, cum priore Lege vna domus excusaretur, alterius etiam, si habere in hac Alma vrbe eos contigerit, dimidiam partem nostra liberalitate dum in vita versantur, ita excusari decernimus, vt de altera parte dimidia pars tertia hospitibus deputetur; Post fata vero si ad parentes, liberos, fratres, sorores, vxoresue fuerint delatæ, duas ab vna domo partes, ipsis electionem habentibus, metatorum molestia liberari, tertiæ videlicet partis parte tertia hospitibus præstanda. Aliis sane Inlustribus viris, quibus vna domus honoris excusatur gratia, hoc præbendum esse censemus, vt si ipsi decesserint, & eorum domus ad suprascriptas personas peruenerint, medietatem domus quam ipsi elegerint, habeant excusatam, altera videlicet parte dimidia hospitiorum præbitioni in parte tertia subiicienda. Dat. IIII. Id. Mart. Constantinop. D. N. Theodosio A. XV. & qui fuerit nunciatus. [435.]

NOTAE.

(a) Hanc *leg.* suam allegat & ampliat Theodos. Iun. *Nou. de metatis 32.* GOTHOFREDVS.

(b) Eidem *Valerio Magistro officiorum* inscribitur hoc ipso anno, & quidem ante hanc leg. *lex vlt. sup. de Princip. agent. ID.*

(c) Iam a triennio: anno videlicet 432. vna cum Aëtio. *ID.*

(d) Pro *Consulares*, qui scilicet ex Consulibus sunt: qualis *Valerius*, cui hæc *lex* inscribitur. *ID.*

(e) Constantinopolim intelligit *ID.*

(f) Possunt etiam hic *Metatores*, id est, hospites ipsi intelligi: eodem modo in eiusdem Theodosii *Nouella 32. de metatis*, qua hæc *lex* indicatur. *vers: idque in omnibus huius alma. ID.*

(g) Vnam tantum scilicet. *ID.*

(h) Consularium. *ID.*

(i) Liberorum, &c. *IDEM.*

(k) Habent *ID.*

(l) Vid. *l. 3 sup.* & *l. 14. 15. sup. ID.*

COMMENTARIVS.

INLVSTRI dignitate functorum, IMMVNITAS a metati onere diligentius adhuc *hac* Theodosii Iunioris *lege* retractatur, sed & plenius quam *lege 3. 14. 15. sup.* Diligentius inquam; tribus videlicet Illustrium gradibus distinctis: Plenius autem, immunitate aucta siue extensa per eosdem Illustrium gradus, de quibus alioquin actum fuit *lib. 6.* Sicut igitur Primus Illustrium Gradus est, quo *Consules* comprehenduntur (vt ostensum fuit *titulo de Consulibus, supra*:) ita Consularibus (id est, ex Consulibus seu Consulatu functis) duarum domorum integrarum a metato immunitatem

b. l.

h. l. concedit Theodosius Iun. qui idem tamen postea Nouella *de metatis 32.* Consulatibus qui auspiciis etiam Patriciatus exultant, id est, qui simul Patricii sunt, ternarum domorum immunitatem a metato tribuit. Secundo Gradui, seu Secundæ Quadrigæ Inlustrium (qua continentur Præfecti Prætorio, Præfecti vrbis, Magistri militum, & Præpositi S. Cubiculi) immunitatem tribuit Theodosius Iun. duarum domorum, exempta sexta vnius domus parte. Tertiæ Quadrigæ seu Tertio Gradui Inlustrium, quo continentur Comites Consistoriani (id est, Quæstor, Magister Officiorum, Comes S. Largitionum, & Comes Rer. priuatarum) unius tantum domus immunitatem tribuit: In hoc vltimo Gradu seruata hac parte, non in Secundo, immunitate pristina.

Ex his interim Gradibus hæc notari possunt, *Comites Consistorianos* loco suo & ordine motos, & in inferiorem Inlustrium Gradum, Præpositis Sacri Cubiculi antelatis detrusos a Theodosio Iuniore, atque adeo Tertio Gradui adscriptos, de quo plene dixi ad *l. 3. sup.* Et hæc de diligentiore quam dixi retractatione circa Graduum distinctionem.

Plenius autem in duobus his consultum: Primum, quod eum antea ex *d. l. 3. sup.* Actuales tantum Inlustres, quorum *ea leg.* fit mentio, metati immunitate donati fuerint; *hac lege* Honorariis eadem, quæ Actualibus, deferatur immunitas; de qua illustrium differentia videndus est *Titulus de Honorariis Codicillis*, quod tamen idem Theodosius postea mutauit, rediitque adeo ad *l. 3. d. Nouella sua 32. vers. in posterum.*

Secundo immunitatis quoque huius portio quædam ad Illustrium *Hæredes*, hac eadem constitutione propagatur, eadem semper Graduum proportione seruata: Ad hæredes, inquam, propinquos, veluti liberos, parentes, fratres, sorores: quin & vxores, non vltra: Igitur *Consularium* hæredibus vnius tantum domus tribuitur immunitas: Hæredibus *secundi Gradus Inlustrium* vnius domus immunitas, nona parte detracta, quæ metato obnoxia est: *Tertii Gradus Inlustrium* hæredibus, vnius domus immunitas sexta parte detracta, quæ metato subiacet. Illud adhuc singulare hac parte statuitur, vt hæredes dimidiam domus ipsi prius eligant, & tum in altera domus parte immunitatis proportio & ratio ineatur. Et hac quidem parte Theodosius Iun. hanc *legem* postea confirmauit *Nouella sua de metatis 32. vers. in hæredibus.*

P. 359

DE SALGAMO (a) HOSPITIBVS NON PRÆBENDO. (b)

TITVLVS IX.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XLII.

(a) De *Salgamo* dicam ad *l. 3.* plene. *GOTHOFR.*

(b) *Præbitionis* vox hac in re propria: quanquam non omnis præbitio *huius tituli* constitutionibus inhibetur, verum coacta tantum. *IDEM.*

Exigere milites *Salgamum prohibentur: Vltro tribui seu præstare permittitur.*

I. (a) Impp. Constantius & Honorius (b) AA. ad Prouinciales. (c)

Qvacvnqve propria voluntate, eum (d) quem domum (e) receperit, necessariis rebus (oleo & ligno, aliisue huiusmodi) voluerit adiuuare, facultatem sibi istius rei sciat esse concessam. Quod si quis contra interdictum nostrum, eadem ipsa a vobis violenter voluerit vsurpare, interpellandi Præpositum (f) habebitis copiam, de (g) qua iniuria conquerendi liberam facultatem; vt nec spontanea in vobis humanitas (h) retardetur, nec contra voluntatem vestram, ac Patronorum (i) vestrorum, familiaris res adteratur. Dat. prid. Id. Aug. Acc. Capuæ, (k) Acindyno & Proculo conss. [340.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) Grauis hic error. *γρ. Constantius & Constans. ID.*

(c) An omnes, an Campaniæ? quod indicare videtur: Subscriptio legis. *Acc. Capue. IDEM.*

(d) Militem: nam & mox *Præpositi* fit mentio. *ID.*

(e) Id est, *in domum. ID.*

(f) De

(f) De *Prepositis* rursum agitur *l. 2. prox. ID.*

(g) γρ *deque ea iniuria*: vel simpliciter, *deque iniuria. ID.*

(h) *Humanitatis* vox hac in re, præbitione inquam specierum annonariarum, propria: vid. *Gloss. Theod. ID.*

(i) *Patroni* hic qui? dicam mox. *IDEM.*

(k) *Capua*, Metropolis Campaniæ. Hinc interim colligi forte possit, Constantem, cui hæc *lex* tribuenda est, fratre Constantino iuxta Aquileiam cæso, in Italia militum copias habuisse, continendis, vt videtur, in officio *Italis*: exterum exortas aduersus horum immodestiam querelas. Vel certe, dicendum fuerit, abundare hic *Acc* & Constantem hoc tempore Capuæ fuisse, argumento eorum quæ Athanasius scribit *apol. 1. ad Constantium p. 675. edit. Lips. ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTIS Imper. hoc Edictum est, emissum ad *Prouinciales*, si non omnes, saltem Campaniæ, vbi hæc *lex* Vrbe Capuæ *Accepta* dicitur. Hoc vero Edicto Constans, pariter vt Constantius *l. 2.* Theodosius M. *l. 3.* Theodosius Iun. *l. 4.* vetat, ne quisquam miles, hospitio receptus a Prouinciali hospite suo quidquam exigat, violenter vsurpet seu extorqueat metati iure, veluti oleum, vinum, lignum, aliaque huiusmodi: sed sponte tantum seu propria voluntate ea tribui, iisque hospitem iuuare concedit: Quod & ipsa sententia est omnium *legum* quæ hoc *titulo* continentur. Vltro tributa scilicet, seu spontanea *humanitas*, vt *hac l.* vocatur, non inhibetur; verum *violenta vsurpatio*, vt *hac leg.* rursum dicitur; ablatio ab inuitis & præbitio, *l. 2.* pollulatio, *l. 3.* flagitatio. *l. 4.* Et postea tamen aliquando spontanea quoque hæc prouincialium humanitas, & oblatio seu præbitio prohibita fuit; *l. 10. sup. de metatis*, & *l. vn. Cod. Iust. hoc tit.* (quæ alioquin ex *l. 2. huius tit.* desumpta est:) Impressionis scilicet & violentiæ semper suspicio hic subest, quam anteuertisse tantum, spontanea oblatione, seu vltronea præbitione miser prouincialis creditur; quamlibet vim miles aperte non intentet, solo tamen militaris nominis terrore atque obtentu vim quandam facere creditur: vim & minas *leges* illæ duæ non requirunt: denique sufficit, vt miles cingulo suo terribilis sit, vt in simili loquitur *lex vn. supra*, *si prouinciæ Rector*, vbi plura. Ad hanc interim prohibitionem, & disciplinæ militaris speciem pertinet quoque, quod Spartianus de Pescennio Nigro scribit *c. 3. Nunquam sub eo miles prouinciali lignum, oleum, operam extorsit.* Et Aurelianus Tribunus postea Imperator ad Vicarium suum, apud Vopiscum, qui scripsit sub Constantio *in Vit. Aurelian. cap. 8.* *Si vis tribunus esse,* p. 360 *immo si vis viuere manus militum contine: oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit: de præda hostis, non de lachrymis prouincialium habeat.* Et mox: *in Hospitiis caste se agant.* Quorum priore loco nno est quod reponat, aut malit quis, *Prouinciali sal, lignum, oleum*: nam & ita prorsus solum oleum & lignum huius tituli *legibus* omnibus memorantur, nulla salis mentione facta.

Duplici porro remedio Constans Imp. hoc Edicto Prouincialibus aduersus huiusmodi militum impressiones, Salgamum violenter vsurpantium consultum it. Primo quidem, conquerendi facultate Prouincialibus tributa apud *Præpositos*, militum scilicet (de quibus quoque *l. 2. inf.*) qui disciplinæ scilicet militari præerant, cuius pars non vltima ea est, vt militum manus contineant; quod etiam superius Aureliani Tribuni ad Vicarium suum *Epistola* docet, quo denique pertinent omnino loca quæ ex Spartiano & Vopisco modo retuli.

Secundo, *Patronorum* præsidio: Qua appellatione obscurum, quinam indicentur? Accipiat quis Magistratus; nam & ita *l. 2. prox. Nec inuitis Magistratibus vel hospitibus in prædictis speciebus aliquid auferant*, vbi plura. Scilicet Magistratus isti, Magistrique pagorum, prouincialium quodammodo Patroni defensoresque fuere. Putet alius de Patronis Vicorum id accipiendum, qui tum liciti fuerint: de quo *tit. de patrociniis Vicorum*: & ad Libanium *orat. περὶ προστασιῶν*: Annon vero patroni potius *hic* sint *domini* colonorum, actorum, procuratorum? Id omnium maxime mihi placet.

Tertium remedium *hac lege* non continetur, pœnarum videlicet sanctio, quæ continetur *l. 2. prox.*

II. (a) Idem AA. (b) Leontio PF. P. (c)

NE quis, Comitum, vel Tribunorum, aut Præpositorum, (d) aut Militum nomine, (e) culcitas, lignum, oleum a suis extorqueat hospitibus, (f) nec inuitis vel Magistratibus (g) vel hospitibus in prædictis speciebus aliquid auferant: (h) sed prouinciales sint (i) nostri ab hac præbitione (k) securi: Comitibus, Tribunis, vel certe Præpositis militibusque, graui vexationi (l) subiacentibus. Dat. V. Id. Octob (m) CONSS.

NOTAE.

(a) Lex vn. *Cod. Iust. eod. tit.* ex *hac l.* interpolata est. *GOTHOFR.*

(b) Vulgat. Cod. Iust. *Imp. Constantinus* A. & Cuiacii Cod. *Imp. Constantinus & Constans AA.* vterque male *Constantinus* enim iam *anno* 340. cæsus fuit, & *Leontius* vt vides nota sequente, demum ab anno 342. Præfecti Prætorio dignitate inclaruit. Vides iam quid seduxerit Balduinum, vt hanc legem *Constantino* tribueret, errore duplici, patrem etiam cum filio confundens. Sunt Codd. præferentes inscriptionem: *Imp. Constans AA. Leontio PP.* Sed recte noster Constantio tribuit legem, *Leontius* enim *PP. Orientis* erat, testantibus id legibus quas notatas vide in Chronologia *RITTER.*

(c) *Leontius* hic PP. erat Orientis: arg. subscriptionis *l. 5. infr. quorum appellat l. 5. inf. de falsa mon. l. 35. inf. de Decurionib. v. Prosopogr. GOTHOFR.*

(d) De his *Præpositis* agitur & *l. 1. sup. ID.*

(e) *Salga-*

(e) *Salgami gratia*, add. a Tribon. Vid. & *l. 3. inf.* *IDEM.*

(f) *Sed nec volentibus hospitibus, in prædictis speciebus aliquid auferat* (*auferant.* Cuiac. Cod.) loco illorum *nec inuitis* vsque ad *auferant*, Tribonianus in *Cod. Iust.* edidit: quæ congruunt *leg. 10. sup. de metatis.* *ID.*

(g) *Magistros* pagorum intelligo, aliosque Magistratus, de quibus mox *ID.*

(h) Eadem vox *l. 29. sup. de erogat. mil. ann.* *ID.* Editio quæ in 4to prodiit, legit *auferat* quomodo Cod. Iust. non male. *RITTER.*

(i) Hæc vox in MS. clare habetur: quæ hactenus in editis omissa: quomodo & Codex Iustinianeus exhibet, *sed prouinciales sint.* *GOTHOFR.*

(k) *Prabitionis* vox hac in re propria. vid. *Rubricam, & l. 10. inf. & l. 12. sup. de metatis.* *ID.*

(l) Consules *H.* absunt in M.S. Sed procliue eos restituere vel ex A. 342. vel 343. vel 344. quo triennio Leontius cui hæc *lex* inscribitur, Præfectus Prætorio fuit: idemque Consul A. 344. vide *Chronol. & Prosopogr. Th.* ego referam ad A. 344. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. hæc constitutio est, non Constantini, vt voluit Balduinus *de leg. Constantini M. lib. 2. pag. 89. edit. Halens.* in eandem sententiam, quæ *legis 1. sup.* & *legis 3. & 4. inf.* Singularia, quæ in *hac l.* multa occurrunt, tantum sectanda veniunt.

Primo ratione *Personarum:* Nempe Interdictum istud, non ad gregarios tantum milites pertinere, verum etiam ad Tribunos, Comites, Præpositos (de quorum discrimine alibi plena manu) qui & ipsi salgama ab hospitibus accipiebant in vsus suos: quo respexisse quoque videtur Libanius περὶ τῶν προσαγγελιῶν, *pag. 21. in fin. edit. Gothofred.* Nihilo magis scilicet his ab hospitibus quidquam exigere licet, aut salgami nomine, *h. l.* aut lauacri *inf. tit. ne Comitibus & Tribunis lauacra præstentur,* qui alioquin propter cinguli sui auctoritatem facilius peccandi commeatum sibi faciebant: quibusque maius aliquid concedendum videbatur: Verum ab vna parte prouincialium securitas hanc paritatem exigit; ab altera, & hos obsoniis suis contentos esse æquum est, cum his sufficiant Principis largitates, vt loquitur *lex 4. inf.* De ipsis alioquin Comitibus, Tribunis, Præpositis, iam *superioribus titulis* dictum est.

Secundum singulare est ratione *Rerum:* Nempe hoc Interdictum pertinet quoque ad culcitas: quod & ipsum inculcatur *l. 3. prox.* & sic ad eas quoque res quæ prodigæ non sunt, id est quæ vtendo non statim consumuntur. Quod quidem constitutum, non magis militi ad duritiem componendo, quam miseræ plebis solatio, ne videl. culcitis suis defrandentur, atque ideo quiete post diurnos & diuturnos labores.

Tertium singulare est, id quod de *Magistratibus* hac *leg.* adiicitur: ne his inuitis in prædictis speciebus aliquid auferatur: Magistratus *hac l. & l. 2. inf de Veteranis*, sunt Magistri pagorum: de quibus dixi affatim ad *l. 1. supr. de erogat. mil. ann.* quorumque munus inter cætera erat, annonæ militaris exigendæ, suscipiendæ, & vicissim erogandæ cura, ac nominatim annonæ publicæ præstandæ militi prætereunti, aliiue cui comitatui: quam in rem locus est singularis Siculi Flacci *fine lib. de conditionibus agrorum*, quem ad *d. l. 1.* retuli. Ergo ab inuitis his quidquam exigi vetitum, seu vltra modum ab his præscriptum: vnde & *Patroni* (pagorum) dicuntur *l. 1. sup.* vtpote qui pagos & plebem ab insolentia militum aliorumque defenderent: Nisi Patroni vicorum potius ibi accipiendi sint; de quu P. 361 ad *d. l. 1.*

Postremum singulare est, sanctio pœnarum, *graui*, inquit, *vexationi subiacentibus:* quæ abest a cæteris *huius tituli legibus.* Sane decem librarum auri multa signate imponitur a Theodosio Iun. *l. 10. sup. de metatis.* Cæterum quod & temporum ratio suadet & Inscriptio legis ad PP. videlicet Orientis, pertinet omnino hæc *lex* ad militem Persis oppositum, cum quibus hoc tempore res erat Constantio: de quo Iulianus *orat. 1.* Eusebius, *Chronico:* aliique multi.

III. (a) Imppp. Valentinianus, (b) THEODOSIVS & Arcadius AAA. Abundantio, Stilichoni, (c) & ceteris Comitibus (d) vtriusque (e) militiæ. (f)

NEMO Militans a suo hospite *Salgami* aliquid nomine postulet, id est, ne lignum, aut oleum, culcitæue poscantur. Dat. IIII. Kalend. Aug. Const. Theod. A. III. & Abundantio V. C. CONSS. [393.]

NOTAE

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Inst.* Iungenda autem ei *lex 18. sup. de erogat. mil. ann.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Restituendi vt *d. l. 18.* ita & *hac leg.* hi Imperatores. *Theodosius, Arcadius, & Honorius:* de quo ad *d. l. 18.* *Abundantio* huic Comiti & Magistro militiæ inscribitur, præter *hanc leg.* & *d. l. 18* Anno Superiore 392. *lex 120. infr. de Decurion.* De eodem videndus Claudianus, *lib 1. in Eutrop. v. 151.* Zosimus *lib. 5. c. 10.* (qui nominatim ait, eum ἐπὶ Θεοδοσίου στρατηγὸν ἀποδεδειγμένον.) & Hieronymus *in Epitaph. Nepotiani. fol. 17. Tom. I. Oper. edit Francf.* *ID.*

(c) De *Stilichone* dico ad *l. 1. inf. de litorum & itin. custod.* *ID.*

(d) *& Magistris:* hoc amplio in *d. l. 18.* *ID.*

(e) Pedestris, equestris. *ID.*

(f) in Orient, vid. Claudianum *lib. 1. in laud. Stilichonis, a vers. 173.* *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc constitutio est, quæ pars est prolixioris constitutionis Theodosianæ, & generaliter ad omnes militiæ tam Peditum quam Equestrium Comites & Magistros militum emisse: qua is securitati & indemnitati prouincialium consultum iuit, aduersus varias militum exactiones, circa rem annonariam ferme: cuius *Caput* alterum (quod *huic* proinde coassandum venit) connectur *l. 18. sup. de erogat. mil. ann.* Ergo cum a militibus in duobus potissimum prouincialium res familiaris attereretur: primum in eo, quod pretium luco specierum ab his exigeretur, item quod præter Solemnia, seu annonæ indictionem, aliquid aliud iidem exigerent, vtrique occurreodum putauit constitutione sua Theodosius M. & priori quidem, *d. l. 18.* posteriori, *hac leg.* cuius eadem sententia est, quæ cæterarum *huius tituli legum*: Sic quidem vt generaliter omnibus Militantibus id interdicat: pariter vt interdicitur *l. 2. sup.* & *l. 4. inf.* De SALGAMO saltem hic videndum est, cuius mentio nonnisi *vnica hac leg.* occurrit *hoc Codice* præter ipsam huius Tituli *Rubricam*. De ipso primum Salgamo, mox de nominis ratione.

Sane non ex *huius* tantum *legis* positu sub *hoc titulo*, eiusdemque collatione cum cæteris *huius tituli legibus*, verum ex diserta applicatione, quæ mox *h. l.* subiicitur, apertissime liqoet, quid *Salgami* appellatione exaudiendum sit: *id est*, inquit lex, *lignum aut oleum culcitaue.* In hunc vero quoque censum proculdubio venit & *Sal*, quod quidem præcipuum & principem in victu locum obtinet, cuius tamen nulla *hoc titulo* mentio fit, neque apud Spartianum, *in Pescennio Nigro cap. 3.* vbi *lignum & oleum* tantum nominaotur (de quo dixi ad *l. 1. sup.*) Fit autem eius mentio apud Vopiscum *in Aurel. c. 7.* vbi ita Aurelianus Tribunus ad Vicarium suum, *Manus militum, contine: &c. oleum* SAL, *lignum nemo exigat, annona sua contentus sit.* An ergo a sale, Salgamum? quod etiam de salarii nomine quidam censent: Vtique sane ex Columella liquet, *Salgama* dicta herbas, & fructus Conditos (quod sale fit & aceto) in vasis: sic enim *lib. 10. in Carminibus. v. 117.*

Tempore non alio vili quoque salgama merce
Capparis, & tristes inula, ferulaque minaces
Plantantur.

Et *lib. 12. cap. 4. Post hoc præceptum, locum & vasa idonea Salgamis præparari iubent.* Et *ibid.* vbi *exemptis ad vsum Salgamis*, id est, conditaneis quæ ad cibum seruantur & victum, in vasi quibusdam præparari iubet.

Meminit & Ausonius *Epigr. 117. Salgama non hoc sunt quod balsama, cedite odores.* Ab his Salgamis Salgamarii dicti, quorum meminit idem Columella duobus locis, *lib. 12. cap 44. & cap. 54.* qui scilicet salgama condiebant & vendebant.. Denique: Salgami nomine significabantur conditæ herbæ sale, & aceto, quæ Græcis ἁλμαίαι, veluti enula, brassica, beta, quæ etiam hodie a Turcis condiri solent. Et hæc de priore Salgami appellatione.

At enim altero significatu quod iuxta *Rubricam* hæc *lex* docet, acetum etiam, ligoum, culcitæ item, & oleum hac appellatione venerunt; & in vniuersum res necessariæ ad apparatum victus, & corporis refocillationem, non tamen victus ipsius præbitio, quod Cænaticum dicebatur, *l. 22. sup. de erogat. mil. ann.* Nata vero hoc significatu appellatio hoc æuo, non ideo tamen a sale; verum vt multa alia, mutuato, vt existimo, nomine a lascivia militari, qui *Salgami* obtentu plura exigebant.

P. 362 IIII. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Aureliano (b) II PP. ō.

NVLLVS eorum, (c) qui per quaslibet ædes habitaculi causa recepti fuerint, vel (d) oleum & ligna flagitare contendat: nam & sic Militibus nostræ sufficient largitates, (e) & conlatoribus (f) annona (g) tantummodo semper imminebit indictio. Dat. VI. Id Mai. Theodosio A. VII. & Palladio V. C. CONSS. [416.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Secundum:* vid quæ noto ad *leg. vlt. inf. ad leg. Iul. de Ambitu.* ID.

(c) Militantum *l. 3. sup.* aliorum. IDEM.

(d) Nequidem oleum & ligna, quæ alioquin pretio vilissima videntur. IDEM.

(e) *Largitatum* voce, Annonas intelligit, quæ de publico præbentur: quæ *commoda* vocantur *l. 10. sup. de erogat. mil. ann.* Ita quoque *l. 4. sup. de pascuis. Nec vero milites aliquid præsumere debent, nisi quod largitate nostri Numinis consequentur.* IDEM.

(f) Id est Prouincialibus, qui tributa & annonas conferunt. IDEM.

(g) *ye. annonæ:* similiter *d. l. 4. sup. de pascuis.* Possessores nil plus debent, quam quod nostro arbitrio per annos singulos iubentur inferre. In MS. habetur *annua.* IDEM.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. hæc *lex* est, in eandem sententiam, qua superiores omnes. Rationi saltem *huius leg.* conuenit illud *Ioannis*, *obsoniis vestris contenti estote:* & Aureliani illud, *annona sua contentus sit.* Item quod *l. 4. sup. de pascuis*, continetur. De posteriore iam dixi ad *l. 12. sup. de erogat. mil. ann.*

NE

NE QVIS IN PALATIIS MANEAT.

TITVLVS X.

MANENDI *Poteftas intra Palatia, omnibus, etiam iudicibus,* vbique *interdicitur ab Arcadio.*

I. (a) Imppp. ARCADIVS, Honorius & Theodofius AAA. ad Anthemium PP.

NVLLI (b) manendi intra Palatia (c) noftra, in qualibet (d) Ciuitate vel Manfione (e) facultas pateat: fed eas (f) prouinciarum Rectores, (g) & Vicarios Inluftriffimæ Præfecturæ per Diœcefes (h) quas fortiti funt, maneat cura, vt ab eorum vfurpatione qui in his Tranfeuntes (i) manere confueuerant, facræ (k) domus feruentur inmunes: (*) Et eorundem prouifione nulla neglegentia vel fenio (l) quatiantur: Quod nifi omni inftantia fuerit obferuatum, triginta libras (m) a Vicariis; viginti, a Confularibus feu Præfidibus; totidemque, ab eorum Officiis multæ nomine profligentur; ita (n) vt nec ne Curiales (o) quidem a condemnatione (p) fe cognofcant inmunes futuros. Hi quoque qui huiufmodi fibi manfionem praua temeritate præfumpferint, fi vel dignitate aliqua, vel fortunis nituntur, XXV. (q) librarum auri condemnatione fubiaceant: qui humilioris fortunæ funt, exilio tradantur. Equos fane noftros (r) ab Stabulis prohiberi Palatiorum fuperuacuum iudicamus. Dat. VI. Id. Iul. Ancyræ, (s) Stilichone & Anthemio CONSS. [405.]

NOTAE.

(a) Huius *legis* meminit *lex 2. prox. inf.* qua ipfa, huic vno cafu derogatur. *GOTHOFREDVS.*

(b) Nequidem ordinario Iudici: quod tamen certo cafu poftea abrogatum *l. 2. inf.* *IDEM.*

(c) Sacræ domus, *inf.* *IDEM.*

(d) Etiam remota ab aggere publico, & in qua Prætorium non eft: quod abrogatum *d. l. 2. inf.* *ID.*

(e) De Manfionibus dixi ad *l. 4. fup. de officio Rectoris prouinciæ:* & pleniffime ad *l. 9. inf. de annona & tribut.* *ID.*

(f) γρ. *Ea*, fcil. maneat cura. *IDEM.*

P.363 (g) Confulares & Præfides, *infr.* *ID.*

(h) *Vicarii* Præfectorum *diœcefes* adminiftrabant. De quo dixi plenius ad *l. 4. fup. de proximis Comitibus difpofitionum*, & in *Notit. Magiftrat.* *ID.*

(i) De *Iudicum tranfitu*, dixi plene ad *d. l. 4. fup. de officio Rectoris Prouinciæ.* Et ad eundem pertinet *lex 2. inf.* *Cheuanchées* vocamus. *ID.*

(k) *Palatia*, fup. *ID.*

(*) *Fugitiua* hæc fententia eft ab hoc *titulo:* Et reiicienda *in tit. inf. de operibus publicis.* *ID.*

(l) *Senium* Palatiis & ædificiis *h. l.* tribuitur, & *l. 15. inf. de operibus publicis*, vbi dicam. Vid. & in *Gloff.* *ID.*

(m) γρ. *Libræ.* *IDEM.*

(n) MS habet folummodo, *ita vt ne Curiales quidem.* *ID.*

(o) Curialibus imminebat cura operum publicorum: Et in his Palatiorum. *IDEM.*

(p) *Condemnatio*, pro multa pecuniaria: notaui plenius ad *l. 12. fup. de re militari.* V. & *Gloff.* *ID.*

(q) Ita habet MS. antea male *viginti.* *IDEM.*

(r) γρ. *Noftris.* *IDEM.*

(s) *Ancyræ* in Galatia hoc tempore verfatus Arcadius (vt præter hanc *legem* docet *lex vn. fup. de Menforibus:* & *lex 28. fup. de Palatinis S.L.*) Nicia videlicet Bithyniæ digreffus, *l. vlt. fup. de vfuris.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

MANERE omnibus Priuatis tranfeuntibus in Palatiis Principis hac *Arcadii* conftitutione interdicitur, pariter vt Theodofii Iun. *l. vn. Cod. Iuft. de palat: In qualibet ciuitate:* quod colligimus ex *l. 2. inf.* etiamfi Prætorium in ea non fit (quod tamen biennio poft, abrogatum, *d. l. 2. inf.*) Palatia fcilicet priuatorum vfibus denegantur, & foli Principi, eiufque Comitatui referuantur: de quo dicetur

etiam ad *l. 47. inf. de operibus publicis.*. Itaque recte Eustatius in *Dionysium* νῦν οἱ Ῥωμαῖοι τοὺς βασιλεῖ πρέποντας τόπους καλοῦσι παλάτια.

Cæterum ne quidem Iudici eb vna prouinciæ Ciuitate ad aliam *transeunti*, discurrenti (de quo *Transitu Iudicum* dixi plene ad *l. 4. supra de officio Rectoris prouinciæ*) in Palatiis manere *h. l.* licet. Idque sub grauissima multa *hac* Arcadii *lege* prohibetur, tam Iudicibus, quam mansionem sibi in Palatiis vsurpantibus indicta: Iudicibus inquam, Ordinariis, Vicariis, eorumque Officialibus: Sed & Curialibus. Ad horum scilicet omnium curam pertinuit videre; ne quod Palatia Principum detrimentum caperent, aut vsurpatione discurrentium seu transeuntium, aut vitio alio (quod alterum *huius legis* caput est, ab hoc titulo alienum) vitio inquam alio, id est, aut negligentia, aut senectute. De qua Iudicum, Rectorum inquam, Vicariorum, quin & Curialium circa Palatia sollicitudine, dicendi locus erit *infra l. 33. tit. de operib. publicis: vid. & l. vlt. Cod. Iust. de officio Rectoris prouinciæ*, dicam & *ad l. 1. inf. de domib. ad rem pr. pert.*

Ac vt transeuntes ipsi in Palatiis manere non possunt, iisque arcentur; multo magis Equi & animalia transeuntium a stabulis Palatiorum arcendi sunt. Idque est quod *h. l.* subiungitur, *Equos sane nostros* (ita enim reponendum est) *ab stabulis probiberi Palatiorum* SVPERVACVVM *iudicamus.* Superuacuum ideo, quia denegata Dominis in Palatiis manendi facultate, eo ipso satis, ac multo magis, eorum equis stabulandi ius denegatur.

Ex huius interim *legis* initio maxime discere licet, per omnes Imperii prouincias in variis Ciuitatibus & Mansionibus Palatia Principum fuisse. Per Prouincias inquam, Orientalis Imperii, quo hæc *lex* pertinet: Antiocheni sane Palatii meminit & Theodoretus *lib. 4. Hist. c. 26.* De Constantinopolitano est *lex 47. inf. de oper. publicis*: de Daphnensi prope Antiochiam *l. 2. inf. de aquaduct.* Heracliense in Thracia memorat *vetus Orbis descript. 33.* Similiter per Occidentem varia Palatia fuere: *Mediolanensis* vtique Palatii meminit Mamertinus in *Genethliaco Maximiani c. 11.* & Ausonius *ordin. nobil. vrb. carm. 4.* *Treuirensis*, Ambrosius *Epistola ad Valentinum 27.* (*24 num. 2. edit. Benedictin.*) similiter *Narbonensis* (capitolii) Sidonius *carm. 23. v. 40.* & tandem *Patobiouensis in Norico* Ammianus, *lib. 14. cap. 11.*

PRÆTORIA *vbi non sunt, ibi Palatia Iudicibus patere.*

II. (a) Idem AAA. Anthemio PF. P. (b)

ORDINARII Iudices, (c) in remotis ab aggere (d) publico Ciuitatibus, si Prætoria (e) non sint, metu Legis adempto, quæ *de Palatiis* lata est, (f) in ædibus, etiamsi *Palatii* nomine nuncupentur, commanendi (g) habeant facultatem. Dat. VIIII. Kalend. Decemb. Constantinop. Honorio VII. & Theodosio II. AA. CONSS. [407.]

NOTAE

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Anthemius* PP. Orientis scil. sub Arcadio. v. *Prosopogr. ID.*

(c) *Ordinarii Iudices*, sunt Consulares, & Præsides; *vt l. Super.* vid. *Not. Dignit. ID.*

(d) *Agger publicus*, est via publica, vt *l. 4. & 5. inf. de itinere muniendo*: vid. *Glossar. ID.*

(e) De Prætoriis dixi ad *l. 3. sup. de officio Iudicum omnium. ID.*

(f) Intelligit *legem superiorem 1. ID.*

(g) *Commanere*: dixi ad *l. 1. sup. de metatis. ID.*

P.364

COMMENTARIVS.

MANERE in Palatiis CVIVSCVNQVE Ciuitatis, Ordinario Iudici quoque transeunti ante biennium, & quod excurrit (*l. 1. sup.*) ab Arcadio interdictum fuerat. Verum idem Arcadius *h. l.* exceptionem quandam nunc proponit. Iudices scilicet Ordinarii (id est, Consulares & Præsides) vt in transitu, vel transcursu, seu discursu per Prouincias suas, non semper aggere publico discurrebant (de quo alioquin plene dixi ad *l. 4. & 5. sup. de Officio Rectoris Prouinciæ*:) Verum per omnium villas sensim atque vsitarim, vicosque cunctos discurrebant, *d. l. 5. de officio Rectoris Prouinciæ*, atque adeo per remotas ab aggere publico ciuitates (vt *hac lex nostra* testatur) ita si in huiusmodi ciuitatibus ab aggere publico remotis Prætoria (quæ, alioquin mansionibus Iudicum destinata sunt) defuerint, (vt ferme Prætoria nonnisi in Ciuitatibus ad aggerem publicum sitis erant) hoc certe casu & necessitate suadente (quod alioquin licitum facit quod illicitum est) Rectores prouinciarum in Palatiis quæ in remotis etiam eb aggere publico ciuitatibus erant ex hac Arcadii constitutione manere possunt. Breuiter: *Quibus in locis Prætoria non sunt, ibi in Palatiis Iudices manere possunt.*

NE COMITIBVS ET TRIBVNIS LAVACRA PRÆSTENTVR.

TITVLVS. XI.

LIB. I. COD. IVST. TIT. XLVII.

Ne rei militaris Comitibus vel Tribunis, &c.

ILLVSTRES *tantum Comites & Magistri militum balnea succendi sibi postulare possunt. Non etiam Tribuni aut Comites minores.*

I. (a) Imppp. ARCADIVS, Honorius, & Theodosius AAA. Anthemio PF. P.

OMNEM, vel (b) ex pristini seueritate decreti, vel ex hoc sacro præcepto, quod sub eadem pœna (c) profertur, inquietudinem a Curiis & Ciuitatibus præcipimus prohiberi; nec vllas priuatas (d) ab his (e) succendi (f) balneas (g) ad Tribunorum (h) siue ad Minorum Comitum vsus: (i) sed Inlustribus (k) tantum Viris Comitibus ac Magistris militum, si tamen id voluerint, concessum esse cognoscant hoc ministerium. (l) Dat. v. Kal. Decemb. Constantinop. Arcadio VI. & Probo V. C. CONSS. [406.]

NOTAE.

(a) Lex *vn. Cod. Iust. eod. tit* ex *hac & sequente* conflata est. Meminit, huius, *lex inf. prox.* GOTHOFREDVS.

(b) Hic *versiculus*, vsque ad *inquietudinem*, a Triboniano recisus est: Ex quo tamen discere licet lauacrorum exactionem, non his tantum temporibus seueriter prohibitam, verum etiam pristinis & antiquis decretis. Interim hic, *vel*, pro & accipi potest. IDEM.

(c) Dupli pœna *l. 2. inf.* statuitur. *ID.*

(d) Vnde & *priuatum*, simpliciter *l. 11. sup. de metatis.* De quo mox aliquid. *ID.*

(e) Curiis & Ciuitatibus. *ID.*

(f) *Succendendi* vox hac in re propria, Am. Marcellinus *Congeri ligna ad Valentini lauacri Accensionem.* Sidonius Apoll. *lib. 2. epist. 2.* vbi de balneo: *intra conclaue succensus solidus dies*, vid. *Glossar.* Et Sidonii Interpretem Cl. Savaronem *lib. 2. ep. 2. ID.*

(g) *Priuata balnea* Cod. Iust. RITTER.

(h) *Vel Ducum, aliorumue militarium Comitum.* Ita Tribonianus, partem ex *lege sequente.* GOTHOFRED.

(i) *Nec aderationem aliquam pro hac causa profligari.* Hoc a Triboniano additum ex *legis sequentis* Sententia. *ID.*

(k) *Illustribus enim tantummodo* Cod. Iust. RITTER.

(l) *Ministeriam* vocat, siue ipsam ligni ministrationem, id est, suppeditationem, siue etiam operam. Cæterum Tribonianus hæc verba ita expressit: *hoc ministerium indulgemus*, & ex *lege sequente* adiecit, *Dupli pœna violatoribus huius Sanctionis imminente.* GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

ARCADII hæc constitutio est: quam memorat filius eius *l. 2. prox.* simul & explicat: Qua TRIBVNI, omnesque minores Comites priuatas sibi succendi balneas a Curiis, & Ciuitatibus in vsus suos exigere prohibentur: Solisque Illustribus Comitibus & Magistris militum id permittitur. *Minorum* seu *Inferiorum Comitum* appellatione *h. l.* & *seq.* non Tribuni veniunt, verum ab his separantur. Quanquam alibi scio, *Comitem* & *Tribunum* confundi, vt in *Glossis*, Κόμης ἤτοι τρι- P. 367 βοῦνος. Itemque apud Vegetium Tribunus dicitur *minor comes*: Verum *h. l.* minores Comites, sunt illi Comites rei militaris, de quibus fuit *sup. Titulus*, *lib. 6.* quorum alii primi Ordinis, alii vero secundi Ordinis Comites erant, vt ex *eadem titulo* constat. Vtrique tamen minores Comites, seu Comites inferiores: Maiores vero Comites sunt illustres Magistri militum, qui & ipsi *Comites Illustres* dicebantur. Comites inquam: quo sensu certe Comitiuæ titulus omnibus fere dignitatibus adiunctus fuit, non autem eo sensu quo *infra* Illustres positi, alii primi, secundi, Tertii Ordinis Comites erant; Eo quippe sensu Magistri militum a Comitibus separantur: Ammianus Marcellinus *lib. 25. cap. 5.* *Tunc & Equitius Illyriciano præponitur exercitui, nondum Magister, sed Comes.* Sic Constantium, Bonifa-

cium, Aëtium, Anthemium, prius Comites, deinde Magistros fuisse legimus: Vt non vno errore labatur, qui Tribunos cum Comitibus *hoc titulo* confundit: quique Comites Magistros militum Illustres, Comitibus Ordinis primi accenset.

Cæterum, priuatas balneas exigere Tribuni & Comites prohibentur, & vno verbo (vt etiam loquitur *lex 12. sup. de metatis*) *Priuatum*. In publico enim lauari poterant. Cuiusmodi lauacra publica, publico sumptu in Ciuitatibus, coloniis succensa, notum est: de quo etiam aliquid ad *l. prox.* Aggenus in Frontinum *pag. 60. edit. W. Goesii int. Script. rei agrar. Sunt sylvæ de quibus lignorum copia in lauacra* PUBLICA *ministranda caeduntur.* Tertullianus; *apud quasdam Colonias idolis suis inuitiam supplicem obiiciunt: balnea, & tabernacula in nonam clauduntur.* Multo alia: atque etiam prolixe, quod ab hoc loco alienum, Veterum testimonia laudare, de lauacro & balneo militibus interdicto; de quo est alioquin in Alexandri Seueri oratione Lampridii locus, *in Alex. Seuero cap. 53.* Polyæni, vbi de Scipione *lib. 8.* Καὶ λοῦσθαι μηδένα, *balneis vti vetuit:* Dionis *in Antonino Caracalla*: Chrysostomi *in priorem ad Timotheum.* (a)

Ex *hac* interim *leg.* & *proxima* discimus, Comitibus & Tribunis militaribus lauacra seu balnea hoc æuo interdicta non fuisse: cum veteri tamen disciplina lauacra & balnea militibus interdicta essent, vt ex Polyæno discimus, vbi de Scipione agit, & ex Dione *in Antonino Caracalla*, Seueri *epistola* apud Spartianum in V. *Pescennii Nigri cap. 3.* & Lampridio *in Alex. Seuero loc. citat.* Imo, & hoc ipso æuo Chrysostomus, *in 1. ad Timoth. homil. 13. pag. 1593. edit. Commelin.* de Militibus in commune. Εἰ γὰρ στρατιώτης λουτροῖς καὶ θεάτροις προσανέχων καὶ πραγματείαις, καθάπερ τις λειποτάκτης κρίνεται. *Nam si miles lauacris ac spectaculis vacans, intentusque negotiis, veluti desertor militia iure damnatur.* Flumina enim militibus pro lauacro erant, *l. 13. sup. de re militari.*

(a) Hæc loca videbis collecta a Cl. Salmasio ad Lampridium *Alex. Seuer. cap. 53.*

DUCI, *quid pro balneis exigenti, pœna imponitur, ac nominatim Duci Euphratensi.*

II. (a) Impp. Honorius & THEODOSIUS AA. Monaxio PF. P.

LEGE dudum (b) lata, quæ *omnem licentiam exigendi ab prouincialibus lauacra* (c) *Tribunis & Comitibus inferioribus* denegauit, Duci (d) limitis Eufratensis diurnos tremisses (e) pro lignis & balneis exegisse comperimus. Ideoque præcipimus memorati limitis Ducis, (f) quos abhinc triennio (g) talia sibi, contra legem, (h) lucra vindicasse constiterit, in duplum ea redhiberc, & in posterum sub eiusdem pœnæ metu hanc exactionis licentiam prohiberi. Dat. V. Kal. Aug. (i) Constantinop. Honorio A. XI. & Constantio II. V. C. CONSS. [417.].

NOTÆ.

(a) Ex *hac vti dixi, & superiore lege*, lex vn. *Cod. Iust. eod. tit.* conflata est. Iungenda autem *huic* est *l. 2. inf. de venatione ferarum.* GOTHOFREDUS.

(b) Ante vndecim ferme annos: & intellige *legem 1. sup.* IDEM.

(c) Pro *balneis* hic, & *l. 52. inf. de operibus publicis* & *l. 20. inf. de paganis: l 36. inf. de collatione donatarum.* Apud Spartianum, Lampridium, Capitolinum, Ammianum, Symmachum, alios. De thermis Vrbis Romæ erit infra *Titulus proprius.* ID.

(d) *γρ. Ducis vt infra*, mox: idque pro *Duces*, vt mox *infra.* ID.

(e) De *tremissibus* dixi ad *l. 4. sup. de milit. veste.* ID.

(f) Pro, Duces. IDEM.

(g) Ab anno 414. IDEM.

(h) *L. 1. sup.* IDEM.

(i) Octobr. *d. l. 2.* IDEM.

COMMENTARIUS.

DUCES limitum, nihilo magis quam Tribuni, aut Comites inferiores a Prouincialibus lauacra, vel eorum loco adærationem seu pecuniam pro lignis & balneis exigere ex *hac* Theodosii Iun. Constitutione possunt: confirmata patris sui Arcadii constitutione ante vndecim ferme annos lata, puta *l. 1. sup.* Vt *Comitum inferiorum* appellatione, *Duces* quoque *limitum* veniunt, ita & ad eosdem non minus pertinet prohibitio *legis 1. sup.* quam ad cæteros. *Ducibus* certe ex ærario ligna ad balneas pro salario quoque decreta, testatur *Epistola* Valeriani ad Zosimionem Procuratorem Syriæ apud Pollionem *in Claudio cap. 14. Huic*, inquit, *Salarium de nostro priuato ærario dabis, balneatorem vnum, & ad balneas ligna; sin minus, lauetur in publico* &c. *Hæc autem omnia idcirco specialiter, non quasi Tribuno, sed quasi Duci detuli.* Vtcumque sit, vel ex hoc ipso loco apparet, Ducem priuatas balneas a Prouincialibus exigere non potuisse: sed si Procurator Principis ligna non haberet, Ducem in publico lotum. Porro *hanc legem*, vt & *legem 2. inf. de venatione ferarum*, (quam *huic* coniungendam dixi) etsi ad omnes Duces pertineant & recte trahantur, tamen eas extorserunt speciales querelæ de Duce limitis Eufratensis: Cuius vt illis *legibus*, ita & in *Notitia Imperii* mentio fit *fol. 96. Eufratensis* recenti nomine dici cœpit, quæ antea *Commagena*, vt testatur Ammianus Marcellinus locis duobus; *lib. 14. c. 8.* & *lib. 23. c. 6.* Et Pro- p. 366
copius *lib. 1. Persicorum, cap. 17.* & *lib. 2. cap. 20.* &

lib.

lib. 2. de ædificiis Iustiniani cap. 8. in notitia prouinciarum Orientalium ἐν δέγε τῇ πάλαι μὲν Κομμαγηνῇ χώρα, ταννῦν δὲ καλουμένη Εὐφρατησία *in Commagene, sic olim vocabant quæ hodie dicitur Euphratesia.* Victor *in Epitom.* in *Vespasiano, cap. 9. Augustofratensem* nominat; & ex eo, Historiæ Miscellæ Author *lib. 9. Tom. I. Scriptor. Rer. Ital. pag. 58.* imo & ita quoque vocatur in *Notitia Episcoporum*, qui Concilio Chalcedonensi subscripserunt. Certe *Notitia* quoque *Imperii* sub Comite Orientis inter cæteras Prouincias Euphratensem memorat *fol. 71.* Huius Metropolis fuit *Hierapolis*, vt docebit *dicta lex 2. inf. de venatione ferarum.* Sed & Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 8. Commagena,* inquit, *nunc Euphratensis, Hierapoli, veteri Nino, & Samosata ciuitatibus amplis, illustris*, & Procopius *de ædific. lib. 2. cap. 9.* Meminit huius Euphratensis non vno quoque loco *Philostorgius.*

DE COMMEATV.

TITVLVS XII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XLIII.

Præpositis, Decurionibus, Tribunis,
Commeatus dandi ius penitus præcidit Constantinus M.

I. (a) Constantinvs A. &c. (b)

NE cui liceat Præpositorum, vel Decurionum, (c) vel Tribunorum cohortium, (d) quocunque genere, cuiquam de militibus, castris (e) atque a signis, vel his etiam in (f) locis quibus pertendant, (g) discedendi commeatum date: Si quis vero contra legem facere ausus fuerit, & militem contra indictum (h) commeatum (i) demiserit, atque id temporis (k) nulla eruptio (l) erit, tunc deportatione cum amissione bonorum adficiatur: Sin vero aliqua Barbarorum (m) incursio extiterit, & tunc cum præsentes in castris atque apud signa (n) milites esse debeant, (o) quisquam afuerit, (p) capite vindicetur. Dat. IIII. Kal. Mai. Seuero & Rufino conss. [323.]

N O T A E.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* Et iungenda huic *lex 1. sup. de re milit.* GOTHOFRED.

(b) Hæc ita sunt accipienda di[s]tinctis literis, *& C.* id est *& Cæsar*, quomodo expresse habet *d. l. 1. sup. de re militari. Leontio PF. P.* Cod. Iust. quod minus probo. Vbi & perperam *Constantini, & Constantis* nomina præscribuntur. Quod Cuiacius recte repudiauit, idque etiam subscript. consules docent. Reponendum igitur, *Constantinus A. & Cæsar*, vt ad *d. l. 1.* ID.

(c) De his *Decurionibus mox.* ID.

(d) *Vel Vicariorum & familiarium eorum tempore expeditionis quocunque genere.* Ita Tribonianus. ID.

(e) *A Castris*: clarius ita in *Iustinianeo.* ID.

(f) Inuerso ordine in Cod. Iustinian. *locis in quibus.* IDEM.

(g) γρ. *Prætendant*, de quo mox plene. ID.

(h) *Interdictum* in Cod Iust. *An indictum*, pro *interdictum*, & indicere, pro interdicere? Non: *Indictum*, pro lege & constitutione, vt in *donat. Constantini.* ID.

(i) Ita quoque *Cod. Iust.* sed male, γρ. *Commeatu*: quomodo etiam exerte præfert MS & mox *dimiseris* pro *demiserit.* IDEM.

(k) *Eo tempore in quo Barbarorum incursio.* Ita Tribonianus, resecatis quamplurimis. ID.

(l) Barbarorum scilicet, vt infra, *Barbarorum incursio*: & *l. 1. sup. de re militari*, quæ huic coniungenda est, Barbarorum *depredatio.* ID.

(m) *Gothos, Sarmatas & Scythas* intelligit in specie *huius legis*, & in specie *d. l. 1.* IDEM.

(n) Vel apud prætentura: nam & de his superius actum. ID.

(o) Sustineri potest: apertius tamen, *debebunt.* ID.

(p) Pro abfuerit, vt *l. sequente*: vid. *Miscell. ad Symmachi 7. epist. 36.* ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

DARE Commeatum militi, Præpositus, Decurio, aut Tribunus cohortis, hac Constantini M. constitutione prohibentur: alioquin si id temporis Barbari eruptionem vel incursionem fecerint, capite id luere: Si non fecerint, deportari, bonaque eius proscribi iubet. Quo pertinet & Synesii querela ad Simplicium Magistrum militum *ep. 129.* de Cereali Duce Pentapolitano Lybiæ, quod commeatum militibus passim venderet, ἀντέδωκεν αὐτοῖς ἀστρατείαν καὶ συντετάχθαι, βαδίζειν ἐπιτρέψας ᾗ τις ὤετο θρέψεσθαι: de quo loco dixi ad *l. 3. supr. de pastus.* Vt de commeatu militibus dando distinctius liqueat, duo tempora nobis sunt distinguenda; Pacis, & expeditionis bellicæ. De pacis tempore hic est Vegetii locus *lib. 2. cap. 19. Quotidianas etiam in pace vigilias: item excubitum, siue agrarias, de omnibus centuriis & contuberniis* [quas] *vicissim milites faciunt, vt nequis contra iustitiam prægrauetur, aut alicui præstetur im-*
P. 367 *munitas: nomina eorum qui vices suas fecerunt, breuibus inseruntur. Quando quis commeatum acceperit, vel quot dierum, annotatur in Breuibus: Tunc enim difficile commeatus dabatur nisi caussis iustissimis approbatis.* Sed & I. C. Macer in *l. 12. D de re militari*, scribit; *debere eum, qui se meminerit armato præesse, parcissime commeatum dare.* Cui concinit hic Spartiani locus in *Hadriano cap. 10. Inde in Germaniam*, inquit, *transiit: pacisque magis quam belli cupidus, militem quasi bellum immineret, exercuit:* & mox: *labantem disciplinam incuria superiorum Principum retinuit; ordinatis & officiis & impendiis: Nunquam passus aliquem a castris iniuste abesse: cum Tribunos non fauor militum sed iustitia commendaret.* Expeditionis vero tempore, id est, cum arma in hostem mouenda erant, commeatum dari non oportere, certi iuris est. Et vero ad hunc casum Tribonianus hanc *legem* nostram detorsit. Cuius tamen alia est Sententia: Neque enim pertinet ad expeditionis tempus, verum ad suspecta tempora, quibus non equidem miles in hostem mouendus, aut hosticum, verum per quæ in suspecto limite, & Barbarorum irruptionibus exposito, vigiliis & prætenturis assiduis & frequentibus Barbarorum incursiones tota mole prohibendæ erant. Quo pariter trahi *l. 2. sup. de re militari.* Lex nempe illa spectat ad limitem Galliarum, & prætenturas Galliarum, & militem, in suspecto limite Francis & Alemannis (Gallias subinde incursantibus) oppositum: hæc vero nostra ad limitem Scythicum & Danubianum, Sarmatarum, & Scytharum incursionibus infamem. Et vero iam ante docui ad *l. 1. sup. de re militari* (quam *huc* coniungendam dixi) hanc *legem*, vt & *d. l. 1.* ad Gothorum, Scytharum, & Sarmatarum incursionem per NEGLECTOS limites erumpentium pertinere, quos etiam hoc anno ipse Constantinus M. bello deuicit; qui captiuis eorum per vrbes distributis, Thessalonicam sese recepit: vt testatur Auctor *vitæ Constantini lib. 4. cap. 5. & 6.* Zosimus *lib 2. cap. 21. 22.* Sozomenus *lib. 1. cap. 8.* Anonymus qui apud *Sirmondum, & ad calcem Marcellini edit. Gronou. pag. 715.* Et probat quoque ex parte subscriptio *l. 2. sup. de liberali causa.* Confecto igitur & patrato hoc bello, Constantinus Gothorum, Scytharum & Sarmatarum incursionibus deinceps obuiam iturus, *h. l.* & *d. l. 1.* labantem disciplinam militarem retinere voluit, commeatu militibus deinceps denegato: & seuerissima simul pœna indicta Romanis, qui Barbaros in Romana concitassent: Quorum illud ab Hadriano quoque factum in limite Gallico, *iam superius* ostendi. Breuiter, commeatum quocumque tempore dari non oportet, nisi iustissimis de caussis, vt Vegetius loquitur, non *iniuste*, vt Spartianus *Hadriano l. c.* Sub qua exceptione hæc *lex* intelligenda est, & *lex 2 sup. de re militari.*

Superest de duobus hic agamus. Primo quidem de Decurionibus videndum, quorum *hac leg.* mentio fit. Horum sane meminit quoque Varro *lib. 4. de lingua Latina pag. 16. edit. Gothofred. int. auct. lingu. L. u.* Nonius *cap. 12. n. 7.* & multa mentio in *veterib. inscriptionib.* vbi DECVRIONES ALARVM vocantur: quos vocant *Sergens des bandes.* Vegetius *lib. 2. cap. 14. Habet vna Turma Equites triginta duos; huic qui præest, Decurio nominatur: vt enim centum & decem pedites ab vno Centurione sub vno vexillo gubernantur, similiter triginta duo Equites ab vno Decurione sub vno vexillo reguntur.* Præterea: *eligendus est Decurio, qui Turmæ Equitum præponatur, in primis habilis corpore, vt loricatus, vt armis circumdatus omnibus cum summa admiratione equum possit ascendere, equitare fortissime, conto scienter vti, sagittas doctissime mittere, turmales suos, id est, sub cura sua Equites positos, erudire ad omnia quæ Equestris pugna deposcit: eosdem cogere loricas, vel cataphractas, contos suos & cassides frequenter tergere, & curare. Plurimum enim terroris hostibus armorum splendor importat. Quis credat militem bellicosum, cuius dissimulatione, situ ac rubigine arma fœdantur? Non solum autem Equites, sed etiam ipsos Equos assiduo labore conuenit edomari. Itaque ad Decurionem & sanitatis & exercitationis tam Hominum, quam Equorum, pertinet cura.* Tribonianus tamen horum *Decurionum* mentionem hic suppressit. De his Decurionibus plura apud Lipsium *de Mil. Rom. lib. 2. dialog. 10.*

Secundo loco de *Prætenturis* militum *hic* agendum: quæ quidem his verbis indicantur, *vel hic etiam locis in quibus prætendant*; nam ita restituo. Ita Panegyrico Incerti, quem dixit Constantino *cap. 21. Iam obliti deliciarum Circi Maximi & Pompeiani Theatri, & nobilium lauacrorum: Rheno, Danubioque prætendunt. Prætentura* in *Glossis* Philoxeni προβολὴ ἐπιτείχισμα a verbo *prætendere*, quod est, ante tendare. Harum frequens mentio extat apud Ammianum: vt *lib. 14. cap. 2.* de Isauris: *Ibique densis intersepientes itinera prætenturis, prouincialium & viatorum opibus pascebantur.* Idem, *eodem lib. cap. 3. Mesopotamiæ tractus omnes crebro inquietari sueti prætenturis & stationibus seruabantur agrariis*, lib. 16. cap. 11 *Dum castrorum opera mature consurgunt, militisque pars stationes prætendit agrarias.* Lib. 19. c. 13. *Prætenturas militum vt montani fallentes, perque rupes & dumeta ex vsu facile discurrentes.* Et lib. 21. cap. 13. *Arbetionem & Agilonem, pedestris equestrisque militiæ Magistros, cum agminibus maximis properare coegit, non vt lacesserent Persas in prælia, sed prætenturis iuncturos citeriores Tigridis ripas, & speculaturos quonam Rex erumperet violentus. Addebatque monendo sæpius, & scribendo, vt simul atque multitudo transire cœpisset hostilis, referrent citius pedem. Dumque conlimitia iussa custodiunt Duces, & occulta fallacissimæ gentis obseruantur, agens ipse cum parte validiori exercitus curabat vrgentia velut pugnaturus, oppidaque tuebatur excursu*, &c. Et lib. 25. cap. 4. *Salubriter & caute castra metata, prætenturæ stationesque agrariæ tutis rationibus ordinatæ.* Et lib. 29. cap. 5. *Romanum Theodosius Magister Equitum misit ad vigilias ordinandas & prætenturas.* Denique *lib. 31. cap. 8.* Vbi de prætenturis in limite Scythico, pariter vt *h. l.* tractat: *Saturninum* inquit, *equestris exercitus ad tempus cura commissa, suppetias Traiano ferentem misit & Profuturo.* Et mox: *Quo cognito, Saturninus (iam enim aderat, & prætenturas stationesque disponebat agrarias:) paulatim colligens suos, digredi parabat, consilio non absurdo: ne subita multitudo, vti amnis impulsu undarum obicibus ruptis emissus, conuelleret leui negotio cunctos, suspecta loca accuratius obseruantes: Deinde post reseratas angustias, abitumque militis tempestiuum, incompositæ qua quisque eluforum*

forum potuit, nullo vetante turbandis incubuit rebus, & vastabundi omnes per latitudines Thracia pandebantur impune. Ex his omnibus Ammiani Marcellini locis, quos data opera omoes appofui, liquido colligi poteſt, quidnam fuerint *Prætenturæ*: Nempe prætenturæ fuerunt agmina militum ſiue Peditum, ſiue Equitum, qui non pro caſtris, vt quidam opinaotur, (a) ſecuritatis cauſa, quod faciebant quæ *præſidia*, & *præſidere* dicebantur; verum per ſuſpecta hoſtibus loca ordinabantur, diſponebantur, diſpergebantur ſpeculaturi, ne qua hoſtis perrumperet, atque in id modo huc, modo illuc diſcurrebant. Hinc eſt quod a ſtatiooibus agrariis ſeparantur ab Ammiano Marcellioo: Eodem ſcilicet ſenſu, quo naues iudiciatiæ & Agrariæ opponuotur, *l. vn. inf. de luſoriis Danubii.* Inter agrarias, inquam, & prætenturas id interfuit, quod hæ iudiciariæ & diſcurſoriæ erant, illæ vero certa fixaque ſtatione in excubiis, non tamen in caſtris aut oppidis, verum ἐν ὑπαίθροις: contra, vigiliis ab
P.368 Ammiano Marcellino iunguntur, & itinera interſæpire dicit, itemque ſuſpecta loca obſeruare, ſpeculari; & omnibus locis illis per agmina diſperſos indicat. Erant igitur exploratorum manus & agmina; *Tendere* non tantum, ſed & *prætendere*, Caſtrenſia ſunt vocabula. De iiſdem ſenſit & Hegeſippus *lib. 5. de excid. Hieroſol. cap 20.* ſiue quis alius Auctor: *Caſtellum*, inquit, *in quo prætendebant.* Et cap. 25. *Cuſtodiat prætendentium*, pariter dixit. Ad eaſdem Diuus Ambroſius ſæpe alludit. Ita *lib. 1. de Offic. cap. 38. num. 189. edit. Benedict. Fortis viri*, inquit, *eſt, non diſſimulare, cum aliquid immineat, ſed prætendere, & tanquam explorare de ſpecula quadam mentis.* Et lib. 6. HEXAEM. cap. 9. *num 58. edit. Benedict. Gemina ſepes ſuperciliorum, quæ oculis munimenta prætendunt*, & Ep. 16. (*76. in fin. edit. Benedict.*) *Quaſi bonum bellatorem, ſumere arma Dei, ac prætendere ſemper, non ſolum aduerſus Carnem*, &c. & Ep. 26. (*1. num. 2. ed. Ben.*) *Nocte ac die in tuis caſtris cura & ſenſu locatus orationum excubiis prætendebam.* Epiſt. 27. (*24. n. 8 ed. Benedict.*) *Dum tu militem Romanum occupas, dum is aduerſum ſe vtrinque prætendit in medio Romani Imperii ſinu.* Ep. 82. (*ep. 63. num. 44. edit. Benedict.*) *Stat autem ſpeculator prouidus explorator impiger, peruigil cuſtos, qui prætendit in caſtris.* Idem eo ſæpe alludit, *lib. 1. de offic. cap. 10. num. 32. cap. 18. num. 68. cap. 37. num. 185. cap. 47. num 238. edit. Benedict.* Vox mutuata e Venatica, vbi ſpatia terrarum includuntur. Gratius io *Cynegetico, v. 31.*

Et bis vicenos ſpatium prætendere paſſus.

- - - - Rete velim.

Columella quoque *lib. 8. c. 9. Prætentis retibus, quibus prohibentur volare.* Tendendi, & Prætenturarum frequens mentio apud Hyginum in *Gromatico* ſiue de *Caſtrametatione*, quo loco ſcilicet in caſtris *ad vallum, vbi cohortes primæ, & Exploratores, & Claſſici cum auxiliaris Equitibus prætendebant.* Denique quod dixi Prætenturas fuiſſe agmina diſperſa, id ex hac ipſa *lege* ſatis colligitur: ſeparantur enim a caſtris & a ſignis. *Notitia Imperii* ſub Duce Retiæ primæ & ſecundæ *fol. 172. Præfectus Legionis tertia Italica pro parte media* PRÆTENOENTIS *a Vimania Caſſiliacum vſque Cambiduno*: cui opponitur immediate ante, *Præfectus Legionis Italicæ tertia partis ſuperioris deputata Ripæ primæ ſubmontorio.* Item *Præfectus Legionis tertia Italica partis ſuperioris, Caſtra Regina nunc vallato.* Sed Prætenturas quoque dixere, & quidem nonnullis locis ſuperius laudatis generali iam appellatione de omnibus omnino Copiis hoſtibus obicis vice oppoſitis; quo ſenſu quoque *Galliam prætentis* claruiſſe Manilius *lib. 4. v. 684.* (al. *691.*) *Gallia prætentis Hiſpania maxima bellis* dixerit, ſi tamen dixit, vti vir magnus putat; quippe loco *prætentis* ex MSS. legit *Per cenſus.* Quo loco *prætenta* pro prætentnris accipiendæ ſunt. At eodem ſenſu Claudiaous de *bello Gothico v. 416.*

Venit & extremis legio prætenta Britannis.

(a) Ita putat Valeſius *ad Marcel in. lib. 14. c 3.* Vide etiam quæ notauit de *prætenturis* Turnebus *Aduerſar. lib. 3. cap. 7.* & Lindenbrogius *ad Marcellin. lib. 14. c. 2.*

Emansoris *vltra Commeatus vel iniuncti negotii tempus Sciniarii, Agentis in rebus, Palatini pœna.*

II. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius AAA. ad Syagrium Magiſtrum (b) Officiorum.

Qvicvnqve de Scriniis, (c) aut Agentibus in rebus, vel etiam ex Officiis Palatinis (his videlicet qui Sacrarum & Priuatarum Remunerationum (d) Comitibus obſecundant) *ſex menſum ſpatium*, ſupra diem Commeatus, aut Iuſſionem (e) euectionis afuerit, (f) is in inferiorem locum, quinque antelatis (g) poſterioribus, reuoluatur; (h) Is vero qui *anni* vacationem arbitratu proprio, Iudiciarii præcepti oblitus, adſumpſerit, a decem poſt ſe militantibus transferatur: ac deinde, cum iam aliquis deſidia *quadriennio* officium proprium adire neglexerit, quadraginta de ſequentibus poſtferatur: Qui vero ne (i) *poſt quadriennii* quidem tempus (k) militandum, non immerito matriculis auferatur. Dat. Kal. Octob. Auxonio & Olybrio conss. [379.]

NOTAE.

(a) Lex 2. *Cod. Iuſt. eod. tit.* Cæterum hæc *lex*, vt plures aliæ *huius libri*, a militiæ armatæ tractatu alienior eſt Eſt enim de militibus Palatinis non Armatis. Denique huic *legi* concordat *lex 15. ſup. de Agentib. in reb.* GOTHOFREDVS.

(b) *Magiſtro officiorum* ideo hæc *lex* inſcribitur, quia in ea agitur de Scriniariis, & Agentibus in rebus, qui certe ſub diſpoſitione Magiſtri officiorum fuerunt. *ID.*

(c) Ordo hic obseruatur, qui obseruatus *lib. 6. tit. 26. 27.* & 30. *I D.*

(d) Dixi ad *legem* 20. *sup. de Palatinis. ID.*

(e) Id est, supra iniuncti negotii tempus: vt loquitur *d. lex* 15. *sup. de Agentibus.* Est enim *iussio euectionis* nihil aliud, quam cum quo ex Comitatu emittitur negotii gerendi causa: Tractoria: *l. 11. inf. de Tironibus.* De *euectionis* appellatione alibi dicam. *ID.*

(f) Vt *sup. l. 1.* Cod. Iust. *abfuerit. ID.*

(g) Praelatis. *ID.*

(h) *Denoluatur*, Cod. Iust. Caeterum *reuoluendi* pariter verbo vtitur lex 11. *sup. de re milit. ID.*

(i) *Ne* Cod. Iust. RITTER.

(k) Hic aliquid desiderari videtur: neque hanc lacunam supplet Codex Iustinianeus. Itaque verbum *venerit*, vel quid simile suppleri oportet: ita, *qui vero ne p ft quadriennii quidem tempus venerit, militantum non immerito,* &c. *Militantum*: ita enim reponendum, vt in *l. 6. supr. de cognitor.* (quae prox. sequenti legi coniungenda est) Codex Iustin. *Militantiam.* Quanquam ex superioribus suppleri potest ita, *ne post quadriennii tempus quidem officium proprium adire curauerit militantum, &c.* GOTHOFRED.

COMMENTARIVS.

EMANSOR vltra Commeatus aut euectionis & iniuncti negotii tempus, Scriniarius, Agens in rebus, aut Palatinus (his enim ferme omnibus iniuncta fubinde negotia, vt *fuis titulis* oftenfum eft) vel regradationis poenam fuftinere, vel etiam matricula penitus expungi iubetur *h. l.* quae vt iam oftendi ab hoc *titulo* fugitiua eft, & *l. 15. sup. de Agentib. in rebus*: & *l. vlt. inf. h. t.* Regra-
p. 364 dationis inquam poenam fuftinere: de qua alioquio *Regradationis* poena dixi *l. 10. sup. de re militari*, quae quidem vt in militia Armata, vt ad illam *l. 10.* oftendi, & docet quoque *lex 16. inf. de desertoribus*, huic quam fimilis) ita & in Palatina obtinuit: quo pertinet & haec *lex*, & *lex vlt.* & *d. l. 15. de Agentibus.* Vocatur autem Regradatio quoque, gradus proprii diminutio, *d. l. vlt. inf.* & Regradari, reuolui in inferiorem militiam, *h. l* & *d. l. 10. sup. de re militari.* Pro ratione autem emanfionis regradatio fieri gradatim iubetur. Qui fex menfibus emanet, quinque aliis poftponitur; Qui annum, decem, qui bienoium, viginti, qui trieonium, triginta; qui quadriennium, quadraginta; Qui vltra quadriennium, penitus expungitur: *h. l.* Quod ipfum ferme Theodofio Iuniori in militia Armata placuit: hoc tantum excepto, quod cum qui quadriennio fine Commeatu emanfit, non iam quadraginta poftponi velit, verum matricula penitus expungi iubeat, *l. 16. inf de desertoribus.* Quae *lex* a Triboniano collocata eft fub *Titulo hoc ipfo, de Commeatu.* Quanquam & illa hoc fpeciale habet quod fit de *Emanforibus*, qui fine Commeatu abfunt. Verum idem eft fine commeatu quis emaneat, an vero vltra commeatus diem.

PRIVATIS *negotiis fefe immifcentis militis quocunque tempore, & emanforis, poena.*

III. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. ad Andromachum P. V. (b) Poft alia.

HI qui vacationem temporariam (vt faepe adfolet) impetrarint, nihil fibi neceffitatis (c) vfurpent, nullorum actibus mifceantur: Quorum fi quis, poft exactum commeatus diem, indultum beneficium morando corruperit, nihil agere intra prouinciam poffit: (d) intellegens, fe praeterea, praecepto Rectoris prouinciae, ea tenendum legis Poena, qua defides (e) gradus proprii deminutione puniti funt. (f) Dat. Prid. Non. Iun. (g) Med. Olybrio & Probino CONSS. [395.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic*, eft *lex 6. sup. de Cognitoribus & Procuratoribus*, cuius eadem ex parte fententia eft: fed & *Lex 7. inf. de executoribus.* GOTHOFR.

(b) *Andromachus* fub Honorio P. V vbique dicitur, fed malim PP. *IDEM.*

(c) non fiant fufceptores, Defenfores caufarum, nec Cognitores, *d. l. 6. sup. de Cognitoribus. ID.*

(d) non liceat ei quicquam agere. *ID.*

(e) malim, *refides. IDEM.*

(f) *puniri folent, puniri fuerant.* Quanquam indicare videri poffit exemplum quoddam fingulare, & praxim. *IDEM.*

(g) in *d. l. 6.* Iul. *ID.*

COMMENTARIVS.

PRIVATIS negotiis immifcere fefe milites hac Honorii conftitutione A. D. 395. prohibentur: non tantum militantes, feu dum in militia funt, (de quo dixi plenius ad *l. 6. sup. de Cognitoribus*: quam

quam *huic* coniungendam monui) & *l. 15. sup. de re militari*, verum etiam per commeatum absentes. Idque rursum, non tantum commeatus tempore durante, verum etiam post exactum commeatus diem: nullo quippe horum casuum miles esse definit, atque adeo inoffensa disciplina militari negotiis occupari priuatis miles non potest. Quinimo postremo casu si indultum commeatus beneficium morando corruperit, (vt hæc *lex* eleganter loquitur, (propter emansionis crimen regradatur: de quo dixi *ad legem superiorem*. Et ita quidem hæc *lex* accipienda est, si fidem huius *Codicis* Conditorum sequimur. Et tamen hanc *legem* magis pertinere putem ad Officiales quosdam Iudicum, & Palatinos, argumento extremorum *huius leg.* quomodo pariter *lex 7. inf. de executoribus* quæ, & *huic* coniungenda est, & *fine* quoque conspirat, est de Palatina militia. De quo vid. quæ dixi ad *d. l. 6. sup. de cognitor.* huic pariter coniungendam.

P.370

DE TIRONIBVS.

TITVLVS XIII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XLIIII.

Respondet *huic* Titulus *inf. qui a præbitione Tironum.* Iunge huic, *Nouellam* Valentiniani *inter Theodosianas 44. de Tironibus & occultatoribus desertorum.*

De Probatione *Tyronum, deque* origine, & ætate *in his exigenda.*

I. (a) Imp. Constantius A. ad PP. Post alia.

Quotiens Iuniores (b) exhibendi (c) sunt, non ante probentur, (d) nisi præsentibus Decurionibus origo eorum quæratur; ita tamen vt Decurionibus hæc fiducia denegetur, ne forte quis fugiens militiam addito nomine Decurionis e militia abscedat (de (e) Auxiliaribus (f) sane Cuneis minime Ducibus licentia concedatur, nisi prius certus redditus Iudex (g) rescribat, vtrum minime Decurio sit) ita (h) vt ab anno & (i) decimo & nono ad militiam eligantur. Dat. Prid. Non. Iul. Constantio A. VI. & C. (k) conss. [353.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Iuniores pro tironibus* de quo mox. *ID.*

(c) Exhibere *h. l.* & *l. 2.* est conferre, offerre, tradere. *ID.*

(d) Probandi verbum hic proprium & *l. 5. de fil. mil. appar. l. 10. de Decur.* Vegetius *lib. 1. cap. 4. 5. 7.* & *lib. 2. cap. 19.* *IDEM.*

(e) Fugitiuus hic versiculus est ab *hoc tit.* Cuius hæc alioquin sententia est: Duci ius non esse in auxiliares cuneos admittere quem, nisi prius &c. *ID.*

(f) De auxiliis, seu auxiliaribus cuneis, vid. & *l. 7. inf.* & *l. 22. sup. de erogat. milit. annon.* *ID.*

(g) *Iudex*, id est, Rector prouinciæ. *IDEM.*

(h) Abundat hæc vox: quam tamen quis tueri posse putaret, arg. *l. 19. inf. de Decurionib.* initio *legis.* *ID.*

(i) Abesse debet hæc vox, & vero abest a M.S. *IDEM.*

(k) Et *Constante* Cæs. II. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Constantii hæc prima, *hoc titulo*, de Tironum collatione, & exinde probatione, constitutio est. Et sane hoc demum Constantiniano sæculo hæc Tyronum indictio, collatio, a veteri delectu prorsus diuersa, cœpisse videtur, exceptis Tironibus vicariis, de quibus vid. Traiani *Epist. 39.* ad Plinium *lib. 10.* & *l. 78. infr. de Decurion. l. vlt. de fil. mil. appar.* Extra hunc casum, Tironum indictionis, collationis etiam in Pandectis, nulla mentio extat, excepto Arcadio Charisio in *l. 18. § 3. D. de muneribus & honoribus*, qui sane iurisconsultus hoc ipso tempore scribebat. Et perperam eo refertur *lex 3. Cod. Iust. de condit. ob turpem causam*; quæ Diocletianum & Maximianum auctores habet, quæque agit de dato, Tyrocinii euitandi causa. Agitur enim *ea lege* de ipso milite (cui ideo diserte *lex* inscribitur) dante aliquid euitandi tyrocinii causa, non de possessore aliquid dante,

vt a Tyronis collatione excusetur, de cuius alioquin *legis* intellectu, vide nonnulla apud Robertum *1. sent. 11.* & Cuiacium, *recitat. ad eam leg.* Et quod de Tironibus ante hoc æuum occurrit, id pertinet ad milites, qui tempore tyrocinii exacto militabant. Huius vero moris & indictionis seu collationis alibi quoque mentio extat. De Constantini æuo *in vita Pachomii c. 4.* ex interpretatione Dionysii Exigui. *Constantino post persecutionem in Imperio durante, & contra Tyrannum Maxentium gerente prælium, præcepta Regalia cucurrerunt, vt lectissimi quique iuuenum ad tyrocinia militiam vbique tenerentur: inter quos & Pachomius annos natus 20. detentus est.* Et mox: *Ciues ergo loci illius videntes Tirones arctius custodiri.* Cæterum etsi bono & laudabili vtilique Rei Militari Prouinciarumque defensioni Tyronum hæc indictio inducta fuerit; verum tamen est Vegetii Iudicium lib. 1. c. 7. qui huic Tyronum indictioni, collationis probationi acceptio fert Romanorum clades. *Hinc tot vbique ab hostibus illatæ sunt clades, dum longa pax militem incuriosius legit, dum Honestiores quique Ciuilia sectantur officia. dum possessoribus indicti Tirones per gratiam aut dissimulationem probantium tales sociantur armis, quales Domini habere fastidiunt.* Quæ Vegetii querela notanda est, qua haud falso queritur & declamat, hanc Tironum probationem non recte factam, Romani exitii causam fuisse. Nam etsi, vt dixi, delectus hic, diuersus licet ab antiquo; bono bene institutus fuerit, sed *indictis* videl. militibus
P. 371 pro opibus cuiusque & agris: attamen quia probatio non recte facta, improba hæc res, & ad militiæ Germanæ perniciem cessit. Partim enim ignauos aut ineptos Tirones dabant, & sæpe fugaces, (vt probat quoque *l. 6. inf. de desertoribus.* partim pro iis aurum inferebant; & mille alioquin hic prædandi sinus & artes. Quæ omnia *leges* reprimere conatæ sunt, sed conatæ; Et ita quidem, ipsam Tironum indictionem a defectu probationis seiungi hic oportet. Quod non adeo accurate fecit Lipsius, *comment. 1. de milit. Rom. dial. 9.* Certe, magnum in tironibus istis militiæ subsidium futurum erat, si probatio recte facta fuisset, sicut & in *Adcrescentibus* fuit, de quibus ad *l. 11. h. t.* Maximum vero, in Suecico instituto Regni militiæque subsidium: de quo ita Henricus Soterus, in Sueciæ descriptione. *Status*, inquit, *militaris constat e copiis tam Equestribus quam pedestribus, non tamen e milite peregrino & mercenario, sed domestico: Pedites e selecta* IVVENTVTE, *ad militiam apta, decimati conscribuntur. Qui postquam conscripti sunt, prædia immunia possident, insuperetiam stipendium a Rege accipiunt: quos* TIRONES *Rex per Officiales ei rei destinatos, aliquot annis domi omni armorum genere, laboribusque castrensibus exerceri curat, in expeditionibus interim pugnantibus veteranis. Quo fit, vt quamuis satis magnas contra hostem extra Regni fines eduxerit copias, patria tamen in omnem euentum iusta defensione non destituatur, mercenarioque milite rarissime, ac nonnisi certis de caussis vtatur. Non igitur mirandum, quod sæpius etiam nostra memoria cum omnibus vicinis. Moscho videlicet, Polono, & Dano simul bella gesserit. Defatigatis autem copiis vel expeditionis perennitate attenuatis, statim substitui possunt noua, quæ armis & castrensibus laboribus adsueta militiæ difficultatem ferre possunt: Regni videlicet firmissimum præsidium.* Et hæc quidem hactenus in ingressu *huius tituli.* Antequam etiam ad sententiam legis accedamus, notandum, Iuniores *hac l.* pro Tyronibus dici, & *l. 6. 7. 10. 12. 15. 18. h. tit. l. 13. sup. de Agentib. l. 8. 9. 10. 14. inf. de desertorib. l. vlt. inf. de fil. milit. Appar. l. 78. de Decurionib.* Et apud Symmachum *lib. 6. ep. 58.* *Iuniorum*, inquit, *delectus vrbanis familiis imperatus vsque ad æterni Principis responsa pendebit.* Et apud Vegetium *lib. 1. cap. 7. in fin. lib. 2. cap. 5. initio.* At quod Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap. 7.* scribit, *Iuniores ad prouinciam vrgentem per Thracias inter alios celerare dispositos*; id alio pertinet: Diuitenses enim & Tungricanos *Iuniores* eo loco memorat Numerorum nomina: Inter Numeros quippe complurimi *Iuniores* dicti; quod cum Tyronibus nihil commune habet. De his vide *Notitiam Imperii fol 20. 21. 29 30. 135. seq.*

Nunc ad *legis* huius sententiam: Vbi primo loco notandum, δοκιμασίαν, PROBATIONEM Tironum (vt cæterarum rerum, quæ publicos in vsus conferebantur) factam: Probationem inquam; *Probandi* scilicet Verbum proprium hac in re fuit, quo hæc *lex* vtitur: & Vegetius superiore loco, & altero quem mox afferam, & alibi sæpe. Et in simil. *Titulus, supra quid probare debeant.* Et *lex 4. sup. de Agentibus in rebus*, & *l. 2. 5. infr. de filiis milit appar. l. 10. inf de decurion.* vt & *probæ* appellatio, *lege vlt. sup. de stratoribus.* Eum in finem porro probatio Tironum facta, ne quam huic collationi Prouinciales fraudem facerent, & probandæ eorum origini, ætati, staturæ, statui. Itaque & *delectus* hic proprie dictus. Eodem itaque sensu in *Glossis* Isidori, *delectus agitur, id est,* PROBATIO *fit tironum.* Proinde eam in rem iussi mitti delecti viri, & ab omni suspicione prauitatis alieni, huic probationi peragendæ, seu huic delectui: *l. 9. inf. h. t.* Quos quidem *Turmarios* vocatos, *l. 3. sup de priuil. eorum qui in S. Palatio*, ostendi. Turmarios scilicet a Turmis Tironum exigendis. Ad hanc porro Tironum probationem seu delectum pertinent quoque loci Vegetii *lib. 1. cap. 2. 3. 4. 5. 6. 7.* & hic inter alios *lib. 1. cap 7.* *Nunquam exercitus profecit tempore belli, cuius in probandis Tironibus claudicarit electio, & quantum vsu experimentisque cognouimus. Hinc tot vbique ab hostibus illatæ sunt clades, dum longa pax militem negligentius incuriosiusque legit.* De Tironum interim indictione agit & Symmachus *lib. 6. Epist 58. 64.* Et *lib. 9. Epist. 10.* Sed & Ammianus Marcellinus *lib. 19. cap. 11. lib. 20. cap. 8. lib. 21.* in Gestis Anni 361. *cap. 6.* *Parabantur*, inquit, *externorum atque ciuilium instrumenta bellorum: & augebatur Turmarum Equestrium numerus, parique studio supplementa legionibus scripta sunt, Indictis per Prouincias Tirocíniis.*

I. Vt ad probationem Tironum redeamus; Probationis pars haud postrema fuit, imo Prima omnium, antequam probarentur Tirones, de ORIGINE eorum inquisitio: Nam sicut in militia Palatina prima fuit de origine inquisitio (vt docet *lex 3. 4. sup. de Agentib. in rebus*, & *l. 15. 16. 17. sup. de Palatinis S. L.*) ita & in Armata pariter militia, siue vltro sese quis militiæ offerret (qua de re fuit *Titulus 2. sup. Quid probare debeant ad quamcunque militiam venientes*) siue Tirones per Prouincias indicti conferrentur, de quo *hac l.* agitur, vid. & Traiani & Plinii amœbeas 38. 39. *lib 10.* Fiebat igitur de origine eorum inquisitio inter alia, ne forte Curias euacuari contingeret, Curialesque ciuitatis suæ munia detrectarent: Et vicissim quoque ne fugientes militiam in Decurionum numerum irreperent. Cui geminum est, quod statuitur *l. 1. & 2 sup. quid probare debeant:* Vt prætextu militiæ Curias vacuari non oportet, ita retro nec falso Curialis nominis obtentu militiam sperni. De quo plene *suo tit. inf. de Decurionib.* ac nominatim *l. 40.* quæ eiusdem Constantii est eodem Anno data. Et hæc de probatione originis Tironum, quod ad hunc Titulum pertinet.

Quod de *Auxiliaribus* subiicitur, ab hoc *titulo* fugitiuum & alienum est. In Auxiliares cuneos miles recipi, non ante, a Duce *h. l.* permittitur, nisi prius Rector Prouinciæ certioratus, rescripsisset, eum minime Decurionem esse: Peculiare id hoc tempore in Auxiliaribus constitutum fuisse videtur,

detur, vt cum Legionariæ sese militiæ, & Numeris efferentes admitterentur, nulla probatione vel inquisitione prius facta, si quis Auxiliaribus cuneis inferri vellet, de eo probatio antea fieret. Rationem ex his Vegetii verbis colligo, *lib. 2. cap. 3. Est alia caussa, cur attenuatæ sint Legiones? Magnus in illis labor est militandi, grauiora arma, fera munera, seuerior disciplina, quod vitantes plerique, in Auxiliis festinant militiæ sacramenta percipere: Vbi & minor sudor, & maturiora sunt præmia.* Sed & Ammianus Marcellinus leuiorem Auxiliarium militiam fuisse satis indicat *lib. 18. cap. 2. Romanis,* inquit, *Reges ex pacto superioris anni ædificiis habilia multa suis miserant carpentis: Et Auxiliarii milites semper munia spernentes huiusmodi, ad obsequendi sedulitatem Iuliani blanditiis deflexi, quinquagenarias, longioresque materias vexere ceruicibus ingrauate, & fabricandi ministeriis opem maximam contulerunt.* Igitur quia grauis erat Legionaria militia, vix quisquam credebatur Curiam deserturus, vt se ad hanc militiam conferret: ideoque in his probatio originis non exigebatur. Contra, cum leuior esset Auxiliaris militia, Decuriones ad Curiam euitandam
P.3720 sese facile fermeque conferebant: Ideoque probatio quædam in his exacta. Verum post hæc tempora & exactior adhuc probatio exacta est, & in iis pariter, qui ad *Legionariam* militiam adspirarent: & breuiter in omnibus ad quamcunque militiam venientibus, *l. 1. & 2. sup. quid probare debeant.* Hinc interim colligimus, Romanos inter Auxiliares militasse, quandoquidem de his id cauetur, prius Iudicem rescribere debere eum minime Decurionem esse: quod vtique de exteris gentibus & Auxiliis dici non potest, quibus id minime conuenit. Cæterum, quid Legiones ab Auxiliis, & Auxiliaribus cuneis differrent, iam quoque notaui ad *l. vltimam, sup de re militari.* De his agitur rursum *fine l. 7. inf. & l. 22. sup. de erogat. milit. ann.* Atque ita in vniuersum, tribus tantum locis Auxiliorum & Auxiliarium *hoc Codice* fit mentio. Et hæc quidem de Originis probatione.

II. ÆTAS quoque in Tironibus exacta seu probata fuit: Num iustæ videlicet essent ætatis. Quam in rem est quoque *caput quartum* Vegetii *lib. 1.* cuius lemma: *cuius* ÆTATIS *Tyrones* PROBANDI, *sit.* Incipiens sane pubertas ex antiqua consuetudine initium militiæ erat, vt idem Vegetius *prædicto capite* notat. Hæc militaris ætas fuit & virilis: Itaque & Spartianus, de *Hadriano c. 2.* scribit, eum, *quinto decimo anno ad patriam rediisse ac statim militiam iniisse.* Vt antiquiora repetam, ex Seruii Tullii R. formula, *initium militiæ erat annus decimusseptimus*, vt testatur Tubero apud Gellium *lib. 10. cap. 28.* vid & Liuium *lib. 25. c. 4.* Renouatumque id Gracchi *lege:* Plutarchus *in Gracchis*, νεώτερον ἑπτὰ ἐτῶν καὶ δέκα μὴ καταλέγεσθαι στρατιώτην. Seruius in illud Virgilii *Æn. VII. v. 162. Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuentus, exercentur equis: Bene*, inquit, *Romanæ militiæ exprimit morem: nam post pubertatem armis exercebantur: & decimo septimo anno militabant: quo etiam solo sub custodibus agebant.* Certe & Attico iure, Ephebi statim ab Anno decimo octauo ad vicesimum περιπολεῖν cogebantur τὴν χώραν. Vlpianus *ad Olynthiacam III.* Νόμος γὰρ κελευόμενος παρ' Ἀθηναίοις, μέχρι τε τετταράκοντα ἐτῶν στρατεύεσθαι ἀρξαμένους ἀπὸ ὀκτωκαίδεκα, καὶ μέχρι μέντοι τῶν εἴκοσι παῖδας ὄντας τέως περιπολεῖν τὰ περὶ τὴν πόλιν φρούρια, εἰς ὑπερορίους δὲ πολέμους ἀπὸ εἴκοσιν. Quæ docent Athenienses ad vigesimum usque annum vrbana & suburbana castella custodisse, & a vigesimo demum ad externa bella profectos esse. Primum enim in vrbe militabant, custodesque vrbis erant, & in vrbe præsidia sua habebant. Deinde secundo anno donati clypeo & hasta mittebantur in suburbana castella. *Pollux. lib. 8. c. 9. Sect. 24.* Καὶ εἰς μὲν τοὺς ἐφήβους εἰσῄεσαν ὀκτωκαίδεκα ἔτη γενόμενοι, δύο δὲ εἰς περιπόλους ἠριθμοῦντο. *Et inter Ephebos recensebantur octodecim annos nati, duo vero ad circuitum numerabantur.* Et sic *biennis* hæc res est. Quod & confirmat Æschines περὶ τῆς παραπρεσβείας, apud Harpocrationem *Lex. voc.* περίπολος & Aristoteles *de Atheniens. Republ.* apud eundem *l. c.* quem tamen Lexicographus non cepit, concludens, Aristotelem putasse unius anni tantum spatio Ephebos περιπόλους fuisse, ideo confutatus a doctissimo Maussaco *in not. pag. 242.* & Sam. Petito *de Leg. Attic lib. 8. tit. 1. pag. 547.* Alludit ad hunc Atheniensium morem Terentius *in Eunuch. Act. 2. scen. 2. v. 59.* quem Donatus illustrat. Sed illustrandus etiam ex dictis, locus Artemidori *Onirocrit. l. c. 56.* & Suidas *voc.* ἔφηβος. Vigesimo vero anno Athenienses in *Lexiarchicum* librum referebantur. Pollux *l. c.* εἰκοστῷ δὲ ἐνεγράφοντο τῷ ληξιαρχικῷ γραμματείῳ, & in æde *Agrauli* se iure iurando obstringebant; atque ad externa bella mittebantur, sic vt ἐν τοῖς μέρεσι τοῖς ἀκινδύνοις militarent, referente Æschine & Suida *loc. cit.* Varie deinceps constituta hæc Ætas. In Veteranorum sane filiis ad militiam suscipiendam, ætas modo 20. modo 16. annorum incæpta, modo expleta exigebatur, *l. 2. & 4. inf. de fil. milit. appar. l. 19. 58. inf. de Decurionib.* At in Tyronibus, finis anni 18. & ingressus anni 19. *hac leg.* pariter vt in Veteranorum filiis. *Plena* igitur *pubertas* in Tyrone *hac leg.* exacta.

Illud postremo monendum est, hanc *legem* procuIdubio pertinere ad apparatum belli Magnentiaci, quod tota mole & maximis viribus in Gallia paratum hoc anno, proxime sequente huius Constitutionis characterismum mense; Deuictus enim plane Magnentius Lugduni, mense Augusto huius anni, vt docet Socrates *lib. 1. cap. 27.* Fasti Siculi, & Consularia Idacio subdita.

PRINCIPIS *possessiones a Tironum collatione an & quando immunes sint.*

II. (a) Impp. Valentinianus & VALENS AA. ad Fortunatianum. (b)

DOMVM nostram ad exhibenda tironum corpora (c) per eas prouincias a quibus corpora flagitantur, nolumus perurgueri: ceterum sinimus conueniri, in quibus pretia postulantur, ita vt ex certa præbitione redituum vicem concessionis istius repensemus. Dat. prid. Kal. Febr. Marcianopoli, Valentiniano & Valente AA. (d) CONSS.

NOTAE.

(a) Abest a *Cod. Inst.* GOTHOFREDVS.
(b) Comitem rei priuatæ, vt præter *l. 5. inf. de metallis, l. 2. inf. de aquæductu, l. 5. inf. de fisci debitoribus*: quæ id nominatim præferunt, huius *legis* argumentum satis euidenter ostendit. Agitur enim in ea de re priuata Principis. Meminit & eiusdem Ammianus *initio lib. 29.* Zosimus *lib. 4. cap. 14.* τῷ τῶν βασιλικῶν ἐφεστῶς ταμιείων Φορτουνατιανῷ: vbi Interpres parum accurate, *imperatorio fisco Præfectum* vertit. *ID.*
(c) *Corpora* Tyronum *h. l. & l. 7.* vbi dicam, *l. 4. infr.* *ID.*
(d) *II.* II idest Anno 368. Testatur certe quoque Ammianus *lib. 27. cap. 5.* Valentem anno secundo belli Gothici *Marcianopoli* aliquando constitisse: vide *Chronologiam nostram.* *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTIS tres Constitutiones, puta hæc *lex 2. 6. & 7. inf.* super Tyronibus hic proponuntur: de qua Tyronum annua præstatione, quæ prouinciatim pendebatur sub Valente, est Ammiani Marcellini locus *lib. 31. cap. 4.* quem profero ad *l. 7. inf.* Hac vero *lege*, PRINCIPIS possessiones a Tyronum collatione immunes esse iubentur; Si videlicet ipsa Tyronum corpora flagitentur: ab auro vero Tironico, non item, id est, si pretia loco Tironum postulentur. Qua in re sæpe variatum, *l. 12. & 14. infr.* Dixi, ab *auro Tironico*; Ita enim vocatur a Synesio *epist. 79. edit. Petav.* ὃν ἐπὶ τῶν δεσμωτῶν ἔντα ταῖς ἀπαιτήσεσιν ἔταξε τοῦ στρατιωτικοῦ χρυσίου τοῦ καλουμένου Τυρωνικοῦ. *Quem ex commentariensi coactorem fecit militaris auri, quod Tironicum vocant.*

Interim obseruandum, non tantum pro temporum varietate, modo Tirones ipsos indictos, exactos, collatosque fuisse, modo pretium seu taxationem eorum vice (de quo *aliis* huius Tituli *le-*
D. 373 *gibus*) verum & pro regionum & Prouinciarum varietate, vt hæc *lex* testatur, simul & *lex 9. inf.* Nempe quia Regiones & Prouinciæ quædam haud ita opportunæ sunt Tironibus ipsis conferendis: Ideo *d. l. 9.* iubentur supplementa Numeris agitari, ex OPPORTVNIS REGIONIBVS. Vegetius quoque; *melius quibusdam Prouinciis vel Regionibus tirones legi, quod Gens Gentem precedat in bello, & plaga cæli ad robur & corporum & animorum plurimum valeat,* peculiari *capite* ostendit, *capite*, inquam 2. *lib. 1.* cuius titulus est, *Ex quibus* REGIONIBVS *Tyrones legendi sint.* Ex Thracia sane milites delectos frequenter testatur Auctor incertus Cosmographus quem edidi: *Thracia*, inquit, *prouincia, maximos habens viros & fortes in bello: propter quod & frequenter inde milites tolluntur.*

Cæterum vt superior lex ad belli Magnentiaci necessitatem pertinet, ita hæc ad belli GOTHICI, quod toto ferme triennio a Valente gestum est, anno 367. 368. 369. V. Ammianum *lib. 27. c. 5. seqq.* & Themistium *Orat. 10. 14. edit. Petau.* aliosque: & quæ notabo *ad l. 1. inf. de Equorum collat.* & in *Chronol. nostra.*

STATVRA *Tironis quinque pedum & septemvnciarum vsualium.*

III. (a) Idem AA. ad Magnum (b) Vicarium Vrbis Rom. (c)

IN quinque pedibus & septem vnciis vsualibus delectus habeatur. Dat. v. Kal. Mai. Lupicino & Iouino CONSS. [367.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust* Iungendaque ei *lex proxime sequens.* *GOTHOFRED.*

(b) Eidem inscribitur vt dicam *lex prox.* *ID.*

(c) Hanc Inscriptionem mox expendam. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. tres *leges* super Tironib. ordine sequuntur: quarum duæ priores inter se coassandæ ad Italiam pertinent, & nominatim ad eas Italiæ prouincias quæ Vicario Vrbis Romæ suberant: Tertia ad Gallias. Hæc est de STATVRA Militum, seu Tironum. STATVRA scilicet quoque seu proceritas in milite & Tyrone olim stata exacta fuit: Hinc adeo *Statura militaris* vocatur *l. 9. inf. de desertoribus.* Et apud Lampridium *in Alexandro Seuero c. 4. Et erat eius corporis, vt (præter venustatem, ac illum quem hodieque & in pictura, & in statuis videmus decorem) inesset statura militaris, robur militis.* Ita enim locus ille constituendus vndequaque est. Sed & *l. 5. sup. de re militari*, dicitur, quosdam mediocritatem procentatis ab Armatæ militiæ conditione submouere: Et *l. 12. inf. de Veteranis*, quosdam paruitate deformes indignos virorum fortium consortio reperiri; quin & *l. 13. inf. de diuers. offic.* hæc verba occurrunt: *Hique armis gestandis pro statura ac robore corporis idonei sunt.* Et *leg. 8. inf de filiis militar. Apparit.* *Hi quibus vel corporis robur, vel statura defuerit.* Et *d. l. 9 inf de desertoribus. Duos Iuniores militaris roboris ac statura &c.* Quinimo & Io. Chrysostomus. *Homilia 21. ad populum Antiochenum. p 260. edit. Paris.* ait, in milite deligendo exteriora spectari, scilicet corporis Mensuram, & bonam corporis habitudinem. Ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἔξωθεν στρατιωτῶν καὶ σώματος μέτρον, καὶ σαρκὸς εὐεξίαν ἐπιζητοῦσιν οἱ μέλλοντες αὐτοὺς καταλέγειν εἰς τὸ στρατόπεδον *Externorum quidem militum & corporis mensuram & bonam carnis habitudinem exquirunt, ipsos in exercitum deligere debentes.* Sed & Herodianus *lib. 4. cap. 9.* κελεύει δὲ στιχηδὸν τοὺς νεανίας πάντας ἑστῆναι, ὡς ἂν ἐπελθὼν ἕκαστον, ἴδῃ πῶς τε ἡλικίας ἔχοι, καὶ μεγέθους σώματος καὶ εὐεξίας εἰς στρατείαν ἐπιτηδείου. *Iubet igitur consistere iuuenes vniuersos, relicto interuallo, vt singulorum ætatem staturamque & corporis habitudinem militiæ idoneam consideraret.* Et *lib. 6. cap. 3.* Ἐκ τῶν αὐτῆς Ἰταλίας καὶ τῶν ὑπὸ Ῥωμαίοις πάντων ἐθνῶν λογάδες ἐς τὴν στρατίαν ἠθροίζοντο, ὅσοι σώματος εὐεξίᾳ καὶ ἡλικίας ἀκμῇ εἰς μάχην ἐπιτήδειοι ἐνομίζοντο. *Igitur in Italia prouinciisque reliquis delectus habebantur cunctorum, qui vel habitudine corporis vel ætatis vigore idonei fore ad pugnam viderentur.* Eaque de re est *caput* apud Vegetium *lib. 1. cap 5.* Cuius titulus, *qua* STATVRA *sint probandi Tyrones.*

Porro statura militaris *hac* Valentiniani *Constitutione* per Vicariam Vrbis Romæ statuitur, QVINQVE PEDVM, ET SEPTEM VNCIARVM VSVALIVM: Paulo maiorem memorat Vegetius *dicto lib. 1. cap. 5. Proceritatem Tyronum ad incommam scio semper exactam: ita vt* SENOS PEDES, *vel certe* QVINOS, *&* DENAS VNCIAS *habentes inter Alares*

res Equites, vel inprimis legionum cohortibus probarentur. Sed tunc erat amplior multitudo, & plures militiam sequebantur Armatam: Nec dum enim Ciuilis pars florentiorem abduxerat iuuentutem. Hoc loco tamen ipso Vegetius indicat, olim maiorem proceritatem exactam, & exigi potuisse, quod plures tum sequerentur militiam: & vbi maior est multitudo, delectus maior haberi possit: suis vero temporibus, cum pauciores essent qui Militiam sequi vellent, minore proceritate contentos Romanos esse debuisse. Et ideo cum antea adminimum qvinqve pedvm & decem vnciarvm proceritas requireretur, minorem suis temporibus staturam exactam. Certe hæc lex, *tribus vnciis minorem* exigit. Suetonius quoque scribit *Neron. cap. 19.* Neronem ex Italicis senvm pedvm Tironibus nouam legionem conscripsisse, quam *Magni Alexandri Phalangem* appellabat. Quæ statura procerior, vt locus Suidæ *in v.* ἥλικες cum illo collatus ostendit. Vel ex illo igitur Suetonii quoque *loco* claret, plerosque Italicos ea statura non fuisse. Huc pertinet etiam Symposii ænigma *de milite podagrico*, quod Cuiacius etiam protulit. XXI. *Obseruat. 5.*

Bellipotens olim, fatis metuendus in armis

Qvinqve pedes *habui, quos nunquam nemo negauit:*

Nvnc *mihi vix duo sunt, inopem me copia fecit.*

Vbi tamen ex veteri libro est qui reponit *sex pedes:* Et rationem præterea addit, quia quinque pedum statura minime militaris erat: neque mirum etiam primam in *pedes* productam, illius sympoliani seculi more. Verum, vulgatam lectionem retinendam pertendo, Quinque pedes saltem cum minimum ad staturam militarem exacti: id; est quod indicatur his verbis: *Quos nvnqvam nemo negauet,* id est, qui vt minimum in milite exacti: Quandoque qvini pedes & sex vnciæ (vna minus scilicet quam *h. l.* requiritur) exactæ: Dositheus Magister *lib. 3. sententiar. Hadriani; cap. 2. pag. 86. edit. Schulting.* αἰτοῦντός τινος, ἵνα στρατεύηται, Ἀδριανὸς εἶπεν, ποῦ θέλεις στρατεύεσθαι; ἐκείνου λέγοντος εἰς τὸ πραιτώριον, Ἀδριανὸς ἐξήτασεν, ποῖον μῆκος ἔχεις; λέγοντος ἐκείνου, πέντε πόδας καὶ ἥμισυ, Ἀδριανὸς εἶπεν, ἐν τοσούτῳ εἰς τὴν πολιτικὴν στρατεύου, καὶ ἐὰν καλὸς στρατιώτης ἔσῃ τρίτῳ ὀψωνίῳ δυνήσῃ εἰς τὸ πραιτώριον μεταβῆναι. *Petenti quodam, vt militaret, Adrianus dixit, vbi vis militare? Illo dicente, in prætorio, Adrianus interrogauit, quam staturam habes? dicente illo, Quinque pedes & dimidium, Adrianus dixit: interim in vrbana militia, & si bonus miles fueris, tertio stipendio poteris in prætorium transire.* Ex his constat omnibus, omnem modum & proceritatem militum & tironum exactam, intra qvintvm & sextvm pedes: Ceterum cum maxima proceritas exacta, seni pedes integri statuti: cum minima, qvini sistem; His additæ quædam vnciæ vario numero, modo sex, modo septem, modo decem. Et quidem (vt existimare par est) pro varietate quoque regionum, in quibus Tirones & milites conscripti. Igitur in locis ad Septentrionem magis inclinantibus maior modus, quam in iis, quæ ad Austrum propius accedunt, exactus omnino videtur. Nil mirum igitur, si intra Italiam (ac nominatim *Vicariam vrbis Romæ*) intra quam complurimi erant, qui militiam vel corporis damno detrectarent (de quo ad *l. proximam*) quini pedes & septem vnciæ tantum exactæ fuerint: Et Suetonius *superiore loco*, velut rem extraordinariam notet, a Nerone ex Italicis senum pedum Tironibus nouam Legionem, quam & ideo *Alexandri Phalangem* vocauerit, conscriptam. Proculdubio enim in militibus Gallis, ac maxime Belgis (apud quos etiam maior pes) Germanisque & Britannis, maior proceritas statuta, vt qui immanitate & proceritate corporum aliis antistarent, *quod notum.* Hinc saltem illud Vegetii *lib. 1. cap. 1. quid aduersus Germanorum proceritatem breuitas* [Romana] *potuisset audere?*

De Britannis quoque Strabo, *lib. 4. pag. 305. edit. Almelouen.* pedis semisse eos superasse Romæ procerissimos Romanorum σημεῖον δὲ τοῦ μεγέθους. ἀντίπαιδας γὰρ ἡμεῖς εἴδομεν ἐν Ῥώμῃ, τῶν ὑψηλοτάτων αὐτόθι ὑπερέχοντας καὶ ἡμιποδίῳ. *Magnitudinis argumentum isto, quod nos ipsi adolescentes Romæ vidimus, qui etiam semisse pedes superarent altissimos homines.* De Maximini Gothalani statura res nota est: vt & de Burgundionibus septipedibus, quis non apud Sidonium legit? quem alioquio summum adolescendi humani corporis modum Varro 1. *Hebdomadum* dixit apud Gellium *Noct. Att. l. 10.* Imo Philostratus, *in v. Herodis* quoque consulendus. De quatuordecim palmorum cum pollice replicato & duobus digitis longitudine, est *Caput in lege Ripuaria* quod ex MS. Schobingeri prodit Cl. Goldastus, *in not. ad citat. Dosithei latinum:* Et solemne fuit Alemannis quoque mancipia statura corporis æstimare, vt ostendit charta sub Carlomanno *R.* scripta quam mox laudatus Goldastus *loc. citat.* protulit in medium. Denique vt pro varietate Regionum statura exacta in milite, ita & pro militiæ genere: in Ripensi quippe minor, quam in Comitatensi statura sufficiebat, *l. 8. inf. de filiis militar. Apparit.*

Porro de Vsvali pede hic nominatim agitur qui scilicet in vsu quotidiano erat, vt *vsualia mancipia, vsualia iura, vsualis sermo,* id genus alia; scilicet *Italicum pedem* vsualem in Italia intelligit, non Regium, aut Alexandrinum. Italicus nempe vsualis habebat tredecim digitos & trientem. Hero, *in Isagoge MS.* quam Salmasius habuit: ὁ πούς, inquit, ὁ μὲν βασιλικὸς καὶ Φιλεταίρειος λεγόμενος ἔχει παλαιστὰς δ΄, δακτύλους ις΄ ὁ δὲ Ἰταλικὸς πούς ἔχει δακτύλους ιγ΄. γ΄. Eundem *Monetalem* appellat Hyginus *de limitib. constit. pag. 210. edit. W. Goes.* Quo maior quoque fuit Ptolemaicus (qui proculdubio idem cum Regio est, quem Hero *superiore loco* memorat) & pes Drusianus qui in germania, Belgica, seu Gallia, vsurpatus. *Neque hoc prætermittam,* inquit, *quod in Prouinciæ Cyrenensi comperi, in qua agri sunt Regii, id est, illi quos Ptolomæus Populo Romano reliquit.* paulo post: *Præter ea pes eorum qui Ptolomaicus appellatur, habet Monetalem pedem & semunciam.* Mox: *Item dicitur in Germania in Tungris pes Drusianus, qui habet monetalem pedem, & sescunciam. Ita vt vbicumque extra fines legesque Romanorum, id est, vt sollicitius perferam, vbicunque extra* italiam *aliquid agitatur, inquirendum & de hac ipsa conditione,* [id est, de hac mensurarum seu pedum diuersitate] *diligenter præmoneo.* Ex hoc Hygini *loco* liquido constat, pedem monetalem fuisse vsualem Italiæ: Qui quidem *Monetalis* proculdubio ideo dictus, quia modulus huius pedis in Æde Monetæ Romæ adseruabatur, ad quem mensurarum publicarum fides exigebatur. Ita apud Capitolinum in *Maximino cap. 4.* Am, hora capitolina dicitur, quia scilicet, vt scribit Fannius, *in carmine de ponderibus & Mensuris,* notante Casaubono *ad Capitolin. l. c.*

Amphora fit cubus, quam ne violare liceret,

Sacrauere Ioui, Tarpeio in monte Quirites.

Eodemque pertinet antiquæ mensuræ inscriptio, vbi hæc inter cætera leguntur: *Mensura exacta in Capitolio.* Vsualis pes igitur *h. l.* Italicus, & Monetales idem: qui & Drusianus & Regius seu Ptolemaicus, non vsuales: Sed Germaniæ, & Cyreoensi Prouinciæ, & confinibus, peculiares paulo maiores fuerunt. De Regio sensit & Iulianus Ascalonites apud Harmenopulum *lib. 2. tit. 4. num. 12.*

cum

cum scribit ἁ πῦς ἔχει παλαιςὰς δ̄ ἁ δὲ παλαιςὴς δακτύλυς δ̄ quod cum Herone omnino conuenit: vide & *Hesychium*. Pariter & liquidorum mensuras Italicas ab aliis separatas nemo nescit. Videndi sunt vel libri *Meditorum*. Sed & Aristides ἡμίναν βασιλικὴν memorat *in tertia sacrarum*, quæ proculdubio Capitolinæ aduersa fuit, vt pedi Italico seu Monetali Regius. Fallitur enim vir Doctus, qui cum Capitolina eandem facit, siue cum vrbana hemina.

Vt ad Mensuram militarem redeam, Recte Salmasius *Commam* in *superiore* Vegetii *loco* interpretatur, Mensuram ad quam militaris statura exacta: Nam & ita in *Glossis* Isidori *Incoma*, *mensura militaris*, ita dicta pro *Encamma*: siue quia palus in terram defixus, ad quem statura Tironum & Militum exigebatur, ἔγκομμα: quomodo Græci ἐγκόπτειν πάταλον palum defigere: vel etiam quia incisuras quasdam, (& vt nos vocamus *encoches*) & κόμματα haberet, quibus (vt mos est) pedum & vnciarum notæ distinctæ essent, & designatæ: Sic perticæ metatorum mensorum sua habuere κόμματα. Videsis eum ad Lampridii *Alexandr. Seuer. cap.* 4. Incisum κόμμα, *in veteri Onomastico*.

In MVRCOS *Valentiniani duæ Constitutiones.*

IIII. (a) Idem AA. ad Magnum Vicarium Vrbis Romæ.

EOs qui amputatione digitorum castra fugiunt, secundum Diui Constantini decretum †, Tua Sinceritas non sinat manus deformatione defendi, siquidem possint in quacumque Reipublicæ parte prodesse, qui se sponte truncauerunt. Dat. V. Kal. Mai. Lupicino & Iouino CONSS. [367.]

P. 375 NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda huic *legi* est (vt iam supra monui) *lex superior.* Et concordat huic, *lex proxime sequens*, & *lex* 10. *inf.* & *l.* 1. *inf. de filiis militar. Apparit.* GOTHOFREDVS.

† Intelligit *dictam l.* 1. *inf. de filiis mil. Apparit.* IDEM.

V. (a) Idem. AA. ad Viuentium (b) PP. Galliarum.

SI quis ad fugienda sacramenta militiæ fuerit inuentus truncatione digitorum damnum (c) corporis expedisse, (d) & ipse flammis vltricibus concremetur, & dominus (e) eius qui non prohibet, graui condemnatione feriatur. Dat. VI. Kal. Mai. Triberis, Valentiniano & Valente (f) AA. CONSS.

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Viuentius* PP. Galliarum sub Valentiniano: v. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *damnum*, mutilationem, dispendium, *l.* 5. *inf. de filiis milit. apparit.* deformationem: *l.* 4. *sup* deformitatem *c.* 2. *de Clerico agrot.* Iuuenalis pariter de Castore *Satyr. XII. v.* 35. *Cupiens euadere DAMNO Testiculorum.* ID.

(d) Non muto in *expetiisse.* IDEM.

(e) Pertinet igitur hoc proprie ad Tirones, quos *Domini* exhibebant. IDEM.

(f) Vel II. id est A. 368. vel III. id est. 370. quod malo. IDEM.

COMMENTARIVS.

DETRECTANTES militiam Tenehriones (qua voce hac in re vtitur Varro *apud Nonium cap.* 1. *num.* 67.) & quidem amputatione DIGITORVM, ex Constantini constitutione, Curiæ nihilominus addicuntur, *l.* 1. *inf. de filiis militar. Apparit.* Quod hac Valentiniani *l.* 4. confirmatur, ne hi videlicet manus deformatione ab aliis Reipublicæ muneribus se eximerent. Mox tamen *l. sequ.* 5. capitalem viuicomburii pœnam idem Valentinianus indixit. At Theodosius *l.* 10. *inf.* constituit, vt etsi inter lectissimos milites ii non numerentur, nec militum nomen ferre possint, onera tamen & labores militiæ euitare non possint. Deformatio scilicet, seu debilitatio digitorum a militia quidem excusat & repellit, non tamen a Curialibus muneribus, vt *h. l.* & *d. l.* 1. vel a militaribus oneribus. *d. l.* 10.

Similiter debilitas, id est, membrorum damnum & deformitas huiusmodi vel similis repellit ab Altaris functione sacra, non etiam a cæteris muneribus Ecclesiasticis, *canon. qui partem* 6. 55. *Dist.* & *cap.* 2. *Ext. de clerico ægrotante vel debilitato.* Et Innocentius *in integra Epistola ad Felicem Nucerianum Episcopum: In his Clericos scripsisti quas constituas, non habere aliquos murcas, aliquos bigamos esse.* Omitto locum ex Valerio Maximo *lib.* 6. *cap.* 3. & Plutarcho in Lysandro, Æliano *lib.* 2. *cap.* 9. & *Histor. Miscella lib.* 16. & similes his locos cuiuis obuios, de hac videl. pollicis vel digitorum truncatione ad militiam non subeundam, seu de Murcis, quæ propria hac in re vox est.

Illud notati oportet, & hanc *l.* 4. & *d. l.* 1. *de filiis milit. Apparit. & Veteranorum*, ad *Italiam*, seu Italos, proprie pertinere: Et quidem *h. legem* 4. ad diœcesim Vicarii Vrbis Romæ: dictam vero *l.* 1.

ad

ad Brutios, & Lucaniam nominatim. Dicitur enim *lex* illa, *Accepta Regio*, quæ vrbs sane sedes fuit Correctoris Lucaniæ & Brutiorum, vt testatur *lex 1. inf. de Relationibus.* Sed & Olympiodorus apud *Photium* & *Tom. I. Scriptor. Rer. Byzant. pag. 147 edit. Venet.* τὸ Ῥήγιον μητρόπολις ἐστι τῆς Βρεττίας (ita enim reponendum, non Βρετίας) scilicet amputationem hanc siue truncationem digitorum ab *Italis* passim (at non etiam a *Gallis*) vsurpatam, testis Ammianus Marcellinus, horum ipsorum temporum Scriptor, in insign illa παρεκβάσῃ quam de Gallis & Gallis facit, *lib. 15. c. 12.* *Ad militandum* inquit, *omnis ætas aptissima & pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur & adultus, gelu duratis artubus, & labore assiduo multa contempturus & formidanda. Nec eorum aliquando quisquam, vt in* ITALIA, *munus Martium pertimescens pollicem sibi præcidit, quos localiter Murcos appellant.* Vbi *Localiter*, id est, ioco quasi murcidos, desides, & ignauos appellatos ait, vulgo scilicet vel a Gallis iam latinam linguam edoctis. Etsi eo loco Vir doctus Valesius nuper ex editione Romana & MS Regio malebat *Localiter*. A quo loco non abludit hic Spartiani locus, *Hadriano cap. 12.* Etsi est is de *Italis* Hispaniarum. *Delectum iocu-lariter (vt verba ipsa ponit Marius Maximus) detrectantibus, Italicis vehementissime, ceteris prudenter & caute consuluit.* Quo loco *Iocularitur* est non leuiter, aut per iocos & facetias, sed ridiculo more amputatis digitis. Item *vehementissime consulere* est asperius & seuerissime cauere, ἐμβριθέστατα. *Consulendi scilicet* verbum anceps est, & ἐκ τῶν μέσων, vt *l. 2. inf de itinere muniendo.* *Singuli loca debent quæque sortiri, vt sibi consulant, vel negligentia vel labore.* Cæterum illo loco proculdubio Italici sunt, Italicæ municipes in Hispania, non ex Italia orti: id enim locus ipse exposcit: Nam & ita Victor Schottus c. 14. Hadrianum, quem alii *Italica vrbe Hispaniæ ortum* scribunt, *stirpis Italicæ fuisse* scribit: quæ ideo moneo quia & locum illum Viri docti Casaubonus & Salmasius, vitiosa interpunctione corrumpunt, neque capiunt quid sit IOCVLARITER delectum detrectare, item quid sit *vehementissime consulere*: aiunt qui Italici sunt eo loco.

Cæterum cur Italicis Hadrianus delectum iocu-lariter detrectantibus VEHEMENTISSIME consuluerit, & iratus fuerit, hæc proculdubio causa fuit: quia Hadrianus ipse Italicus fuit, id est, Italica ortus. Et ideo tanquam indignis συμπατριώταις vehementissime consuluit. Et forte hæc quoque causa Hadriano fuit, cur Italicam patriam nunquam (quod Dio memorat) accesserit, quamlibet Hispaniam adierit. Verum ad Italos redeamus. Itali videlicet traductis pridem animis ab arte militari ad pacis artes, vni ferme agricolationi operam dedere, vt scribit Herodianus *lib. 2. c. 11.* Nempe postea quam Augustus Princeps exemplum futuris Principibus dedit, vt milite Italico parcius Nu-

P.376 meros explerent. De desertoribus quoque per Italiam vid. *1 sup. de desertoribus.*

Cæterum cum in Gallia tales Murcos fuisse neget Ammianus Marcellinus, mirari subit, de Murcis ad PP. Galliarum *l. 5. h. t.* datam, cum tamen Ammianus Marcellinus, vt dixi prædicto loco neget, ex Gallis vllos id vsurpasse. Verum illud notari oportet, Galliarum Præfecturam Prætorianam intra se continuisse quoque *Britannias*, & Hispaniam. Et certe paulo post locum Ammiani consignabo, de desertoribus per Britannias. Et superius locum consignaui, de *Italicis Hispaniarum* iocularitur delectum detrectantibus. Quin & *Gentiles* iam, Barbarique intra Gallias milites erant, quorum filii id patrare potuerunt, at non etiam cæteri *Galli*, si Marcellino stamus. Vt ad Murcos istos redeamus, apud Chirium Fortunatianum *Rhetoricor. lib. 1. pag. 40.* hæc quoque leguntur: *Decem milites belli tempore pollices sibi amputarunt.* Quinimo & ipsi parentes, teneriore affectu moti, delectu per bellum indicto, filios suos debilitare soliti, vt testatur Suetonii locus in *Augusto, cap. 24.* Et *lex 3. D. de re militari.* Et Rufus in *legibus militaribus*, §. 47. apud Freherum *Iur. Græc. Rom.*

Denique hæ leges duæ vna cum *l. 10. inf. de medicis & Professoribus* ad delectus pertinent, quos per hæc tempora Valentinianus habuit, ad supplementa legionum Gallicanarum, post varias in *Galliis* expeditiones aduersus Alemannos, Francos, & Saxones (de quibus consulendus est Ammianus Marcellinus *lib. 27.*) vt terrorem Barbaris obiiceret, cuius meminit & Zosimus *lib. 4. cap. 12.* hæc nominatim scribens. Οὐαλεντινιανὸς ὁ βασιλεὺς τὰ περὶ τοὺς Γερμανοὺς εὖ διαθέμενος, ᾠήθη δεῖν, καὶ τῆς εἰς τὸ μέλλον ἀσφαλείας τῶν Κελτικῶν ἐθνῶν ποιήσασθαι πρόνοιαν. Νεολαίαν οὖν ὅτι πλείστην ἀθροίσας, ἔκ τε τῶν προσοικούντων τῷ ῥήνῳ βαρβάρων καὶ ἐκ τῶν ἐν τοῖς ὑπὸ Ῥωμαίοις ἔθνεσι γεωργῶν τοῖς στρατιωτικοῖς ἐγκαταλέξας τάγμασι. *Valentinianus imperator rebus Germanicis recte constitutis in futurum quoque tempus securitati Celticarum nationum prospicere se debere arbitratus est. Quapropter maxima iuuenum multitudine tum de barbaris Rheni accolis, tum de subiectarum imperio romano gentium agricolis collecta, numerisque militaribus adscripta* &c. Quin & Ammianus Marcellinus *lib. 27. cap. 8.* in Gestis horum circiter temporum, hæc scribit: *Valentinianus*, inquit, *profectus, ab Ambianis, Treuerosque festinans, nuncio percellitur graui, qui Britannias indicabat barbarica conspiratione ad vltimam vexatas inopiam: Nectaridumque Comitem maritimi tractus occisum, & Fullofaudem Ducem, hostium insidiis circumuentum. Quibus magno cum horrore compertis Seuerum etiam tum Domesticorum Comitem misit, si fors casum dedisset optatum correcturum sequius gesta: quo paulo postea reuocato, Iouinus eadem loca profectus, Prouentuidem celeri gradu præmisit,* ADMINICVLA *petiturus exercitus validi, id enim instantes necessitates flagitare firmabant. Postremo ob multa & metuenda, quæ super eadem insula rumores adsidui perferebant, electus Theodosius illuc properare disponitur, officiis Martiis felicissime cognitus, ascitaque animosa legionum & cohortium pube, ire tendebat præeunte fiducia speciosa.* Et paulo post: *Denique Edictis propositis, impunitateque promissa, Desertores ad procinctum vocabat, & multos alios per diuersa libero commeatu dispersos: quo monitu vt redire plerique,* &c.

Reparando *exercitui incumbens Valens tria constituit. 1. de* Immunitate *a censibus, Tironis oblati. 2.* Quis *Tiro offerendus. 3. Quomodo & quo ordine exercitus* Supplendus *sit.*

VI. (a) Idem (b) AA. ad Modestum PP. (c)

SI oblatus Iunior fuerit, qui censibus tenetur insertus, ex eo tempore, quo militiæ sacramenta susceperit, proprii census caput excuset; ac si quinquennii tempus fi-

da obsequii deuotione conpleuerit, vxoriam quoque capitationem merito laborum præstet inmunem: ea scilicet seruanda ratione, vt quam (d) sibi vxorem copulauerat affectu, & in priore (e) lare derelictam memorarit, inprobata (f) census sarcina sustineat. Nullus * vero Tironem vagum, (g) aut Veteranum possit offerre, cum ad spontaneam singuli militiam propositæ inmunitatis commodis inuitentur: circa eos enim Leges (h) iubemus valere beneficium, qui indigenas, (i) atque ipsius prouinciæ finibus innutritos, vel adfixos censibus, vel Adcrescentibus suis (k) obtulerint Iuniores: neque enim conuenit illum (l) immunitate (m) gaudere, qui vana oblatione vagi atque fugitiui vel veterani filii (n) statum futuræ conuentionis inriserit. Quod hactenus decernimus custoditi, vt oblatus (o) numerus ex Adcrescentibus primitus reparetur; ac si compensatio (p) non potuerit conuenire; (q) neque ex Iunioribus modus qui oblatus (r) fuerit, quiuerit reparari, ita demum de publicis fascibus (s) hii qui ex superfluo veniunt, (t) eximantur. Dat. XIIII. Kal. Octob. Hierapoli, (v) Valentiniano & Valente III. AA. CONSS. [370.]

NOTAE.

(a) Abest a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) Tribuenda hæc *lex* Valentiniano *VALENTI & Gratiano*. Vid. *Consul. Theod.* IDEM.

(c) *Modestus* sub Valente PP. Orientis, v. *Prosopogr.* ID.

(d) *Vt ea quam.* ID.

(e) Et non deductam in domum mariti. ID.

(f) Locus, vt videtur, corruptus, de quo *infr.* ID.

* Lex 1. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est: quæ ita habet: *Nullus Tyro vagus aut veteranus aut censibus obnoxius ad militiam accedat.* ID.

(g) *Vagus* Tyro, est alienigena, *l. 2. inf. de desertoribus:* dicam ad *l.* 10. *inf. de desertoribus.* IDEM.

(h) *γρ. legis.* IDEM.

P.377 (i) *Indigenæ* hinc definitio elici potest, Indigena *αὐτόχθων* Gloss. Saluianus *lib. 5. c. 9. suscipiuntur vt aduenæ, fiunt præiudicio habitationis Indigenæ.* Indigena est *endo genitus.* Alia excerpta *cap. περὶ γεωργίας.* Indigena *ἐγχώριος.* IDEM.

(k) *γρ. Suos.* ID.

(l) dominum, patrem. ID.

(m) *immunitate gaudere*, propter filium oblatum. ID.

(n) Filios Suos possessores Tirones obtulere. ID.

(o) *γρ. Ablatus*, & *hic*, & *in fine* mox: *Ablatus* autem, id est, deficiens numerus, morte vel aliter. ID.

(p) *Compensationem* vocat, subrogationem & supplementum, reparationem. IDEM.

(q) Id est, congruere, sufficere. ID.

(r) *γρ.* Ablatus, vt *sup.* ID.

(s) *Fasces publici* quid? mox dicam in *Comment.* ID.

(t) id est, qui ex censitis vel adcrescentibus conferuntur non sufficientibus ad reparationem exercitus, insistantibus adcrescentibus & tironibus. IDEM.

(v) Zosimus quoque autor est, Valentem hoc anno Hierapoli constitisse, atque inde contra Persas mouisse, *lib. 4. cap. 13.* vide & subscriptionem *leg. vn. inf. de Iure Italico Vrbis Const.* & *legis* 19. *inf. de Episcopis.* ID.

COMMENTARIVS.

REPARANDO exercitui Valens hoc tempore incumbens, hæc tria constituit. I. Primum scilicet alacritati Prouincialium ad offerendos Tirones excitandæ constituit, quomodo IMMVNITAS a censibus & capitatione Tironibus quæratur. Quo sane pertinet quoque *prox l. 7. inf.* & *l. 4. inf. de Veteranis.* Huius certe *legis* hæc sententia est: Tironem oblatum qui censibus est insertus, statim vt militiæ Sacramenta susceperit, immunem fieri a censu: post quinqueonii militiam etiam vxorem eius immunem reddi (quod tamen, vt immutatum postea fuerit, vid. *l. 7. prox. inf.*) Sed eam demum *Vxorem* immunem reddi *h. l.* notandum est, quam Iunior, siue Tiro, non tantum affectu sibi copulauerit, verum etiam quam in domum suam traduxerit. Quod velut singulare notari oportet: Eam scilicet demum vxorem haberi, credique, quæ in domum mariti introducta, seu traducta est. Vxoris scilicet in domum mariti deductio ad constituendum matrimonium vt maxime non requireretur, (vt satis probat *lex 22. Cod. Iust. de nuptiis:* Et *lex penult. D. de donationib. inter virum & vxorem.* Et vulgata regula, *solo honore maritali & affectu nuptias constitui*, *l. 11. Cod. Iust. de repudiis: Nou. 22. cap. 3. 74. c. 4.* qui & *plenus honor* dicitur *l. 16. §. 1. D. de his quæ vt indignis:* Tamen ita plurimum eueniebat, vt non apertius vtriusque coniugis voluntas declararetur, quam marito vxorem in domum suam deducente. Sed & necessario requirebatur in quibusdam casibus, ne forte aut probatio aliunde deesset, aut fraus aliqua fieret, vt in specie *huius legis*, & *l. 5. D. de ritu nuptiarum:* Et

legis

legis 15. *D. de condit. & demonstrat. L.* 24. *Cod. Iust. de nuptiis*, & apud Paulum *lib.* 2. *Sentent. Tit.* 19. §. *penult.* Et *l.* 69. §. 3. *D. de iure dotium*: cum de implenda scilicet conditione nuptiarum agitur: Item cum de publico præiudicio agitur, non nudus affectus sufficit, quem ementiri & fingere facile quis potest; verum his casibus plena probatio requiritur: Quod non aliter aut certius fit, quam deducta vxore in domum mariti. Vice versa, cum ad fraudes velandas post consensum militarem inter tempus ipsius consensus, & deductionem ipsam multa fieri soleant, hoc certe casu non attenditur tempus in domum deductionis. Vt ecce, donatio inter virum & vxorem constante matrimonio prohibita est, simul ac in nuptias consensum est, neque attenditur tempus in domum deductionis, *d. l. penult. D. de donationibus inter virum & vxorem*. Breuiter, si de voluntate ipsorum tantum contrahentium agatur, & de affectu aliunde constet, deductione nil opus est. Si vero de explenda voluntate aut legis, aut Tertii alicuius, deductio omnino requiritur: ne alioquin fraudibus sit locus, vt in specie *huius legis*. Facile enim Tiro, alicui mulieri factum votum cupiens, cum in militiam proficiscitur, hanc vel illam sibi affectu copulatam ementiri posset: Et ideo in domum suam traductam probare debet, non in priore lare derelictam. Simili sane fraudi occurritur simili dispositione in *l.* 4. *inf. de Veteranis*, *vers. ita tamen.* Ex his interim quoque apparet *ἱερολογίαν* in Ecclesia per hæc tempora nondum publica lege vsurpatam videri: de quo dixi ad *l. vlt. sup. de nuptiis.* Illud vero non magis quam ex *l.* 7. *inf.* recte colligitur, vel ex *leg.* 3. *supra, de re militari*: militibus huc tempore licuisse secum vxores habere. Cui erroneæ sententiæ causam præbuisse videntur illa, *& in priore lare derelictam*, quibus discrimen induci putarunt inter vxorem domi relictam, & in militiam ductam: cum illis vti iam ostendi, discrimen statuatur inter eam quæ in domum mariti deducta, & inter eam quæ in priore lare derelicta, id est, in domum non deducta. Ergo huiusmodi vxor per quinquennalem tironis militiam a censu non eximitur; qui sensus est versiculi, *ea scilicet seruanda ratione*: vbi tamen in *fine* eius locus corruptus videri possit, & sic legendus: *improbam censui sarcinam sustineat*: vt *improba* sarcina, sit grauis & molesta: vel ita, *memorarit*, *improbatam census sarcinam sustineat*: vel retineri quoque possit ita, *improbata*, scilicet vxor, non sarcina. Verum nil muto temere: *sustineat*, id est, duret, maneat in census sarcina *probata*, cui probabitur iam ante subiecta: *sustinere*, pro durare, manere, ac nominatim vt *sustinendi*, ita *sustentandi* vox in censuum negotio propria: vid. *l.* 1. *inf. de protostasia.* Et hæc de primo *huius leg.* capite.

II. QVIS TIRO OFFERRI debeat, vt superior immunitas ei contingat, definit *h. l.* Valens Imperator; scilicet neque vagus *πλάνος* tiro, neque veteranus offerri potest, aut debet; verum vel indigena, atque in ipsa Prouincia innutritus (cui scilicet vagus opponitur & fugitiuus.) vel adfixus censibus, vel certe ex adcrescentibus. Vt in militia alii erant iam militantes, alii vero adcrescentes, id est, supernumerarii, qui interim non militabant, sed in parato veluti habebantur, vt in locum legitimorum militum amissorum subrogarentur (de quibus dixi ad *legem* 11. *sup. de re militari*:) similesque: adcrescentes in militia Palatina fuerunt: Ita pariter in Prouinciis alii professionibus censualibus iam insertierant, seu voluminibus censualibus, & censum iam præstabant, alii vero adcrescentes erant, qui scilicet in locum deficientium subrogarentur, vt testatur quoque *lex* 3. *sup. de priuilegiis eorum qui in S. Palatio*: vbi dixi.

III. REPARATIO exercitus seu supplementum, vt fieri debeat, *h. l.* definitur. Primum igitur Numeri replendi sunt ex militibus *Adcrescentibus*, de quibus (vt iam monui) plene dixi ad *l.* 11. *sup. de re militari.* Tum si Numerus aut modus militum p. 378
ablatus ex adcrescentibus militibus repleri non possit, ex Tironibus qui iam sunt, reparatio fieri debet. Tandem neque his sufficientibus, noui Tirones ex censitis collati, num[...] adscribendi sunt. Ad Censitos igitur non decurritur, nisi postremo luc[...] Hac videl. ratione, ne temere voluminibus Censualibus eximantur Censiti, atque ita reparandi exercitus colore tributaria res concidat. Dixi voluminibus censualibus, & vt *hic* dicitur & *l.* 9. *de infirm. his quæ sub Tyrann.* fascibus publicis. *Fasces publici* sunt libri publici censuales, & Ciuitatum Prouinciarumque encauteria, quibus capitationis modus insertus erat: de quo ad *leg. vlt. inf. de censu*: *Les Rooles des Tailles.* Eodem modo Volumina censualia, *l.* 3. *sup. de priuileg. eor. qui in S. P.* Fastibus etiam dixisse notatur Lucanus *lib.* 10. *v.* 187. *Nec meus Eudoxi vincetur Fastibus annus.* Quo loco Lucanum Seruius reprehendit. Columella *de re rust. lib.* 9. *cap.* 14. *Sequor nunc Eudoxi & Metonis* FASTVS *Astrologorum*: quem locum etiam pro Lucano contra Seruium annotauit Beroaldus. Horatius 3. *Carminum*, vt in nonnullis codicib.

- - - *Per memores genus omne Fastus.*

Varro in Ephemeride apud Priscian[um] *lib.* 6. *pag.* 711. *apud Putschium int. Grammat.* *Postea honoris virtutum causa Iulii Cæsaris, qui fastus porrexit, mensis Iulius appellatus est.* (a) Et Sidonius *carm.* 13. *ad Maiorianum. v.* 8.

Sic lustro Imperii perennis acto
Quinquennalia fastibus dicentur.

Vid. & Priscianum *lib.* 6. *pag.* 711. *edit. cit. de deficientibus in V S. Fastibus* pro *Fastis*: de quo sane monuit Scaliger 5. *de Emendat. Tempor. cap. de Indictionib. Constantinianis*, *p.* 470. Ego tamen, verum vt dicam, malim vbique *Fastos*, & *Fascibus* legere: Fasces nempe Consulares, & Censuales indicantur: Consulares, quia Fasces inter Insignia Consulatus: Censuales Fasces, id est, libri, seu Rotuli, vt nos vocamus.

Quod Historicam huius constitutionis causam attinet, pertinet ea ad belli Persici hoc tempore apparatum, de quo Zosimus *lib.* 4. *cap.* 11. τελευτήσαντος δὲ τοῦ τῆς αὐλῆς ὑπάρχου, ΜΟΔΕΣΤΩ ταύτην παραδίδωσι τὴν ἀρχήν: καὶ ταῦτα οὕτω διοικησάμενος ἐπὶ τὸν κατὰ Περσῶν ἠπείγετο πόλεμον. *Et quia præfectus prætorio diem suum in terris supremum clauserat, Modesto magistratum hunc tradidit, atque his in hunc modum administratis ad bellum contra Persas gerendum properat.* Et *lib. eod. cap.* 13. Οὐάλης ὁ βασιλεὺς ἐφ᾽ ὅπερ ἐξ ἀρχῆς ὥρμητο κατὰ Περσῶν ἐπὶ τὴν ἑώαν ἐστέλλετο προϊὼν τε σχολαίως, ἐβοήθει τὰ δέοντα πρεσβευομέναις ταῖς πόλεσι. καὶ ἄλλα πολλὰ κατὰ προσῆκον ᾠκονόμει, τοῖς δίκαια αἰτοῦσι ῥαδίως φιλοτιμούμενος τὰ αἰτούμενα. Παρελθὼν δὲ εἰς τὴν Ἀντιόχειαν μετὰ πάσης ἀσφαλείας τὰ τοῦ πολέμου διῴκει, τὸν μὲν χειμῶνα διατρί-
βων

(a) Priscianus *lib. VI. pag. cit.* pleraque loca iam annotauit, quæ hic vides; Seruium etiam notans, qui Lucanum reprehenderat. Adde locum Silii 2. 10. *Ausonios atauo ducebat consule fastus*, & ad eum Cl. Drackenbourgium. Plura videbis apud Nicol. Heinsium *in Claudian. IV. Consul. Honor. v.* 155. Barthium *ad Claudian. pag.* 968. Andr. Wilckium *ad Prudentii Apotheos. v.* 662.

βων ἐν τοῖς αὐτόθι βασιλείοις, ἦρος δὲ ἐπὶ τὴν ΙΕΡΑΝ ΠΟΛΙΝ *ἀπιὼν, κἀκεῖθεν τὰ στρατόπεδα τοῖς Πέρσαις ἐπάγων. Valens imperator contra Persas in Orientem, quo tendebat initio se parat: ac lente progressus, oppidis legatos ad se mittentibus, vbi posceret vsus, opitulatus, aliaque multa rite administrat, aequa petentibus facile postulata concedens. Antiochiam cum peruenisset, omnino caute res bellicas administrat. Et hieme quidem in Antiochena regia commoratus, Hierapolim verno tempore proficiscitur, atque inde contra Persas ducens exercitus.* Vbi vides quoque congruere & subscriptionem *huius l.* DAT. HIERAPOLI. Cui similis *lex vii. inf. de iure Italico V. C.* & *l. 19 inf. de Episcopis.* Et Inscriptionem ad *Modestum PP.* qui sane huius belli Persici cura defunctus, vt discere est ex Libanii *epistoles lib. 3. ep. 102. 259. 301.*

REPARANDO *exercitui Valens incumbens multa constituit excitandae Prouincialium deuotioni.*

VII. (a) Imppp. Valentinianus, VALENS & Gratianus AAA. ad Modestum PF. P. (b)

TIRONVM praebitio in patrimoniorum viribus (c) potius, quam in personarum muneribus conlocetur, vt proto (d) ..... munus, quod prouinciarum interna depascitur, ab imis (*vt dicitur*) radicibus eruatur; Nam inter reliqua vitia haec duo vel maxime intolerabilia iudicamus, quod aurum saepe pro corporibus inmane deposcitur, atque aduenarum coemtio Iuniorum insolentius quam conuenit, aestimatur. Contra haec sane reperta est & facilitas & commoditas exigendi, cum neque excusari quisquam poterit, vt ante priuilegio (e) consueta fuerat hominis (f) vendicatio, nec vllus qui releuandus fuerit perpetuae ingrauationi addici. Illud etiam similiter definitum est, vt hii (g) tantum a consortibus segregentur, quorum iugatio ita magna est, vt accipere non possit adiunctum, cum pro suo numero in exhibendo tirone solus ipse respondeat: Inter quos vero possessiones (h) exiguae necessitas coniunctionem postulat, functiones (i) annorum & praebitiones vicissitudo seruetur: quippe vt Senatores, ceterique (k) qui primo anno & suo & consortis nomine tironem dederint, in sequenti vice habeantur immunes, illique in praebitione succedant a quorum conuentione fuerit ante cessatum. Quem ordinem cum Corpora (l) postulantur, conueniet custodiri. Sin vero Aurum fuerit pro tironibus inferendum, vnumquemque pro modo capitationis suae debitum (m) redhibere oportet: Et ne aliquid dubium relinquatur, & solidorum numerum, qui Temonario (n) inferendus est, designamus, vt siue Senator, Honoratus, Principalis, Decurio, vel Plebeius tironem suo ac sociorum nomine ex agro ac domo propria oblaturus (o) est, ita se a coniunctis accepturum solidos nouerit, vt integri pretii modus in triginta tantummodo & sex solidis colligatur, vt deducta portione, quae parti ipsius conpetit, reliquum consequatur, sex tironi gratia vestis ac sumptuum praebiturus. Ipsorum etiam qui militaturi sunt priuilegibus (p) accedentibus facilius deuotio (q) prouocatior, videlicet, vt vniuersi qui militaria sacramenta susceperint, eo anno quo fuerint numeris adgregati (si tamen in suscepto labore permanserint) inmunes propriis capitibus mox futuri sint. Conpletis vero quinque annorum stipendiis, qui Comitatensibus (r) numeris fuerit sociatus, patris quoque & matris nec non & vxoris suae capitationem meritis suffragantibus excusauit. (s) Hii vero qui in Ripa (t) per cunens (u) Auxi-
P. 339 liaque fuerint constituti, cum proprio capite vxorem suam tantum post quinque annos vt dictum est, praestet (x) immunes, si (y) tamen eos censibus constiterit adtineri. Et quia Publica vtilitas quoque cogitanda est, ne sub hac indulgentia insertae (z) capitationis numerus minuatur, ex incessibus (aa) atque adcrescentibus in eorum locum qui desensi militia fuerint, alios praecepimus (bb) subrogari. Dat. IIII. Non. Iun. Antiochiae, Post consulatum Gratiani A. III. & Equit. V. C. CONSS. (375.)

NOTAE

(a) Abest haec *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) *Modestus* sub Valente PP. Orientis vid. *Prosopogr.* ID.

(c) Oneribus. IDEM.

(d) γρ. *prototypiæ munus*, non vt alii censebant, *protostasiæ. ID.*

(e) γρ. *priuilegia*: & intelligit immunitates datas a tironum præbitione. *ID.*

(f) *Homines* hic signate pro Tironibus, mox *corpora* vocantur. *IDEM.*

(g) Collatores Tyronum. *IDEM.*

(h) γρ. *Possessionis. IDEM.*

(i) *Functionis iuniorum & prebitionis.* Quanquam & annorum seruari potest, vt sequentia suadent. *ID.*

(k) Pro *ceteri quoque. ID.*

(l) *Corpora*, id est. Tyrones ipsi, vt *l. 2. sup. & l. 14.* Sic & Græci. Procop.. *lib. 4. de bell. Goth. cap. 26.* χρήματα τε ἂν καὶ σώματα καὶ ὅπλα τῷ τρόπῳ τούτῳ ἀπαξαπάσας πρὸς τοῦ βασιλέως κεκόμισται τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς. *Quo pacto pecuniam, viros & arma ab imperatore pro imperii romani* [illegible]*nitate consecutus.* Ammianus Marcellinus *lib. 19. cap. 11.* Aurum *quippe gratanter Prouinciales* (pro) *corporibus dabunt. IDEM.*

(m) *Debitum*, id est, functionem & tributum. *ID.*

(n) *Temonarius*: De eo dixi ad *l. 3. sup. de priuileg. eorum qui in S. P. ID.*

(o) De hac *offerendi* voce, *l. 8. prox. ID.*

(p) *Priuilegibus*, pro *priuilegiis*, Priuæ leges sunt priuilegia, seu in priuos homines leges latæ, vt Cicero interpretatur. Seruari igitur potest *priuilegibus. ID.*

(q) γρ. *Deuotio prouocatur*, vt diserte habet MS. forte *prouocabitur. ID.*

(r) De *Comitatensibus* dixi ad *l. vlt. sup. de re militari. ID.*

(s) Id est, excusabit. *ID.*

(t) De *Ripensibus* dixi ad *d. l. vlt. IDEM.*

(v) Cunei erant ex Romanis, qui scilicet conglobati stabant, & pugnabant. Vide & Isidorum *Origin. lib 9. cap. 3.* Auxilia vero, quæ & ipsa Auxiliares Cunei vocantur, *l. 1. sup. h. t.* erant peregrini. Cuneos equitum varios quoque memorat, ab Auxiliaribus & Ripariensibus legionibus diuersos, Notitia Imperii *in Duce Scythiæ fol.* 100. in *Duce vtriusque Mesiæ fol.* 102. *in Duce Daciæ Ripariensis fol.* 105. ad quos ferme limites pertinet hæc *lex. ID.*

(x) γρ. *Præstent. ID.*

(y) Eadem taxatio, *initio l. 4. inf. de veteranis. ID.*

(z) *Inserta capitationis numerum* vocat, vel *insertum Capitationis numerum*, qui continetur, & insertus est fascibus seu voluminibus censualibus. *ID.*

(aa) *Incessibus*, pro *incensibus*: id est, incensis: ita *l. vn. inf. de Classicis.* Ex incensitis, vel Adcrescentibus, *Incensis*, vt illiberis; ita quoque *l. 6. sup.* Censibus adsixi; & Adcrescentes iunguntur. Cæterum scriptum *incessibus* pro *incensibus*, prisca scriptura, vt *Cessoribus*, pro Censoribus: Et *Cos. pro Cens.* Nil igitur opus hic reponere *incensitis. ID.*

(bb) Præcipimus. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

AD PRÆBITIONEM tyronum alacrius faciendam, Prouincialium deuotio *hac* Valentis *lege* ex vrbe Antiochena data A. D. 375. excitatur, variis constitutis. *Primum* fundamenti loco ponitur, Patrimoniorum seu possessionum onus, potius quam personarum hanc præbitionem esse: etsi certa quoque hominum & personarum genera hæc collatio respiciat, veluti Senatores, Honoratus, Principales, Decuriones, Officia Iudicum. Itaque & Vegetius, *lib. 1. cap. 7. possessoribus indictos Tirones* scribit. Sed & Valentinianus *Nouella inter Theodosianas 41. leg. 1. Reparandi feliciter exercitus cura conferri debere tirones a possessore censuimus.* Et *l. 2. Senatores vel vniuersos possessores oportere a se conueniri.* Neque quicquam interest hac parte *possessionibus*, an *possessoribus* indictos Tirones dicamus. Neque sollicitandus Vegetii locus, vt fecit Cuiacius, cuius vulgatam lectionem tuentur omnes libri, tuetur *dicta Nouell. Valent.* idque etiam confirmat satis *lex 6. §. vlt. D. de muneribus & honoribus.* Pariter vt nec Ammiani Marcellini *lib. 21. cap. 6.* locus sollicitandus, vbi dicitur *indictis per Prouincias Tirociniis omnis ordo & professio vexabatur:* vbi quidam pro *professio*, tentabant *possessio.* Id enim eo pertinet, quod quædam *professiones* a Tyronum collatione immunes erant, de quo consule *Paratitlon huius tit.* & *tit. infr. qui a Præbit. Tyr.*

Secundo; Prototypiæ munus *h. l.* penitus aboletur. De Prototypiæ munere (de quo alioquin *Titulo de protostasia*, plene,) duo *hac lege* dicuntur, vel indicantur. Primum, Munus hoc prouincialium interna depauisse, id est, Prouincialibus permolestum & graue fuisse: Deinde prototypiæ munus ad coëmptionem tironum pertinuisse, id est, prototypiæ munere defungentes occupatos fuisse in coëmendis Tironibus, qui & ideo Prouinciales summopere vexarunt, Tirones a se coëmptos insolentius æstimando. Nam cum Prouinciales seu possessores Tironum ipsorum præbendorum copiam non haberent, vt quia filios nullos habebant, vel aliunde Tirones ad manum non habebant prototypiæ munus sustinentes, tirones aduenas coëmebant, mox pretia immensa a Prouincialibus pro his exigebant, quasi maiore emptos. Cæterum *aduenas iuniores* hæc *lex* vocat, id est, extraneos, & aliunde quæsitos (*alienigenas* vocat pariter *lex 2. inf. de desertoribus*) vt ita aduenæ opponantur filiis, atque adeo domesticis indigenis atque ipsius prouinciæ finibus innutritis vel adfixis: quos qui habebant, conferre soliti sunt, vt docuit *lex 6. sup.*

Duobus igitur his prægrauabantur Prouinciales qui filios non habebant: Nam ingens & immane pretium loco Tironum, *Temonario* præstare cogebantur, vel postea coëmptos a Prototypis Tirones immani pretio æstimatos accipiebant. Vtrique *hac. l.* obuiam itur, pretio tironum immenso sublato, simul & Prototypiæ munere.

His sublatis, & constitutis, MODVS iam præstationis constituitur, & quidem ex primæ sententiæ fundamento, excitandæ Prouincialium alacritati & deuotioni; Primum *Immunitates* omnes a Tironum præbitione, nullius esse momenti, iubentur; p. 380
quia scilicet, tironum præbitio in patrimoniorum viribus collocatur: vt proinde pro modo possessionum, cessante omni personæ priuilegio, eam quisque agnoscere teneatur.

Secundo statuitur, eum qui possessionibus lapsus fuerit, releuandum.

Tertio, si qui possessiones *Modicas* habeant, Adiunctionis, seu coniunctionis cuiusdam ἐπιβολῆς specie plures consortes coniungi iubentur ad vnius

Tironis præstationem, sic vt qui Tironem solus hac vice & anno soluit, sequenta immunis sit, consorte ipsius Tironem soluente. Et hæc quidem si ipsa Tironum corpora præstentur, nam si aurum pro Tirone inferatur, tum singuli suam partem præstare tenentur. Ad hanc porro etiam coniunctionem pertinet *versiculus*, *ita vt : l. 14. inf. de Extraordinar.* Vbi id *complacitum* vocatur, si ea vox ibi recte habet.

Quarto, Pretium tironis *h. l.* constituitur, triginta sex Solidorum videlicet: & insuper se[...]ro ipsius veste & Sumptibus. Varie scilicet pro temporum varietate (atque etiam ærarii inopia) & personarum ratione, æstimati Tirones fuerunt: Modo triginta sex solidis, vt *h. l.* modo viginti quinque, *l. 13. inf.* modo triginta, *l. 20. inf.* & *Nouella Valentiniani inter Theodos. 41. de Tironibus l. 3.* separatim vero pro vestibus & sumptibus & pastu summa aliqua exacta: vt præter hanc *legem*, docet *d. l. 13.* sed mirum magis & incredibile, quod Socrates *lib. 4 cap. 34.* de hoc ipso Valente nostro scribit, eum pro singulis Tironibus octoginta solidos exegisse: *τὸν δὲ συντελέμενον ἐκ τῶν ἐπαρχιῶν κατὰ κώμας στρατιώτην ἐξηρύησεν ὀγδοήκοντα χρυσίνες ὑπὲρ ἑκάστε στρατιώτε τὰς συντελεστὰς ἀπαιτεῖσθαι κελεύσας, ἐ πρότερον τὰς συντελείας κουφίσας αὐτοῖς.* *Militis vero, quem prouinciales vicatim conferre soliti erant, pretium adæravit, octoginta aureos pro vno quoque milite a collatore exigi iubens, licet antea tributariam functionem minime releuasset.* *Χρύσινος* certe recentiore appellatione solidus est. Glossæ *χρύσινος solidus.* Vsurpat & Theodorus Abucaras in *Dialogo ad Profectum Cursus Emiseni* & TZETZES *chil. 9.* notante Meursio *in Glossar.* Et Nicetas *in Isaacio Angelo lib. 1. p. 200. edit. Venet. Tom. XVII. Scipt. R. Byzant.* adde Fabrottum *in Glossar. ad Nicet.* Quod si ita *χρυσίνε* *hic* exaudire oportet, proculdubio vel Socrates falsus fuerit, vel mendum apud eum resideat: vt legamus *ἓξ καὶ τριάκοντα* pro *ὀγδοήκοντα.* Et quidem tanto magis, quod hanc *legem* ad id ipsum pertinere existimo, quod idem Socrates *ibidem* narrat. Sed & Ammianus Marcellinus *lib. 31. cap. 4.* de Adærátione Tyronum in eius ipsius Historiæ sequela, puta de Gothorum in Thraciam traductione. *Negotium*, inquit, *lætitiæ fuit potius quam timori eruditis adulatoribus in maius fortunam Principis extollentibus: quod ex vltimis terris tot tyrocinia trahens ei nec opinanti offerret, vt collatis in vnum suis, [...] alienigenis viribus, inuictum haberet exercitum, & pro militari supplemento, quod prouinciatim annuum pendebatur, thesauris accederet auri cumulus magnus.* Cui locus geminus est eiusdem *lib. 19. cap. 11. auditate plus habendi incensus: quam adulatorum cohors augebat* (Quibus etiam illa *huius legis* verba, *quod aurum sæpe pro corporibus immane deposcunt* [...] respondent. *Pro corporibus*, vtrobique: id est, loco corporum,) *id siue modo strepentium, quod externis sopitis, & vbique pace composita, proletarios lucrabitur plures, & tirocinia cogere poterit validissima: aurum quippe gratanter Prouinciales* [pro] *corporibus dabunt: quæ spes rem Romanam aliquoties adgrauauit.* Quanquam & *l. 9. inf. de desertoribus*, Auri libra pretium Tironis statuitur.

Quintum incitamentum *h. l.* additur, PRIVILEGIIS Tironum constitutis: scilicet, Tirones eo anno quo in Numeros fuerint relati, constantesque permanserint, immunitatem censuum sibi adquirunt: completo vero quinquennio, si in Comitatenses fuerint relati Numeros, Patri quoque & Matri, sed & vxori immunitatem conciliant: Si vero Ripensibus fuerint sociati, vxori tantum: quod in partem recedit ab eo, quod constitutum fuit *l. 5. sup.* & *l. 4. inf. de veteranis.*

Ex his interim obseruanda duo. Primo Tirones non statim vt oblati lectique essent, in Numeros relatos: Quod etiam discimus ex Plinii & Traiani *ep. 38. 39. lib. 10.*

Secundo Comitatensibus Ripenses fuisse minores: Hinc adeo Capitationis seu census immunitas maior per Comitatensem quam Ripensem militiam quæritur, ex *h. l.* Sed & maius corporis robur, maior statura in Comitatensibus, quam in Ripensibus requirebatur, *l. 8. inf. de filiis milit. Apparit.* Quin & ex *l. vlt. sup. de re militari*, satis constat, maioris fuisse dignitatis Comitatenses quam Ripenses. Videnda & hac de re *lex 4. inf. de Veteranis.* Cæterum de his Comitatensibus & Ripensibus plene dixi ad *d. l. vlt. sup. de re militari.*

Hactenus incitamenta quibus excitati Prouinciales, eorumque deuotio ad Tironum præstationem: Ne tamen publica vtilitas negligatur, & priuilegiorum militarium obtentu, tributariæ functiones atterantur, SVPPLEMENTI MILITARIS seu reparandi exercitus. vt *leg. superiore*, ita & *hac* ratio quædam constituitur. Scilicet ex Incensitis & Adcrescentibus Numeros suppleri Valens *h. l.* constituit, priusquam videlicet ad Censitos deueniatur, de quo iam dictum est ad *l. 6. super.* Similiter Classicorum numerum idem Valens ex Incensitis, vel Adcrescentibus compleri iubet, *l. vn. inf. de Classicis.* Sed longe fallitur Cuiacius ad illam *legem* scribens, in duobus: Primum, cum Incensitos interpretatur colonariæ conditioni minime adscriptos, quod refutant ea quæ *ad superiorem legem* notaui. Secundo cum Adcrescentes interpretatur eos, qui ex Classicis nascuntur, quod & ipsum notata *ad l. superiorem* refutabit.

De quibusdam adhuc *h. l.* videndum est. Ac primum de *Temonariis* (quanquam & de iis tam aliquid dicere memini ad *l. 3. sup. de pri[...]ius eorum qui in S. Palatio*) Igitur vel ex *hac lege* discere licet, Temonarium fuisse, cui aurum tyronicum, id est, adæratio & pretium Tironum sol[...]etur. Eum Synesius *Epist. 79. ad Anastasium* intellexit, cum scriberet *ἐ ταῖς ἀπαιτήσεσιν ἔταξε τῦ στρατιωτικῦ χρυσίυ τῦ καλυμένυ Τυρωνικῦ*, id est, *quem exigendo auro militari quod Tyronicum vocatur præfecit.* Eiusdem fit mentio *l. 3. inf. de desertoribus. Et l. 3. sup. de priuilegiis eorum qui in S. Palatio. Quibus omnibus*, inquit, *condonamus, ne exactorum vel turmariorum, quos Capitularios vocant, curam subeant, vel obsequium Temonariorum, vel prototypia.* Hoc igitur obsequium Temonariorum *d. l. 3.* Temonaria functio *l. 14. inf. de extraord. siue sordidis munerib.* Temonaria onera, *l. 6. inf. d. t.* Temonis item onus, *l. 18. d. t. de extraordinariis:* Temonis necessitas, *l. 15. d. t.* Temonis iniuria, *l. 14 sup. de Proximis Comitib. dispositionum.* Quod quidem munus inter vilia recensetur, *l. 6. 14. 15. 18. inf. de Extraordin. siue sordidis.* Idem & Capituli onus dicitur *d. l. 18.* functio capitularia siue Temonaria *d. l. 14.* Capituli atque temonis necessitas *d. l. 15.* temonis siue capituli onera, *d. l. 18.* Et apertissime *d. l. 14. Totius*, inquit, *Capitularia, siue vt rem quam volumus intelligi, communi designatione signemus, Temonaria functionis.* Et certe Symmachus quoque *Capitularios* vocat, qui *hic* Temonarii, *lib. 9. Ep. 10. Postulant*, inquit, *Capitularii taxationem Tironis ab hominibus meis.* Et tamen Capitulariorum nomen quam Temonariorum latius patuisse, eoque & Turmarios & Temonarios comprehensos ostendi ad *l. 3. sup. de Priuil. eorum* P. 381
qui in S. Palatio. Cæterum *Timonarios* potius dicendos quis credat. *Timonarius* scilicet qui Græcis *Τιμητής*, id est, æstimator, & æstimationis exactor. Temonarius porro hac productione sicut & olim plura similia hoc æuo vt *Telonarius*, & *Charonaria Pratura l. 17. sup. de Pratorib.*

Secundo ex *hac* quoque *lege* notandum est, quinam

nam ad Tironum collationem tenerentur, de quo alioquin satis monet *Paratitlon*. Tandem hanc *leg.* ad Scythici belli apparatum refero: de quo v. & Excerpta Eunapii.

E quo GENERE *hominum Tirones non sint conferendi.*

VIII. (a) Impp. Gratianus, Valentinianus & THEODOSIVS AAA. Edictum (b) ad Prouinciales.

INTER optimas lectissimorum Militum turmas (c) neminem e numero Seruorum dandum esse decernimus: neue ex Caupona ductum: vel ex famosarum (d) ministeriis tabernarum: aut ex Cocorum, aut Pistorum numero, vel etiam eo quem Obsequii deformitas militia secernit: nec tracta de Ergastulis nomina. Pœnam etenim grauis dispendii nulla excusatione fugituri sunt, si hoc cuiusdam (e) indicio (f) Inlustribus Viris Magistris Equitum Peditum fuerit intimatum: Sed cum illum animaduersio dura damnauit (g) offerentem, (h) triplicata nobilioris tironis fatigabit inlatio. Dat. IIII. Kal. Feb. Constantinop. Gratiano A. V. & Theodosio A. I. CONSS. [380.]

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Inst.* GOTHOFREDVS.

(b) Edicto Tirones indicti *h. l.* & Symmach. *lib.* 9. *ep.* 10. *ID.*

(c) Hinc *turmarii* dicti, qui huiusmodi turmas Tyronum exigebant: de quibus dixi ad *l.* 3. *sup. de priuil. eorum qui in S. P. ID.*

(d) Tabernæ famosæ: vide quæ dicam *ad l.* 1. *inf. de adulteris. ID.*

(e) *Cuiuscumque. ID.*

(f) *Indicium*, est relatio. *ID.*

(g) *damnabit*, vel *damnauerit. ID.*

(h) *Offerentes* sunt, qui tributa inferunt: vide & *sup. l.* 7. Eodem sensu Marcellinus *lib.* 29 *cap.* 11. *Ni postea exquisitorum detestanda nomina titulorum, per offerentes susscipientesque criminose in maius exaggerata, bis propugnare sibi nitentibus potestates, illis attenuatis omnium opibus se fore sperantibus tutos, adusque proscriptiones miserorumque suspendia peruenerunt* [pro peruenissent.] Nam & ibi *offerentes* sunt, qui tributa inferebant. De cuius alioquin loci sensu alibi. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

THEODOSII M. quatnor constitutiones sequuntur, de delectu Tironum, quæ omnes ad apparatum belli Gothici pertinent, de quo ad *l. prox.* ex quibus interim apparet, vt & ex *l.* 3. 5. *inf. de desertoribus l.* 9. 10 11 *inf. de fil. milit.* apparet. de Iudicio Zosimi, imo de calumnia eius *lib.* 4. *cap.* qui Theodosii culpa τὸ στρατιωτικὸν imminutum calumniatur, cum contra ex his *legibus* appareat, quam sollicite rei & delectui militari labanti is prospexerit. Hac certe definit Theodosius M. e quo genere hominum Tirones a Prouincialibus conferendi non sint; Quæ quidem Inspectio, siue Probatio, in eligendis vel respuendis Tironibus non minimi est momenti. De quo integrum caput extat Vegetii, *lib.* 1. *cap.* 7. cuius Titulus est, *Cuius artis Tyrones vel eligendi sint, vel respuendi.* Igitur respuuntur *hac lege* serui, Cauponarii, Tabernarii. (de quibus postremis v. quæ dicam ad *l.* 1. *inf. de adulteriis*:) Coci, Pistores: itemque ii, quos obsequii deformitas a militia secernit, vt & tracta de ergastulis nomina: Alioquin qui ignobilem huiusmodi Tironem obtulerit, tres Tirones nobiles pœnæ nomine præstare cogitur. Quæ quidem triplicati Tironis præstandi pœna, *Nouella* Valent. *inter Theodosianas* 41. *de Tironibus*, *l.* 1. quoque statuitur. De *Seruis* a militia arceri solitis, res est nota vt ex *h. l.* & *l.* 11. *inf.* & *l.* 9. *inf. de desertoribus*, & Plinii Traianique *ep.* 38. 39. *lib.* 10. deque eo plenius dicetur ad *l.* 16. *inf.* ita locus hicquoque Chrysostomi est *homil. Sauil.* 10. *Par. p.* 68. in Ioannem. βασιλεὺς μὲν, τοὺς ὁμοδούλους καὶ τῆς αὐτῆς αὐτῷ κεκοινωνηκότας φύσεως οὐκ ἀξιοῖ καταλέγειν εἰς τὸ στρατόπεδον τὸ βασιλικὸν ἂν δοῦλοι τύχωσιν ὄντες. Et de statuis 21. οὐ ταῦτα δὲ μόνον ἔχειν χρὴ τὸν μέλλοντα στρατεύεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἐλεύθερον εἶναι: ἂν γὰρ δοῦλός τις ᾖ, ἐκβάλλεται. Et *Orat.* aduersus eos qui cœtus derelinquunt, *tomo* 6. *p.* 772. οὐδεὶς στρατεύεται οἰκέτης, ἀλλ' ἐὰν ἁλῷ δοῦλος ὤν, μετὰ τιμωρίας ἐκβάλλεται τοῦ τῶν στρατιωτῶν καταλόγου. Et hæc de seruis. De aliis nunc.

Ii quos *obsequii deformitas militia secernit*, quinam sint, ambiguum est. Est qui indicari putat honesto hoc verborum circuitu, Eunuchos: qua de caussa etiam Eunuchi signate dicuntur *imbelles* Iuuenali *Satyra* 6. *v.* 366. Sed & Arrius Menander *lib.* 1. *de re militari*, *in l.* 4. *D. de re militari*: Eunuchos a militia arceri solitos testatur. Et Sidonius Apollinaris quoque *lib.* 1. *Ep.* 8. conuersa studia designans, ait: *Student pilæ senes, alea Iuuenes, armis Eunuchi, literis fœderati.* Vbi *Fœderati* sunt milites ex Barbaris gentibus, qui pro Romanis Imperatoribus militabant, de quibus dicam plene ad *d. l.* 16. *inf.* Denique & Claudianus, in *Eutropium Eunuchum*, *lib.* 1. *v.* 233.

- - - - Quibus vnquam secula terris
Eunuchi videre forum? sed ne qua vacaret

Pars

Pars ignominia, nec quid restaret inausum,
p. 382 *Arma etiam violare parat, portentaque monstris*
Aggerat, & secum petulans amentia certat:
Erubuit Mauors, auersaque risit Enyo,
Dedecus Eoum, &c.

Et mox *v. 271.*

- - - - *Quid te turpissima bellis*
Inseris, aut iam pertentas Pallada campi?
Tu potes alterius studiis harere Minerua,
Tu telas, non tela pati, tu stamina nosse,
Tu segues operum sollers vrgere puellas,
Et vitam domine pensis inuoluere lanam:

Et *v. 281.*

Arma relinque viris.

Et postea *v. 283.*

Te magis, ah demens, veterem si respicis artem,
Consiliare decet.

Verum non dubium est, quin latius *obsequii deformis* appellatio *h. l.* sese protendat, ad omnes inquam, qui obsequii vilioris sunt, & omnes qui aliquid ad gynæcea pertinens tractant: Nam & ita Vegetius *prædicto cap. Piscatores, Aucupes, Dulciarios, Linteones, omnesque qui aliquid tractasse videbuntur ad gynaceapertinent, longe arbitror pellendos a castris.*

Tracta de Ergastulis nomina, h. l. a seruis clare separantur. Ergastula igitur *liberorum* intelliguntur, in quibus liberi homines, sed vilissimæ conditionis (forte etiam vincti) opus faciebant. Et sane Spartianus, *in vita Hadriani c. 18.* non tantum seruorum, sed & *liberorum* ergastula fuisse docet (in quibus sane & *liberti*) vbi inter alia ab Hadriano constituta & abolita: *Ergastula*, inquit, *seruorum & liberorum tulit*, [id est, abstulit & prohibuit:] Et *Glossa* Philoxeni, *Ergastulorum* ἐλευθέρων φυλακῶν. τόποι ἐν οἷς πεδῆται ἐργάζονται δεσμωτήριον, δεσμός. Non seruili tantum nexu ergastuli vel ergastularii ἐργάται ἐργάται fuerunt, pro dominorum arbitrio, sed & liberi, vel pro pœna, & quidem publici, *l. 3. inf. de pœnis:* vel etiam liberi vilitate sua contemnendi, atque spontanei, de quibus hæc *lex* accipienda est. De seruorum ergastulis res nota est, & quidem post superiorem Hadriani constitutionem vsurpatis. De publicis reorum ergastulis dicetur *ad d. l. 3.* Ergastula liberorum, non alia sunt, quam coloni diuitum, qui suis facultatibus euoluti a diuitibus suscepti, etsi ingenui, in seruos propemodum vertebantur, quos elegantissime describit Saluianus *lib. 5. de gubernat. Dei, c. 8. ed. Baluz.* vbi inter cætera hæc notentur; *Cum domicilia*, inquit, *atque agellos suos aut peruasionibus perdunt, aut fugati ab exactoribus deserunt, quia tenere non possunt, fundos maiorum expetunt, & coloni diuitum fiunt.* Et mox: *Ita & isti qui habere amplius vel sedem vel dignitatem suorum natalium nequeunt, iugo se inquilina abiectionis addicunt.* Et rursum, *Et rerum proprietate careant & ius libertatis amittant.* Item *cap. 9. Suscipiuntur vt aduena, fiunt praiudicio habitationis indigena.* Denique *ibid: Quos suscipiunt vt extraneos & alienos, incipiunt habere quasi proprios, quos esse constat ingenuos, vertuntur in seruos: Et miramur si nos Barbari capiunt, cum fratres nostros nos faciamus esse captiuos?* Vide etiam quæ dixi nonnulla *ad l. 2. sup. de postliminio.* Ex his liquet omnibus perperam *legem* nostram, de ergastulis seruorum accipi: Item perperam ab aliis ergastulorum vsum post Hadriani tempora penitus abolitum prodi. Denique errare eos, qui Hadriani constitutionem ita interpretantur, quasi ergastula tantum seruorum sustulerit, non in gratiam seruorum sed liberorum: ne vt ante sæpe factum, per factionem possessorum liberi abripi possent, & in ergastulum dari: quasi scilicet eandem tollendorum ergastulorum causam habuerit Hadrianus, quam antea Augustus, repurgandorum; de quo alioquin vide Suetonium *Augusto, cap. 32.* & *Tiberio, cap. 8.* Vtrumque enim Hadrianus fecit, & seruorum & liberorum ergastula sustulit.

Vt ad *huius legis* sententiam redeamus, pro ignobili Tyrone dato, tres nobiles dari pœnæ loco iubet *h. l.* Theodosius M. & quidem Iudicio Magistrorum Equitum Peditum: quos sane Zosimus loco duorum, quinque & eo plures hoc ipso tempore a Theodosio constitutos scribit, *lib. 4. cap. 27.*

SVPPLEMENTA NVMERORVM *agitari iubet Theodosius, a quibus, & qua fide.*

IX. (a) Idem AA. Neoterio PF. P. (b)

EX oportunis (c) Regionibus Supplementa (d) Numeris Mansuetudo nostra decreuit agitari: In id delectos quosque viros atque ab omni suspicione prauitatis alienos iussimus destinari: In his si male se gesserint corrigendis, non mediocrem fore denuntiamus, seuera animaduersione, sententiam; cum Iudices supplicium existimationis extremum, & vltio inexpiabilis exceptura videatur: Ne his quidem Prouincialibus temperatura, quos in officium ministeriumque prædarum vel capiendi (e) vbertas, vel formido simulata deduxerit. PP. VI. (f) Kal. Maii, Antiochiæ Gratiano v. & Theodosio I. AA. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* est *lex 3. infr. de Desertoribus.* GOTHOFRED.

(b) *Neoterius* sub Theodosio PP. Orientis vt docet *huius leg. & d. l. 3.* subscriptio PP. *Antiochia.* ID.

(c) De hoc iam dixi *ad l. 2. Sup.* IDEM.

(c) Pariter ita Ammianus *lib 21. c. 6. Supplementa*, inquit, *legionibus scripta sunt indictis per Prouincias Tirociniis.* Et Theodosius Imp. hoc ipso anno 380. *l. 3. inf. de Tabulariis. Hoc admodum sufficiente numero militiæ Supplementis, qui ex vagis veteranorumque filiis vacantibusque potuerit fida peruestigatione compleri.* Vid & *l. 3. inf. de desertoribus* & *l. 4. §. 12. D. de re militari:* vt & Anonymum scriptorem subditum No-

titia

titia Imperii cap. 5. Ammianus rursum dicit *lib.* 19. *cap.* 11. *Reintegrato Supplementis exercitu* : vide & *lib.* 31. *cap.* 4. *ID.*

(e) Pretii Scil. capere pecuniam. *IDEM.*

(f) Ill. in *d. l.* 3. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

P.383 SVPPLERI Numeros militares (indictis etiam per Prouincias Tironibus) *Theodosius Magnus* hac tempestate iussit : Et quidem toto hoc triennio, vt præter hanc *legem* ostendit *lex superior* 8. & *duæ leges sequentes* 10. & 11. Eodemque pertinet *lex* 3. *inf. de Tabulariis lex* 9. 10. 11. *inf. de filiis militarium apparitor. lex* 83. *inf. de Decurionibus*, & *lex* 3. (quam *huic* coniungendam esse dixi) & *lex* 5. *inf. de desertoribus*, quæ omnes, excepta *d. l.* 9. & 10. & *d. l.* 83 *inf.* eidem Neoterio PP. inscribuntur: & certe Zosimus *lib.* 4. testatur, per hos tres annos Scythicum seu Gothicum bellum Theodosio incubuisse : eapropter, supplementa legionum subinde ab eo fieri opportuit, & desertores vagosque & Veteranorum filios, ad signa & militiam reuocari. Vide eum nominatim *c.* 30. 31. *seqq.* Imo Theodosium Scythico hoc bello etiam agrestes seu agricolas γεωργὺς & metallarios μεταλλέας armasse docet Themist. *oratione πρεσβευτικῷ εἰς θεοδόσιον p.* 106. *edit. Petau.*

Cæterum *hac lege* nominatim de TVRMARIIS (id est, iis qui Tironibus exigendis & probandis præerant, de quibus alioquin dixi *ad l.* 3. *sup. de priuilegiis eorum qui in S. Palatio* :) agi videri possit, quinam videlicet ad id officium sint deligendi, quæ pœnæ eos maneant si male se gesserint in officio, quæ Iudices ipsos, si horum fraudibus conniueant : quæ denique Prouinciales cum his colludentes. De *Turmariorum* delectu & eorumdem fraudibus geminus locus extat apud Vegetium *lib.* 1. *cap.* 7. *Nunquam exercitus profecit tempore* [belli] *cuius in* PROBANDIS *Tyronibus claudicaris electio : Et quantum vsu experimentisque cognouimus, hinc tot vbique ab hostibus illatæ sunt clades, dum longa pax militem negligentius incuriosiusque* LEGIT: *dum honestiores quique ciuilia sectantur officia, dum possessoribus indicti Tyrones, per gratiam & dissimulationem* PROBANTVR, *talesque sociantur armis, quales domini habere fastidiunt.* A MAGNIS *ergo* VIRIS MAGNÆ DILIGENTIÆ *idoneos eligi conuenit Iuniores.* Quanquam de PROTOSTASIÆ munere hæc *lex* accipi, vt puto, melius potest : argum. *l.* 3. *inf. de desertoribus*, quæ *huic* coniungenda est, id est, de his qui Tirones coemebant : idque argumento etiam vltimorum *huius legis* verborum, ibi CAPIENDI VBERTAS, quæ verba denotant agi de pretio Tironum, & eorum emptione.

De MVRCIS.

X. (a) Idem AA. Eutropio PP. (b)

QVI spurca (c) amputatione digitum declinat vsum armorum, non euadat illa quæ vitat; sed insignitus macula ferat impositum militiæ laborem, qui declinauerit dignitatem. Ipsis quinetiam Prouincialibus, qui ex horum ausis Iuniorum (d) sæpe patiuntur pænuriam præbendorum, hæc optio inmobilis decernatur, vt tempore delectus agitandi, vbi conmune (e) cœperint conueniri, duos mutilos Iuniores pro vno integro Eminentiæ Tuæ dispositionibus offerant. Dat. Non. Sept. Hadrianopoli, (f) Eucherio & Syagrio CONSS. [381.]

NOTAE.

(a) Concordat huic, *lex* 4. 5. *sup* & *lex* 1. *inf de filiis militar. Apparit.* GOTHOFRED.

(b) *Eutropius* sub Theodosio M. PP. Illyrici. Vid. *Prosopogr. ID.*

(c) *Spurcam* vocat, defædam, turpem. *ID.*

(d) *Iuniores*, pro Tironibus : vid. *l.* 1. *sup.* & *Gloss. ID.*

(e) *γε. In CoNmune*, vt *l.* 1. *inf. ad leg. Iuliam de adulteriis*, *l. vlt. inf. de conlatione donat. l.* 15. *inf. de extraordinar. l.* 7. *inf qui a præbit. Tiron* & *l.* 9. *inf. de legatis.* Cum omnes in commune, si necessitas exegerit, conueniat vtilitatibus publicis obedire: ait lex 2. *inf. de nauib. non excusand.* Minus audio Virum alioquin doctum in Symmachum *lib.* 4. *ep.* 46. reponentem, *vbi commune cœperit conueniri.* De *Communi* dicam ad *l. vlt. inf. de legatis. ID.*

(f) *Hadrianopoli*, Theodosius hoc tempore Heracleæ degressus, mox Constantinopoli : vid. *Chronologiam. ID.*

COMMENTARIVS.

DIGITOS sibi ad declinandam militiam amputantes (id est, vno verbo *Murci*) onera & laborem militiæ subire hac Theodosii M. constitutione iubentur, sed dignitatis expertes. De quibus dictum iam ad *l.* 4. 5. *sup.* & dicetur adhuc ad *l.* 1. *inf. de filiis milit. Apparit.* Hæc interim *lex* ostendit, per Præfecturam P. Illyrici magnam fuisse horum *Murcorum* copiam, vtpote cum *hac l.* dicatur, Prouinciales ex horum ausis Tironum præbendorum inopiam sæpe pati. Quod & de Italia iam ostendi ad *l.* 4. *sup.* sed & de parte aliqua Præfecturæ Prætorianæ Galliarum docet *l.* 5. *sup.*

Illud notandum quod additur, duos mutilos, seu murcos Tirones, pro vno integro offerri posse.

Cæterum pertinet omnino hæc Theodosii M. Constitutio, ad apparatum & instructum militarem

rem aduersus Scythicas Nationes Illyricum infestantes: de quo videndus Zosimus *lib. 4.* ac nominatim *cap. 34.* quandoquidem ad PP. Illyrici hæc *lex* data est, vt omittam, datam etiam in *Illyrico* Hadrianopoli.

P. 384

SERVVM *alienum Tironem offerentis pœna.*

XI. (a) Idem AA. (b)

QVISQVIS mancipium iuris alieni (c) in tirocinium militiæ duxerit offerendum, conuictus ac proditus auri libram ærario nostro cogatur inferre. (d) Dat. Id. Maii, Tyro (e) metropoli, PP. Byrito, Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

NOTAE.

(a) Lex 2. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) Proculdubio inscripta fuit hæc *lex* Consulari Phœnices: id enim aperte testatur subscriptio legis *Dat. Tyro Metropoli*, id est, reddita Consulari Phœnices: De delectu militari per Phœnicem fuit ante biennium quoque *l. 9. inf. de filiis milit. Apparit.* & *lex 83. inf. de Decurion. ID.*

(c) Veluti conchylioleguloram iuris. *ID.*

(d) Mancipio, scil domino, si factum ignorauerit reddendo: Hoc additum est a Triboniano: cui simile est quod constituitur *l. 6 Cod. Iust qui militare possunt. ID.*

(e) Phœnicen Prouinciam Syriæ abscidit Hadrianus: a quo Tyrus splendidissima iuris Italici colonia nouæ prouinciæ Metropolis constituta fuit, impetrante Paulo Tyrio Oratore: Vide Suidam *verbo* Παῦλος. Et tamen in eadem prouincia Berytus (& ipsa iuris Italici) magni momenti fuit, & in ea ceu frequentissima prouinciæ ciuitate Edicta, seu Constitutiones propositæ (iam inde a Iuliani potissimum temporibus) vt hæc, aliæque plures *hoc Codice*, puta, *lex 2. sup. de Agentib. l. 42. inf. de curs. publ. l. 7. inf. de fil. mil. apparit. l. 3. inf. de his qui cum disp. l. 19. inf. de annona: l. 4. inf. tributa in ips. specieb. l. 54. & 63. inf. de decurion. l. 9. inf. de lustrali conlat. l. 2. inf. de naufrag. l. 1. inf. de gladiator l. 2. inf. de publ. comparat.* Nempe etsi totius Phœnices hac tempestate Metropolis foret Tyrus, attamen non Tyri, sed Beryti fermè proponi solitæ leges, vtpote quæ frequentissima esset totius prouinciæ ciuitas, quod singularis *huius l.* subscriptio ostendit, quam ex vrbe Constantinopoli Theodosius M. misit. Dat. Tyro Metropoli PP. Byrito. Cuius subscriptionis hic sensus est, prius missam hanc *leg.* Tyrum, vt quæ Metropolis esset prouinciæ, & in qua Consularis Phœnices hæreret, attamen exinde Beryti propositam: Quæ insignis est obseruatio, vt si frequentior esset in aliqua prouincia ciuitas, quam ipsa Metropolis, in ea leges proponerentur, ita tamen vt suus Metropoli honos seruaretur, id est, vt prius ad Metropolim lex dirigeretur, inde ad eam in qua proponenda esset. Tandem & ipsa Berytus Metropolis facta a Theodosio Iun. *l. vn. Cod. Iust. de Metropoli Beryto*: De Tyro metropoli v. & Suidam *ad v.* Παῦλος. Et *in v.* Τύρος. *ID.*

COMMENTARIVS.

SERVVM alienum qui militiæ tironem offert, auri libra, *hac* Theodosio *Constitutione* multatur: id est, septuaginta duobus solidis aureis. Tot enim solidis auri libra constabat, vt docet *lex 13. inf. de susceptorib.* & *l. vlt. inf. de oblatione votor.* quæ pœna propemodum accedit ad taxationem Tironis a Valente factam, vt ex Socrate retuli *ad l. 7. sup.* Denique ad pœnam triplicati tironis, *l. 8. sup.*

Cæterum hinc colligat quis, seruos proprios militiæ offerre hoc tempore licuisse, contra *legem 8. sup.* Et certe Symmachus quoque *lib. 6. ep. 64.* in vsum militarem PETITA SERVITIA scribit, quem locum adscribam ad *l. 13. inf.* cui respondet. Sed cum hoc nihil commune habet contra qua lureto visum, quod idem scribit *lib. 10. ep. 62.* (quæ quidem Epistola data est anno 384. id est, biennio post hanc *legem*) *Allegationibus clarissimorum Virorum iusta poscentium deesse non potui, a quibus pleraque* SERVITIA *Palatinus iussus eruere*, &c. Pertinet enim id ad audientiam & quæstionem seruorum, ad bona Catuli eruenda, cuius pars etiam fisco quæsita fuerat. Vix tamen inducor, vt credam seruos hoc tempore oblatos: Quin potius videntur possessores cum non possent seruos proprios militiæ offerre, seruos alienos quasi liberos, a dominis suis fugitiuos & vagos obtulisse: Cui rei *h. l.* occurritur: partim militiæ a seruili contubernio vindicandæ, partim vero fugitiuis seruis ad dominorum iura retrahendis. Quinimo & argumento subscriptionis *huius leg. Dat. Tyro. Metropoli. PP. Byrito.* videri possit, hoc pertinere ad mancipia iuria conchylioleguloram seu murilegulorum, qui Beryti; quo pertinet & *lex 9. inf. de lustrali conlat.* Sane res nota, de purpura, murice, & murilegulis Tyriis, Berytiis, de quo *suo titulo de murilegulis.*

XII. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Sperechio (b) Com. R. P.

PVBLICA suasit vtilitas Iuniores in arma conscribere, ideoque ne Patrimonium quidem nostrum a præstatione præsenti inmune esse patimur. Igitur per omnes prouincias, per quas Res Nostra distenditur, ex Patrimonio Sacro maturitate qua conuenit, præberi volumus Iuniores. Dat. XV. Kal. Iul. Med. Cæsario & Attico viris clarissimis CONSS. [397.]

NOTAE

N O T A E.

(a) Abest a *Cod. Iust.* Iungenda forte *lex* 14. *inf. de iure fisci.* GOTHOFREDVS.

(b) *vg Hyperechio.* pariter vt eidem *Hyperechio Comiti R. P.* hoc ipso anno inscribitur *d. lex* 14. *inf. de iure fisci.* Sane *Sperecium* virum illustrem idem Symmachus vocat *lib.* 5. *ep.* 54. & 66. ex quibus & de dignitate eius Comitis rerum priua[illegible]rum quoque liquet: *Hyperechius* idem cum *Sperchio*, vt *Hispania*, & *Spania*. IDEM.

P. 385 COMMENTARIVS.

PRINCIPIS possessiones, etsi regulariter a tironum præstatione sint immunes (de quo dictum fuit ad *l.* 2. *sup.*) extra ordinem tamen quandoque publica vtilitate suadente, seu potius necessitate, huic præstationi obnoxiæ sunt: Cuius rei exemplum præbet Honorius *h. l.* ad Gildonici belli videlicet apparatum, in quo huius anni 397. pars absumpta fuit: Eodemque pertinent duæ seqq. leges, puta *lex* 13. 14. *prox.* Ad hunc scilicet apparatum, Tironum seu Iuniorum quoque delectus habitus, quod Claudianus etiam, de hoc apparatu[illegible]ens, memorat *lib.* 1. *in laudem Stiliconis. v.* 306.

- - - - *Veteres firmare cohortes*
Explorare NOVAS.-

Et mox: *v.* 315.

- - - - *Vnde rudis tanto* TIRONE *iuuentus*
Emicuit, senioque iterum vernante resumpsit
Gallia bis fractas Alpino vulnere vires?
Non ego DELECTV *Tyrii, sed vomere Cadmi*
Tam subitas acies concepto dente dracones
Exsluisse reor.

De Gildoniaco alioquin bello dixi plene *ad leg.* 7. *sup. de metatis:* deque eo Claudianus expresso poemate, quod vtinam totum haberemus: sed & multa *lib.* 1. *in laudem Stiliconis.*

SENATORIBVS *vrbis Romæ optio datur, vel Tironum ipsorum Præbendorum, vel eorum loco,* 25. *Solidorum.*

XIII. (a) Idem. AA. Theodoro PF. P. (b)

AMPLISSIMI Ordinis petitionibus adnuit nostra Clementia, vt pro tironibus pretia inferantur. (c) Damus itaque optionem, vt quod conducibile Senatui videtur, eligendi habeat potestatem, id est aut tirones aptos (d) officiis militaribus præstent, aut pro singulis viginti quinque (e) solidos numerent; post initam videlicet sumptuum (f) rationem & vestium & pastus. Quod si aurum dare maluerint, mox ad nostrum ærarium deferatur. Dat. VIII. Kal. Oct. Patavi, Cæsario & Attico viris clarissimis CONSS. [397.]

N O T A E.

(a) Co[illegible]ordat *lex* 14. *prox. infr.* GOTHOFREDVS.

(b) [illegible] vt vel. ex *hac l.* liquet. IDEM.

(c) Id est, inferri possint. IDEM.

(d) Vide quæ dixi ad *l.* 1. 3. 8. 11. *sup.* IDEM.

(e) Antea triginta, ex *l.* 7. *sup.* vbi dixi. IDEM.

(f) Vide *sup. d. l.* 7. *vers.* *Et ne aliquid.* IDEM.

COMMENTARIVS.

HONORII nouem constitutiones sequuntur, *de Tironibus:* Quibus sane hoc tempore maxime opus fuit contra hostiles impetus, vt ipsemet testatur *l.* 16. *inf.* De huius sententia videamus.

SENATORVM Vrbis Romæ patrimonium seu possessiones Honorius Imperator, non minus quam suas, superiore *lege* ad Gildoniaci belli apparatum deuocauerat. Verum Senatus per Legatos, pecuniam in vicem obtulit, eamque pro Tironibus inferri petierat, vt *hac l.* ostenditur: & *l. prox.* Cuius omnino exactionis, & oblationis Senatoriæ meminit Symmachus *lib.* 6. *ep.* 62. *Legati*, inquit, *ordinis nostri ex vsu actis omnibus reuerterunt. Nam & Tyronum conquirendi indicto, & argenti nobis facta gratia est.* [id est, argenti vice Tironum dandi potestas: Male enim Vir doctus hoc ita accipit, quasi remissa fuerit pecuniæ seu auri tironici præstatio:] *Super impetratis tamen adhuc speratur oratio.* Item *lib. eod. ep.* 64. *Nam mihi ob alia quoque ægre est turbat patria cogitantis, quas præcipue monent in vsum militarem petita* SERVITIA. *Et nos quidem crebris precibus obnitimur, & diem ducimus supplicando: iamque ad pretium argenti quinque librarum misera oblatione peruentum est. Sed vereor, ne nos alterius rei fuga vtroque despoliet. Præfectus agendo negotio segnior visus, Lampadio successore mutatus est, cuius moribus crediderunt impossibilia promoueri.* Sed & *Epistola* 58. *eod. libr.* hinc forte non abludat; *Iuniorum delectus*, inquit, *orbanis familiis imperatus, vsque ad æterni Principis responsa pendebit.* Igitur ad Senatus petitionem Honorius *h. l.* & *l. prox.* Senatoribus optionem dat, vel Tirones ipsos præstandi, vel eorum loco pretium: id est, viginti quinque solidos pro singulis Tironibus. Certa quanti-

tale præterea addita pro veste & sumptibus Tironis. De quo auri Tironici adæratione dictum fuit ad *l. 7. sup.* Certe *argenti quinque libræ*, quas Symmachus pro Tironibus a Senatu oblatas scribit, viginti quinque solidos præcise conficiunt: singulæ quippe libræ argenti quinque solidis æstimabantur, vt hoc ipso Anno constitutum fuit *l. vn. inf. de argenti pretio quod thesauris infertur.* Quinquies quinque igitur sunt viginti quinque solidi. Quod egregie confirmat ad hanc *legem* omnino pertinere superiorem Symmachi *epistolam.* Interim ex eadem colligi posse videtur, cur minoris æstimati hoc tempore fuerint Tirones, quia iam SERVI Tirones offerebantur. Quod de proportione librarum argenti & pretio tironum dixi, optime confirmat *lex 8. inf. de desertoribus:* vbi quinquaginta libræ argenti sunt pretium decem Tironum. De T[illegible]atione Tironum alioquin postulata per Capitularios, idem Symmachus *lib. 9. ep. 10.*

P. 386

De eodem: ac præterea; lex superior extenditur ad PERPETVARIOS *fundos Principis.*

XIV. (a) Idem AA. Mineruio (b) C. R. P.

ÆTERNÆ vrbis merita (c) reuerendam nobis Amplissimi Senatus effecit voluntatem: Ideoque pro Tironibus in corporibus (d) postulatis pretia conferri iubemus ab Amplissimo Ordine; Quod in fundis etiam perpetuariis nostræ rei priuatæ seruari præcipimus. Dat. prid. Id. Nouemb. Cæsario & Attico CONSS. [397.]

NOTAE.

(a) Abest a *Cod. Iust.* hæc *lex.* Concordat autem ei, vt dixi, *lex 13. supr.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Huic eidem inscripta hoc ipso Anno *lex 1. Cod. Iust. de off. Com. S. P.* & proximo Anno *lex 25. inf. de annona & trib.* Ad eundem exstant plures Symmachi *epist. lib. 4.* quinimo Comitem R. P. eum fuisse nominatim indicat *epist. 37. 42. & 43.* *IDEM.*

(c) Nisi *merita, meritæ,* primæ declinationis, huius æui & barbarici vox fuerit, quod non puto, reponendum omnino *meritum.* *IDEM.*

(d) Vid. *l. 2. & 7. sup.* vbi dixi. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

PRETIVM loco Tironum exactorum, a Senatu oblatum, vt superiore *lege* data ad P. P. Italiæ, ita & hac data ad Mineruium Comitem R. P. admittit Honorius, simul & ad rei priuatæ Principis possessiones perpetuarias id extendit: scilicet, vt pretium loco Tironum ex iis quoque inferatur. Possessiones perpetuariæ seu perpetui iuris, quorum fit mentio, & *l. 12. 13. 20. inf. de extraordin. l. vlt. inf. de conlat. fund. patr. l. 10. inf. de infirm. his qua sub Tyr.* & *d. l. 1. Cod. Iust. de off. Com. S. P.* (quæ eidem Mineruio Com. R. P. hoc ipso anno inscribitur) non alii sunt, quam Emphyteutici; quod ostendam ad *d. l. 12.* Ergo Senatoriæ possessiones & fundi perpetuarii iuris in taxatione seu adæratione Tironis *hac l.* exæquantur: *vt l. 12. 13. inf.* in ipsa collatione exæquata.

HONORARII *tantum Codicillarii ad Tironum collationem tenentur.*

XV. (a) Idem AA. (b) Decio (c) PV.

AD conlationem Iuniorum (d) eos tantum oportet adtineri, quos constat dignitates legitimas beneficiis (e) consecutos, non tamen iusta priuilegia suffragantur. Dat. VIII. Id. Decemb. Rau. Arcadio A. V. & Honorio A. V. CONSS. [402.]

NOTAE.

(a) Hanc *legem* & indictionem intelligit *lex 13. sup. de Agentibus in rebus.* *GOTHOFRED.*

(b) Addendus est *Theodosius Iun.* vid. *Chronolog.* *RITTER.*

(c) *Decius* P. V sub Honorio. Huius Decii Præfecturæ vrbanæ indicium facit Symmachus, *lib. 7. epist. 47. 48.* & 50. *GOTHOFREDVS.*

(d) *Iuniores* pro Tironibus v. *Paratitlon.* Claudianus quoque de *bell. Get.* Honorii, *Iuuentutis* voce hac in re vtitur hoc ipso tempore, *v. 467.* *IDEM.*

(e) Ambitu ac Suffragiis, *l. vlt. inf. de veteranis:* quæ coniungenda est cum *l. 18. h. t.* cuius eadem sententia est, quæ huius. *IDEM.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

HONORARIIS hoc tempore ab Honorio Imperatore Tirones indicti fuerunt: cuius indictionis ipse rursum meminit Anno prox. *l. 13. sup. de Agentibus in rebus*: & *l. 12. inf. de desertoribus*: idque aduersus Alarici, seu Gothorum e Pannonia, Norico, Rhetiisque superatis hoc Anno 402. subitaneam in Italiam irruptionem: de qua videndi Claudianus, *de bello Getico*; Orosius, *lib. 7. c. 35. a vers. 495.* (a) Et Prudentius *lib. 2. aduersus Symmachum*. Cæterum Honorati illi accipiendi sunt, vt *h. l.* ipsemet Honorius interpretatur, ii qui legitimas dignitates beneficiis, ambitu ac suffragiis consecuti sunt, non etiam quibus iusta priuilegia suffragantur, id est, qui his dignitatibus laborum merito sunt decorati. De quibus *Honoratis* plene dixi ad *Titulum de Honorariis Codicillis sup.* Et *l. vn. sup. de officio Iudicum ciuilium.* & *l. vn. inf. de oblat. equor.* & *l. 14. 15 inf. de Naucul.* Et ad hanc rem vide *l. 18. inf.* & *l. 10. vlt. inf. de Veteranis.* *Iusta priuilegia* sunt *h. l.* labore, actu ipso impetratæ dignitates: vt merita iusta militiæ, *l. 73. inf. de Decurionib.* Et tamen ab *hac leg.* excepti postea fuerunt ii, de quibus agitur *d. l. 13.* vide & similem exceptionem *l. 18. inf.*

(a) Vid. ANTON. PAGI *Critic. ad ann. 403. num. 6.*

P. 187 SERVI *ad* Scythici *belli apparatum exciuntur, præmio libertatis & pulueratico promisso.*

XVI. (a) Imppp. Arcadius, HONORIVS, & Theodosius AAA. Prouincialibus.

CONTRA hostiles (b) impetus non (c) solas iubemus personas considerari, sed vires, & licet (d) ingenuos (e) amore patriæ credamus incitari, seruos etiam huius auctoritate Edicti exhortamur, vt cum primum se bellicis sudoribus offerant, præmium libertatis, si apti ad militiam arma susceperint, Pulueratici etiam nomine binos solidos accepturi: Præcipue sane eorum seruos, quos militia armata detentat, Fœderatorum nihilominus & Dediticiorum: quoniam ipsos quoque vna cum dominis constat bella tractare. Dat. XV. (f) Kal. Maii. Rau. Arcadio A. VI. & Probo viro clarissimo CONSS. [406.]

NOTAE.

(a) Ab sit hæc *lex* a *Cod. Inst.* vel vt temporaria. An iungenda *huic* est *lex prox. sequens?* GOTHOFRED.

(b) RADAGAISI & Scytharum: de quo mox. *ID.*

(c) id est, non id attendi iam debet, quis status sit personarum, sed qui viri, quæ vires. Haud absimiliter Vegetius *lib. 1. cap. 5. Si ergo necessitas exegerit, non tam statura rationem conuenit habere, quam virium*: vid. & *l. prox.* IDEM.

(d) Et quoniam *ID.*

(e) De his *l. prox. sequ.* *ID.*

(f) XIII. *lex prox. sequent.* *ID.*

COMMENTARIVS.

RADAGAISI & SCYTHARVM in Italia irruptioni (de qua Zosimus *lib 5. cap. 26.* Orosius *lib. 7. cap. 37.* Augustinus *lib. 5. de Ciuitate Dei*; Prosper *Chronico*, & Marcellinus *Comes*, qui recte eam ad hos Consules refert, quod his legibus comprobatur) Honorius, pro rerum necessitate & Reipublicæ ratione id flagitante, varia Edicto suo ad Prouinciales emisso (cuius portio est hæc *lex*) constituit. (a) Primum SERVOS (militiæ alioquin ineptos & expertes, vt docuit *lex 8.* (vbi vide etiam notata ex Chrysostomo) II. *sup. V.* & *l. 9. inf. de desertoribus*:) hoc Edicto ad militiam inuitat: Ac maxime militum seruos. Neque tantum Romanorum sed & Fœderatorum, vt & Dedititiorum: idque præmio libertatis eis proposito, & duobus solidis, pulueris & sudorum nomine promissis. Vrgente scilicet Reipublicæ necessitate, non personas seu viros, sed vires considerari oporteret:

(a) ANTON. PAGI *in Critic. ad Annal. Baron. an. 406. n. 3.* Baronius, vt ostendat *Radagaisi* in Italiam irruptionem & interitum ad hunc annum pertinere, in medium adducit legem *Cod. Theod. 17. de Tironibus*, qua ingenui ad belli apparatum excitantur ab Honorio Imp. præmio decem solidorum. Gothofredus vero idem cum Baronio sentiens affert *legem 16. de Tironib.* qua serui ad militiam inuitantur idque præmio libertatis eis proposito Neque tantum Romanorum sed & fœderatorum, vt & Dedititiorum. Erant Dedititii barbari, qui alias gentiles vocabantur, quique vt auctor est Ammianus lib. 20. relictis laribus suis ad Romanos transibant, & voluntarii barbari militares erant. Quam vtramque legem Gothofredus ad bellum Scythicum aduersus *Radagaisum* gestum refert. Verum vana hæc explicatio; Arcadius enim bellum Illyricianum meditabatur, & ob illud Alaricus in Epiris hærebat, vbi vt Zosimus *lib. 5. c. 26.* scribit, *rem cum Stilichone compositam expectabat: quæ huiusmodi erat. Cum Stilicho videret eos, qui Arcadianum imperium administrabant, animis erga se infestos esse; adiuncto sibi Alarico socio, constituit in Illyriis nationes Honorii regno cogitabat adiicere. Qua de re cum Alarico pactus, occasionem expectabat, vti reapse quamprimum hunc conatum exsequeretur. Dum Alaricus in hoc intentus esset, vt imperatis obtemperaret, Radagaisus ex Transistrianis & Transrhenanis,*

tet: ac proinde admittendi omnes, quos aptos armis tractandis, quos hostibus expugnandis, propelleodis idoneos esse constat. Factum id scilicet sæpe pro rerum necessitate, & quidem sub eodem libertatis præmio, & seruis ad pileum vocatis. Florus *lib. 2. cap. 6. Deerat Iuuentus: in sacramentum militia liberata* SERVITIA. Idem *lib. 3. cap. 21. Seruitia (proh nefas) & ergastula armantur.* Liuius *lib. 22. c. 57. octo millia iuuenum validorum ex seruitiis, prius sciscitantes singulos, vellentne militare, empta publice armauerunt*, quos tamen *dominis vltro donantibus* Appianus *de bello Punico* collectos, refert. Et vbi repens periculum, *subitarii* (propria hoc in argumento voce) nullo discrimine milites conscripti; de quo Liuius *lib. 3. cap. 4. Hernicis & colonia Antium dare Quintio subitarios milites (ita tum repentina auxilia appellabant) iussi. Lib. 5. c. 19. Dictator romam ad scribendum nouum exercitum redit nulla detrectante militiam. Peregrina etiam iuuentus Latini Hernicique ad id bellum venere. Lib. 10. c. 21. Delectum omnis generis hominum Senatus haberi iussit.* Huc pertinet etiam illud, per tumultum: *Quicumque Rempublicam Saluam esse vultis, me sequimini.* (b) Denique exemplum quoque ab æuo Annibalis: cum necessitas id expressit, tunc enim & octo millia Seruorum in militiam empta, quod Liuius aliique produnt, & pastores aliquot ferociores in Equites adsumpti, vt docet Valerius *lib. 7. cap. 6. num. 1.* Sed & Pompeius bello in Cæsarem, seruos pastores armauit, atque his equos attribuit, vt ipse Cæsar testatur *Ciuil. 1. pag. 461. edit. Montani.* Plura de his pastoribus *inf. tit. quibus equorum vsus*: sub Mario Plutarchus ἄπορον καὶ δοῦλον καταγράφειν. De tribus interim obiter videndum *h. l.* est.

I. PVLVERATICVM *hac lege* vocatur merces, & stipendii genus quoddam (non tamen *legitimi*) quod seruis extra ordinem ad militiam euocatis, quasi pro labore, sudore & puluere, dabatur. Similiter Pulueraticum vocari reperio *in Constitutione quadam Theodosii ad Numum Magistrum officiorum, inter leges de controuersiis agrorum pag. 343. edit. Wil. Goes.* (quod quasi pro labore & puluere Agrimensoribus dabatur; quod alioquin *Honorarium* dicitur *l. 1. D. si mensor falsum modum dixerit*:) *Præcipimus itaque Agrimensoribus, vt pro laborum vicissitudine Geometricæ artis, fundo cui finem restituens in trifinii rationem fixerit, & conuenientiam trium centuriarum ibidem esse signauerit, tres aureos accipiat, absque sua* PVLVERATICA: *Quod si limitem direxerit, volumus vt per singulas possessionis vncias singulos aureos accipiat. Tantundem pro intentione quæ inter partes sopitur, &c.* (c) Pariter, Rectores Prouinciarum *strenarum, Kalendarum ac Pulueratici nomine quid a Curialibus exigere soliti*, singulas Prouinciæ ciuitates obeuntes: quod abolitum est Nouella Maioriani *de Curialibus 1.* Meminit & Cassiodorus XII. *Variar. 15. Pulueratica quoque Iudicis funditus amputantes, trium tantum etiam dierum Præsulibus annonas præberi secundum vetera constituta decernimus.* &c. Quæ ferme omnia iam quoque Cuiacius prænotauit, *lib. IV. Obseruat. 18.* Haud absimile sane fuit ποδοκόπιον, quod accipiebant, tributorum Exactores, propedum quasi fatigatione, vt obseruare est in libro, qui inscribitur παλαιὰ λογικὴ. Pulueraticum quoque memorat Aimoinus *lib. 3. cap. 1.* vbi telonei genus est, & iungitur rotatico, cespitatico, ripatico, saltuatico. (d)

I. PVL-

Celticis, Germanicisque nationibus, collectis hominum quadringentis millibus, ad transeundum in Italiam se parat. Qua re nuntiata, cunctos mirifice prima fama percussit. Cumque desperassent vrbes, & ipsa Roma iam in extremo periculo turbata esset; Stilicho sumptis secum vniuersis copiis, Ticino Liguriæ impositis (erant autem numeri militum triginta) cum aliis sociorum auxiliis, quæ ab Alanis & Hunnis impetrare potuerat, hostium aduentum non expectato, cum omni exercitu Istrum (legendum Arnum) *ipse traiiecit, & barbaros nec opinantes adgressus, vniuersas hostium copias ad internecionem cecidit: adeo quidem, vt horum quoque nullus incolumis euaderet, exceptis paucissimis, quos ipse romanis auxiliis adscripsit. Ob hanc victoriam Stilicho non abs re magnos animos gerens, cum exercitu ab omnibus propemodum coronatus redibat, cum præter omnem spem formidatis periculis Italiam liberasset.* Quæ quidem victoria *anno superiori 405*, ab Stilichone reportata. Verum Stilicho magister militum Honorii, *Illyricum Orientale*, sub huius imperatoris ditionem redigere cogitabat, vt vniuersum Illyricum Occidentali imperio subiiceretur, quemadmodum olim subditum fuerat. Hoc enim in mente habuisse Stilichonem, præter Zosimum laudatum, docet etiam Sozomenus *lib. 8. c. 25.* quid mirum igitur, si in imperio Occidentali milites coacti fuerint, cum Stilicho decreuisset *anno sequenti 407.* Illyricum Orientale inuadere? Porro Prosper in Chronico ad annum CCCC magno errore scripsit. *Gothi Italiam Alarico & Radagaiso ducibus ingressi.* Duo enim isti Gothorum reges, *ad tentandas quasque regiones Italiæ* diuisi erant, inquit Isidorus in Chron. Gothorum; sed diuersis temporibus in Italiam irrupere. Alaricus quidem Gothorum Rex *anno 400.* Pannoniam reliquit, *annoque 402.* a Stilichone Honorii duce superatus est; *Radagaisus* vero anno tantum 404. Italiam ingressus est, annoque sequenti a Stilichone deletus, eo scilicet tempore, quo Alaricus prope ab Italia erat. Quare Zosimus *loc. cit.* Marcellinus *in Chron. ad huius anni 406. Coss.* Iornandes *de regnorum successione c. 95.* & Orosius *lib. 7. c. 26.* quando de *Radagaiso* in Italiam introitu, eiusque cæde mentionem faciunt, de Alarico tacentes, manifeste ostendunt, eius irruptionem nihil commune habuisse cum irruptione Alarici. Adde ea quæ in Chronologia ad hunc annum dicta sunt, & rem omnem capies.

(b) Hæc loca collecta videbis a Cl. Lipsio *de milit. Roman. lib. 1. dialog. 4.* cum multis aliis.

(c) WILELMVS GOESIVS *not. ad Script. Rei agrar. pag. 194.* Post plures alios pertendit Iac. Gothofredus *ad l. 16. C. Th. de tiron.* pulueraticum non esse aliud quam honorarium, quod pro opere & labore agrimensoribus dabatur. Ego vero diuersum censeo, atque opinionis meæ hac lege me arbitror habere satis euidens argumentum, qua pulueratica ab honorario separatur. Erit ergo potius illud quod militi aliiue cuiquam datur antequam ad puluerem & laborem castrorum alteriusue cuiusue exercitii accedat. Vnde nec actio datur nec dari potest pro pulueratico siue pulueratica, cum pro honorario dari constet, *leg. 1. D si mens. fals. mod. dix.* Acute vidit vir doctus. *Pulueratica* enim agrimensoribus data non est aliud, quam pecunia in singulos dies victus caussa attribuenda, quam hodie solemus erogare in illos, quibus negotia nostra peregre agenda, dedimus. De Pulueratico etiam quædam Cl. Rigaltius *ad leg. cit.* & du Fresne *in Glossar.* obseruarunt.

(d) De Pulueratico, quod telonei genus noster recte statuit, notandum, sæpenumero vocem hanc in veteribus tabulis obseruari, in quibus variorum facta est mentio tributorum, nullo tamen apparente indicio propriæ eius notionis. Du Fresne *in Glossar. voc. pulverat.* ex Formul. 11. apud Lindenbrogium adducit illa, *nec villas venditas, nec rotaticas, nec foraticas, nec pulueraticas exactare præsumatis*: quæ tamen longe aliter in Codice antiquo quo vsus est Cl. Bignonius leguntur, *formul. 45. pag. 155. Nec missus noster nulla telonea, nec nullas venditas, nec rodaticum, nec foraticum, nec pontaticum, & sicut dixi nullus qualibet telonea, nec venditas eius*

II. FOEDERATI, quorum *h. l.* mentio fit, neque vllo alio *huius Codicis* loco, sunt Hunni & Alani; quorum Auxiliis nominatim Stilichonem
P. 388 (Honorii Ducem, Radagaisano siue Scythico bello patrando præpositum) vsum Author est, in huius belli enarratione, Zosimus *lib. 5. c. 26.* ἀναλαβὼν ὁ Στελίχων ὅσον οἷός τε γέγονε συμμαχικὸν ἐξ Ἀλανῶν καὶ Οὔννων περιποιήσασθαι. *Sumptis secum omnibus sociorum auxiliis qua ab Alanis & Hunnis impetrare potuerat.* Et Orosius *lib. 7. cap. 37. Adsunt*, inquit, *Vldin & Saurus Hunnorum* & *Gothorum Duces præsidio Romanorum. Huldin & Saurus Hunnorum Gothorumque Reges Radagaisum continuo deuicerunt, ipsius capite amputato, captiuos eius singulis aureis distrahentes.* Certe *h. l.* Fœderati hi nominatim a militibus separantur: Milites quippe proprie Romani erant: Ita *Nouella* Valentiniani *inter Theodosianas 20. de reddito iure armorum. Vir*, inquit, *Illustrissimus Magister militum, Sigisundus, tam militum atque Fœderatorum, tuitionem vrbibus ac litoribus non desinet ordinare.* Et apud Harmenopulum *lib. 4. tit. 12.* εἴτε στρατιῶται εἶεν, εἴτε Φοιδεράτοι ἤγουν ὑπόσπονδοι εἴτε χολύριοι. Fœderati igitur erant milites, ex variis gentibus fœderatis. Olympiodorus *apud Photium* & *Tom. I. Script. Rer. Byzant. pag. 146. edit. Venet.* in Gestis anni 409. (id est triennio post hanc *legem*) ἐν ταῖς ἡμέραις Ὀνωρίου τὸ ὄνομα Φοιδεράτων στρατιωτῶν) κατὰ διαφόρου καὶ συμμιγοῦς ἐφέρετο πλήθους. *Imperante Honorio fœderatorum nomen attributum incondita & e diuersis conflata multitudini.* Et Suidas *voc.* Φοιδεράτοι. Φοιδεράτοι οὕτω καλοῦσι Ῥωμαῖοι τοὺς ὑποσπόνδους τῶν Σκυθῶν. *Fœderati. Sic romani vocant Scythas fœdere & amicitia sibi iunctos.* Et Malchus *in excerptis Legationum Tom. 1. Scriptor. Rer. Byzant. pag. 64* ἐπὶ Ζήνωνος πρέσβεις ἦλθον ἐκ Θράκης τῶν ὑποσπόνδων Γότθων, οὓς δὴ καὶ Φοιδεράτους οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. *Zenonis tempore venerunt legati ex Thracia Gothorum fœdere iunctorum: quos romani fœderatos nominant.* Hinc adeo *Saraceni Fœderati*, Nouella *Theodosii 31.* Et apud Procopium 1. *Belli Persici*, de quibus vide & quæ dicam *ad l. vlt. inf. de auro coronar.* & *ad l. 2. 5. inf. de legatis.* Hinc Γότθοι Φοιδεράτοι in *Epitoma Nouella Græca 11.* Fœderatorum meminit & Sidonius *lib. 1. Epist. 8. Student pilæ senes, alea iuuenes, armis eunuchi, literis* FOEDERATI. Et *lib. 2. epist. 13. Inter tumultus*, inquit, *militum popularium Fœderatorum.* Gothorum fœderatorum originem tradit Iornandes *de rebus Geticis Dum famosissimam*; inquit, *in suo nomine Constantinus conderet ciuitatem, Gothorum interfuit operatio, qui fœdere inito cum operatore, quadraginta suorum millia illi in solatia contra Gentes varias obtulere, quorum & numerus & militia vsque ad præsens nominantur in Repub. id est fœderati. Idem, cunctus exercitus in seruitio Theodosii Imperatoris perdurans, Romano se Imperio subdens, cum milite velut vnum corpus effecit, militiaque illa dudum sub Constantino Principe fœderatorum renouata. & ipsi dicti sunt Fœderati.* Omitto recentiora. (e)

III. DEDITITII *h. l.* Fœderatis proximi collocantur, iidemque militum numero constituuntur. Erant autem Barbari, qui alias *Gentiles* vocabantur, (de quibus *Gentilibus* dixi plene ad *l. vn. sup. de nupt. Gentilium*: de *Letis* vero, qui his vicini, dicam in *Francicis nostris*: & ad *l. 10. 12. inf. de Veteranis*: & *l. 9. inf. de censitorib.*) quique (vt loquitur de his *Gentilibus* Ammianus Marcellinus *lib. 20. c. 4.*) relictis laribus suis ad Romana transibant, & voluntarii Barbari militares erant, qui scilicet ex variis Gentibus Romanam fœlicitatem sequentes ad Romanum Imperium sese contulerint. Inter Fœderatos & Dedititios hoc discrimen fuit, quod illi capto domi consilio, fœdereque inito cum Romanis, ex æquo Romanorum auxiliares essent: Hi vero, nullo fœdere inito, imo ex infestis Nationibus, vi, armisque coacti Romanis sese dedidissent, aduersus Gentiles quoque suos arma laturi, quique (vt loquitur de his *Gentilibus* Ammianus Marcellinus, *lib. 20. c. 4.*) *relictis laribus suis ad Romana transibant*, & *voluntarii Barbari militares* erant.

in nullo exactare non præsumatis. Hic *pontaticum* loco *pulueratici* est, quod in pontibus pro transitu dandum erat notante Bignonio *ad veteres formulas pag. 348.* Fuerunt obseruante etiam Cl. du Fresne, qui *pulueraticum* dici *tributum*, quod pensitabatur *pro labore viarum ex puluere in viam regiam comportato*, putarunt, quorum in numero etiam est Goldastus, qui forte sententiæ suæ fundamentum quæsiuere in illis *Capitular. Carol. M. lib. 6. c. 219. Vt nullus homo præsumat theloneum per vias, nec per villas rodaticum vel pulueraticum recipere.* Et certe opinio illa non longe abest a veritate, scimus ex Columella *puluerationem* fuisse olim cum rustici glebam resoluerent in puluerem; atque mediis Seculis *pulueraticum*, quod genus telonei fuisse tot probant loca, esse potuit pecunia data, vt itinerum glebæ refringerentur molestissimæque viæ, aggesta *arena, puluere*, planarentur. Id verissimum est, hoc *pulueratici* vocabulum, quod tot regum Francorum chartæ, tot historici habent, longe aliud significare, quam quidem id, quod occurrit in *leg. 16. Cod. Theod. de tiron.* Neque facere possum cum Cl. du Fresne, qui putat vocem, *pro quouis tributo* acceptam, nam id charta Ludouici VI. an. 1108. quam ex Doublero adducit, non probat, nec alia loca sententiam stabiliunt: imo vero si verum dixit Salvaingus tractat. de vsu iur. dom. c. 34. in Delphinatu *pulueraticum* dari pro transitu ouium per terras dominorum, id vel maxime sententiam eorum confirmat, qui pulueraticum Franciæ olim notum, ad *vias & itinera* restringunt quod ego mihi, multa euoluens loca auctorum, facile etiam persuadere possum.

(e) De *fœderatis* etiam monuere doctissimus Sauaro ad *loc. cit. Sidonii*, atque Cl. Sirmondus viri numquam sine laude nominandi. Alia vide apud Ioan. Meursium *in Glossar.* quem noster exscripsit: & du Fresne *in Glossar. voc. fœderati*: qui etiam de *Comite fœderatorum* dixit *voc. Com. fœd.* & de cohorte fœderatorum quæ militauit in principis palatio, *in not. ad Annam Commenam pag. 227. edit. reg.* Elegantissimum locum dabo de *Comite fœderatorum* ex Cedreni Compendio in rebus Theodosii *pag. 270. edit. Venet. Script. Rer. Byzant.* Κατὰ Περσῶν στρατηγῶντος Προκοπίου, δηλοῦται αὐτῷ παρὰ τοῦ Πέρσου, ἵνα δώσωσιν μονομάχους, καὶ εἴπερ ἂν ἡττηθῇ, δεδώκε τὸ μέρος αὐτοῦ, πάντα ἐπὶ χρόνους πεντήκοντα. Δέδωκεν οὖν ὁ στρατιώτης Προκόπιος Ἀρεόβινδον ΚΟΜΗΤΑ ΤΩΝ ΦΟΙΔΕΡΑΤΩΝ. ὃς ζώνιστρον κατέχων τὸν Πέρσην ἐφόνευσε, καὶ κατενεχθὲν ἐκ τοῦ ἵππου ἀπέκτεινε. Καὶ γέγονε πάντα εἰρήνη μεταξὺ Ῥωμαίων καὶ Περσῶν. *Cum in Persas expeditionem fecisset Procopius, Persa ei hanc conditionem tulit, vti pars vtraque vnum daret: quibus singulari pugna congressis, victi pars pacta pacis ad annos quinquaginta acciperet. Procopius delegit ad hoc Areobindam comitem Fœderatorum. Is Socistrum Persam arripuit in congressu & ab equo deiectum necauit. Ex eo inter romanos & Persas pax composita fuit.* Adde etiam *Glossarium Cedreni* Cl. Fabrotti.

INGE-

INGENVI *ad Scythici belli apparatum excitantur, præmio decem solidorum, e quibus tres repræsentandi.*

XVII. (a) Idem AAA. Prouincialibus.

PROVINCIALES pro imminentibus necessitatibus omnes inuitamus Edicto, quos (b) erigit ad militiam innata libertas. Ingenui igitur qui militiæ obtentu arma capiunt amore pacis & patriæ, sciant se denos solidos paratis (c) rebus de nostro percepturos ærario, quibus tamen ternos ex summa supradicta iam nunc (d) solidos præberi mandauimus: nam optimos futuros confidimus, quos virtus & vtilitas publica necessitatibus obtulit. Dat. XIII. (e) Kal. Maii, Rau. Arcadio A. VI. & Probo CONSS. [406]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* velut temporaria. An autem iungenda huic, *lex prox. sup?* GOTHOFREDVS.

(b) *Ingenuorum* definitio; *Ingenui sunt, quibus innata libertas:* De his quoque obiter *d. l. 15. sup. prox.* ID.

(c) *γρ. pacatis:* nisi *paratis*, pro *reparatis:* vel *paratis rebus*, id est, posteaquam paratus legionie exercitus fuerit. Cui tamen postremæ interpretationi vltima *huius legis* verba refragari videntur. ID.

(d) *Iam nunc* vid. *Gloss. Theod* & *l. 1. de off. Rect. prouinc.* ID.

(e) XV. *lege prox. supra.* ID.

COMMENTARIVS.

SCYTHICO tumultui retundendo seruos ad pileum & militiam Honorius Imperator inuitandos credidit. Ingenos amore patriæ satis incitari putans, *l. 16. sup.* Et tamen hoc Edicto biduo post, & ipsos Ingenuos Honorius inuitandos vidit, & perspexit. Et quidem præmio decem solidorum proposito, tribus mox soluendis & repræsentandis. Et hæc quidem *huius l.* sententia videri possit. Nisi putet quis, Hoorium hoc Edicto sententiam mutasse videri: Mutasse inquam, seruis videlicet ad militiam, non iam euocatis, (periculosum enim id tunc forte visum) sed Ingenuis omnibus hoc Edicto inuitatis. Omnibus inquam, nullo delectu habito: *vbi scilicet necessitas vrget, ibi delectum non adeo attendi oportet:* vt iam quoque monuit *lex superior*, & ad eam interpretatio. Non nisi optimi quippe futuri creduntur, qui sese necessitatibus publicis vltro offerunt. Eandem alioquin tumultus Gallicani in Republica Romana olim ra-P.39 tionem fuisse cuilibet notum est. Imo tertia quoque interpretatio ad hanc *legem* afferri possit, si hanc *leg.* cum *superiore* coniungamus, velut eiusdem Edicti partes: nempe Honorium & Seruos & Ingenuos ad militiam oune eodem Edicto inuitasse.

HONORATIS *Codicillariis quæ Tironum oblatio incumbit; eam non incumbere iis, qui militiæ merito Tribuni, aut Præpositi facti sunt.*

XVIII. (a) Idem AAA. Stiliconi (b) Comiti & Magistro militum.

IVNIORVM conlatione, vel qui proxime in pretio ab Honoratis pro rerum necessitate petiti sunt, vel si vnquam tale aliquid Reipublicæ ratio flagitauerit, inmunes haberi oportere decernimus, qui militiæ prærogatiua ad Tribunatus Præpositurasue peruenerint. Dat. XI. Kal. April. Honorio IV. (c) & Theodosio II. AA. CONSS. [407.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic *legi* est *lex vlt. inf. de Veteranis.* GOTHOFR.

(b) De Stilichone dicam ad *l. 20. 21. 22. inf. de bonis proscriptor.* vid & *l. 1.* Eius meminit hoc ipso anno Zosimus, *lib. 5. cap. 26.* ID.

(c) *γρ.* VII. de quo dicam ad *l. vlt.* ID.

COMMENTARIVS.

TRIBVNI, vel PRÆPOSITI *militia prærogatiua*, seu merito suo facti a Tironum præstatione, quæ HONORATIS (de quibus iam alibi sæpe ac nominatim ad *l. vn. sup. de off. iud. ciuil.* & ad *l. 7. 15. sup.* sed & *l. 20. inf.*) imposita fuerat, immunes esse iubentur *has* Honorii *lege*, vt & *l. vlt. inf. de Veteranis*, quæ *huic* coniungenda est, vt & *l. vn. in fin. infr. qui a præbit. tyronum.* Eademque ferme sententia est *legis 15. sup.* Non vero qui ambitu aut suffragiis Tribunatum, vel Præpo-

Præposituram obtinnerunt; *d. l. vlt.* De Tribunis his & Præpositis, vide quæ notat *lex 36. supra de erogat. milit. ann.* quæ cum *hac* conferenda est & *lex 10. inf. de Veteranis.*

Cæterum pertinet hæc *lex* non ad Vandalorum, & Alamannorum in Gallias irruptionem, quæ facta fuit vltimo die anni superioris, vt nominatim docet Prosper *in Chronico*, & alii, vbi Stilicho hoc tempore erat: neque etiam ad Constantini Tyrannidem in Galliis, verum vel ad Radagaisianam, vel ad Illyricianam expeditionem, ad quam sese Stilicho accingebat: de qua Zosimus, *lib. 5. cap. 26.* (a) Certe verbis illis, *qui proxime*, &c. indicatur apparatus qui factus fuerat superiore Anno aduersus Radagaisum, quo pertinent *leges* duæ superiores.

(a) ANTON. PAGI *Critic. ad Annal. Baron. an. 407. num. 6.* Honorius hoc anno, quemadmodum & superiori sese ad Illyricanum bellum accingebat, vt fidem facit lex 18. Cod. Theodos. de tironib. quare perperam Baronius & Gothofredus legem eiusdem Cod 17. de tiron. anno superiore datam ad Radagaisanam expeditionem retulere, cum vtraque propter idem bellum Illyricianum data sit. Huius belli meminit Zosimus lib. 5. cap. 27. atque, *Stilichonem* iam paratum *ad Illyricas vrbes cum* exercitu adeundas, impeditum fuisse falsa fama de Alarici morte sparsa, & literis Honorii, quibus perscriptum erat, *Constantinum* ex insula Britannia transuectum ad Transalpinas gentes accessisse. Quod fere etiam habet Sozomenus *lib. 8. c. 35.* vbi cum nec de Alarico, nec de Constantino mentionem faciat, Valesius in notis ait, ne bellum hoc fieret, duo impedimenta fuisse, & Radagaisi irruptionem & rumorem de Alarici obito, cum tamen Zosimus quem citat, non de Radagaiso sed Constantino loquatur.

STERNI, *id est postremo loco poni, Tirones in Scholis oportere.*

XIX. (a) Impp. HONORIVS & Theodosius AA. Com. S. L.

TIRONES in scholis loco semper posteriore ponantur: Nec enim patimur quemquam celsiorem gradum obtinere, nisi cui & laborum adsiduitas & stipendiorum prolixitas suffragatur. Dat. VII. Kalendas Decemb. Rau. Basso & Philippo CONSS. [408.]

NOTAE.

(a) Lex 3. *Cod. Iust. eod. tit.* huic *legi* iungenda est. *GOTHOFREDVS.*

COMMENTARIVS.

STERNI, seu postremo loco poni, in scholis Tirones semper debere statuit *hac l.* Honorius: ratione addita, quam sequitur Vegetius *lib. 2. cap. 21.* Idem vero nominatim statuitur de Scholis Palatinis (veluti Agentium in rebus) *l. 3. sup. de Agentibus in rebus*, & *l. 14. sup. de re milit.* quæ *lex* pariter, vt *hac* nostra, ab hoc *Tractatu* Militari fugitiua est. Nam vt illa ad Scholas quæ sub dispositione Magistri officiorum constitutæ erant, pertinet, ita hæc ad eas quæ sub Comitis Sacrarum Largitionum. Nisi quis putet in Inscriptione huius *legis* pro *Com. S. L.* reponendum *Comitibus* scilicet Rei Militaris, quod non puto. De *scholis* certe militaribus videndus est Vegetius *d. loco.*

P.390 OFFICIIS *Iudicum Africæ*, & HONORATIS *Africæ triumque insularum, Tirones 30. solidis æstimati indicuntur.*

XX. (a) Idem AA. Machedonio (b) C. R. P.

TIRONES, tricenis solidis æstimatos, ab omnibus Officiis Iudicum Africæ, exemplo præcedentis (c) temporis postulamus: Quod (d) simul etiam ab Honoratis memoratarum (e) prouinciarum, necnon Sardiniæ, Siciliæ & Corsicæ. Eos (f) sane honore excipi ab his conueniet, quibus aut præsenti tempore publicum munus iniunctum est, aut in (g) Italiæ, siue Vrbis solo Barbara (h) vastitate depulsi sunt. Dat. VI. Id. Feb. Rau. Varane, V. C. CONS. [410.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.
(b) *Macedonius* Comes R. P. sub Honorio A. D. 410. *ID.*
(c) Vid *l. 7. sup* *ID.*
(d) Vox hæc abundat: vel alia eius loco substituenda. *ID.*
(e) Africæ, seu Africanorum. *IDEM.*
(f) γρ. *Eo sane onere excipi hos?* In MS. habetur, *Eos sane honores*: Forte *eos sane honoratos.* *ID.*
(g) *Aut qui in.* *ID.*
(h) Gothorum. *ID.*

COMMENTARIVS.

De Tironibus indictis, OFFICIALIBVS Iudicum Africæ: vt & HONORATIS prouinciarum Africæ, pariter vt & Sardiniæ, Siciliæ, & Corsicæ, est hæc Honorii Imp. constitutio: qua & pretium Tironum taxatur, & Honorati quidam ab ea collatione excipiuntur. In qua quidem *leg.* multa obseruatu digna occurrunt, quæque etiam prænoscenda sunt, vt plenum eius intellectum habeamus.

Primo igitur tenendum, inter alias personas, quibus Tirones subinde indicti, fuisse & hæc duo hominum genera; *Officiales* vidal. Iudicum: quod etiam diximus ex *l. vlt. inf. de fil. mil. apparit.* & *l. 78. de Decurion.* vbi tamen excipiuntur Officiales Veteranorum filii: Nempe Officialium lucra ingentia erant, de quibus infra *tit. de lucris officiorum*, & *tit. de concussionibus Aduoc. & Apparitorum:* Quibus ideo multa publica subinde indicta, & in his Tirones. Item *Honoratos*, quod præter hanc *legem* discimus ex *l. 8. 15. 18. sup. l. 2 sup. de decur. & silent. l. 13. de Agentibus:* v. & *l. 3. sup. de Proximis*, seu *Honoratos*, *l. vn. inf qui a prabit. Tironum:* de quibus Honoratis dixi plene ad *l. vn. sup. de ass. Iudic. Ciuilium.*

Secundo notandum, hoc tempore *Gothos* Alarico Duce, repetita irruptione, Italiam & Vrbis Romæ solum deuastasse, (a) de quo præter indicium *huius leg.* Zosimus *lib. 5. extremo*, Hieronymus non *vno loco*, Orosius, Sozomenus, Philostorgius, alii: Rutilius quoque Numatianus *lib. 1. Itinerarii v. 40.*

Postquam TVSCVS *ager, postquam* AVRELLIVS *agger*
Perpessus Geticas ense vel igne manus.

Sed & *lex 12. inf. de indulg. debitorum: Prater censuales functiones*, CAMPANIA, *quam & vetustatis grauior onerat adscripsia, & post*, HOSTIVM *vastanti incursio, peragnatis territoriis nonam partem tantummodo præterit assi publicarum toleret functionum:* PICENVM *vero, & TVSCIAM suburbicarias regiones septimam tributarum ad supputationem professionis antiqua per vniuersos titulos inbemus agnoscere.* Quinimo notandum, Attalum quoque hoc ipso tempore, eodem Alarico auctore, Tyrannidem in vrbe Roma Italiaque semel atque iterum arripuisse, de quo ad *l. pen. & vlt. de indulg. crim.* sed & Africæ ipsi imminere visum, de quo v. Zosimum, *lib. 6. c. 7.* & Sozomenum, *lib. 9. c. 8.*

Hinc igitur (quod Tertium,) ab Honorio Imp. non per Italiam aut Vrbis solum, verum per Africanas prouincias, tresque alias, puta Sardiniam, Siciliam, Corsicam: quæ videl. ab hac Gothorum incursione immunes fuerant. Et quidem indicti Officialibus Iudicum, & Honoratis: sub duplici taxatione, quæ duo etiam capita *huius leg.* sunt. Primo *capite* definitur, taxatur, æstimatur, adæratur, PRETIVM Tironia, nempe triginta solidis: Quæ adæratio varie facta: aliquando triginta sex, (id est, dimidia auri libra) *l. 7. sup.* aliquando viginti quinque, vt *l. 13. sup.* aliquando triginta, vt *hac leg.* & *Nouella de Tironib. 41 in l. 3.* Altero *huius leg.* capite ab hac præstatione excipiuntur *Honoratorum* duo genera: Primo scilicet ii, quibus præsenti tempore publicum munus iniunctum est: Nempe Honoratis publica munera iniungebantur, exempli gratia, susceptio vestium, *l. 1. supr. de milit. veste*, *l. 4. de susceptorib.* Igitur hi a Tironum præstatione excepti, quod aliud iam munus eis iniunctum esset. Alterum Honoratorum genus hic excipitur ab Honorio, nempe ii qui in Italiæ siue vrbis solo Barbara Gothorum vastitate depulsi fuerant, in Africanas prouincias, & in tres illas prouincias, siue Insulas proximas. De quo Honoratorum ad ea loca perfugio Scriptores, quos dixi, & Rutilius Numatianus.

Hic interim obiter duo obseruanda sunt. Primo *Sardiniam, Siciliam, & Corsicam*; vt ab Africania prouinciis, ita & ab *Italia* separari; pariter *l. 9. inf. de extraordin. mun.* & in *Notitia Imperii f. 149.* sed & Claudianus *in Panegyrico Manlii Theodori* (ante hoc ferme decennium A. D. 399.) tres has Prouincias seu Insulas ab Italia separat. Præfecturam quippe Prætorianam Italiæ describens, ait: *v. 199. seqq.*

- - - - *Suscepit habenas* [id est, DIOECESES]
QVATVOR *ingenti iuris temone refusas:*
PRIMA *Padum, Tyberimque ligat, crebrisque micantem*
Vrbibus ITALIAM: *Libyæ Pœnosque* SECVNDA
Temperat: Illyrico se TERTIA *porrigit arbi:*
VLTIMA *Sardiniam, Cyrnon, trifidamque retentat,*
Sicaniam; &c.

Secundo notandum & illud obiter, ab eadem quoque Italiæ appellatione separari Vrbis Romanæ *solum*: vbi *vrbis solum* nil aliud est, quam diœcesis vrbis, atque adeo vrbicaria, intra quam regiones & prouinciæ vrbicariæ seu suburbicariæ erant: Quomodo & *Africanum solum* dicitur *l. 52. infr. de hareticis*. Quare vt hic *vrbis solum* ab Italiæ solo, & Sicilia, &c. separatur, ita pariter *vrbicaria*, vel *suburbicaria* regiones ab Italia & Sicilia *l. vn. infr. si per obrept. l. 9. infr. de annona & trib. l. 9. infr. de exeraordin.* & in *Notitia Imperii f. 116. 149.* de quo alibi pleoius.

(a) Male se hæc habent. Vide *Chronologiam ad h. a.* & ibidem notata ex Cl. Pagio. Reliqua dicentur infra ad *leg. 11. 12. de indulgent. crimin.*

OCCVLTATORIS *Procuratoris Tironum pœna.*

XXI. Idem AA. Hadriano PF. P. (a)

TEMPORE (b) tironatus eorum, Procuratores qui refugas occultandos putauerint aut non ipsi sponte produxerint, in Iudicio præsententur, ac pœnas veluti rebelles ac decretorum temeratores conpellantur exsoluere. Dat. III. Kal. Feb. Theodosio A. VII. & Palladio V. C. CONSS. [416.]

NOTAE.

(a) Hadrianus PP. Italiæ sub Honorio. vid. *Prosopogr.* GOTHOFRED.

(b) Con-

(b) Constructio duriuscula & obscurior est; perspicua magis ita: *Procuratores qui refugas, tempore tironatus eorum, occultandos putauerint. ID.*

COMMENTARIVS.

PROCVRATORES alienarum possessionum Tirones refugas & desertores sæpe OCCVLTARE soliti: his igitur pœnam velut rebellibus Honorius 3. l. indicit. De desertoribus alioquin & occultatoribus eorum paulo post peculiaris erit *Titulus*; & speciatim quidem de Tironibus desertoribus *l. 2. 4. 6. 14. illius tituli.*

XXII. (a) Impp. Theodosius & VALENTINIANVS AA. Volusiano (b) PF. P.

MANSVRA in seculum auctoritate præcipimus, Proconsularis (c) prouinciæ non eandem Sacerdotalium, (d) quæ est de ceteris, (e) in præbendis tironibus habendam esse rationem. (f) Non inique siquidem ea potissimum (g) ab hoc officio (h) prouincia videtur excepta, quæ omnium intra Africam (i) prouinciarum obtinet principatum, cuiusque (k) maioribus Sacerdotes fatigantur expensis, in quarum solatium indemnem (l) esse conuenit dignitatem. (m) Dat. v. Kalendas Mart. Rau. Felice & Tauro VV. CC. CONSS. [428.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED. Vide quæ huc pertinent *in Chronolog. h. a.* Statuit enim ibidem noster hanc legem forte pertinere ad *Vandalorum* in Mauritaniam superiore anno transfretationem, quod tamen ab *Antonio Pagi* ibidem refutatum vides. Emissa enim est propter *Quinquennalia* a Valentiniano edita, quibus tam vrbibus ac prouinciis, quam & priuatis hominibus ac peculiaribus ordinibus priuilegia concessa nouimus. RITTER.

(b) Italiæ, in qua Præfectura Prætoriana fuit Africa: vt ostndit hæc *lex*. Eidem vero Volusiano isti PP. inscribitur anno sequ. prox. 429. *lex 35. inf. de annona & tribut.* & *lex 32. inf. de susceptorib.* GOTHOFR.

(c) *Prouincia Proconsularis*, est specialis intra Africam Prouincia, quæ specialiter *Africa* dicebatur, intra quam Carthago, de qua plenius dixi *ad l. 26. sup. de erogat. militaris annonæ.* IDEM.

(d) *Sacerdotales* quoque vocantur, *l. 77. 145. 176. inf. de Decurion.* & *l. 20. inf. de paganis.* Vulgarius *Sacerdotes*, vt mox. De his plene in *Paratitlo Tituli, de paganis.* ID.

(e) Prouinciis scilicet Africæ. ID.

(f) De *aliquo ratio haberi.* ID.

(g) *Potissimum*, id est speciatim, singulari priuilegio. ID.

(h) *Officium* vocat, Tironum præstationem. ID.

(i) *Africam* diœcesim intelligit. ID.

(k) in MS. *cuiuscumque.* IDEM.

(l) Id est immunem ab exhibitione Tironum. ID.

(m) *Sacerdotalis* dignitas, vid. *parat. de paganis.* ID.

COMMENTARIVS.

SACERDOTES quoque Prouinciarum, Paganos scilicet Tironibus præstandis obnoxios fuisse, singularis hæc *lex* ostendit; & recte: Nam & hi Honoratis proximi in Prouinciis fuerunt: iidemque aliis quoque expensis subiacebant: vt vel hæc *lex testatur.* Et quidem ludis exhibendis, de quibus ludis Sacerdotum, est quoque *l. 1. sup. de prædiis Senatorum*, *l. 103. 109. 145. 176. inf. de Decu-* p.393 *rion. l. 1. inf. de spectaculis: 1. 2. inf. de expens. lud. l. 20. inf. de paganis.* Excipiuntur tamen ab hac Tironum præstatione, *hac* Valentiniani Tertii *Constitutione*, Sacerdotes Africæ Prouinciæ specialiter sic dictæ, siue Prouinciæ Carthaginensis: ratione subdita, de qua mox.

Cæterum in *hac* singulari admodum leg. sequentia præterea notanda sunt. *Primo* notandum, Proconsularis Prouinciæ appellatione Africam proprie dictam significari, de quo plene dixi ad *l. 26. sup. de erogat. milit. annona.* Obseruetur *Secundo*, eam Prouinciam inter omnes Africæ diœcesis Prouincias principatum obtinuisse dici, quæ alioquin sex prouinciis constabat, vt testatur Rufus Festus *in Breuiario cap. 4.* Index Schonhouianus *pag. 78. edit. Cellar.* & *Notitia Imperii fol. 114. 148.* & *Collatio Carthaginensis Cognit. 1. cap. 18. Tom. I. Concil. Harduin. pag. 1060.* Inde certe quoque factum, vt Carthaginensis Episcopus Africæ Primatum obtinuerit: eiusque authoritas in omnes Africæ Diœceseos Prouincias extiterit. Is præter alia quoque priuilegia, quibus illa sedes præfulciebatur, & præfulgebat, hanc etiam licentiam habuit, vt vnde vellet, & de cuius nomine conuentus fuisset, pro desiderio cuiusque Ecclesiæ Episcopum consecraret. Itaque Carthaginensis Antistes, si apud Græcos fuisset, sine dubio *Patriarcha* dictus fuisset: Nam totius Africanæ Diœceseos Caput fuit, & Principatum obtinuit: Denique Primas Primatum extitit. *Tertio* notetur, huius ipsius prouinciæ quoque Sacerdotes *paganos*, maioris quam cæteros Sacerdotes dignitatis fuisse, quod hæc *lex* aperte testatur: vnde, &

(quod *Quartum*) Sacerdotes hi msior bus expensis, in publicos ludos videlicet faciendis, obnoxii fuere: Vibis Carthaginis nempe dignitati & principatui id tributum, quæ in Africano Orbe quasi Roma fuit, vt Salnianus scribit *lib. 7. de Gubernat. Dei, cap. 16. edit. Baluz.* Vide & Herodianum *in Maximino, lib. 7. cap. 6.* Notetur *Quinto* hic locus de ludis Sacerdotalibus speciatim per Africam Proconsularem, atque ita & Carthagine, de quibus ludis Sacerdotalibus Carthagine agitur *l. 176. inf. de Decurion. d. l. 20. inf. de Paganis*; vbi plura de Carthaginensium in ludos & voluptates has studio. *Sexto* notetur, huius constitutionis seu priuilegii, quod *h. l.* tribuitur sacerdotibus prouinciæ Proconsularis ratio, seu æquitas, quæ eo pertinet & ad *praxin* deducenda. *Quod in vno pragrauatus in alio releuari debeat.* Quibus ita notatis apparet de graui Viri docti Petiti III. *Var. 1. pag. 28.* errore, qui de Christianis Episcopis *hanc leg.* accipiebat, quem etiam postea profligari vidi a Blondello *p. 816.* quem tu vide.

DE BVRGARIIS.

TITVLVS XIV.

Abest hic Titulus a Cod Iustin.

SOLLICITANTIS *vel* RECEPTANTIS *Burgarium &c. pœna.*

I. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Vincentio PP. ō. (b) Post alia.

IN Burgariis eadem volumus obseruari, quæ de Mulionibus † Lex nostra præcepit, vt hii quoque, qui intra Hispanias, vel in quibuscumque (c) locis, aufi fuerint Burgarios vel sollicitare vel receptare, eodem (d) modo teneantur: Similisque eos, qui publicis Vestibus deputatos (e) sollicitauerint, vel receperint, & de coniunctione (f) & de agnatione, (g) & de peculiis & de cunctis rebus quas in illis deprehendimus, pœna cohibeat. Dat. XI. (h) Kal. Mart. Mediolani, Honorio A. IV. & Eutychiano CONSS. [398.]

NOTÆ.

(a) Iungenda & præmittenda huic *lex 58. inf. de cursu publico.* GOTHOFREDVS.

(b) *Vincentius* sub Honorio PP. *Galliarum* scilicet, vt vel hæc *lex* testatur:, & in ea nominatim Hispaniarum mentio: quæ vna fuit ex diœcesibus Præf. Prætorianæ Galliarum. Sed aperta eam in rem est *lex 1. 2. 3 inf. de bis qui condit. propriam*: quarum secunda pariter de *Burgariis* est, & *l. 25. de annona & tribut* & *l. 10. inf. de desertoribus, l. 1. sup. vtrum vi.* vid. plura in *Prosop. I D.*

† Id est, caput *legis* nostræ huius, quod continetur *lege 58. inf. de cursu publico*: quam *huic* coniungendam & præmittendam dixi. *I D.*

(c) Præfecturæ Galliarum, atque adeo septem Prouinciarum, seu Galliæ & Britanniarum. *I D.*

(d) Quo qui muliones sollicitarunt, vel receptarunt. *I D.*

(e) *Gyneciarios*, de quibus *inf. suo titulo. I D.*

(f) *Coniunctionem* vocat coniugem, *vxorem* vt vocatur *d. l. 58.* quo Honorius *hic* se refert. vid. & *Gloss. I D.*

(g) *Agnationem* vocat *h. l. & d. l. 58,* filios. vid. *Gloss. I D.*

(h) XII. *d. l. 58. I D.*

COMMENTARIVS.

EVM, qui BVRGARIVM sollicitauit, aut receptauit, vel etiam GYNÆCIARIVM, aut eorum vxores, peculia, liberos, eadem pœna puniri iubet Honorius *h. leg.* qua in MVLIONEM
P.391 (id est, seruum publicum mutationibus animalium cursui publico destinatorum deputatum) sollicitauit seu recepit; id est, pœna decem librarum argenti (seu 50. solidorum) atque adeo duplo Tyronis pretio per singula capita. Quod vtique cauetur circa Muliones, *l. 58. inf. de cursu publico*, quæ *huic* coniungenda est, quamque hæc intelligit seu indicat; & absque qua hæc *lex* imperfectum sensum habet. De Tribus idem *hac l.* & *d. l. 58.* statuitur: Nam & tria hæc hominum genera conditioni suæ obnoxia fuerunt, sic vt ab ea recedere non possent; & sic publici serui, quibus ideo & Peculia tribuuntur, &c.

De SVRGARIIS istis videndum est. Burgorum certe fit mentio *l. 2. inf. de his qui condit propr.* & *l. 2. §. 4. Cod. Iust. de officio PP. Africa. Burgus* (ait Orosius

Orosius *lib. 7. c. 22.* Et ex eo Isidorus 9. *Origin. c. 2. & 4.* Et Paulus Diaconus *Hist. Miscel. L. 12. in Valentiniano Tom. I. Scriptor. Rer. Ital. pag. 82.) crebra per limitem* HABITACVLA *constituta vulgo vocant.* Vegetius *lib. 4. cap. 10.* signate magis: *Quod si vltra iactum teli, in cliuo tamen Ciuitatis, subiecta sit* [aquæ] *vena,* CASTELLVM PARVVLVM, *quod Burgum vocant, inter ciuitatem & fontem conuenit fabricari, ibique balistas sagittariosque constitui, vt aqua defendatur ab hostibus.* Fuerunt igitur *Burgi* habitacula seu propugnacula per limitem, & parua castella, eaque turrita: Glossarium Cyrilli πύργος *turris, burgus*; nam vox hæc Græcæ originis. Ita apud Zosimum *lib. 2. cap. 34.* ciuitatibus & castellis πόλεσι καὶ φρουρίοις, iunguntur πύργοι seu burgi turresque. (a) Itaque burgi isti non alii, quam turrita propugnacula in limite, & TVRRES. Proinde Ammianus *lib. 28. cap. 2.* castris & castellis Turres iungit: *Castra extollens altius, & castella, Turresque adsiduas per habiles locos & opportunos, qua Galliarum extenditur longitudo.* Et Anonymus Scriptor, subditus *Notitiæ Imperii: Est inter commoda Reipubl. vtilis limitum cura ambientium vbique latus Imperii, quorum tutela assidua* CASTELLA *melius prospicietur, ita vt millenis interiectis passibus, stabili muro, & firmissimis* TVRRIBVS *erigantur, quas quidem munitiones possessorum distributa sollicitudo sine publico sumptu constituat, vigiliis in his & agrariis exercendis.* Sidonius etiam *Carmin. 22. v. 119.* de Burgo Leontii agens:

- - - - Celsa transmittent aëra TVRRES,
Quarum culminibus sedeant commune micantes
Pompa vel auxilium.

& mox *v. 126. seqq.*

Cernere iam videor quæ sint tibi Burge futura,
Diceris sic, namque domus de flumine surgunt
Pendentesque sedens per propugnacula therma.

πύργος etiam seu turris Stratonis nota: de qua vide Iosephum *lib. 14. c. 8.* & Egesippum *lib. 2. cap. 7. & lib. 3. cap. 19.* Et *Nouellam Iustin. 103. in præfat.* Iustinianus quoque in limite eos constitutos fuisse, atque in his custodes collocatos, fidem facit: & denique clausuris Burgos iungit *d. l. 2. §. 4. de Off. PP. Afr. vbi ante inuasionem Vandalorum & Maurorum Respubl. Romana fines habuerat, & vbi custodes antiqui seruabant: sicut ex Clausuris & Burgis ostenditur.* Ab his denique limitaneis Burgis, similia omnia loca munitiora, *Burgorum* nomina tulerunt. Turrium etiam limitanearum mentio, *l. 13. inf. de operib. publicis.* BVRGARII igitur ab his Burgis dicti, vt Isidorus nominatim tradit; qui scilicet Burgis seruiebant: Ita enim hos describit *lex 2. inf. de his qui condit. propr.* quæ *lex* pariter vt *hac* nostra Vincentio P. P. Galliarum inscribitur. Erant igitur Custodes Burgorum (quomodo eos vocat Iustinianus *d. l. 2.*) Quod etiam ex *huius tituli* positione satis apparet, ante *titulos* videlicet *de terris limitaneis*, & *de litorum & itinerum custodia*, & *de lusoriis Danubii*, qui omnes *Tituli* pertinent ad custodiam limitis. Horum Burgariorum certa corpora erant, huic rei affectata, affixa, non secus ac Collegiis & Curiis certi erant destinati: vt vel ex *h. l.* liquet: & ex *d. l. 2. inf. de his qui condit. propr.* Sic vt Burgos deserere non possent: non magis, quam Muliones, mutationibus deputati, qui serui erant publici, aut Gynæciarii, qui vestibus publicis texendis seruiebant, *h. l.* & *d. l. 58. inf. de cursu publico.* Cæterum in Occidente ferme hos Burgos fuisse Burgariosque, ex superioribus locis omnibus liquet: ac nominatim intra Præfecturam Prætorianam Galliarum per Hispanias, atque intra Africam. Ergo serui publici erant, quomodo etiam muliones vocantur, *d. l. 58.* ac proinde & peculia vt dixi habebant, pariter vt muliones *d. l. 58.* aliique serui publici. In tantum vero conditioni suæ locoque adstricti adfixique erant, vt etiam vxores eorum & agnatio, id est, filii, vna cum peculio ipsorum occupata, retenta, ad conditionem suam burgosque retraherentur: quæ est sententia *huius l. in fin.* quæ ita ex *d. l. 58.* interpretanda venit: Absque qua, vt dixi, imperfectus *huius leg.* sensus foret.

(a) Addenda hic nonnulla, quæ obseruata etiam sunt a Cl. du Fresne in Gloss. *voc. burgus.* Nimirum Cl. Casaubonus ad Strabonem *L. 3 p. 247 ed. Almelov.* & Sirmondus ad Sidonium *l. c.* vocis originem petendam a græcis existimarunt, imo a Macedonibus & Thracibus, qui βύργος pro πύργος dixerunt. Sed improbat hanc virorum doctissimorum coniecturam Salmasius, qui vult vocem fuisse propriam Gallis atque Theutonibus, penes quos *burgus* semper fuerit domorum complurium congregatio, etsi apud Latinos pro turre aut turrito propugnaculo vocabulum acceptum constet ex legibus Codicis. En vero, quid du Fresne iudicet; cuius hic verba appono. „ Sed „ hæc, inquit, ita concilianda existimo, vt *burgos* latini, vel etiam Galli ac Germani primitus appellarint „ domorum congregationes, cuiusmodi maiores *villas* & *vicos* hodie appellamus; atque adeo non tantum „ Græcorum, quam Gallorum & Theutonum vocem esse: postmodum vero exstructio ad *burgos* militum „ germanorum, qui per limites Rheni & imperii romani, dispositi fuerant, ad illorum custodiam turribus „ & præsidiis, iis etiam *burgorum* appellationem inditam. Id omnino firmant oppidorum plurium terminatio„ nes in *Burg*: quod quidem nominis attributum, non ipsis domorum congregationibus; sed castris & ca„ stellis, quæ in burgis exstructa sunt. Exemplum præbet Freherus *in Origin. Palatin. c. 7.* in *Lobodo*, seu „ *Loboduna* ciuitate, quæ postmodum *Lobdenburg* dicta est, quasi burgum & præsidium ipsius pagi. Sic *Ba„ tenburg* Batauorum castrum, & ita de cæteris, quæ hanc terminationem habent. Cum vero *Burgus* vel „ *Burgum* nude ponitur, tunc non ipsum castrum ac præsidium; sed villam quæ castro subiacet appellarunt „ nostri Conradus de Fabaria de Casibus S. Galli c. 14. *quo leuius castrum potuisset obtinere cum burgo Wile*, „ Houedenus: *erant quidem infra Vernolium tres burgi præter castellum* „ Quæ tamen vltima mihi longe aliter videntur, neque satis probant *Burgum* nude positum villam significare, non castrum. *Castellum* enim & *burgus* fuerunt omnino diuersa apud auctores mediæ ætatis, qui *locum munitum in alto* positum eo nomine indigitabant, quod etiam probant Gloss. MS. Reg Paris. Cod. 1111. *Castrum antiqui oppidum vocabant in alto positum cuius deminutio facit castellum: Burgus* autem erat munimentum municipio aut pago cuidam præsidii loco additum, in quod confugere possent tempore hostilis inuasionis ciues aut agricolæ, quod multa probant auctorum loca: qualia munimenta rusticis apud Romanos olim iam Numa posuit, referente Dionysio. Et recte ideo citati a du Fresne potuerunt facere differentiam inter *castellum* & *burgum*, vbi tamen *burgus* non villam, sed præsidium villæ additum est.

DE TERRIS LIMITANEIS.

TITVLVS. XV.

LIMITANEAS *terras posſideri non aliter poſſe, quam cum onere Foſſati curandi, & tuendi Limitis.*

I. Impp. HONORIVS & Theodoſius AA. Gaudentio Vicario (a) Africæ.

TERRARVM Spatia, (b) quæ Gentilibus, (c) propter Curam (d) munitionemque Limitis atque Foſſati, antiquorum (e) humana fuerant prouiſione conceſſa, quoniam conperimus aliquos (f) retinere, ſi eorum cupiditate vel deſiderio retinentur, circa curam Foſſati, tuitionemque Limitis ſtudio vel labore nouerint feruiendum, (g) vt (h) P.394 illi quos huic operi antiquitas deputarat: Alioquin ſciant, hæc Spatia vel ad Gentiles, ſi potuerint inueniri, vel certe ad Veteranos eſſe non immerito transferenda; vt hac prouiſione ſeruata, Foſſati, Limitiſque, nulla in parte timoris eſſe poſſit ſuſpicio. Dat III. Kal. Maii, Rau. Honorio VII. (i) & Theodoſio III. AA. CONSS. [409.]

NOTAE.

(a) De hoc *Gaudentio* mox. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Spatia terrarum* proprie hic & mox rurſum vt *l. vn. ſup. de rei vindicat.* Et *Nouel'a Theodoſii* 31. *Si ab aliis poſſidentur, cuiuslibet* SPATII, *temporis præſcriptione ceſſante*, &c. vide quæ notaui ad *d. l. vn. ID.*

(c) De *Gentilibus* his plene dixi ad *l. vn. ſup. de nuptiis Gentilium. ID.*

(d) *Cura* vox propria: vid quæ noto ad *l. 2. inf. de equorum collat. ID.*

(e) Quibus adſcripta ſunt, & de quibus iudicauit Antiquitas, *l. 2. inf. hoc tit. Ex priſca diſpoſitione*, Nouella Theodoſii 31. & mox, *ſicut antiquitus conſtitutum eſt. ID.*

(f) Alios quam Gentiles. *ID.*

(g) *Seruitium* quodammodo feudale. *IDEM.*

(h) Quemadmodum, ſeu non aliter ac Gentiles. *ID.*

(i) *γρ.* VIII. vt Conſul adſcriptus & Impp. nomina inſcripta oſtendunt. Quomodo etiam diſerte habet MS. *ID.*

COMMENTARIVS.

LIMITANEIS Militibus, vel etiam VETERANIS, terræ limitaneæ antiqua Romanorum diſpoſitione donari ſolebant: ea conditione ne a *priuatis* (id eſt, a non militibus) teneri poſſent. Idque antiquorum prouiſione, vt *hac l.* dicitur: ſeu de quibus iudicauit Antiquitas, vt *l. prox.* ſicut antiquitus ſtatutum eſt, vt *Nouella Theodoſii Iun. de ambitu & locis limitaneis 31.* & *l. vlt.* (quæ ex ea *Nou.* deſumpta eſt) *Cod. Iuſt. de fundis limitrophis.* Et ſane de eo eſt inſignis primum hic Lampridii locus, in Vita *Alexandri Seueri. cap. 58. Sola, quæ de hoſtibus capta ſunt, Limitaneis Ducibus & militibus donauit, ita vt eorum ita eſſent, ſi heredes illorum militarent, nec vnquam ad priuatos pertinerent; Dicens, attentius eos militaturos, ſi etiam ſua rura defenderent: Addidit ſane his & Animalia & ſeruos, vt poſſent colere quod acceperant, ne per inopiam hominum, vel per ſenectutem poſſidentium desererentur rura vicina Barbariæ, quod turpiſſimum ille ducebat.* Vbi obſeruanda conditio, quæ non ſolita apponi in deducendis coloniis. Eſt igitur hæc ſpecies quædam FEVDI. Sane ſimilis lex erat fundorum conſtituendorum, vt qui prædium acciperet, danti fidem & militiæ ferme munus exhiberet. De eodem eſt ſecundo quod Vopiſcus *de Probo* narrat *cap. 17.* VETERANIS *omnia illa quæ anguſte adeuntur* [Iſauriæ] *loca priuata donauit, addens, vt eorum filii ab anno octauodecimo, mares duntaxat ad militiam mitterentur, ne ante latrocinari quam militare diſcerent.* Vbi *loca quæ Anguſte adeuntur*, ſunt loca, vbi ſunt fauces montium, Græci *πύλας*: poſterior Ætas *Cluſuras* dixit: Etiam Græci *κλεισούρας*. (a) De eodem eſt & hic Tertius Anonymi Scriptoris, qui ſubditus eſt *Notitia Imperii* locus, *cap. 5. Huiuſmodi igitur* PROVISIONIS *vtilitas in augmentum Prouincialium habet,* VETERANOS *Regiis donis opulentos, & ad colendos agros adhuc præualentes agricolas: Habitabunt limites Arabum quæ dudum defenderant loca, & laborum deſiderio potius erunt ex milite collatores.* Denique de eodem eſt Quartus *Theodoſ. Nouella* locus *de ambitu & locis limitaneis inibi redhibendis 31.* vnde deſumpta *lex vlt. Cod. Iuſt. de fundis limitroph. Agros etiam Limitaneos vniuerſos cum paludibus, omnique iure, quos ex priſca diſpoſitione Limitanei Milites ab omni munere vacuos ipſi curare pro ſuo compendio, atque arare conſueuerant, et ſi in præſenti coluntur, ab his firmiter ac ſine vllo concuſſionis grauamine detineri: & ſi ab aliis poſſideantur, cuiuslibet ſpatii temporis præſcriptione ceſſante ab vniuerſis detentatoribus vindicatos hiſdem militibus ſine vllo prorſus,* ſicut

(a) Hæc noſter Cl. Caſaubono ad *l. c.* Vopiſci *in Prob.* debet. Plura videbis apud du Freſne *Gloſſar.* voc. *Clauſura.*

ficut Antiqvitvs *statutum est*, *collationis onere volumus adsignari*, *&c.* Tam Veteranis igitur quam Militibus huiusmodi Terræ limitaneæ concedebantur: & Humana Provisione; quia videlicet hac ratione, neque alia temere melius Limitis tuitioni prospicitur. Hvmana rursum, quia & Veteranos hoc quasi Fevdi beneficiique genere pensati, post exsudatos militiæ labores, humanum visum fuit: Et quidem inter alios *Gentiles*, qui scilicet e Barbaris vltro ad Romanos transibant, atque operam suam militiæ, laribus suis relictis, præstabant: quos hac ratione retineri humanum visum fuit. Et vero de his Gentilibus nominatim est hæc *lex*, non de militibus Romanis seu prouincialibus, vt alia loca: nisi quod *fine leg.* subiicitur *ad veteranos*. Gentiles ist., quinam fuerint, prolixius ostendi ad *l. vn. sup. de nuptiis Gentilium*. Cæterum Gentiles hi per varias Imperii Romani partes seu Prouincias dispersi fuerant, atque adeo per varios Imperii Limites, veluti per Gallias, vt docet *Breuiarium* Theodosii siue *Notitia Imperii fol. 179.* Itemque per Africam. Et vero de his Africæ Gentilibus hæc *lex* nostra est accipienda, vt & *lex 62. inf. de appellationib.* Quinimo & quantum conicio, *lex vn. sup. de nuptiis Gentilium*. Quæ de Gentilibus dici, eadem & de *Latis* dicenda sunt. Nam & quid inter hos & illos intersit, nondum video: *Lati* quippe erant, qui ex gentibus Barbaris, sponte sequentes Romanam felicitatem, in solum Romanum transibant, quibusque terræ quoque desertæ excolendæ dabantur, de quibus erit dicendi locus plenior ad *l. 10. 12. inf. de Veteranis*; & *l. 9. inf. de censitoribus*. Ac nominatim quæ terræ eis dabantur excolendæ, *Latica* dicebantur, vt ostendit *d. lex 9.* Et breuiter *Lati* illi non alii sunt, quam Liti siue *Lidi*, & *Leodes*, atque adeo vasallorum & hominum genus militiæ adstrictum.

Vt ad *legem* nostram redeamus; Sententia *legis* hæc est: Terrarum spatia, seu Terras limitaneas, quæ Gentilibus *propter curam & munitionem Limitis & fossati* concessa sunt, neminem possidere posse, nisi sub eodem onere vel opere: Et ideo etiam non gentilem earum possessorem, eidem subiacere, quamlibet iustum earum possessorem. Eo renuente, has Terras ad Gentilem, a quo recesserant, retrahendas: Si reperiri non possit, ad Veteranos, sub eodem semper Fossati & Limitis onere transferendas. Res videlicet cum suo ho[..] onere semper ambulabat. A qua sententia non multum recedit mens Theodosii, loco quem superius laudaui. Sic sane & *Castellorum territoria* nonnisi a Castellanis militibus possideri poterunt, *l. 2. prox.* seu *l. 2. Cod. Iust. de fundis limitrophis*. Hæc proinde iam prima lex [..] conditio huiusmodi beneficiis terrisque adnexa erat; puta curæ & munitionis seu defensionis Li-
P.395 mitis & Fossati.

De *Fossato* igitur & *Limite* nunc videndum est. Imperium Romanum alibi limitibus a natura positis claudebatur, veluti mari, fluminibus, montibus, quin & terris desertis, vt testatur Herodianus *lib. 2. cap. 2. 9.* & inprimis *cap. 11. eod. lib.* alibi vero arte constructis, seu χειροποιητοῖς. Huius generis sunt Castra, Castella, Turres, Burgi: aliaque id genus, quæ *Limitis* appellatione *h. l.* veniunt. Quomodo & Spartianus in *Hadriano cap. 12.* *Per ea tempora*, inquit, *& alias frequenter in pluribus locis, in quibus Barbari non fluminibus, sed limitibus diuiduntur, stipitibus magnis, in modum muralis sepis funditus iactis atque connexis, Barbaros, separauit.* Limitis igitur appellatione veniunt χειροποιητὰ omnia manu facta, *Laborata* vel *labrata* ea posterius hoc æuo dicta: Gloss. Nom. λάμβρατον, ἐκ τῦ λαβοράτου καὶ κατὰ συγκοπὴν λαβράτον, τῦτ' ἔστιν ὁ εἰργασμένος καὶ χειροποίητος ὅρος. Io. Pediasimus Bulgariæ Chartophylax in libello manuscripto περὶ γεωδαισίας. quem produxit Cl. Salmasius in not. ad Vopisci *Probum cap. 23.* ἐν ταῖς τῶν χωραφίων ἀρχαῖς διωθαμὸν πέτρας ἐξείας ἢ τάφρους ἢ λάβρατα τιθέναι ὡς ὅρια. (a) Et sane ita quoque Aggenus *de limit. agror. pag. 46. edit. Goes. Limes est quodcumque in agro opera manuum factum est, ad obseruationem finium.* Et tamen ab eo separatur *h. l. Fossatum*. Quomodo & Pediasimus *superiore loco* separat. Herodianus *lib. 2. cap. 11.* de Augusto verba faciens, *Fossas* a Limitibus pariter separauit. ποταμῶν τε μεγέθεσι καὶ τάφρων ἢ ὀρῶν προβλήμασιν, ἐρήμῳ τε γῇ καὶ δυσβάτῳ φράξας τὴν ἀρχὴν ὠχύρωσε. *Fluuiorum magnitudine atque fossarum, montibusque asperrimis, desertisque locis atque imperuiis circumseptos imperii limites muniuit.* *Fossatum* autem nihil aliud est quam *Fossa*: quomodo & *Sudatum* pro vallo sudibus concluso, apud Vegetium *& alios*: (b) Apud Marcellum Empiricum, *In fossatis*, inquit, *sepium requires.* Capitolinus qui sub Constantino M. scripsit in *Gordiano Tertio cap. 28.* de Misitheo Præfecto prætorio, *Castra omnia fossato circuibat.* Vbi *circuire*, non est *circumire*, (quod cum crederent Viri Docti Casaubonus atque Salmasius eum locum emendare sustinuerunt) verum circummunire & circumdare. Modestinus quoque IC. eo ipso tempore *in l. 3. §. 4. D. de re militari*. *Is qui exploratione emanet, hostibus insistentibus, aut qui a fossato recedit, capite puniendus est. §. 5. Qui stationis munus relinquit, plus quam emansor est: Itaque pro modo delicti aut castigatur, aut gradu militiæ deiicitur.* Vbi *fossatum* Modestinus non dixit pro *castris*, sed pro *fossa*, quæ circum castra: Galli nos vocamus *Tranchées*: in Glossario quoque veteri τάφρος *fossa, sepes, fossatum*: Suidas φοσσάτον τὸ φοσσάτον. Apud Scriptores Limitum Augustos Latinum & Myrsontium *pag. 254. edit. Wil. Goes. Aliquibus locis, pro Terminis, monumenta, sepulchraue Veteranorum constituimus; in sequentibus lineis fossatos, quos Augusteos appellamus.* Item in expositione terminorum per diuersas prouincias positorum, *pag. 267. ed. cit. fossatum detisum paruum in fine pro Termino posuimus* & de casis liter. *pag. 243. ed. cit. fossatum, qui Riuus interpretatur.* Eadem vox etiam occurrit apud Plinium, *lib. 17. cap. 21.* & apud Vegetium, *lib. 4. cap. 16.* Fossati meminit & Chrysostomus, *homil. [..] ad Ephesios in ἠθικῷ in fine pag. 1191. edit. Commelin.* ὅτι ὁ παρὼν βίος ὁδός τις ἐστὶ, καὶ στρατία, καὶ ὡς ἄν εἴποι τις τὸ λεγόμενον παρ' αὐτοῖς φοσσάτον, οὐ ζητήσει οἰκοδομὰς λαμπράς. *quod præsens vita sit quædam via, & vt ita dixerim, quod ab eis appellatur fossatum, non quæret splendida ædificia.* Ab his fossatis ipsa Castra *fossata* dici cœperunt: quia Castra fermo fossa cingebantur. Itaque iam & pro exercitu *fossatum*: Adi Leonem

(a) Imagines regias passim λάβρατα vocarunt græci recentiores, qua de re differit late laudatus Salmasius *loco allegato*, & Cl. Meursius in *Glossar. voc.* λάβρατον, qui tamen *laureatam* sibi imaginem fingebat. Sed est imago imperatoris, quæ *labratis osculis* excipi solebat olim atque adorari. Postea vox de quouis simulacro & effigie usurpata, & inde id, quod hermulas, quæ pro termino erant agris finiendis λάβρατα vocauerint.

(b) Vide loca apud Meursium *in Glossar. voc.* σοῦδα. Pertinet huc elegans Marcellini locus *lib. 31. cap. 12. Vbi vallo sudibus fossaque firmato, Gratianum impatienter opperiens, Richomerem comitem domesticorum suscepit.* Adde Car. du Fresne *Glossar. voc. Suda.*

nem *in Tactic. cap.* u. §. 1. ſcribentem, Κυρίως γὰρ τὸ Φοσσάτον τὸ ἄπληκτρον τοῦ ὅλου στρατοῦ καλεῖται. Vid. etiam Suidas voc. Φοσάτον. Moſchopulus, Φοσσάτον, ὁ στρατός. Baſilius *de exercitat. Grammat.* Φοσσάτον ὁ στρατὸς, καὶ τὰ ὅμοια. Achmes *cap.* 300. Gloſſæ Nom. Φόσσα ἐστὶ δοχεῖον ὕδατος χειροποιητόν. Ἐξ οὗ καὶ Φοσσάτον ὀφείλει καλεῖν, μεθ' ὃ τὸ στρατόπεδον εἰς τὴν τῶν πολεμίων γῆν εἰσελθὸν ἄρξεται ποιεῖν τάφρον, ἤτοι παρεμβολὴν, ἤγουν κάστρον, τουτέστι Φόσσαν. Item κάστρον ἤτοι Φοσσάτον. (a)

Et hactenus quidem de prima conditione harum Terrarum Limitanearum, beneficio Principum ex antiquo conceſſarum: puta de lege *ſeruitii*. Ex quo & aliæ conditiones ſequebantur.

Altera ſcilicet conditio hæc erat, quod ad alios priuatos transferri non poterant, niſi ſub eadem ſeruitii lege, *hac l.* & *l. prox.* & *d. Nouel. Theod.* ſeu *l. 3. Cod. Iuſt. de fundis limitrophis*: & *Nouell.* Conſtantini Porphyrogen. *de milit. fundis pag. 255. edit. Meurſii.*

Poſtrema conditio, quod ad filios maſculos & hæredes non tranſirent, niſi militarent: vt ex ſuperiore Lampridii quoque loco & altero Vopiſci diſcimus. Quæ pleraque ad Feudorum naturam proxime accedunt.

Atque vt hæ conditiones horum beneficiorum ſeu Terrarum Limitanearum fuerunt; vnde etiam apparet non pleno, proprioque iure militum eas fuiſſe; ita retro, ab omni munere immunes liberæque erant, *d. Nou. Theodoſ.* ſeu *d. l. vlt. Cod. Iuſt. de fundis limitrophis*: atque hoc ſenſu, optimo iure Militum & Veteranorum erant: atque in eo *Allodiis* ſimiles erant huiuſmodi Terræ, ſeu prædia, quæ ſane ab omni conſuetudine ſiue exactione cenſuque quieta ſunt, ſaluo tantum iure Protectionis, ſupremæ Iuriſdictionis & Diſtrictus: In eo tamen diſſimilia, quod *Allodium*, hæreditarium prædium ſit, quod vendere & donare licet, vt rem iure hæreditario propriam, in proprietatem & patrimonium datam, vt γενεαρχικὰ, & hæreditates auiaticas; & ſic ex integro ad aliquem pertinet: Illæ vero Terræ Limitrophæ nec ad omnes, vt dictum eſt, nec niſi cum oneribus ſeu conditionibus hactenus enunciatis transferri poterant.

Cæterum pertinet omnino hæc lex ad Africam tuendam ab Attalo Tyranno, quod *fine legis*, his verbis indicatur, *vt hac prouiſione* inquit *ſeruata*, *Foſſati Limitiſque nulla in parte timoris eſſe poſſit ſuſpicio.* Timoris inquit, ſuſpicio: Nempe Attalus Tyrannus Africæ potiundæ ſpe exercitum hoc Anno in Africam miſit, tanto terrore Honorio Imp. iniecto, vt is ex huius expeditionis euentu, ſi Attalo feliciter cederet, Imperiu decedere atque in Orientem confugere in animum induceret, nauibus ad hoc iam paratis; quod Sozomenus reſtatur *lib. 9. cap. 9.* & Zoſimus, *lib. 6. cap. 8.* tanto timoris ſuſpicio fuit: Verum profligato mox exercitu Attali, & acrior ob Heracliano Comite Africæ portuum & litorum Africæ cuſtodia habita, quod Zoſimus *lib. 6. cap. 9.* prodit: adde, & ex *hac lege*, terrorum quarumcunque Limitanearum: Sic vt Africa in deuotione ergo Honorium perſtiterit, quo pertinet *lex 6. inf. de indulg. debitor.*

Gaudentio poſtremum Vicario Africæ *hanc leg.* inſcribi notandum eſt. Gaudentius hic ante octennium Comes Africæ dicitur A. D. 401. in *l. 3. inf de equorum conlat.* Et videri poſſit quoque *legis* argumentum (militare videlicet) ſuadere hic reponendum *V. C. Comiti Africæ.* Verum nil temere muto; nam hoc tempore Heraclianus erat Comes Africæ & ad Vicarios Africæ militares conſtitutiones quoque directæ: vt docet vel hoc ipſo Anno mox *lex 9. ſup. de metatis.* Et ſane huic Gaudentio Vicario Africæ ſuccedit mox Sapidianus, cui ea *lex 9* inſcribitur: Hic autem eſt Gaudentius, Aetii pater, vt Zoſimus teſtatur *lib. 5. cap. 36.* De quo etiam Renatus Frigeridus apud Gregorium Turonenſem *lib. 2. cap. 8.* & Proſper *Chronicorum lib. 1.* Gaudentio huic cognominis nepos fuit Aetii filius, quem *paruum Gaudentium* vocat Sidonius *carm. 5. v. 206.* eiuſdemque in Africam, vrbe a Genſerico capta abducti meminit Idacius *Chronico.*

(a) Pleraque ante noſtrum Meurſius *in Gloſſar. voc.* φοσσάτον iam collegerat. Vide etiam Car. du Freſne *in Gloſſar. vtroque* & Cl. Fabrottum *in Gloſſar. ad Cedrenum.*

P.396 II. (a) Idem AA. Aſclepiodoto PF, P, & Conſ. Ordinario. (b)

QVICVNQVE Caſtellorum loca (c) quocunque titulo poſſident, cedant ac deferant: quia ab (d) his tantum fas eſt poſſideri Caſtellorum territoria, quibus adſcribta ſunt, & de quibus iudicauit antiquitas. (e) Quod ſi vlterius vel priuatæ (f) condicionis quiſpiam in his locis, vel non Caſtellanus miles fuerit detentator inuentus, capitali ſententia cum bonorum publicatione plectatur. Dat. Non. (g) Mart. Conſtantinop. Aſclepiodoto & Mariniano CONSS. [423.]

N O T A E.

(a) *Lex 2. Cod. Iuſt. de fundis limitrophis, & terris & paludibus & paſcuis limitaneis vel Caſtellorum.* GOTHOFR.

(b) Dixi *in Proſopograph.* IDEM.

(c) *Loca*, inf. mox *territoria.* IDEM.

(d) *Quia his tantum fas eſt poſſidere.* Ita Iuſtinianus. IDEM.

(e) Quæ antiquorum humana fuerant prouiſione conceſſa. Item; illi quos huic operi antiquitas deputarat: *l. 1. ſup.* ex priſca diſpoſitione, *Nouella Theodoſii 31.* Græci ἀφωρισθὲν ἐξ ἀρχῆς. IDEM.

(f) *Priuatæ conditionis* homines, militibus opponuntur; vid. *Gloſſ.* IDEM.

(g) V. *Non. Mart.* Cod. Iuſt. IDEM.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

CASTELLORVM loca, siue territoria, Castellis videlicet adnexa, soli Castellani milites, non priuati, aut etiam generis alterius milites possidere possunt (quemadmodum Gentiles terrarum spatia fossato & limiti proxima) Igitur tenendum limitaneas terras loco seu castello proximas, solos limitaneos milites, solos Castellanos, cui defendendo constituti sunt, possidere posse, *h. l.* & *l. prox. sup.* De Castellis limitaneis seu in limite constitutis, res nota est, quæ Græcis quoque Φρύρια, quorum mentio quoque fit *l. 13. inf. de desertoribus.* Duos præterea tantum locos *hic* adscribam: Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 2. Valentinianus,* inquit, *Rhenum omnem a Rhetiarum exordio, vsque ad fretalem Oceanum, magnis molibus communiebat, castra extollens altius & CASTELLA: Turresque adsiduas per habiles locos & opportunos, qua Galliarum extenditur longitudo.* Procopius *de ædificiis Iustiniani, lib. 2. c. 5.* πυργοκαςέλλον αὐτῶν ἕκαςον εἶναι καὶ καλεῖσθαι πεποίηκεν. καςέλλας γὰρ τὰ Φρύρια τῇ Ρωμαίων καλοῦσι φωνῇ. *Vt vnaquaque* (turris) *dicatur & vere sit Pyrgocastellum fecit. Etenim quæ græci* Φρύρια *ea Latini Castella vocant.* Quid autem inter *Castra,* & *Castella,* intersit? vel solo nominis indicio liquet: quæ tamen perperam plerique confundunt. De *Castris* iam aliquid dictum est ad *l. 15. 30. sup. de erogat. militar. annona:* vt a Castris *Castriciani* dicti (de quibus dictum est *l. vlt. sup. de re militari*) ita a Castellis, Castellani: vtrique Limitanei, quemadmodum & Ripenses. Castellanorum mentio fit quoque apud Hirtium *de bello Alexandrino c. 42. Castella,* inquit, *complura locis editis posita, quorum opportunitas Castellanos impellebat ad decursiones faciendas & bellum inferendum, expugnauit.* De iisdem intellexit Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 2. Excitauit,* inquit, *hic ardor milites, per municipia plurima quæ iisdem* [Isauris] *conterminant, dispositos & Castella.* *Priuatæ conditionis* homines qui *h. l.* dicuntur, sunt priuati, id est, non militantes: Quo etiam sensu *priuatorum* vox accipitur, & militantibus opponitur in *l. vn. sup. de officio Iudicum militar. in l. 5. sup. de testamentis, l. 2. inf. de falsa moneta: l. 2.* & *3. inf. de sicariis: l. 21. inf. de pœnis: l. 3. inf. de immunitate concessa.* (Ambrosius *in passione Agnetis: Coronatur ciuitas tota, fit lætitia militantibus atque priuatis.*) Vt apud Græcos σχῆμα ςρατιωτικὸν καὶ ἰδιωτικὸν opponuntur. Eodemque prorsus sensu Lampridius vsurpauit in hoc eodem terrarum Limitanearum argumento, priuatorum appellationem loco quem iam quoque ad superiorem *legem* laudaui: *Sola, quæ de hostibus capta sunt, Limitaneis Ducibus & Militibus donauit, ita vt nec vnquam ad priuatos pertinerent.* Quæ ipsa est huius legis sententia.

DE LITORVM ET ITINERVM CVSTODIA.

TITVLVS XVI.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XLV. *Des Guets qui se font sur la coste de mer, De la Garde des portes, & haures.*

P. 357 *A* STILICHONE *perniciosa quædam custodia in Occidentalis Imperii limite instituta, ab Honorio aboletur.*

I. (a) Impp. HONORIUS & Theodosius AA. Theodoro PF. P. (b)

HOSTIS (c) publicus *Stilicho* (d) nouum adque insolitum repererat, vt litora & portus crebris vallaret excubiis, ne cuiquam ex Oriente ad hanc (e) Imperii Partem pateret accessus: Huius iniquitate rei moti, & ne rarior fit diuersarum mercium commeatus, præcipimus hac sanctione, Vt litorum desistat ac portuum perniciosa custodia, & eundi ac redeundi libera sit facultas. Data IV. Id. Decemb. Rau. Basso & Philippo CONSS. [408.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Codice Iustinianeo,* quia ad iuris perpetui causam non pertinet, sed ad horum temporum Historiam spectat. Cæterum *huic* iungendæ sunt duæ præterea *leges:* puta *lex vlt. sup. de postliminio,* & *lex 25. inf. de petitionibus.* GOTHOFRED.

(b) *Theodorus* sub Honorio PP. Italiæ scilicet: v. *Prosopogr.* ID.

(c) De *Hostibus publicis* dicam ad *l. 21. inf. de pœnis* (ita quoque Gildo *l. 7. sup. de metatis.*) Prædo publicus vocatur *l. 21. inf. de bon. proscript.* Ita Heraclianus *d. l. 21.* hostis publicus pariter dicitur. Et de hoc iam aliquid dixi ad *l. 1. sup. de re milit* IDEM.

(d) De *Stilichone* dicetur ad *legem 20. 21. 22. inf. de bonis proscriptorum:* vid. & *l. 18. sup. de Tyronibus.* Illud tantum

notandum, paucis ante hanc *legem* mensibus, Mense inquam Augusto interfectum hunc *Stilichonem*, de quo vide *Chronicon Theodos. ID.*

(c) Occidentalem scilicet quæ Honorio cesserat. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE perniciosa LITTORVM & PORTVVM per Imperium OCCIDENTALE custodia abroganda, est hæc Honorii *lex* : Perniciosa inquam, Litorum & portuum per Occidentalis Imperii limitem custodia a Stilichone instituta, per quam nulli ex Orientali Imperio in Occidentem, quem Gothi lacessebant, patebat accessus : quo etiam factum, rarior vt esset diuersarum Mercium commeatus; ab Honorio *hac lege* aboletur fine A.D. 408. quæ Honorianæ constitutionis prolixioris pars est, vna cum *l. vlt. sup. de postlim. l. 25. inf. de petitionibus*, quæque adeo *huic* coniungendæ veniunt. Qua constitutione id vnum agit Honorius, vti Barbaris iam orbem Rom. lacessentibus, communi inter Romanos commercio, communioni, communicationi, charitati denique Christianæ, & mutuo, sic vt dicam, compassiui consultum iret, quo sane duæ illæ *leges* aperte spectant: Imo & *Tertia* præterea, quam *huic* coniungendam pariter prorsus duco, *lex 3. Cod. Iust. de commerciis*: cuius eadem inscriptio est : quaque mercimonium exercere vrbibus perniciosum, prohibentur tria hominum genera, puta Nobiliores Natalibus, honorum luce conspicui (vbi Vir doctus superflue reponit, *Conspicuiores*) quomodo parens meus S. M. hic recte explicat; Magistratu fungentes, vel functi, (quam interpretationem ad vocem *ditiores*, quidam referunt & calumniantur) & patrimonio ditiores : pariter vt perniciosa custodia qua mercimonium seu commercium impediebatur, *h. l.* tollitur : & perniciosa in seruitute retentio ingenuorum hominum, *d. l. vlt.* & *d. l. 25.* In hanc legem paulo accuratius inquirendum est. Et primo quidem de Stilichone isto videndum.

STILICHO (de quo dicam plenius adhuc ad *legem 20. 21. 22. inf. de bonis proscriptorum:*) Honorii Imp. socer, spreto Honorio Imperium ipse inhians, filiumque suum *Eucherium* Cæsarem cupiens, Barbaras Gentes in Imperium Honorii concitauit, quasi hac occasione Imperium sibi suoque generi quæsiturus : Hinc adeo in Illyricum Occidentale & Italiam, Galliasque impetu facto, Barbari immissi: de quo etiam fidem faciunt *d. l. vlt.* & *d. l. 25.* (quas *huic* coniungendas dixi,) Sed & Orosius, *lib. 7. cap. 35. 40.* & ex eo Paulus Diaconus, *lib. 13. pag. 91. Tom. I. Script. Rer. Ital.* Marcellinus *in Chronico*, Socrates *lib. 7. cap. 10.* Sozomenus, *lib. 9. cap. 4.* Rutil. Numatianus, *Itinerarii sui lib. 2. v. 41. seqq.*

Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum,
Proditor Arcani qui fuit Imperii.
Romano generi dum nititur esse superstes,
Crudelis summis miscuit ima furor:
Dumque timet, quidquid se fecerat ipse timeri,
Immisit Latiæ Barbara tela neci.
Visceribus nudis armatum condidit hostem,
Illata cladis liberiore DOLO:
Ipsa Satellitibus pellitis Roma patebat:
Et captiua prius, quam caperetur, erat.
Nec tantum Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremauit opis.

Quanquam Gentiles Scriptores alii, eum crimine liberent, vt Zosimus *lib. 5. c. 34.* & Olympiodorus *apud Photium* & *Tom. I. Script. Rer. Ital. pag. 145.* & de Neotericis nonnemo. Sed & Zosimus & Sozomenus *locis superius laudatis* satis indicant, Stilichonem hoc egisse, vt inter Imperium Orientale, & Occidentale commercium abrumperetur, & ἀπρόσβατον Orientali Occidentem faceret : Imo hoc egisse, vt Illyricum Orientis Imperio detractum, Occidentis Imperio ingereretur : videsis *eos* & *l. vlt. inf. de equor. collat.* & *l. 49. de oper. public.* Et vero id quoque *hæc lex nostra* manifestissime ostendit: eo nempe fine a Stilichone Litorum & Portuum custodes crebri constituti fuerant per Occidentem, qua Orienti conterminabat, id est, per Illyricum (quæ vna erat ex Diœcesibus tribus Præfecturæ Prætorianæ Italiæ, quamque gerebat hoc tempore Theodorus, cui hæc *lex* inscribitur) ne videlicet cuiquam ex Oriente in Imperium Orientis ex Imperio Occidentali pateret accessus: qua re noua, insolita, iniqua, perniciosa, commercium, vti dixi, inter Imperium Orientale & Occidentale abruptum fuit. Et vero etiam factum, vt copiæ auxiliares, quæ πρὸς συμμαχίαν ex Oriente expectabantur, eo superstite non venerint, sed mortuo p. 398
demum, vt testatur Zosimus *lib. 6. cap. 8.* ac nominatim Mercium variarum commercium abruptum fuerit, quæ ex Oriente, & speciatim ex Syria in Occidentem comportabantur : Itaque cæso Stilichone (quatuor ante hanc *legem* latam ferme mensibus) Augusto mense Rauennæ (vnde hæc *lex* data est) de quo alibi, abolitum *hac l.* istud Stilichonis institutum ab Honorio fuit: Commeandi nempe, atque adeo commercii iure, inter vtrumque Imperium, restituto: sane regulariter cum inter Imperatores Orientis & Occidentis bene conueniebat, nulla in medio vtriusque Imperii talis custodia erat. Quod Libanius nominatim *in Βασιλικῷ, p. 145. edit. Morell.* de Constantio & Constante tradit : τὸν δὲ χῶρον ἐν ᾧ τὰ τῶν βασιλέων τμήματα συγκεράννυται, οὐ στρατοπέδων φρουρεῖ καθέδρα συνεχὴς, ἀλλ' ἄδολος πίστεως ἰσχὺς ἀκίνητος. *Et locum in quo regum res rationesque seiunctæ commiscentur, non continua exercituum residentia custodit, sed fides non fraudulenta robur inconcussum.* Cæterum inanis est Viri docti coniectura, qui Claudiani illa, *2. in laudem Stilichonis v. 301.*

- - - - - Quæcunque profana
Pagina de primo venisset limite Phœbi,
Ante fretum deleta mihi:

ad hanc perniciosam litorum custodiam a Stilichone factam trahit: cum locus ille apertissime ad laudes Stilichonis pertineat, qui ante nouem ferme annos, A. 399. id egerat, ne Eutropii Eunuchi Consulis creati nuncius seu literæ ex Oriente in Occidentem & Italiam perferrentur, vel vulgarentur. Certe eiusdem error est, verum immemoriæ iam, quod *l. 19. de paganis hoc Codice* Eucherium filium Stilichonis *hominem paganum* dici scribit, mox & eum locum emendat. Nihil enim tale ibi occurrit. Verum quidem in genere ad litorum custodiam locum illum pertinere, etsi non ad eundem finem : pariter vt ista Claudiani referas *eodem lib. 2. v. 209.*

- - Cingunt Superi concordibus vnum
Præsidium hostesque tuos aut LITORE *produnt,*
Aut totum oppositi claudunt fugientibus æquor.

ORIEN-

ORIENTALIS *Limitis, qua Occidentali conterminat, custodia a Theodosio Iuniore instituitur.*

II. (a) Idem AA. Anthemio PF. P.

OMNES Stationes (b) nauium, portus, litora, omnes abscessus (c) prouinciarum, abdita quin etiam loca, & Insulæ Tuæ Magnificentiæ dispositione solerti custodiantur indagine, vt nullus vel vi, vel clam, vel aperto, vel etiam occulto nostri possit Imperii (d) Regiones inrepere, qui non aut interiectis prohibeatur obicibus, aut cum accesserit, ilico teneatur, nisi sacros apices (e) a Domino Patruo meo Honorio (f) ad me perferre apertissima ratione monstrauerit: Cum eadem diligentia obseruando, vt si ad alium quemquam a memorato Principe dixerit habere affatus, petitore (g) detento Sacræ Literæ cum omnibus chartis signatæ ad Meam Clementiam transmittantur: hoc enim & Tyrannici (h) furoris, & Barbaricæ (i) feritatis occasio persuadet, & inter me Dominumque & Patruum meum Honorium, vicissim recurrente admonitione, conuenit. Dat. VIII. Kalendas Maii, Constantinop. Varane V.C. CONS. [410.]

NOTAE.

(a) Huic *legi* iungenda omnino *lex 4. Cod. Iust. de commerciis.* GOTHOFR. Aliter in *Chronologia* noster. Etenim non existimat legem 4. *Cod. Iust.* coniungendam esse cum hac nostra; quod & mihi videtur, & videbunt etiam, quibus placet leges inter se conferre. RITTER.

(b) De *stationibus hic nauium*, vide & *l. vn. inf. de lusoriis*: & *l. 8. inf. de Nauicular.* vbi pariter hæc tria coniunguntur, *portus, litora, stationes. Stationes*, Ce sont *Rades*: *litora*, ce sont les *Costes ou falaises*: *portus*, sont *haures.* Isidorus quoque ita maris accessus diuidit, in *stationes, portas, & litora. Origin. lib. 14. c. 8.* Cæsar quoque *lib. 3. de bell. ciuili c. 8. A Salonis ad Orici portum stationes litoraque omnia longe lateque classibus occupauit.* De Statione Virgil. *Æn. 2. v. 23.*

- - - - - *Sinus, & statio male fida carinis.* GOTHOFR.

(c) Putaret aliquis reponendum *accessus*: Sed *abscessus* rectum est. *Abcessus* sunt abdita loca & recessus. *ID.*

(d) Orientalis. *IDEM.*

(e) Id est. Principis Epistolas siue literas. Mox *affatus*: item *Sacræ literæ. ID.*

(f) *Honorii* nomen *h. l.* his in textum irrepsisse quis putet: non ego: Nam & ita similiter Imperatorum nomina legibus ipsis inexta in *l. 10. sup. de Pratoribus*: *in l. 21. sup. de Palatinis S. Largit.* Et in Epistola Constantii Cæsaris *apud Eumeniam Rhetorem pro restaur. schol. cap. 14.* IDEM.

(g) *vr. Portitore*, vide *l. vn. sup. si certum petatur de chirographis*, & *l. 7. inf. de executoribus.* Et *Interpretem Sidonii. lib. 3. ep. 5.* & la ius *lib. 6. ep. 4. ID.*

(h) *Attalum* intelligit, de quo accipienda pariter est *lex n. 12. seu vlt. inf. de indulgentiis criminum*, & *l. 5. inf. de indulgentiis criminum* hoc ipso anno datæ. De quo & eius exitu videndus est Orosius, *lib. 7. cap. 42.* Olympiodorus *apud Photium & Tom. I. Script. Rer. Ital. pag. 146.* Socrates *lib. 7. c. 10.* Sozomenus *lib. 9. c. 8. 9.* & Prosper *in Chronico.* Et similes forte in Occidente Tyrannos, qualis Constantinus in Gallia. *IDEM.*

(i) Intelligit Gothos, eorumque Regem Alaricum & similes Barbaros. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE LITORVM, & PORTVVM, aliorumque locorum limitaneorum per ORIENTALIS Imperii limitem custodia instituenda, est hæc *lex*: vt *superior* ad Occidentem spectat. Altera inter *hanc* & *superiorem* differentia est, quod *superiori lege* perniciosa litorum custodia aboletur: *hac* vero salutaris Reipublicæ instituitur. ORIENTALIS scilicet Imperii stationes, litora, portus, abdita quæque loca, & insulas, Theodosius Iunior *h. l.* A. D. 410. custodiri iubet: propter grassantes videlicet tum in Occidentali Imperio Tyrannos, Attalum in Vrbe Roma (Constantinum in Galliis)
199 & Barbaros, tam in Illyrico, Italia, quam in Galliis, & Hispania, Scythas, Gothos, Vandalos, Alanos, FRANCOS, Burgundiones. Idque ex ipsiusmet Theodosii cum Honorio conuentione: Qui & idem Curiosos per Dalmatiæ litora, & insulas ex hac, vt puto conuentione, constituerat, quos sustulit postea Anno 413. *l. vlt. sup. de Curiosis*, quæ ex in hunc quoque *titulum* recte referri poterit. Hac videlicet ratione, ne ad Orientem quoque furor ille transiret. Proinde nullum ex Occidentis Imperio venientem admitti vult Theodosius *h. l.* nisi Honorii in Occidente Imperatoris litteris munitum: adeo quidem, vt si quas portitor, seu gerulus literas habeat, ad priuatas quasdam Imperii Orientalis personas, eas literas consignatas ad se transmitti velit Theodosius: scilicet quia interdum vbi recta via legatio mitti non potest, mittuntur exploratores, qui priuati negotii specie, legationem tegunt: quales sunt Mercatores. Exemplum sane huius technæ *in Hannibale* apud Appianum, apud Plutarchum *in Pelopida.* Aliud etiam exemplum apud Salustium *in Iugurtha cap. 38.* Imo sicut Theodosius Iun. hac constitutione Orientalem limitem, seu Imperium suum Orientis, ab Occidentalibus exploratoribus munitum iuit: ita & ab altera parte quoque a Persarum, quamlibet fœdere hoc tempore cum his inito, exploratoribus: *lege 4. Cod. Iust. de commerciis & mercatoribus*, quæ etsi

die & Consule careat, attamen eidem *Anthemio* PP. inscripta, huic proculdubio coniungenda venit, non tantum inscriptione, verum etiam argumenti paritate suadente. Ea sic habet:

Impp. HONOR. THEOD. Augusti, Anthemio Præfecto Prætorio.

MERCATORES, *tam Imperio nostro, quam Persarum Regi subiectos, vltra ea loca, in* [de] *quibus fœderis tempore cum memorata natione nobis conuenit, Nundinas exercere minime oportet, ne alieni Regni (quod non conuenit) scrutentur arcana. Nullus igitur posthac Imperio nostro subiectus vltra Nisibin* [in Mesopotamia] *Callinicum* [in Osroëna] *& Artaxatam emendi seu vendendi species causa proficisci audeat, nec præter memoratas ciuitates cum Persa merces existimet commutandas; sciente vtroque qui contrahit, & species quæ præter hæc loca fuerint venundatæ, vel comparatæ, sacro Ærario nostro vindicandas, & præter earum reum ac pretii amissionem, quod fuerit numeratum, vel commutatum, exilii se pœnæ sempiternæ subdendum. Non defutura contra Iudices eorumque Apparitores, per singulos contractus, qui extra memorata loca fuerint agitati, triginta librarum auri condemnatione, per quorum limitem ad inhibita loca mercandi gratia Romanus vel Persa commeauerint: Exceptis videlicet his, qui Legatorum Persarum quolibet tempore ad nostram Clementiam mittendorum iter comitati, merces duxerint commutandas: quibus humanitatis & legationis intuitu extra præfinita etiam loca mercandi copiam non negamus: Nisi sub specie legationis diutius in qualibet prouincia residentes, nec Legati reditum ad propria comitentur: Hos enim mercaturæ insistentes, non immerito vna cum his, cum quibus contraxerint, seu resederint, pœna huius sanctionis consequetur.*

Interim in *h.c l.* & *l. 1. sup.* custodum portubus adponendorum morem obserua, inhibendo commercio, tum mercium, tum personarum. Ita quoque Capitolinus *in Maximinis cap. 23.* memorat portuum custodes, ad quos vt & ad omnes prouincias Senatus litteras miserat, Maximino Aquileiam cingente, ne aliquid commeatuum in Maximini potestatem veniret, &c.

MERCIBVS & MERCATORIBVS *obseruandis, litorum & portuum custodes a Theodosio Iuniore instituti.*

III. (a) Idem AA. Eustathio PF. P.

SALVBERRIMA sanctione decreuimus, Ne merces inlicite (b) ad nationes Barbaras (c) deferantur: & quæcumque Naues ex quolibet portu seu litore demittuntur, (d) nullam concussionem vel damna sustineant, gestis (e) apud Defensorem (f) locorum, præsente Protectore (g) seu Duciano, (h) qui dispositus est, sub hac obseruatione confectis, vt & *Ad quas partes nauigaturi sunt*, & *Quod nullam concussionem pertulerunt*, apud acta deponant: quorum authenticum Nauclerus siue mercator habebit, forte (i) scheda*(k) apud Defensorem (l) manente. Dat. XIV. Kalend. Oct. Constantinop. Dn. Theodosio A. IX. & qui fuerit nuntiatus. [420.]

N O T A E.

(a) *Lex vnica Cod. Iust. eod. tit.* Et huic *legi* concordat *lex* 10. *sup. de Curiosis.* Sed & *lex* 10. *Cod. Iust. de ædificiis priuatis*, caussam huius *legis* indicare videtur. GOTHOFREDVS.

(b) An *inlicite* potius, vt in *Cod. Iust?* Hoc sustineri potest. *ID.*

(c) Persas in specie *huius leg. ID.*

(d) *Demissi naues* dicuntur, quæ e portu seu litore limitaneo emittuntur. *ID.*

(e) Cætera ita Tribonianus immutauit. *Ita tamen vt earum Naucleri deponant; in quam prouinciam ituri sunt, vt hoc manifestato, nulla contra eos postea indignatio seu concussio quoquo modo procedat. ID.*

P.400 (f) Vid. Paratitlon *sup. de Defensoribus. ID.*

(g) De *Protectoribus* dixi *suo Titulo.* His quandoque tuitio locorum committebatur, vt præter *hanc leg.* testatur *lex* 27. *de erogat. mil. ann. ID.*

(h) *Ducianus* est, Ducis limitis alicuius Officialis. *ID.*

(i) Quid hic *forte?* & vero abest a MS. *ID.*

(k) *Scheda* est (vt vel ex *h. l.* apparet) exemplar: &, vt vocamus, *Copia. ID.*

(l) Vide *sup. tit. de defensoribus ciuitatum. ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

MERCIAVS & MERCATORIAVS obseruandis, litorum & portuum custodes, siue Curiosi, puta Protectores (de quibus suo titulo) & Ducis limitis Officiales in limite Orientali, ne videlicet merces inlicitæ ad Nationes Barbaras deferrentur, hac quoque constitutione Theodosius Iun. dispooit; eorumque simul officium instruit A.D.420. propter Persas videlicet (vt equidem existimo) cum quibus per hæc tempora res fuit. De quo videndus vel Socrates *lib. 7. cap. 18. 19. 20.* vbi (quod *huic lege* respondet) etiam notat, Persici huius belli inter alia causam fuisse, quod Persæ *merces* Romanis mercatoribus abstulerant ὅτι τὰ φορτία τῶν ἐμπόρων Ῥωμαίων ἀφείλοντο. *Quod merces romanis mercatoribus abstulissent.* Quo etiam haud obscure pertinet *lex 12. Cod. Iust. de ædificiis priuatis:* quæ hoc ipso Anno data est, quaque in Prouinciis limitem Persicum respicientibus, quæ ibi ferme memorantur, permittitur *cunctis volentibus murali ambitu fundos proprios, seu loca dominii sui constituta vallare:* Repellendis videlicet, submouendisque Persis: Hoc ita duplici obice a Theodosio hoc tempore Persis opposito.

De *hac lege* nunc videamus. Ante hæc sane tempora inter Persas & Romanos commercium erat: destinatis quoque eam in rem certis locis & ciuitatibus, vt testatur *lex 4. Cod. Iust. de commerciis & Mercatoribus*, quam ad *l. superiorem* produxi, & tribus quidem, puta Nisibi, Callinico, Artaxata: imo & longe ante in *Itinerario* quoque *Peutingeriano* (quod quidem sub Constantio Imp. conscriptum puto) hæc verba occurrunt: *Persepolis, commercium Persarum.* Item *fines exercitus Syriaticæ & commercium Barbarorum. Callinici* sane meminit pariter Am. Marcellinus *lib. 23. cap. 3. Ventum est*, inquit, *ad Callinicum, munimentum robustum, & commercandi opimitate gratissimum.* Neque omitti oportet quod idem scribit *lib. 14. cap. 3.* quo loco de Nohodaris Persæ in Osdroenam impetu agit: *Batne*, inquit, *municipium in Anthemusia conditum, Macedonum manu priscorum, ab Euphrate flumine breui spatio disparatur, refertum mercatoribus opulentis: vbi annua solemnitate prope Septembris initium mensis, ad Nundinas magna promiscua fortuna conuenit multitudo, ad commercanda quæ Indi mittunt, & Seres, aliaque plurima vehi terra marique consueta. Hanc regionem præstituta celebritati diebus inuadere parans Dux antedictus*, &c. Scilicet fœderis quoque tempore & pacis, etsi cum Barbaris commercium esset, nonnisi certis tamen locis commercium erat; ea ratione qoam *dicta lex 4. Cod. Iust.* expresse cootinet, quamque etiam eleganter Themistius *Oratione 10. ed. Petav.* (quam habuit circa annum 370.) indicat, vbi duas tantum Ciuitates ad Schyticum commercium a Valente destinatas scribit, cum ante soluta & libera commercii potestas esset.

Verum ad merces prohibitas redeamus: Huius generis illicitæ merces, & ad Barbaras nationes transferri prohibitæ erant: vinum, oleum, liquamen, *l. 1. Cod. Iust. quæ res exportari non debeant.* Adde & *l. 8. Cod. eod. de vectigalibus & commissis.* Item ferrum factum, infectum, frumentum, sales, cos ferro subigendo necessaria, *l. 2. Cod. Iust. quæ res exportari:* & *l. 11. D. de publicanis & vectigalibus.* Vide & Herodianum in *Antonino, lib. 4. cap. 10.* Et Procopium *lib. 1. belli Persici cap. 19.* οὔτε σίδηρον, οὔτε ἄλλο τι τῶν ἐς ταῦτα ἐπιτηδείων Ἰνδοὶ ἢ Αἰθίοπες ἔχουσιν, οὐ μὴν οὐδὲ πρὸς Ῥωμαίων ὠνεῖσθαι τούτων τι οἷοί τέ εἰσι· νόμῳ ἅπασι διαῤῥήδην ἀπειρημένον· θάνατος γὰρ τῷ ἁλόντι ἡ ζημία ἐστί. *Ferri cæterarumque rerum ad Fabricam idonearum penuria laborant Indi atque Æthiopes, & ipsis eius generis merces a romanis emendi facultas erepta est lege patria, quæ sub pœna capitis id nominatim vetat.* Ita quarundam etiam mercium exportatio Atheniensium legibus prohibebatur, quæ propterea ἀπόῤῥητα vocabantur. In primis autem eo numero fuerunt, præter nauium fabricandarum peritiam, *l. vlt. inf. de pœnis*, quæcumque ad nauium fabricationem pertinebant, puta πᾶσα ἡ ναυπηγήσιμος ὕλη: vt sunt abies, pinus, picea, cupressus, platanus, quæ alias ναυπηγήσιμα ξύλα, alias ξύλα absolute vocantur: ideo ἀλάζων apud Theophrastum *Charact. 23. de Ostentatione. pag. 63. edit. Casaubon.* διδομένης αὐτῷ ἐξαγωγῆς ξύλων ἀτελοῦς, εἰπεῖν ὅτι ἀπείρηται, ὅπως μηδ' ὑφ' ἑνὸς συκοφαντηθῇ. *Cum esset sibi materia concessa immunis exportatio, ablato se beneficio vti noluisse, vt omnes omnium calumnias effugeret.* De cuius rei ratione vide Demosthenem, siue Auctorem Orationis *de fœdere cum Alexandro.* Dicam etiam aliquid ad *l. vlt. inf. de pœnis.* Item τῶν ἀποῤῥήτων erant, & τὰ ἀσκώματα, hoc est folliculi nautici, & λίνα κηρὸς καὶ πίττα scribit Scholiastes Aristophanis *ad Equit. Act. I. scen. 3. v. 44.* Vicissim erant & ἀπόῤῥητα, quæ importare Athenas fas non erat, vt θρυαλλίδες, ex quibus fiebant Ellychnia, de quo vide Aristophanem in *Acharnensibus.* (a) Itemque quæ priuati a Barbaris comparare non poterant,

(a) Vt videant lectores, quantum Gothofredus noster debeat viris eruditis, placuit addere verba Cl. Casauboni: quibus iungam, quæ Sam. Petitus obseruauit, ad maiorem harum rerum intelligentiam facientia.

ISAACVS CASAVBONVS *Commentar. ad Theophrast. Character. Ethic. pag. 344. edit. Lugdunens. 1612.* Quarundam mercium exportatio Atheniensium legibus prohibebatur, quæ propterea ἀπόῤῥητα vocabant. In primis autem τῶν ἀποῤῥήτων fuere, quæcunque ad nauium fabricationem pertinebant: hoc est πᾶσα ἡ ναυπηγήσιμος ὕλη, vt sunt abies, pinus, picea, cupressus, platanus, quæ alias ναυπηγήσιμα ξύλα, alias ξύλα absolute vocantur. Non fuisse autem copiam magnam huius materiæ in agro Atheniensium, docet etiam Demosthenes, aut quicunque alius est auctor orationis, de fœdere cum Alexandro. Erant τῶν ἀποῤῥήτων, & τὰ ἀσκώματα, hoc est, folliculi nautici, & λίνα κηρὸς καὶ πίττα, inquit Aristophanis Scholiastes. Alia ratione dicebantur ἀπόῤῥητα quæ Athenas importare non permittebantur; vt θρυαλλίδες, ex quibus fiebant ellychnia: has enim sicut constat ex Aristophanis Acharnensibus, fuit cum non liceret Bœotis afferre venales in vrbem: credo ob metum incendiorum. Thryallidum namque stuppæ vsus fuit ad ἀσιόχους & malleolos incendiariorum.

SAM. PETITVS *Commentar. ad Leg. Attic. Lib. V. tit. 5. pag. 428.* Legibus quoque Atheniensium vetitum erat, Athenis alio importare ligna atque picem.

ΜΗ ΕΞΑΓΕΙΝ ΞΥΛΑ ΚΑΙ ΠΙΤΤΑΝ

Ligna & picem ne exportato

Alludit Aristophanes Equitibus.

Τουτονὶ τὸν ἄνδρ' ἐγὼ 'νδείκνυμι, καί φημ' ἐξάγειν,
Ταῖσι πελοποννησίων τριήρεσι ζωμεύματα.

Meminit Scholiastes ad hunc locum, quem optime interpretatur. Ἐνδεικνύναι λέγεται τὸ καταγγέλλειν τινὰ κακουργοῦντα περὶ τὰ κοινά. ζωμεύματα, τὰ εἰς ταῦτα χρειώδη. λέγεται δὲ καὶ ξύλα καὶ κηρὸς καὶ πίττα. ἄλλως, τὰ λεγόμενα ὑποζώματα,

terant, *l. 2. Cod. Iust. quæ res venire.* In hoc denique numero fuit pecunia, de quo *l. vn. infr. si quis pec. consl vel mercandi causa transtulerit.*

Cæterum *Comitibus commerciorum*, vt id quoque nunc moneam, incumbebat, ne vltra Ciuitates destinatas commercium cum Barbaris esset, neue priuati illicitas species emerent, *l. 2. Cod. Iust. quæ res venire non possunt*, & *l. vlt. Cod Iust. de commerciis:* Cuiusmodi Comites plures per imperium Orientale memorat *Notitia Imperii*, sub *Comite Sacrarum Largitionum fol. 49.* vnicum tantum per Occidentale, puta Comitem commerciorum *per Illyricum fol. 140.* At ne illicitæ species ad Barbaros transferrentur, *Curiosi* per litora & portus, per varias Regiones disponebantur: Modo Magisteriani, modo Palatini, vt docet *lex 10. sup. de Curiosis:* Modo Protectores, modo Ducis limitis Officiales, vt hæc *lex* docet. Vnde obseruandum, cum Protectorum Principis ad *varia* vsus esset, ad Limitem ex his nonnullos missos ad Limitis custodiam: quod præter hanc docuit quoque *lex 1. supra de Protectoribus*, quos *μεθορίων Προτέκτορας confinium Protectores* vocat Menander, & ipse Protector, *lib. 8. histor. in Excerpt. Legat. Tom. I. Script. Rer. Byzant. edit. Venet. pag. 115. Parif. pag. 171.* & tuitionem locorum, *l. 27. sup. de erogat. mil. ann.* Ideoque apud hos naucleri siue mercatores merces suas profiteri cogebantur, & ad quas partes essent nauigaturi, neque ante e portu siue litore dimittebantur: gestis apud Defensorem præsente ipsomet Protectore, seu Duciano, super eo confectis: Itemque de concussione sibi non facta, quæ altera *huius legis* pars est. Quæ ratio gestorum apud Defensorem conficiendorum, & quidem præsente ipso Curioso seu Protectore. Defensoris enim munus hoc fuit, vnumquemque ab improbitatibus insolentum vindicare, qui publici officii specie alios concutere ferme solebant: de quo docuit plene *Paratitlon de Defensoribus Ciuitatum.* De concussione a Nauiculariis & naucleris prohibenda, dicetur *inf. suo Titulo, de Nauicular. l. 9. 29. 37.* Sed & dictum iam aliquid fuit *l. 11. sup. de Curiosis.*

εἶτα ὡς πρὸς μάγειρον παίζων ζωμεύματα, ὡς κυβερνήτης ἔμπειρος καὶ ζωμεύματα. ἀπείρηται δ' ἀπὸ Ἀθηνῶν ἐξάγειν ξύλα καὶ πίτταν. Ratio erat, tum, vt haberent ipsi vnde naues, mitto onerarias & frumentarias, ædificarent & texerent: Lege enim oportebat Quingentorum Senatum quotannis ποιεῖσθαι τριήρεις καινάς, & immensus præterea erat τῶν ναυπηγησίμων sumptus: Maximum enim fuit apud Athenienses rei nauticæ studium, vel in nouis ædificandis, vel in veteribus reficiendis: cum etiam ne haberent hostes, vnde illos imperio suo fabricarent, nihil enim revera fuit Græcorum, siue Atheniensium, siue Lacedæmoniorum imperium nisi θαλάττης ἐπικράτεια, maris imperium. Vetitum itaque est Athenis exportare πᾶσαν τὴν ναυπηγήσιμον ὕλην, vt sunt abies, pinus picea, cupressus platanus, quia non fuit copia magna huius materiæ in agro Atheniensium. Auctor Demosthenes in Oratione de fœdere cum Alexandro: Erant quoque τῶν ἀπορρήτων, & τὰ κενώματα, folliculi nautici, λίνα, κηρὸς καὶ πίττα. hæc intelliguntur verbis ostentatoris apud Theophrastum: καὶ διεφλόγησε αὐτῷ ἐξαγωγῆς ξύλων.

P. 401 DE (*) LVSORIIS DANVVII. (a)

TITVLVS XVII.

(*) Abest hic *Titulus* a *Cod. Iustin.* *GOTHOFRED.*

(a) Pro, *Danubii. ID.* Vide Cl. Gronouium not. ad Tacit. *Annal. lib. 12. cap. 30.* *RITTER.*

I. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Constanti (b) Magistro militum per Trachias.

NONAGINTA recenti fabricatione contextas, decem his adiectas ex veterum reparatione Lusorias, *limiti Mysiaco:* centum vero decem nouas, additis antiquarum instauratione quindecim, *Scythico*, (qui in latius diffususque porrigitur) sub hac deputari condicione sancimus, vt per singulos annos, veterum renouatione curanda, quattuor Iudiciariæ in *Mysiaco* limite, & decem Agrarienses: in *Scythico* vero, quinque Iudiciariæ & duodecim Agrarienses noue (c) de integro constructæ, instrumentisque suis vniuersis armatæ Ducis (d) instantia Apparitionisque eius periculo contexantur, vt hoc supplemento per septennium integri numeri constituti reparatio maturetur: Sublimitate Tua pro sua industria disponente, vnde earum contextio vel constructio debeat procurari: Quod quidem iam recte credimus constitutum, nobisque indicari præcepimus. Nam si memoratus Lusoriarum numerus cum omni suo instrumento non fuerit apparatus, Dux quidem, cuius tempore dispositio fuerit ista neglecta, triginta librarum auri, Officium vero eius quinquaginta proculdubio multabitur; etiam Sublimitatis tuæ officio quinquaginta

ginta libras (e) auri condemnatione subiciendo, si non per singulos annos aut completum numerum aut certe negligentia prætermissum Magisteriæ potestati suggesserit. Illo nihilominus obseruando, vt istis secundum dispositionem Tuæ Præstantiæ ad belli aleam præparatis, atque in conflictus specula munitissima Statione, (f) vel discursus opportunitate deligentibus, (g) hac (h) duntaxat quæcunque ex veteribus fuerint reformatæ, transuectioni speciei annonariæ secernantur. Dat. V. Kalend. Febr. Constantinop. D. N. Theodosio A. V. & qui fuerit nuntiatus. [412.]

NOTAE.

(a) Abest a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Constans* hic est proculdubio ille, qui triennio post A. 414. Cos. fuit cum Constantio: Forte hic idem, ad quem Synesius scribit *epistolam* 27. IDEM.

(c) *Noua.* IDEM.

(d) Scythiæ, item Ducis Mysiæ secundæ. IDEM.

(e) Forte libris. IDEM.

(f) De *Stationibus* nauium, vid. & *l. 2. sup. de litorum & itin. custodia*: vbi dixi. ID.

(g) Repono, *degentibus*: nisi dixeris, *diligentibus*, id est, assiduis, atque huic rei incumbentibus: CL. Salmas. *Ob seruat. ad ius Atticum. cap. 28. p. 740.* reponit *diligenter positis*: quod remotum nimis. ID.

(h) *γε ha.* IDEM.

COMMENTARIVS.

LVSORIÆ, siue Lusuriæ, de quibus agitur *Rubr.* & *l. vn. h. t.* & *Nouella Theodosii de Ambitu 31. circa finem*, quas etiam *Luxurias* tribus locis scribi reperio, nempe *d. Nouella*, non longe a principio: & *l. vlt. Cod. Iust. de offic. mil. Iudic.* (quæ ex ea *Nouella* desumpta est & vbi male impressi, *lustrationisque*) & apud Vopiscum *in V. Bonosi cap. 14.* quomodo & *Luxuria arma* exhibent manuscripti Senecæ *ep. 117.* pro *lusoria arma:* Erant bellicæ seu militares naues, ad belli aleam præparatæ, *h. l. inf.* seu ad quotidianas excubias, Vegetius *lib. vlt. cap. vlt. in fine*, armatæ, seu milite instructæ, in limite Imperii Romani, qua a Barbaris nationibus, fluminibus diuidebatur; speculandis, prohibendis, arcendis earum incursibus, & vicissim incursibus faciendis: vocamus *fregatte*. Et ideo cum militarium seu bellicarum Classium duo genera fuisse doceat Vegetius *lib. 2. cap. 1.* Vnum constituit Liburnarum, quibus maria: alterum, *Lusoriarum*, quibus flumina seruabantur. Huius generis igitur *Lusoria* erant in RHENO, quo flumine Galliæ, atque adeo Romanum Imperium, a Germania diuidebatur: De quibus, etsi alibi prolixe ago, hic tamen rem penitus intactam relinqui non oportet. Meminit itaque Rheni Lusoriarum, præter alios, Ammianus Marcellinus *lib. 18. cap. 2.* in Gestis Anni 359. vbi de Iuliani in Alamanniam (non procul a Moguntiaco) expeditione: *Cæsar certis imperauit Tribunis, vt trecentenos præparent cum sudibus milites expeditos, quid agi, quoue iri deberet, penitus ignorantes: Et collecti nocte prouecta, impositique omnes, quot LVSORIÆ naues 40. quæ tunc aderant sola, ceperunt, decurrere iubentur per flumen adeo tacite, vt etiam remi suspenderentur, ne Barbaros sonitus excitaret vndarum, atque mentis agilitate & corporum, dum hostes nostrorum ignes obseruant, aduersas perrumpere limitis ripas.* De iisdem sensit quoque Eumenius
P.402 in Panegyrico, Constantino dicto *cap. 13.* cuius verba retulit iam Pithæus: *Insuper etiam Agrippinensi ponte faciendo reliquiis afflictæ gentis* [FRANCICÆ] *insultas, ne vnquam metus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat: Cum tamen hoc tu magis ad gloriam Imperii tui & ornatum limitis facias, quam ad facultatem, quotiens velis in hosticum transeundi: quippe cum totus ARMATIS nauibus Rhenus instructus sit, & ripis omnibus vsque ad Oceanum dispositus miles immineat.* Sed & Pseudo-Egesippus: *Rhenus iam non Germanorum eiulatis repletur, sed Romanorum Liburnis, quæ PERERRANTES totiusque ad mare bicornis amnis fluenta, quondam liberas gentes seruitio premunt.* Et de his apertissime Vopiscus, *in V. Bonosi. cap. 14.* *Hic idem quum quodam tempore in Rheno Romanas Luxurias* [pro *Lusurias*] *Germani incendissent, timore ne pœnas daret, sumpsit Imperium.* *Luxuriæ* ibi clare sunt Lusoriæ, vt recte quoque vidit Lindenbrogius *in Ammianum Marcellinum, lib. 17. cap. 2.* Idque etiam V. C. Maynardus Codici suo adnotauit. Male Cuiacius, *III. Obseruat. 24.* eumque secutus Pithæus *1. Aduers. 14.* & V. CL. Casaubonus qui ad historiam Augustam scripsit, qui de Clusuris locum illum acceperunt. In Rheno enim hæ Luxuriæ, siue Lusuriæ fuerunt: cum quo quid commune *Clusuris?* quæ tantum abest in Rheno fuerint, vt nequidem ad Rhenum esse potuerint. *Clusura* etenim a Castellis separabantur, & erant loca quæ anguste adeuntur, & loca vbi sunt fauces montium: voce, quæ etiam hodie frequentata: Græcis πύλαι. Suidas ἐμβολὴν, κλεισούραν, εἴσοδον. *Fauces montium, vel angustum aditum, ingressum.* Iterum Κλεισοῦραι, οὕτω καλοῦνται τὰ ἐχυρώματα τῶν διαβάσεων τῇ πατρίῳ τῶν Ῥωμαίων φωνῇ. *Clusura Sic patrio romanorum sermone vocantur montium claustra, vel angusti aditus.* Vide & Procopium *lib. 3.* περὶ κτισμάτων *cap. 3.* & *lib. 2. de Bello Persico cap. 29.* Et hæc de Lusoriis Rheni.

In MOSA flunio quoque (qui & ipse in Rhenum influit) Lusoriarum meminit Ammianus Marcellinus *lib. 17. cap. 2.* *Retento*, inquit, *milite circumuallare disposuit* (Castellum oppidum) *quod Mosa fluuius præterlambit.* Et mox: *Pertimescens solertissimus Cæsar, ne obseruata nocte illuni Barbari* [id est FRANCI] *gelu vinctum amnem peruaderent, quotidie a Sole in vesperam, flexo ad vsque lucis principium, Lusoriis nauibus discurrere flumen vltro citroque milites ordinauit, vt crustis pruinarum diffractis, nullus ad erumpendum quopiam facile perueniret.* Et hæc de Lusoriis per Gallias, quo lex hæc non pertinet.

De Lusoriis per *Orientem* est Nouella Theodosii *de ambitu 31.* (vnde desumpta est *lex vlt. Cod. Inst. de officiis militarium Iudicum*; & *lex 4. Cod. eod. de officio Magistri officiorum*) *Castrorum quinetiam*, inquit, *ipsis* [Ducibus] *luxuriarumque pro antiqua dispositione curam refectionemque mandamus, quibus cum Principe, castrorumque Præpositis pro laborum vicissi-*

vicissitudine limitanei tantum militis duodecimam annonarum partem, distribuendam videlicet inter eos, Magisteria potestatis arbitrio deputamus. Quem locum, cur ex *l. 4. Cod. Iust. de offic. militar. Iudic.* suppleri & resarciri oportere moneat Vir Doctus Claud. Salmasius *ad Vopisci loc. cit.* non video: Est enim vndiquaque sanus & integer. Sequitur alter eiusdem *Nouella* locus, *Id autem cura perpetua Tui culminis credidimus iniungendum, vt tam Trachi* (vt *Trachiae* in inscriptione *huius legis* & *l. 3. sup. de Senatoribus*, ad Trachiæ similitudinem, vbi dixi) *quam Illyrici, nec non etiam Orientalis ac Pontici limitis, Ægyptiaci insuper, Thebaici, Lybici, quemadmodum se militum numerus habet, Castrorumque ac Lusuriarum* [ita enim recte & aperte hodie hoc loco habetur excusum] *cura procedat, quotannis mense Ianuario in Sacro Consistorio significare nobis propria suggestione procures.* His interim duobus Nouellæ locis seu duabus legibus ex *ea* desumptis, neque vllo alio præterea loco, quod sciam, obseruari oportet, iunctim memorari, *Castra & Lusurias.* Castra quippe & Lusoriæ vtraque ad limitem Imperii fuerunt: sed Castra non tantum in ripa fluminis erant locata, verum etiam vbi limes Imperii ripa non terminabatur, vt ostendi *ad l. vlt. sup. de re militari:* At Lusoriæ nonnisi in flumine.

Ex his omnibus patet, Lusorias naues fuisse in limitibus Imperii Romani, qua fluminibus diuidebatur, ad belli aleam præparatas, partim prohibendis vicinorum hostium excursibus, partim incursibus vicissim faciendis. Sic in Rheno, sic in Mosa, sic in Orientis limita Lusoriæ fuerunt: sic denique in DANVBIO, quo scilicet Imperium Romanum a Scythicis gentibus diuidebatur, de quibus est nominatim *hic Titulus.* Sed & hic alter Vegetii *locus*, quo opus suum *de re militari* claudit. *De Lusoriis* inquit, *quas in Danubio quotidianis vtuntur excubiis, retinendum puto, quia artis amplius in his recentior vsus inuenit, quam vetus doctrina monstrauerit.* Neque ab hoc recedit Taciti locus *lib. 12. Annal. cap 30. Vannius*, inquit, *funditur prælio, & ad classem in Danubio opperientem perfugit.* De iisdem forte accipienda *l. vlt. suf. de pænis*: vbi vide quæ dixi. (a)

Cæterum Lusoriæ *hoc tit.* dictæ sunt naues, non omnes, veluti quæ in aqua siue flumine delitias facerent, seu lasciuirent, quo sensu *Luxorias* dixisse videtur Seneca *7. de beneficiis, cap. 20.* & Epiphanius *in Ancoroto p. 109. Tom II. Op. ed. Colon.* λυσόριον πλοῖον dixit, quod videlicet Antinoi (is qui Hadriani delitiæ erat) statuis additum erat, pro more Ægyptiorum, quo Dæmones suo in nauigio statuebant, vt scribit Porphyrius *in libro de antro Nympharum in Odyssea*, & Clemens Alexandr. *lib. 5. Stromat. pag. 566. ed. Paris. Car. Morelli.* vt recte notauit nuper Doctiss. Valesius, *in Eclogas Dionis, p. 101. 102.* Verum naues in statione nauali degentes, vel vltro citroque discurrentes, & in flumine ludentes: Et vt Pseudo-Egesippus *superiore loco* loquitur, *pererrantes*: Ammianus vero superioribus locis, *discurrentes*, vel *decurrentes.* Id enim omnino *Ludendi* vox significat; Seneca *ep. 4. Eodem die, vbi luserunt nauigia, sorbentur.* Ad eundem modum duas de tribus stellas, quæ in cauda Cynosuræ circa *Polarem*, quæ immobilis videtur esse, circumducuntur, veteres Magistri, *ludentes* dixerunt. Scholion Germanici; *Supra alias*, inquit, *decem, duæ præcedunt & dicuntur Ludentes, & maxime altera quæ vocatur Polus.* Græci vocarunt χορευτὰς ἀστέρας. Hyginus *Astronom. Sed*, inquit, *in prioribus cauda stellis vna est infima quæ Polus appellatur, vt Eratosthenes dicit, per quem locum ipse mundus æstimatur versari, reliquæ autem duæ χορευταὶ dicuntur, quod circa Polum versantur.* Breuiter, *Ludere* est & agitari, & motari, & discurrere: ac proinde non abusiue sed proprie *Lusoriæ* naues omnes dictæ, quibus discurritur siue ad delitias, ludum, lasciuiamque & luxuriam, ac proinde imbelles ac delicatæ; siue ad excursum militarem, & armatæ, seu militibus armatis instructæ, cuiuscumque illæ modi sint, maiores vel minores.

Harum porro *Lusoriarum* aliæ erant & dicebantur *Iudiciariæ*, aliæ vero *Agrarienses*, vt ex *hac vnica lege* discere licet. Iudiciariæ scilicet erant (vt ex huius ipsius *legis* fine apparet) dromones, qui per flumina discurrebant, *in discursus opportunitate degebant*, vt hæc *lex* ait, Iudicaturæ, speculaturæ, exploraturæ, num qua hostis perrumperet, nauigia vltro citroque discurrere solita, vt Ammianus *lib. 31. cap. 5.* loquitur, Scaphæ exploratoriæ Vegetius *lib. 5. cap. 7.* Falluntur enim viri Docti, qui *Iudiciales* dictas putant eodem modo, quo *Carpentum Iudiciale*, quasi dictæ fuerint naues elegantius fabricatæ: vel quæ Ducum limitaneorum (quos *Iudices* dictos signate perperam notant) vsibus seruirent: seu ipsis Præsidibus limitis inseruiebant, vt Cl. Salmas. *Obs. ad ius Attic. c. 18. pag* P. 415 *741.* Neque etiam fuerunt hæ Lusoriæ nostræ proprie, quas Græci πρόπλυς dixerunt, προπλεῖν εἰθισμένας λέμβυς, etsi & ipsæ Iudiciariæ dici potuerunt, quæ videl. præmittebantur, & classem antecedere solebant, *Internuncia*, & *Tabellaria*, de quibus iam olim Polybius *lib. 1.* Ὁμοίως δὲ καὶ τοῖς ἐκ τῶν Συρακυσῶν προαπεςαλμένοις ταμίαις ἀνήγγειλαν οἱ προπλεῖν εἰθισμένοι λέμβοι ἐν ἀπόπλῳ τῶν ὑπεναντίων: *Similiter & quæstoribus, qui a Syracusanis præmissi erant, nuntiarunt lembi, qui solebant antecedere aduersariorum incursum & aduentum.* Seneca *ep. 77.* Plautus *Milite Glorioso Act. 4. Scen. 1. v. 39.* Quid igitur? Iudiciariæ hic sunt speculatoriæ, exploratoriæ, προερευνῶττες προφυλακίδες, de quibus Vegetius, *lib. 4. cp. vlt.* Liuius, *lib. 35 cap. 26. & lib. 36 cap. 42.* Thucydides *lib. 6. pag. 441. edit. H. Stephani.* Καὶ τὰς πρόπλυς ναῦς ἐκ τῆς Εγέςης ἅμα προσέμενον, βυλόμενοι εἰδέναι περὶ τῶν χρημάτων εἰ ἐςιν. *Etiam exploratorias ex Egesta, simul expectabant, cupientes de nummis fieri certiores an curati essent nec ne.* Vide & Appianum *lib. 4. B. C.* Plutarchus κατασκοπικὰ vocat, *in Catone minor.* ἦσαν δὲ πεντακοσίων μὲν ὐκ ἐλάττυς αἱ μάχιμοι λιβυρνικὰ δὲ καὶ κατασκοπικὰ καὶ ἄφρακτα παμπληθῆ. *Erant non minus quam quingenta apta ad præliandum, liburnica autem & exploratoria apertaque ingenti numero.* Similis locus est *in Vit. Pompei.* Κατασκόποι Ciceroni ad Atticum *lib. 5. ep. 11.* nisi is locus in mendo cubat. *Catascopum* Hirtio *de bello Africa.* pag. 771. edit. Montan. Sic in veteri Glossario, *Scapha*, siue *catascopus.* Ἐφορείας dicas recte, vt Aristides *in Romam* πόλεος ἐφορείας vocat oppida, sic vt dicam, Iudiciaria, Speculationi & excubiis excitata. ἐν ταῦθα τείχη τε προβάλλεσθε καὶ πόλεις ἐφορείας ἱδρύσασθε: Sic enim malo quam ἐφορίας, id est, limitanea. (b)

Agrarienses vero Lusoriæ erant, non vt quidam volunt, minus ornatæ, verum quæ in flumine quidem

(a) Late exposuit ante nostrum de *lusoriis* Cl. Claud. Salmasius ad Vopisci Bonosum *l. c.* cuius obseruationibus noster in elucidanda hac lege non infeliciter vsus est. Plura inuenies apud eundem *de Iur. Attic. pag. 740. 751.* Adde Pithœum *Aduersar. lib. 1. cap. 14.* Nonnulla etiam excerpsit ex his Cl. du Fresne Gloss. voc. *Lusoria.*

(b) In his concinnandis multum vsus est noster obseruationibus Lazari Baysii *de re naual.* quem vide *pag. 72. 89.*

dem ludentes, id eſt hærentes ; tamen non diſcurrebant, verum ſtatariæ erant, & interea dum Iudiciariæ ſpecularentur, in conſiictus ſpecula munitiſſima ſtatione [nauali ſcillcet] degebant. Quod Iudiciariarum & Agrarienſium diſcrimen *fine huius legis* aperte continetur. *Iſtis*, inquit, *luſoriis ad belli aleam præparatis* [hoc commune vtriſque] *atque in conflictus ſpecula, munitiſſima ſtatione* [hæ ſunt Agrarienſes,] *vel diſcurſus opportunitate degentibus* [hæ ſunt Iudiciariæ,] Sic dictæ igitur *Agrarienſes* quod agrarias exercerent, id eſt, in excubus vigiliis & ſpecula eſſent, id enim *Agraria* vox ſignificat: de qua vide Ammianum Marcellinum, *lib. 14. cap. 3. lib. 16. cap. 11. lib. 25. c. 4. lib. 31. cap. 8.* Vegetium *lib. 1. cap. 3.* aliiſque locis pluribus. De his etiam Anonymus Scriptor *ſubditus Notitiæ Imperii*, *cap. de limitum munitionibus 20.* Vigilias ideo & agrarias iungit Vegetius *lib. 2 cap. 22. & lib. 3. cap. 8.* & dictus Anonymus. Errat enim Perauius *in Themiſt. orat. 10. pag. 613.* qui eam vocem in *Angarias* mutat apud Anonymum illum. Modeſtus *de vocabulis rei milit. Siue ad vigilias vel agrarias faciendas, ſiue ad opus aliquod, vel ad curſionem campi exeunt milites, tubicine vocante, operantur.* Præſidiatiæ igitur erant naues, quales in ſtatione ſeu præſidio, naues ſtare olim dictæ apud Liuium, Hirtium paſſim. *Φυλακίδας* dixeris vti Rhodii, auctore Diodoro *lib. 20.* Δημόφιλος μὲν ἔχων ναῦς καλουμένας παρὰ Ροδίοις φυλακίδας. Idem *eod. libr.* Ἁι δὲ φυλακίδες τῶν Καρχηδονίων αἰσθόμεναι κατὰ σπουδὴν ἐπεδίωκον. *Præſidiariæ Carthaginenſium vbi id reſciuerunt, confeſtim perſecuta ſunt.* de *Agrariæ* vocis ratione alibi dicam : quæ & Græcis *ὕπαιθρα*, & Ammianus Marcellinus *lib. 19. cap. 11.* more ſuo *ἑλληνίζων ſubdiuales moras* dixit. Breuiter inter Iudiciarias & Agrarienſes tale diſcrimen fuit, quale in militia terreſtri inter *ἡμεροσκόπους* & *ἡμεροδρόμους*, quos Liuius Græce vertens, *ſpeculatores* nominat: de quibus vide Æneæ *Tactica cap. 6.* Ariſtotelem, & Suidam ad has voces: vtræque quotidianis excubiis (vt de Luſoriis Vegetius in genere loquitur) deſtinatæ erant. Imo & eodem quoque ſenſu prætentutæ & ſtationes agrariæ differebant, de quo dixi ad *l. 1. ſup. de Commeatu.* Hinc & Agrarios (cum vulgo legatur *Arauas*) apud Ammianum Marcellinum *lib. 28. cap. 3.* dici puto, qui in Britannia a Veteribus instituti in ſtationibus agebant, eorumque officium illud erat, vt vltro citroque per longa ſpatia diſcurrentes, vicinarum gentium ſtrepitus intimarent, ſeu renunciarent.

Nunc de ſententia *huius legis*, quæ proprie pertinet ad diœceſin Thraciæ, de quo eſt quoque *Nouella Theodoſii 31. inf.* Eaque definitur quot numero vtriuſque generis Luſoriæ per eam Diœceſin eſſe debeant, quot ſingulis annis vel veteres reparari, vel nouas ædificari oporteat : ad cujus item Curam res ea pertineat ; cui denique vſui eæ deſtinandæ. Quod prius attinet : ſane vbi in nauibus ſecuritas Imperii vel Reipublicæ vertitur, exemplum *huius l.* imitationi eſſe debet : Quomodo & iam olim apud Athenienſes ad Senatus Quingentorum curam pertinebat, vt nouæ naues ſingulis annis ædificarentur : eoque populus ſingulis annis conueniebat, vtrum Quingenti coronari deberent : idque præcipue ſpectatum, num nouas Naues ædificaſſent : & vt notat Demoſthenes *in Androtiana*, & Vlpianus *ad eam orat.* vix Reipubl. amans quis habebatur, qui non ſingularem curam ædificandarum nauium geſſiſſet. Pericles certe Athenienſibus auctor fuerat, vt 20. quotannis ædificarentur.

Nos ad *legis* ſententiam redeamus. Vt ea melius adhuc intelligatur, ante omnia ſciendum eſt in Diœceſi Thraciæ inter alias Prouincias fuiſſe *Scythiam & Myſiam Secundam*, quod etiam *Imperii Notitia* docet *fol. 82.* ſic quidem vt illæ ad Danubium pertingerent, atque adeo ea parte Imperii Romani limes foret : ideo *limitem Myſiacum*, & *limitem Scythicum* hæc *lex* noſtra memorat. In Scythico igitur limite, quia latius & diffuſius porrigebatur, (vt hæc *lex* nominatim ait) plures Luſoriæ erant quam in Myſiaco : Proinde Theodoſius *h. l.* in Scythico limite 126. Luſorias haberi iubet, hac conditione, vt ſingulis annis ſeptendecim de nouo conſtruantur, atque armatæ ſuis inſtrumentis contexantur (quinque videlicet Iudiciariæ, duodecim vero Agrarienſes) In Myſiaco vero limite, 100. Luſorias conſtituit, hac conditione, vt quatuordecim nouæ ſingulis annis conſtruantur & armentur (quatuor videlicet Iudiciariæ, decem vero Agrarienſes) vt ita hoc ſupplemento ſeptennii ſpatio integer numerus repareтur: quod *h. l.* nominatim additur. Vbi tamen error calculi videri poſſit : ſepties enim ſeptendecim non niſi centum nouendecim efficiunt. Sex igitur deſiderantur. Item ſepties quatuordecim, non niſi nonaginta octo efficiunt. Sed neque error eſt in calculo, neque in numeris: duo enim, vel ſex, rotundum numerum non deſtruunt.

Interim notari oportet (quod ipſum non parum lucis adfert ad diſcrimen Luſoriarum, Iudicialium & Agrarienſium) pauciores longe fuiſſe Iudiciarias quam Agrarienſes : Et quidem ter fere numero ab his illas ſuperatas. Neque abs re : illæ videlicet ſpeculatoriæ ſeu Exploratoriæ erant ; explorando hoſti, vel explorando itineri : hæ vero vbi hoſtis imminеret, vel vbi incurſus faciendus in hoſtes, totis viribus, & armato milite in hoſtem incumbebant.

Secundo notandum, hæc omnia Ducum (limitis Scythici & Myſiaci in ſpecie *huius legis*, de quibus alioquin videnda eſt *Notitia Imperii fol. 100. 102.*) inſtantia fieri iuberi, vt & *Nouella* Theodoſii *de ambitu 31.* Magiſtro tamen militum totius diœceſeos (ac nominatim Magiſtro militum per Thracias, de quo videnda eſt pariter *Notitia Imperii fol. 35.*) materiam procurante ad earum contextionem vel conſtructionem.

Denique *h. l.* conſtituitur, vt ſingulis annis, quæ refectione egent, reparentur Luſoriæ : & tranſuectioni ſpecierum annonariarum reparatæ Luſoriæ deſtinentur. De Tranſvectione ſpecierum per Rhenum, conſulendi Ammianus, Eunapius *in excerptis Legationum*, Zoſimus. De Tranſuectione ſpecierum per Danubium, non tantum hic *huius legis* locus eſt, verum etiam hic alter Zoſimi *lib. 4. c. 10.* quem paulo plenius laudaui ad *l. 15. ſup. de erogat. milit. annona:* vbi de Auxonio PP. Orientis agens, *καὶ ἀλκάδων*, inquit, πλήθει τὴν ϛρατιωτικὴν

90. *edit. Baſil.* 1537. Adde Schefferum *de militia nauali. p. 76. 101. 202. 208. edit. Vpſal.* De *agrariis* etiam ſtationibus videbis dixiſſe Cl. Lipſium *de militia Roman. lib. 5. dial. 8.* & ante eum Turnebum *Aduerſar. lib. 4. c. 7.* Quæ adiecta ſunt a Gothofredo de Athenienſium cura circa rem naualem, petita ex Sam. Petiti *Commentar. ad leg. Att. lib. 3. tit. 1. pag. 214. 215.* cuius verba, cum paullo longiora eſſent exſcribere nolui. Auctorum tamen loca claſſica alia integra addidi, alia reſtitui, cum pleraque ſe male hic haberent. Inueni etiam chartæ Edgari regis poſt Epiſcopos & Abbates ſubſcripſiſſe *Adulf Herefordenſis eccleſiæ cataſcopum*, quo nomine Cl. du Freſne *in Gloſſar.* putat deſignari *Archidiaconum :* recte omnino. Iuuant magni viri coniecturam ea auctorum loca quæ de *κατασκόποις* & *κατασκοπικοῖς* hic leguntur. Multa enim Eccleſia & media ætate ex Græcia accepit dignitatum vocabula.

τιμὴν σίτησιν διὰ τοῦ Εὐξείνου Πόντου ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ Ἴστρου παραδιδοὺς κἀντεῦθεν διὰ τῶν ποταμίων πλοίων ταῖς ἐπικειμέναις τῷ ποταμῷ πόλεσιν ἐναποτιθέμενος, ὥστε ἐξ ἑτοίμου γενέσθαι τῷ στρατοπέδῳ τὴν χορηγίαν. *Et onerariarum magna copia militarem annonam per Pontum Euxinum ad Istri curans ostia, fluuialibus inde nauigiis vectam in oppida, propter amnem sita, recondebat; ita quidem, vt esset, vnde suppeditari ea militibus expedite posset.* Atque vt oaues armatæ seu Lusoriæ transuectioni specie- P.404 rum destinatæ fuerunt, ita alibi quoque legiones. *Notitia Imperii* sub Duce Rætiæ *fol. 172. Præfectus legionis tertiæ Italicæ transuectioni specierum deputata Foetibus: Præfectus legionis tertiæ Italicæ transuectioni specierum deputata Teriolis.*

DE DESERTORIBVS * ET OCCVLTATORIBVS EORVM.

TITVLVS XVIII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XLVI.

* Desertor λιποστράτης.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. Edicta duo per Italiam, (b) & Alpes.

VNVSQVISQVE, apud quem desertor fuerit deprehensus, si plebeiæ & humilioris condicionis est, metalli se sciat supplicio puniendum: qui autem superioris cuiuscunque loci dignitatisue sit, media se bonorum parte cognoscat esse multandum. In hac pœna sit & Officium vniuscuiusque Iudicis, quod forte desertores in consortio sui probatos habet, nec eos prodit. Dat. VII. Kalendas April. Mediolani, (c) Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) Concordat *leu 8. inf.* GOTHOFREDVS.

(b) Dixi aliquid de desertoribus Italis, & de Murcis Italis *ad l. 4. sup. de Tironib. IDEM.*

(c) Vide Ammianum Marcellinum *lib. 26. cap. 5. ID.*

COMMENTARIVS.

OCCVLTANTI, vel non prodenti desertorem POENA humiliori seu plebeio, metalli, ceteris dimidiæ bonorum partis proscriptionis, vt & Officialibus Iudicum imponitur, his duobus Valentiniani Edictis, eodem videlicet exemplo emissis per Italiam & Alpes. Ex quo dun ontari oportet.

Primum, *Alpes* ab Italia separari. Et certo Alpium quasdam Italiæ conoumeratas, quasdam vero Galliæ, horum ipsorum temporum Scriptores testaotur, Rufus Festus *Breuiario ad Valentem cap. 6.* Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 11.* Sed & *Notitia Imperii fol. 116. 117.* Solæ videlicet Alpes Cottiæ, Italiæ accensebantur: Alpes vero maritimæ Penninæ & Graiæ, ad Gallias spectabant. Quanquam *Graia* in Veteri *Iudice Sconbouiano pag. 75. edit. Cellar.* qui sub Theodosio M. scriptus, & apud Paulum Diaconum *de gestis Longobardorum lib. 2. cap. 18.* Italiæ adscribantur.

Secundo obseruandum, Italiam, & Alpes, desertoribus famosas fuisse. De Italia certe iam aliquid dictum est ad *l. 4. sup. de Tironibus.* De Alpibus nil mirum: quippe in montanis ferme & desertores, & latrones, vel ex desertoribus latrones. Zosimus certe *lib. 6. cap. 2.* Bacaudas latrones & rebelles (de quibus alias dicendi mihi locus erit) circa Alpes quoque hæsisse prodit. Σάρος inquit, σὺν πολλῷ διεσώθη πόνῳ τὴν λείαν ἅπασαν δωρησάμενος τοῖς περὶ τὰς ΑΛΠΕΙΣ ἀπαντήσασιν αὐτῷ ΒΑΚΑΥΔΑΙΣ ὅπως εὐρυχωρίας παρ' αὐτῶν τύχῃ τῆς περὶ τὴν ΙΤΑΛΙΑΝ παρόδου. *Sarus multo labore saluus euasit; vniuersa præda Bacaudis, qui ad Alpes illi occurrerant, concessa, vt ab eis adeunda Italia facultatem impetraret.* Tales etiam sunt in Pyrenæis *Bandolieri:* Tales in montanis Pannoniæ, *Martolossi.* Tandem, ex variis *Valentiniani* constitutionibus, tum hoc anno, tum superiore, videre est, hoc tempore Italiam latronibus infestatam, atque adeo variis rationibus Valentinianum his occurrisse, *hac l. & l. 1. 2. 3. 4. inf. quib. equor. vsus: l. vn. inf. quorum vsus interd.*

II. Imppp.

II. Imppp. Gratianus, VALENTINIANVS, & Theodosius AAA. ad Hesperium PF. P. (a)

ACTOR eius fundi, in quo alienigena, (b) vel idoneus (c) militiæ, vel (d) ante iam traditus, (e) latuerit, vltima flammarum (f) animaduersione consumatur: Hoc interim nos constituisse sufficiat: nam si parum profecerit in Seruos (g) interminatio (h) constituta, in dominos, (i) peccatum deinceps emendatura, (k) decernat. (l) Dat. VI. Non. Iul. Aquileia, Auxonio (m) & Olybrio VV. CC. CONSS. [379.]

NOTAE.

P.405 (a) Italiæ scilicet, quod confirmat *lex* 11. *inf. de lustrali conlatione*, de quo plene *ad Prosopogr.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Alienigenam* vocat alterius fundi Tironem, quem pariter *Tironem vagum* appellat *lex* 6. *sup. de Tironibus.* Aduenæ Iuniores vocantur *l.* 7. *sup. de Tironibus*, indigenæ contra, *ID.*

(c) Id est, qui offerri militiæ Tiro potest. *ID.*

(d) Vid. *l.* 4. *inf. vers. Neque solum.* *ID.*

(e) Hæc vox quoque satis indicat, de Tironibus & eorum oblatione *h. l.* agi: ita pariter *lex* 6. *inf. inter ipsa traditionis exordia.* *ID.*

(f) De Flammæ supplicio vide Fornerium, *Quotid.* 7. in hac ipsa vero re, *l.* 4. 6. *inf.* & *l.* 2. *inf. de his qui latrones*: & *paratit. de pœnis.* *ID.*

(g) *Seruos* vocat hic Actores fundorum. *ID.*

(h) *Interminatio.* *V. Gloss.* *ID.*

(i) Fundorum dominos intelligit. *ID.*

(k) Id est, pœna constituta *h. l.* in seruos, dominos ipsos teneat deinceps, si Actores siue serui, nec quicquam a desertoribus occultandis destiterint. *IDEM.*

(l) Forte *decurrat* *ID.*

(m) *γρ.* *Ausonio.* *ID.*

COMMENTARIVS.

TIRONES vel legendi, vel etiam lecti iam per Italiam, vel saltem per Præfecturam Italiæ, vt sæpe alias (quod ad *l.* 4. *sup. de Tironibus*, ostendi) ita & hoc cum maxime tempore militiam detrectabant: Et quidem latebras eis, vt non raro alias, præbentibus Actoribus: de quibus *suo Titulo* dicetur. Igitur huiusmodi Actoribus Gratianus ignis supplicium *h. l.* & *l.* 4. imponit: atque adeo (vt loqueretur Spartianus in *Hadriano cap.* 12) *vehementissime consulit*; qua pœna quandoque ipsi desertores affecti, vt testatur Am. Marcellinus *lib.* 29. *cap.* 5. Eadem in posterum pœna denunciata ipsismet dominis fundorum, si in occultandis Tyronibus vagis Actores perstiterint: INTERIM Actores *hac lege* coërcet; cuius etiam locutionis exemplum alterum vide *fine legis* 2. *sup. de secundis nuptiis.* Verum, vt hæ pœnæ postea immutatæ, vide *leges* sequentes aliquot: Item vt in *Dominos* postea pœnas sanciri oportuerit; docebunt itidem *leges* aliquot sequentes.

PRODENTIS *temonarii desertorem præmium; immunitas scilicet biennii a protostasia.*

III. (a) Idem AAA. Neoterio PF. P.

SI Temonarius (b) prodiderit desertorem, Protostasiæ (c) onere biennio releuetur. PP. III. (d) Kal. Maii, Antiochiæ, Gratiano v. & Theodosio I. AA. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic est *lex* 9. *sup. de Tironibus.* *GOTHOFRED.*

(b) Auri Tironici exactor. *ID.*

(c) Id est, coëmendorum Tironum onere. *ID.*

(d) VI. *d. l.* 9. *ID.*

COMMENTARIVS.

PRODENS desertorem Temonarios, a protostasiæ onere integro biennio pro præmio hac *Theodosii M.* constitutione immunis est. De aliis huius generis proditorum præmiis, dicetur quoque ad *l.* 4. *prox.* De *Temonariis* dictum ad *l.* 7. *sup. de Tironibus.* De *Protostasia* munere suo Titulo *inf. lib.* 11. *tit.* 23. Cæterum historicam *huius legis*, vt & *legis* 5. *inf.* quæ eidem Neoterio inscribitur, enarrationem ex Zosimo repete, ex dictis *ad l.* 9. *sup. de Tironibus*, quæ *huic* coniungenda est.

OCCVLTANTIS *desertorem pœnæ:* PRODENTIS *contra præmium.*

IV. (a) Idem AAA. ad Syagrium PF. P. (b)

SI quis (c) latebram præbuerit desertori, possessionis, in qua latuerit, amissione multatus etiam grauiorem sententiam pertimescat. Porro Actorem flammis (d) subiciendum esse non dubitet, qui in perniciem fortasse Domini (e) aut sceleris participatione consouit, aut dissimulatione neglexit. At vero si (*) desertorem (f) seruus perdiderit, (g) libertate donetur: si mediocris (h) loci, ingenuus, immunitate potia-
P.406 tur. Neque solum eos loquimur, qui proxime (i) signis felicibus (k) adplicati militiæ rudimenta timuerunt, verum qui stipendiis (l) militaribus degenerem latebram præbuisse monstrantur. Desertor autem (m) habebitur, quisquis belli tempore aberit a signis. Horum qui sponte processerit, peccati anterioris supplicium non timebit. Sin vero flagitiosa ignauia delitescat, per eum in cuius domo fuerit, inuigilantibus forinsecus (n) quoque Officiis publicis, vbicunque correptus seueritati Iudicis offeratur, degeneri (o) morte gladium subiturus: Si autem Rector Prouinciæ propositam seueritatem vel gratia vel dissimulatione distulerit, patrimonii atque existimationis damno subiciatur, & in Officii primores capitaliter vindicetur. PP. (p) Id. Iul. Rom. Gratiano VI. (q) & Theodosio I. AA. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc ex parte desumpta est. Et *lex* 4. *Cod. eod. pro quibus causis serui pro præmio.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Syagrius* PP. Italiæ, vt ex *subscriptione* colligitur, & Symmachi *ep.* 96. *lib.* 1. vid. plura in *Prosopogr.* *ID.*

(c) Dominus possessionis. *IDEM.*

(d) Vt *l.* 2. *sup.* & *l.* 6. *inf. h. t.* & *l.* 2. *inf. de his qui latrones.* *ID.*

(e) Dominum possessionis intelligit, a quo desertoris tironis collati pretium exigebatur. De quo vide *l.* 6. *inf.* *ID.*

(*) *Lex* 4. *Cod. Iust pro quibus causis serui,* &c. hinc desumpta est. *ID.*

(f) *Militiæ* vocem præfert præterea Codex Iustin. *dict. leg.* 4. quæ recte abest a MS. vt Stewechius indicauit ad *Vegetii lib.* 2. *cap.* 3. *IDEM.*

(g) *vt Prodiderit*: vt quoque habetur in *Cod. Iust.* & in *MS.* *ID.*

(h) Quia qui *superioris dignitatis sunt*, satis per se ab omnibus muneribus ciuilibus excusantur: vt Cuiacius recte notauit. *ad leg.* 1. *Cod. Iust. h. t.* *ID.*

(i) De historia huius delectus mox. *IDEM.*

(k) Victricibus aquilis *l.* 9. *inf.* *IDEM.*

(l) Potest hic locus accipi, vel de his qui ne ad Tironatum offerantur, latebras quærunt, vt *l.* 2. *sup.* vel de iustis militibus: Et vero id suadet *vers.* mox sequens, *Desertor autem,* &c. *IDEM.*

(m) Quid si legamus *item?* vt ita de Tironibus superiora accipi oporteat omnia: Hunc vero *versiculum* de iustis Militibus accipiamus. *IDEM.*

(n) *Extrinsecus,* Cod. Iust. de voce *forinsecus* vid. Cl. Sauaronem Interpretem Sidonii *lib.* 7. *ep.* 14. *ID.*

(o) Degeneri latebræ degeneris mors. *IDEM.*

(p) *Dat.* Cod. Iust. *IDEM.*

(q) Ita quoque in *Cod. Instin.* sed reponendum V. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

POENIS OCCVLTATORES; contra PRÆMIIS PRODITORES tironum Imperator *h. l.* persequitur, & quidem vt videtur, Valentinianus Iunior. Scilicet OCCVLTATORES, Actores quidem possessionum, flammis comburi iubet, pariter vt *l.* 2. *sup.* at ipsos possessionum dominos latebram præbentes, possessione sua multari vult. Quod postremum quoque de dominis statuitur *l.* 5. 6. 7. 12. *inf.* Solemnis & ordinaria alioquin hæc pœna est, illicitum quid in possessione sua admittentis, vt ea multetur. Dicam de eo plene alibi. At PRODITORES desertorum seruos libertate donari iubet, (qui casus inter cæteros notandus est, ex quibus serui pro præmio libertatem accipiunt. Et vero a Triboniano hæc sententia relata est in *Titulum Codicis Iust. Quibus ex causis Serui pro præmio: in l. vlt. illius tit.*) Ingenuum vero mediocris loci, desertoris proditorem, munerum ciuilium *immunitate* remuneratur (quod ipsum & in causa falsæ monetæ constituit Constantinus, paulo tamen aliter *l.* 2. *inf. de falsa moneta:* quæ hactenus ferme minus intellecta hinc lucem acceptura est:) scilicet pari passu ambulant *libertas, & immunitas.* Item desertori, suimet ipsius proditori, impunitatem pollicetur: contra, delitescenti gladii pœnam minatur: Denique & Rectoribus Prouinciarum, & Officii primoribus conniuentibus seuerissimam quoque pœnam imponit. Quod ad *huius legis* Historiam pertinet, sicut ea Valentinianum Iun. auctorem habet, quod ex *subscriptione* eius colligitur, *PP. Romæ:* ita & ea quæ ibi memorantur, pertinent ad militem in Italia Alamannorum & similium excursibus oppositum.

OCCVLTANTIS *desertorem Actoris & Domini pœna, ex hac Theodosii M. lege, illius capitalis; huius confiscatio fundi.*

V. (a) Idem AAA. Neoterio PF. P.

SI quis forte desertorem agro tectoque (b) susceperit, atque apud se diu (c) passus fuerit delitescere, Actor quidem vel Procurator loci hoc (d) sciens prudensque commiserit, capitali supplicio subiugetur: Dominus vero, si huius rei conscius fuerit, prædii, in quo latuerit desertor, amissione puniatur. Dat. XVII. Kal. Febr. Eucherio & Syagrio VV. CC. CONSS. [381.]

NOTAE.

(a) Constituit hæc *lex* partem *dictæ legis* 1. *Cod. Iust. eod. tit.* Concordatque huic *lex* 7. *inf.* *GOTHOFR.*
(b) *Tectoue.* Cod. Iust. *IDEM.*
(c) Vide quæ dicam *inf. ad l.* 7. & cur hæc vox *hic* addita. *ID.*
(d) *Qui hoc sciens.* Ita quoque Cod. Iust. *IDEM.*

P.407

COMMENTARIVS.

POENA Occultatori Actori, capitalis: Domino vero prædii amissionis *hac* Theodosii *lege* imponitur, pariter vt imponitur *lege superiore.* Neque tamen omnino probo, quod vir Doctus scripsit, *pœna capitalis* appellatione præcise viuicomburium intelligendum, quasi non & aliæ fuerint capitales. Et quid si illa pœna Theodosio displicuit? Neque quia Valentiniano in Occidente aliquando placuit, *l. 2. 4. sup.* & *l. 6. inf.* ideo statim Theodosio quoque idem placuit. Imo & Valentiniano tandem: nam & ipse capitalem circa desertorum occultatores pœnam constituit: *l. 8. inf.* qui idem circa latronum occultatores flammæ pœnam constituit *l. 2. de his qui latrones:* Distinctione videlicet facta inter latronum, & desertorum occultatores. Certe idem Theodosius *l. 7. inf.* capitis pœnam rursus imponit. Tandem & Tribonianus loco *initii legis superioris*, quo flammæ supplicium occultatori actori imponitur, hanc *legem* prætulit, eamque *l. 1. Cod. Iust. eod.* (quæ ex *lege* alioquin *superiore* ferme desumpta est) præmisit, & inseruit. Cæterum pertinet hæc *lex* proculdubio ad Scythicum & Gothicum bellum, in quo triennium hoc integrum absumptum: de quo iam monui *ad l. 9. sup. de Tironibus:* v. & Zosimum [illegible] *cap. 29. 30. 31. seqq.* vbi nominatim agit de re militari, & delectu militari tum corrupto.

COLLATOR, *id est, is qui contulit tironem, tironis intra annum desertoris periculum præstat,* OCCVLTATORIS ACTORIS *pœna: illius ignis, huius confiscatio fundi.*

VI. (a) Idem AAA. ad Seuerum PF. P. (b)

DESERTORVM (c) iugiter pretiis vindicamus, quos intra annui temporis metas, inter ipsa traditionis (d) exordia deseruisse (e) constiterit: Ipsorum (f) quippe est prouidentiæ, quos huiusmodi munus amplectitur, (g) militaturis potius quam fugacibus (h) instruere necessaria supplementa. (i) Si (k) vero in desertoribus occulendis Actorum scelus atque commissum sit, flammis scelera puniantur. Si dominum quoque conscientis talis inuoluerit, prædiis, quæ latebram præstiterunt, sacro patrimonio vindicatis grauioris exitii dominum quoque casus inuoluat. PP. Rom. IV. Non. April. Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

NOTAE.

(a) Non improbabiliter huic *legi* coniungenda videtur *lex* 13. *inf. de cohortalibus*: quæ etiam huius argumento conuenit: Nam & de *desertoribus* vtraque agitur, & vtraque de auraria præstatione. *GOTHOFREDVS.*
(b) *Seuerus* dicitur hic & *d. l.* 13. PF. P. Atenim vocatur PF. V. *l. 4. inf. de calcis coctoribus*, & *l. vn. inf. de mendicantibus non inualidis*: & *l. 2. inf. de lucris officiorum.* imo & *l. 8. inf. de Legatis.* vbi tamen hæc subscriptio addita, *PP. Karthag.* *IDEM.*
(c) Tironum videlicet. *ID.*
(d) Pertinet igitur hoc ad Tirones oblatos: vide *sup. Paratitlon de tironibus*, & *l. 2. sup. h. t.* ibi, *vel ante iam traditus.* *IDEM.*
(e) Militiam. *IDEM.*
(f) Dominorum scilicet collatorum, qui ad tironum collationem tenentur, vt *l. 4. sup.* *ID.*
(g) Adstringit. *IDEM.*
(h) Fugax, vt *l. 8. sup. de iurisdictione*: & *l. 119. inf. de Decurionib.* *ID.*
(i) De hac *supplementorum* voce hac in re propria dixi *ad l. 9. sup. de Tironib.* *ID.*
(k) Altera *huius legis* pars similis *legi* 4. *sup.* vbi dixi. *ID.*

COMMENTARIVS.

AD TIRONES desertores hæc *lex* pertinet, non minus quam *lex. 2. 4. sup. hos eod. tit.* vt & *lex 9. inf.* denique & *lex 21. sup. de Tironibus.* De his igirur hæc duo statuuntur. Primum eum qui Tironem obtulit, etsi desertionis conscius non sit, tamen si Tiro intra annum Tirocinii siue Tironatus, & vt ita dicam *adprobationis* suæ, militiam deseruerit, pretium huiusmodi desertoris tironis præstare cogi. Quod ipsum *l. 8. inf.* his verbis Indicatut; *Illorum tantummodo* [iuniorum desertorum] *inuoxia relinquatur habitatio, quos iam dudum fiscus adarauit.* [id est, quorum desertorum pretia fiscus exegit] sed & *l. 14. inf. vers. hac tamen conditione. Quia* inquit, *per prouinciales intra præscriptum legibus tempus* [iuniores desertores] *ad ea signa, quibus destinati fuerant, redhibendi sunt.* Et forte quoque *lex 4. sup. in princ.* Eodem pertinet & Symmachi *Epistola ad Secularem*, quæ est *l. 7. in Auctuario Symmachiano edit. 1601. in 12. Pretia*, inquit, *desertorum confuso errore poscuntur. Nam neque iudicia ..... certus futuri laboris instituet. Fixum enim ac definitum tenet amplissima Præfectura, nullum eius esse meriti, vt Sublimitati tuo debeat subrogari.* Scilicet Prouinciales seu possessores ad Tironum oblationem adstricti, vt ea oblatione defungerentur, nequissimos tirones offerebant, mox mox militiam deserturos & fugaces, Quod etiam *hac l.* indicatur *vers. ipsorum quippe.* Idque est ipsum quod Vegetius conqueritur *lib. 1. cap. 7. Dum possessoribus*, inquit, *indicti Tirones per gratiam aut dissimulationem probantur, talesque sociantur armis, quales domini habere fastidiunt.* Proinde fugæ vitium ad dominum seu collatorem pertinere *h. l.* iubetur: *ipsorum quippe*, inquit, *est prouidentia, quos huiusmodi munus amplectitur, militaturis potius quam fugacibus instruere necessaria supplementa.* Si modo Tyro intra annum militiam deseruerit: Nempe quia qui intra annum fugit, ex veteri vitio, quo iam apud Dominum te- p.408 nebatur, fugisse videtur. In redhibitoria sane actione emptor serui qui postea fugit, probare cogitur seruum, cum venderetur, fugitiui vitium in se habuisse, atque ideo ex veteri seu pristino vitio, non hodie fugitiuum esse, *l. 54. D. de Ædilitio Edicto: l. 4. D. de probat. l. 3. Cod. Iust. de Ædilitiis actionibus.* Et Paulus 2. *senten. tit. 17. §. 11.* de quo vide etiam quæ dixi ad *l. vn. sup. de Ædilitiis actionibus*: Verum ex hac *lege* notetur præsumptio notabilis, scilicet intra annum fugientem tironem, ex inueterato, pristino, & ingenerato vitio fugisse videri: Ideo etiam in *l. 2. Cod. Iust. de Ædilitiis actionibus*, proponitur seruus post anni tempus fugisse. Secundo eadem pœna occultatoribus imponitur *h. l.* quæ *l. 2. 4. sup.*

OCCVLTATORIBVS *desertorum & latronum sex Mensium tempus tribuitur a Theodosio ad prodendos desertores; post id tempus, Occultatoris pœna.*

VII. (a) Idem AAA. Constantino (b) Vicario diœcesis Ponticæ. (c)

QVISQVIS in fundo suo desertores vel latrones (d) habere se *meminerit*, (e) nisi eos ex die Constitutionis (f) emissæ in (g) sex menses prodiderit, aut conprehensos etiam seueritati Iudiciariæ obtulerit, sciat dissimulatione (h) conuictus fundum ipsum, in quo prædicti postea potuerint inueniri, fisci nostri viribus esse nectendum. Quod si forte contigerit, vt *inscio* domino memorati latuisse videantur, (i) pari constituti temporis dimensione seruata, Actores capite (k) damnentur. Quam condicionem & circa *Actores rerum* (l) *nostrarum* volumus custodiri. Dat. IV. Id. Iul. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino CONSS. [383.]

NOTAE.

(a) Hæc *lex* totidem pene verbis repetitur *l. 12. inf.* Concordat huic *lex 5. sup.* *GOTHOFRED.*

(b) *γρ. Constantiniano*, vt *l. 42. infr. de cursu publ. l. 94. inf. de Decurionib. l. 12. inf. de exactionibus*: & *l. 10. de hereticis*: (vbi tamen *Constantiano* perperam editum excepta *lege* 10. *de heret.*) quæ omnes *leges* hoc ipso anno datæ sunt ad eundem Constantinianum: ac nominatim *dicta lex* 94. de desertoribus pariter tractat, sed Curialium, vt hæc, militiæ. *Lex d. 42. de curs.* ad eundem superiore anno data est. *ID.*

(c) De *Pontica diœcesi* alibi dico. *IDEM.*

(d) Latronibus affines & proximi desertores, *h. l.* & *l. 14. 15. inf.* *IDEM.*

(e) Id est, *sciuerit.* *IDEM.*

(f) Huius. *IDEM.*

(g) Id est, *vsque* ad sex menses, vel intra sex menses. *IDEM.*

(h) In dissimulando, *d. l. 12.* *IDEM.*

(i) Id est, *latuerint.* additum ad maiorem lucem *d. l. 12. Fundo e nexu huius legis exuto.* Vide quæ dicam *ad l. 2. infr. de falsa monet.* *IDEM.*

(k) Seuero supplicio, *d. l. 12.* *IDEM.*

(l) Res priuatæ Principis. *IDEM.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

Tempvs hac Theodosii M. constitutione præstituitur, intra quod desertores & Latrooes ab occvltatoribvs seu receptatoribus eorum offerri iubentur: alioquin eo tempore elapso, domino possessionis dissimulanti proscriptionis prædii pœna indicitur: Actori, capitis. Quæ ipsæ pœnæ sunt præstitutæ *l. 5. sup.* Actori inquam, etiam possessionum Principis (quod & ipsum repetitur *l. 12. inf.*) Vna scilicet Actores rei priuatæ, quæ Prouinciales, tenere debet disciplina, & intelligere debent, vno sibi ac pari studio viuendum esse eum cæteris, vt loquitur Constaotios in *l. 1. sup. de Iurisdictione.* Imo Constantious M. aliquaodo grauiores in eos pœnas constituendas duxit, vtpote qui præ cæteris, Principis maodata custodire deberent, velur ad Principis ius spectantes, *l. 1. inf. de Actoribus & Procuratoribus & Conductoribus rei priuata.* Porro tempus, siue laxamentum, ad prodendos desertores varie præstitutum reperio: Quandoque sex menses, vt *h. l.* quandoque duos, *l. 8. prox.* quatuor, *l. 9.* Certe indiffinite quoque *l. 5. sup.* ad Occultatoris pœnam contrahendam requiritur, vt quis desertorem apud se div passus fuerit delitescere.

Cæterum notari cupio, hanc leg. nominatim ad desertores & Latrones *per Diœcesin Ponticam* pertinere. Quo etiam pertioer insignis hanc ad rem Gregorii Nazianzeoi in Cappadocia (quæ Ponticæ diœceseos erat) *ep. 123.* ad Ellebichum Magistrum militum (qui sane hoc ipso anno 383. Magister militum erar, vt docee *l. 1. inf. de calumniatoribus)* qua eum rogat, vt gratiam faciar desertionis Mamanti, qui cum patrem militem haberet, Lector in Ecclesia factus fuerat, neque eum inter vagos referret. *Μάμαντα τὸν ἀναγνώστην, ὄντα μὲν ἀπὸ στρατιώτου πατρὸς, καθιερωθέντα δὲ τῷ θεῷ διὰ τὸν τρόπον, ἄφες τῷ θεῷ καὶ ἡμῖν: ἀλλὰ μὴ συναριθμήσῃς τοῖς πλάνησι, καὶ δὸς ἔγγραφον τὴν ἐλευθερίαν, ἵνα μηδὲ ὑπὸ ἄλλων ἐπηρεάζηται. Mamantem lectorem, qui cum militem patrem habeas, Deo tamen ob morum probitatem consecratus est. Hunc quaso, Deo ac nobis missum fac, nec inter errones numera. Atque libertatem ac vacationem ei scripto tribue, vt ne ab aliis quidem per calumniam vexetur.* De quo iam dixi *ad leg. 5. de re militar.* Sane Iustinianus quoque *Edicto suo 8. de Pontici tractus Vicario in prafat. Ponticam* latrociniis & desertoribus famosam fuisse ostendir, eaque restituendi Vicarii Ponticæ occasio fuit (quem antea sustulerat, eo in Comitem Galatiæ verso, *Nouella 8. cap. 3.*) vbi & specialiter huic Vicario iurisdictionem tribuit in possessiones siue prædia priuata Principis, atque adeo Actores, *cap. 2.*

---

p. 409 Occvltantis *desertorem pœna pro qualitate ordinis & personæ: item ex* oblatione & qvæstione *desertorum.*

VIII. (a) Idem AAA. ad Flauianum PF. P.

I. Qvisqvis desertorem vel a se receptum, vel in suo latitantem cognoscit, nisi eum ex die publicati huius Edicti intra duos (b) menses adhibita inquisitione (c) correptum Ordinario Iudiei offerre eurauerit, detectus in crimine, pro qualitate atque ordinis (d) personæ incurrat in legem: & siquidem potuerit corporali iniuriæ subiacere seruata (e) ex iure substantia & sustibus (f) coherceatur, vel metallOperi (g) publico deputetur, & nonnunquam se alterius (h) erigente censura exilio perpetuæ relegationis plectatur. Quod si eiusmodi fortasse fuerit, vt iniuria corporali intuitu generis aut honoris excipiatur, non procrastinata auctoritate (i) sententiæ per singula capita eorum quos contra interdictum retinere atque occultare non timuit, denos Iuniores maxime idoneos (k) militiæ offerat, aut quinquaginta pondo argenti restituat. (l) Quod si Procurator possessionis, siue Actor, vel etiam Colonus latebram desertori domino ignorante præstiterit, detectus in crimine, capitali (m) supplicio mancipetur: ceteros quoque similis conseientiæ, (n) exemplum triste deterreat. Illotum tantummodo, probationibus euidenter ostensis, innoxiis (o) relinquatur habitatio, quos iamdudum fiscus adærauit. (p) II. Oblati (*) autem Iudicibus (q) (nisi in continua quacunque prouineia, vel Tuæ præstantia Potestatis, vel hii duntaxat Ordines (r) militares viri qui possint de capite eorum ferre sententiam, degere videbuntur) interrogati & seueritati (s) necessariæ subiaceant, & ad Sinceritatem tuam per Ordinarii Iudicis executionem, vel Officia Rectoris dirigantur cum prosecutione; (t) & cetera. Dat. III. Kalendas Mart. Merobaude II. & Saturnino cons. [383.]

N O T A E.

(a) Iungenda *huic* est *lex 2. siue vlt. inf. de his qui latrones vel aliis criminibus reos occultauerint.* GOTHOFRED.

(b) Sex, *l. superiore 7.* quatuor, *lege sequente 9.* IDEM.

(c) Dicam ad *l. 10. infr.* IDEM.

(d) Forte rescribendum inuerso modo: *pro qualitate ordinis atque persona:* vt mox, *intuitu generis aut honoris. Ordinis qualitas* est generis prærogatiua. *Qualitas persona,* est honoris prærogatiua. Possis & ita, *pro qualitate & ordine*

ordine personæ. Nam & ita *l. 2. inf. de his qui latrones* (quæ *huic legi* coniungenda est) *qualitatis personæ* tantum fit mentio. *IDEM.*

(e) Id est, bonis eius proscriptis. *IDEM.*

(f) De pœna fustium alibi dicam. *ID.*

(g) Recte : coniuncta voce, pro metalli operi : vid. & *l. 1. sup.* *IDEM.*

(h) Est qui reponat, *altius* : mihi placet, *vlterius*. *ID*

(i) *Austeritas* sententiæ est austeritas *ID.*

(k) Vide Vegetium *lib. 1. fine cap. 7. ID.*

(l) *Restituat*, pro præstet; vide *Gloss. ID.*

(m) Vt *l. 4. & 7. sup. ID.*

(n) Conscientiam hic vocat eius, qui vel sciens prudens desertorem recipit, vel in suo latitare cognoscit. *ID.*

(o) γρ. *innoxia habitatio* : id est, quæ nullam pœnam meretur. Si retineas, *innoxiis*, sensus hic erit : Actores vel dominos possessionum citra pœnæ metum habitationem præstare posse, illis tironibus, pro quibus iam pretia exacta sunt. *ID.*

(p) De *adærandi* voce dixi plene ad *l. 28. sup. de erogat. milit. annona. ID.*

* SECVNDA *huius legis* pars. *ID.*

(q) Parenthesi hæc ita includenda sunt, & sic inclusa perspicuum sensum habent. *ID.*

(r) γρ. *Ordinis militaris. IDEM.*

(s) *Seueritatem necessariam* vocat quæstiones & tormenta. *ID.*

(t) De prosecutione reorum dicam *inf. Titulo, de exhibendis vel transmittendis reis. ID.*

COMMENTARIVS.

I. POENA desertorem occultantis pro qualitate Ordinis & personæ *hoc* Valentiniani Iun. *Edicto* statuitur : Plebeio scilicet & humilioris conditionis occultatori, pœna fustium, vel metalli, vel etiam perpetuæ deportationis imponitur : Eis vero qui superioris loci aut dignitatis sunt, decem tironum mulcta indicitur, vel quinquaginta pondo argenti (quod eodem recidit : Tirones quippe quinque libris argenti ferme taxabantur, vt ostendi ad *l. 23. sup. de Tironibus* : Quinquaginta proinde libræ argenti pretium sunt, seu taxatio decem Tironum) His pœnis ex parte respondent quæ statutæ iam fuerant a Valentiniano *l. 1. sup.* Actori denique vel Procuratori Capitalis pœna imponitur, de quo dictum *ad l. 5. sup.* Et hæc quidem desertores occultantium pœna *hoc edicto* statuitur : At latrones occultantium maior indicitur hoc eodem Edicto *in l. 2. inf. de his qui latrones* : (quam *huic* nostræ coniungendam esse dixi) cum alioquin desertores & latrones, quin & ipsorum Occultatores pari ferme passu ambulasse, vel proxime præcedens *lex 7.* ostendat, & *lex 14. 15. inf.* & sane minimus est a desertionis crimine ad latrocinium deflexus : Igitur latronum occultatori Actori ignis supplicium indicitur : cæteris vel corporale, vel facultatum omnium dispendium. Excipiuntur tantum *h. l. versic. illorum tantummodo*, illorum tironum occultatores, quorum desertorum pretia iam exacta fuerant : de qua tironum desertorum adæratione dixi ad *l. 6. sup.* P.479

II. OFFERRI desertores Rectoribus Prouinciarum & ab iisdem interrogari, quæstionique subiici, dein ad PP. dirigi (ab eo videlicet supplicio subiugandi) iubentur : Notio igitur ad Iudices Ordinarios de desertoribus spectabat : at supplicium ipsorum ad Præfectum Prætorio ; qui & ideo sub prosecutione ad eum mitti debebant : de qua in vniuersum reorum prosecutione, dicam ad *tit. inf. de exhibendis vel transmittendis reis.* Ex *hac* interim *lege* apparet : hanc transmissionem reorum factam vel per Ordinarii Iudicis executionem, vel per Officia Rectoris. Inter quæ, quodnam sit discrimen, non video. Itaque tutius puto, *vel*, pro *siue*, accipere ; non alternatiue, sed interpretatiue pro, *id est*, vt idem sit per Iudicis executionem & per officia Rectoris dirigi : Et sane nil aliud sunt Officiales Iudicum, quam Executores mandatorum Iudicialium. Et hæc ita quidem constituuntur, nisi in proximo fuerit, & in contigua prouincia aut Præfectus Prætorio, aut Magister Militum, vel etiam Dux aut Comes rei militaris qui scilicet omnes de capite militum sententiam ferre possunt : Hoc enim casu desertores recta non Iudicibus, verum prædictis offerri debent, qui de iis quæstionem simul & iudicium ferant.

OCCVLTATORIBVS *laxamentum quatuor mensium tribuitur : post id tempus occultatoris pœna.*

IX. Impp. Arcadius & HONORIVS AA. ad Populum. (a)

I. QVISQVIS in domo patrimonioue suo, vel qualibet (b) obstrusa (c) & longissima (d) a se possessione discreta desertorem latere cognoscit, ad eos, quibus cura Indagandi mandata est, vel si forte defuerint, ad Rectorem prouinciæ protinus spontanea oblatione deducat, veniam delicti veteris habiturus : exactis enim quattuor (e) mensibus postquam Edictum nostrum intra eam Vrbem, quam quisque habitat, fuerit publicatum, (f) si quis noluerit moderationi præsentis obedire præcepti, hæc in eum pœna imponetur, vt & qui occultatus fuerit, eruatur, & latebræ auctor pro vno desertore vel pro (g) duas præterea auri libras vel duos Iuniores (h) militaris roboris (i) ac staturæ (k) cogatur fisco, abscisa (l) spe totius defensionis, inferre. Et quoniam plurimos (m) cognouimus priusquam victricibus (n) aquilis sociarentur, vel illuc vnde (o)

electi

electi (p) fuerant, vel quo placuerit abire, alios autem litterarum (q) initiatos suspicio, quamquam necdum dicantur meruisse sub signis, præcipimus vt post tempus definitum quicunque ex Iunioribus fuerit retentus, præter eum vel duos tirones per singulos vel duas auri libras malo (r) coactus fisco nostro adnumeret. II. Qui vero causarias (s) vel honestas indepti sunt missiones, ab inuidia & formidine desertionis amoueantur, etsi hæc sunt Tyrannico (t) tempore consecuti, dummodo eos meruisse vel peracto militiæ labore, vel probata debilitate pateat. Si qui etiam ex Seruorum numero militiæ se sociarunt, quos dominis suis legitima Iudicum reformauit (v) auctoritas, sine metu legis ab his quibus recte docentur redditi tenebuntur. Dat. VI. Kal. Maii Med. Arcadio IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTAE.

(a) Ad GALLIAM & EVGENII Tyrannidem hanc legem refero. *GOTHOFRED.*

(b) Malim, *quamlibet. ID.*

(c) Nisi hoc tolerari possit, legendum, *abstrusa. ID.*

(d) *γρ. longissime.* vid. *leg. 4. infr. de fals. moneta. ID.*

(e) Sex *l. 7. sup.* duos, *l. 8. sup. ID.*

(f) Edicta publicata intra Vrbes: qua *Vrbium* appellatione ferme metropoles veniebant, vt alibi doceo. *ID.*

(g) Locus hic ita reponendus videtur, *pro vno desertore vnam libram auri, vel pro duobus duas præterea. ID.*

(h) De *Iuniorum* appellatione dixi ad *l. 1. sup. de Tironibus. ID.*

(i) Vid. *l. 13. inf. de diuers. offic. l. 4. inf. de filiis militar. apparit.* ἀνάξια σώματος εἰς στρατιὰν ἐπιτήδειος, Herodiano *lib. 4. cap. 9. & lib. 6. c. 3.* vid. loca ad *leg. 3. sup. de Tyronibus. ID.*

(k) Dixi ad *l. 3. sup. de Tironibus ID.*

(l) Id est sublata & præcisa spe omnis defensionis. *ID.*

(m) Tirones *IDEM.*

(n) Felicibus signis, *l. 4. sup. ID.*

(o) Id est ad genitales terras. *ID.*

(p) Vnde delectis. *ID.*

(q) *γρ. militarium:* vel *militiæ armatæ. ID.*

(r) *Malo coactus*, id est male multatus. *ID.*

(s) De causariis & honestis missionibus res nota est. Causaria probata debilitate datur: honesta peracto militiæ labore. *inf. vers. etsi. ID.*

(t) Tyrannicum tempus accipio Eugenii: quæ Tyrannis profligata A. D. 394. *ID.*

(v) De *reformandi* voce, vide *Gloss. IDEM.*

P. 411

COMMENTARIVS.

I. HONORII constitutiones nouem sequentes omnes de desertoribus sequuntur: suis quæque necessitatibus ab Honorio extortæ: hæc sane, occasione belli aduersus Eugenium gesti: qua quidem lata POENA Militem aut Tironem desertorem occultantis, neque prodeuntis definitur: Laxamento seu tempore iusto eos prodeundi præbito: quatuor mensium videlicet: vt sex mensium, *l. 7. sup.* duorum, *l. 8. sup.* Igitur pœna hæc statuitur: vt pro singulis, vel duos Tirones, vel duas auri libras Occultator tribuat. Vnde apparet Tironem *h. l.* auri libra æstimari: quod non multum recedit ab æstimatione Tironis facta Valentis constitutione, cuius meminit Socrates *lib. 4. cap. 34.* verum de Tironis in vniuersum æstimatione, dixi ad *l. 7. sup. de Tironibus.*

II. Duæ tamen exceptiones *hic* adducuntur: Prima desertores non esse qui causarias vel honestas missiones adepti sunt, id est, vt vel hæc ipsa *lex* ostendit, qui eas impetrarunt, vel probata debilitate, vel peracto militiæ labore: ac proinde occultatoris pœna non tenetur, qui huiusmodi militem domo, vel patrimonio suo continet.

Secunda exceptio: Occultatoris pœna non tenetur, qui *seruum* sibi elapsum, & ita militiæ non iure adscriptum (quod firmat *lex 8. 11. de Tironib.*) mox recuperauit. Qua tamen parte legitima Iudicis auctoritas requiritur, ne alioquin hoc prætextu, dominique obtentu, iusti milites a signis abducantur, atque adeo desertioni latebra quæratur. Porro pertinet hæc *lex* proculdubio ad Galliam, & ad Eugenii tyrannidem, de qua dicetur *ad l. 9. 11. 12. inf. de infirmandis his quæ sub Tyrannis*, quæ scilicet profligata fuit Anno 394.

INQVISITORVM *ad inquisitionem vagorum, missorum, officium.*

X. Idem AA. Vincentio PF. P. Galliarum.

PROTECTORES (a) qui ad Inquisitionem Vagorum per prouincias diriguntur, nullas in retinendis fugitiuis duntaxat indigenis iniurias possessoribus parent; quia hoc il-

 lis

lis tantum permittitur, vt desertores veteranorum filios, ac Vagos, & eos (b) quos militiæ origo consignat, ad delectum Iuniorum prouocet. (c) Dat. XVI. Kal. Iun. Med. Stilichone & Aurifiano VV. CC. CONSS. [400.]

NOTAE.

(a) De Protectoribus fuit *supra*, *Titulus* 24. *lib.* 6. GOTHOFR.

(b) Lætos-Alamannos, Lætos-Sarmatas, vt ostendit *lex* 12. *inf. de Veteranis*, hoc ipso anno data ad Stilichonem Magistrum militum (per Gallias.) *ID.*

(c) *vt prouocent. ID.*

COMMENTARIVS.

INQVISITORES quandoque extra ordinem per Prouincias missi ad desertores milites eruendos, itemque ad desertores Veteranorum filios & vagos, cæterosque qui originis nexu militare coguntur (de quibus dicendi locus erit *inf. tit. de filiis militar. Apparit. & Veteranorum* & *l.* 12. *inf. de veteranis*, quæ hoc ipso anno data:) militiæ adscribendos, seu ad delectum prouocandos. Horum Inquisitorum vt. *h. l.* ita & *l.* 9. superiore & *l. vlt. huius tituli* fit mentio. Fit etiam mentio apud Spartianum, in *vita Pescennii Nigri c.* 3. *Pescennius*, inquit, *Seuero, eo tempore quo Lugdunensem Prouinciam regebat, amicissimus fuit: nam ipse missus erat, ad comprehendendos desertores, qui innumeri Gallias tunc vexabant.* Cæterum ad id officium missi Protectores, vt præter hanc *legem* docet quoque *lex* 2. *in f. infr. de filiis militar. Apparitor.* Et quidem Tribuni dignitate. *l. vlt. huius Tit.* vt ferme Protectores ad reos comprehendendos missi, vt ostendit *lex* 3. *inf. ad legem Iuliam Repetundarum.* Videndus & Ammianus Marcellinus non vno loco: inter cæteros *lib.* 15. *cap.* 5. Porro pertinet hæc *lex* ad Gallias, a desertoribus non semel infestari solitas, vt superior quoque Spartiani locus ostendit. Et sic occurritur *hac l.* militiæ desertoribus per Gallias: pariter vt Curialium & Collegiatorum fugæ, *l.* 1. 2. 3. *inf. de his qui cond. propr.* Centurionum fugæ, *l. vn. inf. de centurion.* Colonorum, *l.* 13. *Cod. Iust. de agricolis & cens.*

Vagi, *h. l.* & *l. vlt. inf.* & *l.* 12. *inf. de Veteranis*, (quæ hoc ipso anno data est) proprie sunt militiæ obnoxii, qui desertis fundis suis & terris seu indigenis, alienis fundis continentur: Tyronis nominatim vagi fit mentio, *l.* 8. *sup. de Tyronibus.* Itaque & alienigenæ vocantur, *l.* 2. *sup. hoc tit.* Et hac ipsa *lege* Vagi indigenis opponuntur. Alioquin Vagorum appellatione omnes militiæ desertores veniunt: vt *huius legis initio*, eaque mox a sequioris seculi Græculis eodem sensu vsurpata: ac nominatim a rei militaris scriptoribus: hinc *βαγεῦσαι, βαγεύειν, βαγεύτες στρατιῶται* apud Suidam, Theodorum Prodromum *in Lexic.* *βάθρον, τὸ βῆμα λέγεται. βαγέυει. πλανητέυει.* Mauritium 1. *Stratag.* 6. Leonem *Tactic.* 8. §. 4. Rufum *in legibus militaribus cap.* 54. 56. Constantinum *de administr. Imperio cap.* 51. (a)

Porro de Inquisitorum officio id *h. l.* cauetur, vt filios tantum Veteranorum, & Vagos, & eos, quos militiæ origo adstringit, ad delectum Tironum prouocent: ac nominatim indigenas ad militiam vocent, cum possessionum damno: Inquisitores non indigenas, sed vagos & his similes ad militiam vocare debent.

(a) Loca hæc Meursius habet *in Glossar.* sed plura collegit du Fresne de voce hac græco barbara in *Glossar. græc.*

P. 412 1. PROCESSVS *aduersus desertores:* 2. TRACTORIÆ, *& epistolæ falsæ.* 3. OCCVLTATORIS *pœna.*

XI. (a) Idem AA. & Theodosius A. Hadriano PF. P. (b)

I. SI qui desertores oberrare in Prouinciis fuerint comprehensi, (c) eos & comprehendi (d) protinus volumus, & ad Iudicem deduci, vt auditi cum de crimine desertionis suæ confessi fuerint, carceris custodiæ deputentur: de quorum nominibus ad tuam Sublimitatem subditis confessionibus referatur, vt instructi Magistri militum *Quid de his fieri oporteat*, pro sui auctoritate constituant. (*) Sin vero inuenti resistendum atque armis obtinendum (e) putauerint, tanquam rebelles in ipsis temeritatis suæ conatibus opprimantur. II. Ita tamen vt prouinciarum Iudices sollicita cautione disquirant, ne sub falsarum Tractoriarum (f) nomine desertionis suæ crimen defendere moliantur, ne subpositis aut commentis (g) Epistolis euadendi habeant facultatem. III. Desertorum quoque occultator iuxta promulgatas leges seuerissime vindicetur. (h) Dat. VI. Kal. Mart. Rau. Theod. A. I. & Rumorido CONSS. [403.]

NOTAE.

(a) Hæc *lex* cum *tribus* sequentibus 12. 13. 14. vt ad eundem annum, ita & ad eandem historiam pertinent. GOTHOFREDVS.

(b) *Italiæ*, sub cuius dispositione Italia, Africa, Illyricum Occidentale fuit. IDEM.

(c) Malim, *deprehensi*, vt inf. *inuenti. ID.*

(d) Eadem

(d) Eadem voce vtitur Spartianus, *in Pescennio Nigro. c.3. ID.*
(*) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est. *IDEM.*
(e) *Obnitendum*, Fornerius 2. *Quotidian. 9.* reponi non improbabiliter. Nam & similis metathesis erat in prior. edit Cuiac. *in leg. 27. de Episcop.* vbi pro, *crimen*, restituendum fuit *crinem*: verum locum obtinere potest vox *obtinendum*. Nam, vt Cuiacius recte indicauit *ad cit. leg. Cod. Iust. obtinere*, est *obniti*; Græci vertunt διὰ τῶν ὅπλων κρατῶσι *ID.* Cod. Iust. vulgat. habet *oppugnandum. RITTER.*
(f) De *Tractoriis*, suo *Titulo* dicetur *inf. lib. 8. tit. 6. GOTHOFR.*
(g) γρ. *commentis*, id est, commentitiis. *ID.*
(h) Id est, *in Occultatorem vindicetur.* Et certe MS. hic habet: *In desertorem quoque occultator*, &c. *ID.*

COMMENTARIVS.

I. PROCEDENDI aduersus desertores deprehensos forma *hac* Honorii *constitutione* præscribitur. Igitur comprehensus ad Iudicem, seu Rectorem Prouinciæ deduci iubet, & ab eodem audiri, mox confessos (adde & conuictos) carcere concludi: His peractis, confessiones, siue informationes vt loquuntur, ad Præfectum Prætorio mitti: Tandem Magistri militum moniti, quid de his fieri oporteat, statuere debent. Vbi, quod singulare, in eodem negotio tres Iudices obserua, Rectorem Prouinciæ seu Iudicem Ordinarium, qui informationem facit, quique processum instruit: Præfectum Prætorio, ad quem processus mittitur; Magister Militum qui statuit quid de desertore milite faciendum sit. Cui non absimile est, quod statutum fuit *l. 8. in fine, supra, hoc tit.* Magistri militum est, de capite militum sententiam ferre, vt eadem *lex 8.* ait. Hic igitur legitimus est processus. *Extraordinarius*, qui sequitur, Desertores quippe deprehensi, si resistant, & armis obtineant, (siue obnitantur) illico sine forma processus opprimi possunt, & debent, tanquam rebelles & latrones: de quo vide & *legem 13. 14. inf. h.t.*

II. In processu aduersus desertores & illud Iudex obseruare debet, & vt *lex* ait, sollicita cautione disquirere, num *Tractoria*, vel epistolæ, quibus crimen desertionis miles euadere nititur, veræ sint, an falsæ: sæpe enim milites ementiuntur huiusmodi Tractorias & Epistolas: *Epistolæ* sunt testimoniales missionum literæ (*passeport* vocamus) de quibus *inf. tit. de Testimon.* quæ & hic dicuntur *Tractoria*, de quibus *suo titulo* plene. Harum Epistolarum mentio quatuor præterea locis: puta *l. 2. 4. infr. de Veteranis: l. 1. de Testimonial. l. 1. inf. de Tractoriis.*

Tandem in Occultatores desertorum sancitæ superioribus constitutionibus pœnæ *hac eadem lege* confirmantur. Illud monendum superest, hanc *legem* cum *tribus* sequentibus, si non ad Africam speciatim pertinet, videri ad Gothorum in Illyricum & Italiam irruptionem pertinere: de quo ad *legem 14.*

OCCVLTATORIS *pœna.*

XII. (a) Idem AAA. Hadriano PF. P.

SI quis militem profugum desertoremque castrorum in prædio suo susceperit, nisi eum ipse prodiderit, aut comprehensum seueritati Iudiciariæ potestatis obtulerit: sciat si in dissimulando conuictus fuerit, fundum ipsum in quo prædictus postea potuerit inueniri, fisci nostri viribus sociandum. Quod si forte contigerit, vt inscio domino in
P.413 eius prædiis habitarit, fundo (b) a nexu huius legis exuto, Actorem conscium seuero (c) supplicio damnandum esse censemus. Quam conditionem etiam circa Actores domus nostræ volumus custodiri. Dat. VIII. Kal. Aug. Rau. Theod. A. I. & Rumorido CONSS. [403.]

NOTAE.

(a) Exscripta hæc *lex* ex *l. 7. sup. GOTHOFREDVS.*
(b) Hoc additum ad maiorem lucem, quod omissum *d. l. 7. sup.* vid. quæ dicam ad *l. 2. inf. de falsa mon. ID.*
(c) Capitali, *d. l. 7. sup. ID.*

COMMENTARIVS.

SENTENTIA huius *legis* eadem est quæ *legis 7. sup.* Imo hæc *lex* ex illa repetita est, totidem pene verbis, paucis admodum immutatis. De quo *legum* repetitarum more secundo capite *in Prolegomenis* dico. Scilicet, exolescente pœnarum metu, vel etiam Reipublicæ vtilitate suadente, priores *leges* in posteriorum latarum nomina sæpe transibant: Quod de XII. Tabulis Macrobius 3. *Saturnal. cap. 17.* testatur.

OPPRIMERE *desertorem cuilibet permittit Honorius:* OCCVLTATORIS *pœna.*

XIII. (a) Idem AAA. Hadriano (b) PF. P.

DESERTORES modis omnibus adtinendos (c) esse censemus. Vniuersi igitur prouinciales sciant, opprimendorum sibi desertorum facultatem esse permissam; quibus

τικὴν σίτησιν διὰ τοῦ Εὐξείνου Πόντου ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ Ἴστρου παραδιδοὺς κἀντεῦθεν διὰ τῶν ποταμίων πλοίων ταῖς ἐπικειμέναις τῷ ποταμῷ πόλεσιν ἐναποτιθέμενος, ὥστε ἐξ ἑτοίμου γενέσθαι τῷ στρατοπέδῳ τὴν χορηγίαν. *Et onerariarum magna copia militarem annonam per Pontum Euxinum ad Istri curans ostia, fluuialibus inde nauigiis vectam in oppida, propter amnem sita, recondebat; ita quidem, vt esset, vnde suppeditari ea militibus expedite posset.* Atque vt nanes armatæ seu Lusoriæ transuectioni specie- p.404 rum destinatæ fuerunt, ita alibi quoque legiones. *Notitia Imperii* sub Duce Rætiæ *fol. 172. Præfectus legionis tertiæ Italicæ transuectioni specierum deputatæ Foetibus: Præfectus legionis tertiæ Italicæ transuectioni specierum deputatæ Teriolis.*

DE DESERTORIBVS * ET OCCVLTATORIBVS EORVM.

TITVLVS XVIII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XLVI.

* Desertor λιποστράτιος.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. Edicta duo per Italiam, (b) & Alpes.

VNVSQVISQVE, apud quem desertor fuerit deprehensus, si plebeiæ & humilioris condicionis est, metalli se sciat supplicio puniendum: qui autem superioris cuiuscunque loci dignitatisue sit, media se bonorum parte cognoscat esse multandum. In hac pœna sit & Officium vniuscuiusque Iudicis, quod forte desertores in consortio sui probatos habet, nec eos prodit. Dat. VII. Kalendas April. Mediolani, (c) Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) Concordat *lex 8. inf.* GOTHOFREDVS.

(b) Dixi aliquid de desertoribus Italis, & de Murcis Italis *ad l. 4. sup. de Tironib.* IDEM.

(c) Vide Ammianum Marcellinum *lib. 26. cap. 5.* ID.

COMMENTARIVS.

OCCVLTANTI, vel non prodenti desertorem POENA humiliori seu plebeio, metalli, cæteris dimidiæ bonorum partis proscriptionis, vt & Officialibus Iudicum imponitur, his duobus Valentiniani Edictis, eodem videlicet exemplo emissis per Italiam & Alpes. Ex quo duo notari oportet.

Primum, *Alpes* ab Italia separari. Et certo Alpium quasdam Italiæ connumeratas, quasdam vero Galliæ, horum ipsorum temporum Scriptores testantur, Rufus Festus *Breuiario ad Valentem cap. 6.* Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 11.* Sed & *Notitia Imperii fol. 116. 117.* Solæ videlicet Alpes Cottiæ, Italiæ accensebantur: Alpes vero maritimæ Penninæ & Graiæ, ad Gallias spectabant. Quanquam *Graiæ* in Veteri *Indice Sconhouiano pag. 75. edit. Cellar.* qui sub Theodosio M. scriptus, & apud Paulum Diaconum *de gestis Longobardorum lib. 2. cap. 18.* Italiæ adscribantur.

Secundo obseruandum, Italiam, & Alpes, desertoribus famosas fuisse. De Italia certe iam aliquid dictum est ad *l. 4. sup. de Tironibus.* De Alpibus nil mirum: quippe in montanis ferme & desertores, & latrones, vel ex desertoribus latrones. Zosimus certe *lib. 6. cap. 2.* Bacaudas latrones & rebelles (de quibus alias dicendi mihi locus erit) circa Alpes quoque hæsisse prodit. Σάρος inquit, σὺν πολλῷ διεσώθη πόνῳ τὴν λείαν ἅπασαν δωρησάμενος τοῖς περὶ τὰς ΑΛΠΕΙΣ ἀπαντήσασιν αὐτῷ ΒΑΚΑΥΔΑΙΣ ὅπως εὐρυχωρίας παρ᾽ αὐτῶν τύχῃ τῆς περὶ τὴν ΙΤΑΛΙΑΝ παρόδου. *Sarus multo labore saluus euasit; vniuersa præda Bacaudis, qui ad Alpes illi occurrerant, concessa, vt ab eis adeundæ Italiæ facultatem impetraret.* Tales etiam sunt in Pyrenæis *Bandolieri*: Tales in montibus Pannoniæ, *Martolossi.* Tandem, ex variis *Valentiniani* constitutionibus, tum hoc anno, tum superiore, videre est, hoc tempore Italiam latronibus infestatam, atque adeo variis rationibus Valentinianum his occurrisse, *hac l. & l. 1. 2. 3. 4. inf. quib. equor. vsus: l. vn. inf. quorum vsus interd.*

II. Imppp.

II. Imppp. Gratianus, VALENTINIANVS, & Theodosius AAA. ad Hesperium PF. P. (a)

ACTOR eius fundi, in quo alienigena, (b) vel idoneus (c) militiæ, vel (d) ante iam traditus, (e) latuerit, vltima flammarum (f) animaduersione consumatur. Hoc interim nos constituisse sufficiat: nam si parum profecerit in Seruos (g) interminatio (h) constituta, in dominos, (i) peccatum deinceps emendatura, (k) decernat. (l) Dat. VI. Non. Iul. Aquileia, Auxonio (m) & Olybrio VV. CC. CONSS. [379.]

NOTAE.

P.405 (a) Italiæ scilicet, quod confirmat *lex* 11. *inf. de lustrali conlatione*, de quo plene *ad Prosopogr.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Alienigenam* vocat alterius fundi Tironem, quem pariter *Tironem vagum* appellat *lex* 6. *sup. de Tironibus.* Aduenæ Iuniores vocantur *l.* 7. *sup. de Tironibus*, indigenæ contra, *ID.*

(c) Id est, qui offerri militiæ Tiro potest. *ID.*

(d) Vid. *l.* 4. *inf. vers. Neque solum.* *ID.*

(e) Hæc vox quoque satis indicat, de Tironibus & eorum oblatione *h. l.* agi: ita pariter *lex* 6. *inf. inter ipsa traditionis exordia.* *ID.*

(f) De Flammæ supplicio vide Fornerium, *Quotid.* 7. in hac ipsa vero re, *l.* 4. 6. *inf.* & *l.* 2. *inf. de his qui latrones*: & *paratit. de pœnis.* *ID.*

(g) *Seruos* vocat hic Actores fundorum. *ID.*

(h) *Interminatio.* *V. Gloss.* *ID.*

(i) Fundorum dominos intelligit. *ID.*

(k) Id est, pœna constituta *h. l.* in seruos, dominos ipsos teneat deinceps, si Actores siue serui, nec quicquam a desertoribus occultandis destiterint. *IDEM.*

(l) Forte *decurrat.* *ID.*

(m) *γρ.* *Ausonio.* *ID.*

COMMENTARIVS.

TIRONES vel legendi, vel etiam lecti iam per Italiam, vel saltem per Præfecturam Italiæ, vt sæpe alias (quod ad *l.* 4. *sup. de Tironibus*, ostendi) ita & hoc eum maxime tempore militiam detrectabant: Et quidem latebras eis, vt non raro alias, præbentibus Actoribus: de quibus *suo Titulo* dicetur. Igitur huiusmodi Actoribus Gratianus ignis supplicium *h. l.* & *l.* 4. imponit: atque adeo (vt loqueretur Spartianus in *Hadriano cap.* 12) *vehementissime consulit*; qua pœna quandoque ipsi desertores affecti, vt testatur Am. Marcellinus *lib.* 29. *cap.* 5. Eadem in posterum pœna denunciata ipsismet dominis fundorum, si in occultandis Tyronibus vagis Actores perstiterint: INTERIM Actores *hac lege* coërcet; cuius etiam locutionis exemplum alterum vide *fine legis* 2. *sup. de secundis nuptiis.* Verum, vt hæ pœnæ postea immutatæ, vide *leges* sequentes aliquot: Item vt in *Dominos* postea pœnas sanciri oportuerit; docebunt itidem *leges* aliquot sequentes.

PRODENTIS *temonarii desertorem præmium; immunitas scilicet biennii a protostasia.*

III. (a) Idem AAA. Neoterio PF. P.

SI Temonarius (b) prodiderit desertorem, Protostasiæ (c) onere biennio releuetur. PP. III. (d) Kal. Maii, Antiochiæ, Gratiano v. & Theodosio I. AA. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic est *lex* 9. *sup. de Tironibus.* *GOTHOFRED.*

(b) Auri Tironici exactor. *ID.*

(c) Id est, coëmendorum Tironum onere. *ID.*

(d) VI. *d. l.* 9. *ID.*

COMMENTARIVS.

PRODENS desertorem Temonarius, a protostasiæ onere integro biennio pro præmio hac *Theodosii M.* constitutione immunis est. De alus huius generis proditorum præmiis, dicetur quoque ad *l.* 4. *prox.* De *Temonariis* dictum ad *l.* 7. *sup. de Tironibus.* De *Protostasia* munere suo Titulo *inf. lib.* 11. *tit.* 23. Cæterum historicam *huius legis*, vt & *legis* 5. *inf.* quæ eidem Neoterio inscribitur, enarrationem ex Zosimo repete, ex dictis *ad l.* 9. *sup. de Tironibus*, quæ *huic* coniungenda est.

OCCVLTANTIS *desertorem pœnæ:* PRODENTIS *contra præmium.*

IV. (a) Idem AAA. ad Syagrium PF. P. (b)

Si quis (c) latebram præbuerit desertori, possessionis, in qua latuerit, amissione multatus etiam grauiorem sententiam pertimescat. Porro Actorem flammis (d) subijciendum esse non dubitet, qui in perniciem fortasse Domini (e) aut sceleris participatione confouit, aut dissimulatione neglexit. At vero si (*) desertorem (f) seruus perdiderit, (g) libertate donetur: si mediocris (h) loci, ingenuus, immunitate potia-
P.406 tur. Neque solum eos loquimur, qui proxime (i) signis felicibus (k) adplicati militiæ rudimenta timuerunt, verum qui stipendiis (l) militaribus degenerem latebram præbuisse monstrantur. Desertor autem (m) habebitur, quisquis belli tempore aberit a signis. Horum qui sponte processerit, peccati anterioris supplicium non timebit. Sin vero flagitiosa ignauia delitescat, per eum in cuius domo fuerit, inuigilantibus forinsecus (n) quoque Officiis publicis, vbicunque correptus seueritati Iudicis offeratur, degeneri (o) morte gladium subiturus: Si autem Rector Prouinciæ propositam seueritatem vel gratia vel dissimulatione distulerit, patrimonii atque existimationis damno subiciatur, & in Officii primores capitaliter vindicetur. PP. (p) Id. Iul. Rom. Gratiano V. (q) & Theodosio I. AA. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* hine ex parte desumpta est. Et *lex 4. Cod. eod. pro quibus causis serui pro præmio.* GOTHOFREDVS.

(b) *Syagrius* PP. Italiæ, vt ex *subscriptione* colligitur, & Symmachi *ep. 96. lib. 1.* vid plura in *Prosopogr.* ID.

(c) Dominus possessionis. IDEM.

(d) Vt *l. 2. sup.* & *l. 6. inf. h. t.* & *l. 2. inf. de his qui latrones.* ID.

(e) Dominum possessionis intelligit, a quo desertoris tironis collati pretium exigebatur. De quo vide *l. 6. inf.* ID.

(*) *Lex 4. Cod. Iust pro quibus causis serui,* &c. hinc desumpta est. ID.

(f) *Militiæ* vocem præfert præterea Codex Iustin. *dict. leg. 4.* quæ recte abest a MS. vt Stewechius indicauit ad *Vegetii lib. 2. cap. 3.* IDEM.

(g) vt *Prodiderit:* vt quoque habetur in *Cod. Iust.* & in *MS.* ID.

(h) Quia qui *superioris dignitatis sunt*, satis per se ab omnibus muneribus ciuilibus excusantur: vt Cuiacius recte notauit, *ad leg. 1. Cod. Iust. h. t.* ID.

(i) De historia huius delectus mox. IDEM.

(k) Victricibus aquilis *l. 9. inf.* IDEM.

(l) Potest hic locus accipi, vel de his qui ne ad Tironatum offerantur, latebras quærunt, vt *l. 2. sup.* vel de iustis militibus: Et vero id suadet *vers.* mox sequens, *Desertor autem, &c.* IDEM.

(m) Quid si legamus *item?* vt ita de Tironibus superiora accipi oporteat omnia: Hunc vero *versiculum* de iustis Militibus accipiamus. IDEM.

(n) *Extrinsecus*, Cod. Iust. de voce *forinsecus* vid. Cl. Sauaronem Interpretem Sidonii *lib. 7. ep. 14.* ID.

(o) Degeneri latebræ degeneris mors. IDEM.

(p) *Dat.* Cod. Iust. IDEM.

(q) Ita quoque in *Cod. Iustin.* sed reponendum V. IDEM.

COMMENTARIVS.

POENIS OCCVLTATORES; contra PRÆMIIS PRODITORES tironum Imperator *h. l.* persequitur, & quidem vt videtur, Valentinianus Iunior. Scilicet OCCVLTATORES, Actores quidem possessionum, flammis comburi iubet, pariter vt *l. 2. sup.* at ipsos possessionum dominos latebram præbentes, possessione sua multari vult. Quod postremum quoque de dominis statuitur *l. 5. 6. 7. 12. inf.* Solemnis & ordinaria alioquin hæc pœna est, illicitum quid in possessione sua admittentis, vt ea multetur. Dicam de eo plene alibi. At PRODITORES desertorum seruos libertate donari iubet, (qui casus inter cæteros notandus est, ex quibus serui pro præmio libertatem accipiunt. Et vero a Triboniano hæc sententia relata est in *Titulum Codicis Iust. Quibus ex causis Serui pro præmio: in l. vlt. illius tit.*) Ingenuum vero mediocris loci, desertoris proditorem, munerum ciuilium *immunitate* remuneratur (quod ipsum & in causa falsæ monetæ constituit Constantinus, paulo tamen aliter *l. 2. inf. de falsa moneta:* quæ hactenus ferme minus intellecta hinc lucem acceptura est:) scilicet pari passu ambulant *libertas, & immunitas.* Item desertori, siumet ipsius proditori, impunitatem pollicetur: contra, delitescenti gladii pœnam minatur: Denique & Rectoribus Prouinciarum, & Officii primoribus conniuentibus seuerissimam quoque pœnam imponit. Quod ad *huius legis* Historiam pertinet, sicut ea Valentinianum Iun. auctorem habet, quod ex *subscriptione* eius colligitur, *PP. Romæ:* ita & ea quæ ibi memorantur, pertinent ad militem in Italia Alamannorum & similium excursibus oppositum.

OCCVL-

OCCVLTANTIS *desertorem Actoris & Domini pœna, ex hac Theodosii M. lege, illius capitalis; huius confiscatio fundi.*

V. (a) Idem AAA. Neoterio PF. P.

SI quis forte desertorem agro tectoque (b) susceperit, atque apud se diu (c) passus fuerit delitescere, Actor quidem vel Procurator loci hoc (d) sciens prudensque conmiserit, capitali supplicio subiugetur: Dominus vero, si huius rei conscius fuerit, prædii, in quo latuerit desertor, amissione puniatur. Dat. XVII. Kal. Febr. Eucherio & Syagrio VV. CC. CONSS. [381.]

NOTAE.

(a) Constituit hæc *lex* partem *dictæ legis* 1. *Cod. Iust. eod. tit.* Concordatque huic *lex* 7. *inf.* GOTHOFR.

(b) *Tectoue.* Cod. Iust. *IDEM.*

(c) Vide quæ dicam *inf. ad l.* 7. & cur hæc vox *hic* addita. *ID.*

(d) *Qui hoc scient.* Ita quoque Cod. Iust. *IDEM.*

P.407

COMMENTARIVS.

POENA Occultatori Actori, capitalis: Domino vero prædii amissionis *hac* Theodosii *lege* imponitur, pariter vt imponitur *lege superiore.* Neque tamen omnino probo, quod vir Doctus scripsit, *pœna capitalis* appellatione præcise viuicomburium intelligendum, quasi non & aliæ fuerint capitales. Et quid si illa pœna Theodosio displicuit? Neque quia Valentiniano in Occidente aliquaodo placuit, *l. 2. 4. sup.* & *l. 6. inf.* ideo statim Theodosio quoque idem placuit. Imo & Valentiniano tandem: nam & ipse capitalem circa desertorum occultatores pœnam constituit: *l. 8. inf.* qui idem circa latronum occultatores flammæ pœnam constituit *l. 2. de his qui latrones:* Distinctione videlicet facta inter latronum, & desertorum occultatores. Certe idem Theodosius *l. 7. inf.* capitis pœnam rursus imponit. Tandem & Tribonianus loco *initii legis superioris*, quo flammæ supplicium occultatori actori imponitur, hanc *legem* prætulit, eamque *l. 1. Cod. Iust. eod.* (quæ ex *lege* alioquin *superiore* ferme desumpta est) præmisit, & inseruit. Cæterum pertinet hæc *lex* proculdubio ad Scythicum & Gothicum bellum, in quo triennium hoc integrum absumptum: de quo iam monui *ad l. 9. sup. de Tironibus*: v. & Zosimum [illegible]. *cap. 29. 30. 31. seqq.* vbi nominatim agit de re militari, & delectu militari tum corrupto.

COLLATOR, *id est, is qui contulit tironem, tironis intra annum desertoris periculum præstat,* OCCVLTATORIS ACTORIS *pœna: illius ignis, huius confiscatio fundi.*

VI. (a) Idem AAA. ad Seuerum PF. P. (b)

DESERTORVM (c) iugiter pretia vindicamus, quos intra annui temporis metas, inter ipsa traditionis (d) exordia deseruisse (e) constiterit: Ipsorum (f) quippe est prouidentiæ, quos huiusmodi munus amplectitur, (g) militaturis potius quam fugacibus (h) instruere necessaria supplementa. (i) Si (k) vero in desertoribus occulendis Actorum scelus atque conmissum sit, flammis scelera puniantur. Si dominum quoque conscientia talis inuoluerit, prædiis, quæ latebram præstiterunt, sacro patrimonio vindicatis grauioris exitii dominum quoque casus inuoluat. PP. Rom. IV. Non. April. Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

NOTAE.

(a) Non improbabiliter huic *legi* coniungenda videtur *lex* 13. *inf. de cohortalibus*: quæ etiam huius argumento conuenit: Nam & de *desertoribus* vtraque agitur, & vtraque de auraria præstatione. GOTHOFREDVS.

(b) *Seuerus* dicitur hic & *d. l.* 13. PF. P. Atenim vocatur PF. V. *l. 4. inf. de calcis coctoribus*, & *l vn. inf. de mendicantibus non inualidis*: & *l. 2. inf. de lucris officiorum.* imo & *l. 8. inf. de Legatis.* vbi tamen hæc subscriptio addita, *PP. Karthag.* IDEM.

(c) Tironum videlicet. *ID.*

(d) Pertinet igitur hoc ad Tirones oblatos: vide *sup. Paratitlon de tironibus*, & *l. 2. sup. h. t.* ibi, *vel ante iam traditus.* IDEM.

(e) Militiam. *IDEM.*

(f) Dominorum scilicet collatorum, qui ad tironum collationem tenentur, vt *l. 4. sup.* *ID.*

(g) Adstringit. *IDEM.*

(h) Fugax, vt *l. 8. sup. de iurisdictione*: & *l. 119. inf. de Decurionib.* *ID.*

(i) De hac *supplementorum* voce hac in re propria dixi *ad l. 9. sup. de Tironib.* *ID.*

(k) Altera *huius legis* pars similis *legi* 4. *sup.* vbi dixi. *ID.*

COMMENTARIVS.

AD TIRONES desertores hæc *lex* pertinet, non minus quam *lex. 2. 4. sup. hoc cod. tit.* vt & *lex 9. inf.* denique & *lex 21. sup. de Tironibus.* De his igitur hæc duo statuentur. Primum cum qui Tironem obtulit, etsi desertionis conscius non sit, tamen si Tiro intra annum Tirocinii siue Tironatus, & vt ita dicam *adprobationis* suæ, militiam deseruerit, pretium huiusmodi desertoris tironis præstare cogi. Quod ipsum *l. 8. inf.* his verbis indicatur; *Illorum tantummodo* [iuniorum desertorum] *innoxia relinquatur habitatio, quos iam dudum fiscus adaeravit.* [id est, quorum desertorum pretia fiscus exegit] sed & *l. 14. inf. vers. hac tamen conditione. Quia* inquit, *per prouinciales intra præscriptum legibus tempus* [iuniores desertores] *ad ea signa, quibus destinati fuerant, redhibendi sunt.* Et forte quoque *lex 4. sup. in princ.* Eodem pertinet & Symmachi *Epistola ad Secularem*, quæ est *l. 7. in Auctuario Symmachiano edit. 1601. in 12. Pretia*, inquit, *desertorum confuso errore poscuntur. Nam neque iudicia ..... certus futuri laboris instituet. Fixum enim ac definitum tenet amplissima Præfectura, nullum eius esse meriti, vt Sublimitati tuæ debeat subrogari.* Scilicet Prouinciales seu possessores ad Tironum oblationem adstricti, vt ea oblatione defungerentur, nequissimos tirones offerebant, moxmox militiam deserturos & fugaces, Quod etiam *hac l.* indicatur *vers. ipsorum quippe.* Idque est ipsum quod Vegetius conqueritur *lib. 1. cap. 7. Dum possessoribus*, inquit, *indicti Tirones per gratiam aut dissimulationem probantur, talesque sociantur armis, quales domini habere fastidiunt.* Proinde fugæ vitium ad dominum seu collatorem pertinere *h. l.* iubetur: *ipsorum quippe*, inquit, *est prouidentia, quos huiusmodi munus amplectitur, militaturis potius quam fugacibus instruere necessaria supplementa.* Si modo Tyro intra annum militiam deseruerit: Nempe quia qui intra annum fugit, ex veteri vitio, quo iam apud Dominum tenebatur, fugisse videtur. p. 408 In redhibitoria sane actione emptor serui qui postea fugit, probare cogitur seruum, cum venderetur, fugitiui vitium in se habuisse, atque ideo ex veteri seu pristino vitio, non hodie fugitiuum esse, *l. 54. D. de Ædilitio Edicto: l. 4. D. de probat. l. 3. Cod. Iust. de Ædilitiis actionibus.* Et Paulus 2. *senten. tit. 17. §. 11.* de quo vide etiam quæ dixi ad *l. vn. sup. de Ædilitiis actionibus*: Verum ex hac *lege* notetur præsumptio notabilis, scilicet intra annum fugientem tironem, ex inueterato, pristino, & ingenerato vitio fugisse videri: Ideo etiam in *l. 2. Cod. Iust. de Ædilitiis actionibus*, proponitur seruus post anni tempus fugisse. Secundo eadem pœna occultatoribus imponitur *h. l.* quæ *l. 2. 4. sup.*

OCCVLTATORIBVS *desertorum & latronum sex Mensium tempus tribuitur a Theodosio ad prodendos desertores; post id tempus, Occultatoris pœna.*

VII. (a) Idem AAA. Constantino (b) Vicario diœcesis Ponticæ. (c)

QVISQVIS in fundo suo desertores vel latrones (d) habere se *meminerit*, (e) nisi eos ex die Constitutionis (f) emissæ in (g) sex menses prodiderit, aut conprehensos etiam seueritati iudiciariæ obtulerit, sciat dissimulatione (h) conuictus fundum ipsum, in quo prædicti postea potuerint inueniri, fisci nostri viribus esse nectendum. Quod si forte contigerit, vt *inscio* domino memorati latuisse videantur, (i) pari constituti temporis dimensione seruata, Actores capite (k) damnentur. Quam condicionem & circa *Actores rerum* (l) *nostrarum* volumus custodiri. Dat. IV. Id. Iul. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino CONSS. [383.]

NOTAE.

(a) Hæc *lex* totidem pene verbis repetitur *l. 12. inf.* Concordat huic *lex 5. sup.* GOTHOFRED.

(b) *γρ. Constantiniano*, vt *l. 42. infr. de cursu publ. l. 94. inf. de Decurionib. l. 12. inf. de exactionibus*: & *l. 10. de hereticis*: (vbi tamen *Constantiano* perperam editum excepta *lege 10. de heret.*) quæ omnes *leges* hoc ipso anno datæ sunt ad eundem Constantinianum: ac nominatim *dicta lex 94.* de desertoribus pariter tractat, sed Curiarum, vt hæc, militiæ. *Lex d. 42. de curs.* ad eundem superiore anno data est. *ID.*

(c) De *Pontica diœcesi* alibi dico. *IDEM.*

(d) Latronibus affines & proximi desertores, *h. l.* & *l. 14. 15. inf.* *IDEM.*

(e) Id est, *sciuerit.* *IDEM.*

(f) Huius. *IDEM.*

(g) Id est, *vsque* ad sex menses, vel intra sex menses. *IDEM.*

(h) In dissimulando, *d. l. 12.* *IDEM.*

(i) Id est, *latuerint.* additum ad maiorem lucem *d. l. 12. Fundo a nexu huius legis exuto.* Vide quæ dicam *ad l. 2. infr. de falsa monet.* *IDEM.*

(k) Seuero supplicio, *d. l. 12.* *IDEM.*

(l) Rei priuatæ Principis. *IDEM.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

TEMPVS hac Theodosii M. constitutione præstituitur, intra quod desertores & Latrones ab OCCVLTATORIBVS seu receptatoribus eorum offerri iubentur: alioquin eo tempore elapso, domino possessionis dissimulanti proscriptionis prædii pœna indicitur: Actori, capitis. Quæ ipsæ pœnæ sunt præstitutæ *l. 5. sup.* Actori inquam, etiam possessionum Principis (quod & ipsum repetitur *l. 12. inf.*) Vna scilicet Actores rei priuatæ, quæ Prouinciales, tenere debet disciplina, & intelligere debent, vno sibi ac pari studio viuendum esse cum cæteris, vt loquitur Constantius in *l. 1. sup. de Iurisdictione.* Imo Constantinus M. aliquando grauiores in eos pœnas constituendas duxit, vtpote qui præ cæteris, Principis mandata custodire deberent, velut ad Principis ius spectantes, *l. 1. inf. de Actoribus & Procuratoribus & Conductoribus rei priuatæ.* Porro tempus, siue laxamentum, ad prodendos desertores varie præstitutum reperio: Quandoque sex menses, vt *h. l.* quandoque duos, *l. 8. prox.* quatuor, *l. 9.* Certe indiffinite quoque *l. 5. sup.* ad Occultatoris pœnam contrahendam requiritur, vt quis desertorem apud se DIV passus fuerit delitescere.

Cæterum notari cupio, hanc leg. nominatim ad desertores & Latrones *per Diœcesin Ponticam* pertinere. Quo etiam pertinet insignis hanc ad rem Gregorii Nazianzeni in Cappadocia (quæ Ponticæ diœceseos erat) *ep. 123.* ad Ellebichum Magistrum militum (qui fuit hoc ipso anno 383. Magister militum erat, vt docet *l. 1. inf de calumniatoribus)* qua eum rogat, vt gratiam faciat desertionis Mamanti, qui cum patrem militem haberet, Lector in Ecclesia factus fuerat, neque eum inter vagos referret. *Μάμαντα τὸν ἀναγνώστην, ὄντα μὲν ἀπὸ στρατιώτου πατρὸς, καθιερωθέντα δὲ τῷ Θεῷ διὰ τὸν τρόπον, ἄφες τῷ Θεῷ καὶ ἡμῖν: ἀλλὰ μὴ συναριθμήσης τοῖς πλάνησι, καὶ δὸς ἔγγραφον τὴν ἐλευθερίαν, ἵνα μηδὲ ὑπὸ ἄλλων ἐπηρεάζηται. Mamantem lectorem, qui cum militem patrem habeat, Deo tamen ob morum probitatem consecratus est. Hunc quæso, Deo ac nobis missum fac, nec inter errones numera. Atque libertatem ac vacationem et scripto tribue, vt ne ab aliis quidem per calumniam vexetur.* De quo iam dixi *ad leg. 5. de re militar.* Sane Iustinianus quoque *Edicto suo 8. de Pontici tractus Vicario in præfat. Ponticam* latrociniis & desertoribus famosam fuisse ostendit, eaque restituendi Vicarii Ponticæ occasio fuit (quem antea sustulerat, eo in Comitem Galatiæ verso, *Nouella 8. cap. 3.*) vbi & specialiter huic Vicario iurisdictionem tribuit in possessiones siue prædia priuata Principis, atque adeo Actores, *cap. 2.*

---

p.409 OCCVLTANTIS *desertorem pœna pro qualitate ordinis & personæ: item ex* OBLATIONE *&* QVÆSTIONE *desertorum.*

VIII. (a) Idem AAA. ad Flauianum PF. P.

I. QVISQVIS desertorem vel a se receptum, vel in suo latitantem cognoscit, nisi eum ex die publicati huius Edicti intra duos (b) menses adhibita inquisitione (c) correptum Ordinario Iudici offerre curauerit, detectus in crimine, pro qualitate atque ordinis (d) personæ incurrat in legem: & siquidem potuerit corporali iniuriæ subiacere seruata (e) ex iure substantia & fustibus (f) coherceatur, vel metallOperi (g) publico deputetur, & nonnunquam se alterius (h) erigente censura exilio perpetuæ relegationis plectatur. Quod si eiusmodi fortasse fuerit, vt iniuria corporali intuitu generis aut honoris excipiatur, non procrastinata auctoritate (i) sententiæ per singula capita eorum quos contra interdictum retinere atque occultare non timuit, denos Iuniores maxime idoneos (k) militiæ offerat, aut quinquaginta pondo argenti restituat. (l) Quod si Procurator possessionis, siue Actor, vel etiam Colonus latebram desertori domino ignorante præstiterit, detectus in crimine, capitali (m) supplicio mancipetur: ceteros quoque similis conscientiæ, (n) exemplum triste deterreat. Illorum tantummodo, probationibus euidenter ostensis, innoxiis (o) relinquatur habitatio, quos iamdudum fiscus adsciuit. (p) II. Oblati (*) autem Iudicibus (q) (nisi in continua quacunque prouincia, vel Tuæ præstantia Potestatis, vel hii duntaxat Ordines (r) militares viri qui possint de capite eorum ferre sententiam, degere videbuntur) interrogati & feueritati (s) necessariæ subiaceant, & ad Sinceritatem tuam per Ordinarii Iudicis executionem, vel Officia Rectoris dirigantur cum prosecutione; (t) & cetera. Dat. III. Kalendas Mart. Merobaude II. & Saturnino CONSS. [383.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* est *lex 2. siue vlt. inf. de his qui latrones vel aliis criminibus reos occultauerint.* GOTHOFRED.

(b) Sex, *l. superiore 7.* quatuor, *lege sequente 9.* IDEM.

(c) Dicam ad *l. 10. infr.* IDEM.

(d) Forte rescribendum inuerso modo: *pro qualitate ordinis atque personæ:* vt mox, *intuitu generis aut honoris. Ordinis qualitas* est generis prærogatiua. *Qualitas personæ,* est honoris prærogatiua. Possis & ita, *pro qualitate & ordine*

ordine personæ. Nam & ita *l. 2. inf. de his qui latrones* (quæ *huic legi* coniungenda est) *qualitatis personæ* tantum fit mentio. *IDEM.*

(c) Id est, bonis eius proscriptis. *IDEM.*

(f) De pœna fustium alibi dicam. *ID.*

(g) Recte: coniuncta voce, pro metalli operi: vid. & *l. 1. sup.* *IDEM.*

(h) Est qui reponat, *altius*: mihi placet, *vlterius*. *ID*

(i) *Auctoritas* sententiæ est austeritas *ID.*

(k) Vide Vegetium *lib. 1. fine cap. 7.* *ID.*

(l) *Restituat*, pro præstet: vide *Gloss.* *ID.*

(m) Vt *l. 4. & 7. sup.* *ID.*

(n) Conscientiam hic vocat eius, qui vel sciens prudens desertorem recipit, vel in suo latitare cognoscit. *ID.*

(o) *γρ. innoxia habitatio*: id est, quæ nullam pœnam meretur. Si retineas, *innoxiis*, sensus hic erit: Actores vel dominos possessionum citra pœnæ metum habitationem præstare posse, illis tironibus, pro quibus iam pretia exacta sunt. *ID.*

(p) De *adærandi* voce dixi plene ad *l. 28. sup. de erogat. milit. annona.* *ID.*

* SECVNDA *huius legis* pars. *ID.*

(q) Parenthesi hæc ita includenda sunt, & sic inclusa perspicuum sensum habent. *ID.*

(r) *γρ. Ordinis militaris.* *IDEM.*

(s) *Seueritatem necessariam* vocat quæstiones & tormenta. *ID.*

(t) De prosecutione reorum dicam *inf. Titulo, de exhibendis vel transmittendis reis.* *ID.*

COMMENTARIVS.

I. POENA desertorem occultantis pro qualitate Ordinis & personæ *hoc* Valentiniani Iun. *Edicto* statuitur: Plebeio scilicet & humilioris conditionis occultatori, pœna fustium, vel metalli, vel etiam perpetuæ deportationis imponitur: Eis vero qui superioris loci aut dignitatis sunt, decem tironum mulcta indicitur, vel quinquaginta pondo argenti (quod eodem recidit: Tirones quippe quinque libris argenti ferme taxabantur, vt ostendi ad *l. 23. sup. de Tironibus*: Quinquaginta proinde libræ argenti pretium sunt, seu taxatio decem Tironum) His pœnis ex parte respondent quæ statutæ iam fuerant a Valentiniano *l. 1. sup.* Actori denique vel Procuratori Capitalis pœna imponitur, de quo dictum *ad l. 5. sup.* Et hæc quidem desertores occultantium pœna *hoc edicto* statuitur: At latrones occultantium maior indicitur hoc eodem Edicto *in l. 2. inf. de his qui latrones*: (quam *huic* nostræ coniungendam esse dixi) cum alioquin desertores & latrones, quin & ipsorum Occultatores pari ferme passu ambulasse, vel proxime præcedens *lex 7.* ostendat, & *lex 14. 15. inf.* & sane minimus est a desertionis crimine ad latrocinium deflexus: Igitur latronum occultatori Actori ignis supplicium indicitur: cæteris vel corporale, vel facultatum omnium dispendium. Excipiuntur tantum *h. l. versic. illorum tantummodo*, illorum tironum occultatores, quorum desertorum pretia iam exacta fuerant: de qua tironum desertorum adæratione dixi ad *l. 6. sup.* P.419

II. OFFERRI desertores Rectoribus Prouinciarum & ab iisdem interrogari, quæstionique subiici, dein ad PP. dirigi (ab eo videlicet supplicio subiugandi) iubentur: Notio igitur ad Iudices Ordinarios de desertoribus spectabat: at supplicium ipsorum ad Præfectum Prætorio; qui & ideo sub prosecutione ad eum mitti debebant: de qua in vniuersum reorum prosecutione, dicam ad *tit. inf. de exhibendis vel transmittendis reis.* Ex *hac* interim *lege* apparet: hanc transmissionem reorum factam vel per Ordinarii Iudicis executionam, vel per Officia Rectoris. Inter quæ, quodnam sit discrimen, non video. Itaque tutius puto, *vel*, pro *siue*, accipere; non alternatiue, sed interpretatiue pro, *id est*, vt idem sit per Iudicis executionem & per officia Rectoris dirigi: Et sane nil aliud sunt Officiales Iudicum, quam Executores mandatorum Iudicialium. Et hæc ita quidem constituuntur, nisi in proximo fuerit, & in contigua prouincia aut Præfectus Prætorio, aut Magister Militum, vel etiam Dux aut Comes rei militaris qui scilicet omnes de capite militum sententiam ferre possunt: Hoc enim casu desertores recta non Iudicibus, verum prædictis offerri debent, qui de iis quæstionem simul & iudicium ferant.

OCCVLTATORIBVS *laxamentum quatuor mensium tribuitur: post id tempus occultatoris pœna.*

IX. Impp. Arcadius & HONORIVS AA. ad Populum. (a)

I. QVISQVIS in domo patrimonioue suo, vel qualibet (b) obstrusa (c) & longissima (d) a se possessione discreta desertorem latere cognoscit, ad eos, quibus cura Indagandi mandata est, vel si forte defuerint, ad Rectorem prouinciæ protinus spontanea oblatione deducat, veniam delicti veteris habiturus: exactis enim quattuor (e) mensibus postquam Edictum nostrum intra eam Vrbem, quam quisque habitat, fuerit publicatum, (f) si quis noluerit moderationi præsentis obedire præcepti, hæc in eum pœna inponetur, vt & qui occultatus fuerit, eruatur, & latebræ auctor pro vno desertore vel pro (g) duas præterea auri libras vel duos Iuniores (h) militaris roboris (i) ac staturæ (k) cogatur fisco, abscisa (l) spe totius defensionis, inferre. Et quoniam plurimos (m) cognouimus priusquam victricibus (n) aquilis sociarentur, vel illuc vnde (o) electi

electi (p) fuerant, vel quo placuerit abire, alios autem litterarum (q) initiatos suspicio, quamquam necdum dicantur meruisse sub signis, præcipimus vt post tempus definitum quicunque ex Iunioribus fuerit retentus, præter eum vel duos tirones per singulos vel duas auri libras malo (r) coactus fisco nostro adnumeret. II. Qui vero causarias (s) vel honestas indepti sunt missiones, ab inuidia & formidine desertionis amoueantur, etsi hæc sunt Tyrannico (t) tempore consecuti, dummodo eos meruisse vel peracto militiæ labore, vel probata debilitate pateat. Si qui etiam ex Seruorum numero militiæ se sociarunt, quos dominis suis legitima Iudicum reformauit (v) auctoritas, sine metu legis ab his quibus recte docentur redditi tenebuntur. Dat. VI. Kal. Maii Med. Arcadio IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTAE.

(a) Ad GALLIAM & EVGENII Tyrannidem hanc legem refero. *GOTHOFRED.*

(b) Malim, *quamlibet. ID.*

(c) Nisi hoc tolerari possit, legendum, *abstrusa. ID.*

(d) *γρ. longissime.* vid. *leg. 4. infr. de fals. moneta. ID.*

(e) Sex *l. 7. sup.* duos, *l. 8. sup. ID.*

(f) Edicta publicata intra Vrbes: qua *Vrbium* appellatione ferme metropoles veniebant, vt alibi doceo. *ID.*

(g) Locus hic ita reponendus videtur, *pro vno desertore vnam libram auri, vel pro duobus duas præterea. ID.*

(h) De *Iuniorum* appellatione dixi ad *l. 1. sup. de Tironibus. ID.*

(i) Vid. *l. 13. inf. de diuers. offic. l. 4. inf. de filiis militar. apparit.* ἐνέξια σώματος ἐς στρατιὰν ἐπιτήδειος, Herodiano *lib. 4. cap. 9. & lib. 6. c. 3.* vid. loca ad *leg. 3. sup. de Tyronibus. ID.*

(k) Dixi ad *l. 5. sup. de Tironibus ID.*

(l) Id est sublata & præcisa spe omnis defensionis. *ID.*

(m) Tirones. *IDEM.*

(n) Felicibus signis, *l. 4. sup. ID.*

(o) Id est ad genitales terras. *ID.*

(p) Vnde delectis. *ID.*

(q) *γρ. militarium*: vel *militia armata. ID.*

(r) *Male coactus*, id est male multatus. *ID.*

(s) De causariis & honestis missionibus res nota est. Causaria probata debilitate datur: honesta peracto militiæ labore *inf. vers. etsi. ID.*

(t) Tyrannicum tempus accipio Eugenii: quæ Tyrannis profligata A. D. 394. *ID.*

(v) De *reformandi* voce, vide *Gloss. IDEM.*

P. 411

COMMENTARIVS.

I. HONORII constitutiones nouem sequentes omnes de desertoribus sequuntur: suis quæque necessitatibus ab Honorio exortæ: hæc sane, occasione belli aduersus Eugenium gesti: qua quidem lata POENA Militem aut Tironem desertorem occultantis, neque prodentis definitur: Laxamento seu tempore iusto eos prodendi præbito: quatuor mensium videlicet: vt sex mensium, *l. 7. sup.* duorum, *l. 8. sup.* Igitur pœna hæc statuitur: vt pro singulis, vel duos Tirones, vel duas auri libras Occultator tribuat. Vnde apparet Tironem *h. l.* auri libra æstimari: quod non multum recedit ab æstimatione Tironis facta Valentis constitutione, cuius meminit Socrates *lib. 4. cap. 34.* verum de Tironis in vniuersum æstimatione, dixi ad *l. 7. sup. de Tironibus.*

II. Duæ tamen exceptiones *hic* adducuntur: Prima desertores non esse qui causarias vel honestas missiones adepti sunt, id est, vt vel hæc ipsa *lex* ostendit, qui eas impetrarunt, vel probata debilitate, vel peracto militiæ labore: ac proinde occultatoris pœna non tenetur, qui huiusmodi militem domo, vel patrimonio suo continet.

Secunda exceptio: Occultatoris pœna non tenetur, qui *seruum* sibi elapsum, & ita militiæ non iure adscriptum (quod firmat *lex 8. 11. de Tironib.*) mox recuperauit. Qua tamen parte legitima Iudicis auctoritas requiritur, ne alioquin hoc prætextu, dominique obtentu, iusti milites a signis abducantur, atque adeo desertioni latebra quæratur. Porro pertinet hæc *lex* proculdubio ad Galliam, & ad Eugenii tyrannidem, de qua dicetur *ad l. 9. 11. 12. inf. de infirmandis his quæ sub Tyrannis*, quæ scilicet profligata fuit Anno 394.

INQVISITORVM *ad inquisitionem vagorum, missorum, officium.*

X. Idem AA. Vincentio PF. P. Galliarum.

PROTECTORES (a) qui ad Inquisitionem Vagorum per prouincias diriguntur, nullas in retinendis fugitiuis duntaxat indigenis iniurias possessoribus parent; quia hoc il-

(d) Eadem voce vtitur Spartianus, *in Pescennio Nigro. c.* 3. *ID.*
(*) *Lex* 2. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est. *IDEM.*
(e) *Obnitendum*, Fornerius 2. *Quotidian.* 9. reponit non improbabiliter. Nam & similis metathesis erat in prior. edit Cuiac. *in leg.* 27. *de Episcop.* vbi pro, *crimen*, restituendum fuit *crinem*: verum locum obtinere potest vox *obtinendum*. Nam, vt Cuiacius recte indicauit *ad cit. leg. Cod. Iust. obtinere*, est *obniti*: Græci vertunt διὰ τῶν ὅπλων κρατῆσαι *ID.* Cod. Iust. vulgat. habet *oppugnandum*. RITTER.
(f) De *Tractoriis*, suo *Titulo* dicetur *inf. lib.* 8. *tit.* 6. GOTHOFR.
(g) γρ. *commentis*, id est, commentitiis. *ID.*
(h) Id est, *in Occultatorem vindicetur*. Et certe MS. hic habet: *In desertorem quoque occultator*, &c. *ID.*

COMMENTARIVS.

I. PROCEDENDI aduersus desertores deprehensos forma *hac* Honorii *constitutione* præscribitur. Igitur comprehensos ad Iudicem, seu Rectorem Prouinciæ deduci iubet, & ab eodem audiri, mox confessos (adde & conuictos) carcere concludi: His peractis, confessiones, siue informationes vt loquuntur, ad Præfectum Prætorio mitti: Tandem Magistri militum moniti, quid de his fieri oporteat, statuere debent. Vbi, quod singulare, in eodem negotio tres Iudices obserua, Rectorem Prouinciæ seu Iudicem Ordinarium, qui informationem facit, quique processum instruit: Præfectum Prætorio, ad quem processus mittitur; Magister Militum qui statuit quid de desertore milite faciendum sit. Cui non absimile est, quod statutum fuit *l.* 8. *in fine, supra, hoc tit.* Magistri militum est, de capite militum sententiam ferre, vt eadem *lex* 8. ait. Hic igitur legitimus est processus. *Extraordinarius*, qui sequitur, Desertores quippe deprehensi, si resistant, & armis obtineant, (siue obnitantur) illico sine forma processus opprimi possunt, & debent, tanquam rebelles & latrones: de quo vide & *legem* 13. 14. *inf. h. t.*

II. In processu aduersus desertores & illud Iudex obseruare debet, & vt *lex* ait, sollicita cautione disquirere, num *Tractoria*, vel epistolæ, quibus crimen desertionis miles euadere nititur, veræ sint, an falsæ: sæpe enim milites ementiuntur huiusmodi Tractorias & Epistolas: *Epistolæ* sunt testimoniales missionum literæ (*passeport* vocamus) de quibus *inf. tit. de Testimon.* quæ & hic dicuntur *Tractoria*, de quibus *suo titulo* plene. Harum Epistolarum mentio quatuor præterea locis: puta *l.* 2. 4. *infr. de Veteranis*: *l.* 1. *de Testimonial. l.* 1. *inf. de Tractoriis.*

Tandem in Occultatores desertorum sancitæ superioribus constitutionibus pœnæ *hac eadem lege* confirmantur. Illud monendum superest, hanc *legem* cum *tribus* sequentibus, si non ad Africam speciatim pertinet, videri ad Gothorum in Illyricum & Italiam irruptionem pertinere: de quo ad *legem* 14.

OCCVLTATORIS *pœna*.

XII. (a) Idem AAA. Hadriano PF. P.

SI quis militem profugum desertoremque castrorum in prædio suo susceperit, nisi eum ipse prodiderit, aut comprehensum seueritati Iudiciariæ potestatis obtulerit: sciat si in dissimulando conuictus fuerit, fundum ipsum in quo prædictus postea potuerit inueniri, fisci nostri viribus sociandum. Quod si forte contigerit, vt inscio domino in
P. 413 eius prædiis habitarit, fundo (b) a nexu huius legis exuto, Actorem conscium seuero (c) supplicio damnandum esse censemus. Quam conditionem etiam circa Actores domus nostræ volumus custodiri. Dat. VIII. Kal. Aug. Rau. Theod. A. I. & Rumorido CONSS. [403.]

NOTAE.

(a) Exscripta hæc *lex* ex *l.* 7. *sup.* GOTHOFREDVS.
(b) Hoc additum ad maiorem lucem, quod omissum *d. l.* 7. *sup.* vid. quæ dicam ad *l.* 2. *inf. de falsa mon.* *ID.*
(c) Capitali, *d. l.* 7. *sup.* *ID.*

COMMENTARIVS.

SENTENTIA huius *legis* eadem est quæ *legis* 7. *sup.* Imo hæc *lex* ex illa repetita est, totidem pene verbis, paucis admodum immutatis. De quo *legum* repetitarum more secundo capite *in Prolegomenis* dico. Scilicet, exolescente pœnarum metu, vel etiam Reipublicæ vtilitate suadente, priores *leges* in posteriorum latarum nomina sæpe transibant: Quod de XII. Tabulis Macrobius 3. *Saturnal. cap.* 17. testatur.

OPPRIMERE *desertorem cuilibet permittit Honorius:* OCCVLTATORIS *pœna*.

XIII. (a) Idem AAA. Hadriano (b) PF. P.

DESERTORES modis omnibus adtinendos (c) esse censemus. Vniuersi igitur prouinciales sciant, opprimendorum sibi desertorum facultatem esse permissam; quibus

bus ne sit tarditas pœnæ solatio, (d) velox vbicunque iubemus esse supplicium. Quod ad notitiam Primatium (e) Vrbium, Vicorum, (f) Castellorumque (g) deueniat, quo scire possint, etiam occultatores eorum, ad subeundam pœnam, quæ Diui Genitoris (h) nostri est constituta legibus, † adtineri. Dat. VI. Non. Oct. Theod. A. I. & Rumorido CONSS. [403.]

NOTÆ.

(a) Iungenda huic, *lex prox.* GOTHOFRED.
(b) *Hadrianus* PP. Italiæ sub Honorio: vid. *Prosopogr.* ID.
(c) *Adtinendos* absolute *hic*, & *l. prox. fine leg.* retentari, id est, pœna seu supplicio affici. Alias *attineri pœnalibus claustris*, Marcell. *lib.* 15. *c.* 3. ID.
(d) Imo, tarditas supplicii sæpe est maiori supplicio: & diuturnus reatus pœnæ loco est: de quo dicam alibi, *inf. ad leg. Cornel. de sicariis.* ID.
(e) De his *Primatibus*, vid. & *l.* 4. *inf. de Decurionibus.* ID.
(f) Nota *Primates* non tantum Vrbium, sed & Vicorum & Castellorum: de quo *ad leg. cit.* ID.
(g) De *Castellis* dixi ad *l.* 2. *sup. de Terris limitaneis.* ID.
(h) Theodosii M. ID.
† Puta *l.* 5. 7. *sup.* ID.

XIV. (a) Idem AAA. Hadriano PF. P.

OPPRIMENDORVM desertorum facultatem Prouincialibus iure permittimus, qui si resistere ausi fuerint, velox vbicumque iubemus esse supplicium. *Cuncti* etenim *aduersus latrones* (b) *publicos, desertoresque militiæ, ius sibi sciant pro quiete communi exercendæ publicæ vltionis indultum.* Hac (c) tamen condicione seruata, vt ab his Iunioribus, (d) qui proxima (e) Indictione præsenti tempore conferuntur, supplicio temperetur, (qua (f) per Prouinciales intra præscribtum legibus tempus (g) ad ea signa quibus destinati fuerant, redhibendi sunt,) ne possessores redhibitionis damna percellant (h) propter eos, qui necdum pæne auspicati militiam fugerunt. Sed vt in his patientiam (i) tenemus, ita omnes qui vltra (k) memoratam Indictionem & nostræ beneficia sanctionis (l) castra & militiam deseruere, condemnationibus obnoxios esse præcipimus. Occultatoresque eorum ad subeundam pœnam, quæ Diui Genitoris (m) nostri constituta est legibus, † volumus retentari. Dat. VI. Non. Oct. DN. Theodosio A. I. & Rumorido V.C. CONSS. [403.]

NOTAE.

P.405 (a) Iungenda *huic*, vt dixi, est *lex* superior: & ex *hac lege* desumpta est *lex* 2. *Cod. Iust. quando liceat vnicuique sine iudice se vindicare, vel publicam deuotionem.* Huic concordat *lex* 2. *inf. ad leg. Cornel. de sicar.* quæ est *lex* 1. *Cod. Iust. quando liceat vnicuique sine iudice.* GOTHOFR.
(b) Latronibus publicis, militiæ desertores adfines & proximi, de quo iam dixi ad *l.* 7. & 8. *sup.* ID.
(c) Cætera Tribonianus omisit, quia ad horum temporum historiam pertinent. ID.
(d) Id est Tironibus, vide *l.* 1. *sup. de Tironibus.* IDEM.
(e) Ex proxima, seu proxime facta. Superiore mense scilicet incepit Indictio. IDEM.
(f) γρ. *quia.* IDEM.
(g) Id est annum, vid. *l.* 6. *sup.* IDEM.
(h) Interfectis videlicet illis. IDEM.
(i) Ne videlicet opprimi possint. IDEM.
(k) Vltra, id est ante proximam indictionem. IDEM.
(l) Huius. ID.
(m) Theodosii, vt *l. super.* ID.
† *Leg.* 5. & 7. *sup.* ID.

COMMENTARIVS.

OPPRIMENDORVM Desertorum Prouincialibus ipsis, his duabus Honorii *legibus*, quæ vnius & eiusdem constitutionis partes sunt, interque se coassandæ sunt, potestas fit, eosque si resistere ausi fuerint, interficiendi; quod & ipsum iam cautum fuit *l.* 11. cum videlicet aut Iudices, aut Inquisitores eam ad rem haud satis efficaces viderentur. Non minus scilicet Desertores quam Latrones opprimere & interficere ius est. Latrones & desertores, pari ferme passu ambulant, cum & alioquin

alioquin minimus sit a desertione ad latrocinium deflexus. De quo iam quoque dixi ad *l. 7. 8. sup.* & *l. 15. inf. prox.* & ferme idem desertor & latro est. Interim notabilis hic casus est (etsi iam notus omnibus) quo vnicuique citra Iudicis auctoritatem, publicam deuotionem seu quietem vindicare licet: ideo etiam hæc sententia relata est a Triboniano in *Titulum Codicis Iust. Quando liceat vnicuique*, &c. pariter vt *lex 2. inf. ad leg. Cornel. de sicarus:* cuius eadem sententia quæ *huius*. Rursum notabilis hic casus est, quo cum alioquin Armorum mouendorum vsus priuatis interdictus sit, *tit. Quorum vsus interd.* extra ordinem tamen permittitur aduersus desertores & latrones *his ll.* & *d. l. 2. inf. ad leg. Cornel. de sicariis:* vt aduersus hostes imminentes, *Nouella* Valentiniani *inter Theodosianas 20. de reddito iure armorum*. Excipiuntur tamen *hac eadem lege 14.* tirones, qui præsenti tempore, atque ex proxima Indictione, quæ superiore mense cœpit, collati fuerunt. Hos scilicet militiæ refugas & desertores opprimere & interficere ius non est; ne alioquin qui eos contulerunt, & Tironem amittant, & simul pretium elapsi militia præstare cogantur: cum alterutrum a dominis exigi abunda sit. Nam, vt *l. 6.* superius cautum est, si Tirones intra annum militiam deserant, qui eos contulerunt desertorum pretium præstare coguntur. Et hæc quidem est *huius legis 14.* hac parte obscurioris sententia. Vtraque sanciuntur pœnæ in Occultatores desertorum a Theodosio M. latæ, *l. 5. & 7. sup.* Cæterum quod Doctiss. Petito quoque placuit *Var. Lect. III. cap. 1. p. 27. 28.* displicet Blondello *p. 815.* ad hanc *legem* pertinere quis putet id, quod de tumultu Tironum refertur hoc ipso anno duobus ferme ante mensibus 8. Kal. Septemb. in Concilio Carthaginensi *Cod. Can. Eccles. Africau. pag. 914. Tom. I. Concilior. Harduin.* vbi Alypius Episcopus dicit: *Nos quidem de Numidia venimus, & sancti fratres Augustinus & Possidius: Sed de Numidia legatio mitti non potuit, quod adhuc tumultu Tironum Episcopi propriis necessitatibus in Ciuitatibus suis aut impediti aut occupati sunt. Nam etiam Tractoriam Sanctitatis tuæ, cum ad Sanctum senem Xantippum deferrem, in præsenti Tractatu hoc visum fuerat, vt Concilium indiceretur, quo instructa Legatio posset ad hoc Concilium destinari: Sed cum eum posterioribus literis admonerem, de impedimento Tironum, vt superius dixi, rescriptis propriis excusauit.* Nam & hæc lex est de *Desertione Tyrorum*, id est, Tyronum: & tempora omnino congruunt, & Inscriptio non abhorret: *Hadrianus* quippe *PP.* cui hæc Constitutio inscribitur, PP. fuit Italiæ Illyrici, Africæ. Addo & quarto loco, *Castella*, quorum hic mentio fit, etsi alibi quoque ea fuerint, attamen in Africa, & Numidia plurima fuisse. Possit tamen videri *hæc Constitutio* vna cum *tribus superioribus* ab Honorio lata, ob Gothorum Alarico duce, Pannonia Norico, Rhetiis superatis, in Italiam irruptionem, anno iam superiore.

Non omittendum etiam, quod *l. 13. Primatibus* Vrbium, Vicorum, Castellorum iniungitur, vt Occultatores desertorum pœnis afficiant, vbi *Primates* sunt omnes, in Ciuitatibus, locisue aliis eminentes, penes quos iurisdictio est & coërcitio, quocumque nomine censeantur. De ciuitatum seu Vrbium Primatibus consule *Paratitlon de Decurionibus*. Amm. Marcellinus *lib. 14. cap. 7. Nec Honoratis parcens, nec Vrbium Primatibus, nec Plebeiis: denique Antiochensis ordinis vertices sub vno elogio iussit occidi.* Quod *vicorum* vero Primates attinet, sunt proculdubio hi qui alias πάγαρχοι: de quibus dico plene *tit. de his quæ administr.* Isidorus Pelusiota *lib. 2. ep. 91.* πάγαρχοι καλοῦνται παρά τισιν οἱ τῶν κωμῶν ἢ τόπων τινῶν ἄρχοντες. Non igitur hic Primates sunt promiscue Curiales, quod voluit Petrus Berterius *1. Pith. 10. p. 847. Tom. IV. Thesaur. Iuris.* Verum Eminentes in suis quibusque locis, etiam in Vicis & Castellis: etsi suos quoque Curiales Vici quidam habuere: quod ex *l. vlt. inf. de patroc. vicor.* ex Saluiani *lib. 5. c. 4.* discimus: & Concilii Chalcedon. *Act. 13. Tom. II. Concilior. Harduin. pag. 566.* si modo πραγματευόμενοι ibi sunt Curiales: Nam & *Castella* suos habuere Primates, etsi non Curiales: De quibus Castellis dixi ad *l. 1. 2. sup. de terris limit.* vt & de Vicis in notis ad *l. 16. inf. de Episcopis*, &c.

XV. (a) AAA. Longiano (b) PF. P.

QVI relictis militaribus castris se ad deprædationes vel latrocinium contulerint, seueritatem publicam (c) non euadant. Dat. IX. Kal. April. Rau. Arcad. A. VI. & Probo V. C. CONSS. [406.]

P. 415

NOTAE.

(a) *Lex vlt. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Vt* Longiniano vt *l. 2. inf. de nauib. non excus. l. 10. inf. de censitoribus*, hoc ipso anno. Zosimus *lib. 5. c. 32.* in Gestis Anni 408. ἀναιροῦσι ἐν μέσῳ Λογγινιανὸν δὲ τῆς κατὰ τὴν Ἰταλίαν αὐλῆς ὕπαρχον ὄντα, ἀναιροῦσι καὶ αὐτόν. *Longinianum interim repertum, qui erat præfectus Italiæ, necant.* Male in *Cod. Iustin.* Longino: Sed & apud Symmachum perperam Longimanus *lib. 7. ep. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101.* Hic idem ante triennium P. V. fuerat A. 403. testis vetus Inscriptio. IDEM.

(c) *Iudicis*, Cod. Iust. IDEM.

COMMENTARIVS.

POENAM desertoribus ad latrocinia sese conferentibus seuerissimam Honorius *hac l.* comminatur: non quasi idem nudis desertoribus impunitatem promittat, verum quia desertores vt plurimum iidem & latrones sunt (de quo dictum iam ad *l. 7. 8. 14. sup.* his proinde seueram pœnam interminatur, & capitalem quidem de seuerissimarum numero, id enim per seueritatem publicam *hic* accipi oportet. Hanc interim *legem* ad Italiam pertinere notandum est: videndaque sunt quæ ad *l. 1. sup.* dixi *hoc tit.*

XVI. (a) Impp. Honorius & Theodosius AA. Gaisoni (b) Comiti & magistro militum.

QVI (c) sine (d) commeatu aliquo annum in penatibus propriis, vel in quibuslibet locis desidiosa quiete transegerit, decem sequentibus postponatur: in quo vero biennium talis culpa deprehenditur, viginti sibi antepositos congemiscat: (e) tertius autem annus triginta prælatos iure defleuit: (f) ita vt quartus exempto matriculæ nulli (g) veniam derelinquat: & cetera. Dat. prid. Id. Iun. Rau. post Consf. Honorio (h) IX. & Theodosio V. Augustis CONSS. [413.]

NOTAE.

(a) *Lex vlt. Cod. Iust. de commeatu.* Et iungenda *huic* proculdubio *lex 11. sup. de metatis.* GOTHOFREDVS.

(b) Gaiso hic idem Anno 410. Magister Officiorum fuerat, si vera est inscriptio *legis 11. inf. de indulgentiis criminum.* Filius eius Gaisonis fuisse videtur, quem Magnentii partibus fauisse, & a quo Constantium in partem occisum testatur Zosimus, *lib. 2. cap. 45.* *IDEM.*

(c) *Si quis:* Cod. Iust. *IDEM.*

(d) Vel supra commeatus diem, *l. 2. sup. de commeatu*, quæ *huic legi* quam similis est. *IDEM.*

(e) Ita quoque *l. vn. inf. de quadrim. breuib. Nec imputari sibi quod exsoluerint, congemescant.* *IDEM.*

(f) *Deflebit.* *ID.*

(g) *Nullam*, Cod. Iust. *ID.*

(h) *γρ. Honorii & Theodosii.* vt est in *Cod. Iust.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

EMANSOR seu militiæ desertor, miles sine commeatu (vel supra diem commeatus) regradatiuois pœnam sustinet, vel etiam matricula penitus expungitur. Regradationis inquam, de qua dixi ad *l. 10. sup. de re militari:* quæ quidem vt in militia Palatina obtinuit, (quo pertinet *lex 2. & vlt. sup. de commeatu:* & *lex 15. sup. de Agentibus in rebus*) ita & in Armata, *h. l. & d. l. 10.* Pro ratione autem emansionis, regradatio fit: Qui anno emanet, decem aliis postponitur: qui biennio viginti: qui triennio, triginta: qui quadriennio, penitus expungitur. Quod ipsum ferme in militia Palatina placuit *d. l. 2. sup. de commeatu:* nisi quod quadriennio emansorem, 40. postponi, & tum demum si vltra emaneat, expungi velit: Hæc vero *lex* paulo seuerior expungi vel quadriennio emaneotem iubeat.

XVII. Idem AA. Constantio (a) Magistro militum. (b)

OMNES Tribunos, (c) qui per Africam Vagorum, (d) & Desertorum requirendorum sumpserunt officium, ne sub huiusmodi professione vastent prouinciam, submoueri præcipimus. In futurum autem istut nequaquam vocabulum vel officium infaustum constituimus per Africam esse debere, ita vt si quis ad condemnatam huius officii qualitatem prædæ causa adspirare temptauerit, capitalis in eum feueritas exeratur. Dat. prid. Kalend. Mart. Rau. Honorio IX. & Theodosio V. AA. CONS. [412.]

NOTAE.

(a) De hoc Constantio dico plene ad *l. vlt. inf. de infirm. his quæ sub. Tyr.* GOTHOFR.

(b) Per Africam. *IDEM.*

(c) *Tribunos* Protectores: vid. quæ notaui ad *l. 10. sup.* *ID.*

(d) De Vagis dixi ad *l. 10. sup. h. tit.* & ad *l. 12. sup. de Metatis.* *ID.*

COMMENTARIVS.

P.416

INQVISITORES desertorum (de quibus dictum est *l. 10. sup. h. t.*) ab Honorio per Africam Prouinciam tolluntur, cum de horum concussionibus, deprædationibus, querelæ frequentes fuissent, & ad hoc ferme officium adspirarent prædæ causa, vt *hæc lex* ait. Si quæ sane imperii Romani Prouincia sub publici officii specie vastari solita est, ea Africa fuit, ac maxime per hæc tempora: quod interiecti æquoris tractu querelæ prouincialium ferme perirent, vt testatur *lex 33. de erogat. milit. annona*, quæ Anno 414. sequente data est. Itaque subinde ea de causa officia publica quædam penitus per eam Prouinciam sublata, ob deprædationis infamiam: Inquisitores *hac l.* Curiosi, *l. 11. sup. de Curiosis;* sed & aliorum deprædationes repressæ, veluti militum & apparitorum, *d. l. 11.* & *d. l. 33.* & *l. 12. sup. de metatis*, quæ tres *leges* inter se committendæ seu iungendæ sunt.

DE SATVRIANIS ET SVB-AFRENSIBVS, ET OCCVLTATORIBVS EORVM.

TITVLVS. XIX.

Abest hic *Titulus* siue *lex* hæc a *Codice Iustinianeo*. Recte vero hic superiori cohæret. Superior enim *Titulus* fuit *de Militibus desertoribus, & eorundem occultatoribus:* vbi & *Latronibus* iunguntur: hic *Titulus* pariter est de *Coniuratione Latronum quorundam, & eorundem occultatoribus*.

I. OCCVLTANTIBVS *Saturianos & Sub-Afrenses pœnam minatur Honorius A. D. 399.* II. *quidque facto opus sit de locis seu possessionibus, quæ ab his occupata nudataque fuerant.*

I. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Messalæ PF. P. (b)

SATVRIANORVM Coniurationem (c) armis sumus, vt oportuit, persecuti: Sed aliquotiens imminentis pœnæ euitatione ad diuersa semet latibula contulerunt, quorum occultatores huic seueritati sciant se esse subdendos, vt hæ possessiones, in quibus latebram conlocauerint, fisci nostri corporibus adgregentur, nisi protinus, post Edicti huius auctoritatem, pœnæ ac legibus fuerint restituti. Simili etiam se condicione retenendum esse cognoscat, si qui, e Subafrensibus (qui in Saturianorum se Coniurationem miscuerunt) quempiam præuiderit (d) occultandum: Quisquis igitur huiusmodi hominem aduersus salubris decreti auctoritatem existimauerit latebris subtrahendum, sciat sibi cum eo facinus esse commune: Et, si eiusmodi personæ fuerint, quæ multari rerum amissione non possint, proprii capitis luendum esse supplicium. (e) Nec hi sane pœnæ (f) exsortes futuros esse credant, qui deprehensos in quolibet iure (g) tantorum scelerum machinatores silentio prætermiserint, & non statim sub publica testificatione, *quibus in locis inuenti fuerint*, publicauerint. Id quoque obseruandum esse censemus, vt ad ea loca, quæ a memoratis Lattonibus tenebantur, diligens dirigatur Inspector, (h) oblaturus primitus veteribus dominis, vt si hæc possidere desiderant, ne abductis meteant (i) cultoribus, translatis abunde (k) familiis ruta quæ hucusque infructuosa apud eosdem perditorum (l) temeritas fecisse videbatur, exerceant: vel certe, si inconuenientia (m) existimauerint, salus tributorum præstatione ad idoneos possessores transferant. Dat. XIII. Kal. August. Theodoto V. C. CONSS. [399.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex*, vt dixi, a *Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) *Messala* sub Honorio PP. Italiæ, sub quo & Africa fuit. Eidem vero *Messalæ* inscribuntur & aliæ complures *leges*, vid. *Prosopogr.* ID.

(c) Hanc *coniurationis* vocem, quæ & mox repetitur, postea expendo. ID.

(d) Crediderit. ID.

(e) γρ. *supplicio:* quamquam & illud sustineri potest. ID.

P. 417 (f) *Pœnæ se exortes*, &c. ita diserte MS. ID.

(g) γρ. *Rure.* IDEM.

(h) *Inspectoris* genus obserua. IDEM.

(i) γρ. *mareant:* Cæterum Virgiliana hæc imitatio est: *fine 1, Georgicorum v. 507.*
(- - *Squalent abductis arua colonis.* ID.

(k) Forte *aliunde.* Imo *abinde.* ID.

(l) *Perditorum* vox hæc propria; vide *Gloss. Theod.* ID.

(m) *Inconuenientia*, id est *sibi, suisque vsibus minus conuenientia.* ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

DE SATVRIANIS & SVBAFRENSIBVS est hoc Honorii Imp. *Edictum*, vt ipsemet vocat emissum ad Messalam PP. Italiæ; sub cuius dispositione inter alias diœceses quoque erat *Africa:* idque Anno Domini 399. De his vero hæc discimus ex *hac leg.* Primo, *Saturianos* hos, motuum, de quibus *h. l.* agitur, primos præcipuosque auctores fuisse. Secundo, *Coniurationem* hanc saturianorum fuisse, aduersus securitatem Imperii Romani, quomodo Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 2.* Maratocuprenos simillimos latrones coniuratos vocat. Tertio *Sub Afrenses* in Saturianorum coniurationem sese miscuisse. Quarto *Latrocinia* hos exercuisse vel certe pro Latronibus habitos, pariter vt Isauri latrones: vnde & *Latrones* vocantur, item *perditi* homines, eorumque *facinus, & temeritas* dicitur: *magnarum scelerum machinatores* vocantur, locaque quædam eos occupasse indeque cultores abduxisse. Quinto *Aliquoties*, id est subinde, Imperii Romani, loca incursasse. Sexto *Armis* hos *reprimi* oportuisse. Septimo, Et vero *Honorium* nominatim eos armis, vt oportuit, persecutum. Octauo, Tandem, imminentis pœnæ euitatione eos ad diuersa semet *latibula* contulisse, sic vt eos quoque e Romanis nonnulli *occultarent*. Hæc inquam, hactenus ex *hac l.* discimus.

Vnde illud colligimus, quod situm eorum attinet, Saturianos & Sub Afrenses vicinos & conterminos fuisse, atque adeo vtrosque Africæ vicinos, Africam lancinasse. Et quid etiam aliud essa possunt *Sub-Afrenses*, quam populi, gentesque Africæ vicinæ, conterminæ? quam Africam vicinam, proinde Imperio Romano subiectam, ipsi lancinauerint.

Quod vero *motus* ipsorum attinet, ex superioribus discimus, hos Saturianos vicinos Romanos incursasse, hanc proinde *coniurationem* fuisse, vt *hac l.* diserte vocatur: Magna item ab his scelera patrata: Et quanquam Honorius armis eos persequi necesse habuerit, & vero vt oportuit profligauerit, attamen, non tam iustos hostes habitos eos ab Honorio, quam coniuratorum latronum perditorumque manum.

Quibus omnibus ita perspectis & pensiculatis, necesse est, hos *Ausurianos* vel *Ausorianos* esse, quorum mentio occurrit apud Synesium *epist. 57. p. 193. ed. Petau.* & *ep. 78.* & peculiari *Catastasi* seu *homilia dicta in maximam barbarorum excursionem pag. 302. 303. ed. cit.* & apud Ioannem Constantinopolitanum *in Eclogis legationum ex Prisco Panite Tom. I. Script. Rer. Byzant. edit. Venet. pag. 48. edit. Parif. pag. 72.* seu *Ausuriani*, de quibus Amm. Marcellinus *lib. 26. cap. 4.* & *lib. 28. cap. 6.* vel *Auxoriani* de quibus Philostorgius *lib. 11. histor. Eccles. c. 8.* Tandem *Asuritani* de quibus iam olim Cyprianus *ep. 64. (65. Ioan. Oxon.)* a quibus & *partes Asuritana* apud Augustinum *contra Cresconium lib. 3. c. 56.* Tot scilicet modis huius populi nomen effertur. Hi inquam illi, non Saturiani, verum inuersis prioribus literis *Austuriani*, seu *Auxuriani* sunt: ac proinde ita hic reponendi, (quomodo & apud Æthicum, in *Cosmographia*, vbi pari errore *Saturianos* editum:) Non modo suadente ipsa nominis similitudine, verum quia & res, & loca, & tempora omnino conueniunt. Situm nempe hunc eorum ita describit Philostorgius, *d. c. 8.* *Μάζικες καὶ Αὐξωριανοὶ, μεταξὺ δὲ Λιβύης καὶ* ΑΦΡΩΝ *οὗτοι νέμονται.* *Mazices & Ausoriani, qui inter Africam & Lybiam sedes habent.* Mox addit, *κατὰ μὲν τὸ ἑωθινὸν αὐτῶν κλίμα ab orientali ipsorum plaga* fuisse *τὴς Λιβύην, καὶ τὴν Αἴγυπτον:* (vbi, *Libya* est Pentapolitana Cyrenaica, vt mox ex Synesio ostendemus) *κατὰ δυόμενον ἥλιον ab occidentali plaga* autem *Ἀφρὺς* fuisse. Eodem vero situ *Mazices* collocat Ptolemeus, & *Αὐξιμὶν lib. 4. cap. 1.* vbi pro *Αὐξυμὶς*, legam *Αὐξυρὶς*, qui sane *Auxoriani* hi sunt. Inde igitur horum in Tripolitanam, Africanasque prouincias incursiones sub Iuliano, Valentiniano, & Valente circa An. D. 364. & 370. Testis Amm. Marcellinus, *lib. 26. cap. 4. Austoriani Mauricaque alia gentes, Africam solito acrius incursabant*, Et *lib. 28. cap. 6. Ad Tripoleos Africana prouincia veniamus arumnas: Austuriani his* CONTERMINI *partibus Barbari in discursus semper expediti veloces, viuereque adsueti rapinis & cædibus, paulisper pacati in genuinos turbines reuoluti sunt*, &c. Hinc & sub Arcadio & Honorio quoque, cuius hoc aduersus eos *Edictum* est. Testis iuxta hanc *leg.* hoc ipso tempore Synesius, peculiari illa quam dixi *Catastasi* de Pentapolitana per hos calamitate *pag. 301. seqq. edit. Petau.* & *ep. 57.* aduersus Andronicum & *ep. 78.* vbi *Ἀσυριανοὶ* editum: Quorum priore etiam loco verendum ait, ne huic Ausurianorum coniurationi etiam *Libya*, imo & Ægyptus & in ea Alexandria deinceps pateant. Testis Philostorgius *d. c. 8.* vbi iam non, vt Synesius, tantum metuit, verum refert eos hoc tempore Orientem versus Libyam, & Ægypti haud exiguam partem vastasse, Occidantem versus, vicina sibi Asiæ loca incursasse. *Μάζικες καὶ Αὐξωριανοὶ μεταξὺ δὲ Λιβύης καὶ Ἄφρων οὗτοι νέμονται. κατὰ μὲν τὸ ἑωθινὸν αὐτῶν κλίμα τὴν Λιβύην ἐξηρήμωσαν, καὶ τῆς Αἰγύπτυ μοῖραν οὐκ ἐλαχίστην συνδιώλεσαν: Ἄφρεις τε ἐμβαλόντες κατὰ δυόμενον ἥλιον, τὰ παραπλήσια ἔδρασαν.* *Mazices & Ausoriani, qui inter Africam ac Lybiam sedes habent, ab orientali quidem ipsorum plaga Lybiam deuastarunt, & Ægypti quidem haut exiguam partem simul oppresserunt. Ab occidentali autem plaga Afros aggressi, simili clade affecerunt.* Vbi vides Synesiana & Philostorgiana illa his ipsis Arcadii Honoriique Imperatoris temporibus congruere, vnde certa probatio tum ex locorum descriptione, tum ex temporis designatione, eosdem hos esse.

Sed & res ipsæ omnino congruunt, non modo quod incursiones eorum in genere attinet in Africam, Libyam, & Ægyptum, verum quo ad sequentes circumstantias. *Primum* enim, vt hic *sub-Afrenses* dicuntur in Saturianorum coniurationem sese miscuisse, ita & apud Ammianum Marcellinum *d. lib. 26. cap. 4.* iam olim sub Valentiniano & Valente *Maurica alia gentes* Astorianis sese coniunxisse dicuntur: Et apud Philostorgium *d. c. 8.* *Μάζικες καὶ Αὐξωριανοὶ* sociantur, pariter vt apud Synesium *ep. ad Simplicium* 130. vbi *Μακέται* male editum, reponendi enim *Μαζίκαι*, vbi & *μιξοβαρβάρυς* eos vocat, Barbarisque eos (id est Ausorianis) coniungit. Ergo Mazices Sub-Afrenses, nam sub Africa proprie dicta hi fuere: v. Ptolomeum.

Secundo, quemadmodum *h. l.* Saturiani isti cum Sub Afrensibus non tanquam iusti hostes repræsentantur, verum tanquam latrones perditi, & sic latrocinantium more Imperii Romani loca lancinantes, ita & Austurianos seu Auxorianos repræsentat Ammianus Marcellinus *lib. 28. c. 6. Austuriani*, inquit, *in* DISCVRSVS *semper expediti* VELOCES, *viuereque adsueti* RAPINIS *& cædibus, paulisper pacati, in genuinos* TVRBINES *reuoluti sunt.* Synesius *d. ep. 57.* cum locusta eos comparat, quæ fruges vastauit, & segetes ad culmen vsque, stirpes ad corticem adedit. *τὴν ἀκρίδα τὴν λυμηναμένην ἡμῶν τὺς καρπὺς, καὶ μέχρι μὲν καλάμης τὸ λήιον, μέχρι δὲ φλοιῦ τὰ φυτὰ δαπανήσασαν: Locustam, quæ fruges nostras vastauerat, quaque ad culmen vsque segetes* p. 418

ſtirpes ad verticem adederat. Et in *Cataſtaſi pag. 302. edit. Marell.* addit Ου γὰρ ἐξεχύθησαν ἄλῳ πλήθει κατὰ τῆς χώρας, εἰς ΛΙΣΤΗΡΙΑ μετατάξαντα, ἀφήλλοντα καὶ προσήλλοντα. id eſt, *Neque enim confertis sapiis regionem peruagati ſunt, ad* LATROCINIA *ſeſe conuerterunt, fugientes identidem atque irrumpentes*, & quæ plura *ibi* occurrunt eam io ſenteotiam, de eorum deprædationibus, & ſimilia *fine Cataſtaſeos:* etſi poſtea acia quoque præliati, vt *in dicta Cataſtaſi*, & tet quidem tum. Vid. *pag. 302.*

Tertio, quemadmodum *h. l.* Honorius air, ſeſe Saturianorum coniurationem armis, vt oporte[ret] perſecutum, ita & ex eodem Syneſio diſcimus hoc ipſo tempore, & Anyſium Libyæ Ducem & Vnnigardas milites, hos deuiciſſe, victoriaſque de his & triumphos ſæpe retuliſſe, *d. ep. 57. 58.* & in *Cataſtaſeos inſcriptione* ἐπὶ τῇ μεγίσῃ τῶν Βαρβάρων ἐφόδῳ *in maximam Barbarorum excurſionem.* Et *epiſtola 77.* vbi per πομπὴν, *triumphalis pompa* intelligenda eſt, oon quod Petautus *in notis pag. 79.* putauit, deductinnis Magiſtratus, cum exiens, domumque rediens deducebatur.

Quarto, ſicut *hac lege* Honorius eos cultores a locis abduxiſſe ait, ita & Syneſius *in dict. Cataſtaſi pag. 302.* Auſurianos ætatem omnem in ſeruitutem redegiſſe, captiuamque iuuentutem abduxiſſe, additque ἄξει δήμος ἐπὶ τὴν ἀνυγκῶσαν, πολέμιος: περὶ νεανίας τὴν ΓΗΝ, ἣν μειράκιον ἐπὶ μετὰ τῦ πατρὸς ἘΞΕΙΡΓΑΣΑΤΟ, νῦν ἐν ὁδῷ, νῦν ἀπάγεται, id eſt; *veniet hoſtis aliquanda contra patriam populus: Eum* AGRVM *populabit; atqua exſcindet cuuemis, quem cum adoleſceutulus eſſet, vna cum patra* COLVERAT. *Nunc in via eſt, nunc abducitur*, Quam iuuentutem abductam rurſum deflet *ep. 132. ad Simplicium pag. 265.*

Quinto vt ad temporis characteriſmum redeamus, eo tempore Auſurianorum banc cooiurationem, & incurſionem memorat Syneſius *ep. 130.* quo *Simplicius Magiſter militum* erat: Atqui ex *huius Codicis* Conſtitutionibus diſcimus, Simplicium Magiſtrum militum fuiſſe A.D. 396. vt docet *lex 56. de curſ. publ. lex 28. ſup. de Prætorib.* A. D. 398. vt docet *lex 3. ſup. de paſcuis*: Idem & in id tempus id refert, quo Gennadius Præfectus Auguſtalis fuit, ἡγεμονεύοντος Γενναδίῳ, vt habet *Inſcriptio Cataſtaſeos.* At quia diſcimus ex *l. 1. inf. de Alexand. pleb. Primatib.* Gennadium hunc Præfectum Auguſtalem fuiſſe A. D. 396. de quo alioquin Gennadio agit idem Syneſius *ep. 73.* extat & ad eum Claudiani *Epiſtola*, quæ *vltima* eſt.

Ex his igitur tandem conficitur, Saturianos hos reuera Aſturianos, Auſurianos, ſeu Anxuriaoos eſſe. Etſi aliquando ita cenſerem, *Saturianos* hos fuiſſe ſiue militum ſiue aliorum manum vndique collectam ex Romanis ipſis, haud aliter atque Bagaudas, quorum ideo coniuratio hæc dicatur: nempe a Satura, *Saturiani*, quaſi Miſcelliones vndique collecta conflataque miſcella latronum manus: & ſic eadem nominis ratione, quæ de Bagaudarum nomine redditur, quod etiam *latrocinium Bagaudica rebellionis* dixit Eumenius *pro Scholis inſtaur. c. 4.* Vnde & hic *Titulus*, proximo de *Deſertoribus* hoc quoque nexu congruere videatur: [illegible] ſimiles Saturiani Deſertoribus, qui certe & e Romanis erant, & iidem Latrooes ferme, quod oſtendit *Titulus* ille *de Deſertoribus.* Sane Syneſius quoque in *Cataſtaſi*, ſeu *Elogia Anyſii pag. 306.* cui cum Auſurianis res fuit, ait, eundem Anyſium & bellum pacis tempore Barbarico illo paulo moleſtius, ex Militum ἀταξίᾳ & Præpoſitorum ſeu Tribunorum τῶν ταξιάρχων πλεονεξίᾳ, compeſcuiſſe & oppreſſiſſe, καὶ τἄλλ' ὁποῖος ἀνὴρ, τὸν ἐπὶ εἰρήνης δὲ πόλεμον, τὸν μικρῷ τῦ βαρβαρικῦ χαλεπώτερον, τὸν ἐκ τῆς στρατιωτικῆς ἀταξίας, καὶ τῆς τῶν ταξιάρχων πλεονεξίας, ἐχ᾽ ἕτος ὁ παύσας ἐςίν. *At in ceteris qualem ſe præbuit. Bellum pacis tempore exortum, & hoc barbarico paulo moleſtius ex militum incondita tumultuatione, deliciis atque inſolentia auaritiaque ducum exſitatum, nonne eſt, qui compeſcuit & appreſſit?* niſi ſi Syneſium putemus *bellum* illud tranſlatatione quadam vocaſſe, idque ab Anyſio ſedatum dicere, ao quod horum auaritiam & inſolentiam compeſcuerit: ſubiicit enim illico, ſub eo ſolo e multis Ducibus, priuatum (id eſt, non militem) iniuria affectum liberius & altius clamaſſe quam militem: ἐφ᾽ ὃ μόνον γε τῶν πολλῶν στρατηγῶν ἰδιώτης ἠδικημένος μεῖζον στρατιώτε φθέγγεται. *Sub quo ſolo e multis ducibus priuatus iniuria affectus liberius & altius slamat, quam miles.* Mox & ab abſtinentia a muneribus, ἀδωρότατον eundem commendat.

Verum præ Aſturianis valeant hi iam Saturiani: quos & ita interpretantur nonnulli, quomodo *Satureianas* caballos Horatius dixit *Satyr. I. 6. v. 59.* qui *Apuli* ſane fueront.

Nunc de ipſamet *huius leg.* ſententia: cuius duo ſunt capita. Primo capite Honorius *Occultatoribus* Aſtuarianorum & Sub-Afrenſium pœnam minitatur, vel confiſcationis prædii, ſeu poſſeſſionis, in qua latebra præbita fuerit: vel capitis, ſi talis ſit perſona quæ rerum amiſſione multari non poſſit, pro veteri ſcilicet iure receptitioque, vt qui non habet in ære, luat in corpore. Minatur & pœnam his qui occultari ſcientes, non illico reuelauerint publice.

Secundo capite, loca ſeu poſſeſſiones a Saturianis & Sub-Afrenſibus occupatas, & vnde abducti fuerant cultores, atque adeo infructuoſæ redditæ fuerant, priſtinis Dominis, iam aliunde tranſlatis familiis volentibus reddi iubet, vel his recuſantibus ad idonens poſſeſſores eas tranſferri: ſalua tributorum præſtatione. Quæ ἐπιβολῆς ſpecies eſt, de qua *inf. tit. de annona & tributis*, cum videl. infructuoſa loca idoneis poſſeſſoribus adiiciuntur, ſaluo Canone ſeu tributo. Porro id omne fieri iubet diligente *Inſpectore* ad loca miſſo: vbi *Inſpectorum* genus iſtud obſeruandum eſt, qui videl. mitti ſoliti, ad explotanda loca, eorumque vires examinandas: de quibus *inf. titulo. de cenſitoribus, peræquatoribus, & Inſpectoribus*: eaque reſtituenda veteribus Dominis, ſi vellent; ſin minus illam, quam dixi, ἐπιβολὴν faciendam: quod & alias ab his factum: *vid. l. 9. 12. d. tit. de cenſitoribus.* Similes omoino Inſpectores hi priſcis Recuperatoribus, qui bello, vel aliter ablata dominis reſtituebant.

P.419

DE VETERANIS.

TITVLVS XX.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XLVII.

PRIVILEGIA, a se, post victorias de Licinio, Veteranis indulta, Constantinus M. tabulis, encauto, vel cerussa scribi permittit: simul & ad Præsidem quendam Edicti exemplar mittit.

I. Imp. Constantinus A. Floriano Præf. (a)

VETERANIS, qui ex die V. Nonarum (b) Iuliarum, cum prima per Thraciam victoria vniuerso Orbi inluxit, & qui postea, (c) apud Nicomediam, (d) nostram missionem meruerunt, certa (e) per *Edictum* indulsimus, quæ scribendi Tabulis, (f) vel encauto & cerussa conscribere detur eis licentiam (g) *Edictum* (h) autem, continens Indulgentiam (i) nostram, ad deuotionem (k) tuam misimus, & (l) vt tua dicatio, (m) & cuncti alii, recognoscant, quid præstitimus memoratis. PP. IV. Id. April. (n) Licinio v. & Crispo Cæsare CONSS. [318.]

NOTAE.

(a) Non est hic accipiendus Florus Præses Numidiæ, cuius mentio apud Optatum *lib.* 3. verum *Floriacus PF. P. Orientis*: vel certe Præses, aut Proconsul Asiæ. *GOTHOFREDVS.*

(b) Quinto Kalendarum Iuliarum, *Fastorum Siculorum* Auctor: III. Iulii, Eusebius *Chronico. ID.*

(c) Kalend. Octobr. *Fasti Siculi. IDEM.*

(d) Apud Chalcedona alii, quod eodem recidit. *ID.*

(e) Id est nonnulla, quædam. *ID.*

(f) Æneis. *ID.*

(g) *γρ. Licentia. ID.*

(h) Ipsum scilicet. *ID.*

(i) Veteranis concessam, vid. & *l.* 2. *infr. IDEM.*

(k) De *Deuotionis* voce, vide *Gloss. ID.*

(l) *Vt &*, inuerso ordine; vt expresse habet MS. *ID.*

(m) *Dicatio*, hac *leg.* pariter vt deuotio, tribuitur Magistratui, vt existimo, Præfecto Prætorio: Itemque Correctori, *l.* 1. *inf. de Appellationibus.* Proconsuli, *l.* 21. *inf. dicto titulo.* Idem Constantinus *ep. ad Ælafium* in actis Concil. Arelatens 1. *pag.* 259. *Tom. I. Concil. Harduin.* vbi male *dictationis tuæ.* Hinc & Dicatio publica, *l.* 2. *inf. de famosis libellis*, Glossæ *Dicatio* ἀφοσίωσις, καθοσίωσις, Item, *ad dicationem*, πρὸς καθοσίωσιν: non aliter ac in *Glossis* Cyrilli καθοσίωσις *deuotio, dicatio, maiestas.* In veteribus monumentis, *Numini Maiestatique eius dicatus & deuotus. Dicatio* ergo, & *Deuotio*, idem. *ID.* Debet hæc noster Cl. Salmasio, quem vide *in not. ad Pollion. Gallien. c.* 14. cui adde etiam Cl. du Fresne in Glossar. *voc. dicatio. RITTER.*

(n) *γρ. PP. IV. Idib. April. Cyzico Cæsare* III. *Coss. GOTHOFREDVS.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. quioque super Veteranis, eorumque priuilegiis, Constitutiones, proponuntur, quas & aliæ præcesserant: quod indicat *lex* 3. Hac vero non ipsamet priuilegia enumerantur, verum eorum tantum STABILITATI consulitur. Nempe, Priuilegia Veteranis a se concessa, siue Indulgentias *Edicto suo* indultas (ea quam dicit, & de qua mox dicam occasione) Constantinus M. licentiam dat iisdem Veteranis, ea vel tabulis, vel Encauto, vel Cerussa conscribere, sed & eundem in finem ad Magistratum, cui *lex* hæc inscribitur, Edicti illius exemplar publice proponendum, quo omnibus pateat, mittit.

Vbi initio notandum quod ait, duobus locis, se *Edicto* suo Veteranis certa quædam indulsisse, mox & *Edictum continens indulgentiam* vocat. Quod de peculiari in id Edicto accipi possit. Possit & de *Edicto* accipi, quo proposito victoriæ nunciabantur. De quibus Edictis, quas & laureatas literas vocat Ammianus Marcellinus *fine lib.* 16. deque iisdem *inf. tit. ne publ. latit.* Vt ita eodem Edicto nunciata fuerit victoria, & eodem militibus militia honeste tum dimissis præmia tributa fuerint.

Secundo triplex illa ratio scribendi priuilegia sibi indulta, Veteranis concessa, & ad rei memoriam, obseruanda est, pariter vt *l.* 1. *inf. de aliment. quæ inop. parent.* idem Constantinus M. *legem* de alimentis præbendis e publico parentibus inopibus, proponi iubet *æreis tabulis, vel cerussatis, & linteis mappis:* Vnde colligitur, hæc scribendi genera publicis monumentis reseruata fuisse, & priuatis non nisi ex singulari priuilegio concessa.

Huius vero moris in genere *veteranorum*, in quam priuilegia Tabulis & quidem æneis, ad perpetuam rei memoriam scribendi testimonia & exem-

exempla, iam olim ante Constantinum exhibent quatuor insignes inscriptiones, quæ reperiæ Aquileiæ, prope Cremonsm: Salonæ in Dalmatia; & in Pannonia, sub Vespasiano, Domitiano & Hadriano: quæ extant in *carpore Inscriptionum* Cl. Gruteri p. DLXXIII. *n.1.2.* DLXXIV. *n.6.* DLXXV. *n.1.* vbi post enumerata priuilegia concessa veteranis, qui tum militauerant in classe Rauennate, item io classe
P.420 Prætoria Misenensi, in cohorte II. Alpinorum, & VIII. Voluntariorum, io Classe Flauia Mœsica, quique sena & vicena vel quina & vicena stipendia meruerant, honestaque missione dimissi fuerant, hæc verba subiiciuntur:

DESCRIPTVM ET RECOGNITVM EX TABVLA ÆNEA, QVÆ FIXA EST ROMÆ IN CAPITOLIO AD ARAM GENTIS IVLIÆ DEFORAS PODIO SINISTERIORE TAB. PAG. II. LOC. XXXXIIII.

vel, vt in aliis duabus.

QVÆ FIXA EST ROMÆ IN MVRO POST TEMPLVM DIVI AVG. AD MINERVAM.

De his vero tribus scribandi generibus paulo plenius videndum nobis est. Sane *Tabularum* appellatione æreas intelligo, de quibus *d. l. 1. inf. de alim. qua inop. parent.* & in *dictis Inscriptionibus.*

II. *Encautum* vero est scripturæ genus duplex, vnum quidem quod cestro, alterum quod penicillo, cera igne resoluta fiebat. De encaustica quæ fit igni resolutis ceris & penicillo, oon est *hic* sermo; sed neque de omni Encaustica, de qua videndus est Plinius *lib. 35. cap. 11. lib. 36. cap. 25.* Meminit eius Vitruuius & Apuleius: Igitur Encautum, *h. l.* & *l. 4. inf. de extraord. munerib.* est Scriptura quæ fit cestro, non penicillo (quod alias *verniculum* dicitur, Græcis ὀβολίσκος, vt interpretantur Glossæ, vel cauterium, *l. 17. in pr. D. de instructo:*) Aliam proinde ab hac puto quam Græci κέστρωσιν vocant; Hesychius. Κέστρωσις ἡ τὴν βαφικὴν μιμουμένη. Vbi recte legitur βαφικήν. Est igitur *Encautum* literarum expressio quæ fit per adustionem & cestrum ἐγκεκαυμένον. Diuersum etiam ab hoc *Encaustum* quod in Principis vsu fuit: quasi diceres *Inardescens*; Fuit scilicet Encaustum Scripturæ species quædam, quæ a Principe solo vsurpabatur, purpurea videlicet, cum cocti muricis & conchylii ARDORE paginæ signabantur: Quod *sacrum* ideo *encaustum* dicitur in *l. 6. C. Iust. de diuers. rescript.* Sane *h. l.* encauti vsus conceditur Veteranis, eoque priuilegia sua & indulgentias scribendi Facultas: Sed & Rectores prouinciarum publicas extraotdinariorum munerum distributiones celebrantes, manuque propria perscribentes, encauto nomina adnectere iubentur, *l. 4. inf. de extraord. muner.* Denique Censales libri, quibus nomina & modus censualis professionis continebantur, Encauti breues dicuntur, in *l. vn. Cod. Inst. de collegiatis*, vel etiam *encautaria*, vel *encautaris.* Vnde & *encautaria*, seu *Encautaris* Ciuitatum & Prouinciarum, pro libris censualibus & publicis, *in l. vlt. inf. de sensu*, seu *l. 9. Cod. Iust. de Agricolis:* quæ ex *d. l. vlt.* desumpta est. (a)

III. *Cerussa* quoque scribendi ratio fuit, a qua *Cerussata tabula* dicuntur *in d. l. 1. inf. de alim. qua inop. parent.* Ex qua pariter *lege* apparet, harum Tabularum vsum fuisse in Edictis scribendis & proponendis, similiter vt Tabularum ærearum: *Æreis*, inquit, *tabulis vel cerussatis, aut linteis mappis scripta per omnes Ciuitates Italia proponatur lex, qua parentum manus a parricidio arceat, votumque vertat in melius:* Cerussatæ scilicet erant Tabulis æneis proximæ, quæ Incrustatæ eraot plumbo in acuto aceto soluto, id enim est *Cerussa*, quod cuiuis notum est.

Et hæc de scriptura Edicti: nunc ad Historiam *huius leg.* Pertinet hæc *lex* ad Constantini M. victorias de *Licinio*, quarum quidem duæ *h. l.* memorantur. Prior quidem in Thracia, quam 5. Non. Iul. obtinuisse se ait: Posterior vero in Bithynia apud Nicomediam, idque 14. Kal. Octobr. eiusdem anni: Vtriusque victoriæ meminit *Chronici Alexandrini*, seu *Fastorum Siculorum* Auctor, & *Idacii Fasti Consulares*, & Anonymus *apud Sirmondum & Valesium ad calcem Marcellini pag. 713. 714. ed. Gronou.* In eo tamen errat Prior, quod 5. *Kal. Iul.* priorem victoriam obtigisse scribat *pag. 661 edit. Raderi.* aperte enim hæc *lex* in Quintam Nonarum id refert: Κωνσταντῖνος νικητὴς Αὔγουστος τὸν τῶν Ἀδριανοπολιτῶν πόλεμον [in Thracia] θραύσας πρὸ ε΄ Καλανδῶν Ἰουλίων; καὶ τῶν Καλχηδονίων πόλεμον κτήσας πρὸ ιδ΄ Καλανδῶν Ὀκτωβρίων: *Constantinus victor Augustus bellum Adrianopolitanum V. Kal. Iulias perpetrauit. Chalcedoniense XIV. Kal. Octobr. cepit.* De hac ipsa victoria sentit & Autor veteris Kalendarii Romani (quod Constantinianis temporibus scriptum, & a Musæo Heruarti depromptum) ibi enim ita, *V. Non. Iul. Fugato Licinio*; Sed & *Fastorum Consularium* Autori cum *hac l.* conuenit, *Bellum Hadrianopolitanum die V. Non. Iul. Et bellum Chalcedonense XIV. Kal. Octobr.* Hadrianopolitanum bellum non aliud est, quam quod in Thracia gestum, de quo & Anonymus apud *Sirmondum & Valesium pag. 713. ed. cit.* Cedrenus quoque *pag. 224. edit. Venet. int. Script. Rer. Byzant.* vbi tameo Græca mutila sunt: Chalcedonense vero vel etiam apud Chrysopolim, de quo Anonymus ille *l. c.* non aliud quam quod apud Nicomediam. Socrates pariter *lib. 1. c. 4.* Licinium post varia inter ipsum & Constantinum prælia, tandem apud Chrysopolim vrbem Bithyniæ (quod est *Chalcedonis* nauale) deuictum scribit: πολλῶν, inquit, γενομένων συμβολῶν, καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν, τέλος πρὸς Χρυσόπολιν τῆς Βιθυνίας (ἐπίνειον δὲ τοῦτο τῆς Καλχηδόνος ἐστὶν) ἡττηθεὶς ἐξέδωκεν ἑαυτόν. *Multisque praliis terra marique consertis, tandem ad Chrysopolim Bithynia (quod nauale est Chalcedonensium) deuictus Licinius, Constantino se dedidit.* Sed clarius Sozomenus *lib. 1. cap. 7.* bellum hoc in Bithynia susceptum, & Nicomediæ finitum, Συνίσταται δ᾽ ἐν Βιθυνίᾳ πόλεμος ὃν τελευταῖον ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους αὐτός τε καὶ Κωνσταντῖνος· τοσαύτῃ δὲ θείᾳ ῥοπῇ ἐχρήσατο Κωνσταντῖνος, ὡς κατὰ γῆν καὶ θάλασσαν κρατῆσαι τῶν ἐναντίων, ἀποβαλόντα δὲ Λικίνιον τὰ πεζὸν καὶ τὸ ναυτικὸν ἑαυτὸν ἐν ΝΙΚΟΜΗΔΕΙΑΙ προδοῦναι. *Conflatum est in Bithynia bellum, quod inter Constantinum & Licinium postremum fuit. In quo Constantinus Dei auxilio in tantum adiutus est, vt hostes terra marique deuicerit. Et Licinius terrestri simul ac nauali exercitu amisso, Nicomedia se ipsum dediderit.* Meminit & huius Nicomediensis belli Praxagoras Atheniensis, de rebus Constantini M. *apud Photium p. 64.* & Zosimus *lib. 2. cap. 26. 28.* Victor pariter vtramque victoriam his verbis perstringit *de Cæs. c. 41. Sexennio post, rupta pace apud Thracas, Licinius pulsus CHALCEDONA concessit: Ibi ad auxilium sui Martiniano in Imperium cooptato, vna oppressus est.* Ait, *sexennio post Cæsares creatas*, & sic anno 322. vel 323. nam Cæsares creati A. 317. Cedrenus quoque *l. c.* vtrumque hoc bellum memorat, additque, hoc bellum octodecim mensibus durasse. Et hæc de ipsa Historia.

Labor omnis iam in characterismo temporis Liciniani

(a) Plura vide apud Cl. du Fresne in Glossar. voc. *Encaustum* & obserua in sequentibus eum, quæ hic notauit Gothofredus, excerpsisse (non laudato auctore) quod solet sæpius, etiam sine prætio examine.

ciniani belli vtriusque educendo. Victoris primum locus procedat *de Cæsar. c. 41. Licinio variis præliis pulso cum eum prorsus opprimere arduum videretur, simul affinitatis gratia recepit consortio adscitique imperio Cæsarum communes liberi Crispus, Constantinusque Flauio geniti, Licinianus Licinio. Quod equidem vix diuturnum, neque his qui adsumebantur felix fore defectu solis fœdato iisdem mensibus die, patefactum. Itaque sexennio post, rupta pace,* &c. Certe Cæsares ibi creari A. D. 317. Kalendis Martiis, vt testantur *Chronici Alexandrini* Auctor, & *Idacii Consulares*. Hæc ex Victore. Secundo *Chronici* quod dixi *Alexandrini* Auctor, & Idacii Consulares historiam Liciniani belli profligati, referunt in A. D. 324. seu *Crispum III. & Constantinum III. Cos.* Tertio Anonymus scriptor vetus, qui apud *Sirmondum*, characterismum alium suppeditat: nempe enim ex belli Gothici a Constantino profligati occasione enatum bellum Licinianum tradit: Atqui patratum id bellum A. D. 323. de quo *ad l. 1. sup. de re militari*, & *l. 1. sup. de commeatu*. Verba hæc sunt *pag. cit. Cum Constantinus Thessalonica esset, Gothi per neglectos limites eruperunt, & vastata Thracia & Mæsia prædas agere cœperunt. Tunc Constantini terrore & impetu repressi captiuos illi impetrata pace*
P. 421 *reddiderunt. Sed hoc Licinius contra fidem factum questus est, quod partes suæ ab alio fuerint vindicatæ. Deinde cum variasset inter supplicantia & superba mandata, iram Constantini merito excitauit. Per tempora quibus nondum gerebatur bellum ciuile, sed item parabatur, Licinius scelere, auaritia, crudelitate, libidine saeuiebat: occisis ob diuitias pluribus, vxoribus eorum corruptis.* Quartum characterismum colligo ex hoc ipso *Codice*. Primo ex *l. 3. inf. de extraordin.* quæ Constantini constitutio est, eaque data A. D. 324. *ad edictum Chalcedonensium & Nicomediensium*, (nam ita ibi reponendum) 8. *Kal. Maii.* Nempe. stat in vt Chalcedone & Nicomedia potitus Constantinus Licinio deuicto, hanc ad edictum illarum vrbium constitutionem edidit. Secundo id statuitur ex *l. 1. inf. de infirmandis his quæ sub Tyrannis*: quæ A. D. 324. *PP.* XVII. *Kal. Iuni* dicitur: qua vtique Constantinus M. Licinii constitutiones & leges abrogat: quam & eodem fine mox anno sequ. 325. *initio legis 2. eiusd. tit.* iterauit. Quinto, Nudi quoque Fasti Consulares id ostendunt, nempe post A. D. 317. bellum extremum Licinianum profligatum: Anno quippe 318. fuit Licinius ipse quintum cum Crispo Cæs. Consul. & An. 319. Constantinus A. 5. cum Licinio (id est Liciniano Licinii filio Cæs.) Sexto, ex Historia Ecclesiastica liquet, Licinium deuictum post A. D. 317. Anno quippe 319. notatur Licinii in Christianos persecutio. Sed his omnibus renititur hæc *lex*: Item reniti videntur superiore Anno 317. quatuor Constantini constitutiones, quæ datæ sunt *ad Bithynos*, ad quos sane Constantinus M. eas *leges* emisisse non potuit, nisi Licinio deuicto (verum vt ad eas *leg.* dico, referri eas malim ad A. D. 330.) Igitur expediendis his difficultatibus, putabat Sigonius subscriptos *huic legi* Consules emendandos esse, & post eum quoque Petauius *in paralipomenis lib. de Doctrin. Temp. pag. 861. 862.* sic vt A. D. 323. vel 324. adscribi velint: Quod postremum & ipse censeo: qui sane adscriptus est *d. legi 1. inf. de infirm. his q. sub Tyr.* & *d. legi 3. inf. de extraordinariis*: Sic vt Licinianum bellum anno 323. cœptum, felicibusque victoriis duabus continuatum, initio vero anni 324. patratum fuerit. Et vero cum apices literarum propius intueor, omnino censeo, huius *legis* subscriptionem emendandam ita: *PP.* IIII. *Idib. April. Cyzico Crispo Cæsare* III. COS. [id est, anno 324.] expuncto Licinii nomine velut Tyranni: nempe Cyzici proposita fuerit hæc *lex* de Veteranorum præmiis & priuilegiis proxime ad Bithyniam, vbi Nicomedia, cuius *h. l.* mentio, vrbe Hellesponti missiones publicæ fuere. (a)

(a) Apponenda hic duxi integra Cl. Pagi verba, quibus omnia huc pertinentia, multis alioquin inuoluta nodis atque scrupulis historicis, solidissime ex optimis fontibus demonstrantur. Confer cum illis ea, quæ partim in *Chronologia* noster, partim *citatis legib.* in Commentar. dixit.

ANTON. PAGI *Critic. ad Annal. Baron. ad an. 316. num. 6.* Petauius in Paralipomenis librorum de doctrin. Tempor. pag. 871. iam obseruauit, *Constantini & Licinii* bella in Annalibus perturbatissime digeri, & hanc historiæ partem ab errore purgare conatus est: sed ea hic a nobis retractanda, & accuratius discutienda. Existimauit Baronius anno 316. discordias inter vtrumque Imperatorem exortas, & *Licinium* Christianos persequi incepisse. Tum *anno insequenti* 317. primum inter eosdem bellum, *annoque* 318. vltimam Licinii cladem narrat. Et tamen *primum* illud *bellum* anno trecentesimo decimo quarto & inchoatum & absolutum, *persecutio anno* 319. a Licinio excitari cœpta, *vltimumque* Constantini cum Licinio *bellum*, nonnisi *anno* 323. motum, ac subsequenti continuatum. Quæ omnia adeo certe demonstrabo vt nullus imposterum circa hæc hærere poterit. Verum maioris claritatis gratia hoc anno tantum de initio persecutionis verba faciam. Eusebius in Chronico, Theophanes & Cedrenus testantur, Licinium anno 319. Christianos de palatio depulisse, & Anonymus a Valesio editus, postquam prius bellum Constantinum inter & Licinium gestum narrauit, ait: *In Orientis partibus Licinio, Constantino (Coss) repentina rabie suscitatus Licinius omnes Christianos a palatio iussit expelli.* Sed legendum, *Constantino V. & Licinio Cæs. Conss.* qui Consulatus anno 319. gestus; in quem inciderunt *Quindecennalia* Cæsarei imperii Licinii Augusti. Annis autem huiusmodi solennibus addictis, persecutiones aduersus Christianos de more suscitatæ. Decepit Baronium deprauata subscriptio *legis 1. Cod. Theodos. de Veteranis*, quæ dicitur proposita *IV. Id. April. Licinio V. & Crispo Coss.* id est anno 318. In ea enim fit mentio prælii Hadrianopolitani, in quo Licinius debellatus, postquam iam persecutionem mouisset. At iam inter viros eruditos conuenit, eam *subscriptionem mendosam* esse, eamque legem longe tardius datam, vt mox videbimus. Fatetur Baronius, quod negari non potest, *S. Basileum Amasenum* Episcopum ipso Licinianæ persecutionis initio passum esse. Nicephorus *lib. 7. c. 44.* ait, *Basileum post Theodorum capitale supplicium subiisse, quod Diis sacra facere noluisset.* Theodorus autem Dux insignis *ense fuit consummatus Februarii mensis die septimo, sabbato, hora tertia*, vt legitur in eius Actis apud Bollandum die VII mensis Februarii. Est is *character anni* 319. litera Dominicali D. præditi. Quare perperam Baronius Theodori mortem anno 316. collocauit, quo dies septima Februarii non cum sabbato, sed cum feria tertia concurrebat: notatur enim hic annus litera dominicali A. G. *Basilei* itaque *martyrium* in Annalibus hoc anno recitatum, anno tantum 319. *die 26. April.* contigit.

IDEM *ibid. ad an. 317. num. 3.* Lex 1. Cod. Theodos. *de Veteran.* vbi Constantinus ait, *Veteranis, qui ex die V. Nonarum Iuliarum, cum prima per Thraciam victoria vniuerso orbi illuxit, & qui postea apud Nicomediam nostram missionem meruerunt, certa per edictum indulsimus* &c. Baronium induxit, vt *primum* Constantinum inter & Licinium *bellum* anno 317. *secundum* anno 318 consignaret, quod ea lex dicatur *PP. IV. Id. April. Licinio V. & Crispo Cæs. Coss.* anno scil. 318. Cum enim in ea *Nicomediam nostram* appellet Constantinus, & ea

ea vrbe imperii Liciniani sedes fuerit, eam post Licinium debellatum emissam necesse est. Verum huius legis subscriptio mendosa, vt nunc inter eruditos omnes conuenit. Quare legendum cum Gothofredo in Chronol. Cod. Theodos. *PP. IV. Id. April. Cyzico Crispo Cæs. III. Coss.* ideoque anno 324. quo Crispus tertium Consulatum, Constantino Cæs. III. Collega, gessit. Nam *prælium Adrianopolitanum* commissum *V. Nonas Iulias* illius anni, vt mox ostendemus. Illa itaque fallaci subscriptione, quæ variorum errorum caussa fuit reiecta, vtrumque illud bellum suis annis reddendum. Petauius in Paralipomenis librorum de doctrin. Tempor. pag. 861. primum illud bellum cum anno 315. coniungit, Victoris in Epitome, & Eusebii in Chron. auctoritate innixus. Verum illud anno 314. gestum certum esse debet. Anonymus Valesianus non tantum veram eius caussam, sed & tempus, quo illud factum nos edocet. Vbi enim de nuptiis Licinii cum Constantia Constantini sorore quæ ad annum 313. pertinent, locutus est, ait: *Post aliquantum deinde temporis Constantium Constantinus ad Licinium misit, persuadens vt Bassianus Cæsar fieret, qui habebat alteram Constantini sororem Anastasiam, vt exemplo Diocletiani & Maximiani inter Constantinum & Licinium Bassianus Italiam medius obtineret. Et Licinio talia tractante* (legendum, *Licinio talia frustrante*, vt propria manu scripsit Sirmondus ex fide Cod. MS. in margine Codicis impressi Anonymi Valesiani, qui extat in Bibliotheca Parisiensi Patrum S. I.) *per Senitionem Bassiani fratrem* (addit Sirmondus ex eiusdem Cod MS. fide, *qui Licinio fidus erat*) *in Constantinum Bassianus armatur. Qui tamen in conatu deprehensus, Constantino iubente victus & stratus est. Cum Senicius auctor insidiarum posceretur ad pœnam, negante Licinio, fracta concordia est, additis etiam caussis, quod apud Æmonam* (sita erat prope Alpes Iulias in finibus Italiæ & Norici, vt videre est in Tabula Peutingeri) *Constantini imagines statuasque deiecerat. Bellum deinde apertum conuenit ambobus: vtriusque ad Cibalensem campum* (erat Cibalis oppidum Pannoniæ) *ductus exercitus. Licinio XXXV. M. peditum & equitum fuere. Constantinus XX. M. peditum equitum duxit* (deest aliquid) *Cæsis post dubium certamen Licinii viginti peditum millibus & equitum ferratorum. Item Licinius cum magna parte equitatus noctis auxilio peruolauit ad Sirmium. Sublata inde vxore ac filio & thesauris, tetendit ad Daciam. Valentem Ducem limitis Cæsarem facit. Inde apud Hadrianopolim Thraciæ ciuitatem per Valentem collecta ingenti multitudine Legatos ad Constantinum de pace misit apud Philippos constitutum, quibus frustra remissis, iterum reparato bello in campo Mardiense, ab vtroque concurritur, & post dubium ac diuturnum prælium Licinii partibus inclinatis profuit noctis auxilium. Licinius & Valens credentes, Constantinum, quod & verum erat, ad persequendum longius a Byzantio processurum, flexi in partem Berœam concesserunt. Ita Constantinus vehementer in vlteriora festinans deprehendit, Licinium remansisse post tergum, fatigatis bello & itinere militibus. Missi deinde Mestrianus Legatus* (huius Legationis meminit Petrus Patricius in Excerptis Legationum) *pacem petiit, Licinio postulante & pollicente se imperata facturum. Denuo, sicut ante mandatum est, Valens priuatus fieret. Quo pacto pax ambobus* (legendum ex Sirmondo citato *ab ambobus*) *firmata est, vt Licinius Orientem, Asiam, Thraciam, Mœsiam, minorem Scythiam* (partem Mœsiæ sic vocatam, vt patet ex Iornande in Geticis) *possideret. Deinde reuersus Serdicam Constantinus hoc cum Licinio absente constituit, vt filii Constantini Crispus & Constantinus, filius etiam Licinii Licinius Cæsares fierent, & sic ab vtroque concorditer regnaretur. Itaque Constantinus & Licinius simul Consules facti.* Ita Anonymus Valesianus. *Constantius*, de quo ibi mentio, erat *Constantini M. frater*, quem Patricium & Nobilissimum postea renuntiauit, teste Zosimo lib. 2. *Anastasia* vero, *soror Constantini*; quod perperam Baronius in dubium vocauit. *Pugnatum* est *ad Cibalensem campum Mense Octobri.* Idatius enim in Fastis, Volusiano & Anniano Coss. anno scil. 314. ait: *His Consulibus bellum Cibalense fuit VIII. Id. Octobris. Licinius fusus fugatusque*: reparatoque iterum bello in campo Mardiensi, qui locus ignotus, rursus Licinius in fugam coniectus. Tum sancita pax, nouaque imperii diuisio facta. Constantini imperio cessit Pannonia, Dardania, Dacia, Mœsia, Macedonia, Tractusque Danubii omnis, Illyricum totum, Græciaque seu Achaia, Eutropio & Sosomeno lib. 2. testibus. Licinio cessit Thracia, Mœsia minor, Scythia, Asia, Oriens & vlterius sitæ prouinciæ reliquæ, vt ex Anonymo Valesiano & Zosimo liquet. Cumque idem Anonymus diserte tradat, post illud bellum Constantinum & Licinium Consules processisse, manifestum fit, illud contigisse anno 314. cum vltimus Constantini, Licinio Collega, Consulatus in annum 315. incidat. Sed præter illum Anonymum & Idacium mox laudatum, Victor de Cæsaribus idem insinuat, qui postquam de Maximini morte, quæ anno 313. accidit, sermonem habuit, scribit: *ita potestas orbis romani duobus quæsita: qui quamuis per Flauii sororem nuptam Licinio connexi inter se erant, ob diuersos mores tamen, anxie triennium congruere queuere.* Incipit Victor triennium illud ab anno 311. quo Constantinus contra Maxentium moturus Licinium Constantia sorore vxore promissa, sibi socium adiunxit, vt ad an. 312. n. 2. diximus. Sed Petauius citatus, qui triennium illud ab anno 313. quo Licinius Constantiam vxorem duxit, numerauit, non potuit hoc bellum ab anno, quo gestum est, non remouere. Denique in Chronico Eusebii secundum editionem Pontaci, hoc bellum copulatur cum anno Abrahami 2330. qui Kalendis Octobris anni Christi 313. exorditur. Verum Petauius ad annum Constantini, qui ibidem notatur septimus, respiciens, annum gesti belli detegere non potuit.

IDEM *ibid. ad an. 318. n. 2. seqq. Secundum* Constantini & Licinii *bellum, anno* 313. inchoatum, sequentique absolutum. *Primo*, quia Cedrenus scribit, illud durasse annum atque octo menses. Quare cum anno 324. profligatum fuerit, anno antecedenti cœperat. *Secundo*, Victor de Cæsaribus de Licinio scribit: *Quo sane variis præliis pulso, cum eum prorsus opprimere arduum videretur, simul affinitatis gratia recepti consortio, adscitique imperio Cæsarum communes liberi, Crispus Constantinusque Flauio geniti: Licinianus Licinio. Quod equidem vix diuturnum: neque his, qui assumebantur felix fore, defectu solis fœdato iisdem mensibus dis, patefactum. Itaque sexennio post rupta pace apud Thracas, Licinius pulsus Chalcedona concessit, &c.* Illa *Cæsarum nuncupatio* anno 317. facta, vt iam demonstratum, eodemque sol defecit die vicesima Decembris feria sexta, hora diei nona circiter, vt obseruauit Petauius in Paralipomenis librorum de doctrin. Temp pag. 860. *Rupta* itaque *pax anno* 323. qui sextus est a nuncupatione Cæsarum, & a narrata ecclypsi; cuius Idacius in fastis anno 318. meminit: *His Consulibus tenebræ fuerunt inter diem hora IX.* Sed calculus mathematicus suffragatur Victori, & Idacio rem anno non suo recitare, quod non raro ei accidit, demonstrat. *Tertio*: Anonymus Valesianus huius belli caussam aperit, ex qua in cognitionem temporis, quo cœpit, peruenimus: *In Orientis partibus, Licinio Constantino* (scil. *Consulibus*, anno 319. quo Constantinus. Aug. V. & Licinius Cæsar Consules fuerunt) *repentina rabie suscitatus Licinius, omnes Christianos a palatio iussit expelli. Mox bellum inter ipsum Licinium & Constantinum efferbuit. Item cum Constantinus Thessalonicæ esset, Gothi per neglectos limites eruperunt. Tum Constantini terrore & impetu repressi, captiuos illi impetrata pace reddiderunt. Sed hoc Licinius contra fidem factum questus est, quod partes suæ ab alio fuerint vindicatæ. Deinde cum variasset inter supplicantia & superba*

mandata, iram Constantini merito excitauit. Per tempora, quibus nondum gerebatur bellum ciuile, sed item parabatur, Licinius scelere, auaritia, crudelitate, libidine sauiebat: occisis ob diuitias pluribus, uxoribus eorum corruptis. Sirmondus in margine Codicis impressi, qui extat Parisiis in Bibliotheca collegii Ludouici Magni, propria manu, ex fide Cod. MS. post hæc verba, *Gothi per neglectos limites eruperunt*, ista addidit: *& vastata Thracia & Mæsia prædas agris ceperunt.* Quæ verba notanda ob martyres tunc in Mæsia passos, de quibus anno 316. egi. De hac Gothorum eruptione loquitur etiam Zosimus lib. 2. Quod factum mense Februario docent *Ludi Gothici*, qui a die quarta vsque ad nonam eiusdem mensis exhibebantur, vt videre est in veteri Kalendario a Bucherio publicato. Sed non alio anno, quam 323, vt notauit *Gothofredus in Chronologia Cod. Theod.* ex eo, quod eo anno Constantinus disciplinam militarem erecturus, custodiæque limitis Thracici & Mæsiæ aduersus barbarorum incursiones, & deprædationes deinceps prouisurus, qui negligentia militum limitaneorum proditus fuerat, Constitutionem emiserit, *IV. Kal. Mai. anni* 323. cuius sunt partes *Lex 1. Cod. Th. de re militar. & Lex 1. eiusd. Cod. de commeatu.* Priori lege decernit Constantinus, vt si quis cum quibuslibet hostibus prædas egerit, aut prædam cum prædonibus diuiserit, incendio concremetur. Iam itaque eo anno Barbari Romanos vexabant. In posteriori Constantinus, confecto iam & patrato hoc bello Gothico, barbarorum incursionibus deinceps obuiam iturus labantem disciplinam militarem retinere voluit, commeatu militibus deinceps denegato, & seuerissima simul pœna indicta romania, qui Barbaros in Romanos concitassent. Captiuos Gothorum per vrbes distributos fuisse, & Constantinum Thessalonicam sese recepisse testantur Zosimus loco laudato, & Eusebius *lib. 4. de Vit. Constantini c. 5. & 6.* si tamen Eusebius, qui generatim loquitur, de his Gothorum incursionibus intelligendus sit. *Post Gothos deuictos*, cœptum est *bellum Licinianum*, a Zosimo & Anonymo Valesiano egregie descriptum, & nonnisi anno 324. confectum. Idatius enim in Fastis, sub Consulatu Crispi Cæsaris III. & Constantini Cæsar. III. anno nempe 324. ait: *Bellum Hadrianopolitanum, die V. Nonas Iulias, & bellum Chalcedonense XIV Kal. Octobres.* Idem habet auctor Chronici Alexandrini, nisi quod loco *V. Non. Iulias*, mendose habeat *V. Kal. Iulias*, & hæc anno 325. gesta tradat, in quo sine dubio hallucinatur. *Gothofredus in Chronologia Cod. Theodos.* Licinium prope Hadrianopolim & Chalcedonem, anno tantum 323. debellatum contendit, innixus rescripto eiusdem Codicis *De infirmand. his quæ sub Tyrann. anno 324. XVI Iunii die dato.* Existimat enim istud nonnisi post victum Licinium emissum esse; cumque mense Septembri apud Chalcedonem Licinius superatus fuerit, ait, *Idacium deceptum, perperamque eam victoriam, quæ ad annum 323. pertinet, sub anno 324. recitare.* Sed Licinii post Maximinum in fugam coniectum *Lex 2. Cod. Theodos. de censu* missa ad Eusebium V. P. Præsidem Lyciæ & Pamphyliæ *data Kal. Iun. an. 313.* hanc *Gothofredi coniecturam* plane *euertit.* Quemadmodum enim ea promulgata est a Licinio prima die mensis Iunii, postquam initio mensis Maii Maximinum, qui tamen vsque ad mensem Augustum vixit, fudisset: ita & laudatum rescriptum, *De infirmandis his quæ sub Tyrannis. XVI. Kal. Iun. an.* 324. datum duas vltimas de Licinio victorias a Constantino reportatas præcessit, nec nisi post eas datas Licinius in Constantini potestatem venit; ideoque non bene *Gothofredus* ex ea lege *in Commentar. Leg. 1. Cod. Theodos. de Veteranis* deducere conatur, *Licinianum bellum* anno 323. ineunte cœptum esse, felicibusque victoriis continuatum, initio anni 324. finem accepisse.

II. Idem A. (a)

CVM introisset Principia, & salutatus esset a Præfectis, (c) & Tribunis, & Viris Eminentissimis (d) adclamatum (e) est, *Auguste Constantine, Dii* (f) *te nobis seruent: vestra salus, nostra salus: Vere* (g) *dicimus, iurati dicimus.* Adunati Veterani exclamauerunt; *Constantine Aug. Quo* (h) *nos veteranos factos, si nullam Indulgentiam* (i) *habemus?* CONSTANTINVS A. dixit, *Magis magisque Conueteranis* (k) *meis beatitudinem* (l) *augere debeo, quam minuere.* Victorinus veteranus dixit. *Muneribus & oneribus, vniuersis locis, conueniri non sinamur.* CONSTANTINVS A. dixit: *Apertius indica, quæ sunt maxime munera, quæ vos contumaciter* (m) *grauant.* Vniuersi veterani dixerunt: *Ipse perspicis scilicet.* (n) CONSTANTINVS A. dixit: Iam nunc (o) Munificentia (p) mea omnibus Veteranis id esse concessum perspicuum sit, Ne quis eorum nullo (q) munere ciuili, neque in operibus publicis conueniatur, neque in nulla conlatione, neque a Magistratibus, (r) neque vectigalibus. In quibuscunque Nundinis (s) interfuerint, nulla (t) proponenda (v) dare debebunt. Publicanis (x) quoque, vt solent (y) agentibus (z) superconpellere:) (aa) ab his veteranis amoueantur: Quiete post labores suos perenniter perfruantur. *Fisco* nostro quoque eadem (bb) Epistula (cc) interdiximus, (dd) vt nullum omnino ex his inquietaret, sed liceat eis emere & vendere, (ee) vt integra beneficia eorum sub sæculi nostri otio & pace perfruantur, (ff) & (gg) eorum senectus quiete post labores perfruatur. *Filios* (hh) quoque eorum defendant decertationes quæ in patris persona fuerunt, (ii) quosque (kk) optamus florescere sollicitius (ll) ne (mm) si contumaces, secundum eosdem Veteranos, conprobari potuerint, decimentur his sententiis cum Præsidali officio adiungentur probabilius, (nn) iussionem meam. Curabunt ergo Stationarii (oo) milites cuiusque Loci Cohortis, & parentes eorum desperationem, (pp) & ad sanctimoniam conspectus mei sine vlla deliberatione (qq) remittere, vt sint salui cum fenus consa-

consecuntur pœnas indulgentiæ. Dat. Kal. Mar. in ciuitate Velouocorum, (r) Constantino A. VI. & Constantio Cæs. CONSS. [320.]

NOTÆ.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) Constantinus M. scilicet, cuius nomen *legi* inscriptum vel saltem indicatum. *ID.* Et in Cod. Iust. expresse *Imp. Constantinus A.* RITTER.

(c) *Præfectorum* horum, ante Tribunos, vnica hæc *hoc Codice* lex meminit; Hi erant *Præfecti Legionum*, de quibus Vegetius *lib. 2. cap. 9.* Præfecti Castrorum, &c. GOTHOFR.

(d) De Viris *Eminentissimis*, vid & *l. 11. Cod. Iust. de quæstionib.* & dicam ad *l. 1 inf. de quæstion.* *ID.*

(e) *Acclamationis* mos & formula, de qua mox. *ID.*

(f) Gentilium militum formula. *ID.* Cod. Iust. *Deus Te nobis seruet.* RITTER.

(g) *Vere dicimus:* vid. inf. Lampridii *locum.* GOTHOFRED.

(h) *Quo mihi fortuna, si non conceditur vti?* Horatius. *I. Epist. 5. v. 12.* Papinianus apud Auctorem *Collat. Legum Mosaic. t. 4. §. 7. Quo bonum fuit lege comprehendi?* Omitto alia. *IDEM.*

(i) Eadem *Indulgentiæ* voce vtitur *lex* 1. *sup.* *ID.*

(k) *Conueteranos suos*, Principes Veteranos dixere; item, *milites:* vid. præter alia Suetonium in *Augusto cap. 25.* vt & *Commilitones:* de quo est locus apud Synesium, *de Regno p. 12. ed. Petau.* & *l. 1. D. de testam. milit.* Nempe ea figura, quæ ad beneuolentiam conciliandam plurimum valet, quam Rhetores *παθοποιίαν* vocant. *IDEM.*

P.422 (l) *Beatitudo* Veteranorum. *IDEM.*

(m) *Contumaciter*, id est, grauiter *ID.*

(n) Abest hæc vox a Cod. Iust. *IDEM.*

(o) *Iam nunc*, id est, a modo; sic *l. 2. sup. de Pulutinis S L.* & *l. 1. sup. de officio Rector. Prouinc.* (vbi plene dixi de hac formula) *l. 9. de lustrali collat. l. 17. sup de Tironibus.* *ID.*

(p) *Magnificentia*, Cod. Iust male. *IDEM.*

(q) *In vllo*, Cod. Iust. (vt mox, *nec vlla:*) quanquam hoc duplex abnutiuum exemplo non caret. Sic infra, *neque in operibus publicis nec vlla.* *IDEM.*

(r) Magistros pagorum intelligit, de quibus dixi ad *leg. 1. sup. de erogat. milit. annonæ:* Eodemque sensu *l. 2. sup. de Sabgano.* Notula ad marginem Siculi Flacci, *Magistri pagorum, Magistratus dicuntur* Eodem sensu, *l. 2. §. 24. D. ne quid in loco publico.* *ID.*

(s) De *Nundinis*, vid. *Nouellam Theodos. vlt.* *IDEM.*

(t) *Vllu ob venditionem proponendam:* ita τρίβον. *IDEM.*

(v) *Proponenda*, de eo mox. *IDEM.*

(x) γρ. *Publicani*, vt Cod. Iust. *IDEM.*

(y) *Adsolent.* Cod. Iust. *ID.*

(z) *Agentibus.* id est negotiantibus. *Agere* ἄγειν, pro mercimonia agitare, seu negotiari, tentaret quis *Agentes, publicani* scilicet πράττειν, pro ἐκπράττειν exigere: πράκτορες *exactores*, vt alibi dico. Verum id hic non admitto. *IDEM.*

(aa) *Supplere*, Cod. Iust. in veteri libro, *superpellere.* Est enim quod Græci dicunt *διαπράττειν καὶ λυμαίνεσθαι*, notante Cuiacio *ad l. 1. C. l. h. t.* *IDEM.*

(bb) Hac eadem. *ID.*

(cc) *Epistolæ* appellatione Cuiacius hic intellexit, testimoniales particulares scilicet dimissionis Veteranorum: quo sane sensu *Epistolæ* accipiuntur *l. 11. in f. supra de desertoribus:* & *l. 1. inf. tit. prox. de testimoniali*, & *l. 1. inf. de Tractoriis & statiuis l. 45. inf. de Decurionib.* seu emeritæ missionis epistolæ, *l. 4. inf. h. t.* Imo *Epistola* hic, est Rescriptum Principis, siue Edictum missionis veteranorum generale: & vt mox vocatur, iussio Principis: *versiculo, Filios quoque, inf.* *ID.*

(dd) *Interdicimus*, Cod. Iust. recte, vt puto. *ID.*

(ee) Cod. Iust. addit: *optionis negotiis pecuniam tractare.* *ID.*

(ff) Ita quoque *Codex Iustinianeus.* Quod si ita est, passiuo significatu hæc vox accipienda fuerit. *Frui* cum Accusat. Symmachus *lib. 2. ep. 21.* & *l. 1. maternis bonis.* Vid. *Glossar.* Malim tamen *perferantur.* *ID.*

(gg) Sequentia omnia absunt a *Codice Iustinianeo.* *ID.*

* Sententiæ sequentes (quæ a *Cod. Iust.* absunt) si quæ *hoc Codice*, corruptissimæ & obscurissimæ, de quibus in ipso *Commentario.* *ID.*

(hh) An? *Filii quoque eorum dependant decertationes?* An? *In filios quoque eorum descendant decertationes?* Nil tale mihi probatur: lectio *hic* retinenda. *ID.*

(ii) Floruerunt. *ID.*

(kk) *Eosque, vel, quos &:* an vero: *quasque* decertationes scilicet, vel, *vt quos?* duo sane capita de filiis veteranorum hic contineri omnino puto: Primum, immunitate paterna eos gaudere, de quo dicetur ad *l. 9. huius Tituli.* Secundo, eos militiæ labore florescere oportere, id est, ad militiam vocari. *ID.*

(ll) γρ. *Solito citius.* *ID.*

(mm) *Nam si.* *ID.*

(nn) An *probabili iussione mea?* an *probabilius, iuxta iussionem meam?* De huius loci emendatione mox. *ID.*

(oo) De *Stationariis* dicam ad *l. 2. inf. de cohortalibus.* *ID.*

(pp) An ita rescribendum? *Et parentes eorum & desperationem?* An ita, *explorantes eorum desperationem eos*, & *Desperationem* porro, pro desperatis, contumacibusque militiam detrectantibus. *Desperationis* voce vtitur quoque

Constan-

In auguratione Alexandri pariter a Senatu acclamatum, referente Lampridio *in Vit. cap. 6. Auguste innocens Dii te seruent, Alexander Imperator Dii te seruent: Dii te Nobis dederunt, Dii conseruent; Dii te ex manibus impuri eripuerunt; Dii perpetuent* &c. *Dii illum eradicauerunt, Dii te seruent,* &c. *Dii immortales Alexandro vitam.* Et rursum *cap. 7. Antonine Alexander Dii te seruent: Antonine Aureli, Dii te seruent: Antonine Pie Dii te seruent* &c. *Antonini nomen, Antoninorum nomen Dii conseruent.* Item *cap. 8. Antonine Auguste Dii te seruent, Dii te Antoninum conseruent:* & post *cap. 12. Alexander Auguste Dii te seruent* &c. *Cæsar noster, Augustus noster, Imperator noster, Dii te seruent, Vincas, valeas, multis annis imperes.* Et rursum *cap. 11. Magne Alexander Dii te seruent:* Item *cap. 12. Aureli Alexander Auguste Dii te seruent.* Sed & bello Persico finito, *cap. 56. Alexander Auguste Dii te seruent, Persice maxime, Dii te seruent.* Gordiano quoque ita adclamatum, refert Capitolinus, *in Maximinis,* qui sub Constantino M. (cuius hæc *lex* est,) scripsit *cap. 16. & 26.* & in *Gordianis cap. 8. in Maximo & Balbino cap. 2.* & Vopiscus, *in Tacito cap. 4. 5.* item *in Probo cap. 11.* in *Saturnino cap. 9.* Similis illa quæ facta Domino & Saluatori nostro Hierosolymam ingredienti, ex *Psalmo 118. Hoschihana,* id est salva obsecro, quod in *Hozanna* contractum.

Hinc interim obseruandum, Veteranos, de quibus *h. l.* Gentiles ferme fuisse, eaque formula Gentiles Constantino M. Principi acclamasse, *Dii te nobis seruent.* Itaque & Tribonianus, religiosior iam, hoc ita immutauit, *Deus te nobis seruet.* Et hæc de prima Acclamationis formula.

Sequitur altera, *Vestra Salus, nostra salus:* Simillime adclamatum *Pertinaci,* Commodo interfecto, vt refert Lampridius *in Commod. cap. 18.* te salvo, salvi et secvri svmvs: vere, vera: *modo* Vere, *modo* digne, *modo* vere, *modo* libere: Item *Alexandro Seuero* apud Lampridium in Vit. *cap. 7. In te salus, in te vita, vt viuere delectet:* vt & *c. 57. Salua Roma quia saluus est Alexander.* Huc & illud incerti Panegyristæ Galli ad eundem Constantinum circa A. D. 326. locus facit *cap. 3. Cum tua conseruatio salus nostra sit:* & *cap. 9. Tu enim ex vita omnium fata pendent;* apud Ammianum Marcellinum *lib. 14. cap. 5. a Principis salute velut filo pendere statum orbis Terrarum.* Phædrus *l. 5. fabul. 7. v. 27. Lætare incolumis* roma salvo *Principe.* Sic Chrysostomus *hom. 6. in 1. ad Timoth. pag. 1550. edit. Commelin.* agens de precibus pro Regibus, ἡ ἐκείνων σωτηρία, ἡμῶν ἀμεριμνία ὑπάρχει. *In illorum salute securitas nostra consistit.* Illud vero *vestra salus, nostra salus,* nescio quomodo ferme vsurpauit apud Cassiodorum II. *Var. vlt.* Theodoricus Rex ad Chlodoueum R. Francorum scribens *vestra siquidem salus, nostra gloria est.* Omitto nunc πολυχρόνια Græcorum, quibus multos annos comprecabantur.

Tertia Acclamationis formula, imo & clausula, *Vere dicimus: Iurati dicimus.* Nempe ita adsueratione magna & iureiurando formatæ nonnunqam & conclusæ a veteribus Acclamationes, vt se non ficte aut simulate, & expressis per adulationem vocibus, sed vere, & ex animo acclamasse testarentur. Plutarchus quoque testis, *libro de Auditione,* de Acclamationibus in Declamatores: & Lucianus *in Zeuxide,* qui nominatim *per Herculem* firmatas ait. Eodem pertinet formula, *Ita saluus sim,* apud Arianum *in Epictetum lib. 2. cap. 23.* Sic & Dio, *lib. 61. in f.* Nerone in Theatro canente acclamationes finitas narrat Iureiurando *Per ipsum Cæsarem.*

Atenim similis plane *huius leg.* formulæ locus, in superiore illo Lampridii loco *in Commod. cap. 18.* quem repetere iuuat: *Te saluo, salui & securi sumus:* vere, vere: *modo* vera, *modo* digne: *modo* vere, *modo* libera. Hæc vero *lex* omnium plenissime firmat, vt quæ publicorum monumentorum pars sit. De hoc alioquin in Acclamationibus Iurisiurandi more Franciscus Bernardinus *lib. 1. c. 22. septem libris de veterum Acclamationibus & plausu.*(a) Nunc de *lege* ipsa.

Primo *huius legis* capite id Constantinus M. constituit, I. vt Veterani ab omnibus muneribus Ciuilibus immunes sint, id est, a muneribus personalibus, de quibus alibi plene dicetur. II. Vt immunes p. 424
sint ab operibus publicis, id est ne ad opera publica, aut opes, aut operas conferre teneantur, de quo dicetur *inf. tit. de operibus publicis.* III. Vt immunes sint ab omnibus Tributis & annonis. IV. Vt a Magistratibus conueniri non possint, id est, vt ne operas ad vias tuendas Magistri pagorum ab his exigere possint: Vel ne militi prætereunti aut alii cuicunque comitatui annonam præstare, ligna aut stramenta deportare a Magistris pagorum cogi possint. (Hæc enim per *Magistratus,* id est, Magistros pagorum a possessoribus exigi solita, docui ad *l. 1. sup. de erogat. militaris annonæ:* adducto eam in rem Siculi Flacci loco.) Atque hoc sensu *Magistratus* hic accipiendi sunt: pariter vt *l. 2. sup. de Salgama:* V. Vt immunes sint Veterani a Vectigalibus: *Vectigalis* appellatione hoc loco vel ciuitatum ipsarum reditus intelligi possunt, suos enim Ciuitates & Respublicæ reditus habuerunt, quæ *Vectigalia* dicebantur, de quibus erit dicendi locus *inf. l. 18. 26. 32. 33. 48. de operibus publicis.* Item intelligi potest *Vectigalis* appellatione portorium, id est, id quod pro mercibus quæ importantur & exportantur, soluitur. Græci ἐξαγωγικὸν καὶ εἰσαγωγικὸν vocant. Nam & ita iidem Græci φόρον & τέλος distinguunt: & diuersa plerique Scriptores faciunt tributa, & vectigalia. Et sane Veteranos a portorii onere immunes fuisse docet *lex* [illegible] *inf. h. t.* Verum priori interpretationi adquiesco, propter ea, quæ postea mox de publicanis subiicientur.

Sequuntur tres immunitates circa *Negotiationem;* nempe, quod Veterani in quibuscumque Nundinis πανηγυρέσι, interfuerint, negotiantes immunes esse debeant, & a *Proponendis,* a Publicanorum, Fiscique exactione, quibus tribus alioquin negotiatores vrgebantur. Nos de singulis.

Sexto igitur a *proponendis* immunes Constantinus Veteranos iubet esse. *Proponenda* sunt *h. leg.* quæ ob merces publice venum propositas & expositas nundinarum tempore seu in nundinis ciuitati vel territorio, in quibus Nundinæ celebrantur, soluebantur: obseruandum enim in oppidis & in regionibus certo loco ac tempore emendis & vendendis rebus, nundinas, *droict de march*; constitui solitas, per Honoratorum dispensationem & Ordinum seu Ciuium, sub præsentia Rectoris Prouinciæ, vt ostendit *Nouella Theodosii vlt. in fine:* vid. & *l. vn. Cod. Inst. de Nundin.* In his igitur Nundinis quid Ciuitatis nomine exigebatur ob merces propositas. *Proponere* ἁπλῶς est merces venum, seu vendendas exponere, vt docet quoque *l. 1. inf. de fisci debitorib. lex 12. inf. de Iudæis,* Iuuenalis *Satyra 4. vers. 46.*

. . . . Quis enim proponere talem
Aut emere auderet?

Græci pariter dicunt, παρατίθεσθαι: Itemque *proposita* bona, eodem sensu, *d. l. 1. inf. de fisci debitorib.*

(a) Vide etiam Cl. Casaubonum de more acclamandi, qui e theatris penetrauit in fora & tandem in Senatum, ad Vulcatii Gallican. *Cassium cap. 13.* Lampridii *Commod. cap. 18.* & Vopisci *Aurelianum cap. 48.*

bitorib. Hinc igitur *Proponenda* sunt ea, quæ pro, vel ex propositis mercibus exiguntur Ciuitatis nomine: quod etiam Venalitium dici videtur in *l. vn. Cod. Iust. de Nundinis*, Nos Galli *la lande, ou loüade*, item *le droit de Hallage*, item *le droit de Hautbar*, *Ostellage* vocamus. Neque huic adeo absimile est quod dicimus *droit de Plassage*, seu Locarium: A quo proinde Veterani immunes fuere, pariter vt picturæ professores pergulas & officinas in locis publicis sine pensione obtinebant, si in his vsum propriæ artis exercerent, *l. vlt. inf. de excusat. artificum*. *Proponenda* vero, quomodo & *Cognoscenda*, pro ipsis functionibus publicis, *l. 129. inf. de Decurion.* Cassiodorus IV. *Var. 19.* in eodem ferme argumento, *Nundinanda: Siliquaticum namque*, inquit, *præstationem, quam rebus omnibus NVNDINANDIS prouida definiuit Antiquitas in frumentis, vino, & oleo, dari præsenti tempore non iubemus.* Sic & Prabenda iam olim dixit Plautus *Pers. act. 1. scen. 3. v. 80.* Gellius *lib. 15. c. 4.* Cassiodorus V. *Var. 39.* Eadem forma Symmachus *tribuenda* dixit, vt *prabenda*, quæ more solito tribuebantur. Vid. Fornerium *ad Cassiodor. l. c.*

Septimo, a *publicanis* Veteranos inquietari Constantinus M. vetat, id est, *portorium* ab his exigi, atque adeo a portorio immunes esse iubet, atque ab aliis mercium vectigalibus & tributis, quæ Publicani exigere solent a negotiantibus.

Octauo Fiscum quoque quidquam exigere a Veteranis, Constantinus M. vetat, emptionis vel venditionis nomine. Quibus verbis *siliquaticum* indicari seu innui quis putet: Proponendis proximum Monopolium Siliquaticum, & Auraria præstatio scilicet erat: quod Fisco (non Ciuitati, vt *proponenda*) præstabatur mercium nomine. Quanquam in portubus id exactum ostendit Cassiodorus: mentio frequens apud eum *II. Var. 4. & 30. & IV. 19. III. 26. V. 31.* & de eo est *Nouella Theodosiana vlt.* qua Siliquaticum instituitur: Græci *κερατισμὸν* vocant. Siliquaticum a *lustrali* collatione, seu auraria, quomodo differat *suo titulo* dicetur. Hactenus primum caput, seu de priuilegiis Veteranorum ipsorum.

Alterum huius legis siue Iussionis, siue Epistolæ caput est, de *Filiis* Veteranorum, de quibus alioquin est peculiaris *infra*, *Titulus hoc ipso libro*, sub hoc alter; *scilicet de filiis militarium Appar itorum & Veteranorum.* Et quidem eo *titulo* quatuor eiusdem Constantini de iis constitutiones, puta *lex 1. 2. 4. 5.* e quibus *lex 1.* superiore anno data, & ad eandem Historicam causam pertinens ad quam hæc *lex*: de quo mox; & adhuc ad *l. 9.* Et hoc quidem caput, ¶ quod aliud *hoc Codice*, omnium fœdissime deprauatum, & conclamatum est, in quo restituendo, qui aliquid præstiterit, semper aliquid desiderabit. Illud perspicue satis vult Constantinus M. vt Veteranorum priuilegia ad filios quoque eorum porrigantur; *eos*, inquit, *defen dant decertationes, qua in patris persona fuerint: defendant*, id est, immunes præstent: quo ipso sensu *defendendi* vox effertur *l. 7. inf. de tironib.* *Defendere* alioquin in genere pro *tueri*. *Decertationes*, id est, certamina, *ἀγωνισμοὶ*, labores in militia a patentibus peracti, de quo adhuc ad *l. 9.* *Decertandi* vox hac in re propria, armis scilicet bello, præliis, ferro, manu, vt decertare: quod & addi sæpe solet. 2. Item hoc vult, vt Veteranorum filii & ipsi militent, & efflorescant. *Florescendi* vox ad militarem laborem pertinet, Quomodo & *florentissimis* Legionibus dicuntur pariter filii Veteranorum inferi *l. 22. inf. hoc titulo.* Et quidem sollicitius, vel potius *solito citius*, quod suadent sequentia. 3. Pœnas contra minitatur *contumacibus*, id est, militiam detrectantibus: Hæc tria inquam etsi in turbido, attamen internosci satis possunt: Proinde eodem pertinet hic locus, quo illa Valentiniani *lex 58. inf. de Decurionibus. Sed & qui nexum curialem nascendi opportunitate vitauerit, nisi cum duodeuiginti annos expleuerit, militiam exerceat, per quam parentibus eius IMMVNITAS quæsita est, securus esse non poterit, propter sortem originis.* Item etsi *alia* nonnulla duriuscula hic occurrant, interpretatione tamen aliqua sustineri, vel leuicula saltem emendatione sanari possunt, vt *in Notis* iam tentauimus: Atenim insanabilia ista videntur; *ne si contumaces secundum eosdem Veteranos comprobari potuerint, decimentur hic sententiis, cum Præsidali officio adiungentur probabilius iussionem meam.* Quæ omnino ita expressa sunt in MS. Et tamen ea ita ipse testituam: *Nam si contumaces* [filii scilicet Veteranorum] *secundum eosdem Veteranos comprobari potuerint, decimo ætatis anno sextoque cum Præsidali officio adiungentur probabili iussione mea.* Singula expendamus. Ait Constantinus, *Nam si Contumaces*, id est, si militiam detrectare comprobari potuerint, & quidem *secundum eosdem Veteranos*, id est, si quemadmodum Veterani ipsi iure militiam detrectant, ipsi quoque Veteranorum filii detrectare velint contumaciter (nam & *contumacia* verbum in bonam partem effertur) Porro reposui: *Decimo ætatis sextoque*: quod suadent omnino eiusdem Constantini M. *lex 4. inf. de filiis militar. apparit.* & Constantis, *lex 35. inf. de decurionib.* quibus post sedecim annos filii Veteranorum curiis mancipari iubentur. Vide & quæ notauit ad *l. 5. sup. de re militari*: Alioquin ætas alia aliis postea constitutionibus præstituta, & quidem octodecim annorum, *l. 58. de decurionib.* *Præsidali officio adiungentur:* Veteranorum scilicet filii militiæ inhabiles, in officiis Præsidalibus militare aliquando iussi sunt, vt testatur *d. l. 5. sup. de re militari*: Curiis alioquin annecti iussi ab ipsomet Constantino: vid. *tit. de filiis militar. appar. & Veteran.* & Valentiniano, *l. 58. de decurionib.* Postea sane Constantii *l. 6. eod. tit.* Veteranorum filii officiis præsidalibus adgregari vetiti: vbi tamen vid. quæ de *illius legis* sensu dixi. Et hæc de prima posterioris capitis sententia.

Alter seu postremus versiculus nihilo emendatior est; Illud equidem in eo clarum, Constantinum iubere, vt contumaces veteranorum filii ad conspectum suum mittantur; quod & alias a Constantino factum, nempe vt veteranorum filios conspectui suo subiici vellet, vt docet quoque eius *lex 2. & 5. inf. de fil. milit. Apparit.* probandis videl. iis, num ad militiam apti essent nec ne. Sed verba quæ sequuntur inemendatissima sunt, *Vt sint salui cum sennat consequantur pœnas indulgentia.* Pro quibus repono, *Vt si sint salui, consonas consequantur pœnas indulgentia:* Ait *si sint salui*, id est, si valido sint corpore; sani, incolumes, si militiæ apti sint, & tamen militiam detrectauerint, *consonas* id est, congruentes pœnas subeant; *consonat* inquam, *indulgentia:* Scilicet, quemadmodum si militiam subissent indulgentias adsecuti fuissent; ita qui perperam militiam detrectare reperti fuerint, pœnas pariter magnas subeant.

Nunc de historia *huius leg.* Pertinet ea, pariter vt *d. l. 1. inf. de fil. Apparitorum & Veteran.* quæ data est Anno superiore proximo 319. ad bellum *Sarmaticum*, quod his annis a Constantino M. gestum est, de quo Porphyrius, *Panegyrico ad Constantinum cap. 19. 21. 23.* Auctor vitæ Constantini, *lib. 4. cap. 5. 6.* Sozomenus *lib. 1. cap. 8.* & Zosimus *lib. 2. cap. 21.* Quare & data hæc *lex* in Ciuitate *Velanorum*; nam ita omnino rescribendum; quæ vrbs in Mœsia superiore fuit, & quidam interior seu mediterranea, non ad Danubium sita, sed ab eo dissita, teste Ptolomæo, *lib. 3. cap. 9.* & media quidem inter Serdicam (cui etiam propior) & Sirmium. Neque enim stare hic potest vox *Velonocorum*, vel vt habet Codex Iust. *Belouocorum*: vnde tamen Viri docti omnes hactenus *Belouacorum* (quod in Gallia) faciunt. Quod etiam credidit Ferreolus Locrius in *Chronico Belgico* (edito Atreb. 1616.) Neque enim Constantinus hoc tempore in Gallia substitit, sed vel in Pannonia, vel

in Mysia, aut Dacia, Sirmii, aut Serdicæ, de quo vide *Chronicon nostrum*: verum hic error geminus illi est, quo *Morantiacum* etiam, si Deo placet, in Gallis in *l. 6. sup. de off. Rect. prou.* sibi Viri docti loco *Meguntiaci* fingunt. Quos errores patriæ amor peperit.

INOPIÆ VETERANORVM *intercedit Constantinus M. hac l. iis vel ad Agriculturam, vel ad Negotiationem inuitatis.*

III. (a) Idem A. ad Vniuersos Veteranos.

VETERANI, iuxta nostrum Præceptum, Vacantes (b) terras accipiant; easque perpetuo habeant immunes: & ad emenda ruri necessaria pecuniæ (c) in (d) numum vigintiquinque milia follium (e) consequantur: boum quoque par, & frugum promiscuarum (f) modios centum. Qui autem Negotii gerendi (g) habuerit voluptatem, huic centum follium (h) summam immunem (i) habere permittimus. Præter hos ergo qui vel domiciliis (k) vel negotiis detinentur, omnes qui vacatis, & nullum negotium geritis, ne inopia laboretis, ad hoc remedium debetis concurrere. (l) Dat. III. Id. Octob. Constantinop. (m) Constantino A. VI. & Constantio (n) Cæs. CONSS. [320.]

NOTAE.

(a) Abest hæc lex a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) Vagantes, *l. 8. inf.* ID.

(c) Forte *pecunias.* ID.

(d) *In numis*: Non admitto qui reponebat, *immunis*: Postea enim demum de immunitate agitur. ID.

(e) De *Follibus* iam aliquid dixi *sup. titulo, de Senatoribus, & glebali septem solidorum folliumque conlatione.* IDEM.

(f) *Promiscua fruges*, id est omnis generis. Alio sensu *l. 11. §. 1. D. de condit. & demonstr.* Promiscuæ conditiones, quæ scilicet promiscue implentur, facto & commercio hominum, non potestate iuris, non fato seu *casu*: de quo alibi plenius. ID.

(g) Id est negotiationis seu mercaturæ exercendæ. ID.

(h) De *Follibus* alibi. ID.

(i) A lustrali collatione, vid. & *l. 9.* IDEM.

(k) Id est vrbana conuersatione. ID

(l) Ita MS. habet, antea male *recurrere.* ID.

(m) Irrepsit hæc vox, vt in aliis pluribus constitutionibus, veluti *l. 12. inf. de appellat. l. 8. inf. de Decurion. l. 2. de famil. ercisc.* ita & hac nominatim occasione vocis sequentis, *Constantino*; id scilicet verius quam quod alii quidam censent, huius Codicis conditores hanc leg. quæ Licinii erat in nomen Constantini mutasse, atque ideo etiam cum huic *legi* subscriptum esset, nomen *Byzantii*, substituisse Constantinopol. ID.

(n) *γρ. Constantino Cæs.* Sæpe erratum in hoc nomine, in hoc Codice sed & a Græcis Fastorum compilatoribus, vid. *Chronolog.* RITTER.

COMMENTARIVS.

P.426 INOPIÆ Veteranorum vt *hac l.* aperte dicitur (atque adeo latrociniis, si verum amamus, idque etiam suadet *l. 7. inf.* vbi dicam adhuc) Constantinus M. hoc Edicto intercedit. Quomodo etiam Augustus *commoda missionum definiuit, ne aut ætate aut* INOPIA *post missionem sollicitari ad res nouas possent*, teste Suetonio *cap. 49.* Veteranos scilicet ad Ruris culturam vel ad mercaturam inuitans, (quod & ipsum Constantius postea fecit *d. l. 7.*) idque sub hac munificentia & indulgentia. Nam vt ad ruris culturam animum Veterani inducant, quinque munificentiis eos prouocat, Primum, *vacantes* eos terras accipere iubet, seu (vt habet *lex 8.*) *vagantes.* Scilicet Veteranis & emeritis ex disciplina Romana, agri *arua* adsignari solita. Lucanus *lib. 1. v. 344.*

Quæ sedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,
Quæ noster Veteranus aret?

Hygenus de *limitibus constituendis pag. 159. ed. W. Goes. Erat*, inquit, *tunc præmium terra. & pro emerito habebatur*: Iuuenalis *Satyra 14. v. 163.*

Tandem pro multis vix iugera bina dabantur
Vulneribus. merces hæc sanguinis atque laboris,
Nullis visa vnquam meritis minor.

Vid. & Dionem *lib. 54. de Augusto*, διέταξε τὰ χρήματα, ὅσα παυσάμενοι τῆς στρατείας ἀντὶ τῆς χώρας ἣν ἀεί ποτε ᾔτουν, λήψονται. *Definiuit pecunias, quas soluti militia, pro agris, quos semper petebant, acciperent.* Et multa eius moris mentio apud Liuium: etiam *Titulo Digestorum de re militari*: & *l. 15. §. 2. D. de rei vindicatione*: & *l. 16. D. de adquirendo rerum dominio*: Scriptor Anonymus quoque subditus Notitiæ Imperii. *Habes*, inquit *Veteranus regiis donis opulentus & ad colendos agros adhuc præualentes agricolas: habitabunt limites Arabum quæ dudum defenderant loca, & laborum desiderio politi, erunt ex milite collatores.* Porro adsignatæ Veteranis terræ vel ab hostibus captæ, vel ab iisdem vindicatæ & vindicandæ, vel terræ vacantes. De *limitaneis* suo Titulo *supra* dictum. Sane Vopiscus quoque testatur *Vit. Prob. cap. 16. Probum Imperatorem Veteranis omnia illa loca quæ anguste adeuntur priuata donasse.* De *Vacantibus* est hæc lex & *lex 8. inf.* Vacantibus proxima sunt *l. 11. infr. h. t.* loca absentium squalida,

lida, & situ dissimulationis horrentia, Sidonius quoque *Carmin. 5. v. 300.*

Emeritus iuuenis sterilis ieiunia terræ

Vomere fæcundans.

Amarum & incertum solum dicit Siculus Flaccus *de condit. agr. p. 17. int. Script. rei agrar. W. Goes.* Et tamen Hygenus *de limitibus constituendis*, scribit *p. 191. Solent enim culti agri ad pretium emeritorum æstimari.* Et Siculus Flaccus *p. 17. Militi veteranoque* CVLTVRA *assignatur, si quid enim amari & incerti soli est, id assignatione non datur.* Veterani nihilominus apud Tacitum *lib. 1. c. 17.* queruntur, per nomen agrorum, vligines paludum vel inculta montium accipere se. Secundo easdem terras immunes possidere iubentur Veterani, citra vllius stipendii, citra annuæ præstationis onus, *h. l.* & *l. 8. inf. h. t.* Item citra Agratici onus, *l. 11. inf.* vbi dicam. Tertio, certa pecuniæ quantitas de publico eis adsignatur, viginti quinque millia follium: id est si recte computo octuaginta quinque solidi siue aurei: de qua follium æstimatione dicam alibi plene. Sane aliquando prisco more Veteranis præmium pecuniarum datum, non agri: vid. Dionem *lib. 54. 55.* Suetonium *Iulio c. 38. Calig. c. 44.* de quo vid. Lipsium *in 1. Annal. excurs. lit. f. g.* & Puteanum *de stipendio milit. cap. 17.* Quarto, par boum quoque iisdem de publico præberi iubetur. Quod & ipsum Valentiniano placuit, *l. 8. inf.* Et eodem exemplo antea Alexandro Seuero, de quo Lampridius ita scribit *in Vit. c. 58. Sola, quæ de hostibus capta sunt, limitaneis Ducibus & militibus donauit* &c. *Addidit sane his animalia & seruos, vt possent colere quod acceperant, ne per inopiam vel per senectutem possidentium desererentur rura vicina Barbariæ.* Cui loco respondent verba *legis 8. inf. Amplius*, inquit, *addentes, vt etiam ad culturam eorundem agrorum & animalia & semina præbeamus.* Postremo seminum quoque certam quantitatem iisdem Veteranis præberi iubet Constantinus *h. l.* vt & Valentinianus *l. 8. inf.* puta, modios centum frugum promiscuarum, seu vt *d. lex 8.* loquitur: *vtriusque frugis.* Quibus verbis indicari puto frumentum & hordeum. Et hæc de cultura agrorum, ad quam Veterani inuitati.

Ad *Negotiationem* vero, si arua versare nolint Veterani, Constantini M. hac indulgentia prouocantur; vt centum follium summam immunem habeant, id est, vt negotiantes intra illam summam, a lustrali collatione sint immunes, quam alioquin omnes mercatores, seu negotiatores agnoscere teneantur, de quo dicetur *inf. suo Titulo de lustrali collatione.* Porro quantitatis huius a lustrali collatione immunis modum varie definitum reperio, modo centum follium, *vt h. l.* de quo forte modo etiam accipienda est *lex 2. inf. de lustrali collatione:* modo etiam vnius Vagenæ, *l. 7. d. tit. de lustrali collatione*, id est, vnius quinquagenæ, vel quinædenæ, de quo *ad eam leg.* plene, seu quindecim solidorum, *l. 14. eod. tit.* modo in vniuersum, *l. 9. inf.*

Illud admonendum, *hanc* pariter vt & *superiorem leg.* pertinere ad Sarmaticum Constantini bellum, de quo Zosimus *lib. 2. cap. 21.* & non vno loco Porphyrius *in Panegyrico:* vt ad *superiorem leg.* iam notaui.

IMMVNITAS *a censu quomodo per militiam siue susceptam, siue expletam, quæratur.*

IIII. Idem A. ad Maximum P. V. (a)

COMITATENSES (b) & Ripenses *milites*, atque Protectores, (c) suum caput, patris, ac matris & vxoris, si tamen eos superstites habeant, omnes excusent, si (d) censibus inditi habeantur. Quod si aliquam ex his personis non habuerint, vel nullam habuerint, tantum pro suo debent peculio (e) excusare, quantum pro hisdem si non deessent, excusare potuissent: ita (f) tamen vt non pactione cum alteria (g) facta simulato dominio rem alienam excusent, sed vere proprias facultates. *Veteranos* autem
P. 437 post emeritæ missionis Epistulas, (h) tam suum quam vxoris capud excusare sancimus: at si honestam (i) missionem meruerint, suum capud tantummodo excusare. Ceteros omnes Veteranos de quocunque (k) exercitu vna cum vxore, sua vnius (l) capitis, frui excusatione præcipimus. Ripenses (m) autem veteranos, qui ex priore lege + post viginti quatuor stipendia honesta missione impetrata vnius excusatione capitis fruebatur, etiam si viginti stipendiis completis honestam missionem meruerit, ad exemplum (n) Comitatensium militum vnum capud excuset; (o) Intra viginti etiam stipendia dimissus, quoniam inbecilli & debiles censibus non dedicantur, eodem beneficio vtantur. (p) *Alares* (q) autem, & *Cohortales* dum militant, propria capita excusent; Veteranis quoque eadem excusationis solatia habituris, qui quocumque tempore in quibuscumque Partibus (r) meruerint missionem, si ex Comitatensi militia senectutis vel debilitatis causa dimissi fuerint, indiscreto dispendiorum (s) numero, duo capita excusaturis, id est suum adque vxoris; & Ripensibus indiscrete idem priuilegium habituris, si se ob belli vulnera dimissos probauerint: ita vt si quis eorum post quindecim stipendia intra viginti & quatuor annos ex militia decesserit, sui tantum capitis excusatione fruatur vxorem enim (t) Ripensis + militia decesserit, sui tantum capitis excusatione, post viginti

ginti & quatuor annos, excusari oportet. PP. XV. Kalend. Iul. Antiochiæ, Paulino & Iuliano CONSS. [325.]

N O T A E

(a). *γϱ.* PP. vt probare videtur *huius*, vt & *l.* 10. *infr. de Decurionib.* subscriptio, PP. *Antiochia.* Et sane *huius legis* argumentum nil commune habet cum officio *P. V.* Sed cum Officio *PP.* ad quem census & Tributorum cura pertinebat. Tandem ex *l.* 12. *inf. de Decurionib.* apparet, hunc Maximum *Pro-Præfectum*, seu *Vicarium* Orientis fuisse, cuius sedes *Antiochia*: vbi *hæc lex* proposita. *GOTHOFRED.*

(b). De *Comitatensibus* & *Ripensibus* dixi ad *l. vlt. sup. de re militari. ID.*

(c) De *Protectoribus*. V. suo titulo *lib.* 6. *sup. ID.*

(d) Similis taxatio, *l.* 7. *prope fin. sup. de Tironibus. ID.*

(e) Peculium castrense. *ID.*

(f) Simili fraudi occurritur *l.* 6. *supr. de Tiron. verf. ea scilicet servanda ratione. ID.*

(g) *Alteris*, id est aliis Comitatensibus & Ripensibus, alioquin Alter, tantum de duobus. *ID.*

(h) *Epistolarum* harum emeritæ missionis mentio, *l.* 11. *in fin. sup. de desertoribus*: *l.* 1. *inf. de Testimoniali*, *l.* 1. *inf. de tractoriis & stativis*; nec non & *l.* 2. *sup. h. t.* dicam *inf. titulo de Testimoniali. ID.*

(i) *Honesta missio*, hic pro causaria, senectutis vel debilitatis causa. *ID.*

(k) V. quæ dixi ad *l. vlt. sup. de re militari.* Puta, Cuneis, Auxiliis: vide *Notitiam Imperii, in Ducibus. ID.*

(l) Forte, *sui veius*: Quanquam & hoc rectum. *ID.*

(m) *γϱ. Ripensis autem veteranus*: ad quem nunc redit. *ID.*

† *Lex* hæc non extat. *ID.*

(n) Ripensi militiæ non eadem olim priuilegia, quæ Comitatensi tributa hinc obserua: v. quæ dixi *ad l. vlt. sup. de re militari. ID.*

(o) *Excuset*, id est, excuset & intra. *ID.*

(p) *γϱ. vtatur. ID.*

(q) *Alares & cohortales* hic distinguuntur. Et tamen *cohortales alares* dicuntur in Marci Epistola apud Capitol. *in V. Clodii Albini cap.* 10. *ID.*

(r) *Partibus*, id est, limitibus, tractibus. *ID.*

(s) *γϱ. Stipendiorum. ID.*

(t) *γϱ. Vxorem etiam Ripensis militia decesserit. ID.*

† Vel de *vxore* hæc verba accipienda sunt, vel hic intrusa ex superiore linea recidenda. *ID.*


COMMENTARIVS.

A CENSV immunitas per militiam Comitatensem & Ripensem, vel constantem, vel solutam, quomodo quæratur *hac* Constantini M. *lege* varie constituitur. Quæ quidem singularis est propter ea quæ de variis militum differentiis ea dicuntur.

Ad cuius rei intellectum quinque differentiæ tenendæ sunt. Prima; inter milites, & Veteranos, addere possis & Tirones, ex *l.* 7. *versic. ipsorum etiam, sup. de Tironib.* Non vno scilicet & eodem modo hi omnes census immunitatem sibi vel aliis quærebant. Secunda differentia constituenda est, inter milites seu legiones, & omnes alios qui de maiore laterculo emittebantur; & inter Alares & Cohortales; qui de minore laterculo, & horum proinde generum Milites & Veteranos. Maior scilicet priorib. immunitas, non tanta vero posterioribus quærebatur: Tertia differentia constituenda est quadamtenus inter Comitatenses, & Ripenses; de quibus plene dictum fuit ad *l. vlt. sup. de re militari.* Quarta inter emeritam militiam & inter honestam seu causariam. Quinta differentia respicit numerum stipendiorum.

Rem igitur ita distinguamus: Ii de quibus quæritur, vel de Maiore laterculo sunt, vel de Minore: si de Maiore laterculo sint, (id est, legionarii) vel milites adhuc sunt, vel iam Militia dimissi; Si Milites adhuc sint, non suum tantum caput, verum etiam patris & matris & vxoris a censibus excusant, seu immune præstant. Si vero veterani sint ex Comitatensibus & Ripensibus, tum distinguitur; vel enim post emeritam Militiam dimissi sunt, & tunc & suum & vxoris caput excusant: si vero honestam tantum missionem, id est, causariam, atque adeo ante expleta stipendia meruerint Comitatenses quandocumque, Ripenses post 20. stipendia, suum tantum caput excusant. Et hæc de his qui ex Maiore Laterculo seu de Legionariis sunt. Alares vero & Cohortales (quos de Minore Laterculo fuisse *Imperii Notitia* variis locis docet, & nos ad *d. l. vlt. sup. de re militari* ostendimus) dum militant suum caput excusant. Quod & ipsum constitutum ab eodem Constantino M. de Annonariis & Actuariis, *l.* 3. *infr. de Numerariis & Actuariis*: etsi non proprie milites sint, sed p 418 militares, vt docui *ad l.* 11. *sup. de erogat. milit. annona*: Veterani vero, si comitatenses sint, quandocumque militia dimissi fuerint, vxoris quoque caput excusant: In Ripensibus distinguitur, nam si Ripenses ob belli vulnera dimissi fuerint post quindecim stipendia intra vigesimum quartum annum, tum suum tantum caput excusant: si vero post viginti quatuor annos, tum etiam vxoris. In Comitatensib. igitur veteranis Alarib. & Cohortalibus nulla stipendiorum habetur ratio, in Ripensibus habetur. De legitimo alioquin stipendiorum numero, & quidem viceno in peditibus, alii dixerunt: vide Lipsium, *in* 1. *Annal. Taciti c.* 17. & *de milit. Rom. lib.* 1. *dial.* 2. & fidem facit Polybius ab eodem adductus, & *l.* 1. *Cod. Iust. de excusat. Veteran. l.* 9. *Cod. eod. quando prouocare non est necesse.* Suidas in verb. Βετϱανός. Seruius sane *in* 2. *Æneid.* ait, milites sacramento rogatos, & plenam militiam habere, & *viginti quinque* annis teneri: Vbi tamen Lipsius malebat *l. c. viginti quoque*, quia hic vetus stipendiorum numerus fuerit.

SCHEMATISMVS huius *legis* 4. Constantinianæ, de *Veteranis*.



PROTECTORIS *dignitate vel simili, honorati Veterani, fori ordinarii præscriptionem habent.*

V. (a) Idem A. Maximo. (b)

PROVIDENDVM est, ne Veterani Protectoria dignitate cumulati, aut qui honores (c) varios pro meritis (d) suis consecuti sunt, incongruis pulsentur iniuriis: cum si quis in hoc (e) crimine fuerit deprehensus, Rectores Prouinciarum (f) conueniat ad Tuum Iudicium referre, atque ad tuum Officium prædictos dirigere, vt factum pro sui qualitate possit facillime coherceri. Dat. IV. Kal. Ian. (g) Trieris, (h) Ianuario & Iusto CONSS. [328.]

N O T A E

(a) *Lex* 2. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) PF. P. vt *l.* 4. *sup.* (quomodo & edidit Cuiacius in Cod. Iust.) & ostendit argumentum *legis*: & quidem Galliarum, vt censeo, argumento subscriptionis. *ID.*

(c) *Quos?* Tribunorum, vel Præpositorum: vid. *tit. prox.* IDEM.

(d) Nota promeritis: aliud si ambitu & suffragiis, *l.* 13. *vlt. infr.* ID.

(e) Vel ad priorem huic *legi* præmissam (in qua de alioquo nominatim crimine actum fuerit) hæc vox referenda: P.479 vel eius loco reponendum, *quo*, id est aliquo. *ID.*

(g) *Rectores Prouinciarum pro iurisdictione sua examinantes factum, pro sui qualitate eos coërceant.* Ita Tribonianus hanc sententiam immutauit. *ID.*

(h) *IV. Kal. Ian.* Cod. Iust. in quo etiam accuratius legitur *Ianuario & Iusto*. Vid. *Chronolog.* RITTER.

(h) Non fuit Constantinus hoc anno in Galliis: sed vel in Bithynia: vel in Macedonia, proinde vel Triueris hæc *lex* accepta fuit, vel Triueris alibi quam in Gallia quærenda. MS. hic habet *Triuerei*: Forte locus in Triballis, & Dacia, vbi Constantinus hoc tempore egit. Verum malo *Treuerim* in Gallia accipere, vbi data hæc *lex*, id est reddita *Maximo PP.* Galliarum, scilicet. Quomodo & in aliis nonnullis præterea *legibus* hæc vox *Dat.* accipienda: de quo ad *l.* 3. *sup. vnde vi*: quæ de earum numero est. GOTHOFR.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

PROTECTORIS (de quo, eiusque officio & munere & priuilegiis *suo Titulo* plene dictum fuit) dignitas siue honor,; vt ab Officialibus, *l. 2. 3. inf. de diu. offic.* aliisque veluti Fabricæ Primiceriis, *l. 3. inf. de Fabricensibus*, ita & a Veteraois appeti, iisque pro beneficio tribui solitus: vt præter hanc *legem* & *l. 8. inf.* docet *lex 1. 2. inf. de Testimoniali, ex Tribunis & Protectoribus.* Et *lex 2. 3. inf. de diuersis officiis*: *lex 7. 14. inf. de lustrali collatione.* Quinimo & *principium legis 4. sup.* & *lex 153. inf. de Decurionibus.* Vateranis inquam non modo Armatæ militiæ, verum & Palatinæ, vt ostendit Paratitlon *de re militar.* vt & militia Domestici Magistratus alicuius [illegible]cti. Symmachus, *lib. 3. ep. 67.* ad Ricomarem. *Firmum Domesticum meum, militiæ stipendiis cum honestate perfunctum, testimonio meo decuit adiuuari, vt faciliori aditu ad tuam notitiam perueniret. Porrige igitur, oro te, adiutricem manum,* LEGITIMA PRÆMIA EX MORE *cupienti. Huiusmodi quippe* VETERANIS *prærogatiua debetur, vt illis Protectorum dignitas, tanquam pretium longi laboris accedat: quod Firmo incunctanter eueniet, si tuus fauor vota hominis ad* CONSVETA *nitentis adiuuerit.* Sed & Paulinus, Nolanus Episcopus, Epistola ad quendam militem Religiosum. *In hac militia*, inquit, *soletis in votis habere, hanc officii promotionem, vt Protectores efficiamini. Si autem te Deo probaueris, ipsum Deum incipies habere Protectorem: Vide ad qualem militiam te inuito collegam, vt quod homini esse optas, hoc tibi Deus sit.* At quod Iulianus *Epistola 22. ad Leontium* scribit, ἐγκατελέξαμεν δὲ σε τῷ τῶν οἰκείων συντάγματι, γίνονται δὲ ἀπὸ τῶν ἀποφλορησάντων, ἤτοι καὶ στρατευσαμένων: *Teque domesticorum numero adscribimus, qui ex iis delecti sunt, qui arma gestarunt, belloque interfuerunt.* Id non tam de Protectoribus, quam de *domesticis* est: Quo etiam pertinet *lex 3. inf. de Testimoniali*: de qua Domesticorum & Protectorum distinctione, vide *suo Titulo.* Hurum igitur Veteranorum Protectoris dignitate auctorum, vel etiam alia (veluti Tribunorum, Præpositorum: *v. inf. tit. de testimon. ex Tribun. & protectorib.*) honori id *h. l.* tribuitur a Constantino M. vt in crimine aliquo deprehensi, Rectores Prouinciarum in eos statuere non possint, verum ad Præfectum Prætorio da iis referri debeat, atque ad eius officium dirigi, ibi demum coërcendi. Habent igitur fori ordinarii præscriptionem, & competens Iudex Veteranorum Protectorum est Præfectus Prætorio. Quod Triboniano displicuit, quam causam etiam interpolandæ huius *legis* habuit, satis incondite. Neque enim prior *legis* sententia posteriori satis iam respondet. Priuilegium quippe Constantinus his Veteranis tribuere se profitetur, quod Tribonianus adimit. Sane in commune Veteranorum Protectorum dignitate honoratorum, præ cæteris Veteranis varia priuilegia fuisse, præter hanc legem ostendit quoque *lex 4. sup. l. 8. inf.* & *l. 7. 14. inf. de lustrali collatione*, atque hac parte simili Senatorio priuilegio, de quo *l. 13. inf de accusat.*

PRIVILEGIA *Veteranorum a Constantio confirmantur ac nominatim personalium munerum immunitas.*

VI. (a) Imp. Constantius A. ad Helpidium (b) Consularem Pannoniæ. (c)

PRIVILEGIA concessa veteranis, qui stipendia iusta meruerunt, prout se quisque in officiis competentibus militasse declaret, omnia conseruentur: corporalium seu personalium munerum vacatione eisdem tribuenda. (d) Dat. VIII. Kal. Iul. Sirmio, Constantio A. VII. (e) & Constante I. CONSS. [352.]

NOTAE.

(a) Abest a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Helpedius* hic sexennio post Præfectus Prætorio fuit: vt docet *leu 4. 5. 6. sup. de erogat. milit. ann.* Eiusque etiam meminit Ammianus Marcellinus *lib 21. cap. 6.* & Hieronymus *in vita Hilarionis pag. 158. Tom. I. oper. edit. Francf. apud Genschium.* vide & *l. 1. inf. de patrociniis vicorum.* IDEM.

(c) An totius Pannoniæ? an secundæ tantum, quæ Consularem habuit, teste *Notitia Imperio fol. 114.* Ita censet *Geographia Sacra* Auctor. ID.

(d) Id est seruandæ. ID.

(e) *vg. V.* vt mox ostendam. ID.

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA Veteranorum (ac nominatim corporalium seu personalium munerum immonitas, de qua actum *l. 2. sup.*) a Constantio confirmantur hac constitutione quæ data *Sirmii* io Pannonia: Et rursum ad consuiarem Pannoniæ. Vbi etiam paulo post a Constantio profligatus fuit sub anni exitum, Anno 352. Magnentius Tyrannus, de quo videndus est Iulianus *Orat. 1. pag. 36. 48. edit. Lips. Spanhem.* Socrates *lib. 2. cap. 32.* Sozomenus *lib. 4. cap. 7.* Victor Schotti, *c. 42.* & Seuerus Sulpitius *lib. 2. c. 38.* Et Author Fastorum Siculorum. Proinde referenda est hæc *lex* ad annum 352. Quod præter supradicta ostendit insuper primus Consularus Constantii subnotatus. Et P.436 sane *Constantio VII. Consule*, Constantius non in Pannonia, sed vel in Gallia vel in Italia versatus est. Denique & subscripti sequenti proximæ *legi* Consules docent: vitium esse in Consulibus adscriptis *huic* nostræ. Porro quæ taxatio *legis* initio additur, de ea plenius agetur *l. 12. inf.*

LATRO-

LATROCINIIS *Veteranorum occurrit Constantius.*

VII. (a) Idem A. Euagrio P. V. (b)

QVOSDAM *Veteranos*, hoc (c) nomine indignos, latrocinia perpetrare conperimus: Ideoque præcipimus, vt veterani, quibus bona (d) mens est, aut arua (e) vertent, aut certe in optimis (f) negotiis pecuniam tractent, & mercimonia agitent: (g) Qui vero neque rus colunt, neque vtilem vitam conmerciis exhibent, mox in ipsos capitaliter exsurgendum: *Exui* enim *omnibus priuilegiis debent, per quos publica quies perturbatur*; ita vt, si leuissimum aliquid deliquerint, omnibus subiiciantur pœnis. Dat. III. Idib. August. Constantio A. VI. & Constante II. CONSS. [353.]

NOTAE.

(a) *Lex* 3. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc a Triboniano interpolata est, mentione *Negotiationis* detracta. *GOTHOFREDVS.*

(b) *γρ. PF. P.* Et sane non sternitur hic Euagrius inter Præfectos Vrbi in veteri Notitia Præfectorum vrbis: quare *PP.* Galliarum hic vt puto fuerit. Eidemque hoc anno inscribitur *Lex penult. Cod. Iust. de his quæ vi metusue causa. ID.*

(c) *Veteranorum* scilicet. *ID.*

(d) *Mens bona*, inter vota quoque adorantium: vide Senecam *epist.* 10. & 41. Persium, *Satyr.* 2. *v.* 8. Propertium, *lib.* 3. *eleg.* 24. *v.* 20. *Mens bona, si qua Dea es, tua me in sacraria dono.* Petronius c. 84. *Paupertas bonæ mentis soror. ID.*

(e) Hunc versiculum omisit *Τρίβων.* *IDEM.*

(f) Non audio reponentem *opimis. IDEM.*

(g) *Agere* simpliciter *l.* 2. *sup.* & *lege* 1. *Cod. Iust. de Veteranis*: quæ alioquin ex *ea leg.* 2. desumpta est. *ID.*

COMMENTARIVS.

LATROCINIIS Veteranorom Constantius *h. l.* occurrit A. D. 353. pariter vt Constantinus occurrebat *l.* 3. *sup.* Et quidem iisdem quibus Constantinus rationibus: Nempe ad alterutrum, ad agrorum inquam culturam, vel ad negotiationem iis inultatis, sub pœna capitis: verum fine & causa apertius adhuc expressa, quam Constantinus qui ad ipsos Veteranos scribens, inopiæ velamentum prætexere maluit, cum hic latrociniorum vsum metumque prodat, pariter vt Augustus apud Sueton. *cap.* 49. Scilicet proximo sibi consinio non tantum desertores & latrones cohærent, de quo *l.* 7. 14. 15. *sup. de desertorib.* Sed non raro quoque Veterani & Latrones seu Bagaudæ. De latronibus Isauris alioquin hoc ipso anno tractat Ammianus Marcellinus, *lib.* 14. *cap.* 2. Porro videri possit merito hæc *lex* pertinere ad Veteranos exercitus Gallicani: hoc enim ipso tempore *Magnentius* a Constantio in Gallia apud Cottias Alpes, vbi latrones & *Bagaudæ*, deuictus fuit. & quidem eo ipso die quo *hæc lex* data est, vel saltem præcedente, Tertio, inquam, vel Quarto *Id. Augusti*: Si fides *Chronico Alexandrino*, & *Consularibus Idacii*: Socrates *lib.* 2 *cap.* 32. enim paucis post diebus id adscribit, XVIII. Kal. *Septembr.* Eadem opera & Euagrium, cui hæc *lex* inscribitur, *PP. Galliarum* fuisse censeo.

PRIVILEGIA *seu munificentiæ sex Veteranorum.*

VIII. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad vniuersos Prouinciales.

OMNIBVS benemeritis (a) Veteranis, quam volunt patriam damus; & inmunitatem perpetuam pollicemur. Habeant ex vagantibus, (b) siue ex diuersis, (c) vbi elegerint agros, & a (d) lege habeant, vt sibi soli (e) eorundem fructus cessuros esse cognoscant: nullum ex his agris stipendium, nullam annuam præstationem postulauimus. (f) Amplius addentes, vt etiam ad culturam eorundem agrorum & animalia & semina præbeamus: ita vt is qui ex Protectore dimissus erit, duo boum paria & centum modios vtriusque (g) frugis consequatur. Alii vero qui honestas missiones siue causarias consequuntur, singula paria boum & quinquaginta modios vtriusque frugis accipiant. Super quibus præbendis ad conpetentes Iudices scripta congrua destinata sunt. Si quos etiam veterani seruulos familiasue ad agrum duxerint, inmunes perpetuo possideant. Dat. XV. Kal. Decemb. Rom. (h) diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364.]

NOTAE.

P.431

NOTAE.

(a) Lampridius *Alexandro Seuero cap.16. Si de re,* inquit, *militari tractaret, adhibebat milites veteres & senes ac benemeritos.* Sed & Constantinus *l. 1. sup. de priuilegiis eorum qui in S. Palatio: Palatinis & benemeritis suis salutem.* GOTHOFREDVS.

(b) *Vacantes* vocat *lex* 3. *sup.* & tamen hoc sustineri potest; *Terres vagues, ermes.* ID.

(c) Id est aliis quam vacantibus. IDEM.

(d) *γρ. hac lege.* Est tamen qui hoc retinendum putet: *a lege,* id est, exleges & immunes ἀνόμως. ID.

(e) *Solis.* IDEM.

(f) *Postulabimus.* IDEM.

(g) Promiscuarum frugum *l. 3. sup.* IDEM.

(h) Vitium videtur in hac subscriptione si Valentinianum hæc *lex* Authorem habet: Valentinianus quippe hoc tempore *Mediolani* agebat. Itaque sic restituenda fuerit, *Med.* Possit tamen videri hæc *lex* tribuenda Valenti: vt sic *Romesiana* prope Naissum accipiatur. ID.

COMMENTARIVS.

SEX MVNIFICENTIAS seu Priuilegia a se Veteranis concessas, Imperator omnibus Prouincialibus hoc Edicto insinuat. Primum est, vt Veterani *patriam,* id est, domicilium (vt *l. 3. sup.*) Sedem vbicunque velint, collocare possint; cum alioquin id absque Principis indulgentia alia non liceret, de quo alibi dicam, & quidem *Titulo de Decurionibus inf.* Secundo *immunitatem* eis præstat ab omnibus muneribus ciuilibus & personalibus, quod idem ipsum cautum fuit, *l. 2. & 6. supra.* Tertio *Agros vacantes:* vel si quos alios optauerint, cis eligendi & occupandi potestatem tribuit, (quod ipsum de vacantibus statutum fuit *l. 3. sup.* & de squalidis *l. 11. inf.*) Hic *Diuersorum* appellatione forte intelligat quis eos, qui in diuersis locis erant, neque continui, qui & ideo a Dominis negligebantur, vide Siculum Flaccum *pag. 14. inter Script. Rei agrar. W. Goesii.* Sed verius est, hic vocem *diuersorum* accipiendam, quo sensu alibi pro quibuscunque tandem: vt *l. 2. ne opera a conlat.* cuiusmodi sunt, qui a Dominis negligebantur, (alii a vacantibus qui dominos non habebant) vt *l. 11. inf.* Quarto, *stipendii* & Tributorum immunitatem, fructuum perceptorum nomine, iisdem indulget. Stipendium *hac leg.* est quasi solarium quod pro solo & agro penditur: atque eo differunt Stipendium & Tributum, de quo monent satis *Libri nostri.* Quinto, animalia & semina præterea iisdem præberi Iudicum prouisione iubet: quod & ipsum Constantinus voluit *l. 3. sup.* sed dispari modo & quantitate; Nam cum Veteranis omnibus nulla distinctione adhibita Constantinus par boum & centum modios frugis præberi voluerit, Imperator hoc Edicto & modum auget, & rem ita distinguit: Veteranis scilicet Protectoria dignitate honoratis duo paria boum & centum modios frugis præberi iubet; cæteris autem Veteranis vnum par boum & quinquaginta tantum modios frugis.

Veterani scilicet *Protectoris* honore aucti varias prærogatiuas seu priuilegia præ cæteris habuerunt: Primum Criminum rei non Iudices ordinarios, sed Præfectum Prætorio Iudicem habuerunt, *l. 5. sup.* vbi plene. Secundo maiorem quantitatem immunitatem habuerunt aliquando a Iustrali conlatione, *l. 7. inf de lustrali collat.* (quanquam aliquando tamen Veterani omnes hac parte exæquati fuerunt *l. 14. inf. de lustrali collatione*) Tertio Protectores Veterani ampliorem pariter a censu immunitatem habuerunt, *l. 4. in pr. supr.* Quibus adde Quartum istud quod *h. l.* continetur. Postremum iidem Veterani seruos & familias in agro consistentes, immunes possidere iubentur. *Familia* sunt liberi & vxores. Porto tot tantaque priuilegia Veteranis, & quidem a Valentiniano data. *leg.* sequenti.

NEGOTIANDI *cum plena immunitate Veteranis eorumque liberis, Valentinianus potestatem facit.*

IX. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus (b) AAA. ad Dagalaifum (c) Magistrum militum.

REMOTIS iniuriis, (d) iussimus, veteranis nostris, vel adgnatis, (e) licere emere, vendere, negotiari: quos secundum veterem consuetudinem Parentum (f) nostrorum ab omni munere, vniuersisque reditibus auri (g) argentique, sed & portorii (h) indemnes esse oportet. Dat. VIII. Id. Decemb. Veronæ; (i) Gratiano N.B. P. & Dagalaipho CONSS. [366.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Gratiani* nomen delendum est: sequente enim demum anno Gratianus Ambianis in Gallia Augustus renunciatus fuit. Et sane in subscriptione huius legis, *Nobilis puer* vocatur: Nondum igitur *Augustus.* ID.

(c) *Dagalaiphus* Magister militum sub Valentiniano Sen. meminit eiusdem Ammianus *lib. 26. cap. 5. lib. 27. cap. 2.* in Gestis huius ipsius Anni 366. & quidem a PARISIIS missi aduersus Alemannos, qui Galliam tum infestabant. Meminit *ibidem* Consulatus ei delati, qui & subnotatus in subscriptione *huius legis.* Hic paulo ante Comes Domesticorum fuit, cuius inter alios ope, consilio, Valentinianus Imperator factus est, teste Philostorgio, *lib. 8. cap. 8.* cuius etiam meminit Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap. 1.* in Valentiniani inauguratione. Plura in *Prosopogr.* ID.

(d) *Iniurias* vocat exactiones & collationes tributorum. *ID.*

(e) *Adgnatos* veteranorum vocat *liberos*, de qua voce alibi vid. *l. 1. inf. de collegiatis: & l. 19. inf. de diuersis officiis:* v. plura *in Gloss.* *IDEM.*

P.452 (f) *Parentes* vocat Decessores suos Constantinum & Constantium Impp. de qua formula dixi plene in *tract. de Imperatore Romano.* *IDEM.*

(g) Intelligit lustralem collationem, sic enim lustralis collatio vocatur, Græci quoque χρυσάργυρον, de quo suo *Titulo.* *IDEM.*

(h) Dixi ad *l. 2. sup.* *IDEM.*

(i) De hoc loco mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

NEGOTIARI Veteranis, eorundemque liberis per Gallias, (vbi hoc anno erat Dagalaiphus, vt testatur Ammianus Marcellinus *lib. 27. cap. 2.*) Valentinianus Sen. *hac l.* permittit, cum omni, plenaque immunitate a lustrali collatione & portorio. Nempe quod infracta hæc libertas & adempta fuisset. Proinde veterem consuetudinem *hac lege* renocat: de qua libertate & immunitate iam *supra* actum fuit: nempe *l. 3.* vid. & *tit. inf. de lustrali collatione.* Quod autem *h. l.* Valentinianus plenam a lustrali collatione immunitatem Veteranis tribuens ait, se id constituere *Secundum veterem Parentum suorum* (id est, Constantini & Constantii) *consuetudinem*, id non vsquequaque verum esse ostendit Constantii *lex 2. inf. de lustrali collat.* vbi limitata quædam tantum immunitas Veteranis tribuitur: vti etiam tributur ab ipsomet Valentiniano, *l. 7. inf. de lustrali collatione:* & Valentiniano, Iuo. *l. 14. cod. tit.*

Illud hic quoque singulare, quod Veteranorum filiis negotiantibus eadem immunitas tribuatur, quæ Veteranis ipsis: nempe ab omni munere, vniuersis reditibus auri & argenti & portorii, de qua alioquin immunitate dictum iam ad *l. 2. sup. h. t.* Certe ita quoque Veteranorum liberis idem honos habebatur qui & Veteranis, quoad pœnas quasdam a quibus immunes habebantur, *l. 3. D. de Veteranis:* liberis, inquam, primo gradu *l. 5. Cod. Iust. de pœnis.* Et tamen quod ad munera publicorum vacationem attinet, Papinianus *l. 8. §. a. D. de vacat. & excusat. mun.* scribit, *Vacationum priuilegia non vetant liberos Veteranorum:* vbi alii repounnt, *non spectant*, Cuiacius *XXIV. Observat. 23.* *non vetant*, prisco verbo, id est, *non transeunt in liberos.* Quod non admitto. Ego malo *non velant liberos veteranorum*, id est, non tegunt, his non prosunt. Vacatio est Veli genus quo quis obtegitur; sic velamen Clericatus, *l. 19. infr. de hæreticis.* Imo sic quoque Velamentum priuilegii, *l. vlt. inf. de equorum collat.*

Superest vt Inscriptionem simul & subscriptionem *huius legis* velut singulares illustremus. Inscribitur hæc lex *Dagalaipho Magistro Militum*, per Gallias scilicet. Hic sub Constantio, Iuliano & Iouiano Comes Domesticorum fuit, testis Amm. Marcellinus *lib. 21. cap. 8.* de quo & *lib. 24. cap. 1. lib. 25. cap. 5.* Idem a Iouiano Magister militum factus *lib. 26. cap. 5.* & exinde sub eo Magister Militum per Gallias a Valentiniano (qui eius ope, consilio, inter alios, Imperator factus est, teste Philostorgio, *vti sup. in Notis*) missus est A. D. 365. Amm. Marcell. *d. lib. 26. cap. 5.* vbi & hoc ipso anno 366. constitit, & quidem Parisiis, Marcell. *lib. 27. cap. 2.* vide & de eo Zosimum *lib. 3. cap. 21.* Ex quibus *locis* Gesta eius repeti possunt.

Quod ad locum *huic legi* subscriptum attinet, nempe *Verona*, quænam hæc Verona fuerit, disquirendum est; Italiæ enim esse non potest; quandoquidem in Gallia Remis ferme hoc tempore versabatur Valentinianus: vide *Chronol.* (quæ vox etiam non vno *huius Codicis* loco transiit in *Roma*, vt *l. 4. infr. de Metallis: l. 13. de susceptor. l. 3. inf. de indulgentiis criminum:*) quomodo igitur Veronæ hæc *lex* a Valentiniano data dici possit? certe vt iam indicaui, non in Italia ea quærenda, verum in Galliis, vbi alioquin prope vrbem *Remos* reperio vrbem quæ dicitur *Virgny:* Sed *Vironum* hic in Veromaduis conicio: cuius mentio quoque in *Itinerario Peutingeriano*, quod ad Remos vtique proximum est: quod & nobis hodie *Vernins*, in *Itinerario* Antonii *Verbinum:* oppidum nobile pace inita inter Regem Henricum M. & Philippum II. Hispaniarum Regem. Et vero in hac sententia hæreo: Non vero Viroduum, *Verdun*, quod credidit Petitus *in leges Attic. p. 39.* Vid. *Chronol.*

DIGNITATIBVS *citra Militiam honorati Veteranorum priuilegiis non fruuntur.*

X. (a) Idem (b) AAA. ad Probum PP. 6.

SI quis Præpositus fuerit aut Fabricæ, (c) aut Classi, (d) aut Lætis, (e) identidem (f) si Præpositus Rom. Largitionum, (g) vel Cohortis gesserit Tribunatum, aut quicumque his administrationibus, ad quas nonnisi cum certis fideiussoribus singuli quique veniunt; fortasse præfuerit, qui non vel intra Palatium congruo labore meruisse, vel armatam inuenitur sudasse militiam, his priuilegiis careat quæ militaribus Palatinisque tribuuntur. Dat. X. Kal. Ian. Triueris, Valentiniano NB. P. & Victore CONS. [369.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* concordat ei *lex vlt.* GOTHOFREDVS.

(b) Hæc *lex* recte tribuitur *Valentiniano, Valenti & Gratiano.* IDEM.

(c) De Fabricis dicam *inf. tit. de Fabricensib.* IDEM.

(d) Intelli-

(d) Intelligit classes nauium, quæ in fluminibus, quæ scilicet Romani Imperii limites erant: quales in Pannonia vtraque, Valeria, Belgica Secunda, Venetia, Flaminia, Liguria, Campania, Gallia Ripensi, Lugdunensi prima, & Senonia memorat *Notitia Imperii Occidentalis:* Et in Scythia, Mæsia prima, Dacia Ripensi, *Notitia Imperii Orientalis.* *IDEM.*

(e) De *Lætis* dicam ad *l. 12. inf.* *IDEM.*

p. 438 (f) Itidem. *ID.*

(g) *Romanarum Legionum.* Legiones *Romanæ* dicuntur, ad differentiam Auxiliorum, vel Lætorum. quæ non ex Romanis erant; ita Tribuni Legionum apud Ammianum Marcellinum *lib. 25. cap. 6.* de quo dixi ad *leg. vlt. sup. de re militari* & *l. 22. sup. de erogat. milit. annona.* Quare error est Gutherii III. *de off. August. cap. 16.* & 22. qui Romanæ Largitionum Præpositum hic legebat, eundemque suspicabatur cum Comite Largitionum Italicianorum, de quo ad *l. vn. sup. de Consularibus & Præsidibus.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Præpositi Fabricæ (id est, in qua arma fabricantur) vel classi (id est, nauibus amnicis & lusoriis) vel Lætis (de quibus erit dicendi locus *l. 12.* vt & Romanæ Legiones, vel *Tribunus* cohortis, Militum & Palatinorum priuilegiis non fruuntur, nisi competente labore & tempore in Palatio, vel in militia militauerint. In Palatio inquam, ii qui Præpositi Fabricarum facti sunt. Erat enim hæc militia Palatina, sub dispositione Magistri officiorum, vt docet *Notitia Imperii fol. 42.* & *139.* & pluribus ostendetur ad *Titulum de Fabricensibus, inf.* Sed & Ammianus Marcellinus meminit non vno loco Tribunorum Fabricarum *lib. 14. cap. 7. lib. 15. c. 5.* imo & Præpositi Fabricæ sub hoc eodem Valentiniano *lib. 29. cap. 3.* de quo ad *l. 3. de fabricensibus.* Ac nominatim idem ostendit *lib. 15. c. 5.* Fabricas & Tribunos sub Magistro officiorum fuisse: de quo plene ad *d. l. 3. de Fabricensibus.* In militia inquam, id est, qui aut Classi, aut Lætis, aut Legioni Præpositi, aut Tribuni cohortis fuerunt. Hæc *huius l.* sententia est.

Vnde colligimus ad has Præpositutas & Tribunatus euectos per hæc tempora, etiam qui intra Palatium vel armatam militiam non militauerant, id quod nominatim de Tribunis cohortium, & Præpositis numerorum ostendi ad *l. 34. sup. de erogat. mil. annona*, & docebit rursum *lex vlt. inf. hoc tit.* & docuit quoque *lex 18. sup. de Tironibus*, sic quidem vt eædem annonæ his darentur quæ aliis *d. l. 34.* Et tamen vt aliquid inter hos, & eos qui actu, postque emeritam militiam ad has Præposituras, & Tribunatus euecti sunt, discrimen esset, vt esse debet (*l. vlt. inf.*) priuilegia his tributa, illis non competunt; velutia Tironum præstatione immunitas, *l. 10. 18. sup. de Tironibus, d. l. vlt. inf.* Vt proinde hæc *lex*, & *d. l. vlt.* melius relatæ fuissent ad *Titulum de Honorariis Codicillis*, ac maxime cum Palatinæ militiæ communis sit. Quanquam & eo nomine *huius Codicis* Conditores hanc *leg.* sub *hoc tit.* recte sibi visi sunt posuisse: quod hic exemplum contineatur Veteranorum, qui tamen Veteranorum priuilegiis non fruuntur.

Illud obscurius est, quod de *Administrationibus* adiicitur, ad quas non nisi datis *fideiussoribus* perueniri potest. Ego his verbis indicari puto nonnullos intra Palatium (vt mox subiicitur) militantes: puto procuratores Gyneciorum, & Baphiorum, monetarum, linificiorum, Præpositos Bastagarum, atque his similes, qui sub dispositione Comitis S. Largitionum, aut rerum priuatarum fuerunt. Eius quippe generis hæ administrationes omnino videntur, vt nonnisi sub *fideiussoribus*, seu prædibus committi debeant. Erroneum enim est quod Valesius *de Gestis veterum Franc.* scribit, *pag. 33.* id hac *leg.* definiri, neminem Lætis præponi posse, nisi datis prædibus. Aperte enim hic distinguuntur Administrationes intra Palatium in quibus fideiussores requiruntur, a Præpositis militaribus, de quibus *initio leg.* ac nominatim a Præpositis Lætorum.

Neglecta *a dominis loca Veteranis colere conceditur.*

XI. (a) Idem AAA. ad Iouinum (b) Magistrum militum.

Conmoneat Tua Sinceritas hac sanctione Veteranos, vt Locs (c) absentium squalida, (d) & situ dissimulationis (e) horrentia, de solita fructuum indemnitate securi, quantum (f) vires vniuscuiusque patientur, exerceant: (g) Namque decernimus, vt his qui soli (h) relicti terras sulcauerint, (i) sine molestia præiudicioque dominorum prouectuum (k) emolumenta quærantur: nihilque illis, qui messium tempus adsolent (l) aucupari, *Agratici* nomine deferatur. Dat. XVI. Kal. Feb. Valentiniano & Valente AA. IV. (m) conss.

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) De *Iouino* hoc dixi ad [illegible] *sup. de re militari.* *ID.*

(c) *Loca* hic proprie eodem significatu, quo *leg. 1. sup. finium regundorum.* *IDEM.*

(d) Non intelligit Vacantes *terras* quæ dominos non habent: Verum eas, quæ dominos habent, sed negligentes: *absentium* proinde loca, situ dissimulationis horrentia: *derelictas* terras. *IDEM.*

(e) *Dissimulatio*, pro incuria, negligentia, & abdicatione, quasi sua non sit, & sic dereliktui habere. v. *Gloss. Theod.* *IDEM.*

(f) Hæc quoque occupatoriorum agrorum conditio fuit, vt docet *lex*, 16. *D. de adquir. rer. dom.* Et Frontinus *de Coloniis* variis locis: De quo alibi. *ID.*

(g) *Exercere* loca seu terras, v. *Gloss. Theod. ID.*

(h) Supra: *loca absentium*, dixit. *ID.*

(i) *Sulcare* terras. *ID.*

(k) γρ. *prouentuum*: id est fructuum, vt *sup.* vt Eucherius Lugdun. *p.* 577. (notante Valef. *ad Marcell. l. c.*) *Si forte minus in agello assiduus fueris, Prouentus de annona minuitur.* Ammianus Marcellinus *lib.* 22. *c.* 8. *Adhibentes vomeri curam & prouentibus fructuariis vigilantes. Obuentiones, l.* 7. §. 1. *D. de vsufr. & quemadm.* Quanquam & istud sustineri forte potest. *ID.*

(l) Vid. *Gloss. ID.*

(m) Malim II. id est A. D. 368. vel i 11. id est A. D. 370. propterea quæ noto de Theodosio ad *l. un. sup. de nuptiis Gentilium.* Quod & Valesium postea probare vidi in *Amm. Marcellinum. lib.* 28. *c.* 4. *ID.*

COMMENTARIVS.

p. 434 NEGLECTA a dominis loca, Veteranis colere & conserere *h. l.* permittit. Valentinianus Imp. Et vt ad colenda ea eos inuitet, ita bis colenda tribuit, non quidem vt ipsa loca iure dominii vindicent; verum, vt *prouentuum emolumenta* fructus qui prouenerint ea ipsorum cultura, & quos conseuerint *solidos* & integros sibi adquirant *sine molestia praeiudicioque dominorum*: id est sic vt partem aliquam ex his Domini sibi petere non possint, agratici nomine: Scilicet negligentes alicubi domini cum loca sua, seu fundos squallere, situque dissimulationis horrere sinerent, mox vt hos agros Veterani pro indulta sibi licentia conseuissent, tempus messium *aucupantes*, partem aliquam prouentus siue fructuum ab his qui conseuissent præstari sibi volebant, tanquam pro præstito & concesso agro: Quod quidam Veteranos ab his colendis absterrebat. *Agraticum* est, quod pro agro concesso penditur. Agrarium huic simile est, Tributum scilicet, quod pro agris penditur, cuius mentio fit in legibus Baiuuariorum *cap.* 1. *tit.* 13. & apud Marculfum editionis Bignonianæ *lib.* 2. *cap.* 36. & Formula 61. ex editione Lindebrogii. Quibusdam consuetudinibus, *Agrier* vocatur, *le Terrage & Champart que le Seigneur leue sur les gerbes de bled au temps des moissons.* Idem & cespitaticum dicitur apud Aimoinum *lib.* 5. *cap.* 1. *H. F.* a cespite videlicet, quod idem est cum agro, seu gleba agri. Cassiodorus *V.* 14. *Parcionem* quoque, quædam veteres chartæ vocant. *Terraticum* in præcepto Ludouici IV. in *Biblioth. Cluniac.* Francis denique promiscue, *Agrier*, *Champart*, *Terrage*.

Cæterum ad Gallias hanc legem pertinere certissimo: Iouinus enim Magister militum, cui hæc *lex* inscribitur, per Gallias Magister militum sub Valentiniano Imp. erat: de quo dixi semel plene ad *l.* 7. *sup. de re militari.*

XII. Impp. Arcadius & HONORIUS AA. Stiliconi Magistro vtriusque militiæ. (a)

PLERIQVE (b) Testimonialibus (c) fraude quæsitis fiunt Veterani, qui milites non fuerint: nonnulli inter exordia militiæ in ipso ætatis flore discedunt. Quisquis igitur Luctus, (d) Alamannus, Sarmata, (e) Vagus, (f) vel Filius (g) Veterani, aut cuiuslibet corporis, dilectus (h) obnoxius, & florentissimus (i) legionibus inserendus, *Testimonialem* ex Protectoribus (k) vel cuiuslibet (l) dignitatis obtinuit, vel eas quæ nonnunquam Comitum auctoritate præstantur, ne delitescat, tirociniis castrensibus imbuatur. Si (m) quis præterea vel prima stipendia, vel nondum vt oportebat inpleta, *Missionis* colore deseruit, nihil impetrata valeant: nisi forte quempiam aut defessæ (n) ætatis, aut corporis ægritudo, aut gloriosorum (o) vulnerum cicatrices causaria vel honesta missione defendunt; dummodo hos ista non adiuuent, qui ætate solida, & integro corpore hæc occuparint. (p) Et (q) quoniam plurimos vel ante militiam, vel post inchoatam vel (r) peractam latere obiectu piæ religionis agnouimus, dum se quidam vocabula (s) Clericorum & infaustis (t) defunctorum obsequiis occupatos; non tam obseruatione cultus quam otii & socordiæ amore defendunt, nulli omnino tali excusari obiectione permittimus, nisi qui aut fractus senio, aut membris debilis, aut paruitate (v) deformis indignus consortio virorum fortium (x) reperitur. Illius (y) quoque Sanctionis oportet admoneri, vt si quis Decurionum, Primipilariorum, (z) Collegiatorum, (aa) Ciuilium Apparitionum, vel aliorum necessitatibus inretitus, militiæ sacramenta durasset, (bb) defendi castrensium stipendiorum excusatione non possit. Dat. III. Kal. Feb. Med. Stilichone & Aureliano V. C. CONSS. [400.]

NOTÆ.

(a) Per *Gallias*, vt ostendent ea quæ mox dicam de LAETIS. GOTHOFR.

(b) Percrebuerat igitur hæc fraus. *ID.*

(c) De *Testimonialibus*, tit. prox. *ID.*

(d) γρ. *La-*

(d) *γρ.* Letus, *Alamannus, Sarmata, Vagus.* *ID.*

(e) Fuit cum putarem ita interpungendum hunc locum, *Sarmata-Vagus.* Sarmatarum-Vagorum meminit *Itinerarium Peutinger.* SARMATÆ-VAGI. Sed inane hoc est. *ID.*

(f) *Vagus* est *h. l.* & *l.* 10. *v't. sup. de desertoribus*, proprie, qui militiæ obnoxius origine, fundis suis & terris desertis, vagatur, & in alienis fundis delitescit: Itaque & Veteranorum filiis *h. l.* & *d. l.* 10. iungitur: Itemque desertoribus, *d. l.* 10. & *d. l. vlt.* Tironis nominatim vagi fit mentio *l.* 6. *sup. de Tironibus*, qui & alienigena dicitur *l.* 2. *sup. de desertoribus*: πλάνος Gregor. Nazianz. *ep.* 123. *ad Ellebichum.* *ID.*

(g) De filiis Veteranorum dicetur *inf. suo Titulo.* *IDEM.*

(h) *γρ. Dilectibus.* *IDEM.*

(i) *γρ. Florentissimis*: supra quoque *l.* 2. ibi, *optamus florescere.* *IDEM.*

(k) Dicetur *inf. tit. prox.* *IDEM.*

(l) Veluti Tribuni & Præpositi, vt dicetur *tit. prox.* vide & *l.* 5. *sup. h. t.* *ID.*

(m) Superior sententia fuit de his qui militiæ nullo modo adscripti erant, etsi ei adstricti: hæc sententia de his qui iam adscripti. *ID.*

(n) *Defessa* ætas *h. l.* defessa senectus, *l.* 16. *inf. de cohortalibus*, solida ætas ei *h. l.* opponitur. *IDEM.*

(o) Gloriosorum vulnerum cicatrices: vt *l.* 3. *inf. de Testim.* vulnerum laudabilis excusatio. *IDEM.*

(p) Præpropere scilicet & ante tempus: hæc enim vis est vocis, *occupare.* *IDEM.*

(q) *Tertia* sententia communis desertoribus & refugiis militiæ nondum inchoatæ, vel inchoatæ. *ID.*

(r) *γρ. nec peractam.* *IDEM.*

(s) *γρ. Vocabulo.* *IDEM.*

P.435. (t) *Copiatas* intelligit: de quibus agitur *l.* 1. *inf. de lustrali collatione*, & *l.* 15. *inf. de Episcopis & Clericis.* *ID.*

(v) Pertinet hoc ad staturam militarem: de qua dictum ad *l.* 3. *sup. de Tironibus.* *ID.*

(x) *Viri fortes*, pro militibus, *h. l.* & *l.* 28. *in fine, inf. de cohortalibus*: plura vide ad *l.* 17. *sup. de erogat. milit. annonæ.* *IDEM.*

(y) Postrema sententia *huius leg.* *IDEM.*

(z) De Primipilaribus, & Primipilariis dicetur *inf. suo titulo de cohortalibus principibus cornicul. & Primipilaribus.* *IDEM.*

(aa) De *Collegiatis*, est infra *lib.* 14. *tit.* 7. *ID.*

(bb) Id est militiæ stipendiis perfunctus fuisset. Non audio reponentem, *iurasset.* *ID.*

COMMENTARIVS.

VETERANORVM numero censendos non esse definit *h. l.* ad Stiliconem emissa, Honorius Imperator, quin ad militiam reuocari oportere omnes eos qui militiæ obnoxii, & *origine sua* obstricti, quocunque prætextu militiam refugerint, vel inchoatam etiam deseruerint (citra senii, debilitatis, aut paruitatis causam) quocunque inquam prætextu, 1. Siue Testimonialem quis ex Protectoribus, vel etiam cuiuslibet dignitatis impetrauerit, de quo *tit. prox.* 2. Siue in militiam cooptatus quis Missione præmatura donatus fuerit; Nullam habet scilicet militum originariorum militia missionem, nisi vna tribus ex causis superioribus intercedat; mala scilicet ætas, corporis imbecillitas, vel paruitas, quæ vtique originali militia liberant. 3. Imo neque *Clericatus*, vel etiam copiatæ obsequium originali militia soluit, non magis quam Testimonialis, aut iniusta missio; quia scilicet id illi facerent non tam obseruatione cultus, quam otii & socordiæ amore, vt *h. l.* dicitur, cui similis circa Curialem nexum est *lex* 63. *inf. de Decurionibus.* 4. Denique *militia* tantum exantlata in aliquo alio Corpore, puta Decurionum, Primipilariorum, Collegiatorum, Ciuilium Apparitionum, & similium militiarum, exuit militiæ debitum.

Tria porro exempla seu species hic proponuntur eorum, qui delectibus, seu militiæ originis iure obstricti erant, Nempe 1. *Læti* Alamanni, & Sarmatæ Vagi: de quibus Vagis dixi ad *l.* 10. *sup. de desertoribus*, quæ hoc ipso anno data est. 2. *Filii* Veteranorum, de quibus dicetur *suo titulo*, *de filiis militarium apparit. & Veteranor.* 3. Quidam alii qui his verbis indicantur, *aut cuiuslibet corporis: dilectibus obnoxius & florentissimis Legionibus inserendus.*

De Lætis, siue *Letis*, (nam ita promiscue in MS. effertur) semel nobis hic agendum est, quorum *hac l.* & *l.* 10. *sup.* mentio fit, vt & terrarum Læticarum, quæ ab his dictæ, *l.* 9. *de Censitoribus.*

Igitur, cum quidam e Gentibus Barbaris sponte Romanum in solum transibant, Terræ eis, eorumque progeniei, desertæ excolendæ dabantur: & vt illi Coloni, *Læti*, sic terræ quas colerent, *Læticæ* dicebantur. Illud Eumenius in *Panegyrico*, quem Constantio dixit, *cap.* 21. his verbis adstruit. *Tuo Maximiane Auguste nutu, Neruiorum & Treuerorum arua iacentia Lætus postliminio restitutus & receptus in leges Francus excoluit*: vbi Lætus *postliminio restitutus* dicitur, qui cum antea Neruiorum & Treuirorum arua incoluisset, inde Barbarorum armis fugatus, vel metu armorum recesserat. Huic vero fidem facit Honorii Imperatoris constitutio data ad Messalam Præfectum Prætorio Italiæ, *d. l.* 9. *infr. de censitoribus*: *Quoniam ex multis Gentibus sequentes Romanam felicitatem, se ad nostrum Imperium contulerunt, quibus terræ Læticæ administrandæ sunt, nullus ex his agris aliquid nisi ex nostra adnotatione mereatur.* Et ea tamen conditione terras illas excolendas Læti consequebantur, vt delectibus quoque obnoxii essent, & Legionibus inserentur, quod hæc Honorii constitutio testatur. Proinde Læti inter Numeros militares, & sub Præfectis, seu Præpositis fuere. Quorum mentio apud Amm. Marcellinum extat *lib.* 21. *cap.* 13. (neque enim *Læti Barbari* de quibus idem agit, *lib.* 16. *cap.* 11. huc pertinent, quia *Lætorum* vox ibi adiectiue accipienda est, pro gaudio delibatis:) *Arbitionem*, inquit, *iter suum præire Lanceariis & Mattiariis & cateruis expeditorum præcepit, & cum Lætis iisdem Gomoarium, ea re aliis antelatum, quod vt contemptus in Galliis erat Iuliano infestus.* Eodem pertinet alter eiusdem Amm. Marcellini locus, ex Epistola Iuliani ad Constantium, *lib.* 20. *cap.* 8. vt eum Adrianus Valesius feliciter restituit. *Equos*

præbebo curules Hispanos, & mißendos Gentilibus atque Scutariis adolescentes Letos (vbi hactenus editum fuerat *Lectos*, pariter vt *h. l. Luctus*, pro *Lætus*) *quosdam, cis Rhenum editam Barbarorum progeniem, vel certe ex Dedititiis, qui ad nostra desciscunt.* Vbi obseruandum *Dedititios* a *Lætis* distingui: Nempe *Læti* erant, qui vltro transierant, eorumque progenies: Dedititii vero qui vi, armisque coacti, receptique in leges, vt in *superiore* Eumenii *loco*. Ausonius in *Gratiarum actione c. 4. Voca Germanicum, deditione Gentilium: Alemanicum, traductione captorum: vincendo & ignoscendo Sarmaticum.* De iisdem Dedititiis *l. 16. sup. de Tironibus*, quorum pariter peculiaris ratio habita. Vid. & *Nouellam Theodos. de Ambitu 31.* duobus locis. De iisdem agit & Valentinianus *l. 10. sup. Si quis*, inquit, *Præpositus fuerit aut Fabricæ, aut Classi, aut Lætis, identidem si Præpositus Romanarum Legionum vel cohortis gesserit tribunatum.* Ideo *Præfecti Lætorum* sub Theodosio Iuniore in *Notitia Imperii* varii memorantur *f. 179.* & varii proinde Læti communi prænomine: Præter Lætos *Alamannos* (de quibus *h. l.* agitur) Læti insuper Teutoniciani, Bataui, Gentiles, Sueui, Lingonenses, Acti, Neruii (de quibus est quoque superior ille Eumenii locus, & a quibus *Lætia* oppido nomen inditum quidam censent, cuius mentionem facit Hugbaldus *de vita Ructrudis*) Læti Bataui Nemetacenses, Bataui Contraginenses, Lagenses, denique LÆTI FRANCI: De quibus nominatim Lætis Francis est quoque superior Eumenii locus. Cæterum *Lætos* in Galliis fuisse non tantum ex *hac leg.* verum etiam ex *Eumenii* loco, & ex *Notitia Imperii*, & ex *Ammiano Marcellino* liquet. Hinc factum iam, vt Zosimus *extremo libro secundo cap. 54.* Lætos, *Gallicam Gentem*, non omnino recte, vocauerit: Sic enim de Magnentio, a Francis orto, & cuius parentes idem Zosimus paulo ante a Constantio in fidem receptos fuisse dixerat, verba faciens scribit: *γένος μὲν ἕλκων ἀπὸ βαρβάρων, μετοικήσας δὲ εἰς Λετοὺς ἔθνος Γαλατικὸν*, id est, *originem quidem a Barbaris ducens, translatus autem in Lætos, quæ Gallica gens est.* Quod Iulianus Cæsar *oratione 1. in laudes Constantii pag. 34. edit. Lips. Spanhem.* sic effert: *ἀνδράποδον γὰρ ἦν τῶν ἐκείνου προγόνων, τῆς ἀπὸ Γερμανῶν λείας λείψανον δυστυχὲς περισωζόμενον*: id est, *Fuerat enim maiorum*
P.436 *illius* [Constantis] *vile mancipium, ac Germanorum prædæ seruata infelices reliquiæ.* Victor Schotti quoque in Constantio, *cap. 41.* prædictum Magnentium *gentis Barbaræ* vocat: & Victor alter *in Epitom. c. 42.* tradit: *ortum parentibus Barbaris, qui Galliam inhabitant.* Quomodo & Siluanum Victor *de Cæsar. c. vlt.* ex *Gallia natum Barbaris parentibus* dicit: & alter Victor *l. c. Barbaro patre genitum.* Recte; neque enim Læti origine Galli erant, quod quidam censent, sed domicilio: Non indigenæ, sed Aduenæ & Metœci, eorumque progenies in Galliis nata. Denique quod ex *superiore* Marcellini *loco lib. 20.* discimus, *cis Rhenum edita Barbarorum progenies.* Inde igitur Victor alter, seu Victorinus Theodosio Iuniori Coætaneus quoque testatur Barbaros illos æuo suo Galliam inhabitasse. Sed & Zosimus eorundem temporum Scriptor, *Lætos* gentem Gallicam suo quoque æuo fuisse indicat: & denique *Notitia Imperii* iisdem temporibus scripta per varias Galliarum partes Lætos illos sparsos fuisse ostendit.

Ex his vero coniectura non inanis mihi nascitur, *Liticianos*, quos Anno Domini 451. (id est, anno sequente mortem Theodosii) Iornandes *de reb. Gothic. c. 36.* vetustiores Scriptores secutus, & post eum Paulus Diaconus *hist. miscell. lib. 15. initio.* vt & alii, vna cum Francis, Sarmatis, Armoriciania, Burgundionibus, Ripariolis (in Gallia tum consistentibus omnibus) in exercitu Aëtii Patricii contra Attilam in campis Catalaunicis stetisse scribunt, non alios accipi oportere quam *Lætos* istos, Læticarum terrarum cultores, qui Romano Imperio inclinante in vnam quoque quasi Gentem & manum in Gallia coaluerint. Quod & ipsum de Sarmatis & Ripariolis dicendum est: de Sarmatis, inquam, quos Iornandes superiore loco cæteris connumerat: Nam & hi non tantum a Constantio Imp. intra spatia orbis Romani admissi, tirociniis præbendis: quod ex Amm. Marcellino discimus *lib. 19. cap. 11.* Verum etiam in Galliam a Gratiano Imperatore traducti, terræque illis in Gallia adsignatæ: testis Ausonius, Gratiani ipsius Magister, *in Mosella* quoque (pariter vt in *Gratiarum actione:*) *v. 8. seqq.*

Dumnissum, riguasque perenni fonte Tabernas,
Arnaque Sauromatum nuper metata colonis.
Et tandem primis Belgarum conspicor oris
Nimomagum diui castra inclyta Constantini.

Et sane hac ipsa constitutione nostra Honorii ad Stilichonem Magistrum militiæ per Gallias, sed tamen in Italia nunc agentem, (vt colligo ex *2. & 3.* Claudiani *lib. in laud. Stilich.*) data, Sarmatæ, Lætis, & Alamannis coniunguntur, & dilectibus pariter per Gallias obnoxios fuisse ostendit. Quin & *Imperii Notitia* vt Lætos, ita & Sarmatas Gentiles per diuersos Galliarum tractus commemorat. *Lætitiani* proinde, *Sarmataque* in Gallia Romanis aduersus Attilam militauerunt, quod *lex* ipsa datorum & assignatorum agrorum exigebat. *Lætitiani* autem Læticarum terrarum possessores, coloni. Inde enim *Lætitiani* a Læticis terris, vt *Castriciani*, a Castris, *l. vlt. sup. de re militari.*

Quare his Lætis omnino respondent qui sub Francorum Imperio *Lati*, pariter *Lits*, vel etiam *Lidi* vocabantur. Dedititium quippe genus hoc hominum fuisse Albertus Stadensis *an. 917.* testatus, neque liberum prorsus, sed obnoxium, & ad villicationem seu agrorum culturam pertinuisse Italicæ, Ripuariæ, Frisonum, Longobardicæ leges, & Kilianus, aliique Authores testantur. (a) (Sed & terra ipsa cui adstricti erant, *Lita* dicebatur, forte eadem cum *Litana*, cuius meminit Liuius, & vnde detortum *S. Germain en Laye.*) Tandem obsequium, seu seruitium quod præstabant huiusmodi Liti, *Letimonium* vocabatur, quæ vox restituenda non vno loco apud Veterem Scriptorem *Formularum Senicarum.* Læticæ denique Terræ huiusmodi publicæ erant. Quo tamen perperam Hesychii locum referunt nonnulli: *λαίτων, τῶν δημοσίων τόπων*: Nam ibi Dorice *λαΐτων*, pro *λῄτων* dictum: quod *archiuum* significat, vt immediate ante, idem Hesychius explicat, *λαίτον* (non *λαίπον*) *τὸ ἀρχεῖον*. Apud Suidam perperam scriptum *λαιιτὸν τὸ ἀρχεῖον* pro *λαίτον*. Vt & eiusdem error grauis est, qui Lætos Præpositos credidit esse Peræquatores & Inspectores, cum fuerint Præpositi rei militaris.

(a) Vid. du Fresne Glossar voc *Litus. Litones* adde Fr. Pithæi *Glossarium ad leg. Sal tit 14.* Quid *Litana* sit, ego non capio. Valde ridicula etiam vrbis *S. Germain en Laye* est originatio, cum sit *vicus S. Germani in Sylua*, a *Laie* Francico. Vid. laudat. Glossar. Latin. *voc. Laeya.*

XIII. (a) Impp. (b) Honorius & Theodosius AA. Stiliconi Comiti & Magistro vtriusque militiæ.

OPORTET inter eos, qui ambitu ac suffragiis ad Tribunatos, (c) Præposituraſque perueniunt, & eos qui labore, periculis, atque ordine militiæ decurso, huiusmodi digni-

dignitates acceperint, esse discretionem. Quare inmunes (d) eos haberi decernimus, qui militiæ prærogatiua, vt dignum est, ad Tribunatum Præpositurasue perueniunt. Conmonendi autem sunt Comites aut Duces militum, (e) vt & ipsi eos reuelatos (f) esse cognoscant, neque aliquid hoc (g) nomine ab his flagitandum: De quibus ad omnes militares Iudices paria (h) scribta direximus. Dat. XI. Kal. April. Rom. (i) Honorio VIII. (k) & Theodosio III. AA. CONSS. [407.]

NOTAE.

(a) Abest a *Cod. Iust.* Iungenda huic est *lex* 18. *sup. de Tironibus.* GOTHOFRED.

(b) *Arcadii* nomen addendum; vt additur quoque in *d. l.* 18. cui rei fidem facient, quæ ad subscriptionem *legis* notabo. *ID.*

(c) γρ. *Tribunatus.* *ID.*

(d) A Tironum præstatione, vt *d. lex* 18. ostendit. *ID.*

(e) Duces militum *hic*; limitum, *l.* 5. *inf. de fil. mil. appar.* *ID.*

(f) γρ. *releuatos*, propria hac in re vox, vt *l.* 3. *sup. de desertoribus.* Et in *Nouellis Theodosii*, & Interpres ad *l.* 1. *inf. de censu.* Saluianus, *lib.* 5. *cap.* 8. *p.* 109. *ed. Baluz.* Sidonius, *lib.* 7. *epist.* 12. & ibi Cl. Sauarn. vid. *Gloss.* *ID.*

(g) Tironico, & auri Tironici præstatione. *ID.*

(h) ἰσοτύπως. Eodem exemplo. *IDEM.*

(i) Romæ hoc anno constitit Honorius. *IDEM.*

(k) γρ. VII. *& Theodosio* II. Nam qui hactenus subscribuntur Consules, respondent Anno Domini 409. Atqui Stilicho, cui hæc *lex* inscribitur, iam anno 408 interfectus fuerat, vt testatur Zosimus, *lib.* 5. *cap.* 34. Et fidem facit *lex* 1. *sup. de literum & itinerum custodia.* Et *lex* 20. *inf. de pœnis*, & *lex* 20. 21. 22. *inf. de bonis proscriptorum.* *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 437 DE PRÆPOSITORVM, & TRIBVNORVM qui militiæ prærogatiua seu militiæ labore decurso, factorum Dignitate & prærogatiua supra eos qui ambitiune & suffragiis has dignitates adepti sunt, est *hac* Honorii *lex*, quæ iungenda est cum *l.* 18. *de tironib.* Prima prærogatiua est, quod ab auro Tironico seu Tironum præstatione immunes sint; at non etiam qui ambitu aut suffragiis, id est, vel non Milites, vel nondum Veterani, (vt sæpe factum ostendit quoque *lex* 10. *sup. hoc tit.* & *lex* 15. & 18. *sup. de Tironib.* quæ posterior, *huic* nostræ coniungenda est) has dignitates adepti sunt: quæ ipsa est sententia *dictæ legis* 15. & 18. (absque qua nullus, vel certe non plenus huic nostræ sensus constaret. Quod *huius Codicis* Conditorum erroribus in *Prolegomenis* adscribo.) Sed & huic *legi* concordat *lex* 10. *sup. hoc tit.* Quæ *lex* pariter vt *hac nostra*, melius sub alio *titulo* collocata fuisset. Concordat tandem omnino eiusdem Honorii *lex vn. in f. infr. qui a præb. tironum.* Altera prærogatiua est, quod ob hanc promotionem, Comites & Duces, ab his nihil exigere possint. Nempe inter alia Comitum militarium & Ducum lucra & compendia erant, & illa quæ accipiebant ex promotionibus, de quo est Libanii locus περὶ προστασιῶν *pag.* 22. *ed. Gothofred.* Quæ *hac leg.* ab illis quæ dixi postulare prohibeotur, vt *& ipsi eos releuatos esse cognoscant*, quantum ad se attinet: non tantum quoad contributiones militares.

DE TESTIMONIALI EX TRIBVNIS ET PROTECTORIBVS.

TITVLVS. XXI.

I. (a) Imp. Constantinus A. ad Rufinum PP. ō (b)

FERRI non potest, in titulo (c) militaris laudis inrepere eos qui nec aciem viderint, nec signa perspexerint, nec arma tractauerint. Ideoque si qui ex Protectoribus, (d) vel ex Præpositis, vel ex Tribunis epistulas (e) reportauerint, non habeant priuilegium, (f) quod merentur qui ordine militiæ sub armorum labore decurso ad hunc honorem peruenerint. PP. IIII. Idib. August. Sirmio, Constantino A. III. (g) & Licinio III. CONSS.

NOTAE

(a) Abest hæc *Lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Rufinus* PP. sub Constantino M. V. *Prosopogr.* *ID.*

(e) Fer.

(c) Forte *in titulos*: vel *in titulum*: quorum illud malim. *ID.*

(d) Dixi ad *l. 5. sup. de Veteranis. ID.*

(e) *Epistolas*, id est dignitates beneficiis impetratas, vt *l. 15. sup. de Tironibus. ID.*

(f) Vt *sup. l. 10. de Veteranis. ID.*

(g) *γε.* IV. *& Licinio.* IV. id est A. D. 315. *ID.*

COMMENTARIVS.

SENTENTIA trium priorum *legum* quæ *hoc titulo* continentur, eadem est: videlicet HONORARIAS seu EMENOICATAS ambitu vel suffragiis, ac non etiam militiæ ordine, Testimoniales ex Tribunis, ex Præpositis vel ex-Protectoribus, *priuilegia* dignitatis illius, quæ merentur ii qui ordine militiæ sub armorum labore decurso ad hunc Honorem peruenerunt, non tribuere. Quo pertinent quoque *l. 15. 18. sup. de Tironibus*: & *l. 5. 10. 12. & vlt. sup. de Veteranis*: & *l. 153. 156. inf. de Decurionibus.* Hæc vero *lex* est CONSTANTINI M. qua id, vt dixi absolute negatur. Præmissa elegantissima sententia: *Ferri non posse, in titulum militaris laudis irrepere eos, qui nec aciem viderint, nec signa perspexerint, nec arma tractauerint.*

Cæterum de his Testimonialibus ex-Protectoribus præter varias *leges* quæ *hoc Codice* occurrunt, duo insignia loca extant apud Symmachum & Paulinum. Symmachi *epist. 67.* ad Ricumerem, *lib. 3. Firmum domesticum meum* MILITIÆ *stipendiis cum honestate perfunctum testimonio decuit adiuuari, vt faciliori aditu ad tuam Notitiam perueniret. Porrige igitur, oro te, adiutricem manum,* LEGITIMA *præmia ex* MORE *captanti. Huiusmodi quippe* VETERANIS *prærogatiua debetur; vt illis* PROTECTORVM *dignitas tanquam pretium longi laboris accedat. Quod Firmo incunctanter eueniet, si tuus fauor vota hominis ad* CONSVETA NITENTIS *adiuuerit.* Item Paulini illud *ep. ad militem religiosum. In hac militia soletis in votis habere hanc officii promotionem, vt Protectores efficiamini. Si autem Deo te probaueris, ipsum Deum incipies habere Protectorem, vide ad qualem m[ilit]iam te inuito collegam, vt quod homini esse optas, hoc tibi Deus sit.* De hac etiam Protectoris atque Tribuni dignitate accipio Am. Marcellini locum *lib. 30. cap. 7.* vbi de Valentiniani patre Gratiano. *Post dignitatem,* inquit, *Protectoris atque Tribuni, Comes præfuit rei Castrensi per Africam.*

Huius porro dignitatis Tribunitiæ & Protectoriæ Veteranis concessæ varia *priuilegia* fuerunt, quæ hic in genere indicantur. Nempe, vt in criminibus fori ordinarii præscriptionem haberent, *l. 5. sup. de Veteranis*: vt negotiantes a lustrali collatione intra certum modum immunes essent, *l. 7. & 14. inf. de lustrali collatione*, quod etiam indicat *lex 3. inf.* vt a Tironum collatione, *l. 18 sup. de Tironibus*, & *l. vlt. sup. tit. prox. de Veter.* vt a sordidis muneribus, *l. 153. infr. de decurion.* vt a verberibus excusarentur, *d. l. 153.* P.4[illegible]

Cæterum subscriptio loci *PP. Sirmio* euincit, hanc *legem* referri oportere ad A. D. 316. Nempe Constantinus hoc anno 316. in Pannonia versatus, & post Cibalense prælium, cum Licinio ea posuit est: vide *Consularia Theodosiana* eius Anni 316. quare & hæc *lex* ad *Licinianum* bellum referenda venit.

II. (a) Imp. Constantius A. ad* PF. P. Post alia.

SI quis de Paganis, (b) vel Decurionibus, (c) ambierit ad honores Protectoriæ dignitatis, (d) nec tempus, nec stipendia ei post hanc legem conputanda (e) sunt. Hoc & circa eos, qui ad Præposituras (f) ambitu peruenerint, custodiri præcipimus, & cætera. Dat. Kal. Maii, Constantio A. VI. & Constante II. CONSS.

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) *Paganis*, id est non militibus: quo sensu passim in iure, *pagani. ID.*

(c) Concordat *lex 153. 156. in fin. de Decurionibus. ID.*

(d) *Dignitas* Protectoria, *h. l. & l. 5. sup. de Veteranis*: *l. 3. in f. de diu. off.* Amm. Marcellinus *loco laudato ad leg. sup.* Symmachus *lib. 3. ep. 67.* vid. *Paratitlon de domest. & protector. IDEM.*

(e) Id est nil eis conferet deinceps in protectoria dignitate tempus aliquod exactum. *IDEM.*

(f) Castri ac militum, *l. 11. in f. de diuers. officiis. ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. hæc *lex* est, qua is testimoniales HONORARIAS seu EMENDICATAS ex-Protectoribus & ex-Præpositis, a paganis, seu non militibus impetratas, vel etiam a Decurionibus, nihil prodesse vult ad euitandam conditionem suam, non obstante quacumque temporis præscriptione. Quod postremum & ipsum ex parte statuitur *l. 3. prox.* & omnino *l. 153. 156. inf. de Decurionibus.* Solis igitur Veteranis eas prodesse vult. Et tamen ante hanc *legem* id aliquando obtinuisse hæc lex indicat, vt si Paganus vel Decurio huiusmodi Testimoniales impetrasset, & in ea dignitate certo temporis spatio stipendia explesset, huiusmodi Testimoniales iis prodessent, ac non statim Decurio Curia liberaretur, quod *hac lege* aboletur. Temperatur vero ab Honorio *l. prox. 3.* Restituitur *d. l. 153. 156. inf. de decurionibus.* Ab huius etiam *legis* fine seu scopo non abludit, quod A[mm]. Marcellinus *lib. 21. cap. 16.* de Constantio scribit; *Ab eo non nisi puluere bellico induratos præfectos armatis.*

III. (a)

III. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Florentino P. V.

QVICVNQVE ex-Protectoribus aut Domesticis (b) honorarias (c) missiones (d) meruerint, sub hac norma penes eos dignitas maneat, vt neque Municipes, (e) curiam; neque Collegiatus, (f) obsequium propriæ vrbis effugiant; neque Negotiator, a pensionis aurariæ (g) instituta (h) summa, militiæ suffragio subtrahatur, neque ab vllo postremo Officio, militia, vel corpore, talis se impetrati quisquam obiectione defendat; sed manente norma, (i) soluat omnia quæ ab illo vel conditione nascendi, vel iure proprii postulantur officii. De liberis etiam eorum censemus, ne de his edicti (k) originis munus per priuilegia emendicatæ dignitatis effugiant. Quæ quidem omnia officere illis aliquando (l) non patimur, quos emeritos felicibus castris, vel honesta interdum aduersæ valetudinis missio, vel vulnerum laudabilis (m) excusatio, vel emensum sub signis tempus, absoluit. Dat. XIIII. Kal. Maii. Med. Arcad. IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* Memorat, & derogat ex parte huic *legi* suæ Honorius, *l.153. inf. de decurion.* *GOTHOFRED.*

(b) Huc pertinet locus ex Epistola *Iuliani* 22. ad Leontium, quem ad Protectores Cuiacius male retulit: *ἐγκατελέξαμεν δὲ σὲ τῷ τῶν* ΟΙΚΕΙΩΝ *συντάγματι: γίνονται δὲ ἀπὸ τῶν ἀποβεβλημένων οὗτοι καὶ στρατευσαμένων. Teque domesticorum numero adscribimus, qui ex iis delecti sunt, qui arma gestarant, bellisque interfuerunt. ID.*

(c) *Honorarias*, id est, codicillares, vmbratiles, emendicatas, *fine leg.* *IDEM.*

(d) Id est Testimoniales. *Missiones* vt *l.153. infr. de Decurion.* Et forte hic scribendum *iussiones.* Quod non temere admitto. *IDEM.*

(e) *Municipes*, id est Decuriones. Cæterum hac de re vide & *l. 1. sup.* & *l.153. 156. inf. de Decurionib.* sed & ad aliquid, *legem 12. in fine, sup. de Veteranis. ID.*

(f) Vide *infr titulum de Collegiatis:* & *d. l.12. in fin.* *IDEM.*

(g) Intelligit lustralem collationem: de qua suo titulo & quidem *l.7.* & *14. eod. tit. ID.*

(h) *Præstituta. ID.*

(i) De huius loci sensu mox. *ID.*

P.439 (k) *γρ. Editi*, id est liberi municipum, collegiatorum, &c. *ID.*

(l) Id est nullo modo. *IDEM.*

(m) Vt *l.12. sup. de Veteranis*: gloriosorum vulnerum cicatrices. *ID.*

COMMENTARIVS.

HONORII duæ constitutiones sequuntur. Hac priore iubet, HONORARIAS vel emendicatas testimoniales ex Protectorib. vel Domesticis, neque Decurionem curia, neque Collegiatum obsequio vrbis, nec Negotiatorem a lustrali collatione, vel alteri officio, militiæ, vel corpori adstrictum liberari: cum alias EMERITÆ militiæ vel missionis Testimoniales huiusmodi liberent *h. l.* ac nominatim a lustrali collatione intra certam summam *l.7.14. in f. de lustrali collatione:* vbi dicam, Idemque de liberis eorum statuit. Quamquam id *h. l.* Curialibus & Collegiatis, &c. qui has honorarias Testimoniales obtinuerunt, Honorius largitur, vt saluis muniis quæ Curiæ vel Collegio debentur, dignitas tamen penes eos maneat. Et sic (quod docet *lex 153. infr. de Decurion.*) a sordidis & minimis muneribus, itemque a verberibus excusentur. Idquod Honorius mox anno proximo, constitutione ad eundem Florentinum P. V. emissa abrogauit, *l.153.156. infr. de Decurion.* abrogata nominatim hac parte *hac lege.*

IIII. (a) Impp. HONORIVS & Theodosius AA. Theodoro PP. (b)

EOS, (c) qui Testimoniales non suo merito, sed eorum (d) contemplatione sunt adepti, qui pro his nostram Clementiam sunt precati, par (e) feue[illegible]s (f) persequatur. (g) Eos tamen esse (h) in Vrbe sacratissima (i) non vetam[illegible], qui posuerunt illic larem atque domicilium. Dat. X. Kalend. Decemb. (k) Rauen. Basso & Philippo CONSS. [408.]

NOTAE.

(a) Iungendæ huic *legi* sunt *lex 20. inf. de pœnis:* & *lex 22. inf. de bonis proscriptor.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Theodorus* PP. Italiæ sub Honorio. *v. Prosopogr. ID.*

(c) Milites scil. *ID.*

(d) Intelligit proscriptos, Stilichonem eiusque satellites, vt ostendunt leges, quas huic coniungendas dixi. *ID.*
(e) Quæ illa? sequens sententia id ex parte indicat, sed plenius docet *d. lex 20. ID.*
(f) Deportationis nominatim pœna. *ID.*
(g) Si videlicet Vrbem Romam vel Rauennam intrauerint. *IDEM.*
(h) Morari. *IDEM.*
(i) Vrbem Romam intelligit: v. *Gloss.* quæ *æterna vrbs*, *d. l. 20.* Elogia eius alia, V. *in Geogr. ID.*
(k) Ita quoque *d. l. 22.* Sed in *l. 20. de pœnis*, scribitur *Octob. ID.*

COMMENTARIVS.

HONORII altera hoc titulo *lex* hæc est: cuius sententia semiplena ab huius Codicis Conditoribus reddita est; sic quidem vt non aliter vel saltem non plene percipi possit, nisi coaptatis rursum aliis portiunculis, a quibus hæc nostra diuulsa est, puta *l. 20. infr. de pœnis*, *l. 22. infr. de bonis proscript.*

Ex his igitur intelligimus (ac maxime quidem ex *d. l. 20.*) cæso Stilichone eiusque filio Eucherio, Satellites eius cæterosque qui ab ipsius partibus fuerant, ab Honorio Imp. proscriptos veluti qui suis opibus eos iuuerant: adeo quidem etiam, vt proscriptis interdixerit Comitatum suum, in quo versabatur, id est Rauennam, vel Mediolanum ingredi, itemque Vrbem Romam, idque sub seuerissima pœna seu seueritate deportationis. Idem itaque vt a suspectis sibi partium Stilichonis vndiquaque caueret, et ameos Milites qui vel Stiliconis, vel aliorum proscriptorum suffragiis, testimoniales, ante emeritam militiam impetrassent Tribunorum. & Protectorum, sub eadem pœna & pari seueritate & Rauennæ, & Mediolani & Vrbis Romæ ingressu *h. l* arcere voluit: exceptis rantum iis, qui iam Romæ larem & domicilium collocassent. Ab his scilicet in Vrbe haud æque periculum, neque ilam met endum, quasi res nouas moliturii, qui in ea Larem & domicilium fixere: ab his vero metuendum, qui militiæ tantum prærogatiua, veluti Tribunorum & Protectorum (quorum sane magna fuit potentia) tumid, calentibus adhuc partium animis, ad eam accedunt: & metuendi, ne nouas faces necdum bene sopitæ factioni subdant.

P.440

DE FILIIS MILITARIVM, APPARITORVM, ET VETERANORVM.

TITVLVS XXII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XLVIII. *De filiis Officialium & Militarium, qui in bello moriuntur.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Optauianum. (b)

VETERANORVM liberos aptos militiæ, quorum quidam vt desides recusant militarium munerum functionem, quidam adeo ignaui sunt, vt cum dispendio corporis (c) militiæ velint necessitatem euadere, iubemus, si ad militiam inutiles resectis digitis iudicentur, Curialibus sine aliqua ambiguitate muneribus atque obsequiis adgregari. Dat. XIIII. Kalend. Mart. Sirmio, Accep. VII. Idib. April. Regio (d) Constantino A.V. & Licinio C. CONSS. [319.]

NOTAE.

(a) Meminit huius legis, eamque simul confirmat *lex 4. sup. de Tiron. GOTHOFREDVS.*
(b) *vg. Octauianum*, vt hoc eodem Anno *in l. 2. inf. de Episcop.* & quidem Correctori Lucaniæ & Bruttiorum, vt nominatim præfert *d. lex 2.* idque etiam satis aperte ostendit huius *legis* subscriptio, quam mox expendam. *ID.*
(c) *Sui* scilicet. *ID.*
(d) *Regium*, sedes fuit Correctoris Lucaniæ & Bruttiorum, vt testatur *lex 1. inf. de relationib.* ac nominatim metropolis fuit Bruttiorum: vt docet Olympiodorus *apud Photium & Tom. I. Script. Rer. Byzant. pag. 74. edit. Venet.* τὸ Ῥήγιον μητρόπολις ἐστι τῆς Βρεττίας (ita enim reponendum non βρεττίας) Sed & Ptolemæus idem facit *Regium* Bruttiorum vrbem fuisse. *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. quinque constitutiones sequuntur; & quatuor quidem, puta *lex 1. 2. 3. 4. 5.* de Veteranorum filiis militiæ adstrictis. *Hac*, DETRECTANTES militiam Veteranorum filios, & quidem digitorum amputatione, Curiis addici iubet. Quam *legem* memorat ratamque esse iubet Valentinianus *l. 4. sup. de Tironib.* Verum seuerior postea constituta in hos murcos siue pollice truncatos *l. 5. sup. de Tironib.* & curiis deinceps addicti non qui se truncassent, sed qui armis gerendis habiles non essent, *l. 4. & 5. infr. & l. 5. sup. de re militari*; & *l. 15. 32. infr. de Decurionib.* Cæterum iam antea quoque notaui non temere hanc *legem*, pariter vt *legem 4. sup. de Tironib.* Italiæ Magistratibus inscribi. In ea quippe solemne fuisse notat Ammianus Marcellinus *lib. 15. c. 12.* vt munus Martium pertimescentes pollicem sibi præciderent, quos localiter *Murcos* appellabant: vide quæ de eo notaui plura *ad d. l. 4. sup. de Tironib.*

Obseruandum porro hanc *legem* pertinere ad Sarmanici belli apparatum, ad quod Veteranorum filii euocati, & quidem ex Italia. De quo bello & exinde Constantini victoria, Porphyrius *Panegyrico ad Constantinum cap. 19. 21. 23.* Auctor vitæ Constantini *lib. 4. cap. 5. 6.* Sozomenus *lib. 1. cap. 8.* Zosimus *lib. 2. cap. 21.* Eodem pertinet & anno proximo *lex 2. sup. de Veteranis.*

Tandem ad illud quod hoc titulo aliisque legibus de Veteranorum filiis militiæ adstrictis dicitur, pertinet Gregorii Nazianzeni *ep. 123. ad Ellebichum Magistrum militum*, vbi missionem petit Mamanti Lectori militaris Viri filio, *προσφέρομεν Μάμαντα τὸν ἀναγνώστην, ὄντα μὲν ἀπὸ στρατιώτου πατρὸς, καθιερωθέντα δὲ τῷ θεῷ διὰ τὸν τρόπον, ἄφες τῷ θεῷ καὶ ἡμῖν. ἀλλὰ μὴ συναριθμήσῃς τοῖς πλάνησι, καὶ δὸς ἔγγραφον τὴν ἐλευθερίαν, ἵνα μηδὲ ὑπὸ ἄλλων ἐπηρεάζηται. Offerimus Mamantem lectorem, qui cum militem patrem habeat, Deo tamen ob morum probitatem consecratus est. Hunc quæso Deo ac nobis missum fac, nec inter errones numera. Atque libertatem ac vacationem ei scripto consignatam tribue, vt ne ab aliis quidem per calumniam vexetur.*

II. (a) Idem A. ad Seuerum. (b)

VETERANORVM filios, propter priuilegia parentibus eorum indulta vacare non patimur, sed, Programmate per omnes Ciuitates proposito, diligenter quæsitos, ad alterutrum conpelli iubemus, vt aut Decurionatus muneribus obtemperent, aut militent: Obseruaturo Deuotionis Tuæ Officio, vt qui probantur, (c) ab annis viginti vsque ad viginti & quinque annos ætatem agant. Si autem Veteranorum filii, qui (d) Equestrem militiam tolerauerunt, inter Equites probari voluerint, habeant facultatem, ita vt cum singulis equis idoneis prædicto adgregentur obsequio. Quod si quis duos equos habeat, vel vnum idoneum, & seruum vnum, cum Circitoria mi-
P.44 litet dignitate, & binas annonas accipiat, qui (e) gradus præbetur aliis post laborem. Singularum (f) autem ciuitatum Decurionibus intimetur, vt Veteranorum filios, qui prædictæ ætatis sunt, si militare noluerint, vel minus inueniantur idonei, ad Curialia vocare non morentur obsequia, si (g) tamen patrimoniis idonei esse noscuntur. Ex his autem qui militare voluerint, si qui minus apti sunt equestri militiæ, deficiente (h) calamitate membrorum, & legionariæ congruisse (i) noscuntur, deducendi (k) ad nos Protectori (l) qui ob hoc missus est, consignentur. Dat. III. Kal. Aug. Aquileiæ, Constantino A. VII. & Constantio Cæs. CONSS. [326.]

NOTAE.

(a) Huius *legis* meminit *lex 18. infr. de Decurion.* triennio post, vt videtur, lata. GOTHOFREDVS.

(b) PF. P. ID.

(c) Tirones seu milites. Eadem vox occurrit *l. 5. inf. l. 10. infr. de Decurion.* de probatione Tironum dixi *ad l. 1. sup. de Tironib.* ID.

(d) *Qui*, non filii, sed Veterani. ID.

(e) Vide *initium legis 3. sup. de re militari*: & quæ *ibi dixi*. ID.

(f) Vt *l. 5. infr.* ID.

(g) Vide *legem 5. infr.* ID.

(h) *γρ. id efficiente.* ID.

(i) *γρ. congrui esse.* ID.

(k) Vide & *legem 2. sup. de Veteranis*: & *l. 5. infr.* ID.

(l) *Protectores* missi, ad Veteranos filios ad militiam cogendos, *h. l. & l. 10. sup. de desertorib.* vbi dixi: vide & *Paratitlon de Domesticis & Protectorib.* ID.

COMMENTARIVS.

SECVNDA hac è quatuor Constantini M. *hoc titulo* constitutione, Veteranorum filii ad militiam euocantur atque euocari iubentur, Programmate per ciuitates omnes proposito. Quod sæpe factum,

factum, vrgente necessitate, vt docuit quoque *lex 5. 8. sup. de re militari*, & *lex 1. sup.* Et Sulpitius Seuerus in *vita S. Martini c. 2. Edictum*, inquit, *a Regibus, vt veteranorum filii ad militiam scriberentur:* idque vt hæc *lex* ait, propter priuilegia parentibus eorum indulta.

Cæterum veteranorum filii *hac l.* his legibus & condirionibus a Coostantino euocantur. Primum, vt si militare nolint, vel minus possint, si facultatibus sint idoneis, ad Curiam deuocentur, id agentibus Decorionibus singularum ciuitatum: quod ipsum rursus cauetur *l. 1. 4. 5. h. t.* & *l. 5. sup. de re militari:* & varus constitutionibus *infr. tit. de decurionib.*

Secundo, *Ætatem* in probandis veteranorum filiis, adeo ad militiam amplectendam hanc Constantious definit, ab anno ætatis vigesimo ad vigesimum quintum. Et post eam ætatem proiode ad Curiam subeundam, *l. 18. inf. de decurionib.* vbi mendum. Quia in re tamen sæpe deineeps variatum reperio ab ipsomet Constantino M. Initium quippe anni decimi octaui ab eo præstitutum, *l. 19. infr. de Decurionib.* Mox post sedecim aonos militiam subire ab eo iussi *l. 4. inf.* quod etiam postea stetit *l. 35. inf. de Decurionib.* Pust octodecim annos expletos in sp. *l. 58. infr. de Decur.* De qua ætate intelligenda est *lex 5. sup. de re mil.* Sane Tirones quoque ab anno decimo & nono ad militiam eligi voluit Constantius io *l. 1. sup. de Tironibus*, vbi quædam etiam notaui.

Tertio *Priuilegia* Veteranorum filiis hæc defert, vt si inter *Equites* militare voluerint, id cum singulis equis facere possint; si vero duos equos habeant, vel vnum saltem eum seruo, inter *Circitores* illico, non vt alii milites, post laborem demum recipiantur, atque adeo binas anoonas accipiant. Quod ipsum quoque intelligit *lex 5. sup. de re militari*, his verbis: *Eorum liberos qui armis inhæserunt, ad vsum bellicum & castra reuocantes, eis quoque eorum stipendiorum copiam deseremus, qui alterius gradus militia salutarem maxime Reipublica operam persecuntur.*

De *Circitoribus* iam monendum. *Circitores* in militia erant inter Equites, qui duobus equis, vel saltem voo eum seruo merebant, ideoque binas annonas aceipiebant. Quomodo & milites olim qui *Duplicarii* ideo dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria dabantur, apud Varronem, Liuium, Vegetium. Primusque hic gradus erat in militia Equestri in quem Eques post laborem subuehebatur, vt non taotum ex *h. l.* constat, verum etiam ex Hierooymo aduersus Ioannem Hierosolymitanum ad Pammachium *pag. 115. Tom. II. edit. Francf.* *Finge* (inquit) *aliquem Tribunitia potestatis suo vitio regradatum, per singula militia Equestris officia ad tyronis vocabulum deuolutum, numquid ex Tribuno statim fiet Tyro? Non: sed, ante Primicerius, deinde Senator, Ducenarius, Biarchus, Circitor, Eques, deinde Tiro.* Iden Circitoria dignitas *h. l.* dicitur. Vegetius quoque militiæ gradum vocat, oominisque rationem, & originem reddit *lib. 3. cap. 8.* *Idoneos* (inquit) *Tribuni & probatissimos eligunt, qui vigilias circumeant, & renuncient si qua emerserit culpa, quos Circuitores appellabant. Nunc militia factus est gradus & Circuitores vocantur*, [alii habent Circitores.] Horum qooque Circitorum mentio fit frequens *in l. 2. Cod. Iust. de officio Præfecti Prætorio Africa*, vbi & de eorum annoois agitur. Vox Græcis postea rei militaris Scriptoribus receota. Glossæ Nomicæ: Κιρκήτορες, οἱ περὶ τὰς μαχομένας περιόντες καὶ χορηγοῦντες ὅπλα αὐτῶν μήπω ἐπιστάμενοι μάχεσθαι. Anonymus MS. Tacticus de vrbe obsessa tuenda: οὐδέποτε γὰρ ἅμα πάντες ὁμονοήσουσι προσόδιαν οἱ Φύλακες, οὐδὲ παλὶν ἐν ἑνὶ καὶ τῷ αὐτῷ καιρῷ πρὸς βαθὺν ὕπνον κατενεχθῶσι καὶ μάλιστα ἐὰν κέρκετα καὶ παρακέρκετα ἐπινοηθῆ, ἀλλὰ μὲν περὶ πρώτην φυλακὴν τῆς νυκτὸς, ἀλλὰ δὲ περὶ δευτέραν, καὶ ἕτερα περὶ τρίτην. Vet. Gloss. *Circitus* περιοδεία: & κερκιτεύεσθαι apud prædictum Anonymum: Veteres quoque dixerunt *Circare*, circitare, κυκλεύειν & Circaneam agere. *Circitores* itaque erant ἐφοδεύοντες Hesychio, vbi non audio raponentes ἐποπτεύοντες. περίπολοι Gloss. Veter. *ceux qui faisoient la Ronde, & le chauguet.* (a) Ac vt io Equestri militia, ita & in Palatina inter Agentes in rebus *Circitores* quoque fuerunt, *l. 3. sup. de Agentib. in rebus:* vbi dixi. De quibus ooo est Hierooymi locus, verum de militaribus: de quibus *hac l.* Neque absimili sensu Circitores, de quibus io *l. 5. §. 4. D. de institor. action.* Tandem id Constantinus statuit Veteranorum filios si militare velint, neque apti sint *Equestri* militiæ, tum si modo membris suis integri sint & legionariæ militiæ congrui esse deprehendantur, id est, pedestri militiæ, ad Principera dirigendos, & Protectori in id misso tradendos. Legiones scilicet Peditum eraot, & Legionaria militia p44
Equestri opponitur: de quo iam monui ad *l. 22. sup. de erogat. milit. annona.* Hinc interim colligimus, potiorem fuisse Equestrem militiam, Pedestri: sic vt membrorum maior in illa firmitas requireretur: denique, maior fuit ἱππέων δοκιμασία; quomodo apud Atticos: de qua Petitus, *in legibus Atticis, p. 550. & p. 552.* sic vt *lege* cautum fuerit τοὺς ἱππέας καθιστάναι τοὺς δυνατωτάτους καὶ χρήμασι καὶ σώμασιν. *Equites leguntor ex opulentissimis & fortissimis.*

(a) Vid. Plura loca apud Car. du Fresne *in Glossar. vtroque.*

III. (a) Idem A. ad Euagrium. (b)

HI qui ex Officialibus, quorumque (c) Officiorum, geniti sunt, siue eorundem parentes adhuc sacramento (d) tenentur, siue iam dimissi erunt, in parentum locum (e) procedant. Dat. Prid. Non. Aug. Basso & Ablauio CONSS. [331.]

N O T A E.

(a) *Le*[illegible] *Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda autem *huic* est *lex 19. infr. de Decurion.* quæ de Veteranorum filiis est ad militiam paternam vocandis, adstringendis: vt hæc de Apparitorum filiis. Quæ proinde melius hic stetisset. *GOTHOFREDVS.*

(b) PP. vt *l. 20. infr. de Decurion.* quæ & ipsa forte *huic l.* coniungenda est. *ID.*

(c) *Quorumcunque*, vt Cod. Iust. *ID.*

(d) Militari:

(d) *Militari*: de quo mox. *ID.*

(e) *Militiam vocentur*, ita Cod. Iust. eodem sensu. At hoc nostrum elegantius. *Locus* est militiæ gradus. *ID.*

COMMENTARIVS.

APPARITORVM filii apparitionem patris subire iubentur a Constantino M. pariter vt Veteranorum filii, militiam patris, *l. 19. de decurion.* quæ *huic* coniungenda est. Idque siue pater adhuc Sacramento teneatur, siue iam militiæ missionem impetrauerit; & dimissus sit. Dubitari autem potest de quo Sacramento parentum hæc *lex* intelligenda sit, an de Militari: an vero de Officiali? Nam si de militari, tum sensus huius *legis* hic fuerit: siue pater adhuc militet in militia Armata siue dimissus militiæ sit, filium in parentis locum prodire oportere; si de Officiali; tum simplicior hic sensus fuerit: patre Officiali natum, siue pater adhuc Officialis sit, siue iam dimissus, Officialem fieri. Cum Officiales multi militatem ambirent militiam, ne qua officiis inde iactura fieret, Filios his substitui voluerit Constantinus M. cui finis est Constitutio Honorii, *l. 19. inf. de diuers. officiis*: quo *titulo* dicendi locus erit plenior.

IV. (a) Idem A. ad Leontium PP.

IAMDVDVM (b) sanximus, † vt veteranorum filii, qui post sedecim (c) annos militiæ munus subire non possunt, vel armis gerendis habiles non extiterint, Curiis mancipentur. Dat. III. Id. April. Pacatiano & Hilariano CONSS. [332.]

NOTAE.

(a) Hanc *leg.* intelligit, & exscribit Constantius *l. 35. infr. de Decurion.* GOTHOFR.

(b) Quamdudum? Nam anno superiore septimum decimum annum completum statuit, l. 19 *inf. de Decurion.* *ID.*

† Non extat hæc *lex*: nisi putemus indicari *legem.* 2. *sup. de Veteranis.* *ID.*

(c) Ætas hæc varie statuta: dixi ad *l.* 2. *sup.* & *ad l.* 18. *infr. de Decurion.* vide & *l.* 5. *sup. de re militar.* *ID.*

COMMENTARIVS.

TERTIA hæc e Constantinianeis *hoc titulo*, de *Veteranorum* filiis in militiam allegendis, constitutio est. Qua quidem militiam detrectantes vel inhabiles militiæ Veteranorum filii, Curiis a Constantino M. addici iubentur A. D. 332. & *l.* 2. *sup.* *l.* 5. *inf.* & *l.* 5. *sup. de re militari* vt & variis aliorum Imperatorum Constitutionibus inter alias, *l.* 89. *inf. de decurionib.* Idque post decimum sextum ÆTATIS annum: Qua parte quam sæpe variatum fuerit, etiam ab ipsomet Constantino, notaui ad *d. l.* 2. *sup.* & dicam adhuc ad *l.* 18. *inf. de decur.*

Interim notandum, proculdubio hanc Constantinianam constitutionem pertinere ad apparatum belli *Gothici*, quod a Constantino M. hoc anno gestum implorantibus Sarmatis: quod confectum mox hoc ipso mense *XII. Kal. Maii*: de quo vide Hieronymum & idacium *in Chronicis*: Anonymus qui apud Sirmondum olim, nunc editus a Valesio & ad calcem Marcellini *edit. Gronon. pag. 715.* *Deinde*, inquit, *adversum Gothos bellum suscepit, & implorantibus Sarmatis auxilium tulit. Ita per Constantinum Cæsarem centum prope millia fame & frigore extincta sunt. Tunc & obsides accepit, inter quos & Ariarici Regis filium.*

V. (a) Idem A. Ablauio PP. (b)

VETERANORVM filii, vel eorum qui Præpositi, vel Protectores fuerunt, vel ceterorum qui quemlibet gradum militiæ tenuerunt, si inualidi & imbecilles sint, Curiis adgregentur, ita vt rei (c) familiari gaudentes & inaptos (d) militiæ, Curiarum societati coniungas. Quod etiam nos fecimus sub conspectu (e) nostro, his quos deliciosis nutrimentis eneruatos esse perspeximus. Qui igitur ex his patresfamilias sunt, & idonei functionibus publicis, eligantur ad augendum Curialium numerum: Singularum (f) ciuitatum Ordinibus commonendis, vt quos norunt idoneos, nominare non dubitent, præter eos quos vigor & fortitudo defendendæ Reipublicæ idoneos facit. Nam & Duces singulorum limitum (g) conuenimus, ne deinceps Veterani filius inutilis sacramento cingatur. Eos etiam qui iam probati (h) sunt, diligenter inspiciant, vt qui minus idonei reperiuntur, sacramento soluti ad Grauitatem (i) tuam mittantur. Dat. & PP. Idib. Nou. Dalmatio & Zenofilo CONSS. [333.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) De hoc *Ablauio* PP. v. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *γρ. vt familiari*, vt *l. 2. sup. h. t.* si tamen patrimoniis idonei esse noscuntur. *ID.*
(d) *Ineptos. ID.*
(e) Vide *legem secundam sup. de Veteranis*: & *l. 2. in fin. sup. h. t. ID.*
(f) Idem cauetur *d. l. 2. sup. h. t. ID.*
(g) Duces limitum, *h. l.* militum, *l. vlt. sup. de Veteranis. ID.*
(h) De hac *Probandi* voce vide dicta ad *l. 2. sup.* & *l. 1. sup. de Tiron. ID.*
(i) *Grauitatis* titulus tributus sub Constantino Præfectis prætorio. *ID.*

COMMENTARIVS.

VETERANORVM filii militiæ INAPTI, Curiis adgregari & ab Ordinibus nominari ad Curiam, rursum a Constantino iubentur *hac l.* pariter vt *leg. 2. 4 sup.* & *l. 5. sup. de re militari.* Exemplo suo eam in rem prælato, qui nuper delitiosis nutrimentis eneruatos Curiis addixerat. Quo referri possunt nonnulla, quæ apud Gellium & Vegetium occurrunt. In tantum vt Ineptos, etsi iam probatos a Ducibus limitum, proiici Constantinus *h. l.* velit, & ad Præfectum Prætorio mitti. Pertinet hæc *lex* proculdubio, vt *superior*, ad militem *Gothis* oppositum, vel certe *Persis*.

VI. (a) Imp. CONSTANTIVS A. Antonio Duci Mesopotamiæ. Post alia.

OBSERVETVR, ne Veteranorum seu militum filii (b) Officiis Præsidialibus adgregentur. Dat. IV. Non. Feb. Limenio & Catullino CONSS. [349

NOTAE.

(a) Iungenda huic, *lex 4. inf. de cohortalib.* GOTHOFR.
(b) An *Validi?* an *Inualidi*, seu inhabiles militiæ? IDEM.

COMMENTARIVS.

OFFICIIS Iudicum, veluti Præsidum, adgregari Veteranorum filii a Constantino *h. l.* vetantur: vt vice versa Officiales Præsidum ad Sacramenta militiæ adspirare *l. 4. inf. de cohortalib.* quæ huic, seu eiusdem constitutionis pars, coniungenda est. Cæterum id quod *hac l.* constituitur, duplicem sensum admittere videri possit. Primum, vt prohibeantur validi Veteranorum filii seu militiæ apti officiis adgregari, contra iubeantur ad militiam vocari vel in militia paterna retineri. Secundum, vt ne quidem inhabiles militiæ officiis Præsidum sociari possint, verum curiæ potius addici seu necti debeant. Quod tamen factum aliquando iure, docere videtur *lex 2. sup. de Veteranis.* Prior sententia mihi magis placet: argumento *d. l. 4. inf. de cohortalib.* (quæ *huic* coniungenda est) Imo & argumento inscriptionis *huius legis.* Inscribitur scilicet ea *Duci*: ideo videlicet, vt Veteranorum filii ab eo vindicentur in militiæ vsus, neque patiatur eos Præsidialibus officiis adgregari. Ergo de idoneis ad militiam sermo est. Tandem id etiam comprobant quoque *leges* sequentes puta *lex 7. 9. 10. infr.* Quamquam & vtraque simul interpretatio alicui placere possit *arg. d. l. 7.* Nempe neque habiles, imo neque inhabiles militiæ, officiis Præsidum adgregari posse: habiles enim militare cogendos: inhabiles vero Curiæ vindicandos, verum priori sententiæ adhæreo.

Porro obseruandum, frequenter Veteranorum filios militia euitata Officiales Iudicum factos, variisque adeo Principum constitutionibus ad militiam retractos: a Constantio *h. l.* a Valente, *l. 7.* a Theodosio M. *l. 9. 10.* ab Honorio, *l. vlt.* Retracti porro instante aliqua bellica necessitate: veluti bello Persico, vt in sp. *huius legis*, quæ inscribitur *Duci Mesopotamiæ.*

VII. (a) Impp. Valentinianus & VALENS AA. ad Petronium Patricium. (b)

QVICVNQVE (c) castrensi stirpe progeniti, diuersorum se nexibus Officiorum tradiderunt, manu iniecta retrahantur. Sciantque veterani, (quibus quies post ar-
P. 444 ma concessa est) Liberos suos, quos militaribus aptos ministeriis insitum robur ostendat, (d) offerendos esse militiæ. Nam si (e) quis militaris (f) prosapiæ degeneri mente Officiorum se consortiis adgregauit, ita vt fractis viribus grandæuam proferat (g) senectutem, aut debilitatis obtentu bellico operi inconueniens iudicetur, eundem ignauiæ latebris vel sera indagatio (h) protractum Curiarum functionibus placuit mancipari. PP. Beryti, (i) Idib. April. Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) Vide

(b) Vide de hoc *Petronio Patricio* Valentis Imp. Socero, ex Præposito Martensium militum, promoto repentino sal. tu, eiusque moribus Ammianum Marcellinum *lib. 26 cap. 6. & 7.* De *Patricii* dignitate alibi plene. *ID.*
(c) Hinc repetita est, & transcripta a Theodosio *lex 9. infr. ID.*
(d) Itaquoque *d. l. 9.* Malit tamen quis, *ostentat. ID.*
(e) Hinc totidem pene verbis repetita est, & transcripta a Theodosio *lex 83. infr. de Decurionib.* quæ etiam iungenda est *leg. 9. h. t.* quæ ex hac pariter transcripta est. *IDEM.*
(f) Militaris prosapiæ; ideo militares viros vocat Symmachus *lib. 4. ep. 4.* locum consignabo ad *l. vlt. ID.*
(g) *Præferat, d. l. 83.* quod & hic melius foret. *ID.*
(h) *vt. Indagatione* vt *d. l. 83. ID.*
(i) *Berythi* hæc *lex* proposita, pariter vt eiusdem Valentis *lex 63. infr. de Decurion.* quæ in simili argumento versatur. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

OFFICIIS Iudicum Veteranorum filii sociare se vetantur a Valente *hac l.* pariter vt & *6. prox. sup.* & *l. 9. 10. vlt. infr.* Quinimo sociatos omnino retrahi, sera quamlibet indagatione: quin & Curiis mancipari, si aut senes & debiles sint, iubet. Quod vtique solemne fuit: vti docet *lex 2. 4. 5. sup.* & *l. 5. sup. de re militari.* Quod de sera indagatione additur, plane conuenit moribus Petronii Patricii cui hæc *lex* inscribitur, vt eos describit Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap. 6.* Illud additur a Valente, Patres veteranos filios suos militiæ offerre debere: quod ipsum constitutum a Valentiniano, *l. 8. sup. de re militari:* & a Theodosio *l. 9. inf.*

Illud obseruandum, quindecim annis post, hanc *legem* a Theodosio totidem pene verbis repetitam, & in Phœniciam pariter, vt *hac* nostra, directam, exigente videlicet tum rei militaris necessitate, & exolescente huius metu: de quo in *Prolegomenis.* Eaque *lex* Theodosiana in duas partes diuulsa extat *l. 9. infr. h. t.* & *l. 83. infr. de Decurionib.*

Cæterum Veteranorum filii ad militiam nunc euocati a Valente, si subscriptio restituatur, aduersus Persarum Regem manum Armenis iniectantem: de quo Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap. 6. 7.* Ideoque hæc *lex PP. Berythi* dicitur. Neque parum etiam hanc coniecturam iuuat, quod Petronius Patricius, cui hæc *lex* inscribitur Præpositus Martensium militum antea fuerat (teste eodem Ammiano Marcellino) qui per Orientem erant, & quidem in Armenia; vide *Notitiam Imperii fol. 32. 33.* Et tamen malim ego hanc *legem* referre ad Gothorum excursum, qui hoc tempore Valente in Bithynia constituto, timebatur: cuius causa Valens, vt diserte scribit Ammianus Marcellinus *lib. 26 cap. 6.* sufficiens Equitum, & Peditum adiumentum mitti iussit ad loca, in quibus barbarici timebantur excursus. Quod si ita est, tum reponam in subscriptione legis, *PP. Perinti.* Hanc coniecturam vel maxime iuuat, quod hæc lex *Petronio Patricio* inscribitur, quem Valens in Bithyniam transgressus Constantinopoli reliquerat, eodem Marcellino teste.

VIII. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Probum PF. P. (b)

FILIOS veteranorum, qui armatæ militiæ paruissent, si in Officiis publicis, (c) vel ministerio Chartularum (d) atque obseruatione Rationum inueniuntur, sciat Tua Sinceritas esse reuocandos: Etenim hi, quibus vel corporis robur (e) vel statura (f) defuerit, qui (g) Comitatensi (h) digni possint esse militia, Ripensi (i) potuerunt (k) copulari. PP. Rom. XV. Kalend. Mart. Modesto & Arintheo CONSS. [372.]

NOTÆ.

(a) Abest & hæc *lex* à *Cod. Iust.* GOTHOFR.
(b) Ad *Probum* Vicarium Vrbis extat *lex 77. inf. de Decurion.* hoc ipso anno & mense. *ID.*
(c) Diuersis a Præsidialibus. *ID.*
(d) Vide *infr. Titulum de tabulariis, Logographis & Censualibus. ID.*
(e) Vide & *l. 9. sup. de desertorib.* & *l. 13. inf de diuers. officiis. ID.*
(f) De statura militari dixi ad *l. 3. sup. de tironib. ID.*
(g) *vt. quin*, vel *quis*, quanquam & hoc sustineri potest: vir doctus reponit *qua*: quem non audio. *ID.*
(h) De Comitatensi & Ripensi militia dixi ad *l. vlt. sup. de re militari ID.*
(i) Ita recte MS male in editis *Repensi. ID.*
(k) *vt. poterunt. IDEM.*

COMMENTARIVS.

P.445 OFFICIIS publicis ciuitatum scilicet, veluti Tabulariorum, Logographorum, de quibus *libro octauo, suo titulo:* Veteranorum filii sociare se vetantur a Valentiniano *hac lege*, (pariter vt officiis Iudicum ab eodem constitutione emissa ad eundem Probum PP. hoc ipso anno *l. 12. inf. de cohortalibus*, vbi plures concordantes *leges* notaui) sociatique retrahi iubentur: etsi forte his vel robur corporis, vel statura militaris non vsquequaque constet. Nam etsi Comitatensi militiæ ob roboris & staturæ defectum sociari non possint, Ripensi tamen copulari possunt. Scilicet Maioris dignitatis fuit Comitatensis militia, Ripensi. Ita maior per illam census immunitas quærebatur, quam per hanc *l. 7. sup.*

l. 7. sup. de Tironib. vide tameo & *l. 4. sup. de veteranis.* Item Comitatensibus species ipsæ aliquando soluebaotur. Limitaneis vero (in quibus Ripenses) pretium tantum: *l. 7. inf. de cohortalib.* Denique maius corporis robur, maior statura exacta in Comitatensibus militibus, quam in Ripensibus: quod hæc *lex* docet: vide & quid tale *l. vlt. sup. de re militari*, vbi plene de his militiis dixi.

IX. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEODOSIVS AAA.

QVICVNQVE castrensi stirpe progenitos (b) diuersis se Officiis indiderunt, etiam manu iniecta retrahantur. Sciantque veterani, liberos suos quos militaribus aptos muniis insitum robur ostendat, (c) aut offerendos esse militiæ, aut obnoxios nostræ legis laqueis (d) iam] futuros. Scribta Petro Consulari Phœnicis, Damasco, (e) Prid. Id. Maii, Gratiano A. V. & Theodosio A. I. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) Repetita hæc *lex*, & transcripta a Theodosio M. ex Valentis *l. 7. sup.* pariter vt *lex 83. inf. de Decurionib.* quæ *huic* iungenda est. *GOTHOFRED.*

(b) *Progenitos se diuersis*, &c. *ID.*

(c) Sustineri potest, etsi malit quis, *ostentat. ID*

(d) *Legis laquei*: pro multa, *h. l.* & *l. 8. sup. de re militari*: *l. 16. infr. de diuers. officiis*: *l. vlt. infr. de habitu quo vti*; *l. 38. infr. de hæreticis. ID*

(e) *Damasci* constitit Consularis Phœnices, *h. l.* & *d. l. 83.* Ita quoque *lex* de Phœnices Templis *Data* (id est Proposita) *Damasci*, puta *lex 16. infr. de paganis*: vi[illegible]icam. *ID.*

COMMENTARIVS.

EX OFFICIIS Iudicum Veteranorum liberos retrahi iubet *hac l.* Theodosius (pariter vt alii Principes: Constantius *l. 6. sup.* Valens *l. 7.* Honorius *l. vlt.* Theodosius M, vt *l. 10. prox.* ita & *hac*) quam perle totidem verbis ex Valentis *l. 7. sup.* exscripsit: & quidem ad eandem Phœnicem prouinciam: vt iam ad *eam legem* notaui. Item iubentur *h. l.* Veterani Patres liberos suos aptos militiæ offerre: Pariter vt iubentur a Valente *d. l. 7. sup.* & *l. 8. sup. de re militari*: Et quidem *hac l.* proposita eis pœna seu multa pariter vt *d. l. 8.* Theodosio scilicet hoc triennio Scythico seu Gothico bello intento, subinde numeros militares suppleri oportuit. Quo pertinet *hac lex*, cum *sequente 10.* & *11.* aliæque, de quibus *ad l. 9. sup. de Tironib.*

X. (a) Idem AAA. ad Felicem Com. Or.

NON solum in diuersis Officiis militantes, sed etiam Vacantes rebus propriis, Veteranorum ac Militum filios armatæ militiæ volumus sociari. Nulla igitur sit excusationis occasio. Dat. VIII. Id. Iul. Thess. Grat. V. & Theod. I. AA. CONSS. [380.]

COMMENTARIVS.

VACANTES etiam rebus propriis (non tantum in diuersis Iudicum officiis militantes, de quo ad *l. super. 9.*) Veteranorum vt & Militum filios militiæ paternæ sociari iubet *h. l.* Theodosius M. Scilicet cum hactenus prohibiti fuissent in officiis militare, suis iam rebus vacare cœperunt, atque ita vim *legis* eludere, quasi Veteranorum filii ex officiis tantum ad militiam retrahi possent, ac non etiam ex officiis seu negotiis propriis. Istud igitur est, quod lex ait, *nulla igitur sit excusationis occasio.* Cæterum huc quoque, & ad omnes huius tituli *leges*, ac nominatim ad Theodosii M. tempora pertinet Gregorii Nazianzeni locus *epistol. 123. ad Ellebichum*, iam sæpe citatus.

XI. (a) Idem AAA. Habe Neoteri K. N.

SI filii Primipilarium (b) reperti fuerint, qui ingressi legitimos (c) annos nullis stipendiis fulciuntur, (d) sed anno proximo, (e) quo ad Curiam fuerint lacessiti, (f) se-
P.446 met militiæ manciparint; ad Curiam teneantur: (g) ita vt ne Officii quidem cum transacto anno esse ceperint, Curialis (h) præpostera audiatur circa eius personam ac sera petitio. Quod si in eadem domo duo filii erunt, & latum adeo felixque patrimonium quod possit duplicium necessitatum suscipere functiones, vnum oportebit Militiæ, vnum Curiæ vindicari. Quod seruandum pari norma erit, si tres aut quatuor liberi, vel etiam plures numero familiam eiusdem stirpis ornauerint, vt etiam ex numerosis (i) fratribus

vnus

vnus ad Curiam deuocetur. Dat. VI. Id. Sept. Sirmio, Gratiano. V. & Theodosio I. AA. CONSS. [380.]

NOTAE

(a) Hinc contracta & interpolata *lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) De his dicetur *suo titulo, de cohortalib. & primipilarib.* ID.

(c) Annonum decimum annum, *l. 58. inf. de Decurionibus* ? an 15. annum ? qui ingressus est pubertatis. IDEM.

(d) *Fulciri* stipendiis hic filii primipilarium dicuntur, non emolumentis iuuari, vt non nemo putat, sed militum numero censeri. Ita Marcellinus *lib. 23. cap. 6. Sequiturque semper hac turba tamquam addicta perenni servitio, nec stipendiis aliquando fulta, nec donis.* Eodemque modo dictum hoc, quod idem *lib. 22. cap. 9.* de Iuliano: *Reliquit Constantinopolim incrementis maximis fultam*, & similia alia. Vid. Valef. in *Marcellini lib. 23. cap. 6.* IDEM.

(e) Id est proxime sequente eum, quo &c. IDEM.

(f) Id est vocari, trahi. IDEM.

(g) Reuocentur. IDEM.

(h) *Esse coeperint Curiales.* ID.

(i) Sic soboles numerosa, *l. 74. de Decur.* & alia similia, v. *Gloss. Theod.* IDEM.

COMMENTARIVS.

PRIMIPILARIVM filii paternam equidem conditionoem sequi debent: & vt loquitur *lex 13. inf. de cohortalib. Sacramentis & militia, qua eorum maioribus fuerat*, debebantur: & tamen si legitimam aetatem ingressi vindicati non fuerint, & Curiae fociati fint, anno transacto Curiales omnion manent, oeque ab ea conditione aut recedere, aut retrahi possunt. Annum transactum oportet, qui scilicet totus dabatur Officiis ad vindicandum post legitimam aetatem filium primipilaris: Et hic quidem annus, vt dixi, currebat, posteaquam filius legitimam aetatem ingressus esset. Legitimam aetatem ingreditur anno vigesimo quinto, explet anno expleto: Eademque aetas exacta in veteranorum filiis, *l. 2. sup.* Verum de aetate, quae hac parte alia atque alia constituta, dixi ad *eam leg. 2.* & dicam ad *l. 18. 19. infr. de Decurion.* Et haec de prima exceptione.

Secunda exceptio est, vt si plures fiot Primipilarium filii, & felix lautumque fit patrimonium, vous ex his Curiae addicatur: caeteri militiae paternae addicantur. Quae prolis numerosae diuisio notanda; alibi quoque ita seruata, de quo *tit. de Decur.*

XII. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Stiliconi (b). Comiti & Magistro vtriusque militiae.

QVONIAM filii veteranorum ad diuersa Officia se contulerunt, hac sanctione praecipimus, Vt ab his qui nunc sunt in Officiis occupati, nulli Iuniores (c) repetantur (d) ac (e) deinceps post hoc Edictum aditum Veteranornm filiis militandi per ciuilia Officia esse praeclusum. Dat. VI. Kal. Oct. Med. Honorio A. IV. & Eutychiano CONSS. [398.]

NOTAE.

(a) Abest haec *lex a Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Stilicho*, Comes & Magister vtriusque Militiae sub Honorio; vid. *Prosopogr.* ID.

(c) *Iuniores*, id est Tyrones: dixi ad *l. 2. sup. de Tyronib.* ID.

(d) *Repetantur*, id est inuicem & *Vicarii* expetantur: vt *l. 78. inf. de Decurionibus.* ID.

(e) Forte melius, *ut.* ID.

COMMENTARIVS.

OFFICIIS ciuilibus seu Iudicum fociari, seu in his militare, etsi Veteranorum filii quidem regulariter prohibeantur (vt iam doeuerunt quoque *leges* quatuot, *lex* inquam 6. 7. 9. 10.) attamen ante hoc Edictum suum fociatus Honorius benigna ratione rettahi vetat A. D. 398. atque aden ab iisdem Vicarios (seu eorum vice) Tirones expeti, seu peti, & (vt haec *lex* ait) repeti prohibet: quod & ipsum omnino constituitut Valentiniani Sen. *l. 78. inf. de decurionibus*: de Veteranorum filiis Curiae addictis; eum alias Vicarii Tirones quandoque exacti fuerint, vt discere est quoque ex Traiani *ep. 39.* ad Plinium *lib. 10.* Aurariis tamen expeosis quas tempus efflagitabat, Rempublicam iuuare iubeotur Primipilarium liberi paternae militiae elapsi, *l. 13. inf. de cohortalibus.*

Porro ad hanc *legem* pertinere videatur, quae Symmachus *lib. 4. ep. 4.* scribit ad hunc eundem Stiliconem (cui haec *lex* inscribitur) & quidem hoc Gildoniaci motus tempore. *Quid de Afrorum dolore & MILITARIVM virorum querelis consultus praecepto sacro Amplissimus ordo censuerit, plene atque aperte Gestorum Curialium inspectione cognosces. Militares* scilicet viri videantur, militiae destinati vetera-

P.447 raoorum filii, militaris prosapiæ, vt vocantur *l. 7. h. l.* Querelæ item militarium videantur, eo scilicet quod ab officiis retraherentur. Verum eam Symmachi epistolam alio referendam doceo ad *l 3. infr. de canone frum. V. R.*

DE OBLATIONE EQVORVM.*

TITVLVS XXIII.

Abest *hic Titulus* a *Cod. Iust.* Concordant illi tres alii *hoc eodem Codice:* puta, *sup. lib. 6. tit. de Stratorib.* & infr. *lib. 11. tit. de equorum conlatione :* & tit. *qui a præbitione Tironum, vel equorum excusantur.*

* Militarium.

I. (a) Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Probum PF. P. (b)

QVICVNQVE Honorariis (c) codicillis habetur ex Comite, (d) tres *protinus* equos, qui digni sunt conprobari, (e) curet offerre. Quicunque autem eodem (f) est ex Præside factus indulto, duos pari deuotione mox tradat: ita enim promptius instruitur (g) vsus armorum. (h) Quod munus (i) *inposterum* ea lege nouetur, (k) vt quinto quoque (l) anno (hoc est magis (m) aliquando quam sæpe,) similis recurrat exactio. Dat. VIII. Id. Iun. Sirmio, Valentiniano Nobilissimo Puero & Victore CONSS. [369]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) *Probus* PP. sub Valentiniano Sen. Italiæ, Illyrici, Africæ; vide Ammianum Marcellinum, *lib. 27. cap. 11. lib. 28. c. 1. lib. 29. c. 6. lib. 30. c. 5.* & *Prosopogr. ID.*

(c) De honorariis Codicillis fuit *titulus lib. 6. sup. ID.*

(d) Vide *leg. vn. sup. de Comitib. vacantib. ID.*

(e) De probatione equorum dixi ad *legem vn. sup. de Stratorib. IDEM.*

(f) Id est honorariis pariter Codicillis. *IDEM.*

(g) *γρ. instrueretur. ID.*

(h) An Gallicanum Procinctum innuit. de quo Ammianus Marcellinus *lib. 18. cap. 5. ID.*

(i) Id est oblatio seu collatio. *ID.*

(k) *Nouetur*: id est iteretur, renouetur, per vices rursum præstetur. Hic sensus est quinto quoque anno hanc collationem fieri deinceps oportere. *ID.*

(l) *Quoquo. ID.*

(m) *γρ. iugis*; de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

HONORARIOS Codicillos qui adepti erant vt variis & extraordinariis collationibus subinde subiacebant: veluti Tironum (de quo dictum fuit *suo Titulo, supra, l. 15. de Tironib.* & *l. 13. sup. de Agentib. in rebus* :) ita & Equorum, ad promptius instruendum vsum armorum; vt hæc *lex* testatur, & *lex 3. sup. de proximis comitib. dispositionum: lex 2. sup. de priuilegiis eorum qui in sacro Palatio:* & *lex 2. sup. de Decurionibus, & silentiariis:* & *l. 158. inf. de Decurionibus* & *l. 15. inf. de Naucular.* Et de vtroque fidem facit *lex vn. in fine, Qui a præbitione Tironum & equorum excusantur.* Modus autem huic rei *h. l.* hic a Valentiniano Seniore præstituitur. In præsens, vt *protinus* qui Comitis Codicillos honorarios impetrauerint, tres equos offerat: qui Præsidis, duos tantum; Maior scilicet Comitinæ dignitas fuit, quam Præsidatus; quod etiam ostendit Titulorum *de Comitibus vacantibus*, & *de Consularibus & Præsidibus*, series, *libro sexto, sup.* In posterum, quinto quoque deinceps anno hanc oblationem fieri iubet. Lustralis proinde conlatio hæc facta, id est, singulis lustris exacta, ex *hac l.* scilicet cum extraordinaria hæc conlatio esset, & *sæpius* pro rerum necessitate ab Honoratis agnoscenda, sic quidem vt ante hanc *legem*, sæpissime atque identidem ab his exigeretur, satius visum Imperatori *hac l.* & in præsens vrgenti summæ necessitati consulere, exactis protinus ad instruendum vsum armorum, tribus equis a Comitibus: duobus a Præsidibus. At inuicem in posterum hanc collationem ordinariam & quidem lustralem in Honoratorum fauorem constituit, ne repentinis & frequentibus adeo collationibus attererentur, vtque eos ad præsentem collationem inuitaret. Atque hæc est huiusce *legis* sententia, & quidem obscurissimæ *in fine*, scilicet (vt eam magis illustrem) ait

ait Valentinianus, satius esse, *vt iugis* (nam ita rescribo) id est, ordinaria, stata aliquando, stato tempore hæc collatio fiat, quam vt sæpe & incerto tempore similis: *Iugis aliquando*, & *sæpe similis* P448opponuntur.

Paratitli interim vice notandum de hac quoque Equorum collatione, seu oblatione, locum occurrere apud Ammianum Marcellinum *lib. 21. cap. 6.* & apud Symmachum, *lib. 10. ep. 27.* & ferme *lib. 3. ep. 33.*

* * * * * * * *

Videtur hic deesse breuis lex: quæ fine folii in MS. exscisa est.

DE OBLATIONE VOTORVM.

TITVLVS XXIV.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XLIX. Cur Titulus hoc loco positus sit? mox dicam.

I. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Basilio P. V. (b)

QVANDO votis communibus felix annus aperitur, (c) in vna libra auri solidi (d) septuaginta duo obryziaci Principibus offerendi deuotionem (e) animo libenti suscipimus. Statuentes, vt deinceps sequentibus annis vniuscuiusque sedulitas (f) Principibus suis talia ingerant (g) semper & deferant. Dat. III. Non. Mart. Med. Olybrio & Probino CONSS. [395.]

NOTAE.

(a) *L. vn Cod. Iust. eod tit.* hinc interpolata est. GOTHOFRED.

(b) *Basilius* P. V. Romæ. De hoc accipiendum videtur, quod Zosimus scribit, in Gestis A. 408. *lib. 5. cap. 40.* IDEM.

(b) *Aperiri* annus dicitur variis formulis, eodem semper sensu: puta I. votis communibus, *h. l.* II. a Kalendis, Symmachus *lib. 1. ep. 44* & *lib. 10. epist. 20. Kalendas, anni auspicet quibus mensium recursus* APERITVR; III a Iano, Symmachus *lib. 1. ep. 13.* IV. a Tauro, Virgilius *1. Georg. v. 218.* V. a Consule, Statius *4. Syluarum carm. 2. v. 61* Sidonius *lib. 8. ep. 6.* Ab his, inquam, omnibus Annus aperiri dicitur, vt quæ omnia in primum Anni diem incidunt, puta Vota, Kalendæ, Ianus, Taurus, Consul. ID.

(d) *Et solidis obriziacis Principibus offerendi.* Ita Iustinianus. Sane hic legendum, *solidi Septuaginta duo Obryziacis*, id est *solidis septuaginta duobus obryziacis*, vel, *solidos septuaginta duos, obryziaci*: de quo mox plura. ID.

(e) *Deuotionis* voce hac in re ipsa vtitur Symmachus, *lib. 10. ep. 28.* IDEM.

(f) *Sedulitas*, pro deuotione sedula, assidua, vel continuata oblatione. IDEM.

(g) In Codice Iustin. *inferat, & deferat:* hoc tamen legitimum est. quod & Symmachus vsurpat, in simili oblatione, *lib. 10. ep. 26. Absit vt bono Principi plusquam possumus* INGERAMVS Par certe immutatio in *l. 2. Cod. Iust. de indictionib.* cum in *l. vlt. inf. de Indict.* vnde ea desumpta est, existat pariter vox *ingerendi:* v. Iuretum *in Symmachum lib. 4. ep. 29.* Ingerere est offerre, tradere, vide *Glossarium.* Cæterum ἐναλλαγὴ numeri hic propter vocem collectiuam *vniuscuiusque.* IDEM.

COMMENTARIVS.

STRENAS ineunte anno oblatas sibi a Senatu Romano in præsens admittit, inque futurum offerendas sibi deinceps admissurum se profitetur *hac leg.* Honorius Imp. A. D. 395. sic vt in vna libra auri, seu pro vna libra auri septuaginta duo solidi computentur. *Honorius* inquam; perperam enim Balduinus *hanc leg.* Constantino tribuit: Pancirolus Arcadio: *Strenas*, inquam, de quibus in commune hic agere piget pudetque, quod alioquin vnum ferme hic præstant alii: De his enim tantum strenis quæ Principi offerebantur, est hæc *lex:* quæ quidem (quod Secundo de his strenis notandum, est) etiam *Rubrica* huius tituli, *Vota* nuncupantur: & exinde, *votorum oblatio*: Nempe a votis, quæ ineunte anno in Vrbe & in prouinciis pro salute Principis suscipiebantur, nuncupabantur: more iam inuecto sub Iulio C. & Augusto, teste Suetonio, *in Octauio c. 57.* Dione, *lib. 44.* & *55.* De quo more & Plinius, *in Panegyrico cap. 88. 122. 124.* & *lib. 10. epistola 44. 45. 101.* Spartianus, *in Hadriano cap. 23.* in *Ælio Vero cap. 4.* Lampridius *in Heliogabal. c. 25.* Tertullianus, *de Corona militis c. 12.* Ea vero Vota suscepta post Kalendas Ianuarias die demum tertio. Vt testatur Gaius *l. 233. §. 1. D. de verborum significatione:* Plutarchus, *in Cicerone:* idque ipsum etiam ex Dione, *lib. 51.* & *58.* demonstrari potest: Testatur & Kalendarium vetus Constantini temporibus scriptum. Ab his igitur votis pro salute Principis, & dies ipse ita designatus in prædicto Kalendario: & dona ipsa seu munuscula quæ tum Prin-

cipi data, *Vota* dicta: & vero *Rubrica huius tituli*, sic vocantur. (a) Qui quidem mos post Augustum varie habitus: modo enim eum Principes admisere, modo spreuere: vid. Sueton. *Tiberio*, *cap.* 34. *Caligula*, 42. Dionem, *lib.* 57. & *lib.* 60. Hoc sane sæculo retentus is; testis quoque Libanius *de Kalendis p.*179. *ed. Morell.* & Symmachus, *lib.*10. *ep.* 28. Porro, quod tertio notandum de his strenis, vota hæc, seu strenas has solemnes Præfectus Vrbi, Senatus Romani nomine, ipso Kalendarum Ianuariarum die, quando vidil. felix annus aperiebatur, votis communibus, Principi offerebant, pro vigilantiæ scilicet & strenuæ virtutis testimonio, & quodam libaminis genere: vt ostendit quoque elegans Symmachi Epistola *d. lib.* 10. *epist.* 28. vbi & verba formulæque etiam nonnullæ occurrunt quæ cum *hac leg.* prorsus pariant.

---

p.449 *DDD. Valent. Theod. & Arcadio Auggg.* Symmachus V. C.
PRÆF. VRB.

AB exortu pene Vrbis Martiæ strenarum vsus adoleuit, autoritate Tatii Regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuæ anni noui auspices primus accepit, DDD. Imperatores, Nomen indicio est, Viris strenuis hæc conuenire ob virtutem; atque ideo vobis huiusmodi insigne deberi, quorum diuinus Animus magis testimonium vigilantiæ quam omen expectat; Sumite igitur defensores publicæ salutis SOLENNITER AVRO DVCTA MVNVSCVLA; *non quia diuitis metalli honore gaudetis, sed vt nostra* DEVOTIO *felicis seculi testetur opulentiam. Bonis* PRINCIPIBVS *bene parta libamus. Suscipite a Iudicibus aperta obsequia, qui pretia occulta damnatis. Merito vobis solennes pateras cum quinis* SOLIDIS, *vt numinibus integritatis offerimus, quibus nec vester pudor, nec noster census oneratur:* MANEAT ÆVVM *talis circa vos vsus officii, & honorem Clementiæ vestræ interminus* ANNORVM RECVRSVS *instauret: libenter strenis solennibus* PRÆFECTVRA *fungetur, strenuis deferenda.*

Quem quidam Symmachi locum expressit Metellus, vetus Poëta Christianus, & Monachus Germanus, ante millesimum Christi annum, *in Quirinalibus, Carmine* 5.

Strenæ præterea nitent
Plures aureolæ, munere regio,
Olim Principibus probis
Iani principiis auspicio datæ,
Fausto temporis OMINE,
Vt ferret DVCIBVS *strenua strenuis,*
Annus gesta recentior:
Illas NOBILITAS [id est Senatus]
Cæsaribus piis,
Rex dignis Procerum dabat.
Vrbi quas Latiæ tum iuueni dedit
Rex Titus Tatius prior.
Festas accipiens paupere munere
Verbenas studio Patrum,
Sollers posteritas quas creat aureas.
Dona tamen
A Luco veteri nomine.

Nunc ad sententiam *huius legis* accedamus. Honorius igitur *hac l.* Strenarum vsum admittens, ciuilem tamen modum aliquem his ponit: Nempe vult septuaginta duos solidos obryziacos in vnam auri libram, seu pro vna libra auri imputari, acceptoque ferri: Quæ quidem æstimatio iam antea in re tributaria constituta fuerat a Valentiniano, *l.* 13. *in f. inf. de susceptoribus:* Cuius occasione de duobus videndum est: Primum de *Obryza*, & auro *Obryziaco:* Deinde de æstimatione *libra* auri: *Aurum igitur Obryziacum*, siue solidos obryziacos, *aurum ad obrussam* vocat Suetonius, *in Vita Neronis*, *c.* 44. *Exegit ingenti fastidia & acerbitate nummum asperum, argentum postulatum, aurum ob obrussam, vt plerique omnem collationem palam recusarent. Obrussa* siue *obryza* idem est. Eam sic describit lex *vlt. inf. de ponderatorib. Cum aurum diu multumque flamma edacis examine in ea obryza detinetur, donec purum videatur. Non in materia*, inquit, *conferatur, sed sub conditionalium oculis ac periculis diu multumque flamma edacis examine in ea obryza detineatur, quemadmodum* [id est, donec] *pura videatur.* Quod fit siue balluca aut ramentis igni impositis, coctilique & in aurum spumantibus, vt Manilius loquitur *lib.* 5. *v.* 529.

Paruaque ramentis faciet momenta minutis
Perculit, vt regeret census spumantia in aurum:

siue materia & solidis in massam & soliditatem redactis & redintegratis, *l.* 12. & 13. *inf. de susceptorib.* id est, solidis completis in massam *d. l.* 12. & massa igni subiecta. Hinc *auri massa*, & *auri obryza* pro eodem *d. l.* 13. item *massa* & *soliditas obryza d. l.* 12. & obryzæ materies *d. l.* 12. Vice versa solidi, & obryzæ opponuntur *d. l.* 13. Denique idem est aurum obryziacum, cum auro cocto, vt vocat *lex* 1. *infr. de ponderatorib.* Et ex obryza conflati solidi, *solidi obryziaci* dicuntur *h. l.* & *obryzati l.* 3. *Cod. Iust. de veteris numismatis potestate*, qui solidi *auri cocti* dicuntur, *d. l.* 1. *inf. de ponderator.* Obryza autem seu examen hoc, *affinage*, vt facile est conicere, non fiebat, nisi cum aliquo intertrimento, ideoque ab iis qui nummos ipsus soluebant, vel etiam materiam impuram *incrementi* nomine ferme aliquid susceptores accipiebant, vt docet *lex* 2. *inf. de susceptorib.* & *lex* 4. *infr. de auro coronario:* hinc *incrementum* (*remede du fin*) *obryza* in *d. l.* 4 id est, quod superaddebatur ad redigendos solidus in massam, massamque igne coquendam, & ad summam puritatem redigendam. Quod incrementum obryzæ sublatum puto *l.* 3. *infr. de ponderatar.* etiam in auro coronario, *d. l.* 4. Obryzi meminit quoque Plinius *lib.* 33. *cap.* 3. & quid sit explicat: *Aurique*, inquit, *experimentum ignis est, vt simili colore rubeat, qua ignis, atque ipsum* [aurum, vel experimentum] *obryzum vocant.* Sed & *in Notis Iuris* Magnonis & Petri Diaconi *obryziacum* memoratur: Non etiam *in Notis* Probi; *Cometia* enim *obryzata* quæ ibi memorantur, iamdudum profligata in spumam abierunt. Denique *obrussa*, siue *obryza* nihil aliud est, quam *affinage*, experimentum, perfecta probatio, & exploratio qua aurum spectatur: vnde & *materia in obryza detineri* dicitur *l. vlt. infr. de ponderator.* Indeque ipsa massa probata *obryza:* vt & probatio. Cicero *in Bruto cap.* 74. *adhibenda tanquam obrussa ratio est.* Seneca *ep.* 13. *Sic verus ille animus & in alienum non venturus arbitrium probatur. Hac eius*

obrussa

(a) Vid. Cl. Lipsium ad Tacit. Annal. lib. 16. *excurs. lit. b.* Plura habet Rutgersius *Var. Lection.* V. 5.

obrussa est. Obryzum igitur aurum perpurgatum, purum, quod sæpius despumauit & excoctum est: Etymologicum voc. *βάσανος. ἀπὸ τῆς βασάνου χρυσοχοϊκῆς λίθου, ἐν ᾗ δοκιμάζεται ὁ χρυσὸς κἂν τε ὄβρυζος, κἂν τε κίβδηλος ᾖ:* Scholiastes Thucydidis *lib. 1. χρυσίου ἀπέφθου, πολλάκις ἀψηθέντος ὥστε γενέσθαι ὄβρυζον:* Constantinus Manasses *pag. 3. edit. Venet. & Parif. int. Script. Rer. Byzant. ἀστίλβεν ἥλιος λαμπρὸς ὡς ὄβρυζον* (vbi perperam editum *εὔρυζον*) *χρύσιον.* *Sol instar auri puri puti lucebat.* De nominis ratione variæ sententiæ sunt. Nam ex Plinio nihil aliud colligitur, quam vocem hanc consuetam apud Metallarios fuisse. Non placet Hieronymi sententia *in Hieremiam* scribentis, *obryzum* quasi *Ophiryssum*, quod ex *Ophir* insula, (quam Prouinciam *Peru* vocari hodie nonnulli existimant) laudatissimum aurum adueheretur: prope ridicula est Isidori notatio *Origin. lib. 16. cap. 17. quod obradiet splendore: est enim,* addit ille, *coloris optimi:* Quo pertinet illud *in Onomastico* Petri Danielis, *Obrison, splendor auri.* Est tertia Hermolai Barbari sententia, existimantis obryzum dictum quasi *ἄβρυστον*, quoniam purum fit & sincerum aurum. Est & quarta sententia,
P.450 quæ Plinii quoque fuisse videatur; Natam hanc vocem in officina monetali, neque commodam eius reddi posse rationem, non magis quam aliorum vocabulorum quæ singulorum fere artificum & opificum propria sunt. Est & Caranzæ diuinatio, vocem hanc alicuius prouinciæ esse quæ aurum tribuebat Imperio; quod nugatorium est. Doctissimus Salmasius, *in Solinum, p. 1080.* verum dixit, deriuatam hanc vocem a *βρύειν* seu *βρύζειν* (Idem enim est, vt *βλύειν* & *βλύζειν*, *πρίειν* & *πρίζειν*:) Græci exponunt *βρύειν ἐξανθεῖν, ἀναβλύειν, ἀναπηδᾶν.* Quod de illis rebus dicitur, quæ efferuescendo spumam eiiciunt, & quasi florem emittunt, At *ὀβρύζειν* & *βρύζειν* idem, vt *βρίμος* & *ὄβριμος.* Ex eo *τὸ ἄβρυζον* quod sæpius recoctum est & coctionibus purgatum. Et hæc de obryza auroque obriziaco. (a)

De *libra auri* nunc videndum est; quot inquam solidi eam conficerent: quomodo proinde hæc lex simul & *lex 13. inf. de susceptoribus*, cum *l. 1. infr. de ponderatoribus*, concilianda sit: Quam in rem adhibenda quoque est in consilium *l. 2. Cod. Iust. de veteris numismatis potestate:* quam peculiari dissertatione a nobis illustratam, huc transfundi oportet, quia eadem illa præstat, quæ hic præstari oportet. Verba *legis* hæc sunt.

Impp. VALENTINIANVS *& Valens* AA. *ad Iulianum* PP.

PRo imminutione, quæ in æstimatione solidi forte tractatur, omnium quoque pretia specierum decrescere oportet.

CLarum equidem est, agi in *hac l.* de *Imminutione*, agi de *æstimatione solidi*; agi de *speciebus*, deque *speciorum omnium pretiis.* Manifestum item id, definiri pretia specierum omnium decrescere oportere pro imminutione quadam. Hæc, inquam, verbis manifesta sunt; verum obscura omnia intellectu. Quænam enim *Imminutio* illa est? Quænam *solidi æstimatio?* Quid est, *imminutionem tractari?* Quid *tractari imminutionem in æstimatione solidi?* Quid sunt *species* illæ *omnes?* Quid sibi vult vox *forte?* Quis denique intelligat illam definitionem, *pretia specierum omnium decrescere oportere pro imminutione, quæ tractata fuit in æstimatione solidi?*

Neque certam ea magis Interpretationem accipiunt ex *Rubrica*, seu *titulo*, sub quo hæc *lex* posita est, *de veteris numismatis potestate:* quæ alioquin prima semper visio seu inspectio legentibus esse debet, quandoquidem *titulus*, ferme Interpretationum clauis est: vti certe lucem inde accipiunt reliquæ duæ constitutiones sub eodem *titulo* positæ. Et quanquam *lex* hæc proculdubio pertinet ad Numismatis æstimationem, seu potestatem, & quidem solidi (qui proprie *numisma* dictus) nihil amplius tamen inde colligas, quam quod ipsamet *lex* sufficit seu suppeditat. Imo, ex iis quæ postea dicemus constabit, ne ad *Veteris* quidem numismatis potestatem hanc legem proprie pertinere, quod *Rubrica* tamen pollicetur. Neque etiam Legis Inscriptio, vti ea hodie habet, *Iuliana PP.* certius quid confert. Tandem characterismus temporis, seu annus, quo hæc *lex* data est, ibidem desideratur: Quæ tria alioquin in obscura nocte versantibus haud minimum lucis præbere solent: Et vero tria hæc ipsa probe constituta, seu pensiculata, vna cum inscripto *Valentiniani* Imperatoris nomine, quod quartum hic arcanum est, ad verum *huius l.* intellectum nos, vt spero, postea deducent. Quæ tamen omnia ab Interpretibus, qua veteribus, qua nouis, hactenus insuper habita vel ignorata, adde & singularum pene, quæ *ibidem* occurrunt, vocum, quod quintum, arcana significatio minus explorata, effecere, vt in hac l. interpretanda, inque vsum seu praxim deriuanda, ad metam hanc ad diem omnes hæserint. Nos compendii rem faciemus, simul & hanc *leg.* nostram vnicam illustrauerimus, vbi huius æui historiam retexuerimus, reique monetariæ, auri nominatim, statum, retractauerimus.

Igitur tenendum, cum ante Constantinum M. pauciores etiam solidos, seu aureos, grauiores pondere, & vt multi iam notarunt, quaternos ferme in vnciam, quadraginta octo in libram auri, cudi mos esset, Constantinum M. statam octoginta quatuor solidorum seu aureorum libram effecisse, qui scilicet singuli quatuor scripulorum essent: Proinde solidi septem quatuor scripulorum in singulas vncias a Constantino M. taxati. Quod etiam videre est in nummis Constantini, quorum seni & semis hodiernam vnciam æquant, cum olim quaterni in vnciam signarentur; quod iam quoque recte notauit Budæus. Id vero a Constantino M. constitutum reperio, eo ipso anno quo Synodus Nicæna habita fuit, *Paulino & Iuliano* COSS. A. D. 325. *l. 1. inf. de ponderatoribus:* vnde desumpta est *lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* vbi tamen resecata est ea sententia, de pretio numeroque solidorum, eo quod postea imminutus aureorum in libram numerus fuerit; de quo mox: *Si quis*, inquit Constantinus, *solidos appendere voluerit auri cocti, septem solidos quaternorum scripulorum nostris vultibus figuratas adpendat pro singulis vnciis, quatuordecim vero pro duabus.* Hac constitutione, quæ ideo ad Rationalem emissa est, Constantinus M. in vniuersum formam illationis auri in fiscum seu in largitiones Principis, eiusque susceptionis, præscriptum fuit. Idque factum

(a) Dixerunt præter Cl. Salmasium, de *obryzo* ante Gothofredum Cl. Torrentius ad Suetonii *loc. citat.* Cl. Cuiacius *ad leg. 3. Cod. Iust. de Veter. numism. potest.* & inter recentiores Euchar. Gottl. Rluck *de Veter. numism. potent. & qualit. cap. 10. §. 5.* occasione eiusdem titul. Codicis. Adde Cl. du Fresne *in Glossario vtroque*, item, dissertatione *de inferioris æui numismatib. pag. 54.* & Cl. Harduinum *in Observat. ad Plin. loc. citat.*

ctum ab eo, non sine aliquo veteris iuris seu moris exemplo: nam & sic olim argenti libra vetus Romana totidem argenteorum erat, puto 84. teste Plinio, *lib. 33. c. 9.* Celso, *Ep. ad Natalem*, & *lib. 5. cap. 17.* vbi pariter ait, in vncia pondus Denariorum septem esse; adde & Scribonium Largum. Sed & nummus olim argenteus, quatuor scripulorum erat, teste Varrone 3. *Annalium, apud Charisium pag. 81. int. Putschii Grammat.* Cleopatras quoque *in Cosmeticis*, δυνάριον ἔχει γράμματα δ. Hæc igitur Constantini M. λογαρικὴ fuit, hic λογαριασμός. Quare, magna fuit Panciroli confidentia *I. Variarum 66.* & post eum grauis Sauoti error, *de re nummaria parte 3. c. 17. p. 198.* cum in *d. l. 1. de ponderatoribus*, loco *septem*, *sex* reposuerunt, loco *quatuordecim*, *duodecim*: qui ea ratione moti sunt, quod hæc postea λογαρικὴ obseruata fuerit: Pari errore, quo Valentiniani legem nonnulli deprauarunt, de qua deinceps agendum erit. Cæterum hunc contractum proculdubio aureorum pondus a Constantino M. eadem ratione; qua antea ab Alexandro Seuero, teste Lampridio, quod scilicet vectigalium seu tributorum modum, quæ in auro inferebantur, contraxisset: vt cæteroquin indulgentiæ eius exempla seu argumenta circa rem tributariam præferunt multæ eius constitutiones, ad quas dicetur.

Certe eodem fine, a Constantini M. temporibus quamplurimi semisses & tremisses aurei reperiuntur (cuiusmodi Alexander Seuerus quoque ediderat, eodem semper fine) de quo v. quæ Sauotus *p. 3. c. 23.* & *24.* Et hæc de Constantino M. cuius alioquin plures aliæ *leges* extant circa auream
P. 451 monetam.

Augescente vero post Constantinum M. in dies magis magisque auri pretio, seu, vt Symmachus ait *lib. 10. ep. 42. paulatim auri enormitate crescente*; vt cæteroquin nummi æstimatio non eadem semper perpetuaque esse solet, οὐκ ἀεὶ ἴσον δύναται, nummusque non substantia, sed quantitate, id est, valore imposititio, valet, quod Iurisconsultus dixit *l. 1. D. de contrah. empt.* non natura, sed νόμῳ institutione reque constat, vt Philosophus ait (vnde & quidam νόμμον & νόμισμα dictum volunt) quemque μεταβάλλειν ἐφ' ἡμῖν ἐστὶ, quadraginta ferme annis post, tertia mutatione (quod Petauius etiam recte notauit, in *Epiphanium p. 436. edit. Lips.*) Valentinianus Sen. huius *legis 2. C. Iust. de vet. numism. pot.* quam nunc explicamus, auctor, nouam λογαρικὴν instituit: non pondere aureorum imminuto, verum extrinseca tantum aureæ monetæ mutatione facta, eiusque æstimatione, & potestate, seu valore *imposititio* aucto. Nempe enim septuaginta duos solidos in libram auri; & sic, sex in vnciam accepto ferri voluit, *l. 13. inf. de susceptoribus*: seu *l. 5. Cod. Inst. ead. tit.* *Illud etiam*, inquit, *cautionis adiicimus, vt quotiescunque certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, & auri massa transmittitur, in septuaginta duos solidos libra feratur accepta.* Imminuta proinde auri *libra* a Valentiniano σταθμῷ καὶ ἀριθμῷ, sic vt ea etsi non ἰσοστάσιος vel ἰσάριθμος cum vetere Constantinianea foret, ἰσοδύναμος tamen esset; vtpote septuaginta duorum solidorum eiusdem ponderis, cuius Constantinianei erant, libra effecta, cuius eadem æstimatio esset quæ antea cum libra 84. erat. Valentinianus ergo *Imminutionis* istius & νέας λογαρικῆς auctor fuit; qua videlicet non aureorum pondus imminutum fuit, verum numerus tantum solidorum imminutus in libram; & sic libra ipsa imminuta. Quare errant grauiter, qui libram auri semper ἰσοστάσιον fuisse asserunt. Item errant, qui hanc libræ imminutionem tribuunt extremo Imperio, quod sedem in vrbe Constantinopolitana habuit, seu Imperatori Constantinopolitano: nam, quod hic haud satis attendit Scaliger, *in postumo de re nummaria p. 65.* Valentinianus *huius l.* auctor, Occidentis Imperium tenebat, etsi pleraque eius arbitrio in Oriente, qui Valenti in Imperii diuisione cesserat, agerentur, & ab eo definita Orientem quoque peruaderent. Contra, grauis est error Auctoris *libri*, qui depromptus dicitur ex *Archiuis Alexii Comneni*, quique continet Rationale vetus Peræquatorum, νέαν & παλαιὰν λογαρικὴν, de pretio solidi in tributis exigendis, vbi ait, παλαιὰν λογαρικὴν, qua duo & septuaginta solidi in libram auri putabantur, ab Augusto institutam: Quod falsissimum est, vt recte quoque iam monuit Cl. Salmasius, *in Solinum p. 808.* Nam ne Constantini quidem adhuc æuo ea λογαρικὴ obtinuit: verum ex Valentiniani Sen. primum instituto. Sed frequens hic Græculorum error est, quorumcunque *Augustarum*, id est, Imperatorum, instituta ad primum Augustum referre, atque inde magnas nugas superaddere. Id quod vel Indictionum exemplo liquet, aliisque quæ idem Auctor ad παλαιὰν παράδοσιν Αὐγούστου Καίσαρος refert. Ergo auri libræ *imminutio* facta a Valentiniano, aucta *æstimatione* aureorum: idque pro tertia parte: quæ & ipsa æstimatio stetit sub Honorio Imp. vt liquet ex *leg. vu. vtroque Codice de Oblat. votar.* & deinceps, de quo & Ioannes Citri *resp. ad Cabasilam*, in MS. meo, *pag. 152.* & cum antea septem solidi in singulas vncias computarentur, quod ostendimus ex *l. 1. de ponderatoribus*, ab hoc Valentiniani tempore sex tantum computati: vnde iam solidus dictus *sextula* (*sextula* enim est sexta pars vnciæ, auctore Varrone, *lib. 4 de lingua lat. pag. 28. int. Script. Ling. L. ed. Gothofred.*) teste Isidoro, *lib. 16. Originum cap 24.* Quomodo & Græci ἐξάγιον dixere, teste Zonara *Annal. lib. 16. Tom II. pag. 159. edit. Venet. pag. 203. edit. Paris. int. Script. Rer. Byzant.* vbi de Nicephoro Phoca ἦν δὲ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ χρημάτων ἥττων, ὡς ἔοικε: μέχρι γὰρ ἐκείνου παντὸς νομίσματος ἐξαγίου σταθμὸν ἕλκοντος, ἐκεῖνος τὸ τεταρτηρὸν ἐπενόησε, κολοβώσας αὐτὸ κατὰ τὸν σταθμόν. *Apparet eundem auaritia quaque sordibus fuisse contaminatum. Nam cum usque ad eum quoduis numisma exagium penderet, ille Tetarterum excogitauit, pendere imminuta* Quam ἐξαγίου vocem, quod Scaliger *postumo de re nummaria*, recte monuit, *pag. 54.* per compendium ita scribebant, ϛάγιον, quod tamen pronunciatum est ἐξάγιον, errantque qui pronunciant ϛάγιον; est enim litera ϛ, ἐπίσημον seu nota τοῦ ἓξ ἀριθμοῦ. Eiusdem Ἐξαγίου frequens etiam mentio apud Anonymum *de ponderibus & mensuris*, inter alia, τὸ ἀσσάριον, δηνάριον ἤτοι ϛάγιον ἓν ἥμισυ. Quæ cum ita sint, apparet de Budæi & Haloandri errore, qui in *d. l. 5. Cod. Iust.* pro 72. duodequinquaginta vel quinquaginta reponendum censebant, propter antiquam videlicet aurei æstimationem, quod recte iam reprehendit Antonius Augustinus, *lib. 2. Emendat. 9.* Quos refutat insuper, præter hanc nostram Honorii constitutionem *de ablat. Votorum*, scholion apud Constantinum Harmenopulum, *Prochiri lib. 3. tit. 7. de vsuris*, & Synopsis Basilic. *lib. 56. tit.* περὶ ζυγοστατῶν. Nos ad Valentinianum redeamus.

Factum vero istud quod diximus ab eo, A. D. 367. cum ipse *Remis* in Gallia versaretur, ea constitutione integra, quæ ad Germanianum Comitem S. L. simul & ad Iulianum Præfectum annonæ data videtur: cuius quidem tria ἀποσπασμάτια supersunt, data ad Germanianum, puta dicta *lex 13. de* *suscepto-*

susceptoribus : l. 4. inf. de metallis, & *lex 1. Cod. Iust. de veteris numism. pot.* in cuius tamen postremæ inscriptione peccatum, cum *Germanus PP.* ibi notatur. Ea vero constitutione, Valentinianus, (quam eadem occasione promulgauit, qua suam illam Constantinus, propter tributorum videlicet illationem) Auri solidorumque potestatem *δύναμιν*, & proportionem definitum iuit: Quomodo videlicet aurum suscipi, & largitionibus seu fisco inferri deberet; num in solidis an in massa, & quid qua æstimatione, quotque solidi in libram auri requirerentur, quæ sententia est *dictæ legis 13.* Quot item vnciæ ballucæ pro singulis libris metallici canonis nomine: de quo est dicta *lex 4. de metallis*: Quinam præterea solidi tradi ac suscipi ab ementibua & distrahentibus deberent, quo pertinet dicta *lex e. Cod. Iust. de veter. uumism. potest.* Id inquam omne ea constitutione egit Valentinianus, pretio inter alia aureæ monetæ posito, siue ii suscipiendi fiscoque inferendi essent, siue distrahendi, emendi. Adde & tertio quoque fine, in conuersatione publica si eroganda in foro rerum venalium in comparatione seu emptione specierum: quo hæc *lex 1. Cod. Iust. de veteris uumism. pot.* pertinet: de qua mox plura,

Ex hac interim materiarum cognatione seu affinitate apparet, quam recte hæc *lex 2.* tribus illis argumenti paritate socianda videatur, velut vniua & eiusdem constitutionis pars, ac nominatim *dictæ legi 13. de susceptoribus*, qua vtique solidi æstimatio seu pretium taxatur. Neque quemquam turbari oportet, quod hæc *lex* nostra *Iuliano* inscribitur; tres vero illæ *Germaniano Comiti S. L.* Nam, quod alias monitum, sæpeque deinceps monendum erit, eadem sæpe constitutio ad diuersos Magistratus emittebatur, eodem exemplo, *ἰσῷ τύπῳ* seu *ἰσοτύπως* vnde postea singula capita, ab iis qui ea disfecarunt, diuersis Magistratibus inscripta reperiuntur, prout ea cuiusque Magistratus officio conuenirent: Igitur, quæ capita ad illationis tributa-
P.45 riæ susceptionisqua formam pertinebant, *Germaniano Comiti S. L.* inscripta reperiuntur: quod vero ad annonam forique pretium spectat, *Iuliano Præfecto annonæ*, mox vt ostendetur, inscribitur. Quibus ita positis, Consules quoque qui hic intercidere, restituere ex illis tribus constitutionibus facile fuerit, ita: *Lupicino* & *Iouino* Coss. i. e. A.D. 367. Nisi vero hæc *legum* illarum eum *hac* coniunctio placet, certe hæc post illas statim, earumque occasione promulgata fuerit, cum quæri cœpisset de forensi specierum pretio, post *imminutionem* libræ factam, auctamque *æstimationem* solidorum seu aureorum: Est enim alterum, vt postea ostendetur, alterius consequens.

Ex superioribus iam liquet, qua ratione *dicta* Valentiniani *lex 13. de Susceptoribus* & hæc Honorii *lex* cum *l. 1. de ponderatoribus*, quæ Constantinum M. auctorem habet, concilianda sit. Nempe Principes tantum & tempora distingui oportet: sub Constantino scilicet libra auri fuit solidorum 84. sub Valentiniano Sen. 72. & sic *νέα λογαρικὴ* a *παλαιᾷ* distinguenda venit. Non vero lectio earum *legum* sollicitanda: quod superius iam refutanimus. Non item distinctio facienda, vt quidam volunt, inter necessariam & voluntariam collationem, quasi in illa, 84. solidi in libram requirerentur: in hac vero 72. sufficerent: Huic enim distinctioni aperte refragatur *dicta lex 13.* vtpotequæ in necessaria collatione versans, septuaginta duobus nihilominus solidis libram definit. Neque, quod quidam volunt, separanda libra, quæ in Occidente obtinebat, eaque minor, ab ea quæ in Oriente vsurpabatur: Quod sane nullo ex loco satis colligas: Imo contra notare licet, libram auri in vrbe Roma maiorem fuisse, quod ex Symmacho discimus, *lib. 10. epist. 26. Mille sexcentas*, inquit, *libras auri decennalibus Imperii tui fastis deuotus Ordo promisit, vrbanis ponderibus conferendas, id est, trutina largioris examine.* Et eo tamen trahunt ferme omnes hactenus, etiam Cuiacius XVII. *Obseru. 9.* & Scaliger, *postumo, de re numm. p. 65.* libram occiduam, cuius mentio fit in *actis Marcellini Papæ*, oon vno loco: vbi auctor de 72. testibus in Synodo Sinnessana de lapsu Marcellini Papæ agens, primum ita scribit: *pag. 218. Tom. I. Concil. Harduin. Hi omnes electi sunt viri libra occidua, qui testimonium perhibent, se vidisse eundem Marcellinum thurificasse.* Item, *pag. ead. Intra horam septuaginta duorum testimonia, &c. Quoniam in septuaginta duorum libra occidua in reparationem resurgit annus.* Vbi Cuiacius male pro *annus*, reponebat, *aureus* (quod vel *hac l. vn. de obl. vot.* refellitur. Et post, *pag. 219. Nondum enim fuerat damnatus, nisi numerus secundum ordinem synodi libra probaret exemplum.* Quibus alioquin concinit & illud Sedulii *lib. 4. vers. 52. & 53.* de 72. discipulis.

Discipulos alios, quorum mens conscia recti

Puraque simplicitas, numero meritoque refulgens

AVREA LIBRA *fuit.*

Quod quid esset, Antonio Nebrissensi aqua hæsit. Superioribus, inquam, locis illis, quos dixi, libram Occiduam dici putant, quæ in Occidente obtineret, minor scilicet ad differentiam eius qua in Oriente vtebântur Constantinopolitani. Quomodo alias *Occiduum* pro *δυτικῷ* seu Occidentali accipitur, vt apud Claudianum *præf. in lib. 2. de raptu Proserpinæ v. 38. Occiduo ducis ab orbe greges.* Ego vero malim, *Occiduam* dictam in *actis Marcellini* ab auctore non illius æui sequioris, cuius vocem is vsurpauit, quæ imminuta a Valentiniano, cum antea maior esset. Christianis scilicet huius æui sequioris Scriptoribus & Poëtis; ne vetustiora afferam, *occiduum* quoque passim pro imminuto, & quod occidit. Sic Claudiano, *occiduus sol.* Sic Theodulii *Nouella* a. *occidua partes.* Sic Prosper.

Quorum animas mundus non tenet occiduus.

Idem.

Factum est æternum quod fuit occiduum.

Exortus nuper Cironius 4. *obseru. iuris Can. cap. 5.* qui *Occiduam* libram, in *actis Marcellini* interpretatus est *stateram*, & paria libramenta, accurato examine: sic vt occidua libra sit quasi vergens & inclinans ad vnam partem, quam nos vocamus *liure trébuchante.* Interim facere non possum, quin secundum illum e superioribus locum Scaligero quoque conclamatum *p. 65.* hic emendem & explicem, aliter quam Cuiacio visum dicto loco: *Quoniam*, inquit, *in septuaginta duorum solidorum libra occidua in reparationem surgit annus.* Ait, *annum in reparationem surgere*, id est, annum reparari, nouumque aperiri, vt *h. l.* nostra dicitur: *in 72. solidorum libra*, id est, in collatione libræ, quæ 72. solidorum est. Respexit enim & imitatus est Auctor ille proculdubio hanc nostram Honorii constitutionem; qua quidem etiam constitutione Honorius Imp. vrbanæ trutinæ largioris examen Senatui remittere videtur, contentus ordinaria & communi libra 72. solidorum. Nos ad Valentinianum, eiusque constitutionem redeamus.

Ergo

Ergo in Valentiniani facto ſeu conſtitutione hæc duo accurate diſtinguenda ſunt: *Imminutio* facta libræ, imminuto ſcilicet aureorum ſeu ſolidorum in libram numero: & ſic imminutio facta libræ numeralis, τῆς ὁλκῆς (libra enim eſt ὁλκὴ νομίσματος, ποσότης καὶ ἀϑρισμός.) Contra vero aucta *æſtimatio ſolidi* (non auri enormitas creuit, vt loquitur Symmachus *lib. 10. ep. 42.*) & ſic æſtimatio eius extrinſeca mutata, vtpote cum ex eius iam inſtituto 72. ſolidi tantundem præſtarent, quantum antea 84. ſic vt quod ponderi ſeu numero, ςαϑμῷ καὶ ἀριϑμῷ deeſſet, poteſtate, æſtimatione & valore ſeu δυνάμει penſaretur. Vnde iam patet, quid ſit in *hac l. Imminutionem tractam*, ſeu factam *in æſtimatione ſolidi*: Nempe *Imminutio*, & *æſtimatio* de diuerſis dicuntur, non de eodem: quæ capitalis alioquin hic fraus fuit, qua Interpretes in errorem inducti ſunt hanc ad diem omnes, qui opinati ſunt in ſpecie *huius l.* imminutam æſtimationem extrinſecam aurei. Non, inquam, id dicitur: æſtimationem ſolidi imminutam, verum *imminutionem* factam *in æſtimatione ſolidi*, id eſt, per auctam æſtimationem ſolidi ſeu aurei, *libram imminutam.* Nempe aucta ſolidi æſtimatione, ſeu poteſtate, eo ipſo, ſeu per hoc, & IN hac æſtimatione, imminuta fuit libra auri. Et ſic neque imminutio ſolidi hic indicatur; neque omnis imminutio, verum imminutio libræ per numeri ſolidorum imminutionem, auctamque ſolidi æſtimationem. Quo pertinet etiam vox FORTE; *Quæ in æſtimatione*, inquit, *ſolidi forte tractatur:* Quæ vox, niſi ea a Triboniano addita, non dubitatiue, verum declaratiue, ἐξηγητικῶς accipienda eſt: quo ſenſu ea paſſim in iure vſurpatur: Ac ſi diceret Imperator, vel ſane Quæſtor eius, pro ea imminutione, libræ ſcilicet quæ *nominatim* facta fuit per æſtimationem ſolidi, factam ſcilicet ad excludenda nimirum alia imminutionum genera. Facta vero hæc imminutio, ſeu, vt hic dicitur, *tractata*: Quæ vox τῆς λογαριϛικῆς propria eſt: ſic enim rationes publicæ tractari dicuntur, apud Ciceronem *alicubi*: Firmicum, *lib. 3. c. 6.* & apud Interpretem *huius Cod. Theod. leg. 5. de tabular.* Menſarum & fœnerationum negotia tractari, apud Firmicum *lib. 3. c. 8* & *lib. 4. c. 7.* Imo, *tractatores* λογιςαὶ, λογαριαςαὶ, calculones & arithmetici apud Sidonium, *lib. 4. ep. 11. in carmin. v. 9.* & *tractatores* de his qui ratiocinia publi-
P.45 ca tractant, *l. 3. Cod. Inſt. de canone largit. tit. l. 6. Cod. eod. de execut. & exact.* & Nouella Theodoſii *12. de patrim. rei domin. in l. 1.* Sic πραντευτὴς paſſim in *Nouellis Iuſtin.* qui annonas & tributa publica computabat & tractabat: vt & tributi tractatoriæ, *in Nouella 30. c. 3.* Denique *tractare* eſt, quod Græcis λογαριάζειν, computare rationes, calculum ſubducere. Ergo *imminutio tractata* dicitur in æſtimatione ſolidi, id eſt, ſubducta, taxata, definita: Quamquam putet quis etiam, hanc vocem, *tractatur*, pertinere ad tractatum qui habitus in conſiſtorio Principis & ad eam imminutionem æſtimationemque quæ ibi taxata ſubductaque fuit. Certe, quicquid *hac l.* dicitur de imminutione deque Æſtimatione ſolidi, id omne a Principe factum oportet, quod & Gloſſa recte vidit, *dic tractatur, a Principe, vel eo qui habet auctoritatem.* Minus enim admitto notam ad eum locum, *dic potius recepta eſt.* Nempe enim de iuſta imminutione, deque publica ſolidi æſtimatione hæc lex eſt, quæ a Principe facta eſt tractatu habito: vt cæteroquin cura hæc in Principis ſolius poteſtatem conceſſit, non vero de iniuſta, quæ per belli, aut famis neceſſitatem inuecta, vel cummerciorum abuſum, ſeu priuatorum cupiditatem ſeu auaritiam, monetam comparantium, mercatorum, opulentiorum, campſorum, argentariorum, collybiſtarum, collectatiorum, κερματιςῶν: vel per inclinationem aut decrementum inferioris monetæ. Quæ alioquin cauſæ quoque ſunt, ex quibus moneta vel augetur vel imminuitur, quæ cum *hac l.* nil commune habent.

Et ſic perſpicuum, ni fallor, iam intellectum habemus antecedentis, quod *hac l.* continetur; ſequitur conſequens: vbi continentur; Primo ſubiectum, *ſpecies* ſcilicet; dein, definitio ipſa, nempe *pretia ſpecierum decreſcere oportere:* & quidem quod tertium, *pro imminutione æſtimationeque ſolidi.* De ſingulis ordine.

Primo loco videndum eſt de ſubiecto quid per *ſpecies* hic intelligendum ſit. Hac igitur voce accipiendæ ſunt merces, ſpecieſque ferme annonariæ: Quomodo etiam ea in *l. 2. Cod. Iuſt. de commerciis*, vſurpatur, & in *l. 26. §. 1. Cod. eod. de vſuris*, vbi recte Græci κάρπους vertunt: & apud Hieronymum *in Ezechielem, lib. 6. c. 18.* Quarum quidem ſpecierum aliæ fiſco pendebantur, quo ſenſu ſæpe *ſpecies* in iure accipiuntur: aliæ vero in foro venales habebantur. Et priores tamen ſæpe adæratæ largitionibus inferebantur, id eſt, auro contra æſtimabantur, taxabantur; quo ſane caſu adæquationis iſtius, quæ Græcis ἐξαργυρισμὸς vel ἀπαργυρισμὸς) modus & proportio proculdubio ad pecuniæ æſtimationem inibatur. Et hanc tamen adærationem idem Valentinianus in canone vrbicario non admiſit: contra, annonas in ipſis ſpeciebus inferri voluit non vero adærari ſeu apochari, *l. 8. inf. de annona & trib.* & *l. 1. 2. tributa in ipſis ſpeciebus.* Quo argumento putet quis, adærationem, de qua *hac l.* agitur, ſeu pretii proportionem, non pertinere ad canonem vrbicarium, ſeu annonam quæ vrbi Romæ inferebatur, verum ad ſpecies quæ in foro venales proponebantur. Quod Græcis etiam placuit ſynopſi *Baſilicon lib. 54. tit. 18.* vt recte notatum a Parente meo: κατὰ τὴν μείωσιν τῶν νομισμάτων, καὶ τὸ τίμημα τῶν ὠνίων μειούσϑω. Qui tamen imminutionem, qua de *hac l.* agitur, perperam accepere de imminutione aurei, cum contra, vt ſupra demonſtratum eſt, ea ſit de imminutione libræ, e diuerſo de augmento æſtimationis aurei ſeu ſolidi. De harum igitur ſpecierum pretio ſeu proportione ad aurum, eſt hæc ſingularis admodum *lex:* Qua cauſa, quod notari cupio, inſcripta hæc lex *Iuliano*, non PP. vt perperam præferunt hactenus editi Codices, verum, quomodo hic emendandum, *PF. annona* ſcilicet vt diſcimus ex *l. 2. inf. de canone frum. vrbis Romæ*, quæ data eſt A. D. 366. vbi inſcriptio diſtincte præfert, *ad Iulianum Præf. annonæ:* in qua etiam ipſa l. agitur de ſpeciebus annonariis ſcilicet vrbis Romæ ad Portum vrbis aduectis. Nempe enim Præfectus annonæ & canoni frumentario vrbis Romæ præerat, vt infinitæ *leges* docent, imo & *Scriptores* alii: & iuxta Præfectum vrbis cura ei incumbebat tuendæ ciuilis annonæ, & vt iuſto pretio ſpecies in foro venderentur, *l. 1. ſup. de contrah. empt. l. 1. Cod. Iuſt. de officio P. V.* corporibuſque præerant, quæ ad annonam vrbis pertinebant, veluti nauiculariis & piſtoribus.

Nunc de ipſa *huius l.* definitione: Definitur ſcilicet *pretia ſpecierum omnium decreſcere oportere, pro imminutione qua in æſtimatione ſolidi tractata fuit. Proportio* nempe hic continetur ſpecierum ad aurum: Aliæ enim conſtitutiones ſunt, quibus ſancita reperitur proportio auri ad alia metalli genera, veluti ad argentum & æs, de quo tituli ſunt, vtroque Codice, *de argenti pretio quod theſauris infertur*, & *tit. de æris pretio*: item κερματισμὸς auri, id eſt, quot aliis minutis ſpeciebus argenti ſolidus mutaretur, de quo vide Symmachi *epiſtolam libro 10. ep. 12.* & *Nouellam* Valentiniani *inter Theodoſianas 25.* Quænam igitur proportio ſpecierum ſeu pretii earum

rum ad aurum hic sancitur? PRO *imminutione*, inquit, *quæ* IN *æstimatione solidi tractata fuit:* vbi vox PRO significat modum seu proportionem; *κατὰ μείωσιν*, inquiunt Græci; ac si diceret, pro rata seu pro proportione imminutionis illius, & æstimationis solidi. Vnde iam manifesta & perspicua iuris forique definitio seu decisio eruitur, *Pro proportione imminutionis facta ἐν τῇ ὁλκῇ seu ἀθροίσματι, proque rata æstimationis aucta solidorum*, seu aureorum qui libræ ὁλκὴν efficiunt, *per consequens* QVOQVE *specierum omnium annonariarum, rerumque adeo seu mercium venalium, in foro pretia decrescere oportere*; vt cæteroquin nummus seu pecunia mensura est, *μέτρον* in emptionibus-venditionibus, & *σύμμετρα ποιοῦν καὶ ἰσάζον*, seu *μέτρον καὶ μέσον κοινὸν πάντων*, & quod Philosophus dixit, *μετρεῖται πάντα νομίσματι*: denique mercium æstimatio in pecunia fit, *l. 42. D. de fideiuss.* Quod vt de cæteris nummis recte dicitur, ita nominatim de *Aureo*, qui vt cæterorum nummorum, qui ei subseruiunt, ita & pretii forensis primum, sic vt dicam, mobile est, normaque veluti seu regula monetarum, atque adeo commerciorum omnium.

Huius vero proportionis exemplum, seu casum illustrem propriumque, suppeditat nobis singularis eiusdem Valentiniani Imp. constitutio, quam vnus, quod sciam, Suidas memorat, ex vetustiore aliquo Scriptore, *in voce Μακαίμ*: quam & ipsam huic nostræ, tribusque illis, quas supra memoraui, cohæsisse, haud temere quis putet. *Τοῦτο δὲ ἐνομοθέτησεν Οὐαλεντινιανὸς πιπράσκεσθαι τὸν σῖτον μοδίους δώδεκα τῷ Νομίσματι, μηδενὸς ἀντιλέγοντος.* Id est, *Istud vero lege sanxit Valentinianus, vt modii duodecim frumenti solido venderentur, nullo refragante.* Et subiicit: *ὅθεν τις ναύτης τοῦτο μὴ ποιήσας τὴν δεξιὰν χεῖρα ἀφῃρέθη.* *Vnde nauta quidam, quod hoc non fecisset, dextra manu amputata est.* Vbi vides etiam illa, *μηδενὸς ἀντιλέγοντος*, id est, *nullo refragante*: quomodo idem Valentinianus in eodem rei nummariæ argumento dixit *in l. 1. Cod. Iustin. de vet. numism. pot.* nihil omnino refragationis oriatur: Quomodo Valentinianus Tertius, *Nouella* inter Theodosianas *de pretio solidi 25.* solidum integrum recusari vetat, vel refutari; Valens dixit, omissa frustratione, *l. 8. inf. de falsa mon.* & Maiorianus in *Nouella 1. de Curia-*
P. 154 *libus*, in eadem re, ne quis calumniosæ reprobationis obtentu recuset: & *in l. 12. infr. de susceptorib.* dicitur, nullam debere esse causationem. In hac, inquam, Valentiniani constitutione, quam Suidas memorat, apertissimum huius proportionis pretii specierum ad aurum, quæ *hac l.* sancitur, exemplum seu casus continetur. Nempe enim antea, quo tempore libra octoginta quatuor solidis constabat, deni tantum modii solido vendebantur (extra quam æstate.) Quod discimus ex Iuliano Imp. *in Misopogone circa finem, pag. 369. edit. Lips. Spanhem.* vbi iactat sese. Antiochensibus, cum alioquin deni modii singulis solidis vendi solerent, ex fiscali tritico quinos denos vnico solido vendidisse. *Ἔδωκα τῇ πόλει πραττόμενος ἀργύριον, οὐ κατὰ δέκα μέτρα, ἀλλὰ πεντεκαίδεκα τοσοῦτον, ὅσον ἐπὶ τῶν δέκα πρότερον. εἰ δὲ τοσαῦτα μέτρα θέρους ἦν παρ' ὑμῖν τοῦ Νομίσματος, τί προσδοκᾶν ἔδει τηνικαῦτα, ἡνίκα· φησὶν ὁ Βοιώτιος ποιητής· χαλεπὸν γίγνεσθαι τὸν λιμὸν ἐπὶ δώματι (δράγματι) ἀλλ' οὐ πέντε μόγις καὶ ἀγαπητῶς, ἄλλως τε καὶ τηλικούτου χειμῶνος ἐπιγενομένου.* *Domo mea eductum ciuitati donaui, neque pro decem mensuris sed pro quindecim tantum argenti, quantum antea pro decem accipi solebat, exegi: Quod si tot mensura nomismato apud vos iam tum in æstate constabant, quid sperandum erat, fore tum cum (vt ait Boeotius Poeta) fames sæua est in ædibus? Nonne quinque mensuras vix ac perlibenter accepissetis, tanta præsertim hyeme, quanta deinceps consecuta est?* Et mox. *Καὶ τοι τίς μέμνηται παρ' ὑμῖν εὐθυνομένης τῆς πόλεως πεντεκαίδεκα μέτρα σίτου πραθέντα τοῦ χρυσοῦ.* *Quanquam vix vnquam vestrum, abundanti etiam copiosaque ciuitate, meminit quindecim tritici mensuras aureo vanire?* Hæc, inquam, ita eo tempore obseruata, vt deni modii solido venderentur, cum vncia auri septem solidis, libra vero 84. constaret. At postea vbi a Valentiniano libra imminuta, & æstimatio solidi aucta fuit, duodeni iam modii solido venditi: & si tum deni modii solido venderentur, iniustum id pretium habitum. Quare Ammianus Marcellinus, sub hoc ipsomet Valentiniano, trienoio ferme post *hanc leg. lib. 28. cap. 1.* notat, Hymetium *denos modios frumenti singulis solidis Carthaginensibus, victus inopia iam lassatis, & indigentibus vendidisse.* Et ita quidem interim hæc distinguenda sunt, non vt amicus meus vir doctissimus Valesius qui indistincte prodidit, caritatem annonæ olim fuisse, cum decem modii Romæ solido væníbant; id enim verum tantum est, postquam libra ad 72. solidos *imminuta* redactaque fuit, aucta *solidi æstimatione*: non cum 84. solidis constabat. Hac proinde iam facti specie seu casu, ex Suidæ loco, neque melius, illustrari poterit deinceps hæc *lex*, qua definitur, *Pretia specierum decrescere oportere, pro imminutione qua in æstimatione solidi tractata*, seu taxata, factaque fuit a Principe. Et profecto ab hoc tempore, aliarum rerum corporumque pretia magis magisque deinceps imminuta comperio vel ex *l. 27. inf. de cohortalib.*

Valeat proinde iam *Pylei* veteris interpretis sententia, qui de solidis argenteis hic agi putauit: cum de aureis hæc *lex* perspicue sit, qui & proprie *solidi* dicti.

Valeat *Accursius*, seu Glossa, & post eum *Andreas*, cum interpretatione sua, qui hunc sensum *huic l.* affingunt, aureos, qui sunt pretia rerum, pro minori summa accipi, cum dantur pro pretio cuiuslibet speciei. Quod & ipsum Oedipo & coniectore opus habebat. *Ioannes de Platea* ita edisserit: Quod si Princeps minuat pondus aureorum, ipsos aureos debere accipi qui sunt pretia rerum pro primo pondere, vt sic quod constituebatur in primordiali pondere, intelligatur statutum in pondere variato in plus vel minus. Vel ita: Si nummi minori pondere habeantur, oportet quod eorum pretium minuatur. *Lucas de Penna* ita effert: Si aurei minuantur pondere vel in tenuta de mandato Principis, dummodo pro minori summa recipiuntur, & sic diminuuntur aurei sicut a principio descriptionis: quasi dicat, ipsis aureis diminutis, & rerum pretia sub eis diminui. *Bartolus* ita, cuius summarium etiam velut receptum iam pro argumento *huic l.* inscribitur, minui æstimationem rerum quæ ad florenos v. g. minuuntur, floreno imminuto: seu, si pretium certæ monetæ minuatur, necesse esse quod singularum rerum pretia respectu eiusdem monetæ tradenda minuantur. Quam interpretationem sequitur quoque *Nicolaus Spinelli de Neapoli*, Pretium, inquit, cuiuslibet rei decrescit pro rata, sicut decreuit aureus. Couarruuias, de *mutatione moneta cap. 7.* ita effert, quod minuta æstimatione solidi, minuitur æstimatio rerum quæ traduntur ad solidum: sicut itidem contingit, vbi æstimatio monetæ augetur & crescit: nam eadem ratione crescunt pretia rerum omnium, quæ eadem moneta emi solent, quomodo etiam notauit Angelus, *in l. 101.*

D. de solutionib. Purpuratus *in l. 3. D. de rebus credit. si certum petetur. num. 171.* Quid *Cuiacius*, summus iuris antistes? Et is quoque, notis *ad eam l.* & ad Pauli 28. ad Ed. *ad l. 2. §. 1. de reb. cred.* casum ponit in æstimatione seu potestate aurei imminuta, remque ita euolutius explicat; si diminuta fit aureorum potestas, nihilominus debitorem liberari totidem nummos reddendo eiusdem formæ & qualitatis; vel ita: Si, inquit, vænierit res XX. aureis, & ante numerationem pretii imminuta fuerit aureorum æstimatio, imminuetur & rei venditæ pretium: nam XX. aureos præstando emptor liberabitur, etsi non tanti sint solutionis tempore quanti contractur. Mox argumento a contrario definit, si ante numerationem aucta fuerit æstimatio solidorum, augebitur & pretium rei venditæ: Casumque etiam ponit in mutuo, locatione, & taxatione rerum seu mancipiorum legibus definita. Verum hæ interpretationes omnes, vt & Ant. Fabri, *de variis numorum solutionibus*; qui & ipse *hanc l.* accepit de imminuta aureorum æstimatione, triplici ratione vitiosæ sunt: Nam neque de imminuta æstimatione solidi hæc *lex* est; neque de mutatione monetæ medio tempore inter contractum & solutionem: tandem neque de minuendo pretio rei iam ante venditæ: Verum immo hæc *lex* est de aucta æstimatione solidi, idque ante contractum, ac proinde de minuendo pretio specierum tempore contractus, ob auctam æstimationem solidi. Tandem neque hic agitur præcise de emptione ad solidum: quid enim si minus solido species constet? Sane & hic minuetur pretium, puta vt minus præstetur minoris monetæ quæ sub solido est, & solidum efficit per *κερματισμόν*.

Valeat *Dyni* interpretatio, qui casum ponit in imminutione monetæ per multiplicationem numeri: v. g. si primo quatuor aurei faciebant vnciam, & Imperator minuat, vt quinque faciant vnciam, oportet augeri pretia rerum: & sic *decrescere* pro *crescere* accipit. Nam imo contrarius casus hic ponendus est in aucta æstimatione solidi, & imminuto aureorum numero in vncia, vt ante ostendimus. Et quid ineptius, *decrescendi* vocem accipere contrario sensu pro *crescere*?

Valeat *Hotomanni* interpretatio, 15. *Illustrium*, qui *specierum* nomine in *hac lege*, non res cuiusuis generis, sed potius species monetæ & pecuniæ accipiendas tradit: hoc sensu, vna cum aurea gradatim reliquas monetas pro rata cuiusque portione decrescere. Nam, vt antea ostendimus, *specierum* appellatione hic res annonariæ τὰ ὤνια intelligenda sunt: & *pretia specierum* non sunt pecuniæ, sed æstimatio specierum.

Valeat *Balduini* intellectus, qui non tantum Constantini *legibus* hanc quoque perperam connumerauit, quod Contius quoque iam recte obseruauit, & Imperatori Constantinopolitano tribuit, sed etiam hanc huic legi sententiam affinxit: Nempe, si vna cum solidi æstimatione imminuta fuerit
P.455 omnium aliorum nummorum æstimatio, aliarum quoque rerum omnium quæ nummo æstimantur, pretia imminui atque decrescere, sicut & contraria ratione crescunt & augeri debent: si vero vnius alicuius generis, veluti solidorum, æstimatio imminuatur, reliqui vero nummi alterius generis suam retineant potestatem: non consequetur, pretia crescere. Eamque sententiam pluribus adornat, & ab ingeniosissimis hominibus accepisse se ait. Et certe hæc quoque Molinæi sententia fuit, *de contractibus, q. 93. num. 716.* Verum falsa. Nam, vt dixi, neque de imminuta solidi æstimatione hic agitur; neque de imminuta æstimatione aliorum nummorum *vna* cum solido, verum de imminuta libra numero solidorum, ob auctam solidorum æstimationem: Tandem, *imminutio in æstimatione solidi* facta vel *tractata* hic dicitur, non quod vna cum æstimatione solidi alii nummi imminuti fuerint, verum quod libra imminuta fuerit numero seu pondere, ob auctam solidi æstimationem: id enim est in: non vt significetur duplex imminutio, sed vt vnius imminutionis modus indicetur, per, vel ob æstimationem solidi auctam.

Et sic apparet, nullam non *huius l.* vocem prauis interpretationibus hactenus fœdatam. Nos vero tandem veram *huius legis* sententiam hac paraphrasi adornemus, seu summario includamus: *Pro rata, seu pro proportione libra auri, numero aureorum imminuta, ob, seu propter æstimationem nominatim aureorum auctam, omnium pariter, per consequens, specierum annonariarum pretia in foro imminui æquum esse.*

Viderint itaque deinceps Interpretes & Pragmatici, quomodo Legem illam *C. Iust. de veteris num. pot.* in vsum recte deriuare possint: nos certe vltro abstinemus ab iis omnibus, quæ hactenus apud Iurisconsultos & Pragmaticos hanc in partem admissa & superuacua, quia & innumera prope. Illud pro immoto tenendum *dictam legem 2.* esse de aucta aurei æstimatione, seu augmento aureæ monetæ, ob auctam materiæ auri æstimatioem, & quidem tractatu seu decreto Principis, quo casu pretia specierum decrescere oportet: non vero iniuste, quo certe casu necessario cæterarum rerum & specierum pretia crescunt.

Nos ad huius *legis* nostræ vnicæ *de oblatione votorum* quæ Honorium auctorem habet, sententiam accedamus. Ergo Honorius Imp. *h. l.* anno ineunte, strenas sibi in vna libra auri, sic vt septuaginta duo solidi Obryziaci in vna libra auri computarentur, offerri patitur, offerendasque sibi deinceps sequentibus annis prouocat: Quæ quidem oblatæ a *Senatu Romano*, quod testatur iuxta hanc *leg.* superior ille Symmachi locus: ideo enim ea inscripta est *Præfecto Vrbis:* quia (quod Symmachus docet) Præfectus vrbis (qui Senatus & Senatorum Caput erat) Strenas has Senatus nomine Principi offerebat.

Cur autem Honorius ad hanc legem descenderit? variæ coniecturæ sub manum nascuntur. An iden, vt morem *Gentilicium* mutaret, quo scilicet, Valentiniani etiam Iunioris & Theodosii adhuc æuo (vt Symmachi locus docet) Strenæ loco *Pateræ* cum quinis solidis, Principibus tanquam Numinibus offerebantur, seu libabantur; vt scilicet Honorius solidos auri tantum sibi offerri voluerit, more Gentilitio sublato, quo Pateræ (ne de sacrificalibus hic agamus, quæ huc non pertinent,) Deorum honori conferebantur, teste Liuio, *lib. 6. c. 4.* & *10. c. 23.* Plinio, *lib. 34. c. 8.* Ambrosio *de Virginibus, lib. 1. c. 5. n. 36 ed. Benedict.* Quod si ita est, tum ponenda fuerit hæc Honorii Imp. *lex* inter Christiana instituta, & in censu *legum* quibus Ecclesiastica Historia augeri potest. Verum hæc coniectura mihi multis nominibus non probatur. Quid igitur? cum hactenus libræ auri in huiusmodi votorum oblationibus, *urbanis ponderibus* conferentur, id est, trutinæ largioris examine (quod Symmachus, *Epistola*, quam mox producam, diserte testatur *lib. 10. ep. 26.*) & sic veteri proculdubio adhuc æstimatione, quo octoginta quatuor solidi in libram desiderabantur, Honorius testatum facere voluit, nolle se vota sibi hæc offerri vrbanis ponderibus seu trutinæ largioris examine: Verum ordinaria & stata tantum æstimatione, qua septuaginta duo solidi in libram auri de more iam computabantur? Hæc inquam verissi-

ma

ma mihi videtur huius *legis* ratio, atque Honorii mens: vt ita deuotionem & oblationem Senatus deinceps prouocaret, quod etiam extrema *legis* suadent. Neque tamen audio, vt hoc obiter quoque moneam, eos, qui ex *illo* quem mox consignabo *loco*, colligebant nescio quid de maioribus mensuris in Vrbe vsitatis, quam alibi. Est enim tantum locus ille de pondere auri, quod largius erat manseratque in Vrbe Roma hoc æuo, quam alibi: pro magnitudine videlicet & maiestate Vrbis, retento, vt puto, veteri pondere.

Cæterum obseruari cupio hac ætate, non hanc tantum a Senatu oblationem Veterum Imperatoribus Christianis ineunte anno pro felicibus anni auspiciis factam: Verum & alias insuper huic similes, veluti ob victoriam de Tyranno partam: de quo auro oblatitio est *l. 14. sup. de Senatoribus & gleb.* Decennalibus item, & Quindecennalibus Imperii: de qua est insignis Symmachi *Epistola 26. lib. 10.* quæ Valentiniano Iuniori inscribenda est, quamque hic Lectoris oculis subiici oportet, vt ea cum hac *lege* contendatur, seu committatur, cum qua plurima communia habet: Eo magis quod Doctissimus Iuretus eam prorsus intactam reliquit *in miscellaneis suis*.

D. Valentiniano semper Aug. Symm. Præf. Vrbi.

Si diuinæ clementiæ tuæ merita cogitantur, nullæ opes, quas aut natura sufficit, aut fortuna circumfert, gratiam nostri erga te AMORIS *æquabunt, D. Imperator: sed vt mea fert opinio, publicum de optimo Imperatore iudicium non est muneribus æstimandum.* SENATVS *tamen promptus obsequi, omnes officiorum partes vltro arripit, quibus indicatur* AFFECTIO: *& Salutare Numen Tuum precatur, vt in hac* OBLATIONE *quæ nonnihil superioribus addidit, intelligas hoc esse curatum, ne sub te minus posse videamur. Nam Diuis Parentibus tuis* [Valentiniano, & Valenti] *ob* DECENNIVM *singulis minor summa decreta est. Etiam Diuus Frater,* [Gratianus] *Mansuetudinis vestræ, cum tertium lustrum æui Imperialis exigeret* [A. D. 382.] *parciore munificentia honoratus asseritur: Nunc in amorem tuum studia nostra creuerunt: Nam mille sexcentas auri libras* DECENNALIBVS *Imperii tui fastis* DEVOTVS ORDO *promisit, vrbanis ponderibus conferendas, id est, trutinæ largioris examine. Quod si pares animo vires Sena-*
P.456 *tus habuisset, fieres in publico amore perennitatis tuæ esse diuitias. Sed maluit Clementiæ Tuæ solutionis fide placere, quam magnitudine perfidæ sponsionis. De hinc sub Imperatore primæuo* (Valentinianus Iunior, cum quadrimus Imp. declaratus fuisset, hoc tempore agebat quartum decimum annum) *sanus muneris modus,* VOTVM *est* SAPE *faciendi: Absit, vt bono Principi plus quam possumus,* INGERAMVS. *Amantium quippe largitio non deterit vires offerentium. Ergo & nunc libens sume Sacro Ærario decreta subsidia, &* FVTVRIS *processibus Imperii tui, obsequiorum similium* SPEM RESERVA.

Postremum, neque illud etiam hic omitti velim, Datam hanc legem III. *Non. Mart.* cum diu iam Kalendæ Ianuariæ præteriissent. Quare dicendum, hac *lege* non tantum in futurum formam Strenarum seu Votorum oblationi dati, verum hoc tempore primum persolutas Honorio Strenas, cum Theodosio M. initio huius anni promissæ fuissent. Promissiones scilicet huiusmodi oblationum ad Imp. prius perlatæ, vt ex *superiori* Symmachi *loco* liquet, quam solutio facta: qui tamen post Kalendas huius anni, XVI. Kal. Febr. obiit. Hinc & moles promissionis *l. 12. inf. de proximis.* Hinc oblatio Amplissimi Ordinis prompta liberalitate promissa, *l. 14. de Senatoribus.* Hinc in *superiore* Symmachi *loco* similiter, *deuotus Ordo promisit.*

Perspecta iam *huius leg.* sententia apparet primum, de *Triboniani* facinore, qui solidorum numero hic expuncto, *legisque* huius verbis interpolatis, loco istorum, *in vna libra auri solidis septuaginta duobus obryziacis,* [vel *solidos 72. obryziacos*] *Principibus offerendi:* hæc supposuit, *in vna libra auri & solidis obryzatis Principibus offerendis,* tam huius *legis* sententiam conturbauit, temque in incerto destituit. Hac enim *leg.* Imperator, vt vidimus, solidorum ad auri libram proportionem numerumque in strenis sibi præstandis definitum iuit; isque vnicus huius *legis* scopus fuit: At Tribonianus sua *lege*, vt verba sonant, electionem tribuere videtur, vnius libræ auri, vel solidorum obryzatorum offerendorum, nullo solidorum numero expresso. Nam quod Amaya emendat Cod. Iust. *in vna libra auri ex solidis:* quidquid dicat, nihilo magis genuinum sensum restituit, de Septuaginta duobus solidis in libram computandis. Neque verum est quod idem ait, etiam non expresso solidorum numero, idem fuisse, dici *auri libram* dari oportere, & *septuaginta duos solidos.* Nam imo id exprésse, quod ante ostendimus cautum oportuit, neque alio fine hæc *lex* lata est, quam vt solidorum numerus exprimeretur, quot videl. libram hic efficerent: & sic taxaretur Libra, quot solidi in Libram essent computandi, seu quot sol. dis Libra censeretur. Panciroli etiam interpretatio *lib. 2. var. 263.* inanis est, qui hanc *legem* vt in *Codice Iust.* posita est, ex *Symmachi* loco quem ante attulimus ita interpretatur, quasi Imperator id voluerit, *vnam Libram auri* (in patera scilicet) & solidos (quinque scilicet) *offerendos:* ita scilicet errores erroribus cumulantur, posteaquam a vero semel recessum. & primigenia *legis* lectio interpolata est. Neque altera Amayæ coniectura admittenda, qui hanc *legem* latam ideo censet, vt loco pateræ, quæ antea offerebatur, solidi offerrentur. Nam ipsa *lex* id respuit: deinde non *lege* ad id opus fuit; quandoquidem quod *genus* oblationis attinet, id a Senatus arbitrio semper pependit: modus tantum *solutionis* hac *leg.* definitus, ne videl. vltra 72. solidos in auri Libram exigerentur: nempe cum promissa ante fuissent Imperatori Vota, seu Strenæ huiusmodi auri, modusque ad eum perlatus fuisset, quæri cœpit, in huiusmodi promissione, quot solidis æstimanda esset Libra auri? Ad quod rescribit nunc Imperator, sese *animo libenti suscipere septuaginta duos solidos in vnam libram auri:* seu pro vna libra auri. Et huius facti seu Rescripti, & declarationis suæ rationem mox suggerit: Nempe id ita a se statui, quo deinceps sequentibus annis deuotio Senatus prouocetur: quæ stare potuisset, si vltronea hæc

hæc oblatio & promiſſio rigidius explicaretur. Iuliani certe quoque factum huic haud omnino abſimile, qui id quoque ſtatuit, ne *ſeptuaginta ſolidis* maiores coronæ aureæ ſibi deinceps mitterentur, de quo eſt ſingularis Libanii locus, *in Orat. funebri in Iuliani necem, p. 305. edit. Morelli* quem affero ad *l. 1. inf. de auro coronario*, cuius hæc inter alia, ὁ δὲ ἐπιτιμήσας τῷ μεγέθει σαφῶς εἰδὼς, ὡς οὐκ ἄνευ πόνου τὰ τοιαῦτα συλλέγοιτο, νομοθετεῖ, τὸν στέφανον ἀπὸ στατήρων ἑβδομήκοντα φοιτᾶν, τὴν μὲν τιμὴν ἴσην νομίζων ἑκατέρου δύνασθαι, φιλοχρημάτου δὲ εἶναι κέρδη ζητεῖν ἐν τιμῶν σχήματι. *At hic (princeps) magnitudinem reprehendebat, cum probe noſſet, vt non ſine labore huiuſcemodi colligerentur, lege ſanxit, ſtatuitque, vt corona ſeptuaginta ſtaterum in frequenti eſſet vſu, ratus pretium æquale alterutrius eſſe: ſed pecuniæ amantis eſſe, lucrum quærere in pretiorum figura.*

Illud tamen, quæ Limitatio notanda, hac parte vult Imperator, vt hi ſolidi ſeptuaginta duo *obryziazi* ſint, vt ita etſi numero Libram nunc imminueret, ſaltem auri id aliquo modo penſaretur. Alioquin enim in voluntaria auri coronarii oblatione Theodoſius in *l. 4. infr. de auro Coronario*, voluit ſuſcipi id in quacumque materia oblatum: *ne*, inquit, *quod voluntate offertur, occaſione obryzæ incrementi neceſſitatis iniuria inſequatur.*

Ex huius quoque certe *legis* fine illud colligi putem, vnumquemque eorum, qui hanc oblationem faciebant, Libram auri obtuliſſe, ſeu contuliſſe; & pro ea iam ex *huius l.* diſpoſitione 72. tantum ſolidos obryziacos. Quomodo & illud putem apud Symmachum, ante annos ferme vndecim, *paterant cum quinis ſolidis*, Libræ circiter reſpondiſſe, vel æquaſſe, pro quibus mox libra in vſum inuecta. Falſum quoque eſt, quod Amaya addit, hanc Strenarum oblationem remiſſam fuiſſe a Maioriano *Nouella 1.* Curialibus. Noſtra enim hæc ab ea plane diuerſa eſt: *hæc* enim, vt vidimus, a Senatu Romano, Principi offerebatur; *illam* a Curialibus Iudices extorquebant.

Poſtremo loco mirum videri poſſit, cur hic titulus hoc loco poſitus ſit? Verum prona ratio ex his quæ Symmachus *ſuperiore loco* dicit, & poſt eum *Metellus*, Strenas has Imperatoribus datas tanquam Inſigne, quaſi Strenuis Viris ob virtutem, & Defenſoribus publicæ ſalutis. Sic ſane & ferro, milites tam Armatæ, quam Palatinæ militiæ hoc ipſa tempore *puncti Solatia* conſequebantur. Eandemque ſedem recte Tribonianus *in ſuo Codice* huic *Titulo* adſignauit. Quare Amayæ error eſt, qui Triboniani incuriæ adſcribit, quod is *Titulum* hunc, *Titulo de Auro Coronario*, non coniunxerit: Nam vt modo vidimus, *Codicem Theodoſianum* in eo ſecutus eſt: & recte vtrique Conditores: ita enim Coronarii auri Oblatio Curias reſpicit, & ideo *lib. 12.* recte congruit: hic vero *Titulus* ad Senatum V. R. ſpectat, qui Imperatorem tanquam Strenuum Reipublicæ Defenſorem hac Oblatione proſequebatur: Non vnum ſcil. Oblationis genus erat; eſt illud, de quo *libro 7.* Eſt Oblatio equorum, de qua *lib. 11.* Eſt auri Coronarii Oblatio, de qua *lib. 12.* Eſt Oblatio Votorum, de qua *hoc lib. 7.* & ſic omnes illi *Tituli*, ſuo loco recte poſiti ſunt.



CODI-



P.457

CODICIS THEODOSIANI
LIBER OCTAVVS.

QVO AGITVR DE TRIBVS:

I. De Officiis, seu de Officialibus Iudicum: vbi & de *cursus publici* cura ad eos pertinente, Titulis vndecim prioribus.
II. De Donationibvs, Titulis quatuor sequentibus: puta *Tit. 12. 13. 14. 15.*
III. De Maritorvm & Parentvm priuilegiis circa bona & successiones, quatuor postremis Titulis: puta, *Tit 16. 17. 18. vlt.*

HVIVS LIBRI TITVLI.

DE NVMERARIIS ACTVARIIS, SCRINIARIIS ET EXCEPTORIBVS.

TITVLVS I.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. XLIX.

PARATITLON.

I. NVmerarii, de quibus *Rubr. l. 4. 6. 7. 8. 9. 11. 13. 14. 15. 16. 17. h. t.* & *l. 7. infr. de Susceptorib. l. 4. inf. de Executorib. l. 173. inf. de decurion. l. 3. 5. 7. inf. de iis qua administr. l. 1.*

sup. de Primicerio & Notariis: l. 11. sup. de priuil. eorum qui in S. Pal. dicuntur & TABVLARII, etiam Præfecti Prætorio, *l. 1. h. t.* Quod nomen postea restrictum ad Tabularios Consularium & Præsidum, *l. 9. 12. h. t. l. 13. inf. de annon. l. 30. inf. de Susceptorib. l. vlt. infr. tit. prox.* Erant hi in officio seu inter Officiales: Vnde Tabularii Apparitores, *l. 2. infr. de susceptorib.* (ad differentiam Tabularii Ciuitatis, *l. 1. infr. de exactionib. l. 5. infr. de iis quæ admin.*) Numerarii Præfecti Prætorio, *l. 8. 11. & l. vlt. h. t. & l. 5. infr. de iis quæ admin. Nouella* Valentin. *inter Theodos. de officio & Numerariis Præfectorum Prætorio 46.* Præfecti Vrbis, *l. 14. h. t.* Comitum Illustrium virorum, id est Comitum S. L. & R. P. *d. l. 4. inf. de executorib.* Magistrorum militum, *l. 15. h. t.* (quorum mentio apud Ammianum Marcellinum *lib. 19. c. 9.* vbi memorat Iacobum & Cæsium Numerarios apparitionis Magistri Equitum & in *Not. Imp.*) *fol. 30. 33. 36.* Vicariorum, *d. l. 5. infr. de iis quæ administ.* Diuersorum denique Iudicum & Rectorum, *l. 4. 8. 12. h. t.* & *l. 2. infr. de iis quæ adm.* veluti Correctorum, *l. 6. h. t.* Consularium & Præsidum, *l. 9. h. t.* Ducum, *l. 16. h. t.*

Horum officium fisco obnoxium erat, *l. 1. in fin. h. t.* hi quippe publicas rationes ciuitatum tractabant; seu chartas publicas administrabant, *l. 6. h. t.* chartarum notitiam habebant, *l. 7. h. t.* penes eos publicarum rationum notitia consistebat, *dict. Nouella* Valentin. *inter Theodosianas 46.* Scriniis inseruiebant, *l. 8. h. t.* ratiocinia præstabant, *d. l. 8.* debitorum ac reliquorum modum frequenter Iudicibus ingerebant, *l. 9. h. t.* Ad hos pertinebat munerum iniungendorum cura, vt docet *lex 1. sup. de primicerio & Notariis*: & *lex 11 sup. de priuil. eorum qui in sacro palat. milit.* Extra ordinem quoque ex his susceptores creabantur, *l. 7. infr. de susceptor.* Inter Tabularios autem (seu Numerarios) Præfecti Prætorio, fuit vnus qui officium Tabulariorum administrabat, *l. 1. h. t.* seu Primus & Magister officii, *l. 8. h. t.* quod officium fisco obnoxium dicitur *d. l. 1.*

Porro Numerarii hi, ceu improbi sæpe notati. Inde Numerariorum fastus, vel rapaces quæstus, *l. 11. sup. de priuil. eorum qui in Sacr. Pal. milit.* vorax & fraudulentum Numerariorum propositum, *l. 4. h. t.* (cui iungenda *lex 2. infr. de iis quæ administr.*) Fraudes *l. 8. 15. h. t.* Versutæ fraudes iis adscribuntur, *l. 6. h. t.* fraudium futelæ *l. 7. h. t.* fraudium scelus, *l. 11. h. t.* Torpor & segnitia, *l. 9. h. t.* Inde factum vt conditionales essent, *l. 7. 8. h. t.* & conditionis vilioris, *d. l. 7. inf.* & *l. 11.* Sicut si publicas rationes lacerassent, reque exigente, tormentorum conditioni, tormenti eculeis atque lacerationibus subiacerent, *l. 4. 6. 7. & 9.* & *11. in fine, inf. h. t.* seu per tormenta fraudes eorum detegi possent, *l. 7. h. t.* Imo & inde factum, vt exacto nondum officio cingulum militiæ adipisci non possent, *l. 6. 7. 8. h. t.* (quod mutatum a Valentiniano Seniore quoad Numerarios Præfecti Prætorio, *l. 11. h. t.* Item vt maioris militiæ dignitatem ambire, seu assequi vetarentur, *l. 13. h. t.* Imo & Domesticorum militiam affectare vetiti, *l. vlt. h. t.* Durante item officio quicquam emere vendere vetabantur, *l. 2. l. 3. l. 5. l. 7. infr. de ijs quæ administr.* quarum prior iungenda est, *legi 4. h. t* postrema *legi 13. h. t.* Ob eandem causam & biennales tantum erant, *l. 4. h. t.* postea quinquennales, *l. 6.* & *8. h. t.* tandem triennales, *l 9. 13.* & *l. vlt. h. t.* Finitoque officio, vno anno vacare, & in prouinciis residere eos oportebat, vt incusantium querelas exciperent, *l. 6. h. t.* quod biennio postea immutatum, *l. 9. h. t.* Eundemque actum repetere amplius non poterant, *l. 16. h. t.* Vicissim exacto tempore diuinam Principis purpuram venerabantur, *l. 13. h. t.* Si Numerarios creditum sibi munus bene administrasse claruisset, Perfectissimi dignitate decorabantur, *l. 6. h. t.* Item post quinquennium Discussionibus amplius eos subiacere noluit Valentinianus III. *Nouel. inter Theodos. 46.*

II. ACTVARII, de quibus agitur *l. 2. 5. 10. 14.* & *15. h. t.* & *l. 4. infr. de executorib. l. 125. inf. de Decurionib.* & *l. 11. 13. 16. 24.* & *28. sup. de erogat. milit. annon.* Illi sub Magistris militum fuere *l. 5. h. t.* rationes scilicet perscribebant, *dict. l. 15. h. t.* ratiocinia pertractabant, *dict. l. 16. sup. de erogat. milit. annon.* & quantum numero, quantumcunque militi annonæ competeret, subscribebant. Eundem & *subscribendarium* dici, *l. 1. sup. de erogat. milit. annonæ*, quidam putant, sed male, vt ad eam *legem* ostendi. Iidemque velut improbi sæpe notati. Vnde fraudes & Rapinæ iis adscribuntur, *l. 10. h. t.* (de quibus est insignis apud Victorem Schotti locus *in Gallieno c. 33.*) Inde factum pariter, vt Conditionales, *l. 3.* & *5. h. t.* & decennales essent, *l. 10. h. t.* Inde ad alios durante officio dignitates inrepere vetiti, *l. 5. h. t.* vt & idem officium repetere, *l. 15. h. t.* vel Numerariis se sociare, *l. 14. h. t.* Vicissim annonæ eis de publico præbitæ, *l. 3.* & *10. h. t.* Immunesque ipsi

ipsi a capitatione fuere, *l. 3. h. t.* Finitoque probe officio Perfectissimatus honore potiebantur, *d. l. 14. h. t.*

III. SCRINIARII & scrinia (non Principis, de quibus *lib. 6. tit. de Magistris scriniorum*, & *tit. de Proximis, &c.* Verum Magistratuum) *l. 15.* & *16. h. t. l. 3. inf. de Indictionib. l. 14. inf. de diuers. officiis*, erant in officio Magistratuum, veluti PP. *d. l. 3. infr. de indictionib. l. 13. de indulg. debitor.* Magistri militum, *l. 15. h. t.* Ducis, *l. 16. h. t.* Comitis Thesaurorum, *l. 14. inf. de diuers. offic.* hi rationes perscribebant, *d. l. 15. h. t.* delegationes Indictionum scriniariis Præfecti Prætorio mittebant, *d l. 3. h. t.* Et ab his quædam improbe imo crudeliter perpetrari solita, docet, *l. 16. h. t.* Ideo triennio tantum eum actum sustinuere,
P.459 eumque repetere vetiti, *l. 15. 16. h. t.* Denique cum Actuariis miscere se vetiti, *d. l. 15. h. t.* Inter hos etiam Primiscrinii, de quibus *l. 24. inf. de executorib. l. vlt. inf. de suariis:* Cassiodorus XI. *Var. 20. 21.* De scriniis Largitionum Comitatensium, *l. 5. 7. de Palat. S. L.* canonum, *l. 15.* & *18. de murilegulis:* Tabulariorum, *d. l. 18. h. t.*

IV. EXCEPTORES quoque de quibus *Rubr.* & *l. 2. h. t.* & *l. 17. inf. de diuers. officiis, l. 16. sup. de prox. com. disp. l. 7.* & *22. sup. de Palatin. S. L.* in officio Iudicum omnium fuere, *d. l. 17. de diu. off.* veluti Præfecti Prætorio, *d. l. 2. h. t.* Cassiodorus *lib. XI. Var. 25.* Comitis S. L. *d. l. 7.* & *22. sup. de Palatin. S. L.* Hi actis conscribendis operam nauabant. Exceptores autem esse poterant quoque Decuriones, sic vt finito officio ad Curiam redirent, *d. l. 17. inf. de diuers. officiis:* neque militiam cohortalem sustinebant, *d. l. 17.* neque annonas a fisco vllas consequebantur, *d. l. 17.* Annalesque erant, *d. l. 22. de Palat. S. L.* Tandem pro loco & ordine suo ad Commentarios accedebant & eorum administrationi subrogabantur, *d. l. 2. h. t.* vbi dicam.

Præter quatuor illa officiorum genera, de quibus *Rubrica huius tituli:* Agitur *hoc titulo* etiam de ANNONARIIS, *l. 3. h. t.* de ADIVTORIBVS, *l. 8.* & *16. h. t.* & *l. 4. infr. de Executorib.* de DOMESTICIS, *l. 16.* & *l. vlt. h. t.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS Augustus ad Leontium. (b)

DVDVM sanximus, + *Vt nullus ad singula* (c) *officia administranda ambitione perueniat, vel maxime ad Tabularios, nisi qui ex ordine vel corpore officii vniuscuiusque est:* hos enim officia sibi iniuncta tam diu agere iubemus, quoad idoneos esse manifestum est, aut ætate non impediente conplere id posse monstrantur, (d) vt administratione apud vnum iugiter (e) permanente, fides quoque eius appareat. Si quis ergo ex suffragio ambitionis ad officia fisco obnoxia accesserit, multæ nomine denas libras auri exigatur. PP. V. Id. Iun. Hierapoli, (f) Constantino A. V. & Licinio Cæs. CONSS. [318.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) PP. Quomodo habet anno 317. inscriptio *legis vn. infr. si quis solidi circulum:* imo & inscriptio *legis 1. Cod. Iust. de commeatu.* IDEM.

+ *Lex* hæc Constantini, si Constantini, mihi non occurrit. *ID.*

(c) Singula, id est quæcunque officia. *ID.*

(d) *Demonstrantur*, probantur: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

(e) *Iugiter*, id est semper. *ID.*

(f) Ex hac subscriptione colligi videtur, hanc *legem* a Licinio, non a Constantino latam fuisse: quandoquidem ei hoc tempore Oriens parebat, vid. Zosimus *lib 2. cap. 20.* *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. quatuor constitutiones *hoc tit.* occurrunt de Officialibus Magistratuum quibus addendæ sunt & quatuor insuper aliæ eiusdem, puta *lex 1. 2. 3. inf. de cohortalib. lex 1. 2. inf. de diuers. officiis:* Ex quibus apparet, quonam erga Officiales animo Imp. hic comparatus fuerit. Sane inter alia, vt PROMOTIONIS ordo inter eos conseruaretur, tribus legibus prouidit: *d. l. 1. inf. de diuers. officiis:* & *l. 1. 2. h. t.* Et hac Prima nominatim, ad PRINCIPATVM seu PRIMICERIATVM officii alicuius inter Officiales Magistratuum, id enim est in *h. l. administrare officia*, id est *administratio*, at maxime ad principatum Tabulariorum, turbato ordine per Ambitum & suffragia promoueri quemquam vetat Constantinus) M. (si modo Constantinus) iuxta anteriorem etiam hac de re constitutio-

ſtitutionem, idque propoſita ambitori decem librarum auri pœna (Quomodo etiam poſtea ſæpe prohibitum, ne per ambitum quiſquam idem officium repeteret: ab Honorio Imp. *l. 2. 3. 4. infr. ad leg. Iuliam de Ambitu:* & a Theodoſio Iun. *l. 15.* & *16. inf. h.t.*) Hac lege *officia adminiſtrare*, ſeu *adminiſtratio officii*, eſt Principem officii eſſe, ſeu Principatum officii gerere, vt dicitur *l. 15. inf.* eodemque ſenſu *l. 2. inf.* Commentariorum adminiſtratio dicitur de Primiceriatu ſeu Principatu Exceptorum. Princeps ſcilicet ſeu Primicerius non tantum totius officii ſub Magiſtratu aliquo erat, cuius frequens mentio in *Notitia Imperii*. & in Conſtantini *l. 1. ſup. de officio Rector. prouinc.* vbi plura de eo Principe; verum etiam ſingulorum officiorum, vt hic dicitur, ſeu ſingularis alicuius officii ſeu ſcholæ veluti Tabulariorum, Numerariorum, quod hæc *lex*, & *d. l. 15.* & *l. 16. h. t.* & *dicta Notitia Imperii Occident.* inter Officiales Conſularium, Correctorum & Præſidum docent. De Tabulariis his in officio Magiſtratuum ſatis prolixe docet Paratitlon *huius tituli*, cum quibus miſcendi non ſunt Tabularii, de quibus *inf. ſuo tit. de Tabulariis*, qui municipales fuerunt, non vero in officio Magiſtratuum. Quod etiam oſtendit poſitio *Tituli, de Tabulariis*, in *Cod. Iuſt.* nempe inter eos in quibus agitur de muneribus municipalibus. Meminit etiam Ammianus Marcellinus Tabularii Præſidialis officii *lib. 28. cap. 1.* (vbi de Maximino) vbi tamen vulgò male *Tubulario*, quod etiam nonnemo ioculariter de aqua, vel calure per tubos in vſum Præſidis deducto interpretabatur. De quo ad *eum tit.* prolixe.

Quid igitur? Ex ordine & Corpore cuiuſque officii ad Principatum promoueri quemque oportere *hac l.* definitur: *ex ordine*, id eſt, ordine ſeruato; *ex corpore officii*, id eſt, ſic vt qui Tabularii officio fungitur, Princeps Tabulariorum promoueatur, non ex alio officii genere ſumatur. Et Ratio indicatur, *Vt ita idonei & probati promoueantur*, P. 460
quique id complere poſſint, dummodo ætas mala impedimento non ſit. Quod aduerſus ſaltuarias quoque promotiones notandum eſt, pro gradaria promotione, ſeu pro promotionis ordine cuſtodiendo: tum vt ambitus excludatur, tum vt officia eo melius adminiſtrentur: Cuius promotionis & ordinis, vt dixi, ſtudioſus maxime fuit Conſtantinus M. vt præter hanc legem, eiuſdem *lex prox. 2.* & *lex 1. infr. de diuerſ. offic.* fidem faciunt: de quo Promotionis ordine *ad l. 2. prox.* Fuerunt & alii Principes pariter ſtudioſi in dignitatibus conferendis: de quo vide ſaltem *l. 1. ſup. de Caſtrenſianis.*

Atenim hæc lex proprie lata aſt, non aduerſus ſaltuarias promotiones ex eodem Corpore vel Ordine, verum aduerſus promotiones ex alio Corpore & Ordine in aliud Corpus, & Ordinem: Cuius vt dixi illa ratio redditur, vt ita idonei & probati promoueantur. Nempe in eodem Corpore & Ordine innutriti, melius principatum eiuſdem officii geſturi creduntur. Quanquam & hæc ratio adduci poteſt, ne debitum Principatum iis, qui per gradus in eodem Ordine militarunt, alii & extranei præripiant. Quo pertinent multæ aliæ *leges*.

II. (a) Idem A. * (b)

NE hii, qui procul ab officio Sublimitatis (c) Tuæ ſunt, nullum meritum per ſedulitatem vel obſequia præferentes, locum (d) poſſint laborantibus debitum inrepere, Exceptores placet pro loco & ordine ſuo ad Commentarios accedere, & eorum adminiſtrationi ſubrogari, & (e) ceteris propulſatis, ita vt inter Exceptores prout quiſque locum tempore adipiſci meruerit, ordine & merito conſequatur. Dat. Kal. Iul. Triueris, (f) Baſſo & Ablauio CONSS. [331.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* *GOTHOFREDVS.*

(b) PP. Galliarum inſcriptam fuiſſe puto hanc legem propter ea quæ dicam ad ſubſcriptionem. *ID.*

(c) Hic titulus indicat, ad PP. hanc *legem* emiſſam. *IDEM.*

(d) Melius, *vel in locum*, &c. *inrepere*, vel *locum*, &c. *præripere.* *IDEM.*

(e) Abundat hæc vox. *IDEM.*

(f) Hoc anno Conſtantinus M. non in Gallia, verum Conſtantinopoli fuit. Quare *Data*, hic accipiendum pro *Reddita*, Præfecto ſcilicet Prætorio Galliarum: cuius Treuiris ſedes erat: quo ipſo ſenſu hæc ſubſcriptio accipienda in aliis *duabus* eiuſdem Conſtantini *legibus*, puta *l. 1. de his quae ex publ. coll. l. 5. de Veteranis*: & in duabus pariter Valentiniani Iun. puta *l. 3. vnde Vi*: *l. 5. de Proximis.* *IDEM.*

C O M M E N T A R I V S.

PROMOTIONIS ordinem inter Officiales (ac nominatim P. P. in ſp. *huius l.*) ſeruari iubet Conſtantinus M. hac altera *lege*, pariter vt *l. 1. ſup.* & *l. 1. inf. de diuerſ. offic.* & quidem *hac l.* aduerſus eorum, qui in officio non militant, ambitum. Ac nominatim circa Exceptorum ad Principatum promotionem: de quo & Caſſiodorus XI. *Var. 25.* De *Exceptorib.* muniit iam *Paratitlon* ſatis, quantum hic *Codex* præiucere poteſt. Addamus alia aliunde. Meminit quoque Epiphanius *aduerſus hæreſes lib. 3. hæreſi 71. pag. 829. edit. Colonienſ. 1682.* Exceptoris Rufini Præfecti, ſub Conſtantio, qui inter alios ταχυγράφυς fuit A. 351. in collatione inter Baſilium Ancyranum & Photinum. De his exceptoribus P. P. eorumque συμμορία, id eſt, ſchola, eiuſque Primicerio, ſed & tertio & quarto in ea eſt inſignis Syneſii locus *Epiſt. 61.* Ἀςέριος (inquit) ὁ ταχυγράφος, &c. quem mox ὑπηρέτην vocat (vbi ἑταῖρον male vetus lectio habebat: nam, quod etiam recte Petauius notauit, apertiſſima eſt in eo loco Antitheſis Conſulis & miniſtri.) Tandem ſubiicit, σὺ δὲ τἄλλα Μάρκον ζητήσεις φανερώτατον ἄνδρα τὸν ἐκ τῆς ὑπάρχυ τάξεως. ἔτος ἦν τότε τῆς συμμορίας ἄρχων τῶν ταχυγράφων τῆς τὸν Ἀςέριον ἐχύσης. εὑρήσεις οὖν διὰ Μάρκυ τὴν συμμορίαν ἧς ὐκ Ἀςέριος ἔσχατος ἀλλ᾽ ἐν αὐτοῖς τρίτος ἢ τέταρτος νῦν δὲ κἂν πρῶτος εἴη.

Tu

Tu vero Marcum quarito notissimum hominem, ex Præfecti coborte. hic tum schola Notariorum prærat, in qua numerabatur Asterius. Itaque per Marcum ordinem ipsum reperies, in quo non postremus erat Asterius, sed tertius fere vel quartus: Nunc fortasse primus. Vel ipso igitur nomine satis liquet, Exceptores fuisse qui acta, seu gesta publica officii excipiebant, scribebant, vnde ταχυγράφοι Græcis & ὀξυγράφοι. Iidem ea Acta custodiebant: & vbi opus in Secretario Iudicum recitabant: vti apparet ex *Actis Iudicum* relatis a D. Augustino *contra Cresconium lib. 5. cap. 29. Nundinarius legantur acta: Zenophilus Consularis dixit, legantur & legit N. Exceptor ea quæ Diocletiano Imperante acta fuerant.* Ac maxime vtrumque id apparet ex *Actis collat. Karthagin. post Cos. Varanis:* Ibi enim *coll. 1. diei, n. 1. pag. 1049.* & *coll. diei 2. n. 1. pag. 1115.* & *diei 3. n. 1. pag. 1144. num. 4.* & *5. pag. 1145. Tom. I. Concil. Harduin.* excepisse acta dicuntur Hilarus & Prætextatus *Exceptores D. N. V. C. & Spectabilis Proconsulis, Fabius Exceptor D. N. V. C. & Spectabilis Vicarii, Romulus Exceptor V. C. Legati A. K.* Item *n. 5. Coll. 1. p. 1052. Martialis* Exceptor recitasse Honorii Imp. sanctionem & Marcellini Cognitoris edictum. Item *num. 14. Collat. 1. pag. 1056. Romulus* Exceptor recitasse exemplum Notoriæ Donatistarum: item *num. 16. Collat. 1. pag. ead.* exemplum notoriæ Catholicorum, & *n. 55. Collat. 1. pag. 1066.* & *num. 57. p. 1072.* idem *Romulus* maodatum factum in Ecclesia, atque ab Aurelio Ep. susceptum & subscriptum recitauit. *Ibid.* etiam *Martialis* Exceptor numerum Episcoporum dixit, qui *num. 99. Collat. eiusd. pag. 1077.* mandatum recitauit. & post eum *Honoratus* Exceptor *num. 112. pag. cit.* Post; *Hilarus* Exceptor *num. 132. Collat. eiusd. pag. 1084.* poscit e Corpore suo alios Exceptores sibi subrogari custodibus datis, quoniam codices impleuissent. Et Marcellinus Cognitor *ibid.* decernit Exceptoribus ab vtraque parte custodes dari. Mox alii subrogantur Exceptores, & Custodes ab vtraque parte dantur Vide & quæ sequuntur *cap. 133. pag. 1084. seqq.* Vide & *Collat. diei 2. n. 1. pag. 1115.* de *Hilaro, Prætextato, Fabio* & *Romulo Exceptoribus: num. 8. pag. 1116.* de *Martiali* de quo etiam *num. 12. pag. ead. num. 32. pag. 1118. num. 44. pag. 1119.* & die 3. *num. 1. pag. 1144.* de *Hilaro Prætextato, Fabio, Romulo, Exceptoribus: num. 4. pag. 1145.* de *Martiali*, & de eodem *num. 5. pag. cit. num. 24. pag. 1147. num. 29. pag. ead. num. 141. pag. 1164. num. 220. pag. 1175. edit. citat.* Ergo Acta conficiebant, seruabant, recitabant Exceptores, seu chartas Officii tractabant. Inde qui alibi *in Notia* dieuntur *Exceptores*, velut in com. S. L. *fol. 141.* alibi, *in comit. u. P.* officii *chartas tractare* dicuntur *fol. 144.* Tandem & de iure petentibus Acta edebant, vt docet *l. 12. §. 1. Cod. Iust. de proxim. sacr. scriniorum:* & prædicta Acta coll. Karthag. *die 3. n. 3. 4. 5. pag. 1145. ed. cit. Tom. I.* Horum Exceptorum passiua meotio in *Notitia Imperii* inter omnium Magistratuum officiales. De his sensit & idem Constantinus M. *l. 1. sup. de off. Rector. prou.* cum ait: *Eorumque qui iurgantibus acta restituunt, inexpleta auiditas temperetur.* De iisdem agitur & *l. 1. §. 8.* P. 461 *vers. in schola Exceptorum, Cod. Iust. de off. P. P. Afr. l. vlt. Cod. eod. de princip. agent. l. 7. §. vlt. Cod. eod. de adu. diu. Iudicum l. vlt. Cod. eod. de castr. pecul.* & *l. vlt. Cod. eod. de apparitor. P. P.* Horum Primicerius seu Princeps ἄρχων quidam fuit, vt iuxta *hanc leg.* testes sunt Synesius *superiori loco*, & Notitia Imp. *in com. S. L.* & Cassiodorus II. *Variar.* qui & Adiutores habebat.

De horum igitur Exceptorum promotione est hæc *lex* Constantioi M. qua vult, vt Exceptor, pront quisque locum tempore adipisci meruerit, ordine & merito consequatur, & aliis exclusis, pro loco & ordine suo ad Commentarios accedat & eorum administrationi subrogetur. *Ad commentarios accedere, & eorum administrationi subrogari,* non est hic Commentariensem fieri, quod volebat Pancirolus *c. 13. in fin. de Commentariensi*, quasi Exceptor peracto tempore officii sui Commentariensis fieret, verum, est Primicerium officii Exceptorum fieri: scrinium seu scholam & officium Exceptorum administrare; qua *administrationis* voce hæc *lex* vtitur, vt & *l. 1. sup.* administrare, & administratio officii, pro Principatu officii seu Primiceriatu; Ergo de Primicerio Exceptorum est hic locus: Idenque dicitur hic *ad commentarios accedere:* Nempe Primicerius Exceptorum, commentarios Actorum sub sua custodia habebat: cæterique exceptores sub huc positi, Acta tanrum excipiebant, singulaque edebant: At Primicerius commentarios omnium Actorum penes se habebat: & vt describitur in Notitia Com. R. P. *chartas ipsius officii tractabat.*

III. (a) Idem A. ad Maximum PF. P. (b)

VTilitate suadente, Annonarios & Actuarios condicionales esse præcipimus; annonis etiam adiuuari: & capitationem eorum qui censeti (c) sunt haberi immunem. Ideoque, Tua Solertia conpetentia monebit Officia, vt Actuariis binas annonas, Annonariis vero singulas protinus subministrent: Capitationem quoque ipsorum tantum qui ex his censeti sunt faciat haberi immunem, quoad in actu fuerint constituti: nam postea vel laus eos & dignitas honorabit, vel si in culpa fuerint deprehensi, pœna comitabitur. Emissa (d) III. Non. Maii, Dalmatio & Zenophilo CONSS. [333.]

N O T A E.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) Eidem *Maxime* [P. P.] inscribitur Anno 328. *lex 5. sup. de Veteranis*, (ex cuius subscriptione colligere mihi videor eum P. P. Galliarum fuisse.) Et Anno 337. *lex 2. infr. de excus. artificum.* IDEM.

(c) Sic & infr. pro *censiti:* vi incensio, *l. vn. infr. de classicis.* IDEM.

(d) *Emissa:* similis subscriptio in *l. 9. sup. de Agentib. in reb. l. 11. infr. de diuers. officiis: l. 30. 50. infr. de appellat. l. 112. infr. de Decurionib.* & *Nouell. Theodos. 23.* De eius vi dico *in Prolegomenis.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE ANNONARIIS & ACTVARIIS est hæc Constantioi M. lex, qua Tria de his constituuntur. De ipsis ante omnia videndum est. Et primo quidem de *Annonariis* quorum vnica hæc mentio extat. Eos vero puto esse qui annonæ militari erogandæ præerant: In quibus & qui alias *Optiones* ipsi erogatores dicuntur: de quib. *ad l. 1. sup. de erogat. milit. annon.* Et sane quemadmodum hic Annonarii & Actuarii iunguntur, tanquam vicina officia, ita & Actuarii & Optiones: *l. 24. sup. de erogat. mil. ann.* & *Nouella Martiani de indulgentiis reliquorum 2.* Sane Actuariis inferiores fuisse, quæ postea dicentur, ostendunt. Et hæc de Annonariis iam semel dixi ad *l. 11. sup. de erogat. mil. ann.* Nunc de *huius l.* sententia qui in singulis oumeris militarib. eius ratiociniis tractandis incumbebant, quantum scilicet cuique militi & quot militib. annonæ deberentur, vt postea erogationis faciendæ tempore id susceptori Pittacio significarent, moxque susceptam annooam Optio diuideret. Ideo & *lex 5. inf.* docet eos sub Magistro militum fuisse.

Ergo tria hac constitutione Constantious M. de vtrisque statuit. Primo *Conditionales* eos esse oportere: quod & ipsum de Actuariis rursum statutum a Constantio *l. 5.* vt & de Numerariis, *l. 7. 8. infr. h. t.* id est conditioni tormentorum & quæstionum obnoxios esse citra vllum priuilegium: quod aperte docent *d. l. 7.* imo & *lex 4. inf. h. t.* Hoc scilicet sensu *Conditionalium* vox *hic* accipienda est: & *d. l. 5. 7. 8.* a *conditione*: siue eo sensu, quo *ernenta conditio* dicitur pro quæstione & tormentis, *l. 2. infr. de quæstionib.* conditio tormentorum *l. 4. infr. prox.* cuius idem sensus est: siue (quod malo) quod conditione personæ actui alicui tenerentur: Neque dignitas tempore quæsita his quidquam prodesset. Nam quod Isidorus *cap. 24. lib. 5.* conditiones, testium dicta proprie dici ait, quam verum sit nescio: Certe ita quoque conditionales Tabularii dicuntur *l. 11. Cod. Iust. qui potiores in pignore:* præter Actuarios & Numerarios & Autiflatores, *l. ult. inf. de ponderatorib.* Custodes bibliothecæ, *l. 2. inf. de studiis liberal. V. R.* Denique & serui quidam conditionales, *l. 5. de iure fisci*, vbi dixi, seu *l. 7. C. Iust. eod.* Ergo & liberi quidam homines conditionales fuere, & serui quidam: vnde & operam seruilem præstare dicitur Conditionalis Tertulliano *c. 12. de Idololatria.* Vbi quendam de victu sollicitum post Christi fidem susceptam inducit ita loquentem: *Sed Conditionalis eram:* cui respondet mox: *Nemo duobus dominis seruire potest: si vis Domini discipulus esse crucem tuam tollas, & Dominum sequaris necesse est: id est, angustias & cruciatus tuos, vel corpus solum quod in modum crucis est.* Quare vt error est Pamelii, qui apud Tertullianum *Conditionalem* interpretatur, cuius officium erat aliquid condere, id est, ædificare: ita neque Iunio assentior, qui *Conductionalem* ibi tentabat pro conductitio. Ergo voluit Constantinus, voluit Constantius, Annonarios, Actuarios, Numerarios conditionales esse, sic vt quæstiooi subiici

P.462 possent: *Vtilitate suadente*, vt dicitur *h. l.* Nempe quia hæc hominum genera fraudibus famosa erant, quod *Paratitlon* docuit; & de qoo *ad leg. proxim. 4. inf.*

Secundo viceuersa vtilitate suadente Annonas his Annooariis & Actuariis subministrari vult de publico ex horreorum conditis (vt dicitur *l. 10. in f.*) de quorum Actuariorum annonis rursum *l. 10. inf.* procul dubio quia a militibus hactenus hoc nomine quid exigebant, & de ipsorum annonis demordebant, quod Constantinus fieri noluit: verum ex fisco annonas his dari maluit, id est, salarium quoddam in annonis seu speciebus, de quo *sup. tit. de erogat. mil. annon.* Ita quidem vt Actuariis binas annonas, Annonariis vero singulas subministrari velit. *Annona* fuot modus, & dimensum diurnum, & quidem in specie hac militis & militaris viri; de quo ad *l. 2. sup. de erogat. milit. annon.* diurnum inquam, Ammianus Marcellinus *lib. 22. cap. 4. Interrogatus ille quid haberet ex arte compendii? viginas* DIVRNAS *respondit annonas, totidemque pabula iumentorum, quæ vulgo dictitant capita, & annuum stipendium graue.* Igitur duas annonas Actuario, vnam tantum Annonario tribui iubet. Vnde apparet Actuarii maiorem rationem & operam fuisse quam Annonarii (de quibus Annonis Actuariorum postea adhuc *l. 10. inf.* vbi longe plures his decernuntur) Nempe binas & plures annonas accipere, non tantum maioris commodi, sed & dignationis fuit. Quo pertinet illud de Alexandro Seuero Lampridii *c. 41. Aulicum ministerium in id contraxit, vt essent tot homines in singulis officiis quot necessitas postularet: ita vt annonas non dignitatem acciperent fullones & vestitores, & pistores, & pincerna, omnes Castrenses ministri (quemadmodum pestis illa* [Heliogabalus] *instituerat) sed annonas singulas, vix binas.* Et rursum *c. 42. Medici sub eo vnus Palatinus salarium accepit: cæteri omnes qui vsque ad sex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant: ita vt mundas singulas consequerentur alias aliter.* Omitto varia alia loca Historiæ Augustæ. Cæterum multo maiores postea annonas imo & Capitum Actuariis dedit Valentinianus *l. 10. in h. t.*

Tertio capite *Immunitatem* eis tribuit Constantinus a sua tantum capitatione, si capite censi sint. Quomodo sane idem Constantinus varie immunitatem hanc tribuit militibus & veteranis; *l. 4. sup. de veteranis:* modo videlicet suæ tantum capitationis: modo suæ, & patris, & matris, & vxoris; modo suæ, & vxoris: Ergo & *hac l.* immunitatem capitationis tribuit Constantinus M. Annonariis & Actuariis, etsi non tam milites essent, quam militares, vt docui ad *l. 11. sup. de erogat. milit. annon.* Et quidem sui tantum capitis, seu capitationis, & peculii denique facultatum immunitate. Hactenus horum militarium virorum immunitatem stare voluit: quomodo & eo quo dixi fine, hactenus eorundem annonas. Rursum quamdiu in actu essent: cum alias vti dixi *d. l. 4.* militibus, etiam Veteranis, immunitatem capitationis dederit. Et sic apparet, quam diuersi hi a Militibus fuerint: etsi circa militares operas occupati, etsi sub Magistris militum constituti, vt docet *lex 5. inf.*

Militares deniq a Postremo capite Constantinus M. his laudem & dignitatem, beoe gesto actu pollicetur: contra, io culpa deprehensis pœnam minitatur: vt cæteroqnin Imperator hic egregius mentorum æstimator erat; laudemque adeo & dignitatem bene functis officio subinde pollicitus; retro pœnam qui secus gessissent minitatus est. Quæ duo sunt, quibus booos facere Iura solent, præmiis & pœnis.

IV. (a) Idem A. ad Benoricianum (b) Vicarium Asiæ.

VORAX & fraudulentum Numerariorum propositum, qui diuersis Rectoribus obsequuntur, ita inhibendum est, vt & antea sanximus, + & nunc itidem sancimus,

mus, condicioni (c) eos subditorum, (d) & eculeis (e) atque lacerationibus (f) subiacere: nec (g) vltra biennium hoc fungi obsequio, & cetera. Dat. XIV. Kal. Iun. Optato & Paulino CONSS. [334.]

NOTÆ.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* Iungendaque *huic* est *lex 2. infr. de his qua adminiftr.* GOTHOFREDUS.

(b) Veronicianum *d. l. 2. & Cod. Iust.* & Beronicianum *l. 6. in fin. de extraord. mun.* ID.

† *yg. fanaimus*, vel *fanaeranas*. ID.

(c) Ita conditio cruenta *l. 2. inf. de quaestionib.* ID.

(d) *yg. subditormum*, id est, tormentorum, vt Cod. Iust. ID.

(d) De *Eculeo* est quoque *lex 6. sup. de maleficiis.* IDEM.

(f) Intelligit vngulas latera secantes *d. l.* a seu ferarum vestigia, quibus latera perfecantur, *l. 1. infr. de emendat. feruor.* & ignes quibus admotis membra exuruntur, *d. l. 1.* IDEM.

(g) Hæc absunt a *Cod. Iust.* ID.

COMMENTARIUS.

DE NUMERARIIS est hæc Constantini M. *lex*, quæ maioris constitutionis Constantinianæ aduersus Numerariorum fraudes, auiditatem, concussiones, pars est, vt ostendit *lex*, *2. inf. de ns qua adminiftr.* quæ *huic* nostræ coniungenda venit. De Numerariis quoniam illi fuerint, & quantopere fraudibus & voracitate atque concussionibus famuli fuerint, docuit iam abunde *huius tituli* Paratitlon. Nunc conquirenda nobis sunt ea quæ apud Scriptores ἀπὸ τῶν ἔξω de his occurrunt.

De his igitur & quidem de Præfect. Prætorio Numerariis agitur *Nouella* Valentiniani *inter Theodosian. 49. de officio & Numerarus PP.* vbi dicitur *penes eos publicarum rationum notitiam consistere*: caueturque vt post quinquennium discussionibus non subiaceant. *Nouella Maioriani de adific. publicis*: *l. vlt. Cod. Iust. de fabricensib. l. vlt. Cod. eod. de exactorib.* Horum quoque mentio fit vbique in *Notitia Imperii* inter Officiales Iudicum seu Magistratuum. Ex qua quidem hæc obseruo.

Primo Numerarios in officio Magistratuum Ci- P.46 uilium postponi Commentariensibus, excepto tantum Proconsule & Vicariis in Occidente: præponi in officio Magistratuum militarium, excepto Duce Arabiæ, & Tinguanæ, & Britanniæ.

Secundo peculiare scrinium Numerariorum fuisse sub Comite S. L. pariter vt Tabulariorum, *f. 49.*

Tertio sub Præfecto Prætorio Illyrici quatuor Numerarios fuisse, in his auri vnum, alterum operarum. *fol. 16.* Quod etiam diserte testatur *l. vlt. Cod. Iust. eod. tit.* Vbi tamen *operum* nonnulli restituunt: arg. *Nouell. 128. cap. 18.* & *l. vlt. Cod. Iust. de Numerariis l. 1. §. 8. C. eod. de officio PP. Africa verf. in scrinio oper.*

Quarto, Numerarios modo quatuor fuisse, veluti sub PP. Illyrici; modo duos, veluti sub Magistris militum in Oriente, *fol. 33.* sub Proconsule Africæ, *fol. 149.* sub Vicariis comitibus, Ducibus; modo vnum fuisse, sub Consulari Palæstinæ, *fol. 107.* & Præside, Thebaidos, *f. 109.* sub P. V. Romæ, qui & Primiscrinius *fol. 119.* sub Magistris militum in Occidente, *f. 127. 134.* sub Duce Pannoniæ, *f. 171.* Valeriæ, *f. 169.* Belgicæ secundæ, *f. 175.* & Magontiacensi; *f. 178.* modo Numerarios sine numero designari.

Quinto ex Primiscriniis Numerarios factos, vt in Magistris militum notatur *fol. 30.*

Sexto Adiutores Numerariorum diserte nominantur in Ducibus Isauriæ Libyæ *fol. 89.* & Duce Thebaidos *fol. 90.* & Duce Palæstinæ *fol. 92.* Arabiæ *fol. 93.* Phœniciæ *fol. 95.* &c.

Septimo sub nonnullis Magistratibus nullos Numerarios reperio, sed duos Tabularios loco Numerarii, vt in Occidente sub Consularib. (Præsidibus,) *fol. 182. 183.*

Octauo Numerarios varie sumptos reperio. Numerarios scilicet Comitum militarium Africæ, Tingitanæ, littoris Saxonici, Britanniarum, & Ducum, duos singulos sumptos ex vtriusque Magistri militum Præsentalis officiis, Ducis Armoricani, numerorum a parte peditum vno anno Ducis Maguntiacensis a parte peditum semper *fol. 178.*

Nono, quod ad tempus officii attinet, reperio Numerarios quosdam diserte dici vno anno fuisse, veluti Numerarios sub duce Armoricani *fol. 174.* Britanniarum *fol. 177.* Et hactenus quidem de Numerariis ex *Notitia Imperii*.

Ammianus Marcellinus *lib. 19. cap. 9.* meminit Iacobi & Cesii *Numerariorum apparitionis Magistri Equitum*, vbi risi Marcellum Donatum, Numerarios in Ammiani Marcellini loco explicantem Ordinarios, & ex statuto numero Apparitores Magistri Equitum, quibus Supernumerarii opponuntur. Ad duos Numerarios Præfectorum Prætorio Christianos quosdam extant duæ *Epistolæ* Basilii Cæsariensis 418. 419. (*142. 143. edit. Benedict.*) vbi eos alloquens, τιμιότητα eis tribuit, eosque rogat misso ad eos *Chorepiscopo*, vt Ptochotrophii cuiusdam rationem habeant, idque a censu solutione immune præstent, καὶ πάντης ἂν εἶναι τῆς συντελείας: vnde etiam liquet Numerarios PP. circa tributorum ratiocinia versatos, de quo *Paratitlon* iam monuit. Hos, vt rect. aduertit Doctiss. Valesius, in *Amm. Marcellini*, *lib. 15. cap. 5.* Græci ψηφιστὰς seu διαψηφιστὰς vocant. Basilius in *ep. 250.* (*215. edit. Bened.*) *ad Dorotheum*, τῷ διαψηφιστῇ τῆς τάξεως τῶν ἐπάρχων ἔδωκα τὴν ἐπιστολήν. *Dedi epistolam Numerario officii Præfecturæ Prætor.* Et Sozomenus *lib. 4. cap. 27.* de Marathonio quodam: ὃς ἀπὸ ψηφισῶ δημοσίῳ τῶν ὑπὸ τὰς ὑπάρχους στρατιωτῶν πτωχῶν ἐπιμελεῖται. *Qui ex rationario publico officii præfecturæ Prætorianæ pauperum curam gessit.* Eunapius λογιστὰς eos appellat, vbi de Harbazatio, apud Suidam in Ἀρβαζάκιος. Quibus adde & Themistium *orat. 17. ed. Petau.*

Symmachus quoque *lib. 9. ep. 49.* ad Cæcilianum, quæ mutila est, Numerarii cuiusdam meminit, cui certamen quoddam erat cum opinatore quodam, qui Lucilli colonus fuerat: vbi pariter ratiociniorum mentio fit, quo certamine Lucilli filius eiusque domus percellebatur; proculdubio quia Opinatore misso ad exactionem annonæ, Numerarius contendebat censum a Lucillo olim non solutum. Id hactenus ex ea *epistola* colligere est: non quod vir Doctus collig. bat, Numerarios fuisse improbos. Certamen enim inter Numerarium & Opinatorem ortum, non erat collusio, sed reuera lis seu decertatio, vt mox.

Augustinus qooque de Numerariis in genare, in *Psalmum* 146. *Excedit omnes Numerarios: intelligentia eius numerari a nobis non potest.*

Sidonius quoque Apollinaris tribus locis Numerariorum memioit, *lib. 1. ep. 11.* vbi ostendit, oumerariorum de more cum finiuotur ipsorum actiones seu actus, tunc incepisse dignirates. Et *lib. 2. ep. 1.* vbi Seronatum queodam perstriogens, ait eum illusisse Præfectis, collusisse Numerariis, nouaque tributa perquisiuisse, Taodem *lib. 5. ep. 7.* dispositiones Numerariis tribuit. *Hi sunt*, inquit, *qui inuident Arcariis pondera, mensuras allectis, salaria Tabulariis, dispositiones Numerariis, Pratorianis sportalas*, &c. Vbi *dispositiones* sunt annonariæ rei & tributariæ prouisio, de quo io *Gloss. Theod.* paritet vt *leg. 2. inf. Cod. Iust. vt dignitatum ordo*: & alibi: & apud Capitolinum *in Gordiano*, & Ammianum Marcellioum *lib. 14. & 19.*

Cassiodotus etiam *lib. 12. ep. 13. & 23.* eorum meminit; vbi pariter ostendit, eos *Notitiam* coosecisse tributariæ & annonariæ rei, & *eod. lib. ep. 13.* indicat & notat, Caoonicarios, qui nonnullam partem bonorum ad Ecclesias, ad Clericos pertinentes, Numerariorum oomine subtraxisse se dicebant: id quod PP. Numerarii respuerint, nunquam sibi illatum fuisse suggerentes. Numerarii, quorum Augustinus meminit *cap. 11. lib. 2. de libero arbitrio*, generaliter dicuntur qui computatiooibus vacant: nec admittenda Isidori sententia, *IX. Orig. c. 4.* qui Numerarios dictos vult, quasi publicum oummum ærario inferentes.

Nunc ad *leg.* seotentiam accedamus: de Numerariis igitur Rectorum prouiociarum, quia fraudibus & rapinis famosi fuere, duo *hac l.* constituuntur à Constantino M. (Tertium enim continetur *d. l. 4. inf. de iis qui administr.*) Primo enim ad veritatem indagandam Quæstioni eos subiici voluit: & sic Conditionales eos esse, *h. l.* pariter vt Iulianus *l. 6.* Quod idem Iulianus *l. 7.* & Iouianus *l. 8.* etiam de Numerariis Præfectorum Prætorio postea statuerunt, & Valens *l. 9. inf.* & Valentinianus *l. 11. inf.*

Secundo, quia vt cæteroqoi omois nimia potestas vel etiam rapinis famosa, breuitata temporis saluberrime constringitur, de qua ratione, *l. 10. & 15. inf.* rursum; ita & Coostantious M. Numerariorum ordioariorum Iudicum actum seu officium bieooio terminandum credidit: Quod quinquennio postea mutatum tam in Numerariis Ordinariorum Iudieum, quam Præfectorum Prætorio, Iuliani *leg. 6. 8. inf.* Deinde trienoio *leg. 9. 13. 15. vlt.* Sane Ducum quorundam Numerarios vno tantum anno sub Valentiniano III. fuisse reperio, veluti Ducis Armoricani, & Britanniarum, vt ex *Notitia Imperii* iam antea notaui: sed & Magistri militum Numerarii, qui ante biennales eraot, aooui facti suot a Zenone *l. 11. Cod. Iust. eod. tit.*

P. 464

V. (a) Imp. CONSTANTIVS A. ad Taurum PF. P. (b)

ACTVARII conditionales sollicite proprio fungantur officio, nec ad quasdam inrepant dignitates, quibus eos perfrui Diualia statuta † prohibent. Hoc vitium corrigentes, nos etiam iussimus, vtiliter a Patre (c) præcepta seruari, & litteris ad Magistrum (d) peditum & equitum datis iussioni effectum præcipimus commodari. (e) Dat. Prid. Non. Maii, Rom. Constantio A. IX. & Iuliano Cæs. II. CONSS. [357.]

NOTAE

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) *Taurus PP.* Italiæ sub Constantio. v. *Prosopogr.* IDEM.

† Legem Constantini M. Patris sui intelligit, vt sequentia indicant. *ID.*

(c) Constantino M. *ID.*

(d) *Magister* Peditum & Equitum simul v. *Paratitlon de re milit.* *ID.*

(e) Id est Iussionem ad effectum deduci. v. Gloss. *in v. commodare.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE ACTVARIIS est hæc Constaotii *lex*: de quibus semel dixi *ad l. 3. sup.* & plena manu *ad l. 11. sup. de erogat. mil. ann.* vt & de eo, quod Cooditionales eos esse oportuerit, *ad d. l. 3.* Hac sane Constantii *lege*, nondum exacto officio ad DIGNITATES adipirare vetantur. Quod Actuarii facere solbii, ad actus sui rationes euitandas. Quod & alii sæpe fecere, qui ratiociniis obnoxii eraot; etiam Numerarii, vt docet *lex 8. inf.* Ergo *vitium* istud (vt *hac l.* vocatur) & Constaotinus M. iam ante *correxerat* vetueratque (vt hac *lex* indicat) & nunc Constantius filius patris exemplo corrigit, vetatque, dum iubet Actuariis sollicite proprio fungi officio. Sane & Iulianus Cæs. triennio post hanc legem, An 360. teste Ammiano Marcellino, *lib. 20. cap. 5.* cum Petulantes & Celtæ (Numeri hi erant militares) pro Actuariis numerorum suorum obsecrassent, vt recturi quas Iuliano placuisset prouincias mitterentur, id eis non indulsit.

Cæterum Constantius *hac l.* ea de re ad Magistrum Equitum & Peditum a PP. scribi iubet, quo ipsi hanc iussiooem effectui tradant, vetentque adeo, ne Actuarii dignitatis alicuius obtentu elabantur. Scilicet Actuarii ratiociniis militaribus iotenti, etsi milites oon esseot, *militares* tameo eraot, & militarem operam nauabant, quia quantum numero cuique, quaotum cuique militi aonooæ competeret, subnotabant, rationesque annonæ militaris scribebant, vt docet signare *lex 16. sup. de erogat. milit. annon.* Ideo sub dispositio-

ne Magistrorum militum fuere. Cuiusmodi Magistri duorum generum fuere. Alii Peditum, alii Equitum; sic tamen vt aliquando idem Magister Equitum & Peditum foret, de quo in *Paratitlo de re militari.*

VI. (a) Imp. Ivlianvs A. ad Auxonium (b) Correctorem Tusciæ.

Nvmerarii, qui publicarum (c) rationes Ciuitatum versutis fraudibus lacerare (d) didicerunt, subiaceant tortori, (e) nomine artis ac fraudis. Verum cum quinquennio administrauerint (f) chartas publicas, vnum integrum annum vacent, vt ad incusantium iurgia facilis adpetitu sit vita priuata. Septimo (g) porro anno, cum eosdem bene creditum munus administrasse claruerit, ex Perfectissimis (h) dimittantur: (i) hic (k) abolebit honor dignitatis additæ veterem Vilitatem. (l) Dat. XVI. Kal. Feb. Constantinop. Mamertino & Neuitta conss. [362.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* *GOTHOFR.*

(b) *Auxonius* Corrector Tusciæ. *IDEM.*

(c) *γρ. publicas*, rationes scilicet: nam *publicatum ciuitatum* hic stare non potest: nisi legamus publicarum rationes diuitiarum, vel publicorum rationes ψηφισμάτων. *ID.*

(d) *Lacerare* rationes, *h. l.* & *l. 1. infr. de fisci debitorib.* & similia alia vide *in Glossar.* *ID.*

(e) Et tormentis. *ID.*

(f) Hinc quoque patet, quid Numerarii fuerint. *ID.*

(g) Septimi anni ingressu *ID.*

(h) De *Perfectissimatus* dignitate suo *titulo lib. 6. sup.* *ID.*

(i) *Dimittendi*, vox hic propria. *ID.*

(k) Perfectissimatus scilicet. *IDEM.*

(l) Ita recte prima Cuiaciana editio, & quæ in Quarto prodiit, male vltima Parisiensis, *vtilitatem.* Qui alioqin error & alibi sæpe irrepsit. *IDEM.*

P.465

VII. (a) Imp. A. Secundo PF. P. (b)

Qvamqvam præcedente iussione + omnes Numerarios condicionales esse præcepimus, tamen etiam nunc eos, qui sumpserint chartarum (c) notitiam, & eodem (d) officio inhæserint, condicionales esse iubemus, vt scientes, nullo se priuilegio esse munitos, ac facile per tormenta fraudium suarum Sutelas (e) detegi posse nihil committant in damna Reipublicæ. Dat. Kalend. Mart. Mamertino & Neuitta conss. [362.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Hic est Secundus Sallustius, quem fine anni superioris a Iuliano Præfectum Prætorio promotum ait Ammianus Marcellinus *lib. 21. cap.* 8. qui & alias sæpe de eo agit. Cui etiam plures *hoc Codice* constitutiones inscribuntur. *ID.*

+ *Lex* hæc Iuliani, num est *lex superior* 6? Non puto; certe similis illi. *ID.*

(c) Numerarii dicuntur chartarum notitiam sumere *h. l.* vt *l. 6. supr.* chartas publicas administrare: de quo in *Paratitlo plura.* *ID.*

(d) Pro, *eidem*: vel supplendum *in eodem.* *ID.*

(e) De hac Sutelarum voce vide *Glossar.* *ID.*

VIII. (a) Idem A. (b) ad Mamertinum PF. P. (c)

Ivbemvs, omnes Numerarios, non eos modo quos plebe confusa vulgus abscondit, sed Primos etiam & Magistros eorum Officii (d) Sedis Amplissimæ, tum autem Iudicum ceterorum, solutos penitus militaribus sacramentis, condicionales etiam fieri, ne dignitas fraudibus faciat vmbraculum per quinquennium perinde (e) inseruire scriniis. (f) Quippe

pe admodum iniquum videtur, pro alienis fraudibus rudes & nuper adſcitos Adiutores conpelli ratiocinia præſtare, adque his inminere periculum. Dat. (g) epiſtula (h) ppō. V. Kal. Dec. Viminacio (i) Iuliano A. IV. & Salluſtio cons. [363.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Hanc *legem* intelligere videtur Valentinianus *l. 11. inf.* *GOTHOFR.*

(b) Imo *lex* hæc (pariter vt *lex 2. infr. de metallis: lex 1. infr. de collat. donat. lex 16. inf. de curſu publico.*) IOVIANO tribuenda videtur. Iam enim VI. Kal. Iulii huius anni 363. Iulianus deceſſerat, teſte Socrate *lib. 3 cap 18.* Ammiano Marcellino *lib. 25. cap. 5.* Chronico *Alexandrino*, Conſularib. *Idacianis.* Et poſtero die Iouianus Imperator creatus. Et tamen Iuliano eam quoque tribuit Valentinianus *d. l. 11. infr.* niſi ibi reſcribendum *Iouianus.* *IDEM.*

(c) Illyrici hac tempeſtate, de quo vide Ammianum Marcellinum *lib. 21. cap. 12.* *ID.*

(d) Numerariorum officium ſeu ſchola peculiaris. *IDEM.*

(e) Non muto in *proinde.* Nempe in duobus exæquantur, Numerarii *h. l.* cæterorum Iudicum Numerariis. *ID.*

(f) Vide quæ dixi ad *l. 1. de Proximis.* *IDEM.*

(g) Id eſt reddita, tradita. *IDEM.*

(h) *Epiſtola* Imperatoria: ſimilis ſubſcriptio *l. 12. infr. de Epiſcopis*: de qua vide Iuretum *in 9. Symm. 121.* & Paratitlon *de conſtitutionib. Principum.* *IDEM.*

(i) *Viminacii*, P.P. Illyrici. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE NVMERARIIS (de quibus eorumque officio & fraudibus plena manu ſemel dixi *in Paratitlo*, & *l. 4. ſup.*) ſunt hæ tres conſtitutiones in eodem argumento omnes ex parte occupatæ: e quibus duæ priores liquido Iulianum auctorem habent: poſtrema Iuliano quoque tribuitur: & vero etiam tribui videtur a Valentiniano *l. 11. inf. h. t.* ſed quæ tamen Iouiano tribuenda videretur, ſi omni vitio careret ſubſcriptio, vt iam in *Notis* probaui. Rurſum e quibus duæ poſteriores ideo latæ ſunt, vt Numerarii Præfectorum Prætorio, aliis Numerariis perinde exæquentur. Primo igitur loco Iulianus *l. 6.* & *7.* & Iouianus *l. 8.* Numerarios CONDITIONALES eſſe vult (quod quid ſit? dictum *ad l. 3. ſup.*) & ſic Tormentis ſeu Quæſtionibus ſubiici ad fraudes detegendas, id enim eſt conditionalem eſſe, vt vel hæ *leges* inter ſe collatæ oſtendunt: de quo *ad d. l. 3.* Quæ quidem magna vilitas fuit, vt dicitur *fine l. 6.* & conditio vilior *l. 11. inf.* Viles enim tantum perſonæ quæſtioni & tormentis olim obnoxii fuerunt: de quo *infr. tit. de Quæſtionib.* Et Rationem addit *d. l. 8.* cur inquam conditionales Numerarios eſſe voluerit, & quinquennales (de quo mox) quia ſcilicet admodum iniquum videtur pro alienis fraudibus rudes & nuper adſcitos adiutores compelli, ratiocinia præſtare, atque his imminere periculum. Numerarii ſcilicet ſuos Adiutores habuere, quorum mentio fit & *l. 16. infr.* & ſæpe fit in *Notitia Imperii* ſub Ducibus: & vt videtur dati his antiquitus (quo pertinent illa *d. l. 8.* verba, *rudes & nuper adſcitos Adiutores.*) Verum de Adiutoribus, dicam ſemel plene ad *l. 10. inf. de cohortal.* Ergo iniquum viſum, Adiutores, qui rudes erant, & nuper adſciti, compelli ratiocinia præſtare, atque his imminere periculum quæſtionis. Et hæc quidem ſub triplici ampliatione.

Primum enim, adeo Numerarii conditionales fuere, & quæſtioni obnoxii, vt Iulianus non tantum ordinariorum Iudicum Numerarios conditionales eſſe voluerit, quod vtique *l. 6.* voluit (quæ data eſt ad Correctorem Tuſciæ) verum etiam omnes Numerarios, *l. 7.* & ſic Numerarios quoque P. P.
P.466 quod vtique voluit *d. l. 7.* (quæ data etiam eſt ad Secundum P. P.) vt & Valentinianus, *l. 11. infr.*

Secundo ſiue Iulianus ſiue Iouianus *l. 8.* non tamen vulgares Numerarios, quos plebe confuſa vulgus abſcondit Conditionales eſſe, quæſtionique adeo ſubiici poſſe voluit; Verum etiam Primos & Magiſtros officii, non tantum Iudicum cæterorum, verum etiam P. P. quod etiam Valens probauit *l. 11. inf. h. t.* Vnde interim apparet inter Numerarios in officiis Magiſtratuum maiorum ſcilicet fuiſſe quendam Primum & Magiſtrum; quod etiam docuit *lex 1. ſup.*

Tertia ampliatio eſt, quæ continetur *l. 8.* imo & indicatur quoque *l. 6. 7.* nempe adeo Conditionales eſſe Numerarios, eique conditioni ſeu actui adhærere oportere, vt nullo priuilegio ab hac conditione & quæſtionis iniuria liberari poſſint. Veluti cingulo militari ſeu priuilegio militari. Nempe Numerarii ſaltem primi, cingulo & ſacramento militari tanquam milites hactenus habebantur. Verum Imp. *hac leg.* eos ſolui Sacramentis militaribus penitus iubet. Sed & id poſtea Valentiniano Imp. diſplicuit, *d. l. 11. inf.* ita enim ei placuit, vt ſumere quidem Cingulum & militiæ ordinem tenere Numerarii P. P. poſſent, ſed tamen vt in fraudem deprehenſi a corporali iniuria, id eſt, a quæſtione immunes non eſſent. Et hæc quidem omnia oſtendunt ab vna parte quanta fuerit in genere Numerariorum *Vilitas*, vt etiam diſerte vocatur *fine l. 6.* & conditio vilior vt dicitur *l. 11.* Etiam Præfectorum Prætorio, hac tempeſtate Iuliani & Iouiani: Cum tamen poſtea Baſilius ad Numerarium Præfectorum ſcribens *ep. 418.* ſub eodem Valentiniano Imp. τιμιότητος titulo eum compellet, qui etiam vel eos cingulum militare ſumere & militiæ ordinem tenere permiſerit, *d. l. 11. inf.* ſed & Numerarii Præfectorum Prætorio præ aliis eximio quodam iure fuerint: vt docet etiam *lex vlt. Cod. Iuſt. eod.* de quo ad *l. 11.* plenius.

Ab altera vero parte, quantopere indemnitati prouincialium & commodo Reipublicæ conſultum voluerint Imperatores aduerſus Numerariorum fraudes, verſutias, ſutelas, qui in damna Reipublicæ (vt dicitur *l. 7.*) tributorum rationem, & exactionem torpore & ſegnitia negligebant, vt *l. 9. infr.* vel infirmiores prægrauabant per colluſionem. Quo pertinet etiam Sidonii locus *lib. 2. epiſt. 1.* vbi Seronatum quendam perſtringens ait, eum *colluſiſſe Numerariis nouaque tributa perquiſiuiſſe.*

Secundo capite Iulianus, *l. 6.* & Iouianus *l. 8.* Quinquennale Numerariorum munus definiunt & faciunt: non modo Iudicum ordinariorum, vt in ſp. *l. 6.* verum etiam Præfectorum Prætorio

rio vt in *l. 8.* Quæ secunda est exæquatio Numerariorum Præfecti Prætorio cum cæteris Numerariis, quæ *l. 7. & 8.* continetur. Qui tamen antea biennales fuere, *l. 4. sup.* & postea triennales *l. 9. 13. & l. vlt.* de quo ad *d. l. 4. sup.*

Tertio capite vult Iulianus, vt deposito actu Numerarii (& quidem ordinariorum Iudicum in *sp. l. 6*) vnum adhuc integrum annum vacent: neque ad vllam dignitatem peruenire possint, sed in priuata vita maneant, vt ita accusationibus respondeant appetiti. Quo exemplo Magistratus quoque & Iudices, finito Magistratu, itemque Domestici & Cancellarii Iudicum, intra eam prouinciam, quam rexerant aliquod tempus, vacare tenebantur, ad excipiendas prouincialium querelas, & detegenda flagitia; de quo dictum plene semel ad *l. vlt. sup. de assessorib.* Imo Valens postea Consularium & Præsidum Numerarios siue Tabularios post administrationem biennio in prouinciis residere voluit, obsequia Iudicum præstolantes, & edituros rationem torporis & segnitiæ, *l. 9. inf.* Post finitum sane actum Numerarios Præfectorum Prætorio vltra quinquennium discussionibus eos subiacere amplius noluit Valentinianus *Nouell. sua, inter Theodos. 46.*

Postremum Iulianus Numerarios exacto demum sexennio (quinquennio inquam administrationis seu actus, & anno ad excipiendas querelas) & bene administrato munere Perfectissimatus dignitate honorari vult: de quo *suo titulo lib. 6. sup.* Atque hoc illud est etiam quod Sidonius scribit *lib. 1. epist. 11.* *Numerariorum*, inquit, *more seu potius Aduocatorum; quorum cum finiuntur actiones* (id est, actus) *tunc incipiunt dignitates.* Neque tantum Præfectorum Prætorio Numerarii finito actu dignitates adepti, de quibus est *lex vlt. inf h.t.* verum & ordinariorum quoque Iudicum, de quibus est *lex 6. h.t.* quam de Præfectorum Prætorio Numerariis nonnulli male accipiunt, de quibus sane est *lex vlt. Cod. Iust. eod. tit.* & *Nouella* Valentiniani *inter Theodosianas 46. de officio & Numerariis Præfectorum Pratorio.* Illic processu temporis Tribuni Prætoriani dignitas primum tributa, mox Comitiua primi Ordinis ab Anastasio *l. vlt. Cod. Iust. eod. tit.* Similiter sane Actuariis officio probe defunctis Perfectissimatus dignitas collata ex Valentiniani Senioris *l. 10. inf. h. t.*

Obiter interim notanda officii Numerariorum descriptio *l. 6. 8.* de quo plene *Paratitlon*; Basilius sane quoque duabus epistolis, *epist. ad Numerarios P. P. 418. 419.* (*142. 143. ed. Benedict.*) ostendit, tributorum curam ad officium eorum pertinuisse: ibi quippe eos orat pro immunitate τῆς συντελείας chorepiscopi cuiusdam. Tandem huc omnino pertinere existimo, quod Libanius *orat. in Iuliani necem* scribit *pag. 293. 294. 297. edit. Morelli.* περὶ ὑπογραφέων, id est, de Numerariis, Tabulariis, Actuariis; nam ita eam vocem accipio a Iulianis coercitis, vt & erat Apologetica *pag. 592. 593. 603. ed. cit.*

IX, (a) Impp. Valentinianus & VALENS AA. ad Clearchum. (b)

NVMERARII, qui (c) appellari consueuerant, Consularium ac Præsidum duntaxat, *Tabularii* posthac (d) nostra sanctione vocabuntur. Scientes, sese tormentis esse subiectos, nisi Iudicibus, vel his qui prouecti nostro iudicio ad Prouincias venerint, vel (e) his qui ibidem diutius (f) fuerint commorati, debitorum ac reliquorum (g) modum frequenter ingesserint, sub actorum testificatione: quos scire oportet, cum his qui debitores sunt, sese ad solutionem esse retinendos, nisi omnia debita ipsis fuerint indicantibus persoluta. Triennii tamen spatio Tabulariorum decet tempus (h) omne concludi. (i) Denique cum peregrinos (k) delegi, atque ad singulas quasque prouincias
P.467 oporteat destinari, peractis triennii spatiis, atque hoc tempore completo, biennio post administrationem in prouinciis residere debebunt, obsequia Iudicum præstolantes, vt edant rationem torporis atque segnitiæ, ac subiaceant dispendiis, quæ communicari hisdem cum Exactoribus conuenit, si detrectasse fidem prætermissis suggestionibus monstrabuntur. Dat. XIV. Kal. Mart. Constantinop. Valentiniano & Valente AA. (l) CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est. Porro eodem die data altera Valentis *lex*: puta *lex 7. inf. de famosis libellis.* GOTHOFREDVS.

(b) An Vicarium Asiæ, quomodo habet inscriptio *legis vn. sup. ne colonus inscio domino*, hoc ipso anno 365. & suadet Eunapius *in vita Maximi, p. 105. edit. Commelin.* An vero Proconsulem Asiæ, ad quam dignitatem promotum eum idem Eunapius testatur *in vit. Maximi p. 106. edit. cit.* In *Cod. Iust.* quem edidit Cuiacius, hic additum *PP.* quod argumentum *huius leg.* quoque suadere videtur. *ID.*

(c) *Qui Numerariis*, &c. ita inuerse *Cod. Iust.* *ID.*

(d) *Post hanc nostram Sanctionem*, Cod. Iust. *ID.*

(e) Horum loco posuit Tribonianus, *vel exactoribus*, ex fine *huius leg.* *ID.*

(f) Iam inde a Iuliani vel Iouiani tempore. *ID.*

(g) De hac voce vide *Glossar.* *IDEM.*

(h) *Actum*: Tempus, pro *actu* ipso, qui certo temporis spatio circumscriptus. *IDEM.*

(i) Cætera absunt a *Cod. Iust.* *IDEM.*

(k) Numerarios. *IDEM.*

(l) An II. COSS. id est anno 368. *IDEM.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

DE NVMERARIIS, Iudicum ſcilicet ordinariorum, ſeu Rectorum prouinciarum, puta Conſularium & Præſidum, eſt hæc Valentis conſtitutio: Quo ipſo Maiorum Magiſtratuum Numerarios alio iure habendos aperte indicat, veluti Præfectorum Prætorio. Hoc enim illud tempus eſt a quo Præfectorum Prætorio, eorumque qui ſub iis operam nauarent, dignitas augeri maxime cœpit, & Proconſulum (quo ſana Proconſulum numero aliquando fuit, & quidem Aſiæ, Clearchus, cui hæc *lex* inſcribitur teſte Eunapio *in Maximo p. 106. edit. Commelin.*) De illis igitur quatuor *hac l.* conſtituit.

Primum, *Nomen* Numerariorum mutat: nempe Conſularium & Præſidum Numerarios non iam amplius Numerarios, verum Tabularios vocari vult: vt ita ſcilicet a Maiorum Magiſtratuum Numerariis diſtinguantur, veluti a Numerariis Præfecti Prætorio. Ad quos certe ſub hoc Valente extant *duæ* Baſilii *epiſtolæ 418. 419.* Sane & olim ipſi Præfectorum Prætorio Numerarii Tabularii dicebantur, vt docet Conſtantini *l. 1. ſup.* Mox Numerarii omnes dicti. Verum *hac* Valentis *lege* per Orientem diſtinguuntur. Quod aliquandiu obſeruatum docet, *lex vlt. ſupr.* Sane per Orientem, vbi tamen hoc ſtatuitur ſub Theodoſio Iun. non obſeruatum docet *Notitia Imp. Orientalis*: Vbi Tabulariorum nulla mentione facta Numerarii in officio omnium Magiſtratuum ponuntur, & nominatim vero in officio Conſularis & Præſidis *vnus Numerarius*: In Occidente vero tale aliquid eodem tempore obſeruatum ſub Valentiniano Tertio. Nam cum in officiis aliorum Magiſtratuum omnium Numerarii ponantur in officio Conſularis Campaniæ, Correctoris Apuliæ & Præſidis Dalmatiæ Tabularii ponuntur: Ita quidem vt verba occurrant in Conſulari Campaniæ *fol. 182. Conſularis Campaniæ officium habet ita. Principem*, &c. *Cornicularium*, *Tabularios duos pro Numerario Adiutorem*, &c. Et ſane Valentinianus Senior Valentis Collega hoc ipſo anno 365. *l. 5. infr. de iis, quæ adminiſtr.* Tabularios a Numerariis ad eundem modum diſtinguit: *Tabularios*, inquit, *prouinciarum & vrbium ſingularum pari conditione conſtringimus. Identidem Numerarii Præfecturæ, vel Vicariæ poteſtatis obſeruent.*

Secundo, Tormentis eos ſubiici iubet, niſi officio ſuo functi fuerint: de quo iam *l. 4. 6. 7. 8.* Ita quidem, vt de Præfectorum Prætorio Numerariis id quoque ſtatutum antea fuerit, *l. 7. 8. ſup.* quod *h. l.* non æque fit. Proinde ex *hac leg.* & poſt hanc *legem* diſcrimen hoc fuerit inter Numerarios & Tabularios, quod hi tormentis ſubiacerent, illi non item, in Orientis Imperio ſaltem quo hæc *lex* pertinet. Nam Valentinianus in Occidente quæſtioni eos obnoxios eſſe voluit, *l. 11. infr.* Cæterum officium eorum hoc eſſe ait, vt frequenter ingerant, indicent, ſuggerant debitorum & reliquorum modum, quinam & quantum tributorum nomine quid debeant, de quo in *Paratitlo* & ad *l. 4. ſup.* ſatis. Quibus autem id ſuggerere debent? Duo hominum genera deſignat. Primo Iudices ſeu Rectores prouinciarum, quos tributariæ rei cura manebat, de quo *infr. lib. 11.* paſſim. Secundo eos qui Principis Iudicio ſiue ſuo Valentis, ſiue diutius iam ad Prouincias veniebant: quibus verbis indicari puto, Compulſores & opinatores extra ordinem miſſos ad compellendam tributorum exactionem: de quibus dixi ad *l. 34. inf. de annona & tributis.* Pœnam autem id non facienti Tabulario hanc comminatur Valens: Quod ad ſolutionem ipſemet teneatur, & cogendus ſit vna cum debitore, durante actu; vt & cum Exactore finito actu.

Tertio, Triennalem eorum actum *hac l.* facit: pariter vt Numerariorum quoque Præfectorum Prætorio Theodoſius M. *l. 13. inf.* & Theodoſius Iunior *l. vlt. infr.* cum antea biennalis, mox quinquennalis fuerit, de quo *ad l. 4. ſup.* Quod quidem pro beneficio eis largiri videtur Valens: nam poſt Nominis mutationem, & quæſtionis pœnæque comminationem ait, *Trienni* TAMEN *ſpatio tabulariorum decet omne tempus concludi*: Nempe nimis longa hæc & moroſa cura viſa. Ergo ex quinquennali actu triennalem fecit, ſic tamen vt reliquum biennium poſt actum in prouincia reſidere eum velit: cum Iulianus qui quinquennalem fecerat vno anno præterea Numerarium in prouincia reſidere voluerit, *l. 6. ſup.* vbi de hac mora poſt finitum actum plura, vt & ad *l. 3. inf. ad leg. Iul. repetund.* & *l. vlt. ſup. de aſſeſſorib. & domeſt.*

P.468 X. (a) Idem AA. Iouio (b) Magiſtro equitum. (c)

ACTVARIIS (d) Palatinorum & (e) Comitatenſium Numerorum ſenas annonas, ſenum etiam capitum, (f) Pſeudocomitatenſium (g) etiam quaternas annonas, & quaternum capitum, ex horreorum conditis (h) præcepimus (i) per decennium curam eius officii ſuſtinere, vt perſpicue manifeſteque fides eorum & induſtria conprobetur. Quod cum ad nos iuxta Numerorum teſtificationem, ſuggeſtione Excellentiæ Tuæ, peruenerint, (k) honore Perfectiſſimatus (l) in Palatio noſtro potientur, etiam maiorem gradum dignitatis poſtmodum adepturi. Poſt hoc vero beneficium, (m) qui fraudibus ac rapinis minime temperarint, in eos Iudiciorum auctoritas exſeratur. Dat. VIII. Kal. Iun. Med. Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungendaque ei videatur *lex 7. ſup. de re militari*, alterutrubi die emendato: certe, vtraque in eodem argumento occupata eſt. *GOTHOFRED.*

(b) De hoc *Iouio*, vel *Iouino*, dixi plene ad *d. l. 7.* quæ eidem inſcribitur, vt & *lex 9. 10. d. t. de re militari*: *l. 11. ſup. de Veteranis. ID.*

(c) Ita quoque *l. 9. ſup. de re militari.* Alibi Magiſtro Equitum & Peditum hoc ipſo menſe, *l. 7. ſup. de re militari.* Magiſter militum, *l. 10. de re militari*: *l. 11. de Veteranis*, &c. *ID.*

(d) De *Actuariis* dixi ſemel ad *l. 11. ſup. de erogat. milit. annon.* & ad *l. 5. ſup. h. t. ID.*

(e) De

(e) De *Palatinis* & *Comitatensibus* Numeris, dixi ad *l. vlt. sup. de re milit.* *IDEM.*

(f) *Senum capitum*, hic & *l. 1. sup. de domest. & protect.* vbi dixi. De *capito*, id est pabulo animalis dixi ad *l. 8. sup. de erogat. militar. annon.* *IDEM.*

(g) De *Pseudo comitatensibus* Numeris, dixi ad *d. l. vlt. sup. de re milit.* *ID.*

(h) *Condita* horreorum, vide *Glossar.* *ID.*

(i) Duo hoc loco desiderantur: primo verbum, quo claudatur superior sententia, quodque respondeat verbo *præcipimus*; deinde, vinculum sequentis: Rescribo igitur, *Ex horreorum conditis dari præcipimus*, & *per* &c. *IDEM.*

(k) *γρ. peruenerit.* *ID.*

(l) De hac *Perfectissimatus* dignitate suo *titulo vlt. lib. 6.* *ID.*

(m) Quod iis nunc damus, puta annonarum & spei dignitatum. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE ACTVARIIS (de quibus semel plena manu *ad l. 3. sup. h. t.* & *l. 11. sup. de erogat. mil. annon.*) est hæc Valentiniani Sen. constitutio: qua fraudibus & rapinis eorum (quibus famosi maxime fuere, vt ostendi *ad d. l. 11.* adducto etiam Sexti Aurelii Victoris loco) occursurus, triplici beneficio eos auctum it. Primum est *Annonarum* commodum, longe maius quam antea: Nam cum Actuariis indistincte binas annonas dari voluerit Constantinus M. *l. 3. sup. hac l.* Valentinianus nonnullis Actuariis maiores longe dari præcipit; nempe Actuariis Numerorum Palatinorum & Comitatensium, itemque Pseudo-Comitatensium: de quibus ad *l. vlt. sup. de erogat. milit. annon.* Hi scilicet Numeri, atque adeo eorum Actuarii præcipuo & eximio quodam iure habiti fuere, præ aliis Numeris, sic tamen vt etiam Palatini & Comitatenses Pseudo comitatensibus potiore iure haberentur. Nam & maius corporis robur & maior statura in Comitatensibus quam in Ripensibus requirebatur, *l. 8. sup. de filiis mil. appar.* Hinc adeo capitationis seu census immunitas maior per Comitatensem, quam per Ripensem militiam quærebatur, *l. 7. sup. de tironibus*, & *l. 4. sup. de Veteranis.* Hinc Comitatensibus species ipsæ annonariæ aliquando solutæ fuerunt, limitaneis vero (in quibus & Ripenses) pretia tantum *l. 17. inf. de cohortalib.* Hinc & Actuariis Palatinorum & Comitatensium, itemque Pseudo-Comitatensium, maior annonarum modus quam cæterorum datur, quod ex *hac l.* liquet: Et adhuc Palatinis & Comitatensibus maior quam Pseudo-Comitatensibus. Quare illis senas annonas (diurnas scilicet) & senum capitum (seu pabulum pro animalibus eorum) ex horreorum conditis dari iubet *h. l.* Valentinianus Sen. His vero quaternas tantum tum annonas, tum capita. Hoc igitur eam amplo annonarum beneficio Actuarios, quos dixi (genus hominum habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes velandasque quasi a natura factum, annonæque dominans, &c. quod Sext. Aurelii Victoris de eis iudicium est) a fraudibus & rapinis abductos atque ad officium reuocatos voluit. Vbi interim Annonarum diurnarum, & Capiti numerus notandus senarum quaternarum. Qui aliis multo amplior. Exemplo esse potest, vel Ammiani Marcellini locus *lib. 22. cap. 4.* vbi agit de tonsore (Imperatoris) qui *vicenas diurnas annonas, totidemque pabula iumentorum, quæ vulgo dictitant Capita, accipiebat, & annuum stipendium graue.*

Vt & Secundo beneficio, *Temporis* loquam: Nempe eum antea breuiore tempore Actuariorum illorum tempus & actus coarctaretur per decennium cutam eius officii sustinere nunc illos vult: Et rationem reddit Valentinianus, vt perspicue manifesteque fides eorum & industria comprobetur. Forte & hæc ratio politica Valentiniano proposita fuit, ne per crebras Actuariorum mutationes eo magis & annona, & aratoribus vexarentur, nouis subinde Actuariis rem facere cupientibus, atque ea re omni fraudis ac rapinæ generi indulgentibus. Etsi fatendum quandoque sæpe in contrariam rationem iuisse Principes: coarctato videlicet actus tempore eorum qui voracitate & rapacitate notissimi essent: veluti Numerariorum & Scriniariorum: quod docet *lex 4. 13. 16. vlt. inf. h. t.*

Tertium beneficium est Dignitatis, quam Valentinianus Senior pollicetur Actuariis illis actu suo ex fide defunctis. Nempe Perfectissimatus dignitatem exacto actu his pollicetur; pariter vt Iulianus Numerariis, *l. 6. sup.* Imo & maiorem deinceps gradum dignitatis. Sane & antea iam Actuariis (vt *hac lege* dicitur) iuxta Numerorum testificationem dignitates, & quidem maiores postulatæ a Principe: quod docet Ammiani Marcellini locus *lib. 20. cap. 5.* Contra vero pœnam iisdem minita- P. 459 tur, si a fraudibus ac rapinis non temperauerint: sic præmiorum exhortatione, sic pœnarum comminatione meliores Actuarios facere studuit.

XI. (a) Idem AA. ad Rufinum (b) PP.

SVPER Numerariis Celsissimi Officii Tui aliter est nostra sententia, quam diuæ memoriæ Iulianus + duxerat sanciendum; Ille Lege proposita Numerarios omisso cingulo, condicionis conscios vilioris, (c) necessitati publicæ obsecundare præcepit; nos, *qui malumus obsequia hominum esse voluntaria quam coacta*, sumere cingulum, & militiæ ordinem tenere, Numerarios iubemus: cum si in aliquo fraudium scelere fuerint deprehensi, nullo modo possint a corporali iniuria (d) vindicari. Dat. Prid. Id. Decemb Parisis, (e) Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE

(a) *Lex 3. Cod. Iust.* hinc desumpta est. En eius verba: IIDEM AA. RVFINO PP. *Numerarios Amplissimæ sedis tuæ cingulum habere & militiæ ordinem tenere iubemus. Dat. Prid. Id. Dec. Parisiis. Valentin. & Valente AA. Coss.* GOTHOFREDVS.

(b) Vulcatius Rufinus PP. integro nomine: Præfectus autem Prætorio fuit Illyrici & Italiæ post Mamertinum, vide Ammianum Marcellinum *lib. 27. cap. 7.* & 11. *ID.*

+ Intelligere videtur *legem* 8. *sup.* quæ Mamertino inscribitur Rufini in Præfectura Prætoriana derefteri. Quanquam eam *legem* Iouiano vindicandam ostendi. Quare possit etiam videri *hoc.* indicari *lex* 7. *sup.* Imo anteriorem forte illam, quæ indicatur *d. l.* 7. *ID.*

(c) *Vilitas* pariter Numerariis tribuitur *l. 6. sup. ID.*

(d) *Iniuria corporalis*, id est quæstio: dixi *inf. tit de quæstionibus. ID.*

(e) Valentinianus Imp. his COSS. prope Kal. Nouembr. Parisios venit, Ammiano Marcellino teste *lib. 26. cap. 5.* Inde igitur datæ ab eo hoc anno mense Octobri & Decembri tres constitutiones, puta *lex* 13. *inf. de annon. & tribut. l. 3. infr. de metallis: & hæc lex* 11. Ibidem eum sequentis anni 366. initio adhuc constitisse testatur idem Ammianus Marcellinus *lib. 27. cap. 2. ID.*

COMMENTARIVS.

DE NVMERARIIS (de quibus in *Paratitlo*, & ad *l. 1. sup.*) Præfecti Prætorio, de quibus ipsis est & *lex 8. sup. lex vlt. inf.* & *lex 5. inf. de his qui administr.* est hæc Valentiniani Senioris constitutio, qua eorum dignitatem supra cæteros Numerarios effert abrogata Iuliani *lege* siue 7. siue 8. *sup.* siue anteriore alia. Nempe Iulianus non tantum ordinariorum iudicum Numerarios, verum etiam ipsorum Præfectorum Prætorio, quorum maior dignitas, conditionales esse voluerat, id est, conditioni suæ viliori penitus adhærere, actu durante (de qua conditionalium voce, itemque ad *l. 3. sup.*) sic vt cingulum militare sumere, seu tenere eos durante actu nollet. Quod Numerarii illi affectabant, cingulum inquam & Sacramentum militare, vnde fiebat vt hoc militaris cinguli priuilegio insolescerent, vel etiam a quæstione seu tormentis liberos sese fore putarent. Igitur militari priuilegio vel decore eos frui Iulianus noluit, verum vilioris suæ conditionis conicios, necessitati publicæ obsecundare; id est, actum suum gerere. Attamen Valentinianus *h. l.* temperamentum & distinctionem quandam inducit. Nempe his quidem permittit, vt cingulum sumant & Militiæ ordinem teneant, atque adeo inter *Præcinctos* habeantur, & sic dignitatem hanc eis non inuidet, verum cingulo militari non obstante eos quæstioni subiici posse definit, si videlicet in fraude deprehensi fuerint (quod alias quoque cauetur *l. 4. 6. 7. 9. sup.*) Hoc illud scilicet tempus est, a quo Præfectorum Prætorio, eorumque qui sub Præfectis Prætorio agebant, dignitas plurimum augeri cœpit, veluti Aduocatorum seu Togatorum Adsessorum, de quo ad *l. 188. inf. de Decurionib.* & *l. vlt. sup. de postulando*: & *l. vlt. sup. de Senatoribus.* Itemque Officialium Præfectianorum, vt docet hæc *lex*, & *l. vlt. Cod. Iust. de Castrensi peculio militum & Præfectianorum.* Et rationem hanc indulti sui reddit Valentinianus, *quod malit obsequia hominum esse voluntaria quam coacta.* Scilicet nimia hæc coactio & necessitas videbatur, vt qui ex fide munia publica obirent, non etiam cingulo militari ornari possent, & sic obsequium nonnisi a coactis suæque conditioni mordicus adstrictis exigeretur. Quæ ratio cum alias generalis esse possit, quoad alios quoque Numerarios, attamen ex Valentiniani mente ad Numerarios Præfectorum Prætorio restringenda venit.

XII. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEODOSIVS AAA. omnibus (b) Rectoribus prouinciarum.

IN prouinciis singulis duo (c) Tabularii conlocentur, quo ad vnum fiscalis arcæ ratiocinium, ad alterum largitionales pertinere tituli iubeantur; scituri, (d) quod si ex alienis (e) quicquam actibus ad alteram partem inlicita fuerit vsurpatione translatum, is qui iudicis culpam dissimulatione texerit, grauissimo sit supplicio subiugandus. Dat. III. (f) Kal. April. Constantinop. Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

P.470

NOTAE.

(a) *Lex 4. Cod. Iust. eod. tit.* Concordat huic *legi* omnino *lex 30. infr. de susceptoribus.* GOTHOFRED.

(b) De hac Inscriptione, v. *Prolegom.* IDEM.

(c) *Numerarii qui & Tabularii*, ita Tribonianus; pariter vt *l. 13. Cod. Iust. de suscepter.* (quæ desumpta ex *d. l. 30. inf. eod. tit.*) *ID.*

(d) *Hoc scituri, Cod. Iust. ID.*

(e) *Alterius, Cod. Iust. ID.*

(f) Eodem die data *lex 2. inf. de vestib. oloueris*: ad Florum Præfectum Prætorio. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. duæ constitutiones sequuntur de Tabulariis seu Numerariis. De Tabulariorum Numero & distinctis Muniis est hæc constitutio, cui omnino concordat *lex 30. infr. de susceptoribus*: Tabulariorum inquam, quomodo proprie hic vocantur iuxta Valentis præscriptum, *l. 9. sup.* nempe Rectorum prouinciarum. Qua causa hæc *lex* inscripta *omnibus Rectoribus prouinciarum.* Mox & *initio legis* dicitur, in *prouinciis singulis*, qui alias Numerarii; vnde Tribonianus & *hic* & *d. l. 30.*

d. l. 30. alternatiuam, seu *Numerarios* adiecit. Ergo quod *Numerum* attinet, duos Tabularios in singulis prouinciis collocari iubet Theodosius M. Quod & ipsum postea statutum *d. l. 30. inf. de suscep-tor.* Sane totidem, duo inquam, Numerarii diserte memorantur in *Notitia Imperii*, sub Magistris militum in Oriente *fol. 33. 36. 39.* sub Proconsule Africæ *fol. 148.* sub Vicariis, sub Comitibus: Et in Occidente signate duo Tabularii pro Numerario, sub consulari Campaniæ *fol. 182.* Correctore Apuliæ *fol. eod.* Præside Dalmatiæ *fol. 183.* In Oriente vero (quo alioquin hæc *lex* pertinet) sub Consularibus & Præsidibus vnus Numerarius.

Secundo *Munia* duorum horum Tabulariorum ita distinguit Theodosius: vt ad vnum rei priuatæ Principis (quam *fiscalem Arcam* vocat, de quo plene ad *l. 14.* & *d. l. 30. infr. de susceptor.*) ratiocinium, veluti bonorum vacantium, caducorum reditum rei priuatæ, &c. ad alterum largitionales tituli pertineant: *Largitionales tituli*, id est qui ad Comitem LL. pertinent, annonæ, tributa: Quomodo pariter *aurum largitionale*, & *Arca ratiocinium* opponuntur *d. l. 30.* qua hoc ipsum de distinctis duorum susceptorum muniis statuitur: nempe, vt vnus susceptor aurum largitionale suscipiat, alter Arcæ ratiocinia. Et ita quidem munia inter hos duos Tabularios distincta esse vult Theodosius M. vt a Iudice alterius actum alteri mandari vetet, grauissimo supplicio proposito: Pariter vt *d. l. 30.* id ipsum de susceptoribus duobus statuitur. Noluit scilicet Theodosius M. *hac l.* noluit filius eius *d. l. 30.* diuersorum titulorum stationes & ratiocinia confundi. Quo pertinet quoque *lex 1. Cod. Iust. de compensat. l. 3. §. 1. Cod. eod. de canone largit. titul.* vide & quæ scripsi ad *l. 1. inf. ne collationis translatio*: & ratio *legis*, *23. Cod. Iust. de testam.* Idemque in exactoribus statutum: excepto casu singulari *legis 5. infr. de exactionibus*, seu *l. 3. Cod. Iust. eod. tit.*

XIII. (a) Idem AAA. Floro PF. P. (b) Post alia.

NVMERARII, (c) nonnisi exacto triennii tempore diuinam nostri numinis purpuram venerentur: capitali supplicio subiugandi, si, in fraudem constituti, (d) vel statuta tempora subterfugere voluerint, vel ambitu vsurpare maioris militiæ dignitatem. Dat. XVIII. Kal. Octob. Constantinop. Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* concordat ei *lex vlt. inf.* Iungenda autem ei *lex 7. infr. de iis quæ administrant.* GOTHOFREDVS.

(b) *Florus* PP Orientis sub Theodosio M. vid. *Prosopogr. ID.*

(c) Præfecti scil Prætorio. *ID.*

(d) Huius constituti. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE TEMPORE & PRIVILEGIO officii Numerariorum est hæc secunda e Theodosianis *hoc titulo* constitutiu: quæ pars est maioris Theodosianæ constitutionis in Numerarios, coërcendo eorum fastui & rapacibus quæstibus, vt docet tum *huius l.* inscriptio, ibi: *Post alia:* tum *lex 7. infr. de iis quæ administr.* quæ *huic* coniungenda est. Nempe triennale id officium esse iubet, quod etiam Valentiniano placuit *l. 9. sup.* & Theodosio Iun. *l. vlt. inf.* Antea primum biennale *l. 4. sup.* mox quinquennale fuit *l. 6. 8. sup.* Et ita quidem, quo *huius l.* finis potissimum spectat, triennale esse vult Theodosius M. vt triennio nondum exacto, id aliqua ratione defugere, vel maiorem dignitatem ambire seu adsequi Numerarios vetet. Ad quam prohibitionem pertinent pariter *lex 6. 8. 11. vlt. inf.* Nempe vorax & fraudulentum Numerariorum propositum hactenus coërcitum, ne videlicet elabi & rationem actus (imo tormenta seu quæstionem *l. 4. 6. 7. 8. 11. sup.*) defugere se posse putarent, alicuius maioris dignitatis obtentu, vel aliter. Idque proposito capitali supplicio: Nempe tanquam fraudis conuicti, eo ipso quod actus fine non expectato dignitatum vmbraculum quæsiuerint. Ac nominatim Principis purpuræ adorandæ dignitatem eos ante triennium finitum impetrare vetat: Et sic domesticorum militiam adfectare, quod expresse dicitur *l. vlt. inf.* de quo ad *eam leg.* Igitur Numerarios triennio tantum seu officii tempore exacto, ad Purpuram Principis adorandam admitti vult. Qui vtique honos magnus tum fuit, de quo dixi semel plenis velis *ad l. vn. sup. de præpositis S. Cubiculi* etiam ex Themistio, Ammiano Marcellino, Eunapio, & Notitia Imperii: & dicam adhuc quantum ad Officiales attinet, ad *l. 4. inf. de diuers. officiis.* Tandem sicut durante actu dignitatem aliquam ambire Numerarios vetat *hac l.* Theodosius M. ita & *d.* P. 471
l. 7. (quæ *huic* coniungenda est) aliquid emere vel contrahere in prouincia; de qua prohibitione ad *eum titulum.*

XIV. (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Seuero P. V. (b)

NE diutius, ad cunctorum perniciem, Actuarii Numerariorum consortiis adiuuentur, Inlustris Auctoritas Tua cunctos ex Numerariis ab (c) Actuariorum societate præcipiat abstinere, atque ab eorum communione discedere. Quod si hæc (d) moniti custodire neglexerint, hisdem (e) pœnis se quibus Actuarios, non ambigant subiacere. Actuarios (f) vero cunctos intra quinquaginta (g) dies Vrbis (h) nostræ terminos (i) compellat exce-

excedere, scituros, quod si vltra statutum tempus præsentes fuerint comprehensi, XX librarum auri dispendium subituri sunt. Dat. IV. Kalend. Iul. Niciæ, (k) Honorio A. IV. & Eutychiano CONSS. [398.]

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Eidem huic *Seuero P. V.* inscribitur hoc ipso anno *lex 39. inf. de operib. publ.* Sed & inscribitur *lex 33. sup. de Praetorib.* *IDEM.*

(c) Abest hæc vox a *Cod. Iust.* *ID.*

(d) *Hoc* Cod. Iust. *RITTER.*

(e) *Iisdem* Cod. Iust. *IDEM.*

(f) Hoc postremum caput resecatum a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(g) Id est intra decimum quintum Augusti diem. *ID.*

(h) Constantinopolitanæ. *IDEM.*

(i) *Termini* vrbis *h. l. & l. vltima, D. de off. P. V.* *ID.*

(k) *Niciæ*, & *Nicea*, promiscue hic & *l. 3. sup. de diuers. rescr.* vbi dixi. *ID.*

COMMENTARIVS.

ARCADII hæc *lex* est in Actuarios & Numerarios, ac maxime in Actuarios: cuius etiam altera extat hoc anno constitutio, eodem fine in eosdem lata, puta *lex 24. sup. de erogat. mil. annon.* Duo igitur *hac l.* statuit Arcadius. Primum, ne Numerarii Actuariis sese iungant: Quod tamen hac tempestate fecerant. Actuarii scilicet Numerorum Præsentalium, qui præsentes Principis obsequio, deputati erant, quique in vrbe Constantinopolitana agebant præsente comitatu (vt loquitur idem Arcadius hoc ipso anno pariter ad Romulianum P. V. *l. 17. sup. de re militari:*) Numerarios [Præfecti Vrbis] ad consortium suum, societatem, & communionem pertraxerant, sic vt eorum consortio iuuarentur ad cunctorum perniciem, de quorum vtrorumque fraudibus, ac maxime Actuariorum, iam *supra* sæpe dictum est. Nempe cum Numerarii debitorum & reliquorum rationes tractarent chartasque, breuesque eius quod in militum vsum requireretur, conficerent, & Actuarii (de quibus dixi ad *l. 1. sup. de erogat. mil. an.*) in singulis Numeris militaribus ratiocinia pariter tractarent, quantum scilicet cuique Numero & cuique militi annonæ deberetur, Actuarii cum Numerariis colludentes maiorem sibi modum annonarum quam vsus militum Numerusque deposceret, adsignari faciebant, quem in sinum suum postea verterent. Itaque hac societate, hoc collegio & commercio rationumque communicatione Actuariis interdicit *hac l.* Arcadius. Quos antea hoc ipso anno a simili fraudis genere submouerat, puta a superexactione, *d. l. 24. sup. de erogat. mil. ann.* Et vero hanc societatem adeo diuelli vult, vt Numerarios in societatem pertractos eadem pœna puniri velit qua ipsos Actuarios. Similiter Theodosius Iun. postea scriniariorum cum Actuariis collegium commerciumque penitus inhiberi voluit, *l. 15. prox.*

Secundo capite *huiusce legis*, Arcadius, Actuarios, Vrbis Constantinopolitanæ terminis excedere iubet intra 50. dies: Cuius rei ratio non vna reddi potest. Prima, quod ibi agentes moramque diuturniorem facientes Actuarii, Numerariorum factionibus & tumultibus opportunos maxime sese præberent: vt cæteroquin opportuni fuere: teste Sex. Aurel. Victore *in Gallieno cap. 33.* *Tantum*, inquit, *Actuariorum, in exercitu* FACTIONES *vigent, vt arduum petentibus malitia patraretur. Genus hominum, præsertim hac tempestate, nequam, venale, callidum,* SEDITIOSVM, *habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes velandasque quasi ab natura factum, annonæ dominans, eoque vtilia curantibus & fortunis aratorum infestum, prudens in temporibus largiendi, quorum vecordia damnoque opes contraxerit.* Sane eadem ratione Honorius Imp. anno superiore 397. *l. vn. infr. quib. milit. ad vrbem non liceat accedere:* Agentes in rebus, Palatinos, aliosque milites inferioris militiæ omni penitus arceri Vrbis venerabilis accessu voluit. Et vero Arcadio id omne de Actuariis constituere visum fuerit, quod ea tempestate Constantinopoli quamplurimi milites agerent, tum in Palatio, tum & Barbari, atque omnia ibi tumultus plena tum essent, propter Tribigildi & Gainæ motus, de quo videndus Zosimus *lib. 5.* ac maxime *cap. 18. & 19.* Socrates *lib. 6. cap. 6.* Theodoretus *lib. 5. cap. 32. 33.* Sozomenus *lib. 8. c. 4.* Quomodo sane idem Arcadius paulo ante hanc *l.* hoc ipso anno ad Præfectum vrbis pariter (qui tum erat Romulianus) *l. 17. sup. de re milit.* missum a Numero vel a Tribuno ad Comitatum suum, posteaquam se Comitibus obtulerit, & caussas profectionis exposuerit, responsum Principis mereri, & citam remeandi facultatem accipere iussit. Potest & hæc altera ratio reddi, ideo 50. dierum spatium dari Actuariis non vlterius, ne aliquin Numerorum a quibus missi fuerunt vtilitas diutius eludatur.

P. 472 XV. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Hypatio Magistro militum per Orientem. (b)

EX insinuatione Magnificentiæ Tuæ, cognitis his quæ a Scriniariis (c) Officii Tui crudeliter perpetrantur, dum Actuariis, sua prauitate, permixta freti potestate chartarum, rationes eorum pro sua voluntate perscribunt, generali lege censemus, vt ad exemplum Numerariorum, (d) quorum ob fraudes hæc dudum + forma processit, a chartarum cura triennio finito pellantur, nunquam ad eam vlterius admittendi, cum his qui

qui ante ab huiusmodi consortio quoque (e) pacto recesserunt, ita ad Principatum (f) officii si maluerint, præstolentur: hac pecunia, quam Actuariis quolibet genere extorserunt, fisco vindicanda. Quod & in posterum obseruabitur, si quis ex Scriniariis eiusdem Officii aliquos cum Actuariis contractus habuerit: Quoniam hoc collegium commerciumque penitus conuenit inhiberi. Dat. XVI. Kal. April. Constantinop. Honorio X. & Theodosio VI. AA. CONSS. [415.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem ei *lex 2. Cod. eod. de offic. Magistri militum.* GOTHOFRED.

(b) De *Magistro militum per Orientem*, vide *Notitiam Imperii fol.* 33. quæ duodecennio post hanc *legem* scripta fuit. *IDEM.*

(c) *Scriniariorum* horum Magistri militum per Orientem mentio quoque in *Notitia Imperii fol.* 33. *ID.*

(d) *Numerarios* duos Magistri militum memorat *Notitia Imperii fol.* 33. *IDEM.*

† An Valentis *lege 9 sup?* Atenim ea est de Tabulariis seu Numerariis Iudicum Ordinariorum. An Theodosii M. *lege 13. sup?* Atenim ea est de Numerariis, vt videtur, Præfecti Prætorio. *IDEM.*

(e) *γρ. quoque.* *IDEM.*

(f) Principatus officii Magistri militum per Orientem: Eius quoque mentio in *Notitia Imperii fol.* 33. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris tres constitutiones sequuntur. Quarum prima hæc scripta est in SCRINIARIOS Magistri militum per Orientem, eius Magistri militum per Orientem, vt & Scriniariorum eius, & Magistri militum in præsenti mentio fit expressa in *Notitia Imperii fol. 30. & 33.* Eique iungenda videtur *lex 2. Cod. Iust. de officio Magistri militum*, quæ eidem Hypatio Magistro militum per Orientem inscribitur, sic vt in vniuersum ea constitutione, vnde hæc *lex*, & *d. l. 2.* desumptæ sunt, Theodosius Officialium Magistri militum per Orientem tum forum constituit, quo pertinet *d. lex. 2.* tum fraudes coercet & officium determinat; quo spectat *hac lex* nostra. Ergo vt superiore *lege 14.* vetuit Arcadius, ne Actuarii in consortium suum Numerarios adsciscerent, quod ad cunctorum perniciem fiebat; Ita & *hac l.* & viceuersa vetat Theodosius Iun. ne Scriniarii Magistri militum per Orientem Actuarios in collegium & commercium suum pertrahant. Nempe Scriniarii, quia & ipsi chartas pertractabant, freti potestate chartarum, rationes Actuariorum pro sua voluntate perscribebant, & pecuniam ab Actuariis extorquebant, & sic crudeliter quædam perpetrabant. Scriniarii scilicet, quorum mentio fit *h. l.* & *l. 16. prox.* & *l. 14. inf. de diuers. officiis*, & *l. 3. inf. de indictionib.* & passim in *Notitia Imperii*, erant in officiis Magistratuum, veluti Præfectorum Prætorio *d. l. 3.* cuiusmodi tamen nulli in *Notitia Imperii* memorantur: Memorantur in *l. 8. Cod. Iust. de Numer. l. vlt. Cod. eod. de castrensi pecul. milit. & præfectian.* & *l. vlt. Cod. eod. de apparit. Præfector. Prætor.* Suidas, *Σκρινιάριος ὁ χαρτυλάριος τῦ ἐπάρχυ ὁ αἴρων τὸ σκρίνιον ἤτοι τὸ κιβώτιον. Scriniarius. Chartularius Præfecti. Siue, qui scrinium seruat.* quæ verba occurrunt etiam in *Gloss. Nom.* eædem *Gloss.* *Σκρινιάριοι. σκηπτροφέροι. ἤγυν χαρτυλλάριοι* Onomasticon vetus: *Σκρινιάριος, τῆς δυτικῆς ὑπάρχων τάξεως, λατίνων φωνῆ· ὅ ἐςι νοτάριος Ἑλληνικῶς, ἢ χαρτοφύλαξ σκρίνιον γὰρ τὴν δρυφακτωτὴν λάρνακα οἱ Ῥωμαῖοι καλῦσι.* (a) Magistri militum *h. l.* & *Notitia Imperii Orientalis fol. 33.* Ducum, *d. l. 16. prox.* cuiusmodi nulli in *Notitia Imp.* de quo ad *eam legem*: Comitis Thesaurorum, *d. l. 14. de diu. off.* adde Proconsulis Asiæ Scriniarios in *Notitia fol. 68.* Hi rationes perscribebant, vt hæc *lex* docet, & quidem Præfecti Prætorio Scriniarii Indictionum delegationes, vt docet *d. l. 3. de indictionib.* Scriniarii vero Magistrorum Militum & Ducum rationes Actuariorum, quod hæc *lex* aperte testatur. Qua occasione ab Actuariis, vt rationes eorum scriberent, aliquid exigebant; & vero Actuarii, vt eas ad scrinia referrent, prout eas exhiberent, redimebant. Igitur hoc collegium & commercium penitus inhiberi vult, seu hoc contractus genus. Tribus eam in rem constitutis.

Primo enim Scriniariorum officium, ne prædas suas & fraudes peragant, Triennio finiri vult, exemplo Numerariorum, quod diserte ait; & vero de Numerariis fidem facit *lex 9.* & *lex 13. sup.* omne scilicet officium prædis famosum & fraudibus obnoxium, saluberrime breuitate temporis constringitur, de quo iam ad *l. 4.* & *10. sup.* simili occasione.

Secundo, Repeti idem officium scriniarii ab eodem vetat: quod & ipsum statuitur de Numerariis Domesticis, Scriniariis, Adiutoribus, Ducis Libyæ *l. prox. 16.* Item de Officialibus Proconsulis, *l. 2. inf. ad leg. Iul. de ambitu:* Vicarii, *l. 3. d. t.* Item de Magistratibus prouincialibus, *l. vlt. d. t.* Nempe & hac cautione prædis huiusmodi hominum facillime occurritur, si non exerciti, quique sinus prædarum iam nouerint, ad officium repetendum admittuntur, de quo adhuc ad *d. l. prox 16.* Quid igitur? Exacto officio ad Principatum officii peruenire possunt: cuius Principatus fit quoque mentio in *Notitia Imperii fol. 33.* cuius verba hic tandem apponi oportet.

Officium autem Magisteria per Orientem potestatis cardinale habetur.

Habet autem dignitates infra scriptas.

PRINCIPEM.

NVMERARIOS *duos.*

Commentariensem,

Adiutorem.

SCRINIARIOS.

Mensores.

Exceptores, & cæteros Apparitores.

Postremo, Pecuniam quam Scriniarii ab Actuariis acceperunt, fisco vindicari iubet.

(a) Plura vide de *scriniis* & *scriniariis* apud Cl. du Fresne *in Gloss. vtroque.*

P.471

XVI. (a) Idem AA. Vitaliano (b) Duci Libyæ.

NEMO de (c) Numerariis tui Officii, seu Domesticis, vel Sciniariis siue Adiutoribus post conpletum sui temporis actum ad eandem rursus sollicitudinem audeat adspirare: decem auri librarum condemnatione proposita, si hanc violare voluerit sanctionem: Eadem pœna Officio quoque (d) proposita, si per ambitionem vel auaritiam ex his aliquid temerari concesserit. (e) Dat. IX. Kalend. Nou. Constantinop. Honorio A. XI & Constantio II. V. C. CONSS. [417.]

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. de adsessorib. & domest.* GOTHOFR.

(b) *Vitalianus* Dux Libyæ sub Theodosio Iun. A. D. 417. *ID.*

(c) Locus hic ita mutatus *Cod. Iust. Nemo de domesticis Ducum vel Comitum militarium, officiis eorum connumeratus post*, &c. *ID.*

(d) *Officio quoque eius coërcendo*: ita *Cod. Iust.* IDEM.

(e) *Temerarie consenserit. Dat. VIII. Cal. Nou.* Cod. Iust. RITTER.

COMMENTARIVS.

REPETERE, Ducis (& quidem Libyæ in sp. *huius legis*) Numerarii Domestici, Scriniarii, Adiutores idem munus vetantur *h. l.* a Theodosio Iun. pariter vt Sciniarii Magistri militum, *l. 15. prox. sup.* Et iterum Domestici & Cancellarii, *l. 5. Cod. Iust. de domest. & assessor.* de quibus domesticis Iudicum *suo titulo, sup. lib. 1.* & quidem de Domesticis Ducum, non tantum *h. l.* agitur, verum etiam *l. 3. inf. ad leg. Iuliam repet.* Officiales Proconsulum *leg. 2. inf. ad leg. Iuliam de Ambitu*; Vicarii, *l. 3. dict. tit.* Quinimo & ipsi Magistratus prouinciales, *l. vlt. dict. t.* Publicæ scilicet disciplinæ semel gestæ sufficiunt, vt dicitur *d. l. 2.* vel vt *d. l. 3.* non absque publicæ dilacerationis incommodo officia peracta repetuntur: de quo ad *eas leges.* Ac multo magis si quis cohortalibus vrgente criminis infectatione stipendiis fuerit exemptus, ex eiusdem Theodosii Iuo. constitutione, *l. 26. inf de cohortal.* Alia ratio fuit Domesticorum Principis officii ex Agentibus in rebus: hos enim habere licuit, etsi sæpe eodem officio fuissent ante perfuncti, ex eiusdem Theodosii Iuo. *l. vlt. sup. inf. de Principibus Agent. in reb.*

Cæterum notandum, hanc *leg.* pertinere nominatim ad *Ducem Libyæ*, & eius Officiales, & Domesticos: Cuius mentio quoque fit in *Notitia Imperii fol. 89.* non tantum in Indice, seu Notitia generali præfixa Imperio Orientali, verum etiam post Comitem Isauriæ: Vbi tamen editi male habent *Dux Isauriæ*: Rescribendum enim ibi, *Dux Libyæ*, quod recte Pancirolus *ibi* notauit. Fit etiam eius mentio in alia eiusdem Theodosii Iuo. constitutione, puta *l. vlt. Cod. Iust. de diuers. officiis*: & Iustiniani *Edicto* 13. Fit & mentio passim apud Synesium *in ep. 73.* & in *catastasi p. 299. f. 44. ed. Petau.* ac nominatim eum aboleri suadet, Libyamque rursum Augustali subiici *ep. 94.* Cæterum Numerarios huius Ducis & Adiutores memorat quoque prædicta *Notitia fol. 89.*

> NVMERARIOS inquit, & ADIVTORES *eorum*,
> *Commentariensem*,
> ADIVTOREM,
> *A libellis, siue Subscribendarium*,
> *Exceptores, & cæteros Officiales.*

De *Adiutoribus* dicam semel ad *l. 10. inf. de cohort.* Scriniariorum nullam mentionem facit *Notitia* sub Duce Libyæ. Imo sub nullis aliis Ducibus: Verum eius loco vt videtur, A libellis, Subscribendarium, vel Regerendarium habet. Et tamen *h. l.* fit Scriniariorum sub Duce mentio. Imo & Etymologicum *loc. ad leg. super. 15.* laudato: Σκρινιάριος inquit, τῆς δυκικῆς ὑπάρχων τάξεως, λατίνων φωνῇ. ὁ ἐστὶ νοτάριος ἑλληνικῶς ἢ χαρτοφύλαξ, (χαρτελάριον potius dicere debuit vt Suidas, cuius verba etiam ad *leg. super.* protuli) σκρινίων γὰρ τὸ δρυφακτικὴν λάρνακα οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσι. Quanquam æuo illo postumo δὺξ, pro quouis ἡγεμὼν & ἄρχοντι & ἀνθυπάτῳ.

XVII. (a) Impp. THEODOSIVS & Valentinianus AA. Tauro PF. P. (b)

QVI ad Numerariorum gradum veniunt in Officio Tuæ Sedis Excelsæ, quamdiu eodem funguntur officio, Domesticorum (c) militiam non adfectent; ne in alio actu constituti, alterius sacramenti priuilegiis (d) perfruantur. Conpleto sane triennii tempore eam tantummodo militiam (e) consequantur, quæ instituto antiquitus + more defertur. Intra alterius autem triennii metas altiorem (f) quamcumque militiam, seu potius dignitatem nullam penitus adipiscendi habeant facultatem, & cetera. Dat. V. Non. Iul. Constantinop. Theod. A. XIV. & Maximo CONSS. [433.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* sed iungenda ei ex eodem Codice *lex 9. de adsessorib. domesticis* &c. GOTHOFREDVS.

(b) *Tauro*

(b) *Taurus PP.* Orientis scilicet sub Theodosio Iun. v. *Prosopogr.* ex Isidoro & Theodoreto. *ID.*

(c) De *Domesticis* & Protectoribus *suo titulo, lib. 6. ID.*

(d) Adorandæ videlicet purpuræ Principis : v. *l. 13. sup. ID.*

(e) Perfectissimatus. *ID.*

+ Vide *l. 6. sup. ID.*

(f) Quam Perfectissimatus scilicet. MS. hic habet *metastiorem. IDEM.*

P.474

COMMENTARIVS.

DE DIGNITATIBVS, quasnam videl. quoue tempore NVMERARII Præfectorum Prætorio consequi possint, vel non; definit *hac l.* Theodosius Iunior: quæ *lex* pars est maioris constitutionis Theodosianæ, vt patet ex *l. 9. Cod. Iust. de Adsessoribus & Domesticis:* quæ indidem desumpta *huic* coniungenda venit: Qua io vniuersum id egit Theodosius Iun. ne obteotu aliquo vel prætextu eludi posset inquisitio in actus, siue Iudicum, & Domesticorum ipsorum: quo pertinet *d. l. 9.* siue Officialium Præfecti Prætorio, veluti Numerariorum: quo pertinet hæc *lex.*

Igitur circa Numerarios tria tempora distinguit: Nempe durante actu, seu officio, Numerarios Domesticorum, *militiam*, eiusque sacramenti priuilegia adfectare vetat. Quod vtique pro magno fuisse, adfectarique solitum, docuit *Titulus supra, de Domesticis & Protectoribus.* Eius vero hæc inter alias præcipua dignatio fuit, hoc militiæ, *Sacramenti* istius, priuilegium (quæ verba huius *legis* sunt) vt ad purpuram Principis adorandam admitterentur: quod docet *lex 3. 4. infr de diuersis officiis:* imo & hæc *lex*, collata cum *l. 13. sup.* Nam quod *h. l.* Numerarii Domesticorum militiam adfectare vetantur, id *d. l. 13.* ita exprimitur, *Numerarii nonnisi exacto triennii tempore, diuinam Nostri Numinis purpuram venerentur:* vbi vides etiam easdem triennii metas quæ *hac l.* ponuntur, figi Numerariorum actui, de quo ad *eam legem.*

Secundo, finito iam actu, seu completo triennio, eam tantum militiam eos consequi vult, quæ *instituto antiquitus more defertur*, id est, vt equidem accipio, dignitatem *Perfectissimatus:* quod suadet *lex 6.*

Tertio, intra alterum triennium a finito Numerarii officio, ad vlteriorem & altiorem dignitatem eos conscendere vetat: vt ita inquisitioni adhuc pateant. Antea certe finito officio, vno primum anno iussi in prouinciis residere, vt incusantium querelas exciperent, *l. 6.* mox biennio, *l. 9. sup.* Adeo, totque vinculis Numerariorum Præfecti Prætorio fraudibus & fuciis occursum oportuit.

Et hæc quidem ita de *Numerariis* Præfecti Prætorio, vt & de Domesticis Rectorum prouinciarum, aduersus eorum corruptelas: nempe quod pessimi tum passim Domestici Iudicum essent: & Numerarii Præfectorum Prætorio aliique Adiutores: inde & Isidorus Pelusiota *, *lib. 5. ep. 40.* hunc ipsum Taurum PP. hortatur ad adsciscendos sibi *κοινωνὺς τῆς ἀρχῆς, τὺς ἀρίςυς τῶν φιλων, τὺς ἀληθείας συντρόφυς, καὶ χρημάτων κρείττονας. Participes potestatis, amicos optimos, veritati innutritos, & pecuniarum contemptores.* Quem locum alioquin interpres de Magistratibus perperam a Tauro promouendis accepit. Et hæc quidem omnia, vt dixi, hac constitutione emissa ad Taurum PP. quem alio iuin Isidorus, *lib. 3. ep. 365.* vocat, *τῆς ἀρχικῆς ἀρετῆς ἀψευδέςατον βασανιςήριον; virtutis, quæ a præfecto requiritur, verissimum examen;* & *lib. 5. ep. 40. τῆς ἀγχινοίας τέμενον, sagacissimum virorum.*

DE TABVLARIIS (a) LOGOGRAFIS (b) ET CENSVALIBVS. (c)

TITVLVS II.

LIB. X. COD. IVST. TIT. LXIX.

(a) *Scribis* additum Cod. Iust. de quibus *l. 1. 3.* De Tabulariis agitur *l. 1. 2. 5. seu vlt.* adde *l. vlt. inf. de censu : l. 2. 9. 11. 13. inf. de annona & trib.* GOTHOFR.

(b) De his *l. 3.* Est autem hic *Titulus fugitiuus. ID.*

(c) De his *l. 4. ID.* Titulus in Cod Wurceburg & Gothan. ita concipitur. *De tabulariis, olographis & censualibus, id est scribis* Breuiarium vero legis Roman. Guelferbytan. legit: *de tabulariis, holographis & censualibus, id est, & scribis,* & Editio Schardina, *de tabular. holograph. id est censualibus scribis.* RITTER.

I. (a)

I. (a) Imp. (b) Constantius A. ad Catullinum PF. P. (c)

NVLLVS omnino ex Tabulariis, vel Scribis, vel (d) Decurionibus (e) eorumque filiis, in quocunque officio militet; sed ex omnibus Officiis; nec non etsi (f) intra nostrum Palatium militent necdum inpleto quinquennio reperti, & retracti, protinus Curiis (g) Officiisque municipalibus reddantur. Dat. VIII. Kal. Iul. Lauriaco, (h) Marcellino & Probino CONSS. [341.]

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iust. eod. tit.* Repetita quoque hæc *lex* totidem verbis *inf. tit. de Decurionib. l. 31.* GOTHOFR.

(b) Tribuenda hæc *lex* duobus Augustis, vt etiam recte tribuitur *d. l. 31. & d. l. 1. Cod. Iust.* (in Edition. Cuiacian. male enim in vulgatis legitur *Imp. Alexander.*) puta, *Constantio &* CONSTANTI, sic tamen, vt *Constantem* auctorem habeat. *ID.*

(c) P. V. *l. 3. infr. de paganis:* A. 342. *ID*

(d) *Vel Logographis eorumque filiis.* ita *Cod. Iust.* sublata hic *Decurionum* mentione; vt & mox *sine leg.* voce, *curiisque,* accommodate ad *Titulum. ID.*

(e) Est qui reponit, *decurialibus. ID.*

P. 475 (f) *Etiamsi,* Cod. Iust. *IDEM.*

(g) Abest vt dixi a *Cod. Iust. IDEM.*

(h) De hoc *Lauriaco,* mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE MVNICIPALIBVS officiis eorumque rationibus non euitandis: officii alicuius alterius, etiam Palatini, etiam militiæ obtentu, sunt tres priores huius *Tituli* Constitutiones. Et hæc quidem prima Constantis Imp. quæ & ipsa repetita extat *inf. l. 31. tit. de Decurionib.* quia & Decurionibus communis est. Exceptione tamen hac addita, nisi quinquennium iam in eo officio impleuerint: Quinquennali scilicet præscriptioni locum facit hac parte Constans Imp. pariter vt Constantius frater eius: *l. 38. infr. de Decurionibus.* Valentinianus Sen. *l. 64. inf. de Decurionib. & l. 6. sup. de re militari:* (cuius *legis* mentio fit *l. 16. sup. de Agentib. & l. 28. inf. de cohortal.*) & Valentinianus Iun. *l. 88 inf. de Decurionib.* Cum alias nullius quandoque temporis præscriptio hac parte prodesset: *l. 35. inf. de decurion.* alias maior requireretur, *l. 56. 95. inf. decurionib. & l. 28. inf. de cohortal.* Et hæc de ipsa *leges* sententia.

TABVLARII de quibus agitur *h. l. & l. 2. vlt. h. t. & l. 2. 9. 11. 13. infr. de annon. l. 1. inf. de exaction. l. 3. seu vlt. inf. de superexact. l. 1. & l. vlt. inf. de censu: l. 27. inf. de susceptor. l. 5. inf. de iis quæ administr. l. 8. inf. de cohortal. l. 3. inf. de indulgent. debitorum,* non sunt Tabularii qui in officiis Iudicum erant: quique ad distinctionem *Tabularii Apparitores* vocantur, *l. 2. inf. de susceptorib.* Tabularii prouinciarum, solidis prouinciis necessarii, *l. vlt. inf. h. t. & l. 5. inf. de iis quæ administr.* (de quibus *superiore titulo,* iidemque cum Numerariis.) verum Tabularii ciuitatum, vt diserte vocantur *l. 1. inf. de exactionib. & l. 1. 8. seu vlt. inf. de censu: l. 3. inf. de indulg. debit.* singulis ciuitatibus necessarii *l. vlt. h. t.* singularum vrbium, *l. 5. inf. de iis quæ administr.* Tabularii publici, *l. 2. inf. de annon. & tributis.* Denique, horum officium municipale erat, vt hæc *lex* ostendit, seu necessitas, *l. 2. h. t.* officium publicum *d. l. 3. seu vlt. de superexact.* id est, functio municipalis (quo sensu *necessitatis* vox accipitur *l. 17. 46. 57. 65. 89. 171. 177. inf. de decurionib. l. 1. inf. ad l. Corn. de falso:*) publicus actus, *l. vlt. h. t.* Ideo etiam iunguntur Scribis & Decurionib. *h. l. & d. l. 3. seu vlt. de superexact.* subscribendariis, diurnariis, logographis, Censualibus, *l. 8. infr. de cohortalib,* Sexagenariis, *l. 2. inf. de annona & tributis.* Finitoque officio ad Curias nominabantur, *l. 2. h. t. & 8. infr. de cohort.* Munus eorum circa rem tributariam occupatum erat. Quo etiam Sidonius allusit *lib. 4. ep. 11. Habens procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, Tabularium in tributis.* Chartulas scilicet administrabant, *l. 2. h. t.* in chartularum ministerio erant, *l. 8. sup. de fil. milit. apparit.* Chartas debitorum tractabant, *l. 3. inf. de indulg. debitor.* chartas publicas agebant, *l. vlt. h. t.* ratiocinia tractabant, *leg. ead.* seu rationes publicas, Interpres *ad l. eand.* prodebant nomina debitorum, *l. 16. inf. de exactionib.* His quippe primum Quadrimenstrui breues tributorum publicabantur, *l. 27. inf. de susceptorib.* & vt Interpres ait *l. 1. inf. de censu,* exactionis libri tradebantur. Deinde ipsi Exactoribus dabant Breues, neque ante exactores conuenire poterant debitores, *l. 1. inf. de exactionib.* Tandem possessores seu collatores cautiones seu securitates (id est, Apochas) sibi datas cum satisfecissent publicæ collationi ad eos deferebant, *d. l. 2. inf. de annon & d. l. 27. inf. de susceptorib.* Ergo cum chartæ & ratiocinia rei tributariæ per singulas ciuitates iis incumberent, facile his fuit aliorum sarcinam in alios per collusionem transferre, *l. 1. inf. de censu:* & immunitatem admittere, *l. vlt. inf. de censu.* Denique fraudibus famosi fuere, *l. 27. infr. de susceptorib.* Imo & concussionib. *l. 5. inf. de iis quæ administr.* Symmachi locus huc apprime facit *lib. 9. ep. 10. Principalibus* inquit, *& Tabulariis liberum est alios a dispendio vindicare, aliis indebitum munus imponere.* Vbi vides etiam Principalibus eos iungi, a quibus adscriptiones & distributiones tributorum ordinariæ fiebant, *l. 117. inf. de decurionib. d. l. 5. de his quæ administr. l. vn. sup. de priuil. domus Augustæ:* non munerum extraordinariorum, *l. 4. inf. de extraordin.* Et hæc de Tabulariis ciuitatum; quos caue cum Tabellionibus commisceas, vt faciunt nonnulli de quibus ad *l. 3. inf de decurion.*

SCRIBAE Tabulariis & Decurionib. iunguntur *h. l. & d. l. 3. seu vlt. inf. de superexaction.* & exæquantur: nempe vt & hi officium suum deserere non possint, nisi iam quinquennium in noua militia egerint. Horum fit quoque mentio *l. 3. inf. h. t.* qua a militia Armata pariter retrahi a Theodosio M. iubentur. Ea ipsa docet inter alia curiæ munera & hoc fuisse, & quidem vicinum Logographis ciuitatum. Hi, vt puto iidem sunt, qui Diurnarii vocantur *l. 8. inf. de cohortalib,* nam & ibi

ibi *Diurnarii*, medii ponuntur inter Tabularios & Logographos. Quanquam *hac l.* in genere *scribarum* appellatione omnes & Subscribendarii, & Diurnarii, & Logographi comprehendi videntur. Erant scilicet Scribæ, qui omnia Curialia Acta scribebant: *γραφεῖς*. Cuius generis Scribæ etiam in Magistratuum officio fuere: de quibus vide *l. vlt. Cod. Iust. de magistrat. conuen.* Cassiodorum XII. *Var. 21.* Nouell. Iustin. 94. *in Epilog.* & Constantini Porphyrogen. *ιι περὶ συνηθείων τῦ σκρίβα, de consuetudinibus scribæ.*

Superest *huius legis* subscriptio. Dicitur hæc *lex* data LAVRIACO: quod *Lauriacum* non vnum fuit. Primum, quod hodie *Lorch*: etsi Lazius malit *Ensium*; fuit in Norico & Illyrico Occidentali. Eius meminit Ammianus Marcellinus *lib. 31. cap. 10.* & Notitia Imperii *sub Duce Pannoniæ primæ & Norici Ripensis fol. 171.* & Itinerarium *Antonini*. Ibi & Legio secunda & Classis fuit, teste *Notitia Imperii*: Sed & scutorum fabrica; cuius Lauriacensis fabricæ meminit eadem Notitia *sub Magistro officiorum fol. 138.* Per eam, tanquam præcipuam vrbem iter ex Italia in Pannoniam, & deinceps vlterius fuit; vt ex Ammiani Marcellini *loco*, & Antonini *Itinerario pag. 235. 276. 277. edit. Wesseling.* colligitur: Quare & ibi *Constans* Imp. hoc tempore constiterit necesse foret. In veteri Inscriptione dicitur, COLONIA AVRELIANA LAVREACENSIS: (a) denique frequens eius mentio apud Eugippium *in V. S. Seuerini*. Aliud *Lauriacum* fuit inter Cremonam & Mauntuam; cuius mentio in *Tabula Itineraria*. Tertium fuit *Lauriacum* in Batauia (*Francis* opposita) vbi Tabula *Peutingeriana* inter Lugdunum Batauorum & Nouiomagum notat LAVRI, pro *Lauriaco*. Quod Cluuerius *lib. 2. Germaniæ antiquæ, p. 186.* putat esse *Lerdam*: forte est quod hodie *Larens* dicitur, inter Vltraiectum & Fleuionem lacum. De hoc postremo Lauriaco huius *legis* subscriptionem accipiendam quis haud improbabiliter putet: quandoquidem hoc anno 341. Constans neque in Norico, neque in Italia constitit, verum P.476 in Galliis, vbi ei cum *Francis* tunc res fuit, & aduersus quos vario primum euentu hoc anno pugnatum: annoque demum proximo 342. eos deuicit; de quo vide *Chronicum nostrum*.

(a) Gothofredus hic Cluuerium sequens *in Norico pag. 23.* inscriptionem admisit dubiæ fidei, quam Cl. Cellarius & postjeum alii inuenire non potuerunt. Cl. Wesselingius *ad Anton. Itiner. pag. 235.* Cluuerium exscripsisse eam ex Cl. Welseri *lib. 3. Rer. Boic. pag. 90.* putat, qui nullo etiam loco addito vnde sit, eius meminit. Falsam ego non dixerim, erat enim quondam Augusta Vindelicorum plena antiquis marmoribus, quæ domi Patricii generis viri sanctissime seruabant, quorum in numero etiam fuit magnus ille Peutingerus. Aliter tamen visum est Cl. Lambecio Biblioth. *lib. 2. pag. 634.* qui existimat male legisse Cluuerium in Thesauro p. CCCCLXXXIV. n. 3. vbi PATRONVS ET MVNICEPS COL. AVG. LAVR. memoratur, & appellasse *Aurelianam* quæ *Augusta* audierit. Plura dicemus in *Topographia*.

II. (a) Imp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Artemium (b) Vicarium Hispaniarum.

SI qui, Tabulariorum necessitate (c) perfuncti, vel adspirare cœperint ad Curias (d) vel vocari, non prius eos Ordo suscipiat, quam fideliter dederint administratarum suo (e) tempore chartularum (f) apud acta rationem. Dat. Kal. Iun. Triu. Valentiniano & Valente III. AA. CONSS. [370.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Artemio* huic Vicario Hispaniarum inscribitur quoque anno superiore, *l. 1. infr. de discussorib.* IDEM.

(c) *Necessitas*, id est functio municipalis, *h. l.* & *l. 17. 46. 57. 65. 89. 171. 177. inf. de Decurion. l. 1. inf. ad Leg. Cornel. de falso.* vide quæ dixi ad *legem super. 1.* ID.

(d) Id est, curiam. IDEM.

(e) Ergo non perpetuum fuit hoc officium Tabulariorum. ID.

(f) Similiter chartas debitorum tractare dicuntur, *l. 3. inf. de indulg. debitorum*: de quo ad *leg. super.* chartas publicas agere, *l. vlt. inf. h. t.* ID.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. hæc constitutio est, eodem, seu ad eundem finem, quo superior Constantis *lex*, & *prox.* etiam Theodosii M. pertinens. Nempe ne Tabularii (de quibus plene *ad l. 1. super.*) actus seu administrationis suæ rationum redditionem defugiant, alterius muneris obtentu. Atque vt superior *lex 1.* & *prox. 3.* durante actu ad alia officia vel militiam eos adspirare vetat: Ita *h. l.* Valentinianus Sen. finito quamlibet actu ad curias eos vocari, vel adspirare, atque a curia suscipi vetat, prius quam fideliter rationem reddiderint administrationis suæ. Rationibus denique obnoxios a Curia suscipi vetat: Et quidem intra Hispanias; quarum vtilitati Valentinianus Sen. aduersus eorum fraudes qui rei tributariæ quoquomodo incumbebant, consultum iuit hac tempestate, vt patet quoque ex altera eiusdem constitutione ad eundem Artemium Vicarium Hispaniarum anno superiore, puta *lege 1. infr. de discussorib.*

Ex *hac* interim *leg.* apparet, & *l. 4. infr.* & *l. 8. infr. de cohortalib.* Tabularios finito actu ad Curias siue adspirare, siue vocari solitos. Quod ipsum docet etiam eiusdem Valentiniani Sen. *d. lex 8. inf. de cohortalib.* Qua *lege* Curiales Ciuitatum Conditionalibus digniores fuisse. Et ideo aliæ quoque conditiones plures in curiam adsciscendis imponuntur, & hæc inter alias, si cum in eo officio essent, nulla eos suppliciorum macula turpauit: Quomodo

altera conditio *hac l.* impooitur, si rationem actus sui fideliter gesti reddiderint: Nempe a Curia, neque rationibus obnoxios, neque suppliciorum macula foedatos suscipi voluir Valentinianus Sen. qui & in genere profitetur *l. 66. inf. de Decurionib.* ordinum & Curiarum splendorem vel maxime sibi cordi esse de quo ad *l. 57. inf. de decurionib.* Et vero conuenienter *eadem lege* statuit, vt non adgregentur nisi nominati & electi, quos ipsi Ordines coetibus suis duxerint adgregandos, non vero ob culpam quis mittatur ad Curiam.

III. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEODOSIVS AAA. Neoterio PF. P. (b)

COMPERIMVS, aliquantos (c) relictis muneribus Curiarum, Scribas (d) sed & Logografos (e) ciuitatum, in nomen inrepsisse militiæ, (f) his retractus (g) legem hanc tulimus, ne quis ex hoc (h) hominum numero paria audeat vsurpare. Hoc admodum (i) sufficiente numero, militiæ subplementis, qui ex Vagis veteranorumque filiis Vacantibusque potuerit fida peruestigatione conpleri. Dat. IV. Non. Febr. Thessalonicæ Gratiano A. V. & Theodosio A. I. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Orientis, vt docet subscriptio *legis 9. sup. de Tironib.* & *legis 3. sup. de desertor.* *ID.*

(c) *Aliquanti*, pro *aliquot: h. l.* & *l. 31. inf. de Episcop. l. 9. inf. de censitor. l. vlt. inf. quorum appellat.* vide *Gloss.* *IDEM.*

(d) De his agitur quoque *l. 1. sup.* vbi dixi. *ID.*

(e) De *Logographis* ciuitatum, dixi *inf. lib. 11. tit. 4. ne conlatio per Logographos.* *ID.*

(f) Armatæ, vt sequentia ostendunt. *IDEM.*

(g) *re retractis:* vid. *l. sup.* vix enim putem, vocem hanc *retractus* huic æuo conuenire. Deinde sequentia mox ostendunt legendum, *retractis.* Nempe opponuntur his qui cum Curiales essent in nomen militiæ irrepserunt, definiturque eos retrahendos: & qui deinceps paria vsurpare ausi fuerint, quibus hæc *lex* fertur, ne id in posterum audeant. *IDEM.*

(h) Scribarum, Logographorum. *IDEM.*

P.477 (i) *Admodum* eo sensu quo passim apud Saluianum, id est *omnino.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc constitutio est Curiis & officiis publicis consulentis, pariter vt Constans *l. 1. sup.* Valentinianus Sen. *l. 2. sup.* vt cæteroquin Princeps hic enixo studio curiis consultum iuit, de quo plene dico ad *l. 80. inf. de Decurionib.* Ac inter alia ne militiæ quidem Armatæ obtentu Curiarum munera relinqui seu deseri permisit, verum ab ea abstrahi & ad Curiam Curiales reuocari. Qua de re quatuor eius constitutiones occurrunt *tit. de Decurionib.* puta *lex 87. 113. 137. 139.* & *hac* nostra. Quinimo & hoc ipso anno plures adhuc eiusdem constitutiones occurrunt, quibus Curiales a Senatoria dignitate, ab officiis Iudicum, a Fabricensium schola, quo nonnulli sese contulerant, reuocari pariter voluit *l. 81. 82. infr. de decurionib.* quæ etiam eidem Neotherio inscribuntur. Ergo & *hac l.* a Militia Armata eos reuocari iubet, ac nominatim Scribas (de quibus ad *l. 1. sup.*) & Logographos (de quibus *titulo, inf. ne conlatio per Logographos,*) Qui proculdubio ad militiam Armatam sese contulerant Actuarii futuri. Et vero tanto fidentius, quod Theodosius M. hoc tempore imo anno ad Scythici belli apparatum (de quo Zosimus *lib. 4.*) delectus militaris enixam curam gessit. Vnde & desertores requiri studiose voluit, *l. 3. sup. de desertorib.* & supplementa numeris agitari *h. l.* & *l. 8. 9. sup. de Tironib.* & *l. 11. sup. de fil. mil. apparit.* quæ *leges* omnes hoc anno datæ sunt. Item omnes (excepta *l. 8*) ad eundem Neotherium P. P. datæ. Et vero huius supplementi *hac ipsa leg.* mentio fit. Et tamen Theodosius hoc supplementi militaris & delectus obtentu Curias vacuari, vel munera Curiæ relinqui noluit. Quid igitur? Præter desertores retrahi iussos reuocari inter alia voluit eos, qui militiæ debentur, Veteranorum ac militum filios, *h. l.* & *l. 9. 10. 11. sup. de fil. mil. apparit.* quæ hoc ipso anno omnes datæ sunt: & quidem vt iam dixi *l. 11.* ad eundem Neotherium. Denique: Item tirocinia prouincialibus offerre, *d. l. 8. de Tironib.* Item supplementa ex opportunis regionibus agitari, *d. l. 9. de tironib.* & *hac l.* ex vagis videlicet & vacantibus qui peruestigari potuerint; vt cæteroquin ex his dilectus agitari soliti, & supplemeota fieri seu repleri corpora extenuata, veluti Maocipum, *l. vn. infr. de mancipib.* & Symmachus *lib. 10. ep. 58.* Nauiculariorum, *l. 3. inf. de naufrag.* Curiæ, & collegiorum *l. 137. 139. inf. de Decurionib.*

IV. (a) Idem AA. (b)

QVICVNQVE Decurionum sponte se Censuali ministerio manciparit, condicionem habeat quam ipse delegit; (c) depositurus sui Ordinis (d) penitus dignitatem, si eum

eum necessitas quæstioni subdendum (e) inuenerit. Dat. XV. Kal. Octob. Constantinop. Richomere & Clearcho conss. [384.]

N O T A E.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *35. Imppp. Valentinianus* Theodosivs *& Arcadius AAA.* Non vt Cod. Iust. *Gratianus, Valent. & Theodosius. ID.* Vulgatæ Cod. Iust. edition. male inscriptionem præferunt, *imp. Gordianus Aug.* sed Cl. Cuiacius ita in Codice suo edidit, vti verba a nostro hic adducta sunt. Idem Cuiacius vtrum ex coniectura nescio, an ex Codicis cuiusdam antiqui auctoritate addidit, *Neuterio*, quod ego tamen nomen cum ex lege antecedenti in Codicem Iust. intrusisse putarem. *RITTER.*

(c) *Flegeris* Cod. Iust. edit. vulgat. *ID.*

(d) Curialis. *GOTHOFRED.*

(e) *Quæstionis subeundæ* Cod. Iust. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

De Censvalibvs est hæc constitutio, quæ quidem est altera hoc titulo Theodosii M. constitutio, curiis, ne destituerentur, consulentis: de quo erga Curias Theodosii animo plene dixi *ad l. super 3.* Nempe, vt multi Curialium varias euitandæ, vel fugiendæ curialis conditionis, ceu prægrauis, rationes, etiam viliores tum sectabantur, spreta Ordinis sui dignitate: ita nonnulli nominatim censuali ministerio sese sponte dabant; quod quidem vile ministerium erat, mox vt ostendetur. Quare vt ab hoc cœpto Curiales reuocaret, denunciandum iis *h. l.* credidit fore, vt si censuali ministerio sese manciparent, necessitate si quando postulante quæstioni seu tormentis subiiciantur, atque adeo Ordinis sui dignitatem amitterent, penitusque deponerent. Nempe Curialium dignitas, vt *hac l.* vocatur, & *l. 47. infr. de decurion.* & *l. 1. infr. ad leg. Corn. de falso.* hic honor fuit (vt vocatur *d. l. 1. infr. ad leg. Cornel. de falso:*) vt a Quæstionibus & tormentis immunes essent. Et quidem (ne de aliis Impp. dicam: quorum aliquot ea de re constitutiones extant) sex aliæ eiusdem Theodosii M. constitutiones hac de re extant, puta *lex 80. 85. 117. 126. 127. inf. de decurionib.* & *lex 15. inf. de accusationib.* Ita quidem vt omnibus Curialibus hoc priuilegium dederit, tum *hac l.* tum *d. l. 80.* & *85.* (postea enim coarctatum id, & accisum cæteris *legib.*) Sane vt omittam alios, & ipse Libanius, Theodosii M. σύγχρονος; non vno loco huius immunitatis & dignitatis meminit, puta *orat.* περὶ τῶν ἀγγαρειῶν *p. 36* vbi hac de re iam nonnulla notaui: *orat. pro Aristophane, pag. 214. 215. edit. Morell.* Aduersus *Icarium, p. 464. edit. cit.* Contra, Censuales quæstioni subiici potuere, quod *h. l.* docemur, & *l. 8. inf. de cohortalib.* Qui & in vniuersum Curialibus inferiores fuere. Ergo Curiales quoque censuales facti, quæstioni subiici possunt. Quomodo & Curiales Tabellionis munere functi quæstioni subiici possunt, *l. 1. infr. ad l. Corn. de falso.* De Censualibus nominatim in vrbe Roma, & Constantinopolitana, iam dixi ad *l. 5. sup. de Senatorib.* Nunc de aliis. Ergo Censuales erant, quibus negotium censuale mandabatur, vt describuntur *l. 5. infr. de iis quæ administr.*

P. 478 V. (a) Impp. Arcadius & Honorivs (b) AA. Hadriano PF, P. (c)

Generali lege sancimus, vt siue solidis (d) prouinciis, siue singulis ciuitatibus (e) necessarii (f) fuerint Tabularii, liberi homines ordinentur, neque vlli deinceps ad hoc officium patescat (g) aditus, qui sit obnoxius seruituti. (h) Sed & si quis (i) dominorum seruum suum, siue colonum, chartas (k) publicas agere permiserit (*consensum* (l) enim *non ignorantiam volumus obligari*) ipsum quidem in quantum interfuerit publicæ vtilitati, (m) pro ratiociniis quæ seruo siue colono agente tractata sunt, obnoxium adtineri, (n) seruum autem competentibus affectum verberibus (o) fisco addici. (p) In (q) præteritum (r) quoque decernimus, cura (s) dominorum præsentari eos qui ratiocinia tractauerint, quorum (t) interfuit ab initio prouidere, (v) ne publicis actibus (x) priuata seruitia inmiscerentur, (y) vt (z) temporis sui quisque rationem (aa) positus in quæstione (bb) depromat. Dat. VIII. Kalend. April. Mediol. (cc) Vincentio & Frauito conss. [401.]

Interpretatio. *Siue in solida prouincia, siue per singulas ciuitates Tabularii fuerint* (d) *ordinati, hoc est, qui rationes publicas tractant, ingenui a Prouincialibus ordinentur: coloni vel* (ec) *serui ad hoc officium nullatenus admittantur*, quia quibus fides publica committenda est, tales eligi debent, (ff) de quibus querela esse non possit. *Quod si dominus colonum, vel* (gg) *seruum suum Tabularium esse concesserit*, (hh) *pro consensu dominus hac multa feriatur, vt quicquid colonus ille vel seruus detrimenti* (ii) *admiserit, hoc dominus sine mora restituat: colonus ille vel seruus verberatus, fisci viribus addicatur.*

N O T A E.

(a) *Lex 7. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

 (b) *Arca.*

(b) *Arcadius & Theud:* Cod. Wurceb. quomodo Sichardus edidit, cuius Codicum vnus etiam legit male, *Gratianus & Honorius:* recte in Gothan. *Archadius & Honorius.* *RITTER.*

(c) Hadrianus P.P. Italiæ scilicet sub Honorio: vide Claudianum quoque. *GOTHOFR.* *Adrianus* MS. Wurceb. & Goth. & impressus Cod. Iust. Cuiac. *RITTER.*

(d) De Tabulariis solidarum prouinciarum dictum *superiore titulo ad leg.12.* *GOTHOFR.*

(e) De Tabulariis ciuitatum, dictum *ad l.1. h. t.* *IDEM.*

(f) *Si necessarii* Cod. Gothan. *RITTER.*

(g) *Patefeat*, pro *pateat.* *GOTHOFR.*

(h) *Seruitutis* Cod. Goth. *RITTER.*

(i) *Sed si aliquis* Cod. Goth. *IDEM.*

(k) *Chartas publicas* agebant Tabularii. *h.l.* & *l.2. sup. l.8. sup. de fil. milit. apparit. l.3. infr. de indulgent. debitor.* de quo plene ad *l.1. sup.* *GOTHOFR.*

(l) Male quidam, *consensu enim non ignorantia*, &c. *ID.* Lectionem quam noster hic reiicit, seruat antiquissimus Cod. Wurceb. MS. Goth. ita habet, *consensum ei non ignorantiam volumus obligari*, & Sichardus edidit, *non ignorantium.* *RITTER.*

(m) *Vtilitatis*, Cod. Iust. *GOTHOFR.*

(o) *Detineri* MS. Goth. quomodo etiam legunt vulgat. edit. Cod. Iust. vbi Cuiacius edidit *attineri.* *RITTER.*

(o) *Verueribus* Cod. Wurceb. *IDEM.*

(p) *Fisco addici* MS. Goth. *ID.*

(q Hæc præteritum respicientia a *Cod. Iust.* recisa sunt. *GOTHOFR.*

(r) *In præterito* MS. Goth. *ID.*

(s) Huic voci ab antiqua manu superadditum in MS. Goth. *coram.* *ID.*

(t) *Dominorum enim*, ita Tribonianus. *GOTHOFR.*

(v) MS. Goth *prouidentia.* *RITTER.*

(x) MS Goth. *actionibus.* *IDEM.*

(y) Recisa reliqua a *Cod. Iust.* *GOTHOFR.*

(z) *Et* MS. Goth. *RITTER.*

(aa) *Ratione* MS. Goth. *IDEM.*

(bb) *Inquisitione* MS. Goth. *IDEM.*

(cc) *Mediolano* MS. Goth & vbique ita scripsit librarius, quod noto in præfatione. Vnus ex Codicibus quos tractauit Sichardus legit hic *Constantinopoli.* *IDEM.*

(dd) Abest hæc vox a Cod Wirceburg. *ID.*

(ee) *Aut* Edit. Sichard. prima Cuiac. & quæ in Quart. prod. *ID.*

(ff) *Debeant* Cod. W. *elegi debebunt* MS. Goth. *debebunt* Edit. Sichard. prim. Cuiac. & quæ in Quart. prod. *ID.*

(gg) *Aut* MS. Goth. *IDEM.*

(hh) *Consenserit.* *GOTHOFRED.* Hanc accuratissimam lectionem habet Cod. Wurceb. MS. Goth. *constituerit* legit. *RITTER.*

(ii) Hanc vocem vnus ex Cod. Sichard. non agnouit. MS Goth. hic mutilus est, nam post verba *colonus ille vel seruus*, reliqua negligentia librarii absunt, vsque ad *fisci viribus.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

EX quo HOMINVM GENERE Tabularii non tantum solidarum prouinciarum, verum etiam singularum ciuitatum ordinari debeant, definit *hac l.* Honorius Imp. Sane vt cæteroquin vile ministerium fuit Tabulariorum, ita olim Tabulariam exercuisse seruos publicos ciuitatis docet clare *lex vlt. Cod. Iust. de seruis Reip. manumittendis*, vbi actus Tabularii seruitutis argumentum est. Neque dubium, Capitolinum *in Gordiano cap. 12.* his verbis, *non Scriba, non seruus publici, non censuales illis actibus interessent:* Tabularios etiam complexum. Et hæc quidem ita olim circa Tabularios ciuitatum obseruata, & ipse censeo.

Verum si recte coniicio, Tabularii e seruis publicis ordinari desiere, (quomodo & ab aliis actibus publicis submoti fuere:) ordinatique e priuatis hominibus. Eoque res processit, vt quemadmodum olim ex seruis publicis Tabularii creabantur, tandem etiam e seruitiis priuatis, id est, seruis vel colonis priuatorum crearentur. Id quod Honorius *hac l.* prohibet. In tantum vt velit deinceps, dominum, qui permiserit, id est consenserit, non etiam si ignorauit, seruum vel colonum suum Tabularii munere fungi, ex administratione serui vel coloni insolidum publico teneri: seruum vero ipsum flagellis cæsum fisco addici.

Imo in tantum, vt etiam in Præteritum dominos, non quidem ex administratione teneri velit, seu euentum præstare. verum seruos qui Tabulariam exercuerunt, quæstioni exhibere; vt ipsi rationem actus sui reddant. Atque ita in præteritum quoque hæc *lex* respicit, non quidem vt æqua pœna sit, sed tamen aliqua, & quidem hactenus quatenus res personam & actus naturam respicit: quia vt *h. l.* dicitur, eorum interfuit ab initio prouidere, Sibi scilicet imputet, qui quod hac parte præuidere debuit, non præuidit, nempe ex hoc actu & quidem ex natura actus posse seruum suum olim quæstioni subiici. Ergo hactenus ponitur Dominus non vltra serui scilicet exhibitionem ad quæstionem de eo habendam. Denique quantum ad serui personam attinet, punitur & multatur. Neque enim paruum damnum est, seruum suum quæstioni quem exhibere cogi. Et hæc quidem rationis illius, quæ continetur illis verbis: *Quorum interfuit ab initio prouidere, ne publicis actibus priuata seruitia immiscerentur*, sententia apertissima est & elegans, quam tamen Tribonianus priori parti aptandam putauit.

p. 479 # DE PRIVILEGIIS APPARITORVM MAGISTERIÆ POTESTATIS.

TITVLVS III.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. LV. De Apparitoribus Magistrorum militum, & priuilegiis eorum.

Adde *leg. 4. & 5. inf. de diuers. officiis* & *l. 6. inf. de susceptorib. l. 15. sup. de Numerar.*

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Artemium (b) Correctorem, (c) Post alia.

QVI sese in Officiis Magistrorum equitum ac peditum militasse (d) ac militare monstrauerint, ab omni nominationis (e) iniuria excusentur. Eligendi (f) autem erunt Susceptores e diuersis (g) Officiis, etiam ex Largitionalibus ciuitatum, qui vtique extra Palatium degunt. Dat. XIII. (h) Kalend. Octob. Aquil. Acc. XV. Kalend. Nouemb. Salerni, (i) diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod tit.* Iungenda autem huic, *lex 6. sup. de priuil. eorum qui in sacr. palat. lex 2. sup. de officiis Rect. prouinc. lex 21. infr. de cursu publico.* Hanc legem suam intelligit Valentinianus *l. 6. infr. de susceptorib.* GOTHOFR.

(b) Ita quoque *d. l. 21.* itemque *l. 6. 7. infr. de pœnis & leg. d. 6. de priuileg. eorum qui in sacr. palat.* Atenim *d. l. 2. sup. de off. Rector. prou.* & *l. 2. Cod. Iust. de condit. in publ. hor.* ponitur *Antenio.* IDEM

(c) Lucaniæ & Brittiorum. Accepta enim hæc lex, *Salerni*: de quo vide subscriptionem. Atenim Præses vocatur *d. l. 2. Cod. Iust. de condit.* ID.

(d) *Militasse ac*: a *Codice suo* recidit Tribonianus. ID.

(e) Ad susceptionis munus, vt ex *sequentibus* liquet. ID.

(f) Sequentia recidit Tribonianus. IDEM.

(g) Aulis quam Magistrorum Equitum & Peditum. ID.

(h) Ita quoque *d. l. 6.* sed *d. l. 21.* III. Kal. & *dict. l. 2.* Kalend. Octobr. IDEM.

(i) *Salernum.* Eius mentio, vt omittam vetustiora hac tempestate in *Itinerario vtroque Peuting. & Antonini pag. 109. edit. Wesseling.* & apud Symmachum *lib. 6. ep. 42.* ex quo colligat quis, id in Campania fuisse. Et vero in ea id diserte ponit Diaconus *lib. 2. de gest. Longobardorum, cap. 17.* Qui Lucaniam a Silere fluuio incipit. In Picentinis id olim collocabat inter Campaniam & Lucaniam Ptolomæus, sic vt Lucaniam trans Salernum statim collocet: sed tamen putem hoc tempore sub Correctore Lucaniæ fuisse. Nam quo alioquin Accepta hæc lex *Salerni*, quæ ad Correctorem data est Lucaniæ scilicet? Sed & Campania sub Consulari hoc tempore agebat, non sub Correctore: euiusmodi hoc ipso anno & proximo fuit Buleforus Consularis Campaniæ. Neque Symmachi locus quicquam obstat: neque enim is ait Salernum in Campania fuisse, verum eum nuncium accepisset ab Eusebio Siciliæ Rectore Aurigas & Scenicos naui impositos, & missos ad Campaniam, iubet is diligentissimos scrutatores vsque Salernitanum littus accedere, vt susceptos Neapolim prosequantur. ID.

COMMENTARIVS.

DE APPARITORIBVS Magistrorum militum siue Equitum siue Peditum, eorumque priuilegiis: est hæc Valentiniani Sen. *lex*: quæ prolixioris Valentinianeæ Constitutionis pars est, ex qua supersunt (ac proinde huic coniungendæ sunt) *lex 6. sup. de priuil. eorum qui in sacro palatio: lex 2. sup. de officio Rector. prouinciæ*: & *lex 21. infr. de cursu publico.* Quæ constitutio data est ad Artemium correctorem, Lucaniæ scilicet & Bruttiorum, vt *huius leg.* subscriptio testatur. *Acc. Salerni*, vt in *Notis* probaui. Eam vero constitutionem videtur mihi Valentinianus partim Artemii corrigendi atque in viam reuocandi causa scripsisse, atque in eo complurima notasse: eo enim pertinet quod *in d. l. 6. de priuil. eorum*: quæ huic omnino pariat, ait; *Mirati admodum sumus, te non consideratis priuilegiis Palatinorum quosdam ex eorum numero susceptoribus velle coniungere, cum id minime legis nostræ sententia comprehendat.* Item eodem pertinet quod *d. l. 2. de off. Rector. prouinciæ*, præscribit; quo loco sententiam Iudex proferre debeat: eadem-

eademque damnat immodicum Iudicis circa spectaculum studium.

Parte altera, ea constitutione Valentinianus Sen. malis, quæ ea tempestate per Italiam grassabantur, mederi instituit: quo pertinet caput quod *d. l. 21. inf. de cursu publ.* continetur. Cui sane Italiæ inter hæc Imperii sui initia enixe Princeps ille consultum voluit, vt ostendunt tot *leges*, vel hoc anno 364. ad varios Italicarum Prouinciarum Rectores datæ, veluti ad Terentium Correctorem *Tusciæ*, ad Mamertinum PP. *Italiæ*, ad Buleforum Consularem *Campaniæ*, ad Artemium Correctorem *Lucaniæ & Brittiorum*, & anno proximo 365. ad Valentinum consularem *Piceni*, & rursum ad Buleforum Consularem *Campaniæ*, ad Symmachum Correctorem *Lucaniæ & Brittiorum*. Edicta item duo per *Italiam & Alpes*, & rursum ad Terentium
P.480 Correctorem *Tusciæ*, Felici Consulari *Campaniæ*, ad Fauentium Vic. *Italiæ*: vt omittam Præfectos Vrbis, & Vicarios vrbis. Addendæ his anno 368. constitutio data ad Florianum Consularem *Venetiæ*, Domnum Consularem *Siciliæ*, & anno 370. ad Amphilochium Consularem *Campaniæ*, Sophronium Consularem *Piceni*, Olybrium Consularem *Tusciæ*, Catafronium Vicarium *Italiæ*.

Ergo Valentinianus Senior, ea quam dixi, constitutione, inter alia constitutum iuit, Munerum publicorum distributionem: & quidem quinam ad SVSCEPTIONIS munus (de quo suo *titulo*, *infr. lib. 12.*) nominari possent, vel non. In quo argumento occupatæ sunt præterea tres aliæ eiusdem Valentiniani constitutiones anno proximo 365. ad Mamertinum PP. Italiæ, puta *lex 4. 6. 7. inf. d. tit. de susceptor.*

Nos istius sententiam sectemur: Ergo vt illis *legib.* ita & *hac* omnium *prima* quæ quidem supersunt: Primo *Palatinos*, qui officium aliquod in Palatio gerunt a susceptionis munere priuilegio singulari immunes esse iubet, de quo ad *d. l. 4. 6. 7. inf. tit. de susceptor.* Quod vt *hac l.* illis verbis, *qui vtique extra Palatium degunt*, indicat; ita diserte statuit *d. l. 6. sup. de priuil. eorum qui in S. Palat.* quæ *huic*, vti dixi, & concordat, & coniungenda est.

Secundo Officiales seu Apparitores Magistrorum Equitum & Peditum eodem priuilegio potiri iubet, tum *hac l.* tum *d. l. 6. inf. de susceptorib.* quæ & hanc *leg.* indicare videtur; & *huic* quam simillima est; vbi & ratio additur, *quod Ordinis sint militaris.* Nempe dubitandi ratio hæc subesse videbatur, quod hi Officiales essent, cæterum Valentinianus iussisset e diuersis officiis susceptores creari, sed decidendi ratio hæc est, quod etsi hi Officiales sint, attamen non eodem iure habendi sint quo cæteri Officiales; siquidem hi Officiales Magistrorum Equitum & Peditum sint Ordinis militaris: quod *d. l. 6. infr. de susceptorib.* diserte dicitur, & *Notitia Imperii* comprobatur, vt *ad d. l. 6.* notabo plenius. Cæterum postea ex Cornicularüs PP. idem priuilegium tribuit Valentinianus *l. 8. inf. de diuers. officiis.* Quid igitur? Susceptores tributorum seu annonarum eligi vult Valentinianus e diuersis officiis, id est, ex Officialibus diuersorum Iudicum, extra Palatium constitutorum. Quinimo etiam ex his qui Largitionales ciuitatum fuerunt. Quod vt *hac l.* ita & *d. l. 6. inf. de susceptorib.* diserte cauetur. Et tamen Constantino M. aliter olim visum fuerat, *l. 3. sup. de priuil. eorum qui in S. Palatio*: siquidem vt rationibus inter se pugnent: pro ratione enim Constantinus M. *d. l. 3.* ait, quod Largitionales Vrbium singularum priuilegio separandi non sint a Palatinis, quia dignitas propemodum similis eos cum Palatinis copulat, quandoquidem Palatinorum matriculis adnectantur. Atenim Valentinianus *hac l.* contra, pro ratione denegatæ his immunitatis ait, quod *illi* VTIQVE *extra Palatium degant*: ac si diceret, non satis esse, vt Palatinorum matriculis quis contineatur, sed illud spectandum, vtrum intra Palatium degant. Largitionales autem ciuitatum qui fuerint? dixi ad *d. l. 3. sup. de priuil. cor. qui in sacro Palatio.*

DE COHORTALIBVS, PRINCIPIBVS, CORNICVLARIIS, ET PRIMIPILARIBVS.

TITVLVS IV.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. LVIII. De Cohortalibus, Principibus, Cornicularüs ac Primipilariis.

PARATITLON.

I. COHORTALES *Rubr. l. 1. 11. 20.* & *l. vlt h. t. l. 4. inf de diuers. officiis: l. 14 sup de priuil. eorum qui in Sacr. Pal. l. 3. de indictionib. l. vlt. de cursu: l 48. de hæreticis.* Cohortales apparitores, *d. l. vlt. h t.* (vnde & cohortalis militia, *l. 1. h. t.* & *l. 48. infr. de hæreticis:* ministerium cohortalis, *l. 20. h. t.*) seu cohortalini, *l. 26. 28. h. t. l. 184. infr. de Decurion. d. l. vlt. de cursu:* (vnde Cohortalina militia, *l. 48. & 65. infr. de hæreticis. d. l. 14. supr. de priuileg. eor. qui in Sacr. Palat.* Cohortalina officia, *l. vlt. inf. de cursu publ.*) cum ab initio ita Officiales Præfecti Prætorio dicerentur (vt docet *lex 1. h. t.* & *l. 4. infr. de diuers. officiis.*) postea Rectorum Prouinciarum Officiales proprie ita dicti. Vnde Cohortalis Syriæ, *l. 11. h. t.* & manifeste Cohortalini, ab Apparitoribus Præfecti Prætorio separantur, *d. l. 14. sup. de priuil. eorum qui in Sacr. Pal.*

Horum

Horum Matricula certa erat, *l. 20. b. t.* Neque ad aliam militiam adſpirare, ſuamque militiam deſerere poterant, *l. 4. 18. 21. 22. 23. 25. 28. 29. 30. h. t.* per prouinciam ſuam diſcurrentes, veredo curſus publici vti non poterant, *l. vlt. de curſu publ.* miſſionemque niſi expleta primipili functione impetrare non poterant, *l. 16. b. t.* Hæretici quoque cum alias militia excluderentur, cohortalinam militiam deſerere non poterant, *l. 48. 65. inf. de hæreticis.* Criminoſi latitantes eruebantur & puniebantur ſine vlla veniæ aut indulgentiæ Principalis ſpe, *l. 15. b. t.* Ignominoſe quoque dimiſſi reſtitui non poterant Reſcripto Principis, *l. 18. 20. infr. de diuerſ. offic.* quod tamen potuerunt *l. 26. h. t.* Priuilegia viciſſim nonnulla his tributa poſt militiam peractam: puta vt a Curia immunes eſſent, *l. 1* & *l. 11. b. t.* & a muneribus ciuilibus, *d. l. 1.* veluti baſtagæ & nauiculariæ functionis, *diſt. l. 11.*

P.481 II. Principes, *Rubr.* & *l. 10. h. t.* de quibus & *l. 1. 3. 4. 5. 6. ſup de Princip. agentium in rebus* (qui in eum *titulum* male coniecti ſunt) & *l. 3. inf. de iis quæ adminiſtr. l. 2. inf. de lucris officiorum*, erant ante Cornicularios, vt docet Rubrica *huius tit.* & *lex 3.5. inf. de iis quæ admin.* κορυφαῖος τῆς τάξεως Libanio *orat. ad Euſtachium de honorib.* qui inter officiales primi erant qui gubernabant officia *l. 6. ſup. de Princip. ag.* Sic Aurelianus cohortes vrbanas gubernare dicitur Symmacho *lib. 2. ep. 14.* Vnde Princeps officii *lib. t. ſup. de off. Rector. prou.* Principatus, *l. 2. inf. ad leg. Iul. de ambitu*, Principatus officium, *l. 14. h t.* & *l. vlt. inf. ad leg. Iul. de ambitu:* & Principatus officiorum, *l. 5. inf. de his quæ adminiſtr.* His ſtationes deferri dicuntur, *l. 10. h t.* & adminiſtratiuncula tribuitur, *d. l. 10.* adminiſtrationis officium, *l. 2. inf. de lucris officior.* gubernare officia, ſeu Officiales dicuntur, *l. 6. de Princip. agent.* principem locum regendis cohortibus obtinebant, Symmachus *lib. 3. ep. 87.* Ideo emolumenta quædam & compendia his conlata. Officii liberalitate *d. l. 2. inf. de lucris offic.* Cæterum multi Principes officiorum ex Agentibus in rebus ſumebantur, atque ad prouincias mittebantur, diuturno videlicet obſequio defatigati, *l. 3. 6. ſup. de princip. agent.* His auctoribus & ordinantibus Officiales mittebantur in munus & neceſſitates publicas priuataſque: *d. l. 1.* & *3. de Princip.* Exhibitio perſonarum ſine his non mandabatur, *d. l. 3.* executio concedebatur, *d. l. 4. de Princip.* citatoria omnia omnium cauſarum & perſonarum per hos fiebant, *l. 5. de Princip.* præceptiones Iudicum implebant, *l. 6. de Principib.* In Secretarium Iudicis admitti cupientes inducebant, *l. 1. ſup. de offic. Rector. prouinciæ: l. 5. ſup. de proximis:* poſtulationes a cauſarum patronis per hos introducebantur, *l. 4. ſup. de Princip. agentium.* Cæterum prohibiti officium ſuum relinquere *l. 14. b. t.* vel etiam ſtationes ſuas vendere, *l. 10. h. t.* viceuerſa prohibiti Principatum repetere, *l. 2.* & *l. vlt. infr. ad leg Iul. de ambitu.* Denique officii tempore quidquam præter paternas res comparare prohibiti *d. l. 3.* & *d. l. 5. inf. de iis quæ adminiſtr.*

III. Cornicularii, de quibus *leg 10. h. t.* vbi de his plene ago; *leg. 32. de erogat. milit. annon. l. 3.5. inf. de iis quæ adm. l. 5. ſup. de prox. l. 8. inf. de diuerſ. offic.* Principibus proximi erant: vnde vtique coniunguntur *d. l. 10. h. t.* & *d. l. 3. 5. inf. de iis quæ adminiſtr.* & *l. 5. ſup. de proximis.* Hi Corniculum officiorum gerere dicuntur, *d. l. 5. de iis quæ adminiſtr. d. l. 8. inf. de diuerſ. offic.* corniculos tranſigere, *d. l. 8.* Vnde Cornicularii Præfecturæ, *d. l. 8.* Cornicularii cuiuſcunque prouincialis officii, *d. l. 32. ſup. de erogat. mil. annon.* Hi prohibiti ſtationem ſuam ſeu adminiſtratiunculam vendere, *d. l. 10. b. t.* Horum munus annuum erat *l 8. inf. de diuerſ. officiis.* His Præfecti Prætorio Cornicularii poſt tranſactos corniculos & miſſionem licebat purpuram Imperatoris adorare, & liberum habebant otium, ſeu immunes ab omnibus muneribus & in his ſuſceptionis erant, *d. l. 8.* & *9. de diuerſ. offic.* Vnde Cornicularii honor, *d. l. 8.* & *9.* Hi quoque officii tempore quicquam præter res paternas comparare vetiti *d. l. 3.* & *5. inf. de iis quæ adminiſtr.*

IV. Primipilares *Rubr. l. 2. 3. 6. 9. 17. 21. 27. b. t. l. 11. ſup. de filiis mil. appar.* & *l. 6. inf. de diuerſ. officiis: l. vlt. inf. de protoſtaſia:* (a quibus Primipilarii, *l. 29. h. t.* & *l. 12. de Veteranis*) erant, qui ad paſcendos milites ſolemniter ad limitem deſtinabantur, *d. l. 6. b. t.* qui ex more ſuſceptas omnes alimonias militares ad limitem perueheбant, *d. l. 6. b. t.* quibus Primipili neceſſitas incumbebat, *l. 7. b. t.* paſtus Primipili, *l. 8. 10. 11. 16. b. t. leg. 12. 13. inf. de di-*

P.473

XVI. (a) Idem AA. Vitaliano (b) Duci Libyæ.

NEMO de (c) Numerariis tui Officii, seu Domesticis, vel Scriniariis siue Adiutoribus post conpletum sui temporis actum ad eandem rursus sollicitudinem audeat adspirare: decem auri librarum condemnatione proposita, si hanc violare voluerit sanctionem: Eadem pœna Officio quoque (d) proposita, si per ambitionem vel auaritiam ex his aliquid temerari concesserit. (e) Dat. IX. Kalend. Nou. Constantinop. Honorio A. XI & Constantio II. V. C. CONSS. [417.]

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. de adsessorib. & domest.* GOTHOFR.

(b) *Vitalianus* Dux Libyæ sub Theodosio Iun. A. D. 417. ID.

(c) Locus hic ita mutatus *Cod. Iust. Nemo de domesticis Ducum vel Comitum militarium, officiis eorum connumeratus post,* &c. ID.

(d) *Officio quoque eius coërcendo*: ita *Cod. Iust.* IDEM.

(e) *Temerarie consenserit. Dat. VIII. Cal. Nou.* Cod. Iust. RITTER.

COMMENTARIVS.

REPETERE, Ducis (& quidem Libyæ in sp. *huius legis*) Numeratii Domestici, Scriniarii, Adiutores idem munus vetantur *h. l.* a Theodosio Iun. pariter vt Scriniarii Magistri militum, *l. 15. prox. sup.* Et iterum Domestici & Cancellarii, *l. 5. Cod. Iust. de domest. & assessor.* de quibus domesticis Iudicum *suo titulo, sup. lib. 1.* & quidem de Domesticis Ducum, non taotum *h. l.* agitur, verum etiam *l. 3. inf. ad leg. Iuliam repet.* Officiales Proconsulum *leg. 2. inf. ad leg. Iuliam de Ambitu*; Vicarii, *l. 3. dict. tit.* Quinimo & ipsi Magistratus prouinciales, *l. vlt dict. t.* Publicæ scilicet disciplinæ semel gestæ sufficiunt, vt dicitur *d. l. 2.* vel vt *d. l. 3.* non absque publicæ dilacerationis incommodo officia peracta repetuntur: de quo ad *eas leges.* Ac multo magis si quis cohortalibus vrgente criminis infectatione stipendiis fuerit exemptus, ex eiusdem Theodosii Iun. constitutione, *l. 26. inf de cohortal.* Alia ratio fuit Domesticorum Principis officii ex Agentibus in rebus: hos enim habere licuit, etsi sæpe eodem officio fuissent ante perfuncti, ex eiusdem Theodosii Iun. *l. vlt. sup. inf. de Principibus Agent. in reb.*

Cæterum notandum, hanc *leg.* pertinere nominatim ad *Ducem Libyæ*, & eius Officiales, & Domesticos: Cuius mentio quoque fit in *Notitia Imperii fol. 89.* non taotum in Indice, seu Notitia generali præfixa Imperio Orientali, verum etiam post Comitem Isauriæ: Vbi tamen editi male habent *Dux Isauriæ*: Rescribendum enim ibi, *Dux Libyæ*, quod recte Pancirolus *ibi* notaoit. Fit etiam eius mentio in alia eiusdem Theodosii Iun. constitutione, puta *l. vlt. Cod. Iust. de diuers officiis*: & Iustiniaoi *Edicto* 13. Fit & mentio passim apud Synesium *in ep. 73.* & in *catastasi p. 299. sqq. ed. Petau.* ac nominatim eum aboleri suadet, Libyamque rursum Augustali subiici *ep. 94.* Cæterum Numerarios huius Ducis & Adiutores memorat quoque prædicta *Notitia fol. 89.*

NVMERARIOS inquit, & ADIVTORES *eorum*,
Commentariensem,
ADIVTOREM,
A libellis, siue Subscribendarium,
Exceptores, & ceteros Officiales.

De *Adiutoribus* dicam semel ad *l. 10. inf. de cohort.* Scriniariorum nullam mentionem facit *Notitia* sub Duce Libyæ. Imo sub nullis aliis Ducibus: Verum eius loco vt videtur, A libellis, Subscribendarium, vel Regerendarium habet. Et tamen *h. l.* fit Scriniariorum sub Duce mentio. Imo & Etymologicum *loc. ad leg. super. 15.* laudato: Σκρινιάριος inquit, τῆς δυκικῆς ὑπάρχων τάξεως, λατίνων φωνῆ. ὁ ἐστὶ νοτάριος ἑλληνικῶς ἢ χαρτοφύλαξ, (χαρτυλάριον potius dicere debuit vt Suidas, cuius verba etiam ad *leg. super.* protuli) σκρινίον γὰρ τὸ δρυφακτικὴν λάρνακα οἱ Ρωμαῖοι καλοῦσι. Quanquam æuo illo postumo δοὺξ, pro quouis ἡγεμὼν & ἄρχοντι & ἀνθυπάτῳ.

XVII. (a) Impp. THEODOSIVS & Valentinianus AA. Tauro PF. P. (b)

QVI ad Numerariorum gradum veniunt in Officio Tuæ Sedis Excelsæ, quamdiu eodem funguntur officio, Domesticorum (c) militiam non adsectent; ne in alio actu constituti, alterius sacramenti priuilegiis (d) perfruantur. Completo sane triennii tempore eam tantummodo militiam (e) consequantur, quæ instituto antiquitus + more defertur. Intra alterius autem triennii metas altiorem (f) quamcumque militiam, seu potius dignitatem nullam penitus adipiscendi habeant facultatem, & cetera. Dat. V. Non. Iul. Constantinop. Theod. A. XIV. & Maximo CONSS. [433.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* sed iungenda ei ex eodem Codice *lex 9. de adsessorib. domesticis* &c. GOTHOFREDVS.

(b) *Taurus*

(b) *Taurus PP.* Orientis scilicet sub Theodosio Iun. v. *Prosopogr.* ex Isidoro & Theodoreto. *ID.*

(c) De *Domesticis* & Protectoribus *suo titulo, lib. 6. ID.*

(d) Adorandæ videlicet purpuræ Principis : v. *l.* 13. *sup. ID.*

(e) Perfectissimatus. *ID.*

+ Vide *l. 6. sup. ID.*

(f) Quam Perfectissimatus scilicet. MS. hic habet *metastiorem. IDEM.*

COMMENTARIVS.

P.474 DE DIGNITATIBVS, quasnam videl. quoue tempore NVMERARII Præfectorum Prætorio consequi possint, vel non; definit *hac l.* Theodosius Iunior: quæ *lex* pars est maioris constitutionis Theodosianæ, vt patet ex *l. 9. Cod. Iust. de Adsessoribus & Domesticis:* quæ indidem desumpta *huic* coniungenda venit: Qua in vniuersum id egit Theodosius Iun. ne obtentu aliquo vel prætextu eludi posset inquisitio in actus, siue Iudicum, & Domesticorum ipsorum: quo pertinet *d. l. 9.* siue Officialium Præfecti Prætorio, veluti Numerariorum: quo pertinet hæc *lex.*

Igitur circa Numerarios tria tempora distinguit: Nempe durante actu, seu officio, Numerarios Domesticorum, *militiam*, eiusque sacramenti priuilegia adfectare vetat. Quod vtique pro magno fuisse, adfectarique solitum, docuit *Titulus supra, de Domesticis & Protectoribus.* Eius vero hæc inter alias præcipua dignatio fuit, hoc militiæ, *Sacramenti* istius, priuilegium (quæ verba huius *legis* sunt) vt ad purpuram Principis adorandam admitterentur: quod docet *lex 3. 4. infr de diuersis officiis:* imo & hæc *lex*, collata cum *l. 13. sup.* Nam quod *h. l.* Numerarii Domesticorum militiam adfectare vetantur, id *d. l. 13.* ita exprimitur, *Numerarii nonnisi exacto triennii tempore, diuinam Nostri Numinis purpuram venerentur:* vbi vides etiam easdem triennii metas quæ *hac l.* ponuntur, figi Numerariorum actui, de quo ad *eam legem.*

Secundo, finito iam actu, seu completo triennio, eam tantum militiam eos consequi vult, quæ *instituto antiquitus more defertur*, id est, vt equidem accipio, dignitatem *Perfectissimatus:* quod suadet *lex 6.*

Tertio, intra alterum triennium a finito Numerarii officio, ad vlteriorem & altiorem dignitatem eos conscendere vetat: vt ita inquisitioni adhuc pateant. Antea certe finito officio, vno primum anno iussi in prouinciis residere, vt incusantium querelas exciperent, *l. 6.* mox biennio, *l. 9. sup.* Adeo, torque vinculis Numerariorum Præfecti Prætorio fraudibus & futelis occursum oportuit.

Et hæc quidem ita de *Numerariis* Præfecti Prætorio, vt & de Domesticis Rectorum prouinciarum, aduersus eorum corruptelas: nempe quod pessimi tum passim Domestici Iudicum essent: & Numerarii Præfectorum Prætorio aliique Adiutores: inde & Isidorus Pelusiota *, *lib. 5. ep. 40.* hunc ipsum Taurum PP. hortatur ad adsciscendos sibi *κοινωνὺς τῆς ἀρχῆς, τὺς ἀρίςυς τῶν φιλων, τὺς ἀληθείας συντρόφυς, καὶ χρημάτων κρείτ]ονας. Participes potestatis, amicos optimos, veritati innutritos, & pecuniarum contemptores.* Quem locum alioquin interpres de Magistratibus perperam a Tauro promouendis accepit. Et hæc quidem omnia, vt dixi, hac constitutione emissa ad Taurum PP. quem alioquin Isidorus, *lib. 3. ep. 365.* vocat, *τῆς ἀρχικῆς ἀρετῆς ἀψευδέςατον βασανιςήριον; virtutis, quæ a præfecto requiritur, verissimum examen;* & *lib. 5. ep. 40. τῆς ἀγχινοίας τέμενον, sagacissimum virorum.*

✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿ : ✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿

DE TABVLARIIS (a) LOGOGRAFIS (b) ET CENSVALIBVS. (c)

TITVLVS II.

LIB. X. COD. IVST. TIT. LXIX.

(a) *Scribis* additum Cod. Iust. de quibus *l. 1. 3.* De Tabulariis agitur *l. 1. 2. 5. seu vlt.* adde *l. vlt. inf. de censu: l. 2. 9. 11. 13. inf. de annona & trib.* GOTHOFR.

(b) De his *l. 3.* Est autem hic *Titulus fugitiuus. ID.*

(c) De his *l. 4. ID.* Titulus in Cod. Wurceburg & Gothan. ita concipitur. *De tabulariis, olographis & censualibus, id est scribis* Breuiarium vero legis Roman. Guelferbytan. legit: *de tabulariis, holographis & censualibus, id est, & scribis,* & Editio Schardina, *de tabular. holograph. id est censualibus scribis.* RITTER.

I. (a)

I. (a) Imp. (b) Constantius A. ad Catullinum PF. P. (c)

NVLLVS omnino ex Tabulariis, vel Scribis, vel (d) Decurionibus (e) eorumque filiis, in quocunque officio militet; sed ex omnibus Officiis; nec non etsi (f) intra nostrum Palatium militent necdum inpleto quinquennio reperti, & retracti, protinus Curiis (g) Officiisque municipalibus reddantur. Dat. VIII. Kal. Iul. Lauriaco, (h) Marcellino & Probino CONSS. [341.]

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iust. eod. tit.* Repetita quoque hæc *lex* totidem verbis *inf. tit. de Decurionib. l. 31.* GOTHOFR.

(b) Tribuenda hæc *lex* duobus Augustis, vt etiam recte tribuitur *d. l. 31. & d. l. 1. Cod. Iust.* (in Edition. Cuiacian. male enim in vulgatis legitur *Imp. Alexander.*) puta, *Constantio &* CONSTANTI, sic tamen, vt *Constantem* auctorem habeat. *ID.*

(c) P. V. *l. 2. infr. de paganis:* A. 342. *ID*

(d) *Vel Logographis eorumque filiis.* ita *Cod. Iust.* sublata hic *Decurionum* mentione; vt & mox *fine leg.* voce, *curiisque*, accommodate ad *Titulum*. *ID.*

(e) Est qui reponit, *decurialibus.* *ID.*

P. 475 (f) *Etiamsi*, Cod. Iust. *IDEM.*

(g) Abest vt dixi a *Cod. Iust.* *IDEM.*

(h) De hoc *Lauriaco*, mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE MVNICIPALIBVS officiis eorumque tationibus non euitandis: officii alicuius alterius, etiam Palatini, etiam militiæ obtentu, sunt tres priores huius *Tituli* Constitutioues. Et hæc quidem prima Constantis Imp. quæ & ipsa repetita extat *inf. l. 31. tit. de Decurionib.* quia & Decurionibus communis est. Exceptione tamen hac addita, nisi quinquennium iam in eo officio impleuerint: Quinquennali scilicet præscriptioni locum facit hac parte Constans Imp. pariter vt Constantius frater eius: *l. 38. infr. de Decurionibus.* Valentinianus Sen. *l. 64. inf. de Decurionib.* & *l. 6. sup. de re militari:* (cuius *legis* mentio fit *l. 16. sup. de Agentib.* & *l. 28. inf. de cohortal.*) & Valentinianus Iun. *l. 88 inf. de Decurionib.* Cum alias nullius quandoque temporis præscriptio hac parte prodesset: *l. 35. inf. de decurion.* alias maior requireretur, *l. 56. 95. inf. decurionib.* & *l. 28. inf. de cohortal.* Et hæc de ipsa *legis* sententia.

TABVLARII de quibus agitur *h. l.* & *l. 2. vlt. h. t.* & *l. 2. 9. 11. 13. infr. de annon. l. 1. inf. de exaction. l. 3. seu vlt. inf. de superexact. l. 1.* & *l. vlt. inf. de censu: l. 27. inf. de susceptor. l. 5. inf. de iis quæ administr. l. 8. inf. de cohortal. l. 3. inf. de indulgent. debitorum*, non sunt Tabularii qui in officiis iudicum erant: quique ad distinctionem *Tabularii Apparitores* vocantur, *l. 2. inf. de susceptorib.* Tabularii prouinciarum, solidis prouinciis necessarii, *l. vlt. inf. h. t.* & *l. 5. inf. de iis quæ administr.* (de quibus *superiore titulo*, iidemque cum Numerariis.) verum Tabularii ciuitatum, vt diserte vocantur *l. 1. inf. de exactionib.* & *l. 1. 8. seu vlt. inf. de censu: l. 3. inf. de indulg. debit.* singulis ciuitatibus necessarii *l. vlt. h. t.* singularum vrbium, *l. 5. inf. de iis quæ administr.* Tabularii publici, *l. 2. inf. de annon. & tributis.* Denique, horum officium municipale erat, vt hæc *lex* ostendit, seu necessitas, *l. 2. h. t.* officium publicum *d. l. 3. seu vlt. de superexact.* id est, functio municipalis (quo sensu *necessitatis* vox accipitur *l. 17. 46. 57. 65. 89. 171. 177. inf. de decurionib. l. 6. inf. ad l. Corn. de falso:*) publicus actus, *l. vlt. h. t.* Ideo etiam iunguntur Scribis & Decurionib. *h. l.* & *d. l. 3. seu vlt. de superexact.* subscribendariis, diurnariis, logographis, Censualibus, *l. 8. infr. de cohortalib.* Sexagenariis, *l. 2. inf. de annona & tributis.* Finitoque officio ad Curias nominabantur, *l. 2. h. t.* & *8. infr. de cohort.* Munus eorum circa rem tributariam occupatum erat. Quo etiam Sidonius allusit *lib. 4. ep. 11.* *Habens procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, Tabularium in tributis.* Chartulas scilicet administrabant, *l. 2. h. t.* in chartularum ministerio erant, *l. 8. sup. de fil. milit. apparit.* Chartas debitorum tractabant, *l. 3. inf. de indulg. debitor.* chartas publicas agebant, *l. vlt. h. t.* ratiocinia tractabant, *leg. ead.* seu rationes publicas, Interpres *ad l. eand.* prodebant nomina debitorum, *l. 16. inf. de exactionib.* His quippe primum Quadrimenstrui breues tributorum publicabantur, *l. 27. inf. de susceptorib.* & vt Interpres ait *l. 1. inf. de censu*, exactionis libri tradebantur. Deinde ipsi Exactoribus dabant Breues, neque ante exactores conuenire poterant debitores, *l. 1. inf. de exactionib.* Tandem possessores seu collatores cautiones seu securitates (id est, Apochas) sibi datas cum satisfecissent publicæ collationi ad eos deferebant, *d. l. 2. inf. de annon.* & *d. l. 27. inf. de susceptorib.* Ergo cum chartæ & ratiocinia rei tributariæ per singulas ciuitates iis incumberent, facile his fuit aliorum sarcinam in alios per collusionem transferre, *l. 1. inf. de censu:* & immunitatem admittere, *l. vlt. inf. de censu.* Denique fraudibus famosi fuere, *l. 27. infr. de susceptorib.* Imo & concussionib. *l. 5. inf. de iis quæ administr.* Symmachi locus huc apprime facit *lib. 9. ep. 10.* *Principalibus* inquit, *& Tabulariis liberum est alios a dispendiis vindicare, aliis indebitum munus imponere.* Vbi vides etiam Principalibus eos iungi, a quibus adscriptiones & distributiones tributorum ordinatiæ fiebant, *l. 117. inf. de decurionib. d. l. 5. de his quæ administr. l. vn. sup. de priuil. domus Augustæ:* non muneram extraordinariorum, *l. 4. inf. de extraordin.* Et hæc de Tabulariis ciuitatum; quos caue cum Tabellionibus commisceas, vt faciunt nonnulli de quibus ad *l. 3. inf. de decurion.*

SCRIBAE Tabulariis & Decurionib. iunguntur *h. l.* & *d. l. 3. seu vlt. inf. de superexaction.* & exæquantur: nempe vt & hi officium suum deserere non possint, nisi iam quinquennium in noua militia egerint. Horum fit quoque mentio *l. 3. inf. h. t.* qua a militia Armata pariter retrahi a Theodosio M. iubentur. Ea ipsa docet inter alia curiæ munera & hoc fuisse, & quidem vicinum Logographis ciuitatum. Hi, vt puto iidem sunt, qui Diurnarii vocantur *l. 8. inf. de cohortalib.* nam & ibi

ibi *Diurnarii*, medii ponuntur inter Tabularios & Logographos. Quanquam *hac l.* in genere *scribarum* appellatione omnes & Subscribendarii, & Diurnarii, & Logographi comprehendi videntur. Erant scilicet Scribæ, qui omnia Curialia Acta scribebant: γραφεῖς. Cuius generis Scribæ etiam in Magistratuum officio fuere: de quibus vide *l. vlt. Cod. Iust. de magistrat. conuen.* Cassiodorum XII. *Var.* 21. Nouell. Iustin. 94. *in Epilog.* & Constantioi Porphyrogen. *ιι περὶ συνθείων τῶ σκρίβα, de consuetudinibus scribæ.*

Superest *huius legis* subscriptio. Dicitur hæc *lex* data LAVRIACO: quod *Lauriacum* non vnum fuit. Primum, quod hodie *Lorch*: etsi Lazius malit *Ensium*; fuit in Norico & Illyrico Occidentali. Eius meminit Ammianus Marcellinus *lib. 31. cap. 10.* & Notitia Imperii *sub Duce Pannoniæ primæ & Norici Ripensis fol. 171.* & Itinerarium *Antonini*. Ibi & Legio secunda & Classis fuit, teste *Notitia Imperii*: Sed & scutorum fabrica; cuius Lauriacensis fabricæ meminit eadem Notitia *sub Magistro officiorum fol. 138.* Per eam, tanquam præcipuam vrbem iter ex Italia in Pannoniam, & deinceps vlterius fuit; vt ex Ammiani Marcellini *loco*, & Antonini *Itineraria pag. 235. 276. 277. edit. Wesseling.* colligitur: Quare & ibi *Constans* Imp. hoc tempore constiterit necesse foret. In veteri Inscriptione dicitur, COLONIA AVRELIANA LAVREACENSIS: (a) denique frequens eius mentio apud Eugippium *in V. S. Seuerini*. Aliud *Lauriacum* fuit inter Cremonam & Mantuam; cuius mentio in *Tabula Itineraria*. Tertium fuit *Lauriacum* in Batauia (*Francis* opposita) vbi Tabula *Peutingeriana* inter Lugdunum Batauorum & Nouiomagum notat LAVRI, pro *Lauriaco*. Quod Cluuerius *lib. 2. Germaniæ antiquæ, p. 186.* putat esse *Lerdam*: forte est quod hodie *Larens* dicitur, inter Vltraiectum & Flenionem lacum. De hoc postremo Lauriaco huius *legis* subscriptionem accipiendam quis haud improbabiliter putet: quandoquidem hoc anno 341. Constans neque in Norico, neque in Italia constitit, verum P.476
in Galliis, vbi ei cum *Francis* tunc res fuit, & aduersus quos vario primum euentu hoc anno pugnatum: annoque demum proximo 342. eos deuicit; de quo vide *Chronicum nostrum*.

(a) Gothofredus hic Cluuerium sequens *in Norico pag.* 23. inscriptionem admisit dubiæ fidei, quam Cl. Cellarius & postierum alii inuenire non potuerunt. Cl. Wesselingius *ad Anton. Itiner. pag.* 235. Cluuerium exscripsisse eam ex Cl. Welseri *lib. 3 Rer. Boic. pag. 9*… putat, qui nullo etiam loco addito vnde sit, eius meminit. Falsam ego non dixerim, erat enim quondam Augusta Vindelicorum plena antiquis marmoribus, quæ domi Patricii generis viri sanctissime seruabant, quorum in numero etiam fuit magnus ille Peutingerus. Aliter tamen visum est Cl. Lambecio Biblioth. *lib. 2. pag. 634.* qui existimat male legisse Cluuerium in Thesauro p. CCCCLXXXIV. n. 3. vbi PATRONVS ET MVNICEPS COL. AVG. LAVR. memoratur, & appellasse *Aurelianam* quæ *Augusta* audiecit. Plura dicemus in *Topographia*.

II. (a) Imp. Valentinianvs & Valens AA. ad Artemium (b) Vicarium Hispaniarum.

Si qui, Tabulariorum necessitate (c) perfuncti, vel adspirare cœperint ad Curias (d) vel vocari, non prius eos Ordo suscipiat, quam fideliter dederint administratarum suo (e) tempore chartularum (f) apud acta rationem. Dat. Kal. Iun. Triu. Valentiniano & Valente III. AA. conss. [370.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Artemio* huic Vicario Hispaniarum inscribitur quoque anno superiore, *l. 1. infr. de discussorib.* IDEM.

(c) *Necessitas*, id est functio municipalis, *h. l.* & *l. 17. 46. 57. 65. 89. 171. 177. inf. de Decurion. l. 1. inf. ad Leg. Cornel. de falso.* vide quæ dixi ad *legem super.* 1. ID.

(d) Id est, curiam. IDEM.

(e) Ergo non perpetuum fuit hoc officium Tabulariorum. ID.

(f) Similiter chartas debitorum tractare dicuntur, *l. 3. inf. de indulg. debitorum*: de quo ad *leg. super.* chartas publicas agere, *l. vlt. inf. h. t.* ID.

COMMENTARIVS.

Valentiniani Sen. hæc constitutio est, eodem, seu ad eundem finem, quo superior Constantis *lex*, & *prox.* etiam Theodosii M. pertinens. Nempe ne Tabularii (de quibus plene *ad l. 1. super.*) actus seu administrationis suæ rationum redditionem desugiant, alterius muneris obtentu. Atque vt superior *lex 1.* & *prox. 3.* durante actu ad alia officia vel militiam eos adspirare vetat: Ita *h. l.* Valentinianus Sen. finito quamlibet actu ad curias eos vocari, vel adspirare, atque a curia suscipi vetat, prius quam fideliter rationem reddiderint administrationis suæ. Rationibus denique obnoxios a Curia suscipi vetat: Et quidem intra Hispanias; quarum vtilitati Valentinianus Sen. aduersus eorum fraudes qui rei tributariæ quoquomodo incumbebant, consultum iuit hac tempestate, vt patet quoque ex altera eiusdem constitutione ad eundem Artemium Vicarium Hispaniarum anno superiore, puta *lege 1. infr. de discussorib.*

Ex *hac* interim *leg.* apparet, & *l. 4. infr.* & *l. 8. infr. de cohortalib.* Tabularios finito actu ad Curias siue adspirare, siue vocari solitos. Quod ipsum docet etiam eiusdem Valentiniani Sen. *d. lex 8. inf. de cohortalib.* Qua *lege* Curiales Ciuitatum Conditionalibus digniores fuisse. Et ideo aliæ quoque conditiones plures in curiam adsciscendis imponuntur, & hæc inter alias, si cum in eo officio essent, nulla eos suppliciorum macula turpauit: Quomodo

altera conditio *hac l.* impooitur, si rationem actus sui fideliter gesti reddiderint: Nempe a Curia, oeque rationibus obooxios, oeque suppliciorum macula fœdatos suscipi voluit Valentiniaous Sen. qui & io genere profitetur *l. 66. inf. de Decurionib.* ordinum & Curiarum splendorem vel maxime sibi cordi esse de quo ad *l. 57. inf. de decurionib.* Et vero conuenienter *eadem lege* statuit, vt non adgregentur nisi oominati & electi, quos ipsi Ordioes cœtibus suis duxerint adgregaodos, non vero ob culpam quis mittatur ad Curiam.

III. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEODOSIVS AAA. Neoterio PF. P. (b)

COMPERIMVS, aliquantos (c) relictis muneribus Curiarum, Scribas (d) sed & Logografos (e) ciuitatum, in nomen inrepsisse militiæ, (f) his retractus (g) legem hanc tulimus, ne quis ex hoc (h) hominum numero paria audeat vsurpare. Hoc admodum (i) sufficiente numero, militiæ supplementis, qui ex Vagis veteranorumque filiis Vacantibusque potuerit fida peruestigatione conpleri. Dat. IV. Non. Febr. Thessalonicæ Gratiano A. V. & Theodosio A. I. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Orientis, vt docet subscriptio *legis 9. sup. de Tironib.* & *legis 3. sup. de desertor.* *ID.*

(c) *Aliquanti*, pro *aliquot: h. l. & l. 31. inf. de Episcop. l. 9. inf. de confitor. l. vlt. inf. quorum appellat.* vide *Gloss.* *IDEM.*

(d) De his agitur quoque *l. 1. sup.* vbi dixi. *ID.*

(e) De *Logographis* ciuitatum, dixi *inf. lib. 11. tit. 4. ne conlatio per Logographos.* *ID.*

(f) Armatæ, vt sequentia ostendunt. *IDEM.*

(g) *Ie retractis:* vel *1 sup.* vix enim putem, vocem hanc *retractus* huic æuo conuenire. Deinde sequentia mox ostendunt legendum, *retractis.* Nempe opponuntur his qui cum Curiales essent in nomen militiæ irrepserunt, definiturque eos retrahendos: & qui deinceps paria vsurpare ausi fuerint, quibus hæc *lex* fertur, ne id in posterum audeant. *IDEM.*

(h) Scribarum, Logographorum. *IDEM.*

P. 477 (i) *Admodum* eo sensu quo passim apud Saluianum, id est *omnino.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc constitotio est Curiis & officiis publicis consulentis, pariter vt Constaos *l. 1. sup.* Valentinianus Sen. *l. 2. sup.* vt cæteroquin Princeps hic enixo studio curiis consultum iuit, de quo plene dico ad *l. 80. inf. de Decurionib.* Ac inter alia ne militiæ quidem Armatæ obtentu Curiarum munera relinqui seu deseri permisit, verum ab ea abstrahi & ad Curiam Curiales reuocari. Qua de re quatuor eius constitutiones occurruot *tit. de Decurionib.* puta *lex 87. 113. 137. 139.* & *hac* nostra. Quinimo & hoc ipso anno plures adhuc eiusdem constitutiones occurrunt, quibus Curiales a Senatoria dignitate, ab officiis Iudicum, a Fabricensium schola, quo oonnulli sese contulerant, reuocari pariter voluit *l. 81. 82. infr. de decurionib.* quæ etiam eidem Neotherio inscribuntur. Ergo & *hac l.* a Militia Armata eos reuocari iubet, ac nominatim Scribas (de quibus ad *l. 1. sup.*) & Logographos (de quibus *titulo, inf. ne conlatio per Logographos*,) Qui proculdubio ad militiam Armatam sese contuleraot Actuarii futuri. Et vero taoto fidentius, quod Theodosius M. hoc tempore imo anno ad Scythici belli apparatum (de quo Zosimus *lib. 4.*) delectus militaris enixam curam gessit. Vnde & desertores requiri studiose voluit, *l. 3. sup. de desertorib.* & supplementa oumeris agitari *h. l.* & *l. 8. 9. sup. de Tironib.* & *l. 11. sup. de fil. mil. apparit.* quæ *leges* omnes hoc aooo datæ sunt. Item omnes (excepta *l. 8*) ad eundem Neotherium P. P. datæ. Et vero huius supplementi *hac ipsa leg.* mentio fit. Et tameo Theodosius hoc supplementi militaris & delectus obtentu Curias vacuari, vel munera Curiæ relinqui ooluit. Quid igitur? Præter desertores retrahi iussos reuocari inter alia voluit eos, qui militiæ debentur, Veteranorum ac militum filios, *h. l.* & *l. 9. 10. 11. sup. de fil. mil. apparit.* quæ hoc ipso anno omnes datæ sunt: & quidem vt iam dixi *l. 11.* ad euodem Neotherium. Denique: Item tirocinia prouincialibus offerri, *d. l. 8. de Tironib.* Item supplementa ex opportunis regionibus agitari, *d. l. 9. de tironib.* & *hac l.* ex vagis videlicet & vacantibus qui peruestigari potuerint; vt cæteroquin ex his dilectus agitari soliti, & supplemeota fieri seu repleri corpora extenuata, veluti Maocipum, *l. vn. infr. de mancipib.* & Symmachus *lib. 10. ep. 58.* Nauiculariorum, *l. 3. inf. de naufrag.* Curiæ, & collegiorum *l. 137. 139. inf. de Decurionib.*

IV. (a) Idem AA. (b)

QVICVNQVE Decurionum sponte se Censuali ministerio manciparit, condicionem habeat quam ipse delegit; (c) depositurus sui Ordinis (d) penitus dignitatem, si eum

eum necessitas quæstioni subdendum (e) inuenerit. Dat. XV. Kal. Octob. Constantinop. Richomere & Clearcho conss. [384.]

N O T A E.

(a) *Lex 2. Cod. Inst. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *γρ. Imppp. Valentinianus* Theodosivs *& Arcadius AAA.* Non vt Cod. Iust. *Gratianus, Valent. & Theodosius. ID.* Vulgatæ Cod. Iust. edition. male inscriptionem præferunt, *imp. Gordianus Aug.* sed Cl. Cuiacius ita in Codice suo edidit, vti verba a nostro hic adducta sunt. Idem Cuiacius vtrum ex coniectura nescio, an ex Codicis cuiusdam antiqui auctoritate addidit, *Neuterio*, quod ego tamen nomen cum ex lege antecedenti in Codicem Iust. irrepsisse putarem. RITTER.

(c) *Flegerit* Cod. Iust. edit. vulgat. ID.

(d) Curialis. GOTHOFRED.

(e) *Quæstionis subeunda* Cod. Iust. RITTER.

COMMENTARIVS.

De Censvalibvs est hæc constitutio, quæ quidem est altera hoc titulo Theodosii M. constitutio, curiis, ne destituerentur, consulentis: de quo erga Curias Theodosii animo plene dixi *ad l. super 3.* Nempe, vt multi Curialium varias euitandæ, vel fugiendæ curialis conditionis, ceu prægrauis, rationes, etiam viliores tum sectabantur, spreta Ordinis sui dignitate: ita nonnulli nominatim censuali ministerio sese sponte dabant; quod quidem vile ministerium erat, mox vt ostendetur. Quare vt ab hoc cœpto Curiales reuocaret, denunciandum iis *h. l.* credidit fore, vt si censuali ministerio sese manciparent, necessitate si quando postulante quæstioni seu tormentis subiiciantur, atque adeo Ordinis sui dignitatem amitterent, penitusque deponerent. Nempe Curialium dignitas, vt *hac l.* vocatur, & *l. 47. infr. de decurion.* & *l. 1. infr. ad leg. Corn. de falso.* hic honor fuit (vt vocatur *d. l. 1. infr. ad leg. Cornel. de falso:*) vt a Quæstionibus & tormentis immunes essent. Et quidem (ne de aliis Impp. dicam: quorum aliquot ea de re constitutiones extant) sex aliæ eiusdem Theodosii M. constitutiones hac de re extant, puta *lex 80. 85. 117. 126. 127. inf. de decurionib.* & *lex 15. inf. de accusationib.* Ita quidem vt omnibus Curialibus hoc priuilegium dederit, tum *hac l.* tum *d. l. 80.* & *85.* (postea enim coarctatum id, & accisum cæteris *legib.*) Sane vt omittam alios, & ipse Libanius, Theodosii M. σύγχρονος; non vno loco huius immunitatis & dignitatis meminit, puta *orat.* περὶ τῶν ἀγγαρειῶν *p. 36* vbi hac de re iam nonnulla notaui: *orat. pro Aristophane, pag. 214. 215. edit. Morell.* Aduersus *Icarium, p. 464. edit. cit.* Contra, Censuales quæstioni subiici potuere, quod *h. l.* docemur, & *l. 8. inf. de cohortalib.* Qui & in vniuersum Curialibus inferiores fuere. Ergo Curiales quoque censuales facti, quæstioni subiici possunt. Quomodo & Curiales Tabellionis munere functi quæstioni subiici possunt, *l. 1. infr. ad l. Corn. de falso.* De Censualibus nominatim in vrbe Roma, & Constantinopolitana, iam dixi ad *l. 5. sup. de Senatorib.* Nunc de aliis. Ergo Censuales erant, quibus negotium censuale mandabatur, vt describuntur *l. 5. infr. de iis quæ administr.*

P.478 V. (a) Impp. Arcadius & Honorivs (b) AA. Hadriano PF. P. (c)

Generali lege sancimus, vt siue solidis (d) prouinciis, siue singulis ciuitatibus (e) necessarii (f) fuerint Tabularii, liberi homines ordinentur, neque vlli deinceps ad hoc officium patescat (g) aditus, qui sit obnoxius seruituti. (h) Sed & si quis (i) dominorum seruum suum, siue colonum, chartas (k) publicas agere permiserit (*consensum* (l) enim *non ignorantiam volumus obligari*) ipsum quidem in quantum interfuerit publicæ vtilitati, (m) pro ratiociniis quæ seruo siue colono agente tractata sunt, obnoxium adtineri, (n) seruum autem competentibus affectum verberibus (o) fisco addici. (p) In (q) præteritum (r) quoque decernimus, cura (s) dominorum præsentari eos qui ratiocinia tractauerint, quorum (t) interfuit ab initio prouidere, (v) ne publicis actibus (x) priuata seruitia inmiscerentur, (y) vt (z) temporis sui quisque rationem (aa) positus in quæstione (bb) depromat. Dat. VIII. Kalend. April. Mediol. (cc) Vincentio & Frauito conss. [401.]

Interpretatio. *Siue in solida prouincia, siue per singulas ciuitates Tabularii fuerint* (d) *ordinati, hoc est, qui rationes publicas tractant, ingenui a Prouincialibus ordinentur: coloni vel* (ee) *serui ad hoc officium nullatenus admittantur*, quia quibus fides publica committenda est, tales eligi debent, (ff) de quibus querela esse non possit. *Quod si dominus colonum, vel* (gg) *seruum suum Tabularium esse concesserit*, (hh) *pro consensu dominus hac multa feriatur, vt quicquid colonus ille vel seruus detrimenti* (ii) *admiserit, hoc dominus sine mora restituat: colonus ille vel seruus verberatus, fisci viribus addicatur.*

N O T A E.

(a) *Lex 3. Cod. Inst. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Arcadius & Theod:* Cod. Wurceb. quomodo Sichardus edidit, cuius Codicum vnus etiam legit male, *Gratianus & Honorius:* recte in Gothan. *Arcbadius & Honorius.* RITTER.

(c) Hadrianus P.P. Italiæ scilicet sub Honorio: vide Claudianum quoque. GOTHOFR. *Adrianus* MS. Wurceb. & Goth. & impressus Cod. Iust. Cuiac. RITTER.

(d) De Tabulariis solidarum prouinciarum dictum *superiore titulo ad leg. 12.* GOTHOFR.

(e) De Tabulariis ciuitatum, dictum *ad l. 1. h. t.* IDEM.

(f) *Si necessarii* Cod. Gothan. RITTER.

(g) *Patescat*, pro *pateat*. GOTHOFR.

(h) *Seruitutis* Cod. Goth. RITTER.

(i) *Sed si aliquis* Cod. Goth. IDEM.

(k) *Chartas publicas* agebant Tabularii, *h. l. & l. 2. sup. l. 8. sup. de fil. milit. apparit. l. 3. infr. de indulgent. debitor.* de quo plene ad *l. 1. sup.* GOTHOFR.

(l) Male quidam, *consensu enim non ignorantia*, &c. ID. Lectionem quam noster hic reiicit, seruat antiquissimus Cod. Wurceb. MS. Goth. ita habet, *consensum ei non ignorantiam volumus obligari*, & Sichardus edidit, *non ignorantiam.* RITTER.

(m) *Vtilitatis*, Cod. Iust. GOTHOFR.

(o) *Detineri* MS. Goth. quomodo etiam legunt vulgat. edit. Cod. Iust. vbi Cuiacius edidit *attineri.* RITTER.

(o) *Verum tibi* Cod. Wurceb. IDEM.

(p) *Fisco addici* MS. Goth. ID.

(q) Hæc præteritum respicientia a *Cod. Iust.* recisa sunt. GOTHOFR.

(r) *In proterito* MS. Goth. ID.

(s) Huic voci ab antiqua manu superadditum in MS. Goth. *coram.* ID.

(t) *Dominorum enim*, ita Tribonianus. GOTHOFR.

(v) MS. Goth *prouidentiæ.* RITTER.

(x) MS Goth. *actionibus.* IDEM.

(y) Recisa reliqua a *Cod Iust.* GOTHOFR.

(z) *Et* MS. Goth. RITTER.

(aa) *Ratione* MS. Goth. IDEM.

(bb) *Inquisitione* MS. Goth. IDEM.

(cc) *Mediolano* MS. Goth & vbique ita scripsit librarius, quod noto in præfatione. Vnus ex Codicibus quos tractauit Sichardus legit hic *Constantinopoli.* IDEM.

(dd) Abest hæc vox a Cod Wirceburg. ID.

(ee) *Aut* Edit. Sichard. prima Cuiac. & quæ in Quart. prod. ID.

(ff) *Debebant* Cod. W. *elegi debebunt* MS. Goth. *debebunt* Edit. Sichard. prim. Cuiac. & quæ in Quart. prod. ID.

(gg) *Aut* MS. Goth. IDEM.

(hh) *Consenserit.* GOTHOFRED. Hanc accuratissimam lectionem habet Cod. Wurceb. MS. Goth. *constituerit* legit. RITTER.

(ii) Hanc vocem vnus ex Cod. Sichard. non agnouit. MS Goth. hic mutilus est, nam post verba *colonus ille vel seruus*, reliqua negligentia librarii absunt, vsque ad *fisci viribus.* IDEM.

COMMENTARIVS.

EX quo HOMINVM GENERE Tabularii non tantum solidarum prouinciarum, verum etiam singularum ciuitatum ordinari debeant, definit *hac l.* Honorius Imp. Sane vt cæteroquin vile ministerium fuit Tabulariorum, ita olim Tabulariam exercuisse seruos publicos ciuitatis docet elare *lex vlt. Cod. Iust. de seruis Reip. manumittendis*, vbi actus Tabularii seruitutis argumentum est. Neque dubium, Capitolinum *in Gordianis cap. 12.* his verbis, *non Scribæ, non serui publici, non censuales illis actibus interessent:* Tabularios etiam complexum. Et hæc quidem ita olim circa Tabularios ciuitatum obseruata, & ipse censeo.

Verum si recte coniicio, Tabularii e seruis publicis ordinari desiere, (quomodo & ab aliis actibus publicis submoti fuere:) ordinatique e priuatis hominibus. Eoque res processit, vt quemadmodum olim ex seruis publicis Tabularii creabantur, tandem etiam e seruitiis priuatis, id est, seruis vel colonis priuatorum crearentur. Id quod Honorius *hac l.* prohibet. In tantum vt velit deinceps, dominum, qui permiserit, id est consenserit, non etiam si ignorauit, seruum vel colonum suum Tabularii munere fungi, ex administratione serui vel coloni insolidum publico teneri: seruum vero ipsum flagellis cæsum fisco addici.

Imo in tantum, vt etiam in Præteritum dominos, non quidem ex administratione teneri velit, seu euentum præstare, verum seruos qui Tabulariam exercuerunt, quæstioni exhibere; vt ipsi rationem actus sui reddant. Atque ita in præteritum quoque hæc *lex* respicit, non quidem vt æqua pœna sit, sed tamen aliqua, & quidem hactenus quatenus res personam & actus naturam respicit: quia vt *h. l.* dicitur, eorum interfuit ab initio prouidere. Sibi scilicet imputet, qui quod hac parte præuidere debuit, non præuidit, nempe ex hoc actu & quidem ex natura actus posse seruum suum olim quæstioni subiici. Ergo hactenus punitur Dominus non vltra serui scilicet exhibitionem ad quæstionem de eo habendam. Denique quantum ad serui personam attinet, punitur & multatur. Neque enim paruum damnum est, seruum suum quæstioni quem exhibere cogi. Et hæc quidem rationis illius, quæ continetur illis verbis: *Quorum interfuit ab initio prouidere, ne publicis actibus priuata seruitia immiscerentur*, sententia apertissima est & elegans, quam tamen Tribonianus priori parti aptandam putauit.

DE

p. 479 # DE PRIVILEGIIS APPARITORVM MAGISTERIÆ POTESTATIS.

TITVLVS III.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. LV. De Apparitoribus Magistrorum militum, & priuilegiis eorum.

Adde *leg. 4. & 5. inf. de diuers. officiis* & *l. 6. inf. de susceptorib. l. 15. sup. de Numerar.*

I. (a) Impp. Valentinianvs & Valens AA. ad Artemium (b) Correctorem. (c) Post alia.

Qvi sese in Officiis Magistrorum equitum ac peditum militasse (d) ac militare monstrauerint, ab omni nominationis (e) iniuria excusentur. Eligendi (f) autem erunt Susceptores e diuersis (g) Officiis, etiam ex Largitionalibus ciuitatum, qui vtique extra Palatium degunt. Dat. XIII. (h) Kalend. Octob. Aquil. Acc. XV. Kalend. Nouemb. Salerni, (i) diuo Iouiano & Varroniano conss. [364]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda autem huic, *lex 6. sup. de priuil. eorum qui in sacr. palat. lex 2. sup. de officiis Rect. prouinc. lex 21. infr. de cursu publico.* Hanc legem suam intelligit Valentinianus *l. 6. infr. de susceptorib.* GOTHOFR.

(b) Ita quoque *d. l. 21.* itemque *l. 6. 7. infr. de pœnis & leg. d. 6. de priuileg. eorum qui in sacr. palat.* Atenim *d. l. 2. sup. de off. Rector. prou.* & *l. 2. Cod. Iust. de condit. in publ. hor.* ponitur *Antemio.* IDEM

(c) Lucaniæ & Brittiorum. Accepta enim hæc lex, *Salerni*: de quo vide subscriptionem. Atenim Præses vocatur *d. l. 2. Cod. Iust. de condit.* ID.

(d) *Militasse ac*: a *Codice suo* recidit Tribonianus. ID.

(e) Ad susceptionis munus, vt ex *sequentibus* liquet. ID.

(f) Sequentia recidit Tribonianus. IDEM.

(g) Alis quam Magistrorum Equitum & Peditum. ID.

(h) Ita quoque *d. l. 6.* sed *d. l. 21.* III. Kal. & *dict. l. 2.* Kalend. Octobr. IDEM.

(i) *Salernum.* Eius mentio, vt omittam vetustiora hac tempestate in *Itinerario vtroque Peuting.* & *Antonini pag. 109. edit. Wesseling.* & apud Symmachum *lib. 6. ep. 42.* ex quo colligat quis, id in Campania fuisse. Et vero in ea id diserte ponit Diaconus *lib. 2. de gest. Longobardorum, cap. 17.* Qui Lucaniam a Silere flumio incipit. In Picentinis id olim collocabat inter Campaniam & Lucaniam Ptolomæus, sic vt Lucaniam trans Salernum statim collocet: sed tamen putem hoc tempore sub Correctore Lucaniæ fuisse. Nam quo alioquin Accepta hæc lex *Salerni*, quæ ad Correctorem data est Lucaniæ scilicet? Sed & Campania sub Consulari hoc tempore agebat, non sub Correctore: cuiusmodi hoc ipso anno & proximo fuit Buleforus Consularis Campaniæ. Neque Symmachi locus quicquam obstat: neque enim is ait Salernum in Campania fuisse, verum cum nuncium accepisset ab Eusebio Siciliæ Rectore Aurigas & Scenicos naui impositos, & missos ad Campaniam, iubet is diligentissimos scrutatores vsque Salernitanum littus accedere, vt susceptos Neapolim prosequantur. ID.

COMMENTARIVS.

De apparitoribvs Magistrorum militum siue Equitum siue Peditum, eorumque priuilegiis: est hæc Valentiniani Sen. *lex*: quæ prolixioris Valentinianeæ Constitutionis pars est, ex qua supersunt (ac proinde huic coniungendæ sunt) *lex 6. sup. de priuil. eorum qui in sacro palatio: lex 2. sup. de officio Rector. prouinciæ:* & *lex 21. infr. de cursu publico.* Quæ constitutio data est ad Artemium correctorem, Lucaniæ scilicet & Bruttiorum, vt *huius leg.* subscriptio testatur. *Acc. Salerni*, vt in *Notis* probaui. Eam vero constitutionem videtur mihi Valentinianus partim Artemii corrigendi atque in viam reuocandi causa scripsisse, atque in eo complurima ontasse: eo enim pertinet quod *in d. l. 6. de priuil. eorum:* quæ *huic* omnino pariat, ait; *Mirati admodum sumus, te non considerati priuilegiis Palatinorum quosdam ex eorum numero susceptoribus velle coniungere, cum id minime legis nostræ sententia comprehendat.* Item eodem pertinet quod *d. l. 2. de off. Rector. prouinciæ*, præscribit; quo loco sententiam Iudex proferre debeat: eadem-

Horum Matricula certa erat, *l. 20. h. t.* Neque ad aliam militiam adſpirare, ſuamque militiam deſerere poterant, *l. 4. 18. 21. 22. 23. 25. 28. 29. 30. h. t.* per prouinciam ſuam diſcurrentes, veredo curſus publici vti non poterant, *l. vlt. de curſu publ.* miſſionemque niſi expleta primipili functione impetrare non poterant, *l. 16. h. t.* Hæretici quoque cum alias militia excluderentur, cohortalinam militiam deſerere non poterant, *l. 48. 65. inf. de hæreticis.* Criminoſi latitantes eruebantur & puniebantur ſine vlla veniæ aut indulgentiæ Principalis ſpe, *l. 15. h. t.* Ignominioſe quoque dimiſſi reſtitui non poterant Reſcripto Principis, *l. 18. 20. infr. de diuerſ. offic.* quod tamen potuerunt *l. 26. h. t.* Priuilegia viciſſim nonnulla his tributa poſt militiam peractam: puta vt a Curia immunes eſſent, *l. 1* & *l. 11. h. t.* & a muneribus ciuilibus, *d. l. 1.* veluti baſtagæ & nauiculariæ functionis, *dict. l. 11.*

P.481 II. PRINCIPES, *Rubr.* & *l. 10. h. t.* de quibus & *l. 1. 3. 4. 5. 6. ſup de Princip. agentium in rebus* (qui in eum *titulum* male coniecti ſunt) & *l. 3. inf. de iis quæ adminiſtr. l. 2. inf. de lucris officiorum*, erant ante Cornicularios, vt docet Rubrica *huius tit.* & *lex 3. 5. inf. de iis quæ admin.* κορυφαῖος τῆς ςρατιᾶς Libanio *orat. ad Euſtachium de honorib.* qui inter officiales primi erant qui gubernabant officia *l. 6. ſup. de Princip. ag.* Sic Aurelianus cohortes vrbanas gubernare dicitur Symmacho *lib. 2. ep. 14.* Vnde Princeps officii *lib. 1. ſup. de off. Rector. prou.* Principatus, *l. 2. inf. ad leg. Iul. de ambitu*, Principatus officium, *l. 14 h. t.* & *l. vlt. inf. ad leg. Iul. de ambitu.* & Principatus officiorum, *l. 5. inf. de his quæ adminiſtr.* His ſtationes deferri dicuntur, *l. 10. h t.* & adminiſtratiuncula tribuitur, *d. l. 10.* adminiſtrationis officium, *l. 2. inf. de lucris officior.* gubernare officia, ſeu Officiales dicuntur, *l. 6. de Princip. agent.* principem locum regendis cohortibus obtinebant, Symmachus *lib. 3. ep. 87.* Ideo emolumenta quædam & compendia his conlata. Officii liberalitate *d. l. 2. inf. de lucris offic.* Cæterum multi Principes officiorum ex Agentibus in rebus ſumebantur, atque ad prouincias mittebantur, diuturno videlicet obſequio defatigati, *l. 3. 6. ſup. de princip. agent.* His auctoribus & ordinantibus Officiales mittebantur in munus & neceſſitates publicas priuataſque: *d. l. 1.* & *3. de Princip.* Exhibitio perſonarum ſine his non mandabatur, *d. l. 3.* executio concedebatur, *d. l. 4. de Princip.* citatoria omnia omnium cauſarum & perſonarum per hos fiebant, *l. 5. de Princip.* præceptiones Iudicum implebant, *l. 6. de Principib.* In Secretarium Iudicis admitti cupientes inducebant, *l. 1. ſup. de offic. Rector. prouinciæ: l. 5. ſup. de proximis:* poſtulationes a Cauſarum patronis per hos introducebantur, *l. 4. ſup. de Princip. agentium.* Cæterum prohibiti officium ſuum relinquere *l. 14. h. t.* vel etiam ſtationes ſuas vendere, *l. 10. h. t.* vieeuerſa prohibiti Principatum repetere, *l. 2.* & *l. vlt. infr. ad leg Iul. de ambitu.* Denique officii tempore quidquam præter paternas res comparare prohibiti *d. l. 3.* & *d. l. 5. inf. de iis quæ adminiſtr.*

III. CORNICVLARII, de quibus *leg 10. h. t.* vbi de his plene ago; *leg. 32. de erogat. milit. annon. l. 3. 5. inf. de iis quæ adm. l. 5. ſup. de prox l. 8. inf de diuerſ. offic.* Principibus proximi erant: vnde vtique coniunguntur *d. l. 10. h. t.* & *d. l. 3. 5. inf. de iis quæ adminiſtr.* & *l. 5. ſup. de proximis.* Hi Corniculum officiorum gerere dicuntur, *d. l. 5. de iis quæ adminiſtr. d. l. 8. inf. de diuerſ. offic.* corniculos tranſigere, *d. l. 8.* Vnde Cornicularii Præfecturæ, *d. l. 8.* Cornicularii cuiuſcunque prouincialis officii, *d. l. 32. ſup. de erogat. mil. annon.* Hi prohibiti ſtationem ſuam ſeu adminiſtratiunculam vendere, *d. l. 10. h. t.* Horum munus annuum erat *l 8. inf. de diuerſ. officiis.* His Præfecti Prætorio Cornicularis poſt tranſactos corniculos & miſſionem licebat purpuram Imperatoris adorare, & liberum habebant otium, ſeu immunes ab omnibus muneribus & in his ſuſceptionis erant, *d. l. 8.* & *9. de diuerſ. offic.* Vnde Cornicularii honor, *d. l. 8.* & *9.* Hi quoque officii tempore quicquam præter res paternas comparare vetiti *d. l. 3.* & *5. inf. de iis quæ adminiſtr.*

IV. PRIMIPILARES *Rubr. l. 2. 3. 6 9. 17. 21. 27. h. t. l. 11. ſup. de filiis mil. appar.* & *l. 6. inf. de diuerſ. officiis: l. vlt inf. de protoſtaſia:* (a quibus Primipilarii, *l. 29. h. t.* & *l. 12. de Veteranis*) erant, qui ad paſcendos milites ſolemniter ad limitem deſtinabantur, *d. l. 6. h. t.* qui ex more ſuſceptas omnes alimonſas militares ad limitem peruehebant, *d. l. 6. h. t.* quibus Primipili neceſſitas incumbebat, *l. 7. h. t.* paſtus Primipili, *l. 8. 10. 11. 16. h. t. leg. 12. 13. inf. de di-*

de diuerſ. offic. Primipili paſtio, *d. l. 6. inf. de diuerſ. officiis:* qui ſpecierum primipilarium curam habebant, *l. 19. h. t.* quas & ideo ſuſceptoribus tradebant, *d. l. 6. h. t.* Iidem & curſum exhibebant, *d. l. 6. in fin. de diuerſ. offic.* Ex his etiam Stationarii ſumpti, *d. l. 2. h. t.* Curiales, hac Primipilari decem annorum militia Curia liberabantur, cum alii Officiales ferme 25. annorum militia tantum liberarentur, *d. l. 8. h. t.* iuncta *l. 6. infr. de diuerſ. officiis.* His quoque poſt emeritam militiam dignitates conferebantur, *l. 3. h. t.* & a baſtaga ac nauicularia functione & curia immunes erant, *l. 11. h. t.* at non & a protoſtaſiæ munere, *d. l. vlt. inf. de protoſtaſia.*

PRIMIPILARII, *l. 29. h. t. l. 12. de Veteranis*, ſeu filii Primipilarium, *l. 11. de fil. mil. apparit.* huic quoque conditioni & neceſſitati adſtringebantur. Sic, vt Primipilarii militia Armata a neceſſitate ſua non excuſabantur, *l. 12. inf. de Veteranis:* vt nec alia militia aut dignitate *l. 29. h. t.* Iidem tamen ad Curiam quandoque vocabantur: *dict. l. 11. de fil. mil. apparit.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Conſtantium (b) PP. ō.

QVONIAM iniquiſſime Tyrannus (c) conſtituit, † *Vt qui ex Cohortali* (d) *militia honeſtam miſſionem & vacationem rerum ſuarum meruerint, Ciuilibus* (e) *officiis & Curiæ neceſſitatibus inſeruiant:* placet, hac (f) lege ceſſante, eos qui Cohortali militia conP. 482 pletis XXV. (g) ſtipendiis diſceſſerint, ad nulla deinceps ciuilia munera vel Curiæ deuocari. Quam rem & circa Officiales Præſidum obſeruari conueniet. Dat. IV. Kalend. Mai. Conſtantino A. IV. & Licinio IV. CONSS. [315.]

NOTAE

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Eidem *Conſtantio* inſcribitur hoc ipſo anno *lex 1. inf. de curſu publico*; quæ dicitur *Acc. Caralis.* Item anno 324. *lex 1. inf. de infirmandis his quæ ſub Tyr.* anno 325. *l. 11. inf. de decurion.* anno 327. *lex 2. ſup. de famil. erciſc.* Neque dubito, quin hic Conſtantius ſit Conſtantini M. frater, Galli & Iuliani Cæſarum pater, qui poſtea a Conſtantio (cuius patruus erat) interfectus eſt. *ID.*

(c) An *Maxentius* (de quo eſt altera Conſtantini *lex* anno ſuperiore; puta *lex vn. ſup. de Ingenuis qui tempore tyranni ſeruierunt:*) an Licinius? dicam mox. *ID.*

† Lege lata, vt ex ſequentibus patet. *IDEM.*

(d) Præfecti Prætorio, vt apparet ex fine *legis.* *IDEM.*

(e) Veluti baſtagæ, & nauiculariæ functionis, *l. 11. inf. h. t.* *ID.*

(f) Tyranni. *ID.*

(g) Ita in MS. exerte: hactenus male editum XX. ſeu *viginti.* De viginti ſtipendiis in militia Armata, vide Lipſium *de mil. Rom.* *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. tres *leges* hoc *titulo* occurrunt ſuper Officialibus (quibus addendæ *lex 1. 2. 3. 4. ſup. de Numerariis, lex 1. 2. inf. de diuerſ. officiis:* & *lex 1. ſup. de off. Rectoris prouinciæ*) Ex quibus apparet, ab vna parte quanto ſtudio priuilegia eorum tuitus ſit: parte altera, quanto ſtudio eorum concuſſionibus & deprædationibus occurrerit. Ad prius caput pertinet *lex 1. & 3. h. t.* ad poſterius *lex 2.* Ergo *l. 1.* Cohortales, vt & Officiales Præſidum, poſt viginti quinque ſtipendia, honeſta miſſione vel vacatione donatos a ciuilibus officiis & Curiis immunes manere iubet: pariter vt Valens Imp. *l. 11. infr.* Cohortales inquam, id eſt Officiales Præfectorum Prætorio: nam hoc ſenſu *hac l.* cohortalis militia accipienda eſt vt ei inquam opponantur Officiales Præſidum, vt diſerte opponuntur *fine huius leg.* Quo ſenſu etiam Cohortales accipiendi, *l. 4. inf. de diuerſ. offic.* cum alias *Cohortales* quorumcunque Magiſtratuum Officiales dicantur: de quo in *Paratitlo.*

Id autem conſtituit Conſtantinus M. abrogandæ legi Tyranni cuiuſdam, qui Cohortales miſſione, vti dixi, donatos, cuilib. officiis & Curiæ neceſſitatibus inſeruire conſtituerat. Et ſic ſtatum Officialium & priuilegia munitum it aduerſus Tyranni illius conſtitutionem. Pariter vt idem Conſtantinus anno ſuperiore 314. Ingenuorum ſtatum ſub Tyranno Maxentio labefactatum, erectum iuit, *l. vn. ſup. de Ingenuis qui temp. tyranni ſeruierunt.* Idemque ſub Licinio Tyranno Senatorum & Equitum ad indebitum munus veluti Nauiculariorum ſtatum labefactatum erectum iuit, *l. 4. infr. de infirm. his quæ ſub Tyrann.*

De quonam autem Tyranno id accipiendum? Nam & de Maxentio, & de Licinio id accipi poſſit; Et certe magis eſt, vt de hoc accipiam. Hoc enim ipſo tempore aduerſus Licinium bellatum prælio Cibalenſi, aliiſque: Et Conſtantius, cui hæc *lex* inſcribitur, idem ille videtur, quem paulo ante Conſtantinus ad Licinium miſerat, Auctore incerto de Conſtantino, quem a Sirmondo acceptum edidit Valeſius. Vide eum ad calcem Ammian. Marcellini, *pag. 713. edit. Gronou.*

II. (a)

II. (a) Idem A. Edicto (b) suo ad Afros.

STATIONARIIS Primipilarium, quorum manifesta sunt loca, (c) coram mandatum est, Vt si extra modum aliquid extorserint, sciant se capite puniendos. Præterea Ne carcerem habeant, Neue quis personam pro manifesto crimine apud se habeat (d) in custodia. Neue (e) quis amplius quam duos agasones ex prouincia secum habeat, vel de Numidia sibi adiungat, Neue ex aliis prouinciis agasonem habeat, vel Qui alicui (f) iam Stationarii minister fuit. PP. VI. Id. Mai, Kartag. (g) Constantino A. IV. & Licinio IV. CONSS. [315.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* hinc deformata est, duobus capitibus retentis. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Edictum* Constantini M. ad Afros Proconsulares scilicet. *ID.*

(c) Forte *lucra*: pariter vt *l. vn. infr. ne Præfect.* &c. in hoc ipso argumento. An vero *loca* hic dicantur adsignata stationibus: & curis peragendis: vt etiam forte hic legatur *loca curarum*, non *loca, coram*? *ID.*

(d) Detineat. *IDEM.*

(e) Tertium hoc caput penitus recisum a *Cod. Iustin.* *IDEM.*

(f) *vp.* vel *alicuius* vel infr. *stationario.* *IDEM.*

(g) *Karthagine* proposita hæc *lex*, tanquam in metropoli: quomodo & *lex 2. inf. quemadmodum munera ciuil.* & *l. 15. inf. de appellat.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE STATIONARIIS Primipilarium (id est, qui ex Primipilaribus sumebantur, de quibus Primipilaribus in *Paratitlo*, & ad *l. 5. inf.*) per Africam Proconsularem scilicet, est hoc Constantini M. Edictum ad Afros. *Stationarii* a stationibus militum dicti, *h. l.* & *l. 1. inf. de cursu publico*, (quæ P.483; & ipsa est Constantini M.) & Constantii *l. 1. sup. de curiosis*: & Honorii, *l. 31. inf. de Episcopis*, erant, qui certis locis stationes agebant, consistebant, inter alia, curaturi, exploraturi, ne qua cursui publico fraus fieret: item reos inuestigaturi, & exinde Iudicib. nuntiaturi: qui ideo *Curagendarii*, siue *Curiosi* dict.; de quo, *tit. sup. de curiosis*, *sup. leg. 1.* De quibus stationibus, v. *l. 30. 65. inf. de curs. publ. l. 1. sup. de Curios.* De stationariis, vt omittam notissimos Suetonii locos, Tertullianus *Apologetico cap. 2. Latronib. vestigandis per vniuersas prouincias militaris statio sortitur.* Quos & idem *de fuga in persecutione cap. 13.* Curiosos vocat, de cuius loci sensu dixi *ad d. l. 1. sup. de curiosis.* Alii sunt ab his Stationarii milites, de quibus *l. 2. sup. de Veteranis*: Ammianus Marcellinus, *lib. 18. cap. 5. lib. 19. cap. 6.*

Hi porro Stationarii & Curiosi modo ex hoc, modo ex illo hominum genere sumpti: sub Constantino M. non tantum ex Memorialibus & Palatinis sumpti, verum etiam ex aliis, quod docet *lex 2. sup. de priuil. eorum qui in S. Palatio*: ac nominatim ex Primipilaribus, vt hæc *lex* docet: seu ex Præfectianis, id est, Præfecti Prætorio & Vicariorum apparitoribus. Quod etiam sub Constantio aliquando obseruatum testatur *lex 6. inf. de diuers. offic.* & *lex 2. sup. de curiosis.* Verum Constantius mox Præfectianos, & Vicarianos, & omnes Officiales a Curiosi munere submouit, Agentibus in rebus solis eo munere delato, *d. l. 2. de curiosis*: & post eum Valentinianus *l. vn. inf. ne Præf. Exactoris vel Curiosi offic. fungatur.* Et tamen sub Honorio Imp. postea Apparitores Stationarios fuisse docet *lex 31. inf. de Episcopis.*

Sane vt Curiosis Stationariis aliorum Imperatorum *legibus* præcepta seu mandata quædam data: & *hac l.* a Constantino M. dantur, & quidem quoad Tria. Aduersus eorum concussiones, Carceres, Agasones eorum.

Primo scilicet capite capitalem pœnam his comminatur, si vltra manifesta lucra (vt forte hic legendum) extra modum aliquid extorserint, & sic superexactoribus: vnde patet alicuius rei & lucri exactionem habuisse, intra modum aliquem scilicet, de quo fidem quoque facit *d. lex 2.* & *l. vlt. sup. de Curiosis.* & *l. 6. infr. de diuers. offic.*

Secundo capite Constantinus M. Stationariis carceris & custodiæ iure interdicit, ne carcerem habeant, neue personam, *licet* (quæ vox addita *Cod. Iust.*) pro manifesto crimine, apud se in custodia teneant. Quod & ipsum postea vetuit Constantius *d. l. 1. sup. de curiosis.* Curiosi scilicet & Stationarii carceris ius & custodiæ non habuere; verum reorum tantum nunciandorum, *h. l.* & *d. l. 1.* Sic sane & idem Constantinus ob tributorum solutionem quemquam in carcerem mitti a Iudicibus vel Officialibus vetuit, *l. 3. inf. de exactionib.* De priuati alioquin carceris vsurpatione prohibita, vide *l. vn. infr. de priuati carceris custodia.*

Tertium caput (quod totum abest a *Cod. Iust.*) est de *Agasonibus* Stationariorum: *Agaso* est non quilibet seruus, verum δοῦλος ἐπικτηνίτης *seruus iumentarius*, vt Glossæ *Philoxeni* recte explicant: scilicet huiusmodi Stationariis & Curiosis ad stationes suas & curas peragendas iumentis opus erat & seruis. Igitur de his Agasonibus per Africam Proconsularem tria *hac l.* constituuntur: Primo numerum eorum definit Constantinus, nempe non amplius quam duos Agasones Stationarium habere posse. Secundo definit, vndenam eos sibi sumere soliti in Africa: nempe vel ex eadem prouincia, vel ex Numidia: Cur vero ex Numidia? Nempe quia summa Numidarum peritia circa equos erat: nam & Equi ex Numidia optimi, & maioris pretii erant; & vero ea de causa ad vsum militarem exacti collati & maiore pretio adærati, quod docet *lex 29. inf. de annona & tributis*: *l. 15. inf. de nauicular.* & vetus Orbis descriptio sub Constantio *cap. 52.* Postremo vetat eum Agasonem sumi, qui alterius Stationarii iam minister fuerit: ne scilicet in continua quodammodo concutiendi occasione haberentur, quod euenire solet huiuscemodi hominum generi curioso & exploratori.

III. (a)

III. (a) Idem A. ad Bithynos.

PRimipilaribus, post emeritam militiam, Perfectissimatus, vel Ducenæ, vel Centenæ, vel Egregiatus dari dignitas potest. Dat. XII. Kalend. Aug. Gallicano & Basso CONSS. [317.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendæ autem ei tres aliæ, puta *lex* 1. *inf. de Cæsarianis*; *lex* 1. *inf. de murilegulis*, *l.* 5. *inf. de Decurionib.* GOTHOFREDVS.

COMMENTARIVS.

DE PRIMIPILARIBVS (de quibus in *Paratitlo*, & *ad l. 6. inf.*) est hæc e Constantinianeis *hoc titulo* occurrentibus *lex tertia*: qua definitur, vtrum post emeritam illi militiam Quatuor illis dignitatibus, quæ ea memorantur, decorari possint? Id quod *hac l.* affirmatur: pariter vt de Decurionibus, si patriæ suæ munera impleuerint, *l. 5. inf. de Decurionib.* de Cæsatiaois itidem post officium inculpate gestum *l. 1. inf. de Cæsarianis.* Aliud vero de Monetariis, quos in actu suo semper durare vult: *l. 1. inf. de Murilegulis & Monetariis.* Quæ quidem tres *leges* huic nostræ coniungendæ sunt, velut vnius & eiusdem Edicti Constantinianai ad Bithynos emissi partes. De cuius sententia & rationibus plura ad eas *leges.*

Notandæ tantum sunt quatuor dignitates, quæ his omnibus *legibus* memorantur. Prima, *Perfectissimatus*, de qua fuit *supra*, *lib. 6. tit. vlt.* Secunda, & Tertia, Ducenæ & Centenæ, quarum præterea mentio fit *l. 7. 8. 20. 21. supr. de Agentib. in rebus*: & *l. vlt. sup. de Senatorib. & gleba collat.* Ducena & Centena gradus quidam erant in schola Agentium in rebus, ad exemplum militiæ Armatæ, & quidem Equestris, (vt ostendi *ad l. 7. sup. de Agent. in rebus*:) proximi Principi Agentium: sic vt e Ducena ad Principatum Agentium promotio fieret. Eratque hæc dignitatis species, quia magna his priuilegia competebant, & proximi gradus Principatui: Quare pro præmio dignitas hæc ap- 484
nonnullis appetita. Sane inter alia & illud fuit, quod e Ducenarus Agentium in rebus, Principes officiorum Magistratuum multorum sumebantur, veluti in Oriente Princeps officii Proconsulis Achaiæ, Comitis Orientis, Præfecti Augustalis Vicarii Asiæ, Ponticæ, Comitis rei militaris Ægypti: In Occidente Proconsulis Africæ, Vicarii vrbis, Africæ, Hispaniarum septem Prouinciarum. Quod ex *Notitia Imperii* discere est. Ducenariorum sane & apud extraneos Scriptores alios multa mentio etiam Ecclesiasticos, & quidem qui Ducenarii Præfecti Prætorio fuerint, velut in *collat. Karthag.* A. 411. *Tom. I. Concilior. Harduin. pag.* 1049. *Præsentibus*, inquit, *Viris deuotissimis Protectoribus Domesticis: adstantibus Vrso, Petronio & Liboso* DVCANARIIS, *Bonifacio & Eusebio apparitoribus Illustrium, atque eminentium potestatum.* Quomodo & Centenarius Illustris Præfecti Prætorio memoratus apud Athanas. *apol. 2. pag. 794. edit. Lips. Weidm.* Ab his Ducenariis & Centenariis diuersi sunt ii, de quibus agitur *l. 1. inf. de exactionib.* Quarta postremo loco, est *Egregiatus*, de quo dixi suo titulo.

IV. (a) Imp. CONSTANTIVS (b) A. Antonio Duci (c) Mesopotamiæ.

IVXTA suggestionem Vicarii Mesopotamiæ, (d) de his qui Officia Præsidalia deferentes ad sacramenta militiæ (e) adspirasse noscuntur, iteranda statuti † desideratur auctoritas; (f) ideoque etiam nunc iubemus, vt, retentis his qui veteranorum seu militum filii esse noscuntur, ceteros Grauitas (g) Tua Officiis propriis restituere non moretur, & cetera. Dat. IV. Non. Febr. Limenio & Catullino CONSS. [349]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Ingenda autem huic, *lex 6. sup de filiis milit. apparit.* GOTHOFRED.

(b) Quamplurimæ aliæ huius anni constitutiones solius Constantii nomen præferunt, cum tamen Constantis quoque nomen inscribendum fuerit. IDEM.

(c) *Dux Mesopotamiæ* sub Constantino fuit *Aurelius*, cui inscribitur *lex* 1. *Cod. Iust. de Eunuchis*, sub Constantio *Cassianus*, cuius meminit Ammianus Marcellinus in Gestis A. 356. *lib.* 16 *cap.* 9. A. 359. *lib.* 18. *cap.* 7. Anno 363. *lib.* 25. *cap.* 8. sub Valente, *Vrbicius*, cuius idem meminit *lib.* 30. *cap.* 2. sub Theodosio M. *Toriobandos*, cui inscribitur *lex* 2. *Cod. Iust. quæ res venire.* De Duce Mesopotamiæ sub Theodosio Iuniore videnda cumprimis *Notitia Imperii fol.* 97. Meminit & Leo Imp. *l. ult. C. Iust. de diuers. offic.* ID.

(d) Vicarius Mesopotamiæ nullo alio loco memoratur, & sane Mesopotamia prouincia vnica fuit, atque adeo Præses ei præfuit: vt docet *Notitia Imperii.* Forte putet quis Osrhoënæ, & Mesopotamiam & Euphratensem seu Commagenem, administratione hoc tempore in vnam diœcesim iunctas fuisse: Quod etiam confirmare videantur sequentia, vbi in plurali agitur *de officiis Præsidialib. Iuxta suggestionem*, inquit, *Vicarii Mesopotamiæ de his qui* OFFICIA PRÆSIDIALIA *deferentes*, &c. & rursum: *Grauitas tua officiis propriis restituere non moretur.* IDEM.

(e) Armatæ. IDEM.

† Huius *Legis*, siue statuti nulla alibi mentio. IDEM.

(f) *Auctoritas*, de Lege proprie; vide *Glossar.* IDEM.

(g) *Grauitas tua.* IDEM.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. quatuor *leges* sequuntur, quibus Officiis Iudicum consultum it. Ac primo quidem *hac l.* ne militiæ Armatæ obtentu ea deserantur. Vetat scilicet *hac l.* quemquam officiis Præsidum desertis ad militiam adspirare: contra, iubet eos qui nomina sua militiæ dederint, ad officia retrahi: vt viceuersa Veteranorum filios officiis Præsidum adgregari vetat, *l. 6. sup. de filiis milit. apparitor.* Quæ *lex* huic nostræ coniungenda est, ceu eiusdem Constantianæ constitutionis pars. Denique sicut officia militiæ obtentu, ita vice versa militiam officii obtentu deseri vetat ea constitutione. Quæ ad Mesopotamiam pertinet, & sic ad militem hac tempestate oppositum Persis: quibuscum varia bella, inter quæ, nouem grauissima Constantio fuere: Et quidem Anno superiore 348. bellum maximum & nocturnum ad *Singaram* (quæ vrbs est Mesopotamiæ ad Tigrim, quæque a Sapore postea capta est, teste Ammiano Marcellino *lib. 19. c. 2.*) De Mesopotamia hoc tempore quæ scribat vetus Orbis descriptor, vide *cap. 17.* Denique Ammianus Marcellinus sub hoc ipso Constantio in Gestis A. D. 353. *lib. 14. c. 3.* scribit, quod Mesopotamiæ tractus omnes crebro inquietari sueti, prætenturis & stationibus seruabantur agrariis.

V. (a) Idem A. (b) ad Viros Clarissimos PP. ō. Post alia.

BEneficiarios in eodem obsequio perseuerare volumus: & cetera. Dat. Prid. Non. Mai. Constantino (c) A. VII. & Constante C. II. CONSS. [354.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Ceterum huic *legi* iungendæ videantur *lex 4. 5. 6. infr. de diuers. offic.* & *lex 1. sup. de Agentib. in rebus*: Quæ certe & argumento, & anno, & inscriptione concordant. dies tantum dissentiunt. GOTHOFR.

(b) Scriptum oportuit *Idem AA.* Constantius scilicet & Constans de quo dixi ad *l. sup. 4. ID.*

(c) *Tg. Constantio. A. VII. & Constante C. III.* Vid. *Chronolog. ID.*

COMMENTARIVS.

P.485 DE BENEFICIARIIS est hæc Constantii *lex*: de quibus agitur & altera eiusdem constitutione, puta *l. 7. inf. h. t.* (vnde desumpta est *lex 4. Cod. Iust. de Episcop. & Cleric.*) quorum frequens alibi quoque mentio: apud Iulium Cæsarem, *lib. 1. de bello ciuili c. 75.* Plinium, duobus locis, *lib. 10. ep. 32.* & *36.* Spartianum *Hadriano c. 2.* Tertullianum, *de fuga in persecut. c. 13.* Eusebium *histor. Eccles. lib. 9. c. 9.* Festum *in verb. Beneficiar.* Vegetium, *lib. 2. de re militari, c. 7.* In veteribus Inscriptionib. pluribus: in Glossis *Basilicorum*, & apud Thalelæum *lib. 25. Βασιλ. t. 1.* Quinam fuerint? semel dispiciendum est.

Ergo in Magistratuum ministerio Beneficiarios fuisse hæ *leges* nostræ satis ostendunt, & *hac* nominatim, *lex*: Nam & *leges* quæ de iis agunt, positæ sunt sub *titulo de Cohortalib.* Et *obsequii* appellatione eos designat Constantius *h. l.* & in officio fuisse restatur *lex 7. inf.* Hinc adeo qui in Edicto Maximini apud Eusebium, *lib. 9. c. 9.* βενεφικιάλιοι dicuntur, in altero eiusdem Edicto de eadem re *lib. 9. c. 10.* ὀφφικιάλιοι vocantur. Sed & Glossæ *Basilicorum* βενεφικιαλίυς interpretantur τὺς ἐπὶ θεραπείᾳ τῶν μαγιςράτων (sic enim scribendum) τεταγμένυς. Quare & Cohortalinorum numero & appellatione censiti. Hinc Plinius *lib. 10. ep. 32. vt ex cohortibus quibus me præesse voluisti; contentus esset beneficiariis decem, equitibus duobus, Centurione vno.* Hinc & (quod Cuiacius notauit *ad l. 3. Cod. Iust. de canone largit. titulorum*) Patricius, vt refert Thalelæus *lib. 45. Βασιλ. t. 1.* Cohortalinos Beneficiarios vocauit: ὁ δὲ μακαρίτης πατρίκιος, τὺς κορταλίνυς καλεῖ μὲν *Beneficiarios*. Erantque speciatim, quos suæ custodiæ seu rutelæ causa habebant, siue ciuiles, siue militares Magistratus; vt docet Cæsar *lib. 1. cap. 75 de bello Ciuili: Petreius non deserit sese, armat familiam, cum hac, & Prætoria cohorte cetratorum, Barbarisque Equitibus paucis Beneficiariis suis, quos sua custodia causa habere consueuerat,* &c. & Plinius *lib. 10. ep. 36.* vbi *tutelæ causa additos* ostendit: Hinc adeo frequenti mentione in Inscriptionibus veteribus, *Beneficiarius Legati, Consularis, Præfecti vrbis: Præfectorum, Prætoris, Tribuni, Proc.* &c. qui tamen in magno *Indice Gruterian.* sub capite *de re militari*, non adeo recte referuntur. Neque enim proprie milites fuere, non magis quam domestici aut Protectores Imperatorum. Quanquam & suo modo apud Plinium *lib. 10. ep. 32. 33. & 36.* militibus connumerantur: *Maximus*, inquit, *libertus & procurator tuus, Domine, præter decem Beneficiarios quos assignari a me Gemellino optimo viro iussisti, sibi quoque confirmat necessarios esse milites. Ex his interim sicut inueneram in ministerio eius, relinquendos existimaui: præsertim cum ad frumentum comparandum iret in Paphlagoniam. Quin etiam tutela causa, quia desiderabas, addidi duos Equites.* Erant autem fere Pedites, & Equitibus opponebantur, vt ex postremo illo Plinii loco liquet, & altero quem supra produxi *lib. 10. ep. 32. contentus esset beneficiariis decem, Equitibus duobus, centurione vno.* Quamquam Iulii Cæsaris *loco*, Equites etiam beneficiarii dicuntur. His præerant & Centuriones, Suetonius *Tiberio c. 12. Venit etiam in suspicionem per quosdam beneficii sui centuriones a commeatu castra repetentes.* Horum Beneficiariorum opera, Magistratus vel extraordinario cum munere missi (vt docent loca *Plinii*) vsi non tantum suæ custodiæ & tutelæ causa, verum etiam ab his missi ad varia negotia peragenda: veluti nuncio alicui perferendo. Quo pertinet Spartiani locus *in Hadriano c. 2. Ex Germania superiore festinans Adrianus, vt primus nunciaret excessum Neruæ a Seruiano sororis viro, diu detentus, fractoque consulte vehiculo tardatus, pedibus iter faciens, eiusdem Seruiani beneficiarium anteuenit.* Eorundem opera vsi in conquirendis, vestigandis reis, & Christianis olim tanquam malis hominibus, qua causa etiam, curiosis iunguntur. Testis Tertullianus *lib. de persecut. in fuga cap. 13. Nescio dolendum, an erubescendum sit, cum in matricibus Beneficiariorum & Curiosorum inter Tabernarios & Lanios & fures bal-*

nearum & aleones & lenones Christiani quoque vectigales continentur. Cuius loci sensum iam ostendi alibi ad *l. 1. sup. de curios.* Nempe tunc Christianos in matriculis Beneficiariorum & Curiosorum inter Tabernarios id genus homines nequam censeri. Falsus enim est vir doctus, cum putauit Tertullianum Beneficiarios Tabernariis accensere, cum dicere debuerit, a Beneficiariis Christianos inter Tabernarios accensitos. Curiosis igitur eo loco coniunxit beneficiarios, tanquam circa idem occupatos: illi quidem de more, hi extra ordinem: circa reos inquam vestigandos. Non vero quod alius vir doctus putauit; quod iis exigendorum vectigalium cura incumberet: nam neutris ea incubuit: neque id Tertullianus voluit: id enim voluit tantum Tertullianus, Christianos erutos a Beneficiariis & Curiosis, vt his viuere liceret, vectigal soluisse, ceu malos & impuræ vitæ homines alios. Ergo eruendis malis hominibus missi extra ordinem *Beneficiarii.* Quod etiam liquet ex Edicto Maximini apud Eusebium de Christianis *lib. 9. cap. 9.* ὅμως ἵνα μήτε ὑπὸ τῶν βενεφικιαλίων, μήτε ὑπ' ἄλλων τῶν τυχόντων, ὕβρεις μήτε σεισμοὺς ὑπομένοιεν, ἀκόλουθον ἐνόμισα, καὶ τούτοις τοῖς γράμμασι τὴν σὴν σεβαρότητα ὑπομνῆσαι. *Tamen ne forte a beneficiariis aut quibuscunque aliis iniurias & concussiones patiantur, his etiam literis granitatem tuam admonendam esse existimaui.* Et ex altero eiusdem Maximini Edicto, vbi Officiales appellat, quos superiore Edicto Beneficiarios *lib. 9. cap. 10.* ἐκ ταύτης τῆς προφάσεως ἐξ ἧς κεκελευσμένον ἦν ὑπὸ τῶν θειοτάτων Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ τῶν γονέων τῶν ἡμετέρων, τὰς συνόδους τῶν χριστιανῶν ἐξῃρεῖσθαι, πολλοὺς σεισμοὺς καὶ ἀποστερήσεις ὑπὸ τῶν ὀφφικιαλίων γεγενῆσθαι. *Occasione legis illius, quæ a Diuis Diocletiano & Maximiano parentibus nostris lata erat, vt Christianorum conuentus penitus abolerentur: multas concussiones prædasque ab officialibus factas esse.* Iisdem & cura & exhibitio cursus publici demandata, vt clare id ostendit *lex 7. inf.* vbi diserte exhibitioni cursus & primipili necessitati nexos fuisse Beneficiarios ostenditur. Qua *leg.* non agitur de Beneficiariis Rationalium (vt vir doctus Claud. Salmasius *ad Spartian. Hadrian. c. 2.* putauit) sed Beneficiarii, Officialibus Rationalis opponuntur: sic quidem vt illis exhibitio cursus & primipili necessitates mandatas, hi vero rationes fiscales tractasse indicentur. Sic & Patricius, loco a Cuiacio allegato λέγει δὲ φροντίζειν αὐτοὺς τῶν ἀλλαγῶν τῶν ἵππων. Nominis huius quæ ratio sit, anxie inquirunt: Paulus ex Festo hanc rationem reddit: *Beneficiarii milites dicebantur, qui vacabant muneris beneficio:* id est muneris immunitate (id enim *Beneficii* vox significat, vide *Glossar. Theod.*) *e contra Munifices vocabantur, qui non vacabant, sed munus Reipubl. faciebant.* De quibus Munificibus dixi *l. 2. sup. de cursu publ.* Aliter Vegetius *lib. 2. c. 7.* *Beneficiarii*, inquit, *ab eo appellati, quod promouentur beneficio Tribunorum.* Mihi Festus verum dixisse videtur; Nempe ideo Beneficiarii dicti videntur, quod cum in cohorte Magistratuum essent, beneficio tamen, id est, immunitate munerum militarium gauderent, & custodiam tuitionemque tantum præstarent ordinarie. Nam neque Viri docti sententiæ accedo, qui Beneficiarium eundem cum Commeatali facit, cui videlicet Tribunus commeatum dabat. Imo neque illis assentior, qui cum Promotis eosdem faciunt: de quibus ad *l. 2. inf. de falsa monet.* & *l. 2. inf. de curs. publ.* Tandem non fero βενεφικιαλίους quorum Iustinianus meminit *Nouella 13. c. 4.* de his Beneficiariis accipi, quod plerique hactenus credunt: verum accipiendi omnino sunt Veneficiarii: ex eo loco quippe clarum, non officii aut ministerii, verum criminis notam illud esse. (a) P. 496

Nunc de ipsius *legis* sententia. Ea iubet Constantius beneficiarios in eodem obsequio perseuerare, id est, obtentu conditionis Curialis ad curiam reuocari vetat. Quod colligitur ex iis *legibus* quas huic ceu eiusdem constitutionis partes coassandas videri cui posse dixi, nempe ex *l. 1. sup. de agentib. in rebus*: *l. 4. 5. 6. inf. de diuers. officiis.* Iis quippe constitutionib. id agit Constantius, vt definiat quonam actu, cuius temporis Curialis conditio euitari posset, vel non, ac nominatim actu Agentium in rebus, &c. *d. l. 1.* Officialium, *d. l. 4. 5. 6.* Nempe est vbi a curia liberationem tribuit post actum 25. annorum, vt in sp. *d. l. 5.* & *6.* est vbi viginti annorum, vt in sp. *d. l. 1.* est vbi quindecim, vt in sp. *d. l. 5. in f.* est vbi post decem vt in sp. *d. l. 6. in medio.* Atenim *hac l.* Beneficiarios in eodem obsequio perseuerare vult quocumque tempore in eo obsequio fuerint. Et hæc quidem *huius legis* sententia videri posset. Posfit tamen & hæc esse. Nempe beneficiarios nullo honore, nulla militia, nulla præscriptione ab obsequio suo liberari posse. An vero & quando per Clericatum liberari possint, docebit *lex 7. inf.*

(a) De *Beneficiariis* pleraque notauit ante nostrum Cl. Salmasius *ad loc. Spartiani cit.* Cl. Torrentius *ad locum Sueton. citat.* adde Cl. du Fresne *in Glossar. vtroque.*

VI. (a) Idem (b) A. ad Taurum PP. ō. (c)

PRimipilaribus, (d) qui ad pascendos milites sollemniter ad limitem destinantur, grauia sustinentibus detrimenta, hoc modo credidimus consulendum, vt Duces qui multa eis (e) extorquere firmantur, (f) nomine munerum vel sportulæ, nihil amplius percipiant, quam percipiebant a (g) Patre (h) nostræ (i) perennis memoriæ regente Rempublicam, ita vt species a Primipilaribus ipsa præstetur, nec in nummum aurumue dirigatur, (k) nesuper inmensitate pretiorum necessitas conquerendi exsurgat. Hac igitur remota iniuria, idonei (l) mittantur, qui ex more susceptis omnibus alimoniis militaribus easdem peruehere contendant, actis apud Rectorem prouinciæ conficiendis, per quæ designabitur quantus speciérum modus in vsum alimoniæ militaris a Primipilaribus præbeatur, (m) & quid ob munera Ducibus mittenda vel sportulam, cuius habet notitiam Officium Præsidale. Dat. (n) Epistula (o) Præfecto, cui hæc sacra (p) fuerat antelata. (q) XI. Kal. Iun. Mediolani, (r) Datiano & Cereale CONSS. [358.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *γρ. Constantius A. & Iulianus C.* ID.

(c) *Taurus* PP. Italiæ sub Constantio: vid. *Prosopogr.* ID.

(d) De *Primipilaribus*, vide *Paratitlon.* ID.

(e) Ab eis. IDEM.

(f) *Firmantur:* id est affirmantur. IDEM.

(g) Vox hæc abundare videtur, etsi in MS. ea extet. ID.

(h) Id est sub patre nostro, & ex indulto; nisi forte delenda vox, *a.* IDEM.

(i) *γρ. nostro:* Et intelligit Constantinum M. ID.

(k) Seu redigatur, atque adeo adæretur. ID.

(l) Primipilares. ID.

(m) Id est consignetur, perferatur. ID.

(n) *Data,* id est reddita, pariter vt *l. 2. inf. de Murilegulis:* vt sequentia docent; sed & illud, quod *Sirmii* hoc anno egisse Constantius deprehenditur. ID.

(o) Notanda hæc subscriptio. ID.

(p) De hac *Sacra* appellatione, vid. *Notitiam nostram Imperii Romani.* Multa Iuretus ad *lib. 4. Symmachi ep. 54.* IDEM.

(q) *Antelata,* prælata: vid. *Paratit. de constit. Princ.* & quæ dixi ad *leg. vn. inf. si per obreptionem.* ID.

(r) Hinc quoque patet Præfectum P. Italiæ Mediolani constitisse. ID.

COMMENTARIVS.

De Primipilaribus, & Sportulis quas hi Ducibus soluebant, est hæc Constantii constitutio, vt & altera Valentiniani *l. 9. inf.* & tertia Theodosii Iun. *l. 27. inf. h. t.* De quibus Primipilaribus plene iam dixi in *Paratitlo.* Sane vel ex *hac l.* quinam illi fuerint apertissime discere licet: Primipilares scilicet fuerunt, *qui ad pascendos milites solemniter ad limitem destinabantur,* seu vt mox dicitur, *qui ex more omnes alimonias militares susceptas ad limitem peruehebant.* Quare & Theodorus Harmopolites *lib. 9. tit. 9.* notante Cuiacio *ad leg. 3. Cod. Iustin. huius tituli.* Primipilum ita definit: *πριμιπιλον ἐστὶ τὸ τοῖς πρώτοις ἀκοντισταῖς στρατιώταις διδόμενον σιτηρέσιον ἵνα διανείμῃ τοῦτο αὐτοῖς* (*στρατιώταις* scilicet.) Scilicet Primipilum & Primipilares nomen erat militare: Suidas *Πριμιπιλάριος. ὁ τὸ μεῖζον ἀξίωμα τῶν στρατιωτῶν ἔχων παρὰ Ῥωμαίοις. Primipilarius. Apud Romanos ita vocatur, qui maximam inter milites dignitatem habet.* Et Glossæ Basilic. *πριμιπίλευμα, στρατιωτικὴ ἄννονα. Πριμιπιλάριος, πρῶτος τῶν ἀκοντιστῶν. πρωτεύων τῶν δορυφόρων. πίλευμα γὰρ ὁ ὑσσὸς, ἤτοι γῦσσος τὸ σιδηροῦν ἐμβόλιον, τὸ ἀκόντιον, τὸ δόρυ.* Sed & Græci ad *l. 1. Cod. Iust. de condict. ex lege* notante eodem Cuiacio *loc. cit.* debitorem ex primipilo ita definiunt; *ὁ διὰ τροφὰς στρατιωτικὰς τῷ δημοσίῳ χρεωστῶν* De primipilo peculiaris est quoque *titulus, Cod. Iust. lib. 12. tit. 62.* Atque vt in militia singuli cohortium primipilarii erant: de quo videndus Vegetius: ita & in officiis & cohortibus Rectorum prouinciarum Primipilares fuere: quibus annona militaris ad limitem peruehenda committebatur.

Huius vero functionis magnæ prærogatiuæ fuerunt, de quo *in Paratitlo,* ac inter alia, magna commoda (id est salaria) vt docet *lex 1. Cod. Iust. de Primipilo: l. 23. D. de adim. legatis,* Vegetius *lib. 2. cap. 21.* de primipilo totius legionis: *Ex omni legione infinita commoda consequitur.* Sed & post administrationem
P.487 primi pili, dignitates eos manebant, vt docet *lex 3. sup. h. t.* Et hæc breuiter de Primipilaribus.

Hos igitur a quadam Ducum militarium iniuria grauique detrimento vindicat *hac leg.* Constantius Imp. pariter vt Valentinianus Sen. *l. 9. inf.* & Theodosius Iun. *l. 27. infr.* De quo, antequam ago, sciendum est, quod *h. l.* & *d. l. 9.* & *d. l. 27.* indicatur: ita ius fuisse hac tempestate, vt Duces militares munera seu sportulas quasdam a Primipilaribus exigerent: vt cæteroquin varias ditescendi rationes Duces habuere, cuiusmodi septem *κρουνοὺς, πηγὰς* septem, memorat Libanius, *Oratione περὶ τῶν προστασιῶν p. 21. 22.* ad quem locum iam quædam notaui. Sed & Theodosius Iun. annonas eas non tantum suæ dignitatis, publice sibi constitutas percepisse; verum & alia quædam licito sibi vindicasse testatur *l. vlt. sup. de erogat. milit. annon.* Inter alia vero commoda erant compendia, quæ ex commeatu indulto militibus percipiebant, de quibus *l. 2. §. 8. 9. Cod. Iust. de off. P. P. Africa.* Item stillaturæ tum auri tum annonarum, quas a militibus exigebant: de quibus idem Libanius *d. pag. 22.* & *l. 28. 29. sup. de erogat. mil. ann. Nouell. Theodos. 31.* Spartianus *Hadriano cap. 10.* & *Pescennio Nigro cap. 3.* Lampridius in *Alex. Seuero cap. 15.* Item commoda, quæ ex promotionibus militaribus consequebantur: de quo eiusdem Libanii locus est *dict. p. 22.* Addantur his omnibus ex *hac l.* & *d. l. 9.* & *d. l. 27. infr.* munera vel sportulæ, quas Duces accipiebant a Primipilaribus; Quibus modum *hac l.* imponit Constantius, & Valentinianus *d. l. 9. inf.* & Theodosius Iun. *d. l. 27. inf.* vindicandis ab iniuria Primipilaribus, qui hac occasione grauia detrimenta sustinebant. Nempe Duces, & modum legitimum excedebant, & immenso pretio eas adærabant, seu æstimabant: pariter vt in adærandis stillaturis Duces seu Tribunos modum excessisse docet *lex 28.* & *29. sup. de erogat. mil. annon.* Ergo statuit *hac l.* Constantius, Primo vt nihil amplius Duces percipiant, quam percipiebant sub Patre suo Constantino M. Quis vero modus is fuerit, non liquet. Secundo statuit, vt species ipsæ annonariæ Ducibus præstentur, non vero adærentur; & vt *hac l.* id effertur, *non in nummum aurumve dirigantur:* Quomodo alias stillaturas adæratas docet *d. l. 28. 29.* & *l. vlt. hoc tit.* Ratione addita: *Ne super immensitate pretiorum necessitas conquerendi exsurgat.* Nempe quia immodico pretio eas sportulas Duces taxabant. Quod cum etiam circa stillaturas facerent, modum earum adærationi Arcadius & Theodosius Iun. posuere: *d. l. 28.* & *29.* & *d. l. vlt.* Et ita quidem Constantius *hac l.* Atenim Iulianus in argento eas postea præstari voluit: quod etiam secutus est Valentinianus, *d. l. 9. inf.* & Theodosius Iun. *d. l. 27. inf.*

Cæterum, vt de eo constare possit, nomquid Duces superexegissent, iubet Constantius *h. l.* Primipilares (quos & idoneos mitti vult) apud acta Rectoris prouinciæ profiteri, quantum specierum modum in vsum alimoniæ militaris præbuerint, seu peruexeriot, & quid ob munera, vel sportulam, Ducibus mittenda? *Cuius*, inquit, (sportulæ scilicet) *notitiam habet Officium Præsidale*: Nempe modus legitimus harum sportularum fuit, sic vt officium Rectoris Prouinciæ eius notitiam haberet. Quare cum Primipilares modum annonarum a se peruectarum, & earum quæ Ducibus mittendæ erant, apud acta Rectoris prouinciæ profitebantur, facile erat explorare, nunquid Duces superexegissent.

VII. (a) Idem A. (b) ad Taurum PP. ō. (c)

BEneficiarii, (d) vel Officiales Rationalis, si exhibitione cursus seu Primipili (e) necessitare neglecta, interuersa etiam ratione fiscali, ad Ecclesias (f) putauerint transeundum, Curialium (g) retrahantur exemplo. Si vero obnoxii ratiociniis vel necessitatibus non sint, sub notione Iudicum, Officiis consentientibus, si id probabilis (h) vitæ studium postularit, transferantur, (i) nec cessionem metuant facultatum. Quod si clandestinis artibus putauerint inrependum, ad (k) Curialium similitudinem, duas concedant liberis: aut si proles defuerit, propinquis e propria substantia portiones, tertiam sibimet retenturi: Sin vero propinquorum necessitudo defuerit, geminæ portiones Officiis, in quibus militant, relinquantur, portione tertia tantummodo retentata. (l) Dat. IV. Kal. Sept. Tauro & Florentio CONSS. [361.]

NOTÆ.

(a) *Lex 4. Cod. Iust. de Episcopis.* Iungenda autem ei *lex 49. inf. de Decurionib.* Hanc quoque *legem* omisit Baronius, qua Annales Ecclesiastici augeri poterant. *GOTHOFRED.*

(b) Scribendum fuit (quomodo & factum oportuit *superiore leg. 6.*) *Imp. Constantius A. & Iulianus Cæs. IDEM.*

(c) *Taurus* PP. Italiæ scilicet sub Constantio. vid. *Prosopogr. ID.*

(d) De his dixi ad *l. 5. sup.* Cæterum *Codex Iustinianeus* hodie omissis *Beneficiariis*, habet ita, *Officiales Rationales.* Cum tamen etiam Græca *Paratitla* habeant, ἐὰν οἱ ταξεῶται ἢ οἱ Καθολικιανοί. *ID.*

(e) De Primipilo dixi ad *l. 6. sup. IDEM.*

(f) Id est, ad Clericatum: & vero id ita hic immutauit Tribonianus *ad Clericatus honorem. ID.*

(g) De quibus *d. l. 49.* Τριβων. ita mutauit: *ad priorem conditionem retrahantur*: detractis *hic*, & *inf.* quæ de exemplo Curialium hic dicuntur. *ID.*

(h) *Probabilis* vitæ studium, vide *l. 44. inf. de Episcopis*: & *Gloss. ID.*

(i) Ad Clericatum. *ID.*

(k) Ita Tribonianus immutauit: *putarint irrependum: duas partes suarum rerum concedant liberis, aut si proles defuerit propinquis, ex propria substantia portionem tertiam sibimet retentari. RITTER.*

(l) *Retenta* Cod. Iust. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

CLERICATV, an & quomodo Beneficiarii (de quibus ad *l. 5. sup.*) vel Officiales Rationalis, conditionem suam euitare possint, definit *hac l.* Constantius Imp. pariter vt de Curialibus id ipsum definit eo capite quod continetur *l. 49. inf. de Decurionib.* (quæ *huic* coniungenda est, ceu vnius & eiusdem constitutionis pars:) Et ad quod sese hic bis refert Constantius. Ergo vt *hic*, ita & *d. l. 49.* distinguitur: Vel enim Beneficiarii necessita-
P.488 tibus illis duabus (de quo dixi *ad l. 7. sup.*) Officiales vero Rationalis rationibus obnoxii suot, & tum a Clericatu ad officia sua reuocari eos oportet: vel obnoxii non sunt, & tum ad officia sua retrahi non oportet, si modo facultatibus suis vel earum parte certis casibus cedant (quomodo & alias eos qui Clerici facti fuerunt, ne ad pristinam conditionem retraherentur, bonis suis vel in totum, vel pro parte cedere oportuit: de quo *tit. de Decurionib.* & *tit. de Episcop. Eccles. & Cler.*) Et quidem sub sequentibus distinctionibus. Nam vel consentientibus officiis, id est, corpore ex quo illi erant, & quidem sub notione Iudicum Clerici facti suot, & hoc casu, vt Decuriones, ita & hos facultates suas retinere posse definit: vel clandestinis artibus Clerici facti sunt; Et tum rursum subdistinguitur, vel enim liberos habent, aut propinquos; & tum duas substantiæ portiones iis relinquere tenentur, tertia retenta; vel non habent, & tum duas illas portiones officiis, id est corporibus relinquere tenentur: Scilicet Principes & in his Constantius sic Clericatui aut Ecclesiæ fauerunt, vt ne eo obtentu officiis & corporibus necessitatibusque publicis præiudicium fieret. De cæteris vberius ad *d. l. 49.*

Hæc vero illa est Constantii constitutio, quam memorat Socrates, *lib. 2. cap. 32.* cum post Seleuciensis Concilii historiam & memoratum Constantii ex Occidente Constantinopolim reditum, institutumque ab eo Constantinopoli Præfectum vrbi, (quod factum fine anni superioris 360.) ait, Constantium cupientem diuellere Ecclesiasticorum societatem, legem sanxisse, *Vt ii qui publicis muneribus obnoxii essent, propria fortuna redderentur, eo quod quidam ex iis muneribus obnoxii erant: & hi quidem, Curiis; illi vero Rectorum officiis*: ita enim locus ille vertendus est, non vt pessime Interpres: verba hæc sunt: ὁ βασιλεὺς ἐπενόησε διασπεῖραι αὐτοὺς, νόμῳ κελεύσας, τοὺς ὑποκει-

μένους

μένως αὐτῶν δημοσίοις λειτουργήμασι, τῇ ἰδίᾳ τύχῃ ἀποδίδοσθαι. καὶ γὰρ ἦσαν τινὲς ἐξ αὐτῶν λειτουργίαις ὑποκείμενοι, οἱ μὲν βουλευτηρίων οἱ δὲ τῶν ἐν ταῖς ἐπαρχίαις τάξεων ὑποκείμενοι: scilicet *δημοσίοις λειτουργήμασι* sunt, *obnoxii muneribus ciuilibus, publicis functionibus occupati*, vt Innocentius in hoc ipso argumento versans *in Decretis cap. 18.* & apud Gratianum *cap. 3. dist. 51.* non vero, vt vertit interpres, qui publica munera obirent: *τῇ ἰδίᾳ τύχῃ ἀποδίδοσθαι* est, *propria fortunæ conditioni reddi*, non vt Interpres ad priuatæ vitæ conditionem redigi. *ἰδία τύχη* est, *propria fortuna* (id est, conditio,) quæ vox *fortuna* eodem significatu vsurpatur *inf. l. 28. 30 h. t. l.* & *118. 172. 183. inf. de Decurionib.* fortunam propriam subire coguntur, *d. l. 172.* id est, statum pristinum vt mox *ibid. βουλευτηρίων* item vocat Curiæ sortem accipiendæ, non Senatores. Tandem *οἱ τῶν ἐν ταῖς ὑπαρχίαις τάξεων*, non sunt, vt Interpres vertit, qui magistratus in prouinciis gesserunt, verum *Magistratuum Officiales, Cohortales, Beneficiarii*.

VIII. (a) Impp. Valentinianvs & Valens AA. ad Mamertinum PP. õ. (b) Post alia.

Qvi in Proconsulum, (c) Consularium, Correctorum, vel Præsidum Officiis ita stipendia merentur, vt Reipublicæ (d) partes pro virili captu (e) spernui (f) laborum procurent, si cursui (g) veredorum obnoxii, vel pastui primipili, (h) militiam clariorem aditu (i) obstricti (k) itineris occupauerint, ita infulas (l) adfectati honoris admittent; (m) vt necessitatem vetustæ procurationis agnoscant. Liberi vero eorum, si ab ineunte æuo alterius (n) gradus sacramenta meruerint, paternæ necessitatis condicione non alias fatigentur, quam si adhuc eos, loci quamquam altioris, tamen eiusmodi docebitur retinere mensuram, (o) vt parua contumelia dignitatis paterni muneris subdantur inpensis. * Et quoad huiusmodi (p) homines in his prouinciis militabunt, quos aut primipili pastus, aut necessitas veredariæ non adigat functionis, XXV. eos stipendia a nexu Curialis nominationis absoluant. Liberis eorum ea condicione obnoxiis Municipum (q) conplexui relinquendis, si militiæ detrectauerint voluntatem. Subscribendarii (r) vero, Tabularii, (s) Diurnarii, (t) Logografi, (v) Censuales, (x) si & censu opulenti erunt, & exercitatione quantulacunque eruditionis, post emensum munus ea condicione Curiis adgregentur, si cum in Officiis essent vilioribus, nulla eos suppliciorum macula turpauerit. (y) Et (z) quoniam infinitum est viritim cuncta complecti, hoc quasi generale conclusio Legis amplectitur, Vt quicumque alii, sine defensione prædictorum priuilegiorum, in quibuslibet vrbibus, oppidis, municipiis repperiantur, pro captu virium & mediocritate censuum Curialia officia suæ sortis agnoscant: & cetera. Dat. III. Id. (aa) Mai. Hadrianopoli, diuo Iouiano & Varroniano conss. [364.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendæ autem ei, *lex 58. inf. de Decurionib. lex 18. infr. de cursu publ.* Imo & *lex 5. sup. de re militari.* emendato die: nam ibi subscribitur dies III. *Kal. mai.* Forte ea *lex 2. Cod. Iust. de apparitor. Magistr. mil.* quæ sine die & Consule est. GOTHOFREDVS.

(b) *Mamertinus* PP. Italiæ scilicet sub Valentiniano Sen. vid. *Prosopogr.* ID.

(c) *Ordo* hic obseruandus: qui & in *Notitia Imp.* obseruatur. ID.

(d) Ita *d. l. 5.* qui salutarem maxime Reipublicæ operam persequuntur. ID.

(e) Ita *fine leg.* pro captu virium & mediocritate censuum. ID.

(f) *Spernui laborum*, si vera est lectio, fuerint qui labores spernunt. Quæ vox alibi non occurrit: sed vox, *spernax*: MS. habet hic *sperui*. Tentaret quis, *strenui*. ID.

(g) Vide *l. 7. sup.* Plene *tit. de curs. publ. infr.* ID.

(h) De *Primipilo* dictum *ad l. 6. sup.* ID.

(i) Ambitu. ID.

P. 489 (k) *Obstricti*, id est interdicti: An *obstructi*? IDEM.

(l) *Infula* honorum: vide *Glossar.* ID.

(m) *γρ. amittent.* Possit tamen & hoc iusta interpretatione tolerari nempe eatenus honores his prodesse, vt tamen necessitates illas agnoscant. ID.

(n) Quam officialis. IDEM.

(o) *γρ. mensura.* ID.

* *Secunda* pars *huius legis.* ID.

(p) Puta Officiales Proconsulis, Consularium, &c. ID.

(q) Id est Curialium. ID.

(r) De *Subscribendariis* dixi ad *l. 1. sup. de erogat. mil. annon.* ID.

(s) De *Tabulariis* dixi ad *l. 1. sup. de Tabulariis.* ID.

(t) De

(t) De *Diurnariis* dixi ad *l. 11. sup. de erogat. mil. ann. I D.*

(v) De *Logographis* dicam *infr. tit. ne collatio per Logograph. I D.*

(x) De *Censualib.* dixi ad *l. 4. sup. de Tabulariis & Censualib. I D.*

(y) *Turpare. I D*

(a) Notanda hæc conclusio, & clausulæ prolixæ constitutionis index. *I D.*

(aa) Ita quoque *d. l. 58.* & 18. at *d. l. 5. sup. de re milit.* 3 I I. Kal. Mai. *I D.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris quatuor constitutiones sequuntur, de Officialibus Iudicum, puta *lex hac 8. 9. 10. 12. h. t.* Quibus addendæ sunt de iisdem Officialibus eiusdem *lex 10. 11. sup. de Numerariis, lex vn. sup. de priu. appar. Mag. potest. lex 8. 9. 10. 11. 12. 13. inf. de diuers. officiis.* Hæc sane prima sui parte de Officialibus Iudicum agit eosque respicit, vt ne ii eorumque liberi obtentu aliquo elabantur. Atenim pars altera ab hoc *titulo* ferme fugitiua, Curias potius respicit: designatis videl. variis hominum generibus, qui ad Curias nominari possunt.

Et vero hæc *lex* pars est prolixioris constitutionis Valentinianeæ, qua tum curiis, tum officiis Iudicum, cursuique publico, & Rei Militari prolixe consultum iuit; vt apparet ex *h. l.* & *l. 58. inf. de Decurionib. l. 18. inf. de cursu publico: l. 5. sup. de re militari*, quæ velut vnius & eiusdem Constitutionis partes *huic* nostræ coassandæ veniunt: sic quidem vt, quemadmodum *hac l.* agitur de liberis Officialium, ita quoqua agatur *d. l. 58. inf. de Decurion.* da filiis Curialium; *l. 5. sup. de re milit.* de filiis Veteranorum. Ergo pars prior *huius l.* officia Iudicum ordinariorum & officiorum vtilitatem respicit. Nempe Officiales obnoxios exhibitioni cursus publici, (de quo ad *d. l. 18. inf. de cursu publ.*) vel pastui primipili (de quo ad *l. 6. sup. & in Paratitlo*) Dignitatis vel militiæ clarioris aut honoris alicuius obtentu ab hac procuratione liberari vetat. Denique dignitatem nullam ab hac procuratione immunitatem tribuere definit. Quod & ipsum de Curiali conditione definit *d. l. 58. inf. de Decurionib.* Nempe Officiales Iudicum ordinariorum suo quoque ordine & ad cursum exhibendum *h. l.* & *l. 6. 7. inf. de diuers. offic. l. 34. 42. 46. inf. de curs. publ.* & ad primipili pastum vocabantur, seu primipilares ex his sumebantur, vt docet *d. l. 6. inf. de diuers. offic.* & *d. l. 18. infr. de cursu publ.* Sic quidem vt ab his functionibus liberari non possent vlla dignitate, militia, aut honore. Imo in tantum, vt liberi quoque eorum conditioni paternæ tenerentur, sub hac tamen Dignitatum distinctione; Nempe vt non tenea ntur, si inaunte æuo ita aliam Militiam subierint, & ad locum altiorem eamque dignitatis mensuram peruenerint, vt iam nonnisi cum contumelia Dignitatis eius ad paternam conditionem vocati possint: si vero non tanta sit Dignitas, vocentur. Et hæc quidem de priori *huius leg.* capite.

Postremo capite quatuor hominum genera designat Valentinianus, quæ ad Curiam nominari possunt. Primo *Officiales*, post primipili pastum & cursus exhibitionem, si nondum 25. annis Officiales fuerint, aliud si viginti quinque stipendia meruerint: cum tamen ex Constantii *l. 6 inf. de diuers. offic.* decennium sufficeret. Secundo & liberos eorum, si Militiam detrectent. Tertio curiis quoque adscribi permittit ciuitatum ministeriales & officia, veluti Subscribendarios, Tabularios, Diurnarios, ἡμερολόγους, Logographos, Censuales, (de quibus *suis locis*) post emensum munus (qui sane Curiis adscribi optabant seu ad Curias adspirabant, vel vocabantur, vt præter *hanc leg.* de Tabulariis, docet altera eiusdem Valentiniani *l. 2. sup. de Tabulariis*:) sub triplici conditione; 1. si facultatibus abundent. 2. Si quantulumcumque eruditi sint: quæ eruditionis conditio cur a Valentiniano exacta fuerit in ciuitatum ministerialibus ad Curias nominandis, obscurum est: Tertia conditio est, si modo cum in officiis illis municipalibus essent, nulla eos suppliciorum macula turpauit, id est si non quæstioni & tormentis subditi fuerint. Quæ officiorum illorum vilitas fuit, vt Conditionales essent, & Quæstionibus obnoxii forent; vt ostendit quoque de Censualibus, *l. 4. sup. de Tabular.* Contra, ea Curialium dignitas fuit, (vt vocatur *l. 4. sup. de Tabular. l. 47. infr. de Decur.* & *l. 2. infr. ad Leg. Corn. de falso*:) seu honor, *d. l. 1. in fin. ad Leg. Corn. de falso*, vt vel torti ad Curiam non admitterentur, vt *h. l.* vel Principales a Quæstionibus ferme immunes essent, eiusdem Valentiniani *l. 61. inf. de Decurionib.* vel omnes de quo ad *l. 4. sup. de Tabular.* & sæpe *inf. tit. de Decurionib.* ac nominatim ad *d. l. 61.* eiusdem Valentiniani. Sane vt ita alias qui torti erant, non tam facile ad maiorem gradum perueniebant, ne Ordinum dignitas vilesceret: sic certe eos qui torti fuissent, vel subuerbusti, ciues Romanos fieri non potuisse, sed Deditiтins tantum, notum est. Et hæ quidem tres conditiones adiciscendis in Curiam ciuitatum Officialibus, & inter alios Tabulariis, imponuntur *hac l.* a Valentiniano Sen. Qui & aliam imposuit *d. l. 2. sup. de Tabular.* vbi vide quæ dixi. Ex *hac* interim *leg.* & *d. l. 2. sup. de Tabulariis* apparet, conditionales seu Ministeriales ciuitatum inferius Curialibus fuisse. Hinc Conditionales ad Curiam tanquam ad maius quid adspirauere, & promoti fuere, *h. l.* & *d. l. 2. sup. de Tabular.* Et vice versa Curiales ministerio Ciuitatis sese mancipantes, deponere dignitatem credebantur, *l. 4. sup. de Tabular.* Postremo & generali conclusione iubet Valentinianus Sen. *h. l.* quoscunque alios, priuilegiis non subnixos, sibi vacantes, vagosque scilicet, ad Curiam vocari. Quod & ipsum compluribus legibus aliis *inf. titulo, de Decurion.* cauetur: puta *l. 137. 139.* &c.

P.490 IX. (a) Idem AA. ad Probum PP. ō. (b)

SEcundum Diui Iuliani statuta † sportula Duci in quinquaginta libras argenti non ab vno Primipilari, sed ab vniuersis pariter inferatur; nihilque amplius Duces sportulæ sollemnis prætexto (c) conentur exculpere. Dat. VIII. Kal. April. Triu. Valentiniano & Valente (d) AA. CONSS. [365.]

NOTAE

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDUS.

(b) *Probus* PP. sub Valentiniano, v. *Prosopogr.* ID.

† *Lex* hæc Iuliani non extat. ID.

(c) *Pretextum*, in neutro, pro *pretextus*. ID.

(d) *Vel*. III. AA. COSS. id est A. D. 370. Neque enim anno 365. Valentinianus *Treuiris* constitit. ID.

COMMENTARIVS.

De Primipilaribus (de quibus plene *Paratitlo*, & ad *l. 6. sup.*) deque Sportulis, quas hi Ducibus soluebant, est *hac* Valentiniani Sen. *lex*: pariter vt Constantii *l. 6. sup.* & Theodosii Iun. *lex 27. inf.* Nempe definitur, quis modus debeat esse harum sportularum: nam de ipsis sportulis satis dictum est ad *d. l. 6. sup.* sic quidem vt Iuliani super hoc constitutionem siue confirmet, siue declaret. Nempe (quod primo notandum) in quinquaginta libris argenti sportulas Ducibus a Primipilaribus solui voluit Iulianus, quod etiam *hac l.* confirmat Valentinianus: Cum tamen antea in ipsis speciebus annonariis sportulas solui voluerit Constantius, *d. l. 6. sup.* vbi & de eius rei ratione. Ergo Ducibus 50. libræ argenti datæ sportulæ nomine a Primipilaribus: Quinquaginta, inquam, libræ argenti, id est, si ad aurariam rationem res reducatur, ex Arcadii æstimatione, *l. vn. inf. de argenti pretio quod thesaur. infert.* 250. solidi aurei: nam pro singulis libris argenti quinos solidos inferri voluit. Hæc sportula solemnis fuit ex hac Valentiniani Sen. constitutione. Atenim Theodosius Iun. postea, aucto in dies auri pretio, pro singulis libris argenti primipilares Ducibus sportulæ gratia præstare quatuor tantum solidos voluit, ac proinde ducentos tantum solidos) *l. 27. inf.* vbi vide quæ dicam adhuc. Verum quod declarat *hac l.* Valentinianus, (& vero secundo obseruandum est) data hæc sportula, quam scil. dari vult, non ab vno Primipilari, sed ab vniuersis pariter, scilicet (quod hæc *lex* docet) in vna prouincia cuius limiti tuendo Dux vnus præerat, plures Primipilares erant qui annonæ militaris curam habuerunt, seu pastum militarem adcurarunt. Ergo tandem vltra hunc modum, sportulæ nomine quidquam exculpere Duces vetat *hac l.* Valentinianus. Quorum auiditati multiplici sæpe obuiam itum est, de quo ad *d. l. 6. sup.*

X. (a) Idem AA. ad Dracontium (b) Vicarium Africæ.

Principes, seu (c) Cornicularios, stationes (d) quæ personis suis merito deferuntur, non aliis vendere, sed ipsos potissimum his administratiunculis (e) perfrui iubemus. Quod si post pastum primipili (f) de his putauerint nundinandum, (g) non alteri quam Adiutoribus suis, & tamen his Ipsis qui nunquam eiusmodi stationes egisse doceantur, habeant libertatem licentiamque vendendi. Dat. III. Kal. April. Med. Valentiniano & Valente AA. conss. [365.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDUS.

(b) *Dracontio* huic Vicario Africæ inscribuntur plures aliæ leges Anno 364. & 365. ID.

(c) *Et.* ID.

(d) *Stationes*, hic & *fine leg.* pro loco quem quis tenet, & quidem proprie de statione & administratione Principum & Corniculariorum officii. Quo ipso sensu *stationis* vocem accipio *l. 13. inf. de diuers. offic.* ID.

(e) *Administratiuncula* tribuuntur Principibus officiorum, *h. l.* administratio, *l. 2. inf. de lucris offic.* gubernare officia dicuntur, *l. 6. sup. de princip. agent.* ID.

(f) De hoc *pastu* primipili in *Paratitlo* & ad *l. 6. sup.* ID.

(g) *Nundinatio*: vide *Glossar. Theod.* & *Gloss. Basilic.* ID.

COMMENTARIVS.

De Principibus, Cornicularlis & Adiutoribus est hæc Valentiniani Sen. constitutio. De quibus etsi *Paratitlon* iam moneat, tamen *hic* plenius dicendum præter ea quæ *Paratitlo* continentur. De *Principibus* primum *officiorum* scilicet, neque enim de Principibus in militia hic dicendi locus: etsi ab illis adhoc nomen transfit, teste Asconio. Horum mentio in *Notitia Dignitatum* in omnibus ferme Magistratibus eiuslibus, Militaribus, Excepto Magistro officiorum, (vbi loco Principis *Adiutor* primus nominatur) Quæstore, Comite S. L. & R. P. (pro quo *ibi* Primicerius Castrensis totius officii ponitur) sic vt Princeps in officio seu inter Officiales cuiusque primus ponatur. Et quidem vnus tantum in omnibus officiis omnium Magistratuum Ciuilium & Militarium, nisi quod duo Principes ponuntur in officio alterius Magistri militum præsentalis in Oriente. P. 451 Principis huiusmodi, qui principem locum regendis cohortibus obtinebat, meminit quoque Symmachus *lib. 3. ep. 87.* meminit & *lib. 10. ep. 36. in f.* Sumptus vero Princeps, Primo vel ex, seu de eodem Officio vel Corpore, vt Princeps officii Proconsulis Asiæ Comitis rei militatis per Isauriam Ducis Arabiæ, Ducis Scythiæ, Mœsiæ secundæ, Primæ Daciæ Ripensis, Consularium, veluti Palæstinæ, Præsidum veluti Thebaidos, Ducis, Pannoniæ secundæ Valeriæ, Pannoniæ primæ, Belgicæ secundæ, Cor-

rectorum, veluti Apuliæ, Præsidum, veluti Dalmatiæ.

Secundo. Vel de schola Agentium in rebus, & ferme Ducenariis, vt in Oriente Princeps officii Proconsulis Achaiæ, Comitis Orientis, Præfecti Augustalis Vicariorum omnium, Comitis rei militaris per Ægyptum, Ducis Thebaidos Palæstinæ, Phœnices, Osrhoënæ, Mesopotamiæ, Armeniæ: In Occidente Proconsulis Africæ, Vicariorum omnium.

Tertio. Est vbi non designatur, vnde sumeretur, veluti Princeps officii Præfectorum Prætorio, Præfecti Vrbis, Magistrorum militum, Ducis Syriæ.

Quarto. Vel ex alio officio, veluti Princeps officii Magistri Equitum Galliarum & Comitis Africæ, Tingitanæ, Britanniarum, Mauritaniæ, Tripolitanæ, Rætiæ, Ducis Armoriciani, Britanniarum, Mogontiacensis, ex officiis Magistrorum militum Præsentalium alternis annis, vno anno a parte Peditum, alio, a parte Equitum; vel a parte Peditum tantum, veluti Princeps Comitis litoris Saxonici per Britanniam, Ducis Sequanici: item ex Præfecti Prætorio veluti Princeps Consularis Campaniæ de officio Præfecti Prætorio Italiæ. Et hæc quidam de Principe ex *Notitia Imperii*. Principis apparitionis Præfecturæ Prætorianæ meminit quoque Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 3.* Symmachus Principis officii Præfecti Vrbis & Vicarii *lib. 10. ep. 36.* Officiorum Principes memorat Capitolinus *in M. Antonino Philosopho cap. 8.* Lampridius quoque Magistros aut Principes officiorum *παραλλήλως in Alex. Sever. cap. 32.* Verum id de Iudicum Officialibus perperam accipiunt nonnulli Interpretes, cum id de Palatinis & Castrensianis officiis eorumque Principibus accipiendum sit. Quos Spartianus *in Pescennio cap. vlt.* Officiorum Magistros vocat. In *Suida*, recte πρίγκιψ ὁ ἔξαρχος τῆς τάξεως παρὰ Ῥωμαίοις. & *Gloss. Basilicωv.* πρίγκιψ ὁ πρῶτος των πολιτικῶν ταξεωτῶν. Et ita quidem proprio significatu Principes accipiendi.

Alio enim & latiore sensu Principes quandoque olim dicti officii, non quidem omnes qui in officio alicuius Magistratus apparebant, quomodo censet vir doctus Claud. Salmasius *in not. ad loc. Capitolin. citat.* veluti qui sub Magistro officiorum militabant; Verum qui summates in schola vel officio & præcipui erant. Hoc sensu in *passione Cypriani* duo Principes officii Proconsulis, qui tamen Stratores erant, dicuntur. Hoc sensu in *Passione Processi & Martiniani*, qui duo Magistriani dicuntur, dicuntur alibi Magistri Principes, mox Magistriani Principes. Vide loca ab eodem Claud. Salmasio *l. c.* excitata. Magistriani autem, vt id obiter dicam, siue qui in officio Magistri officiorum erant, siue qui nominatim ex schola Agentium in rebus, quos Græci μαγιστριανοὺς dicebant, non quia ex schola Agentium in rebus principes mittebantur ad gubernanda officia ciuilium (adde & militarium) magistratuum, quod idem vir doctus scripsit, nam neque ex Agentibus in rebus semper sumpti Principes Officiorum: quod ex *Notitia Imperii* probatum est: Verum quia sub Magistri officiorum dispositione erant, quod præter *Notitiam Imperii fol. 42.* docet *lex 3. 4. 7. 8. 9. 11. 14. 15. 17. 18. 19. 20. & vlt sup. de agentib. in rebus, l. 8. sup. de Princip. Agent. l. 2. sup. de commeatu: l. 29. inf. de hæreticis.* Eodem sensu Principis appellationem accipio in *passione Glyceriæ Mart. n. 8.* εἶπεν ὁ ἡγεμὼν τῷ πρίγκιπι. δεξάμενος τὸν δακτύλιον τοῦτον, ἀπελθὼν σφράγισον τὴν φυλακήν, ὅπου ἐστὶν ἡ μάγος ἐκείνη. Quo loco vir doctus Principem ibi ῥητῶς accipiendum putabat pro Præfecto Carceris: quod erroneum est. Nam etsi loco illo Princeps officii carcerem obsignare & obfirmare a Iudice iubeatur, attamen in commune omnes Iudicum præceptiones a Principe officii implebantur: vt docet vel *lex 6. sup. de Princip. Agentib. in reb.* Et hæc de Principibus officiorum. (a)

De CORNICVLARIIS in *Paratitlo* quoque dictum: sed tamen & testimonia ἀπὸ τῶν ἔξω conquirenda. Igitur apud Asconium Pædianum *in Verrem lib. 1. cap. 28. Accensus nomen est Ordinis, & promotionis in Militia: vt nunc dicitur Princeps, vel Commentarensis, aut Cornicularius: hæc enim nomina de Legionaria militia sumpta sunt:* & Notitia *Imperii* eosdem vbique a Principibus officiorum secundos facit. Symmachus *lib. 10. ep. 56. Petronianus*, inquit, *vrbanarum dudum cohortium miles ad Corniculariorum gradum inculpati laboris diuturnitate prouectus, more institutoque Maiorum, testimonium meruit Castrensis industria*, &c. Eiusdem meminit & Cassiodorus *lib. XI. Var. 18. 19. & 36.* cuius verba alia occasione proferam. Fit & mentio in veteri Inscriptione Cornicularii Tribuni. Nominis rationem in genere reddit Cassiodorus XI. *ep. 36. Præfuit enim*, inquit, *cornibus* (ita enim scribendum, non *curribus*, non *auribus*) *Secretarii Prætoriani vnde ei nomen est deriuatum.* Forte etiam paulo post, hæc vox restituenda, ibi; *eo ministrante calculum* [corniculum] *scripsimus inempti.* Inter Primates eum idem Cassiodorus numerat *d. ep. 19.* pariter vt *Notitia*, & *leges.* Pancirolus in *Notis* ad eam *cap. 11. fol. 11.* deriuatum putat, quod pro Insigni, *Cornu* vteretur, vel forte ex eo silentium litigantibus indiceret. Salmasius *in Solinum p. 547. & 548.* Cornicularios (quorum meminit etiam Valer. *lib. 6. cap. 1. §. 11.*) in militia Romana a *Cornibus*, seu *Corniculis* galearum ita dictos autumat, & sic a galeæ parasemo in militia Romana Beneficiarios, vt plurimum Tribunorum & Centurionum, & sic milites honestiores. Idque nomen ab antiqua Militia ductum in officiis Magistratuum posterioris æui remansisse; sic tamen vt tum nescierint vnde Cornicularii olim nomen habuissent. Iocularis aliorum hic lapsus iam feliciter profligauit Iuretus *ad Symmachum*, nomen id deducentium vel a cornu tubæ, vel a corniculis, queis vt & armillis olim donati milites. Ergo a Cornibus Secretarii ita dicti fuerint, Cassiodoro iudice; quia ad Cornua Secretarii Iudicibus præsto essent: & sic ab his Corniculis, Cornicularii: & Corniculum officiorum gerere dicti *l. 5. inf. de iis qui administr. l. 8. inf. de diuers. offic.* quomodo corniculo merere apud Suetonium *in Orbilio Grammatico cap. 9.* Quodnam vero Cornicularii officium in Secretario Iudicis seu Magistratus fuerit, nunc quærendum est: Cassiodorus ipse PP. id indicare videtur *lib. XI. Var. 36.* cum de Corniculario agens, ait: *Eo ministrante calculum scripsimus inempti, quod magnis pretiis optabatur impleri: gratificati sumus, cui leges fauerunt, negauimus, cui iustitia non promisit.* Nempe ad Cornua Secretarii adstabat & ministrabat Iudici agenti, loquenti, scribenti, rescribenti. Error est Panciroli, qui eum fuisse putat qui iussa, sententias, & decreta Præfecti Prætorio aut Præsidis, scribebat & publicabat, addito loco Cassiodori XI. *Var. 36.* corrupto. P 49
Idem ait Iulium Firmicum *lib. 1. cap. 6.* innuere, Corniculorium sententias in delinquentes latas scripsisse: locus Firmici hic est, *Erant*, inquit, *Cornicularii*

aut

(a) De *Principe* vide loca alia, quæ collegit Cl. Meursius *in Glossar.* & lege quæ obseruauit Claud. Salmasius *ad hist. Aug. loc cit.* Adde Cl. du Fresne in *Glossar. vtroque*, qui etiam de *Cornicularis* in Glossar. *med. & infim. Latinit.* dixit.

aut Commentarienses, quibus damnatorum cura committebatur, seu claucularii vel carcerum custodes, & quibus publicarum catenarum cura mandatur. Nihil tale Firmicus innuit. Ergo cornibus Secretarii aderat Cornicularius, & Iudici astabat, etiam quæstiones de reis habenti: vt ex *Actis martyrum* constat apud Baronium A. 290. *Maximus, Præses, dixit: tangite corpus eius: Anaxius cornicularius dixit, consentio Præsidi:* Hi ex horreis publicis annonas, & cellariensium nomine aurum præstabant *l. 32. sup. de erogat. milit. ann.* Adiutores habebant, *h. l.* Stationes his designantur, *h. l.* quæ Administratiunculæ eorum dicuntur, *h. l.* Dignitas vero eius magna fuit. Ideo inter Primates eum numerat Cassiodorus XI. *Var. 19.* vt iam innui *sup.* Quomodo & in *Notitia Imperii* ponitur statim post Principem: In *legibus* nostris pariter, *l. 5. sup. de proxim. sciturus vel Principe, vel Corniculario, vel capitibus: l. 3. & 5. de iis qui administr. Princeps, Cornicularius, Commentariensis, Numerarius,* &c. *h. l. Principes, seu Cornicularios,* &c. De huius officii dignitate & priuilegiis dicam ad eas *leges*, quæ de his tractare videntur: & in his ad *l. 8. & 9. inf. de diu. offic.*

De ADIVTORIBVS, quorum *hac l.* mentio fit, agitur insuper & *l. 3. 20. 21. sup. de Agentib. in rebus: l. 16. 17. 20. sup. de Palatinis S. L. l. 8. 16. sup. de Numerar. l. 5. inf. de custodia reorum: l. 4. infr. de executorib.* Fit eorum passim mentio in *Notitia Imperii:* Et quidem varie. Est enim vbi Adiutorem habere dicitur Magistratus, vel Adiutores, cum officium non habeat, & quidem ex eadem schola electos, veluti Primicerius Notariorum, Magistri scriniorum. Sed & Quæstor habere dicitur subadiuuantes, Adiutores, Memoriales, de scriniis diuersis. Est vbi in officiu Magistratus Adiutor primo omnium loco ponitur, veluti in officio Magistri officiorum. Est vbi secundo loco, veluti in officio Castrensis S. Palatii inter Tabularium & chartularium medius. Est vbi tertio loco ponitur, inter Officiales post Principem & Cornicularium, medio scilicet inter Cornicularium & Commentariensem, veluti in officio Præfectorum Prætorio Orientis Illyrici, Proconsulis Asiæ, Præfecti Augustalis, Præfecti Prætorio Italiæ, Comitis Africæ: vel medio loco inter Numerarium & Commentariensem sub Duce Pannoniæ: inter Commentariensem & Scriniarios in officio Magistri militum Orientis. Est vbi Quarto loco ponitur, post Commentariensem in officio Magistri militum præsentalis in Occidente, Comitis Orientis, Vicariorum Asianæ, Ponticæ Thraciarum. Comitis limitis Ægypti, Consularium in Oriente, veluti Palestinæ; Præsidum, veluti Thebaidos; Ducum Valeriæ, Pannoniæ primæ & secundæ, Rætiæ, Sequanici, Armoricani, Belgicæ secundæ, Magontiaci: Post Numerarios in officio Comitis & Ducis Britanniarum Consularium in Occidente veluti Campaniæ. Correctorum, veluti Apuliæ, Calabriæ. Est vbi Quinto loco ponitur, post Commentariensem & Quæstorem, veluti in officio Proconsulis Achaiæ: post Commentariensem & Numerarios in officio Comitis Isauriæ, post Primiscrinium & Commentariensem in officio Magistri Equitum per Occidentem: post Cornicularium, in officio Comitum Tingitanæ, littoris Saxonici, Mauritaniæ, Tingitaniæ, post Numerarios & singulares in officio Magistri militum per Gallias: post Tabularios & Commentariensem in officio Præsidis Dalmatiæ. Est vbi ponitur sexto loco, post Commentariensem in officio Proconsulis Africæ, Vicarii vrbis, post ab Actis sub Vicario Hispaniarum. Est vbi denique septimo loco, post curam epistolarum sub Vicariis Africæ septem prouinciarum, Brittaniarum. Est & vbi nulli Adiutores memorantur, veluti in officio Magistrorum militum præsentalium, Magistri militum per Thracias, & per Illyricum: Est vbi præter alios & superiores Adiutores, ponuntur quidam alii medii inter Exceptores & Singularios, veluti in officio Præfectorum Prætorio: item medii inter Exceptores & Censuales, veluti in officio Præfecti vrbi. Adiutores porro hi variorum officialium Adiutores fuere: Quare in officio Ducum Libyæ, Thebaidos, Palæstinæ, Arabiæ, Phœnices, Eufratensis, Osrhoënæ, Mesopotamiæ, Armeniæ Scythiæ, Mœsiæ primæ & secundæ, Daciæ Ripensis, numerantur Numerarii & Adiutores eorum: & Commentariensia Adiutor: & viceuersa Commentariensis adiutor. Sed & suos subadiuuas habuere: Hinc *subadiuua Adiutoris duo*, &c. in officio Magistri officiorum ponuntur. Et Quæstor habere dicitur subadiuuantes, Adiutores, memoriales de scriniis diuersis. Et hactenus quidem de Adiutoribus ex *Notitia Imperii.* Symmachus quoque *lib. 10. epist. 36.* memorat *Adiutorem Vrbani officii*, de quo est quoque *lex vlt. Cod. Iust. de off. P. V.* vbi & Primicerius Adiutor memoratur. In actis *collat. Carthag. d. 3. p. 1143. Tom. I. Concil. Harduin.* memoratur Naugius Adiutor Numerorum, & Peregrinus Adiutor subadiuuarum. Cassiodorus quoque Adiutoris Magistri officiorum meminit VI. *Var. 6.* De Subadiuua agit Synesius *ep. 145.* Gloss. *Basil.* Suidas, Metaphrastes *in actis Porphyrii:* & collat. *Carthag.* de quo dixi ad *l. 3. sup. de Agentibus in rebus.*

Nunc quid leges nostræ doceant de his Adiutoribus sub vnum conspectum proponendum est. Ergo Adiutores in variorum Magistratuum officiis memorantur, veluti Præfectorum Prætorio *l. 8. sup. de Numer.* Præfecti vrbis, *d. l. vlt. Cod. Iust. de off. P. V.* Magistri officiorum *l. 3. 20. 21. sup. de Agentib. in rebus:* qui Adiutores Palatinorum officiorum dicuntur, *d. l. 4. inf. de executoribus.* Comitis S. L. & R. P. *l. 16. 17. 20. sup. de palat. S. L. l. 4. inf. de executoribus.* Ducis Libyæ *l. 16. sup. de Numerariis:* veluti Vicarii Africæ, &c. *h. l.* Hoc primum.

Secundo alii fuerunt Adiutores totius Officii: & in his Primicerius, de quo *l. vlt. Cod. Iust. de off. P. V.* Alii ipsorum Officialium Adiutores erant, vt Adiutores Principum, *h. l.* & *l. 1. sup. de off. Rector. Prou.* Cornicülariorum, *h. l.* Commentariensis, *l. 5. inf. de custod. reorum.* Numerariorum, *l. 8. sup. de Numerariis.*

Tertio quid eorum muneris fuerit, ex parte quoque *leges* nostræ indicant. Adiutores inter Palatinos S. L. & R. P. matriculas Palatinorum tenebant, *leg. 16. 17. sup. de Palatinis S. L.* Adiutores Magistri officiorum seu Adiutores officiorum Palatinorum *leges* Magistro officiorum insinuare seu ingerere debebant, *l. 3. in f. sup. de Agentibus in rebus.* Apparitorum in prouincias mittendorum cura ad eos pertinebat, *d. l. 4. infr. de executor.* imo in Adiutore hoc totius scholæ status & Magistri securitas constituta erat, *l. 1. Cod. Iust. de offic. Magistr. officiorum.* Adiutor Principis in Officiis Rectorum Prouinciarum litigatores in Secretarium inducebat, *l. 1. supr. de offic. Rect. Prouinc.* Ad Adiutorem Commentariensis pertinebat custodia personarum receptarum, & obseruatio, *d. l. 5. de custod. reor.*

Quarto, priuilegia horum magna fuere: Nempe Adiutores Magistri officiorum, Honoratorum numero erant, & Vicariis Præfectorum exæquabantur, *d. l. 20. 21. & l. 5. C. Iust. de principib. Agen. in reb.* & Cassiodorus VI. *Var. 6.* Priuilegia etiam Adiutorum Palatinorum Comitum S. L. & R. P. P. 453
memorantur *l. 20. de Palatinis:* De Primicerio Adiutore officii Præfecti V. eius officii tempore, quidque ad eius curam pertineret, deque promotione ad id officium, est *d. lex vlt. Cod. Iust. de offic. Præf. Vrb.*

Quinto, Adiutores (ducum) repetere idem munus vetiti, *l. 16. sup. de Numerariis.*

Nunc de *legis nostræ* sententia. Vetantur *h. l.* a Valentiniano, Principes & Cornicularii stationes suas aliis vendere quam Adiutoribus suis, qui tamen ipsi nunquam eiusmodi stationes egerint.

XI. (a) Idem (b) AA. Festo (c) Consulari Syriæ. (d)

SOlita Cohortalibus Syriæ priuilegia, quæ a Diuo Diocletiano + porrecta sunt adque concessa, nos quoque porreximus, ac iubemus, Eos non ad sollicitudinem vastagæ, (e) non ad functionem nauiculariam (f) deuocandos, non inuitos Curialibus cœtibus adscribendos, verum peracto labore militiæ, pastus primipili (g) conpetenti sedulitate functione transacta, prærogatiuam his recusationis (h) offerimus. Dat. VI. Non. Octob. Valentiniano & Valente AA. (i) CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) In Cod. Iust. *Imppp. Valentinianus* VALENS *& Gratianus AAA.* Recte, & proinde hæc *lex* referenda *ad Valentinianum & Valentem* II. COSS. id est A. D. 368. *ID.*

(c) De hoc *Festo* dicam mox in Commentario. *IDEM.*

(d) Cœles scilicet vbi *Antiochia.* *ID.*

+ *Diocletiani* constitutionem nota, cuius nulla alibi memoria occurrit. *ID.*

(e) Pro *bastaga.* De hac porro dicetur plenius *ad l. 4. & 11. inf. de Murilegulis.* Neque tamen hic *bastogia* reponendum quod putauit vir doctus: de quo ad *d. l. 4.* & 11. *ID.*

(f) De *Nauicularia* functione suo *tit. inf. lib. 13.* *ID.*

(g) De *Primipilo* seu primipili pastu, tum in *Paratitlo*, tum ad *l. 6. sup.* *IDEM.*

(h) Id est, vt ne ad bastagam & nauiculariam functionem, vel Curias inuiti vocentur. *IDEM.*

(i) Referenda omnino hæc *lex, ad Valentinianum & Valentem* II. COSS. id est A. 368. vide quæ ad inscriptionem iam notaui. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE PRIVILEGIIS cohortalium, id est officialium Rectoris Prouinciæ, ac nominatim prouinciæ Syriæ (Cœles scilicet) est hæc Valentis constitutio: pariter vt Constantini *lex 1. sup.* Sic quidem vt Priuilegia a Diocletiano Imp his olim tributa confirmatum eat. Nempe immunes eos esse iubet peracto labore militiæ & pastu primipili a triplici onere quæ prærogatiua Recusationis *h. l.* dicitur: 1. a *Bastaga* onere, id est transuectionis onere per animalia, de quo dixi ad *l. 4. & 11. inf. de murilegulis.* 2. item a *Nauicularia functione*, quæ & ipsa transuectionis species fuit, de qua suo *titulo inf. de nauiculariis.* Quomodo & ab ea excusabantur Agentes in rebus *l. 20. inf de nauicular.* 3. Tandem a *Curia* onere, vt scilicet inuiti Curialibus cœtibus non adscribantur. Quæ ipsa, vt dixi, Constantini mens fuit, abrogata contraria Maxentii lege: *l. 1. sup.* Et tamen a protostasiæ munere immunes non erant, *l. vlt. inf. de protostasia.*

Ex *hac* porro *lege* apparet, finem militiæ Officialis seu cohortalis fuisse pastum primipili seu annonæ militaris solicitudinem. Quod & ipsum colligitur ex *l. 10. sup.* Vnde & Extrema functio, dicitur *l. 16. inf. h. t.* & a Veteranis sustineri militiæ stipendiis emensis, *l. 61. inf. de hæreticis*: de quo pastu primipili dixi in *Paratitlo* & ad *l. 6. sup. h. t.*

Tandem obseruandum, Festo Consulari Syriæ hanc *legem* inscribi, cuius Festi meminit Ammianus Marcellinus *lib. 29. cap. 2.* vbi tamen perperam Festinus vocatur (quanquam *ibi* postea Valesius reposuit *Festus*) *Festinus*, inquit, *Tridentinus ad Orientem transgressus est, ibique administrata Syria magisterioque memoriæ peracto, bona lenitudinis & reuerentiæ reliquit exempla, vnde regere Asiam Proconsulari potestate exorsus*, &c. Meminit & Libanius *de vita sua p. 51. edit. Morell.* Αἰθέριός τε, inquit, καὶ Φῆστος. Σύρων μὲν ἄρχων ἑκάτερος. ἄρξαντες δὲ πρὶν ἢ Βάλεντα δεῦρ [Antiochiam] ἥκειν. *Ætherius & Festus, quorum vterque Syris præerat: ac præfuerunt sane priusquam Valens huc veniret.* Quibus verbis etiam Libanius tempus designat, nempe Festum Syriæ præfuisse antequam Valens Imp. Antiochiam veniret: quo certe peruenit A. 370. Et hæc de Festo Consulari Syriæ. Hic idem Festus post administratam Syriam Magister memoriæ fuit, vt idem Ammianus Marcellinus docet, & Suidas in Φῆστος: ex Eunapii Historia *ibi*: τὴν δὲ βασιλικὴν γλῶσσαν ἐπεπίστευτο: quæ alioquin verba non cepit Interpres eius, quando vertit, *fisci regii curator*, imo & mutare instituit: Sed sic & de Nymphidiano qui Iuliano etiam ab epistolis græcis fuit, idem Libanius *in Vit. Nymphid. pag. 177. ed. Commelin.* ὁ αὐτοκράτωρ Ἰουλιανὸς αὐτῷ καὶ τὴν βασιλικὴν γλῶτταν ἐπέτρεψε, *huic magistri memoriæ munus commisit Iulianus.* Et quia in eo nunc sumus, accedo omnino Valesii coniecturæ ad Ammianum Marcellinum *lib 29. c. 2.* hunc ipsum Sextum Rufum Festum esse, cuius breuiarium extat ad Valentem Imp. Nam & tempora congruunt, & quod in MSS. Sextus Rufus Festus Dictator vocatur, id est, Magister memoriæ. Nam quod recte probauit Gutherius *de Off. Dom. August. lib. 3. cap. 3.* & Salmasius *ad Vopisci Carum cap. 8.* Dictare ad memoriam dicebatur Magister memoriæ. Et certe quod ipse addo: scripsit omnino Festus ille A. 370. post Valentis de Gothis victoriam, & cum iam Persico bello Valens illigatus esset: quod docent extrema Breuiarii. Item addo & illud: omnino Breuiarii illius conficiendi negotium a Valente datum conuenire dignitati & officio quod gerebat Magister

ſter memoriæ. Quod & initio Breuiarii indicari puto cum ait: *breuem fieri a ſe præcepiſſe Valentem, & facultatem latius eloquendi ſibi deeſſe.*

Quibus addo quod ſorex iudicio ſuo ſe prodit, cum extra propoſitum ſuum *cap. 22.* notat Alexan- P,454 drum Imp. Scriniorum Magiſtrum habuiſſe Vlpianum Iuris Conſultum. Quod extra propoſitum ab eo factum, notat, ita ſeſe quoque Valenti Aug. commendare voluiſſe. Ergo Feſtus hic fuit A. D. 368. Conſularis Syriæ, A. D. 370. Magiſter Memoriæ, A. D. 371. P.C. Aſiæ: vide quæ noto *ad l. 3. ad leg. Cornel. de falſo.*

XII. (a) Imppp. VALENTINIANVS, VALENS & Gratianus AAA. ad Probum PP. ō. (b) Poſt alia.

OFficia Rectorum Prouinciarum Tuæ Magnificentiæ litteris volumus admoneri, vt ſuſceptos (c) in Officio proprio vel probatos, Cohortium nomine (d) Legionumue (e) priuilegiis æſtiment (f) inſerendos. (g) Dat. XVI. (h) Kalend. Iun. Modeſto & Arintheo CONSS. [372.]

NOTAE.

(a) *L. 4. Cod. Iuſt. hoc tit.* Iungenda autem huic, *lex 78. inf. de Decurionib.* GOTHOFR.

(b) *Probus* PP. ſub Valentiniano, Illyrici ſcilicet, vt docet *lex 28 inf. de curſu publ. l. vn. inf. ne damn. prouinc. infl.* & Ammianus Marcellinus *lib. 30. cap. 5.* & quidem vtriuſque Illyrici tum Orientalis tum Occidentalis (quod vtrumque Valentiniano in Imperii diuiſione ceſſerat) vt docet *lex 7. inf. de metallis.* Item Italiæ, vt docet *d. l. 28.* & in ea quidem Sardiniæ; vt oſtendit *lex 6. inf de metallis.* Huius Probi multa mentio apud Ammianum Marcellinum, & Auſonium. Multæque aliæ conſtitutiones in *hoc Codice* inſcribuntur. vid. *Proſopogr.* IDEM.

(c) Veteranorum filios, vt docet *d. l. 78.* non vt Cuiacius *ad leg. cit. 4. Cod. Iuſt.* putabat, natos ex Cohortalibus. IDEM.

(d) Pro *nomini.* ID.

(e) *Vel Legionum* C. Iuſt. Græci ſane, *& legionum*, expreſſerunt. ID.

(f) *Exiſtiment* Cod. Iuſt. RITTER.

(g) *Inferendi* vox hic propria. GOTHOFRED.

(h) XVII. *Kal. Iun. Patruione d. l. 78.* ID.

COMMENTARIVS.

VETERANORVM filios, in Officialium numerum relatos ad militiam Armatam reuocari iubet Valentinianus *hac l.* contra quam in relatis in Curialium numerum ſtatuit, *l. 78. inf. de Decur.* quæ lex, huic, ceu eiuſdem conſtitutionis pars, coaſſanda venit: abſque qua foret, huius *legis* ſententiam nunquam teneremus: & vero eam nemo Interpretum hactenus tenuit. Nam Accurſiani vel intactam tranſmiſere, vel hoc ſenſu donauere, etiam Cuiacius, quaſi Officiales, Cohortales quidem nomine eſſent: at reuera & priuilegio Legionarii, & ſuſceptos in officio natos ex cohortalibus ſuſceptos accipiunt. Quæ omnia inania ſunt. Valentinianus enim cum Veteranorum filios ad militiam hoc tempore euocaret (proculdubio ad expeditionem aduerſus Quados & Marcomannos, de quo vide Ammianum Marcellinum *lib. 29. cap. 6.*) vt ſæpe euocati, quod docet *lex 15. 18. 19. 32. 35. 58. 83. 89. inf. de Decurionib. l. 1. 2. 4. 5. 7. 11. ſup. de fil. mil. apparitor. l. 5. 8. ſup. de re milit.* (inter quas tres eundem Valentinianum auctorem habent, puta *d. lex 5. 8. ſup. de re milit. & d. l. 58. inf. de decur.*) & locus Sulpitii Seueri *in vita S. Martini c. 2.* Quia multi Veteranorum filii ad diuerſa officia ſeſe contulerant, diſtinctum iuit officia, in quibus Veteranorum filii ad Cohortes ſeu Legiones, denique ad militiam retrahi poſſent, vel non: Nempe eos qui Curiæ addicti eſſent, vel ciuilibus muneribus, aliiſque neceſſitatibus obſecundarent, retrahi noluit, eo capite quod continetur *d. l. 78.* At retrahi voluit & ſic cohortibus & legionibus inſeri, qui in officio Rectorum prouinciarum vel Præfecti Prætorio ſuſcepti fuiſſent, *hac l.*

Quare iam patet, Primo, verba illa *ſuſceptos in officio proprio, vel probatos*, accipienda eſſe de Veteranorum filiis inter Officiales relatis. Secundo, verba illa *Cohortium nomine* (γρ. nomini) *legionumue priuilegiis inſerendos*, id ſignificare, eos cohortibus & Legionibus inſerendos, quarum maxima priuilegia ſint. Ergo Veteranorum filios ab officiis & cohortibus Rectorum prouinciarum ad Armatas & militares cohortes reuocari voluit Valentinianus: pariter vt alii Principes voluere. Conſtantius *l. 6. ſup. de fil. mil. apparitor.* Valens *l. 7. d. t.* Theodoſius M. *l. 83. inf. de Decurion: & l. 9. 10. ſup. de fil. mil. appar.* Honorius *l. vlt. d. t.* Imo ipſemet Valentinianus hoc ipſo anno, altera conſtitutione ad eundem Probum PP. ab officiis publicis ciuitatum pariter reuocari voluit, puta *l. 8. ſup. de fil. mil. apparit.*

XIII. (a) Imppp. Gratianus, VALENTINIANVS & Theodoſius* AAA. ad Seuerum PP. ō. (b)

PRimipilarium liberos, ſacramentis atque militiæ, quæ eorum maioribus (c) fuerat, elapſos (d) ad vltima quidem Apparitionis & eandem (e) neceſſitatem minime deuo-

 camus:

camus: auriis (f) tamen quas tempus (g) efflagitat iuuare Rempublicam statuimus expensis. Dat. III. Non. April. Med. Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda aotem illi proculdubio *lex 6. sup. de desertorib.* quæque etiam argumento *huic* conuenit. *GOTHOFR.*

p. 495 (b) *Seuerus* hic dicitur *hic*, & *d. l. 6.* PF. P. Atenim vocatur PF. V. *l. 4. inf. de calcis coctorib. l. vn. inf. de mendic. non inual. l. 2. inf. de lucris officior.* Imo & *l. 8. in f. de Legatis*, vbi tamen hæc subscriptio addita *PP. Karthag. IDEM.*

(c) Eorum maioribus. *ID.*

(d) Per dignitates honorarias. *IDEM.*

(e) Qua patres seu maiores. *ID.*

(f) *γρ. aurariis*: de quo mox. *ID.*

(g) Hoc. *ID.*

COMMENTARIVS.

De PRIMIPILARIVM (de quibus dixi *Paratitlo* & ad *l. 6. sup.*) liberis, est hæc Valentiniani Iun. *lex*: quæ quidem pars est prolixioris Valentinianeæ constiturionis, ex qua superest, vt mihi quidem videtur, & alterum caput: puta *lex 6. sup. de desertoribus*, quam ideo *huic* sociandam censeo.

Hæc vt intelligatur, tria prænoscenda sunt. Primo, liberos Primipilarium officiali necessitati regulariter exemplo parentum, obnoxios fuisse, quod præter hanc *leg.* docet quoque *lex 11. sup. de fil. mil. apparitor.*

Secundo prænoscendum, cum Militiæ desertæ supplementa comparanda essent, sæpe Imperatores aurum tironicum exegisse: de quo *sup. tit. de tironib.* & in sp. *d. l. 6. de desertor.* vel vt hæc loquitur, si tempus efflagitaret, iuuari Rempublicam expensis Aurariis, (ita enim *hic* repooeodum;) Auraria expensa *hic*, quo ipso sensu auraria præstatio, *l. vn. in f. qui a præbit. tiron.*

Tertio prænoscendum, variis rationib. hanc aurariam præstationem exactam, vel ab Honoratis, de quo *d. l. vn.* vel ab iis qui tirones desertores dederant, vt in sp. *d. l. 6.* (quæ *huic* coniungenda est) vel ab iis qui ad aliud vitæ genus sese contulerant quam oportebat. Hoc exemplo Primipilarium liberos conditiooi paterox elapsos aurariis Rempubl. expensis iuuare iubet *hac l.* Valentinianus Iun. Alias Veteranorum filii elapsi militiæ Armatæ Vicarios pro se tirones dare debebant, eius tamen præstationis gratiam facit Valentinianus Sen. in sp. *l. 78. inf. de Decurion.* Honorius in sp. *l. vlt. sup. de fil. milit. apparit.* Atque ita quidem hæc *lex* intelligenda est: & socianda cum *d. l. 6. sup. de desertorib.* quæ argumeoro quoque *huic* conuenit, nam & de desertoribus suæ conditionis vtraque *lege* agitur, & vtraque de auraria præstatiooe.

XIV. (a) Idem AAA. ad Proculum (b) Comitem Orientis.

QVi relicto Principatus (c) officio quod gerebat, ad Senatoriæ dignitatis nomen ambiit, propriæ redditus militiæ plumbatis (d) cohercendus est. Dat. Prid. Non. Iul. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino CONSS. [383.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Proculo* huic Comiti Orientis inscribitur anno super. 382. *lex 90. infr. de Decurion.* hoc ipso anno *lex 105. infr. de Decurion.* sed & dignitate omissa, *lex 21. inf. de oper. publ.* Eiusdem meminit Libanius *de vita sua, p. 66. 68. ed. Morell. & orat. ad Icarium*, non semel *p. 455. 456. 458.* qui Icarius Proculo in Comitiua successit. Quibus locis Administrationem eius tyrannicam suggillat, & quomodo cum dedecore Magistratu exierit. *ID.*

(c) De Principatu dixi plene ad *l. 10. sup.* IDEM.

(d) De *Plumbatarum* pœna dixi ad *l. 2. de quæstion.* & ad Libanium *p. 26. 27.* de ea in vniuersum *hoc Codice* sunt decem constitutiones; puta *hæc lex*, & *lex 2. infr. de quæstion. l. vn. sup. de his qui pot. nom. l. 80. 85. 127. infr. de Decurion. l. 3. & 7. infr. de exaction. lex 41. 53. inf. de hæreticis.* IDEM.

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. leges sequuntur quatuor: puta *lex 14. 16. 17. 18. inf.* Hac *lege* PRINCIPATVS officio (de quo dixi plene *ad l. 10. sup.*) relicto, Senatorem factum, reddi militiæ suæ, plumbatisque (de quibus plene alibi) coërceri iubet Theodosius M. Quæ quidem constitutio data ad Proculum Comitem Orientis (cuius etiam apud Libanium mentio non vna, de quo iam *in Notis* dixi) Pariter vt anno superiore 382. *l. 90. infr. de Decurion.* ad eundem Proculum Comitem Orientis data, & *l. 93. eod. tit.* Curiales, qui ad Senatoriam dignitatem adspirarent, præstare quas debebant reliquas functiones Curiæ, vel si cunctas obiissent pro se Curiæ substituere voluit, ei rei Proculo serio insistente. Quod quidem vtrumque, quod Proculus suasit Theodosio M. tum illud inquam, quod *d. l. 90.* tum quod *h. l.* potissimum continetur, sæui & tyrannici animi in Proculo isto argumentum est: sic vt Libanius merito eum eo nomine perstrinxerit *de vita sua & orat. ad Icarium*, eius in Comitiua Orien-

Orientis successorem. Annon enim sæuum id maxime, plumbatis coerceri eum qui Senator factus fuerat, cum satis esset propriæ militiæ ordinis sui desertores reddi? Verum hoc tempus est, quo plumbatarum vsus cum maxime ludieum acerbitate in vsum venit, quem & alias a Theodosio M. coërceri oportuit, de quo iam quoque dixi *ad Libanium p. 26. 27.* Illud interim discrimen, collata *hac l.* cum *d. l. 90.* obseruandum, Curialem a Senatoria dignitate ad curiam tantum retrahi, non etiam plumbatis coërceri, quia Curiales a plumbatis immunes fuere sub Theodosio M. nominatim, vt fidem facit *lex 80. 85.* & aliæ *inf. tit. de Decur.* vbi dicam pleoe: At officiales coerceri, a quibus ipsi, immunes non erant.

P.496 XV. (a) Idem AAA. ad Neotherium PP. O. (b)

SI Apparitor diffugerit criminosus, (c) Edictum quo reuocari possit, adiecta conditione, (d) legibus, (e) subsequatur: cui nisi fuerit satisfactum, merito in latitantem a Iudice pro qualitate peccati sententia proferetur: veniam enim talibus nos (f) promittimus non daturos, *Vt saltem huiusmodi oraculi sanctione perterriti, cum de indulgentia desperare* (g) *cœperint, aut scelera nulla committant, aut nouerint crimina nec fugæ latebris, nec indulgentiis relaxanda.* Dat. prid. Id. Iun. Med. Arcadio A. I. & Bautone CONSS. [385.]

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Neotherius* PP. vid. *Prosop.* ID.

(c) *Criminosus*, vide *Gloss.* ID.

(d) Qua? Impunitatisne seu indulgentiæ? Minime: verum *Comminationis, condemnationis*: quomodo forte hic rescribendum alterutra voce. ID.

(e) Id est secundum leges. ID.

(f) Hanc vltimam sententiam elegantiam omni detracta, ita contraxit Tribonianus: *Veniam enim talibus non permittimus, nec indulgentiis crimina subleuamus.* ID.

(g) De hac *desperandi* voce ad *l. 2. sup. de Veteranis not. qq.* Desperationis necessitas, *l. 11. de indulg. crim.* ID.

COMMENTARIVS.

IN REOS criminum Latitantes Apparitores seu Officiales Rectorum prouinciatum, est hæc Valentiniani Iun. constitutio: quæ vt tribus sententiis constat, ita tria notabilia continet. *Primum*, iubet eos Edicto proposito citari, & cuiusmodi Edictis reorum & fugitiuorum citatoriis varia exempla variæque leges occurrunt. *Secundo* si ad hoc Edictum non venerint, in latitantes sententiam a Iudice seu Rectore prouinciæ proferri iubet: quod addendum est aliis exemplis, quibus in absentem sententia dici potest: Taodemque quod *Tertio* notandum, omnem veniæ seu Indulgentiæ Principalis spem præcidit, elegantissima sententia addita, quam sustulit Tribonianus. Quod aliis exemplis addendum, quibus Principes protestati se veniam nulli daturos.

XVI. (a) Imppp. Valentinianus, THEODOSIVS & Arcadius AAA. Tatiano PP. O. (b)

ORdinariorum (c) Iudicum Apparitores, qui vel Speculatorum (d) vel Ordinariorum (e) adtigerint gradum, nullo annorum numero, nulla stipendiorum contemplatione laxentur, priusquam primipili (f) pastum digesta ratione compleuerint. Quod si ante debitum (g) locum, qui (h) huic functioni habeatur (i) obnoxius, vel ægri corporis labem, vel defessæ senectutis extrema ad inpetrandam quietem crediderit prætendenda, non prius otio condonetur, omne (k) quod primipilo debetur expenderit. Eos etiam qui pro sceleribus suis soluto (l) militiæ cingulo addicuntur infamiæ, ne integro peculio (m) sub hac occasione lætentur, ita condignæ vltioni volumus subiacere, vt functioni quoque, quæ extrema (n) militiæ debebatur, (o) nihil ex eorum facultatibus subtrahatur. Dat. III. Non Mai. Med. Timasio & Promoto CONSS. [389.]

NOTÆ.

(a) *Lex 7. Cod. Iust. hoc titulo.* Iungenda autem huic *lex 17. inf. de hæreticis.* GOTHOFRED.

(b) *Tatianus* PP. Orientis scilicet sub Theodosio. vid. *Prosop.* IDEM

(c) Rectorum prouinciarum, vide *Gloss. Theod.* ID.

(d) Specu-

(d) *Speculatores.* *IDEM.*

(e) *Ordinarii.* *IDEM.*

(f) De *primipili* pastu dixi *Paratitl.*; & ad *l. 6. sup.* *ID.*

(g) Eumque gestum. *ID.*

(h) Is qui, quicunque, non tantum speculator, vel ordinarius. *ID.*

(i) *Habetur*, Cod. Iust. *ID.*

(k) *Quam omne, quod*, ita *Cod. Iust.* recte. *IDEM.*

(l) Possit hoc sustineri: sed tamen melius *soluti*, vti *Cod. Iust.* *ID.*

(m) Id est patrimonio, facultatibus. *ID.*

(n) Primipili functio, extrema functio: de quo dixi *ad l. 11. sup.* *ID.*

(o) *Debetur*, Cod. Iust. male. *ID.*

COMMENTARIVS.

PRIMIPILI seu annonæ militaris procurationi seu functioni (de qua plene *ad l. 6. sup.*) ne quisquam Apparitorum seu ex officio sese sub-
P.497 ducat, antequam eam subierit, cauet *hac l.* Theodosius M. Imp. Ac nominatim ne triplici obtentu. Primum ne quicquam Apparitor obtentu gradus Speculatorum vel Ordinariorum primipili pastum euitet. *Speculator* in genere ὁ δορυφόρος in *Glossis:* Recte: Speculatores enim erant qui gladiis & lanceis olim circumstabant Magistratum, vel Principem, vt ex Suetonio liquet, *Augusto*, *c. 27.* & *74.* *Claudio*, *35.* *Galba c. 18.* Tacito 2. *Histor. cap. 11.* πρόσκοποι. Atenim Speculatorum duo genera, vel munia fuere: Quod *Glossæ* docent κατάσκοπος καὶ ὁ ἀποκεφαλίζων. Item speculator ἐπόπτης, κατάσκοπος, δήμιος. Hoc posteriore significatu accipitur quoque in Euangelio Marci *c. 6. v. 27.* (vbi etiam Chrysostomus & Theophylactus) & *l. 6. D. de bon. damnator.* item in passione Christophori *in Martyrologio*, & apud Senecam 3. *de benef 25.* Firmicum 8. *c. 26.* (Diaconum *lib. 21.*) Denique δήμιος ὃς πρὸ τὸ φονεύειν τέτακται Alio sensu Speculatores διοπτῆρες καὶ διαγγέλοι. Quomodo Plutarchus in Galba Tesserarium vocat Barbium Proculum, quem Tacitus *Tesserarium Speculatorem:* Liuius *lib. 31. c. 24.* Speculatores vocat, qui Græcis ἡμεροδρόμοι, *ingens die vno cursu emetientes spatium.* In militia tales fuere Speculatores, quos Dio *de Aduentu* scribens διόπτας καὶ ἐρευνητὰς vocat. Quorum multa mentio in *veterib. Inscriptionib.* (a) Igitur tandem Speculatores in officio Iudicum fuere, quos Iudex emittebat aliquid speculaturos, executuros & renunciaturos. Quibus similes fuere, qui in militia & alibi *frumentarii*. de quibus alio loco. Qui Principis respectu Agentes in rebus, Curiosi, Mittendarii.

Interim ex *hac l.* satis patet, Speculatores, de quibus *ea* agitur, non fuisse Carnifices: Gradus enim Speculatorum hic dicitur, qui sane carnificum nullus vt puto fuit: & quidem secundo talis, ad quem ex alio inferiore conscendebatur, seu promotio fiebat post annorum numerum & stipendiorum merita; tertio talis qui cum ordinariorum gradu hic iungitur, imo & ante ordinarios hic, ceu dignior nominatur; quarto talis, cuius obtentu immunitas a primipili functione prætendebatur: vt proinde grauis sit error eorum qui hos Speculatores cum illis hactenus miscent: Illi scilicet a spiculo, vt recte nonnulli censuerunt: Quomodo & specularii fabri, *l. vlt. D. de iure immunit.* dicuntur fabri spiculorum; Non vt censuit quidam nuper iocula-riter, fabricenses, qui nominationibus & actibus sociorum quandam spiculam gerebant: Hi vero a speculando. Et hæc de Speculatoribus.

Ordinariorum fit quoque mentio *l. 3. infr. de iis quæ administr.* quæ *lex* est Valentiniani & Valentis. *Princeps*, inquit, *Cornicularius*, *Commentariensis*, *Numerarius*, & *Ordinarii per singula officia possessionum atque adium nec non etiam mancipiorum comparationem sciant sibi esse præclusam.* Mentio quoque fit in *Notitia*, *Ordinariorum* inter Officiales Præsidis Arabiæ *fol 93.* *Officium Præsidis eiusdem Prouinciæ Principem de eodem officio*, *Cornicularium*, *Ordinarios*, *Commentariensem*, *Numerarios*, & *Adiutores eorum*, *Adiutorem*, *A libellis siue Regerendarium*. *Exceptores*, & *cæteros Officiales.*

Ex his duobus locis vt & ex *hac l.* apparet: *Primo*, Ordinarios in officiis Ordinariorum Iudicum fuisse ῥητῶς veluti Præsidum non in aliorum Magistratuum Spectabilium aut Illustrium officiis. *Secundo* fuisse, non inter vltimos: quandoquidem ad eum gradum ab aliis inferioribus promotio fiebat: quod docet *hac lex:* & diserte *d. l. 3.* quinto loco post Principem, Cornicularium, Commentariensem, & Numerarium ponuntur. At in *Notitia Imperii*, tertio loco post Principem, Cornicularium, ante Numerarios & Adiutores, &c. Nomen vero istud mutuatum, vt multa alia, e militia nam ibi *Ordinarii* dicti, teste Vegetio, *lib. 2. c. 7.* qui Ordines in prælio ducebant, quia erant primi. Ita enim ex MSS. legendum est. Sic & in *Glossis* ταξίαρχος *Ordinarius, manipularius.* Ergo Ordinarii qui Ordines ducebant, non tantum manipulos proprie decem hominum, verum longe plures. Hinc adeo Vegetius *lib. 2. c. 8* *Quinque ordinarios* decem militum centurias, id est mille milites rexisse scribit. Nempe Centurionem primipili 400. milites, Primum hastatum 200. Principem primæ cohortis 150. Secundum hastatum 150. Triarium priorem 100. Denique in prima acie positos & Principes ordinarios vocatos, testatur idem *lib. 2. c. 15.* Hinc & Ordinarii Legionis quorum mentio in *veterib. Lapid.* Alio sensu *Ordinarii* dicuntur ipsi milites manipulares. Hoc sensu Festus *voc. ordinarium: Sunt quidam etiam qui manipularem eum qui infimi ordinis sit, appellatum credant Ordinarium.* Et quidem Pedites. Hoc sensu Vopiscus *in Bonoso c. 14. Militauit primum inter ordinarios, deinde inter Equites: Duxit Ordines: Tribunatus egit; Dux limitis Rhætici fuit.* Hoc sensu Capitolinus *in Clodio Albino cap. 11.* *Atrox circa militem: nam sæpe Ordinarios & Centuriones* (nam ita hunc locum

---

(a) De *Speculatoribus* quæ hic posita vides, collegerunt ante nostrum multo studio Cl. Cuiacius *Obseruat.* VI. 33. Claud. Salmasius *Obseruat. in Spartian. Hadrian. cap. 11.* Cl. Meursius in Glossar. *voc.* σπεκουλάτωρ. Casaubonus *ad Sueton. Aug. cap. 27.* Torrentius *ad Caligulam cap. 52.* His adde Ezech. Spanhemium *de Vsu & præstant. numism. dissert. 10.* atque Claud. du Fresne *Glossar. vtroque.*

locum emendari fero) *vbi causa qualitas non postulabat in Crucem sustulit.* Nam quod eo loco vir doctus IC. Casaubonus *Ordinarios* nescio quos Centuriones facit, oppositos extraordinariis, minus probo: Nam omnino ibi *Ordinarii* sunt manipulares, seu gregarii milites in Legione, qui stipendia scilicet in ordine merebant, non quo sensu *Ordinarii*, ordinum ductores de quibus *sup.* Quod voluit alter vir doctus Claud. Salmasius *ad Vopisci Bonos. cap. 14.* quomodo & Cato *orat. in Thermum, de suis virtutibus ex Festo, inter fragm. hist. pag. 24. ed. Cortii. Quid mihi fieret si non ego stipendia in Ordine omnia Ordinarius meruissem semper?* Hoc sensu dixit Frontinus 4. *Stratag. 1.* in Ordine merere: Quod idem paulo post vocat militem in Legione.

Vt ad priores, de quibus *h. l.* Ordinarios redeamus, sane ex *Vegetii* loco clarissimum est, Ordinarios non infra Centuriones fuisse; nam imo Ordinarius aliquando 400. aliquando 250. aliquando 200. duxit, cum Centurio tantum centum duxerit.

Nunc de Ordinariis, qui inter Apparitores Iudicum seu Rectorum prouinciarum fuere: Nempe Ordinarii in officio Iudicum procul dubio fuere, qui Principes, seu ταξιάρχοι erant partis alicuius, seu manipuli cohortis Rectoris prouinciæ sub Principe totius officii: Ad quem, vt & ad Speculatorum gradum ordine perueniebatur, & promotio fiebat. Igitur de his quæsitum fuit, vtrum a pastu primipili excusarentur? Quod dicendum videbatur, propter laboriosam videl. vtrorumque militiam: sic vt alio iure habendi viderentur quam ceteri qui gradum aliquem obtinebant inter Officiales Iudicum: Verum *h. l.* immunitas hæc illis denegatur, definiturque adeo, non alio eos iure habendos, quam ceteros gradum aliquem obtinentes inter Officiales Iudicum, pariter vt in specie *d. l. 3. infr. de iis qui administr.* Et hæc de Prima *huius legis* sententia.

Secundo Theodosius vetat quemquam Apparitorum Iudicum primipili functioni obnoxium, ob causariam missionem ea functione liberari, id est, non ante ob morbum corporis vel defessam senectutem otio donari, nisi prius omne quod primipili debetur, expenderit, seu soluerit, & sic Primipili functionis indemnitati consultum fuerit.

Tertio, etiam eorum qui propter scelera sua militia officiali Iudicum soluuntur, & infames fiunt, facultatibus functioni, quæ alioquin eorum militiæ P. 498 extrema debebatur, consuli vult Theodosius: Ergo neque missione causaria, neque inhonesta seu ignominiosa cuiusquam facultates a Primipili functione immunes esse patitur: Et vt maxime militiæ cingulo amplius non vtuntur, attamen facultates & peculia eorum huic functioni respondere iubet: Quæ nisi cingulo soluti essent, extrema eorum militiæ debebatur, vt *h. l.* diserte dicitur. Extrema scilicet hæc functio, & clausula fuit officialis militiæ, factio primipilatus: vt præter hanc *leg.* docet quoque *lex 10. 11. sup. lex 61. infr. de hæreticis.*

Porro quod *h. l.* de iis qui pro sceleribus suis soluti militiæ cingulo infamiæ addicuntur, dicitur: & ab interpretibus omittitur, id non inani argumento, argumento inquam *l. 17. infr. de hæreticis*, quæ ceu eiusdem constitutionis pars *huic legi* coniungenda est, de Eunomianis accipiam: Nempe, Eunomiani, peculiari in eos Principum odio omni militia olim ita submoti fuere, vt etiam militia, si quam haberent, soluerentur, & quidem etiam cohortali: Verum ne hoc obtentu & sub hac occasione, puniendorum inquam ita Eunomianorum ipsi lætarentur, quod hac ratione grauem sibi olim futuram primipili functionem euitarent, voluit Theodosius ita eos solui militia, vt tamen ex eorum bonis (quæ *peculii* appellatione designat tanquam extra Rempublicam constitutorum, haud aliter ac seruorum) Primipili functioni nihil detrahatur. Ita quidem Theodosius M. *hac l.*

Atenim postea in Occidente, & in Oriente aliter constitutum: in Occidente quippe hæretici nefariæ superstitionis ita a Romana propemodum conuersatione submoti fuere, vt a Cohortalis militiæ necessitate liberarentur vt docet *lex 48. inf. de hæreticis.* Quod Theodosio Iun. in Oriente displicuit. Is enim vacationem iis a Cohortalina militia dari vetuit, *d. l. 48.* pari ratione cum ea quæ redditur *lege* nostra: ne sub colore damnatæ religionis eliciant vacationis sibi cupitæ suffragia. Sed & *l. 61. inf. de hæreticis*; Cohortalinæ apparitioni eos obligari voluit, in qua emensis militum stipendiis veterani Primipili munus sustinere cogantur. Ergo triplex hac parte ius fuit; modo enim Eunomiani soluti Cohortali militia, vt etiam primipilorum ratio non haberetur, *d. l. 48.* Modo ita soluti, vt eius ratio haberetur: vt *hac l.* Modo non soluti, vt ita suo tempore Primipilum sustinerent *d. l. 61.*

XVII. (a) Idem AAA. Cynegio PP. ō. (b) per Orientem.

CVm ante placuisset, † vt a Primipilaribus, (c) secundum dispositionem † Diui Gratiani, species (d) horreis (e) erogandæ Comitatensibus (f) militibus, ex more deferrentur, (g) Limitaneis vero pretia darentur, nunc placuit, vt aurum ad Officium Inlustris per Illyricum (h) Præfecturæ, cum (i) certa taxatione, (k) id est, pro octoginta libris laridæ carnis, pro octogenis etiam libris olei, & pro duodenis modiis salis, singuli solidi perserantur. Dat. V. Kalendas Iul. Timasio & Promoto conss. [389.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Est autem ab hoc *titulo* fugitiua, meliusque posita fuisset sub *tit. de erogat. milit. ann.* *GOTHOFREDVS.*

(b) De hoc *Cynegio PP. per Orientem*: vid. *Prosopogr.* Porro vel alii quam Cynegio hanc *leg.* inscriptam fuisse oportet, vel coss. emendandi in subscriptione: iam enim Cynegius A. 388. superiore obierat. Et forte referenda ad A. D. 386. *IDEM.*

† Qua constitutione? Non extat. Certe ipsi Theodosio M. id placuisse indicari puto. *ID.*

(c) De Primipilaribus, vide *Paratitlon.* *IDEM.*

† *Gratiani* constitutio hæc notanda, quæ alibi non occurrit. *IDEM.*

(d) *Species*, id est annonariæ, veluti larida caro, oleum, sal, vt *fine legis.* *IDEM.*

(c) An *ex horreis* efferentur? an *in horrea*? Nil tale: In horrea delatæ adſeruatæque ibi ſpecies annonariæ. *Deferri*, pro *inferri*. *IDEM.*

(f) De *Comitatenſibus* militibus dixi ſemel plene, ad *leg. vlt. ſup. de re milit.* & *l.* 10. *ſup. de Numerariis*, *hoc libro*. *IDEM.*

(g) Sic *ſine legis*, *perferantur*. *IDEM.*

(h) De Præfectura Illyrici dixi ad *l.* 2. *ſup. de conſtit. Princip.* & *ad l.* 7. *de metallis.* *ID.*

(i) Id eſt, *ſub.* *IDEM.*

(k) Id eſt, æſtimatione & proportione. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE ANNONÆ MILITARIS translatione, eſt hæc Theodoſii M. conſtitutio. Quare & melius ea poſita fuiſſet, pariter vt *lex* 19. *infr.* ſub *tit. de erogat. mil. ann.* Ideo tamen hunc in titulum coniecta eſt, quod ea *Primipilarium* mentio fiat, qui vtique primipili paſtum, id eſt annonam militarem curabant. Ergo cum & Gratiano antea, mox & Theodoſio placuiſſet, vt *ex Orientis prouinciis*, in Illyricum ſpecies ipſæ annonariæ (puta larida caro, oleum, ſal,) ex horreis deferrentur perferrentur, præbendæ militibus Comitatenſibus, qui ex comitatu in prouincias miſſi, quique maioris quam alii dignitatis erant, de quo plene *ad l. vlt. ſup. de re militari:* Limitaneis vero militibus, qui in limite prætendebant, ſeu limitem Imperii cuſtodiebant (de quibus dixi ad *l.* 1. *de terris limit.*) pretia darentur, ſeu annonæ adærarentur: Nunc Theodoſius M. pretia ſeu aurum indiſtincte dari, perferri iubet ad officium Præfecti Prætorio Illyrici. Quod Ius ſane, alioquin varie habitum: Modo enim pars annonæ ſoluta in ſpeciebus, pars in pretio, vt Ripatenſibus, *l.* 14. *ſup. de erogat. milit. ann.* Modo militibus ſpecies tantum datæ, ſic vt pretia loco ſpecierum milites exigere prohiberentur, quod ſane & poſtea placuit eidem Theodoſio M. *l.* 18. 20. *ſup. d. t. de erog. milit. ann.* & Arcadio, *l.* 21. *eod. tit.* Et vero Theodoſio *hac* quoque *lege* id placet. Ac nominatim (vt de hiſtoria *huius l.* videamus) circa annonas, quæ ex Oriente in Illyricum deferebantur, perferebantur, hac tempeſtate. Quod vtique velut ſingulare notandum, annonas videl. ſeu aurum in ſtipendia & annonas militum hac tempeſtate ex Oriente in Illyricum perferri ſolitas, ſeu adiutum Illyricum, annona Orientis: Quod certe docet
P. 499 Inſcriptio huius *legis* collata cum ipſo *textu*, vbi agitur diſerte de Præfectura per Illyricum, deque auro ad eius officium perferendo loco annonarum: Nempe magno molimine, magnoque ſumptu hac tempeſtate Illyricum defendi oportuit, aduerſus impetum Barbararum gentium: Et forte *Gruthingorum*, ſi modo hæc *lex* referenda eſt ad A. D. 389. Quo ſane anno victi ii memorantur, Thraciaque ab his vindicata: poſt quos deuictos Theodoſius & Arcadius Conſtantinopolim ingreſſi 4. Id. Octobr. apud Idacium *Faſtis Coſſ.* & Marcellinum, *Chronico*; Zoſimum *lib.* 4. Vel certe, conficiendis reliquiis Barbarorum, qui in Macedonum Theſſalorumque fortunas graſſati fuerant, abſente Theodoſio in Occidente aduerſus Maximum: de quo vide Zoſimum, *lib.* 4. *cap.* 48. & dixi ad *l.* 2. *inf. ad leg. Corn. de ſicariis.* Ergo cum antea partim annonariæ ſpecies, partim vero aurum eo perferretur ex Oriente, aurum tantum perferri nunc indiſtincte iubet Theodoſius M. Vt cenſeo, quia annonarum copia in ipſo Illyrico eſſet, vbi auro facile eæ comparari poterant, quæ maiore ſumptu & forte etiam corruptæ, ex Orientis prouinciis in Illyricum antea perferebantur.

De ſpeciebus interim ipſis Annonariis, earumque adæratione, duo *hac l.* notanda. *Primo* notandæ tres ſpecies militaris annonæ, 1. Larida caro, id eſt, porcinæ aridæ: de quo etiam actum *l.* 2. 6. *ſup. de erogat. milit. annona*, 2. *Oleum*, quod ab hoſpitibus quoque quandoque milites extorquere vetiti, *l.* 1. 2. 3. 4. *ſup. de Salgamo:* & apud Spartianum *in Peſcennio Nigro cap.* 3. & apud Vopiſcum *Vit. Aurelian. cap.* 8. 3. Denique *Sal*, quod & ipſum milites a prouincialibus exigere vetiti: teſtis Aurelianus Tribunus ad Vicarium ſuum apud Vopiſcum *l. c. Manus militum contine*, *oleum*, *ſal*, *lignum nemo exigat.* &c.

Secundo notanda adæratio harum ſpecierum & proportio: Nempe vnum ſolidum ſeu aureum, pro 80. libris laridæ carnis, & olei, vt & pro duodecim modiis ſalis perferri iubet. Vnde apparet, libram olei & laridæ carnis eodem pretio adæratam: & ita quidem vt 80. libræ, ſolido ſeu aureo æſtimarentur.

XVIII. (a) Imppp. THEODOSIVS, Arcadius & Honorius AAA. Rufino PP. ō. (b)

EX his, qui de numero Comitianorum, (c) vel ex Apparitione Culminis (d) Veſtri, Conſulari (e) officio deputati ſunt, nullus ambiendi & transfugiendi in alterius militiæ ordinem habeat facultatem. Dat. III. Kalend. Iun. (f) Heracliæ, (g) Arcadio A. III. & Honorio II. AA. CONSS. [394.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* Iungendæque ei videntur *lex* 139. *inf. de Decurionib. lex* 12. *infr. de ſcænicis.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Rufinus PP. Orientis ſcilicet ſub Theodoſio M. vid. *Proſopogr.* *ID.*

(c) *Comitiani*, id eſt apparitores ſeu cohortales Comitis, vt exiſtimo, Orientis. *ID.*

(d) Id eſt Præfecti Prætorio. *IDEM.*

(e) Forte Paleſtinæ, vel Phœnices, vel Syriæ Cœle, Cypri. *ID.*

(f) Iul. *d. l.* 12. *IDEM.*

(g) Ita quoque *d. l.* 12. At *d. l.* 139. Conſtantinop. *IDEM.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

AD aliam MILITIAM ambire seu transfugere Consularium officiales vetat Theodosius M. *hac l.* quæ pars est prolixioris Theodosianæ constitutionis: qua conditionis suæ transfugas ad debita munia reuocatum iuit, veluti Curiales *l. 139. inf. de Decurion.* quæ *huic* coassanda videtur: Cohortales *h. l.* Quod ipsum & Theodosii Iunioris *Notitia* ostendit *fol. 107. Officium*, inquit (Consularis Palæstinæ) *habet ita*, &c. *Exceptores & cæteros Cortalinos, quibus non licet ad aliam transire militiam sine annotatione Clementiæ Principalis. Cæteri omnes Consulares ad similitudinem Consularis Palæstinæ officium habent.* Idemque & de Cohortalinis Præsidum mox dicitur: vt & in *Notitia Imp. Occidentis*, de Consularium, Correctorum, Præsidum per Occidentem Cohortalinis. Sed & id ipsum compluribus aliis *legibus hoc tit.* prohibetur, quæ repetendæ ex *Paratitlo*.

Illud porro *h. l.* docemur, Consularium, de quibus *hac l.* agitur, Cohortalinos vel de numero Comitianorum, vel ex Apparitoribus Præfecti Prætorio Orientis sumptos: *Comitianorum*, id est, Comitis Orientis, sub cuius dispositione fuerunt inter alias prouincias Palæstina, Phœnice, Syria Cœle, Cyprus, quæ Consularibus paruere. Sane & *Notitia Imperii* docet Cohortalinos quosdam Rectorum prouinciarum sumptos ex officio Præfectorum Prætorio, ac nominatim Principem officii Consularis Campaniæ de officio Præfecti Prætorio Italiæ Vid. *fol. 182.* Sic & Officiales quondam Ducum ex officio Magistrorum militum sumptos eadem ostendit.

XIX. (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Euthymio (b) Vicario Asiæ.

IN (c) speciebus primipilaribus adærandis (d) eadem pretiorum taxatio seruetur, quæ in venalibus publicis poterit repperiri: is (e) enim qui excedere præcepta nostra temptauerit, seuera Iudicis sententia cohercebitur. Dat. v. Kalend. Mart. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

P 500 NOTAE.

(a) *Lex 8. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) Eidem *Euthymio* Vicario Asiæ inscribitur hoc ipso anno *lex 4.* seu *vlt. infr. de protostasia*: qua ipsa agitur de Primipilaribus. *IDEM.*

(c) Abest hæc vox a *Cod. Iust.* *ID.*

(d) *Adærandis*, id est æstimandis, taxandis: de hac *adærandi* voce dixi iam alibi: vide *Gloss.* *ID.*

(e) Cætera absunt a *Cod. Iust.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE ANNONAE militaris adæratione seu taxatione & æstimatione, est hæc Arcadii constitutio, quæ pariter vt *lex 17. sup.* melius posita fuisset sub *tit. de erogat. mil. ann.* verum ideo in hunc *titulum* ea ab huius *Codicis* Conditoribus (quos etiam secutus est Tribonianus) coniecta est, quod *specierum primipilarium* in *ea* mentio fiat. *Species primipilares* sunt species militares, seu annona militaris; ideo sic dictæ, quod eius curam gererent, seu eam accurarent Primipilares: de quo affatim *in Paratitlo*. Species autem Primipilares, sic dictæ, vt species largitionales, *l. 13. inf. de cursu publico.* Ergo, quia species seu annonæ militares non ipsæ iam præberentur, verum earum pretia, de quo ad *l. 17. sup.* modum pretiis, ne immodica exigerentur, seu adærationi earum ponendum credidit *h. l.* Arcadius Imp. Nempe vt eodem pretio æstimarentur; quo species a foro rerum venalium venduntur. Quæ & cæteroquin specierum annonariarum taxandarum ratio fuit: vt docent præterea *l. 10. 28. 32. vlt. sup. de erog. mil. ann. l. vlt. de annona & tribut. l. 2. Tributa in ipsis specieb. l. 2. de publ. compar.* de quo ad eas *leges* dixi.

XX. (a) Idem AA. & Theodosius A. Anthemio PF. P. (b)

QVICVNQVE ad (c) Chartas vel Tabulas, vel quodcunque aliud ministerium, Cohortalis, optauerit, (d) non ante accedere permittatur, nisi eius nomen matriculis receptum primitus fuerit: pœna proposita his, (e) qui contra statuta cœlestia (f) crediderint suscipiendos aliquos, aut quodlibet eis Officium iniungendum. Et (g) adtinendis his nihilominus in Officio, (h) qui, etiam post hæc præcepta, meditatione quadam futuræ fraudis olim fortassis ita eorum Ordinum (i) actibus interfuerunt, vt, obtentu non dati militiæ (k) nominis, liberum sibi, cum id (l) expedissent, præcogitarent abscessum. De his sane qui huiusmodi (m) artibus antehac sibi euitanda Officia, Rescriptorum impetratione crediderint, id statuimus, Vt Rescripta quæ ad Tuæ Sublimitatis iudicium emittuntur, nullis præterea ad alios Iudices elicitis, eos vti patiamur, vel si obreptio aliqua fuerit impetrata, a nullo alio Iudice suscipiantur.

Dat. XVI. Kal. April. Constantinop. DD. NN. Honorio VII. & Theodosio iterum AA. CONSS. [407.]

NOTAE.

(a) *Lex 10. Cod. Iust. eod. tit.* Scatet autem hæc *lex* passim συγχύσει & ἐλλειμμῷ. *GOTHOFR.*

(b) *Anthemius* PP. Orientis sub Arcadio. vid. *Prosopogr. ID.*

(c) Abest *ad* a Cod. Iust. *RITTER.*

(d) An *optare ad ministerium* hic, pro ambire ad ministerium? Nihil tale: σύγχυσις tantum hic est (vt *tota leg.*) *optauerit, accedere non ante permittatur. GOTHOFR.*

(e) Iudicibus eorumque Officialibus. *ID.*

(f) Id est Imperialia. *ID.*

(g) Sequentia omnia recidit Τριβων. *ID.*

(h) Inter Officiales. *IDEM.*

(i) *Ordines*, id est gradus inter Officiales. *ID.*

(k) Officiali & matriculis. *ID.*

(l) ἐλλειμμὸς: *cum id expedissent*, neutro in relatiuo ad superiora illa eorum Ordinum actibus. Nisi malit quis hic legere, *cum id expetissent*, quod non puto. *ID.*

(m) Malim *cuiusmodi*, id est, quibuscumque. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE NON COHORTALINIS, & cohortali tamen ministerio aliquo fungentibus, est hæc Arcadii constitutio. Nempe ad cohortalinam militiam nonnulli ambiebant, & in his Curiales quidam, vt docet *lex 17. inf. de diuers. offic.* seu *l. 5. Cod. Iust. de Numerariis*, qui tamen in matricula cohortalium non erant, qui militiam non sustinebant, neque vllas a fisco annonas consequebantur, *d. l. 17.* qui proinde degustato seu gesto pro arbitrio suo, officio aliquo mox ex cohortali militia recedebant: Qua ratione tum veris Cohortalinis potiorum ordinum promotiones, quos per ordinem & gradus deferri æquum erat, præripiebantur: tum etiam vtilitates publicæ destituebantur, cum ministeria cohortalina ab his gererentur a quibus gesti officii & publicarum rationum laceratarum ratio non tam facile repeti poterat, vtpote qui Conditionales non essent, vt Cohortalini, qui ideo quæstioni & tormentis subiici poterant: de quo *l. 4. 6. 7. 9. 11. in fin. sup. de Numerariis:* veluti Tabularii (qui *hac l.* indicantur) qui & Numerarii, vel & iam Chartularii: de quibus *ad l. 5. inf. de diuers. officiis.* Item Exceptores, *d. l. 17. in f. de diuers. off.* Ergo prohibet *hac l.* Arcadius quemquam deinceps non cohortalinum ad ministerium cohortalioum admitti, nisi militiæ cohortali nomen dederit, seu matricula eius nomen receptum fuerit: vt officiorum quædam Matricula fuit. Meminit Cassiodorus *XI. Var. 17.* vbi de promotionibus officii Prætoriani, quæ Natali Domini fiebant: *Vnusquisque iuxta Matriculæ seriem, sua designatione vulgetur, vt quem loci ordo postulat, gradus promotionis accedat. Egrediatur vnus, vt anteponat vniuersos. Totam sequentium seriem ad prouectum trahit, dum prior militiam perfunctus exierit.* Et *ep. 22.* vbi de Scriniario Actorum: *Catellum, quem matriculæ series fecit accedere, nostra auctoritas quoque Actorum Scriniorum curam præcepit obtinere.* Imo & eos qui *huius l.* tempore cohortale munus gererent in cohortali militia adtineri iubet. Tandem & officiali militia quamlibet Rescripto Principis ad Iudices ordinarios emisso liberatos, reuocari ad officialem militiam iubet: Exceptis tantum Rescripto ad Præfectum Prætorio emisso, liberatis: Quæ differentia, & Præfectorum Prætorio super alios Iudices prærogatiua notanda est, aliisque eorum προνομίαις accensenda: Cuius Priuilegii ratio exinde repetenda, quod maioris auctoritatis rescripta illa merito videantur, quæ ad maiores Iudices emittuntur perpenso consilio, quam quæ ad Ordinarios & minores, per obreptionem vt plurimum: cui proximum est quod statuitur *l. 26. inf.*

XXI. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Anthemio PF. P. (b)

POLYCHRONIO, (c) qui ex Primipilaribus (d) in Memoralium (e) Scrinia inrepsit, condicioni propriæ restituto, generali lege decernimus, Omnes, qui ex huiusmodi (f) condicione Palatinis semet indecenter inseruerunt obsequiis, omissis adsignari natalibus, adque omnes quorum interest huius rei sollicitudo, obseruare, ne quis desertis adsuetis Officiis ad Palatina vnquam sacramenta adspiret. Dat. Prid. Non. April. Constantinop. Varane V.C. CONSS. [410.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin. GOTHOFREDVS.*

(b) *Anthemius* PP. sub Theodosio Iun. & quidem Orientis. vid. *Prosopogr. ID.*

(c) *Polychronii* nomen frequens & vsitatum hoc æuo. *IDEM.*

(d) De *Primipilaribus* vide Paratitlon & dicta ad *l. 6. sup. ID.*

(e) γρ. *Memorialium*: de quibus mox. *ID.*

(f) Officialium. *IDEM.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

AD Militiam Palatinam, Officiales ac nominatim Primipilares adspirare vetat *hac l.* Theodosius Iun. adspirantesque exinde retrahi & conditioni propriæ restitui iubet, initio facto a Polychronio quodam. Quod & ipsum constituit Constantius *l. 4. sup.* Theodosius M. *l. 18. sup.* Honorius, *l. 22. 23. 24. 25. inf. h. t.* & idem Theodosius Iun. *l. 28. 29. vlt. inf. h. t.* Cæterum, vt ad aliam in commune militiam Officiales adspirare vetiti, ita *h. l.* & *d. l. 23.* nominatim ad militiam Palatinam *Memoralium*, seu ad scrinium Memorialium: de quo memoriæ scrinio & Memorialibus dixi suo *tit. sup. de proximis Comitib. dispos. cæterisque qui in sacris scriniis militant:* & *tit. de magistris scriniorum.* Quibus locis ostensum, inter quatuor scrinia, quæ sub dispositione Magistri officiorum erant, fuisse vnum, & primum quidem, scrinium Memoriæ, cui & Magister peculiaris præerat. Quorum Memorialium meminit quoque *lex 2. sup. de priuil. eorum qui in sacr. pal.* Ad eosdemque pertinet *lex 1. & 3. eod. tit.* Notitia denique *Imperii fol. 62.* ostendit: quid Magistri memoriæ muneris fuerit: nempe *Annotationes* [Principis] *omnes dictare & emittere & precibus respondere.* Quo loco per, *emittere*, vir doctus Paneirollus euectionis emissionem, id est, diplomatum confectionem pro conficiendo curso publico accipiebat: Sane *Emitti* proprie euectio dicebatur, vt docet *lex 33. infr. de cursu publico:* & *Notitia Imperii*, in Præfectis Prætorio. Imo & *emittere* absolute, pro euectionem emittere: vt in illo *Notitia Imperii* loco, *Magister officiorum ipse emittit fol. 42.* Et sane Magistro officiorum muneris fuisse euectiones emittere, ostendunt inserta Triboniani (non a Theodosio statuta) in *lege 9. Cod. Iust. de curs. publ.* (quæ deformata est ex *l. 40. inf. de curs. publ.*) illa: *nec non viro illustri magistro officiorum sit reseruandum*, & Cassiodorus *in formula Magisteria dignitatis Var. VI. 6.* Forte etiam *emittere* ibi fuerit annotationes Principis in prouincias emittere: Nempe Magistri memoriæ muneris erat annotationes Principes & dictare & emittere. Ergo officiales ad militiam aliam adspirare vetiti, ac nominatim *h. l.* & *d. l. 22. inf.* Primipilares, de quibus plene, *in Paratitlo* & *ad l. 6. sup.* & quidem in specie *huius legis* Polychronius primipilaris.

XXII. (a) Idem AA. Seleuco PF. P. (b)

QVicunque post militiam Prouincialis Officii, vel certe adhuc militans, ad maius priuilegium militiæ, (c) ditatus spoliis prouincialium, properauit, absolutus sacramento eius militiæ originario solo atque status suis (d) reddatur obsequiis. Neque hisdem in futurum nulla (e) adtemptandi maioris splendoris officii, atque sacramenti potestas sit. Dat. Prid. Kal. Mart. Rau. DD. NN. Honorio IX. & Theodosio V. AA. conss. [412.]

P. 502

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendæque ei sunt duæ *leges prox.* 23. 24. aliæque de quibus ad *eas leges.* GOTHOFREDVS.

(b) *Seleucus* sub Honorio PP. Italiæ scilicet (sub quo & Africa) vt docet hoc ipso anno *lex 51. inf. de hæreticis: lex 31. infr. de ann. & trib.* IDEM.

(c) Veluti ad palatinam Comitis S. L. militiam, vt ostendont duæ *leges* proximæ. *ID.*

(d) γρ. *Sui.* *ID.*

(e) Duplex hoc abnutiuum ferri potest, vt alibi non semel. vid. *Gloss.* IDEM.

XXIII. (a) Idem AA. Euchario Proc. Africæ.

QVia plurimi consuetam Proconsularem (b) cæterorumque (c) Iudicum fugientes militiam (d) diuersis Palatinis, (e) seu inlustrium (f) potestatum, officiis se sociasse dicuntur, decernimus, omnes absolutos cingulo militiæ ad propriam functionem reduci. In futurum sane præcipimus, vt si quis comprehensus ad militiam Palatinam adspirare aliquibus iudiciis adprobetur, in æternum Mancipatui (g) vel Susceptioni (h) societur: non ante ex eius officii conuersatione remouendus, quam vitæ finis huiusmodi sententia eundem potuerit liberare. Dat. Prid. Kal. Mart. Rau. Honorio IX. & Theodosio V. AA. conss. [412.]

NOTAE.

(a) Abest *lex* a *Cod. Iust.* Iungendæque ei, *lex 9 sup. de Curiosis: lex 19. 20. 21. inf. de exactionib. lex 32. inf. de annona & tribut. l. 31. inf. de susceptorib.* quæ omnes eidem Euchario inscribuntur, eodemque die datæ sunt. Imo & coniungendæ *lex 22. sup.* & *lex 24. inf. h. t.* quæ & in eodem argmento versantur, & eodem die datæ sunt, etsi ad alios Magistratus. GOTHOFR.

(b) Africæ. *ID.*

(c) Ordi-

(c) Ordinariorum vt *l. prox. 24. ID.*

(d) Officialem. *ID.*

(e) Vide *l. 21. sup.* ac nominatim Palatinis S. L. vt docebit proxima Nota. *ID.*

(f) Veluti Comitum S. L. vt docet *d. lex 24. prox.* huic coniungenda. *ID.*

(g) Mancipatum cursus publici intelligit, quo pertinet *d. l. 9. sup. de curiosis*, quæ *huic* coniungenda est. *ID.*

(h) De qua agitur etiam *d. l. 31. inf. de susceptorib.* quæ inter alias huic *legi* iungenda est. *ID.*

XXIV. (a) Idem AA. Probo (b) Com. S. L.

QVISQVIS in officio Palatino, (c) Apparitor, vel exutus eodem munere, ex Proconsulari (d) officio, vel Ordinarii Iudicis poteurit repperiri, sublatis militiæ priuilegiis, functioni propriæ regionique (e) reddatur. Dat. Prid. Kal. Mart. Rau. DD. NN, Honorio IX. & Theodosio V. AA. CONSS. [412.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Quæ quibus coniungenda sit, iam ad *superiorem* dictum. *GOTHOFR.*

(b) *Probus* Comes S. L. sub Honorio: vid. *Prosopogr. ID.*

(c) Comitis S. L. *ID.*

(d) Africæ: vt docet quoque *lex superior*, huic inter alias coniungenda. *ID.*

(e) *Regio*, pro prouincia. *ID.*

COMMENTARIVS.

AD MILITIAM Palatinam (de quo etiam ad *l. 21. sup.*) ac nominatim Comitis S. L. (vt Magistri officiorum *d. l. 21. sup.*) Officiales Rectorum prouinciarum, ac speciatim Proconsulis Africæ, siue adhuc militantes, siue post militiam officialem, adspirare vetantur ab Honorio his tribus *legibus*, quæ inter se coniungendæ sunt, quamlibet ad diuersos Magistratus datæ. Verum in eandem senteotiam: Nempe ideo Præfecto Prætorio inscribitur *lex 22.* quia vt cæteroquin ad eum summa rerum spectabat, ita *huius leg.* executio ei præcipua incumbebat. Ideo Proconsuli Africæ *lex 23.* quia de eius Officialibus ῥητῶς agebatur: Ideo Comiti S. L. *lex 24.* quia Officiales eo se contulerant. Ergo huic malo mederi Honorius instituit ad Eucharii Proconsulis Africæ proculdubio querelam: pariter vt aliis malis per eandem Africam circa rem tributariam & cursum publicum, *l. 9. sup. de Curiosis: l. 31. infr. de susceptorib. l. 19. 21. inf. de exactionib. l. 31. inf. de annonis & tributis:* quæ omnes *leges* eidem Euchario Proconsuli Africæ, eadem die inscriptæ his tribus pariter coniungendæ veniunt.

Ergo ad militiam Palatinam Officiales adspirare vetat Honorius, rationem eius interdicti indicans *l. 22.* nempe quod hi ditati spoliis prouincialium, ad maius priuilegium militiæ ideo properarent, vt ita militiæ illius tutela tuti essent. Quare & in præsens, & in futurum huic rei ita prospicit: in præsens scilicet: reuocari iussis eis ad Officialem militiam: in posterum vero, si qui se ad Palatinam militiam sociassent, in æternum sociari iubet Mancipatui cursus publici scilicet; seu Mancipum functioni (de qua agitur quoque *d. l. 9. sup. de Curiosis:* quæ his inter alias coniungenda est; & de qua prolixe agitur *l. 15. inf. de cursu publico*) vel susceptioni tributorum: de qua agitur & *d. l. 31. infr.* p. 505 *de susceptorib.* quæ & ipsa his *legibus* socianda venit. Hinc interim obseruetur, quoddam poenæ genus fuisse, Mancipem cursus publici, & susceptorem tributorum, & quidem in æternum fieri.

XXV. (a) Idem AA. Liberio PP. (b)

QVICVNQVE ex diuersis Officiis omnium Moderatorum Officiales contra vetitum altioris (c) militiæ gradum indebite obtinuisse noscuntur, in propria reuocentur Officia. Vniuersos igitur Apparitores, (d) quos extra conscientiam tuam vel stipendiorum meritum, claruerit ad militiam (e) conuolasse, præcipimus reuocari; Similique præceptione diuersorum Iudicum Officiales antiquæ militiæ restitui; & cetera. Dat. VI. Kal. Dec. Rau. Honorio IX. & Theodosio V. AA. CONSS. [412.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Eique iungenda est *lex 170. inf. de Decurionib.* & *lex 1. inf. de Collegiatis. GOTHOFRED.*

(b) Italiæ. *ID.*

(c) Forte *alterius*? Sane sic & *sup. l. 22. ad maius priuilegium militia. ID.*

(d) Tuos Præfecti Prætorio. *ID.*

(e) Altiorem, seu alteram. *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

E Militia quacunque (pariter vt superioribus tribus *legibus* hoc eodem anno) Honorius Officiales omnium Iudicum, tum Præfecti Prætorio, tum aliorum, ad officium suum retrahi iubet *hac l.* pariter vt Curiales, qui muneribus patriæ non expletis Curiam declinarant, alia forte militia: *l. 170. inf. de decurion.* vt & collegiatos ac Corporatos, vrbium suarum refugas, *l. 2. inf. de Collegiatis:* quæ duæ *leges* seu eiusdem Honorianæ constitutionis partes *huic* coniungendæ veniunt. Nempe hæ horum temporum consuetudines fuerunt, vt quilibet passim suas vrbes suaque officia desererent: quibus retrahendis varias constitutiones subinde Honorius ferre necesse habuit. Ergo omnes hos simili forma reuocari voluit, vt loquitur *d. l. 2. inf. de Collegiatis.*

XXVI. (a) Idem AA. Anthemio PF. P. (b)

SI quis e grege Cohortalinorum vrguente criminis insectatione (c) stipendiis fuerit exemptus, aut otio traditus, quietis (d) artibus inmoretur, aut si ad pristina sacramenta precum miseratione (e) maluerit repedare, (f) indultum nostræ maiestatis oraculum Amplissimæ Tuæ Sedi offerat allegandum: Sanctione (g) hac Edictis propositis diuulgandum, (h) *Vt prouinciarum Iudices sciant; si quas cælestes præscribtiones* (i) *superreddenda militia elicuerit prouincialis Apparitor, quas non ante præcelsa Sedes Tua librauit,* (k) *auditionem,* (l) *huius Legis intercessione depulsam.* Dat. XIII. Kal. Mart. Constantinop. Honorio X. & Theodosio VI. Augg. conss. [415.]

NOTAE.

(a) *Lex 11. Cod. Iust. eod. tit.* Eodem die *lex 9. sup. de contrab. empt.* etsi ad populum, emissa. *GOTHOFREDVS.*

(b) Orientis. *ID.*

(c) *Insectatio* criminis. *ID.*

(d) *Quietis artibus immorari. ID.*

(e) *Miseratio precum.* Sic *noua miserationis vox* pro petitione abolitionis *l. 1. inf. de abolitionib. ID.*

(f) *Repedare*, vide *Glossar. ID.*

(g) Sequentia resecauit Tribonianus tanquam superflua. *IDEM.*

(h) *vg. Diuulganda.* Hinc interim liquet, sanctiones Imperatorum Edictis Magistratuum & in his Præfecti Prætorio propositis diuulgatas. De quo vid. Paratitlon, *de constit. Princip.* & quæ dico ad *l. vn. si per obreptionem. IDEM.*

(i) Nil temere mutem: quamuis probabiliter quis reponat *rescriptiones*: id est rescripta. *ID.*

(k) *Librare*, pensare, vide *Glossar. ID.*

(l) *Auditio*, pro Audientia, vide *Glossar.* Quomodo & in altera eiusdem Theodosii Iunioris constitutione, *l. 32. inf. de nauicul. sub tua sedis auditione. ID.*

COMMENTARIVS.

RESTITVTVS militiæ cohortalinæ Cohortalis ob crimen solutus (veluti ob concussionem arg. *l. 9. sup. de contrab. empt.* quæ eadem die data est ad populum) rescripto Principis vetatur *hac l.* a Theodosio Iun. nisi rescriptum Præfecto Prætorio allegetur, atque ab eo probatum fuerit. Cum quo nil commune habet quod Officiales Officiali militia perfuncti idem officium repetere vetiti: de quo ad *l. penult. sup. de Numerariis: l. 2. inf. ad leg. Iul. de ambitu:* nempe quia ibi publicæ disciplinæ semel gestæ sufficiunt. Est enim hæc *lex* non de iteratione eiusdem officii, verum de Restitutione Officialis qui ob crimen eo depositus semel fuerat.

P. 504 Ergo semel ob crimen officio depositum ad id repedare, eique restitui Principis rescripto, quamquam vetat Theodosius Iun. nisi Præfectus Prætorio rescriptum istud probauerit, scilicet ob crimen officiali militia sæpe depositi ad Principem grassabantur, precibusque oblatis ab eo restitutionem officii emerebantur: Verum quia facile Principi obreperetur, rescriptum istud seu abolitionem & restitutionem istam Theodosius Iun. Præfecto Prætorio approbari prius voluit, neque aliter a Iudicibus admitti. Quod sane probum Theodosii Iunioris institutum fuit, & magna Præfecti Prætorio prærogatiua ac nominatim Anthemii, cui id *h. l.* defertur. Verum nil mirum a Theodosio Iun. id Anthemio Præfecto Prætorio deferri: vt pote qui molem Imperii Theodosiani hac tempestate sustinuit, quique summam rerum τὴν διοίκησιν τῶν ὅλων tum administrabat, teste Socrate *lib. 7. cap. 1.* vbi & eius prudentiæ effert Φρονιμώτατος δὲ τῶν τότε ἀνθρώπων καὶ ἐδόκει καὶ ἦν καὶ ἀβούλως ἔπραττεν οὐδέν. *Omnium porro sui temporis prudentissimus, & habitus est & reuera fuit, & nihil vnquam inconsulto gerere solitus est.* De quo videndus & Synesius *ep. 73.* imo & *ep. 47. 49. 75. 79.* Chrysostomus *ep. 147.* Sidonius *carm. 2. v. 94.* Chron. Alex. *An. 406.* de quo dicam plenius ad *l. 167. inf. de decur.* plurimarum legum, & inter alias recentandæ legis, qua prouinciæ suæ administratio prohibetur; vt restatur Synesius *d. ep. 73* vt & lex 169. *inf. de Decurionib.* Ergo Præfecti Prætorio rescriptum insinuari, atque ab eo probari in hac specie vult Theodosius Iun. & sic Probatum valere. Cum tamen ob culpam vel negligentiam discinctos apparitores nullo modo ex rescripto ad militiam adspirare voluerit Valens Imp. ac nominatim Thesamenses *l. 14. inf. de diuers. officiis:* & Honorius Imp. *l. 18. & 20. inf. dict. tit. de diuers. officiis:* vt & susceptores & Tabularios, *l. 27. inf. de susceptoribus.*

XXVI.

XXVII. (a) Idem AA. Eustathio PF. ö. (b)

PRo singulis libris argenti, quas Primipilares (c) Viris (d) Spectabilibus (e) Ducibus sportulæ gratia præstant, quaterni solidi præbeantur, si non ipsi argentum offerre sua sponte maluerint. Dat. XIII. Kal. Iul. Constantinop. Hon. XIII. & Theod. X. AA. CONSS. [422.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* *GOTHOFR.*

(b) Eidem *Eustathio* Præfecto Prætorio inscribitur hoc ipso anno *lex* 13. *sup. de metatis*: *lex* 3. *sup. de postulando*: *lex* 2. *sup. de Adsessorib.* Ex quibus *d. lex* 13. *sup. de metatis*, ostendit, eum Præfectum Prætorio Orientis fuisse. *IDEM.*

(c) De *Primipilaribus*, dixi ad *l.* 6. *sup.* *ID.*

(d) Forte *Primipilares Viri.* *IDEM.*

(e) Spectabiles Duces. vide *Notitiam Imperii.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE PRIMIPILARIBVS (de quibus in *Paratitlo* & ipse plene dixi ad *l. 6. sup.*) ac nominatim de SPORTVLIS, quas Primipilares Ducibus præstabant; est hæc tertia *hoc titulo* Constitutio; Prima fuit Constantii *d. lex 6. sup.* Secunda, Valentiniani Sen. *l. 9. sup.* Quibus locis, de his sportulis affatim dixi. Hac sane *lege* proportionem auri, ad argentum in sportulis illis soluendis sancitum iuit Theodosius Iun. de qua alioquin proportione argenti ad aurum suo titulo infr. peculiari *lib. 13. t. 2. de argenti pretio quod thesauris infertur.* Nempe cum argenti libræ sportulæ nomine Ducibus præbendæ essent, neque ad manum semper haberent argentum Primipilare, vel etiam aurum soluere mallent, & auri pro argento præstandi facultatem præstandam, & proportionem auri ad argentum ineundam credidit Theodosius Iun. Igitur quatuor solidos auri pro singulis libris argenti præberi oportere definit, cum tamen Arcadius pater ipsius *d. l. vn. de argenti pretio*, quinque solidos auri pro singulis libris thesauris inferri iusserit. Adeo scilicet in dies auri pretium increuit, de quo ad *d. l. vn.* & *ad l. vn. sup. de oblat. Votorum.*

XXVIII. (a) Idem AA. Asclepiodoto PF. P. (b)

VAlentinianæ + ceterarumque Legum, quæ diuersa *super Temporibus vsurpatæ militiæ* (c) statuerunt, auctoritate cessante, hæc præcepimus obseruari: Primum, vt neque * Curialis neque Cohortalinus, neque Curialis aut Cohortalini filius, condicione deserta ad aliam audeat adspirare fortunam, cui maiorum suorum exempla præiudicant. Dein, si quis memoratarum condicionum laqueis inretitus, ad militiam *Armatam* per subreptionem vel inlicitum patrocinium transierit, & (d) id Curia, ex qua Tiro ortus est, per decennium iugiter siluerit, vt is qui in castris sine aliqua fortunæ pristinæ conuentione incessanter stipendia meruerit designata, & strenue susceptis armis insudauerit, minime conueniatur vlterius, sed priuilegia & præmia viri fortis (e) expectet: & cetera. Dat. XV. Kal. Iun. Constantinop. Asclepiodoto & Mariniano VV. CC. CONSS. [423.]

NOTAE.

P. 505

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem illi *lex* 14. *sup. de priuil. eorum qui in Sacro Palatio.* Imo & *lex* 184. *inf. de Decurion.* *GOTHOFRED.*

(b) Orientis. *ID.*

+ Valentiniani Sen legem intelligit, cuius duæ partes supersunt *l. 6. sup. de re milit. lex* 64. *inf. de Decurion.* cuius meminit idem Theodosius Iun. *l.* 16. *sup. de Agentib. in rebus.* *ID.*

(c) Armatæ, Palatinæ. *IDEM.*

* *Legi* 12. §. 2. *Cod. Iust. eod.* (quæ alioquin desumpta est ex *l. vlt. inf.*) hæc sententia inserta. *IDEM.*

(d) Pars hæc fugitiua ab hoc *titulo*, meliusque collocata fuisset sub *titulo de Decurion.* *ID.*

(e) Fortis viri, id est militis. *ID.*

XXIX. (a) Impp. THEODOSIVS & Valentinianus AA. Florentio PF. P.

HIi quorum nomina Excellentiæ Tuæ suggestio conprehendit, omnesque qui ex Primipilariis (b) ex quacunque prouincia quamlibet militiam contra licitum præsumpserunt,

ferunt, etiamsi obtinuisse eam speciali Adnotatione nostræ indulgentiæ videantur, (c) spoliati cingulo ad priorem statum & condicionem pristinam reuocentur, omni aditu cuiuslibet dignitatis iri huiusmodi condicioni præcluso, vt non solum impetratis iam beneficiis careant, verumetiam si quid postmodum elicere temptauerint, id omne in initum deuocetur: Præceptis enim vestris & publicis vriliraribus in perpetuum debent esse subiecti, nec exsequendarum necessitatum munia declinare. Dat. VI. Id. Iul. Constantinop. Felice & Tauro conss. [428.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) De *Primipilaribus* dixi semel ad *l. 6. sup.* *ID.*

(c) Id est obtinuerint. *IDEM.*

XXX. (a) Idem AA. Isidoro PF. P. (b) Postalia, Eodem exemplo (c) Eubulo PF. P. Illyrici.

SI Cohortalis apparitor, aut obnoxius Cohorti, ad vllam posthac adspirauerit dignitatem, spoliatus omnibus impetrati honoris insignibus, ad statum pristinum reuocetur: liberis etiam in tali eius condicione susceptis, fortunæ patriæ mancipandis. Si * qui vero Cohortalis, vel subiectus Cohorti, vllam ante hanc legem gessit militiam, aut cœptam dudum etiam nunc gerit, aut Causidicinam (d) in foro Amplissimæ Præfecturæ Orientis atque Illyrici, vel Vrbano profitetur iudicio, in eodem lararum pridem Constitutionum † sanctio obseruetur. Post hanc vero legem, si (e) quis ex his ausus fuerit vllam affectare militiam, nulla præscriptione temporis muniatur, (f) sed ad condicionem propriam retrahatur, ne (g) ipse vel eius liberi, post ralem ipsius statum procreati, quod Cohorti debetur, valeant declinare. (h) Dat. III. Non. April. Constantinop. Isidoro & Senatore conss. [436.]

NOTAE.

(a) *Lex 12. Cod. Iust. eod. tit.* Iungendaque huic *lex 187. 188. inf. de Decurionib.* & *lex 21. Cod. Iust. de episcopis.* *GOTHOFREDVS.*

(b) De hoc *Isidoro* PP. dixi ad *d. l. 187.* *ID.*

(c) Ita quoque *d. l. 187.* (*τῶ ἀυτῶ τύπῳ* Socrates *lib. 2. cap. 18.* Dixi in *Prolegom.*) *ID.*

* Hæc, vsque ad *si quis ex his ausus*, intercidit Tribonianus. Porro hæc ipsa sententia ad finem vsque totidem verbis Curialibus repetita extat *d. l. 183.* Vnde desumpta est *lex 51. Cod. Iust. eod. tit.* *ID.*

(d) *Causidicina* hic & *l. 188. de Decurionib.* vid. Symmachum *lib. 5. ep. 15.* & *73.* & *lib. 9. ep. 31.* Am. Marcellin. *lib. 30. c. 4.* v. Iuretum ad *d. ep. 73. Symmachi.* *IDEM.*

† Vid. *Commentar. ad d. l. 187. 183.* *IDEM.*

(e) *Quod si quis,* &c. *Cod. Iust.* *IDEM.*

(f) *Præter eam scilicet, quæ ex triginta annis colligitur,* hoc addit Tribonianus *d. l. 12.* *ID.*

(g) Ita quoque *d. l. 188.* at Cod. Iust. *nec.* *IDEM.*

(h) Hic subiicit Tribonianus sententiam ex *l. 23. sup.* tum etiam alteram, nullo iudicio, vt a Cohortalium militia summoueantur trapezitæ, & alii quidam negotiatores. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE Cohortalibvs ad Militiam vel dignitatem aliquam non admittendis, atque exinde ad militiam cohortalem retrahendis, sunt hæ tres Theodosii Iunioris constitutiones, quas vna fidelia dealbare animus est. E quibus prima & vltima, puta *lex 28.* & *lex 30.* prolixarum constitutionum duarum Theodosianarum partes sunt, quibus tum Curialium, tum Cohortalium desertioni
P.5.6 occursum, atque adeo Curiis & cohortibus consultum iuit: vt ex illis *legibus* constat, quas illis coniungendas ostendi: imo & ex ipsa *lege 28.* Et sigillatim tamen eas atque ordine explicabo, vt ita quæ in his occurrunt, melius & distinctius discutiantur.

Ergo *lege 28.* iuncta *legi 14. sup. de priuil. eorum* *qui in sacro palat.* & *l. 183. inf. de Decurion.* abrogata nominatim Valentiniani Sen. constitutione (cuius duæ partes supersunt, puta *lex 6. sup. de re milit.* & *l. 64. inf. de decurionib.*) cuius meminit idem Theodosius Iun. *l. 16. sup. de Agentib. in rebus*, vetat Curialem & Cohortalinum eorumque filios conditione sua deserta ad aliam fortunam seu condirionem adspirare. Vt & ad militiam armatam vel Palatinam: Nisi Curialis in militia armata per decennium iugiter fuerit, vel in Palatina quindecennio: vel nisi Cohortalis in vtraque vigintiquinque annis: de quo iam *supra, ad d. l. 14.* ibi quippe posita sunt ea quæ *huic titulo* & *legi* magis conuenirent: viceuersa sub finem *huius legis 28.* posita sunt ea quæ ad Cohortalis militiam pertinent.

Lege 29. Theodosius Iun. Cohortalem & Primipilarios Dignitatis alicuius obtentu etiam Adnotatione Principis impetrata conditionem suam enitare vetat, contra inde ad Cohortalem militiam retrahi iubet; Cum tamen paulo ante *hanc l. 29.* ante biennium ferme Theodosio contrarium placuerit. In *Notitia* quippe *Imperii* tum conscripta, diserte dicitur Consularium Correctorum & Præsidum Cohortalinis non licere ad aliam transire militiam sine Adnotatione Clemantiæ Principalis. Econtra igitur licuit cum Adnotatione Principis. Et forte hæc *lex* accipienda non fuerit de Cohortalinis omnibus, verum de nonnullis tantum, quo numero sane Primipilares nominatim mamorantur: Certe Primipilarii pariter militia Armata a necessitata sua non excusabantur: *l. 12. in fin. de Veteranis.* Quamquam ratio generalis *fine legis* subdita, generaliter eam accipiendam suadeat. Sane Iustinianum hanc *legem* non probasse, eius omissio *Cod. Iustinianeo* ostendit.

Lege tandem *vlt.* idem Theodosius Iun. a dignitate & militia seu officio quocunque, Causidicina item, in posterum Cohortales retrahi iubet, pariter vt Curiales, sub iis tamen distinctionibus quæ proponuntur *l. 187. 188. inf. de Decurionib.* in præteritum vero latas pridem constitutiones obseruari iubet: de quo ad *dd. ll.* vt & de eo quod hic de Causidicina in foro Præfecti Prætorio Orientis Illyrici & vrbis Constantinopolitanæ additur.

DE CVRSV PVBLICO, ANGARIIS (a) ET PARANGARIIS. (b)

TITVLVS V.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. LI.

Ratio ordinis, cur inquam hic *Titulus* hoc loco positus sit, in medio Tractatus & Titulorum pertinentium ad Officiales Iudicum, & immediate quidem post Titulum, *de Cohortalibus, Principibus, Cornicularijs, & Primipilaribus*, hæc causa est, quod Mancipes seu Procuratores cursus publici ex Officialibus Iudicum emeritis sumebantur *l. 34. 42. 46. hoc tit.* & *l. 8. sup. d tit. de cohortal. l. 7. inf. de diu. off.* seu ex Primipilaribus: *l. 6. inf. de diu. officiis.*

(a) De *Angariis* dico ad *l. 4.*

(b) De *Parangariis*, ad *l. 15.*

PARATITLON.

CVRSVS PVBLICVS *Rubr. l. 1. 3. 4. 5. 8. 12. 15. 27. 31. 35. 39. 46. 51. 52. 53. 54. 57. 62. 64. h. t. l. 7. inf. de diuers. off. l. 2. sup. de Curiosis:* Amm. Marcellinus *lib. 21. cap. 9.* De eo, v. & *l. 7. 8. sup. de cohort. l. 7. inf. de indulg. debitor. l. 9. inf. de legatis: l. 9. de re militari:* (qui & *cursus* simpliciter vocatur *l. 1. 16. h. t. l. 6. de diuersis officiis: l. 7. de indulg. debitorum:* discursus, *l. 16.* euectio, *l. 3. h. t.*) vnde & Equi Cursuales dicti *l. 64 h. t.* & rheda cursualis, *l. 9. infr. de legatis:* obsequium cursuale, *l. 9. de re milit.* Certis locis in publico itinere, ad publicas necessitates expediendas constitutus erat. Animalia namque *l. 16. 23. 24. 64. l. vlt. h. t. l. 2.* & *l. 9. sup. de Curiosis, in fin.* (quæ & animalia publica, *l. 2. 10. 53. 60. h. t. l. 35. inf. de operib. public.* animalia publici cursus, *l. 8. h. t.*) capita, *l. 6 sup. de curiosis*, disposita P 507 erant, cursuique destinata, *l. 1. h. t.* puta primo Equi, *l 17. 64 h. t.* Vnde Equi cursuales, *l. 64 h. t.* (qui & *animalium* appellatione notantur, *l. 23. 24 h. t.*) Parhippi, de quibus *l. 14. 22. 27. 29. 49. h. t.* qui & auertarii, *d l. 22. h. t.* Secundo, asini, *l. 38.* & *41. h. t.* Tertio, boues, *l. 1. 11. 53. h. t.* (neque enim aratris deditum & culturæ terræ inseruientem bouem ad cursum abstrahere licuit, *l. 1. h. t.*) Quarto, mulæ, *l. 8. 53. h. t.* (a quibus & Muliones, *l. 10. 14. in fin. l. 31. 34. 53. h. t.* & Mulomedici, *l. 31. h. t.* de quibus omnibus *infr.*) Pecora denique *l. 3. h. t. l. 9. de re milit.* Et hæc omnia vel ad velocem cursum, vel ad clabularium (id est, tardi gradum) *l. 62 h. t.* hæ enim duæ species cursus publici fuerunt. Equi scilicet, ferendis hominibus & sarcinis: Hominibus gestandis proprie *veredi* dicebantur, *l 8. 14. 16. 24. 28. 29. 30. 34. 35. 38. 47. 53. 55. l. vlt. h. t. l. 2. 6. supr. de Curiosis: l. 8. sup. de Cohortalib.* (a quibus & *Veredarii* qui veredis vtebantur, *l. 17. 50. h. t.* & veredaria functio, *l. 8. sup. de Cohort.* vnde & Parauaredi de quibus *l. 3. 6. 7. 15. 16. 59. 63. 64. h. t.* agitur: qui vero ii sint? dicetur *d. l. 3.*) Vehiculis trahendis, boues & mulæ aptabantur, (vnde vehicularis cursus) *Vehicula* autem (quæ & *subiunctoria* dicuntur *l. 10. h. t.*) varia erant. I. Reda *l. 8. 9. 24. 28. 30. 40. 47. 48. h. t. l. 2. 5. sup. de Curiosis:* (vnde Reda cursualis, *l. 9. inf. de legatis:*) quæ & vehiculum specialiter, *l. 17. 18. 20. 30. 35. 47. 49. h. t.* (vnde vehiculum publicum, *l. 20.* & subuectio vehiculorum,

rum, *l. 18. h. t.*) eadem vero dicta & Carpentum, *d. l. 18. h t.* (vnde & Carpentum Redæ *l. 30. h t.*) Ea vero a quatuor equis trahebatur : vnde & *Redæ* explicantur Quadrigæ, vel flagella, *l 5. ſupr. de Curioſis:* Vel ab octo aut decem mulabus, *l. 8. h. t.* Huic mille librarum onus imponebatur, *l. 8. 17. 28 30. 47. 48. h. t.* Secundo carrus, *l. 47.* cui ſexcentarum librarum tantum pondus imponere licebat, *d. l. 47. h. t.* Tertio Birota, *l. 8. 9. h. t.* ſeu Birotum, *l. 2. ſup. de Curioſis*, quæ a Reda ſeparatur, quæ quatuor rotarum erat, *d. l. 8. 9.* τετράκυκλος : cui ducentarum librarum onus imponere fas erat, *d. l. 8.* Ad Redam etiam æſtiuo tempore octo mulæ, hyemali decem iungebantur, *d l. 8.* Birotis trinæ tantum, *d l. 8.* Quarto Clabula, vnde clabulare, *l. 2. ſup. de Curioſ.* & clabularis curſus, *d. l. 2.* & *l. 5. ſup. de Curioſ. l. 23. h. t.* vbi clabularius vocatur, vt *l. 26. 62. h. t.* (quod idem cum *Angaria* facio quod ſcilicet quatuor boum protelo ducebatur) *l. 5. ſup. de Curioſis: l. 1. 23 h. t.* vnde & clabiculariæ regiones, *l. 34. in fin.* Angariæ igitur, *Rubr.* & *l. 4. 11. 16. 21. 28. 30. 45. 48.* & *l. vlt. h. t. l. 9. inf. de legatis: l. 5. ſup. de Curioſis : l. 4. inf. de extraordinar.* (vnde & Angarialis copia, *d l 4. h. t.* angariarum curſus, *l. 16. h. t.* ab operis ſeparantur, *l. 4 infr. de extraord.* boum protelo ducebantur: bina enim boum paria ad ſingulas angarias ſubiugabantur, *l, 11. h. t.* his mille quingenta pondo imponebant, *l. 28. 30. h. t.* hiſdem linea & amictoria translata, *l. 48. h, t.* A curſu ſeparantur, & a Reda curſuali, *l 9. inf. de legatis*, vt clabularis curſus, a veloci: *l. 62. h. t.* Parangariæ, de quibus *Rubr. l. 15. 59. 63. h. t.* quid fuerint, dicetur ad *d. l. 15. h. t.*

Erant illa omnia in publico itinere, *l. 3. h. t.* (cui opponitur qui *Canalis* dicitur, *dict. l. 15. h. t.* & *l 2. ſupr. de Curioſis :*) diſpoſita locis publicis; In oppidis, ciuitatibus, vicis: *l. 35. h. t.* Stationibus, *l. 36. 65. h. t.* & *l. 1. ſup. de Curioſ.* (vnde Stationarii) Manſionibus, *l. 1. 23. & 35.* Mutationibus, *l. 34. 36. 53. 58. h. t.* Marcellin. *lib. 21.* Caſſiodor. *l. Var. 29.* Regionibus clabiculariis, *l. 34.* & quidem pro locorum ſitu atque itineris qualitate vario numero, *l. 16.*

Animalia porro publico loco, & e publico alebantur. Itaque & ſtabula publica in eum finem erant, *l 34. h. t.* & *l. 16 17. 35. 37. in fin. de oper. publ.* quæ & receptacula animalium publicorum, *d l. 35.* & Pabula in mutationibus, *l. 60.* & *64. h. t. l. 9. infr. de annon. & trib.* Vnde alimenta his e fiſco miniſtrabantur, *l. 23. h. t.*

Curandis his hæc priuata officia occupata erant : I. Curſus publici curam gerebant, *l. 1. in fin. h. t* curſus publici obſeruatione deſtricti, *l. 4. h. t.* curſui publico præerant, *l. 4. in fin.* & *l. 35 h. t.* qui non vno nomine vocabantur, *d. l. 35.* puta Præpoſiti, *d. l. 35.* & *l. 9. ſup. de Curioſ.* (quomodo & Præpoſiti manſionum vocantur, *l. 21. inf. de Decurionib.*) Primos, quibus curſus publici cura, ſollicitudoque mandatur, vocat Firmicus Math. *lib. 3. cap. 4.* Mancipes *l. 15. 24. 34. 35. 36. 42. 53. 60. 65. h. t. l. 9. ſup. de curioſ.* qui & ideo *Mancipes* curſus publici dicuntur, *l 15. h. t.* & mancipes locorum, *l. 24. h. t.* vnde Mancipatus, *l. 36. 46. h. t.* & *l. 9. 16. 19. inf. de diuerſ. offic* qui & curſus publici exhibitio, *l. 51.* curſus exhibitio, *l. 7. ſup. de Cohortalib.*) Sub Conſtantio Imp. ex Primipilaribus ſumpti, qui ideo curſum exhibere dicuntur, *l. 6. inf. de diuerſ. offic.* ex Officialibus Iudicum emeritis, *l. 34. 42. 46. h. t.* & *l. 8. ſup. de cohortal.* & *l. 7. in f. de diuerſ offic.* ſumpti non e Curialibus, *l 34.* niſi in defectum, *l 26. h. t.* Quamquam, aliquando & alicubi e Curialibus, *l. 35. 51. 64. h. t.* Iidem & *Procuratores* dicebantur, *l. 23. h. t.* (vt docet collatio illius *leg.* cum *l. 26.*) & *l. 36 h. t.* qui familiæ curſus clabularii præſunt. *l. 21. h. t.* & Præfecti vehiculorum, *l. 4 in fin. h. t.*

Hi porro a Iudicibus probabantur, prouehebantur, cum cæteri Officiales non niſi a Principe probarentur, *l. 7. inf. de diuerſ. offic.* & Mancipatus quinquennio durabat: *l 36. 42. h. t.* Erant & in ſingulis Stationibus *l. 65. h. t.* & Regionibus : vnde & Stationarii dicti, *l. 1. h. t.* Regionibus præſtituti, *l. 8. in fin. h. t.* Curam curſus publici hi gerebant. Atenim erat & familia, *l. 21.* circa curanda animalia & vehicula occupata : Muliones ſcilicet,
P. 508 *l. 10. 14. in f. l. 31. 34. 53. 58 h. t.* (qui ternis veredis ſinguli præerant, *l. 34.*) qui & ſerui publici, *d. l. 58.* mutationibus deputati, *d. l. 58.* quæ *lex* eſt de retentoribus mulionum : Hippocomi, *l. 37.* & *50. h. t.* Mulomedici, *l. 31 h. t.* Opifices vehiculorum. *l. 17. h. t.* ſeu Carpentarii, *l. 31. h. t.* Qui omnes annonas & victum e fiſco conſequebantur, *dict. l. 31.* eoque ab iis qui curſum publicum vſurpabant, mercedem nullam exigere poterant, *d. l. 31.*

Magiſtratus vero qui curſus publici curam gererent hi erant : Præfectus Prætorio potiſſimum, *l. 3. 4. 5. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 16 18. 23. 26. 28. 30. 34. 35. 36 38. 39. 40. 43. 44 45. 46. 47. 48. 50. 52. 53. 54. 58. 59. 60. 61. 62. 65.* & *vlt. h. t.* Magiſtri Equitum & Peditum, *l. 30. h. t.* Magiſter officiorum, *l. 8. 9. 22. 35. 49. h. t.* Vide quoque Caſſiodori locum, *lib. V. ep. 5.* Proconſules, Rectores prouinciarum, *l. 4. in f. l. 7. inf. de diuerſ. offic.* vid. & Symmachum *lib. 2. ep. 27.* Curiales quoque *l. 64. h. t.* Qui curſus publici curam gerebant, *Dimittere* dicebantur, *l. 27. 33. 40. h. t.*

Vsvs curſus publici publicis neceſſitatibus inſeruiebat ſeu publicis neceſſitatibus implendis, *l. 12 h. t.* puta, Principis itineribus, quæ vtilitas publica moneret, *l 3. h. t.* euocatis item a Principe, vel ab eo recedentibus, *l. 54. h. t.* Magiſtratibus ciuilibus militaribus in prouincias pergentibus, *l. 38. 49. l. vlt. h. t.* vel per prouincias diſcurrentibus (cum

Iudices commeare per prouinciam necessitas publica persuaderet, *l. 16. h. t.* Nouell. *Maioriani 1. cap. nec hanc :*) vel Officiales suos ex necessariis causis ad separatas secretasque prouinciarum partes dirigentibus, *l. 12. h. t.* Legatis a Senatu populoque Romano, vel a Prouincialibus ad Principem missis, *l. 32. h. t.* &. *leg. 6. 9. inf. de Legatis.* item Legatis diuersarum Gentium, *l. 9. sup. de re mil. l. 57. h. t.* speciebus transmittendis, *l. 13. 16. 18. 20. 33. 40. h. t.* Agentibus a Principe missis, *l. 7. 9. 14. in fin. h. t.* vide & *l. 2 sup. de Curiosis :* Aliisque de causis, quas ratio *l. 3. h. t.* & publicæ causæ exigerent, *l. 19. 63. h. t.* Non possum quin hic Cassiodori locum apponam, qui *V. Var. 5.* paucis hæc omnia complexus est : *Illam partem constat Reipublicæ necessitatibus exquisitam. Per hanc enim & Legationum vtilitas, & ordinationum nostrarum celeritas explicatur. Hæc & Aulicis potestatibus per varias iussiones ministrat effectum. Hæc crebris illationibus nostrum ditat ærarium : vt pene quicquid in Republ. geritur , cursuali ministerio compleatur.* Adde & locum Firmici *Matth. lib. 1. cap. 4.* In priuatas tamen quandoque necessitates cursus publicus vsurpabatur ex indulto Principis, *l. 4. h. t.* Et hæc omnia gratis ; quare prædis & rapinis eorum, qui publico cursui deputati erant, quasque nonnunquam exercebant, occurritur : *l. 21. 31. h. t.* vide tamen *l. 2. 5. in fin. supr. de Curios.*

VSVRPARE proprio arbitrio hunc cursum publicum , *l. 3. h. t.* mouere, *l. 11. 27. 35. 38. 49. h. t. l. 2. sup. de curios.* commouere, *l. 15. h. t.* agitare, *l. 2. h. t.* postulare, *Nou. Maioriani 1, cap. nec hanc partem*, nonnullis licebat , vt puta Præfectis Prætorio , *l. 3. 35. 62. h. t.* Legatis ad Principem missis a Senatu Populoque Romano , *l. 32. h. t.* a diuersis Gentibus, *l. 57. h. t.* & *l. 9. sup. de re milit.* a prouincialibus, *dict. l. 32.* & *l. 6. 9. inf. de Legatis.* Aliis omnibus priuatis interdictum erat, *l. 8. 22. 27. 54. h. t.* etiam illustribus, *l. 54. h. t.* Magistratibus, veluti Præfecto vrbi, *l. 55. h. t.* Vicariis, Præsidibus, Consularibus, *l. 12. h. t.* Præsidibus & Rationalibus, cæterisque *l. 3. h. t.* Ducibus, *l. 57.* & *l. vlt. h. t.* Breuiter, omnibus ; quacunque præditi fuerint dignitate : *l. 8. h. t.* Nisi euectione impetrata : sine hac enim nemo priuatus (exceptis de quibus *supra*) cursum publicum vsurpare poterat, *l. 8. 22. 27. 57. 59. h. t.* & *l. 2 sup. de Curiosis : l. 11. de Legatis.*

EVECTIO autem est licentia cursus publici vsurpandi, *l. 4. 5. 8. 9. 12. 13. 14. 19. 20. 22. 27. 29. 32. 33. 38. 40. 41. 43. 44. 49. 52. 55. 56. 57. 59.* & *61. h. t. l. 9. inf. de Legatis: l 2 sup. de Curios.* cuius mentio non vna apud *Symmachum:* Vnde Euectiones dare, *l. 12. in fin. h. t.* emittere, *l. 33. h. t.* facere, *l. 5. 9. 12 13. 19. 29. 38. 43. 52. 56. 57.* & *61. h. t.* Nouella *Maior. 1. cap. nec hanc partem :* & in Notitia Imperii *in Præf. Prætorio fol. 4. 16.* præbere, *l. 4. 18. h. t.* pro licentia cursus publici vsurpandi facere.

Dabat autem Euectiones Princeps, *l. 4. 9. 14. 40 56. h. t.* Præfectus item Prætorio, *l 9. 12. 35. 40 56. h. t.* & Præfectus Vrbis in publicis tantum causis, ex *l. 19. h. t.* Alias non , *l. 56. h. t.* Magister officiorum, *l. 8. 9. 22 35. 49. h. t.* Non Magistri militum, *l. 43. 56 h. t.* non Vicarii, *l 12. 38.* & *61. h. t.* Non Rectores Prouinciarum, seu Prouinciales Iudices, *l. 5 40. hoc tit d Nou. Maior. 1.* Non Consulares, aut Præsides, *l. 12. h. t.* Non Comites limitum, *l. 52. h. t.* Non Duces, *l. 57. h. t.* Ad species tantum largitionales transferendas, veluti aurum, argentum, vestes militares, cum necessitas publica suaderet Præfecto Vrbi, Vicario, & Præsidi, euectionum faciendarum ius erat : *l. 13. 18. 20. 33. 40. 61. h. t.*

Non omnibus etiam euectio dabatur neque promiscue ; non priuatis aliis, ex Theodosii M. constitutionibus, quam dignitate reuera functis ciuili, vel militari, *l. 39. h. t.* Præfectura Prætoriana, vel Magisteria militum ; *l. 44 h. t.* non honorariis, *d. l. 39.* & *l. 44. h. t.* Intra modum quoque certum tantum Euectio concedebatur. Vno die quippe non vltra quinque veredorum numerum ex aliquo loco mouendi licentia dari poterat, *l 35. h. t.* (nisi duobus casibus, *d l. 15. h. t.* quod in sex postea mutatum, *l. 40 h. t.* vno item die , vna
P.509 Reda tantum, *d. l. 40. h. t.* Angarias item duas tantum, non plures Præfectus Prætorio dare poterat, *l. 11. 45. h. t* singulis angariis bina tantum boum paria aptata, *l. 11. h. t.* vide *l. 5. de Curiosis* Intra modum etiam quendam, eum tantum concedebant , & si vltra concessissent, seruari nolebant : Vehiculari scilicet cursu dato, vel reda, vel veredo parhippum vsurpare vetitum : *l. 22.* & *29. h. t.* Item curioso nonnisi duos veredos mouere licebat, *l. 6. sup. de Curios.* Vicario nonnisi triginta asinos, veredos decem : *l. 38. h. t.* Comiti nonnisi quatuor veredos cum parhippo : Tribuno militum ternos : Domesticis Protectoribus & Agentibus in rebus, duos : *l. 49. h. t.* Duas item tantum Angarias, *l. 11. 45. h. t.* Non datus Ducibus, vbi semel in Prouinciam venissent, *l. vlt. h. t.* Vicariis tantum & Præsidibus aliquot per annum Euectiones a Principe & Præfecto Prætorio permittebantur, puta Præsidi binæ, *l. 12. h. t.* Vicario denæ, vel duodenæ, *d. l. 12.*

Euectio præscripta seu adnotata manu Principis erat, *l. 12. 14. 27. h t.* vt & Euectio Præfecti Prætorio, *l. 9.* Tempore, ad quod Euectio concederetur, adnotato : *l. 27. h. t* Itaque Euectio pro ipsis literis supra, quibus Euectio conceditur, vsurpatur : *l. 9. 14. 22. 23. 29. 35. 49. h. t.* Vnde & series Euectionis, *l. 22. h. t.* Qui cursum publicum vsurpare volebat, non ante eum mouere poterat, quam Iudices Euectionem inspexissent & subnotassent, *l. 8.* & *22. 49. 59. h. t.* & *l. 2. sup. de Curios.*

Item Euectionis datæ formam & licentiam excedere non licebat : *l. 14. 27. h. t l. 2. sup. de Curios.* puta emensa Euectione commeando, *d. l. 27.* vel certo veredorum numero concef-

concesso, parhippum vsurpando, quo sensu Parhippus dicitur *l. 14. h. t.* puta si quis vltra modum Euectione comprehensum, veredum adhuc vsurpet, quasi non sufficiente modo Euectionis comprehensæ. Alicubi Parhippus idem cum Aortario, *l. 22. 47. 48. h. t.* alioquin superexigenti pœna grauissima imminebat, *l. 14. 53. h. t.* Item vehiculari cursu concesso si quis postea vsurpet parhippum: *l. 22. 29. h. t.* nisi enim Magister officiorum Euectioni addidisset, aliqua necessitate cogente, *l. 22. in f.* vel ipse Princeps, *l. 29. h. t.*

Modvs quoque certus vtendo cursui publico concesso impositus scilicet: I. *Onere* iniquo animalia publica prægrauare ius non erat; itaque modus huic rei datus. Igitur redæ seu carpento, vehiculoque mille pondo superponere, neque vltra licebat, *l. 8. 17. 28. 30. 47. 48. h. t.* Carro, sexcenta, *l. 47. h. t.* Birotæ, ducenta tantum, *l. 8. h. t.* Veredo seu Equo triginta, *l. 8. 17. 28. 30. h. t.* (quod vt mutatum, vide *l. 47. in fin.* Parhippo seu Auertario centum librarum apud Cassiodorum, *IV. Var. 47.* & *V. Var. 5.* Angariæ, mille quingenta; *l. 28. 30. h. t.* vide tamen *l. 48.* Deinde carpentis, quibus species largitionales transferuntur, ad summum tres persecutores seu custodes imponi possunt: *l. 18. in f.* & *l. 20. 48. h. t.* II. *Mensura* quoque vehiculorum quædam constituta erat, *l. 17. 30. h. t.* III. Priuato subiunctorio animalia publica præberi fas non erat, *l. 10. h. t.* ne videlicet forte enormia vehicula priuati subiungarent. IV. Animalia vni necessitati destinata, ad alteram vsurpare non licebat; puta Veredos, id est equos ad vehicularem cursum, *l. 24. h. t.* V. Neque ab itinere solito & recto deuiare fas erat; *l. 25. h. t.* VI. Neque fustibus, sed virga tantum & flagro, admonere, *l. 2. h. t.* VII. Neque alii Euectionem impetratam vendere licuit, *l. 4. 41. h. t.* Socium tamen itineris adiungere licuit, *l. 4. h. t.* VIII. Denique neque hippocamum sago spoliare, *l. 37. 50. h. t.*

Propter hæc itaque aliaque, *Curiosi* erant, qui scilicet cursus publici sollicitudinem gererent, ne quis videlicet citra Euectionis authoritatem vsurparet, aut modum Euectionis legitimum excederet, *l. 2. 6. 8. 9. sup. de Curios.* vbi vide: qui & *exploratores* vocantur, *l. 3. 4. h. t.* a Protectoribus quoque mittebantur, *l. 30. h. t.* hi dicebantur Præpositi, *l. 35. h. t.* cursui publico Præpositi, *l. 9. sup. de Curiosis.* veluti in Sardinia, *l. 16. h. t.* Alibi animalia conferebantur, *l. 60.* & pabula, *d. l. 60.* & *64. h. t.* non etiam pecuniæ pro rotarum tritura & ministeriis, *l. 21. h. t.*

Tandem & illud obseruo, subinde ad cursus publici Reparationem, aliquid a prouincialibus postulatum, collatum, *l. 7. inf. de indulg. debitorum: l. 34. 42. hoc tit.* vid. & *l. 4. inf. de murilegulis.*

De Bvbvs aratoriis *ad cursum publicum non abstrahendis.*

I. (a) Imp. Constantinvs A. ad Constantium. (b)

SI quis iter faciens, bouem, non cursui destinatum, sed aratris deditum (c) duxerit abstrahendum, per Stationarios (d) & eos qui cursui publico præsunt debito vigore
P. 512 correptus, aut Iudici (e) si præsto fuerit offeratur, aut Magistratibus municipalibus competenti censura tradatur, eorumque obsequio (f) transmittatur; (g) Aut si eius fuerit Dignitatis, vt nequaquam in eum deceat tali vigore consurgere, super eius nomine ad Nostram Clementiam referatur: Qui enim explicauerit (h) mansionem, (i) si forte boues non habuerit, immorari debet, donec fuerint exhibiti ab his qui cursus publici curam egerunt, (k) nec culturæ terræ inseruientes abstrahere. Acc. XI. Kal. Febr. Caralis, (l) Constantino A. IV. & Licinio IV. conss. [315.]

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* & omnium tamen æquissima. *GOTHOFREDVS.*

(b) Præfectum Prætorio, cui hoc ipso anno inscribitur *l. 1. sup. de cohortalib.* vbi plura de eo dixi. *ID.*

(c) Mox inf. *inseruientem culturæ terræ.* *IDEM.*

(d) Stationarii: de his vide tres alias *leges*: puta *l. 2. sup. de cohortalib.* vbi dixi: *l. 1. sup. de Curios. l. 31. inf. de Episcop.* Regionibus præstituti dicuntur, *l. 8. inf.* *IDEM.*

(e) Iudici, id est Rectori Prouinciæ. *ID.*

(f) De horum verborum sensu mox dicam. *ID.*

(g) Ad Iudices scil. *IDEM.*

(h) *Explicare mansionem*, num est, applicare & appellere ad mansionem? An vero hic reponendum *applicauerit*: An vero *explicare mansionem* is dicitur, qui mansionem aliquam transgressus sit, & ad aliam peruenerit. *ID.*

(i) De *Mansionibus* agitur, & *l.* 23. 35. *in f.* de hic dixi plene ad *l.* 4. *sup. de offic. Rector. Provinc.* & *leg.* 9. *de annon. & trib.* ID.

(k) *vt. Geruut*: vt *sup.* qui *cursui publico præsunt.* ID.

(l) *Caralis*, Sardiniæ scilicet. Eadem sane subscriptio occurrit in altera constitutione Constantinianea puta *lege* 1. *supr. de feriis.* Sed & *lex* 16. *inf.* de specierum largitionalium per Sardiniam translatione est, quæ pariter, vt *hac lex*, est de cursu Angariali. IDEM.

COMMENTARIVS.

DE CVRSV PVBLICO acturis, ante omnia inquirendum nobis puto, de eius apud Romanos origine, auctore, processu, sub Impp. Romanis. Nihil enim nunc attinet in aliorum populorum mores inquirere, veluti Persarum & Græcorum, de quibus & eorum angaris, astandis, hemerodromis, notissima iam sunt omnia. Rem ambiguam faciunt Historiæ Augustæ Scriptores, qui parum conuenientia sibi memorare videntur circa Auctorem & Institutorem primum publici cursus. Imo falli nonnulli creduntur, & in his Sex. Aurel. Victor Schotti Sic vt rem hanc negotii semiplenam nobis reliquerint Viri alioquin accurati. Primum sternenda sunt ipsa Scriptorum super hoc testimonia: De AVGVSTO memorat Suetonius *in cap.* 49. *Quo celerius ac sub manum annunciari cognoscique posset quid in prouincia quaque gereretur, iuuenes primo modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit: commodius id visum est, vt qui a loco eidem perferrent Litteras, interrogari quoque, si quid res exigerent, possint.* De TRAIANO Sextus Aurelius Victor Schotti *cap.* 13. *Noscendis ocyus, qua vbique e Republica gerebantur admota media publici cursus: Quod equidem Munus satis vtile, in pestem orbis Romani vertit posteriorum auaritia, insolentiaque, nisi quod his annis suffecta vires Illyrico sint, Præfecto medente Anatolio. Boni malique in Republ. nihil est, quod in diuersum traduci nequeat moribus præsidentium.* De HADRIANO Spartianus *in eius vita, c.* 7. *Statim cursum fiscalem instituit, ne Magistratus* HOC ONERE *grauarentur.* De ANTONINO PIO scribit Capitolinus *c.* 12. *Sumptum muneribus gladiatoriis instituit vehicularium cursum summa diligentia subleuauit.* De SEVERO Spartianus *c.* 14. *Post hac cum se vellet commendare hominibus, vehicularium munus a Priuatis ad fiscum traduxit.* Hæc quinque testimonia sunt quæ negotium omnino facessunt. Suetonius quippe Augustum Imp. Vehicularii cursus auctorem facit: Sextus Aurelius Victor Traianum publici cursus auctorem. Spartianus Hadrianum cursum fiscalem instituisse scribit. Idem Spartianus Seuerum, vehicularium munus a priuatis ad fiscum traduxisse. Verum ita rem accipio: Augustus vehicularium cursum instituit; sic vt aduenientæ derepente eo cui cursus vsurpandi ius datum erat, Magistratuum municipalium opera animalia his præberentur, quæ a prouincialibus derepente conquirebant: quo pertinet locus Plutarchi, in *Galba*; *Nymphidius non mediocriter indoluit, cum serui publici a Consulibus destinati essent, qui Senatusconsulta ad Imperatorem ferrent, quibus ipsis diplomata quæ dicuntur dari solent, vt iis statim agnitis Ciuitatum Magistratus Tabellariorum cursum accelerent in commutatione vehiculorum datis deductoribus.* Ergo graue admodum id munus fuit Magistratibus ciuitatum. Quam & ideo *vehiculationem* (sic enim dicta est) Nerua Italiæ remisit, testibus eius nummis. Mox, siue Traianus, siue Hadrianus, statum hunc cursum fecit, seu publicum & *fiscalem* instituit, sic vt publice cursus paratus esset, & in parato animalia publica seu fiscalia haberentur: neque iam amplius Magistratus onere derepente animalium & cursum accurandi grauarentur. Cursus igitur publicus seu fiscalis factus, tum demum cum iam status factus est, sic vt ex publico & fisco hic tribueretur. Vt non male etiam in *Spartiani* loco V. CL. Iuretus teotauerit *statum cursum fiscalem instituit.* Ergo publico seu fiscali cursu instituto iam collatio a prouincialibus exacta, ad animalium & cursus publici instructionem & instaurationem. Quæ tamen & ipsa subinde grauis visa: vnde Antoninus Pius, *vehiculorum cursum summa diligentia subleuasse* dicitur. Seuerus vero, *vt se hominibus commendaret, vehicularium munus a priuatis ad fiscum traduxisse,* collatione videlicet illa priuatis remissa. Quod tamen postea non stetit. Quæ cum ita sint, non audiendi sunt Viri docti, qui causas & vsum cursus publici varium hac parte distinguunt, vt Authores inter se concilientur. Nempe hunc Spartiani sensum putant, cum hactenus noscendis tantum quæ e Republ. erant cursus publicus vsurparetur, ac non etiam a Magistratibus in prouincias euntibus vsurpari posset, sic vt impensis suis iter facere cogerentur, Hadrianum Magistratibus vsurpandi cursus potestatem fecisse. Non inquam audiendi sunt: Ait enim Spartianus, Adrianum *cursum fiscalem instituisse.* An enim ideo fiscalis cursus institutus dicatur, quod iam Magistratibus eius copia pateret? Fiscale enim vt puto illud significat, quod vel e fisco tribuitur, vel ad fiscum pertinet, sic sane *reda fiscalis* apud Seuerum S. Sulpit. *lib.* 3. *de vita Martini*: sic *species fiscales*, sic *ratio fiscalis* hoc *Codice*, & alibi. Ergo fiscalis cursus institutus dicitur, qui e fisco præberi iussus. Non quia publicus factus & communis Magistratibus & aliis (nam id publicum) passim hominibus. Quis enim fiscale vnquam ideo dixit, quod id passim omnibus exhiberetur, & publice expositum esset? Publicum equidem seu δημόσιον, & fiscale idem recte dicitur, cum significatur ex publico dari, vel ad publicum pertinere. Vnde quem Victor *cursum publicum* vocat, eum Spartianus *fiscalem* vocat: sed nunquam *fiscale* pro eo dixeris, quod publice omnibus patet: imo hoc sensu iam *fiscale* & *publicum* opponuntur. Tandem igitur Victor & Spartianus Cursum publicum seu fiscalem institutum siue a Traiano siue a Hadriano volunt, eo quod eum iam fiscus ipse præstaret: non Magistratus amplius conquirendorum animalium onere subinde prægrauarentur: Magistratus municipales, inquam, quod docuit suprascriptus Plutarchi locus: non etiam Curiales, quod idem Viri docti putant: neque enim hac Magistratuum appellatione Curiales vnquam venerunt, imo Magistratibus passim Curiales seu Ordines opponuntur. Neque eos quidquam iuuat, quod postea Curialibus aliquando impositum onus exhibendi cursus publici fuisse legimus, quod docet *lex* 26. 35. 51. 64. *inf. h. t.* Hæc ista enim cura iam alia fuit, non conquirendorum de subito animalium, veniente eo qui Cursum vsurpandi ius haberet, verum ordinaria sollicitudo, vt Cursus publicus seu fiscalis recte haberetur, neue ei fraus fieret. Ergo tandem dicamus, vehicularem Cursum ab Augusto quidem institutum, sed non fiscalem seu publicum: id enim factum demum siue a Traiano, vt Victor tradit: siue ab Adriano, vt Spartianus ait. Et sic omnia bene conueniunt, nisi quod inter Victorem & Spartianum dissensus est circa auctorem Cursus publici seu fiscalis facti: Et sic alterutrum Imperatorem Authorem tenemus, institutorum Stabulorum & Mutationum, in qui-

bus

bus animalia publica cursui destinata haberentur, quæ nulla fuerunt sub Augusto.

His ita generatim præmissis, & quæ de Cursu publico *hoc Codice* occurrunt in *Paratitlon* congessi, quod subinde consuli volo, de singulis constitutionibus *hoc titulo* videamus.

Constantini M. primum *leges* quatuor de Cursu publico occurrunt, quibus addenda & quiota eiusdem, puta *lex 4. Cod. Iust. de off. Rect. prou.* ex quibus patet, ab vna parte, quantum prouincialium indemnitati Princeps iste consultum voluerit, aduersus eos qui iussus obtentu prouinciales concuterent: ab altera parte, quam etiæ Cursui publico consultum iuerit, aduersus eius abusum. Ad primum finem pertinet hæc *lex*. Ea scilicet Constantinus M. Boves priuatorum aratorios ab eo cui angariarum ius competeret, quamlibet in defectum boum publicorum Cursui publico destinatorum (de quibus vide & *l. 11. 53. infr. h. t.*) vsurpati vel abstrahi vetat. Finge, datam Titio euectionem, seu Angariarum & Cursus publici diploma, eumque ad Mansionem, vbi Cursus publicus erat, venisse? neque boues ibi tum iouenisse? Sane quamlibet festinet, houes priuatorum aratorios abstrahere non potest: Verum tamdiu ibi expectare iubetur, donec fuerint boues Cursui destinati, exhibiti ab his qui Cursus publici curam gerunt. Quamlibet quis iter faciens festinet, hoc tamen obtentu boues aratorios priuatorum culturæ terræ inseruientes abstrahi noluit Constantinus. Eadem ratione, qua idem hoc ipso anno paulo post, boues & seruos aratorios pignori capi vetuit, *l. 1. sup. de pignoribus*, & qua Valentinianus Sen. postea vetuit, ne Officiales Præsidis bouem vel seruum rusticani in vsus proprios necessariosque conuerterent, *l. vn. infr. ne damna prouincial.* Quibus locis plura de bobus & eorum peculiari ratione semper habita. Idque agriculturæ fauore. Eo ipso fauore idem Constantinus M. sationibus vel colligendis frugibus insistentem agricolam ad extraordinaria onera trahi vetuit, *l. 4. inf. de extraord.* sed & (quæ quarta Constantini M. constitutio notanda est agriculturæ fauore) die Solis agrorum culturæ incumbi permisit, *l. 3. Cod. Iust. de feriis.* Ita quidem, vt quemadmodum hæc *lex* speciatim ad Sardiniam proprie pertinet (dicitur enim ea *Acc. Caralis*, Sardiniæ videlicet vrbe) ita & illa: quia & Sardinia iuxta Siciliam benigna vrbis Romæ nutricula erat; de quo *alibi* etiam ex Lucani *lib. 3. v. 65. seqq.* & ad *l. 4. inf. de extraordinar.* Cæterorquin de specierum Largitionalium per Sardiniam translatione agitur *l. 16. infr. h. t.* quæ & ipsa est de Angariis & Angariali cursu.

Ex *hac* interim *lege* & *l. 11. 53. inf. h. t.* liquet, *boues* cursui publico quoque aptatos fuisse: nempe angariis quæ boum protelo ducebantur, de quo ad *l. 4.* & *11. inf.* Nempe angariis trahendis: Vt proinde Viri docti mirari non debuerint inter animalia publica cursui publico olim destinata, etiam boues olim fuisse. Quod tamen Iulianum postea vexuisse, & solis equis cursum publicum explicari voluisse memorat Socrates *lib. 3. cap. 1.* περιεῖλε δὲ καὶ τὸν δημόσιον τῶν χρειῶν δρόμον οἷον ἡμιόνων, βοῶν καὶ ὄνων, μόνων δὲ τῶν ἵππων ταῖς δημοσίαις χρείαις συνεχώρησεν ὑπεργεῖν: id est. *Cursum publicum ad necessarios vsus accommodatum non amplius per mulos, boues, & asinos fieri permisit, solis autem equis in publicis necessitatibus obeundis vtendi facultatem concessit.* Verum id falsum esse docet *lex 53.* Alioquin Carpenti boum meminit & Lampridius *Heliogab. c. 4.* & Augustinus *22. de Ciuitate Dei, cap. 8.* vehiculi a bobus tracti. Vt omittam quod de Caroli M. carpento a bubus tracto meminit Eginhartus. (a) Ergo & boum vsus in cursu publico, nempe angariis seu onetibus portandis, vt equi seu veredi aptati veloci cursui. Et hæc de principe *huius leg.* sententia. De cæteris videamus.

De *Stationariis*, quorum *h. l.* mentio fit, & *l. 2. sup. de cohort. l. 1. sup. de curios. l. 31. in f. de Episcop.* dixi iam *sup. ad illas leges*: vt de Mansionibus, quarum fit quoque mentio, *l. 23. 35. inf. ad l. 4. sup. de off. Rector. prouinc.* Sane ex *h. l.* & *d. l. 23. 35.* apparet, in his cursum publicum fuisse. Sed non ideo solus cursus publicus ibi fuit, vt in mutationibus: Verum alia insuper, nempe instructæ mansiones apparatu omni annonario; vide Symmachum *lib. 2. ep. 27.* seu annonis & speciebus Cellariensibus in vsum eorum qui eo appellerent & tractorias haberent, de quibus *inf. tit. prox.*

Sanctio tandem *huius leg.* notanda: nempe eum qui bouem aratorium abstraxerit, debito vigore correptum Rectori prouinciæ offerri, si præsens fuerit, iubet; si vero absit, Magistratibus municipalibus tradi, eorumque obsequio transmitti. Quod de reis tradendis Magistratui municipali edicitur, vulgare & notum est, de quo ad *l. 5. inf. de exhibend. reis.* Verum quod de transmittendis Magistratuum municipalium *obsequio* additur, perperam hactenus accipitur. Nempe id indicari his verbis nonnulli putant, huiusmodi reum pro pœna Curiæ ministeriis addicendum: quomodo Fornerius pater *ad l. 173. de V. S.* Fornerius Fil. *1. Quotid. 28.* & Berterius *1. Pith. 10.* censuerunt (de quo alioquin pœnæ genere in Curias dandi, dicam ad *l. 66. 108. inf. de Decurion.*) Alii vero id indicari putant, vt obsequio Magistratuum tradatur; inter eius Apparitores, & in cohorte eius deinceps futurus. Sed nihil tale *hic* indicatur; verum, eum de quo *h. l.* agitur, *Magistratuum obsequio*, id est per ministerium ipsorum (*obsequio*, Auferendi casu, non Datiuo) ad Iudicem seu Rectorem prouinciæ transmittendum: Ex vulgata scilicet iuris sententia, qua rei a Magistratibus municipalibus detecti, prehensi, ad Præsides, eorum opera & ministerio, transmittebantur; vt docet *d. lex 5. inf. de exhibend. reis, l. 59. inf. h. t.* sed & actiones seu passiones Martyrum passim, & *Paratitlon de defensorib. ciuit.* Obsequii scilicet vox, de omni officio, munere, ministerio, vsurpata passim: de quo consule *Gloss. Theod.* 512

(a) Henr. Christ. Henninius *in not. ad Bergierii lib.* IV. 20. §. 9. *Boues* adhibiti maxime ad tardigradam vehiculationem siue clabularem. Ioh. Albert. de Mandelslob, *derömorum* V. Nob. *Itin. per Ind. German. ed. l. 31.* testatur tamen, dari hodie boues apud Indos, quibus spatio quatuor horarum, 6. milliaria germanica possint confici. At [illegible] Cuiacius *ad pr. 1. Cod. Iust. de curs. publ.* ex Eginhardo tradit, *Carolum M. iter fecisse carpento, iunctis bobus, & bubulco rustico more, agente*, eumque Cuiacium secutus Gutherius *de Off. dom. Aug. III. 14.* ac I. Gothofredus *ad leg. 9. Cod. Th. de curs. publ.* ibi illorum nemo inspexit ipsum Eginhardum, qui *in Vit. Carol. M. pr.* hoc ait, de postremis, ex gente Merovingica Francorum regibus, si reges dicendi sunt, qui verbo tenus per vmbram regnant, potestate omni pene maiores palatii florente, qui hos reges semel quotannis curru sublimes rure extractos hoc modo in vrbem vehebant, & ceu monstrum quoddam belluamue inusitatam populo ostentabant. De Carolo M. longe meliora vt excellenti equite & venatore tradit gener eius.

De

De ANIMALIBVS *cursus publici, virga tantum, aut flagro, non fustibus cogendis.*

II. (a) Idem A. ad Titianum. (b)

QVONIAM plerique nodosis & validissimis fustibus inter ipsa currendi primordia animalia (c) publica cogunt quidquid virium habent absumere, placet; Vt omnino nullus in agitando (d) fuste vtatur, sed aut virga, aut certe flagro, cuius in cuspide infixus breuis aculeus pigrescentes (e) artus innocuo titillo poterit admonere, (f) non vt exigat tantum quantum vires valere non possunt. Qui contra hanc fecerit sanctionem, Promotus (g) regradationis humilitate plectetur, Munifex (h) pœnam deportationis excipiat. Dat. Prid. Id: Maii, Sabino & Rufino CONSS. [316.]

N O T A E.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust.* hinc deformata est. *GOTHOFRED.*

(b) Hæc vnica *hoc Codice* Constantini Constitutio *Titiano* inscribitur. *IDEM.*

(c) *Animalia* publica *h. l.* & *l.* 10. 53. 60. *inf. h. t.* & *l.* 35. *inf. de operib. publ.* vide in *Paratitlo* plura, sunt Equi publico cursui deputati, vt *Tecßov. d. l.* 1. reposuit. *ID.*

(d) *Agitandi* vox propria. *ID.*

(e) *Pigrescentes* artus. *ID.*

(f) *Admonere* proprie. E multis Virgil. 10. *Æn. v.* 587. *Admonuit biiugos.* Spartianus Seuero *cap.* 11. *Equum ipse residens supra cadauer Albini egit, expauescentemque admonuit, vt effrenatus audacter protereret.* Admonitio fustium, *l.* 7. D. *de pœnis.* Plura in *Glossar.* Martialis, *admonere flagello equos.* Admonere, est vrgere, stimulare. *ID.*

(g) De *Promotis* his dicam ad *l.* 2. *inf. de falsa moneta. ID.*

(h) De *Munifice*, mox dicam. *ID.*

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc Constantini M. circa *cursum publicum* constitutio est; qua ANIMALIBVS publicis (id est Veredis, equis) consultum it aduersus nimietatem & sæuitiam ea cogentium. Igitur, non fustibus, qui ferme nodosi & validissimi, verum virga aut flagro admoneri ea excitarique vult. Nempe fustis virga aut flagro grauior est, vbi modus non adhibetur, veluti in animalium admonitione, *hac l.* & seruorum emendatione, *l.* 1. *inf. de emendat. seruor.* quia fustim enecari quis potest facilius. In pœnis publicis moderata ξυλοκόπια seu fustuarium, fustium admonitio, leuior est flagellatione, vel virgindemia: illa quippe in liberas personas humiliores, hæc grauior & ignominiosior in seruos de more exercebatur, vt docet *lex* 7. 10. 28. §. 1. & *seqq. D. de pœnis:* de quo plenius non vno loco Parens meus sanctissimæ memoriæ accurate. Atque hac iam differentia conquiescat æstus quærentium, vtrum fustuarium flagellatione vel virgindemia grauius sit, vel leuius. Quod quidem ex Lampridii loco *in Alexandro Seuero c.* 51. statui non potest: Cum ait, *militem qui de via in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci aut fustibus subiectum in conspectu eius, aut virgis aut condemnationi: aut si hæc omnia transiret dignitas hominis, grauissimis contumeliis.* Virgæ enim ibi medio loco positæ inter fustuarium & condemnationem: quo sane vtroque virgæ grauiores fuere: Nam *condemnatio* ibi nil aliud est: quam multa pecuniaria, vt ostendi ad *l.* 12. 16. *sup. de re militar.* qua sane grauior est fustium ictus, *l.* 10. §. 2. *in fin. D. de pœnis.* Et hæc obiter.

Ergo nimietatem cogentium animalia cursus publici reprimit *h. l.* Constantinus M. quia & nimietate cogendi extingui ea facile possunt (quomodo de Apodemio narrat Ammianus Marcellinus, *initio lib.* 15.) & vires eorum absumi, vt *hac l.* dicitur. Virga igitur, aut flagro ea admoneri vult: & quidem flagro, in cuius cuspide breuis aculeus infixus erat quo scilicet pigrescentes artus innocuo titillo admouerentur. Aculeata scilicet hæc flagra fuere & hamata, vnde & *Scorpiones* dicta 5. Isidor. *cap.* 27. Tertullianus, *scorpiaco adu. Gnosticos c.* 1. *Proinde scorpius feriet illa nodorum venenata intrinsecus venula subtilis, arcuato impetu surgens hamatile spiculum in summo tormenti ratione stringit.* Et hactenus quidem interdictum.

Pœnam autem *Regradationis* Constantinus comminatur Promoto: cuius Regradationis pœnæ alia exempla occurrunt apud Ammianum Marcellinum *lib.* 15. *c.* 3. *lib.* 24. *c.* 5. & *l.* 16. *de desertorib. l.* 10. *sup. de re militari: l.* 1. 2. 3. *de Commeatu:* & *l.* 3. §. 1. *D. de re militari:* Hieronymum *ep. ad Pammachium aduers. error. Ioan. Hierosol. p* 155. *Tom. II. Oper. edit. Francf.* καταστρατισμὸς in *vet. Gloss.* *Munifici* vero pœnam deportationis. *Promotus* & *Munifex* hic opponuntur, vt *l.* 2. *infr. de falsa moneta:* pariter vt promotus & miles: & vterque priuato opponitur: Nempe, quod etiam docet *lex* 2. *infr. ad Leg. Iul. de Ambitu.* Promotus, erat qui ad gradum aliquem promotus erat: de quo dicam plene ad *d. l.* 2. *inf. de falsa moneta*, vbi etiam ostendam, quid P. 513 inter Promotum & Beneficiarium intersit. Vnde & Regradationis pœnam ei comminatur *h. l.* Constantinus. *Munifex* vero gregarius miles, vel cohortalinus. Nempe, vt in militia armata, ita & in Officiali alii promoti, alii munifices fuere: illi iam in gradu aliquo constituti, hi Gregarii: Festus, *Beneficiarii dicebantur milites, qui vacabant muneris beneficio* (id est, immunitate) *e contrario munifices vocabantur, qui non vacabant, sed munus Reipubl faciebant.* Vegetius *lib.* 2. *c.* 7. *Principales qui priuilegiis muniuntur: Munifices qui munia facere coguntur.* Ammianus Marcellinus *lib.* 16. *cap.* 5. *Munificis militis vili & fortuito cibo contentus:* & lib. 25. cap. 2. *Pultis portio parabatur exiguo*

quo etiam munifici fastidienda gregario. vide late Lipsium *de militia roman. lib. 5. dial. 6.*

Ex his interim duo hæc discimus: Primo, *Promotos* & *Munifices* cursum publicum peregisse: procul dubio missos a Tribunis & Rectoribus militaribus. Quomodo & Beneficiariorum opera ad id vsi, teste Spartiano *in Adriano c. 2.* de quo dixi ad *l. 5. sup. de cohortalibus.* Secundo & hæc quoque *lex* exemplum præbet pœnarum diuersitatis pro gradu reorum.

De AGMINALIVM *seu* PARAVEREDORVM *exactione & vsurpatione, quibus ea & quatenus pateat, vel non.*

III. (a) Idem A. ad Acindinum PF. P. (b)

PRæsidibus, & Rationalibus, ceterisque quibus propterea Respublicæ & annonas & alimenta pecoribus (c) subministrantur, vsurpandi agminalis seu parauerεdi licentia derogetur. Quibus illud quoque licere non patimur, ne (d) quid de prouincialibus citra (e) ordinem poscant, nisi hii tantum quorum fides cognita est, cum vsus necessitatis exegerit. Vestræ vero Grauitatis, (f) vbi ratio exegerit, cursus publicus præsto est: quibus si a publico itinere aliqua militari via deuertendum fuerit, vbi euectio (g) non erit, publicis vtemini agminalibus, sed modice & temperate tantum ad vsum proprium necessariis: Quæ res si neglecta fuerit, vobis æstimationis vestræ notam incurrentibus, Præsides periculum sustinebunt, cum super hac re Exploratores (h) iam missi sint. Quæ enim mala nostris prouincialibus inferantur, conici ex eo etiam potest, quod nostris itineribus, quos publica vtilitas monet, magna atque anxia dispositione, (i) vix vicenorum agminalium numerus subministrari queat. PP. XV. Kal. Mart. Const. A. VII. & Constantio Cæs. CONSS. [326.]

N O T A E.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* hinc miris modis interpolata est. *GOTHOFRED.*

(b) *Acyndino* Præfecto Prætorio inscribitur Constantii *lex* A. 338. *lex 4. de temporum cursu*: quæ dicitur *Data & PP. Antiochiæ.* Item A. 340. *lex 3. in fin. de custod. reorum.* In hunc extat Symmachi epigramma, vbi eum Præfectum Pretorio Orientis fuisse ostendit, *lib. 1. ep. 1.*

At mihi castrensem quod mordet fibula vestem
Aurora in populis Regum Pretoria rexi.

De eo vide & Augustinum *lib. 1. de sermone Domini in monte*, *p.* 1172. 1173. vbi memorabile eius iudicium prolixe refert in causa quadam Adulterii. Idem fuit & Cos. A. 340. de quo idem etiam Symmachus *ibid.*

Si fasces pictura tacet, tu respice Fastos

Item,

Hic [Baulis] *Consul clarum produxit Acyndinus æuum.*

Quibus tot temporum characterismis consideratis malim hanc legem *Constantio* tribuere, eamque ad A. D. 319. referre. *IDEM.*

(c) Animalibus, equis. *ID.*

(d) Duplex abnutiuum. *ID.*

(e) Extra. *IDEM.*

(f) *γρ. Grauitati.* Quanquam & illud forte retineri possit, vt referatur ad vocem, *ratio. ID.*

(g) *Euectio* hic pro ipso Cursu publico: Alias *Euectio*, pro facultate. vel etiam pro diplomate cursus publici vsurpandi, vide *Paratitlon. ID.*

(h) Exploratores: de his & *l. 4. prox. circa fin. ID.*

(i) *Dispositionis* vox hic propria, pro prouisione, vt alibi sæpe etiam apud Capitolinum, Ammianum Marcellinum. vid. *Gloss. Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

DE AGMINALIVM seu PARAVEREDORVM exactione & vsurpatione, est hæc Constantini M. (tertia in argumento Cursus publici) constitutio. *Agminalium* equorum non tantum *h. l.* idque tribus locis mentio fit, verum etiam *l. 6. inf. h. t.* & *l. 18. §. 21. D. de mun. & honorib. Patrimoniorum*, inquit, *munera duplicia sunt: namquedam ex his muneribus possessionibus siue patrimoniis indicuntur, veluti Agminales equi, vel mulæ, & angaria, atque verhedi, &c.* Quæ quidem lex auctorem habet Arcadium Charisium Iurisconsultum Constantinopolitanum, qui circa hæc ipsa Constantini tempora scribebat, vt *alibi* ex professo probo. Ex his sane omnibus legibus apparet, *Agminales equos* exactos fuisse a prouincialibus, & quidem ex possessionibus seu patrimoniis, atque adeo inter munera patrimonii fuisse: Et quidem, quod hæc *lex* sola docet, exactos & vsurpatos: *vbi a publico iti-*

nere aliqua militari via diuertendum erat, vbi scili-
p.514 cet Enectio seu cursus publicus non erat. Nempe cursus publicus seu fiscalis, quod hæc *lex* docet, in publico itinere tantum erat: non in militaribus viis (de qua differentia postea) *aux chemins de trauerse.* Vnda iidem & *paraneredi* promiscue dicti *h. l.* quorum præterea mentio fit *l. 6. 7. 15. 16. 59. 63. 64. in fin. h. t.* sic enim *h. l.* παραλλήλως dicitur *agminalis seu parauredus*, & *l. 6. inf. agminales ac parauredos.* Qui postea hac ipsa leg. *Agminales* simpliciter bis dicuntur: Nempe *parauerεdi* dicti eadem ratione qua *parangaria*, διὰ τῆς ἐκ πλαγίας ὁδοῦ (de quibus *ad l. 15. infr.* plene:) sic iam duo hactenus ferme ignorata tenemus; Primo vtrosque parauεredos scilicet & parangarias, non in via publica, sed transuersa & militari (de quo mox) & canali fuisse: Secundo, parauεredos eosdem cum Agminalibus esse.

Cur autem ita dicti? An quod agmini exercitus transmittendo, & conuehendis impedimentis præbiti, quod censuit Budæus *ad leg. 18 §. 21. D. de muner. & honor.* cui sententiæ videatur sauere hæc *lex*, quæ ostendit, eos exactos in militari via, vbi cursus publicus non erat? An quod agmina quædam equorum in ciuitatibus seu prope ciuitates ad eum finem a prouincialibus haberentur, seu alerentur? Istud verius puto; argumento totius huius *leg.* quæ spectat ad Rerum publicarum seu ciuitatum & prouincialium vtilitatem. Et in qua etiam *publici agminales* dicuntur, & hac agminalium præbitione seu vsurpatione, *mala prouincialibus inferri* dicuntur. Tandem & argumento finis *legis*, vbi de vicenis agminalibus agitur. Ergo *Agminales* ἀγελαῖοι. Quare inanis sententia nuperi Scriptoris Bergierii, *des grands chemins 4. cap. 12. num. 4.* (a) qui ideo Agminales dictos tradit, quod nonnisi aliquo Hippocomo comitante currerent. Sed & Cuiacii error est, qui *ad d. leg. 18. §. 21. D. de mun. & honor.* Parauεredos videri fuisse ait maiores equos Agminales, quasi quod agmeo sequerentur exercitus, conueherentque impedimenta: *Le bagage.* Parauεredi enim siue agminales a veredis non magnitudine distabant, verum exactione & loco, quia veredi in viis publicis; parauεredi seu agminales, vt paraogariæ, in militari seu transuersali & obliqua via & Canali; φορβάδας Græci νομάδας, βοσκομένας, vt Suidas explicat *voc.* φορβάδων. φορβὰς ἵππος Equus gregarius seu Agminalis, qui cum aliis pascitur. Oppianus *lib. 1. v. 146.*

Μυκάδας ἀντ' ἐρίφω, καὶ φορβάδας ὠκέε πώλω.

Ita φορβάς βοῦς apud Apollon. *Argon. 2.* Sic apud eundem Suidam *loc. cit.* φορβὰς γυνὴ, ἡ πολλοῖς προσομιλοῦσα τροφῆς χάριν. *mulier qua cunnis sui copiam facit.* vide & Scholiasten Nicandri: Tatianus quoque ἵππον φορβάδας dixit.

Iam de ipsius *leg.* sententia: Ergo a Constantino M. si modo Constantinus auctor *huius l.* est; vetantur *hac l.* vsurpari & exigi agminales seu parauεredi a Præsidibus & Rationalibus cæterisque; verum a solo PP. idque modice & temperate ad vsum tantum proprium. Interdictionis autem istius triplicem rationem reddit. Quam omnem insinuat quoque Theodoricus Rex apud Cassiodorum *V. Var. 39.* *Parauεredorum subuectiones exigere, eos qui habent veredos adscriptos, prouincialium querela comperimus: quod nullum penitus sinatis præsumere, quando per turpissimos quæstus & possessor atteritur & commeantium celeritas impeditur.* Vide eundem & *lib. XI. ep. 14.*

Prima ratio ipsos Præsides & Rationales respicit, nempe quod propterea Respublicæ eis annonas & alimenta pecoribus eorum subministrent, qui suis animalibus currant & itinera faciant. Nempe, quod aliunde notum (de quo etiam iam dixi *ad l. 4. sup. de off. Rectoris prouinc.*) annonæ & capitum e publico Rectoribus & Rationalibus aliisque data, Ne videlicet prouincialibus graues essent. Et quidem a *Rebus publicis*, id est, ciuitatibus, quomodo habet lectio *huius leg.* nam *Codice Iustinianeo* Tribonianus in singulari reposuit *Respublica subministrat*, & fiscum intelligi voluit. Sane Annonas has per procuratores Curiarum datas docet *lex 32. sup. de erogat. mil. ann.* Sic & Gratianus postea *l. vlt. sup. de off. Iudicum omnium:* Iudicem operam dare voluit, vt Prætorium suum ipse componeret seu annonis instrueret, sibi a Principe constitutis, neque quicquam eo nomine a prouincialibus superexigeret. Ergo cum illis iam a Rebus publicis & annonæ & capitum præberentur, noluit Constantinus M. ab his agminales exigi: Imo (quod secundum) neque extra ordinem aliquid amplius annonæ aut capiti.

Secunda ratio huius interdictionis respicit Prouinciales: nempe quia promiscua hac agminalium seu parauεredorum exactione prouinciales prægrauarentur, malaque his inferrentur.

Tertia respicit ipsum Principem: quia per hanc vsurpationem id fieret, vt iam ipsomet Principe Constantino M. commeante, seu iter faciente pro publica vtilitate, per viam transuersam & militarem, paucissimi admodum agminales subministrari ei possent, & vix viceni. Vnde quoque apparet agminales equos plures vicenis vno loco fuisse, vnde forte etiam *Agminales* de quo *supra.*

Secundo hinc apparet, perperam ex hoc loco nonnullos & in his Bergierium *tit. 4. c. 12.* conjecturam sumpsisse de numero animalium cursus fiscalis, qui in singulis stabulis erant vel mutationibus: *Agminales* enim, vt vidimus equi, non Cursus publici, seu fiscales erant; verum Reipublicæ: de quo rursum ad *l. 34. inf.* Procopius certe *hist. arcan. cap. 30.* scribit quadraginta equos in singulis mansionibus stabulatos, ἵπποι δὲ ἐςαῦτα ἐς τεσσαράκοντα ἐν ςαθμῷ ἑκάςῳ.

Illud *h. l.* notandum *publicum iter* a *militari via* distingui: Et ita quidem, vt ostendat, cursum publicum seu fiscalem in publico itinere fuisse, non vero in via militari: sed agminales tantum seu parauεredos prouincialium. Cum tamen hactenus *via publica & militaris* pro eodem accipiantur, etiam a Theophilo *§. 5. Inst. de leg. Aquilia.* Sane *militaris via* mentio quoque fit apud Vlpianum, *l. vlt. §. 1. D. de locis & itinerib. publ.* Hyginum *de Limit. constit. pag. 152. int. Script. Rer. agrar. W. Goesii.* Latinum & Myrsuntium *pag. 254. edit. cit.* & varios Auctores *de coloniis pag. 146. ed. cit.* Eumenium *in Gratiarum actione, c. 7.* Isidorum *lib. 15. c. 16.* Neque tamen ex vllo eorum loco colligi satis potest publicam & militarem viam eandem fuisse. De singulis ordine.

Eumenii verba hæc sunt: *Statim*, inquit, *ab eo flexu, & quo retrorsum via ducit in Belgicam, vasta omnia, inculta, squalentia, muta, tenebrosa etiam Militaris via, sic confragosa & alternis montibus ardua atque praceps, vt vix semiplena carpenta, interdum vacua transmittat: ex quo sæpe accidit vt et, sequia nostra tarda sint, cum paucarum frugum nobis difficilior sit euectio quam ceteris plurimarum.* Indicat Eumenius annonariarum specierum & tributorum subuectionem factam per vias militares: Et quidem primis quoque verbis satis indicatur, eas fuisse *per flexum*,

Imo

(a) Vide Cl. Henninium *in obseruat. ad Bergierium pag. 747. & 748.*

Imo exerte Hyginus *viam publicam militarem* a *via publica* separat. *Actuarii*, inquit, [limites] *extra maximos Decumanum & Cardinem, latitudinem habent pedum* XII. *Per hos iter populo ficut per viam publicam debetur: ita enim cautum est lege Sempronia & Cornelia & Iulia. Quidam ex his latiores sunt* XII. *pedibus, vt hi, qui sunt per viam publicam militarem acti, habent enim latitudines via publica.*

P. 535. Latini & Myrsontii hæc verba sunt: *Termini Tiburtini, Silices, tofinei, igusferi, spatula cursoria, structura parietum in modum linea. monumenta finalia militari via non coniunguntur.* Auctores de coloniis: *Certa loca via militaris finem faciunt, alibi vero deuexa montium ripa currentes finem faciunt, &c.*

Vlpianus, *Via vicinales, qua ex agris priuatorum collatis facta sunt, quarum memoria non extat, publicarum viarum numero sunt. Sed inter eas & ceteras vias militares hoc interest, quod via militares exitum ad mare aut in vrbes aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent. Harum autem vicinalium viarum dissimilis conditio est: nam pars earum in militares vias exitum habent, pars fine vllo exitu intermoriantur.* Non temera est, quod viæ militares ab Vlpiano dicuntur aliæ exitum habere ad mare, aliæ ad Vrbes, aliæ in flumina publica. Nempe quia & miles & annona ad vsum militiæ eo tenderet, vel ad mare, vel ad vrbes, vel ad flumina: Et vice versa vicinales ex agris in militares vias, eodem fine cum publicarum viarum & Basilicarum consularium vsus esset recta a ciuitate in ciuitatem insigniorem semper: Ergo militares viæ quidem publicæ: at non omnes publicæ, militares. (a) Quare Hygenus *viam publicam militarem* dixit: quomodo etiam vicinales & ipsæ quæ in viciniis sunt, vel quæ in vicos ducunt, quandoque publicæ fuerunt: *l. 2. §. 22. D. ne quid in loco publ.*

(a) Henr. Christ. Henninivs *not. ad Bergier. lib.* III. 51. § 2.

Hæc curiose *Gothofredus*, innuens, *militarem viam* fuisse transuersalem, obliquam *πάροδον*, at *viam publicam ἁπλῶς* dictam, *basilicam* siue *consularem* fuisse rectam, siue in directum. Salmasio quoque *Plin. Exercit. p.* 678. *ed. Paris.* sed *pag.* 477. *ed. Vltraj.* placuit fere idem: „Ex viis Publicis quasdam esse vel *regales*, quæ & „*Consulares* & *Pretoria* dicantur; vel *Militares*; alias ad vsum populi ad exportandos fructus in agris fa„ctas, quæ & *Vicinales* & *Agraria* aliisque nominibus appellentur.„ Nobis videtur, *Vias Publicas*, *Pratorias Regias*, *Consulares*, *Militares*, *Basilicas*, solo nomine, non re aut iure differre, sed esse easdem, distinctas vero ab *Vicinalibus* viis, quæ licet subinde *Publicarum* nomine *καταχρηστικῶς* censeantur, *Militares* tamen nunquam vocantur, nec sunt. Nec obiiciat nobis Gothofredus *d. l.* 3. *Si a publico itinere aliqua Militari Via deuertendum fuerit, vbi euectio non erit publicis vtemini agminalibus.* cum hæc verba interpolator Tribonianus optime explicet *in l. 2. C. I. eod. tit.* istis: *nec per aliam Viam eundi*, (paraueredis) *quisquam habeat facultatem, nisi per quam cursus publicus stare dignoscitur: excepta Tua* (Præf. Præt.) *sublimissima sede.* Ergo publicum iter hic est, vbi erat *cursus publicus* siue *Fiscalis*; neque enim in omni & quauis vbique militari via erat *Cursus publicus*; sed vbicunque erat cursus publicus, ibi illius iter erat in via publica, siue militari, non versa vice vbicunque erat via militaris, ibi erat cursus publicus. Ergo si in *publico cursus itinere*, aliqua alia Via militari, per quam cursus publicus non stabat, deuertendum erat, tum solus Præfectus Prætorio poterat exigere, equos agminales seu Parauerедos a prouincialibus; idque modice & temperate ad vsum tantum proprium; Præsides vero, Rationales, cæterique non poterant exigere eosdem equos agminales. Nam nec Eumenius *gratiar. act. c.* 7. nec auctores *rei agraria*, nec Isidorus *Etymolog. XV.* (non XXV vt male Gothofred. prior. edit.) 16. nec ICC. *Viam publicam, regiam, basilicam. Pratoriam* distinguunt *a Militari*, quod tamen affectat Gothofredus *ll.* Eumenius *ll.* contra ipsum Gothofredum meminit *flexus*, quo *retrorsum via ducit in Belgicam, vbi fit tenebrosa via Militaris, vt vix semiplena carpenta, interdum vacua, transmittat: ex quo sape accidit*, ait, *vt obsequia nostra tarda sint, cum paucarum frugum nobis difficilior sit euectio.* Ergo hic erat *euectio*, adeoque Cursus publicus, ad *Viam Militarem.* Hyginus de *Limit. p. m.* 152. plane non distinguit, audi eum: *Actuarii autem limites, extra maximos, Decumanum & Cardinem, latitudinem habens pedum XII. Per hos iter populo, sicut per viam publicam debetur. Ita enim cautum est lege Sempronia, & Cornelia & Iulia. Quidam ex his latiores sunt XII pedibus, vel hi, qui sunt per viam publicam* (*Militarem*) *acti. Habent enim latitudines via publica. Linearii limites mensura tantum disterminanda caussa sunt constituti: & si finitimi interueniant* (s. iter volunt) *latitudinem secundum legem Mamiliam accipiunt. In Italia itineri publico seruiunt sub appellatione subruncinorum, habent latitudinem pedum octonum. Hos conditores coloniarum fructus asportandi caussa publicauerunt. Nam & possessiones pro eximio vbertatis angustiores sunt assignata: ideoque limites omnes non solum mensura, sed & publici itineris caussa, latitudines acceperunt.* Vides in hac re Viaria, *Viam publicam*, *Militarem*, *Iter publicum*, esse synonyma, contra Gothofredum & Salmasium. Cæteri Auctores rei agrariæ nominant *militarem viam*, & *Iter Publicum* indifferenter. Sic Latinus & Myrsontius *pag.* 254. *Monumenta finalia Militari via non coniunguntur*, pro quo *pag.* 254. Mago & Vegoia: *Monumenta finalia non coniunguntur itineri Publico; at maxime, quod Auctoris nomen obtinet, & per Redemptores & Magistros pagorum munitur: sed ab itinere publico separata sunt.* Pag. 146. Frontin. *de Colon. Certa loca via Militaris finem faciunt, alibi vero deuexa montium, ripa currentes finem faciunt.* Hygin. *de Limit. pag.* 163. *Via consularis.* Sic Flaccus *de condit. agror. Via Publica Regalesque, qua publice muniuntur.* Isidorus *l. a. Omnis autem Via aut publica est aut priuata. Publica .... ad mare aut ad oppida pertinet.* Sic ICC. Græci: Theophilus §. 5. *Inst. de L. Aquil.* pro eadem accipit *viam publicam* & *militarem.* Latini: Vlpianus *L. 3. D. de Loc. & itin. publ.* vias diuidit tantum in duas species *Vicinales* & *Publicas* & disertius *L. 2. §. 22. D. ne quid in loc. publ. Publicas vias dicimus, quas Graci βασιλικὰς, id est, regias, nostri Pratorias, alii Consulares vias appellant.* Porro, quod ait hac Gothofredus *ll.* Consularem viam non habere exitum ad mare, aut ad flumina publica, hoc gratis & fine lege dictat; quid ergo obstat, quo minus habeat? *Consularis Via* fine dubio est *Appia*, Hygino *de Limit pag.* 163. atqui illa ad mare & Traiectum Brundusinum habebat suum exitum. *Itin. Anton. p.* 72. Quare desidero hic etiam iudicium Ziegleri, qui vidit quidem aliqua ex parte errorem Gothofredi, eundem tamen ex parte adoptat, dum ait *de Iuribus Mai.* II, 17. *n.* 4. *illud constat, cursum publicum seu Fiscalem in publico itinere fuisse, non in Via Militari.* contra clara Suetonii verba *Aug. cap.* 49. quasi *via militaris* non esset *publicum iter.* deinde mirifice conficit, „fuisse ergo *viam publicam Consularem*, dictam forte illam, quæ in directum procedit ab Oriente in Occidentem, „aut a Meridie in Septentrionem, quales forte paucæ fuerint in vna prouincia. *Militares* vero plures, quæ „ex quacunque ciuitate in aliam, vbicunque eæ sitæ fuerunt, duxerunt.„ Sed hæc ex dictis facile possunt refutari. Salmasii auctoritas Gothofredo, huius Zieglero, præbuit errandi occasionem. Paulo altius hæc fuerunt repetenda, ne Beegierius, & in operis sui fronte & passim in opere, ob tantorum virorum auctoritatem & nomen, erroris aut confusionis esset suspectus, aut iure insimulandus videri posset.

De COMMERCIO ANGARIARUM *interdicto: licita contra Comitis itineris adsciscendi facultate.*

IV. (a) Idem A. Menandro. (b)

CERTIS nuntiis compertum est, quod plures, veluti sibi ac necessitatibus (c) propriis petitas, (d) angarias taxato pretio distrahunt: Quamuis itaque raro posthac & non nisi merentibus (e) euectiones (f) præbendæ sint, omnes tamen qui vbique sunt cursus publici obseruatione destricti (g) inquirant, si quis in hoc genere criminis possit intercipi, vt emptor & venditor in insulam relegetur: illis etiam, qui obseruare iussi sunt, pro dissimulatione vel neglegentia idem supplicium luituris. Non improbum (h) tamen est, si is qui angarialem (i) habet copiam, ad tutelam vitæ, (k) vel laborem adeundum (l) itineris, pro solatio sibi quendam sociauerit: Namque hoc factum, meretur veniam, nec latere poterit explorantes; (m) illud, pœna superius dicta plectendum est. Super qua re Proconsules, Rectores prouinciarum, (n) Præfectos vehiculorum, ac que omnes qui cursui publico præsunt, admoneri (o) conueniet. Dat. X. Kal. Iul. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. CONSS. [326.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Concordat vero huic legi *lex* 41. *inf.* GOTHOFR

(b) *Menandro* huic inscribitur quoque Anno 321. *lex* 2. *inf. de operib. publicis:* & A. 328. *lex* 2. *inf. de alim. quæ inop. par.* vbi Africæ fit mentio. Proculdubio fuit is PP. arg. *huius l. infr.* ID.

(c) *Necessitatibus*, id est vxoribus, familiis suis, vt *l.* 3. *supr. de re milit.* & Ammianus Marcellinus *lib.* 20. *cap.* 4. *Iulianus contemplans rationabiles querelas* (Petulantium) *cum familiis eos ad Orientem proficisci præcepit, clabulariæ cursus facultate permissa.* IDEM.

(d) A me Principe. IDEM.

(e) Palatinis & bene meritis, vt habet eiusdem Constantini *lex* 1. *sup. de priuil. eor. qui in S. Palat.* ID.

(f) *Euectiones* sunt diplomata & licentia euehendi, seu Cursus publici: vide *Paratitlon & Glossar. Theodos.* Augustinum, *lib.* 5. *conf. cap.* 13. & Dioscorum *ep.* 55. *inter Augustini epistolas.* quæ loca excitauit Cl. Pancirollus *Notit. Imp. Or. cap.* 6. ID.

(g) *Destricti*, id est obstricti, destinati, occupati. IDEM.

(h) *Improbum*, id est improbatum, illicitum. ID.

(i) *Angarialis* copia, id est copia & facultas angariæ vsurpandæ. ID.

(k) Forte *via.* ID.

(l) Forte *adimendum:* Sed nil temere muto. ID.

(m) Exploratores Cursus publici. ID.

(n) Ita locus hic interpungendus. Nam error est viri docti qui *Prouinciarum Præfectos*, pro Rectoribus hic somniat: Imo *Præfecti vehiculorum* hic alii sunt. ID.

(o) A te scilicet Præfecto Prætorio sub quo fuerunt Rectores Prouinciarum. ID.

COMMENTARIUS.

DE COMMERCIO & COMMUNICATIONE ANGARIARUM impetratarum, est hæc Constantini M. constitutio, quæ quarta est e Constantinianeis in argumento cursus publici: qua differentia constituitur inter venditionem, & comitis siue socii adscititionem. De qua prius quam ago, de *Angariis* semel occupatis hic videndum est: de quibus agitur insuper *Rubr.* & *l.* 11. 16. 21. 28. 30. 45. 48. & *l. vlt. inf. h. t.* & *l.* 9. *inf. de legatis* & *l.* 5. *de Curiosis.*

De nomine monere superfluum puto, cum omnes sciant & consentiant, ab initio vocem hanc Persicam fuisse, vbi *Angari* vel *Astanda* τοῦ βασιλέως ἄγγελοι & γραμματοφόροι dicebantur. (a) Exinde secundo significatu, commeandi, laborandi, *necessitati* omni, ac ferme cum onere, Angariarum & Angariandi nomen tributum, vt vel ex *Euangelio Matthæi cap.* 27. *v.* 32. liquet, *Suida*, *voc.* Ἀγγαρεία, & *voc.* Ἀστάνδαι. Hesychio *voc. eisd.* *Pandectis*, & *Codice*, *Glossis Isidori*, & ex singulari Libanii *oratione* περὶ ἀγγαρειῶν, quam nuper edidi. Qua voce Libanius morem eum indicat & improbat, quo Agricolæ in vrbem commeantes mox in agrum redituri, a Magistratibus detinebantur ruderis egerendi gratia: & in id Asini eorum, & muli vsurpabantur. Hinc & *Angariales muli*, ἀγγαροι ἡμίονοι Libanio, Apud Aretam in *cap.* 18. *Apocal.* (quem locum excitat etiam Cl. Pancirollus *Notit. Imp. Or. cap.* 6.) ἵπποις καὶ τοῖς διὰ τούτων ὀχήμασι ἡ παλαιὰ μὲν φωνὴ Ἀγγάρας ἡ δὲ τῶν ἑλλήνων P.516 δημοσίους ἱπποστάθμους, ἡ δὲ τῶν Ρωμαίων ῥαίδας, ἀφ' οὗ καὶ ῥαιδάριος. *Equis autem, & his similibus, quos veteres angarios, Græci equos stationarios, romani vero rhedam appellant, a qua rhedarius derivatur.* Tandem vt aliis vocibus euenire solet, tertio & postremo significatu Angariarum vox tributa grauissimo & tardissimo commeandi generi, cursuique publico vehiculari. Nam quod nonnullis legibus superioribus docemur, cum cursus publi-

(a) Vide hic Nicol. Bergierium *de publ. & militar. imper. rom. viis lib.* 4. *Section.* 4. §. 2. 3. 4. *pag.* 411. *Tom. X. Thes. Antiquit. Rom.* & notas doctissimi Henr. Christ. Henninii *pag.* 731. 732.

publicus alius velox cursus esset, quomodo vocatur *lege 62. inf. h. t.* (vbi plura) qui scilicet peragebatur aut veredis seu equis: vel etiam vehiculis & subiunctoriis velocioribus, puta redis, carris, &c. Alius, sic vt dicam, tardigradus erat & grauis, nempe per *Angarias*, quæ boum protelo ducebantur, sic vt bina boum paria his, neque vltra aptarentur, vt docet exerte *lex 11. infr. h. t.* trahendo scilicet oneri mille quingentorum pondo, *l. 28. & 30.* Hinc adeo Angariæ a cursu separantur, *l. vlt. h. t.* & *huius tit. rubr.* & a reda, *l. 48. inf.* seu reda cursuali, *l. 9. inf. de Legatis:* redis & nauibus opponuntur, *l. 48. inf.* Quare ex his iam apparet, errasse Græcos *lib. 56. Basil.* & post eos alios, etiam Doctiss. Bergierium *de Itineribus Imperii Rom. lib. 4. sect. 25. §. 6.* qui vt Angarias a parangariis distinguerent, *Angarias* in genere defioiuerunt Cursum publicum, & quidem per viam publicam directam, & qua Cursus publicus dispositus erat: parangarias aliouersum: (a) Quæ quidem distinctio vera est, si modo addidissent quodnam genus Cursus fuerit, non tantum ratione loci: quo sane contemplato eadem definitio competit veredis & parauetedis: *Schol. Basil. lib. 56. tit. 18. c. 11.* καὶ ἐστὶν ἀγγαρεία μὲν ἡ πάροδος ἡ διὰ τῆς δημοσίας ὁδοῦ τῆς καὶ δρόμον ἐχούσης, ὡς τυχὸν ἐντεῦθεν ἐπὶ Τύρον: παραγγαρεία δὲ ἡ διὰ τῆς ἐκ πλαγίας ὁδοῦ, ὡς τυχὸν ἐντεῦθεν ἐπὶ Ἡλιούπολιν. Quo interim ex loco colligere mihi videor, Auctorem istius scholii *Berytium* fuisse: Recta enim via Berytiis Tyrum fuit: per obliquum vero, Heliopolim: Nam & ita in *Itinerario Peutingeriano. Ptolemaide* XXXII. *Tyro* XXIII. *Sydone* XXIX. *Beritho* VII. *Biblo* XII. *Eliopoli* XX. Ergo Angariæ sunt cursus publici species, & quidem vehicularis: Quod docent etiam extrema huius legis, vbi ideó de Præfectis Vehiculorum agitur. Item *lex 21. inf.* quæ agens de Angariis, de Rotarum mitura loquitur, quæ bubus fiebat. Quem eundem facio cum cursu clabulari, de quo alioquin plene *ad l. 2. & d. l. 5. sup. de Curiof. & l. 23. & 62. inf.* Quod diserte ostendit *lex 5. sup. de Curiosis. E cursu*, inquit, *clabulari singulas angarias in his scilicet stationibus in quibus cursus est conlocatus ad exhibendam humanitatem venientibus excurretis.* Qui quidem Clabularis ideo veloci cursui opponitur *l. 62. inf. h. t.* vt angariæ simpliciter cursui, *l. vlt. inf. h. t.* vel redæ cursuali, *l. 9. inf. de Legatis*, vel etiam rhedis & veredis, *l. 30. inf. h. t.* Sic liquet, Angarias fuisse cursum publicum vehicularem διὰ ὀχημάτων, vt Aretas quoque *loco superiore*, ferendis oneribus & impedimentis charitatibus & familiis destinatum: vnde dicuntur *h. l. necessitatibus propriis peti.* Quomodo etiam Ammianus Marcellinus *lib. 20. cap. 4. Iulianus Petulantes cum familiis eos ad Orientem proficisci praecepit clabularis cursus facultate permissa.* In *l. 5. sup. de Curiosis: ad exhibendam humanitatem venientibus excurati.* Eodemque pertinet quod Ammianus Marcellinus iterum scribit *lib. 20. cap. 8.* quod cum Florentius Præfectus Prætorio a Iuliano ad Constantium profectus esset: *necessitudine omni relicta*, Iulianum sciri volentem quod præsenti pepercisset, *charitates eius cum re familiari intacta publici cursus vsu permisso ad Orientem redire tutus imperasse.* Quare transuehendis speciebus fiscalibus destinatæ hæ angariæ, quod postremum docet *l. 48. infr. h. t.* Hinc adeo Iuliaous *d. l. 16. infr.* cum veredorum & paraueredorum discursus amputasset in Sardinia, angarias tamen non submouit, propter publicas videlicet species, vt diserte ait, quæ ad diuersos portus erant deferendæ. De quo plenius *ad d. l. 16.*

Ex superioribus iam patet, clabularium cursum vt aliis, ita & militibus concessum, quoties transferri eos de loco in locum oporteret, quod testatur exerte *l. 22. Cod. Iust. eod. tit.* Sed oon cum velociter transferri oporteret. Nam imo & Ammianus Marcellinus *lib. 21. cap. 13. Vt vehiculis*, inquit, *publicis impositum paulatim præmitteret militem.* Quamquam neque hic locus tantum de Clabulari est. Sed neque ægrotantium tantum militum causa hic cursus clabularis permissus, quod vir Doctus scripsit: verum vel familiis & charitatibus transferendis, vt in prædicto Marcellini loco, & *d. l. 22.* vel annonæ & speciebus fiscalibus transferendis, *h. l. & d. l. 22.* Vel denique Legatis, *eadem l. 22.* Neque id etiam ait *l. 11. infr. h. t.* ea quippe id definitur, regulariter non nisi singulas angarias concedi posse, forte iis qui castrensibus in palatio muniis defuncti essent, duas nonnisi concedi posse si ægri essent.

Nunc de sententia *legis*. Angariarum igitur *commercio* interdicit *hac l.* Constantinus M. pariter vt Valentinianus Sen. annonarum seu tractoriarum commercio, *l. 1. inf. de Tractoriis:* & Theodosius M. *l. 41. infr.* Euectionum in genere & asinorum commercio seu contractu: atque ab iis demum vsurpari eas voluit, quibus ex concessæ fuissent, non vero ab aliis. Nempe didicerat Constantinus, vehiculatis cursus publici rationem explorans, *certisque nuntiis comperetat*, vt ipsemet ait, quosdam (veluti Palatinos) angarias tanquam sibi & necessitatibus suis necessarias impetrasse, quas quidem personæ tantum impetrantis respectu Principes concedere solerent, *raroque* etiam & *non nisi merentibus* (vt *h. l.* dicitur) & interim tamen non in vsus suos reuera, verum vt venditis & translatis his in alios, qui ipsi impetrare non potuissent, compendium ea ex re facerent. Igitur hoc commercii genus damnat *hac l.* Constantious M. exilii pœna emptori & venditori indicta. Imo & publici Cursus Curiosis, qui id dissimulauerint, vel oeglexerint. Imo Theodosius

(a) Henr. Christ. Henninivs *in not. ad Bergier. lib. 4. 25. §. 2. pag. 768.*

Distingue significata. 1. Γραμματοφορίαν, ἀγγελιαφορίαν, tabellariorum obsequium. 2. necessitatem omnem commeandi & laborandi cum onere coniunctam; sic *angariantur* naues, Simon Cyrenæus, alii. Videndo hic *Libanii oratio* περὶ ἀγγαρειῶν, *aduersus angarias*, vbi morem illum improbat, quo agricolæ in vrbem commeantes & hinc mox in agrum redituri, a magistratibus detinebantur, ruderis egerendi gratia, & in id asini eorum & muli *angariabantur*. 3. Pro cursu vehiculari *rhedarum*, vt apud Aretam *in Apocal. cap. 18.* ἵπποις δὲ καὶ ταῖς διὰ τούτων ὀχήμασι, ἃ ἡ παλαιὰ μὲν φωνὴ Ἀγγάρας, ἡ δὲ τῶν Ἑλλήνων φωνὴ Δημοσίας ἱπποτάδυνες, ἡ δὲ τῶν Ῥωμαίων Ῥαίδας, ἀφ' οὗ καὶ Ῥαιδάριος 4. Speciatim pro *cursu clabulari*, ad viam publicam, vbi stabat cursus publicus; vti *Parangaria* erat, quando a via publica, vbi erat cursus publicus, diuertebatur in viam publicam aliam, vbi non erant cursus publici stationes. Scilicet cursus vehicularis fiebat velocius, vehiculis & subiunctoriis velocioribus, vti *carpentis*, *rhedis*, *carris*, *birotis* siue *cisiis*, quibus plerumque *mulæ*, rarius *equi*, subiungebantur. aut fiebat tardius per *clabulas*, quæ conueniunt *angariis*, tractas quatuor bobus *l. 11. C. Th. de C. P.* onerandas ad 1500 pondo, *l. 28. & 30. eod.* hinc *angariæ* a *cursu* separantur, in *rubr. h. t. C. I. & Th. & l. 66. vlt. C. T. eod.* & a *rheda cursuali*, *l. 48. fin. eod. l. 9. C. Th. de Legat. l. vlt. C. de fabric.* & a *carpentis ac veredis l. 30. C. Th. de C. P.* Quibus omnibus rite distinctis, paulo clarius intelliges *Bergierii* verba, quem alias erroris arcessit *Iac. Gothofredus ad l. 4. eod.* cui hic nonnihil debeo, quamuis & ipse ibi ab errore non sit omnino immunis. Rem extra controuersiæ aleam ponit *l. 5. C. Th. de Curios.* vbi §. 2. ita sonat: *E cursu vero clabulari singulas angarias, in his scilicet stationibus, in quibus cursus est collocatus, ad exhibendam humanitatem, venientibus excurratis.*

sius M. postea *d. l. 11. inf.* capitalem pœnam Euectionum contractui, id est, euectiones sibi concessas vendentibus & ementibus imposuit, quæ pœna Triboniano displicuit. Atque ita hac quoque ratione Constantinus M. cursui publico & quidem vehiculari consultum iuit; ne alioquin tralatitiis vehicularis huius cursus euectionibus, eorumque commercio cursus vehicularis publice necessarius necessitatibus publicis explicandis concideret. Quem etiam hac altera ratione suffultum voluit, quod profitetur exerte, sese angarias & euectiones deinceps raro & nonnisi merentibus daturum. Et tamen idem Constantinus M. non adeo in arctum, vsum cursus vehicularis huius impetrati redegit, vt non (commercio quamlibet angariarum interdicto) *communicationem* eius cum altero concederet: communicationem inquam cum socio itineris, adscito. Licet scilicet ei qui *angarialem copiam habet*, id est, angariarum vsum obtinuit, *ad tutelam vitæ, vel laborem adeundum itineris, pro solatio sibi quendam sociare.* Multum interest inter commercium euectionum, & necessariam communionem, & *κοινωνίαν*: istud improbum non est, factumque hoc, *veniam meretur* (vt hæc ipsa lex loquitur) nam quo alioquin rei mihi vsus, nisi necessaria eo explicare licet? Nam cum iotutæ sæpe sint viæ, tædiosum certe semper iter: quidni socium adsciscere fas sit comitemque; qui & alias pro. *sq.* vehiculo ipse est. Ad eundem sane modum, cum Iulianus cursus publici ac veredorum vsum in arctum redactum iuisset, nihilominus tamen Agentes in rebus e concesso sibi veredorum numero, mulioni veredum subiugare permisit, *l. 14. infr.*

Ex *hac* interim *lege* discimus, extra ordinem Priuatis ob proprias necessitates sæpe indultum Cursum publicum; de quo varia extant apud alios testimonia, etiam apud Basilium. Tandem notentur fine *legis*, Præfecti vehiculorum: quorum frequens mentio in veteribus Inscriptionibus *apud Gruterum* CCCLIX. 3. CCCLXXIII 4. CCCLXXX X. CCCCXI. 3. CCCCLIV. 8. CCCCLXXXXIII. 3. Sic nominatim *Præfectus vehiculorum Trium prouinciarum Galliæ* memoratur p. CCCCXL. 3. (a) Hi vero inter cæteros Præpositos cursus publici, seu cursuales fuere, de quibus semel ago *l. 25. inf.*

(a) Adde hic *Tabularios a vehiculis* p. DLXXXXII. 3. & *a Commentariis vehiculorum* DLXXXXII. 4. quos memorauit etiam Cl. Henninius *in not. ad Bergier. pag. 736.*

De EVECTIONVM *faciendarum iure, Rectoribus prouinciarum denegato.*

V. (a) Idem (b) A. ad Musonianum (c) PF. P. (d)

IAmdudum Nostræ Clementiæ iussa + exsistunt, vt Rectoribus prouinciarum euectionum (e) faciendarum copia denegetur, quoniam cursui publico magna infertur pernicies, si hæc licentia latius panderetur. (f) Ideoque hoc ipsum repetimus quod ante placuerat, ac iubemus, eos (g) Auctoritatis Tuæ litteris commoneri, vt iussis parere festinent. Dat. VIII. Kal. Aug. Const. A. VII. & Constantio C. CONSS. [354.]

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) Imo Imp. CONSTANTIVS A. quomodo & sequenti *legi* eadem Inscriptio reddenda est. *IDEM.*

(c) De hoc *Musoniano* PF. dicam mox plene. *ID.*

(d) Orientis scilicet; vide Ammianum Marcellinum & Libanium. *ID.*

† Constitutiones hæ Constantii non extant. *ID.*

(e) *Euectionum* faciendarum, id est cursus publici copiæ faciendæ: de qua *Euectionum* voce vide *Paratitlon & Glossar. ID.* Vide etiam Cl. Henninium *in Obseruat. ad Bergierii lib. IV. 16. §. 12. pag. 758.* RITTER.

(f) Loco, *pandatur.* GOTHOFREDVS.

(g) *Præfecti Prætorio* dispositioni suberant Rectores prouinciarum: Ideoque Præfecti Prætorio literis eos commonere subinde iubentur. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

CONSTANTII Imp. septem ordine constitutiones sequuntur in argumento cursus publici: quibus addenda & eiusdem *lex 7. inf. de diuers. offic.* Ex quibus apparet, quantopere, quibusque rationibus Cursum publicum subleuare Constantius instituerit. Quibus addendus & locus Sext. Aurelii Victoris *Traian. c. 13.* qui sub Constantio scripsit: *Noscendis ocyus quæ vbique e Repub. gerebantur, admota media publici cursus. Quod equidem munus satis vtile, in pestem orbis Romani vertit posteriorum auaritia: nisi quod his annis suffecta vires Illyrico sunt, Præfecto medente Anatolio:* (fuit hic Anatolius Præfectus Prætorio sub Constantio A. 346 & 349. vt docet *lex 38. 39. inf. de Decurionib.* Himerius Sophista apud Photium *n. 243. p. 1140. edit. Schotti.* Ammianus Marcellinus *lib. 19. cap. 11.* vbi vide Valesium, & *lib. 21. cap. 6.* Eunapius *in vita Proæresii, p. 149. 150. edit. Commelin.*) *Boni malique in Republ. nihil est, quod in diuersum traduci nequeat moribus præsidentium.* Addatur & hic Ammiani Marcellini locus in eandem sententiam cum Victore *lib. 19. cap. 11.* vbi de Anatolio PP. *Nec enim,* inquit, *dispositionibus vnquam alterius Præfectura (vt inter omnes constat) ad præsens Arctoa prouincia bonis omnis floruerunt correctione titubantium beniuola & solerti, vehicularia rei iacturis ingentibus, quæ clausere domus innumeras, & censuali professione speciosa fiducia releuata.* Quanquam idem Ammianus Marcellinus scribit *lib. 21. extremo,* Constantium *rei vehicularia neruos succidisse per cateruas Antistitum iu-*

entis

mentis publicis vltro citroque discurrentibus per Synodos. Vehicularii certe cursus Athaoasio copiam Constantius non semel fecit, vt apparet ex eius epistolis *Apolog. 2. pag. 769. 787. Tom. I. oper. edit. Colon. siu. Lips.* & apud Socratem *H. E. lib. 2. c. 23.* Hoc ipso anoo apud Marcellinum fit mentio Cursus publici & vehiculi publici a Constantio euocatis ad se concessi, noo vno loco: *lib. 14. cap. 11. lib. 15. c. 1.*

Constantis, inquam, constitutiones sequuntur. Est enim error *huius Codicis* Conditorum, qui haoc *legem*, & *sequentem* Constantino M. tribuerunt, cum omnino Coostantio adscribendæ sint. Et hæc quidem nominatim, argumento *Musoniani PP.* cui ea inscribitur; neque enim sub Constantioo M. verum sub Coostantio demum Musonianus Præfectus Prætorio fuit: vt docet insuper altera Constantii *lex 2. inf. de Legatis*, quæ ad eundem Musonianum PP. data est A. 356. Et expresse etiam Ammianus Marcellious *lib. 15. cap. 13.* in Gestis Anni 355. *Domitiano*, inquit, *crudeli morte consumpto, Musonianus successor Orientem Præfectoriani regebat potestate Præfecti, facundia sermonis vtriusque clarus*, &c. vbi & alia plura de hoc Musoniano Præfecto Prætorio, vt & *lib. 16. cap. 9.* Ac priore loco nominatim inter alia cum prius *Strategium* vocatum scribit, post Tyraonorum expulsionem; puta Veteranionis & Magneotii. De quo Libaoius *de Vita sua pag. 29. edit. Morell.* δωρεῖται μὲν τὰς Ἕλληνας τῇ Στρατηγίου πραότητι κόσμον τῆς αὐτοῦ βασιλείας τὴν ἐκείνου νομίζων ἐν ἀρχαῖς χρηστότητα. *Græcos donat lenitate ducis Strategii, ornatum regia administrationis suæ illius in magistratibus mansuetudinem reputans.* Postea demum Præfectus Prætorio factus A. D. 354. quod idem Libanius testatur *pag. 37. & 39. de Vit. sua ed. cit.* ἀρχὴν ἔχων ἢ τῶν ἄλλων ἄρχει Στρατήγιος. *Strategius dignitate gaudens, quæ aliis imperat.* Nempe enim Præfectura Prætoriana omnium dignitatum apex & κορυφὴ fuit. Breuiter, Musoniaous hoc demum tempore Præfectus Prætorio factus. Et certe tantum abest, vt Constantinus M. eum Præ- P. 513 fectum Prætorio fecerit, vt contra tempore Concilii Sardicensis nonnisi Comes fuerit vt docet Athaoasius *ep. ad solitar. vit. agent. pag. 818. Tom. I. Oper. edit. Lips. siu. Colon.* & *Apolog. 2. ad Imperator. Constantium pag. 754. Oper. Tom. I. ed. cit.* Imo & sub Constantio P. C. Achaiæ factus A. D. 353. Eiusdemque tandem Musoniani meminit Valens Imp. *l. 14. inf. de nauicul.* Ergo & hæc *lex* Constantio tribueoda venit, atque adeo refereoda ad A. D. 354. quo Consules fuerunt *Constantius A.* VII. *&* *Constans Cæs.* III.

De sententia *huius l.* videamus: Dandarum Euectionum seu Cursus publici tribuendi copiam rursum deoegat *hac l.* Constantius, quod & antea fecisse se ait, Rectoribus prouinciarum, pariter vt Iulianus *l. 12. inf. h. t.* Scilicet ne Cursus publicus fatigaretur: quod vtique fieret si hæc Euectionum dandarum liceotia latius panderetur: subinde ademptum hoc ius euectionum faciendarum Rectoribus Prouinciarum, *h. l.* & *l. 12.* vt & Comitibus & Ducibus *l. 52. 57. inf.* Imo & Vicariis, *d. l. 12.* & Magistris militum, *l. 43. 56. inf. h. t.* Seruato videlicet hoc iure soli Principi, *l. 4. sup. l. 40. inf. h. t.* itemque Præfectis Prætorio, *l. 9. 12. 35. 40. 56.* Et Præfectis vrbi in publicis caussis, *l. 19 inf.* Taodem Magistris officiorum, *l. 9. 22. 35. inf.* Quaoquam subinde ab illis quoque vsurpata hæc licentia: de quo *suis locis.*

De AGMINALIBVS *&* PARAVEREDIS *non exigendis.*

VI. (a) Idem A. (b) Magno (c) Agenti Vicariam Præfecturam.

HOc interdicto prohibemus, ne quis agminales (d) ac (e) parauercdos æstimet postulandos: in eos enim qui hoc temere præsumpserint, vindicari acrius oportebit, iussione nostra cunctis prouincialibus (f) intimata. Dat. Kal. Aug. Constantino A. VII. & Constantio C. CONSS.

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Et hæc *lex*, vt *superior*, CONSTANTIO tribuita videtur. *ID.*

(c) An hic idem ille *Magnus* est: Vicarius Vrbis Romæ, cui anno 367. inscribitur Valentiniani *lex* 3. & 4. *sup. de Tironib?* *ID.*

(d) De *Agminalibus* his iam plene dixi *ad l. 3. sup.* *IDEM.*

(e) Coniunctiua *ac*, pro disiunctiua *vel*: iidem quippe Agminales, & Parauercdi: vt ostendi ad *d. l. 3.* *ID.*

(f) Hinc quoque patet, Agminales ac Parauercdos a prouincialibus præbitos, non vero in Cursu fiscali fuisse: de quo ad *d. l. 3.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

AGMINALES ac PARAVEREDOS a prouincialibus postulari vetat *hac l.* siue Constaotinus M. siue Constantius, pariter vt *l. prox. 7. inf.* De quibus dixi semel plene *ad l. 3. sup.*

Et sic hac ratione, prouincialium securitati consulit Imperator, quorum patrimonia euertebantur illa exactione, vt disette testatur *d. lex 7. infr.* a commeantibus scilicet per viam traosuersam ἐκ πλαγίας ὁδοῦ. nam id sibi volunt Agminales equi seu Parauercdi, pariter vt eodem sensu *Parangaria* dicuntur: de quo vide Græcos, *lib. 56. Basil.*

(i) De *Manſionibus* agitur, & *l.* 23. 35. *in f.* de hic dixi plene ad *l.* 4. *ſup. de offic. Rector. Prouinc.* & *leg.* 9. *de annon. & trib. ID.*

(k) *γρ. Geruns*: vt *ſup.* qui *curſui publico præſunt. ID.*

(l) *Caralis*, Sardiniæ ſcilicet. Eadem ſane ſubſcriptio occurrit in altera conſtitutione Conſtantinianea puta *lege* 1. *ſupr. de feriis.* Sed & *lex* 16. *inf.* de ſpecierum largitionalium per Sardiniam tranſlatione eſt, quæ pariter, vt *hac lex*, eſt de curſu Angariali. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE CVRSV PVBLICO acturis, ante omnia inquirendum nobis puto, de eius apud Romanos origine, auctore, proceſſu, ſub Impp. Romanis. Nihil enim nunc attinet in aliorum populorum mores inquirere, veluti Perſarum & Græcorum, de quibus & eorum angariis, aſtandis, hemerodromis, notiſſima iam ſunt omnia. Rem ambiguam faciunt Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, qui parum conuenientia ſibi memorare videntur circa Auctorem & Inſtitutorem primum publici curſus. Imo falſi nonnulli creduntur, & in his Sex. Aurel. Victor Schotti Sic vt rem hanc negotii ſemiplenam nobis reliquerint Viri alioquin accurati. Primum ſternenda ſunt ipſa Scriptorum ſuper hoc teſtimonia: De AVGVSTO memorat Suetonius *in cap.* 49. *Quo celerius ac ſub manum annunciari cognoſcique poſſet quid in prouincia quaque gereretur, iuuenes primo modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit: commodius id viſum eſt, vt qui a loco iidem præferrent Litteras, interrogari quoque, ſi quid res exigerent, poſſint.* De TRAIANO Sextus Aurelius Victor Schotti *cap.* 13. *Noſcendis ocyus, quæ vbique e Republica gerebantur admota media publici curſus: Quod equidem Munus ſatis vtile, in peſtem orbis Romani vertit poſteriorum auaritia, inſolentiaque, niſi quod his annis ſuffecta vires Illyrico ſint, Præfecto medente Anatolio. Boni malique in Republ. nihil eſt, quod in diuerſum traduci nequeat moribus præſidentium.* De HADRIANO Spartianus *in eius vita, c.* 7. *Statim curſum fiſcalem inſtituit, ne Magiſtratus* HOC ONERE *grauarentur.* De ANTONINO PIO ſcribit Capitolinus *c.* 12. *Sumptum muneribus gladiatoriis inſtituit vehicularium curſum ſumma diligentia ſubleuauit.* De SEVERO Spartianus *c.* 14. *Poſt hæc enim ſe vellet commendare hominibus, vehicularium munus a Priuatis ad fiſcum traduxit.* Hæc quinque teſtimonia ſunt quæ negotium omnino faceſſunt. Suetonius quippe Auguſtum Imp. Vehicularii curſus auctorem facit: Sextus Aurelius Victor Traianum publici curſus auctorem. Spartianus Hadrianum curſum fiſcalem inſtituiſſe ſcribit. Idem Spartianus Seuerum, vehicularium munus a priuatis ad fiſcum traduxiſſe. Verum ita rem accipio: Auguſtus vehicularium curſum inſtituit; ſic vt adueniente derepente eo cui curſus vſurpandi ius datum erat, Magiſtratuum municipalium opera animalia his præberentur, quæ a prouincialibus derepente conquirebant: quo pertinet locus Plutarchi, *in Galba*; *Nymphidius non mediocriter indoluit, cum ſerui publici a Conſulibus deſtinati eſſent, qui Senatuſconſulta ad Imperatorem ferrent, quibus ipſis diplomata quæ dicuntur dari ſolent, vt iis ſtatim agnitis Ciuitatum Magiſtratus Tabellariorum curſum accelerent in commutatione vehiculorum datis deductoribus.* Ergo graue admodum id munus fuit Magiſtratibus ciuitatum. Quam & ideo *vehiculationem* (ſic enim dicta eſt) Nerua Italiæ remiſit, teſtibus eius nummis. Mox, ſiue Traianus, ſiue Hadrianus, ſtatum hunc curſum fecit, ſeu publicum & *fiſcalem* inſtituit, ſic vt publice curſus paratus eſſet, & in parato animalia publica ſeu fiſcalia haberentur: neque iam amplius Magiſtratus onere derepente animalium & curſum accurandi grauarentur. Curſus igitur publicus ſeu fiſcalis factus, tum demum cum iam ſtatus factus eſt, ſic vt ex publico & fiſco hic tribueretur. Vt non male etiam in *Spartiani* loco V. CL. Iuretus tentauerit *ſtatum curſum fiſcalem inſtituit.* Ergo publico ſeu fiſcali curſu inſtituto iam collatio a prouincialibus exacta, ad animalium & curſus publici inſtructionem & inſtaurationem. Quæ tamen & ipſa ſubinde grauis viſa: vnde Antoninus Pius, *vehiculorum curſum ſumma diligentia ſubleuaſſe* dicitur. Seuerus vero, *vt ſe hominibus commendaret, vehicularium munus a priuatis ad fiſcum traduxiſſe*, collatione videlicet illa priuatis remiſſa. Quod tamen poſtea non ſtetit. Quæ cum ita ſint, non audiendi ſunt Viri docti, qui cauſas & vſum curſus publici varium hac parte diſtinguunt, vt Authores inter ſe concilientur. Nempe hunc Spartiani ſenſum putant, cum hactenus noſcendis tantum quæ e Republ. erant curſus publicus vſurparetur, ac non etiam a Magiſtratibus in prouincias euntibus vſurpari poſſet, ſic vt impenſis ſuis iter facere cogerentur, Hadrianum Magiſtratibus vſurpandi curſus poteſtatem feciſſe. Non inquam audiendi ſunt: Ait enim Spartianus, Adrianum *curſum fiſcalem inſtituiſſe.* An enim ideo fiſcalis curſus inſtitutus dicatur, quod iam Magiſtratibus eius copia pateret? Fiſcale enim vt puro illud ſignificat, quod vel e fiſco tribuitur, vel ad fiſcum pertinet, ſic ſane *reda fiſcalis* apud Seuerum e. ſu Sulpit. *lib.* 3. *de vita Martini*: ſic *ſpecies fiſcales*, ſic *ratio fiſcalis* hoc *Codice*, & alibi. Ergo fiſcalis curſus inſtitutus dicitur, qui e fiſco præberi iuſſus. Non quia publicus factus & communis Magiſtratibus & aliis (nam id publicum) paſſim hominibus. Quis enim fiſcale vnquam ideo dixit, quod id paſſim omnibus exhiberetur, & publice expoſitum eſſet? Publicum equidem ſeu δημόσιον, & fiſcale idem recte dicitur, cum ſignificatur ex publico dari, vel ad publicum pertinere. Vnde quem Victor *curſum publicum* vocat, eum Spartianus *fiſcalem* vocat: ſed nunquam *fiſcale* pro eo dixeris, quod publice omnibus patet: imo hoc ſenſu iam *fiſcale* & *publicum* opponuntur. Tandem igitur Victor & Spartianus Curſum publicum ſeu fiſcalem inſtitutum ſiue a Traiano ſiue a Hadriano volunt, eo quod eum iam fiſcus ipſe præſtaret: non Magiſtratus amplius conquirendorum animalium onere ſubinde prægrauarentur: Magiſtratus municipales, inquam, quod docuit ſupraſcriptus Plutarchi locus: non etiam Curiales, quod idem Viri docti putant: neque enim hac Magiſtratuum appellatione Curiales vnquam venerunt, imo Magiſtratibus paſſim Curiales ſeu Ordines opponuntur. Neque eos quidquam iuuat, quod poſtea Curialibus aliquando impoſitum onus exhibendi curſus publici fuiſſe legimus, quod docet *lex* 26. 35. 51. 64. *inf. h. t.* Hæc iſta enim cura iam alia fuit, non conquirendorum de ſubito animalium, veniente eo qui Curſum vſurpandi ius haberet, verum ordinaria ſollicitudo, vt Curſus publicus ſeu fiſcalis recte haberetur, neue ei fraus fieret. Ergo tandem dicamus, vehicularem Curſum ab Auguſto quidem inſtitutum, ſed non fiſcalem ſeu publicum: id enim factum demum ſiue a Traiano, vt Victor tradit: ſiue ab Adriano, vt Spartianus ait. Et ſic omnia bene conueniunt, niſi quod inter Victorem & Spartianum diſſenſus eſt circa auctorem Curſus publici ſeu fiſcalis facti: Et ſic alterutrum Imperatorem Authorem tenemus, inſtitutorum Stabulorum & Mutationum, in qui-

bus

bus animalia publica cursui destinata haberentur, quæ nulla fuerunt sub Augusto.

His ita generatim præmissis, & quæ de Cursu publico *hoc Codice* occurrunt in *Paratitlon* congessi, quod subinde consuli volo, de singulis constitutionibus *hoc titulo* videamus.

CONSTANTINI M. primum *leges* quatuor de Cursu publico occurrunt, quibus addenda & quinta eiusdem, puta *lex 4. Cod. Inst. de off. Rect. prou.* ea quibus patet, ab vna parte, quantum prouincialium indemnitati Princeps iste consultum voluerit, aduersus eos qui iussus obtentu prouinciales concuterent: ab altera parte, quam exiue Cursui publico consultum iuerit, aduersus eius abusum. Ad primum finem pertinet hæc *lex*. Ea scilicet Constantious M. BOVAS priuatorum aratorios ab eo cui angariarum ius competeret, quamlibet in defectum boum publicorum Cursui publico destinatorum (de quibus vide & *l. 11. 53. infr. h. t.*) vsurpari vel abstrahi vetat. Finge, datam Titio euectionem, seu Angariarum & Cursus publici diploma, eumque ad Mansionem, vbi Cursus publicus erat, venisse? neque boues ibi tum inuenisse? Sane quamlibet festinet, boues priuatorum aratorios abstrahere non potest: Verum tamdiu ibi expectare iubetur, donec fuerint boues Cursui destinati, exhibiti ab his qui Cursus publici curam gerunt. Quamlibet quis iter faciens festinet, hoc tamen obtentu boues aratorios priuatorum cultura terræ inseruientes abstrahi noluit Constantinus. Eadem ratione, qua idem hoc ipso anno paulo post, boues & seruos aratorios pignori capi vetuit, *l. 1. sup. de pignoribus*, & qua Valentinianus Sen. postea vetuit, ne Officiales Præsidis bouem vel seruum rusticani in vsus proprios necessariosque conuerterent, *l. vn. infr. ne damna prouincial.* Quibus locis plura de bobus & eorum peculiari ratione semper habita. Idque agriculturæ fauore. Eo ipso sane fauore idem Constantinus M. sationibus vel coll gendis frugibus insistentem agricolam ad extraordinaria onera trahi vetuit, *l. 4. inf. de extraord.* sed & (quæ quarta Constantini M. constitutio notanda est agriculturæ fauore) die Solis agrorum culturæ incumbi permisit, *l. 3. Cod. Iust. de feriis.* Ita quidem, vt quemadmodum hæc *lex* speciatim ad Sardiniam proprie pertinet (dicitur enim ea *Acc. Caralis*, Sardiniæ videlicet vrbe) ita & illa: quia & Sardinia iuxta Siciliam benigna vrbis Romæ nutricula erat; de quo *alibi* etiam ex Lucani *lib 3. v. 65. seqq.* & ad *l. 4. inf. de extraordinar.* Cæteroquin de specierum Largitionalium per Sardiniam translatione agitur *l. 16. infr. h. t.* quæ & ipsa est de Angariis & Angariali cursu.

Ex *hac* interim *lege* & *l. 11. 53. inf. h. t.* liquet, *boues* cursui publico quoque aptatos fuisse: nempe angariis quæ boum protelo ducebantur, de quo ad *l. 4.* & *11. inf.* Nempe angariis trahendis: Vt proinde Viri docti mirari non debuerint inter animalia publica cursui publico olim destinata, etiam boues olim fuisse. Quod tamen Iulianum postea vetuisse, & solis equis cursum publicum explicari voluisse memorat Socrates *lib. 3. cap. 1.* περιεῖλε δὲ καὶ τὸν δημόσιον τῶν χρειῶν δρόμον οἷον ἡμιόνων, βοῶν καὶ ὄνων, μόνων δὲ τῶν ἵππων ταῖς δημοσίαις χρείαις συνεχώρησεν ὑπουργεῖν: id est. *Cursum publicum ad necessarios vsus accommodatum non amplius per mulas, boues, & asinos fieri permisit, solis autem equis in publicis necessitatibus obeundis vtendi facultatem concessit.* Verum id falsum esse docet *lex 53.* Alioquin Carpenti boum meminit & Lampridius *Heliogab. c. 4.* & Augustinus 22. *de Ciuitate Dei, cap. 8.* vehiculi a bobus tracti. Vt omittam quod de Caroli M. carpento a bubus tracto meminit Eginhartus. (a) Ergo & boum vsus in cursu publico, nempe angariis seu oneribus portandis, vt equi seu veredi aptati veloci cursui. Et hæc de principe *huius leg.* sententia. De cæteris videamus.

De *Stationariis*, quorum *h. l.* mentio fit, & *l. 2. sup. de cohort. l. 5. sup. de curios. l. 31. in f. de Episcop.* dixi iam *sup. ad illas leges*: vt de Mansionibus, quarum fit quoque mentio, *l. 23. 35. inf.* ad *l. 4. sup. de off. Rector. prouinc.* Sane ex *h. l.* & *d. l. 23. 35.* apparet, in his cursum publicum fuisse. Sed non ideo solus cursus publicus ibi fuit, vt in mutationibus: Verum alia insuper, nempe instructæ mansiones apparatu omni annonario; vide Symmachum *lib. 2. ep. 27.* seu annonis & speciebus Cellariensibus in vsum eorum qui eo appellerent & tractorias haberent, de quibus *inf. tit. prox.*

Sanctio tandem *huius leg.* notanda: nempe eum qui bouem aratorium abstraxerit, debito vigore correptum Rectori prouinciæ offerri, si præsens fuerit, iubet; si vero absit, Magistratibus municipalibus tradi, eorumque obsequio transmitti. Quod de reis tradendis Magistratui municipali edicitur, vulgare & notum est, de quo ad *l. 5. inf. de exhibend. reis.* Verum quod de transmittendis Magistratuum municipalium *obsequio* additur, perperam hactenus accipitur. Nempe id indicari his verbis nonnulli putant, huiusmodi reum pro pœna Curiæ ministeriis addicendum: quomodo Fornerius putat *ad l. 173. de V. S.* Fornerius Fil. 1. *Quotid. 28.* & Berterius 1. *Pith. 22.* censuerunt (de quo alioquin pœnæ genere in Curias dandi, dicam ad *l. 66. 108. in f. de Decurion.*) Alii vero id indicari putant, vt ob-sequio Magistratuum tradatur; inter eius Apparitores, & in cohorte eius deinceps futurus. Sed nihil tale *hic* indicatur; verum, eum de quo *h. l.* agitur, *Magistratuum obsequio*, id est per ministerium ipsorum (*obsequio*, Auferendi casu, non Datiuo) ad Iudicem seu Rectorem prouinciæ transmittendum: Ea vulgata scilicet iuris sententia, qua rei a Magistratibus municipalibus detecti, prehensi, ad Præsides, eorum opera & ministerio, transmittebantur; vt docet *d. lex 5. inf. de exhibend. reis, l. 59. inf. h. t.* sed & actiones seu passiones Martyrum passim, & *Paratitlon de defensorib. ciuit.* Obsequii scilicet vox, de omni officio, munere, ministerio, vsurpata passim: de quo consule *Gloss. Theod.* 512

(a) HENR. CHRIST. HENNINIVS *in not. ad Bergierii lib.* IV. 10. §. 9.
Boues adhibiti maxime ad tardigradam vehiculationem siue clabularem. Ioh. Albert. de Mandelsloh, *αὐτόπτης* V. Nob. *Itin. per Ind. German. ed. l. 31.* testatur tamen, dari hodie boues apud Indos, quibus spatio quatuor horarum, 6. milliaria germanica possint confici. At [illegible]um Cuiacius *ad pr. l. Cod. Iust. de curs. publ.* ex Eginhardo tradit, *Carolum M. iter fecisse carpento, iunctis bobus, & bubulco rustico more, agente*, eumque Cuiacium secutus Gutherius *de Off. dom. Aug. III. 14.* ac I. Gothofredus *ad leg. 1. Cod. Th. de curs. publ.* ibi illorum nemo inspexit ipsum Eginhardum, qui *in Vit. Carol. M. pr.* hoc ait, de postremis, ex gente Merovingica Francorum regibus, si reges dicendi sunt, qui verbo tenus per vmbram regnant, potestate omni pene maiores palatii florente, qui hos reges semel quotannis curru sublimes rure extractos hoc modo in vrbem vehebant, & ceu monstrum quoddam belluamue inusitatam populo ostentabant. De Carolo M. longe meliora vt excellenti equite & venatore tradit gener eius.

De

De ANIMALIBVS *cursus publici, virga tantum, aut flagro, non fustibus cogendis.*

II. (a) Idem A. ad Titianum. (b)

QVONIAM plerique nodosis & validissimis fustibus inter ipsa currendi primordia animalia (c) publica cogunt quidquid virium habent absumere, placet; Vt omnino nullus in agitando (d) fuste vtatur, sed aut virga, aut certe flagro, cuius in cuspide infixus breuis aculeus pigrescentes (e) artus innocuo titillo poterit admonere, (f) non vt exigat tantum quantum vires valere non possunt. Qui contra hanc fecerit sanctionem, Promotus (g) regradationis humilitate plectetur, Munifex (h) pœnam deportationis excipiat. Dat. Prid. Id. Maii, Sabino & Rufino CONSS. [316.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust.* hinc deformata est. *GOTHOFRED.*

(b) Hæc vnica *hoc Codice* Constantini Constitutio *Titiano* inscribitur. *IDEM.*

(c) *Animalia* publica *h. l. & l. 10. 53. 60. inf. h. t. & l. 35. inf. de operib. publ.* vide in *Paratitlo* plura, sunt Equi publico cursui deputati, vt *Testar. d. l. 1.* reposuit. *ID.*

(d) *Agitandi* vox propria. *ID.*

(e) *Pigrescentes* artus. *ID.*

(f) *Admonere* proprie. E multis Virgil. 10. *Æn. v.* 587. *Admonuit biiugos.* Spartianus Seuero *cap.* 11. *Equum ipse residens supra cadauer Albini egit, expauescentemque admonuit, vt effrenatus audacter proteretet.* Admonitio fustium, *l. 7.* D. *de pœnis.* Plura in *Glossar.* Martialis, *admonere flagello equos.* Admonere, est vrgere, stimulare *ID.*

(g) De *Promotis* his dicam ad *l. 2. inf. de falsa moneta. ID.*

(h) De *Munifice*, mox dicam. *ID.*

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc Constantini M. circa *cursum publicum* constitutio est; qua ANIMALIBVS publicis (id est Veredis, equis) consultum it aduersus nimietatem & sæuitiam ea cogentium. Igitur, non fustibus, qui ferme nodosi & validissimi, verum virga aut flagro admoneri ea excitarique vult. Nempe fustis virga aut flagro grauior est, vbi modus non adhibetur, veluti in animalium admonitione, *hac l.* & seruorum emendatione, *l. 1. inf. de emendat. seruor.* quia fustim enecari quis potest facilius. In pœnis publicis moderata ξυλοκόπια seu fustuarium, fustium admonitio, leuior est flagellatione, vel virgindemia: illa quippe in liberas personas humiliores, hæc grauior & ignominiosior in seruos de more exercebatur, vt docet *lex 7. 10. 28. §. 1. & seqq. D. de pœnis:* de quo plenius non vno loco Parens meus sanctissimæ memoriæ accurate. Atque hac iam differentia conquiescat æstus quærentium, vtrum fustuarium flagellatione vel virgindemia grauius sit, vel leuius. Quod quidem ex Lampridii loco *in Alexandro Seuero c. 51.* statui non potest: Cum ait, *militem qui de via in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci aut fustibus subiectum in conspectu eius, aut virgis aut condemnationi: aut si hac omnia transiret dignitas hominis, grauissimis contumeliis.* Virgæ enim ibi medio loco positæ inter fustuarium & condemnationem: quo sane vtroque virgæ grauiores fuere: Nam *condemnatio* ibi nil aliud est: quam multa pecuniaria, vt ostendi ad *l. 12. 16. sup. de re militar.* qua sane grauior est fustium ictus, *l. 10. §. 2. in fin. D. de pœnis.* Et hæc obiter.

Ergo nimietatem cogentium animalia cursus publici reprimit *h. l.* Constantinus M. quia & nimietate cogendi extingui ea facile possunt (quomodo de Apodemio narrat Ammianus Marcellinus, *initio lib. 15.*) & vires eorum absumi, vt *hac l.* dicitur. Virga igitur, aut flagro ea admoneri vult: & quidem flagro, in cuius cuspide breuis aculeus infixus erat quo scilicet pigrescentes artus innocuo titillo admouerentur. Aculeata scilicet hæc flagra fuere & hamata, vnde & *Scorpiones* dicta 5. Isidor. *cap. 27.* Tertullianus, *Scorpiaco adu. Gnosticos c. 1. Proinde scorpii series illa nodorum venenata intrinsecus venula subtilis, arcuato impetu surgens hamatile spiculum in summo tormenti ratione stringit.* Et hactenus quidem interdictum.

Pœnam autem *Regradationis* Constantinus comminatur Promoto: cuius Regradationis pœnæ alia exempla occurrunt apud Ammianum Marcellinum *lib. 15. c. 3. lib. 24. c. 5.* & *l. 16. de desertorib. l. 10. sup. de re militari: l. 1. 2. 3. de Commeatu:* & *l. 3. §. 1. D. de re militari:* Hieronymum *ep. ad Pammachium aduers. error. Ioan. Hierosol. p. 155. Tom. II. Oper. edit. Francf.* καταστασμός in *vet. Gloss.* *Munifici* vero pœnam deportationis. *Promotus* & *Munifex* hic opponuntur, vt *l. 2. infr. de falsa moneta:* pariter vt promotus & miles: & vterque priuato opponitur: Nempe, quod etiam docet *lex 2. infr. ad Leg. Iul. de Ambitu.* Promotus, erat qui ad gradum aliquem promotus erat: de quo dicam plene ad *d. l. 2. inf. de falsa moneta*, vbi etiam ostendam, quid p. 53
inter Promotum & Beneficiarium intersit. Vnde & Regradationis pœnam ei comminatur *h. l.* Constantinus. *Munifex* vero gregarius miles, vel cohortalinus. Nempe, vt in militia armata, ita & in Officiali alii promoti, alii munifices fuere: illi iam in gradu aliquo constituti, hi Gregarii: Festus, *Beneficiarii dicebantur milites, qui vacabant muneris beneficio* (id est, immunitate) *e contrario munifices vocabantur, qui non vacabant, sed munus Reipubl faciebant.* Vegetius *lib. 2. c. 7. Principales qui priuilegiis muniuntur: Munifices qui munia facere coguntur.* Ammianus Marcellinus *lib. 16. cap. 5. Munificis militis vili & fortuito cibo contentus:* & lib. 25. cap. 2. *Pultis portio parabatur exiguo*

quo etiam munifici fastidienda gregario. vide late Lipsium *de militia roman. lib. 5. dial. 6.*

Ex his interim duo hæc discimus: Primo, *Promotos* & *Munifices* cursum publicum peregisse: procul dubio missos a Tribunis & Rectoribus militaribus. Quomodo & Beneficiariorum opera ad id vsi, teste Spartiano *in Adriano c. 2.* de quo dixi ad *l. 5. sup. de cohortalibus.* Secundo & hæc quoque *lex* exemplum præbet pœnarum diuersitatis pro gradu reorum.

De AGMINALIVM *seu* PARAVEREDORVM *exactione & vsurpatione, quibus ea & quatenus pateat, vel non.*

III. (a) Idem A. ad Acindinum PF. P. (b)

PRæsidibus, & Rationalibus, ceterisque quibus propterea Respublicæ & annonas & alimenta pecoribus (c) subministrant, vsurpandi agminalis seu paraueredi licentia derogetur. Quibus illud quoque licere non patimur, ne (d) quid de prouincialibus citra (e) ordinem poscant, nisi hii tantum quorum fides cognita est, cum vsus necessitatis exegerit. Vestræ vero Grauitatis, (f) vbi ratio exegerit, cursus publicus præsto est: quibus si a publico itinere aliqua militari via deuertendum fuerit, vbi euectio (g) non erit, publicis vtemini agminalibus, sed modice & temperate tantum ad vsum proprium necessariis: Quæ res si neglecta fuerit, vobis æstimationis vestræ notam incurrentibus, Præsides periculum sustinebunt, cum super hac re Exploratores (h) iam missi sint. Quæ enim mala nostris prouincialibus inferantur, conIci ex eo etiam potest, quod nostris itineribus, quos publica vtilitas monet, magna atque anxia dispositione, (i) vix vicenorum agminalium numerus subministrari queat. PP. XV. Kal. Mart. Const. A. VII. & Constantio Cæs. CONSS. [326.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* hinc miris modis interpolata est. *GOTHOFRED.*

(b) *Acyndino* Præfecto Prætorio inscribitur Constantii *lex* A. 338. *lex 4. de temporum cursu*: quæ dicitur *Data & PP. Antiochiæ.* Item A. 340 *lex 3. in fin. de custod. reorum.* In hunc extat Symmachi epigramma, vbi eum Præfectum Prætorio Orientis fuisse ostendit, *lib. 1. ep. 1.*

At mihi castrensem quod mordet fibula vestem
Aurora in populis Regum Prætoria rexi.

De eo vide & Augustinum *lib. 1. de sermone Domini in monte, p. 1172. 1173.* vbi memorabile eius iudicium prolixe refert in causa quadam Adulterii. Idem fuit & Cos. A. 340. de quo idem etiam Symmachus *ibid.*

Si fasces pictura taces, tu respice Fastos

Item,

Hic [Baulis] *Consul clarum produxit Acyndinus æuum.*

Quibus tot temporum characterismis consideratis malim hanc legem *Constantio* tribuere, eamque ad A. D. 339. referre. *IDEM.*

(c) Animalibus, equis. *ID.*

(d) Duplex abnutiuum. *ID.*

(e) Extra. *IDEM.*

(f) *γρ. Grauitati.* Quanquam & illud forte retineri possit, vt referatur ad vocem, *ratio.* *ID.*

(g) *Euectio* hic pro ipso Cursu publico: Alias *Euectio*, pro facultate. vel etiam pro diplomate cursus publici vsurpandi. vide *Paratitlon. ID.*

(h) Exploratores: de his & *l. 4. prox. circa fin. ID.*

(i) *Dispositionis* vox hic propria, pro prouisione, vt alibi sæpe etiam apud Capitolinum, Ammianum Marcellinum. vid. *Gloss. Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

DE AGMINALIVM seu PARAVEREDORVM exactione & vsurpatione, est hæc Constantini M. (tertia in argumento Cursus publici) constitutio. *Agminalium* equorum non tantum *h. l.* idque tribus locis mentio fit, verum etiam *l. 6. inf. h. t.* & *l. 18. §. 21. D. de mun. & honorib. Patrimoniorum*, inquit, *munera duplicia sunt: namquadam ex his muneribus possessionibus siue patrimoniis indicuntur, veluti Agminales equi, vel mulæ, & angariæ, atque verbedi, &c.* Quæ quidem lex auctorem habet Arcadium Charisium Iurisconsultum Constantinopolitanum, qui circa hæc ipsa Constantini tempora scribebat, vt *alibi* ex professo probo. Ex his sane omnibus legibus apparet, *Agminales equos* exactos fuisse a prouincialibus, & quidem ex possessionibus seu patrimoniis, atque adeo inter munera patrimonii fuisse: Et quidem, quod hæc *lex* sola docet, exactos & vsurpatos: *vbi a publico itinere*

nere aliqua militari via diuertendum erat, vbi scilicet Euectio seu cursus publicus non erat. Nempe cursus publicus seu fiscalis, quod hæc *lex* docet, in publico itinere tantum erat: non in militatibus viis (de qua differentia postea) *aux chemins de trauerse*. Vnde iidem & *parauereds* promiscue dicti *h. l.* quorum præterea mentio fit *l. 6. 7. 15. 16. 59. 63. 64. in fin. h. t.* sic enim *h. l.* παραλλήλως dicitur *agminalis seu parauredus*, & *l. 6. inf. agminales ac parauredas*. Qui postea hac ipsa leg. *Agminales* simpliciter his dicuntur: Nempe *parauerdi* dicti eadem ratione qua *parangaria*, διὰ τῆς ἐκ πλαγίας ὁδοῦ (de quibus *ad l. 15. infr.* plene:) sic iam duo hactenus ferme ignorata tenemus; Primo vtrosque parauerdos scilicet & parangarias, non in via publica, sed transuersa & miliiari (de quo mox) & canali fuisse: Secundo, parauerdos eosdem cum Agminalibus esse.

Cur autem ita dicti? An quod agmini exercitus transmittendo, & conuehendis impedimentis præbiti, quod censuit Budæus *ad leg. 18 §. 21. D. de muner. & honor.* cui sententiæ videatur fauere hæc *lex*, quæ ostendit, eos exactos in militari via, vbi cursus publicus non erat? An quod agmina quædam equorum in ciuitatibus seu prope ciuitates ad eum finem a prouincialibus haberentur, seu alerentur? Istud verius puto; argumento totius huius *leg.* quæ spectat ad Rerum publicarum seu ciuitatum & prouincialium vtilitatem. Et in qua etiam *publici agminales* dicuntur, & hac agminalium præbitione seu vsurpatione, *mala prouincialibus inferri* dicuntur. Tandem & argumento finis *legis*, vbi de vicenis agminalibus agitur. Ergo *Agminales* ἀγελαῖοι. Quare inanis sententia nuperi Scriptoris Bergierii, *des grands chemins 4. cap. 12. num. 4.* (a) qui ideo Agminales dictos tradit, quod nonnisi aliquo Hippocomo comitante currerent. Sed & Cuiacii error est, qui *ad d. leg. 18. §. 21. D. de mun. & honor.* Parauerdos videri fuisse ait maiores equos Agminales, quasi quod agmen sequerentur exercitus, conueherentque impedimenta: *Le bagage.* Parauerdi enim siue agminales a veredis non magnitudine distabant, verum exactione & loco, quia veredi in viis publicis; parauerdi seu agminales, vt parangariæ, in militari seu transuersali & obliqua via & Canali; φορβάδας Græci νομάδας, βοσκομένας, vt Suidas explicat *voc.* φορβάδων. φορβὰς ἵππος Equus gregarius seu Agminalis, qui cum aliis pascitur. Oppianus *lib. 1. v. 146.*

Μυκάδας αὖτ᾽ ἐρίφων, καὶ φορβάδας ὠκέε πώλων.

Ita φορβὰς βοῦς apud Apollon. *Argon. 2.* Sic apud eundem Suidam *loc. cit.* φορβὰς γυνὴ, ἡ πολλοῖς προσομιλοῦσα τροφῆς χάριν. *mulier qua cuiuis sui copiam facit.* vide & Scholiasten Nicandri: Tatianus quoque ἵππων φορβάδας dixit.

Iam de ipsius *leg.* sententia: Ergo a Constantino M. si modo Constantinus auctor *huius l.* est; vetantur *hac l.* vsurpari & exigi agminales seu parauerdi a Præsidibus & Rationalibus cæterisque; verum a solo PP. idque modice & temperate ad vsum tantum proprium. Interdictionis autem istius etiplicem rationem reddit. Quam omnem insinuat quoque Theodoricus Rex apud Cassiodorum *V. Var. 39.* *Parauerdorum subuectiones exigere, eos qui habent veredos adscriptos, prouincialium querela comperimus: quod nullum penitus sinatis præsumere, quando per turpissimos quæstus & possessor atteritur & commeantium celeritas impeditur.* Vide eundem & *lib. XI. ep. 14.*

Prima ratio ipsos Præsides & Rationales respicit, nempe quod propterea Respublicæ eis annonas & alimenta pecoribus eorum subministrent, qui suis animalibus currant & itinera faciant. Nempe, quod aliunde notum (de quo etiam iam dixi *ad l. 4. sup. de off. Rectoris prouinc.*) annonæ & capitum e publico Rectoribus & Rationalibus alisque data, Ne videlicet prouincialibus graues essent. Et quidem a *Rebus publicis*, id est, ciuitatibus, quomodo habet lectio *huius leg.* nam *Codice Iustinianeo* Tribonianus in singulari reposuit *Respublica subministrat*, & fiscum intelligi voluit. Sane Annonas has per procuratores Curiarum datas docet *lex 32. sup. de erogat. mil. ann.* Sic & Gratianus postea *l. vlt. sup. de off. Iudicum omnium*: Iudicem operam date voluit, vt Prætorium suum ipse componeret seu annonis instrueret, sibi a Principe constitutis, neque quicquam eo nomine a prouincialibus superexigeret. Ergo cum illis iam a Rebus publicis & annonæ & capitum præberentur, noluit Constantinus M. ab his agminales exigi: Imo (quod secundum) neque extra ordinem aliquid amplius annonæ aut capiti.

Secunda ratio huius interdictionis respicit Prouinciales: nempe quia promiscua hac agminalium seu parauerdorum exactione prouinciales prægrauarentur, malaque his inferrentur.

Tertia respicit ipsum Principem: quia per hanc vsurpationem id fieret, vt iam ipsomet Principe Constantino M. commeante, seu iter faciente pro publica vtilitate, per viam transuersam & militarem, paucissimi admodum agminales subministrari ei possent, & vix viceni. Vnde quoque apparet agminales equos plures vicenis vno loco fuisse, vnde forte etiam *Agminales* de quo *supra*.

Secundo hinc apparet, perperam ex hoc loco nonnullos & in his Bergierium *tit. 4. c. 12.* coniecturam sumpsisse de numero animalium cursus fiscalis, qui in singulis stabulis erant vel mutationibus: *Agminales* enim, vt vidimus equi, non Cursus publici, seu fiscales erant; verum Reipublicæ: de quo rursum ad *l. 34. inf.* Procopius certe *hist. arcan. cap. 30.* scribit quadraginta equos in singulis mansionibus stabulatos, ἵπποι δὲ ἵσταντο ἐς τεσσαράκοντα ἐν σταθμῷ ἑκάστῳ.

Illud *h. l.* notandum *publicum iter a militari via* distingui: Et ita quidem, vt ostendat, cursum publicum seu fiscalem in publico itinere fuisse, non vero in via militari: sed agminales tantum seu parauerdos prouincialium. Cum tamen hactenus *via publica & militaris* pro eodem accipiantur, etiam a Theophilo *§. 5. Inst. de leg. Aquilia.* Sane *militaris via* mentio quoque fit apud Vlpianum, *l. vlt. §. 1. D. de locis & itinerib. publ.* Hyginum *de limit. constit. pag. 152. int. Script. Rer. agrar. W. Goesii.* Latinum & Myrsuntium *pag. 254. edit. cit.* & varios Auctores *de coloniis pag. 146. ed. cit.* Eumenium *in Gratiarum actione, c. 7.* Isidorum *lib. 15. c. 16.* Neque tamen ex vllo eorum loco colligi satis potest publicam & militarem viam eandem fuisse. De singulis ordine.

Eumenii verba hæc sunt: *Statim*, inquit, *ab eo flexu, & qua retrorsum via ducit in Belgicam, vasta omnia, inculta, squalentia, muta, tenebrosa etiam Militaris via, sic confragosa & alternis montibus ardua atque praeceps, vt vix semiplena carpenta, interdum vacua transmittat: ex quo sæpe accidit vt obsequia nostra tarda sint, cum paucarum frugum nobis difficilior sit euectio quam ceteris plurimarum.* Indicat Eumenius annonariarum specierum & tributorum subuectionem factam per vias militares: Et quidem primis quoque verbis satis indicatur, eas fuisse *per flexum*.

Imo

(a). Vide Cl. Henninium *in obseruat. ad Bergierium pag. 747. & 748.*

Imo exerte Hyginus *viam publicam militarem* a *via publica* separat. *Actuarii*, inquit, [limites] *extra maximos Decumanum & Cardinem, latitudinem habent pedum* XII. *Per hos iter populo sicut per viam publicam debetur: ita enim cautum est lege Sempronia & Cornelia & Iulia. Quidam ex his latiores sunt* XII. *pedibus, vt hi, qui sunt per viam publicam militarem acti, habent enim latitudines via publica.* P. 515. Latini & Myrsontii hæc verba sunt: *Termini Tiburtini, Silices, tofines, igniferi, spatula cursoria, structura parietum in modum linea. monumenta finalia militari via non coniunguntur.* Auctores *de coloniis: Certa loca via militaris finem faciunt, alibi vero deuexa montium ripa currentes finem faciunt,* &c.

Vlpianus, *Via vicinales, qua ex agris priuatorum collatis facta sunt, quarum memoria non extat, publicarum viarum numero sunt. Sed inter eas & ceteras vias militares hoc interest, quod via militares exitum ad mare aut in vrbes aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent. Harum autem vicinalium viarum dissimilis conditio est: nam pars earum in militares vias exitum habent, pars sine vllo exitu intermoriuntur,* Non temere est, quod viæ militares ab Vlpiano dicuntur aliæ exitum habere ad mare, aliæ ad Vrbes, aliæ in flumina publica. Nempe quia & miles & annona ad vsum militiæ eo tenderet, vel ad mare, vel ad vrbes, vel ad flumina: Et vice versa vicinales ex agris in militares vias, eodem fine cum publicarum viarum & Basilicarum consularium vsus esset rectus a ciuitate in ciuitatem insigniorem semper: Ergo militares viæ quidem publicæ: at non omnes publicæ, militares. (a) Quare Hygenus *viam publicam militarem* dixit: quomodo etiam vicinales & ipsæ quæ in vicinia sunt, vel quæ in vicos ducunt, quandoque publicæ fuerunt: *l. 2. §. 22. D. ne quid in loco publ.*

(a) HENR. CHRIST. HENNINIVS *not. ad Bergier. lib.* III. 51. § 2.

Hæc curiose *Gothofredus*, innuens, *militarem viam* fuisse transuersalem, obliquam *πάροδον*, at *viam publicam ἁπλῶς* dictam, *basilicam* siue *consularem* fuisse rectam, siue in directum. Salmasio quoque *Plin. Exercit. p.* 678. *ed. Paris.* sed *pag.* 477. *ed. Vltrai.* placuit fere idem: „Ex viis Publicis quasdam esse vel *regales*, quæ & „*Consulares* & *Pratoria* dicantur; vel *Militares*; alias ad vsum populi ad exportandos fructus in agris fa„ctas, quæ & *Vicinales* & *Agraria* aliisque nominibus appellentur.„ Nobis videtur, *Vias Publicas, Pratorias Regias, Consulares, Militares, Basilicas*, solo nomine, non re aut iure differre, sed esse easdem, distinctas vero ab *Vicinalibus* viis, quæ licet subinde *Publicarum* nomine *καταχρηστικῶς* censeantur, *Militares* tamennunquam vocantur, nec sunt. Nec obiiciat nobis Gothofredus *d. l.* 3. *Si a publico itinere aliqua Militari Via deuertendum fuerit, vbi euectio non erit publicis veemini agminalibus.* cum hæc verba interpolator Tribonianus optime explicet *in l.* 2. *C. I. eod. tit.* istis: *nec per aliam Viam eundi,* (paraueredis) *quisquam habeat facultatem, nisi per quam cursus publicos stare dignoscitur; excepta Tua* (Præf. Præt.) *sublimissima sede.* Ergo publicum iter hic est, vbi erat *cursus publicus* siue *Fiscalis*; neque enim in omni & quauis vbique militari via erat *Cursus publicus*; sed vbicunque erat cursus publicus, ibi illius iter erat in via publica, siue militari, non versa vice vbicunque erat via militaris, ibi erat cursus publicus. Ergo si in *publico cursus itinere*, aliqua alia Via militari, per quam cursus publicus non stabat, deuertendum erat, tum solus Præfectus Prætorio poterat exigere, equos agminales seu Paraueredos a prouincialibus; idque modice & temperate ad vsum tantum proprium; Præsides vero, Rationales, cæterique non poterant exigere eosdem equos agminales. Nam nec Eumenius *gratiar. act. c.* 7. nec auctores *rei agraria*, nec Isidorus *Etymolog. XV.* (non XXV vt male Gothofred. prior. edit.) 16. nec ICC. *Viam publicam, regiam, basilicam, Pratoriam* distinguunt a *Militari*, quod tamen affectat Gothofredus *ll.* Eumenius *ll.* contra ipsum Gothofredum meminit *flexus*, quo *retrorsum via ducit in Belgicam, vbi fit tenebrosa via Militaris, vt vix semiplena carpenta, interdum vacua, transmittat: ex quo sæpe accidit,* ait, *vt obsequia nostra tarda sint, cum paucarum frugum nobis difficilior sit euectio.* Ergo hic erat *euectio*, adeoque Cursus publicus, ad *Viam Militarem.* Hyginus de *Limit. p. m.* 152. plane non distinguit, audi eum: *Actuarii aatem limites, extra maximos, Decumanum & Cardinem, latitudinem habent pedum XII. Per hos iter populo, sicut per viam publicam debetur. Ita enim cautum est lege Sempronia, & Cornelia & Iulia. Quidam ex his latiores sunt XII pedibus, vel hi, qui sunt per viam publicam* (*Militarem*) *acti. Habent enim latitudines via publica. Linearii limites mensura tantum disterminanda caussa sunt constituti: & si finitimi interueniant* (f. iter volunt) *latitudinem secundum legem Mamiliam accipiunt. In Italia itineri publico seruiunt sub appellatione subruncinorum, habent latitudinem pedum octonum. Hos conditores coloniarum fructus asportandi caussa publicauerunt. Nam & possessiones pro optimo vbertatis angustiores sunt assignata: ideoque limites omnes non solum mensura, sed & publici itineris caussa, latitudines acceperunt.* Vides in hac re Viaria, *Viam publicam, Militarem, Iter publicum*, esse synonyma, contra Gothofredum & Salmasium. Cæteri Auctores rei agrariæ nominant *militarem viam*, & *Iter Publicum* indifferenter. Sic Latinus & Myrsontius *pag.* 254. *Monumenta finalia Militari via non coniunguntur.* pro quo *pag.* 254. Mago & Vegoia: *Monumenta finalia non coniunguntur itineri Publico; si maxime, quod Auctoris nomen obtinet, & per Redemptores & Magistros pagorum munitur: sed ab itinere publico separata sunt.* Pag. 146. Frontin. *de Colon. Certa loca via Militaris finem faciunt, alibi vero deuexa montium, ripa currentes finem faciunt.* Hygin. *de Limit. pag.* 163. *Via consularis.* Sic Flaccus *de condit. agror. Via Publica Regalesque, qua publice muniuntur.* Isidorus *l. c. Omnis autem Via aut publica est aut priuata. Publica . . . . ad mare aut ad oppida pertinet.* Sic ICC. Græci: Theophilus §. 5. *Inst. de L. Aquil.* pro eadem accipit *viam publicam* & *militarem.* Latini: Vlpianus *L.* 3. *D. de Loc. & itin. publ.* vias diuidit tantum in duas species *Vicinales* & *Publicas* & disertius *L.* 2. §. 22. *D. ne quid in loc. publ. Publicas vias dicimus, quas Graci βασιλικάς, id est, regias, nostri Pratorias, alii Consulares vias appellant.* Porro, quod ait lac Gothofredus *ll.* Consularem viam non habere exitum ad mare, aut ad flumina publica, hoc gratis & sine lege dictat; quid ergo obstat, quo minus habeat? *Consularis Via* sine dubio est *Appia*, Hygino *de Limit pag.* 163. atqui illa ad mare & Traiectum Brundusinum habebat suum exitum. *Itin. Anton. p.* 72. Quare desidero hic etiam iudicium Ziegleri, qui vidit quidem aliqua ex parte errorem Gothofredi, eundem tamen ex parte adoptat, dum ait *de Iuribus Mai.* II. 17. *n.* 4. *Illud constat, cursum publicum seu Fiscalem in publico itinere fuisse, non ia Via Militari.* contra clara Suetonii verba *Aug. cap.* 49. quasi *via militaris* non esset *publicum iter.* deinde mirifice coniicit, „fuisse er„go *viam publicam Consularem*, dictam forte illam, quæ in directum procedit ab Oriente in Occidentem, „aut a Meridie in Septentrionem, quales forte paucæ fuerint in vna prouincia. *Militares* vero plures, quæ „ex quacunque ciuitate in aliam, vbicunque eæ sitæ fuerunt, duxerunt.„ Sed hæc ex dictis facile possunt refutari. Salmasii auctoritas Gothofredo, huius Zieglero, præbuit errandi occasionem. Paulo altius hæc fuerunt repetenda, ne Bergierius, & in operis sui fronte & passim in opere, ob tantorum virorum auctoritatem & nomen, erroris aut confusionis esset suspectus, aut iure insimulandus videri posset.

De COMMERCIO ANGARIARVM *interdicto: licita contra Comitis itineris adſciſcendi facultate.*

IV. (a) Idem A. Menandro. (b)

CERTIS nunciis compertum eſt, quod plures, veluti ſibi ac neceſſitatibus (c) propriis petitas, (d) angarias taxato pretio diſtrahunt: Quamuis itaque raro poſt hac & non niſi merentibus (e) euectiones (f) præbendæ ſint, omnes tamen qui vbique ſunt curſus publici obſeruatione deſtricti (g) inquirant, ſi quis in hoc genere criminis poſſit intercipi, vt emptor & venditor in inſulam relegetur: illis etiam, qui obſeruare iuſſi ſunt, pro diſſimulatione vel neglegentia idem ſupplicium luituris. Non improbum (h) tamen eſt, ſi is qui angarialem (i) habet copiam, ad tutelam vitæ, (k) vel laborem adeundum (l) itineris, pro ſolatio ſibi quendam ſociauerit: Namque hoc factum, meretur veniam, nec latere poterit explorantes; (m) illud, pœna ſuperius dicta plectendum eſt. Super qua re Proconſules, Rectores prouinciarum, (n) Præfectos vehiculorum, atque omnes qui curſui publico præſunt, admoneri (o) conueniet. Dat. X. Kal. Iul. Conſtantino A. VII. & Conſtantio Cæſ. CONSS. [326.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Concordat vero huic legi *lex* 41. *inf.* GOTHOFR

(b) *Menandro* huic inſcribitur quoque Anno 321. *lex* 2. *inf. de operib. publicis:* & A. 322. *lex* 2. *inf. de alim. quæ inop. par.* vbi Africæ fit mentio. Proculdubio fuit is PP. arg. *huius l. infr.* *ID.*

(c) *Neceſſitatibus*, id eſt vxoribus, familiis ſuis, vt *l.* 3. *ſupr. de re milit.* & Ammianus Marcellinus *lib.* 20. *cap.* 4. *Iulianus contemplans rationabiles querelas* (Petulantium) *cum familiis eos ad Orientem proficiſci præcepit, clabularis curſus facultate permiſſa.* *IDEM.*

(d) A me Principe. *IDEM.*

(e) Palatinis & bene meritis, vt habet eiuſdem Conſtantini *lex* 1. *ſup. de priuil. eor. qui in S. Palat.* *ID.*

(f) *Euectiones* ſunt diplomata & licentia euehendi, ſeu Curſus publici: vide *Paratitlon* & *Gloſſar. Theodoſ.* Auguſtinum, *lib.* 5. *conf. cap.* 13. & Dioſcorum *ep.* 55. *inter Auguſtini epiſtolas.* quæ loca excitauit Cl. Pancirollus *Notit. Imp. Or. cap.* 6. *ID.*

(g) *Deſtricti*, id eſt obſtricti, deſtinati, occupati. *IDEM.*

(h) *Improbum*, id eſt improbatum, illicitum. *ID.*

(i) *Angarialis* copia, id eſt copia & facultas angariæ vſurpandæ. *ID.*

(k) Forte *viæ*. *ID.*

(l) Forte *adimendum:* Sed nil temere muto. *ID.*

(m) Exploratores Curſus publici. *ID.*

(n) Ita locus hic interpungendus. Nam error eſt viri docti qui *Prouinciarum Præfectos*, pro Rectoribus hic ſomniat: Imo *Præfecti vehiculorum* hic alii ſunt. *ID.*

(o) A te ſcilicet Præfecto Prætorio ſub quo fuerunt Rectores Prouinciarum. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE COMMERCIO & COMMVNICATIONE ANGARIARVM imperratarum, eſt hæc Conſtantini M. conſtitutio, quæ quarta eſt e Conſtantinianeis in argumento curſus publici: qua differentia conſtituitur inter venditionem, & comitis ſiue ſocii adſcititionem. De qua prius quam ago, de *Angariis* ſemel occupatis hic videndum eſt: de quibus agitur inſuper *Rubr.* & *l.* 11. 16. 21. 28. 30. 45. 48. & *l. vlt. inf. h. t.* & *l.* 9. *inf. de legatis* & *l.* 5. *de Curioſis.*

De nomine monere ſuperfluum puto, cum omnes ſciant & conſentiant, ab initio vocem hanc Perſicam fuiſſe, vbi *Angari* vel *Aſtande* τῦ βασιλέως ἄγγελοι & γραμματοφόροι dicebantur. (a) Exinde ſecundo ſignificatu, commeandi, laborandi, *neceſſitati* omni, ac ferme cum onere, Angariarum & Angariandi nomen tributum, vt vel ex *Euangelio Matthæi cap.* 27. *v.* 32. liquet, *Suida*, *voc.* Ἀγγαρεία, & *voc.* Ἀσάνδαι. Heſychio *voc. iiſd. Pandectis*, & *Codice*, *Gloſſis Iſidori*, & ex ſingulari Libanii *oratione* περὶ ἀγγαρειῶν, quam nuper extuli. Qua voce Libanius morem eum indicat & improbat, quo Agricolæ in vrbem commeantes mox in agrum redituri, a Magiſtratibus detinebantur ruderis egerendi gratia: & in id Aſini eorum, & muli vſurpabantur. Hinc & *Angariales muli*, ἄγγαροι ἡμίονοι Libanio, Apud Aretam in *cap.* 18. *Apocal.* (quem locum excitat etiam Cl. Pancirollus *Notit. Imp. Or. cap.* 6.) ἵπποις καὶ τοῖς διὰ τέτων ὀχήμασι ἃ ἡ παλαιὰ μὲν φωνὴ Ἀγγάρες ἡ δὲ τῶν ἑλλή- P. 516
νων δημοσίες ἱπποςάθμες, ἡ δὲ τῶν Ρωμαίων ῥαίδας, ἀφ' ὧ καὶ ῥαιδάριος. *Equis autem, & his ſimilibus, quos veteres angarios, Græci equos ſtationarios, romani vero rhedam appellant, a qua rhedarius deriuatur.* Tandem vt aliis vocibus euenire ſolet, tertio & poſtremo ſignificatu Angariarum vox tributa grauiſſimo & tardiſſimo commeandi generi, curſuique publico vehiculari. Nam quod nonnullis legibus ſuperioribus docemur, cum curſus publi-

(a) Vide hic Nicol. Bergierium *de publ. & militar. imper. rom. viis lib.* 4. *Section.* 4. §. 2. 3. 4. *pag.* 411. *Tom. X. Theſ. Antiquit. Rom.* & notas doctiſſimi Henr. Chriſt. Henninii *pag.* 731. 732.

publicus alius velox cursus esset, quomodo vocatur *lege 62. inf. h. t.* (vbi plura) qui scilicet peragebatur aut veredis seu equis: vel etiam vehiculis & subiunctoriis velocioribus, puta redis, carris, &c. Alius, sic vt dicam, tardigradus erat & grauis, nempe per *Angarias*, quæ boum protelo ducebantur, sic vt bina boum paria his, neque vltra aptarentur, vt docet exerte *lex 11. infr. h. t.* trahendo scilicet oneri mille quingentorum pondo, *l. 28. & 30.* Hinc adeo Angariæ a cursu separantur, *l. vlt. h. t.* & *huius tit. rubr.* & a reda, *l. 48. inf.* seu reda cursuali, *l. 9. inf. de Legatis:* redis & nauibus opponuntur, *l. 48. inf.* Quare ex his iam apparet, errasse Græcos *lib. 56. Basil.* & post eos alios, etiam Doctiss. Bergierium *de Itineribus Imperii Rom. lib. 4. sect. 25. §. 6.* qui vt Angarias a parangariis distinguerent, *Angarias* in genere definiuerunt Cursum publicum, & quidem per viam publicam directam, & qua Cursus publicus dispositus erat: parangarias aliouersum: (a) Quæ quidem distinctio vera est, si modo addidissent quodnam genus Cursus fuerit, non tantum ratione loci: quo sane contemplato eadem definitio competit veredis & parauerедis: *Schol. Basil. lib. 56. tit. 18. c. 11.* καὶ ἐστιν ἀγγαρεία μὲν ἡ πάροδος ἡ διὰ τῆς δημοσίας ὁδοῦ τῆς καὶ δρόμον ἐχούσης, ὡς τυχὸν ἐντεῦθεν ἐπὶ τύρον: παραγγαρεία δὲ ἡ διὰ τῆς ἐκ πλαγίας ὁδοῦ, ὡς τυχὸν ἐντεῦθεν ἐπὶ Ἡλιούπολιν. Quo interim ex loco colligere mihi videor, Auctorem istius scholii *Berytium* fuisse: Recta enim via Berytiis Tyrum fuit: per obliquum vero, Heliopolim: Nam & ita in *Itinerario Peutingeriano. Ptolemaide* XXXII. *Tyro* XXIIII. *Sydone* XXIX. *Beritho* VII. *Biblo* XII. *Eliopoli* XX. Ergo Angariæ sunt cursus publici species, & quidem vehicularis: Quod docent etiam extrema huius legis, vbi ideo de Præfectis Vehiculorum agitur. Item *lex 21. inf.* quæ agens de Angariis, de Rotarum tritura loquitur, quæ bubus fiebat. Quem eundem facio eum cursu clabulari, de quo alioquin plene *ad l. 2. & d. l. 5. sup. de Curios.* & *l. 23. & 62. inf.* Quod diserte ostendit *lex 5. sup. de Curiosis. E cursu*, inquit, *clabulari singulas angarias in his scilicet stationibus in quibus cursus est conlocatus ad exhibendam humanitatem venientibus excuretis.* Qui quidem Clabularis ideo veloci cursui opponitur *l. 62. inf. h. t.* vt angariæ simpliciter cursui, *l. vlt. inf. h. t.* vel redæ cursuali, *l. 9. inf. de Legatis*, vel etiam rhedis & veredis, *l. 30. inf. h. t.* Sic liquet, Angarias fuisse cursum publicum vehicularem διὰ ὀχημάτων, vt Aretas quoque *loco superiore*, ferendis oneribus & impedimentis charitatibus & familiis destinatum: vnde dicuntur *h. l. necessitatibus propriis peti.* Quomodo etiam Ammianus Marcellinus *lib. 20. cap. 4. Iulianus Petulantes cum familiis eos ad Orientem proficisci præcepit clabularis cursus facultate permissa.* In *l. 5. sup. de Curiosis: ad exhibendam humanitatem venientibus excurati.* Eodemque pertinet quod Ammianus Marcellinus iterum scribit *lib. 20. cap. 8.* quod cum Florentius Præfectus Prætorio a Iuliano ad Constantium profectus esset: *necessitudine omni relicta*, Iulianum sciri volentem quod præsenti pepercisset, *charitates eius cum re familiari intacta publici cursus vsu permisso ad Orientem redire tutius imperasse.* Quare transuehendis speciebus fiscalibus destinatæ hæ angariæ, quod postremum docet *l. 48. infr. h. t.* Hinc adeo Iulianus *d. l. 16. infr.* cum veredorum & parauerедorum discursus amputasset in Sardinia, angarias tamen non submouit, propter publicas videlicet species, vt diserte ait, quæ ad diuersos portus erant deferendæ. De quo plenius *ad d. l. 16.*

Ex superioribus iam paret, clabularium cursum vt aliis, ita & militibus concessum, quoties transferri eos de loco in locum oporteret, quod testatur exerte *l. 22. Cod. Iust. eod. tit.* Sed non cum velociter transferri oporteret. Nam imo & Ammianus Marcellinus *lib. 21. cap. 13. Vt vehiculis*, inquit, *publicis impositum paulatim præmitteret militem.* Quamquam neque hic locus tantum de Clabulari est. Sed neque ægrotantium tantum militum causa hic cursus clabularis permissus, quod vir Doctus scripsit: verum vel familiis & charitatibus transferendis, vt in prædicto Marcellini loco, & *d. l. 22.* vel annonis & speciebus fiscalibus transferendis, *h. l.* & *d. l. 22.* Vel denique Legatis, *eadem l. 22.* Neque id etiam ait *l. 11. infr. h. t.* ea quippe id definitur, regulariter non nisi singulas angarias concedi posse, sorte iis qui castrensibus in palatio muniis defuncti essent, duas nonnisi concedi posse si ægri essent.

Nunc de sententia *legis.* Angariarum igitur *commercio* interdicit *hac l.* Constantinus M. pariter vt Valentinianus Sen. annonarum seu tractoriarum commercio, *l. 1. inf. de Tractoriis:* & Theodosius M. *l. 41. infr.* Euectionum in genere & asinorum commercio seu contractu: atque ab iis demum vsurpari eas voluit, quibus ex concessæ fuissent, non vero ab aliis. Nempe didicerat Constantinus, vehicularis cursus publici rationem explorans, *certisque nunciis compererat*, vt ipsemet ait, quosdam (veluti Palatinos) angarias tanquam sibi & necessariis suis necessarias impetrasse, quas quidem personæ tantum impetrantis respectu Principes concedere solerent, *raroque* etiam & *non nisi merentibus* (vt *h. l.* dicitur) & interim tamen non in vsus suos reuera, verum vt venditis & translatis his in alios, qui ipsi impetrare non potuissent, compendium ea ex re facerent. Igitur hoc commercii genus damnat *hac l.* Constantinus M. exilii pœna emptori & venditori indicta. Imo & publici Cursus Curiosis, qui id dissimulauerint, vel neglexerint. Imo Theodo-

(a) HENR. CHRIST. HENNINIVS *in not. ad Bergier. lib. 4. 25. §. 2. pag. 768.*

Distingue significata. 1. γραμματοφορίαν, ἀγγελιαφορίαν, tabellariorum obsequium. 2. necessitatem omnem commeandi & laborandi cum onere coniunctam; sic *angariantur* naues, Simon Cyrenæus, alii. Videnda hic *Libanii oratio περὶ ἀγγαρειῶν, aduersus angarias*, vbi morem illum improbat, quo agricolæ in vrbem commeantes & hinc mox in agrum redituri, a magistratibus detinebantur, ruderis egerendi gratia, & in id asini eorum & muli *angariabantur.* 3. Pro cursu vehiculari *rhedarum*, vt apud Aretam *in Apocal. cap. 18.* ἵπποις δὲ καὶ τοῖς διὰ τούτων ὀχήμασι, ἃ ἡ παλαιὰ μὲν φωνὴ Ἀγγάρεις, ἡ δὲ τῶν Ἑλλήνων φωνὴ Δημοσίας ἱπποτάδους, ἡ δὲ τῶν Ῥωμαίων Ῥαίδας, ἀφ' ὧν καὶ Ῥαιδάριοι. 4. Speciatim pro *cursu clabulari*, ad viam publicam, vbi stabat cursus publicus; vti *Parangaria* erat, quando a via publica vbi erat cursus publicus, diuertebatur in viam publicam aliam, vbi non erant cursus publici stationes. Scilicet cursus vehicularis fiebat velocius, vehiculis & subiunctoriis velocioribus, vti *carpentis, rhedis, carris, birotis* siue *cisiis*, quibus plerumque *mulæ*, rarius *equi*, subiungebantur. aut fiebat tardius per *clabulas*, quæ conueniunt *angariis*, tractas quatuor bobus *l. 11. C. Th. de C. P.* onerandas ad 1500 pondo, *l. 28. & 30. eod.* hinc *angariæ a cursu* separantur, in *rubr. h. t. C. I. & Th.* & *l. 66. vlt. C. T. eod.* & a *rheda cursuali*, *l. 48. fin. eod. l. 9. C. Th. de Legat. l. vlt. C. de fabric.* & a *carpentis* ac *veredis l. 30. C. Th. de C. P.* Quibus omnibus rite distinctis, paulo clarius intelliges *Bergierii* verba, quem alias erroris arcessit *Iac. Gothofredus ad l. 4. eod.* cui hic nonnihil debeo, quamuis & ipse ibi ab errore non sit omnino immunis. Rem extra controuersiæ aleam ponit *l. 5. C. Th. de Curios.* vbi §. 2. ita sonat: *E cursu vero clabulari singulas angarias, in his scilicet stationibus, in quibus cursus est collocatus, ad exhibendam humanitatem, venientibus succurrsis.*

mentis publicis vltro citroque discurrentibus per Synodos. Vehicularii certe cursus Athanasio copiam Constantius nun semel fecit, vt apparet ex eius epistolis *Apolog. 2. pag. 769. 787. Tom. I. oper. edit. Colon. siu. Lipf.* & apud Socratem *H. E. lib. 2. c. 23.* Hoc ipso anno apud Marcellinum fit mentio Cursus publici & vehiculi publici a Constantio euocatis ad se concessi, non vno loco: *lib. 14. cap. 11. lib. 15. c. 1.*

Constantii, inquam, constitutiones sequuntur. Est enim error *huius Codicis* Conditorum, qui hanc *legem*, & *sequentem* Constantino M. tribuerunt, cum omnino Constantio adscribendæ sint. Et hæc quidem nominatim, argumento *Musoniani PP.* cui ea inscribitur; neque enim sub Constantino M. verum sub Constantio demum Musonianus Præfectus Prætorio fuit: vt docet insuper altera Constantii *lex 2. inf. de Legatis*, quæ ad eundem Musonianum PP. data est A. 356. Et expresse etiam Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 13.* in Gestis Anni 355. *Domitiano*, inquit, *crudeli morte consumpto, Musonianus successor Orientem Præfectoriani regebat potestate Præfecti, facundia sermonis vtriusque clarus*, &c. vbi & alia plura de hoc Musoniano Præfecto Prætorio, vt & *lib. 16. cap. 9.* Ac priore loco nominatim inter alia eum prius *Strategium* vocatum scribit, post Tyrannorum expulsionem; puta Veteranionis & Magnentii. De quo Libanius *de Vita sua pag. 29. edit. Morell.* δωρεῖται μὲν τοὺς Ἕλληνας τῇ Στρατηγίῳ πρᾳότητι κόσμον τῆς αὐτῷ βασιλείας τὴν ἐκείνου νομίζων ἐν ἀρχαῖς χρηστότητα. *Græcos donat lenitate ducis Strategii, ornatum regia administrationis suæ illius in magistratibus mansuetudinem reputans.* Postea demum Præfectus Prætorio factus A. D. 354. quod idem Libanius testatur *pag. 37. & 39. de Vit. sua ed. cit.* ἀρχὴν ἔχων ἢ τῶν ἄλλων ἄρχει Στρατήγιος. *Strategius dignitate gaudens, qua aliis imperat.* Nempe enim Præfectura Prætoriana omnium dignitatum apex & κορυφὴ fuit. Breuiter, Musonianus hoc demum tempore Præfectus Prætorio factus. Et certe tantum abest, vt Constantinus M. eum Præ- P. 518 fectum Prætorio fecerit, vt contra tempore Concilii Sardicensis nonnisi Comes fuerit vt docet Athanasius *ep. ad solitar. vit. agent. pag. 815. Tom. I. Oper. edit. Lipf. siu. Colon.* & *Apolog. 2. ad Imperator. Constantium pag. 754. Oper. Tom. I. ed. cit.* Imo & sub Constantio P. C. Achsiæ factus A. D. 353. Eiusdemque tandem Musoniani meminit Valens Imp. *l. 14. inf. de nauicul.* Ergo & hæc *lex* Constantio tribuenda venit, atque adeo referenda ad A. D. 354. quo Consules fuerunt *Constantius A.* VII. & *Constans Cæs.* III.

De sententia *huius l.* videamus: Dandarum Euectionum seu Cursus publici tribuendi copiam rursum denegat *hac l.* Constantius, quod & antea fecisse se ait, Rectoribus prouinciarum, pariter vt Iulianus *l. 12. inf. h. t.* Scilicet ne Cursus publicus fatigaretur: quod vtique fieret si hæc Euectionum dandarum licentia latius panderetur: subinde ademptum hoc ius euectionum faciendarum Rectoribus Prouinciarum, *h. l.* & *l. 12.* vt & Comitibus & Ducibus *l. 52. 57. inf.* Imo & Vicariis, *d. l. 12.* & Magistris militum, *l. 43. 56. inf. h. t.* Seruato videlicet hoc iure soli Principi, *l. 4. sup. l. 40. inf. h. t.* itemque Præfectis Prætorio, *l. 9. 12. 35. 40. 56.* Et Præfectis vrbi in publicis causis, *l. 19 inf.* Tandem Magistris officiorum, *l. 9. 22. 35. inf.* Quanquam subinde ab illis quoque vsurpata hæc licentia: de quo *suis locis.*

De Agminalibvs & Paraveredis *non exigendis.*

VI. (a) Idem A. (b) Magno (c) Agenti Vicariam Præfecturam.

Hoc interdicto prohibemus, ne quis agminales (d) ac (e) parauerdos æstimet postulandos: in eos enim qui hoc temere præsumpserint, vindicari acrius oportebit, iussione nostra cunctis prouincialibus (f) intimata. Dat. Kal. Aug. Constantino A. VII. & Constantio C. conss.

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFREDVS.

(b) Et hæc *lex*, vt *superior*, CONSTANTIO tributa videtur. *ID.*

(c) An hic idem ille *Magnus* est: Vicarius Vrbis Romæ, cui anno 367. inscribitur Valentiniani *lex 3. & 4. sup. de Tironib?* *ID.*

(d) De *Agminalibus* bis iam plene dixi *ad l. 3. sup.* IDEM.

(e) Coniunctiua *ac*, pro disiunctiua *vel:* Iidem quippe Agminales, & Parauerdi: vt ostendi ad *d. l. 3.* *ID.*

(f) Hinc quoque patet, Agminales ac Parauerdos a prouincialibus præbitos, non vero in Cursu fiscali fuisse: de quo ad *d. l. 3.* IDEM.

COMMENTARIVS.

Agminales ac Paraveredos a prouincialibus postulari vetat *hac l.* siue Constantinus M. siue Constantius, pariter vt *l. prox. 7. inf.* De quibus dixi semel plene *ad l. 3. sup.*

Et sic hac ratione, prouincialium securitati consulit Imperator, quorum patrimonia euertebantur illa exactione, vt diserte testatur *d. lex 7. infr.* a commeantibus scilicet per viam transuersam ἐκ πλαγίας ὁδοῦ, nam id sibi volunt Agminales equi seu Parauerdi, pariter vt eodem sensu *Parangaria* dicuntur: de quo vide Græcos, *lib. 56. Basil.*

De

De PARAVEREDORVM *exactione omnibus præterquam Agentibus in rebus interdicta.*

VII. (a) Imp. CONSTANTIVS A. Olybrio (b) Proc. Afric.

PARAVEREDORVM exactio patrimonia multorum euertit, & pauit auaritiam nonnullorum. Ideoque prælata (c) iussione nostra, prouinciarum Rectores Excellentia (d) Tua commoneat, vt, exceptis Agentibus (e) in rebus, qui ad mouendum (f) militem mitti consueverunt, quisquis alius parauerędum exegerit, non ei cedat inpune, sed nec illi qui dederit. Dat. III. Non. Aug. Antiochiæ, (g) Constantio A. VII. & Constantio Cæs. CONSS. [354.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Inst.* GOTHOF.R.

(b) In veteri quoque inscriptione apud Gruterum (quæ Romæ) CCCLIII. 2. inter alias Olybrii dignitates, Proconsulatus Africæ mentio fit. v. *Prosopogr.* ID.

(c) *Prælata* iussiones Principum literis Præfectorum Prætorio: dixi plene ad *l. vn. ff. per obreptionem*: vid. & *Paratitlon de const. Princ.* ID.

(d) *Excellentiæ* titulus, Proconsuli Africæ tributus. IDEM.

(e) Vide *tit. sup. de Agentib. in rebus*; & *l.* 9. 14. *infr. h. t.* ID.

(f) *Mouere militem* proprie: vide *Glossar. Theod.* ID.

(g) Huius loci adscriptio suadet, hanc *leg.* non tribuendam A. 354. quo Constantius vel in Galliis, vel in Italia fuit: verum potius ad A. D. 342. referendam: arg. subscriptionis *legis* 33. 34. *inf. de Decurionib. l. 6. inf. quorum appellat.* & sic ad Consulatum *Constantii & Constantis* 2. ID.

COMMENTARIVS.

P. 519 PARAVEREDOS (per viam transuersam scilicet) exigi a priuatis, rursum vetat Constantius *h. l.* pariter vt *leg. superiore.*

Tria tantum *hac l.* obseruanda. Primo *Ratio* huius interdicti, nempe aie Constantius, Parauaredorum exactionem patrimonia multorum euertisse & pauisse auaritiam nonnullorum. Id scilicet est, quod Sext. Aurel. Victor ait, qui sub Constantio *huius leg.* auctore scribebat *c. 13. munus cursus publici satis vtile in pestem orbis Romanæ vertisse posteriorum auaritiam insolentiamque.*

Secundo notanda *Exceptio.* Parauaredi scilicet exigendi potestatem solis Agentibus in rebus facit *hac l.* Constantius: qui alioquin quoad modum cursus fiscalis vsurpandi, cæteris æquati ab eodem Constantio, *l. 9. infr. h. t.* & Valentiniano Sen. *l. 14. inf.* Et quidem Agentibus in rebus iis solis qui ad mouendum militem mitti solebant. Nempe Agentes in rebus (de quibus *suo tit.* plene, & *l. 9.* & *14.*) missionibus Principis & necessitatibus publicis procurandis mittebantur: ac nominatim sæpe militi mouendo. Ergo cum hæc summa festinandi occasio esset, militem inquam mouere, Constantius hoc vnico casu ceu maxime vrgente, Parauaredorum exigendorum potestatem Agentibus in rebus faciendum credidit. *Militem mouere*, est vel in id incumbere, vt exercituum auxilia promoueantur in vsum Reipublicæ: vel sane milites secum ducere ad alicuius negotii executionem. Nam & *executio* proprie Agentib. in rebus tribuitur, *l. 11. sup. de Agentib. in rebus.* Quomodo sub hoc ipso Constantio A. D. 354. Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 11.* memorat Comitem Barbationem cum Apodemio agente in rebus milites duxisse in occursum Galli C. Sane Imp. Honorius postea omnibus in causa publica, seu publica necessitate exigente, & Euectione manifesta parauaredi exigendi ius fecit *l. 59. & 65. inf*

Tertio eandem pœnam imponit Constantius *h. l.* dandi parauaredum atque exigendi, vt sæpe alias concussis eadem pœna imposita, quæ concutientibus: Quia remittendi potestas cuique concutiendi publice esset.

De EVECTIONVM *exhibendarum necessitate: deque iusto* ONERE *seu pondere vehiculorum & veredorum, & de numero animalium vehiculis iungendorum.*

VIII. (a) Idem A. (b) ad Taurum PF. P. (c)

EVECTIONES (d) ab omnibus postulentur, quacunque (e) conspicui fuerint dignitate: non enim debet esse vnquam efficax vsurpatio, quæ possit animalibus publici cursus inferre perniciem. Quod si quis putauerit esse resistendum, & sine euectione iter facere detegitur, vbi (f) repertus fuerit, eundem iussimus detineri, (g) ac (h) de eius nomine ad Prudentiam (i) Tuam (k) & ad Musonium (l) Clarissimum Virum Comitem (m) & Magistrum (n) Officiorum referri (o) statuimus, (p) redæ mille pondo tan-

do tantummodo superponi, birotæ ducenta, veredo triginta, non enim ampliora onera perpeti videntur. Octo multæ (q) iungantur ad redam æstiuo videlicet tempore, hiemali decem; birotis trinas sufficere iudicauimus. Adque hæc cuncta Regionibus (r) præstitutos curare præcepimus, pœna eis proposita. Dat. VIII. Kal. Iul. Med. Constantio A. IX. & Iuliano Cæsare II. conss. [357.]

NOTAE.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) Addendum huius *legis & proximæ* Inscriptioni, *& Iulianus Cæsar*: quomodo etiam præfert *lex 2. sup. de Curiosis.* IDEM.

(c) Italiæ: cui Tauro Præfecto Prætorio quamplurimæ a iæ *leges* Constantii inscribuntur toto octennio: imo *& lex prox. 9.* De eodem vide Ammianum Marcellinum *lib. 21. cap. 6. & 9. & lib. 22. cap. 3.* Seuerum Sulpitium *sacræ historiæ lib. 2. cap. 41.* in Gestis Concilii Ariminensis biennio post hanc *leg.* ID.

(d) Mutatus hic locus *Cod. Iust.* ita: *Euectiones ab omnibus postulentur, & tam Iudices, quam custodes publici cursus minime transire patiantur, antequam seriem Euectionis aspexerint. Quod si quis &c.* IDEM.

(e) *Vel vltra tempus quod Euectioni insertum est, publico cursu vti conatus sit,* hoc insertum *Cod. Iust.* ID.

(f) *Vbi, vbi.* ID.

(g) *Ibidem iubemus retineri.* Cod. Iust. IDEM.

(h) *Etsi quidem dignitate præditus sit de eius nomine*: & ita *Cod. Iust.* ID.

(i) Ita quoque *lex 2. sup. de Curios.* quæ eidem Tauro Præfecto Prætorio inscribitur hoc ipso anno in eodem argumento. Cod. Iust. legit. *ad Prouidentiam Tuam.* ID.

(k) Et *ad Illustrem virum*: ita Cod. Iust. mutato dignitatis nomine, & omissa Musonii mentione. Certe hoc æuo ita quoque reperio ab eodem Constantio Præfectum Prætorio & Comitem Largitionum solo *Clarissimi* titulo honestari, *l. 7. sup. de extraordin.* ID.

(l) *Musonius* Magister officiorum. Meminit eius quoque Libanius *pro Aristophane, p. 213. edit. Morell.* ἦκεν γὰρ Μουσώνιος μάγιστρος. *Sed enim Musonium qui miserat sequebatur.* Imo & eiusdem Comitis Musonii mentio fit apud Athanasium *apol. 2. p. 754. Tom. I. Oper. edit. Colon. siu. Lips. Weidm.* vna cum Hesychio Castrensi, quanquam ibi *Musonianus Comes* vocatur. IDEM.

(m) *Comitis* titulus Magistro officiorum dignitate iunctus, *h. l. & l. 10. sup. de Curios. l. vn. sup. de Decanis.* ID.

(n) Vide de Magistro officiorum, *& l. prox. & l. 22. 35. infr.* ID.

(o) *Aduersus cæteros vero protinus indignatio competens exercenda est, quos sinceritas tua pro loco graduque militiæ ibidem coërceri posse credidit.* Hoc additum *Cod. Iust. ex l. 22. inf. h. t.* IDEM.

(p) Sequentia recidit Tribonianus. ID.

(q) Mulæ in Cursu publico, *h. l. & l. 51. infr.* ID.

(r) *Regionibus præstituti* [illegible] (de quibus plenius *in Diatriba, de ChorEpiscopis,*) Idem & Stationarii dicti *l. 1. sup.* vide *infr. l. 34.* vbi de Clabicularibus regionibus. IDEM.

P. 510 *De* Præfectis Prætorio *quibus tria circa cursum publicum inhibentur.*

IX. (a) Idem A. (b) ad Taurum PF. P. (c)

Miranda (d) Sublimitas Tua nullos euectioni dies addendos esse cognoscat: Nec passim redarum Tractorias, (e) vel euectiones birotum (f) faciat; & Agentibus (g) in rebus Tua (h) Sublimitas tribui vel fieri euectionem vetamus: sufficere namque posse confidimus, quæ hisdem a Nobis, vel Magistris (i) Officiorum, Comitatus (k) nostri iussis, necessaria (l) habita ratione, præbentur. Dat. VIII. Id. Decemb. Med. Constantio A. IX. & Iuliano Cæsare II. conss. [357.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) Addendum & hic *Iuliani Cæsaris* nomen. IDEM.

(c) *Tauro* huic PP. inscribitur & *lex superior*: vbi dixi. IDEM.

(d) Ita quoque *l. 2. sup. de Curiosis* (quæ eidem Tauro PP. inscribitur in eodem argumento) *ex officio mirandæ prudentiæ suæ.* IDEM.

(e) De *Tractoriis* erit *Tit. prox.* Tractoriæ eædem hic sunt cum Euectionibus, id est literis & licentia cursus publici: quomodo & *Tractoria equorum* apud Symmachum ad Vincentium *lib. 9. ep. 25.* ex additione Scioppii. IDEM.

(f) *γρ. Birotarum* vt etiam Gutherius *de off. dom. Aug. lib. 3. cap. 15. p. 647. edit. Lipf.* Alioquin promiscue dicitur Birotum *d. l. 2. sup. de Curiosis.* & Birota *h. l.* & *l. prox super. ID.*

(g) De his suo *titulo, lib. 6.* cum *l. 7. sup. h. t.* & *l. 14. inf. ID.*

(h) *γρ. a Tua sublimitate. ID.*

(i) Vide & *l. 8 sup. l. 22. 35. in fin. h. t. ID.*

(k) Id est ad Comitatus Principis iussa: de *Comitatus* voce vide *Gloss.* Error enim est eius qui Indicem quondam *Codicis Theodosiani* confecit: cum ibi notauit ex *h. l. Magister officiorum Comitatus Principis. IDEM.*

(l) Prout necessitas postulauerit. *ID.*

COMMENTARIVS.

DVAS has Constantii, non Constantini (vt perperam a nonnullis allegantur) Imperatoris *leges* vna fidelia interpretati liber: quandoquidem, etsi non sint eæ *leges* vnius & eiusdem constitutionis partes, attamen eodem Anno ad eundem Taurum Præfectum Prætorio Italiæ, super eadem re datæ sunt; Imo & tertia insuper, puta *lex 2. sup. de Curiosis.* Nempe his tribus *legibus* Constantius A. D. 357. cursui publico enixe consultum iuit: Vnde simul liquere potest, quantopere cursus publicus tum succisus fuerit: forte ex eadem causa, quam attigit Ammianus Marcellinus *lib. 21. extremo:* puta, ex frequentissimo Episcoporum per Synodos discursu. Ergo hisce duabus *legib.* sex rationibus Constantius cursui publico opitulatum it: tot enim sunt capita harum duarum *legum*, e quibus tria priora continentur *l. 8.* tria posteriora *l. 9.* quibus addendæ sunt ad eundem finem quæ continentur alia, *d. l. 2. sup. de Curiosis.* Primo capite vetat Constantius quemquam cursum publicum vsurpare, nisi EVECTIONE ostensa; id est, nisi Diplomate, Tractoria, Synthemate ostenso, quo ei cursus publici copia data est. Nemo scilicet priuatus absque euectione cursum publicum vsurpare poterat: quod etiam cauetur *l. 22. 27. 57. 59. inf. h. t. d. l. 2. sup. de Curiof. l. 9. infr. de legatis.* Eoque refertur hic Hieronymi locus *Epistol. ad Iulianum tomo 1. oper. pag. 123. edit. Francfurt. Iam demisso Synthemate equus publicus sternebatur.* Eodem pertinet, quod Capitolinus in Pertinace scribit *cap. 1. Dein Præfectus cohortis in Syria profectus, T. Aurelio Imperatore, a Præside Syriæ, quod sine diplomatibus cursum vsurpauerat, peditibus ab Antiochia ad Legationem suam iter facere coactus est.* (a) Excepti tantum fuere Præfecti Prætorio, *l. 3. 35. 6a. h. t.* vt & legati ad Principem missi, *l. 32. 57. inf. l. 9 sup. de re milit. l. 6. 9. infr. de legatis.* Hac sane *lege* diserte & generaliter Euectiones ab omnibus postulari iubentur, quacunque conspicui fuerint dignitate. Quo tamen ipso non ideo infringitur illud quod dixi Præfectorum Prætorio priuilegium: nam & hi alias Euectiones dabant, vt docet *lex 9.* (vbi mox dicam) *12. 35. 40. 56. inf. h. t.* multo magis igitur commeandi ius sibi ipsis vindicare poterant. Cæterum si quis sine Euectione cursum publicum vsurpet, eum detineri Constantius iubet, deque eius nomine referri ad Præfectum Prætorio & Magistrum officiorum. Ad Magistrum officiorum scilicet ideo, quia hic ille erat qui Principis nomine Euectionas dabat, *vt* docet *lex 9. 22. 35. 49. infr. h. t.* & ad quem cursus publici cura pertinebat, & *Symmachus lib. 7. ep. 105. 106.* & Notitia Imperii *in Magistro officiorum fol. 42.* vbi dicitur sub eius dispositione esse Curiosum cursus publici præsentalem vnum, & Curiosos per omnes prouincias. Item *Magister*, inquit, *officiorum ipse emittis.* Vide & Cassiodorum *in formula Magisteria lib. VI. Var. 6. Veredorum quin etiam oportunam velocitatem, quorum status semper in cursu est, diligentia sua districtione custodit: vt sollicitudines nostras, quas consilio iuuat beneficio celeritatis expediat.* Atenim postea Valentinianus Sen. vt maxime sine Euectione commeantem seu cursum publicum vsurpantem pariter retentari voluerit, *l. 22. inf. h. t.* attamen de eius nomine, qui in dignitate constitutus esset, ad se referri voluit, vt ita vindicta de eo postea sumeretur, alios protinus coërceri voluit. Tanti res ea visa Principibus, eo quod vrgentibus necessitatibus publicis cursus publicus ægre suppeteret. Et hæc quidem ita Constantius *hac l.* (b)

Atenim Tribonianus *hac l.* interpolata ex *d. l. 22. inf.* distinctionem hac parte inducit, qui tamen, quamcunque tandem interpretationem adhibeas, sibimet contrarius videtur. Distinctio talis est; *Si quidem*, inquit, *dignitate præditus sit, de eius nomine ad Prouidentiam Tuam & ad Illustrem virum Comitem & Magistrum officiorum referri: Aduersus vero cæteros protinus indignatio competens exercenda est, quos Sinceritas Tua pro loco gradúque militiæ ibidem coërceri posse crediderit.* Quod quidem ex parte mutuatus est Tribonianus ex Valentiniani *d. l. 22. inf.* Valentiniano equidem distinctionis ratio constabat, cum eum quem dixi in modum ita distingueret; at enim Triboniano vix ratio constare posse videatur, cum definit, de eorum qui in dignitate positi essent nomine ad Præfectum Prætorio & Magistrum officiorum referri oportere: aduersus cæteros vero indignationem protinus competentem exercendam, quod idem Præfectus Prætorio coërceri posse crediderit. Vtroque enim casu Præfectis Prætorio vindictam relinquere videtur. Et sane quicquid tandem moliatur Lucas de Penna, Triboniani hæc ἀβλεψία est.

Secundo capite Constantius definit iustum PONDVS, seu ONVS, quod tribus cursus publici generibus superponi possit: ne videlicet iniustu alioquin onere prægrauata animalia corrumpantur, opprimantur. Quo spectant præterea septem leges *huius tituli*, puta *lex 17. & 18. in fin. leg. 20. 28. 30. 47. 48. infr.* ne, inquam, iniusto onere prægrauentur animalia cursui publico destinata, enormibus forte vehiculis datis *l. 30. infr.* vel pondere iniusto alias imposito. Igitur 1. *Reda* (de qua dixi etiam *ad l. 4. supr.*) seu carpentis redarum mille pondo tantum superponi vult Constantius *h. l.* vt & Valentinianus Sen. *leg. 17. 28. 30. inf. h. t.* & Theodosius M. *l. 47. 48. infr. h. t.* At vero, 2. *Birota* (de qua agitur etiam *l. 9. prox.* & *d. l. 2. sup. de Curiosis*) nonnisi ducenta. 3. *Veredo* tandem, id est equo nonnisi triginta pondo, *h. l.* & *d. l. 17. 28. 30. inf.* Reda scil. (de qua ad *d. l. 17. & 47. inf.*) τετράκυκλος erat, vnde τετράκυκλον

(a) Ad hunc locum vide Cl. Salmasium, vbi de *Combinis* siue literis, quæ dabantur a Principe ad combinanda publica animalia, & cursum vsurpandum, inuenies dictum. Adde huic Iac. Gutherium *de Off. Dom Aug. lib. 2. cap. 15. pag. 649. edit. Lipf.*

(b) De *Euectionibus* vide etiam Cl. Gutherium *loc. cit.* & Henr. Christ. Henninium *in notis ad Bergier. IV. 16. §. 12. pag. 758.*

κυκλον pro rheda apud Xiphilinum *Adriano p. 355. edit. Sylburg.* indeque *ὄχημα τετράκυκλον*, Eunapio *in Ædesio pag. 61. edit. Commelin. διὰ δὲ εὐδαιμονίαν ἐπὶ τετρακύκλου ὀχήματος ἐφέρετο. Solebat autem quadrigis vehi ob rem domi lautam.* Birota vero (quæ & *Cisium*) *δίκυκλον*, duas tantum rotas habens.

Tertio capite Constantius ad cursus publici facilitatem, neue iniusto rursum onere animalia vehiculis trahendis destinata prægrauarentur, NVMERVM animalium vehiculo trahendo aptandorum definit, & quidem cum aliquo temporum discrimine, nempe quia eum ibi minus onus esset, minus etiam discriminis subesset.

Hinc interim videre licet. Primo, mularum vsum fuisse in cursu publico: quod etiam testatur *l. 53. infr.* (vnde & mulinnes, *l. 10. 14. l. 31. 34. d. l. 53. infr.* & mulo-medici, *l. 31.* vide & Sueton. *in Iulio, cap. 31. in Vespasiano, cap. 23.* Paulum Diaconum *hist. miscella lib. XI. pag. 77. Tom. I. Scriptor. Rer. Ital.* in *Iuliano.*) Secundo hinc discimus Redas, & Birotas cursuales a *mulis* tractas, vt cæteroquin vehiculis & essedis trahendis mulæ aptatæ: Et hæc quidem de *leg. 8.*

Sequitur *lex 9.* qua continentur pariter tria capita; quibus scilicet *Præfectorum Prætorio* potestati circa Cursum publicum fibulam modumque impositum it *Constantius.*

Primo scilicet capite Constantius vetat Dies addi Euectioni a Præfecto Prætorio. Quod quidem obscurum sensum habet. Quid enim? Imo primum Diem addi oportuisse videtur, nealinquin cui semel data fuisset Euectio, idem postea eadem Euectione ostensa cursum publicum rursum vsurparet, *l. 27. inf. h. t.* Secundo, imo Theodosius M. expresse *l. 2. inf. de Tractoriis*, Tractoriæ cum statiuis solitis tempus bidui tantummodo accipere voluit, vel quinque dierum numerum his adscribi certo casu. Mihi huius capitis sensus hic videtur, vt quemadmodum aliis *huius leg.* capitibus, ita & hoc, indicetur differentia quædam inter Euectiones, quæ a Principe dabantur, & quæ a Præfecto Prætorio: In illis dies plures addi potuisse, nempe vt tot diebus quis alimenta & capitum in statione aliqua vel mansione acciperet, denique vt Tractorias & statiua haberent tot diebus: de quo ad *d. l. 2. inf. de Tractoriis & Statiuis.* Atenim Præfectum Prætorio nonnisi Cursum publicum vsurpandi ius tribuere posse, seu commeandi, non vero commorandi per dies aliquot. Et sane tota hæc *lex* eo pertinet, vt differentias constituat inter Euectiones quæ dantur a Præfectis Prætorio, & a Principe ipso.

Secundo capite *d. legis nonæ*, Constantius vetat, Præfectum Prætorio passim Euectiones Rhedarum vel Birotarum dare. Et sic moderate harum vsum, & Euectiones concedere iubet, ne alioquin cursus publicus fatigetur: Ac nominatim de Rhedis & Birotis id cauet, non de veredis, quia in iis maior vtilitas erat, propter publicas necessitates, quibus deficere poterat, si passiuitus eæ darentur a Præfecto Prætorio.

Postremo capite vetat Constantius, Præfectum Prætorio Euectiones tribuere *Agentibus in rebus*, qui scilicet iussis Principis exequendis per prouincias mittebantur: de quibus suo *titulo*, *sup. lib. 6.* addita ratione, quod hic sufficiant eæ Euectiones quas iis Princeps vel Magister officiorum eius nomine præbere solet, & vero necessaria ratione habita in quantum his sufficit & necessitatibus publicis expediendis. Etsi Theodosius M. postea ad duos veredos id diserte coarctauit, *l. 49. inf.* Ergo neque Agentes in rebus quamlibet alias necessarii hac parte magis priuilegiati quam cæteri fuere, nempe vt Euectionis semel sibi a Principe indultæ modum egredi non possint: quod & ipsum cauetur in *sp. l. 14. inf. h. t.* cum alias Agentibus in rebus ad mouendum militem missis parauerecli exigendi priuilegium indulgeatur: *l. 7. sup.*

Ex *hac* interim *leg.* apparet, Euectiones datas a tribus: vel a Principe ipso, adnotatione manus Principis: de quibus etiam agitur *l. 4. sup. l. 14.* & *l. 40. 56. infr.* vel a Magistris officiorum: quod etiam docet *lex 22. 35. 49. inf.* & Symmachus *lib. 7. ep. 105. 106.* (a) & *l. 9. Cod. Iust. eod. tit.* (Idque *Comitatus Principis iussis*, id est ad exequenda iussa quæ respiciunt Comitatum & officia Comitatensia & Palatina, quibus Magister officiorum præerat, & cuiusmodi erant Agentes in rebus) Vel denique a Præfectis Prætorio: vt præter hanc *legem* docet quoque *lex 12. 35. 40. 56. 62. inf. h. tit.* & Symmachus *lib. 1. ep. 21.* ad Ausonium, & *lib. 9. ep. 28.* ad Vincentium PP. Galliarum, & Imp. *d. l. 9. Cod. Iust. eod. tit.* & Notitia Imperii *fol. 4. Præfectus Prætorio euectiones annuales non habet, sed ipse emittit.* Quorum verborum hic sensus est, vt recte Pancirolus *cap. 7.* Præfectum Prætorio, non habere seu Impetrare quotannis a Principe vt vtatur cursu publico, quomodo Vicarii, qui denas, aut duodenas euectiones obtinebant: & Præsides, binas: Sed ipsos emittere, id est & suo iure eutrere, & aliis etiam concedere currendi facultatem, Cassiodorus VI. *Var. 3.*

(a) Ex his Epistolis, quas addidi, Cl. Henninius *in not. ad Bergierium de Publ. & Milit. viis IV. 16. §. 2.* probare voluit, *sub Honorio Magistros militum Euectiones dedisse.* Nescio quid virum doctissimum mouerit. Epistola enim 105. ad Patruinum scribit Symmachus, *Agendis D. M. Comiti, excellentissimo Viro gratiis, par esse non potest mediocritas verborum meorum. Tibi igitur hoc munus iniungo, vt de impetratis Euectionibus in adminiculum Prætoriæ functionis, habitum mentis meæ apud eum plenius exequaris.* Et ep. 106. ad eundem: *Cum igitur filii mei Prætoria instet editio, quam Vir illustris Comes, omnium virtutum genere sublimissimus, suis euectionibus iuuare dignatus est.* Sed hic *Comes* non alius est, quam *Magister Officiorum*, qui hoc nomine venis in variis Principum Constitutionibus, vt *leg. 8. Cod. Th. de C. P. l. 10. C. eod. de Curios & L. vn. C. eod. de Decan.* sed expressissimis verbis *Leg. 9. Cod. Iust. de Curs. publ* Cl. Gutherius *de O. D. A lib. 3. cap. 15. p. 645. edit. Lips.* Symmachi verba citans, per *Comitem* etiam recte intellexit *Magistrum Off.* & Cl. Pancirolus *ad Notit. Imp. fol. 42.* accurate vidit, *Illustrem fuisse Magistrum Officiorum & Magnificum, & quandoque Comitem vocatum.* Idem docent citatæ Epistolæ, ad quas olim plura dicam, & infr. ad *Notit. Dignitat.* Recte autem se habent alia quæ ibidem notauit Cl. Henninius; sub Traiano nimirum Prouinciarum Rectores euectiones dedisse, docente Plinio *Epist. X. 121.* sub Antonino Pio autem nec dedisse nec sibi vsurpasse, docente Capitolino *in Pertinace cap. 1.* quod tamen iam vidit Cl. Pancirollus *in Notit. Imp. fol. 8.* & Gothofredus noster *infr.*

P.521 *De* ANIMALIBVS *publicis, ad priuatorum vehicula non dandis vel aptandis.*

X. (a) Idem A. ad Flauianum (b) Proc. Africæ.

NULLI de cetero (c) subiunctorio (d) priuato animalia publica præbeantur: nec rei huiusmodi facultas mulionibus (e) relinquatur, sed penitus conquiescat. Dat. VI. Kal. Nouemb. Sirmio post CONSS. Constanti A. IX. & Iuliani Cæs. II. [358.]

NOTAE

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Flauiano* huic Proconsuli Africæ inscribitur triennio post, *lex 14. inf. quorum appellat. non recip.* Extant & apud Photium, *n. 243. p. 1141. &c. edit. Schotti* excerpta ex Himerii Sophistæ Propemptica ad hunc Flauianum, vbi passim ostendit eum Proconsulem Africæ fuisse. IDEM.

(c) *In posterum.* IDEM.

(d) De *Subiunctorio*, infr. *in Comm.* IDEM.

(e) *Muliones* qui? mox dicam. IDEM.

COMMENTARIVS.

VEHICVLIS priuatis, animalia publica publici Cursus vehiculis destinata, a mulionibus (qui curandis scilicet animalibus publici Cursus præerant) præberi vetat *hac l.* Constantius Imperator (quæ vehicula, *subiunctoria* vocat:) scilicet & hac ratione Cursus publicus vexabatur, & animalia publica atterebantur alicubi, & quidem in Africa, quod priuatis qui Euectionem non impetrauerant, sua & priuata vehicula habentibus, Muliones iam insolito more animalia publica concederent ad cursum peragendum, proculdubio Mulionibus quæstum aliquem inde facientibus, qui & alias illicitos quosdam quæstus facere soliti, vt docet *lex 31. 53. inf. h. t.* id quod *hac l.* deinceps fieri vetat Constantius Imperator: vbi obiter duo illustranda; quid *Subiunctorium* sit? quinam *Muliones*.

Quod ad primum: *Subiunctorium* pro vehiculo, cui animalia subiunguntur (quæ etiam *subiungendi* vox hic propria, *l. 14. inf. h. t.*) At Græci ὑποζύγιον pro ipso animali quod subiungitur, *iumentum subiugum*, in Glossis.

Ad secundum: Muliones sunt qui curandis animalibus cursus publici præerant, *h. l.* & *l. 14. infin. l. 31. 34. 53. inf. h. t.* qui & serui publici dicuntur, *l. 58.* mutationibus deputati, *d. l. 58.* Hippocomi, (a) *l. 37.* & *50. inf. h. t.* quorum singuli ternis veredis curandis præerant, *l. 34. inf. h. t.*

(a) Hesychius voc. Κομεῖν, Ἐπιμελεῖσθαι, Θεραπεύειν, ὅθεν καὶ κόμη, καὶ ἱπποκόμος. Quem locum etiam excitauit Cl. Henninius in not. ad Bergier. Suidas: Ἱπποκόμος, ὁ τῶν ἵππων ἐπιμελούμενος. *Equiso, qui Equos curat.*

ANGARIÆ *intra quem modum, & quot boum numero peti & vsurpari possint.*

XI. (a) Idem A. Helpidio PF. P. (b)

NE quis, (c) post hanc legem, amplius quam duas Angarias, & hoc, eorum si qui ægri sunt causa, vsurpare conetur, cum ad destinata (d) proficiscitur; ita tamen, vt pro singulis angariis bina tantum boum (e) paria consequantur. Si qui post hanc legem amplius mouerit, (f) in maximam se reprehensionem (g) sciat esse venturum. Dat. XVI. Kal. Decemb. Indictione IV. [360.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Helpidius* hic Præfectus Prætorio Orientis cui inscribitur Anno 358. *lex 4. sup. de erogat. mil. annon.* A. 359. si recte habet *lex 5. eod. tit.* Anno 360. *lex 1. inf. de patrocin. vicor.* & *lex 6. sup. de erogat. mil. ann.* Meminit & Libanius *orat. adu. Polyclem* qui vbique eum proscribit, quia Christianus erat. & Ammianus Marcellinus in Gestis anni 360. vel 361. *lib. 21. cap. 6.* (vbi vide Valesium) Hieronymus *in V. Hilarionis pag. 158. Tom. I. Oper. edit. Francf.* IDEM.

(c) Miles forte: vide *l. 25. inf.* vel castrensibus muniis in Palatio defuncti. *L. 1. de Tractor.* ID.

(d) Domum redit, *l. 1. inf. de Tractoriis.* ID.

(e) De *Bubus* cursualibus, vide & *l. 1. sup.* & *l. 53. infr.* ID.

(f) *Mouendi* vox hic propria: vide *Gloss.* ID.

(g) *Reprehensio*, pro pœna, non pro nuda censura. IDEM.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

ANGARIARVM (de quibus semel pleoe dixi *ad l. 4. sup.*) vsui & vsurpationi modum quendam præstituit *hac l.* Constantius Imperator: ne alioquin cursus publicus angariarum plus nimio vexetur. Et quidem in duobus. *Primo* statuit, vt ne quisquam vltra duas Angarias ad destinata proficiscens vsurpet: & quidem etiam ita duas, vt nonnisi eorum qui ægri sint causa, duas vsurpare possint. Quod quidem accipi oportet, de iis qui castrensibus muniis in Palatio defuncti & absoluti domum redibant post labores. Nempe, quod docet *lex* Valentiniani Senioris, quæ quinquennio
P. 523 post hanc *legem* data est, puta *lex 1. inf. de Tractoriis*, huiusmodi hominibus citra Euectionem seu Tractoriam, solis Principis dimissoriis epistolis ostensis, Cursus publici vsurpandi ius erat: quo seque, suasque charitates, seu necessitudines, & familias transferrent: & sic viaticum itineris conficiendi consequebantur, quantum his satis esset; ac nominatim angarias seu clabularem cursum, quæ ferme familiis & charitatibus transmittendis vsurpabantur, vt docui ad *d. l. 4. sup.* etiam ex *l. 5. sup. de Curiosis*, vt ex Ammiano Marcellino *lib. 20. cap. 4.* quo pertinet & quod idem scribit *lib. eod. cap. 8.* Ergo ne modum hi egrederentur, modum his imponi oportuit subinde, & vero impositus a Constantio tum *hac l.* tum anno superiore, *d. l. 5. sup. de Curiosis:* Ea scilicet *lege*, nonnisi singulas angarias ad exhibendam humanitatem venientibus excurari voluit: *Hac* pariter, regulariter singulas, ad summum duas si ægri essent, seu ægra familia eius qui commearet. Ita quoque Theodosius M. *l. 45. inf.* vetuit, quemquam amplius quam singulas vel binas angarias vsurpare. Et hic quidem Primus modus est ratione numeri angariarum.

Secundus modus est ratione *animalium*, puta boum, qui angariis sufficiunt: scilicet bina tantum boum paria, seu quatuor boues pro singulis angariis tribui vult Constantius, non amplius. Tot scilicet sufficiunt 1500. pondo trahendis, quod Angariæ onus fuit, *l. 28. 30. inf.* Porro, de quibus hæc *lex* accipienda sit, non liquet: neque enim de militibus hic quicquam exprimitur, quare de aliis nihilominus ea accipi possit. Quod vero ea *hac l.* Vir doctus colligit, ægrorum tantum militum causa clabularem cursum permissum, erroneum est: Nam vt alibi ostendo concessus familiæ transferendæ etsi non ægræ: neque *hac l.* id dicitur de causa Clabularis cursus, verum de numero tantum angariarum augendo propter ægritudinem hic agitur.

Data autem dicitur *hac* Constantii *lex* (quæ Helpidio PP. inscribitur) *Indictione* IIII. XVI. *Kal. Decembr.* Quod stare non posse videatur, cum Indictio Quarta respondeat Anno 361. vt docet *Chronicon Alexandrinum pag. 685. edit. Raderi.* ἰνδ. δ', κδ', ὑπ', Ταύρε καὶ Φλωρεντίε. Ind. IV. *Constantii Aug. an. XXIIII. Tauro & Florentio Coss.* Atquin Anno 361. III. *Non: Nouembr.* iam decesserat Constantius. Verum dicendum est hanc *legem* datam Anno 360. a cuius extremis mensibus incipiebat Indictio Quarta: Quinta vero extremis mensibus Anni 361. vt ex eo ipso *Chronico Alexandrino* discimus, cuius Auctor diserte eidem anno 361. duas Indictiones tribuit, & Quinta quidem decessisse Constantium scribit. Verum de *Indictionibus* semel dicam *suo loco*. Hæc interim *hoc Codice* prima omnium Indictionum mentio occurrit.

De EVECTIONVM *dandarum potestate vni Præfecto Prætorio indulto: Vicariis & Rectoribus prouinciarum adempta: deque modo Euectionum ipsis Vicariis & Rectoribus siue a Principe, siue a Præfecto Prætorio tribuendarum.*

XII. (a) Imp. IVLIANVS A. ad Mamertinum PF. P. (b)

QVONIAM cursum publicum fatigauit quorundam immoderata præsumptio, & Euectionum frequentia, quas Vicaria potestas & Præsidum atque Consularium Officia prorogare (c) non desinunt, curam ac sollicitudinem huius rei nos subire conpulsit, faciendarum (d) euectionum licentiam cunctis abduximus. Exceptis igitur Vobis nulli euectionem licebit facere de cetero. Sed vt necessitates publicæ impleantur, Vicariis denas vel duodenas euectiones manu mea perscribtas ipse permittam: Præsidibus vero binas annuas faciat Vestra Sublimitas, quibus ad separatas prouinciarum secretasque partes necessariis ex causis Officiales suos dirigere possint. Sed his quoque Nostra etiam Mansuetudo euectiones singulas dabit, vt ad nos referre possint, cum id fieri necessitas quædam exegerit. Acc. VIII. Kal. Mart. Syracusis, (e) Mamertino & Neuitta CONSS. [362.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFRED.

(b) *Mamertino* huic Præfecto Prætorio inscribuntur *leges* complures: Et quidem *hoc ipso tit.* Septem; puta Iuliani hæc *lex* & *lex* 13. 14. 16. *inf.* & Valentiniani Sen. tres, *lex* 18. 23. & 26. Huius Præfecturæ suæ meminit ipse, in *Panegyrico pro Consulatu suo cap. 1.* hoc ipso anno D. 362. Meminit & Ammianus Marcellinus *sub Iuliano* in Gestis Anni 361. & 362. *lib. 21. cap.* 8. 10. 12. & *lib. 26. cap.* 5. & *lib. 27. cap.* 7. Qui Præfectum Prætorio per Illyricum facit, initio An. 362. *d. lib. 21. cap. 12.* Mox in *Valentiniani* rebus, Italiæ, Illyrici-

lyrici, Africæ, Præfectum Prætorio diserte facit Ammianus Marcellinus *d. lib. 26. cap. 5.* De Vrbe Roma testis est *lex 1. sup. de Equestr. dignit. lex 2. & 4. inf. de annonis Ciuicis*, de Italia, *lex 1. inf. quibus equorum vsus l. 9. infr. de annon. & tribut.* de Africa, *lex 1. sup. de militari veste; l. 4. inf. de susceptorib.* de Sardinia, *lex 16. infr.* de Sicilia hæc lex. *ID.*

(c) *Prorogare* Euectiones quid est? Erogare, tribuere, præstare. *ID.*

(d) Facere Euectiones, hic, & mox, & multis aliis, est tribuere. *IDEM.*

(e) *Syracusis* data hæc *lex*, Siciliæ videl. in qua vt videtur, Mamertinus hoc tempore agebat. *ID.*

COMMENTARIVS.

IVLIANI Imp. quinque ordine constitutiones de Cursu publico sequuntur: ex quibus de Iuliani hanc in partem charactere apparet, quamque sollicitam & enixam Cursus publici curam hic Princeps egerit. Id quod alioquin diserte quoque testatur Libanius, *ἐν προσφωνητικῷ ad Iulianum* P. 524 *ipsum, pag. 182. edit. Morell.* ἵππων δὲ inquit, καὶ ὀρέων διαδοχὰς ὑπὲρ μεγίστων δὴ τὸ πρῶτον συστάσας, τριβομένας ἔπαυσας ὑπὸ τῶν ἐλαυνόντων, id est, *Equorum & mulorum mutationes ad maximas res principio constituens, attritas eas a commeantibus vindicasti.* Hæc enim huius loci interpretatio est, quem non cepit interpres: ἐλαύνειν enim est *agitare*, ac nominatim etiam iter agitare: neque ibi ὑπὲρ τῶν ἐλαυνόντων, aut vertendum pro *insequentibus:* quo sensu idem Libanius *in Iuliani necem pag. 288. edit. cit.* ὁ δ᾽ ἤλαυνε τρίχα, διελὼν τὴν δύναμιν: id est, *ille vero iter emensus est, copiis tripartito diuisis.* Qui ridere volet, videat eius loci interpretationem quæ ita est: *princeps hic vulsit capillum diuisis copiis.* Illud interim notandum, illo Libanii *loco*, quod ait, Iulianum inter primas Imperii sui curas Cursum publicum contraxisse: quod vtique probat hæc ipsa *lex*, inter initia Imperii Iuliani lata. Sed & plenius adhuc & accuratius idem Libanius, *orat. in Iuliani necem p. 295. 296. edit. citat.* Αὐτὸς δὲ τοῖς αὐτοῦ χρώμενος μὲν εἰς γραμμάτων πομπάς, τῆς δὲ τοῦ ταῦτα δρᾶν ἐξουσίαν οὐ μεταδιδοὺς, τοῦτο δὲ ἦν ἀκριβῶς ἐλευθέρας γενέσθαι τὰς πόλεις. ἐφεστηκότος δὲ τοῦ ταῦτα ποιεῖν ἔχοντος, οὐκ ἦν ἀναπνεῦσαι καθαρῶς, ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἐβάλλετο, ὁ δὲ ἔμελλε, καὶ τῷ γε μὴ πεισαμένῳ τὸ πείσεσθαι προσδοκᾶν ἀντὶ τοῦ παθεῖν κατέστατο. Τῶν τοίνυν ἀγγάρων ἡμιόνων, τῇ τε συνεχείᾳ τῶν πόνων, καὶ τῷ τοὺς ἄρτι ῥηθέντας τὰς μὲν λιμοκτονεῖν, αὐτοῖς δὲ τῷ ἐκείνων λιμῷ παρασκευάζειν Σύβαριν, ἐποίει δὲ πολὺν τὸν πόνον, καὶ τὰ νεῦρα οἷον ἐξέτεμνε τὸ τῷ βουλομένῳ ῥᾴδιον εἶναι ζεύξαντα ζεῦγος ἐλαύνειν, καὶ ταυτὸν δύνασθαι βασιλέως τε περὶ ταῦτα, καὶ πευθῆνος γράμματα. διὸ στῆναι μὲν οὐκ ἦν, οὐδὲ μικρὸν, οὐδὲ ἀπολαῦσαι φάτνης. ἡ πληγὴ δὲ ἀσθενοῦσαν οὐκ ἀνίστη πρὸς δρόμον. ἔδει δὲ εἴκοσιν ἢ καὶ πλειόνων πρὸς ἕλξιν ὀχήματος. αἱ πολλαὶ δὲ αἱ μὲν ἄρτι λυθεῖσαι πίπτουσαι ἐθνῄσκον, αἱ δὲ ὑπὸ τῷ ζυγῷ πρὶν ἢ λυθῆναι κατεκωλύετο μὲν ἀπὸ τοῦ τοιούτου τὰ δεόμενα τάχους. τὴν βλάβην δὲ πάλιν εἰς χρημάτων λόγον αἱ πόλεις ἐδέχοντο: τοῦ δὲ ἀθλίως ταῦτα ἔχειν ἔλεγχος σαφέστερος ὁ χειμὼν, τότε δὴ μάλιστα διακοπτομένης πολλαχοῦ τῆς τῶν ὀρέων διαδοχῆς, ὥστ᾽ ὀρεωκόμοι φεύγοντες ἐν ὀρῶν ἦσαν κορυφαῖς, ἡμίονοι δὲ χαμαὶ, τοῖς δ᾽ ἐπειγομένοις πλὴν βοῆς τε καὶ τοῦ πλῆξαι τὸν μηρὸν, οὐδέν: καιροὶ δὲ οὐκ ὀλίγων πραγμάτων ἐξέφυγον τὰς ἀρχὰς ταῖς κατὰ τοῦτο βραδυτῆσι. Καὶ ἐῶ λέγειν ἵππους ὅμοια πεπονθότας, καὶ ὄνους πολλῷ δεινότερα: τοῦτο δὲ ἦν τοὺς ταῦτα λειτουργοῦντας ἀπολωλέναι. Ἔστησε δὴ καὶ ταύτην Ἰουλιανὸς τὴν μέθην, στήσας ὡς ἀληθῶς, τοὺς οὐκ ἀναγκαίους τρόπους. καὶ τὰς μὲν τοιαύτας χάριτας ἐπικινδύνους ἀποφήνας, καὶ δοῦναι καὶ λαβεῖν, διδάξας δὲ τοὺς ἀρχομένους ὑποζύγια τοὺς μὲν κτᾶσθαι, τοὺς δὲ μισθοῦσθαι. καὶ πρᾶγμα ἀπιστούμενον εὑρᾶτο. γυμνάζοντες ἡνίοχοι μὲν ἡμιόνους, ἱπποκόμοι δὲ ἵππους; ὥσπερ γὰρ πρότερον ἐπεπέδητο ταῖς ταλαιπωρίαις, οὕτω δέος ἦν μὴ καὶ τότε τῷ μήκει τῆς ἀργίας. τουτὶ δὲ τοὺς οἴκους τῶν ὑπηκόων εὐπορωτέρους καθίστη. i. *Ipse etiam suis vtens ad literarum transmissionem, sed minime communicans hac faciendi licentiam, istud profecto fuit omnino liberas ciuitates effici, cum antea instante eo qui huius faciendi potestatem habebat, integrum non esset vel omnino respirare, verum hic corrumpebatur, alter mox corrumpendus erat, eisque qui nondum perpessus erat, perpessionis expectatio, loco perpessionis erat. Scilicet cum* ANGARIALES MVLI *cum laborum assiduitate premerentur, cum iis de quibus recenter locuti sumus* [Curiosi] *eos fame conficerent, sibi vero illorum fame Sybarim compararent, præstitit id multum laborem, & quasi neruos excidit volenti, quod factum erat, vehiculo prouehi: iamque idem poterant circa hac Imperatoris & Curiosi epistola. Scilicet consistere ne paululum quidem licebat, neque præsepi frui: plaga vero infirmam non excitabant ad cursum, imo ad vehiculum trahendum opus erat viginti, imo & pluribus: multa vero modo soluto, procidentes moriebantur, alia vero sub iugo antequam soluerentur: Exinde impediebantur ea qua celeritate egebant, & ab altera parte damnum istud pecuniarium damno in Ciuitates recidebat. Et quod misere hac se haberent, manifestiua documenta præbebat hyems, vtpote cum tum potissimum interrupta vbique mulorum mutatio esset: sic vt mulieres fugientes in montium verticibus essent, muli autem humi, neque agitantibus quidquam superesset quam vox & femoris percussio: Interea nec paucorum negotiorum occasiones effugerunt Magistratus circa hanc tarditatem. Omitto dicere, Equos similia perpessos, & asinos multo adhuc grauiora. Hæc autem ideo euenit, quod qui hac ministrarent, profligati essent. Coërcuit vero & hanc Iulianus temulentiam, non necessarias mutationes compescens, & huiusmodi euectiones exitiosas declarans cum in dando tum in accipiendo: docensque, subditorum alios iumenta sibi comparare, alios vero conducere; vnde euenit res vix fide digna: auriga scilicet exercentes mulos, hippocomi equos. Nam vt antea ærumnis implicabantur, ita nunc metus erat, ne idem contingeret longa torporis mora. Quod & ipsum locupletiores domos subditorum reddidit.* Hactenus Libanii verba: vnde liquet, quonam processisset tum cursus publici abusus, quem reformare Iulianus adeo necesse habuerit, eiusque curam ac sollicitudinem subire: & vt ipsemet ait *initio huius leg.* quantum Cursum publicum fatigasset quorundam immoderata præsumptio, & Euectionum frequentia: quod omnino respondet Libanii verbis. Imo Socrates tradit *lib. 3. cap. 1.* Iulianum statim inter initia Imperii a Cursu publico, *mulos, boues, & asinos* submouisse, & solis equis Cursum publicum peragi voluisse: περιεῖλε δὲ, inquit, καὶ τὸν δημόσιον τῶν χρειῶν δρόμον, οἷον ἡμιόνων βοῶν, καὶ ὄνων. μόνον δὲ τῶν ἵππων ταῖς δημοσίαις χρείαις συνεχώρησεν ὑπηρετεῖν. *Sed & publicum cursum qui publicis necessitatibus inseruiebat, sustulit. Mulorum*

rum

rum scilicet boum & asinorum, solum equorum cursum eiusmodi necessitatibus ministrare permittens. Quod tamen aliunde non discimus: non ex eius *legibus*, non ex Libanio, non aliunde. Imo de bubus falsum esse ostendunt duæ Iuliani *leges*, puta *lex 15. & 16. inf.* in quibus aperte agitur de Angariis & Paraogariis, quas a bubus tractas docui ad *l. 4. sup.* sed multa talia occurrunt quandoque etiam apud historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, quæ aut a vero omnino discrepant, aut dubiæ fidei sunt, videlicet cum ad *leges* Principum ventum est, quarum vel leuem, vel nullam notitiam sæpe habuere. (a) Sane postea alios in cursu publico fuisse docent duæ Theodosii M. *leges*, puta *lex 38. & 41. infr.* De Iuliano Imp. diximus, eiusque studio in erigendo Cursu publico. Qua in re proculdubio, sicut sub Constantio Anatolius PP. ei rei eximam operam impendit: ita sub Iuliano quoque & Valentiniano Mamertinus PP. ad quem ideo quatuor Iuliani Constitutiones occurrunt *hoc tit.* puta hæc *lex 12. lex 13. 14. 16.* Valentiniani tres, puta *lex 18. 23. & 26.* Ex quo colligere licet, Cursum publicum Mamertino PP. curæ plurimum fuisse: eaque re frequentes Constitutiones ad eum datas: quibus partim constituta a se Principes illi, tanquam gnauo Executori commisere: alia vero eius arbitrio relicta; vt *d. l. 23.*

Nunc de huius *legis* sententia videndum est: Inter alia igitur, quibus Cursum publicum fatigatum subleuare instituit Iulianus, adimit *hac l.* Vicariis, Præsidibus & Consularibus Euectionum faciendarum ius, soli Præfecto Prætorio eo iure relicto: eo quod ex hac causa Cursus publicus fatigatus fuisset, Euectionum frequentia, quas & prorogare seu facere soliti fuerant, sub extremis vide. Constantii Imp. temporibus. Antea enim ipsemet Constantius Rectoribus prouinciarum id ademerat, *l. 5. sup.* Certe sub extremis eiusdem Constantii temporibus legimus apud Seuerum Sulpitium *lib. 2. sacra historia c. 42.* per Vicarium & Præsidem Phrygiæ
P.525. scilicet datam Euectionis copiam Episcopis ad Concilium Seleucenum vocatis A. D. 359. verum quod ibi additur, id tunc ab iis factum ex Iussione Principis: *Interim in Oriente exemplo Occidentalium Imperator iubet cunctos fere Episcopos apud Seleuciam Isauriæ oppidum congregari. Qua tempestate Hilarius, quartum iam exilii annum in Phrygia agens inter reliquos Episcopos per Vicarium ac Præsidem data Euectionis copia, adesse compellitur: cum tamen nihil de eo specialiter mandasset Imperator, Iudices tantum generalem iussionem secuti, qua omnes Episcopos ad Concilium cogere iubebantur, hunc quoque inter reliquos volentes miscere, vt ego coniicio: Dei nutu ita gestum,* &c. Antea ac nominatim sub Traiano Rectores Prouinciarum Euectiones dedere, seu diplomata ve ex *Plinio* liquet *Epist X. ep. 121.* Postea non dedere, neque sibi vsurpauere, vt ex Capitolino in *Pertinace c. 1.* constat. Ergo adimit *hac l.* Iulianus Vicariis hoc ius: pariter vt Theodosius M. diserte *l. 38. in fin. inf.* (de quibus Vicariis eorumque iure circa Cursum publicum *ad eam leg.* dicam plenius:) & Honorius *l. 61. inf.* & Theodosius Imp. *l. 9. Cod. Iust. eod. tit.* Pariter vt Præsidibus & Consularibus: soli Præfecto Prætorio ea potestate facta: quo de iure & priuilegio Præfectorum Prætorio iam dixi *ad l. 9. sup.* fidemque facit præter hanc *legem*, & *d. l. 9.* lex 35. *38. 40. 56. inf. h. t.* Nisi quod idem Iulianus ad inlationem specierum largitionalium, non tantum Vicariis sed etiam Rectoribus prouinciarum Euectionum faciendarum ius tribuit *l. 23. infr.* Quod etiam probant aliæ *leges*, puta *lex 18. 20. 33. 40. 61. infr.* Interim tamen ipsimet Vicariis & Præsidibus Euectionum pro necessitatibus publicis vsurpandarum ius quoddam facit. Nempe ait sese *manu sua decem vel duodecim Euectiones Vicariis concessurum:* vt necessitates publicæ impleantur: Præsidibus vero *duas tantum annuas* a Præfecto Prætorio concedendas, quibus necessariis ex causis Officiales suos dirigere possint, ad separatas prouinciarum secretasque partes: Scilicet vt priuatæ vsurpationi occursum voluit Iulianus, ita publicis necessitatibus nihil detractum voluit.

Hinc adeo certo numero ad necessitates publicas expediendas euectiones Vicariis & Præsidibus tribuit, vel tribui vult, *hac l.* Iulianus. Vbi quædam notanda.

Primo, *Vicariis* tanquam maioris dignationis, vtpote Spectabilibus, quique integræ Diœcesi præessent, Principis manu datas euectiones, & plures etiam: Ac iam Præsidibus & Consularibus, vtpote Perfectissimis, vel Clarissimis, vnius que Prouinciæ Rectoribus, Euectiones datas a Præfecto Prætorio.

Et vero, (quod secundum) datas Præsidibus, quibus ad separatas prouinciarum secretasque partes necessariis ex causis Officiales suos dirigere possint: Cum tamen ipsimet antea Cursum publicum vsurparent, ad transitum solemnem per prouincias: de quo Tractatu *lib. 1. sup. tit. 7. de Off. Rect. Prouinc. leg. 4.* Verum hinc apparet Præsides & Vicarios suis iumentis vectatos, & vectari oportuisse, vel conductionis ex Iuliani instituto. Quo pertineat quoque forte quod Libanius dicebat *supra*, Iulianum docuisse subditos iumenta sibi comparare, vel conducere. Præter duas illas Euectiones, quas Præsidibus indulgeri vult *hac l.* Iulianus a Præfecto Prætorio, ad Officiales suos dirigendos per ipsam prouinciam, datorum se singulas Euectiones pollicetur, vbi Præses, seu Rector Prouinciæ aliquid referendum habebit ad Principem exigente necessitate. Nempe hæc necessitatis publicæ species maxima erat, relationum inquam vsus ad Principem: de quibus relationibus ex necessitate publica dixi *infr. tit. de Relationib.* Ergo nonnisi duplicem in vsum Euectiones datæ ipsis Rectoribus Prouinciarum, vel ad referendum quid ad Principem, necessitate exigente, vel ad mittendos Officiales necessariis ex causis ad separatas prouinciarum secretasque partes: exque duæ annuæ tantum. Ad has vero annuas Euectiones, de quibus *hac l.* pertinet quod in Notitia Imperii Orientalis notatur *fol. 4. Præfectos Prætorio euectiones* Annuales *non habuisse, sed ipsos emisisse*: quibus verbis indicatur Præfectum prætorio, non vt Vicarium, aut Præsides, annuales certo numero Euectiones accipere solitum: verum & suo iure eas vsurpare, & dare aliis etiam suo iure. Qui denique velet scire quibus necessitatibus Cursus publicus explendis destinatus esset, videat *Paratitlon*, & elegantem Cassiodori locum *initio ep. 5. lib. V. Var.* De modo intra quem cursum publicum vsurpare poterat Rector prouinciæ, ad alteram pergens ciuitatem, vide Maiorianum *Nouell. 4. cap. nec hanc partem.*

(a) Idem placuit Cl. Henninio *in not. ad Bergier. lib. IV. 10. §. 9.*

Ad Specierum Largitionalium *inlationem a Rectoribus quoque Euectiones dari posse.*

XIII. (a) Idem A. ad Mamertinum PF. P. (b)

AD suggestionem Comitis, (c) atque eorum (d) qui Largitionibus præsunt, inlationi specie-

ſpecierum largitionalium conpetentes Euectiones Rectores prouinciarum, cum abſit Vicarius, facere debent: Quod vniuerſis Rectoribus Tua ſublimitas indicare non differat. ACC. XII. Kal. Iul. Mamertino & Neuitta conss. [362.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Hanc *legem* memorat & ſequitur Valentinianus Sen. *l. 20. inf. h. t.* GOTHOFR.

(b) De *Mamertino* hoc PP. dixi ad *leg. ſuperiorem.* IDEM.

(c) Comitem Sacrarum Largitionum intelligit: qui hoc tempore fuit Felix. vid. *l. 5. infr. de fide teſtium*, vbi de eo plura, & ad *Philoſtorgium.* IDEM.

(d) Qui illi? vide Notitiam Imperii *fol. 49. & l. 18. infr.* ID.

P.526

COMMENTARIVS.

Ad Locum, Qvinam Euectiones facere poſſint, pertinet hæc ſecunda Iuliani conſtitutio: & quidam nominatim ad inlationem ſpecierum largitionalium, veluti auri, argenti, & veſtium militarium. Nempe, cum regulariter nonniſi Præfectis Prætorio Euectionum faciendarum ius & priuilegium Iulianus dediſſet, Vicariiſque ademiſſet, *l. 12. ſup.* & vero deinceps adempta fuerit, *l. 38. 61. inf.* attamen idem Vicariis ad ſpecierum largitionalium illationem earum ius ſiue dedit, ſiue reliquit, quod hæc *lex* oſtendit. Quod ius probatur etiam *l. 33. & 61. inf.* Imo ad ſuggeſtionem Comitis S. L. & Præpoſitorum Largitionalium (de quibus *l. 18. inf.*) idem ius & Rectoribus prouinciarum tribuit *h. l.* Iulianus: Quod etiam Valentinianus probauit, duabus ad eundem Mamertinum Præfectum Prætorio & Florianum Com. R. P. legibus, *l. 18.* & *l. 20.* (vbi nominatim hanc Iuliani *legem* memorat & probat, *conſultiſſimam legem* eam vocans) & *l. 33.* vt & Theodoſius M. *l. 40. inf.* Datum hoc ſcilicet ſpecierum fiſcalium ſeu largitionalium translationi: vtpote maxime neceſſariæ, ſiue ad Palatii Principis, ſiue in militiæ vſum, vt multa alia, vel hoc ipſo titulo, *l. 16. 47. 48. 61.* Porro neque ſimpliciter Euectionum faciendarum hoc caſu ius Rectoribus prouinciarum tribuit Iulianus, verum ſi abſit *Vicarius:* etſi hic modus non exprimatur *d. l. 18. 20. & 40. infr.* exprimitur aliquatenus *d. l. 33.* Huic porro Iuliani legi alterum caput adhæſiſſe ſuadet omnino *lex 20.* vbi dicam.

De Modo *Euectionis non egrediendo, deque* Parhippo *non exigendo.*

XIV. (a) Idem A. ad Mamertinum PF. P. (b)

Qvi (c) contra Adnotationem manus (d) noſtræ plures [quam] (e) euectio continebit, veredos crediderit vſurpandos, capitalem rem feciſſe videbitur: Et ſi (f) inſtantis neceſſitatis gratia, non retineatur quis, tamen ille ſit ad cenſuræ tuæ cum ad Serenitatis Noſtræ conſcientiam referendum eſt. Et quanquam quid ſit *Parhippus* & intelligere & diſcernere ſit procliue, tamen ne forte interpretatio deprauata aliter hoc ſignificet, Sublimitas Tua noſcat, *Parhippum* * eum videri, & habendum eſſe, ſi quis vſurpato vno vel duobus veredis, quos ſolos euectio continebit, alterum tertiumve extra (g) ordinem commoueat. (h) Nihil autem intereſſe debet, nec ad crimen vocari, vtrum Agens in rebus ſuo (i) an ne mulionis itineri ſubiugando modo (k) euectionis datæ formam & licentiam non excedat. Dat. V. Id. Sept. Mamertino & Neuitta conss. [362.]

N O T A E

(a) Prior pars *huius leg.* abeſt a *Cod. Iuſt.* GOTHOFREDVS.

(b) Eidem inſcribuntur duæ ſuperiores *leges* 12. 13. & *lex* 16. 18. 23. 26. *infr.* ID.

(c) Veluti Agens in rebus, in *fine legis.* IDEM.

(d) Vide *l. 12. ſup.* ID.

(e) Aberat hæc vox a Cuiaciana editione, ad cuius oram neſcio quid ſibi velit illa emendatio, *γρ. pedagogam.* IDEM.

(f) Locum hunc corruptiſſimum mox reſtituam. ID.

* *Lex 4. Cod. Iuſt. h. t.* hinc deſumpta eſt. IDEM.

(g) Extra, ſeu præter euectionem. IDEM.

(h) *Commouendi* vox propria. IDEM.

(i) *Suo itineri, an mulionis ſubiugando, modo* &c. Ita *Cod. Iuſt.* verum locus hic ita emendandus, *vtrum Agens in rebus ſuo, anne mulionis itineri ſubiungat, dummodo,* &c. *ſubiungat* proprie (ſcilicet veredos) ita & *ſubiunctoria* pro vehiculis, *l. 10. ſup.* IDEM.

(k) *Modo euectionis datæ formæ licentiam, non excedat,* ita Cod. Iuſt. RITTER.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

DE MODO Euectionis seruando, est hæc e Iulianeis Tertia constitutio, & quidem cursu veredorum concesso: cuius pars prior a *Cod. Iust.* resecata est, posterior tantum relata in *l. 4. Cod. Iust. eod. tit.* sic tamen, vt neque plena ibi sit eius sententia. Ergo id *hac l.* agit Iulianus, ne modum euectione comprehensum, & veredorum quidem modum, iter faciens egrediatur, *Parhippo* (de quo mox) exacto: ac nominatim ne Agentes in rebus; de quibus iam *l. 7. & 9. sup. & l. 49. inf.* Igitur & has modum Euectionis egredi vetat, quamlibet alioquin præcipui quid circa Cursum publicum vsurpandum haberent in *sp. l. 7. sup.* vbi dixi. Verum Iulianus æquo iure hac parte eos haberi voluit, vt maxime instantis necessitatis gratia commearent; in id quippe Agentes in rebus erant & mittebantur; de quo suo *titulo lib. 6. sup.* Quatuor igitur hunc in finem a Iuliano *hac l.* constituuntur.

Primo, Capitalem pœnam imponit super exigentibus vltra modum euectione comprehensum, id est, plures veredos seu equos vsurpantibus, quam his a Principe indultum est. Modus scilicet seu numerus euectione seu diplomate continebatur: vltra quem super postulare non licuit: *h. l. & l. 2. sup. de Curiosis.* Imo & certus & perpetuus sæpe definitur: vt *l. 49.* Agentibus in rebus duobus tantum veredis vti permittitur: Comitibus quatuor veredis cum parhippo: Tribunis militum, ternis. Quadrupli pœna imposita Honorii *lege 53. inf.* centum solidorum pro singulis equis a Theodorico Rege apud Cassiodorum *IV. Var. 47. & V. ep. 5.* vbi & nominatim *parhippi* meminit, de quo mox.

Secundo: Quamlibet instantis necessitatis
P. 527 gratia quis proficiscatur, quamlibet dignitatem præferat, retineri eum oportere & sistendum censuræ Præfecti Prætorio, non vero ad Principem referendum: Nam ita hunc locum capio, simul & lego: *etsi instantie necessitatis gratia moueat*, [vt infra mox *commoueat*] *retineatur; & quisquis tandem ille sit, ad censuram tuam, non ad Serenitatis*, &c. cum quo concordat, quod Constantius *l. 2. sup. de curiosis*, voluit demonstrari Iudicibus vel Curiosis euectionem, etsi quis Principe iubente festinare se memoret in obsequium necessarium, nec præualeat contumacia, vel dignitas. Qua parte tamen postea Valentinianus *l. 22. inf.* distinctionem adhibuit. *Sane cuiuscumque*, inquit, *fuerit dignitatis, qui nostra interdicta calcauerit, retenteur, dum super ipsius nomine ad mansuetudinem nostram querela dirigatur, cui vindicta non deerit. In eos autem protinus vltio competens exserenda est, quos Sinceritas tua pro loco graduque militia ibidem coerceri posse crediderit.*

Tertio *huius legis* capite continetur vocis seu verbi *Parhippi* interpretatio, quod vtique faciendum sibi credidit Iulianus, cum in argumento superpostulationis veredorum illicitæ versaretur: Quomodo & alias constitutiones a Principibus emissæ ad verborum significationem & interpretationem, vt *lex 1. inf. de bonis vacantibus: lex 2. de immunitate concessa*: (quæ est eiusdem Iuliani:) Igitur Parhippum esse ait Iulianus, Veredum, seu Equum, qui illicite supra Euectionis seu Tractoriæ modum superpostulatur seu superexigitur. Ita quidem Iulianus hic. Cum alioquin *Parhippus* in genere sit Veredus, seu Equus, (idem cum Auertario, de quo dixi etiam ad *l. 22.*) qui etiam licite exigitur, præter vehiculum & veredorum numerum concessum, cuiusque in Tractoria seu Euectione nominatim copia fiebat: Quomodo ipsemet Iulianus duobus locis Parhippum vehiculo adiungit in Euectionibus suis, *ep. 20. ad Eustochium*, ἄξει δέ σε ὁ δημόσιος δρόμος, ὀχήματι χρώμενον, ἑνὶ καὶ παρίππῳ: *Ducet autem te publicus cursus vno vehiculo & parhippo*, & *ep. 31. ad Aetium Episcopum* Eunomianæ hæreseos; χρήσῃ δὲ ὀχήματι δημοσίῳ μέχρι τοῦ στρατοπέδου τοῦ ἐμοῦ, καὶ ἑνὶ παρίππῳ: *Vteris autem vehiculo publico vsque ad nostrum comitatum & vno parhippo.* Quo sensu accipitur omnino parhippus in omnibus aliis legibus *hoc titulo*, puta *l. 22. 27. 29.* vbi pariter indicatur, *veredum cum parhippo* euectione Principis aliquando tribui iussum: & *l. 48.* Idem scilicet cum Auertario: vnde *d. l. 22. parhippum* vel *Auertarium*, παραλλήλως, scilicet Parhippus ad grauem auertam (de qua ad *l. 47. & 48. inf.*) ferendam destinatus & vsurpatus erat, *vt mallæ*: veredus vero & vehiculum, ad gestationem hominis. Ideo apud Cassiodorum *IV. Var. 47.* & Cursuales equi a Parhippis separantur. Postquam enim vsurpanti cursualem equum seu veredum præter Euectionem, centum solidorum multam imposuit: mox subiicit; *Quibus in superiorem mulctam cadat interdicta frequentia parhipporum.* Mox & definitur modus ponderis qui eis imponi possit, d. lib. IV. Var. 47. *Parhipporum, quum etiam onera centum librarum nullus excedat*, &c. Et mox. *Et ideo quinquaginta solidorum mulctam iam non veredarius, sed catabulensis incurrat, quisquis vltra centum libras parhippum crediderit onerandum.* Et V. Var. 5. *De illis quoque pari seueritate censemus, qui supra Euectionum numerum cursuales equos vsurpare præsumunt: Parhippis quin etiam non vltra quam centum libras iubemus imponi*, &c. Fuit ergo parhippi onus centum, cum veredi fuerit tantum triginta: *l. 8. 17. 28. 30. h. t.*

Ex his apparet, quam perperam hactenus misceantur Parhippi cum parauerediis: etiam a Græcis, ad *l. vlt. C. I. h. t.* de quibus parauerediis dixi *ad l. 3. sup.* De vno tantum parhippo vsurpando dicetur *l. 27. inf.*

Ex superioribus igitur apparet, aliter *hac l.* Parhippum a Iuliano definiri: alio vero vsurpari ex ipsiusmet etiam Iuliani *epistolis*. Et certe παρίππου vox vtramque significationem admittit: nempe equum qui perperam vsurpatur vltra modum Euectionis: & equum qui præter veredum, auertæ scilicet ferendæ, indulgetur. Non vero equus singularis, qui præter duos, quibus vehiculum trahitur, tertius adhibetur, vehiculo scilicet, quod credidit Petauius ad Iuliani *ep. 20.* Quod Bartolum & Alciatum attinet, qui parhippum ipsum hominem appellari aiunt, qui præter numerum veredorum, qui diplomate permittitur, vnum insuper vsurpat; id refutatione non eget. (a)

Postremo capite (quod & ipsum æque corruptum est ac secundum) Iulianus iam e conuerso definit, quinam non videantur excedere modum sibi Euectione concessum, atque ita extra crimen esse: Nempe ii qui Agentes in rebus certo modo veredorum seu Euectione impetrata, non ipsi omnibus per vices animalibus insident, sed mulioni suo vnum subiungunt, quem secum ducant. Eadem ratione, qua Constantius *l. 4. sup.* angarialem copiam habenti permittit, sibi quendam sociare ad tutelam vitæ vel laborem itineris. Ita enim locus hic corruptissimus etiam *Cod. Iust.* legendus est: *Nihil autem interesse debet, nec ad crimen*

(a) Petauium etiam notat Cl. Henninius ad Bergier. IV. 15. §. 5. pag. 749. 755. Huc pertinent ea, quæ obseruat Cl. du Fresne in Gloss. Græc. voc. Πάριππος. & Glossar. Latin. voc. *parhippus, veredi, Veredarii.*

men vocari, vtrum Agens in rebus suo, sine mulionis itineri subiungat [scilicet veredum] *dummodo euectionis data formam & licentiam non excedat.* Nempe cum Iulianus cursui & veredorum quidem vsurpationi arctissimum modum impositum iret, merito dubitari potuit, vtrumne saltem alius adsciscí comes itineris ab Agente posset, & sic hoc casu ab alio quam cui is concessus esset vsurpari. Id quod affirmat.

De MANCIPIBUS *cursus publici: deque* PARANGARIARUM *ac* PARAVEREDORUM *exactione.*

XV. (a) Idem A. ad Auitianum (b) Vicarium Africæ.

MANCIPIVM (c) cursus publici dispositio, (d) Proconsulis forma (e) teneatur. Neque tamen sit cuiusquam tam insignis audacia, qui parangarias aut parauredos in ciuitatibus ad canalem (f) audeat commouere, (g) quo minus (h) marmora priuatorum vehiculis prouincialium transferantur, ne otiosis ædium cultibus prouincialium patrimonia fortunæque lacerentur. Dat. VII. Kal. Nou. Antiochiæ, (i) Iuliano A. IV. & Sallustio CONSS. [363.]

P. 528

NOTAE.

(a) Abest hæc lex a *Cod. Iust.* Iungendæ autem ei tres aliæ *leges*; puta *lex* 1. *infr. de indulg. debitor. lex* 2. *inf. de itin. mun. lex* 7. *Cod. Iust. de ædif. priuatis.* GOTHOFR.

(b) *Auitianus Vicarius Africæ* sub Iuliano A. 363. cuius meminit quoque Ammianus Marcellinus *lib.* 27. *cap.* 7. *Mamertinum Præfectum Prætorio ab Vrbe regressum Auitianus ex Vicario peculatus detulerat reum. Cui ideo Vulcatius successit Rufinus.* Et recte Cuiacius qui in *d. l.* 7. loco *Vitianum* reposuit *Auitianum*. Ergo Auitiano huic Vicario Africæ quatuor leges inscribuntur, puta *hæc*, & *lex* 1. *sup. de indulg. debit. l.* 2. *inf. de itin. mun. l.* 7. *Cod. Iust. de ædif. priuat.* IDEM.

(c) Loco *mancipum*. Errant enim, qui nescio quod mancipii genus hic somniant; in quibus Bergierius, qui *de itinerib. Imperii Romani* alioquin accurate scripsit, *lib.* 4. *sect.* 13. §. 4. ID.

(d) *Dispositio* διάθεσις, prouisio: vide *Gl. Th.* ID.

(e) *Forma*, est præceptum. v. *Gl. Th.* ID.

(f) De *Canali* dixi ad *l.* 2. *sup. de Curiosis.* ID. Ne quid prætermittam, quod vel ad ornandum opus pertinet, vel etiam contra Gothofredum dictum est a recentioribus, addenda hic sunt obseruata Cl. Henninii *in not. ad Bergier. Lib. IV.* 18. §. 9. *pag.* 760. 761. *Tom. X. Thesaur. Antiquit.* quibus, cum *leg. cit.* 2. *de Curios.* ad quam pertinent, non appareant, hic locum potius dare malui, quam ad operis calcem reiicere. Ita vero ille: De *Canalibus* dixit Salmasius *Exercit. Plinian. pag.* 339. *ed. Vltraiect.* „ Quemadmodum semitæ, „quæ in via Regia secantur aliorsum, dicuntur proprio ἐκτροπαί. Varro apud Non. *Via vna, sed ectropæ, „multæ.* (Fallit eum, vt sæpe memoria. Locus ex Varronis *lib. III.* περιπλῶ περὶ φιλοσοφίας ap. Non. *in Spissum* ita se habet: *Et ne erraremus, ectropas esse multas; omnino tutum esse, sed spissum iter.*) „ Glossæ: Di„uerticulum ἐκτροπή, καμπὴ ὁδοῦ. Ita & in fluuiis ἐκτροπαί, brachia, quæ ab auctore fluuio ἀποσχίζονται. „Sic vice versa e contrario *canalis* a fluminibus ad viam traducta est. Nam *canalem viam publicam tra„rea* vocarunt. Hinc Constantinus quoque imper. administr. notat. Sclauos χαλάνιν (imo vero lege κανάλιν, typi enim vitium est) „ vocare τὴν καταμαξευμένην ὁδὸν, (i. e. *viam plaustris tritam*) quod ex Latino mutuatum est. „ Iacob. vero Gothofredus *ad L.* 2. *C. Th. de Curios.* iisdem argumentis, quibus Bergierus *de Publ. & Militar. Imp. Rom. viis lib. IV.* 18. 9. duce Salmasio vsus est, vtitur, vt probet „ Canalis appel„lationem hic non pertinere ad aquarum siue fluminum Canales; sed ad pedestre iter. Nempe Canalem es„se, non viam Regiam aut Militarem, verum Viam transuersam, quæ in Regiam seu Basilicam influat, „quasi aquæ Canalis in alueum. Hinc & diserte *Parangarias* & *Parauredos*, qui extra Viam Regiam exi„gebantur, *ad Canalem commoueri* dici *d. l.* 15. Esse Canalem πάροδον, *chemin de Trauerse*, qua *Parangaria „& Parauredi* vsurpabantur. Idem colligi posse ex *dicto Canone* Sardicensi, vbi agitur de Episcopis *in παρόδοις ἤτοι κανάλιω* constitutis, aliisque ea parte, non *Regia Via*, verum *Transuersa* in Comitatum Im„peratoris proficiscentibus, vt ita aliorum forte Episcoporum in regia via constitutorum occursum vita„rent: idque apud Athanasium esse τὰ Κανάλιον τῆς Ἰταλίας, Italiæ videlicet partem illam, quæ extra *viam „regiam* posita: & *Episcopi in Canalia Italia constituti*, qui in ea parte erant. Ex his patere, frustra *Ca„nalis* hac appellatione significatum aliunde peti a doctissimo Bergierio *h. l.* „ Hæc ille. quæ magnam partem inania sunt, & legibus & locis citatis contraria. *Canalis* & *via publica* sunt παράλληλα, sic in *d. l.* 2. *de Curios.* dicuntur *Canales publici.* Deinde *ibidem* §. 2. dicuntur exigi *rhedæ, birota, veredi:* atque *veredi*, ex Gothofredi etiam sententia, exiguntur in via publica, vbi est cursus publicus: tandem & hic ad *Canales Publicos* præficiuntur duo Agentes in rebus a Constantio & Iuliano Impp. *qui cursum publicum gubernent*, quod certe in Transuersa via, ad quam non erat cursus publicus, fieri non poterat. Sensus legis dictæ est clarus & planus: §. 1. ita sonat: *nec vero multos Agentes in rebus esse per singulas prouincias iussimus, quippe sufficit duos tantummodo curas gerere, vt, licet in Canalibus publicis hæc necessitas explicetur*, id est, etiamsi necessitatis publicæ exegerit vsus, vt a publico itinere, in quo est cursus publicus, aliqua alia militari via, in qua non est cursus publicus, sit deuertendum, vt loquitur *L.* 3. *C. Th. de C. P.* nam *explicare* hic est digredi ab ordinariis cursus publici stationibus. Sic in *L.* 1. *C. Th. eod. explicare mansionem* est, digredi ab ordinaria cursus publici statione in aliam, vbi Cursus publicus non stat: quo loco non debuit in *notis* fluctuare I. Gothofredus, sitne *applicare & appellere ad mansionem*, an vero reponendum sit *applicare*? aut

mua

num fit mansionem aliquam transgredi & ad aliam peruenire.) *numerus tamen amplior esse non debent.* Quare placet etiam Sententia Gutherii *de Off. Dom. Aug. III. 15. circa finem*, vbi ait: „ *Canalia publica* Scrip„toribus minus trita sunt. *Canales* in Impp. LL. dicuntur, & ad Cursum publicum pertinent, *L. 2. C. Th.* „*de Curios. L. 15. Cod. eod. de C. P.* Canalis τοποθεσία, ἔξοδος, διεξόδους ἀγωγὸς ὀχετὸς. i. *loci descriptio, seu in* „*quo quis accumbit: Via, quæ aliunde extenditur, transitus, egressus: dux via publicus:* canalis ab ὀχεῖ, „*currus, vehiculum* Ergo *Canale*, siue *Canalium* proprie locus est, per quem Cursus Publicus dirigitur. „In Concilio Sardicensi Gaudentius Episcopus *can. 21.* dixit: *Vnusquisque Nostrum qui in Canali constitutus est,* „*cum progredientem Episcopum viderit, inquirat transitum eius; causas videat; quo tendat, agnoscat: & si* „*quidem eum inuenerit ire ad Comitatum, requirat & illud, quod superius comprehensum est; nisi forte inuita-* „*to ei facultas eundi permittatur: si vero propter desideria & ambitiones ad Comitatum pergat, neque in literis* „*eius subscribatur, neque in communionem recipiatur;* ἐν ταῖς παρόδοις ἤτοι κανάλῳ Κανονικῶν καθεστώτων, scili„cet πάροδος, *Transitus*, qui prætereundo fit; seu locus, qui παρὰ τὴν ὁδὸν, *iuxta viam* situs est. *Episcopi* „ergo *in Canalia constituti* sunt, qui sedes habent in Cursu publico, Via scilicet, qua equi publici dispositi „sunt per stationes singulas ad iter agendum. „ Hæc optime Gutherius, quibus addo, *Canalis* istam significationem forte satis antiquam esse. Plautus *Curcul. IV. I. v. 15.* ait, homines *ostentatores ambulasse iamdio foro propter Canalem.* Nardinus *R. Vet. V. 7.* hic intelligit os Cloacæ maximæ, *Canalicola forenses homines pauperes dicti, quod circa canales fori consisterent*, vt ait Festus *h. v.* Gellius IV. 11. *Canilluteres, Canalicolas & Mimos ridicularios* componit. Forsan *Canales fori*, erunt loci ambulationis per viam fori, siue *Canales* intelligi poterunt viarum vrbanarum militarium partes laterales, quibus maxime, homines ambulasse vero est simile. Hactenus Cl. Henninius, qui etiam quoad originem vocis recedit a Cl. Salmasio. Hic enim ad Vopisci *Carinum cap. 8. Canales, cancellos fori, & canalicolas*, forenses homines, putauit. Vide verba eius in notis commentario *leg. 3. de adsessor. domest. & cancellar. Tom. I. pag. 81.* subiectis. Nondum tamen rem acu tetigisse videtur Henninius, quando enim loca ab eo citata intueor accurate, ex his quidem de significatione antiquissima *canalis* coniecturam eum recte fecisse iudico, sed in originem eius primam & quid fuerint proprie *canales*, quid *canalicola*, cur ii cum *pauperibus*, atque *mimis* fuerint compositi, indagare non potuisse. Neque etiam Salmasius hic se expediuit. Sed hæc alia occasione exponam. Tu etiam vide de *Canali* Cl. du Fresne *in Glossar. Latin.* qui iam ante Henninium docuit *Canales* esse *vias publicas, non transuersarias*, docteque refutauit Gothofredi nostri opinionem. Miror Henninium, hunc eruditissimum Gallum non citasse, quocum tamen exacte facit. RITTER.

(g) *Commouendi*, seu *mouendi* vox hæc in re propria: *v. Gloss.* GOTHOFREDVS.

(h) *Quo nimirum.* I D.

(i) *Acc.* XV. *Kal. April. Karthag.* Hæc addenda ex *d. l. 1. sup. de indulg. debit.* I D.

COMMENTARIVS.

De Mancipibvs Cursus publici, deque Parangariarvm ac Paraveredorvm exactione est hæc Iuliani Imp. *lex*; Quæ pars est prolixioris constitutionis Iulianeæ ad Auitianum Vicarium Africæ, qua is miseris Afris variis rationibus attritis opitulatum iuit: Attritis inquam & laborantibus. Primo sub fasce tributorum, cui malo mederi instituit per indulgentiam quæ continetur *l. 1. inf. de indulg. debitorum.* Secundo, sub iniquo muniendarum viarum onere, cui malo iustissimæ æquitatis ratione occurrit *l. 2. inf. de itinere muniendo.* Tandem sub iniqua Cursus exactione, cui malo mederi instituit tum *h. l.* tum *l. 7. Cod. Iust. de ædif. priuatis*: quæ supradictæ *leges* omnes huic nostræ tanquam eiusdem constitutionis partes coassandæ veniunt. Et quidem per Africæ diœcesim, ac nominatim per Africam Proconsularem, quod hæc *lex* aperte docet. Ergo subleuandis prouincialium fortunis, quæ nimia quoque exactione Cursus attritæ fuerant, id constituit Iulianus: Mancipum quidem Cursus publici dispositionem omnem διάθεσιν & ordinationem, Proconsulis forma & dispositione teneri; non ideo tamen Mancipes Proconsuli parere oportere, si cuiquam Proconsul parangarias aut paraueredos tribui voluerit. Quod vt intelligatur, videndum est de Mancipibus his & de parangariis ac paraueredis.

* *Mancipum* (nam hic quoque ita legendum) Cursus publici fit quoque mentio *l. 24. 34. 35. 36. 42. 53. 60. 65. inf. h. t.* & *l. 9. sup. de Curiosis* (a quibus & *mancipatus* ipsum officium dicitur, *d. l. 36.* & *l. 46. in fin. h. t.* Meminit & Cassiodorus *IV. Var. 47. Mancipibus mutationum volumus applicari, vt cursualis tractus inde habeat remedium.* Hi scilicet erant qui per singula loca *l. 24.* mutationes, stationes, *l. 36. 65. inf. h. t.* (vnde mancipes mutationum, Cassiodorus superiore loco) cursui publico præerant & obseruabant, ne modum Cursus quis excederet, *l. 35. inf.* ne animalia subtraherentur, *l. 53.* ne pabulum his deesset, *l. 60.* Item animalia coëmpta præparabant, *l. 9. sup. de Curiosis.* Cæterum quin & ipsi ex parte mancipatus vel cursum publicum vexari & atteri paterentur, vel etiam cursus occasione prouinciales attererent, variis *legibus* iis occursum fuit: Atque *hac* quidem inter alias. Nempe Proconsulis *forma*, id est ordinationi, præcepto, eos supponit Iulianus, sic vt citra Proconsulis auctoritatem nil attentare possent. Et viceuersa tamen non in omnibus Proconsulis formæ parere voluit. (a) Nam verbi gratia paraueredos, aut parangarias a prouincialibus exigere in canali vetiti. Nempe cum potentiores, Iudicesque insanas ædificiorum substructiones molirentur, ad marmorum forte translationem in canali, seu via militari, & παρόδῳ (id enim *Canalis* est, vt ostendi *ad l. 2. sup. de Curiosis*:) seu via transuersa parangarias seu paraueredos a prouincialibus exigebant. Vnde eueniebat, vt his otiosis ædium cultibus prouincialium patrimonia fortunæque lacerarentur, (vt hæc *lex* loquitur.) *Parangaria* scilicet de quibus agitur & *l. 59. 63. inf. h. t.* & *l. 10. de Episcopis*: a quibus Clerici immunes erant, *l. 10. de Episcopis* & Paraueredi de quibus *ad l. 3. sup.* erant qui in παρόδῳ seu via transuersa extra viam Regiam in canali exigebantur, vbi videlicet, Cursus publicus dispositus non erat: & quidem *parangariæ* vehiculorum & boum ibibi exactiones: *anguriæ* enim erant quæ in via Regia vbi Cursus publicus dispo-

(a) Vide hic etiam quæ de *Mancipatu* & *Mancipibus* obseruata sunt ab H. C. Henninio ad Bergier. IV. 13. § 1. pag. 749. Consule etiam ad illustrationem eorum quæ hic continentur Cl. du Fresne in Glossar. Latin. *voc. Angaria. Paraueredi.*

dispositus erat, boom protelo ducebaotur (vt docui ad *l. 4. supr.*) *parauerdi* equorum seu veredorum: de quibus agitur & *l. 3. 6. 7. sup. l. 16. 59. 63. 64. inf.* de quibus ad *l. 3. sup.* pleoe dixi: C'estoit ce qu'oo appelle *Trauerse & course extraordinaire*: vid. *le stile des finances, p. 416. 417.*

Ergo vt ad extremam *legis* sententiam redeam, vetat Iulianus a Prouiocialibus parangarias exigi, aut paraueredos, & quidem specie transferendorum marmorum ad cultus otiosos ædium. Quo obtentu, ædificiorum inquam, aoimalium exactione prouinciales & rustici sæpe atteri soliti, quod docet etiam Libaoius *oratione* περὶ ἀγγαρειῶν. Neque taniom prouinciales, verum ipse Cursus publicus: quo pertinet prohibitio *l. 7. Cod. Iust. de ædificiis priuat.* quæ *huic* inter alias, vt dixi, coafsanda est (de qua dicam plura *l. 4. inf. de operib. publ.*) Similem Cursus publici prohibitiooem ad ornamenta publica vide & *l. 15. infr. de paganis sacrif. & templis.* Cæteroquin & sua iam ætate iosaniam hanc in transferendis marmoribus perstringit Plinius *lib. 36. c. 1. Nauesque marmorumque causa fiunt ac per fluctus, sauissimam rerum naturæ partem huc illucque portantur iuga montium.* Et mox: *Marmora inuehi & maria huius rei causa transiri, quæ vetaret lex nulla data est.*

P. 529

Per SARDINIAM *Cursus publici ratio disponitur.*

XVI. (a) Idem A. (b) ad Mamertinum PF. P. (c)

IN prouincia Sardinia, in qua nulli pæne discursus (d) veredorum, seu paraueredorum, (e) necessarii esse noscuntur, ne prouincialium status subruatur, (f) memoratum cursum penitus amputari oportere decernimus, quem maxime rustica plebs, id est pagi, (g) contra publicum decus, (h) tolerarunt. Excellens igitur Auctoritas Tua, Officio Præsidali (i) necessitatem tolerandæ huiusmodi exhibitionis (k) imponat: aut certe, si hoc existimant onerosum, suis animalibus vti debebunt, quoties eos commeare (l) per prouinciam necessitas publica persuaserit. Sane Angariarum cursum submoueri non oportet, propter publicas species, (m) quæ ad diuersos portus (n) deferuntur. Proinde, considerata rerum necessitate, pro locorum situ, atque itineris qualitate, tantum numerum angariarum collocari oportere decernas, quantum necessarium esse adhibitæ plenissimæ deliberationes suaserint. Dat. VII. Kalendas Decemb. Antiochiæ, Iuliano A. IV. & Sallustio CONSS. [363]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* velut temporaria & localis. *GOTHOFRED.*
(b) De huius *legis* Auctore dicam mox. *IDEM.*
(c) De hoc *Mamertino* PP. dixi iam ad *l. 12. sup.* vid & *Prosopogr. ID.*
(d) *Discursus* vox, hic propria: vide *Glossar. ID.*
(e) De *Paraueredis* dixi *ad l. 3. sup. IDEM.*
(f) *Subrui* status Prouincialium: vide *Gloss. ID.*
(g) *Pagi*, id est rustica plebs: vide *Gloss. ID.*
(h) *Decus publicum* vocat publicam vtilitatem & honestatem; *decus* nominis Romani: vide *Gloss.* & *Symmachum. ID.*
(i) *Præses Sardiniæ* (eiusque Officium) de quo vide & *l. 3. inf. de pœnis*: *l. 7. inf. de exactionib. l. 3. inf. ad leg. Iul. Repet.* & Symmach. *lib 9. ep. 41.* & *l. 1. §. 2. Cod. Iust. de offic. PP. Afr. ID.*
(k) *Exhibitio*, id est præstatio, vide *Gloss. ID.*
(l) Vide *l. 5. sup. de off. Rectoris prouinc. ID.*
(m) Vide *l. 13. sup. ID.*
(n) *Portus* Sardiniæ. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE CVRSV PVBLICO per Sardiniam prouinciam est hæc *lex*, & sic Topica: Et quidem, si recte habet Inscriptio Iuliani: alioquin Iouiano potius eam tribuendam suadere videatur eiusdem subscriptio. *Dat.* VII. *Kal. Decembr. Antiochia Iuliano A* IV. *& Sallustio* CONSS. Eo qaippe tempore iam defuncto Iuliano Iouianus imperitabat. Verum esto ea Iuliani, si modo quid in ea Subscriptione iure desideretur.

Ergo Iulianus *hac l.* cursui publico nouam formam per Sardioiam inducit, subleuandis videlicet prouincialibus ab vna parte, ab altera vero publicis speciebus seu frugibus desereodis: differentia videlicet ioducta inter *Veredorum* (id est, equorum per viam regiam) *& Paraueredorum* (de quibus *ad l. 3. sup.*) per eandem seu viam obliquam, discursum, & inter *Angarias*, id est, vehicula quæ boum protelo trahuntur: de quibus ad *l. 4. sup.* vbi de hac inter Veredos & Angarias differentia plura. Scilicet Iulianus veredorum & paraueredorum discursum amputari vult: id ast, nullos deinceps veredos vel paraueredos exigi a prouincialibus rusticanis: Et rationem addit, quod oulli peoe veredorum seu paraueredorum discursus per Sardiniam necessarii esse noscautur: scilicet quia oon alium ferme vsum ea insula præberet, quam specierum, & in his frumenti maxime, quæ vtique angariis transferebaotur, translationi: de quo mox;

mox; non vero hominum pro Reipublicæ vsu *discurrentium, commeantium*, necessitati: Quandoquidem insula Sardinia extra viam militarem Regiam posita esset, neque eo illæ ducerent, sed pro solius prouinciæ vtilitate commeantibus veredi & parauuredi necessarii fuerent. Itinera sane per ipsam Sardiniam non alio ducentia, in *Itinerario Antonini* hæc designantur, *1. a portu Tibulis, Caralim pag. 78. edit. Wesseling. 2. alio itinere ab Vlbia, Caralim pag. 80. 3. a Tibulis, Caralim p. 81. 4. a portu Tibulis, per Compendium, Vlbiam p. 82. 5. a Tibulis, Sulcos p. 83. 6. a Sulcis, Nuram p. 84. ed. cit.* Hæc, inquam, solemnia itinera erant per Sardiniam: per quæ Rectores prouinciæ & Officiales commeare necessitas publica cogebat. Quare cum tam raro veredorum discursus requireretur, noluit Iulianus eo prouinciales rusticanos atteri, qui vtique eo obtentu atterebantur. Quid igitur? si quando veredorum & parauueredorum vsus necessarius esset, eum exhiberi voluit ab Officialibus Præsidis Sardiniæ, eosque suis animalibus vti, si quando ipsos per prouinciam commeare, necessitate publica vrgente, necesse esset. De quo Rectorum transitu dixi ad *leg. 4. de offic. Rect. prou.* Aliam vero rationem Angariarum esse iubet, quæ vtique necessariæ cummaxime erant in Sardinia propter publicas *species*; species id est fruges, (nam hoc sensu *specierum* vox hic & alibi sæpe accipienda, de quo in *Glossario*) transferendas ad diuersos portus: e quibus mox Romam ea subueherentur. Notum quippe, Sardiniam, iuxta Siciliam, Vrbis Romæ nutricem fuisse: atque exinde fruges deportatas, qua de re dictum *alibi*, & quidem ad *l. 5. infr. de annon. ciuic.* videndus & Symmachus *lib. 9. ep. 41.* Prudentius *lib. 2. contra Symmachum v. 940.*

Cesset frugiferas Lilybæo ex litore cumbas?
Nec det vela fretis, Romana nec horrea rumpat
SARDORVM *congesta vehens granaria classis?*
Ergo piris mensas syluestribus implet arator
Panus, & annosas Siculus depascitur herbas?
Iamque Remi populo quernas Sardinia glandes
Suppeditat.

Saluianus *lib. 6. de Gubernat. Dei cap. 12. Et euersis Sardinia ac Sicilia, id est, fiscalibus horreis, atque abscissis velut vitalibus venis, Africam ipsam, id est, quasi animam captiuauere Reipublicæ.* Vt vetustiora atque ab hoc seculo semotiora omittam. Interim exinde apparet quam vera sit differentia Angariarum & Veredorum de qua ad *l. 4. sup.* Hæc vero *lex* eo quoque notabilis est: quod complurima habeat ad historiam *Sardiniæ* pertinentia. Primo, fuisse eam sub P. P. Italiæ dispositione: Mamertinus quippe cui hæc *lex* inscribitur Italiæ P. P. erat de quo ad p. 530
l. 12. sup. Secundo Sardiniam a *Præside* rectam, de quo infra variis locis. Tertio *Officii* quoque Præsidis Sardiniæ, *h. l.* mentio fit. Quarto species, seu fruges, ex ea ad diuersos portus translatas, in vsum scilicet Vrbis Romæ. Quinto varios in Sardinia *portus* fuisse: cuiusmodi septem portus apud Ptolomæum memorantur *Nymphus, Caracodes, Sole, Bitta, Herculis Sypicus, Orbianus.* In Itinerario Antonini, *Portus Luguidonis, Portus Tibulis.* Sexto, transferendis eo speciebus angarias ibi collocatas pro locorum situ atque itinerum qualitate. De quibus itineribus iam *supra* ex *Itinerario Antonini.*

De MENSVRA *seu modo* PONDERIS *&* VEHICVLORVM.

XVII. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Menandrum. (b)

VEHICVLIS (c) nihil vltra mille librarum mensuram patiemur inponi, ita vt veredariis, vt habeant quod his triginta libras equis (d) vehere concessimus. Quidquid igitur supra mensuram exsuperare (e) constiterit, ad dispendium eius qui in Legem commiserit, fisco conueniet adscribi. Illud sane, vt penitus enormium vehiculorum vsus intercidat, sanciendum esse decernimus, vt quisquis opificum, vltra hanc, quam præscribsimus, normam, vehiculum crediderit esse faciendum, non ambigat sibi, si liber sit, exilii pœnam: si seruus, metalli perpetua supplicia subeunda. Dat. Prid. Idib. Mart. Med. (f) Diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* Eam indicare videtur Valentinianus *l. 28. & 30. inf.* GOTHOFR.

(b) *Menander* hic videtur PP. Galliarum fuisse, argum. *d. l. 28. & 30. inf. eod. tit.* Alius, an idem Menander, ad quem extant duæ Libanii *ep. 580. 595?* ID.

(c) Id est *rhedis*: Et forte initium huius *legis* ita emendandum, *vt vehiculis nihil vltra mille librarum mensuram patimur imponi, ita & Veredarii sat habeant*, &c. neque quicquam hic deest, quod nonnulli opinantur. ID.

(d) De Equis his Cursualibus, vid. & *leg. 24. & 64. inf.* IDEM.

(e) Et *exuberare.* IDEM.

(f) Scribendum hic sine dubio *Nicomediæ*: sero enim *Mediolanum* venit Valentinianus, sed *Kal. Mart.* ingressus est *Nicomediam*, teste Marcellino *lib. 26. cap. 4.* Vid. *Chronol. & Chron. hist.* Etiam *Valentis* hic nomen stare non potest, si recte se habet subscriptio, qui serius Augustali habitu est ornatus. Vide nostrum *in Chronol. not. ad h. leg.* RITTER.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris octodecim ordine constitutiones de *Cursu publico* sequuntur. Ex quibus apparet, quo animo erga Cursum publicum comparatus hic Princeps fuerit, quamque enixe ei consultum voluerit: & quidem inter initia statim Imperii sui, quod docent vndecim priores *leges*, intra vnius ferme anni metas sancitæ. Idque potissimum intra Italiam, quo pertinent *lex 18. 19. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 28. 29. 31. 34.*

Hac prima sane MENSVRAM seu MODVM, quæ

ponderis, quā vehiculorum ipsorum constitutum it, ne videlicet animalia cursus publici iniquo pondere seu onere prægrauentur: Ad quem alioquin finem collineant *hoc titulo* plures aliæ *leges*, puta Constaotii *lex 8. sup.* & eiusdem Valentiniani *l. 18. inf. prox. 20. 28. 30. inf.* Theodosii *lex 47. 48. inf. h. t.* Igitur *vehiculis* (id est thedis) noonisi mille libras imponi patitur: pariter vt Constantius, *l. 8. sup.* & ipse Valeotioianus rursum *l. 28. 30. inf. h. t.* & Theodosius M. *l. 47. 48. inf.* Veredis vero nonnisi trigiota: patitet vt Coostantius *d. l. 8. sup.* & ipse Valentinianus rursum *l. 28. 30. inf.* Atenim Theodosius M. cum veredorum sellam cum frenis sexaginta libras excedere vetatet; 35. Auertam excedere vetuit, *l. 47. inf.* Illud hic obiter monendum, lapsum virum doctissimum Salmasium *ad Lamprid. Seuer. cap. 39. l. 30. inf. trecenta* repooentem, vt ita trecentas libras veredis imponi *ea l.* iusserit: Quod factum noo oportuit; Quandoquidem non *ea* tantum *leg.* diserte id dicitur, verum & quatuor aliis insuper *legibus*, puta *h. l.* & *l. 8. sup.* & *l. 28. 47. inf.* Neque id absurdum ei videri debuit, quandoquidem Veredo homo insidebat, & Auertæ tantum modus ab Imperatoribus definitur omnibus illis *legibus*. Pœnam vero Commissi imponit *hac l.* Valentinianus modum illum egredieoti.

Hac interim parte notanda vox *Veredariorum*, quæ etiam occurrit *l. 50. inf.* Veredarii sunt qui veredis vtuntur: ac nomioatim etiam qui Priocipis iussa & responsa ferebaot, vt testatur Procopius *l. Vandal. cap. 16.* τῇ δὲ αὐτῇ ἡμέρᾳ καὶ ὁ τοῦ δημοσίου δρόμου ἐπιμελόμενος, ηὐτομόλησε παραδοὺς τοὺς δημοσίους ξύμπαντας ἵππους: ξυλληφθέντα δὲ καί τινα τῶν ἐς τὰς βασιλικὰς ἀποκρίσεις ἀεὶ στελλομένων, οὓς δὴ βερεδαρίους καλοῦσι. *Eodem die cursus publici Procurator equos omnes publicos sponte tradidit: Illorum etiam, qui rescripta Principis perferunt, quos Veredarios appellant.* Idem περὶ κτισμάτων *lib. 5. cap. 3. init.* ἐν τῷ καταλυτηρίῳ τῶν βερεδαρίων καλουμένῳ. *in Veredariorum vt appellant diuersorio.* (a)

Cæterum quia non tantum vi onerum seu ponderis impositi enormitate, vehiculis aptata iumenta ab iis qui Cursum publicum vsurpare prægrauabantur, verum etiam mensura vehiculorum ipsa culpa opificum, seu fabrorum vehiculariorum (qui & *Carpentarii* dicuntur *l. 31. inf.*) eo quod enormia vehicula faciebant: ideo & his Valentinianus grauem pœnam comminatur; nempe exilii, si opifex liber esset: si seruus, metalli: quæ pœnarum inter seruos & liberos proportio ttalatitia fuit: si videlicet præscriptum vehiculorum modum egrederentur. Quod rursum constituit, *l. 30. infr.* Ex quo interim discimus, Opifices seu fabros & carpentarios peculiares fuisse vehiculis & redis cursualibus fabricandis, neque liberos tantum, sed etiam seruos. Quibus & annona & vestis ex publico dabatur, pariter vt mulionibus & mulomedicis, vt discere liquet ex *l. 31. inf. h. t.*

(a) CAROLVS DV FRESNE *Glossar. Latin. voc. Veredarius. Veredarii*, dicti qui *veredis publicis* vtebantur, & responsa vel mandata Principum deferebant, ὡς τὰς βασιλικὰς ἀποκρίσεις ἀεὶ στελλομένους, οὓς δὴ ΒΕΡΕΔΑΡΙΟΥΣ καλοῦσι, vt est apud Procopium *lib. 1. Vandal. cap. 16.* qua notione *Veredarios* habent *L. 17. & 50. C. Th. de Curs. Publ.* Senatoe *lib. 2. Epist. 31. lib. 4. ep. 47.* Iulius Firmicus *lib. 3. Math.* &c. Papias: *Veredarius, a vehendo dicitur, qui festinanter equitando currit, habetque pennas in capite, vt intelligatur festinatio itineris.* Gloss. Latin. MS. Reg. Cod. 1013. *Veredarii dicuntur a vehendo, qui festinanter in equis currunt, non descendant de equo antequam liberant responsa sua: habent in capite pinnas, vt inde intelligatur festinatio itineris: datur semper iis equus paratus, nec manducant nisi super equa, antequam perfecerunt.* Paullo aliter laudat hunc locum I. Gothofredus *ad L. 1 Cod. Th. de Curios.* Capit. Carol. C. tit. 7. de Monachis: *quos etiam nec Episcopus, nec Abbas, vel quilibet alius eos veredariorum more in missaticis instanter transmittat.* Veterem chartam ex Tabulario S. Martini de Campis apud Duchesnium in hist. Monmorenciaca *p. 33.* subscribunt, *Ludouicus filius Regis* (postmodum Rex Franciæ VI.) *Geruasius Dapifer, Frogerius Catalaunensis, Willelmus Garlandensis, Fredericus Camerarius, Balduinus Veredarius.* Forte is Magistratus quem hodie *le grand Maistre des Postes* dicimus. Vide eundem voce. *veredi, vereda,* & *Glossar. Graec. voc.* βερεδάριος.

HENR. CHRIST. HENNINIVS, *not. ad Bergier. lib. IV. 10. §. 7. p. 744. 745.* Quod Bergierius ait, *Veredarios* esse nostros *Postillons* cum grano salis accipe. *Veredarii* sunt *a. Veredis vecti*, qui veredis vtuntur, non qui veredis præsunt, non hippocomi, non muliones *l. 17. l. 50. C. Th. de C. P.* Cassiodorus *Var. II. 31. IV. 47.* nominatim *β. qui Principis iussa* & responsa celeri cursu ferebant, teste Procopio *Vandal. lib. I. p. 111.* τινὰ τῶν ἐς τὰς βασιλικὰς ἀεὶ ἀποκρίσεις στελλομένων, οὓς δὴ ΒΕΡΕΔΑΡΙΟΥΣ καλοῦσι. Firmic. *Astron. lib. 3. Regum nuntios veredariosque reddent.* Sidonius *Epist. V. 7.* Paullin. Nolan. *ep. 28.* (al. 9.) *pr. Epistolarum nostrarum Veredarius pedes, aut veredus bipes.* Onomasticum Vetus: *Veredarius*, Δρομεύς. eos graphice describit *Glossar. vetus* apud Iacob. Gothofred. *ad leg. 1. C. Th. de Curios* quod vide. Huc refer forsan καταλυτήριον τῶν βερεδαρίων. *Diuersorium, Mutationem Veredariorum* apud Procopium περὶ κτισμάτων *lib. V. cap. 3.* His etiam iunge ea, quæ Viri nunquam satis laudandi NICOL. ALEMANNVS *ad cap. 30. Procop. histor. arcan.* & de *cursu publico* & de *Veredariis*, atque IO. SAVARO *ad Sidon. V. 7. pag. 331. edit. Paris.* dixeruot.

P. 531.

De SPECIERVM *largitionalium transuectione deque euectionibus in id, & personarum numero in singulis carpentis.*

XVIII. (a) Iidem AA: ad Mamertinum PF. P. (b)

Si quando Præpositus (c) largitionum species (d) transmittendas necessarias esse suggesserit, ac breuem (e) diuersarum (f) specierum, cui subuectio (g) vehiculorum poscitur, designauerit, a Præfidibus (h) diuersorum Officiorum euectio competens præbeatur. Illud etiam Sublimitas Tua obseruari omni cautione præcipiat, ne amplius in singulis quibusque carpentis (i) quam bini, aut, vt summum, terni homines inuehantur; quos tamen directarum rerum custodes vel Prosecutores esse constiterit. Dat. III. Id. (k) Maii, (l) Diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364.]

NOTÆ.

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem ei *lex* 58. *inf. de Decurionib. lex* 8. *sup. de Cohortalib.* & *lex* 5. *sup. de re militari.* Concordat huic omnino *lex* 20. *inf. ID.*

(b) *Mamertinus* PP. Italiæ, Illyrici, Africæ, sub Valentiniano Sen. dixi ad *l.* 12. *sup.* v. *Prosopogr. ID.*

(c) De *Præposito largitionum*, mox dicam. *IDEM.*

(d) Species. Vid. *l.* 13. 16. *supr. ID.*

(e) *Breuis*, id est, indiculus, notitia, scriptura: vide *Gloss. Theod. ID.*

(f) Recte: neque vox hæc mutanda, quod ad oram *huius Codicis* hactenus fit, in *directorum.* Diuersarum, id est quarumcunque v. *Gl. Th. ID.*

(g) *Subuectio*, proprie: vide *Glossar. Theod. ID.*

(h) An, *ab officio diuersorum Præsidum*? an vero, *a Præsidibus diuersarum prouinciarum*? Ego nil mutem: *Præsides diuersorum officiorum.* Iidem recte dicti, qui & Præsides prouinciarum: præsidebant enim *officiis. IDEM.*

(i) Vehiculis *l.* 20. *inf. ID.*

(k) *III. Kal. Mai. d. l.* 5. *supr. de re militar. RITTER.*

(l) Hadrianopoli, hoc addendum ex *d. l.* 58. & *d. l.* 8. & *d. l.* 5. Eodem die data, sed ad alium, & de alia re; *lex* 9. *infr. de exactionib. GOTHOFR.*

COMMENTARIVS.

DE SPECIERVM largitionalium seu fiscalium transuectione & euectione vehiculorum ad id necessaria, eorumque vehiculorum onere, personarumque in his NVMERO, est hæc Valentiniani Sen. constitutio (pariter vt Iuliani *lex* 13. & 16. *sup.* & eiusdem Valentiniani *lex* 20. *inf.*) Quæ prolixioris Valentinianeæ constitutionis pars est, qua is tum Curiis, tum Officiis Iudicum, tum cursui publico, transuectionique specierum fiscalium reique militari prolixe consultum iuit, vt apparet ex *hac l.* & *l.* 5. *sup. de re milit. l.* 8. *sup. de cohortalib. l.* 58. *inf. de Decurionib.* quæ omnes, vel saltem duæ posteriores, velut eiusdem constitutionis partes, huic nostræ coassandæ veniunt. Ergo *hac l.* Valentinianus Sen. ab vna parte specierum fiscalium transuectioni consultum it; ab altera vero, rei vehiculariæ; quæ duo sunt *huiusce legis* capita.

Primo capite iubet Euectionem competentem, id est, sufficientem vehiculorum numerum, præberi a Præsidibus diuersorum officiorum, vbi Præpositus largitionum suggesserit, species transmittendas necessarias esse, ac breuem specierum designauerit: Vbi multa notanda veniunt. Primo, de *Præposito largitionum.* Præpositi, qui sub Comite S. L. erant, varii memorantur in *Notitia Imperii*, & quidem in Notitia *Orientis fol.* 49. *Præpositi Bastagarum:* in *Occidentis fol.* 140. *Præpositi Thesaurorum*, *Præpositi Barbaricariorum siue Argentariorum*, *Præpositi Bastagarum varii.* Hi inquam, neque alii Præpositi in *Notitia* memorantur. De quorum genera sit ille, cuius *hac* tantum *lege* (nam in *lege* 10. *sup. de Veteranis*, non Præpositus *Rom. Largitionum*, verum *Rom. legionum*, legendum est:) hoc *Codice* mentio fit, videndum est. Ergo de præposito Bastagarum id quis acceperit. *Bastaga* quippe onus erat specierum fiscalium animalibus transuehendorum, atque inde *Bastagarii*, qui ei oneri vacabant, (de quibus postea etiam) & de quibus plene *ad l.* 4. & 11. *inf. de Murilegul. Gyn. & Bastagariis.* Alius malit, de Præposito thesaurorum id accipere: cuius mentio fit in *Notitia Imp.* & *l.* 3. *inf. de indulg. debit.* & *l.* 14. *Cod. Iust. de Murilegul.* Scilicet Præpositi Thesaurorum, non tantum auri & argenti fuerunt, verum etiam reliquarum specierum; vt docet *lex* 1. *Cod. Iust. de canone largit. tit.* Verum omnino id accipiendum est, de *Præpositis monetis*, *baphiis*, &c. quorum diserte mentio fit apud Ammianum Marcellinum *lib.* 14. *cap.* 9. & *lib.* 28. *cap.* 1. & similibus, veluti Gynæciorum: Qui omnes in Notitia Imp. *Procuratores* vocantur. Quippe in *lege* huic concordante, puta *l.* 13. *sup.* dicuntur *largitionibus præesse.* Sic de primo vidimus, quid sit Præpositus Largitionum.

Secundo ex *h. l.* notandum, Præpositum Largitionum, cum necessitas esset, seu cum vsus Reipubl. deposceret, breuem specierum diuersarum necessariarum ad Præsides misisse, vt ipsi videlicet postea vehicula his transuehendis præberent, & sic euectionem. Nempe species ex illatione publica seu prouincialium in singularum prouinciarum horreis & thesauris condebantur: deinde pro rei necessitate ad Præpositos Largitionum mittebantur. Ergo breuibus specierum necessariarum ita missis, euectiones competentes seu vehicula a Præsidibus præberi iubet *hac l.* Valentinianus Sen. cum alias Euectionum dandarum ius Præsides non haberent: scilicet ad species tantum Largitionales transmittendas Præsidibus & Vicariis Euectiones faciendi ius datum, vt a Iuliano *lege* 13. *sup.* ita a Valentiniano Sen. *h. l.* & *l.* 20. & *l.* 33. *inf.* a Theodosio M. *l.* 40. *inf.* Hoc interim loco menda subesse videtur, & loco a *Præsidibus diuersorum officiorum*, conuerso more rescribendum, *ab officiis diuersorum Præsidum.* Verum ipse nil muto, de quo iam in *Notis.*

Secundo capite Valentinianus Senior occurrit *Oneri* immodico vehiculorum seu carpentorum, species fiscales transuehentium: Nempe Prosecutores, seu custodes specierum directarum, nonnisi duos, aut ad summum tres inuehi vult singulis carpentis, seu redis, ne maiore scilicet numero carpente seu rhedæ nimio plus prægrauarentur (quibus mille librarum tantum onus impositum docet *lex* 8. 17. *sup.* & *l.* 28. 30. 47. 48. *inf.*) Quod quidem Valentinianus rursum constituit *lege* 20. *inf.* vbi & dicuntur *vehicula* quæ hic *Carpenta*: lege vero 30. *infr. carpenta redarum.* Denique *reda*, *vehiculum*, *carpentum*, pro eodem. His carpentis vecti inter alios milites ægrotantes: v. Lamprid. *Alex. Seuero*, *cap.* 47. P. 538

Hic locus interim, vt & gemina eiusdem *lex* 20. *inf.* notanda est, de specierum publicarum ac largitionum missarum custodibus & *Prosequutoribus*, deque eorum numero, quod scilicet singulis vehiculis destinabantur: de quo rursum, *l.* 40. 47. 48. *infr.* De aliarum enim rerum Prosecutoribus, dicam *inf. tit. de Auri publici prosecutorib.*

PRÆFE-

PRÆFECTO VRBIS *quatenus Euectionum faciendarum ius sit.*

XIX. (a) Iidem AA. ad Symmachum P. V. (b)

MAGNIFICA Sedes Tua euectionum faciendarum arbitrium in publicis tantum causis vsurpet. Verum ingenti procurabitur cautione, ne parum considerata facilitas ita publicis incipiat visceribus (c) imminere, vt fatigatione nimia pœnitentiam huius concessionis suscipere cogamur. Dat. IX. Kal. Iul. Philippopolim, (d) Diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda forte huic *lex* 11. *inf. de operibus publicis.* Quanquam etiam satius forte fuerit dicere eas proximo tantum confinio cohærere. Nam etsi ad eundem, iisdemque Coss. datæ sint, attamen & locus & dies discrepant. *GOTHOFR.* Ego vero putarem bene vtramque posse legem coniungi, & emendandam esse in *l. d.* 11. subscriptionem, quæ habet *Dat. VIII. Kal. Iun. Philippis*, facile enim numerus *VIIII.* abit in *VIII.* & *Iul.* in *Iun.* etiam rudes librarios sæpe nomina deprauare vrbium, nemo ignorat. Scimus autem, Principes hoc tempore per *Thraciam* iuisse in *Daciam*, Marcellinus *lib.* 26. *cap.* 5. Rectum autem iter ducit *Constantinopoli*, *Adrianopolin*, inde *Philippopolin* atque supra *Hæmum* montem in *Daciam*; cum iter *Constantinopoli* per *Traianopolin*, *Nicopolin* atque *Philippos* ducat in *Macedoniam*, via per hoc tempus non fuit Valentinianus. Potest etiam quoad contenta *d. l.* 11. cohæsisse cum *hac lege*; si quidem cogitamus, quandoque animalia publica ad cursum destinata, adhibita fuisse ad alias publicas necessitates, veluti ad opera publica extruenda, de quibus *d. l.* 11. agitur. Consule etiam *l.* 15. *supr. RITTER.*

(b) *Symmachus* hic P. V. pater est Epistolographi: de quo Ammianus Marcellinus *lib.* 27. *cap.* 3. & alii, cuique plures aliæ *leges* inscribuntur. vid. *Prosopogr. GOTHOFRED.*

(c) *Viscera* sunt vires, facultates: Ita quoque viscera prouincialium, *l.* 35. *sup. de erogat. milit. ann.* regionis, *l.* 9. *infr. de executorib.* Vrbium *l.* 48. *de Decurion. ID.*

(d) *γρ. Philippopoli.* Nisi mauis, vt in *d. l.* 11. *inf. de operib. publ. Philippis. IDEM.*

COMMENTARIVS.

PRÆFECTO Vrbis Romæ Euectionum faciendarum, id est, Cursus publici indulgendi, decernendi, ius & potestas quatenus competat, *hac l.* a Valentiniano Sen. definitur: & quidem, constitutione emissa ad Symmachum P. V. Romæ, non Epistolographum, sed Epistolographi patrem. Nempe, *In publicis tantum causis*, id est, necessitate publica tantum suadente, vel vrgente, Præfecto Vrbis Romæ Euectionum faciendarum arbitrium *hac l.* tribuitur, non vltra. Quomodo & aliis, quibus alioquin Euectionum faciendarum ius non erat: hoc ipso casu faciendarum potestas data fuit: veluti Vicariis, & Rectoribus prouinciarum, *l.* 13. *sup. l.* 20. 33. 40. 61. *inf.* Non igitur in priuatis causis, & ad priuatas necessitates expediendas. Imo *cautionem* adhuc huic concessioni addit *h. l.* Valentinianus, nempe Præfectum vrbis Romæ ita euectiones in publicis causis dare posse & debere, vt non facile tamen aut promiscue eas det: comminatione addita, *ne alioquin*, inquit, *parum considerata facilitas ita publicis incipiat visceribus imminere, vt fatigatione nimia*, (i. promiscuis Euectionibus) ipse in totum *cogatur* ius illud P. V. adimere, vel vt ipsemet ait, *pœnitentiam huius concessionis suscipere.* Igitur huic rei modum hunc vel dixi *hac l.* adhibet Valentinianus: Haud aliter atque altera constitutione ad eundem Symmachum P. V. emissa (quæ parum abest quin huic coassanda videatur) puta *l.* 11. *inf. de operib. publ.* eidem alia quoque parte modum adhibet. Vnde apparet, quam arcte Præfectorum Vrbis potestas etiam hac parte, hac tempestate habita fuerit: augescente videlicet indies magis magisque Præfectorum Prætorio potestate: de quo *alibi* plene.

Illud quærendum superest, num *hac l.* primum, istud Euectionum faciendarum ius Præfecto Vrbis Romæ tributum fuerit, an vero & antea competierit, sic vt *hac l.* tantum modus ei adhibeatur? Prius verisimilius alicui videatur, puta *hac l.* primum a Valentiniano Sen. hoc ius tributum P. V. idque argumento verborum *huius legis*, quæ nouam concessionem, etsi limitatam indicare videtur. Verum probabilius mihi videtur posterius: nempe competentem iam P. V. Euectionem faciendarum potestatem, *hac l.* in arctum tantum redigi, præsertim cum videam ante hæc tempora, etiam Vicarios & Consules, Rectoresque prouinciarum Euectionum faciendarum ius sibi vindicasse. Postea sane quoque Honorius Præfecto Vrbis Euectionum sibimet vsurpandarum ius ademit, *l.* 55. *inf. h. t.* vid. & Imperatorem *l.* 9. *Cod. Iust. eod. tit.* Hic interim egregium exemplum habemus Principis, ita priuilegium aliquod alicui concedentis, vt abusui eius simul occurrat, reuocandi priuilegii metu proposito.

P. 533 *De* SPECIERVM *Largitionalium translatione: deque Euectionibus in id, & personarum Numero in singulis vehiculis.*

XX. (a) Iidem AA. ad Florianum (b) Comitem R. P.

IVXTA Diui Iuliani consultissimam legem, † ad transferendas largitionum res necessarias competentia Iudices (c) euectionum subsidia perferant. (d) Illud quoque adiectum

ctum (e) est; Ne quidquam oneris vehiculis publicis cumulatius quam ratio fiscalis posceret superponeretur; siquidem, non amplius in singulis quibusque vehiculis quam binos, aut, vt (f) summum, ternos sedere præceptum sit. Dat. (g) Prid. Id. Septemb. Diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* concordat huic *lex* 18. *sup.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Florianus* Comes R. P. sub Valentiniano Sen. cui inscribitur & anno prox. 365. *lex* 11. *de euection.* A. 367. *lex* 2. *Cod. Iust. de bonis libertorum:* & *lex* 4. *Cod. eod. de fund. patrimonial.* vbi male vulgo *ad Florentium,* MS. recte *Florianum* vt in Cuiac. edit. vbi & recte Inscriptio habet, *Iidem AA.* i. e. Valentinianus & Valens, male vulgo *Valens Gratianus & Valentinianus.* Vid. *Prosopogr.* *ID.*

† Legem Iuliani 13. *sup.* intelligit. *ID.*

(c) *Iudices*, id est Rectores prouinciarum, *l.* 13. *sup.* Præsides, *l.* 18. *IDEM.*

(d) *Perferant*, id est, præstent, *prabeant*, deferant: vide *Glossar.* *ID.*

(e) An in eadem Iuliani constitutione? An vero a se (Valentiniano) *l.* 18. *sup.* Hoc malo. *IDEM.*

(f) *γρ. Ad summum*, etiam *d. l.* 18. *ID.*

(g) *Aquileia* scilicet: vt *l.* 9. *inf. de petitionibus*: *l.* 60. *inf. de Decur.* *l.* 33. *inf. de appell.* quæ hoc ipso die datæ sunt: imo & *l.* 3. *de conlat. fund. patrim.* &c. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE SPECIERVM largitionalium fiscalium transuectione, seu euectione vehiculorum ad id necessaria, numeroque Custodum seu Prosecutorum qui in singulis vehiculis sedere possunt, est hæc Constitutio, gemina prorsus anteriori eiusdem Valentiniani *legi* 18. *sup.* vbi dicta sufficiunt. Hæc illud singulare habet, quod Iuliani constitutionem super hac ipsa re commemorat, puta *l.* 12. *sup.* qua certe id quod priori *huius legis* capite cauetur, continetur. Nam quod secundo capite *huius legis* continetur, id a Valentiniano primum adiectum, seu præceptum est: *l.* 18. *sup.* ne quis alioquin id quoque Iuliano accepto ferendum putet, quod *huius l.* verba sonare cui videantur. Interim, videmus a Valentiniano Iuliani *legem* probari. *Denique* titulum ei tribui: cum alias actus eius, legesque complurimas improbauerit: de quo vid. *l.* 7. *inf. de Mathem.* *l.* 6. *de Medic. & Profess.* & (Ammiano Marcellino teste, *lib.* 26. *cap.* 4.) ei vna cum fratre obtrectauerit.

XXI. (a) Iidem AA. ad Artemium. (b)

COMPETENTI ratione prohibemus, Ne hi qui familiæ (c) præsunt nouum rapinarum aut fraudium genus exerceant, vt, pro rotarum tritura, ac ministeriis, pecuniam ab angariarum præbitoribus (d) poscant. Pro rotis (e) igitur, & pro angariis, (f) præbitores dispendia nulla patiantur. Dat. III. (g) Kal. Octobr. Aquileiæ, Diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* iungendas ei censeo *legem* 2. *sup. de off. Rectoris prouinc.* *l.* 6. *sup. de priuil. eorum, qui in S. Palatio:* *l. vn. sup. de priuil. apparit. Magist. potest.* GOTHOFRED.

(b) Correctorem, vt docet *d. l. vn.* Lucaniæ? quod dicat subscriptio *d. l. vn. sup. de priuileg. apparit. Magist. pot.* quæ *Accepta* dicitur *Salerni*: quæ vrbs fuit, vt puto Lucaniæ. Vide *not. c. d. leg.* 2. *de Off. Rect. Prouinc.* *ID.*

(c) *Familia*, quæ scil. cursui publico vacat: de quo *mox.* *ID.*

(d) Ita mox, *præbitores dispendia nulla patiantur.* *ID.*

(e) Quidam *redis*: quod non probo. *ID.*

(f) Forte *angaris*, id est ministris, de quo mox. *ID.*

(g) XIII. *d. l. vn. de priuileg. apparit. mag. potest.* *l.* 6. *sup. de priuileg. eorum, qui in S. Pal.* Kal. Octob. *l.* 2. *sup. de off. Rector. prou.* prius illud magis placet. *ID.*

COMMENTARIVS.

RAPINÆ & fraudi cuidam, quæ occasione Cursus publici, & quidem angariarum, exercebatur: occurrit *hac l.* Valentinianus Sen. Quæ quidem pars est prolixioris Valentinianeæ Constitutionis, ad Artemium Correctorem (Lucaniæ scilicet) emissæ: qua varias personas a variis dispendiis liberatum iuit, vt apparet ex *l.* 1. *sup. de off. Rector. prouinc.* *l.* 6. *sup. de priuil. eorum qui in S. Palatio:* *l. vn. sup. de priuil. magist. potest.* quæ omnes huic nostræ, ceu einsdem constitutionis partes, coassandæ mihi videntur.

Ad *huius leg.* intellectum, de tribus videndum est. I. *Quinam* id rapinæ genus exercuerint. II. *Quod rapinæ genus* istud fuerit. III. A quibus exactum.

Ergo hoc rapinæ genus fraudisque ab iis qui familiæ præerant exercitum docet hæc *lex:* vbi *Familiæ* appellatione intelligendi sunt, qui circa Cursum P. 53

sum publicum occupati erant, circa curanda videlicet animalia & vehicula: item ii qui ad prosequendos eos, qui Cursu publico vehebantur, occupabantur: nempe, si de veloci Cursu ageretur, veredarii: Mulinnes, Hippocomi, Mulomedici, si de Angariali seu vahiculari, Opifices insuper vehiculorum, seu carpentarii: de quibus *in paratitlo*: Scilicet, vt in certis stationibus, mutationibus, mansionibus, cursus publicus erat, ita *familia* quoque quædam, seu certus ministrantium numerus erat. Quibus familiis nonnulli præerant, puta Præpositi, *l. 35. inf.* & *l. 9. sup. de Curiosis*; & Symmachus *lib. 2. ep. 46* Mancipes cursus publici: de quibus *l. 15. 24 34. 35. 36. 42. 53. 60. 65. h. t.* & *l. 9. sup. de Curios.* (vnde & mancipatus, officium ipsum, *l. 36. 46. h. t.*) qui & Procuratores, dicuntur, *l. 23. 36. h. t.* Ac nominatim circa angarialem & clabularem cursum occupati, procuratores cursus clabularii, *d. l. 23. inf.* itemque Præfecti vehiculorum, *l. 4. in in f. sup.*

Ergo (quod secundum *hac l.* obseruandum est) Procuratores hi, seu Mancipes & Præfecti quondam rapinæ & fraudis seu exactionis genus adinuenerant, puta vt *pro rotis*, seu *rotarum tritura*, item *pro ministeriis* aliquid exigerent.

Et quidem (quod Tertium) ab angariarum Præbitoribus; vbi obscurum videatur, quinam illi sint *Prabitores?* Et substituenda videatur alia vox: qua indicentur, iter agentes, cursu publico agentes forte *prabitores*, aut *præsumptores?* Ego accipiam Prouinciales, qui angarias & vehicula præbebant ad Cursum publicum in certis prouinciis (de quo dixi *ad l. 5. sup. de Curiosis:*) quibusque præbitis liberi iam erant: vtpote familiis circa Cursum publicum occupatis, ex fisco annonas accipientibus, *l. 31. inf.* vehiculorumque sarturæ & ministerii exhibitioni adstrictis: Ergo a præbitoribus quidquam eo nomine exigere vetat, qui familiis his præerant *hac l.* pariter vt ab iis qui Cursu publico vterentur, *d. l. 31. infr.* Ac nominatim pro rotarum tritura, & sic *rotatici* nomine aliquid: cum quo commisceri non oportet *Rotaticum*, cuius in Francicis tum capitulis, diplomatis, tum legibus, tum formulis, frequens mentio, quod scilicet solemne vectigalis genus erat, in singulas, sic vt dicam, Rotas seu vehicula, quomodo etiam hodie *Rodage*, vel *Rouage*, vocatur alicubi. Rotaticum istud pro transitu rotæ seu vehiculi: (a) Atenim illud, de quo *hac l.* agitur, pro rotarum tritura. Id quod *hac l.* exigi vetat Valentinianus Sen. pariter vt *pro ministeriis* vel vt mox *fine legis* dicitur, *pro angaris.* (ita enim lego, non *angariis.*) Angati, ministri sunt circa Cursum publicum occupati, neque tantum, vt olim, qui ipsi Cursum publicum peragebant, verum & qui circa eum occupati erant: familia denique circa cursum publicum occupata, de qua *initio legis.* Et ita quidem hac parte auaritiæ *præpositorum cursualium* occurritur, quam alioquin perstringit quoque Symmachus *lib. 2. ep. 46. in f.* Simile vero rapinarum genus est eorum qui cursui publico præsidebant, quodque inhibetur a Constantino *fine legis 4. sup.* Pariter vt tertium rapinæ & auaritiæ genus fuit Agentium in rebus Curiosorum, qui Cursus publici sollicitudinem sustinebant, cui occurritur *l. 3. 5.* & *l. vlt. sup. de Curiosis.* Tandem vt dixi, *ministrorum* merces quædam, puta Mulionum, Carpentariorum, Mulomedicorum *d. l. 31. inf.* Et sic interim quatuor hæc concussionum & rapinarum genera circa Cursum publicum obseruanda sunt.

(a) Vid. Cl. Bignonium *not. ad Veter. form. c. 45. p. 347. edit. Paris.* & C. du Fresne *Glossar. voc. Rotaticum.*

Sine EVECTIONE *cursum vsurpari non posse, deque Euectionis inspectione, subnotatione; deque* PARHIPPO, *vel* AVERTARIO.

XXII. (a) Iidem AA. ad Volusianum (b) P. V.

CVNCTOS Iudices laudanda Tua Sinceritas monebit, vt minime quosque transire patiantur, antequam seriem (c) euectionis aspexerint, & congrua subnotatione dimiserint. Sane cuiuscunque fuerit dignitatis, qui nostra interdicta calcauerit, retenetur, dum super ipsius nomine ad Mansuetudinem Nostram querela dirigatur, cui vindicta non deerit. In eos autem protinus vltio competens exseranda est, quos Sinceritas Tua (d) pro loco graduque militiæ ibidem coërceri posse crediderit. Præterea (e) illud adiungimus, vt parhippum vel auertarium nullus accipiat, nullus impune præsumat, nisi eum Nostræ Serenitatis arbitrio, aliqua necessitate cogente, Vir Inlustris Magister Officiorum textui euectionis addiderit. Prolata (f) literis (g) sub die XII. Kal. Mart. Rom. Accepta IV. Kal. April. Venabri, (h) Consulatu Valentiniani & Valentis AA. (i)

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) C. Ceionius Rufius *Volusianus* integro nomine; cuius Præfecturæ Vrbicæ, & quidem iteratæ sub Valentiniano mentio in *Veter. Inscription. apud Gruterum CII. n. 9. CCLXXXV. n. 6. CCLXXXVI. n. 1. 2.* Alius ab hoc C. *Ceionius Rufius Volusianus.* P. V. sub Constantino: cuius mentio in *veteri Notitia Præfector. Vrbis*, hoc Codice, & in *veterib. Inscriptionib. CCCLXXXVII. n. 5.* Alius Rufius Antonius Agrypnius Volusianus: de quo in *veteri Inscript. CLXXXXIII. n. 10.* De hoc plura ad *l. 1. inf. de conditis in publ. horreis.* ID.

(c) *Textus*, fine *legis.* ID.

(d) Præfecti vrbis. ID.

(e) SECVNDVM caput *huius legis.* ID.

(f) Forte *Prolatu*, vide de hoc more *Paratitlon de constitutionib. Princip.* & quæ dixi ad *leg. vn. inf. si per obreptionem*

reptionem fuerint impetrata. Notanda vêro hæc, ceu singularis, *huius l.* subscriptio: de qua mox plura. *IDEM.*

(g) Vide quæ dico ad *l. 1. sup. de Quæstorib. magistr. officiorum. ID.*

(h) Id est *Venafri*, de quo mox. *ID.*

(i) Forte III. id est A.D. 373. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 535 DVPLICI remedio Cursui publico, qui nimio plus fatigabatur, succurrit *hac l.* Valentinianus Senior. *Primo* quidem capite vetat, quemquam cuiuscunque loci aut dignitatis, sine *Euectione*, id est, sine diplomate Cursum publicum vsurpare. Quod & ipsum aliis compluribus *legibus* constitutum, veluti *l. 8. sup. l. 27. 54. inf.* In eumque finem complura a Valentiniano *hac l.* constituuntur. Primo vt Euectionem Iudicibus commeantes *commonstrare* teneantur: Iudicesque nullum nisi ea ostensa transire patiantur. Secundo vt ei Euectiuni Iudices *subscribant:* Et sic sub congrua subnotatione commeantes dimittant. Quod notandum, nempe Euectiones, non tantum cum darentur, scriptas (a Magistro officiorum de quo *fine l.*) verum etiam a Iudicibus subnotatas; vt ita cum, qui Euectionem impetrasset, ad mutationem venisset, citra moram aut cunctationem Cursu publico instrueretur. Tertio loco agit de pœna eius qui citra Euectionem commearet: Nempe, si alicuius dignitatis fuerit, retineri, deque eius nomine ad se Principem referri iubet, qui ipse vindictam impositurus est: si vero minoris loci, statim coërcendum a Præfecto Vrbis, ad quem hæc lex directa est. Quod & ipsum ferme a Iuliano constitutum, *l. 14. sup.* de his qui modum Euectionis excederent. Et hæc de primo capite *huius legis.*

Secundo capite vetat *Parhippum* vel Auertarium a quoquam vsurpari, nisi cui nominatim aliqua necessitate cogente Euectione ipsa concessum fuerit: de quo Parhippo seu Auertario dixi semel ad *d. l. 14. sup.* & de Auerta *ad l. 47. & 48. inf.* Parhippus igitur & Auertarius *hic* idem: quo pariter sensu Parhippus semper excipiendus in omnibus *legibus*, excepta vnica Iuliani *lege 14. sup.* Nempe Parhippus erat *Equus auertarius* qui præter veredum, sarcinæ, siue *auerta* ferendæ caussa, licite adsumebatur.

Illud notandum quod *h. l.* dicitur de Magistro officiorum: Is scilicet erat qui Principis nomine Euectiones scribebat, quod ostendunt tres aliæ *leges*, puta *l. 8. 9. & l. 35. inf.*

Subscriptio tandem *huius legis*, velut singularis, excutienda venit, vbi dies datæ *huius legis* nusquam apparet: Sed duplex tantum dies adsignatur: Vnus *Prolatæ legis Romæ literis*, seu *Edicto* (Præfecti vrbis C. Ceionii Rufi Volusiani scilicet;) Alter *Acceptæ* eius, *Venabri.* Et mirum, Acceptam dici posterius quam Prolatam: cum tamen illud præcedere oportuisse videatur. Igitur huic dubio ita satisfacio. Nempe prolatam Romæ literis Præfecti V. XII. Kal. Mart. exinde, cum Romæ promulgata fuisset, in prouincias vicinas commissam: & vero a Consulari Campaniæ *Venabri*, id est, *Venafri* Acceptam IIII. Kal. Aprilis non a Præfecto V. (vt Alexander credidit in *refut. coniecturæ, diss. 1. cap. 5. pag. 40.*) Verum a Consulari Campaniæ qui hoc tempore fuit Buleforus, cui inscribitur *lex 24. inf.* vbi *Venabrum* seu *Venafrum* fuisse nemo ambigit extra diœcesim peculiarem Præfecti vrbis Romæ.

De PROCVRATORIBVS *cursus* CLABVLARII, *sex capita.*

XXIII. (a) Iidem AA. Mamertino PP. ō.

AD Procurationem (b) Clabularii (c) cursus eligendi sunt ex eo hominum genere, qui in prouinciis Comitiuæ, (d) & Præsidatus, (e) aut Rationum (f) epistulis (g) honorariis nixi, ab omni se ciuilium & publicorum officiorum ministerio remouerunt. His tamen ab hac molestia segregatis, qui Legationum reuerentia, Principalium beneficiorum iudiciis, honorem, ipsis Principibus tradentibus, sunt adepti; vel qui emeritis officiis Palatinis missione donati sunt. Locandi autem erunt per singulas mansiones, (h) vel longius, [vt] Sinceritas Tua Procurationem eorum existimauerit porrigendam. In quo negotio, si quid neglectum secusue gestum fuerit, ad eorum, quidquid peccatum erit crimen inuidiamque referetur. Quanto autem tempore vnusquisque iniuncti officii sarcinam debeat sustinere, Celsitudinis Tuæ arbitriis relinquimus faciendum. Qui viri & euectiones commeantium exactissima cura inspicere debebunt, & animalibus alimenta quæ fiscus noster fuggerit ministrare. Dat. VI. Id. Mart. Mediol. Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Hanc *legem* suam memorat Valentinianus *l. 26. infr.* ad eundem Mamertinum PP. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Procuratio* idem cum mancipatu, *h. l. & l. 36. inf. ID.*

(c) De *clabulario* vel Clabulari cursu, vide & *l. 26. 62. inf. h. t. l. 2. & 5. supr.* de Curiosis, dixi aliquid ad *l. 4. sup. IDEM.*

(d) De Comitiuæ codicillis honorariis, vide & *l. vn. sup. de Comitib. vacantib. l. vn. infr. de oblat. equorum. l. 150. de Decurionibus. ID.*

(e) De Præsidatus codicillis honorariis, vide & *l. 3. sup. de honorar. codicillis*, *d. l. vn. inf. de oblat. equorum.* *IDEM.*

(f) De Rationalium codicillis honorariis, vide & *d. l. 3.* *ID.*

(g) Hinc & epistulæ Vicariorum, *l. 5. sup. de honor. codicill.* *IDEM.*

(h) De *Mansionib.* dictum ad *l. 4. supr. de Off. Rect. prouinc. & leg. 9. de annon. & tribut.* *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 536

DE CLABVLARI cursu, & de PROCVRATORIBVS seu MANCIPIBVS est hæc Valentiniani Sen. constitutio, quam ipsemet memorat altera constitutione sua ad eundem Mamertinum, *l. 26. infr.* De ipso primum clabulari cursu videndum est: Eius mentio fit *quatuor* insuper *legibus*, hoc *Codice*: puta Constantii *l. 2. & 5. sup. de Curiosis*: eiusdem Valentiniani *d. l. 26. inf. h. t.* Arcadii *l. 62. inf. h. t.* Eiusdemque meminit Ammianus Marcellinus *lib. 20. cap. 4.* in Constantii Imp. rebus gestis, *l. 22. Cod. Iust. eod. tit.* vbi tamen vulgo legitur, cursum *ambularem*. Et sic septem locis in vniuersum huius Cursus clabularis mentio fit, imo & octauo insuper, mox vt ostendam. Iam equidem ostendi, *ad l. 5. sup.* clabularem cursum & angarialem eundem fuisse. Sed tamen de hoc Clabulari cursu semel plene dicendum est.

Igitur, quod primo notandum, Cursus hic modo Clabularis vocatur, vt *l. 2. 5. sup. de Curiosis*: & *l. 22. Cod. Iust. de cursu publ.* & ab Ammiano Marcellino *l. c.* modo Clabularius, vt *hic*, & *l. 26.* & *l. 62. infr.* modo clabulare, *d. l. 2. sup. de Curiosis.* Hoc primum.

Secundo, vt Clabularis cursus in genere, cursus publici species fuit: quod ex omnibus locis illis constat, ita nominatim species fuit Cursus vehicularis. (a) Error enim est cuiusdam, qui clabularem cursum vehiculario opponit tanquam diuersum, quasi vehicula rhedas & birota complecteretur. Quod etsi fateor in *l. 17. sup.* ita alias inane est. Vt contrarius Græcorum error est *Basil. 56. tit. 17. cap. 28.* qui eundem cum Vehiculario faciunt, *ὁ διὰ τῶν ὀχημάτων δρόμος*, cum tantum distulerint hæc duo, vt genus & species. Vehicularis enim generalis appellatio est, quo comprehenditur clabularis cursus & rheda, &c.

Tertio igitur clabularis cursus & rhedæ seu quadrigæ, ceu sub eodem vehiculari cursu positæ, a se inuicem diserte separantur, *l. 5. sup. de Curiosis*: sic vt clabularis cursus tanquam minus aliquid opponatur rhedæ, *l. 2. sup. de Curiosis*, vbi quidem ad hanc rem vide.

Quarto, Veloci cursui diserte opponitur Clabularis, *l. 62. h. t.* vt mirer, virum doctum, Clabularem cursum, celerem & velocem interpretatum, de quo ad *d. l. 62.*

Nempe, (quod Quintum) Angariæ in cursu Clabulari fuerunt, vt docet *d. l. 5. sup. de Curiosis*: seu Angariæ & cursus Clabularis idem fuit, tardigradus quippe protelo boum trahebatur, & quidem

---

(a) HENRICVS CHRIST. HENNINIVS *not. ad Bergier. Lib. IV. 4. §. a. pag. 731. 732.* Nomina rei cursualis hæc fere reperiuntur: *Δημόσιος δρόμος* passim apud Græcos ICC. & Scriptores: *Cursus l. 16. Discursus d. l. C. Th. de Curs. publ.* *Cursus Publicus* passim, quia publico sumptu fiebat: *Euectio κατὰ μετωνυμίαν* adiuncti pro subiecto, *L. 3. C. Th. de C. P.* *Cursus Vehicularis*, siue *vehicularius*, *Munus vehicularium*, *Res vehicularia*, *vehicula publica*, *Vehiculatio* in *Num. Neruæ*, *κατὰ συνεκδοχὴν* speciei pro genere, quæ tum in vtroque *Cod. Iust.* & *Th.* tum apud *Hist. Aug.* Scriptores subinde occurrunt promiscue vsurpata, vt vult Ill. Spanhemius *de P. N. dissert. 9. pag. m. 800. & 803.* & adeo taxat Iacob. Gothofredum ad *l. 5. C. Th.* qui dixerat; *falli eos, qui vehicularem cursum æque generalem ac cursus publici appellationem putant*, nec enim *illo Vehiculari* comprehendi *Veredos*. cum tamen *ad d. l.* idem Gothofredus immemor huius notationis dixerit *in L. 8. §. 1. D. de Mun. & Hon.* per *Munera rei vehicularia* designari *onus* Cursus Publici; & *ad d. l.* ex Suetonio *cursus publici* seu *vehicularis* auctorem faciat Augustum, qui tamen etiam *Veredos* disposuerit. Non possum accedere summo viro; nam si mei iudicii res foret, in locis *Hist. Aug.* & in *Numm. Neruæ* & alias, vbi legi *τὸ vehiculare*, possem commode explicare, speciatim intelligi *Cursum vehicularem*, non *veredos*. dein esto, fieri aliquando significationem vocabuli potioris generalem, ergone *κατ' ἐξοχὴν* debet a Doctoribus vehicularis cursum veredario, velox cum tardigrado confundi? In eo memoriæ lapsu, quem notat, putem ipsi Ill. Spanhemio memoriam non satis fidelem fuisse. non enim *l. l.* Gothofredus *d. l. 8. §. 1.* sed *l. 18. vlt. §. 21. d. t.* ex Arcadio ICto diserte laudat, quæ ait, *Patrimoniis siue Possessionibus munera indici, veluti agminales equos vel mulas, & angarias, atque veredos*, quæ reuera sunt onera *cursus publici*. Augustum vero *veredos* etiam instituisse, nec Suetonius nec ex eo Gothofredus dixit. Saltem res est dubia & lis sub iudice. *Cursus publicus* sub Augusto postea fuit *vehicularis*, sed inde non sequitur, ergo & deinceps *vehiculari cursu κατ' ἐξοχὴν* comprehensos etiam veredos. Verum pergamus: Cursus dicitur etiam *cursus fiscalis*, a Fisco Principis, ad quem relatus erat ab Hadriano, *Spartian. Hadrian. 7.* vbi forte non male Iuretus *hoc τῷ statim* legit: *statum cursum fiscalem instituit.* Speciatim vero *Cursus*, est vel *velox*, *l. 62. C. Th. de Curs. Publ.* Ammiano XXI. 9. p. 228. *Mutatio Celeris Cursus Publici*, Paulino *de Vit. S. Martini l. IV.* *Velox Euectio*; vel Tardigradus, *Cursus Clabicularis*, *Clabularis*, *Clauularis*, *Clabularius*, vel *ἁπλῶς Clabulare*, hinc inde in *C. T.* & apud Ammianum, quod etiam *Angaria* dicitur, vt putat Iac. Gothofredus in *Paratitl. ad tit. C. T. de C. P.* Tu conser, vt videas non male hoc coniici, *L. 5. C. Th. de Curios.* cum *L. 11. C. Th. de C. P.* Deinde *Cursus* fit vel *Veredis*, *Equis Agminalibus*, *Parauerodis*, vel *Vehiculis*. *Cursu vehiculari*, vel *Clabulari*, *Angariis*, *Parangariis*. vnde in cursuali re distincte appellantur: *Veredaria functio*, *Veredarii*: *vehicula subiunctoria*, *Rheda cursuales*, *Vehicula*, *Vehicula publica*, *Subuectio vehiculorum*, item *Carpenta*, *Carpentum rheda*, *Quadriga*, *Flagellum*, *τετράκυκλα* Synonyma, *Carrus*, *Birota*, *Birotam*; *Clabula*, *Angarialis copia*, *Angariarum cursus.* Vid. Iac. Gothofred. *in d. paratit.* vel *Nauibus*, *Dromonibus*, (vnde passim in Cassiodori *Variis*, *Dromonarii*,) *Celocibus.* Vide Bergier. *Lib. IV. Sect. 44. § 3.* Notandum quoque est, in Cursu, qui Status, dispositis mutationibus & mansionibus, ad viam militarem ordinarius est, haberi & dici *Equos Cursuales*, *Veredos*, *Parhippos*, siue *Equos Auertarios*, *Vehicula publica*, *Angarias*: at vbi quidem Via est publica, sed ad quam non est status cursus publicus, aut vbi de Via militari, in qua est Cursus publicus, in aliam viam militarem & publicam vbi non erat cursus, diuertendum erat, ibi exigi & dici *Agminales* & *Parangarias*. Hæc omnino notanda sunt & distinguenda, alias cum Pancirollo, Gutherio & Bergierio in plurimis rei Cursualis itineribus a via aberrabimus ad senticeta.

dem duorum parium boum: de quibus Angariis dixi *ad l. 4. sup. h. t.* cum rhedæ, vt discere est ex *l. 8. sup. h. t.* octo vel decem etiam mulæ iungerentur ad velocem cursum explendum.

Hinc adeo (quod Sextum) familiis & charitatibus transmittendis hic cursus omnium humanissimus indultus, quod præter *l. 4. h. t.* ostendit Iuliani factum apud Ammianum Marcellinum *lib. 20. cap. 4.* qui, cum conquesti fuissent milites, e Galliis ad Orbis terrarum extremum in Orientem se abstrahi, charitatibus domi relictis, *rationabiles eorum querelas contemplans, cum familiis eos, ad Orientem proficisci præcepit, clauularis cursus facultate permissa.*

Ad hunc cursum clabularem, (quod Septimum) Prouinciales animalia præbuisse (seu boues) docet *lex 2. 5. sup. de Curiosis: l. 22. C. Iust. de cursu publico.* Vnde & rapinarum ex eo leges, de qua *d. l. 2.* mox animalia his e fisco præbebantur *hac l.*

Hinc & (quod Octauum) dictæ Clauulariæ regiones, id est, stationes, quas modo restituo, *l. 34. inf.*

Tandem vt grauis nimium abolitus hic Cursus a Leone Imperatore in tractu Orientali, aliisque quarundam aliarum regionum ciuitatibus, exceptis tantum tribus casibus, ad transitum Militum, Armorum, Legatorum, *d. l. 22. Cod. Iust.*

De nominis huius ratione quærunt Docti. Est qui a κλεῖτα deducit: quæ κωλόβαθρον alias apud Suidam, id est, membrorum sedes. Est qui a *Clauis*, quibus confixum vndique erat. Quod non probo. Malim a *claua*; seu *clauula*, quæ est talea, Varrone *lib. 1. de re rustica cap. 40.* teste: & ex eo Nonio Marcello *de propriet. Sermon. c. 4. num. 473. edit. Gothofr.* vel ramos ex arbore decisus. Nempe Clauulare nihil aliud fuit quam vehiculum seu Currus onerarius non affabre factus: non quales rhedæ, aut carpenta, seu δίφρα, aut honoratorum vehicula, de quibus *suo titulo inf.* verum ex clauulis nudis, taleis, præsegminibus lignorum constans: *vn charret à boeufs*, quales in opere rustico hodie. (a) Huic cursui Clabulari peculiares quidam præsederunt, vt docet *lex 2. sup. de Curiosis:* seu peculiares Mancipes fuerunt, *l. 26. h. t.* Qui *hac l.* procuratores dicuntur. De quibus Valentinianus Sen. sex *hac l.* constituit.

I. Ex *quorum hominum genere* hi Procuratores eligendi sint? Nempe ex iis, qui honorariis codicillis Comitum, vel Præsidum, vel Rationalium impetratis a ciuilibus publicis officiis immunitatem impetrarunt: de quibus dictum *sup. tit. de honor. codicillis*, aliisque locis: Scilicet his imposita nonnulla munia velut exactiones, vt docet *lex 3. sup. de honor. codicill. lex 2. inf. de Medicis: lex 1. sup. de Primicerio & Notariis.* Hoc exemplo, aliis licet muneribus vacui ad procurationem Clabularii cursus *hac l.* vocantur. Verum cum postea hi non sufficerent, idem Valentinianus Curiales ad hoc munus quoque vocari voluit *l. 26. inf.* Postea ex officio seu Officialibus Iudicum procuratores hos sumptos ex consuetudine, docebit *lex* Gratiani 34. *infr.*

II. Excipit tamen ab hoc numero Valentinianus duo hominum genera, quos etsi honorariis codicillis ornatos, a Procuratione Cursus publici immunes esse voluit. Primo quidem eos, qui *Legati* e prouinciis ad Principem destinati, honorarios codicillos ab ipso impetrarunt. Nempe peculiaris hac parte ratio habita Legatorum præ aliis, qui honorarios Codicillos meruissent, vt præter hanc *legem* docent insuper tres aliæ *leges*, puta Constantini M. *lex 1. sup. de honor. codicill.* & Constantii *lex 25. & 36. inf. de Decurionib.* Secundo excipiuntur, qui Palatinis officiis emeritis, missione donati sunt: de quo priuilegio Palatinorum fuit *supra* peculiaris *titulus,*

(a) HENR. CHRIST. HENNINIVS *not. ad Bergier. IV. 4. §. 4. p. 734.* Hæc Iacob. Gothofredi, silens indicem, fere transscripsit candidissimus alias Zieglerus *de Iur. Maj. II. 18. §. 6.* retento etiam vitio typographico *in edit. prior. τῷ cursus onerariis, ἀντὶ τῷ currus.*

IDEM *not. ad lib. IV. 10. §. 9. pag. 746. 747.* Cursus hic audit, in *L. 2. & l. 5. C. Th. de Curios. l. 22. Cod. de C. P.* Clabularis, Clabularius in *L. 13. & 26. & 62. C. Th. de C. P.* Clabulare *d. l. 2. C. Th. de Cur.* fuit autem *cursus publici*, & quidem *vehicularis* species, diuersa a rhedis & quadrigis, *d. l. 5. C. Th. de Cur.* tanquam minor & ignobilior *arg. d. l. 2. d. t. C. T.* vnde diserte, *veloci cursui* opponitur *d. l. 62. C. Th. de C. P.* inque *clabulari* erant *angariæ singulæ, d. l. 5. C. Th. de Curios.* scilicet *duo paria boum*, quibus *clabula* trahebantur *arg. l. 11. C. Th. de C. P.* ita tamen, vt *ægris* (vel militibus Ammian. *ll.* vel forte iis, qui castrensibus muniis in palatio defuncti & absoluti domum redibant post labores) concederentur *duæ angariæ, d. l. 11.* indultumque hoc *Clabulare* maxime transmittendis familiis, necessitatibus & caritatibus, & eiusmodi hominibus, qui præcipitem cursum non ferunt, sed minutis atque lentis itineribus transferri volunt Ammianus *ll. & l. 4. C. Th. de C. P. l. 5. C. T. de Cur.* Prouinciales vero ad *Clabulare* præbuerunt boues *arg. d. l. 2. & 5. C. Th. de Cur. l. 22. C. Th. de C. P.* non tamen aratorios, qui excepti *l. 1. C. Th. d. t.* hinc rapinis obnoxii: *d. l. 2.* sed bubus tamen alimenta suggerebat fiscus *d. l. 23. C. Th. de C. P.* vnde *clabularias regiones* seu *stationes* restituit Iac. Gothofredus *in l. 34. d. t.* quibus præerant peculiares mancipes, *arg. d. l. 2. C. Th. de Cur.* coll. *l. 26. C. Th. de C. P.* siue procuratores *d. l. 23. de C. P.* tandem *clabulare* hoc abolitum, ob nimium onus prouincialium, in tractu Orientali aliisque quarundam aliarum regionum ciuitatibus, a Leone Imp. *l. 22. C. de Curs. Publ.* (vbi rectius leges *cursum clabularem* quam voce nihili *ambularem*) excepto tamen *transitu militum, armorum, legatorum, d. l.* cum PF. P. animalium dominis, qui ea solent accepta mercede locare, pensionem præbere debebat. Ex his clarissime apparet, errare illos, qui *Clabularium* vehiculari cursui opponunt, vt omnino diuersum: errare & in contrario Græcos *Basil. 56. tit. 17. c. 22.* qui eundem cum vehiculari faciunt, reddentes τὸν διὰ τῶν ἀχημάτων δρόμον, cum differant, vt genus & species. errare plane Gutherium *de Off. D. A. III. 15.* cum ἐξυνάρως *clabularem cursum* facit celerem & velocem, solisque militibus, armis, legatis permissum. errare illos, qui putant *agrorum tantum militum causa* permissum fuisse Clauularem cursum. errare Marcell Donatum *ad Spartian. Hadrian. cap. 7.* cum *Clauicularium cursum* ait fuisse eum, qui nauibus fit, sic dictum a *clauo*, quo naues reguntur. errare Anton. Perezium *ad Cod. h. t. de C. P.* cum mauult legere *Caballarem cursum* quia *Caballationis mentio* fiat in *L. 14. C. de erog. milit. ann.* quæ videtur munus fuisse alendi equos publicos, vel pecunia, quæ ad id præstabatur. breuiter, errare illos, qui alia dicunt, atque hic idoneis testibus vides probata. Porro ad animalia publica refer & *Camelos*, præcipue per Orientem, de quibus vide Procopium *in Anecdot. sub fin.* ad quorum vsum respicere videntur, quæ de *Καμηλασίᾳ, Camelariis, alimentis Camelorum* leguntur in *L. 1. §. 2. l. 18. §. 11. D. de Mun. & Hon.* item de *Camelasio* apud Ammian. Marcellin. *XVII. 2. p. m. 108.* & de καμήλων φροντισταῖς ap. Eusebium *de Mart. Palæst. n. 112.* Lamprid. de Alexandro Seuero expeditionem faciente *c. 47. p. m. 436.* ait, quod milites *mulis* atque *camelis* adiuuerit. adde Cuiac. *Obseruat. IX. 9.* & Turneb *Aduersar. XXI. 28.*

Vide etiam dicta de *Clabulari Cursu* a CL. SALMASIO *ad Spartiani Hadrian. c. 7.* & ad *Capitolini Anton. Pium c. 12.* SCHEFFERO *de Re Vehiculari* l. 7. *p.* 64. VALESIO *ad Ammian. XX. 4.*

tulus, *de priuilegiis eorum qui in S. Palatio milit.* vbi consule *Paratitlon*.

III. Conlocationem procuratorum istorum arbitrio Præfecti Prætorio remittit Valentinianus, vtrum videlicet *in singulis mansionibus* illi constitui, præfici, collocari, locari debeant; an vero *longius*, id est pluribus isti præstitui debeant. Ergo plurium mansionum procurationem vnus idemque habere potuit. Et tamen Honorius Imperator per stationes singulas, idoneos Mancipes conlocari voluit, *l. 65. inf.*

IV. Pœnam his minatur, si quid in cursu clabulari neglectum, vel secus gestum fuerit: Deinque ad eorum crimen & inuidiam id omne referendum.

V. Temporia quoque definitionem, quo quisque procurator officio hoc fungi debeat, eiusdem Præfecti Prætorio arbitrio remittit.

VI. Et Postremo officium eorum instruit: nempe geminum, puta vt Euectiones commeatitium exactissime inspiciant, ne videlicet Angariarum modum quis egrediatur ex cursu Clabulari: quo pertinet etiam *lex 5. 6. sup. de Curiosis*. Item vt animalia bene habeantur, seu vt alimenta e fisco his suggerantur, scilicet pabula in ipsis mutationibus & mansionibus erant, quæ animalibus præstabantur, vt docet hæc *lex*, & *lex 60. 64. inf.* & *l. 9. infr. de annona & tributis*. Eodemque pertinet Symmachi locus, *lib. 2. ep. 27*. Quæ scilicet partim eo conferebantur a priuatis. Quinimo ex Cassiodoro discimus certa terrarum spatia huic rei affectata mutationibus *I. Var. 29*. P.559.

De ANIMALIBVS *ad certam cursus publici speciem deputatis, ad aliam non vsurpandis.*

XXIV. (a) Iidem AA, ad Buleforum (b) Consularem Campaniæ.

NONNVLLOS id agere compertum est, vt si forte defecta (c) fuerint animalia (d) quæ vehiculis deputata sunt, veredorum numerum, qui alteri seruiunt necessitati, ad redas quibus vtuntur vsurpent. Hanc licentiam per mancipes (e) locorum omnifariam prohiberi conueniet, vt si quis extiterit, qui formam nostræ sanctionis excedat, cuiuscumque fuerit dignitatis, tamdiu resistere (f) ac residere cogatur, quamdiu animalia, quibus iter peragat, reuertantur. Dat. IX. Kal. April. Med. Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Bul-foro* huic Consulari Campaniæ inscribitur quoque anno superiore 364. *lex vn. inf. quorum vsus interdictus*: & *lex .. inf quibus equor. vsus.* quæ inter se coniungendæ sunt. IDEM.

(c) *Defecta.* Quod equidem probo. An autem *defecta fuerint*, pro deficiant? An eo sensu, quo alias *defecta prædia* pro desertis fœneis & inutilibus, *l. 3. 12. de censitor. l. 3. de indulg. debitor. l. 31. de annon. & tribut.* & *l. 11. § 1. D. de Vsur. defecta nomina*, & *vires defectæ*, Saluiano. Similiter igitur *defecta*, id est, iam cursui inutilia. Prior interpretatio videatur cui amplectenda, propter ea quæ fin. leg. dicuntur. IDEM.

(d) Puta boues, mulæ. IDEM.

(e) De *Mancipibus* Cursus publici, vide *Paratitlon*. IDEM.

(f) *Resistere*, pro Residere: sic & *l. 28. sup. de erog. milit. annon.* IDEM.

COMMENTARIVS.

ALIOS IN VSVS animalia Cursus publici, quam cui destinata sunt, traduci vetat *hac l.* Valentinianus Sen. Exempli gratia, si quis Vehicularis cursus copiam habeat, & Euectionem, nullum vero animal, bos forte, aut mula, (nam vehiculis, rhedis inquam angariis hæc aptari solita ostendunt *lex 1. & 8. sup.*) in mansione seu in mutatione in præsenti sit, vtpote iis iam alio abductis, vult Valentinianus, reditum animalium ab eo expectari: non vero *Veredos*, seu equos (qui alteri necessitati vehendis scilicet hominibus seruiunt) vehiculis aptari. Quorum vehiculorum maior & vacans sæpe numerus erat, quam quibus eodem tempore, seu simul subuehendis animalia sufficientia in mutationibus haberentur. Ergo cursum veredarium & vehicularem commisceri noluit Valentinianus: aptatis forte veredis, seu equis ad vehicula, qui hominibus gestandis destinati essent. Cuius rei ratio in aperto satis est: Nempe, veredos gerendis hominibus destinatos, si vehiculis aptentur, de gradu suo decedere, atterique necesse est, & paulatim βαδίζειν dediscunt, & inutiles redduntur.

EXERRARE *quingentis passibus ab itinere solito non licere cursu publico vtenti.*

XXV. (a) Iidem AA. ad Symmachum (b) Correctorem Lucaniæ & Brittiorum.

COMPERTVM est, vsurpatione quorundam in publici cursus damna grassante, ab itinere solito deuiari: Proinde, si * quis iter faciens, cuiuscumque dignitatis fuerit mili-

militans, (c) ab itinere recto deuerterit quingentis passibus, pœna in eum competens proferatur, & ad nostram scientiam referatur. Dat. VIII. Kal. April. Med. Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365].

NOTAE.

(a) Abest principium *huius l.* a *Cod. Iust.* velut historicum. GOTHOFREDVS.

(b) Symmachus hic ille est, cuius epistolas habemus, cuius vitam olim breuiter concinnaui. IDEM.

* *Lex 5. Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata est, plurimis resectis. ID.

(c) *Cuiuscumque dignitatis vel militiæ ab itinere recto diuerterit, pœna in eum competens proferatur.* Cod. Iust. RITTER.

COMMENTARIVS.

ITINERE ALIO quam solito deflectenti, exerranti, excedenti, qui cursu publico vtitur, cuiuscumque Dignitatis is sit, quingentis saltem passibus; pœnam comminatur *hac l.* Valentinianus Sen. in eum quoque finem de deuiante ad se referri iubens. Nempe quia & ita cursum publicum fatigatum compererat, ideo hac inter alias ratione Valentinianus
P. 539 Cursui publico mederi instituit: Sic sane Tribonianus in *l. 2. Cod. Iust. eod. tit.* (quæ alioquin interpolata est ex *leg. 3. supr.*) per aliam viam eundi facultatem, nisi per quam cursus publicus state dignoscitur vsurpare vetat. Sic, sed alia iam ratione, Iudices diuerticula delitiosa sectari vetantur, *l. 4. de off. Rect. prouinc.* Et milites exerrare, *l. 10. sup. de metatis*: Sic & Nauicularii, vid. *l. 33. inf. de Naucul.* Cæterum (quod singulare, tamen *Cod. Iust.* omissum est) hoc casu exerratio seu excessus *quingentis passibus*, id est dimidio miliario æstimandus venit, plectendusque adeo, qui hoc spatio exorbitat, quoque errone proinde habetur: Paulo scilicet diuerticulo exerrare licitum, visendis forte charitatibus, atque officio alicui explicando, verum non excedere ad 500. vsque passus, vel vltra. Quod alio traduci possit, alia tamen atque alia ratione, cuiusmodi exemplum est eius, qui quod equo, cuius vsus illi vsque ad Ariciam commodatus fuerat, vlteriore municipii cliuo vectus fuerat, furti damnatus ob hunc minimum excessum: quod memorat Valer. Maxim. *lib. 8. c. 2. §. vlt.*

Ad CLABVLARII *cursus procurationem siue* MANCIPATVM, *Curiales in subsidium vocandos.*

XXVI. (a) Iidem AA. ad Mamertinum PP. ö. (b)

CVRSVS mancipes (c) clabularii ex quo (d) genere hominum debeant ordinari apertissima Lege + decreuimus; Quorum si prædictæ numerus functioni non potuerit occurrere; (e) Curiales ad hoc munus sunt vocandi. Dat. VI. Kal. Mai. Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Mamertinus* sub Valentiniano Sen. PP. Italiæ, Illyrici, Africæ, vid. *Prosop.* ID.

(c) Procuratores, *l. 21. sup.* ID.

(d) Honorariis Codicillis ornatorum, *d. l. 23.* ID.

+ *Legem suam* 23. intelligit. ID.

(e) *Occurrere*, pro concurrere, sufficere. ID.

COMMENTARIVS.

LEGEM suam 23. *sup. hac l.* Valentinianus Senior ita firmatum it, vt tamen ei quid addat; nempe vt non sufficientibus iis, quos *ea l.* ad Procurationem cursus clabularii eligi voluerit, puta iis qui honorariis codicillis Comitum, Præsidum vel Rationalium decorati fuerunt, Curiales ad hoc munus vocentur. Proculdubio id suggestionem eiusdem Mamertini Præfecti Prætorio, cui vtique hæc *lex* inscribitur, & cuius arbitrio plerasque *ea l.* commiserat, an quod is didicisset illos huic rei non suffecturos.

Interim notandum e Curialibus mancipes cursus assumptos saltem in subsidium: quod etiam docet *lex 35. 51. inf.* cum alias e Curialibus non adsumerentur, etiam ex *alia* Gratiani *l. 34.*

De PARHIPPIS *pluribus non dimittendis: de* TEMPORE *euectione comprehenso non egrediendo; neminique sine* EVECTIONE *cursu publico tribuendo.*

XXVII. (a) Iidem AA. ad Fortunatum Consularem Panno- niæ Secundæ. (b)

NEQVE plures parhippos dimittendos, nec emensis euectionibus dandam commeandi cuiquam facultatem, Grauitas Tua cognoscat. In eo autem ne admonitio-

nitionem quidem adhibendam putamus, vt a nullo omnino cursus publicus sine euectionis auctoritate moueatur. Dat. V. Kalend. Iun. Med. Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFRED.*

(b) De *Pannonia secunda*, vide Ammianum Marcellinum *lib.* 15. c. 3. *lib.* 21. *c.* 16. Optatum, Notitiam Prouinciarum, Indicem Schonhouianum *fol.* 79. *edit. Cellar.* Notitiam Imperii *fol.* 114. *leg.* 6. *de Veteran.* Pancirollum *Comment. ad Notit. Imp. fol.* 152. *ID.*

COMMENTARIVS.

TRIA capita *hac l.* continentur. *Primum*, ne plures PARHIPPI dimittantur *h. l.* & *l.* 40. *inf.* & *l.* 2. *inf. de Tractoriis*: id est, vt ne iudex permittat ab vno plus quam vnum Parhippum moueri. Quid *Parhippus* sit? ostensum est prolixe ad *l.* 14. *sup.* Sane hinc fit, quod etiam Iulianus diserte Cursus publici copiam nonnullis faciens, vnius Parhippi meminit: vt, *ep.* 20. *ad Eustochium*, ἄξει δὲ σε ὁ δημόσιος δρόμος, ὀχήματι χρώμενον, ἑνὶ (ita enim locus ille interpungendus) καὶ παρίππῳ: *Ducet autem te publicus cursus, vno vehiculo & parhippo*, & *ep.* 31. *ad Aetium Episc.* χρήσῃ δὲ ὀχήματι δημοσίῳ μέχρι τοῦ στρατοπέδου τοῦ ἐμοῦ
P. 559 id est vsque ad comitatum nostrum) καὶ ἑνὶ παρίππῳ. *Vteris autem vehiculo publico vsque ad nostrum comitatum, & vno parhippo.* Hinc & signare idem Valentinianus *l.* 29. *infr.* *Hi tantum parhippum præsumant, quibus nos ipsi in Euectione quam facimus veredum cum parhippo tribui iusserimus.* Sed & Theodosius M. *l.* 49. *Quatuor*, inquit, *veredos cum parhippo.* Quare huius *legis* sententia hic videtur: Vt maxime Princeps plures parhippos Euectione seu adnotatione sua concessisset; attamen Rectorem prouinciæ non plures quam vnum tantum dimittere oportere. Ita nonnisi duas Angarias mouere licuit, *l.* 11. *sup.*

Secundum caput *huius leg.* respicit *Tempus*: Nempe, tempore emenso quod Euectione continetur, Cursus publici copiam concedi cuiquam vetat. Vnde apparet, tempus ad quod vsque, alicui commeanti, cursum Publicum Princeps dari vellet, adscribi solitum.

Tertio capite illud admonet, quod nec admonitione egere putat, nemini sine euectione Cursum publicum vsurpare licere. Id enim decantatum, & aliis *legibus* constantissimum est: vide *l.* 8. 22. *sup.* *l.* 57. *inf.*

De PONDERE, *seu* ONERE *Redæ, Angariæ, Veredi.*

XXVIII. (a) Iidem AA. ad Probum PP. (b)

QVOD iam Gallis (c) prodest, ad Illyricum (d) etiam Italiæque regiones conuenit redundare; vt non amplius reda quam mille pondo subuectet, & angariæ mille quingenta sufficiat, (e) veredo vltra triginta nullus imponat. Directa v. Kalend. Ian. Sirmio Valentiniano & Valente AA. (f) CONSS.

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Illyrici & Italiæ, vt vel ex ipsa *leg.* patet. Sane Probus hic diserte PP. *Illyrici* vocatur *l. vn. inf. ne damna prouincial.* verum de hoc plene ad *l.* 7. *inf. de metallis.* *IDEM.*

(c) Malim *Gallis*, id est *Galliis*: & intelligit vt puto, *legem* 17. *sup.* *ID.*

(d) Illyricum indistincte, Orientale, Occidentale, de quo ad *d. l.* 7. *ID.*

(e) *Sufficiant.* *IDEM.*

(f) *II. Coss.* id est A. D. 368. quo *hanc leg.* refero, pariter vt *l. vn. ne damna prouinc.* *ID.*

COMMENTARIVS.

MENSVRAM ONERIS, seu ponderis modum, qui Redæ, Angariæ, Veredo, ne animalia plus nimio prægrauentur, definit *hac l.* Valentinianus Sen. pariter vt Constantius *l.* 8. *sup.* & ipsemet Valentinianus iam antea *l.* 17. *sup.* & Tertia postea *l.* 30. *infr.* Theodosius M. quarta & quinta, *l.* 47. 48. *inf.* Et quidem ita, vt quod iam proderat Gallis, (nam ita hic legam, vel saltem malim:) id est, iam obtinebat per Gallias, ex sua constitutione, puta *l.* 17. *sup.* id nunc ad Illyricum & Italiæ regiones (quorum Præfecto Prætorio *Probo* hæc *lex* inscribitur) porrigat. Quod etiam inibi a Constantio aliquando constitutum fuerat constitutione sua ad *Taurum PP. Italiæ*: *l.* 8. *sup.* Verum procul dubio corruerat sub extremis Constantii, quibus Cursum publicum attritum valde fuisse ad Iuliani *leges* ostendimus. Quod ipsum oneris, seu ponderis definitionem attinet, de ea affatim dictum semel ad *d. l.* 8. *sup.* Tandem ex hac singulari *lege* discimus, vni Præfecto Prætorio Illyricum & Italiam paruisse, de quo alibi plene: & Illyricum quidem, in quo Sirmium: vbi vel ad quod *directa* hæc *lex* dicitur in *subscriptione*, quomodo & alias *proposita* ibi *leges* quæ ad hunc Præfectum datæ, vt docet *lex* 1. *de Testimoniali*, & *lex* 18. *de opersb. publ.* vel quod idem valet, *Data*, id est, redditæ: videatur *Geograph. nostra in Notitia vrbis Romæ.*

PARHIP-

PARHIPPVM *quis exigere posſit.*

XXIX. (a) Iidem (b) AA. ad Domnum Conſularem Siciliæ.

HI tantum parhippum præſumant, quibus nos ipſi, in euectione quam facimus, *Veredum cum parhippo* tribui iuſſerimus. Si quis vero citra noſtræ adnotationis indultum id licenter exegerit, ſeueriſſimæ ſubiaceat vltioni. Dat. IV. Non. Decembr. Triueris, Poſt (c) Conſſ. Lupicini & Iouini VV. CC. [368.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFREDVS.*

(b) Imo VALENTINIANVS *Valens & Gratianus AAA.* iam enim Gratianus in Imperium adſcitus fuerat. *IDEM.*

(c) Vel quid deeſt, vel quid ſupereſt in hac ſubſcriptione; vel inquam intercidit dies Acceptæ *huius leg.* vel ſane tollendum *Poſt.* Nam cur IV. Nonas Decembr. anni 368. (quo ſane Valentinianus & Valens II. Coss. fuerunt) adſignaretur ita Conſulatus, *Poſt* Coss. *Lupicini & Iouini. ID.* Ad *annum ſuperiorem* referre mauult hanc legem noſter in *Chronologia*, quam vide. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

P. 540 PARHIPPVM (de quo ad *l. 14. ſup.*) exigi a quoquam vetat *hac l.* Valentinianus Senior, niſi eum nominatim Princeps Euectione conceſſerit, vel vt ipſe ait, niſi in Euectione quam facit, tribui iubeat, *Veredum cum parhippo.* Vt ſane fieri a Principibus ſolitum oſtendi ad *leg. 27.* vbi ex *hac* quoque *leg.* & *l. 49.* demonſtraui: nonniſi vnum parhippum a Principibus concedi ſolitum: *Veredum*, inquit, *cum Parhippo.*

De MENSVRA *redarum, deque* PONDERE *quod redæ, Angariæ, Veredo imponi poteſt.*

XXX. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Viuentium PP. Ĝ. (b)

PERSPICVE ſanxeramus, + vt in carpentis redarum menſuram ſubditam nullus excederet, & nemo amplius redæ, quam mille pondo; angariæ, quam mille quingenta; veredo, quam triginta (c) auderet imponere. Ideoque ad Inl. Magiſtros Equitum & Peditum ſcripta porreximus, vt per loca, quæ huiuſcemodi obſeruationis excubiis munienda ſunt, ſollicitos Protectores (d) diligenteſque conſtituant, quo idem (e) & menſuram vehiculorum & vim onerum ſemper inſpiciant, nihilque fieri contra hæc iura patiantur. Quinetiam, quotieſcunque aliquis fuerit inuentus exceſſiſſe Legem, vel vehiculi inormitate (f) vel ponderis, quemlibet locum (g) quamcumque ille protulerit (h) dignitatem, quidquid vltra menſuram eſſe conſtiterit, apud ſe Protector qui inſolentiam deprehenderit retentabit, donec ſuper eo qui interdicta contempſerit ad Clementiam Noſtram relatio dirigatur. Dat. IX. Kal. Octob. Valentiniano & Valente II. AA. CONSS. [368.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* *GOTHOFR.*

(b) *Viuentius* PP. ſub Valentiniano Sen. Galliarum ſcilicet, vt diſerte habet Inſcriptio *legis 4. inf. de Cenſu: l. 3. inf. de Relationibus*: & *l. 1. de fide, & iure haſta.* Eidemque & aliæ plures *leges* inſcribuntur. *IDEM.*

+ Ante quinquennium ferme, intelligit *legem* 17. *ſup.* cui ſimilis & *lex* 28. *ſup.* *ID.*

(c) *Trecenta* Salmaſius, *in Hiſt. Aug. ad Lamprid. Seuer. cap. 39.* male: *dixi* ad *l. 17. ſup.* *ID.*

(d) De *Protectoribus* vid. *ſuo tit.* *ID.*

(e) *Idem*, id eſt *iidem.* *IDEM.*

(f) Alias *enormitate*: vt *l. 17. ſup.* enormium vehiculorum. Verum Inorme & enorme olim promiſcue dictum. Vide exempla apud Salmaſ. *not. ad Spartian. Æl. Verum cap. 1.* quibus hoc deinceps addatur. *ID.*

(g) *Locus* pro ἀξία & officio, vid. *Gloſſ. Theod.* *ID.*

(h) Vel *pretulerit.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE MENSVRA redarum, deque PONDERE seu onere, quod Redæ, Angariæ, Veredo imponi poteſt, eſt hæc Tertia iam Valentiniani Imp. Conſtitutio, ad Viuentium PP. Galliarum ſcilicet data: duæ enim iam fuerunt, *lex 17.* & *28. ſup. h. t.* Et hac quidem id rurſum confirmat, quod ante perſpicue ſanxerat, vt hic diſerte profitetur. Idque per Galliam rurſum, quod & ipſum indicat *d. l. 28.* Singularia tantum ad huius rei obſeruantiam hic addita notentur.

Primo ait Valentinianus, ſeſe in id, ad *Magiſtros Equitum* & *Peditum* literas dediſſe, vt exploratores hanc ad rem locis idoneis ab his collocarentur. Quæ commiſſio ſeu delegatio extraordinaria hic notanda eſt: cum alioquin Curſus publici cura ad Magiſtratus ciuiles pertineret, ad Præfectos Prætorio inquam, Magiſtros officiorum, Rectores prouinciarum: de quo vide *leges* quas cumulo in *Paratitlo.* Nominatim vero hic Magiſtri Equitum & Peditum per Gallias obſeruandi, quorum multa mentio apud Ammianum Marcellinum, & in Notitia Imperii. Hac ſane tempeſtate, imo hoc ipſo quoque anno Amm. Marcellinus *lib. 27. cap. 10.* memorat diſerte Iouinum & Seuerum Magiſtros rei Caſtrenſis, ſeu Magiſtros Militum in Galliis; cui Iouino inſcribitur An. 367. *lex 9. 10. ſup. de re militari:* ac nominatim Seuerum Magiſtrum Peditum vocat Amm. Marcellinus *d. lib. 27. cap. 6.*

Secundo, *Protectores* hanc ad rem conſtitui iubet idem Imperator Valentinianus, a Magiſtris Equitum & Peditum: Protectores inquam, quorum nonnulli Armatam militiam gerebant, de quibus *ſup. ſuo tit. de Domeſticis & Protectorib.*

P.541 *Aduerſus* MINISTRORVM *curſus publici exactiones & concuſſiones.*

XXXI. (a) Idem AAA. ad Catafronium Vic. Ital.

NEc Mulionibus, (b) nec Carpentariis, (c) nec Mulomedicis curſui publico deputatis, mercedem a quoquam Sinceritas Tua fuerit (d) miniſtrari, cum, iuxta publicam diſpoſitionem, (e) annonas & veſtem, quam hiſdem credimus poſſe ſufficere, conſequantur: & cetera. Dat. XVIII. Kalend. Septemb. Triueris, Valentiniano & Valente III. AA. CONSS. [370.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda *huic*, eſt *lex 2. inf. ne opera a collatoribus*, vbi & de *Catafronio* diti. *GOTHOFRED.*

(b) De Mulionibus vide *l. 10. 14. ſup. l. 34. 53. inf. IDEM.*

(c) Opifices vehiculorum, *l. 17. ſup. ID.*

(d) *γρ. ſiuerit*, id eſt ſinat: minus enim amplector quod alius putabat, *faciat. ID.*

(e) *Diſpoſitionis* hac in re vox propria: vide *Gloſſ. IDEM.*

COMMENTARIVS.

MINISTRORVM, qui circa curſum publicum occupati erant, puta Mulionum, Carpentariorum (qui ſcilicet vehiculorum opifices erant) & Mulomedicorum deprædationi & rapinis occurrit *hac l.* Valentinianus Senior; Quæ quidem pars eſt prolixioris Conſtitutionis Valentinianeæ; vnde deſumpta eſt quoque *lex 2. infr. ne opera a conlat. exig.* quæ proinde *huic* coaſſanda venit; qua pariter iniuſtæ cuidam operarum exactioni occurſum it. Ergo cum Miniſtri illi tres a commeantibus aliquid exigere iam *mercedis* loco auderent, id prohiberi *hac l.* viſum Valentiniano: nempe quod hi iam annonas & veſtem ex publico ſufficientem conſequerentur. Quare concuſſionis genus id abolitum nunc it: vt ita integrum beneficium Principale conſtet ei citra concuſſionem, quem Euectionis beneficio mactate voluit.

De *Mulomedicis* interim hæc *lex* notanda venit: quorum mentio fit quoque *l. 2. inf. de excuſat. artificum.* Meminit & Firmicus *lib. 8. c. 13.* & extant Vegetii *libri quatuor Artis Veterinariæ* ſeu *Mulomedicinæ*, vbi memorat *in Præfat.* alios qui de *Mulomedicina* ſcripſere, Pelagonium, Columellam, Chironem, & Abſyrtum ſeu Apſirtum. Scripſit & Hierocles *Hippiatriam.* Extant hodie & Abſyrti, & Hieroclis, & Pelagonii *ἱππιατρικά*, aliique Veterinarii Authores Græci, in quibus & Theomneſtus. (a) Peculiares certe Mulomedici curſui publico depu-

(a) CAROL. DV FRESNE *Gloſſar. voc. Mulomedici.*

MVLOMEDICI, *medici equarii*, Valerio Maximo *l. 9. c. vlt. Qui herbis medelas pecoribus ægrotis aptiſſime componunt*, Firmico *lib. 8. c. 17.* Manilius *lib. 5.*

Ille tenet medicas artes ad membra ferorum.

Vetus gloſſarium: *Mulomedicus ἱππίατρος. mulicurius, ἡμιονόκομος.* Vegetius *lib. 1.* de Arte veterin in *Præfat. Mulomedicina doctrina, ab arte medicina non adeo in multis diſcrepat, ſed in multis plurimiſque conſentit.* Frodoardus *lib. 13.* Carm. 8.

Id capitur monacho ſimulati fraude ſubacto

Mulmedici &c.

Occurrit in *l. 31. de Curſu publico* &c. *l. 2. de Excuſat. Artif. Cod. Th.* apud eundem Firmicum *lib. 8. c. 13.* Gregorium M. *lib. 9. Dial. c. 30.* S. Audoënum in Vita S. Eligii *lib. II. 44.*

Hæc loca nihil dicunt, de eo, quod ſtatuit ſine auctore Bergierius *de Publ. & Mil. Imp. Rom. Viis IV. 13.*

deputati ex *hac l.* notentur, qui scilicet in mutationibus curam gerebant curandorum ibi animalium, aliorumque veterinorum cursui publico destinatorum. Notentur in vniuersum tria hæc ministeriorum genera in curandis ibi accurandisque animalibus & vehiculis; Mulionum scilicet, Carpentariorum, Mulomedicorum.

§. 10. *Mulomedicos* equis publicis *ferreas soleas adfixisse.* Hic & Cl. Henninius *in not.* incertum esse pronunciauit, num calcearint *Mulomedici* an vero *Muliones.* Certe ad posteriores retulit Suetonius *Vespasian. cap.* 23. *Mulionem in itinere quodam suspicatus ad calceandas mulas desiliisse.* Recte etiam idem Vir Doctus suspicatur, Bergierium deceptum a more nostrorum temporum, quo iidem fabri ferrarii, qui equos calceant, equorum quoque sunt *ἱππιατροί*.

SENATVI, *seu Senatus Legatis, ad Imp. proficiscentibus euectionum seu cursus publici copiam patere definit Valentinianus, duplicique argumento adstruit.*

XXXII. (a) Idem AAA. ad Ampelium. (b)

EVECTIONVM copiam Senatui, cum proficiscendi ad nos necessitas fuerit, Serenitas Nostra largita est: Nam si Adclamationibus Populi Romani nostri, aliisque antiquis & sollemnibus rebus, concessa iugitas (c) inlibata seruatur, Prouincialibus etiam, quando e re esse censerent, euectionum copia non negata est, vt ad nos sumpta euectione contendant, quanto magis huius arbitrii his facultas est deferenda, quos, collegii merito, videre frequentius cupimus. Dat. III. Id. Decemb. Triuet. Gratiano A. II. & Probo CONSS. [371.]

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod. Inst.* hinc in alium plane sensum interpolata est. Iungenda *huic* mihi videtur *lex* 10. *inf. de maleficis:* alterutrubi tamen die emendato. *GOTHOFR.*

(b) *Ampelius* P. V. Romæ scilicet, vt diserte docet Ammianus *lib.* 28. *cap.* 4. (in huius ipsius anni Gestis) & hoc ipso anno *lex* 3. *sup. de denunciat. l.* 1. *infr. de equis curulib. l.* 21. *infr. de Episcop. l.* 1. *sup. de natur. fil. l.* 10. *inf. de malef.* (quæ *huic* iungenda est) item anno proximo complures aliæ *leges. ID.*

(c) *Iugitas* pro copia cursus publici. Vid. *Glossar. ID.*

P.542

COMMENTARIVS.

SENATVI Vrbis Romæ, si quando scilicet *Legationem* ad Principem mittere velit, Euectionum seu cursus publici copiam simul & semel tribuit Valentinianus Sen. *hac l.* cui coassandam censeo *legem* 10. *inf. de Maleficis & Mathematicis;* (de quo mox plura) Idque Valentinianus constituere se ait duplici argumento. Primo quidem, argumento desumpto a *Populo Romano*, cuius hunc ego sensum puto: se populo Romano veterem morem iugiter seruare, quo adclamationes populi Romani, aliaque solemnia, puta nuncii ad se perferuntur medio cursus publici: multo magis sese inclamaturo & allocuturo se Senatui Euectionum copiam deferendam. Nempe quod ex Symmacho liquet diserte, *lib.* 10. *ep.* 37. & *eod. libr. ep.* 22. & 48. quicqoid acclamabatur Romæ a Populo Romano, id ad Principis notitiam illico referebatur, vehiculo publico. Imo & solennes alii populi actus. Ergo multo magis Senatui id concedi oportere, si quando proficiscendi ad se necessitas fuerit. Secundum argumentum est a *Prouincialibus* ad *Senatum*: nempe, quod etiam prouincialibus, si quando Legatos ad Principem mittere e re esse censeant, medio cursus publici vti liceat: id quod præter hanc *legem* docet quoque *lex* 6. (quæ & ipsa est Valentiniani biennio ante hanc *legem* data:) & *l.* 9. *infr. de Legatis, & decret. legat.* (vt omittam etiam Legatis Gentilium id datum, *l.* 9. *sup. de re milit.* & *l.* 57. *inf. hoc titulo:*) Inde iam a minori, a populo Romano inquam, & a Prouincialibus, ad maius, id est ad Senatum, argumentatur Valentinianus; multo magis huius arbitrii ius Senatui deferendum & Senatoriis Legatis, addita ratione: *Quos*, inquit, *collegii merito videre frequentius cupias:* quæ Tertia iam ratio est, nempe de Senatorum numero & collegio sese Principes subinde professi sunt; qua de re iam dixi ad *l.* 3. *ad leg. Cornel. de Sicar. c.* 13.

Ex dictis interim superius Tria notentur (imo Quatuor) hominum genera, qui suo arbitrio Cursum publicum vsurpare poterant; Legati inquam Populi Romani, Gentilium, Prouincialium, & Senatus Romani. Vnde iam patet, quam inepta interpolatione hanc *legem* corruperit Tribonianus, qui interpolata a se *huic legi* inque *Codicem* suum relatæ, hunc sensum aptauit, *Euectionum copiam patere Senatori euocato a Principe, & a se mox recedenti.* Cum hæc *lex* neque sit de peculiari Senatore aliquo, verum de totius Senatus Legatis; neque de euocatis a Principe, verum de proficiscentibus vltro ad Principem. Quanquam ipsemet Tribonianus sibimet aduersatur, cum *initio legis* de Senatu agat, eiusque mentionem seruet. Tanta fuit eius ἀβλεψία, vel potius securitas.

Illud ad intimum *huius l.* intellectum ex Historia addendum, hoc illud tempus esse, quo Senatus Romanus sæuiente in se supra modum *Maximino* Vicario Vrbis Romæ, atque efferato Principe, Ampelio etiam P. V. cui hæc *lex* inscribitur, cognitionem præbente, mox & Senatui negotio dato, Senatus frequentibus legationibus Principem adiit, malis remedia postulaturus: cuius rei historiam exequitur

tur Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 1.* & ipse eam exequor ad *d. l. 9. 10. inf. de maleficis:* quarum postrema *huic l.* mihi coaſſanda videtur. Cumque omnia circumſpicio, ſimulationis omnia plena hic puto, ſiue a parte Ampelii P. V. qui querelas ad Principem peruenire voluerit, ſiue a parte Valentiniani, qui dum in Senatum ſæuiret, hoc ei ſimulachrum affectus obieciſſe videtur.

De VESTIBVS *militaribus, & earum Translatione: 1. deque* Euectionibus *in id: 2. & de* Loco *ad quem vſque transferendæ: 3. earundemque* Inſpectione *antequam mittantur.*

XXXIII. (a) Iidem AAA. ad Conſtantium. (b)

EVECTIONVM emittendarum, etiam per cæteras (c) prouincias, duntaxat in translationem veſtium (d) Tua Sinceritas (e) habeat facultatem, vt ſi forte in itinere Vicarius non fuerit, cum veſtes eædem transferuntur, tarditas nulla generetur: Certe, vbi idem Vicarius forte morabitur, aut dimittet (f) tuas, aut alias ipſe renouauit. (g) Et hoc quidem eo conſtituitur exemplo, quo aurum argentumque transfertur, in quo vtique nullum euectionibus tuis adfertur obſtaculum, quominus id quod tranſmiſſum fuerit, ad loca ſtatuta perueniat. Eædem autem veſtes militares vſque ad ea loca ſunt transferendæ, vbi ipſi milites ſunt conſtituti: *Neque* enim paulo *diuerticulo abducendi ſunt ab excubiis ſibi pro publica vtilitate commiſſis.* Tales igitur veſtes a prouinciis dirigantur, quæ priuſquam mouentur, inſpectione Grauitatis (h) Tuæ diſplicere non poſſint. Dat. VI. Id. Iul. Robore, (i) Gratiano A. III. & Equitio V.C CONSS. [374.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Inſt.* GOTHOFR.

(b) Rectorem prouinciæ alicuius, vt ex tota *lege* liquet: & quidem, vt nonnulla perſuadent, per *Gallias.* ID.

(c) Non tantum per prouinciam quam adminiſtras. ID.

(d) Militarium, vt ex *fine legis* liquet: de quibus *ſuo titulo ſup. lib. 7.* ID.

(e) *Tua Sinceritas*, ad Rectorem prouinciæ, *hac leg.* & *l. 8. ſup. de Iuriſd.* ad Præfectum Prætorio, *l. 35. infr. h. t.* & aliis: vid. *Gloſſ.* IDEM.

(f) *Dimittere* Euectiones; *Dimittendi* vox propria hic, ſic & *Naues dimitti* dicuntur ex portu ſeu littore, *l. 3. de litor. ſeu itin. cuſtod.* ID.

P. 543 (g) Pro *renouabit.* ID.

(h) *Tua Grauitas* ad Rectorem prouinciæ. ID.

(i) De hoc vide mox *Commentarium.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE VESTIVM Militarium (de quibus fuit *Titulus* peculiaris *lib. 7. ſup.*) translatione, eſt hæc Valentiniani Sen. Conſtitutio, qua Tria capita continentur: e quibus Tertium ab hoc Titulo alienum eſt. Primum pertinet ad eam quæſtionem, an & quatenus Curſum publicum, & Euectiones in id, emittere poſſit Rector prouinciæ? De ſua prouincia id equidem certum eſt, & vero *hac leg.* præſupponitur: Atenim id *hac leg.* quoque aſſeritur de cæteris prouinciis eiuſdem Diœceſeos: Nempe huiuſmodi Euectiones locum & vim habere, non in ea tantum prouincia quam Rector prouinciæ regit, verum etiam per cæteras prouincias vniuerſæ diœceſeos, ſcilicet illius in qua eſt illa prouincia. Quod vtique ſingulare eſt in hac ſpecie, vt Rectoris authoritas locum habeat extra prouinciam ſuam. Quare quod in conſequentiam ſubiicitur, ſi Vicarius (integræ Diœceſeos, quod ex *hac* quoque *ipſa leg.* intelligitur) in itinere non fuerit, ſine mora ad Euectionem Rectoris, veſtes Curſu publico transferri debent: ſi ſit, vel Euectiones Rectoris dimittere poſſit, vel alias renouare. Quod & ipſum ſingulare eſt, vt Vicarius vel alienæ Euectioni locum facere poſſit, vel ipſe nouam Euectionem dare queat. Et hæc de ſententia Primi capitis *huius leg.* eiuſque Ampliationibus.

Sequitur Ratiocinatio; Nempe id quod hac parte ſtatuitur, exemplo translationis auri & argenti firmatur, quod iam certum erat, nempe poſſe vtique hoc caſu Rectorem prouinciæ Euectiones facere: Auri ſcilicet atque argenti translationis hoc ſpeciale aliquando priuilegium fuit; quod in his neruus Reipubl. & Militiæ conſiſteret: verum id ad veſtes quoque Militares nunc porrigitur, in quibus non minus neruus Militiæ conſiſtit: Specierum ſcilicet harum largitionalium id priuilegium fuit, vtpote maxime neceſſariarum; Et in commune etiam aliquando ſpecierum quarumcunque largitionalium id priuilegium fuit, vt cum alias Vicarii, & Rectores, Euectionum faciendarum ius non haberent, hoc caſu haberent: *hac leg.* & *l. 13. 18. 20. ſup.* & *l. 40. infr.*

Secundo *huius leg.* capite definitur, ad quem vſque locum veſtes Militares transferendæ ſint? Nempe ad ea vſque loca vbi Milites ſunt conſtituti: Ratione addita, quod militem ab excubiis ſibi pro publica vtilitate commiſſis, ne paulo quidem diuerticulo abduci oporteat: quo ſpectant & varia alia iuris militaris conſtituta.

Poſtremo,

Postremo, inspici vestes diligenter a Iudice iubet, antequam dimittantur; num aptæ scilicet, & idoneæ militibus sint, neque aliæ mittantur. De qua specietum Militarium, annonæ, vestis, inspectione dixi ad *l. 28. sup. de erogat. mil. annon.* vid. & *Gloss Theod.* in verb. *Inspicere.*

Tandem singularis *huius leg.* subscriptio notanda venit, vbi dicitur ea Data *Robore*, vbi tum Valentinianus Sen. erat: cuius loci vnus præterea Ammianus Marcellinus meminit *lib. 30. cap. 3.* his ipsis Coss. (quod V. C. Lindenbrogius iam notauit,) *Gratianus*, inquit, *adscito in trabea societatem Æquitio Consule, Valentiniano post vastatos aliquos Alemanniæ pagos munimentum ædificanti prope Basileam, quod appellant accolæ* ROBVR, *offertur Præfecti relatio Probi docentis Illyrici clades.* Absque hoc Ammiani Marcellini loco foret, huius loci situs ignoraretur. Hanc sane *huius legis* subscriptionem si vidisset Cluuerius, non illa nescio quæ de robore seu sacra quereo scripsisset, *lib. 2. rerum Germanic. c. 5.* quæ alienissima sunt. Qui & in eo falsus est, quod Ammiani Marcellini verba ita accipiat, quasi ipsa Basilea *Robur* ab accolis dicta fuerit, cum id de munimento prope Basileam scribat Ammianus Marcellinus: At Stumphius, e tribus Wartembergensibus arcibus, quæ terræ motu deiectæ fuerunt A. D. 1356. versus Rhenum, mediam; cuius turris adhuc ampla extat, firmissimis muris etiamnum opereque veterum Rom. procul spectabilis, *Robur* hoc fuisse putat, adductis Historiographis & Antiquitatum indagatoribus. Alii eum locum volunt Basileæ, qui & in antiquis diplomatis, etiamnum *Burgus* vocatur *Auff. Burg*, vbi Cathedralis Ecclesiæ area est: quæ sententia est Vrstisii *in epitome histor. Basil. c. 7. p. 69. 70.* qui idem *Accolas* apud Am. Marcell. interpretatur, de ipsis Basiliensibus, & in Episcopalibus adhue diplomatis, hunc eundem locum *in Castro* nuncupatum scribit.

De REPARATIONE *cursus publici per Africam.*

XXXIV. (a) Iidem (b) AAA. ad Hesperium PP. ô. (c)

QVIA in omnibus aliis (d) prouinciis veredorum pars quarta reparatur, (e) in Proconsulari (f) prouincia tantum detur, quantum necessitas postulauerit, & quidquid absumptum (g) non habuerit, hoc nec pro debito (h) habeatur, nec a prouincialibus postuletur. Non dubitamus autem, plus quam quartam ad reparationem necessariam non esse iumentorum. Præterea in singulis mutationibus (i) arbitramur, ternis veredis Muliones singulos posse sufficere. Nam vt Stabula impensis publicis extruantur, contra rationem est: cum prouincialium sumptu citius arbitremur & vtilius adparanda. Iam vero Mancipum, (k) non ab Ordine, (l) nec a Magistratibus (m) accipienda videntur obsequia, sed ab Officio Proconsulari (n) qui missione donantur, vel ex aliis Officiis, (o) quos idoneos atque emeritos esse constiterit: Non enim improbabilis hæc dispositio (p) est, cum & in cubiculariis (q) Regionibus hæc consuetudo seruetur. Dat. III. Kal. Mart. Triueris, Gratiano A. IIII. & Merobaude CONSS. [377.]

P. 544

N O T A E.

(a) Lex 7. *Cod. Iust. h. t.* hinc decurtata & interpolata est. *GOTHOFR.*

(b) Immo VALENS, *Gratianus & Valentinianus*, vide *Chronolog. IDEM.*

(c) De *Hesperio* hoc PP. *in Prosopograph.* Putat tamen vir doctus hic reponendum *P C. Afr.* quomodo vocatur anno superiore 376. *l. 3. infra de scenicis:* propter Proconsularis prouinciæ & officii mentionem in *hac l. ID.*

(d) An Africæ, & totius Præfecturæ, cui præerat Hesperius? *IDEM.*

(e) Collatione facta a Prouincialibus. *ID.*

(f) *Proconsularis Prouincia*, Africæ scil. vid. *Geograph. ID.*

(g) Ita MS. non *adsumptum*, & quidem vnica voce, vt habent editiones: locus adeo corruptus, vt eum sanare frustra hactenus conatus sim. Forte ita restituendus, & *quidquid ad sumptum non opus erit; ad sumptum*, id est, ad reparationis cursus publici expensas. *IDEM.*

(h) Tributi nomine. *IDEM.*

(i) De Mutationibus, v. & *l. 36. 53. & 58. infr. ID.*

(k) Cursus publici. *ID.*

(l) Ordine, id est, Curia, seu Curialium ordine. *ID.*

(m) *Magistratibus*, id est, Duumuiris & quibuscunque aliis Magistratibus municipalibus. *ID.*

(n) Proconsulis Africæ. *IDEM.*

(o) Aliorum Iudicum. *IDEM.*

(p) *Dispositionis* vox hic propria: v. *Gloss. Theod. ID.*

(q) *vt. Cubiculariis:* De his regionibus dicam mox. Sunt qui reponant, *suburbicariis:* male. *ID.*

COMMENTARIVS.

GRATIANI Imperatoris duæ constitutiones sequuntur de cursu publico. Hæc est de REPARATIONE cursus Veredarii & nominatim quidem per Africam Proconsularem; Eaque lata ad suggestionem Hesperii Præfecti Prætorio, imo & dispositionem eius perlatam in Notitiam Principis: quæ vt variis capitibus constabat, ita ad eam nunc rescribit, suamque sententiam & arbitrium expromit:

mit: quo pertinent multæ voces & formulæ *huius legis.* Nam cum cursus veredarius in aliis omnibus prouinciis hoc tempora repararetur, & in Africa proconsulari reparari eum oportuit, vt cæteroquin sæpe cursus reparatione eguit: quatuor de causis: puta, attritis senioue confectis, vel etiam euectis veredis (quomodo & animalia bastagariis reparari sæpe oportuisse docet *lex 4. inf. de murilegulis*) item Mulionibus ad paucitatem redactis, tum & stabulis dirutis, tandem & Mancipum defectu (ad quam reparationem pertinet quoque *lex 42. inf. l. 7. infr. de indulg. deb.* vid. & *l. 4. de murileg.*) Igitur quatenus reparatio hæc tum Varedorum, tum mulionum, tum stabulorum, tum mancipum, per Africam Proconsularem facienda esset, *hac l.* disponit Gratianus, totidem seu quatuor capitibus: a quibus duo tantum seruauit (& adhuc interpolata) Tribonianus: puta de veredorum reparatione, & stabulorum exstructione duobus reliquis, da Mulionum & Mancipum reparatione omissis.

Primo igitur capite definit Gratianus, cum in aliis prouinciis quarta pars repararetur, in Proconsulari prouincia Africa tantum numerum reparandum, quantum necessitas postulauerit: sub duplici scilicet adhuc temperamento; quorum prios, vt nihil exigarur eo nomine a prouincialibus, nisi quatenus necessitas postulauerit: posterius, imo putare se omnino, quantum huic rei io Africa quoque proconsulari suffecturum.

Ex quibus varia interim colligere licet: *Primo* Reparationem hanc veredorum & iumeotorum sumptu prouincialium factam, id est, exactum quid a prouincialibus eo nomine. *Secundo* obseruandum, quartam iumentorum partem regulariter reparatam, (cum decimum animal bastagariis reparari voluerit Valens *d. l. 4. inf. de murilegulis.*) Quartam inquam partem, quod *Tertio* ootetur, eius numeri qui in singulis stabulis erat: certo videlicet numero, quod & ipsum *Quarto* loco obseruo: Certus inquam & status numerus Veredorum erat in singulis stabulis. Quod discere est quoque ex Procopio *Ἀνεκδοτ. cap. vltim. init.* qui diserte ait, quadraginta equos in singulis mansionibus stabulari solitos. Non idem colligera licet (quod putauit Bergierius *lib. IV. 12. §. 2.*) (a) ex *l. 3. sup. hoc titulo,* vbi Constantinus queritur eo tum peruentum, vt suis Itineribus vix vicenorum agminalium numerus subministrari posset. Ex quo loco, cum Procopii loco collato, Vir doctus differentiam hanc colligebat, in mutationibus viginti ferme equos fuisse, in mansionibus quadragiota: Quod inane est; cur enim plures fuerint in mansionibus quam in mutationibus? Ac vt maxime fuissent, non tamen dicta Constantini *lex* ad mutationes pertinet, aut ad cursum publicum fiscalem, verum ad equos agminales qui a prouincialibus præbebantur in via militari transuersa seu obliqua, vt *ad eam legem* pluribus ostendi.

Secundo capita *huius leg.* qua repatationem cursus publici instituit Gratianus, *Mulionum* numerum definit: Nempe singulos muliones ternis veredis sufficere: de quibus Mulionibus agitur & *l. 10. 14. 31. sup.* & *l. 53. inf.* qui & serui publici dicuntur mutationibus deputati, *l. 58. infr.* Hippocomi, *l. 37. & 50. infr.* Quorum etiam meminit Procopius *dicto loco*, statim enim postquam dixit, quadraginta equos in singulis maosionibus stabulatos, subiicit: *Et ibidem hippocomos ad curandos quot poterant equos fuisse destinatos.*

Tertio capite iubet, *Stabula* veredorum prouincialium sumptu extrui, non publicis impensis, Reipublicæ videlicet (quod tamen noonullos tum voluissa, verba *huius l.* osteodunt.) Et rationem addit, quod citius & vtilius stabula reparari possint prouincialium sumptu, quam impensis publicis: vt cæteroquin quæ publico nomini accurantur, & serius & deterius adcurantur: In *l. 7. Cod. Iust. de cursu publ.* quæ hinc alioquin decurtata & ioterpolata ast, hæc ratio additur, quod prouincialibus stercus animalium pro suo solatio relinqueretur. De stabulis alioquin his, vide & *l. 16. 17. 35. 37. in fin. de operib. publices:* quæ & Receptacula animalium publicorum dicuntur, *d. l. 35.* circa hæc multa singularia fauore cursus publici constituta. Nempe quamuis nouum aliquod opus moliri Iudicibus non liceret inconsulto Principe, stabula tamen excitare ex vsu publico licuit, *d. l. 16. 17. 37.* Ex hoc certe loco discimus, stabula excitata ex collatione & sumptu prouincialium.

Postremum caput est de *Mancipibus* cursus publici, eorumque repararione: de quibus agitur & *l. 15. 24. sup. l. 35. 36. 42. 53. 60. 65. inf.* & *l. 9. sup. de Curiosis.* Ex quooam videlicet hominum genere adsumendi sint: Non inquit, ab ordine, id est ex iis qui Duumuiratu functi, verum ex officialium numero, qui missione donati sunt seu emeriti, offi- P. 545
ciorum Veterani (vt vocantur *h. l. in fin.* pariter vt *l. 42. 46. inf.*) Sane & ita Valentinianus, Gratiani pater, ad procurationem cursus clabularii eligi voluit ex eo hominum genere, qui in prouinciæ Comitiuæ & Præsidatus aut Rationum Epistolis ab omni se ciuilium & publicorum officiorum ministerio remouerunt, *l. 23. sup.* Idemque non nisi in subsidium illis non sufficientibus; Curiales ad hoc munus vecari voluit *l. 26. sup.* Atqua id est etiam quod Gratianus *fine huius legis* addit, quoque respexit: *cum & in clauicularis regionibus hac consuetudo seruetur.* Ita enim locum hunc restituo, reposita voce *Clabicularis*, loco *Cubicularis:* tum argumento *dicta legis 23. & 26. sup.* tum ex ipsa *huius legis* mente: nempe a clabiculari seu clabulari cursu ad Veredsrium argumentatur *hac l.* Gratianus, sic vt in vtroque circa mancipes hac parte idem obseruari velit, & mancipes vtriusque cursus ex eo genera quod dixi, sumi. Quare non debuit vir doctus *Vrbicarias* regiones hic somniare, vel, vt alius, *Suburbicarias*; Ac proinde etiam hic *Regionum* vox, non pro prouinciis integris accipienda vanit, verum pro Stationibus (vt vocantur *l. 5. sup. de Curiosis:* quæ & ipsa aperte est de Cursu clabulari, & stationibus clabularis) eodem sensu quo *l. vlt. de defensorib. ciuit. l. 2. de integri. restit. l. 10. de curiosis: l. 8. sup. in fin. h. t.* vbi *Regionib. præstituti* non alii sunt, quam stationarii, *l. 1. sup.* mancipes stationum cursus vehicularis, *ῥεγεωνάριοι, ῥεγεωνάρχαι:* Regiones ergo quas Græci *χώρας*, a quibus *Chorepiscopi.* Porro Theodosius M. postea hanc reparationis & Mancipatus iniuriam ab Officialibus submouit, *l. 42. infr.*

(a) C. H. HENNINIVS *not. ad Bergier. l. c.* Secutus est hic errorem Pancirolli *Notit. lib. I. 6.* Nam *Agminales Equi,* quorum fit mentio in *d. l. 3. C. Th. de C. P.* non erant equi fiscales cursus publici, verum Reipubl. adeoque coniectura illa nulla est. Deinde cur duplo plures fuissent equi in *Mansionibus*, quam *Mutationibus?* in *Mutationibus* enim ἀλλαγαῖς, ἀμοιβαῖς, potius videntur plures equi debuisse mutari. Procopius *l. c.* habet ἐν σταθμῷ ἑκάστῳ i. e. *in quauis statione:* sc. tam *Mutationis* quam *Mansionis.* σταθμὸς, ἐπισταθμία generatim, non præcise *mansio*, vt Pinellus vertit, per quem Bergierius errauit.

De

De NVMERO *veredorum & vehiculorum, quæ vno die ex vno loco moueri possunt.*

XXXV. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. ad Ausonium PP. ō. (b)

ANVLLO vnquam oppido, (c) aut frequenti (d) ciuitate, mansione denique, atque vico, vno die vltra quinque *Veredorum* numerus moueatur; (e) ac si quis eorum qui *Præpositi* (f) vocantur, aut *Mancipes*, publico denique cursui nomine aliquo præsunt, hunc quem præscribsimus modum patiatur excedi, seuerissimæ (g) Sinceritatis Tuæ auctoritate compescetur, aut militans exauctoritatem (h) subibit, aut Decurio vel Manceps (i) relegatione annua plectetur. Hi autem qui suprascriptum numerum supergredi molientur, cuiuscunque sint honoris aut nominis, quinque argenti libris in (k) vnius veredi vsurpatione multentur. Si tamen necessitas maior coëgerit, super (l) sollemnem numerum, iubemus admitti, quos aut sacras (m) literas ferre constiterit, aut habere in euectionibus adnotatum, *Vt aliqua de causa instantius ire iubeantur;* quod vel Spectabilis (n) Viri Officiorum Magistri vel (o) Sinceritatis Tuæ literis oportebit adscribi, vt exsistet (p) euidens causa quæ præscribtum legis excedat. In *Vehiculis* etiam hac volumus ratione moderari, ne supra assium (q) numero (r) reda moueatur. Quod facinus Sublimis Auctoritas Tua si contra vetitum cernat admitti, pro motu suo seueritate cohibebit. Dat. XII. Kal. Mai. Triuer. Valente VI. & Valentiniano II. AA. CONSS. [378.]

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* Nisi quod ex hac partim, partim ex *l. 40. in fin. inf. lex 8. Cod. Iust. eod. tit.* interpolata & conflata est. *GOTHOFR.*

(b) Galliarum: vide Symmachum *lib. 1. ep. 14. 17. 18.* Ipse Ausonius de se *in Epicedio in Patrem Iulium, v. 42. Præfectus Gallis, & Libyæ, & Latio.* Et in *Gratiarum actione*, initio anni sequentis *cap. 17.* (al. 12.) *Agant pro me gratias voces omnium Galliarum, quarum Præfecto hanc honorificentiam* [Consulatus] *detulisti. IDEM.*

(c) Nota hunc locorum recensum: *Oppidum, Ciuitas frequens, Mansio, vicus.* De quo mox. *ID.*

(d) Ita Gratianus amat loqui: sic *l. 11. infr. de Medicis & Professorib. frequentissimis in ciuitatibus. ID.*

(e) *Mouendi* vox, *hic & fine legis* propria, vt alibi. vid. *Gloss. ID.*

(f) Qui cursui publico præerant: non vno nomine vocabantur, *Præpositi*, *Mancipes*: de quo in *Paratitlo.* Iidem & Procuratores, *l. 23. sup. l. 36. inf.* ὁι τῦ δημοσίυ δρόμυ ἐπιμελόμενοι. *Cursus publici Procuratores*, Procopio *Vandal. 1 cap. 16. ID.*

(g) Malim, *seuerissima ID.*

(h) *Exautoritas*, pro exautoratione. Quid *exauctorare* sit, quid *exauctoratio* in militia, notum; de eo vide & Plinii *ep. 31. lib. 6.* Sidonium Apoll. *lib. 1. ep. 7.* & ibidem C. Savaronem. *ID.*

(i) Forte, *municeps. ID.*

(k) In vnum Veredum vsurpatum. *ID.*

(l) Vltra solemnem numerum. *IDEM.*

(m) Principis *IDEM.*

(n) Officiorum Magister hoc tempore adhuc Spectabilium numero erat, de quo dixi ad *l. 1. 2. sup. de Quæstorib. Magistris officiorum, &c. IDEM.*

(o) Euectiones scilicet hi duo dabant: de Præfecto Prætorio sidem quoque facit *lex 9. 12. sup. l. 42. 56. infr.* de Magistro officiorum pariter *lex 8. 9. 22. sup. ID.*

(p) Existat, exstet. *ID.*

(q) Forte *adscriptum*, vel *assignatum. ID.*

(r) Numerum. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

P.546 NVMERVM solemnem veredorum & vehiculorum, quæ vno die ex vno loco, moueri possent; definit *hac l.* Gratianus. Ne alioquin effuso numero commoto, cursus publicus laceretur; vel necessitate publica vrgente non suppetat. Quo etiam fine inter alia numerus ab vna persona vsurpandorum non vna constitutione coërcitus fuit. Vbi obiter notanda varia loca in quibus cursus publicus constitutus erat. Nempe quatuor hæc, *Oppida, Ciuitates, Mansiones, Vici.* De quo vid. Bergierium *des grands chemins de l'Empire, lib. 4. cap. 9. num. 2.* vbi haec *legem* laudat de Mansionibus: vid. & *l. 1. 23. sup.* Ergo vltra quinque Veredos ex eodem loco vno die moueri vetat *hac l.* Gratianus. Atenim paulo

paulo liberalius postea Theodosius M. sex Veredos vno die moueri, non vltra, permisit, *l.40.inf.* Pœna proposita tum id permittentibus tum vsurpantibus: permittentibus, inquam, iis qui Cursui publico præsunt, quorum tria genera indicantur: *Præpositi*, de quibus Præpositis Cursus publici, seu Cursualibus, agitur quoque *l.9.sup. de Curiosis*, meminit & Symmachus *lib.2.ep.46.in fin.* & Cassiodorus *V.Var.5.in fin.* Secundo, *Mancipes*, de quibus vid. *Paratitlon.* Tertio, qui his verbis designantur: *Siue Publico Cursui nomine aliquo præsunt:* quomodo & *l. 4. sup. Præfectos vehiculorum atque omnes qui cursus publico præsunt.* Sic & Præpositi mansionum, *l. 21. inf. de Decurion.* Pœna vero his, quos dixi, hæc imponitur, Exauthorationis, id est, degradationis, vel Relegationis annuæ: illa, si militans sit: ista, si Decurio, aut *Municeps* (ita enim lego:) vnde colligitur, Præpositos cursus seu Mancipes sub Gratiano sumptos in Præfectura Prætoriana Galliarum, ex Decurionibus quoque, cum in Præfectura Prætoriana Italiæ idem ex ordine sumi voluerit, *l. 34.* quomodo & sumpri per Ægyptum, *l. 51. infr.* per Africam proconsularem, *l.64.inf.* Et hæc de Permittente.

Vsurpanti vero vltra definitum numerum cuicunque, quinque argenti librarum pœnam in singulos veredos vsurpatos vltra eum numerum imponit. Et *Exceptiones* tamen duas addit: posse scilicet supra solennem illum numerum quinque veredorum vno die alios vsurpari: si videlicet Principis literas ferat, aut in Euectione Magistri officiorum vel Præfecti Prætorio (nam hi Euectiones dabant) additum nominatim fuerit, *vt commeantes instantius ire iubeantur.* Et hæc de Veredorum numero:

Vehicula quoque seu redas eodem die ex eodem loco vltra certum numerum moueri vetat *hac l.* Gratianus: Quis autem numerus ille sit, his verbis quidem continetur, *ne supra assium numero reda moueatur*: Quæ proculdubio corrupta sunt: vbi putet quis reponendum *supra assignatum*, vel *supra adscriptum numerum.* MS. habet SVPRA ASSIVM, forte ita scriptum oportuit SVPRA ASIGN. (a) Quod mihi non satisfacit: certum enim aliquem numerum hic designatum putem. Sane Theodosius M. postea *l.40.infr.* cum senos tantum veredos per singulos dies moueri vellet, singulas tantum redas dimitti voluit seu moueri. Quare numerus hic lateat quem nondum eruo: nisi forte quis probabilius tenter, *supra duum numerum.*

(a) Ita verba restitui, quæ a typothetis mirum in modum erant depranata. Si Notas Magnonis consules, videbis, me plane ex mente Gothofredi id fecisse. Locus ipse desperatus est, & in defectu MSS. librorum vix restituendus.

De MANCIPIBVS *cursus publici: 1. de* Spatio *huius muneris: 2. de* Emansionis *tempore: 3. de* priuilegiis *post mancipatum.*

XXXVI. (a) Imppp. Gratianus, VALENTINIANVS & Theodosius AAA. ad Syagrium PP. ō. (b)

MANCIPIBVS supra lustrale (c) tempus cura non immineat Mancipatus; (d) nec intra triginta dies (e) amplius cuiquam liceat ex Mutatione (f) discedere: Quod si quis supra præscribtum numerum dierum ab statione (g) quam receperit excesserit, capitali animaduersione puniatur: Idcirco enim quinquennio deuoluto (h) eos honorem Perfectissimatus (i) manere præcipimus, omniumque aliarum necessitatum immunitate fouemus, vt tempus Procurationis (k) impositæ solerti fide & integritate succedant. (l) Dat. III. Kalend. Martias, Syagrio & Eucherio CONSS. [381.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFR.*

(b) *Syagrius* PP. sub Valentiniano Iun. & quidem Italiæ: vt docet subscriptio *legis 4. sup. de desertoribus: l. 83. &c. infr. de Decurionib. l.14. infr. de extraordinariis:* & Symmachus *lib.1. ep* 102.104. vid. *Prosopogr. ID.*

(c) Id est quinquennii tempus, vt docent sequentia mox, & *lex 42. inf.* Cæterum in MS. scriptum hic, *supra inlustrale tempus* *IDEM.*

(d) Vide & *l.46.inf. ID.*

(e) *γρ. Nec intra triginta dies, die amplius, &c. ID.*

(f) *Mutatio*, mox *Statio* dicitur. *Mutationis* mentio quoque *l. 34. sup. l.53.58.inf. ID.*

(g) *Statio, h. l.* & *65. l. infr.* pro mutatione, vide *l. 1. sup. ID.*

(h) *Deuoluto* quinquennio: ita *curriculo deuoluto, l. vn. sup. de act. certo temp. fin. ID.*

(i) De *Perfectissimatus* dignitate fuit supra *lib. 6.* peculiaris *Titulus* 37. *IDEM.*

(k) *Procuratio*, & Mancipatus, idem, *hac l.* & *l. 23. sup. ID.*

(l) Insolens locutio, *tempus succedere*, pro subire, adimplere. *ID.*

COMMENTARIVS.

P.569

VALENTINIANI Iunioris duæ constitutiones de *Cursu publico*, hoc *titulo* occurrunt; puta *hac lex*, & *lex 50. inf.* Hæc prior est de MANCIPATV, seu de *Mancipibus*, & *Procuratoribus* cursus Publici, de quibus consulendum est *Paratitlon.* De his igitur Tria *hac lege* constituit Valentinianus Iun.

Ion. eo fine ſcilicet, vt tanto[a] libentius maioreque fide mancipatum gerant, ſeu vt exerte dicitur *fine l. vt tempus Procurationis impoſita ſolerti fide & integritate ſuccedant*, ſeu impleant.

Primum igitur eo fine, *Tempus* Mancipatus definit contrahitque, vt cæteroquin contracto muneris onerisque publici tempore induſtria fideſque excitari ſolet. Igitur, luſtro, ſeu quinquennio mancipatum coarctat Valentinianus Iun. *hac l.* pariter vt Theodoſius *l. 42. infr. hoc tit.*

Secundo, eodem fine *Emanſionis* tempus definit; nempe conſtituit *ne intra triginta dies amplius cuiquam liceat ex mutatione* (ſeu ſtatione quam recepit) *diſcedere*, capitali pœna impoſita numerum illum dierum præſcriptum excedenti. Qui locus & corruptus, & obſcurus eſt. Putet quis ita eum accipiendum, non licuiſſe ſingulis annis Mancipi vltra dies triginta ſtatione ſua excedere; Et ſic duodecima tantum anni parte: Triginta enim dies pro menſe: qui ſenſus ſi verus eſſet, in verbis tamen adhuc mendum reſideret. Poſſit & ita forte locus hic reſtitui: *nec intra triginta dies die amplius cuiquam liceat ex Mutatione diſcedere:* hoc ſenſu; non niſi vno die ſingulis tricenis diebus mutatione excedere poſſe mancipem, vt ita in vniuerſum duodecim tantum diebus in anno diſcedere poſſit.

Quod ipſam rem attinet, ſcilicet ideo emanſionis tempus coarctatum, quod mancipatus peruigilem & aſſiduam curam requireret, ne curſus publicus laceraretur; Viceuerſa Tertio loco eodem ſemper fine excitandæ Mancipum fidei & integritati, finito quinquennio ſeu mancipatu, Perfectiſſimatus dignitatem his pollicetur, *hac l.* Valentinianus Iun. ſimul & per conſequens omnium aliarum neceſſitatum ſeu munerum immunitatem. Hoc enim Perfectiſſimatus Honorarii poſt actum tributi priuilegium fuit, de quo *ſup. lib. 6. tit. peculiari.*

Ne HIPPOCOMIS *ſua ſaga adimantur, vel ſcindantur.*

XXXVII. (a) Iidem AAA. ad Palladium (b) PF. Aug.

EVM qui ſagum (c) hippocomorum, (d) notabili populatione, (e) voluerit vſurpare vel ſcindere, cuiuslibet fuerit dignitatis, ſine aliqua exceptione, iubeas detineri: vt cum de eius nomine Relatio (f) fuerit deſtinata, quid ſuper eius contumacia ſtatuendum ſit, opportunius æſtimemus. Dat. Prid. Id. Mai, (g) CP. Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Concordat *lex 50. inf.* *GOTHOFR.*

(b) *Palladii* huius Præfecti Auguſtalis meminit Theodoretus *lib. 4. cap. 22.* Socrates *lib. 4. c. 21.* Et farraginis Alexandrinæ Auctor editus a Scaligero. *ID.*

(c) De *ſagis* his hippocomorum & aliorum curſu publico vtentium, quibus pro itineris neceſſitate eos muniri par erat; vid. & *l. 48. 50. infr.* *ID.*

(d) De *Hippocomis* vide & *l. 50. inf.* *IDEM.*

(e) Indigna ſpoliatione, *d. l. 50. infr.* *ID.*

(f) Ad me Principem. *ID.*

(g) Præpoſteratio hic admiſſa ab *huius Codicis* Conditoribus: nam ſequens lex, quæ data eſt VIII. *Kal. Maii* hanc tempore anteuerterat. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. quindecim conſtitutiones de *Curſu publico* ſequuntur: ex quibus de charactere Theodoſii M. hanc in partem apparet, quamque enixo ſtudio quamque variis rationibus Curſum publicum moderare inſtituerit; definitis videlicet quinam Mancipes curſus publici eligi, quantoque tempore eſſe debeant, *l. 42. 46. 51.* Quinam Euectiones facere poſſint, *l. 40. 43. 52.* Qui vel impetrare Curſum publicum, vel ſuo iure eum vſurpare, *l. 39. 44.* Quatenus denique Curſu publico vti liceat: Translatione videlicet in alium prohibita, *l. 41.* Pondere vehiculorum & veredorum definito, *l. 47. 48.* Modo item definito, intra quem vnus idemque vti Curſu publico poteſt, *l. 38. 45. 49.* Item intra quem vno die Curſus publicus moueri, *l. 40. in f.* Denique vt ne Hippocomi ſagum quiſquam vſurpare poſſit: Quæ huius *legis* 37. ſententia eſt. Ergo eum, qui Curſu publico vtitur, HIPPOCOMI ſagum vſurpare vel ſcindere vetat *hac l.* Theodoſius M. De Hippocomis & ſagis iſtis prius videndum eſt, tum de prohibitione *huius legis*. *Hippocomorum* fit quoque mentio *l. 50. inf.* & apud Ariſtænetum *ep. 8.* & Libanium loco, quem protuli ad *l. 12. ſup.* vbi & ὀρεωκόμοι ſimiliter vocantur: & *l. 12. Cod. Iuſt. eod. tit.* cuius eadem ſententia eſt cum *hac* noſtra.

Hippocomi ſunt qui curam equorum gerunt, qui equos accurant, qui curſu publico vtentibus adiunguntur curaturi animalia, & reuecturi poſtea veredos ad ſuam manſionem ſeu mutationem. De his accipio quod eſt in Conſtantini *ep. ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum* de tribus ſeruis ad miniſtrandum ei per viam, apud Euſeb. 10. *Hiſt. Eccleſ. cap. 5.* Hippocomorum voce vtuntur & Xenophon, & Plutarchus, *Poſtillons*, voce non hybrida, quod Scriptor nuperus putauit *de Itiner. lib. IV. 13. n. 9.* verum mera Græca ἀπὸ τῦ κομεῖν τὰς ἵππους: Heſychius (iam in notis *ad leg. 10.* productus) κομεῖν, ἐπιμελεῖσθαι, θεραπεύειν: ὅθεν καὶ κόμη καὶ ἱπποκόμος. Nempe Curſu publico vtentibus, vt dixi, adiungebantur Hippocomi, animalia in itinere curaturi, adque ſuam manſionem reducturi. Iidemque cum mulionibus de quibus *ſup. ad l. 10.* Et p. 548 ſagum hi habebant, vt præter hanc *legem*, docet *lex 50. inf.* quo ſcilicet pro itineris neceſſitate muniebantur: vt de Palatinorum proſecutorum ſagis exerte dicitur *l. 48. in f.* Inde ſagum hippocomorum

rum, *h. l.* dicitur vt & *d. l. 50.* & delictum istud saga horum diripientium vel scindentium atrocibus adeo verbis confoditur. Itaque recte Græci *in d. l. 50.* (*fin. 13. Cod. Iust.*) πάλλια (παλλαιὰ male expressum, vt recte coniecit Cuiacius *ad d. leg.*) vertunt. Non ergo pro instrato equi id accipiendum, vt fecit Cuiacius, vel pro facco, vt tenebat Pancirolus *in Notit. Or. c. 6.* Isidorus *strata sagarum* dicit. Ab his sagis vir doctus putabat, *Sagones*, mox corrupte, *Saiones* dictos, ætate Cassiodori, qui destinabantur iussu Principis aliquo, quod sagis vterentur: Quod inane; Saiones enim hi non sunt cum veredariis iidem: & aliunde Barbara voce dicti, vide Lindenbrogium *in Glossis Codicis legum antiquarum.* (a) Nam veredarii omnes qui veredis vtuntur, quo sensu & Cassiodorus *IV. Var. 47.* Horum igitur Hippocomorum sagum seu vestem & penulam viatoriam, nonnulli ex iis qui iter agerent, in vsus suos sæpe vsurpabant vel scindebant, nec quicquam his renitentibus, atque adeo itineris cœlique iniuriis obiiciebantur. Quam *notabilem populationem* vocat *hac l.* Theodosius M. *indignam spoliationem*, Valentinianus Iun. *l. 50. infr. miserabilem iniuriam*, *d. l. 50.*

Atque adeo huic iniuriæ tum Theodosius M. *h. l.* tum Valentinianus Iun. *d. l. 50.* occurrunt; & *hac* quidem *lege*, vt & *d. l 50.* iussis iis qui id facerent detineri, cuiuscunque fuerint dignitatis, & ad se Principem de iis referri, mox puniendis eius arbitrio. Similem vero populationem sagique spoliationem, quam passi Rusticani, perstringit Libanius *Oratione*, quam ipse edidi περὶ τῶν ἀγγαρειῶν: *p. 44. 45.* vbi ἱμάτιον vocat, mox & χιτῶνα.

(a) Adi etiam Cl. du Fresne Glossar. voc. *Saiones.*

De NVMERO *animalium quæ Vicario proficiscenti mouere licuit, deque* EVECTIONIS *faciendæ iure omnibus interdicto.*

XXXVIII. (a) Iidem AAA. Floro PP. ö. (b)

PROFICISCENTE Vicario, triginta asini, veredi decem tantummodo moueantur: quinquaginta librarum auri dispendio eius Officio, si hæc fuerint contempta, non immerito subiugando. Illud etiam similiter obseruetur, ne quis (c) faciendæ euectionis sibi vindicet facultatem. Dat. VIII. Kal. Mai, CP. Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Florus* PP. sub Theodosio M. & quidem Orientis: vt docet vel *lex 96, inf. de Decurionib.* Cæterum *duæ* proximæ præterea *hoc titulo* ad eundem, eodem Anno datæ *leges.* vid. *Prosop.* ID.

(c) Vicarius, aut Iudex, seu Rector prouinciæ. *ID.*

DIGNITATE *functis quibus & quando cursus publici licentia parere possit.*

XXXIX. (a) Iidem AAA. Floro (b) PP. ö.

QVISQVIS, seu Ciuili seu Militari deposita dignitate aget otium, non prius vsquam fiducia euectionum prodeat, quam edictis (c) causis, nostra Maiestate consulta, vtendi itidem cursus publici acceperit potestatem: Reliquos (d) vero, etiamsi expresserint (e) tali tenore (f) copiam latius euagandi, a fructu furtiuæ impetrationis arcemus. Dat. XVII. Kalend. Aug. CP, Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) Eidem *Floro* PP. hoc anno & superior *l. prox.* & inferior lex prox. inscribuntur. *ID.*

(c) Malim, *editis.* *ID.*

(d) Qui ciuilem aut militarem dignitatem non gesserunt, sed honorarii tantum, *l. 44. infr.* *ID.*

(e) Impetrauerint, obtinuerint. *IDEM.*

(f) Libello causas itineris complectente. *ID.*

RECTO-

P.549 **Rectoribvs** *prouinciarum, vnico casu excepto, euectionis faciendæ ius non esse: deque* **Nvmero** *veredorum & rhedarum, singulis diebus dimittendorum.*

XL. (a) Iidem AAA. Floro (b) PP. ō.

Ivdicibvs (c) Faciendæ euectionis copiam denegamus: cum id nostro Numini (d) & vestris tantum sit potestatibus reseruandum. His enim tantum ambulandi (e) facultatem Iudices ex suo arbitrio præbituri sunt, quos in transmissione (f) largitionalium titulorum (g) Prosecutores (h) viderint constitutos: Scituri, si definitionem nostram excesserint, se quidem viginti quinque auri libris, Officium (i) vero quinquaginta esse multandos. Sane, vt * etiam agendi itineris possit esse moderatio, seni (k) veredi, singulæ (l) etiam redæ per dies singulos (m) dimittantur. (n) Dat. X. Kal. Aug. C. P. Antonio & Syagrio conss. [382.]

N O T A E.

(a) *Lex* 9. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Florus* PP. sub Theodosio M. Eidem, hoc anno duæ superiores *leges* inscribuntur, & proxima quidem, eodem mense XVII. *Kal. Aug.* IDEM.

(c) Hæc vox hactenus abest ab editis: quam exhibet aperte MS. quomodo & præfert Cod. Iust. IDEM.

(d) *Et Tuæ Sedi, necnon Viro Illustri Magistro officiorum sit reseruandum:* ita Cod. Iustin. (ex *l.* 8. 9. 22. 35. *sup.*) additis aliis nonnullis. IDEM.

(e) *Ambulandi* vox propria hic: v. *Gloss.* IDEM.

(f) *Transmissionem*, Cod. Iust. IDEM.

(g) *Publicarum functionum*, Cod. Iust. IDEM.

(h) *Prosecutores* largitionalium titulorum, *hac l.* & *l.* 18. *sup. l.* 47. 48. *inf.* IDEM.

(i) *Officia*, Cod. Iust. IDEM.

* *Lex* 8. *Cod. Iust eod. tit.* hinc, & ex *l.* 38. *sup.* interpolata est. IDEM.

(k) *Deni*, Cod. Iust. IDEM.

(l) *Singulæ etiam redæ*: absunt hæc a Cod. Iust. IDEM.

(m) *Ex vtraque parte*, addit *Cod. Iust.* IDEM.

(n) *Pœna quinque librarum auri minime defutura contra vos qui statuta nostra neglexerint*, addit *Cod. Iust.* IDEM.

C O M M E N T A R I V S.

Theodosii M. constitutiones hæ tres vno eodemque anno ad eundem *Florum P. P.* (Orientis scilicet) emissæ, vnam eandemque interpretationem merentur, cum ad eundem etiam finem respiciant; nempe vt modvs, seu *moderatio* quædam, (vt loquitur *lex hac 40*) cursus publici vsurpationi ponatur, ne videlicet effreni alioquin is licentia laceretur. Idque sub quatuor capitibus propositis.

Primo scilicet, *initio legis 38.* definit Theodosius M. nvmervm animalium, quo maiorem vicario proficiscenti mouere fas non sit, grauissima alioquin 50. librarum auri pœna officio Vicarii proposita: scilicet pro dignitate cuiusque certus numerus præstitutus. Ita *Comiti rei militaris*, nonnisi quatuor veredos cum parhippo: *Tribuno militum*, nonnisi ternos: *Domesticis Protectoribus* & *Agentibus in rebus*, nonnisi binos mouere licuit, ex eiusdem Theodosii M. *l. 49. inf. h. t.* Itemque *Curiosis* ex eiusdem rursus Theodosii M. *l. 6.* (quæ & ipsa data est ad Florum, nondum tamen Præfectum Prætorio, sed Magistrum officiorum) *sup. de Curiosis: Vicario* igitur pariter proficiscenti nonnisi 30. asinos, veredos decem mouere permittit *hac l.* Theodosius M. Et sic maiorem longe numerum cæteris, quos dixi. Nempe (quod notandum primo) quia hæc præcipua dignitas fuit inter Spectabiles & amplissima, vt qui diœcesi integræ, id est, plurium prouinciarum administrationi præerat; Sic & numerus Euectionum maior datus in anno Vicariis quam Præsidibus: nempe denæ, vel duodenæ annuæ: Præsidibus vero prouinciarum, binæ annuæ tantum: *l. 12. sup.* Et tamen, vt maxime amplissima hæc dignitas esset, intra modum coërcere eam visum, numero tum asinorum, tum veredorum definito. *Asinorum* inquam (quod secundo hic notandum) nam & hi in Cursu publico fuere, per Orientem signate: vt præter hanc *legem*, docet altera *lex* eiusdem Theodosii M. puta *lex 41. infr.* Vt cæteroquin ibi Asinorum vsus fuit: vt fidem facit quoque & Libanius *orat.* περὶ ἀγγαρειῶν, vt & Socrates, *lib. 3. cap. 1.* quorum verba retuli ad *l. 12. sup.* Quorum postremus etiam scribit, asinos e cursu publico plane aliquando submotos a Iuliano Imperatore: de cuius rei fide *ad eam legem.*

Ac, vt numerus certus Animalium quæ Vicarii vsurpare possent, definitur; ita quod *Secundum* caput *harum legum* est, adempta his quoque facultas Evectionvm faciendarum, *l. 38. in fin.* non minus quam *Iudicibus* seu Rectoribus prouinciarum, tum *l. 40. in pr.* pariter vt a Iuliano *d. l. 12. sup.* vbi de eo plene dixi: Soli scilicet Principi & Præfecto Prætorio Euectionum faciendarum iure relicto, *d. l. 40. in pr.* de quo *l. 9. 35. sup.* & *l. 56. inf.* Excepto vnico casu, nempe ad translationem specierum largitionalium, *l. 40. h. t.* pariter vt *l. 18. 20. 33. sup.* & *l. 61. infr.*

Tertium caput (quod continetur *l. 39. h. t.*) est de his qui Cursum publicum impetrare possunt. Nempe non alios priuatos impetrare posse quam eos qui reuera dignitatibus siue ciuilibus siue militaribus functi sunt, non vero Ἀπράκτους. Scilicet Theodosius M. vt *h. l.* ita & *l. 44. infr.* rursum distinguit inter eos, qui actu ipso aliquando dignitates egerunt,

egerunt, verum hodie in otio aguot, & eos qui tantum hoooraríos codicillos impetrarant: nempe P.550 illos editis causis a Principe vtendi cursus publici potestatem accipere iure posse, hos non posse. Quæ ἐμπράκτων & honorariorum digoitatum differentia notetur, aliisque iungatur, de quibus *sup. tit. de honorariis Codicillis.* Multo magis igitur priuati, qui nulla dignitate seu admioistratione censerentur, cursus publici copia denegata; de quo ad *d. l. 44.* Vice versa obseruetur hooorem huoc seruatum emeritis iootio agentibus, vt etiam hi Euectionem impetrare possent: cum alias noo nisi ad actus ferme publicos, & necessitates publicas explicandas, Cursus publicus pateret: de quo ad *d. l. 44.* Qua etiam *lege*, id quod *hac l.* omnib. dignitate ciuili vel militari functis conceditur, ad Præfectos Prætorio & Magistros militum restringitur.

Postremo capite (quod continetur *hac l. 40. in fine*) Theodosius M. NVMERVM etiam veredorum & vehicolorum definit, qui vno die moueri possit ex vno loco: ne alioquio statio siue mansio exhauriatur. Quod etiam Gracianus Imp. *l. 35. sup.* voluit: sic quidem vt Theodosius paulo liberalius *h. l.* agat circa veredos: nempe Gratianus nonnisi quioque moueri permisit. Theodosius *hac l.* sex pariter, & vnicam tantum redam moueri voluit. At Iustinianus siue Tribonianus, hanc huiusce *legis* partem, *l. 8. Cod. Iust. de cursu publ.* ita interpolauit, vt denos permitteret ex vtraque parte.

De COMMERCIO *euectionum, & Asinorum nominatim cursus publici, interdicto.*

XLI. (a) Iidem AAA. Filagrio (b) Com. Or.

CAPITALIS (c) periculi acerbitate proposita, euectionum contractus, asinorumque (d) merces, & ementis & distrahentis pœna (e) prohibemus. PP. Byrito. (f) Dat. XII. Kal. Octob. Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

NOTAE.

(a) *Lex 10. Cod. Iust. eod. tit.* Concordat *lex 4. sup.* GOTHOFR. In *Cod. Iust.* & *inscriptio* & *subscriptio* pessime deprauata, legitur enim in Inscript. *Philagio Com. Ord.* & in subscript. *PP. Byato XV. Kal. Octob.* Rectius edidit. Cl. Cuiacius. *RITTER.*

(b) *Philagrii* huius, Comitis Orientis meminit Ammianus Marcellinus *lib. 21. cap. 4.* (vbi vide Valesium) & Libanius *de vita sua p. 64.* & *Orat. 30. p. 638. edit. Morelli.* Forte etiam hic idem est quem Patricium fuisse duobus locis docet Sidonius, *lib. 2. ep. 3.* & *Carmine 7. vers. 162.* GOTHOFREDVS.

(c) *Grauissime pœna*, ita mutatum *Cod. Iust.* IDEM.

(d) *Animalium quoque publicorum merces*, ita generalius *Cod. Iust.* de Asinis in Cursu publico constitutis in Oriente iam *supra l. 38.* IDEM.

(e) *Coërcitione* Cod. Iust. *ID.*

(f) De hac subscriptione mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

COMMERCIO Cursus publici priuatis interdicit *h. l.* Theodosius M. pariter vt Coostaotinus M. *l. 4. sup.* vbi pleoe iam dixi. Quomodo & Valentinianus Sen. Tractoriatum commercio interdicit *l. 1. inf. tit. prox. de tractoriis & statiuis*, id est, ne is, qui eius facultatem impetrauit, in alium transferre possit, neque alius emere. De cuius rei *Ratione* dixi ad *l. 4. sup.* & *ad d. l. 1. inf. tit. proximo.* Et Theodosius quidem *pœnam* capitalem huic facto tam emptori quam venditori *h. l.* imponit: Coostantinus M. *d. l. 4.* relegatioois in Insulam Triboniano arbitrariam pœnam placuisse ostendit interpolatio *huius legis* ab eo facta. Et est hæc *lex* nominatim de prohibito *Asinorum* commercio, vt *d. l. 4.* de Angariarum commercio. At Tribonianus omnibus publicis animalibus eam communem fecit interpolatione sua. Erant scilicet & hi Asini inquam io cursu poblico constituti, & in vsu publico per Orientem signate, vt hæc *lex* docet, & *lex 38. sup.* vbi plurima ootaui ex Libanio & Socrate, ac nominatim in Syria Cœle, & Phœnicia, in qua hæc *lex* proposita, *Byrito*: Berythi inquam hæc *lex* proposita, pariter vt *lex 63. inf. de Decur. lex 7. sup. de filiis milit. apparet*, quia hæc Comitis Orientis (cui hæc *lex* quoque inscribitur) sæpe sedes erat: de quo ad *d. l. 63. inf.*

De MANCIPIBVS *cursus publici, quinam eligendi: & quod huius officii spatium sit.*

XLII. (a) Iidem AAA. Constantiano (b) Vicario diœceseos Ponticæ. (c)

REPARATIONIS (d) conlatione ab Officialium persona submota, idoneos Mancipes constitutos quinquennii (e) tempus implere præcipimus. Dat. III. Kal. Ian. CP. Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Constantiano* huic Vicario Diœceseos Asianæ inscribitur anno prox. 383. *lex 94. infr. de Decurionib. l. 12. infr. de annona.*

exactionib. l. 10. inf. de heretic. lex 7. sup. de desertorib. ID. Legendum *Constantiniano*, putat Gothofredus ad leg. 7. supr. de desertor. ratione tamen non addita: pleræque vero leges *Constantiano* habent. *RITTER.*

(c) *Pontica* hoc tempore octo prouinciæ fuere; Pontus Polemoniacus, Pontus Amasia, Honorias, Bithynia Paphlagonia, Armenia maior & minor, & Cappadocia, vt discere est ex *Indice Schonhouiano pag. 84. edit. Cellar.* quî sub Theodosio M. conscriptus est. Postea enim huic diœcesi additæ Galatitia vtraque, Hellespontus: vide Notitiam in *Vicario diœceseos Pontica. ID.*

P. 551

(d) De reparatione Cursus publici, vide *l. 34. sup. IDEM.*

(e) Vide *l. 36. sup. IDEM.*

COMMENTARIVS.

De Reparatione, deque mancipibus Cursus publici per Ponticam diœcesim, est hæc Theodosii M. Constitutio. Quod prius attinet *Reparationis* (Cursus publici scilicet de qua vide quoque *l. 34. sup.* & *l. 7. inf. de indulg. debit.* v. & *l. 4. inf. de Murileg.*) conlatio, id est, collatio ad reparationem Cursus publici ab Officialibus *hac l.* remouentur, id est, excipiuntur Officiales, & immunes sunt ab hac collatione.

Quod *Mancipes* spectat, *hac l.* id primo indicatur, Officiales ad curam & mancipatum Cursus publici obstrictos fuisse, per Ponticam scilicet sub Theodosio M. quomodo & per alias quoque Orientis prouincias sub eodem Theodosio M. docet *l. 46. infr.* & sub Gratiano per Africam Proconsularem, *l. 34. sup.* Atenim per Ægyptum Curialibus id incubuisse ostendit *lex 51. infr.*

De Mancipibus & illud cum primis statuitur *hac leg.* idoneos mancipes, ex his scilicet Officialibus electis quinquennio mancipatum gerere oportere. Quinquennio scilicet mancipatus cursus publici contractus, vt a Valentiniano Iuniore *l. 36. sup.* ita & a Theodosio M. *h. l.* Et hæc quidem huiusce *legis* sententia est; non quasi ab Officialibus cura Cursus publici remoueatur, imo contra.

MAGISTRIS *quoque militum Euectionum faciendarum ius denegatum.*

XLIII. (a) Iidem (b) AAA. ad Neoterium (c) PP. ō.

Quibus ius ante non fuit euectionum faciendarum, moderatione Reipub. proſciant (d) Inl. (e) enim viri militiæ equestris ac pedestris Magistri, qui hac vsurpatione (f) caruerunt, (g) multo in posterum patientius abstinebunt, cum & amantes Reip. sint, & circa communes vtilitates nostris sibi animaduertant moribus (h) esse viuendum. Dat. Kal. Feb. Richomere & Clearcho conss. [384.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Concordat *lex 56. infr. GOTHOFR.*

(b) Imo reponendi hic, & duabus prox. legibus *infr. Imppp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius.* vid. *Chronolog. IDEM.*

(c) Ad hunc *Neoterium* extant plures Symmachi epistolæ *lib. 5.* ab *ep. 36.* ad 44. *ID.*

(d) De huius loci emendatione mox. *ID.*

(e) Pro, *Quare Illustres:* vel *Illustres enimuero. ID.*

(f) Id est huius iuris vsurpandi iure. *ID.*

(g) Quid si legamus, *claruerunt*? *ID.*

(h) Et motibus. *ID.*

COMMENTARIVS.

Magistris militum, quamlibet Illostribus, siue ii Equitum siue Peditum Magistri sint, (quæ Magistrorum militum species fuerunt, de quibus in *Notitia*) Euectionum faciendarum ius (quod appetiisse tum videntur) Theodosius M. *hac l.* denegat, pariter vt & Arcadius filius eius *l. 56. infr.* & Theodosius Imp. *l. 9. Cod. Iust. eod. tit.* In immensum equidem Magistrorum militum dignitatem & culmen auctum fuerat Theodosius M. vt docet *lex vn. sup. de Consulibus:* & *l. 2. sup. de Præfectis Pratorio, siue vrbis, & Magistris militum:* quibus locis dixi. Exæquatis videlicet iis, in omnibus aliis Præfectis Prætorio: quod etiam docebit *lex prox. 44.* non ideo tamen hac parte exæquatos voluit, Euectionum faciendarum iure his denegato, contra, eo iure aliorum Principum exemplo, vt docet *lex 9. 12. 35. sup.* penes Præfectos Prætorio, Magistrosque Officiorum selecto, vt *l. 40. sup.* ita & *hac l.* tacite. Cuius exemplum secutus filius eius Arcadius *d. l. 56. inf.* Ad modulum proinde inferiorum Iudicum Magistris militum hac parte exæquatis, vt ostendit *d. lex 56.* & ad pristinam moderationem reuocatis, vt *hac l.* dicitur, verbis elegantissimis, quæ tamen corruptissime edita sunt. Ad marginem sane Cod. Theod. Parisiensium editionum, & exinde Lugduoensis, locum hunc ita restitui video; *moderatione Reipublica; prorsus sciant abstinendum.* Quod prorsus & nimis recedit a vulgata scriptura, neque satis cohæret superioribus illis, *moderatione Reipublica.* Itaque hic malim: vel *moderatione sua Reipublica prospiciant*, vt *infr.* cum *& amantes Reipublica sint:* vel (quod malo) *Moderationem Reipublica porro seruent.* *Porro* ait lex, vt mox *in posterum patientius abstinebunt: Moderationem* ait lex, *Moderatio* pro abstinentia, itaque & mox, abstinebunt: *Reipublica*, ait lex. Ita quoque *l. 44. inf. Reipublica prouiderunt.* Et hæc quidem hactenus antequam MS. vidissem, qui ita habet: *Quibus ius ante*

non fuit euectionum abstinent iam quibus fuit faciendarum moderatione Republica prociant, vbi tameo litera *S.* superius superscripta, vt sit *proficiant*. Male. Ego locum ita restituo: *Quibus ius ante non fuit euectionum, abstineant: cum iam ii quibus fuit faciendarum, moderatione Republica proficiant.* Nempe huius loci idem sensus est qui *d. legis 56.* in eodem argumento, vbi Arcadius filius Theodosii pariter: *Tunc namque meum praceptum custodire oportet Iudices inferiores, cum cognouerint a Potioribus custodiri.* Ad quam *leg.* vide etiam quæ dicam. Sensus igitur huius quoque loci est; vt maxime Magistrorum militum cæteroquin culmen summum sit (nam & ita Theodosius M. culmen militare diserte vocat *l. vn. sup. de Consulibus:*) & pompam Magistri Equitum & Peditum, *l. 44. inf. prox.* Splendorem *l. 2. sup.*
P. 552 *de Præfect. prætor.* attamen hac parte *moderationem Republica debitam porro seruare*, seu eorum moderationem Reipublicæ proficere, imo tanto patientius hac facultate abstinere oportere, qood & amantes ipsi Reipublicæ sint (quibus verbis rursum propensum in eos animum suum testatur Theodosius M.) & Principis moribus viuendum sibi sciant circa communes vtilitates: ac si diceret, Communis vtilitatis rationem id deposcere, nempe vt ne Cursus publici seu Euectionum faciendarum ius & potestas per plures spargatur. Et excepti tamen postea hac parte Comites, & Magistri militum nonnulli, penes qoos videlicet summa rerum omnium & Principes ipsi erant, veluti Comites sub Honorio: hi quippe Euectiones fecere, quod ex Symmacho discere est *lib. 7. ep. 105. 106.* (a)

Illud tandem ex *fine l.* colligere mihi videor, Magistros militum hoc tempore ex Barbaris ferme nationibus fuisse indicari: Quod & aliunde discimus, fidemque faciunt tot Barbarorum Magistrorum militum per hoc æuom nomina, Richomeris, Arbogastis, Stilichonis, Bautonis, Ellebichi, &c.

(a) Vide quæ dixi de his Epistolis in nota ad *legem 9.* aduersus opinionem Cl. Henninii, qui nostri vestigia pressit, quem hic minus accurate pronunciasse, existimo.

PRIVATIS *omnibus cursu publico, etiam impetrata euectione, vti non licere.* ILLVSTRI *dignitate functis Prætoriana & Magisteria militum, quatenus is pateat.*

XLIV. (a) Iidem (b) AAA. Cynegio PP. 6. (c)

NVLLVS *euectione* vtatur priuatus, (d) tametsi valuerit impetrare; exceptis his quos Sublimissimæ (e) Administrationis inlustrauit indeptio, & quos Magistri equitum ac peditum pompa (f) sublimat; qui tamen omnes in actu ipso positi Reip. prouiderunt, non hi quos honorarii (g) tantum nominis suffragia prosequuntur; Sub hac videlicet dafinitione, vt cum semel ad propria, vel optata, peruenerint, vtendæ eiusdem euectionis non habeant facultatem; nisi consulta iterum Clementia Nostra geminæ (h) hisdem beneficium detulerit largitatis, etiamsi administratione deposita ad larem proprium reuertuntur. (i) Dat. VI. Non. Mart. CP. Richomere & Clearcho CONSS. [384.]

NOTAE.

(a) In *Legem 11. Cod. Iust. eod. tit.* coniecta est prima tantum sententia *huius legis*, ceteris omnibus resectis. *GOTHOFR.*

(b) Reponendum hic vt & *l. 43. sup.* & *l. 45. inf. Imppp. Valentinianus Theodosius & Arcadius.* *ID.*

(c) *Cynegio* Præfecto Prætorio (de quo dixi plene ad *l. 19. inf. de petitionib.* & *l. 15. inf. de accus.* & ad Libanium *orat. κατὰ τῶν εἰσιόντων.*) quinque ordine constitutiones inscribuntur. *ID.*

(d) *Priuatus* opposite ad eum qui in dignitate vel officio publico constitutus. Ita qnoque Libanius *fine orationis κατὰ τῶν εἰσιόντων*, &c. [illegible] Nam ita locum illum nunc accipio, cum alias alio sensu dicatur priuatus, opposite scilicet ad Principem, *l. 54. infr.* & *l. 1. inf. de exp. ludor. l. 3. sup. de Metatis: l. 5. inf. de operib. publ.* *ID.*

(e) *Sublimissima administratio*, pro Præfectura Prætoriana. *IDEM.*

(f) *Culmen militare* vocat idem Theodosius M. *l. 1. sup. de Consulib.* de quo dixi ad *l. 2. sup. de Præfectis Prætorio.* *IDEM.*

(g) Vide *sup. tit. de honorariis codicillis.* *ID.*

(h) Iteratæ. *IDEM.*

(i) Reuersi fuerint. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

PRIVATIS omnibus Cursum publicum impetrandi, eoque impetrato vtendi in priuatos vsus facultas *hac l.* adimitur a Theodosio M. Priuatis inquam, & in priuatos vsus, id est, nullo publico munere aut officio hodie fungentibus, vel dignitate functis. Publicis scilicet tantum necessitatibus Cursum publicum patere voluit deineeps Theodosius M. non priuatis, aut in priuatos vsus, aut voluptates; cum id tamen passim alias factum in Occidente ex Symmacho liqueat. Qua ratione Cursus publicus lacerabatur, neque expediendis si quando publicis necessitatibus sufficiebat. Imo & antea seu hactenus sub Theodosio M. ex priuatis solis ciuili aut militari quacunque dignitate iam functis,

fundis, Cursum a Principe impetrare licuit, *l. 39. sup.* Verum vti dixi, id nunc a Theodosio M. inhibetur & coarctatur. Exceptis iis tantum, qui aut *sublimissima administratione*, id est, Præfectura Prætoriana functi essent, vel Magisteria militum. Harum duarum tantum dignitatum gestarum culmini & memoriæ id dari voluit Theodosius M. vt quæ præcipua dignitate essent. De Præfectura Prætoriana id contestatissimum; Magisteriam militum ipse Theodosius M. ad summum culmen & pompam euexit, & Præfecturæ Prætorianæ ferme in omnibus æquauit, *l. 2. sup. de Præfectis Pratorio*: siue Vrbis *l. vn. sup. de Consulibus præfect. magistr. mil.* &c. quibus locis plura dixi, solo Euectionum faciendarum iura excepto, *l. 43. sup.* numerumque eorum auxit, teste Zosimo *lib. 4. c. 27.* Ergo harum duarum tantum summarum dignitatum gestarum memoriæ id dare Theodosio M. visum, vt priuati iam Cursus publici potestatem impetrare possent. Sub duabus tamen adhuc limitationibus; prima, vt videlicet reuera functi sint his dignitatibus, non codicillis tenus honorariis, quod & ipsum voluit *l. 39. sup.* vbi dixi. Altera vt semel impetrata Cursus publici licentia, qua ad optata peruenerunt, iterum eum vsurpare eis non liceat, nisi a Principe id eis gemino seu iterato beneficio nominatim concessum fuerit, etiamsi ad larem proprium semel reuersi fuerint: quomodo hanc *leg.* accipio.

P. 553

De Angariarum *modo.*

XLV. (a) Iidem (b) AAA. Cynegio (c) PP. ō.

Nullus *numerum* (d) amplius quam singulas vel binas angarias, secundum prius nostræ præceptum † Serenitatis, vsurpet. Dat. IV. Id. April. CP. Richomere & Clearcho conss. [384.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem ei, *lex 12. sup. de re militari.* GOTHOFRED.

(b) Reponendi hic pariter, vt duabus *legibus* superioribus, vt & *d. l. 12.* *Imppp. Valentinianus* Theodosius *& Arcadius. ID.*

(c) *Cynegio* huic inscribuntur quatuor aliæ *leges* ordine *hoc titulo*: de eo vide *Prosopogr. ID.*

(d) Sustineri quis istud posse putet: nisi mali quis, *Nullus numerus*: vel *numerum* pro *numerorum*: numerus scilicet militaris, arg. *d. l. 12. sup. de re militari. ID.*

† Theodosii hæc constitutio non extat. *ID.*

COMMENTARIVS.

Angariarum modum præstituit *h. l.* Theodosius M. pariter vt Constantius Imp. *l. 11. sup.* & *l. 5. sup. de Curiosis*: ad quas dicta sufficiant. Illud tantum notandum, *legem* hanc partem esse maioris Theodosianæ constitutionis, vnde desumpta est quoque *lex 12. sup. de re milit.* quæ ptoinde huic coassanda venit: cuius etiam argumento credat quis *Tribunis numerorum* nominatim hunc modum poni: nam & iisdem modus quidam alius ponitur *ea l. 12.* ac proinde legendum videatur *hac l.* *Nullus Numerus*, vel *Nullus Tribunus numeri*, vel *Nullus Numerum*, vel *Numerorum*. Nisi malit quis, *Nullus numero amplius*, &c. Et quid si, *Nullus Numerariorum?* ἐπέχω.

De Officiorum *Veteranis*, Mancipibus *cursus publici.*

XLVI. (a) Imppp. Valentinianus Theodosius & Arcadius AAA. Cynegio (b) PP. ō.

Diversorum (c) Officiorum veterani (d) *Mancipatum* debitum cursui publico repræsentent: etiam si post, contra vim Legis, † aliquam indepti sint dignitatem, aut per suffragium ad Curiarum honorarium Patronatum, aut ad societatem consortiumque Laurentum, aut ad decuriæ Herculeæ suffragium adspirasse doceantur. In his vero, qui non terrena, sed cælestia (e) priuilegia quæsiuerunt, hoc custodiendum esse sancimus, vt si quemquam ex huiusmodi (f) genere hominum iam tenet Religio (g) sacrosancta; eiusque operam non potest accipere Mancipatus, facultates memorati cursus publicus consequatur. Dat. V. Id. April. Med. Arcadio A. I. & Bautone V. C. conss. [385.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Concordant huic *lex 34. & 42. sup.* GOTHOFREDVS.

(b) Cyne-

(b) *Cynegio* huic quinque ordine: constitutiones hoc *titulo* inscribuntur: de eo vid. *Prosopogr. ID.* In *Chronologia* noster nomen *Cynegii* mutandum esse in *Neoterii* existimat. Res dubia certe est. *Cynegius* enim PP. Orientis fuit, & lex data dicitur *Mediolani*. Si recte hic habet subscriptio & *Valentiniano* hæc lex tribuenda, & ad *Neoterium* dari debuit, qui *PP. in Occidente* fuit. Et forte *Consortium Laurentum*, atque *Decuriæ Herculeæ* nomen hic obuium, id cuidam persuadeat. Nam quamuis in Commentario noster asserat, legem pertinere ad Orientem, idoneis tamen argumentis id probare non valuit. Etiam nil facilius fieri potuit, quam id, vt librarii rudes, qui *Cynegii* nomen iam bis scripserant, & in sequentibus duabus videbant legibus, *huic* quoque addere maluerint. *RITTER*,

(c) Id est quorumcunque. *GOTHOFR.*

(d) Emeriti, *l. 34. sup. ID.*

† *Legem* hanc anteriorem nota. *ID.*

(e) Religionis. *ID.*

(f) Officialium veteranorum. *IDEM.*

(g) *Religio sacrosancta*, pro Clericatu, *h. l.* & *l. 123. infr. de Decurionibus. ID.*

COMMENTARIVS.

De MANCIPIBVS Cursus publici est hæc Theodosii M. constitutio, (pariter vt altera eiusdem *lex 42. sup.*) Qua definitur, diuersorum Officiorum Veteranos, id est, emeritos ex Officialibus, mancipatui huic addicendos. Quod & ipsum placuit Gratiano *l. 34.* & eidem Theodosio iam antea, *l. 42. sup.* quibus locis dicta sufficiant. Hac tantum *lege* notandæ variæ Ampliationes quas Theodosius addit. Primo, Mancipatui addicendos Officiales emeritos, quamlibet dignitatem aliquam indepti sint: & sic dignitate nulla mancipatus Cursus publici euitatur. *Secundo*, etsi Patroni Curiarum honorarii facti fuerint; scilicet, Curiæ suos sibi *Patronos* de se optime meritos eligebant, velut ex principalibus; vt docet *lex 61. inf. de Decurionib.* quorum patronorum Curiarum etiam multa mentio in veteribus Inscriptionibus. Adeo vt multi etiam ex alio hominum genere veluti Officiales emeriti (vt hæc *lex* docet) per suffragium Curiarum honorarium patronatum ambirent. *Tertio* etsi ad societatem consortiumque Laurentum adspirauerint. Quænam vero hæc societas, seu consortium istud Laurentum fuerit, obscurum est: de Laurentibus in Italia res nota. Sed & Decurionis Lictorisque Laurentium mentio in *veteribus Inscri-*
P. 554 *ptionibus*. De *Laurentum Decuria* & Decuriæ *Flamine*, est hæc Feltriæ, apud Gruterum CCCCIX. 8.

C. FIRMIO. C. F.
MENEN. RVFINO
EQ. PVB. LAVREN. LAV.
DEC. FLAMIN. PATRONO
COLLEGIORVM. FABR.
CENT. &c.

Id est, *Laurentina Lauinatis Decuria Flamini*. Est & hæc altera Fulinguæ in Vmbria apud Gruterum CCCXLVII. 1.

P. ÆLIO. P. F. PAPIR
MARCELLO CENT
FRVM. SVB. PRINCIPE
PEREGRINORVM. ADSTATO
ET. PRINCIPI. ET. PRIMIPILO
LEG. VII. GEM. PIAE. FEL. ADLEC
TO. AD. MVNERA PRAEFF
LEGG. VII. CLAV. ET. PRIMAE
ADIVTRICIS. V. E. FLAMINI
LVCVLARI. LAVREN. LAVINA
PATRONO. ET DECVRIONI. CO
LONIAE. APVLESIVM. &c.

Est & hæc Inscriptio de *Lictore*, *Romæ* apud eund. DCXXX. 6.

M. VALERIVS
ACHILLEVS LI
CTOR. PROXIMVS
LAVREN. LAVINAS
AGENS ANNVM &c.

Verum cum hæc *lex* ad Orientem pertinet, Laurentes isti huc vix pertinere videantur. *Quarta* Ampliatio: Etsi *ad Decuriæ Herculeæ suffragium adspirauerint*. Decurio, seu Decuriales Vrbis Romæ huc non pertinent, cum vti dixi hæc *lex* Orientem spectet. *Decuriæ Herculeæ* mentio in *Inscriptione* mutila, quæ Romæ *in ædibus Antonii Frangipanis* apud Gruter. MXVII. 5. vbi dicitur:

CONCORDIAE. ET
FELICITATI PVB.
AVGG. NN. . . . . NI
. . . . . T. . . . .
M. LAELIVS. C. F. PAL
MAXIMVS
. . . .
VTRISQVE. DECVRIE
PRINCEPS. MAG. HERC
ET. AVGVSTAL. . . . . . .
STATVAM. CVM. ORNAM.
. . . .

Sic & in veteri Inscript. Romæ, apud eundem DLXXXVI. 6.

VIAT. HONOR. DEC. COS. ET. PR.

memoratur, id est, *Decuria consularis & Prætoria.* Fit & mentio DECVRIÆ IVLIÆ XXXVI. 6. Notum varias Decurias *Φρατρίας* fuisse & quidem eorum, qui sacrorum Gentilium ministri essent, & in his Curiata, de qua Gutherius *de iure Pontificio 2. c. 14.* Ergo de huiusmodi Decuria hunc locum accipio, tum Herculeæ argumento, tum nexu eorum quæ mox dicentur de Clericatu. Denique societas Laurentium, & Decuria Herculea, tale aliquid fuerunt quale alibi, per Africam scilicet, *Frediani*, *Dendrophori*, *Cibilarchæ*, *Centonarii*, de quibus *l. 20. infr. de Paganis*, *Vitutiarii Nemesiaci*, *Signiferi*, *Cantabrarii*, *l. 2. inf. de Collegiatis*. Ex *hac* sane *lege* liquet, pro magno id habitum, ad societatem & consortium Laurentum & ad Decuriæ Herculeæ suffragium adspirare. *Quinta* Ampliatio circa veteranos Officiales, *Clericos* factos. Igitur eos quidem Clericos manere vult, verum facultatibus suis Cursui publico cedere. Ita idem Theodosius M. Curiales, Clericos factos, facultatibus suis cedere voluit: *l. 104. 115.* (quæ eidem Cynegio PP. inscribitur) *121. 123. inf. de Decurionib.* Quod & ipsum iam ante placuerat tum Valentiniano seniori, *l. 59. eod. tit. de Decurion.* Valentiniano Iun. *l. 99. eod. tit. de Decur.* quo etiam pertinet Ambrosii locus ad Valentinianum Iun. contra Symmachi relationem *ep. 18. num. 13. edit. Benedict.* & *epist. 29.* (*40. n. 29. edit. Benedict.*) Imo & Constantio quadantenus, *l. 49. eod. tit.* & *l. 7. sup. de Cohortalib.*

De

De ONERE *seu* PONDERE *vehiculis & veredis imponendo.*

XLVII. (a) Iidem AAA. Cynegio pp. ō. (b)

REDÆ mille librarum *onus* imponi debet, carro fescentarum, nec amplius: addito eo, vt aurum ceteræque fpecies largitionales, non ad libidinem Profecutorum (c) vel Sufceptorum, (d) fed aptis oneri ac ponderi vehiculis deferantur. Quibus vtique non licebit, fub capitalis exitii minis, quicquam oneris priuati, fecus quam Lex + noftra præfcribit, imponere, neque alios mercede fubuehendos, veluti propofita licitatione, conducere; exceptis his quos neceffitas profecutionis adiunxerit. Et quoniam * Veredorum quoque cura pari ratione tractanda eft, fexaginta libras (e) fella cum frenis: triginta quinque (f) vero, auerta non tranfeat: ea condicione, vt fi quis præfcribta moderaminis Imperatorii libramenta tranfcenderit, eius fella in frufta cedatur, auerta vero fifci viribus (g) deputetur. (h) Dat. XV. Kal. Iul. CP. Arcadio A. I. & Bautone CONSS. [385.]

N O T A E.

(a) Abfunt priora duo *huius legis* capita a *Cod. Iuft.* GOTHOFREDVS.
(b) *Cynegio* Præfecto Prætorio quatuor aliæ conftitutiones *hoc titulo* infcribuntur. De eo plene in *Profopogr.* IDEM.
(c) De *Profecutoribus* agitur quoque *lege prox* & *l.* 40. *fup.* & *l.* 18. & eft infra, *Titulus* peculiaris *de auri publici profecutoribus, lib.* 12. *tit.* 8. *ID.*
(d) De *Sufceptoribus* eft infra, *Titulus* 6. *lib.* 12. *ID.*
+ *Legem* Theodofii, quæ hanc præceffit, nota. *ID.*
* *Lex* 12. *Cod. Iuft. eod. tit.* hinc defumpta eft. *ID.*
(e) *Auri* additum Cod. Iuft. RITTER.
(f) *Sexaginta itidem*, ita *Cod. Iuft.* GOTHOFRED.
(g) *Iuribus* Cod. Iuft. male. vid. Gloff. Theod. in *vires.* *ID.*
(h) *Exceptis auri centenariis quæ neceffarium eft ab Hippocomis in folitis facculis reportari*: addit *Cod. Iuft.* vbi *Centenarii* funt monetæ genus, de qua alibi; non vero equi ornamenta, vt nonnulli cenfent. *IDEM.*

---

p.555 IDEM *argumentum: cum nonnullis aliis.*

XLVIII. (a) Iidem AAA. Cynegio pp. ō. (b)

SI aurum facrarum largitionum vel argentum ad Comitatum noftrum deftinatur, vna reda quingentis auri libris, mille vero argenti: fi vero priuatarum, auri trecentis, quingentis vero argenti libris *oneretur*. Sint præterea duo Palatini Profecutores (c) fingularum redarum cum tribus feruis, habentes quinquagenarum librarum auertas & faga, (d) quibus par erit eos pro itineris neceffitate muniri, ita vt fi quid vltra perfcribtum (e) Noftræ Serenitatis inuentum fuerit, ad Comitatum noftrum protinus dirigatur. Lineæ vel amictoria, quibus hactenus onerari redæ folebant, nec (f) vlterius redis, fed angariis vel nauibus dirigantur: & fi alicubi repertæ fuerint huiufmodi fpecies; thefauris eius Vrbis, in qua deprehenfæ fuerint, deputentur, per angarias vbi facultas fuerit, deftinandæ: Reliquæ vero delicatæ veftes, fed & linteamen amictorium, noftrorum vfibus neceffarium, redis fub mille librarum ponderatione mittantur. Dat. IV. Non. Mart. CP. Honorio NB. P. & Euodio V.C. CONSS. [386.]

N O T A E.

(a) Abeft hæc *lex* a *Cod. Iuft.* GOTHOFREDVS.
(b) *Cynegio* huic PP. quatuor aliæ *fupra* leges infcribuntur. *ID.*
(c) De *Profecutoribus* iam ad *leg. fuperior.* IDEM.
(d) De *Sagis* his dixi ad *l.* 37. *fup.* *ID.*
(e) *al.* Inuerfe *præfcriptum.* *ID.*
(f) *vt. m.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE IVSTO ONERE redarum & carrorum: deque specierum largitionalium transmissione, prosecutione; tandem, de iusto veredorum onere sunt hæ *duæ*, ad eundem Cynegium PP. Theodosii M. *Constitutiones*, quibus definitur, quantum *Oneris* singulis imponi possit, siue priuati Cursu publico imponantur, siue species largitionales transferantur: deinde de prosecutionis & translationis ordine dictarum specierum. Ergo *Redæ* mille libras tantum imponi vult indistincte Theodosius M. *l. 47. in pr.* pariter vt Constantius *l. 8. sup.* & Valentinianus Sen. *l. 17. 28. 30. sup.* At *l. 48.* ita distinguit: Vel, inquit, aurum & argentum destinatur, vel vestes, & linteamen amictorium Principis vsibus necessarium. Hoc posteriore casu mille libras imponi vult; at priore casu, minus, & quidem sub hac subdistinctione: Vel, inquit, est aurum, argentum, sacrarum largitionum; & tum vna reda nonnisi 500. auri libræ, mille vero argenti onerari possunt: si priuatarum, nonnisi auri trecentæ, quingentæ vero argenti. Quarum distinctionum & proportionum quænam ratio sit, mihi non liquet. Cur, inquam, species fiscales in auro & argento distinguantur a vestibus? cur aurum ipsum ab argento? cur sacræ largitiones, a priuatis? Nisi quod necesse est, redas alias aliis maiores fuisse: nempe redas vestiarias longe maiores, vt & argentarias, quam aurarias: item sacrarum largitionum redas maiores, quam priuatianas. Et sic in triplici discrimine, si pondus spectes, fuere *redæ*. 1. Mille librarum, puta communes, itemque argentariæ sacræ & vestiariæ. 2. Quingentarum, aurariæ sacræ, & argentariæ priuatæ. 3. Trecentarum, aurariæ priuatæ. Et hæc quidem de onere Redarum. *Carro* vero nonnisi sexcentas libras imponi vult Theodosius M. *l. 47.* Carrus igitur reda minor fuit, tertia paulo plus parte. Et hæc quidem de primo capite *harum legum*.

Secundo speciatim & distincte agitur de *specierum largitionalium transmissione per Cursum publicum*, quomodo scilicet ea facienda sit, specierum inquam largitionalium, quæ duum generum fuerunt, vel sacrarum inquam largitionum, vel priuatarum, vt cæteroquin aliæ sacræ largitiones earumque Comites fuere, aliæ priuatæ earumque Comites & Palatini si materiam spectes, species quoque diuersæ fuerunt: veluti aurum, argentum, vestes. De Auro, suo *titulo inf. de auri publici prosecutorib.* de Argento, suo quoque *titulo infr. de Argenti pretio quod thesauris infertur*. De Vestibus suis quoque *Titulis, inf. lib. 10. & tit. de mil. t. veste, sup.* Ergo quatuor circa harum specierum transmissionem (præter ponderis & oneris definitionem de qua *sup.*) medio Cursus publici constituit *his duabus legibus* Theodosius M.

Primo vetat quicquam ponderis priuati seu extranei, siue in rebus siue in personis superimponi vehiculis species publicas transferentibus. Quod & ipsum Arcadius postea, vetuit circa naues species fiscales transferentes, *l. vn. infr. ne quid oneri publ. imponatur*, vbi dicam plura (pariter vti vetitum in horreis fiscalibus alia frumenta constitui, *l. 16. infr. de susceptorib.*) Et quidem id *hac l.* vetat Theodosius sub pœna capitali: quomodo *d. l.* illud prohibetur sub pœna coërcitionis publicæ.

Secundo duos Palatinos (de quibus *suo titulo, sup. de Palatinis sacrar. largit.*) vnius redæ auri vel argenti prosecutores esse vult. Prosecutores inquam, non Cursus publici, vt Vir doctus prodidit, verum auri & argenti quod rhedis subuehebatur; eosque cum *tribus seruis*. Sane & Iulianus eiusque exemplo Valentinianus Senior, *l. 18. & 20. sup.* prosecutores, seu custodes specierum, nonnisi duos, aut ad summum tres vehi voluit singulis redis, de quo ad eas *leges*. Alioquin trium seruorum numerus & alias velut sufficiens notatus. Vt omittam alia: in hoc ipso de cursu publico argumento Constantinus M. apud Eusebium *l. 10. histor. Eccl. c. 5. in f.* Chrestum Syracusanorum Episcop. epistola ad Synodum Arelatensem inuitans, vna cum duobus aliis τῦ δευτέρυ θρόνυ, id est ex secundo ordine Presbyteris, ei δημοσίυ ὀχήματος vehiculi publici copiam facit a Consulari Siciliæ accepti, vna cum tribus seruis, qui eis inter vias ministrarent: ἀλλὰ μὴν καὶ τρεῖς παῖδας τὺς δυνησομένυς ὑμῖν κατα τὴν ὁδὸν ὑπηρετήσασθαι. P. 556

Tertio, Palatinos hos secum ferre posse nonnisi quinquaginta librarum Auertas & saga, quibus par est eos pro necessitate itineris muniri (de quibus sagis iam dixi ad *l. 37. sup.*) *Auerta* cuius hac vtraque *lege* mentio fit (vnde & *Auertarios*, equos scilicet, *l. 22. sup.*) fit quoque mentio apud Suidam voc. ἀορτήν, & in *Glossis* Seruii, & vet. Horatii Interpr. *in 6. Satyr. lib. 1. v. 106.* Græci Iurisconsulti Ecloga *Basil. 57. 1. 17.* interpretantur ita: Ἡ δὲ ἀβέρτα, τυτέςι τὸ ὑπομασχάλιον, ὅπερ ἐπιφέρεται, καὶ τῷ νότῳ, καλεῖται δὲ ἀβέρτα ἐκ τῦ ἀπεςράφθαι. *Auerta vero, id est lateralium, quod in tergo gestant: vocatur autem auerta ex eo, quod auersa sit.* Exinde passim hodie post Budæum, *Auerta* creditur, equi ornamentum laterale, & quidem pectori substrictum, seu antilena, pectorale, vt Accursio visum. Alciatus ornamentum capitis vocabat, quo habenæ figuntur, atque inde sessor equum vertit. Quæ omnia inania sunt. Primum enim *Auerta* ab instructo equi plane & diserte distinguitur, a sella inquam & frœnis, *l. 47.* Secundo, Auerta non in equi instructo numeratur, *l. 48.* verum diserte in instructo viatorio & munimento ad iter Prosecutoris hominis, pariter vt sagum inuehenti in reda necessarium. Tandem cui fides, lorum 50. vel 35. vel etiam 60. librarum pondo fuisse? quod pondus Auertæ statuitur, *l. 47. 48. & l. 12. Cod. Iust. eod. tit.* Auerta igitur est (vt recte Suidas) σκεῦος, id est *Sarcina* rerum necessariarum, quod in *auerso* equi gestabatur: vnde nominis ratio: τὸ κατόπιν φορτίον Synesio *ep. 133.* Male enim vocem Macedonicam putauit Suidas, ἀβέρτην cum ἀορτῇ confundens, vt ex Hesychio demonstratum aliis. Neque aliter ὑπομασχάλιον accipio. Sed quid moramur. Apte vetus Horatii Interpres l. c. *Mantica, pera vel auerta, si maius onus intelligendum. Alii inuolucrum, vel pera quam dicunt bisaciam. Quia pauperes cum insident iumentis post se sarcinas habent.* Pera seu mantica ad vestes viatorias, aliaue necessaria condenda. Gallice, *Vne Malle, vne Valize*; pro eo quod supra clunes equi fertur. Inde igitur & Auertarius equus, qui idem cum parhippo, *l. 22. sup.* qui scilicet Auertæ ferendæ adsumebatur, *vn. Mallier:* alias *sagmarius:* Sed quid faciendum *Glossis* Philoxeni, vbi *Liba* ἀβέρτης? Locum corruptum iam alii suspicati, sed quomodo restituendus sit, nondum indicarunt, neque ipse diuinare possum. An forte legendum *Lixa* ἀβέρτης vel ἀορτής: quomodo apud Hesychium ἀορτὴς ξιφιστὴς, ὑπὸ Μακεδόνων. (a)

Quar-

(a) Pauca admodum de *Auerta* habet CL. BERGIERIVS *IV. 15. §. 6. 7.* vbi ex Turnebo *Aduerf. XXX. 16.* addit E-*quum Auertarium*, aliter etiam *Sagmarium* dictum. Sed audiendus hic est CL. HENNINIVS *in not. ad Bergier. l. c.* Ita vero ille: *Sagmaria* apud Suidam *h. v.* τὰ βαςάζοντα τὴν ἀποσκευὴν, καὶ τὴν μεταπομπὴν τῶν

Quarto, lineas vel amictoria quæ per rhedas hactenus subuehebantur, non rhedis amplius, sed angariis, vel nauibus dirigi vult. Angariis, idest, carpentis, protelo boum: de quibus plene *ad l. 4. sup.* quomodo & Iulianus cum veredorum & paraueredorum cursum amputauit in Sardinia, angarias retinuit, subuehendis videlicet speciebus, quæ ad diuersos portus erant deferendæ: *l. 16. sup. h. t.* scilicet tardigradus hic cursus speciebus fiscalibus transuehendis aptior visus, vt cæteroquin impedimentis maioribus: vt ostendi ad *d. l. 4. sup.* ac nominatim *hac l.* lineis & amictoriis, quæ grauiora erant: ac non etiam delicatæ vestes, & linteamen amictorium, palatinorum vsibus necessarium, quæ redis porro subuehi vult. Lineæ & amictoria delicatis vestibus hic opponuntur & linteamini amictorio in palatinorum vsus, quia lineæ & amictoria grauioris panni erant in vsus militares; de quo *sup. tit. de milit. veste.* & de vtrisque *infr. tit. de Murilegulis, Gynæciariis.* Ergo grauiores illas species vult Theodosius M. non redis, verum angariis transuehi: de quo hactenus; Itemque nauibus, qua videlicet flumina opportuna sese præberent. Nam & naues in Cursu publico fuisse docet quoque Sidonii locus *l. 1. ep. 5.* *Egresso mihi Rhodanusia nostra mœnibus publicus cursus vsui fuit, vtpote sacris apicibus accito, &c. Ticini, Cursoriam, (sic nauigio nomen) ascendi.* Sic & *Tabula Itineraria Peut. Segm. 3.* iter Verona Rauennam per Hostilias designans, *Hostiliis* Rauennam *per Padum* iter faciendum notat. Et apud Cassiodorum *II. Variar. 31.* Theodoricus Rex dromonariis Hostiliensibus in hunc modum scribit: Et *ideo Comiti S. L. nostra præcepit auctoritas, vt in Hostiliensi loco constitui debeatis, quatenus fiscali humanitate recreati, excursus cum veredariis per alueum Padi more solito faciatis, vt diuiso labore equis publicis debeat subueniri. Quando cursus vester non atteritur, qui per vias liquidas expeditur.* Idem Sidonius *ibid.* *Brixillum dein oppidum, dum succedenti Æmiliano* [id est, Æmiliæ prouinciæ] *nauta decedit Venetus remex, tantum vt exiremus, intrauimus, Rauennam paulo post cursu dexterore subeuntes.* Vnde quoque apparet, quomodo in viis publicis statæ mutationes erant veredorum & vehiculorum cursualium: ita & in fluuiis *d. loc.* Euectio Naualis apud Victorem Vticensem *lib. 3.* & in *Appendice* Gregorii Turon. *lib. II. c. 109.* alio sensu pro itinere Nauali. (b)

Tertio capite *legis* 47. Theodosius M. *Veredorum* quoque *onus* definit, ne alioquin iniquo onere fatiscerent: & distincte quidem, de sellæ prius & fœnorum pondere, tum de Auertæ pondere: nam in his

ἀποσκευῶν, *farcinaria iumenta, quæ impedimenta portant & alia vsui necessaria.* Isidorus *Etymol. XX. 16.* *Sagma, quæ corrupte vulgo dicitur Salma, a stratu Sagorum vocatur; vnde & Caballus Sagmarius, Mula Sagmaria.* Respicit forsan Lampridii *in Alagab. c. 4.* *Sagma*, quod etiam legitur apud Vegetium *de Re Veterin. II. 59.* est, quod substratum oneri obsistit sudoribus eosque excipit (vnde Græci eleganter vocant ἱδρωμάχιον) nec non, vt mollius & sine noxa onus ferant. Hinc *Equus sellaris*, qui hominem vehit, opponitur *equo sagmario*, qui onera portat. *Auertam* viri docti antea non satis assecuti sensum vocis ὑποσαγμάτιον, qua ICC. Græci illam interpretantur, male putarunt *equi ornamentum laterale*, vel *antilenam*, aut *pectorale*, vel *capitis ornamentum* esse; sed recte Suidas in Ἀβέρτας (vbi tamen male putauit esse vocem Macedonicam, cum sit latina) σκεῦος, i. e. *farcinam*, Synesius ep. 133. τὰ κατόπιν φορτία, explicant. Scholiastes Cruquianus *ad l. l.* Horatii, *Mantica* addit Synonyma: *pera, auerta vulgo bisaccia.* Est ergo *farcina*, quæ quod in auerso supra clunes equi fertur, dicta est *Auerta*: & hinc *Equus Auertarius*, *parhippus* scilicet, qui *auerta ferenda* adsumebatur. *Auerta* autem distinguitur ab instructu equi, vt *sella & frenis* l. 47. diserte in viatorio instructo & munimento ad iter recensetur, l. 48. Prosecutores in pondere eius iubentur non transire *XXXV. libras*, *d. l. 47. §. 2. L. Libras* d. l. 48. *C. T.* tandem generatim *LX. Libras*, l. 12. C. I. de C. P. Apud Cassiodorum *Var. IV. 47.* Theodoricus Rex Godiscalco Saioni scribit: *Parhipporum quia & etiam onera centum librarum nemo excedat. . . . . quinquaginta solidorum multam iam non Veredarius, sed Catabulensis incurrat, quisquis vltra centum libras parhippum crediderit onerandum.* Adde *Var. V. 5.* Est autem *Auertarius* vel *Parhippus* arg. *l. 24. C. T. d. t.* ideo, scilicet equus ad grauem *auersam* ferendam destinatus, *vt mulier*. *Veredus* vero & *vehiculum* ad gestationem hominis. Vnde in *ll.* Cassidori distinguuntur *Equi Cursuales* & *Parhippi.*

Hactenus Henninius; qui cum Suidam in ἀβέρτας citat, puto typographicum errorem esse, in voce enim ἀβέρτα Lexicographus de *Auerta* dicit. *Interpretis Horat.i* verba genuina addidi in Commentario, in quo *Landini* legebantur, quæ eius loco substituit Gothofredus, sequens sine dubio Bergierium *l. c.* qui ita habet: „ Est enim vt ait vetus Scholiastes Horatii *ad Sat. I. 6. v. 106.* *Auerta pera seu mantica ad vestes viatorias aliaque necessaria condenda.* Verum id non ait vetus, sed recentior Scholiastes *Landinus*, & miror Cl. du Fresne in *Glossar. Lat. voc. Auerta*, hæc verba etiam tanquam a vetere essent ita produxisse, nullo ex recentioribus allegato. In errorem eum aut *Bergierius* aut *Noster* induxit. De *Auerta* præterea dixit *ex Basil.* Budæus *Poster. ad Pand. pag. m. 87. edit. Lugdun. Gryphian.* quem laudat, & sequitur Cuiacius *ad leg. 12. Cod. Iust. de C. P.* Sed errarunt omnes ante Bergierium. Adde Meursium *Gloss. voc. ἀβέρτα*, qui iam olim Suidæ locum cit. emendauit, & Car. du Fresne *Gloss. Gr. voc. ead.* De *Equo Sagmario* nonnulla dicit Cl. Salmasius *ad Vopiscum pag. 354. edit. Paris.*

(b) HEN. CHRIST. HENNINIVS *ad Bergier. IV. 44. §. 7. pag. 787. 788.* *Cursus publicus* quoque factus est *nauigiis*, per *flumina*, *lacus*, *sinus* & *maria* distributis, vt docet Sirmondus *ad l. Sidon.* adde porro Cassiodor. *Var. IV. 15. V. 16. & 17.* Hinc *Euectio Naualis* apud Victorem, qui vulgo nominatur Vticensis, *lib. 3.* & in appendice Gregorii Turonens. *II. 199.* hinc *Itinerariam Positionem nauium* in *Itin. Anton. pag. 114.* hinc *Tabul. Peuting. Segm. 3.* in itinere Verona Rauennam designatur & notatur, *Hostiliis per Padum iter* esse faciendum: quod lucem accendit loco laud. Cassiodori *Var. II. 31.* *Dromones* etiam occurrunt in *L. 2. C. I. de off. PP. Afr.* Isidorus *Etym. XIX. 1.* dici *naues longas*, ait, *ac esse cæteris longiores*, *a decurrendo* autem siue δρόμου sic dictas; hinc Latinuos Sidonii *Cursoria*: & *Dromonarii* apud Cassiodorum *l. c.* Pollux *in Onomast.* ἀκάτας naues istas *Dromones* vocat: Moschopulo *h. v.* Dromo est δρομ̀ ναῦς. *Celox* Nonio *de gen. nauig. p. m. 258.* est *nauigium breue, dictum a celeritudine*: at Fulgentius *de Prisc. Sermon. p. m. 274.* ait: *Celocem dicunt genus nauiculæ modicum, quod lumplum* (forte *lembum*) *dicimus.* Idem *pag. 275. versa*: *Lembus genus nauiculæ velocissimæ, quod & Dromonis nomine appellamus.*

De Dromonibus latissime C. du Fresne in *Glossar. Latin. & Græc.* adi etiam Schefferum *de Milit. naual. lib. 2. cap. 2.*

his onus veredi, præter hominem erat. longens vero pondus hoc tum temporis, vt videlicet sella cum frœnis tantum penderet.

Hic interim de *sella* noto, hanc primam mihi occurrere sellæ equestris mentionem, cum antea stragulis tantum equi sternerentur, etiam paulo ante sub Valente, vt ex Basilio *homil. ad eos qui tenentur studio discendi*, liquet. Item noto sellam grauem & ponderosam admodum fuisse, vt inter initia noui reperti: quare modum ei rei, oneri inquam veredi, necesse habuerit Theodosius M. imponere. Tertio hinc colligo, vt & ex iis quæ mox subiicientur de sella in frusta cædenda, viatoris seu veredarii, id est qui veredo vsurus esset, sellam propriam fuisse, non publicam; *eius*, inquit, *sella in frusta cedatur:* Item hinc apparet, Auertam cum frœnis nil commune habuisse: Auertæ scilicet separatum hic pondus a sella & a frœnis; & quidem 35. tantum librarum, cum maius pondus esset Auertæ Prosecutoris rhedam prosequentis, nempe 50. librarum, vt expresse definit *lex 48.* Tribonianus sane in *l. sua* hinc interpolata idem Auertæ pondus facit cum sella & frœnis, nempe 60. librarum, Anterioribus vero Constitutionibus sancitum fuerat, ne veredo vltra 30. pondo imponerentur; Constantii *l. 8.* Valentiniani Sen. *l. 17. 28. 30. sup.* de quo ad *d. l. 17.* plura.

p. 557 *De* MODO *cursus publici quatuor militarium virorum qui Principis, publicisque missionibus parebant.*

XLIX. (a) Iidem AAA. Cæsario (b) Magistro (c) Officiorum.

HI qui prouinciis (d) præsunt, inspectis euectionibus (e) ex quacunque (f) parte venientium, ad vehiculorum vicem, Comites (g) quatuor veredos cum parhippo; (h) Tribunos militum, ternos mouere permittant; ceteros Domesticos (i) Protectores & Agentes in rebus, (k) binis vti tantummodo patiantur. Dat. III. Non. Septemb. Valentiæ, (l) Timasio & Promoto CONSS. [389.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Cæsarius* hic ille Magister Officiorum est, qui a Theodosio M. *huius leg.* Auctore missus Antiochiam, vna cum Hellebicho Magistro militum, (cui inscribitur *lex 1. inf. de calumniatoribus*) ad disquisitionem statuarum euersarum: quod docet Theodoretus *lib. 5. cap. 19.* cuius etiam meminit Chrysostomus *ἀνδριάντων* &c. Et ad quem ipsum *Καισάριον μάγιστρον Cæsarium Magistrum* de hac ipsa re est oratio 20. Libanii *pag. 515. edit. Morelli.* ID.

(c) *Magistro officiorum* cur hæc *lex* inscribatur, Mox dicam. ID.

(d) *Iudices*, seu Rectores prouinciarum. ID.

(e) Tuis, Magistri officiorum. IDEM.

(f) Hinc Tribonianus mutuatus videtur illa: ex *vtraque parte*, in *l. 8. C. Iust. h. t.* quæ male interpretatur etiam Cuiacius pro *ex vtraque parte mansionum*, quod quid sit mihi liquere non potest. IDEM.

(g) Comites rei militaris. IDEM.

(h) De *Parhippo* dixi semel *ad l. 29. sup.* ID.

(i) De *Domesticis* Protectoribus *sup. tit. suo lib. 6.* ID.

(k) De *Agentibus in rebus*, vide, *suo tit. lib. 6.* ID.

(l) In itinere, quod Valentiniano & Theodosio fuit inter Romam & Forum Flaminii, fuerit oportet hæc *Valentia*: vide *Chronol.* IDEM. Adi *Chronologiam*, vbi noster hanc legem coniungendam forte cum *l. 11. de ann. & trib.* & *l. 113. de Decurion.* quæ eodem loco & die datæ, (sed *an. 385.*) statuit. Sed ipse sibi in *ead. Chronolog.* an. 386. est contrarius, quando loco *Valentia* in *citt. legg.* legere mauult *Melantia*. IDEM.

COMMENTARIVS.

MODVM Euectionibus seu Cursus publici vsurpationi ponit *hac l.* Theodosius M. quæ ideo Magistro officiorum inscribitur, quod hic Euectiones dabat, quod ostendit *lex 8. 9. 22. 35. sup. h. t.* Ac nominatim, quatuor militarium hominum generibus, qui pro Reipubl. necessitatibus iter agebant, quique omnes missionibus Principis parebant: puta 1. *Comites* minores scilicet seu inferiores, qui ad tuendum limitem destinabantur, (de quibus *suo titulo, lib. 6. de Comitibus rei militar.* & Tit. *ne comitibus & Tribunis lauacra præstentur:*) 2. *Tribuni* militum, 3. *Domestici* Protectores, vt docet quoque *lex 27. sup. de erogat. milit. annon.* Ammianus Marcellinus *lib. 15. c. 3. & 5.* 4. *Agentes* in rebus qui proprie in id constituti erant, vt missionibus Principis parerent: de quo *suo titulo*. Ergo his omnibus *ex quacunque parte venientibus* vt *hac l.* dicitur, quamlibet ex Reipublicæ vsu, & Principis iussu properantibus, modum *hac leg.* præstituit Theodosius M. & quamlibet alius aut maior modus Euectione contineretur, vsurpari ab his voluit, negotio eius rei dato Iudicibus, per quorum prouincias ii currerent.

Primum igitur cum his vehicularis cursus hactenus pateret & indulgeretur, non amplius vehiculis eos iter agere vult *διὰ ὀχημάτων*, verum *ad vehiculorum vicem*, seu loco vehiculorum: veredis tantum ad maiorem videlicet celeritatem.

Secundo, ne nimio etiam & delicato profusoque numero cursum publicum vexarent, certum veredorum numerum quibusque præfigit, pro loco & grado cuiusque 1. *Comitibus* scilicet, qui primo loco inter hos erant, quatuor veredos mouere permittit, & parhippum præterea (Auertæ scilicet, feredæ) de quo parhippo dixi plene ad *l. 14. sup.*

2. *Tri-*

2. *Tribuno* vero militum tres. 3. *Domesticis* Protectoribus, & *Agentibus* in tebus duos.

Et sic quod hic obseruandum, vni tantum ex his parhippum seu auertarium, cumque vnicum puta Comiti indulget: non etiam Domesticis Protectoribus & Agentibus; cuius parhippi concedendi deparci admodum fuere Principes, sarcinis mulos cursui publico destinatos ob publicas necessitates grauare nolentes: de quo dixi *ad l. 14. 27. 29. sup.* Item obseruandum, & Agentibus quoque in rebus certum veredorum numerum & statum hic præfigi, & quidem binorum, pariter vt iam antea Curiosis qui ex Agentibus in rebus sumebantur, binorum tantum veredorum copiam idem Theodosius M. patere voluit, *l. 5. sup. de Curiosis*, cum antea præberentur pro arbitrio necessitatis habita ratione, vt docet *lex 9. 14. sup.* Ita quoque idem Theodosius Vicario, nonnisi 30. asinos, veredos decem, mouere permisit, *l. 38. sup.*

P. 585

Ne HIPPOCOMIS *sua saga ab iis qui Cursu publico vtuntur, adimantur.*

L. (a) Iidem AAA. * PP. ô (b)

NON patimur, hippocomos per eos qui veredis (c) vterentur (d) indigna spoliatione (e) vexari, siquidem nonnullis (f) veredarii (g) saga eorundem dicantur (h) auferre. Quocirca per omnes Iudices, & Curiosos (i) miserabilis remoueatur iniuria: Scientibus cunctis, quod si obseruata non fuerit nostra sanctio, non solum damna resarcire, verum etiam notam & multam qui neglexerit subire cogetur, (k) vt his retentis qui fuerint detecti hippocomis saga abstulisse, super eorum nominibus ad Nostram Clementiam referatur. PP. XV. Kal. Iul. Triueris, Valentiniano A. IV. & Neoterio CONSS. [390.]

NOTAE.

(a) *Lex 13. Cod. Iust. eod. tit.* Concordat huic legi, *lex 37. sup.* GOTHOFR.

(b) *Floro* PP. ita *Cod. Iust.* vtut sit, Præfectus Prætorio Galliarum hic accipiendus, vt docet subscriptio *Propos. Triueris.* ID.

(c) Mox dicuntur *Veredarii*, vna voce. ID.

(d) *Vtentur* Cod. Iust. RITTER.

(e) Miserabilis iniuria *inf.* vocatur: notabilis populatio, *d. l. 37. sup.* GOTHOFR.

(f) *Nonnulli.* Cod. Iust. ID.

(g) *Veredarii, h. l. & l. 17. sup.* paulo ante dicuntur qui veredis vtuntur. Cassiodorus eodem sensu *IV. Var. 47.* Veredarium Catabolensi opponit. Et *ideo quinquaginta solidorum multam iam non veredarius sed Catabulensis incurrat, quisquis vltra centum libras parhippum crediderit onerandum.* Male autem hic locus habet in omnibus *Codicibus Iust.* Sunt enim qui habent *nonnulli veredariis:* melius equidem alii *nonnulli veredarii*: sed hoc retinendum. Veredarii, *h. l. & l. 17. sup.* sunt qui veredis vtuntur (non *hippocomi*:) Qua voce eodem sensu vtuntur, sed propriatim, pro his qui iussa exsequi debebant, *in Historia Esther cap. 3. v. 13. & 15. it. c. 8. v. 10.* & Hieronymus ad *Eustochium de custodia virginitatis ep. 22. p. 93. Tom. I. Oper. ed. Francf. Gensebian.* Cassiodorus *IV. Var. 47.* & Procopius 1. *Vandal. cap. 16. & lib. 2. belli Persici cap. 20.* & Firmicus *lib. 3.* & vetus Glossar. quorum verba retuli ad *l. 1. sup. de Curiosis.* ID.

(h) *Dicuntur* C. Iust. RITTER.

(i) Vide *tit. sup. de Curiosis. lib. 6.* GOTHOFRED.

(k) Reliqua absunt a *Cod. Iust.* RITTER.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iun. hæc *lex* est in eandem sententiam cum Theodosii M. *l. 37.* ne HIPPOCOMIS saga sua a veredariis, id est, veredis iter agentibus auferantur: quare ad eam dicta sufficiant de sagis & Hippocomis: ex quibus videre est quam Lucas de Penna hic ludibrium debeat. Hic obseruandum, non tantum Rectoribus prouinciarum, sed & Curiosis eius rei prohibendæ sollicitudinem *hac l.* iniungi. Hi quippe cursus publici curam agebant, seu cursus publici sollicitudinem sustinebant, vt integre haberetur; vt docet *lex 2. 3. 4. 5. 8. 9. sup. de Curiosis.*

De MANCIPIBVS *cursus publici e Curialibus eligendis, & quænam in his obseruanda.*

LI. (a) Iidem (b) AAA. Potamio (c) Præf. Aug.

PVBLICI cursus exhibitio, antiqua ex consuetudine inducta, Curialibus viritim per Curias

rias debet, pensata locorum, hominum, facultatum qualitate, distribui. Dat. III. Kal. Aug. CP. Arcadio A. II. & Rufino CONSS. [392.]

NOTAE.

(a) *Lex 14. Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata est. GOTHOFREDVS.

(b) *Valentiniani* (Iun. scilicet) nomen inducendum, vtpote qui iam hoc tempore obierat: vide *Chronol.* Solis igitur *Theodosio & Arcadio* tribuenda *haec lex. ID.*

(c) *Potamio* huic Praefecto Augustali inscribuntur hoc ipso anno tres aliae Constitutiones, puta *lex 2. sup. de defens. ciuit. lex 126. inf. de Decurionib. lex 3. inf. de his qui super rel. cont. ID.*

COMMENTARIVS.

DE MANCIPATV cursus publici est haec Theodosii M. Constitutio, vt duae aliae eiusdem, puta *lex 42. & 47.* Ex quibus apparet, Officialibus emeritis seu Veteranis, mancipatum cursus publici per nonnullas Orientalis Imperii Prouincias incubuisse. Quod & ipsum de Praef. Praetoriana Italiae docet *lex 34. sup.* Atenim haec *lex* docet, per Aegyptum *Curialibus*, id incubuisse, quomodo & per Gallias *lex 36. sup.* per Africam *lex 64. inf.* imo etiam alibi in defectum aliorum *l. 26. sup.*

Porro *formam* iniungendi huius mancipatus, seu quid in Mancipibus hic spectandum praescribit Theodosius M. *hac l.* Tria scilicet obseruari vult, nempe, eum virium distribuendum per Curias: pensata locorum, hominum, facultatum qualitate: *Locorum* scilicet, pro vicioia scilicet mutationis, ne ad remotarum mancipatum vocentur: *hominum*, vt videlicet idoneiores, & moribus & integritate eligantur: *facultatum*, vt locupletes, non qui omnia paupertate ad dedecus aliquod adiguntur, & ad cursum publicum vexandum. Quae omnia Tribonianus omisit in *l. 14. Cod. Iust. eod. tit.* quam hinc mire interpolauit, in hanc sententiam, vt videlicet Mancipes constituantur pro locorum consuetudine, vel ex Curialibus, vel ex Cohortalibus, vel quos suo periculo Praefectus Praetorio sub idoneis fideiussoribus elegerit. Quo nil alienius a Theodosii mente. Eas igitur nonc aliquis & *legis* illius, prout habet *Cod. Iust.* Theodosium Auctorem faciat.

P. 559 COMITIBVS *rei militaris* EVECTIONVM *faciendarum ius denegatur.*

LII. (a) Iidem (b) AA. Rufino PP. ō. (c)

FACIENDARVM euectionum licentiam, in excidium publici cursus, a Comitibus Aegyptiaci limitis vsurpatam Sublimis Magnitudo tua auctoritate huius legis inhibebit. Dat. VII. Kalend. April. CP. DN. Theodosio A. III. & Abundantio V. C. CONSS. [393.]

NOTAE.

(a) Abest haec *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) Imo *Impp. Theodosius, Arcadius & Honorius.* vide *Chronol. ID.*

(c) *Rufinus* PP. Orientis scilicet sub Theodosio M. vid. *Prosopogr. ID.*

COMMENTARIVS.

EVECTIONVM faciendarum ius Comitibus limitum, seu rei militaris, ac nominatim in specie *huius leg.* Comiti limitis Aegyptiaci, quod is hac tempestate vsurpauerat, adimit Theodosius M. Nam neque Illustribus Magistris militum id ius competere voluit idem *l. 43.* eiusque exemplo Arcadius filius eius, *l. 56. inf.* quorum alioquio potior, imo summa potestas erat inter Iudices seu Potestates militares, vtpote Illustres; at Comites, inferiores, & Spectabiles. Denique Praefectis Praetorio id ius solis competiit, vt tot aliae *leges* ostendunt: imo & *ex huius leg.* inscriptione colligitur. De Comite limitis Aegyptiaci, videnda *Notitia Imperii fol. 159.*

SVBTRACTIONI & SVPERDVCTIONI *animalium cursus publici occurritur.*

LIII. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Dextro PP. ō. (b)

QVIA comperimus, quosdam animalia publica (c) subtraxisse, ea, per inquisitionem Mulionum & Mancipum, volumus redhiberi, atque ideo per Muliones & Mancipes, nisi animalia perducta (d) fuerint, diligenti inquisitioni & plenae cognitioni locus non negetur, & cum manifesta ratione deprehenderit (e) inlicita vsurpatione cursum publicum fuisse vexatum, in quadruplum superductorum animalium pretium inferri cense-

censemus. Et, ne idem etiam in futurum admittatur, præcipimus, Vt si * qui vel per (f) vnam mutationem (g) veredum mulamue (h) aut bouem (i) superducendum esse crediderit, memoratam fisci viribus multam inferat. Dat. XV. Kal. April. Mediolano, Olybrio & Probino conss. [395.]

NOTAE.

(a) Abest maxima pars *huius legis* a *Cod. Iustin.* *GOTHOFR.*

(b) Italiæ, ut docet *lex 9. inf. de indulg. debit.* Cui & aliæ plures *leges* inscribuntur: etiam *prox. lex 54. inf.* De eodem Hieronymus *Apol. adu. Rufinum lib. 2. pag. 151. Tom. II. Oper. ed. Francf. Gensch. Ante annos ferme decem cum Dexter amicus meus, qui Præfecturam administrauit Prætorii me rogasset, vt Auctorum nostræ Religionis ei Indicem texerem*, &c. Denique hic Dexter est, cui Hieronymus suum Opus *de Scriptorib. Eccles.* inscribit quod ad 15. Theodosii M. annum perduxit, id est, vsque ad A. D. 392. vt testatur *cap. vlt.* *ID.*

(c) Cursus publici. *IDEM.*

(d) Pro *reducta.* *ID.*

(e) Vel ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, quod hic abest, repetendum *Magnitudo tua*, vel tale quid: vel (quod malo) *deprehenderit inquisitio & cognitio* scilicet. *ID.*

* Lex 15. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est. *ID.*

(f) *Pro vna mutatione*, Cod. Iust. *IDEM.*

(g) De *Mutationibus* vid. & *l. 34. 36. sup. l. 58. inf.* dixi ad *l. 34.* *IDEM.*

(h) *Mulamue aut bouem*, absunt a *Cod. Iust.* De mula in cursu publico, vide & *l. 8. sup.* *ID.*

(i) De *bubus* in cursu publico constitutis, vide & *l. 1. 11. sup.* *ID.*

COMMENTARIVS.

Honorii Imperatoris constitutiones decem sequuntur de Cursu publico, puta *lex 53. 54. 55. 58. 59. 60. 61. 63. 64. 65. h. t.* ex quibus appatet, quantopere tum collapsus fuerit Cursus publicus, & quam validis remediis eum *Honorius* erigere satagerit, sequentibus, inquam, definitis: videlicet qui Euectiones facere possent, vel non; *l. 61.* qui Cursum publicum vsurpare, *l. 54. 55.* Mancipibus item singulis in stationibus conlocatis, *l. 65.* Mulionum abductioni occurrens *l. 58.* vt & subtractioni & superductioni animalium, *l. 53.* itemque paraueredorum P. 560 & parangariarum exactioni, *l. 59. 63.* Animalium denique pabulo consulens, *l. 60.* Sed & prouincialium securitati, ne scilicet obtentu cursus publici atterentur *l. 64.* Svbtractioni igitur & *superductioni* animalium publicorum occurrit *hac l. 53.* Honorius Imp. quod videl. didicisset ab his qui Cursu publico vterentur subtractos. Ideoque eam in rem inquiri diligenter iubet: Mulionibus videl. & Mancipibus quos cura cursus publici & animalium respiciebat, inquisitis: ei vero qui subtraxisset Quadrupli pœna indicta: Quæ quidem Quadrupli pœna hic notanda est. Cæterum eo fine quoque ne animalia subtrahantur, pœnam comminatur eandem, vel per vnam mutationem animalia superducenti, id est, vltra ducenti: nam hic nugas agunt Interpretes. Iuliani Imperatoris constitutione capitalis pœna ei rei imposita fuerat, *l. 14. sup.* centum solidorum pro singulis veredis vsurpatis pœnam imposuit Theodoricus Rex apud Cassiodorum *IV. Var. 47.* De eo qui equo vlteriore cliuo vectus fuerat, quam quo ei commodatus fuerat, furti damnato, vid. Valer. Max. *lib. 8. c. 2. §. vlt.* Tandem vt hic superducere vel per vnam mutationem non licet, ita & vetitum excurrere, seu excedere ad quingentos passus, *l. 25. sup.*

Inlvstribvs *quoque Viris, Euectionum & Cursus publici vsurpandi ius, duobus casibus exceptis, adimitur.*

LIV. (a) Iidem AA. Dextro (b) PP. ó.

Meminimvs, euectiones Inlustribus viris, honori potius quam vsui, detulisse. † Ne igitur cursus publicus pereat, (c) hac lege sancimus, Ne quis sibi deinceps cursum publicum priuatus (d) vsurpet, nisi cum aut nobis (e) euocatur, aut a Clementiæ Nostræ veneratione discedit. Si quis ergo posthac contra vetitum sibi cursum publicum inlicita temeritate præsumpserit, motum (f) in se Nostræ Mansuetudinis excitabit. & cetera. Dat. VI. Kal. Mai, Med. Olybrio & Probino conss. [395.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFRED.*

(b) *Dextro* huic PP. Italiæ inscribitur quoque *lex superior*, vbi de eo dixi. *ID.*

† Nos scilicet. Hoc vero indultum non extat. *IDEM.*

(c) *Pereat*, id est vexetur. *ID.*

(d) *Priuatus* Principi hic opponitur: & sic priuatus omnis alius ab Imperatore: quo sensu priuati vox accipienda *l. 1. inf. de expensis ludorum, l. 3. sup. de metatis, l. 5. inf. de operib. publ.* Alio sensu, priuatus *l. 44. sup.* Sic apud Libanium *fine orat. κατὰ τῶν* [illegible] *ID.*

(e) *γρ. a nobis.* *IDEM.*

(f) *Motus*: de hac voce vide *Gloss.* & Fornacium III. *Quotid. 3.* *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

PRIVATIS omnibus, etiam ILLVSTRIBVS, Euectionum, seu Cursus publici, auctoritate iureque suo, vsurpandi potestatem adimit *hac l.* Honorius Imp. etiam Illustribus, inquam, veluti Præfectis vrbi: quod diserte cauet Honorius *l. 55. prox.* cum tamen paulo ante Illustribus Viris iddelatum [ab eo] fuisset: & quidem honoris causa: honori eorum potius quam vsui, vt ita scilicet qui primam dignitatem inter omnes alias obtinerent, hoc illustri *προνομίῳ* gauderent. Verum id vti dixi *hac l.* reuocat Honorius, Illustribus viris ad communem modum cæterorum priuatorum reuocatis: Duobus tantum casibus exceptis, quibus istis Cursus publici vsurpandi ius dat: nempe cum a Principe euocantur, vel ab eo recedunt: Ergo euocatis tantum in itu & reditu. Quare hinc patet, eo ipso quod quis euocatus seu excitus a Principe esset, ei Cursus publici copiam patuisse: quo pertinet quoque quod Sidonius Apollinaris postea scripsit *lib. 1. ep. 5. Egresso mihi publicus cursus vsui fuit, vtpote sacris apicibus accito.* Nam vt maxime Sidonius Illustris. At olim moris erat, vt quos ad se Principes accirent, Euectionem illis nominatim concederent. Quod docent literæ Constantii Aug. Athanasium euocantis apud Theodoretum *lib. 2. c. 11.* aliæque eiusdem decreta Episcopos ad Synodos conuocantia, vt ex Seuero Sulpitio *lib. 2. c. 42.* & Ammiano Marcellino *lib. 21. extremo* liquet: & Iuliani *ep. ad Eustochium 20.* & ad *Aëtium ep. 31.* quorum verba retuli *ad l. 14. sup.*

His ergo exceptis & Illustribus, priuatis penitus vsurpandi cursus publici potestatem adimit Honorius: priuatis inquam, vt eo redeam: et non & Corporum legatis. Semper enim licuit, & populi Romani & Gentilium & prouincialium & Senatus Romani Legatis ad Principem proficiscentibus, vel ab eo recedentibus, Cursu publico vti: de quo semel dixi *ad l. 32. sup.* quam *legem* Tribonianus in alium omnino sensum detorsit interpolatione sua *l. 6. Cod. Iust. eod. tit.* Sane de Legatis Gentilium fidem facit *lex 57. infr. h. t.* & *l. 9. sup. de re militari:* de Legatis Prouincialium *d. l. 32. sup.* & *l. 6. 9. inf. de Legatis.* Et ita quidem hæc *lex* accipienda est, de Iure vsurpandi cursus publici in vsus suos, vt apertissime verba eius indicant; non de iure faciendæ Euectionis, vt putauit Iuretus, *in ep. 105. lib. 7. ep. Symmachi.*

PRÆFECTO VRBIS *quoque vsurpandi Cursus publici ius denegatur.*

P. 561

LV. (a) Iidem AA. Florentino P. V. (b)

DVORVM veredorum euectiones te præsumpsisse proprie Relatione (c) signasti: Cuius facti veniam indulgemus, sed nihil tale post hac nec vsurpari volumus, nec licere. Dat. XII. Kalend. Mart. Mediolani, Arcadio IV. & Honorio III. AA. CONSS. [396.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) *Florentino* huic P. V. plures aliæ constitutiones inscribuntur A. 395. 396. 397. de hoc accipio *ep. 11. lib. 4.* Symmachi. Hic idem est ad quem Symmachus scribit *lib. 4. ep. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 57. 58. 59.* e quarum numero *epistola 52.* & *54.* Præfecturam eius Vrbis indicant satis aperte. *ID.*

(c) *Relationum* huiusmodi Præfecti Vrbis Symmachi, plenus eius est *liber decimus.* *ID.*

COMMENTARIVS.

PRÆFECTO VRBIS Romæ Euectionum vsurpandarum ius denegat *hac l.* Honorius Imp. indulgentia tantum præteritæ vsurpationis Florentino P. V. (cui hæc *lex* inscribitur, quique duorum veredorum Euectiones præsumpserat, quod ex ipsiusmet relatione didicerat Honorius) facta.

Porro videri possit hæc *lex* obscurior esse, duplicemque sensum admittere: vel enim accipienda videatur de iure Euectionum *aliis* faciendarum, quasi id constituatur, non posse Præfectum Vrbis aliis Cursus publici copiam facere, de quo sane Præfecti vrbis iure limitato, fuit Valentiniani Sen. *lex 19. sup.* vel certe de iure Euectionum sibi faciendarum, seu Cursus publici, (qua formula etiam vtitur *lex 56. prox.*) hoc sensu; non posse Præfectum Vrbi cursum publicum sibi inque vsus suos vsurpare. Quod postremum & verba ipsa legis ingerunt, & alia quoque ratione, malo: Nempe enim idem Honorius priuatis omnibus, quamlibet Illustribus, cursus publici vsurpandi potestatem iam antea denegauerat, *proxima l. 54. sup.* Quo in Illustrium censu cum esset quoque Præfectus vrbis, & Magister militum, & his id denegandum putauit Honorius, *h. l.* & Arcadius *l. 56. prox.* Et sic Illustres illæ Potestates hac parte eodem iure censentur, quo ordinariæ: de quo adhuc ad *d. leg.*

MAGISTRI *quoque militum sine Euectione Cursum publicum vsurpare non possunt.*

LVI. (a) Iidem AA. Simplicio (b) Magistro militum.

SVFFICIVNT Iudicum (c) potestatibus euectiones, quas a Nostra Serenitate vel (d) Sede Inlustrium Præfectorum, (e) necessitatibus publicis accipiunt seruituras. In-

signis

fignis (f) igitur Auctoritas tua ftatutis Noftræ Clementiæ fibi faciendarum euectionum vfurpatam licentiam, negatam fuiffe cognofcat. *Tunc* namque *metu præceptum cuftodire oportet Iudices inferiores, cum cognouerint a potioribus cuftodiri.* Si vero pofthac eadem culpa permanferit, in Officium Auctoritatis Tuæ graui fupplicio vindicabitur. Dat. XV. Kal. Ian. CP. Arcadio IV. & Honorio III. AA. conss. [396.]

NOTAE.

(a) Abeft hæc *lex* a *Cod. Inft.* Concordat *lex* 43. *fup.* GOTHOFR.

(b) *Simplicio* huic Magiftro militum infcribitur præterea hoc ipfo anno *lex* 28. *fup. de Prætoribus:* & biennio poft, *lex* 5. *fup. de pafcuis.* Ad eundem extat Synefii *ep.* 24. 28. 130. ex qua poftrema de Magifteria militum Simplicii huius coniecturam facere facile licet. *ID.*

(c) *Iudicum*, id eft, quorumcunque Magiftratuum, ac nominatim Rectorum prouinciarum. *IDEM.*

(d) Nempe ab his duobus, Principe, & Præfecto Prætorio, Euectiones proficifcebantur: *vide l.* 4. 9. 12. 14. 35. 40. *fup.* *IDEM.*

(e) Prætorio: *Præfecti Inluftres*, pro Præfectis Prætorio. *IDEM.*

(f) Eadem formula & compellatio, *d. l.* 3. *fup. de pafcuis.* Mox *fine leg. Auctoritas Tua*, fimpliciter. *ID.*

COMMENTARIVS.

Arcadii quatuor Conftitutiones fequuntur de Curfu publico: nempe *lex* 56. 57. 62. 66. *feu vlt.* omnes vero in vno hoc argumento occupatæ, *Quinam* Euectiones *aliis*, vel *fibi* facere poffint? *fibi facere Euectiones*, id eft, iure fuo citra Euectionem & Diploma Curfum publicum vfurpare: *Aliis & fibi facere Euectiones*, in Notitia Imperii, eft *emittere:* de quo v. dicta ad *l.* 9. *fup.* Magistris igitur quoque militum, etfi Illuftribus, etfi fumma poteftate præditis, Euectionum fibi vel aliis faciendarum ius *hac l.* adimitur ab Arcadio, pariter vt a Theodofio M. patre eius, *l.* 43. *fup.* vbi dicta fufficiant.

P.562

Hic tantum notetur, quod additur de fructu huius interdictionis: nempe tanto patientius carituros, tantoque facilius ab Euectionibus vfurpandis abftenturos inferiores Iudices, cum cognouerint a potioribus & maioribus abftineri. *Exempla fcilicet potiorum, inferioribus pro lege funt.* Cui fimilis fententia, *d. lege* 43. *fup.* vt eam reftituo; quam alioquin in fententiam plura apud alios Auctores occurrunt, quæ hic non cumulo. Tandem ex *h. l.* & *l.* 3. *fup. de pafcuis*, & *l.* 28. *fup. de Prætoribus & Quæftoribus* (quæ omnes *Simplicio* huic Magiftro militum infcribuntur, pariter vt tres Synefii *epiftolæ*, puta 24. 28. 130. cuiufque meminit *ep.* 134.) vt & ex *leg. prox.* 57. & *l.* 16. 17. *fup. de re militari* apparet, Arcadium militibus & militaribus Magiftratibus Ducibus, ipfique etiam Simplicio Magiftro militum, hac tempeftate nimis plus lafciuientibus fibulam impofitum iuiffe. De quorum Militum hac tempeftate lafciuia, alibi.

Dvcibvs *Euectionum faciendarum, vel vfurpandarum ius denegatur.* Legatis *Gentilium ad Principem folis Curfus publici facultas tribuitur.*

LVII. (a) Iidem AA. Remiftheo (b) Duci Armeniæ. (c)

Repetita † lege fancimus, ne Experientiæ Tuæ pofthac prorfus fit licentia aut euectiones facere, aut fine euectionibus noftris facultatem curfus publici vindicare. * Cuius rei temeritatem fi pofthac Laudabilitas Tua crediderit effe repetendam, fcias a te X. lib. auri, X. etiam ab Officio quod tuis iuffionibus obfecundat protinus exigendas; his * tantummodo vtendi curfus publici facultate (d) conceffa, qui Legati de diuerfis generibus (e) ad Noftram Clementiam properare feftinant. Dat. V. Kal. Mart. CP. Cæfario & Attico conss. [397.]

NOTAE.

(a) Abeft potiffima pars *huius legis* a *Cod. Iuftin.* GOTHOFREDVS.

(b) *Remiftheo* huic Duci Armeniæ infcribitur quoque anno fuperiore 396. *lex* 15. *fup. de re milit. ID.* *Remistheo* vulg. Cod. Iuft. edit. RITTER.

(c) De *Duce Armeniæ* vide *Notitiam.* GOTHOFR.

† Prior *lex* non extat. *IDEM.*

* *Lex* 16. *Cod. Iuft. h. t.* hinc defumpta eft. *IDEM.*

(d) *Facultas conceffa eft.* C. Iuft. *ID.*

(e) *Gentibus:* C. Iuft. melius. *ID.*

COMMENTARIVS.

Dvcibvs (ac nominatim *Duci Armeniæ*, in fpecie *huius l.*) & Euectionis faciendæ, & fine euectione Curfus publici vfurpandi, poteftatem adimit Arcadius, *hac l.* pariter vt pofterius

rius istud *l. vlt. inf.* Idque post anteriorem aliam iam hac de re a se latam. Pariter vt prius illud Comitibus limitum, velnti Ægyptiaci limitis, Euectionum inquam faciendarum facultatem Theodosiua M. ademit, *l. 52. sup.* Priuatorum denique, (quamlibet Ducum) iuri Cursum publicum patere noluit Arcadius per Armeniam nominatim: Quomodo & superiore anno per eandem Armeniam, militem priuatorum obsequiis vacare vetuit *l. 15. sup. de re milit.* quæ eidem Remistheo Duci Armeniæ inscribitur. Quæ *Armenia* hoc tempore ab Hunnis infestabatur, teste Socrate, *lib. 6. cap. 1.* & Sozomeno, *lib. 8. cap. 1*, de quo ad *d. l. 15.* Ergo Arcadius Cursum publicum per Armeniam constitutum vsurpari nisi sua Principia authoritate noluit: solis LEGATIS Gentium Armeniæ vicinarum ad Imp. properantibua exceptis. Nempe Legatia gentium, ad Principem seu Imp. Romanum festinantibus cursus publicus patuit; quod præter hanc *leg.* docet quoque *lex 9. sup. de re milit.* Idque etiam aliquando expresse pacis conditionibua comprehensum inter Gentiles & Romanos: veluti inter Persaa & Iustinianum, teste Menandro in *Eclogis Legationum pag. 94. Tom. I. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* ὡς ἂν οἱ πρέσβεις καὶ οἱ τῇ ταχυτῆτι χρώμενοι τῶν δημοσίων ἵππων πρὸς τὰς ἀπαγγελίας ὁ μὲν ἐς τὰ Ῥωμαίων, ὁ δὲ τὰ Περσῶν ἤθη ἀφικνούμενοι, κατὰ ταύτην ἀξίαν καὶ τὸ προσῆκον ἕκαστοι τιμηθεῖεν, καὶ τῆς δεούσης τεύξονται ἐπιμελείας: *Vt legati, & reliqui, cum quid nuntii perferunt, equis publicis modo per Romanorum, modo per Persarum regiones si iter habeant, pro cuiusque gradu & dignitate honore afficiantur.* Quod & ipsum datum Legatis Populi Romani Senatua aut prouincialibua, *l. 32. sup. h. t. l. 6. 9. inf. de Legatis.*

Gentes porro Armeniæ vicinæ, de quibus *hac l.* Arcadius sentit, sunt Sophaoe & similes, de quibus ad *l. vlt. inf. de auro Coronario*, quæ tandem in Armeniæ quartæ prouinciam concesserunt. Itemque Colchi, Iberi, Albani, Persæ. Ex his iam patet, errare Virum doctum, qui istud de Legatis accipiebat, qui ex diuersis Imperii prouinciis ad Imperatorem mittebantur: etsi alias verum sit, & his quoque publicum Cursum patuisse: vt probat *lex 32. sup. & 69. inf. de Legatis.* Nempe Legati de diuersis Generibua, sunt hic de diuersis Gentibus (quam vocem substituit Tribonianus in *leg. 16. C. I. h. t.* hinc desumpta) non subditis, scilicet vt recte Ioannes de Platea obseruat.

P 563

De MVLIONIBVS *cursus publici non subtrahendis aut liberandis.*

LVIII. (a) Iidem AA. Vincentio PP. ô. (b)

SI quis mulionem, mutationibus (c) deputatum, vel sollicitatione vel receptione subtraxerit, per singula capita humana, X. libras argenti inferre cogatur. Et, ne sollicitatoribus & occultatoribus sit vllum in aliqua excusatione perfugium, nec mutari quemquam per compensationis simulationem, vel absolui, sub ætatis aut debilitatis alicuius obtentu, licebit; Ideoque Iudex, qui sibi hoc vindicauerit, vt seruum publicum liberet, vnam lib. auri per homines singulos, Officium quoque eius, si legem supprimendo consenserit, simili pœna multetur. Hæc in futurum Mansuetudo nostra constituit. In præteritum autem hoc statuisse sufficiat, vt si muliones publici reperti fuerint, licet senes aut debiles, cum vxoribus suis & omni peculio atque agnatione retrahantur: & cetera. Dat. XII. (d) Kal. Mar. Med. Honorio A. IV. & Eutychiano CONSS. [398.]

NOTAE.

(a) *Lex 17. Cod. Iust. hoc tit.* hinc desumpta est. Iungendaque ei *lex vn. sup. de Burgariis.* GOTHOFR.

(b) *Vincentius* sub Honorio Imp. PP. & quidem Galliarum, vt *ad d. l. vn.* probaui: & illa ipsa *lex vn.* probat: & dicam adhuc *ad l. 61. inf.* prolixius ex Symmacho & Sulpitio Seuero. *ID.*

(c) De Mutationibus vid & *l. 34. 36. 53. sup. ID.*

(d) XI. *d. l. vn.* IDEM.

COMMENTARIVS.

IN MVLIONVM (de quibus agitur insuper *l. 10. 14. in fin. 31. 34. 53. sup. h. t.* qui & *hippocomi* dicti, de quibus *l. 37. 50. sup.*) sollicitatores & receptatores, per *Hispanias* nominatim, est hæc Honorii Imp. constitutio: Quæ pars est prolixioris Honorianæ constitutionis, datæ ad Vincentium PP. Galliarum, vnde desumpta est quoque *lex vn. sup. de Burgariis*, quæ huic nostræ coassanda venit, imo subiicienda: denique quæ & argumento prorsus *huic* respondet. Nempe vt hac *legis* parte in futurum, *Mulionum* sollicitatoribua & receptatoribus decem librarum argenti pœna per singula capita humana, id est, vt mox subiicitur, *per homines singulos*, sollicitata vel receptata imponitur, ita & (quod *lex* illa diserte dicit) in *Burgariis* eadem obseruari vult Honoriua, quæ de *Mulionibus* lex hæc, seu hoc caput *legis* præcipit; puta vt ii quoque qui intra Hispanias, vel in quibuscunque locis ausi fuerint Burgarios vel sollicitare, vel receptare, eodem modo teneantur: (a) similiterque eos qui publicis vestibus deputatos, (id est, Gynæciarios) sollicitauerint, vel receperint, pœna cohibeat. Et hæc quidem in futurum. In præteritum enim saria habet Honorius *hac l.* Muliones publicos repertos

apod

(a) Illustrauit hoc etiam CL. HENNINIVS *not. ad Bergier. IV. 13. §. 9. p. 752.*

apud priuatos, quamlibet senes aut debiles retrahere, cum vxoribus suis & omni peculio & agnatione, id est, filiis. Quod & ipsum de Burgariis & Gynæciariis cauetur, *sine dict. l. vnica.*

Vt autem prætextum omnem sollicitatoribus, & occultatoribus adimat Honorius, occurrit *hac l.* collusioni cuidam inter Iudices seu Rectores, & priuatos: Nempe Iudices simulabant sese muliones absoluere sub ætatis aut debilitatis obtentu, vel etiam permutare sese fingebant *per compensationis simulationem*, ait lex, (*permutatio* scilicet est compensationis species quædam) Igitur & absolui & permutari vetat sub pœna vnius libræ tum Iudicibus tum Officio eius impositæ, in singulos homines, seu Muliones. Ergo ne mutari quidem aut absolui Muliones voluit Honorius. Tandem obseruo extare quoque ad eundem Vincentium PP. Galliarum *ep. Symmachi 25. lib. 9.* vbi de Equorum Tractoriis agitur.

De PARAVEREDIS *&* PARANGARIIS *non vsurpandis, nisi duobus concurrentibus.*

LIX. (a) Iidem (b) AA Messalæ PP. ō. (c)

SI quispiam paraueredum aut parangariam, non ostensa euectione, quæ tamen pro publica facta sit necessitate, præsumpserit, (d) periculo Curatoris, (e) siue Defensoris, (f) & (g) Principalium (h) ciuitatum, ad Ordinarium Iudicem dirigatur, singulas libras auri per singulos paraueredos vel parangarias fisci viribus inlaturus. (i) Qua in parte si Rector prouinciæ, atque Officium eius conludium præbere voluerit, (k) duplum ex suis bonis (l) nouerit exigendum. Dat. XV. Kal. Decemb. Stilichone & Aureliano (m) CONSS. [400.]

Hæc (n) *lex Interpretatione non indiget.*

P.564 NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendaque *huic* proculdubio *lex prox. inf.* GOTHOFR.

(b) Cod. Wirceb. *Imp. Constantin. A.* quomodo & Sichardus edidit. Sed in margine ex veteri libro notat veram lectionem, quam habet etiam Cod. Goth. *Imp. Archadios & Honorius Aug.* RITTER.

(c) Italiæ. GOTHOFRED. *Missala PPO.* legit Cod. Goth. RITTER.

(d) *Id periculo* Cod. Goth. ID.

(e) De Curatoribus *l. 5. infr. de exhib. reis.* GOTHOFR.

(f) De defensoribus ciuitatum fuit *sup. titulus 11. lib. 1.* ID.

(g) *Et* abest a Cod. Goth. RITTER.

(h) De Principalibus dixi ad *tit. de Decurion.* ID.

(i) *Inlaturos* Cod. Goth. RITTER.

(k) *Voluerint* Cod. Goth. & Edit. Sichard. ID.

(l) *Bonis suis* Cod. Goth. ID.

(m) *Stillicone & Aureliano* Edit. Sichard. *Stilicone & Auriliano* C. G. Vid. *Chronolog.* IDEM.

(n) Absunt male hæc verba ab editis, (præter Sichardi Ed. vbi loco *indiget* est *eget*) quæ ex *Cod. Wirceb. & Goth.* addidi. Sunt enim characteris loco, quo docemur *Legem hanc* in Compendium Wisigothicum adsumptam fuisse. In Cod. Wirceb. ex more fere eius temporis, quo interpretatio confecta est, scriptum *interpretationem non indiget.* ID.

COMMENTARIVS.

DE PARAVEREDORVM (de quibus agitur, & *l. 3. 6. 7. 15. 16. sup. l. 63. 64. inf. h. t.* & PARANGARIARVM (de quibus agitur & *Rubr. huius tit.* & *l. 15. sup. l. 63. infr.*) exactione, est hæc Honorii Imp. Constitutio; quomodo videlicet eæ exigi possint, & quibus concurrentibus. Ne alioquin prouincialium fortunæ hac ratione attererentur. In via quippe militari vbi Cursus fiscalis positus non erat, parangariæ & paraueredi exigebantur, in via scilicet militari, de quo ad *l. 3. 15. sup.* Ergo propria cuiusquam seu priuata auctoritate, quicunque is sit, vel in priuatos vsus, paraueredos & parangarias vsurpari vetat *hac l.* Honorius: pariter vti idem *l. 63. inf.* (vbi plura) contra Euectionem, id est, horum potestatem, in id speciatim a Principe vel Magistro Officiorum aut Præfecto Prætorio (nam hi Euectiones seu cursus publici licentiam dabant) dari voluit, & citra Euectionem vsurpari vetat: Secundo, hanc paraueredorum & parangariarum Euectionem seu licentiam nonnisi pro publica necessitate dari vult, pariter vt *d. l. 63. inf.* vbi plura. Non igitur in priuatos vsus, veluti specie transferendorum marmorum ad cultus otiosos ædium, vel deliciosas & delicatas peregrinationes: quod & ipsum diserte cauetur Iuliani *l. 15. sup.*

Cæterum non illicite tantum ea quæ dixi præsumentibus Iudicibus, Rectoribus prouinciarum, eorumque Officiis pœna *hac l.* imponitur, si id factum fuerit; verum etiam Curatorum, Defensorum Principalium periculo id constituitur, vt aduersus *hanc leg.* admittentes ad Ordinarium Iudicem dirigantur. Nempe hæc Tria officiorum Municipalium nomina generaque in id constituta erant per ciuitates, vt iniquos actus impedirent, publicæque disciplinæ præessent, reosque ad Iudices dirigerent: vt de Defensoribus ciuitatum prolixe ostendit *Paratitlon tit. de Defensorib. ciuit.* de Curatoribus docet *lex 5. inf. de exhibend. reis:* vbi dicam de Principalibus, *inf. tit. de Decurion.* ac maxime ne prouinciales concuterentur.

De PABVLO *animalium Curſus publici.*

LX. (a) Iidem AA. Meſſalæ PP. ō. (b).

ANIMALIA publica, dum longe maiore ac periniquo pretio pabula æſtimantur (c) per Mancipes (d) atque Apparitores, (e) aperte vexantur. Ne id contingat Sublimitas Tua diſponat, Vt neque pabula mutationibus (f) deſint, neque prouinciales vltra quam iuſtitiæ ſinit ratio prægrauentur. Dat. V. (g) Kalend. Decemb. Med. Stilichone & Aureliano CONSS. [400.]

NOTAE.

(a) *Lex* 18. *Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungendaque *huic* proculdubio *lex* 59. *ſup. prox.* GOTHOFR.

(b) Italiæ. *ID.*

(c) Adærantur. *IDEM.*

(d) Curſus publici, de quibus & *l.* 15. 24. 34. 35. 36. 42. 53. *ſup. l.* 65. *infr.* & *l.* 9. *ſup. de Curioſis.* *ID.*

(e) Muliones intelligo, qui apparebant Mancipibus. *ID.*

(f) De Mutationibus dixi ad *l.* 34. *ſup.* *ID.*

(g) *XV.* Cod. Iuſt. recte & magno argumento *legem hanc* cum ſuperiore coniungendam eſſe. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

DE PABVLO ſeu Capito Animalium curſus publici eſt *hæc* Honorii *lex*, qua tum animalium ipſorum vtilitati, tum prouincialium indemnitati conſultum it. Nempe enim quia Mancipes & Apparitores (id eſt, muliones his apparentes, ſeu ſub his conſtituti) longe maiore & periniquo pretio pabula æſtimabant, tum ipſa animalia vexabantur, tum prouinciales vltra quam iuſtitiæ ratio ſineret, prægrauabantur. At quomodo? eſt enim *huius legis* ſenſus ſatis obſcurus, quem neque Cuiacius cepiſſe videtur. Nempe quia non ipſa pabula animalium Curſus publici in ſpecie conferebant prouinciales (quomodo alias tributa in ipſis ſpeciebus inferebantur, de quo *leg.* 2. *infr. de annona & tributis*:) verum in pretio, ſeu adærata & æſtimata. Vnde ſane hæc duo incommoda proueniebant, quod tum prouinciales iniquo pretio & adæratione prægrauarentur, & Mancipes eorumque apparitores muliones non bene haberent animalia, imo vexarent, non præbendo ſcilicet iis iuſta pabula, quaſi nimis cara, nimioque empta, vt neceſſe erat intendi pretium pabuli, creſcente publica eius adæratione. Ergo huic vtrique malo mederi inſtituit Honorius *hac l.* conſtituendo, vt Præfectus Prætorio attenderet, ne pabula mutationibus deeſſent, item ne prouinciales prægrauarentur.

Ex his iam apparet, quid per *Apparitores hac leg.* accipiendum ſit, non Stationarios, Mancipum Apparitores; verum ipſos Muliones, Mancipibus apparentes, & animalium pabulique curam agentes.

Item obſeruandum, pabula animalium Curſus publici, non in ſpecie fuiſſe collata, verum adærata.

Poſtremo notandum, pabula in mutationibus fuiſſe, de quibus pabulis in mutationibus & manſio- P.565
nibus deputatis animalibus curſui publico, eſt quoque *lex* 9. *inf. de annona & tributis*: & *l.* 64. *inf.* (vbi pariter quædam iniquitas pabuli huius occaſione a prouincialium ceruicibus depellitur:) Eodemque pertinet locus Symmachi *lib.* 2. *ep.* 27.

VICARIIS *euectionum faciendarum ius denegatum.*

LXI. (a) Iidem AA. Vincentio PP. ō. (b)

MACROBIVM (c) inlicita præſumptione euectiones (d) feciſſe conſtitit, cum neceſſitas publica non flagitaret, quique (e) multam temeritatis excepit. Ne autem idem in futurum contingat, Sublimitas Tua Vicarios (f) admonebit, atque eorum Officia, (g) interminatione propoſita, vt ab huiuſmodi vſurpatione nouerint abſtinendum. Dat. V. Id. Decemb. Mediol. Stilichone & Aureliano CONSS. [400]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* velut temporaria. GOTHOFREDVS.

(b) *Vincentius* ſub Honorio Imp. PP. & quidem *Galliarum*, ſub qua Præfectura Prætoriana erant Hiſpaniæ: de eo mox, & in *Proſopogr.* *ID.*

(c) Vicarium, vt hæc ipſa *lex* docet: ſeu Pro-Præfecto, ac nominatim Hiſpaniarum, *l.* 15. *inf. de paganis*: de quo mox. *IDEM.*

(d) *Euectiones* feciſſe, id eſt curſus publici vſurpandi poteſtatem feciſſe; vide *Paratitlon.* *ID.*

(e) Qui & ideo. *ID.*

(f) *Vicarii* ſub diſpoſitione Præfecti Prætorio Galliarum noſcuntur: quo numero Macrobius erat. *ID.*

(g) *Officia*

(g) *Officia* Vicariorum nota hic, & *l. 38. sup.* & *l. 2. de Curiosis : l. 6. 16. 21. de diu. offic.* & quidem per Præf. Prætorianam Galliarum. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

VICARIIS Euectionum faciendarum, seu Cursus publici indulgendi, potestatem & licenciam, denegat *hac l.* Honorius Imp. pariter vt Iulianus Imp. denegauerat *l. 12. & 13. sup.* Valentinianus Sen. *l. 33. sup.* & Theodosius M. *l. 38. sup.* Nempe enim soli Principi, & PP. & Magistro officiorum id ius competiisse aliæ *leges* ostendunt. Excepto, *nisi publica necessitas id flagitaret :* ad species videlicet largitionales, veluti aurum, argentum, vestes militares transferendas : Quam exceptionem Iulianus quoque admisit *l. 13. sup.* & Valentinianus Sen. *l. 33. sup.* Quomodo & Iudicibus seu Rectoribus prouinciarum & Præsidibus eadem potestas eodem casu concessa, *d. l. 13. 18. 20. 33. 48. sup.* & Præfecto vrbi, *l. 19. sup.* Non igitur ad priuatas necessitates Vicarius Euectiones facere potuit, velnti ad ornamenta ædificiorum transferenda. Multo minus vbi certorum ornamentorum translatio prohibita esset, Euectiones facere potuerunt, quocunque nomine translatio fieret, *l. 15. inf. de paganis, sacrificiis, & templis.* Quæ *lex* huic ipsi Macrobio, de quo *hac l.* agitur, inscribitur, atque ita ad hanc *leg.* recte trahitur : & vicissim illa ex *hac l.* lucem accipit.

Nunc igitur de *Macrobio* isto. Ergo Vicarium eum fuisse docet exerte hæc *lex.* Imo Vicarium fuisse sub dispositione PP. Galliarum : Vincentius enim, cui hæc *lex* inscribitur PP. Galliarum erat, quod docet expresse anno superiore 399. Inscriptio *legis 26. inf. de annona & trib.* & hoc ipso anno 400. *legis 10. sup. de desertoribus : legis 1. 2. 3. inf. de his qui coud. prop. l. 1. sup. vtrum vi :* Imo indicat quoque *lex vn. sup. de Burgariis :* quæ conjungenda est cum *l. 58. sup. h. t.* Ad hunc ipsum extat Symmachi *ep. 9. & 25. lib. 9.* ex qua posteriore apertissime colligitur, eum PP. Galliarum fuisse, & quidem post Theodorum : Sed & Sulpitius Seuerus *dialogo 1. cap. 25.* *Memini*, inquit, *Vincentium Præfectum, Virum egregium, & quo nullus sit intra Gallias omni virtutum genere præstantior, dum Turones præteriret, a Martino sæpius poposcisse, vt ei conuiuium in suo monasterio daret : in quo quidem exemplum B. Ambrosii Episcopi præferebat, qui eo tempore Consules & Præfectos subinde pascere ferebatur : sed virum altioris ingenii, ne qua ex hoc vanitas atque inflatio obreperet, noluisse.* Sed quid moror ? Macrobius hic per Hispanias Vicarius fuit, vt docet exerte *d. l. 15. inf. de pagan. sacrific. & templis :* vbi in Inscriptions notatur, *Macrobius PP. Hispaniarum*, id est, Pro-Præfectis Hispaniarum : *Pro-Præfectis :* id est, Vicarius : Vicarii enim *Pro-Præfectis diœceses sibi creditas temperare* dicti *l. 4. sup. de prox. com. disp.* & Pro-Præfectis *diœceses regere, curare*, apud Ammianum Marcellinum *lib. 23. cap. 1.* (vbi de Alypio agit) & *lib. 27. cap. 8.* (vbi de Ciuili) pro-præfecto prouincias *agere* apud eundem *lib. 14. cap. 5.* (vbi vide Valesium) vbi de Martino Vicario Britanniarum. Ita quoque in veteri Inscriptione *apud Gruterum CCCLXX, 3.* Symmachus dicitur, PRO-PRÆFECTIS PRÆTORIO IN VRBE ROMA FINITIMISQVE PROVINCIIS. Verum de hoc plura ad *d. l. 15.*

VSVRPANDI *cursus publici facultatem vni Præfecto prætorio patere, non Rectoribus prouinciarum.*

LXII. (a) Iidem AA. Cæsario PP. O. (b)

VSVRPATIONEM (c) cursus publici penitus iussimus amputari ; scilicet vt excepta Magnitudine Tua, præsumendi velocis & Clabularii (d) cursus nullus (e) habeat
P. 365 potestatem. Quod si quis Iudicum, (f) vel contemptus vel ignorantiæ vitio, scita nostri Numinis temeranda censuerit, eius (g) quoque Officium quod ei paret, sciat se triginta lib. auri esse multandum. Dat. III. Non, Feb. CP. Vincentio & Frauitta CONSS. [401.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) *Cæsarius* PP. Orientis scilicet sub Arcadio, vid. *Prosopogr. ID.*

(c) Quam faciebant Iudices. *ID.*

(d) In MS. *clabulariis* pro *clabularis. ID.*

(e) *Iudicum*, vt mox *infra. ID.*

(f) *Iudicum*, id est Rectorum prouinciarum. *ID.*

(g) In MS. *vnium quoque officium :* quare reponendum, *vnumquodque officium. ID.*

COMMENTARIVS.

EVECTIONVM faciendarum ius omnibus Iudicibus (Spectabilibus, Clarissimis,) excepto solo Præfecto Prætorio adimi videatur *hac l.* ab Arcadio : Quam in sententiam sunt innumeræ aliæ *leges, hoc titulo.* Et tamen hanc *huius l.* potius sententiam putem ; VSVRPANDI sibi, seu in vsus suos, Cursus publici potestatem vni PP. tribui, quod priuilegium PP. firmat quoque *lex 3. & 35 sup.* Cæteris vero Iudicibus adimi : quod & ipsum adimitur *l. 3. 8. 12. 54. 55. 57. sup.* & *l. vlt. inf.*

Illud *hac l.* notandum est, Cursum publicum, qui *initio leg.* vocatur, diuidi mox in *Velocem*, & *Clabularium :* id est, in Celerem, & Tardigradum ; nam istud erat *clabularius*, de quo dixi plene *ad l. 23. sup.*

sup. Ammianus Marcellinus *lib. 21. cap. 9. vectusque mutatione celeri cursus publici.* Paulinus 4. *de vita S. Martini:*

Dicite quid vestri velox euectio Regis
Proficiat, tardante Deo?

vt mirer Virum Doctum *clabularem* cursum interpretatum celerem & velocem; qui contra, Tardigradus & grauis erat.

De PARAVEREDIS *&* PARANGARIIS *a prouincialibus non exigendis nisi duobus casibus.*

LXIII. (a) Iidem AA. Prouincialibus prouinciæ Proconsularis. (b)

QVONIAM multos perspeximus inlicita præsumptione parafredos vel parangarias postulare, hac lege sancimus, Vt nulli deinceps vsurpandi licentia concedatur, nisi in causa publica vel manifestis euectionibus destinato. Si quis contra fecerit, vna libra auri multetur; & cetera. Dat. prid. Kal. April. Mediol. Vincentio & Frauitto CONSS. [401.]

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendæ autem ei *lex 26. sup. de erog. milit. annon. lex 29. inf. de annon. & tributis.* Imo & *lex 1. inf. de Indictionib.* & forte *lex 28. infr. de susceptorib.* GOTHOFREDVS.

(b) Africæ: dixi prolixe *ad d. l. 26. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

PARAVEREDOS (de quibus agitur & *l. 3. 6. 7. 15. 16. 59. sup.* & *l. 64. inf. h. t.*) & PARANGARIAS (de quibus agitur & *Rubr. huius tituli*, & *l. 15. 59. sup. h. t.*) a quoquam prouinciali exigi vetat Honorius Imp. *hac l.* vt & *l. 59. sup.* & *l. 64. prox. inf.* pariter vt Constantinus M. *l. 3. 6. sup.* Constantius *l. 7. sup.* Iulianus *l. 15. sup.* De cuius rei ratione ad *d. l. 7. 59. sup.* Nisi duobus casibus. Primo in causa publica, seu publica necessitate exigente: Secundo, ab eo qui euectione in id munitus sit. Quod & ipsum iam cauerat Honorius *d. l. 59. sup.* Quomodo & Constantius Imp. solis Agentibus in rebus parauerédos exigere permisit, qui ad mouendum militem mouerentur, *d. l. 7. sup.*

Illud notandum, hanc legem partem esse prolixioris Honorianæ constitutionis ad prouinciales Africæ Proconsularis, qua is afflictæ hac tempestate variis modis Africæ consultum iuit, vt patet ex iis *legibus*, quas exinde quoque excerptas huic coassandas iam *in Notis* docui. Inter quæ mala, erat etiam exactio parauerédorum & parangariarum.

P. 567

De PARAVEREDIS *a prouincialibus non exigendis.*

LXIIII. (a) Imppp. Arcadius, HONORIVS & Theodosius (b) AAA. Septimino (c) Proc. Africæ.

COMPERIMVS, prouinciales & pabula & pecuniam pro (d) equorum cursualium (e) sollemni ratione conferre; extrinsecus (f) psrauerédorum onere prægrauari. Prouinciarum igitur Rectores procurent, ne vmquam cursus publicus veniat in querelam, & occasio deceptionis curialis (g) animalia indebita (h) præstare conpellat. Dat. VII. Kalend. April. Rauenn. DN. Theodosio A. I. & Rumorido CONSS. [493.]

N O T A E.

(a) *Lex 19. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda autem *huic*, est *lex 19. inf. de lustrali collat.* GOTHOFREDVS.

(b) Hinc supplenda inscriptio *d. legis 19. inf. de lustr. coll. ID.*

(c) Male Septimio, *d. l. 19.* & *C. Iust. IDEM.*

(d) *Pro cursu equorum*, ita *C. Iust.* male. *ID.*

(e) *Cursuales equi.* Cassiodorus *IV. Var. 47. Comperimus, Cursuales equos frequenti vsurpatione fatigari.* IDEM. Dicuntur etiam *Equi Cursui publico deputati*, in *L. 1. C. I. de C. P.* & κόντυρα in *tit. 17. lib. 57.* Βασιλικῶν, qui est, περὶ τῦ δημοσίε δρόμε, καὶ τῶν τοῖς κουρσόρεις χρωμένων. hinc Suidæ Βερίδος ἱπποκόντυρος, *veredus hippocenturus*, item generatim *Animalia* in *L. 19. C. I. d. t. l. 23.* & *24. C. Th. eod.* & sæpe *veredi.* Hos Pancirollus *ad Notit. Imp. Or. l. 6.* præeunte Corasio *Miscell. l. 11.* arbitratur esse *equos publicos*, quos Vlpianus memorat *L. 2. D. de in ius vocand.* vbi ait: *Sed nec eum* in ius vocari oportet, *qui equo publico in causa publica transuehatur*, verum hunc locum de *transuectione equitum* in censu publico potius explicant Dion. Gotho-

fredus

fredus & Budæus *ad h. l.* Hottoman. *Obseruat. III.* 21. Cuiacius *Obseruat. XIII.* 29. at Corasius *l. l.* putat, Vlpiani ætate equo publico non fuisse Equites vsos, sed proprio ex sua, aut stipendiaria pecunia comparato, & eo quidem duplici, vt vni fatigato alter recens expeditusque succederet. H. C. HENNINIVS *not. ad Bergier. IV.* 10. §. 2. *pag.* 744.

(f) *γρ. & extrinsecus*, quomodo etiam habet *Codex Iust.* id est, extra ordinem. *ID.*

(g) *Curiales vel prouinciales* ita *Cod. Iust* de quo mox. *IDEM.*

(h) Id est *paraueredos*, vt dixit Cuiacius ad *d. l.* 19. *Cod. Iust.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE PARAVEREDORVM exactione est hæc rursum Honorii constitutio (pariter vt duæ aliæ eiusdem, puta *lex 59. 63. sup.*) qua rursum vetat, & quidem per Africam Proconsularem (pariter vt *d. l. 63.*) parauerεdos exigi a prouincialibus: cum satis sit ab iis conferri *solemni ratione* (seu solemni collatione & ordinaria seu canonica) & pabula (*de quibus l. 60.*) & pecuniam pro equis Cursualibus non vero quidquam *extrinsecus* præterea extra ordinem exigi. Ergo animalia indebita seu parauerεdos exigi vetat Imp. a prouincialibus *occasione deceptionis Curialis*: id est, per occasionem Curialium & deceptionis eorum. Vnde colligitur, Curiales in Africa Proconsulari Mancipes Cursus publici fuisse; quod & de Ægypto testatur *lex 51. sup.* de Galliis *lex 35. supra*, Sed & alibi in defectum, *l. 26. sup.* Indeque iam apparet, quam male hunc locum acceperit & interpolauerit Tribonianus: Quanquam duriuscula fateor sunt quæ *fine legis* continentur, *ne*, &c. *occasio*, inquit, *deceptionis curialis*, *animalia indebita præstare compellat.* Sed quæ huius seculi stilo conueniunt, satis aperto sensu notari hic, Curiales, qui occasione cursualis necessitatis miseros prouinciales deciperent, concuterent. Porro est hæc *lex* Honorii, pars Honorianæ constitutionis prolixioris: qua is solemnem collationum modum & rationem per Africam Proconsularem stabilitum iuit: vt docet quoque *lex 19. infr. de lustrali collat.* quæ inde excerpta, *huic* coassanda venit.

De MANCIPIBVS *per stationes singulas conlocandis.*

LXV. (a) Idem AAA. Hadriano PP. ō. (b)

PER (c) stationes (d) singulas idoneos Mancipes volumus conlocari, amotis (e) deinceps vsurpantium præsumptionibus, adteratur. (f) Dat. IV. Kalend. Mart. Rom. (g) Honorio A. VI. & Aristeneto CONSS. [404]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Hadrianus* sub Honorio PP Italiæ scilicet. Ad hunc Hadrianum PP. extat Claudiani *Epistola deprecatoria*, & Epigramma *de Theodoro & Hadriano.* De hoc plura in *Prosop.* *ID.*

(c) In MS. male, *præstationes.* *ID.*

(d) *Stationes* hic & *l. 36 sup.* & *l. 5. 6. sup. de Curiosis*: vnde & Stationarii, *L. 1. h. t. l. 1. de Curios. l. 2. sup. de Cohort. l. 31. inf. de Episcopis.* *ID.*

(e) *γρ. vt amotis*, &c. *ID.*

(f) Vel *cursus publicus*, scilicet; quod ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum ex integra Honorii constitutione, vnde hoc ἀπόσπασμα excerptum est: vel repone, *haud adterantur*, stationes scil. vel, *adte referatur.* *ID.*

(g) Romæ positus hoc anno Honorius, quod præter hanc *legem*, & alias nonnullas his COSS. *leges*, docet Claudianus *Panegyrico in hunc ipsum sextum Honorii Consulatum* mox *abinit.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE MANCIPIBVS cursus publici est hæc Honorii Imp. constitutio: Per singulas scilicet stationes cursus publici Mancipes idoneos collocari iubet: nempe quod ob defectum mancipum idoneorum per singulas stationes cursus publicus attritus fuisset, per vsurpationem multorum. Hinc & Mancipes locorum dicuntur: *l. 24. sup.* stationarii,
P. 568 *l. 1. sup.* Regionibus præstituti, *l. 8. infr.* De *Stationibus* porro istis, seu mutationibus, dixi ad *l. 1.* & *l. 36. sup. de Mancipibus*: vide & *l. 15. 24. 34. 35. 36. 42. 53. 60. sup. h. t.* & *l. 9. sup. de Curiosis.* Alia vero ratio inducta in procuratoribus clabularii cursus a Valentiniano Sen. *l. 23. sup.* qua locari ii iubentur *per singulas mansiones, vel longius*: prout Præfectus prætorio procurationem eorum æstimauerit porrigendam.

DVCIBVS *eorumque Apparitoribus semel prouinciam ingressis &* COHORTALINIS *cursu publico vti probibitum.*

LXVI. (a) Idem AAA. Anthemio PP. ō (b)

NEMO Ducum, ingressus semel prouinciam suam, postmodum itineribus faciendis cursu abque angariis ipse siue suum vtatur Officium, sed expeditionem militarem iumentis propriis exsequantur. De Cohortalinis etiam Officiis eadem lege sancimus, ne quis

quis ex his per prouinciam ſuam diſcurrens veredo vti conetur in poſterum, cum ſacra prohibitum ſanctione cognoſcant. Quod ſi quis Ducum, vel Apparitorum, (c) vel Cohortalium, (d) temerario animo ea quæ decernimus, contemnenda putauerit, per ſingula animalia, quibus vſus fuerit, ſingularum librarum auri illatione multabitur. Dat. IV. Non. Aug. Conſtp. DD. NN. Honorio VII. & Theodoſio II. AA. CONSS. [407.]

NOTAE.

(a) *Lex 20. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Anthemius* PP. Orientis ſcil. ſub Arcadio vid. *Proſopogr.* ID.

(c) Ducis. IDEM.

(d) *Cohortalium Officiorum* Cod. Iuſt. RITTER.

COMMENTARIVS.

DVCIBVS ſemel prouinciam ſuam ingreſſis (fuere enim Duces prouinciarum, vt præter *hanc l.* docet *lex vn. ſup. de Comit. & Trib. Schol. lex vlt. de Comitib. rei milit.*) & Ducianis, ſeu Ducis Officialibus & Apparitoribus, itemque cohortalibus, id eſt, Rectoris prouinciarum Officialibus, per prouinciam ſuam diſcurrentibus, curſus publici vſurpandi poteſtatem adimit *h. l.* Arcadius Imp. Quod & ipſum iam de Ducibus conſtituerat *l. 57. ſup.* De *Cohortalibus* fuit *ſupra* peculiaris *Titulus.* Ex hac interim ſanctione apparet a contrario, Duces, *Curſu publico* in prouinciam ſuam ſeu ſibi commendatam profectos.

DE TRACTORIIS ET STATIVIS.

TITVLVS VI.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. LII.

PARATITLON.

TRACTORIÆ: *Rubr. l. 1. 2. h. t.* & *l. 2. ſup. de domeſticis & protectoribus: l. 11. ſup. de deſertorib.* & *l. 9. ſup. de curſu publico*, ſunt epiſtolæ (Principis ſcil. ſeu Imperiales) quarum mentio *d. l. 11. ſup. de deſertorib. l. 2.* & *4. ſupr. de Veteranis: l. 1. de teſtimoniali: l. 1. h. t.* vel certe epiſtolarum Principis quandoque teſtimonialium partes tantum, vt in ſpecie, *l. 1. h. t.* Quibus videlicet, ſeu per quas, exempli gratia, iisqui ex caſtrenſibus muniis abſoluti ad domum redibant poſt labores, *d. l. 1. h. t.* Veteranis item *d. l. 11. ſup. de deſertorib.* (vnde & Tractoriæ in vniuerſum pro epiſtolis dimiſſoriis, & teſtimonialibus, accipiuntur *d. l. 11.*) Proſequutoribus animalium & equorum ſacro vſui neceſſariorum, *l. 2. h. t.* Agentibus in rebus *d. l. 7. ſup. de curſu publ.* filiis in ſedibus conſtitutis *d l. 2. ſup. de domeſticis*, præbebantur ſeu præberi iubebantur; deſerebatur denique viaticum conficiendi itineris, *l. 1. h. t.* annonæ, *d. l. 1. h. t.* & *d. l. 2. ſup. de domeſticis:* præbitiones, *d. l. 1.* neceſſaria, *l. 2. h. t.* Sic et in Tractoriarum corpore, *l. 2. h. t.* STATIVA, de quibus *Rubr.* & *l. 2. h. t.* Solita, *d. l. 2.* adſcriberentur, *dict. l. 2. h. t.* 2. Modusque debitæ præbitionis, *d. l. 1. h. t.*
P.569 3. Tempus ſeu dierum numerus, temporiſque ſpatium, quo quis reſidere poſſet in quoquo loco, *d. l. 2. h. t.* 4. Sed & curſus publici modus. Vnde & redarum Tractoriæ quoque dicuntur *d. l. 9. ſup. de curſu publico*, quæ alias *Euectiones*, vt proinde *Tractoriarum* vox in triplici ſignificatu efferatur *hoc Codice.* Commercium porro Tractoriarum prohibitum erat, *l. 1. h. t.* De falſis Tractoriis, *l. 11. ſup. de deſertoribus.*

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Rufinum PF. P. (b)

NEMINI ex his qui ex Caſtrenſibus (c) muniis abſoluti (d) ad domum redeunt poſt labores, Tractoria præbeatur, a Sacro (e) ſeparata iudicio: ſed vnuſquiſque, in Epiſtulis (f) noſtris, quibus, ad æui reliqui teſtimonium, ſingulos ſequimur, (g) viaticum (h) conficiendi itineris conſequatur. Hanc igitur ſanctionem Sinceritas Tua con-

grua

grua auctoritate custodiat: Ac si quando aliquis ex hoc genere hominum annonas (i) popofcerit, Imperialibus literis (k) sua subscriptione subiecta modum debitæ præbitionis (l) impertiat. Sed ne quis, vt hactenus factum est, quas superfluas (m) impetrauerit, largiatur, aut vendat, ne (n) quis ad quæstum de hac erogatione capiendum, vlterius (o) nomen opponat. Missa (p) sub die VIII. Kal. Feb. Rom. Valentiniano & Valente AA. (q) CONSS.

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFR.*

(b) Vulcatius *Rufinus* integro nomine, qui Mamertino in Præfectura Prætoriana Italiæ successit, teste Ammiano Marcellino *lib. 27. cap. 7.* & cui plures aliæ *leges* inscribuntur. vid. *Prosopogr. ID.*

(c) Vide Symmachum *lib. 7. ep. 96.* *Castrensia* autem munia sunt Palatina, in Palatio obita. *ID.*

(d) Absoluti, cum Senatoria scil. dignitate. *ID.*

(e) *Sacro*, id est Principis sacrum iudicium, mox Epistola (Testimonialis scil.) & *sine legis* Imperiales literæ. *IDEM.*

(f) *Epistolæ*: hic sunt *testimoniales*: quæ a Principe emeritis castrensi militia dabantur, dimissoriæ ad æui reliqui testimonium (vt *hac l.* dicitur) Earum mentio fit *l. 2. sup. de veteranis* & *l. 4. eod. tit.* vbi *emeritæ missionis Epistolæ* vocantur: & *l. 11. sup. de desertorib.* & *l. 1. de Testimoniali ex Tribunis. ID.*

(g) *Prosequimur. IDEM.*

(h) *Viaticum conficiendi itineris*, est Tractoria. *ID.*

(i) *Annonæ*: supra, *Tractoria. ID.*

(k) Testimonialibus, dimissoriis. *IDEM.*

(l) *χορηγίας. ID.*

(m) Tractorias, seu annonas. *ID.*

(n) *Nec quis. IDEM.*

(o) *γρ. alterius. ID.*

(p) Missa, vid *Prolegomena. ID.*

(q) *γρ.* AA. II. id est A. D. 368. dixi ad *l. 3. inf. quibus equorum vsus concessus est, vel non. ID.*

COMMENTARIVS.

PRIVSQVAM singulas huius tituli *leges* illustro, de TRACTORIIS in vniuersum videndum est: præter ea quæ iam in *Paratitlon* coniecimus: conquirendaque ea omnia quæ de his occurrunt, tum apud profanos Scriptores, tum in scriptis & Scriptoribus Ecclesiasticis. Igitur antiquissima omnium *Tractoriarum*, (quas *Cursuales* vocare libet) mentio mihi occurrit, in Constantini M. epistola, ad Ablauium PP. (a) (cui plures alioquin *hoc Codice* inscribuntur constitutiones, cuiusque etiam meminit Eunapius, in *Ædesio pag. 40. & 44. 47. edit. Commelin.* Synesius *ep. 61.* Zosimus *lib. 2. cap. 40.* & Hieronymus *Chronic.*) quam Pithœus extulit, quæque hodie præfigitur Actis Concilii Arelatensis primi *pag. 260. Tom. I. Concil. Harduin.* *Data*, inquit, *euectione publica per Africam & Mauritaniam, inde ad Hispanias breui tractu facias nauigare: & inde nihilominus his in singulis Episcopis singulas* TRACTORIAS *tribuas, vt ipsi ad supradictum locum intra diem Kalendarum Augustarum possint peruenire.* Vbi vides *Tractorias* pro euectione Cursus publici accipi. Quare & mox Constantinus, in *l. 9. sup. de Cursu publ.* memorat Tractorias redarum; Symmachus, sub Honorio Imp. Equorum Tractorias *lib. 9. ep. 25* ad Vincentium, (Præfectum Prætorio scilicet Galliarum) *Oro præterea, vt Equorum Tractoriis, quas vir Illustris Theodorus* [PP. Galliarum] *emisit, confirmationem per epistolam præstes, ne mutato Iudice beneficii lentescat auctoritas.* Quo loco Gutherius *de off. domus Aug. l. 3. c. 15. p. 648. ed. Lips.* male Vincentium Comitem S. L. accipit, neque loci illius sensum percepit. Quid enim ibi faciat *Comes S. L.* Et vero loci illius sensus hic est: Theodorus PP. Galliarum (de qua eius dignitate fidem facit quoque Claudianus *Panegyrico in eius Consulatum*, A. 399. *a vers. 52.* Symmachi hominibus ad equos emendos in Hispanias missis Tractorias seu Euectiones equorum concesserat, mox idem Præfectura decesserat, successore Vincentio PP. Galliarum (de qua Vincentii Præfectura Prætoriana Galliarum dixi ad *l. 58.* & *61. sup. tit. prox.* quæ & ipsæ Vincentio huic inscribuntur, & de Cursu publico pariter agunt, ac nominatim postrema de *Euectionibus*) Quare veritus Symmachus, ne mutato ita Iudice, seu Præfecto P. beneficium illarum Tractoriarum a decessore indultarum euanesceret, confirmationem eius beneficii a Vincentio successore postulauit.

Verum ad rem: Ergo *Tractoriarum* appellatio prima & antiquissima, & in Iure quidem vsurpata eo significatu, quo dixi, pro Euectione Cursus publici. Quo ipso sensu *hoc titulo* vsurpatur a Theodosio M. *l. 2. h. t.* Quo sensu etiam Eustathius *περὶ χρονικῶν διαστημάτων* *Tractorias* interpretatur, *κελεύσεις αἱ παρὰ τῶν ἐπάρχων προφάσει ζώων δρομικῶν γενόμεναι*, & Glossæ Nomicæ, *κέλευσιν ἐπάρχου, ἢ καὶ κομβίναν, ἤτοι σύνθημα περὶ τῶν δρομικῶν ζώων.* P. 570

Denique *Tractoriæ*, pro diplomate & euectione cursus publici, quæ datæ ad cursum publicum perficiendum, siue a Principe siue a Præfecto Prætorio, siue ii a Principe euocarentur, siue a Principe recederent: aliisque singulari beneficio ad iter aliquod emetiendum; a *Tractu* videlicet, & ad emetiendos terrarum Tractus ita dictæ *pour tirer pais*: quomodo & *cursualem Tractum* dixit Cassiodorus IV. *Variar. 47.* Et hoc quidem *Tractoriarum corpus* fuit, vt

(a) Ms. Codd. constanter legunt, obseruante Cl. Harduino, *Constantinus Aug. Ælafio* non *Ablauio*, vt noster edidit.

vt loquitur *lex 2. h. t.* Atenim his Tractoriis, seu huic corpori Tractoriarum, siue eæ a Principe concederentur, non quidem Princeps ipse, verum Præfectus Prætorio subscriptione sua annonarum præbendarum modum nonnullis addebat, vt docet *dicta lex 1. h. t.* siue eæ a PP. ad Comitatum proficiscentibus præberentur, modo *statua* solita addita, modo etiam cum *necessariis*, præfinito dierum numero, quæ & ipsæ *Tractoria* dictæ sunt, *l. 1. h. t.* & *l. 2. sup. de domesticis.* Quæ secunda iam Tractoriarum species est, Annonariarum scilicet. Quod qui non recte distinguunt, Tractoriis Principis viaticum conficiendi itineris comprehensum fuisse tradunt. Huiusmodi vero Tractoria est illa Petronii Probiani PP. ad Dominum Celsum Vicarium Africæ *apud Baronium An. 314. n. 70.*

Tertiam adhuc *Tractoriarum* significationem in iure reperio, Dimissoriarum, pro Epistolis videl. dimissoriis, & testimonialibus militum, vt *l. 11. sup. de desertorib.* Et ita quidem in Principum *constitutionibus*, & Scriptoribus illius æui profanis *Tractoriarum* vox accipienda est. Hoc exemplo, quod Franciscus Bernardinus Ferrarius, *lib. 1. de Eccl. Epistol. c. 1.* recte obseruauit, Tractoriarum nomen ab Imperio ad Ecclesiam translatum est. Et quidem, vt comperio, duplici significatu.

Iam enim (quæ quidem Quarta in vniuersum *Tractoriarum*, quas *Synodicas* appellare liret, appellatio notanda est) apud Patres & in Conciliis, *Tractoria* pro Euocatione, & Synodalibus epistolis, quibus Concilium a Primate indicebatur, Episcopique ad Synodum ab eo euocabantur, vsurpatæ. Nempe & ipsæ ad emetiendos terrarum tractus: Qua causa Interpres Græcus Codicis Africani, *Tractoriam συνοδικὴν* vertit, non semel. Hoc sensu *Tractoriæ* vsurpantur in Conciliis Africanis: Codice Africano ex Concilio Carthaginensi 6. A. D. 401. *can. 76. pag. 906.* & Carthagin. 7. A. D. 403. *can. 90. pag. 914. Tom. I. Concil. Harduin.* in Concilio Teleri si, *Tomo eod. Conciliorum pag. 1235.* ab Augustino *lib. post collat. contra Donatistas, cap. 24. num 41. p. 606. Tom. IX. Op. ed. Benedictin.* & *Ep. 217. (59. ed. Benedict.)* ad Victorinum Numidiæ Primatem agentem, non semel: & enarratione *in Psalm 36. Serm. 2. num. 19. pag. 275. Tom. IV. Oper. ed. Bened.*

Circa has vero Tractorias tria notanda sunt. Primo, non fuisse has Tractorias singulares, seu ad singulares Episcopos emissas, verum omnium nomina qui ad Concilium vocarentur, vna Tractoria comprehensa fuisse, seruato ordinationis cuiusque tempore, vt ex dicta Augustini epistola liquet.

Secundo notandum, Episcopos ad Concilium vocatos, si venire non possent, suas excusationes hisce Tractoriis subscribere oportuisse, vt docet *d. c. 76.* qui etiam insertus est capitularibus Caroli M. apud Ansegisum *lib. 7. c. 34. p. 1036. edit. Baluz.* & *can. 10. Distinct. 18.* Error enim est nonnullorum, qui *Tractorias* dictas scribunt Epistolas priuatim ab Episcopis scriptas, quibus sese excusarent. Rursum error est viri docti *lib. 2. Ecc. Ep. cap. 2.* qui has excusationum allegationes *Tractatorias* dictas autumat: in errorem inductus, ex corrupta *Tractoriarum* voce, quæ alicubi in *Tractatorias* migrauit.

Neque dubito (quod Tertium circa has Tractorias notandum) euocatis ita Episcopis per Tractorias, Episcopos a fidelibus benigne exceptos. Quod tamen neque ex Constantini *ep. ad Ablauium*, neque ex altera *ad Chrestum* apud Eusebium *lib. 10. capit. 5.* vllo modo colligi potest (quod nonnulli putabant) Multo minus id Tractoria comprehensum nominatim fuisse, vt Christiana charitate fouerentur, ex vllo adhuc loco probatur.

Sed & altero quoque sensu (quæ Quinta *Tractoriarum* appellatio est, quas *Denunciatorias* appellare licet:) in Ecclesia Tractoriæ acceptæ, pro publica denunciatione quoquo missa, hunc vel illum excommunicatum esse, aut damnatum, ac propterea ab eius communione abstinendum: Et ita quidem Augustinus vsurpat, *conc. 2. in Psalm. 36.* & *ep. 162. (43. num. 7. edit. Benedict.)* quibus etiam locis perperam *Tractoriarum* nomen in *Tractatorias* migrauit. Quare nullæ iam Tractatoriæ Epistolæ, quas triplicis generis Ferrarius constituebat.

Medio deinceps æuo, *Tractoria* dictæ, sexto iam significatu, Epistolæ seu literæ, quas *Mansionaticas* dicere licet; quæ dabantur missis a Principe, vel ab eo euocatis, quibus neque cursus publicus iam concedebatur, neque annonarum modus ab alio Iudice addendus mandabatur, verum recta mansionaticum, & *Parata* (vti loquebantur) seu annonarum & specierum cellariensium modus ex publico præbendus his commeantibus designabatur. Quo sensu *Tractoriarum* vox apud Francos medii æui Scriptores accipitur, veluti *Capitularium lib. 4. c. 30. 69.* item in *legibus Longobardicis lib. 3. tit. 1. c. 38. tit. 7. c. 1.* apud Lupum *ep. 63.* Agobardum, *de insol. Iudæorum p. 58.* Quarum formulam & quidem *Legatariis* (id est, Legatis) datarum exhibet Marculphus *lib. 1. formul. 11.* vbi docte, plura ex eo æuo, V. CL. Bignonius, vt & Lindebrogius *in Glossar. Legum Barbararum.* Dispensa vocatur missorum Dominicorum, *capitularium lib. 4. c. 73.* (a)

Tan-

(a) De *Tractoriarum* appellationibus pauca lubet adiicere. 1) Notant *Euectionem* quod probant græca loca a nostra adducta, quæ antea iam IACOBVS CVIACIVS *ad leg. vn. Cod. Iust. de tract. & statiu.* & CL. SALMASIVS *in not. ad Capitolin. Pertinac. c. 1.* produxerunt. Ingenuum sane fuisset profiteri, a quibus profecerat Noster, quod facere non neglexit CL. HENNINIVS *not. ad Bergier. IV. 15. §. 9* erudite de *Tractoriis* disputans. 2) Pro *Diplomate* accipiendæ, quod datum *ad cursum publicum* perficiendum, vel *a Principe* vel *PF. P.* vt confirmat etiam CL. BIGNONIVS *not. ad Marculf. lib. 1. pag. 268. edit Paris.* loco ex Plutarcho *in Galba*, quem supra vides *tit. proxim. de C. P. leg. 1.* cui adde *ex leg. 9.* locum Capitolin. *in Pertinace cap. 8.* vbi de *Combinis* etiam monitum ex CL. SALMASII sententia, quæ a *combinatione chartarum* ita dictæ, quia separata charta *Tractorio annonaria* per PFP. solebat coniungi cum *Euectione*, *Epistola Testimoniali* siue *dimissoria Principis*, quod *h. l.* prohibitum, vt eleganter docuit laudatus HENNINIVS, cui adde BVDAEVM *ad D p. 84. 85.* & GVTHERIVM *de Off. D. A lib. 3. cap. 15. pag. 649. edit. Lips.* qui tamen rem non satis extricarunt, neque etiam Magnus Salmasius satisfecit, cuius opinionem *de Combinis* vide ad *d. l. 9. de C. P.* 3) Tractorias, *Dimissorias Epistolas* esse, satis ex locis ab auctore adductis constat. 4) De Tractoriis *Euocationis* vide SIDONIVM *Epistol. VIII. 12.* ibique doctissimum SIRMONDVM, & formulam qua milites euocantur apud CASSIODORVM *Var. V. 26. 28.* adde CL. DV FRESNE Glossar. voc. *Tractoria* & ab eo citatum IOHANNEM GARNERIVM *ad Marium Mercat. in Commonitor. c. 3.* 5) Vox Tractoriarum, vbi *Denunciatoriam* indicat *epistolam* vix sæpe obuia, sed hoc sensu occurrit locis, quæ a nostro in Commentar. indicata sunt. Male autem fecit CVIACIVS, quando ad *d. l. C. I.* Marculfi formulam adduxit: in quo etiam errarunt PANCIROLLVS, *in Not. Imp. Or. I. 6.* & BERGIERIVS IV. 25. *de Viis Publ.* nulla enim ea habet conuenientiam cum cursu publico, qui nullus tum erat. Ne tamen quid deesse tibi putes, aut aliunde petere eam cogaris, in vsus tuos addere malui ex MARCVLFI *lib. I. 11.* vti edidit BIGNONIVS.

TRACTORIA LEGATORVM VEL MINIMA FACIENDA AD ISTIVS INSTAR.

ILLE REX, OMNIBVS AGENTIBVS. DVM ET NOS IN DEI NOMINE APOSTOLICVM VIRVM IL-

Tandem ad exemplum harum postremarum Tractoriarum (non illarum Ecclesiasticarum, quod putauit Ferrarius) Concilium Parisiense, quod Meldense dicitur. *cap. 71. Tom. IV. Concilior. Harduin p. 1488.* a Rege petisse comperio, vti singulis Episcopis auctoritatem tribueret iudicum ciuilium auxilium implorandi, ad ministerium diuinum peragendum.

Nunc de *huius legis* sententia. Valentinianus Sen. Tractoriarum *Annonariarum*, (de quibus *supra* primo loco actum) quas *Castrensibus*, id est, Palatinis muniis soluti domumque redeuntes referebant, abusui *hac l.* occurrit; ne videlicet falso titulo Tractoriæ ab his impetrarentur, aut circumferrentur: vel etiam, vt ne superfluæ, ex quibus quæstum postea facerent. Ad hos quippe duos fines referenda est *huius leg.* sanctio, quæ duobus etiam capitibus constat.

Primo, de forma earum agitur. Multi scilicet ex his, quos dixi, falso titulo Annonarum Tractorias a Præfectis Prætorio impetrabant, vel tanquam ab his impetratas falso circumferebant. Igitur ad obreptionis & falsitatis materiam præcidendam, Valentinianus *h. l.* statuit, vt ne Præfectus Prætorio Tractoriam præbeat annonarum separatam, seu viaticum conficiendi itineris (nam ita definiuntur *h. l.* hæ Tractoriæ annonariæ) seu separatam chartam, ab *Epistolis* Testimonialibus seu dimissoriis; quas Princeps dabat *Castrensibus muniis absolutis, domumque redeuntibus, quibusque ad reliqui æui testimonium singulos ex his prosequebatur.* Verum, vt in eadem charta Tractoriam præbeat, subscriptione videlicet sua, seu annonarum Tractoria literis Principis P. 5; subiecta, vt ita appareat, nonnisi merenti, cuique Princeps factum vellet, datam Tractoriam annonariam. Ita sane quoque Modestinus. *l. 27. §. vlt. D. de falsis:* agit de pœna eius qui falso diplomate vias commeauit. Ita quoque Honorius *l. 11. sup. de desertoribus*, Prouinciarum Iudices sollicita cautione disquirere iubet, ne sub falsarum Tractoriarum nomine desertores desertionis suæ crimen defendere moliantur, ne suppositis aut commentitiis epistulis euadendi habeant facultatem: vbi *Tractoriarum* appellationem alio significatu, sed tamen proximo, accipiendam docui, pro Epistolis videlicet Dimissoriis, de quibus alioquin *hac ipsa lege* etiam agitur.

Ex hoc priore interim *legis* huius capite varia discere licet. Primo, *castrensibus* (id est, Palatinis, nam ita hæc vox accipienda est) muniis absolutos, domumque redeuntes epistolis Principis testimonialibus muniri solitos; quibus Princeps eos ad æui reliqui testimonium prosequebatur: de quibus *Testimonialibus* suo *titulo*.

Secundo notandum hos proficiscentes, seu domum redeuntes, Annonarum & Euectionum adiectione cumulatos, id est, Testimonialibus Principis, Annonarum & Euectionum ius modumque adiectum, subscriptione PP. Quod & ipsum egregie ostendit Symmachus, *lib. 7. ep. ad Longinianum Comitem S. L. 96. Dignum esse prædico, qui nostro Ordini* [id est, Senatorio] *copuletur. Sed adiicienda est ei prærogatiua* militiæ [Palatinæ] *vt beneficio Allectionis vtatur. His quippe tantum munia* [Senatoria] *relaxari, Diualia constituta voluerunt, quos* castrensis *honor illuminat: si igitur & hoc insigne detuleris, quod* Annonarum *&* euectionum *cumulet adiectio, prono cursu in Consulares legetur.* Vbi vides quoque eandem *Castrensium* appellationem pro Palatinis occurrere: eandemque *Annonarum* mentionem & *Euectionum* in effectu. Et hæc quidem de primo *huius legis* capite.

Secundo capite Valentinianus commercio Tractoriarum annonariarum interdicit: id est, vt ne cuiquam liceat Tractorias seu annonas sibi concessas alteri elargiri, aut vendere: denique necessitati cuiusque seruire Tractorias iubet, non vero *superfluas* vendi, & ex his quæstum fieri, alterius nomine apposito. Quæ & ipsa mens fuit circa Euectiones cursus publici Constantino M. *l. 4. sup. de cursu publ.* & Theodosio M. *l. 41. eod. tit.* puta vt commercio earum interdictum esset.

---

lvm, nec non et illvstrem virvm illvm partibvs illis legationis cavsa dereximvs, ideo ivbemvs, vt locis convenientibvs eisdem a vobis evectio simvl, et hvmanitas ministretvr, hoc est veredos sev paraveredos tantos, panis nitidi modios tantos, vini modios tantos, cervisae modios tantos, lardi libras tantas, carnis libras tantas, porcos tantos, porcellos tantos, vervices tantos, agnellos tantos, avcas tantas, fasianos tantos, pvllos tantos, ova tanta, olei libras tantas, gari libras tantas, mellis tantas, aceti tantas, cvmini libras tantas, piperis tantas, costi tantas, gariofli tantas, spici tantas, cinamomi tantas, granimastice tantas, dactylas tantas, pistacias tantas, amandolas tantas, cereorvm libras tantas, salis tantas, olervm, legvminvm carra tanta, facvlas tantas, itemqve victvm ad caballos eorvm, foeni carra tanta, svffvsi modios tantos, haec omnia diebvs tam ad ambvlandvm, qva mad nos in Dei nomine revertendvm vnvsqvisqve vestrvm locis consvetvdinariis, eisdem ministrare et adimplere procvretis, qvaliter nec moram habeant, nec inivriam perferant, si gratiam nostram optatis habere. Aspice hæc, & senties, recte nostrum cum Bignonio iudicasse.

II. (a) Imppp. Theodosivs, Arcadius, & Honorius AAA. Rufino PF. P. (b)

Tractoriæ (c) *cum Statiuis solitis*, (d) bidui tantummodo tempus (e) accipiant. Nulli vero penitus *cum necessariis*, (f) præbeantur, nisi his tantummodo, qui animalia atque equos sacro (g) vsui necessarios prosecuntur: (h) ita tamen vt his dimissis, (i) in Tractoriarum corpore præfinitus (k) quinque dierum numerus adscribatur:

batur: vt nullus vltra hoc temporis spatium ad residendum (l) in quo libitum (m) fuerit loco, copiam nanciscatur. Dat. VII. Kalend. Septemb. (n) Constantinop. Arcadio A. II. & Rufino CONSS. [392].

NOTAE.

(a) Lex vn. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) Orientis: de quo vide *Prosopograph.* ID.

(c) *Tractoriæ* sunt Euectiones: de quo significatu Tractoriarum, ad *leg. sup.* IDEM.

(d) Forte, *Solis*: sed nil muto. ID.

(e) *Tantummodo biduum tempus* Cod. Iust. RITTER.

(f) *Sibi personis*, additum *Cod. Iust.* de quo mox. GOTHOFREDVS.

(g) *Sacro*, id est, *Principis*: vide *Gloss. Theodos.* ID.

(h) *Prosequuntur*: De Prosequutoribus horum animalium dixi ad *l.* 1. & 2. *infr. ne operæ a conlatoribus.* ID.

(i) *Dimittendi* vox hæc propria: v. similia in *Gloss. Theod.* ID.

(k) *Præfinitus* abest a C. I. RITTER.

(l) Ad residendum, vnde & *Resides.* GOTHOFRED.

(m) Et applicitum fuerit. ID.

(n) *Octobr.* rescribendum esse, vult Noster in *Chronologia.* Rationem non video. Id vero notari volo, abundare in *Inscriptione* nomen *Honorii*, anno enim sequenti demum is a patre Theodosio Augustus creatus *IV. Id. Ian.* Vide *Chronolog.* RITTER.

COMMENTARIVS.

DE TRACTORIARVM, id est, Euectionum Cursus publici vsu eum Statiuis vel necessariis annonis, *modo*, est hæc Theodosii M. Constitutio; quæ scilicet a Præfectis Prætorio dabantur ad Comitatum Principis proficiscentibus. Idque duplici fine, tum ne diu nimis illi in itinere hærerent, tum ne fiscum annonis onerarent. Vbi primo notanda venit duplex Tractoriarum forma seu species. Nempe Tractoriæ dabantur proficiscentibus ad Comitatum Principis, vel cum *Statiuis* solitis solisque, vel cum necessariis: Et sic Statiua solita vel sola, hic necessariis opponuntur. *Statiua* sunt consistendi & residendi, interquiescendi, pausandi loca, spatiaque: *Statiua*, siue *Statiua* (nam ita promiscue appellantur) nudam interquiescendi, consistendi licentiam continebant. Meminit horum Lampridius in *Alex. Seuero cap. 45. Deinde per ordinem mansiones, deinde* STATIVAE, *deinde vbi annona esset accipienda.* Ammianus Marcellinus *lib. 20. cap. 4. Hocque angore impliciti in* STATIVA SOLITA *recesserunt.* Ambrosius *sermone 5. in Psalm. 118. pag. 1222. edit. Benedict. Tom I. Non deficit qui Imperatorem sequitur suum: moderate enim ambulat, quia Imperator, non quod sibi vtile, sed quod omnibus possibile considerat: ideo &* STATIVAS *ordinat, triduo ambulat exercitus, quarto requiescit die: eliguntur ciuitates in quibus triduum quatriduum & plures interponuntur dies, &c. & ita sine labore conficitur iter*, &c. Et mox: *Sicubi vult requiescere Rex terra exercitum suum, non ignobilem vicum, non commeatibus indigentem, non arenosa & nuda gignentem, sed vrbem ad-fictis nobilem, refertam & vberem copiarum, aut agrum amœnum & virentem pascuis, aut nemorosa & campestria* STATIVIS *opportuna decernit.* Egesippus *lib. 4. c. vlt. Duobus Statiuarum* [al. Statiuorum] *gratia, Pelusii transactis diebus.* A Statiuis his *Statiua requies* Symmacho *lib. 3 ep. 83.* Ergo *Statiua* hic & solita
P. 572 quidem, Necessariis opponuntur; & sic Tractoriæ cum Statiuis & Tractoriæ cum Necessariis sunt. *Necessaria* hic non sunt ministeria & angariæ, quod *Caducis Iustinianei* Interpres Iac. Cuiacius voluit, & voluit ipse etiam Tribonianus: sed sunt, quæ Græcis ἐπιτήδεια, victus, annona, copiæ; Paulinus *in vita Ambrosii: cui non minimum solatii Sacerdos præbuit, dando sumptus, vel alia quæ erant* NECESSARIA. Glossæ Cyrilli ἐπιτήδεια, τὰ ἀναγκαῖα, *hæc copia.* Quæ cum ita sint, apparet quam male hæc *lex* a Triboniano interpolata hnd ea *Cuiacii Iustinianeis* interpretibus accipiatur. Non de ipsa legis sententia.

Duo *huius legis* capita constitui possunt. Primo cauetur, Rectorem Prouinciæ ad Comitatum proficiscentibus, reique fiscales transferentibus, Tractorias cum Statuis solitis in commune quidem dare posse; Tractorias vero cum necessariis, id est, cum annonis, iis tantum qui animalia & equos Principis vsibus necessarios prosequuntur: De quibus animalium Prosecutoribus est quoque *lex 2. inf. Ne opera a Collatoribus:* & *lex 2. inf de venat. ferarum:* id quod datum hoc æuo voluptatibus Principum.

Secundum caput est, quanti temporis, seu quot dierum Euectiones cum Statuis, quot cum Necessariis, proficiscentibus ad Principem Præfectus Prætorio dare posset, ne alioquin nimia mora vtilitates publicæ negligerentur, vel fiscus grauaretur. Statiua scilicet solita nonnisi bidui tempus accipere vult; quomodo & superiore Ecesi pi loco *bidui statiua* indicantur. Cum Necessariis vero prosecutoribus nonnisi quinque dierum; ita quidem etiam vt id in Tractoriarum corpore nominatim adscriberetur. Hoc scilicet tempus Prosecutoribus illis præstitutum, ne diuturniorem moram agerent in Statiuis vel Mansionibus, vltra quod residere ibi non poterant. Ita sane quoque postea Theodosius Iun. in *l. 2. inf de venat. ferarum*, transductioni ferarum deputatos, cum bellis ad Comitatum missos, non plusquam tertiem diebus intra Ciuitates residere voluit. Non omnino similis ratio *legis 2. inf de Legatis*, qua vetantur Legati ad Gentem Axumitarum & Homeritarum ire iussi, vltra annui temporis spatia Alexandriæ demorari, alioquin annonariis alimoniis priuandi: de cuius rei sensu, nos ad *eam leg.*

DE

DE DIVERSIS OFFICIIS ET APPARITORIBVS ET PROBATORIIS EORVM.

TITVLVS VII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. LX.

Addantur & Tituli peculiares e *Cod. Iustinian.* puta *Tit. 52, 53. 54. 55. 56.*

Addantur & Tituli IV. priores *sup. hoc libro.*

PARATITLON.

DE OFFICIIS, (vt vocantur *Rubr.* & *l. 1. 2. 3. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 15. 16. h. t.* & passim *hoc Codice*, quæ & *Obsequia* dicuntur, *l. 12.*) diuersis, *Rubr.* & *l. 2. 3.* id est, vniuersis, *l. 7. h. t.* agitur *hoc titulo*, (quo pertinent etiam quatuor priores *huius libri* Tituli) id est de Officialibus, *l. 2. 3. 4. 6. 13. 14. h. t.* seu Apparitoribus, *Rubr.* & *l. 13. 19. 20. h. t.* (vnde & Apparitionis obsequia, dicuntur *l. 15. h. t.* & Apparitio propria, *l. 16. h. t.*) qui scilicet parebant Iudicibus, *l. 13.* qui etiam militare dicti, *l. 18.* (vnde & *Militia* de eorum officio dicitur, *l. 2. 3. 5. 10. 13. 16. 20. h. t.*) iidemque & cohortales, *l. 4.* de quibus *sup. tit. 4. huius libri.*

Memorantur vero *hoc titulo* diuersi seu varii Officiales, quorumlibet Iudicum, *l. 19. h. t.* ciuilium, *l. 19. h. t.* (militarium) Illustrium seu Eminentium Potestatum, *l. 16 h. t.* Spectabilium, Clarissimorum. Veluti Primo: Præfectorum Prætorio, *l. 7. 8. 9. 10. 11. 19. h. t.* (qui *Præfectiani* dicuntur, *l. d. 19.* & *l. vn. inf. ne Præfectianus:*) & in his Cornicularii eorum, *d. l. 8. 9.* Secundo, Præfectorum Vrbis, *l. 6. 16. 22.* Tertio: Magistrorum Equitum & Peditum, *l. vn. sup. tit. 3.* & *l. 4. 5. h. t.* & *l. 6. inf. de Susceptorib.* Et in his Chartularii eorum, *d. l. 5.* Quarto: Comitum Sacrarum largitionum (qui Largitionales Comitatenses dicuntur, *l. 6.*) & rerum priuatarum, *d. l. 6.* de quibus *lib. 6. tit.* peculiari, *de Palatinis S. L.* & *tit. pr.* Quinto: Proconsulis Asiæ, *l. 21.* Sexto: Comitis Orientis, *d. l. 21.* Septimo: Præfecti Augustalis, *l. 21.* Octauo; Vicariorum Præfectorum, *l. 6. 11. 16. 21.* Nono: Ordinariorum Iudicum, *l. 9.* id est Rectorum prouinciarum, *l. 11.* Præsidum, *l. 12.* (qui & Præsidentes dicuntur, *l. 13.*) Decimo: Comitis Thesaurorum, *l. 14.* (a quo Officiales eius Thesaurenses dicti, *l. vlt. h. t.*)

P. 573 Horum officialium varii ordines fuere, *l. 1. h. t.* seu gradus, *l. 10.* Inter hos summo loco erat Princeps: de quo *sup. tit. de Cohortalib. Principibus,* &c. Memorantur inter hos *hoc titulo* hi; Primo: *Cornicularii*, & quidem Præfectorum Prætorio, *l. 8. & 9. h. t.* (de quibus *sup. tit. 4.*) Secundo: *Chartularii*, & nominatim Magistrorum Equitum & Peditum, *l. 5. h. t.* Tertio: Ratiociniis & chartis obnoxii in officio Præfectorum Prætorio, Vicariorum, Rectorum prouinciarum, *l. 11. h. t.* Quarto: Scriniarii, *l. 14. h. t.* de quibus *sup. tit. 1.* & in his Scriniarii Comitis Thesaurorum, *d. l. 14.* Quinto: exceptores, *l. 17. h. t.* de quibus *sup. tit. 1.*

Hi vel sponte initiati, vel maiorum suorum consortio retinebantur, *l. 16. h. t.* Vel denique probabantur seu eligebantur. Quæ probatio, electio non a Præfecto Prætorio fiebat, verum a Principe ipso, *l. 1. 7. 21. 22. 23. h. t.* probatoria e sacris scriniis *Rubr. h. t.* & *d. l. 21. 22, 23.* quemadmodum Promotio seu prouectio quæ & ipsa etiam non a Iudicibus fiebat, *l. 7. h. t.* In promotionibus hæc regula erat, vt primus in officio esset, qui prior fuisset promotus, *l. 1. h. t.* Examen sane, seu recensus Officialium a Præfecto Prætorio fiebat, *l. 10. h. t.* in tantum vt discinctus vel solutus militiam repetere non posset, *l. 18. 20. h. t.*

Officiis his varia imposita. Primo: Ad stationes agendas destinati, *l. 12. h. t.* Secundo: cursus publici sollicitudo his iniuncta, *l. 7. h. t.* de quo *sup. tit. de Cursu publico*

 (qui

(qui non alia ratione huic de Officialibus tractatui insertus est.) Tertio Mancipatus, *l. 9.* & *19. h. t.* Quarto, exactionis munus: de quo vide *infr. tit. de Exsecutoribus & Exactionibus.* Quinto, susceptionis *l. 8. h. t. l. 70. inf. de Decur. l. 7. inf. de susceptorib.* Sexto primipili pastus, *l. 6. h. t. l. 8. sup. de cohortalib.*

Perpetuo autem ea militia tenebantur, neque ea liberari poterant regulariter ante expleta omnia munia: (quam tamen variis rationibus sæpe euitare conabantur:) non Epistolis ex Protectoribus, *l. 2. 3. 9. h. t.* non militia armata, *l. 12. 13. 19 h. t.* non Præpositura castri ac militum, *l. 11. h. t.* non alia militia, *l. 14. h. t.* non Palatina, non Agentum in rebus officio, *l. 16. 19. h. t.* non scholari militia, *l. 9. h. t.* non ordine aliquo indebito, *l. 15.* non alio quocunque ordine aut tempore, nisi quinquennio maiore, *l. 15. h. t.* Sed & filii eorum officiali militia tenebantur, *l. 19. in fin. h. t.* Sane qui Cornicularii honore perfuncti erant, vel purpuram Principis adorarant; & inter Protectores Domesticos, vel Scholares militarant, ad muneris functionem & necessitates mancipatus non constringebantur, *l. 9. h. t.*

Priuilegia his nonnulla vniuersa data: Primo, certorum annorum militia inter Officiales, curiali nexu liberabantur, puta quandoque viginti quinque annorum militia, modo decem tantum annorum, *l. 5.* & *6.* Secundo, ad adorandam purpuram Principis certo numero quodam singulis annis admittebantur, puta cohortales [Præfecti Prætorio] & Officiales Magistrorum Equitum & Peditum, qui omnibus expeditionibus adfuissent, *l. 4. h. t.* Cornicularii nominatim Præfecti Prætorio post Corniculos transactos vna cum immunitate a muneribus, *l. 8.* & *9. h. t.* *Pœna* tandem Euersoris, & qui semel rationes turbasset, & eius qui militia semel solutus fuisset, hæc erat, vt repetere militiam vetaretur: *l. 14.* & *18. h. t.* De lucris officiorum, erit *infr. tit. 9.* de concussionibus apparitorum, *tit. 10. hoc libro.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Versennium Fortunatum Consularem (b) Aquarum.

PRomotionis ordo custodiendus est, vt primus in Officio (c) sit, qui prior fuerit in consequendo beneficio Principali. Dat. VIII. Id. Mart. Thessalonicæ, (d) Constantino A. IV. & Licinio IV. CONSS. [315.] 1

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Concordat eiusdem Constantini *lex* 1. & 2. *sup. de Numerariis.* GOTHOFR.

(b) De *Consulari Aquarum Romæ*, dicam plene ad *l. 1. infr. de Aquæductu. lib. 15. tit. 2.* quæ & ipsa inscribitur *Maximiliano Consulari Aquarum.* ID.

(c) *Officium Consularis Aquarum* nota, cuius etiam mentio fit, *d. l. 1* & de quo mox plura. IDEM.

(d) In Macedonia (vbi Thessalonica) constitit hoc tempore Constantinus M. vtpote quæ etiam cessisset, pace cum Licinio inita: teste Zosimo *lib. 2. c. 20.* & Sozomeno *lib. 1. cap. 2.* & *7.* ID.

COMMENTARIVS.

DE PROMOTIONIS ORDINE inter Officiales ac nominatim Consularis aquarum Romæ, est hæc *lex* Constantini M. vt & eiusdem duæ aliæ, puta *lex 1.* & *2. sup. de Numerariis.* Nempe cum de ordine inter Officiales in quadam facti specie quæreretur, forte cum de promotione ageretur, seu de promotionis solemnitate, & posterius promoti nonnulli τὰ πρωτεῖα præ aliis affectarent, quacunque tandem ratione, Constantinus rescripsit, promotionis ordinem custodiendum, eumque priorem esse debere in officio qui prior etiam fuerit P. 574 promotus, beneficio Principali. Prior tempore scilicet in omnibus corporibus & collegiis, iure quoque & gradu potior est. Denique hæc omnium Corporum *lex* est, vt promotionis ordo in eo seruetur: de quo *sup. lib. 6.* non vno loco; & nos plene, in *Diatriba, de præcedentia, cap. 3. th. 18.*

Est autem hæc *lex* proprie de officio Consularis Aquarum Romæ (de quo Consulari dixi ad *l. 1. inf. de Aquæductu*, quæ & ipsa pariter vt hæc Consulari Aquarum inscribitur) Officium scilicet suum peculiare habuit Consularis Aquarum, cuius officii fit quoque mentio, *d. l. 1.* quod scilicet tuendis aquis & aquæductibus incumbebat. Quale hac tempestate Officium istud fuerit, id est, quo genere & numero hominum constaret, nemo docet. Sane Frontinus testatur, olim quo tempore aquarum tutela locari solita erat, positam Redemptoribus necessitatem certum numerum circa ductus extra vrbem, & certum in vrbe numerum seruorum opificum habendi, & ita quidem vt nomina quoque eorum quos habituri erant in ministerio per quasque regiones in tabulas publicas deferrent. Mox scribit, Agrippam familiam propriam habuisse, qua aquarum ductus tueretur, atque castella & ductus. Ex Senatusconsulto sub Augusto Imp. Aquarum Præfectum extra vrbem lictores binos habuisse, seruos publicos ternos, architectos singulos, scribas, librarios, accensos præconesque totidem quot habebant hi, per quos frumentum plebi dabatur. Cum autem in Vrbe eius rei causa aliquid ageret, cæteris apparitoribus iisdem præterquam lictoribus, vsum. Cæterum quibus apparitoribus vsurus esset, eos diebus decem proximis ad

ad ærarium deferret. Tandem suis temporibus sub Ner a familiam & ministeria Curatoris aquarum ita describit *art. 116 pag. 200. seq. edit. Poleni. Familia*, inquit, *sunt duæ, altera publica, altera Cæsaris. Publica est antiquior; quam ab Agrippa relictam Augusto, & ab eo publicatam diximus: habet homines circiter* CCXL. *Cæsaris familia, numerus est* CCCCLX. *quam Claudius, tum aquas in vrbem perduceret constituit, vtraque autem familia in aliquot ministeriorum species deducitur: villicos, Castellarios, Curatores*, (*Circitores* legit Polenus, quem ibi vide contra Pignorium disputantem) *Silicarios, Tectores, aliosque Opifices. Ex his aliquos extra vrbem esse oportet ad ea, quæ non sunt magnæ molitionis.* Verum hæc non ad officium Curatoris Aquarum pertinent, verum ministerium & opifices spectant: vnico illo excepto, quod ex Senatusconsulto Augusti memorat *Art. 100. p. 176. ed. cit.*

Secundo, de Officialibus Consularis Aquarum notandum eos beneficio Principis promotos, qua parte & *beneficii* vox propria fuit: de quo iam *alibi*, & in *Glossario*.

II. (a) Idem A. (b) ad Philippum PF. P. (c)

OFFICIALES, quos ex diuersis officiis ex-Protectoribus epistulas impetrasse constiterit, pristinæ reddi iubemus militiæ. Dat. III. Nonas Nou. Arelato Constantino A. VII. (d) & Constantio Cæsare CONSS.

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Concordat *huic* omnino *lex prox.* 3. *GOTHOFREDVS.*

(b) Imo CONSTANTIO hanc *legem* adscribendam, mox ostendam. *ID.*

(c) De hoc *Philippo* Præfecto Prætorio dico plene in *Prosopogr. ID.*

(d) De hac subscriptione mox *in Commentar. IDEM.*

III. (a) Imp. Constantius (b) A. ad Syluanum (c) Comitem & Magistrum militiæ. Post alia.

VNIVERSI Officiales diuersorum (d) Officiorum, qui ex-Protectoribus epistulas meruerunt, Officiis pristinis militiæque reddantur, nec opponant quæsitæ sibi vocabulum dignitatis. Dat. VI. Kalend. Iun. Sirmi, (e) Limenio & Catulino CONSS. [349.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem huic, *lex 2. sup. de re militari.* Et concordat huic, *lex 2. sup. h. t.* *GOTHOFREDVS.*

(b) CONSTANTI hæc lex tribuenda est, vt docui ad *d. l. 2. de re militar. IDEM.*

(c) *Siluanus* hic ille est, de quo in gestis anni D. 355. tam multa Ammianus Marcellinus *lib. 15. c. 5.* (de quo etiam Hieronymus *Chronico A. D. 355.*) Quem pedestris militiæ Rectorem vocat idem Marcellinus *l. c.* cum tamen *d. l. 2. sup. de re milit.* dicatur *Comes & Magister Equitum & Peditum*, vbi plura. *ID.*

(d) *Diuersorum*, pro quorumcunque: vid. *Gloss. Theod. IDEM.*

(e) *Sirmii* Constans hoc tempore constitit: quo referendus est Libanii locus in *βασιλικῷ*, *pag. 139. edit. Morelli. IDEM.*

COMMENTARIVS.

PROTECTORIS dignitate a Principe impetrata Officiales quorumcunque officiorum seu Iudicum, officio liberari non posse definiunt his duabus *legibus* Imperatores; eaque non obstante, officio suo pristinoque restitui eos iubent: vt & Valentinianus Sen. *l. 9. inf.* De huiusmodi Epistolis seu Testimonialibus ex-Protectoribus fuit iam *supra*, *titulus 21. lib. 7.* vbi plene dixi, etiam ex Symmacho *lib. 3 ep. 67.* Paulino *ep. ad religiosum militem.* Nempe Veteranis cum Testimoniales emeriti laboris darentur, simul ferme Protectorum dignitas pro præmio conferebatur: quæ magna vtique dignitas fuit, suaque & singularia præmia et *προνόμια* habuit: de quo *lib. 6. sup. tit. de Domesticis & Prote-*
P.575 *ctoribus:* & inter cætera, vt a sordidis & extraordinariis muneribus excusarentur, itemque a verberibus *l. 153. inf. de Decurionib. l. 5 sup. de Veteranis: l. 2. Cod. Iust. de excus. muner.* Negotiantes iam magna immunitate fruebantur, *l. 9. sup. de Veteranis: l. 7. 14. inf. de lustrali collat. l. 3. sup. de Testimonial.* In criminibus etiam præscriptionem fori Prætoriani habebant, *l. 5. sup. de Veteran.* & a tironum collatione immunes erant, *l. 18. sup. de Tironib. l. vlt. sup. de Veteranis.* Itaque certatim quique eam dignitatem Protectoriam ambiebant, non iam Veterani; verum Tirones quoque aliiue, *l. 12. sup. de Veteran.* aliis item Corporibus illigati quasi, ad nexum conditionis suæ euitandum: veluti Decuriones, *l. 45. 155. 156. infr. de Decurionib. l. 1. 2. 3. d. t. de Testimonialib. ex-Trib. & protector.* Collegiati, *d. l. 3. sup. de Testimonial.* Negotiatores, *d. l. 3.* Officiales, *his duabus legib.* & *d. l. 3.* Quibus dignitatem, eam nec quicquam ferme prodesse voluerunt Imperatores: Et in his Constans Imp. *l. 3. d. t.* is enim eius *legis* auctor est, vt docui iam *ad l. 2. sup. de re militari:* (quæ ex eadem Constitutione desumpta, huic nostræ coassanda venit: Qua quidem constitutione id agit Constans, vt quemadmodum Officiales militiæ, & militaris dignitatis obtentu officium deserere nollet *h. l.* ita vice versa a militibus

tibus militiam deferi quocunque obtentu nollet: quæ sententia est *d. l. 2.* Constantii eadem mens est, *l. 2.* Is enim eius Auctor est, tum argumento *Philippi Præfecti Prætorio* in Inscriptione, tum subscripti loci, *Arelato*; sic quidem vt ea referenda videatur ad *Constantium* VI. *&* *Constantem Cæs.* II. COSS. id est, ad A. D. 353. quo sane tempore Constantius Arelati fuit, vt testatur Athanas. ad *solit. vit. ag. p. 829. T. I. edit. Lips. Weidm.* & Am. Marcell. *lib. 14. c. 5. & 10.* Nisi potius eam referendam putemus ad A. D. 346. In id enim ferme tempus incidit *Philippi* Præfectura: certe eo anno 346. data ad eum *lex 1. infr. ne conlationis translatio:* Cui tamen obstaret subscriptio, *Dat. Arelato:* nam eo anno 346. Constantius Imper. non in Gallia fuit, verum in Oriente: Et sic, vt dixi, referenda fuerit ad A. D. 353. Verum de hac Philippi Præfectura plene dico in *Prosopogr.*

IV. (a) Idem A. ad VV. CC. (b) PF. P. Post alia.

DE Cohortalibus, (c) atque Magistrorum equitum & peditum Officialibus, iubemus, vt minime de cætero ad adorandam purpuram (d) nostram veniant, nisi fi sub armis militiam tolerauerint, & omnibus expeditionibus adfuerint, Dat. Prid. Id. Maii, Constantio A. VII. & Constante II. Cæsare Consulibus. [354.]

NOTAE

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendæ autem *huic* videantur alicui duæ *leges* proximæ *5. & 6. inf. & l. 5. sup. de Cohortalibus, & l. 1. sup. de Agentib. in rebus*: etsi subscriptiones aliquatenus varient. Certe quia argumento saltem conueniunt, vnam interpretationem merentur. *GOTHOFR.*

(b) Id est Viros Clarissimos PP. vt habet diserte *d. l. 5. sup. de Cohortalib.* *ID.*

(c) *Cohortales* sunt Officiales Præfectorum Prætorio: de quo mox. *ID.*

(d) De *Purpuræ adoratione*, vide & *l. 8. 9. 16. inf. h. t.* dixi plene ad *l. vn. sup. de Præpositis S. Cubiculi.* *ID.*

V. (a) Idem A. ad PF. P. Post alia.

DE Chartulariis Magistrorum equitum & peditum, si quis post vigintiquinque annos obnoxius Curiæ fuerit repertus, habeat priuilegium militiæ. (b) Et (c) omnes autem, qui probauerint in militia, hii duntaxat qui Ministeriales & dagogiani, (d) & Silentiarii & Decuriones exsistunt: (e) ita vt, post quindecim annos minime ab aliquo inquietentur: & cetera. Dat XV. Kalend. Iun. Constantio A. VII. & Cæsare CONSS. [354.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFRED.*

(b) Curiaque liberetur. *ID.*

(c) Locum hunc valde mendosum sic ego restituam. *Etc. Ex omnibus autem qui militauerint in Palatio*, &c. *vel qui perdurauerint in Palatio*, vel *qui se probauerint*, (id est probatos reddiderint) *in militia*, Palatina scil. *IDEM.*

(d) *γρ. Pædagogiani* vt ad margin. ed. Cuiac. *ID.*

(e) Habeant scilicet priuilegium militiæ: *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ.* *ID.*

VI. (a) Idem A. ad PP. ō. Post alia.

DE Largitionalibus (b) Comitatensibus, & Officialibus Rationales (c) rerum priuatarum custodiri præcepimus, (d) vt post viginti & quinque annos ad Curiam minime reuocentur. Hoc idem de Officialibus Præfectorum Vicariorum obseruari sanximus. De Primipilaribus (e) vero, quia cursum exhibent, anni decem obseruandi sunt Officiales enim P. V. propterea quod non exhibent primipili (f) pastionem, post viginti-
P. 576 quinque annos minime persequantur. (g) Quod sane ad Logografos (h) pertinet, prius promulgatam Legem + firmam esse volumus. Dat. Prid. Non. Octob. Constantio A. VIII. & Constante C. II. CONSS. [354.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFR.*

(b) Largitionalium quoque mentio *d. l. 1. sup. de Agentib. in rebus*, quæ inter alias *huic* iungenda videri possit. *ID.*

(c) γε

(c) *γρ. Rationalis. ID.*
(d) *Præcipimus. IDEM.*
(a) De *Primipilaribus sup. tit. 4. hoc* libr. *ID.*
(f) Vide *l. 6. & 8. sup. de cohortalib.* vbi dixi. *ID.*
(g) *Curia* scillcet nisi passiue hoc accipias. *IDEM.*
* De *Logographis*, duobus titulis agitur *hoc Codice*, hoc ipso libr. *de Tabulariis, Logographis & Censualib.* item lib. 11. *tit. 4. Ne collatio per Logographos celebretur*, vbi dicam plene. *ID.*
+ Lex hæc non extat. *ID.*
(b) *γρ.* VII. vt duabus superioribus *legibus. ID.*

COMMENTARIVS.

DE duobus Officialium PRIVILEGIIS agitur *his tribus* Constantii Imp. *Constitutionibus*: quæ si non omnes inter se coassandæ sunt, vna cum *l. 1. sup. de Agentib. in rebus*, & *l. 5. sup. de Cohortalib.* (vtpote eodem anno ad eosdem Præfectos P. super eodem argumento datæ) certe eandem & coniunctam interpretationem merentur.

Primum priuilegium est PVRPVRÆ Principis adorandæ: de quo ipso priuilegio agitur tribus præterea *huius tituli* legibus, puta *l. 8. 9. 16.* Et in *Notitia Imp. Orientalis fol. 70. 71. 76. 78. seqq.* nulla enim eius moris mentio fit in *Notitia Occidentis*. Et quanquam de eo affatim semel diaerim *ad l. vn. sup. de Præpositis S. cubiculi*, attamen hic de ao quoqua agere iuuat, quatenus is honor Officialibus quandoque tributus est: Ergo datus is quoque honos nonnaullis Officialium; seu nonnulli ex his singulis annis attingere Purputam venerarique præcepti sunt, *leg. 16. inf. h. tit.* nonnulli secundum *legem* Purpuram Principis adorabant, *l. 9. inf.* numero scilicet aliquo stipendiorum & curriculis euolutis, *d. l. 16.* Primo quidem Eminentium Potestatum Officialibus id datum *d. l. 16.* veluti Præfectorum Prætorio (qui proprie *Cohortales* hoc æuo dicti, tum *hac l.* tum *l. 1. sup. de Cohortalibus*; postea enim *Cohortales*, & *Cohortalini* dicti Rectorum prouinciarum Officiales, adeoque oppositi apparitoribus Præfecti P. vt *l. 14. sup. de priuil. eorum qui in S. Palatio*:) Item datus hic honor Officialibus Præfecti Vrbis, *d. l. 16.* & Magistrorum Equitum & Peditum, *l. 4. h. t.* Neque tamen omnibus promiscue eminentium Potestatum, Præfecti, inquam, Prætor, & Magistrorum Militum Officialibus id datum: non *ex Numero*, vt loquitur *d. l. 16. infr.* id est, *omnibus promiscue*: verum id *l. 4. h. t.* voluit Constantius his dari, *qui sub armis militiam tolerassent. & omnibus expeditionibus adfuissent.* De qua Officialium Magistrorum militum, in Numeris militaribus militia, dixi *alibi*. Secundo datum id Numerariis Præfectorum Prætorio posteaquam statutum triennii tempus explessent, *l. 13. sup. de Numerar.* Tertio Datum id præter Principes officii cuius Principis Apparitionis Præfecturæ Prætorianæ meminit quoque Amm. Marcellinus *lib. 16. cap. 8.*) Cornicolariis officii Præfectorum Prætorio post transactos corniculos annis singulis ea numero deputatorum exeuntibus, *l. 8. & 9. inf. h. t.* Et hæc de Illustrium potestatum Officialibus.

Secundo Datum id quoque nonnullis Officialibus Vicariorum, vti singulis annis Purpuram attingerent & venerarentur. *d. l. 16. & Notitia Imperii.* Itemque aliorum Spectabilium Magistratuum Officialibus, veluti Proconsulum, Comitum rei militaris, Præfectorum Augustalium, Ducum (veluti Ducis Scythiæ *fol. 100.* Mœsiæ primæ, & Secundæ *fol. 102. 104.* Daciæ *fol. 105.*) vt docet *Notitia Imperii Orientalis*: puta Principibus officii ipsorum, vt *dicta Notitia* testatur, qui transacto Principatu ad orata clementia principali exibant. Varia autem: alii quippa cum *Insignibus* (id est, cum Consulari dignitate) veluti Princeps officii Proconsulis Achaiæ *fol. 70.* Comitis Orientis *fol. 71.* Præfecti Augustalis *fol. 76.* Vicariorum *fol. 78. 79.* & Comitis Ægyptiaci limitis *fol. 86.* alii vero inter Protectores tantum (ita enim repanendum in *Notitia*: non, *adorat Protectorem*, verum *adorat Protector*, vel *inter Protectores*) veluti Principes officii Ducis Scythiæ *fol. 100.* Mœsiæ primæ & secundæ *fol. 102. 104.* Daciæ Ripensis *fol. 105.* Denegatus autem is honos penitus Officialibus Rectorum prouinciarum, clarissimorum, etiam Principibus officii eorum, vt diserte statuitur *d. l. 16. infr.* & videre quoque est in *Notitia Imperii*. Hæc igitur *lex* illa, id est, conditio fuit, secundum quam ordinariorum quoque Iudicum officialium nonnullia Purpuram adorare datum erat: da qua *l. 9. infr. h. t.* Priuilegium porro istud adorandæ ab Officialibus Purpuræ tale fuit, vt deinceps inter alia ad susceptionem vel cuiuslibet necessitatis officium deuocari ii non possent, *l. 8. infr. h. t.* & *l. 70. inf. de Decurion.* Et hæc de primo priuilegio Officialium, quod continetur Constantii *l. 4.*

Secundum priuilegium Officialis Militiæ, de quo agitur *l. 5. & 6.* est, vt Officiales certi temporis, & gradus inter Officiales, militia, CVRIA, seu curiali nexu liberentur. Regulariter equidem Curiales curiali neau non liberabantur per Officialem militiam, vti docet *lex 31. 42. in fin. 82. 96. 113. 134. 137. 147. 175. 181. inf. de Decurionib.* Atenim certi quandoque temporis militia & præscriptione liberati: pura Quinquennii, ex Constantii mante in *lege 31. infr. de Decurion.* Viginti quinque annorum ea his duabus Constantii *legibus 5. & 6.* & ex Valentin. Sen. *l. 6. sup. de re militar.* Et Theodosii Iun. *l. 14. sup. de priuil. eorum, qui in S. Pal.* Nequa tamen indistincte Constantius his duabus legibus Officiali 25. annorum militia curialem curia liberari vult: Verum Officialium diuersitatem quandam inducit. Nempe in largitionalibus & Comitatensibus, & Officialibus Rationalis rerum priuatarum, vt & Officialibus Vicariorum, itemque Præfecti vrbis & Chartulariis Magistrorum Equitum & Peditum 25. annorum spatium ponit: Atenim idem Primipilares, quia cursum exhibebant; de quo, *tit. de Cursu publ.* decennio liberari vult: de quibus dico *tit. 4. sup.* cum tamen postea 25. annorum stipendia hac quoque parte Valentinianus desiderauerit, *l. 8. sup. de cohortalibus.** Et hæc quidem de potissima *harum legum* sententia. At enim sunt & alia quæ *his legibus* continentur vel indicantur. P. 577

Primo notandum, ex *l. 6. Largitionales* ex Officialibus tantum Rectorum prouinciarum sumptos, non ex aliis Officialibua, ac nominatim non ex Officialibus Præfecti Vrbis. *Largitionales*, quorum mentio quoque fit *d. l. 1. sup. de Agentibus in rebus*, & hic plenius, *Largitionales Comitatenses*, sunt Officiales Comitis S. L. qui Palatini S. L. de quibus suo *tit. sup. lib. 6. tit. 30.* Apparitores Largitionum, Ammiano Marcellino *lib. 26. c. 8.* Officiales vero Rationalis (nam ita scribendum *h. l.* quomodo & in alia Constantii *leg. 7. sup. de Cohortalib.*) Rarum priuatarum, sunt Officiales Comitis Rerum priuatarum, de quibus itidem *dicto tit. 30. lib. 6.* quomodo & diserte vocantur

Officiales Comitum rerum priuatarum, *d. leg. 1. sup. de Agentib. in reb.* Alioquin Rationales dicti peculiares Rationales sub Comite rerum priuatarum, vt ex aliis *legibus* constat, & ex Ammiano Marcellino, vbi & *lib. 28. c. 2.* Rationalis officiorum memoratur. Et hæc quidem de Officialium militia, quatenus & quomodo ea Curia liberet.

Et hactenus de *Officialibus :* Ab his vero distinguit Constantius imperator quosdam alios. Primo quidem per Palatii militiam a curia liberari vult Constantius *l. 5.* solos eos qui in Palatio militarunt inter Ministeriales vel Pædagogianos (ita enim *l. 5.* rescribendum est) item Silentiarios & Decuriones: sic vt & citerioris temporis militiam his statuat, nempe quindecim annorum spatio, seu militia Palatina Curiali eos nexu liberari vult. De *Silentiariis*, & *Decurionibus*, eorumque priuilegiis dictum fuit suo *tit. sup. lib. 6. tit. 23.* De *Ministerialibus* nunc videamus. Ministerialium mentio fit quoqua diserte in *Notitia Imperii fol. 59.* vbi *Ministeriales Domini* vocantur, qui scilicet sub dispositione viri Spectabilis Castrensis erant, & sic Castrensianorum numero (de quibus *sup. de Castrensianis lib. 6. tit. 32.*) Apud Suidam (vt recte reposuit Cuiacius) μινιστεριανὸς Καστρενσιανὸς, in *Glossis* Isidori, *Anculus Ministerialis domus Regiæ.* Alii vero sunt Ministeriales, de quibus Auctor incertus *de mensuris pag. 321. inter Scripr. Rei Agrar. W. Goesii* de quo dixi ad *l. 1. sup. de Castrens.* Ministeriani scilicet erant, qui Principi familiarius in vita priuata ministrabant, quod victum potissimum attinebat, & quidem sub dispositione Comitis Castrensis, de quo videnda *Notitia Imperii fol. 59.* vbi & simulacra eius rei exhibentur, *panes, lagena, mensa, gutturnia*, de quibus *ad l. 1. sup. de Castrensianis :* sicut & iam antea ministerii & ministrorum vox peculiariter accepta de seruis Tricliniaribus, vt recte docuit Pignorius, *de seruis pag. 53. 54. 55.* ac nominatim de Tricliniaribus : apud Sueton. *Neron. cap. 27.* Capitolinum *in M. Antonino cap. 17.* Lampridium *in Alex. Seuero cap. 41.* Hinc & *sacrum ministerium* sub Castrensi *l. vlt. sup. de Castrensianis*, & Sacri Palatii ministeria, *l. 35. sup. de erogat. milit. annon.* Regii ministri Ammiano Marcellino, *lib. 26. cap. 6.* *Pædagogiani* de quibus *l. 5.* mentio fit quoque apud Ammianum Marcellinum *lib. 26. cap. 6. & 29. cap. 3.* & in *Notitia Imperii fol. 59.* & ipsi Castrensianorum numero fuere, vti docet *dicta Notitia.* Ita Seneca *cap. 1. de tranquill. animi : apparatum diligentis pædagogii* dixit. Sic etiam Tertullianus *Apologetico cap. 13* Deum de Pædagogiis Aulicis nescio quem vocat, quem Hegesippus apud Eusebium *lib. 4. c. 8.* Antinoum δοῦλον Ἀδριανοῦ ministrum Adriani vocat. Idem Tertullianus *aduersus Valentinianos, cap. 8.* de Pædagogio nomina vocat. Meminit & Pædagogiorum quæ præsto sunt in Triclinio : I. C. in *l. 12. §. 32. D. de instruct.* Hi vero illi sunt quos tracto inde nomine *Pages* vocamus. Pædagogii huius mentio quoque in veteribus Inscriptionibus, apud Gruterum DLXXXV. 7. & 11. & DLXXXVI. 1. Erant scilicet scita forma & egregio cultu, siue Adulti, *Adultus* (inquit Ammianus Marcell. *lib. 29. c. 3.*) *quidam ex his quos Pædogogianos appellant ;* siue pueri. Inscriptio vetus apud Gruter. DLXXXV. 7.

T. FLAVIO AVG. LIB. GANYMEDI
PÆDAGOGO PVERORVM.

Et exinde in deliciis perditorum Principum, quo pertinet Tertulliani locus de Antinoo, & pleraque alia. Et hæc de *leg. 5.* atque adeo de prima differentia inter Officiales & Palatinos.

Secunda differentia est inter cæteros officiales & *Primipilares ;* hos scilicet decennio a Curia liberari vult Imperator *l. 6.* addita ratione; quia Cursum exhibeant : quod non faciebant Officiales Præfecti Vrbis : hi enim non exhibebant primipili pastionem. De Primipilaribus his, deque cura Cursus publici, & primipili pastione his incumbente dixi, suo *tit. sup. de cohortalibus & Primipilaribus :* vbi consule *Paratitlon.*

Tertio differentia ponitur *eadem l. 6.* vult scilicet Constantius quoad *Logographos*, prius promulgatam legem firmam esse, id est vt vel nullo tempore a Curiali nexu liberentur, vel citeriore tempore, vt malim. De his Logographis *duobus titulis* agitur *sup. tit. de Tabulariis Logographis & Censualibus ;* item *lib. 11. inf. ne per Logographos celebretur.*

VII. (a) Impp. Constantius & Constans AA. ad Taurum PP. ō. (b)

INSTAVRATA necessaria sanctione, id volumus de cetero custodiri, ne vllus (c) quemquam Iudicum probare audeat, vel prouehere. Excipimus tamen officia cursus publici solicitudinem sustinentia, nec enim tanto muneri adminiculum denegari publica permittit vtilitas. Quæ cum ita sint, ceteris Officiis vniuersis eique quod paret laudabili Prudentiæ Tuæ, nullus nisi nostro exsistente statuto debebit adscribi. Dat. VI. Kalend. Ian. Mediol. (d) Acc. VIII. Id. Iul. Datiano & Cereale CONSS. [358.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) Italiæ de quo etiam ex *Histor. Eccles.* in *Prosopograph.* ID.

(c) *Ne vllus Iudicum quemquam,* (Officialem scilicet) *probare audeat, vel prouehere.* ID.

(d) Hanc subscriptionem suspectam habeo. vide *Chronol.* ID. Rescribendum siue omni dubio, *Dat. VI. Kalend. Ian. Sirmii. Acc. VIII. Id. Iul. Mediolan.* RITTER.

P. 578

COMMENTARIVS.

DE PROBATIONE seu Electione Officialium eorumque PROMOTIONE seu prouectione ab vno gradu ad alium, est hæc Constantii lex, ad quem pertineat: scilicet non a Præfecto prætorio aut a Iudicibus eam fieri posse, verum a solo Principe, sola Principis probatoria ex sacris eius scriniis missa. Quæ & ipsa Constantini mens fuit, *l. 1. sup. h. t.* & Theodosii Iun. *l. 21. 22. 23. infr.* Et vero anteriorem quoque super hac reconstitutionem a se latam indicat initio *huius legis* Constantius.

Exceptionem tantum vnicam addit : Nempe

posse a Præfecto Prætorio vel Iudice Officialem probari ad cursus publici sollicitudinem sustinendam. Et sic posse Mancipes seu procuretores Cursus publici ex Offic alium oumero ab ipsis Iudicibus prouehi: de quibus suo *tit. sup. de cursu publico*: Addita ratione, quod taoto muneri, Cursus videl. publici, adminiculum seu prouisionem promptam Iudicis denegari publica vtilitas non permittat: e contra publice intersit, Cursui publico quam ocius prouideri. Quod quidem, Constantii studium arguit erigendo Cursu publico: de quo eius studio dixi plene ad *l. 5. sup. de Cursu publico*, eoam ex Sex. Aurelio Victore.

VIII. (a) Impp. Valentinianvs & Valens AA. ad Mamertinum PP. ő. (b)

Præfectvræ (c) Cornicularios, qui annis singulis ex (d) numero Deputatorum exeunt, post transactos corniculos, nostram adorare (e) purpuram volumus: Quo honore perfunctis, cum iam missionem tenuerint, (f) liberum otium damus, vt ad Susceptionem vel cuiuslibet necessitatis officium, qui (g) ex Corniculario adorauerint, minime deuocentur: Hæc (h) igitur missio ea habeat priuilegia, quæ veterum Principum sanctiones habere constiterit. Dat. III. Kal. Feb. Med. Valentiniano & Valente AA. conss. [365.]

N O T A E.

(a) *Lex 1. Cod. Inst.* de Apparitoribus Præfectorum Prætorio & priuilegiis eorum hinc desumpta, tribus locis detruncata: Iungenda autem ei *lex 70. infr. de Decurionib.* GOTHOFREDVS.

(b) Italiæ, Illyrici, Africæ. *ID.*

(c) Prætorianæ. *ID.*

(d) *Ex numero deputatorum.* Hæc verba expunxit Tribonianus, *d. l. 1. ID.*

(e) De *Adoratione* Purpuræ dixi ad *l. 4. sup. ID*

(f) *Tenere*, pro obtinere: vt *l. 6. infr. de indulg crim.* & *l. leg. 47. §. 1. D. de manumiss. testam.* & alibi apud Plinium, Horatium, qood Cuiacius recte mooui *ad d. l. 1. Cod Inst. ID.*

(g) *Qui ex corniculario adorauerint.* Et hæc verba recidit Tribonianus. *IDEM.*

(h) Sequentia quoque recidit *Trebon. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

Valentiniani Sen. sex ordine Coostitotiones sequuntur circa Officiales. Hæc prima est de Cornicvlariis Præfectorum Prætorio eorumque priuilegio: de quibus *Cornicularijs* consule Paratitloo *sup. de cohortalib. Princip. Cornicularijs & Primipilaribus*, & nooinatim quæ dixi fusius semel *ad l. 10. eius tituli.* Vide & quæ de Cornicularijs, ac signate de Præfectorum Prætorio Cornicularijs habet *Notitia Imperii.* Est igitur hæc *lex* de singulari quodam priuilegio Coroiculariorum Præfecti Prætorio. Nempe cum Valentinianus vellet ex Officialium oumero susceptores tributorum eligi quemcunque honorem meruissent, etiamsi Principis Purpuram adorasseot, *l. 70. inf. de Decurionib.* (quæ huic *legi* cooiuogenda est) quod etiam repetit *l. 7. inf. de susceptor.* ex eo tamen Officialium oumero excepit eos qui fuocti fuisseot officio Cornicularii Præfecto Prætorio, seu qui post transactos Corniculos Principis Purpuram adorassent, vt videlicet oon tantum e susceptionis munere, verum ab aliis oecessitatibus seu muneribus publicis ii immunes essent. Datum hoc Cornicolariis Præfectorum Prætorio vt alie multa, quie scilicet & potissimi Magistratus Cornicularii esseot (de quo vide quæ dixi ad *l. vn. inf ne Præfectianus.*) Vnde & honor Cornicularii dicitur *l. prox. inf.* post Priocipes officii, in officiis primi eraot, de quo suo *titulo.* Quomodo & illud datum, quod hæc *lex* testatur, vt defuncti eo muoere Purpuram adoraodi ius haberent: vide *l. prox. 9.* & quæ dixi *ad l. 4. sup.* Cassiodori tum Præfecti Prætorio locus huc apprime facit *XI. Var. 18.* vbi agit de Corniculario qui egreditur. *Et ideo Antianum qui Prætorianis inculpabiliter paruisse perhibetur obsequiis inter Tribunos & Notarios ad adorandos adspectus properet principales. Vt iuxta consuetudinem præsentatus, spectabilitatis decoretur insignibus.* Mox subiicitur, *ep. 19.* de Corniculario qui accedit. Id vero & iam antea obtiouisse doceot extreme *huius leg.* recte: vt proinde Valeotioiaous *hac l.* vetus taotum priuilegium eis seruet, præcipui iure pro cæteris Officialibus. Huc vero pertinet quoque Symmachi *Epistola 56. lib. 10. Petronianus, Vrbanarum dudum cohortium miles, ad* Cornicvlariorvm *gradum inculpati laboris diuturnitate prouectus, more institutoque Maiorum testimonium meruit Castrensis industria, quod cæteris quoque post honestum cursum stipendiorum Iudicia detulerunt, D. Imperator: Dignum est igitur diuina vestrorum temporum felicitate, vt peractam sine offensione militiam, si perennitatis vestra pius vultus arriserit,* Prærogativa Solemnis *exornet.* Vbi vides pariter Coroicularium Præfecti Vrbis, qui pari passu cum PP. ambulabat, post Cornicularii officium, *prærogatiua solemni exornatum ab Imperatore.*

Illud notandum, quod ait Præfecturæ Cornicularios, singulis annis *ex numero deputatorum* exiisse, scilicet quod primo obseruandum, Cornicularii munus aoouum fuit: Secundo, ex Deputatorum oumero exiisse dicit Cornicularios Præfecti Prætorio. *Deputati sunt*, qui certo Numero adscripti (supernumerarijs oppositi:) nam & *deputari*, passim est adscribi, adsignari: vid. *Gloss. Th. Deputandi* quoque voce hac in re vtitur quoque *Notitia Imperii*, vbi de officio Magistri militum præsentalis agens *fol. 21.* & rursum de officio Magistri militum per Thracias *fol. 36.* itemque Magistri militum per Illyricum *fol. 39.* ait: *Officia eorum in Numeris militare & in officio deputari.* Cassiodorus quoque p.579

XI. Var. 30. agit de Primicerio Deputatorum in officio Præfecti Prætorio. (Ab his alii *deputati* sunt, qui siue in Ecclesia siue in Militia fuere: de quibus Meursius in Glossar. voc. Δεποτατόι.) Ita certe quoque deputati sacræ Vestis, *l. 7. Cod. Iust. de Palatinis S. L.* Deputati fabricæ in *Nouella Iustiniani de Armis 58. cap. 1.* quos ita describit: ἀλλ' οὐδὲ τῆς ἐν τοῖς ἀριθμοῖς συγκαταλεγομένοις, οὓς ὁπλοποιὰς καὶ Δεπυτατὲς καλοῦσι. *Sed neque qui in numeris constituti sunt armifactores, quos etiam Deputatos appellant.* In *Notitia* quoque *Imperii Orientalis*, & *Occidentalis*, sub dispositione Illustrium Comitum domesticorum Equitum & Peditum dicuntur *Domestici Equites, Domestici pedites, & Deputati eorum.* Vide *fol. 58.* & *145.*

IX. (a) Idem AA. ad Germanianum PP. ō. (b)

QVI de Ordinariorum (c) Officiis Iudicum, vel Amplitudinis (d) Tuæ (exceptis his, qui Cornicularii (e) honore perfuncti sunt, vel his qui secundum legem (f) purpuram nostram adorarunt) inter Protectores Domesticos vel Scholares militant, ad eius, quod declinare temptarunt, muneris (g) functionem, & ad necessitates constringantur Mancipatus. Dat. VII. Id. April. Remis, (d) Gratiano & Dagalaifo CONSS. [366.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) Galliarum: vt testatur expresse Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap. 5.* & *lex 29. Cod. Iust. de Decurionib.* vbi tamen editum, *Germanus*, etsi in MS. Germanianus vocatur. Hic idem Præfectus Prætorio Orientis fuerat A. 362. vt docet *lex 30. infr. de appellat.* ID.

(c) Puta, Vicariorum, Rectorum prouinciarum. ID.

(d) Præfecti Prætorio. IDEM.

(e) Dixi ad *leg. superiorem 8.* ID.

(f) Vide quæ dixi ad *leg. 4. sup.* ID.

(g) Officii. ID.

(h) Remis hoc anno & proximo ferme constitit Valentinianus Sen. Vide *Chronolog.* ID.

COMMENTARIVS.

PROTECTORIS Domestici, vel Scholaris dignitate seu militia Officiales tum ordinariorum Iudicum (puta Vicariorum, Rectorum prouinciarum,) tum Præfectorum Prætorio officio liberari Officialem vetat Valentinianus Sen. eoque non obstante ad functionem officialem reuocari iubet. Id quod de Protectoris dignitate iam quoque cautum fuerat a Constante & Constantio Impp. *l. 2. & 3. sup.* Quorum duo genera fuerunt; alii scilicet nudi Protectores, alii vero Protectores domestici, vt docet *lex 3. 7. 9. sup. de Domesticis & Protectoribus:* quibus locis dixi. De Scholaribus qui sub Magistro officiorum erant, itidem dixi ad *leg. 22. & 34. sup. de erogat. milit. annon.* de quibus fuit *sup.* titulus *lib. 6. de Comitib. & tribunis scholarum tit. 13.* & de iisdem agitur *l. 8. 9. 10. 11. 12. inf. de annonis Ciuicis.*

Excipiuntur tantum *hac l.* duo Officialium genera. Primo Cornicularii honore perfuncti, ex officio videl. Præfecturæ Prætorianæ: nam de his *hanc leg.* accipio, argumento etiam *l. 8. sup.* qua hoc ipsum cauetur; quibus additi postea & Numerarii, *l. 13. sup. de Numerariis.* Secundo, Alii qui secundum *legem* Purpuram Principis adorarunt: nempe Principes officii Spectabilium, veluti Vicariorum, &c. de quo ad *l. 4. sup.*

Obseruandum autem, hanc *legem* totam ad *Gallias* pertinere, vtpote quarum Præfecto Prætorio ea inscribatur, & a Valentiniano *Remis* data dicatur. Pariter vt duæ proximæ *leges* eodem pertinent.

Cæterum ita reuocari Officiales ad Officium vult Valentinianus, vt ad *Mancipatus* necessitatem constringantur. Quod & ipsum statuitur a Valentiniano Iun. *l. 16. inf. Non solum se illico sciant esse retrahendum, verum etiam bonorum media parte multandum, ac Mancipatus statim muneri subiugandum.* Et ab Honorio, *l. 19. inf. h. t. Ita* inquit Honorius, *vt vilissima quælibet officia ac Mancipatus quoque, si modo ab his, cui nati sunt, Ordo exegerit, administrent.* Fuit ergo *Mancipatui* onus maximum. Quod an de *Mancipatu* Cursus publici accipiendum sit, de quo *tit. sup. de Cursu publico:* an vero de Mancipatu pistrini? ambigo.

X. (a) Idem AA. (b) ad Viuentium PP. ō. (c)

PROBABILE & celebrandum Tuæ sinceritatis examen lege firmamus, quod ex Officio Tui Culminis iners vulgus eiecisti, & indignos militia diuersis iussisti inhærere muneribus. Ideoque nulli eorum, quos inlustris Præstantia tua propositis publicauit Edictis, habendi vel adipiscendi gradum alterum sit facultas. Quin etiam si quis de his vn-
P.380 quam interdictam adfectauerit dignitatem, (d) iniecta manu a quocunque Rectore retrahantur, vt a condicione (e) sententiæ non recedant. Dat. XVI. Kal. Iun. Complati, (f) Valentiniano N. P. & Victore CONSS. [369.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) Tertium Gratiani A. nomen hic addendum vide *Chronol.* ID.

(c) Galliarum; vt diserte præfert *lex 4. inf. de censu: l. 1. inf. de fide & iure hastæ:* & patet ex subscriptione *legis 3. infr. de Relationib.* Huic & plures aliæ leges inscribuntur. ID.

(d) Ergo dignitas quædam fuit officialium. IDEM.

(e) *Conditio* sententiæ *h. l.* sic conditio præceptorum *l. vlt. de sent. ex periculo.* ID.

(f) Necesse est hic locus in Gallia fuerit Rhenum versus vbi hoc Anno Valentinianus constitit, vide *Chronolog.* IDEM.

COMMENTARIVS.

Examen seu Recensum & dispunctionem Officialium suorum a Viuentio Præfecto Prætorio Galliarum factam, quo ex officio suo seu Officialium matricula iners vulgus eiecerat, & indignos militia Officiali diuersis muneribus iusserat inhærere, firmat *hac l.* Valentinianus Sen. addito tum elogio, *Probabile*, inquit, *& celebrandum Tuæ sinceritatis Examen:* tum & sanatione, Recensus scilicet seu Repurgatio officiorum sæpe agitatus, abiectis nonnullis inertibus, infartis; veluti Agentium in rebus, *l. 15. 18. vlt. de Agentib.* Palatinorum S. L. & R. P. *leg. 15. 16. de Palatinis:* Similiter ergo quoque Officialium recensus actus: Circa quem sequentia notentur.

Primo, cum Officiales etiam Præfecti Prætorio nonnisi probatoria Principis probarentur seu eligerentur, vt docet *Rubr.* & *l. 1. 7. sup.* & *l. 21 22. 23. inf.* examen tamen eorum seu recensum in potestate Præfecti Prætorio fuisse, sic vt expungere matricula quos vellet, posset, si inertes & indignos deprehenderet. Quanquam & confirmatione Principis hoc ipsum eguisse hæc *lex* docere videtur.

Secundo de forma huius dispunctionis & examinis obseruandum, eiectos ex matricula Officialium Edictis propositis publicatos, id est, publice eorum nomina proposita sub Edicto Præfecti Prætorio, vti omnes nossent, eos Officialium numero amplius non esse, ne alioquio his tanquam Officialibus porro vterentur, vel ab his tanquam Officialib. vexarentur.

XI. (a) Imppp. Valentinianvs, Valens & Gratianus AAA. Seuero Magistro militum. (b)

Si quando Præfectus Prætorio, (c) vel Vicarius, (d) aut Rector prouinciæ (e) significauerit, eum qui chartis ac (f) ratiociniis publicis inuenitur obnoxius ad Præposituram (g) castri ac militum (h) transisse, retractus illi adsignetur Officio, a quo ad necessitatem præstandi ratiocinii deuocatur: tamen (i) In reiecti vero (k) loco (l) is potissimum destinetur, cui meritorum adstipulentur (m) insignia. Dat. X. Kalend. Ian. Gratiano A. II. & Probo Conss. [371.] Emensa (n) ad Magistros militum, & Comites, & Duces omnes.

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod tit.* GOTHOFREDVS.

(b) Per Gallias & quidem Peditum, de quo dixi ad *l. 11. sup. de re militari,* quæ eidem inscribitur. Eius meminit Ammianus Marcellinus, *lib. 27. cap.* 6. 8. 10. & *lib. 28. c. 5. lib. 29. c. 4.* in huius ipsius anni gestis. ID.

(c) Galliarum. ID.

(d) Per Præfecturam Prætorianam Galliarum. ID.

(e) Alicuius Galliarum. ID.

(f) *Aut.* Cod. Iust. RITTER.

(g) *Præpositum castri,* Cod. Iust. IDEM.

(h) Et limitum. GOTHOFR.

(i) *In reiecti vero locum*: ita Tribonianus, quod hunc locum corruptum reperisset, quem tamen sic restituo: *deuocatur, vt tamen*: vel *deuocatur & examen*: *In reiecti vero loco.* ID.

(k) *ye. Viri* nisi emendationi superiori stamus. IDEM.

(l) Pro *locum,* quod substituit Tribonianus. ID.

(m) *Adstipulentur,* Cod. Iust. ID.

(n) Pro *Emissa.* Quæ subscriptio occurrit, & *l. 3. sup. de Numerar. l. 9. sup. de Agentib. in rebus: l. 30. 30. inf. de Appellat. l. 112. inf. de Decurion.* & Nouella Theodosii 23. dico de huius subscriptionis vi in *Prolegomenis.* Hanc porro subscriptionem non habet *Cod. Iust.* IDEM.

COMMENTARIVS.

Præpositvra castri & militum Officialem conditionem suam euitare non posse: quin ea non obstante ad officium quod deseruit retrahendum, definit *hac l.* Valentinianus Sen. in reie-

cti

ᴄti locum ſubſtituto idoneo. Vt cæteroquin militia armata officialis nexus euitari non poteſt, *l. 12. 13. 19. infr.* ita ne Præpoſitura quidem caſtri ac militum. Præpoſitorum horum ſiue militum ſiue limitum frequens mentio in *Notitia Imperii Occidentalis* ſub Comitibus rei militaris & Ducibus: ac nominatim quoque ſub Comite littoris Saxonici per Brittaniam *fol. 161.* vbi *Præpoſitus militum Tangricanorum* inter alios *Dubris* memoratur. Qui aliis locis Præfecti militum vocantur, certiſque caſtris conſiſtebant: vt videre eſt in *eadem Notitia:* hinc adeo *παραλληλισμὸς* in *hac leg. Præpoſitura caſtri ac mi-* P. 581 *litum:* de quibus Præpoſitis plura in *Paratitlo, ſup. de re militar.* Memoratur & ab Ammiano Marcellino, *lib. 26. c. 6.* Præpoſitus militum Martenſium. Et fuerunt (vt ex *Notitia* iam notaui) hi Præpoſiti ſub diſpoſitione Comitum & Ducum, & hi rurſum ſub diſpoſitione Magiſtrorum militum. Quæ cauſa eſt, cur hæc lex emiſſa dicatur *ad Magiſtros militum & Comites & Duces.*

Cæterum agitur nominatim in ſp. *huius leg.* de Officialibus ſiue Præfectorum Prætorio, ſiue Vicariorum, ſiue Rectorum prouinciarum (de quibus ſigillatim *in Paratitlo huius tituli*) qui chartis ac ratiociniis publicis inueniuntur obnoxii: nempe vt ex Præpoſitura illa quam dixi, ad officium quod deſeruerunt retrahantur ad neceſſitatem præſtandi ratiocinii. Et ſic de Numerariis, Tabulariis, Actuariis, &c. de quibus ſuis *titulis 1. & 2. huius libri.*

Illud tandem omitti nolo, Seuerum cui hæc *lex* inſcribitur hoc Anno Alemannico bello, vna cum Valentiniano incubuiſſe: teſte Ammiano Marcellino *lib. 29. cap. 4.* apud quem multa eiuſdem mentio.

XII. (a) Iidem AAA. ad Iulianum (b) Proc. Africæ.

NVLLVM militem a quolibet Numero ad Stationes (c) agendas, per Conſulares Byzacenam & Tripolitanam prouincias deſtinari iubemus: ſed probati in obſequiis Præſidalibus, eius Officii in quo parent vocabulo cenſeantur: Nec quicquam his ſit cum armatæ militiæ nuncupatione commune. Sed & (d) ſi quis forte ex his (e) qui in Legionibus vel in Numeris deputentur (f) geſtandis armis idoneus ſit, qui tamen paſtui primipili neutiquam obnoxium (g) detegatur, ei cui adſcriptus eſt militiæ indubitanter iungatur. Dat. III. Kal. Iun. (h) Naſonaci. Accept. VI. Kal. Dec. Modeſto & Arintheo CONSS. [371.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* Iungenda autem huic, *lex prox.* 13. *GOTHOFRED.*

(b) *Iuliano* huic Proc. Africæ inſcribitur quoque Anno 371. *lex 2. inf. de Scaenicis* & A. 373. *lex 1. infr. ne Sanctum Baptiſma.* Meminit eius Ammianus Marcellinus *lib. 27. cap.* 6. vbi *Ruſticum Iulianum,* vocat, nomine integriore. *ID.*

(c) De hoc mox. *IDEM.*

(d) Forte abundat hæc vox. *ID.*

(e) Officialibus, ſeu Apparitoribus Præſidentium, vt ait *lex prox. ID.*

(f) *Deputantur.* Hac voce rurſum vtitur *lex prox. ID.*

(g) *γρ. obnoxius. ID.*

(h) *Iul.* leg. prox. *ID.*

XIII. (a) Idem AAA. ad Romanum (b) Comit. Africæ.

NVNQVAM Officiales (c) Iudicum (d) in quolibet militum Numero deputentur: probatos enim, eius officii in quo parent (e) appellatione congruit nominari. Si qui ſane in quolibet Numero ex Apparitoribus Præſidentium (f) nunc repperientur adſcripti, neque paſtui primipili deteguntur obnoxii, hique armis geſtandis pro ſtatura ac robore corporis idonei ſunt, reuocentur ad Numeros quibus de more hactenus deputati ſunt. Dat. III. Kalendis Iulii, (g) Modeſto & Arintheo CONSS. [372.]

NOTAE.

(a) Abeſt & hæc *lex* a *Cod. Iuſt. GOTHOFR.*

(b) *Romani* huius Comitis Africæ meminit Ammianus Marcellinus *lib. 27. c. 9. lib. 28. c. 6.* Et in huius ipſius Anni Geſtis a Theodoſio Comite aduerſus Firmum Tyrannum, *lib. 29. c. 5.* De eodem accipio quod Auguſtinus ſcribit *lib. 3. contra literas Petiliani, cap. 25.* in negotio Donatiſtarum. Eiuſdem meminit & Zoſimus *lib. 4. c. 16.* in eadem hiſtoria de *Firmo. ID.*

(c) Apparitores, *inf. ID.*

(d) Præſidentium, *inf. ID.*

(e) Id eſt *apparent. ID.*

(f) Id eſt Præſidum: ſup. Iudicum. *IDEM.*

(g) Iun. *l. prox. ſup. ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

MILITIÆ, seu militaribus Numeris, Officiales an & quando adscribi possint? viceuersa, num MILITES aliquando alicui muneri quod alioquin proprium Officialium est, *deputari*, destinari possint? his duabus *legibus* tractat & definit Valentinianus Sen. Quæ quidem duæ *leges* etsi ad duos diuersos Magistratus datæ sint, attamen super eadem re eodem tempore datæ, ad Ciuilem scilicet & Militarem (puta ad Iulianum Proconsulem Africæ & Romanum Comitem Africæ) inter se coassandæ veniunt.

Igitur definit *hac l.* Valentinianus, nullum militem ex vllo Numero militari *ad stationes* agendas destinari oportere. Quibus verbis putet quis Curiosi munus indicari occupatum in eo, ne qua fraus Cursui publico fieret; vel etiam ad reos inuestigandos: quo sensu Stationarii dicuntur, *l. 2. sup. de Cohortalib. l. 1. sup. de Cursupublico: l. 1. sup. de*
P. 588 *Curiosis: l. 31. infr. de Episcopis.* Verum *stationes agere*, hic malim accipere pro Principis aut Cornicularii munere fungi in officio Rectoris Prouinciæ. Nam & de his, *Stationis* vox vsurpata ab ipsomet Valentiniano ad Dracontium Vicarium Africæ *l. 10. sup. de Cohortal. Principes seu Cornicularios* STATIONES *suas quæ personis suis merito deferuntur non aliis vendere, sed ipsos potissimum his administratiunculis perfrui iubemus,* &c. *Adiutoribus suis, & tamen his ipsis qui nunquam huiusmodi* STATIONES *egisse doceantur, habeant libertatem licentiamque venundandi.* Imo & Primipilarium stationarii, vt vocantur, *l. 2. de cohortalib.* hic indicantur: quod ex *fine* quoque *legis 12.* satis colligitur. Et vero hoc sensu *stationes agendi* formulam hic accipiendam, totus *huius legis* contextus edocet: & nominatim Officialium Militumque hac in re comparatio: id enim vult in summam Valentinianus, neque Officiales militiæ adscribendos (de quo vide quoque *l. 19. inf.*) neque milites Officialium stationi. Quid igitur? Officiales probatos in obsequiis Præsidalibus, eius officii in quo parent, vocabulo seu appellatione nominari seu censeri, id est, ad Principatum & Corniculos officii promoueri: contra, his nihil cum armatæ militiæ nuncupatione commune esse oportere, *Exceptione tamen addita. Nempe Officialem, militem hoc præsenti tempore assa posse, si in aliquo Numero iam reperiatur, dummodo pastui primipili non obnoxius (de quo dixi *sup. l. 6. de cohortalib.*) armisque gestandis statura ac robore (ea enim exacta in milita, de quo dixi *ad l. 3. sup. de Tyronib.*) idoneus, de cuius exceptionis ratione nunc viderimus, atque adeo de totius huiusce constitutionis per Africam ratione. Nempe pertinet hæc *lex* ad bellicum apparatum contra *Firmum Tyrannum*, qui tumultum in Africa Mauritania conciuerat, aduersum quem missus hoc ipso anno Theodosius Theodosii M. pater: cuius belli historiam describit Ammianus Marcellinus *lib. 29. cap. 5.* Zosimus *lib. 4. cap. 16.* meminit & Claudianus *de bello Gildonico.* In cuius belli historia multa quoque Romani Comitis Africæ mentio: cui postrema ex his duabus *legibus* inscribitur, quem & eius belli auctorem & concitorem faciunt iidem, Marcellinus *d. lib. 29. cap. 5.* Zosimus *d. lib. 4. cap. 16.* quem & auaritiæ arguit. Aduersus Firmum igitur missus Theodosius Magister Equitum cum Comitatensi auxilio militis pauci. Quare explendo exercitui Officiales etsi regulariter vetarentur Numeris adscribi, attamen hoc tempore adscriptos, Numeris iungi voluerit Valentinianus: Contra, vetiti ab eo milites Officialium stationes agere, ac nominatim per Byzacenam & Tripolitanam prouincias, quæ ad latus Africæ prouinciæ erant. Illud mirum, vtramque prouinciam Byzacenam & Tripolitanam *Consulares prouincias* hic vocari, cum de Byzacena id verum quidem sit, at Tripolitanam Præsidalem faciant Sextus Rufus Festus in *breuiario ad Valentem c. 4.* Valentiniani harum legum Auctoris Collegam, & *Notitia Imperii fol. 166.* Postea enim demum a Iustiniano Consularis Tripolitana facta: *l. 1. §. 2. Cod. Iust. de off. PP. Africa.*

XIV. (a) Idem (b) AAA. Titiano Com. S. L. (c)

NVLLVS Thensaurensis, vel (d) Officialis Comitis thensaurorum, semel deprehensus euersor, quocumque pacto aut repetat militiam suam, aut aliam sibi requirat per ambitum dignitatem, vel sese transferat ad aliam quamcunque militiam. Sed * neque hii, qui nuper thensaurorum custodiam susceperunt, Scriniarii etiam Comitum thensaurorum, vel ceteri Thensaurenses, alterius militiæ sperent se occasione defendi, vel ad honores aliquos dignitatesue transire, sed ea perpetuo tenendos esse (e) militia, qua sunt a principio mancipati. Dat. VIII. Kal. Feb. Antiochiæ, Gratiano A. IIII. & Merobaude CONSS. [377.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. de Palatinis* S. L. GOTHOFR.

(b) Imo reponendi *Valens, Gratianus, & Valentinianus.* vide *Chronolog.* IDEM.

(c) *Titianus* Comes S. L. per Orientem scilicet. Forte hic idem cum *Tatiano Com. S. L.* cui inscribitur A. D. 374. *lex 8. inf. de falsa moneta.* Cui etiam inscribitur *lex 2. Cod. Iust. de commerciis.* ID.

(d) Recte Cuiacius hic monuit, *vel* hoc loco esse καταφυτικὸν. ID.

* Secundam *huius legis* partem recidit Tribonianus. IDEM.

(e) *ve sese:* qui error alibi sæpe admissus. ID.

COMMENTARIVS.

VALENTIS Imp. hæc vnica *hoc titulo* de *Officiis* Constitutio occurrit: quæ quidem non est de omnibus Officialibus, aut plerisque, verum specialiter de THESAVRENSIBVS seu Officialibus Comitis Thesaurorum, pariter vt altera Theodosii Iun. *lex vlt. inf. h. t.* quæ est de electione Thesaurensium: hæc

hæc vero de continuando ab iis, vel non, officio. Prius videndum est aliquid *de Thesaurensibus* istis, quanquam de his plene iam dixi *ad l. vn. sup. de Consularibus & Præsidibus.*

Hæc sane *lex* docet Primo, Thesaurenses fuisse Officiales Comitis Thesaurorum; id quod non tantum ex *initio legis* apparet; vbi (quod Cuiacius recte monuit) διαστολῆς *Thesaurensis* vel *Officialis Comitis Thesaurorum* dicitur, verum etiam ex secunda *huius legis* parte, quam Tribonianus, ceu horum temporum propriam, abdicauit.

Secondo Thesaurenses ita describit, *qui Thesaurorum custodiam susceperunt.* Ergo Thesaurenses sunt custodes Thesaurorum, seu titulorum largitionalium exactorum & illatorum in thesauros.

Tertio, Comitis Thesaurorum *hac l.* mentio fit, qui plenius *l. vlt. inf. h. t.* Comes Thesaurorum diœceseos. Comitis Thesaurorum per Ponticam proculdubio, vbi Cæsarea; meminit quoque Basilius Ep. Cæsariensis *epist. 84. ad Sophronium Magistrum* (rei priuatæ scilicet,) qui Basilius anno proximo 378. obiit. Nempe Comes Thesaurorum totius diœceseos thesaurorum administrationem habebat. Quæ idem est cum *Comite Largitionum*, seu *Comite*
P. 583 *Largitionalium titulorum*, veluti per Orientem Ponticam (quo pertinet hæc *lex*) Thraciæ, Italicianorum, Gallicianorum; de quibus *d. l. vn. sup. de Consular. & Præsidib.* vbi ex Ammiano Marcellino quoque & Notitia Imperii & Augustino. Alius vero ab hoc erat *Comes S. L.* (cuiusmodi fuit Titianus, cui hæc *lex* inscribitur) qui scilicet Illustris erat, & totius Orbis, siue Orientalis (vt in sp. *huius l.* Titianus) siue Occidentalis, sic vt duo tantum essent huiusmodi Comites per orbem Romanum. Quare error est Cuiacii qui hic de Comite S. L. Comitem Thesaurorum accipit. Vice versa alius ab hoc Comite Thesaurorum est, siue *Præfectus* siue *Præpositus Thesaurorum*, qui magno numero per singulas ferme prouincias fuere, vt ex Notitia probaui *ad d. l. vn.* sic igitur hæc distinguentur: Primo *Comes S. L.* Illustris totius Orbis, siue Orientalis, siue Occidentalis Thesauros sub dispositione sua habuit. Secundo *Comes Thesaurorum*, siue Comes Largitionum per vnam diœcesim. Tertio *Præfectus*, siue *Præpositus Thesaurorum* per vnam prouinciam duntaxat: Quæ vt locorum in orbe Romano diuisio, ita & administrationem, actuum, & dignitatum perpetuo semper animo tenenda est.

Quarto inter Officiales Comitis Thesaurorum Scriniarii nominatim *h. l* memorantur: de quo Scriniariorum in commune officio *sup. tit. 1. h. lib.* actum fuit.

Nunc de ipsa *legis* sententia, quæ gemina est: Nempe id statuitur *Euersorem* Thesaurensem, qui scilicet rationes semel conturbauit, idem officium repetere non posse (quod & ipsum statuitur de aliorum Magistratuum Officialibus, *l. 18. inf.* Item de Susceptoribus & Tabulariis, *l. 27. infr. de susceptorib.* vbi plura: & de pluribus alias: de quo *in Indice rerum: verb. Repetere.*) neque ad aliam quamcunque militiam (de quo proprie videtur accipienda *lex 20. inf.*) vel dignitatem admittendam. Cæteros non euersores perpetuo retinendos, neque obtentu honoris aut dignitatis alicuius Thesaurensis conditionem euitare posse.

XV. (a) Imppp. Gratianus, VALENTINIANVS, & Theodosius AAA. ad Syagrium P. V. (b)

QVi ab hinc quinquennio desertis propriæ Apparitionis obsequiis in ordines indebitos euolarunt, pristinis Officiis reddantur: & cetera. Dat. VII. Id. Oct. Syagrio & Eucherio CONSS. [381.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *vt.* PP. vt A. 380. *l. 38. infr. de appellationib. l. 4. sup. de desertorib.* hoc ipso Anno 381. *l. 36. sup. de cursu publ.* & A. 382. *l. 88. & 89. infr. de Decurion. l. 14. infr. de extraordin.* Ammianus Marcellinus *lib. 28. c. 2. per Syagrium*, inquit, *tunc Notarium postea Præfectum & Consulem.* Ad hunc etiam extat *Ausonii* carmen. Fuisse autem PP. Italiæ docent subscriptiones illarum *Legum.* *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iunioris quatuor de Officialibus constitutiones sequuntur, quibus plerisque certe tribus, id agit, vt Officia quæ deserta erant tum replerentur. Hac sane *lege* eos qui intra QVINQVENNIVM officiali militia deserta ordinem aliquem indebitum adepti erant ad officium suum reuocari iubet. Regulariter scilicet Officialis Officialem militiam alio ordine vel honore, siue ciuili siue militari siue palatino mutare vel euitare non potest: *l. 2. 3. 9. 11. 12. 13. 14. sup.* & *l. 16. 19. inf. h. t.* Et quia tamen sæpe id eueniebat, vt militiam suam euitare conarentur, alioquie eam mutare, sæpe eos reuocari ad officium oportuit. Sed tamen huic rei metæ aliquando præscriptionis alicuius positæ, veluti quinquennii *h. l.* a Valentiniano Iun. positæ. Nempe, a tempore ferme mortis Patris Valentiniani Sen. qui obiit fine anni 375. seu a Natali Imperii ipsiusmet Valentiniani Iunioris: Qui vlterius adsurgi noluit, statumue aliorum Ordinum conuelli. Quare notetur hæc iam inter alias præscriptio quinquennalis, ad tuendum statum suum & ordinem.

XVI. (a) Idem (b) AAA. ad Principium PF. P. (c)

PRÆTER eos, qui de Officio Eminentium (d) Potestatum, numero stipendiorum & curriculis euolutis, Vrbique Præfecti, (e) Vicariæ (f) etiam potestatis, Serenita-

renitatis nostræ annis singulis adtingere purpuram, venerarique præcepti sunt, nulli prorsus vel (g) ex Numero, (h) vel illorum certe qui Prouincialia Officia peregerunt, Tranquillitatis Nostræ muricem adorare sit liberum, omnium suffragiorum obreptione cessante. (i) Adeo autem vnumquemque ea quibus vel sponte initiatus est, vel suorum retinetur consortio maiorum, non sinimus ciuilium (k) officiorum sacramenta desugere, vt etiam ad Palatina hos adque Agentum in rebus transire vetemus officia, nisi omnibus expeditis, quæ eorum peragi poscit ordo militiæ. Si quis igitur ea, quæ sunt salubriter cauta, violarit, non solum se illico sciat esse retrahendum, verumetiam bonorum media parte multandum, ac Mancipatus (l) statim muneri subiugandum: ita vt per hoc tempus, quod hac lege præscriptum est, iustius (m) functionis muneri P.584 se nouerit esse subdendum. Omnes itaque Iudices Ciuiles arbitrii Tua (n) Magnificentia moneat, curam his oportere inesse quammaximam, ne quis Apparitionis propriæ desertorem ad indebitam (o) adspirare patiatur. Retrahi enim oportet contumacem, ac legis laqueis inplicari. Dat. XIIII. (p) Kal. Octob. Aquil. Arcadio A. I. & Bautone V. C. CONSS. [385.]

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust. de Apparitorib. Præfecti Vrbis.* GOTHOFREDVS.
(b) Imo VALENTINIANVS, *Theodosius & Arcadius.* IDEM.
(c) *Principius* PP. Italiæ scil. sub. Valentiniano Iun. Eidem inscribitur & *lex prox.* 17. vid. *Prosopogr.* ID.
(d) *Eminentes* potestates sunt Præfecti Prætorio. ID.
(e *Vrbisque Præfecturæ*, Cod. Iust. ID.
(f) Absunt hæc de vicaria potestate a *Cod. Iust.* ID.
(g) *Nulli prorsus eorum qui prouincialia officia peregerint* ita contracte *Cod. Iust.* omissis quæ de *Numero* hic dicuntur. De quo mox. ID.
(h) Id est: ex cætera turba Officialium, præter eos qui præcepti sunt. ID.
(i) Sequentia omnia resecauit Tribonianus. IDEM.
(k) *Ciuilia* officia: id est militia, in Magistratuum ciuilium Officio: ita mox *fine l. omnes itaque Iudices ciuiles*, &c. Alio sensu ciuilia officia vel munera pro Curialibus. vid. *Gl. Th.* ID.
(l) Vide & *l.* 5. *sup.* vbi dixi & *l.* 19. *infr.* ID.
(m) *γρ. istius.* ID.
(n) *γρ. arbitrii tui Tua*, &c. id est, qui sub dispositione tua sunt. ID.
(o) Apparitionem scil. seu functionem, *ἀπὸ τῶ κοινῶ.* IDEM.
(p) Al. XVIII. ID.

COMMENTARIVS.

De non DESERENDA militia officiali est hæc iam secunda Valentiniani iunioris *hoc titulo* Constitutio quocunque sub obtentu; siue purpuræ Principis adorandæ, siue Palatinæ militiæ alicuius. De singulis ordine. Nempe ad Adorandam Principis Purpuram siue Muricem neminem Officialium Rectorum prouinciarum admitti vult. Ex officio vero Præfectorum Prætorio vel Præfecti Vrbis, vel Vicariorum, non alios, quam qui solemni iure singulis annis ad adorandam purpuram, post Numerum stipendiorum & curriculis euolutis admitti iubeotur. Suot autem hi Præfectorum Prætorio & Præfecti Vrbis, non taotum Principes officiorum verum etiam Cornicularii, & Numerarii: Vicariorum vero soli Principes. De quo omni dixi *ad l.* 4 *sup. h. t.* & videnda quoque *Notitia Imperii.* Ergo nullos alios ad adorandam Purpuram admitti vult Imp. nullos prorsus vel ex Numero, vel eorum qui prouincialia officia peregerunt. Ex numero (quod Tribon. omisit) id est, ex iis qui in Officialium numero, vel Numeris, deputari: & Deputari simpliciter, *l.* 8. 13. *sup. h. t.* Et hæc de prætextu Purpuræ adorandæ.

Sed neque Palatinæ dignitatis, aut Agentium in rebus (de quibus suis *titulis*) officii obtentu Officialem militiam deseri patitur *hac l.* Valentinianus Iun. pariter vt *l. super.* 15. pœna addita non tantum reuocationis ad officium, verum etiam proscriptionis dimidiæ partis bonorum, & Mancipatus numeri statim subeundi, de quo postremo mancipatus inquam istius munere & pœna, vide & *l.* 9. *sup.* & *l.* 19. *infr.*

XVII. (a) Idem AAA. ad Principum PF. P. (b)

Exceptores (c) omnes Iudicibus (d) obsequentes, qui nec militiam (e) sustinent, (f) neque a fisco vllas consequuntur annonas, absque metu nauare (g) cœptis operam, etiamsi Decuriones sint, minime prohibemus, dummodo munia propriæ ciuitatis agnoscant, & peracto secundum morem Exceptionis officio, ad propriam sibi Curiam

riam redeundum esse non nesciant. Dat. IIII. Id. Decemb. Aquil. Arcadio A. I. & Bautone CONSS. [385.]

NOTAE.

(a) *Lex 5. Cod. Iust. de Numerariis.* Iungenda forte *lex 17. inf. de extraordin.* GOTHOFRED.

(b) Italiæ. Eidem inscribitur quoque *lex prox. 16. sup.* ID.

(c) De *Exceptorib. suo tit. sup. hoc libro.* ID.

(d) *Prouincialibus* additum Cod. Iust. RITTER.

(e) *Cohortalem* add. *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(f) *Sustinere videntur* Cod. Iust. ID.

(g) *Dare* Cod. Iust. ID.

COMMENTARIVS.

DE EXCEPTORIBVS qui Iudicib. seu Rectorib. prouinciarum obsequebantur, est hæc Valentiniani Iunioris constitutio, de quibus *suo titulo 1. huius libri*, id est de his qui actis scribendis operam nauabant: de quibus etiam videnda *lex 5. supr. de Palatinis S. L.* & *l. 2. supr. de numerar.* & inter alia, *Acta Collationis Karthagin.* & Notitia *Imperii*. Et id quidem *hac lege*, pro suo ergo officia replenda, quæ deserta tum erant, studio (quod duabus superiorib. *legibus* exrulit) statuit Valentinianus Iun. vt quamlibet Decuriones ad hoc Exceptoris munus adspirauerint, eo minime fungi prohibeantur, dummodo munia ciuitatis durante Exceptoris munere agnoscant, & perfecto Exceptionis munere ad Curiam redeant. Qui Princeps tamen alias Curias deseri P. 588 quocunque obtentu noluit: (de quo fidem faciunt tot eius Constitutiones *inf. tit. de Decurionib.*) sæpe scilicet extra ordinem etiam non Cohortalini cohortali ministerio aliquo fungi permittebantur, veluti Tabularii, *l. 20. sup de cohortal.* Decuriones *hac l.* sic vt neque militiam cohortalem sustinerent, neque etiam a fisco annonas consequerentur, quas Cohortalini accipiebant. Id inquam sæpe tulere Principes, exhaustis officiis hac ratione prouidentes. Quod Arcadio displicuit, *d. l. 20. sup. de Cohortalib.* iis rationibus quas ad eam *legem* dixi.

XVIII. (a) Idem AAA. & Arcadius A. (b) ad Eusignium PF. P. (c)

NVLLVS, ex his quos claruerit militare, solutus (d) indebita denuo sacramenta (e) suscipiat. Si quis autem id per obreptionem forte meruerit, quinque librarum auri mulctetur incommodo. Dat. Prid. Id. Iul. Mediol. Honorio NB. P. & Euodio CONSS. [386.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod tit.* GOTHOFR.

(b) Non nunc demum Arcadius Imperator factus est: verum iam ab A. D. 383. cuius nomen duabus superioribus *legibus* iam conuenit. Neque quatuor nobis hic fingendi sunt Impp. (quos etiam exprimit Cod. Iust, *Gratianus, Valentinianus, Theodosius, & Arcadius*) quod alienum ab historiæ veritate ID.

(c) Italiæ, cui plures tum hoc anno tum proximo constitutiones inscribuntur: de eo vide & Symmachum *lib. 4. ep. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75.* IDEM.

(d) Ita *l. 4. inf. tit. prox.* solutus militia. *Militia resolutos* Cod. Iust. hic legit. Ego nil mutem. ID.

(e) *Sine Augusti afflatibus*, add. Tribonian. ID.

COMMENTARIVS.

EXPVNCTVM seu DISCINCTVM semel, seu militia solutum (Officialem scilicet) ad eandem militiam admitti, proposita quinque librarum auri pœna, vetat *hac l.* Valentinianus Iun. pariter vt Thesaurenses speciatim semel euersores probatos Valens Imp. admitti vetat, *l. 14. sup.* vbi dixi: Apparitores item (Præfecti Vrbi) ob culpam vel negligentiam discinctos, Honorius *l. 20. infr.* (quæ proprie est de altera militia) Idemque & circa Susceptores & Tabularios decoctores statutum *l. 27. inf. de susceptor.* (vnde desumpta est *lex 12. Cod. Iust. eod. tit.*) Idque, etsi per obreptionem quis officio suo restitui meruerit; beneficio scilicet seu rescripto Principis, quod & nominatim additum in Susceptoribus & Tabulariis *d. l. 27.* & in Apparitoribus P. V. *d. l. 20. inf.* Quare fucum facit Valentiniano Tribonianus *l. 2. Cod. Iust. eod tit.* cum in ea *lege*, quæ hinc alioquin desumpta est, addit *sine Augusti afflatibus*, Principis scilicet beneficium hac parte contra Valentiniani Iun. sententiam admittens. Sane Theodosius Iun. postea Cohortalinos expunctos, tum demum admitti rursum rescripto Principis permisit, si rescriptum Præfecti Prætorio allegatum & ab eo probatum fuerit, *l. 25. sup. de Cohortalib.*

XIX.

XIX. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Florentino P. V. (b) Postalia.

CVIVSLIBET Iudicis Apparitores, (inter quos etiam Præfectianos (c) locamus,) ad quamcumque aliam militiam, vel Palatinam vel militarem ambiendo transferint, retrahendi hos copiam illis quos deseruere tribuimus; ita vt vilissima qualibet officia, ac Mancipatus (d) quoque, si modo ab his cui nati sunt, Ordo exegerit, administrent. In quorum idem seruandum quod * in Curialium successione decernimus, vt etiam si patres hæc fugerint, (e) teneatur agnatio; (f) & cetera. Dat. XII. Kal. Iun. Med. Cæsario & Attico CONSS. [397.]

NOTAE.

(a) Abest potissima *huius legis* pars a Cod. Iust. Iungendæ autem ei *lex* 153. 154. 155. 156. *inf. de Decurion.* & *lex* 2. *sup. de Comitib. rei milit.* & *lex* 9. *sup. de Senator.* Imo & *lex* 1. *Cod. Iust. vbi quis de Curiali.* GOTHOFREDVS. Lex 1. Cod. Iust. *vbi quis de Curial.* & in *Inscriptione* & *Subscriptione* variat. Inscripta est *Floro PFP.* & Data dicitur *XII. Kal. Aug. Med.* Sed hæc esse facta librariorum errore, cui neunt ipsa legis verba, omnino cum hac nostra coniungenda. *RITTER.*

(b) Romæ. *GOTHOFREDVS.*

(c) Præfectianus, officialis Præfecti Prætorio, vel Præfecti Vrbi vide *inf. tit. ne Præfectianus.* *IDEM.*

(d) Vide *l.* 9. & 16. *sup.* *IDEM.*

* *Lex* 48. *Cod. Iust. de Decurion.* hinc desumpta est. *ID.*

(e) *Decesserint*, Cod. Iust. contra mentem Honorii. Vide vel *l.* 3. *sup. de fil. mil. apparit.* *IDEM.*

(f) Successio, *sup.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

HONORII Imperatoris duæ *leges* sequuntur circa diuersa Officia occupatæ. Priore hac DESERI militiam officialem vetat; cuiuscunque tandem dignitatis, siue Palatinæ, siue militaris obtentu: de quo & in quod ipsum fuerunt iam quoque *supra* octo leges: puta *lex* 2. 3. 9. 11. 12. 14. 15.
P. 585 16. *sup.* Idemque cauetur *l.* 156. *inf. de Decurionibus*, & *l.* 1. *Cod. Iust. vbi quis de Curiali*, (quæ inter alias *huic l.* coniungendæ sunt, de quo mox) Ita quidem, vt desertorem ad vilissima quæque officia retrahi iubeat; etiam Mancipatus: quod & ipsum de Mancipatu statuitur *d. l.* 9. 16. *sup.* & *l.* 4. *inf. tit. prox. de exsecutorib.*

Duo tantum, quæ hic adduntur notanda sunt. Primo ad *Præfectianos* quoque *hanc l.* pertinere, & in his idem obtinere, id est, in Apparitoribus Præfectorum vrbis, vel prætorio, quod & ipsum quoque expressum *l.* 9. & 11. *sup.*

Additur Secundo, *fine leg.* (quod vnum retinuit Tribonianus) vt etiamsi patres Apparitores seu Officiales munia officialis fugerint, seu quacunque ratione euitauerint, iam muniis etiam forte omnibus defuncti, nihilominus eorum agnatio teneatur: id est, vt filii eorum ad cohortalem militiam teneantur, idque exemplo Curialium successionis: id enim *Agnationis* appellatione *hic* accipiendum est, pariter vt tot aliis *legibus*: inter cæteras *l.* 1. *inf. de Collegiatis*, *l. vn. sup. de comm. diuid.* Et vero id ipsum quoque cautum olim a Constantino M. *l.* 3. *sup. de filiis militarium Apparitorum*, quæ huic quam simillima est. Tandem hanc huiusce *legis* sententiam firmat exemplum Curialium: vbi pariter successio, id est, filii in parentum Decurionum excusatorum quacunque ratione locum Curiæ necti iubentur: *l.* 155. *inf. de Decurionib.* Et vero, quod maximo argumento est (& notandum maxime) coniungenda hæc *lex* venit cum *d. l.* 155. vt & cum *l.* 153. 154. 156. *eod. tit. de Decurionib.* *l.* 2. *sup. de Comitib. rei mil.* *l.* 9. *sup. de Senatoribus*, Imo & cum *l.* 1. *Cod. Iust. vbi quis de Curiali*: quæ *leges* omnes desumptæ sunt ex eadem *Honorii* constitutione, qua in curiis & officiis replendis enixe neque vna ratione consultum fuit. Inter alias vero rationes curiis & officiis, liberis Curialium & Officialium parentibus excusatis substitui iussis. Verba *d. legis* 155. quo hæc *lex* sese refert, sunt hæc: *Quisquis horum* (honorum) *emensus curialia onera, vel honestis, vel administrationis, vel quarumcunque aliarum dignitatum insulas impetrauerit, ipse quidem decoretur insignibus, sed* LIBERI *omnisque successio paterna dignitatis obiecta Curialia vincula non exuant*, &c. Quare hinc apparet & de flagitio Triboniani, qui ad casum mortis patrum hanc *legem* retulit: loco illorum *hac fugerint*, substituta voce *decesserint*: vt & de Cuiacii aliorumque errore, qui *Agnationis* voce hic postumos accipiunt, & proinde huic *legi* sensum affingunt, non tantum natos, sed etiam postumos sequi curialem fortunam patris.

XX. (a) Impp. HONORIVS & Theodosius AA, Gracco P. V. (b)

QVICVNQVE Apparitores, (c) ob culpam vel neglegentiam fuerint iudicato discincti, ad nullam militiam adspirandi habeant facultatem: nec ex Rescripto his vllus aditus referetur, quos congruit pœnæ grauissimæ subiugari, si contra inhibita quoque sacratissimis Constitutis † adspirare præsumpserint. (d) Dat. VIII. Kal. Aug. Rau. Honorio X. & Theodosio VI. AA. CONS. [415.]

NOTAE.

(a) *Lex 5. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) Vide *Commentar.* IDEM.

(c) P. V. vt videtur. *ID.*

✝ Veluti *l. 14. sup. h. t.* ID.

(d) *Contempserint*: male *Cod. Iust.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DISCINCTOS semel Officiales, seu officio expunctos ob culpam vel negligentiam (hæ scil. duæ discingendorum Officialium causæ) iudicato, id est, Iudicis cognitione ab omni militia submouentur *hac l.* ab Honorio Imp. non tantum pristina de quo sunt *lex 14. 18. sup. lex 27. inf. de suscep-torib.* verum neque alia vlla; dequo est quoque ex parte *d. lex 14.* Idque licet Rescriptum impetrauerint, quod & ipsum cauetur in sp. *d. legis 18. sup.* & *d. l. 27. inf. de susceptorib.*

Quod inscriptionem *huius l.* attinet, meminit quoque Gracchi istius P. V. Hieronymus (qui Anno 420. decessit) *ep. ad Laetam 7.* Tom. I. Oper. pagin. 35. edit. Francf Genichiao. de institutione filiæ; *Ante paucos annos propinquus vester Gracchus, nobilitatem patriciam sonans nomine, cum Praefecturam gereret vrbanam, nonne specum Mithrae, & omnia portentosa simulacra, quibus corax, Niphus, Miles, Leo, Perses Helios, Bromius pater initiantur, subuertit, fregit, exussit: & his quasi obsidibus ante praemissis impetrauit Baptismum Christi.*

XXI. (a) Impp. THEODOSIVS & Valentinianus AA. Hierio PF. P. (b)

NEMO aliter ad Tuæ (c) Sublimitatis admittatur Officium, nisi eum emissa ex sacris scriniis probatoria (d) confecerit: Quod & in ceteris (e) Officiis, quibus similis erat consuetudo militiæ, diuerso quidem modo, sed pari diligentia Sublimitas Tua iubeat custodiri: sed (f) in * his quoque, id est Virorum Spectabilium, Proconsulis (g) Asiæ, (h) Comitis Orientis, Præfecti Augustalis, & Vicariorum, quos etiam monuimus sub viginti (i) interminatione librarum auri. Hirenarchas (k) quoque & Actuarios (l) & Cornicularios (m) tam classium vrbis Constantinopolitanæ, quam Thymelæ, (n) equorumque (o) curulium ciuitatum diuersarum, non aliter nisi, vt consueuerat, manus sanc-
P.587 xerit Principalis præcipiat ordinari. Quin si quis talis sub tua fuerit iudicatione conuictus, profecto irritis his, quæ vetita contrectauit, etiam congruam indignationem incurret. His retentis in suo ordine & gradu militiæ, qui qualitercunque ad præsentem diem admissi sunt; & cetera. Dat. X. (p) Kal. Iul. Nicomediæ, DD. NN. Theodosio XII. & Valentiniano II. AA. CONSS. [426.]

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata est, tum perturbato sententiarum ordine, tum expunctis tribus sententiis: 1. de Officialibus Præfecti Prætorio 2. de officiis cæteris, in quibus similis erat custodia, 3. de Irenarchis, &c. Quæ tertia sententia relata est *in l 7. Cod. Iust. de Numerar.* Iungendæ autem huic *legi* duæ *leges* proximæ. GOTHOFREDVS.

(b) *Hierius* sub Theodosio Iun. Præfectus P. Orientis scil. vid. Prosopogr. *ID.*

(c) Præfecti P. *ID.*

(d) *Probatoriæ* huius mentio quoque in *Rubrica*, *& duabus legibus proximis.* ID.

(e) Iudicum seu Rectorum prouinciarum. *ID.*

(f) *Sed & in his quoque*, &c. *ID.*

* Incipit hic lex 6. Cod. Iust. *In his officiis id est Virorum Spectabilium* &c. IDEM.

(g) *Dignitatum* harum idem ordo in Theodosii M. & Arcadii *legibus*, puta *l. 1c* & 16. *inf. de pœnis.* idemque & in *Notitia* obseruatur, quæ hoc ipso ferme tempore conscripta fuit, sub Theodosio Iun. *ID.*

(h) Proconsulis Achaiæ nulla mentio fit *hac l.* quæ data est A. D. 426 cuius decennio post, A. D. 435. mentio fit *l. vlt. sup. de Princip. Agentium in rebus*: vnde videatur hoc tempore Achaïa detrimentum aliquod passa. *ID.*

(i) *Triginta* vulgat. Cod. Iust. alii *Viginti.* RITTER.

(k) De his *titulus 14. inf. lib. 12.* GOTHOFR.

(l) De *Actuariis* in genere *sup. tit. 1.* ID.

(m) De *Cornicularriis*, sup. ad *l.* . *ID.*

(n) De *Thymelicis* dixi ad *l. c. infr. de Scen.* de quibus etiam agitur *leg. 12. eod. tit. lib. 15.* ID.

(o) De *Equis Curulibus* erit *titul. 10 infr. lib. 15.* IDEM.

(p) Delendum hoc, vt apparet ex duabus proximis *legibus.* ID. Codices Iust. tamen constanter seruant hanc notam numeralem. RITTER.

XXII. (a) Idem AA. Theofilo P. V. (b)

NEmo aliter ad Tuæ Sublimitatis in poſtero (c) admittatur officium, niſi eum emiſſa ex ſacris ſcriniis probatoria confecrarit. Actuarios quoque Thymelæ & equorum curulium Suarios (d) etiam & Optiones per omnes Regiones (e) vrbis Conſtantinopolitanæ, & alia omnia, quæ vel in militia, vel gradibus actibuſque nutum pro ſolemnitate priſcæ inſtitutionis deſiderant Principalem, non aliter niſi, vt conſueuerat, manus ſancxerit Principalis, præcipiat ordinari. Quin ſi quis talis ſub tua fuerit iudicatione conuictus, profecto inritis his, quæ vetita contrectauit, etiam congruam indignationem incurret. His retentis videlicet & in ſuo ordine & gradu militiæ, qui qualitercunque ad præſentem diem videntur (f) admiſſi. Dat. Kalendis Iul. Nicomediæ, Theodoſio XII. & Valentiniano II. AA. conss. [426.]

NOTAE.

(a) Iungendæ duæ *leges* proximæ, inter quas media hæc iacet. *GOTHOFRED.*

(b) Theophilo huic P. V. (Conſtantinopol. ſcil.) inſcribitur quoque anno ſuperiore 425. *lex vn. ſup.* de Profeſſoribus qui in Vrbe Conſtantinopol. *ID.*

(c) Pro *in poſterum.* *IDEM.*

(d) De *Suariis* erit *inf. lib.* 14. *tit.* 4. *ID.*

(e) Quatuordecim. *ID.*

(f) Ita quoque *lex proxima inf.* Sed *lex* 21. *ſup.* habet, *ſunt.* *ID.*

XXIII. (a) Idem AA. Acacio (b) Comiti S. L.

COmitum (c) thenſaurorum diœceſeos prouectiones, & ipſos Thenſaurenſes (d) vetus obſeruatio Principali dexteræ (e) referuauit; nec aliter voluit eos vel in Iudicum ſuorum obedientiam, vel in committendis publi[illegible] neceſſitatibus, habere progreſſum, niſi militiam eis emiſſa ex ſacris ſcriniis probatoria condo[illegible]ſet. (f) Quod ita eſſe decretum, ad notitiam eorum quibus hoc videtur eſſe conueniens, peruenire Tua Magnitudo conſtituet: non abſque indignatione arbitrium principale paſſura quorundam temeraria vſurpatione diminui; his retentis videlicet in ſuo ordine & gradu militiæ, cui qualitercunque ad præſentem diem videntur admiſſi. Dat. Kal. Iul. Nicomediæ, DN. NN. Theodoſio A. XII. & Valentiniano II. AA. conss. [426.]

NOTAE.

(a) Iungenda *hæc* vt dixi *duabus ſuperioribus.* *GOTHOFR.*

(b) *Acacio* huic Comiti S. L. inſcribuntur hoc Anno duæ adhuc conſtitutiones, puta *lex* 16. *inf. de murilegulis lex* 18. *ſup. de proximis Comit. diſpoſition.* *ID.*

P.588 (c) De Comitibus Theſaurorum diœceſeos dixi *ad l.* 6. 14. *ſup. h. t.* & ad *l. vn. ſup. de Conſular. & Præſidib.* *ID.*

(d) De *Theſaurenſib.* dixi *ad d. l.* 14. *ID.*

(e) Triumphalis dextera, *l.* 14. *de annon. ciu.* & *l.* 16. *de murileg.* *ID.*

(f) *Condonare*, pro ſimplici, *donare*: vid. *Gl. Th.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE Probatione ſeu Promotione Officialium diuerſorum ſunt hæ tres Theodoſii Iun. per orientem *leges.* Quæ vnius eiuſdemque conſtitutionis partes ſunt, ad diuerſos tantum Magiſtratus, eodem alicubi exemplo, ſeu iiſdem ſæpe verbis, quatenus ad cuiuſque *iudicationem* (vt hæ *leges* loquuntur) iuriſdictionem, res ea pertineret, emiſſæ: ad Præfectum inquam Prætorio ad Præf. V. & ad Comitem S. L. Nempe ad Comitem inquam S. L. *lex vlt.* de Comite Theſaurorum & Theſaurenſib. qui ſane ſub eius diſpoſitione & officio fuerunt: Ad Præf. Vrb. *lex* 22. de Actuariis Thymelæ & equorum curulium, ſuariis, Optionibus per Regiones vrbis Conſtantinopolitanæ: quia & hi omnes ſub diſpoſitione Præfecti Vrb. Conſtantinopol. fuerunt. Ad Præfectum Prætorio *lex* 21. quia in ea agitur de Officialibus Præfecti Prætorio Rectorum Prouinciarum, Spectabilium (puta Proconſulis Aſiæ Comitis Orientis, Præfecti Auguſtalis, Vicariorum) idem de Irenarchis, Actuariis & Corniculariis tam Claſſium Vrbis Conſtantinopol. quam Thymelæ & equorum Curulium ciuitatum diuerſarum: quæ omnia officia ad eius diſpoſitionem pertinuerunt: Ac nominatim *Thymelæ & equorum curulium* cura per diuerſas ciuitates Orientalis Præfecturæ: (ſicut ad Thymelæ & equorum Curulium vrbis, ipſius Conſtantinopol.) Imo & Claſſium vrbis Conſtantinopolitanæ: quæ vt ex *hac l.* colligitur ad diſpoſitionem Præfecti V. non pertinuerunt; verum ad Præfecti P. vtpote quæ com-

commeantibus in Orientem & Ægyptum, quæ sub dispositione Præfecti Prætorio erant, destinatæ essent. Quæ quidem omnia notatu dignissima sunt, vt quæ alibi vix occurrant. Vt & ordo Magistratuum Spectabilium, qui recensentur *l. 21.* ad eandem plane seriem qua in *Notitia Imperii*. Denique & nomina illa diuersa Officialium, & Officiorum, quæ alibi pariter non occurrunt: Nempe Actuarii, & Cornicularii Classium Vrbis Constantinopol. Thymelæ, equorum curulium tam in vrbe Constantinopolitana, quam in ciuitatibus diuersis: Item Optiones per omnes Regiones vrbis Constantinop. De quibus videndum est, nam de Iranarchis Suariis, & Thesaurensibus, suis *locis* & *titulis* egimus, vel agemus, quos in *notis* indicaui.

De *classibus* primum. Classes igitur vrbis Constantinop. hic memorantur, quæ scilicet annonam ex Ægypto & Oriente Constantinopolim aduehebant: de Orientalibus nauarchis est *lex 7. 14. 32. infr. de Nauicular.* de Ægyptiacis *l. 7. 14. 18. 20. 33. d. tit.* seu de Alexandrinis: vnde Alexandrinus stol:s, *d. l. 7.* seu Alexandrina classis, *d. l. 32.* de quo plene dicam ad *l. 7. infr. de nauicular.* etiam ex Eunapio, Themistio, veteri Orbis descriptione. Claudiano. Ergo harum classium Actuarii & Cornicularii quidam fuerunt. Actuarii inquam proculdubio, qui Susceptorum seu annonæ ad vrbem Constantinopol. subuectæ ex Oriente vel Ægypto rationes conficiebant. Nam & hoc alias Actuariorum muneris fuit rationes conficere, de quo *sup. tit. de Numerar. Actuariis.* Cornicularii vero classium Vrbis Constantinop. qui, vt existimo, Præfecto Prætorio ius dicente super classibus Vrbis Constantinopol. cornibus Secretarii præsto erant: nam & hoc in commune Cornicularii officium fuit, ad cornu Secretarii Iudicum præsto esse de quo ad *l. 10. sup. de cohortal.* Et hæc de Classibus Vrbis Constantinopol. earum Actuariis & Corniculariis.

Eademque ratio fuisse videtur Actuariorum Thymelæ, idest, Scenicorum seu Scenicæ artis: ex quibus qui per Regiones Vrbis Constantinopol. erant, Præfecti V. dispositioni suberant: qui per ciuitates diuersas, sub Præfecti Prætorio vt ex *l. 21.* & *22.* collatione constat. De Thymela, & Thymelicis dixi plene *inf. tit. de Scenicis.*

Hinc interim apparet, quanta fuerit tum temporis in Oriente harum Scenicarum voluptatum copia, curaque; quæ peculiares Actuarios & Cornicularios habuerint: sicuti per Africam Tribunus *Voluptatum* peculiaris fuit: de quo *l. vlt. infr. de scen.* His adde & Circensium Voluptatum, seu equorum Curulium Actuarios, tam in vrbe Constantinopolitana, quam in aliis ciuitatibus, de quibus equis curulib. *inf. tit. peculiari lib. 15.* Adduntur & *l. 22.* Suarii, & Optiones per omnes regiones Vrbis Constantinop.

De *Suariis*, id est, de his qui porcinam carnem suscipiebant, atque in populum diuidebant, est *infr. tit. 4. de suariis, lib. 14.* Optiones vero non alii sunt quam erogatores annonæ militaris, de quibus dixi plene *ad l. 1. sup. de erogat. militar. annon.* Ergo Optiones per regiones Vrbis Constantinopolitanæ proculdubio fuerunt, qui annonam in milites vrbanos erogabant, per omnes regiones vrbis: de quibus Regionibus, vide *veterem Vrbis Constantinopolitanæ descriptionem* præfixam *Notit. Imper.* & apud *Gyllium*, vbi tamen nulla horum mentio fit. De his ergo omnibus id cauetur, eos probandos, seu promouendos a Principe, probatoriae sacris scriniis emissa. Perperam vero ex his duabus *legib.* colligebat vir doctus Turetus in Symmachum *lib. 6. ep. 33.* ludorum Artifices ex variis Regionibus educi, Romamque mitti solitos.

P. 589 DE EXSECVTORIBVS ET EXACTIONIBVS.

TITVLVS VIII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. LXI. *De executorib. & exactorib.* Concordat huic omnino titulus *7. lib. XI. de exactionibus*: quo etiam duæ leges *huius tit.* repetuntur: Quod inter errores Conditorum *huius Codicis* quoque deputo. Cæterum tres *hoc Titulo* Constitutiones ad ECCLESIASTICAM Historiam spectantes continentur. Valentiniani Sen. *lex 1.* Valentiniani Iun. *lex 3.* Honorii *lex 8.* *GOTHOFREDVS.* Inscriptio Tituli huius in Cod. Wurceburg. conuenit cum Cod. Iust. Cod. Gothan. legit. *De Exsecutoribus & Exactoribus*, quam lectionem etiam habet Codex vnus, quo vsus est Sichardus. Breuiarium legis Rom. Gvelferbyt. *De adsecutoribus & actoribus* habet, quod sensu caret, *RITTER.*

PARATITLON.

EXSECVTORES *Rubr. huius tituli*, & *l. 4. h. t.* sunt, quibus exactio, *Rubr.* & *l. 4. h. t.* (qui & ideo quoque EXACTORES, *l. 6. 7. h. t.*) commissa erat, seu a quibus exactio celebrabatur, *l. 5. h. t.* vel executio, siue debiti publici *l. 3.* & *4. h. t.* publicarum

catum necessitatum, *d. l. 3. 4.* & *5. h. t.* fiscalium commodorum, *l. 8. h. t.* debitorum publicorum, *l. 10. h. t.* cuiuslibet tituli, *l. 7. h. t.* id est siue sint ea sacris largitionibus inferenda, siue quid res priuata Principis desideret, vel si quod subsidium publicarum necessitatum PP. per apparitionem suam Arcæ nomine deposcat, *l. 5. h. t.* cuiusmodi erant Compulsores, Admonitores, Portitoresue præcepti, *l. 7. h. t.* Apparitores, *l. 2. 4. 5. h. t.* Inlustrium Virorum, *l. 6. h. t.* Illustrium Potestatum, *l. 7. h. t.* (puta Præfecti Prætorio, *l. 4. 5. 9. h. t.* seu ex Prætoriano officio, *l. 9. h. t.*) Palatini, *l. 4. 7. h. t.* Domesticus, Protector, Strator, Agens in rebus, *l. 4. h. t.* Palatinus exactor, *l. 6. h. t.* vtriusque Officii, *l. 4. h. t.* id est, Comitum S. L. & R. P. *l. 5. 9. h. t.* vel quæcumque Apparitio, *l. 9. h. t.* siue priuati negotii, *l. 4. h. t.* litigiorum priuatorum: *l. 8. h. t.* priuatorum debitorum, *l. vlt. h. t.* Iidem & Intercessores dicti, *l. 1. de pignoribus:* & intercessio, pro exactione, *l. 1. de lucris offic. l. 4. de Princip. Agentium.*

De his vero quinque capita *hoc titulo* continentur. Primo, Quinam Executores & Exactores, & vnde sumi possint? Scilicet non ex ea prouincia, vnde quis oriundus est, vel in qua larem conlocauerit, *l. 4. h. t.* Item ipsa exactio facienda ab officiis Rectorum prouinciarum (quamlibet alii Compulsores & Susceptores missi fuerint) *l. 5. h. t.* Secundo Mandati fines diligenter seruandos, *l. 7. h. t.* Tertio, non alium pro alio exigendum, *l. vlt. h. t.* Quarto, extra ordinem missos Exactores intra anni metas collectis ratiociniis remeare oportere, & Iudici efficaciam suam ostendere, *l. 9. h. t.* Quinto, executio nulla Officialibus absque adnotatione Principis [Officii] mandari potest: *l. 1. 3. 4. de Princip. Agent.* Postremo, quo tempore executio & exactio fieri non possit: Christianorum, solis die seu Dominico, *l. 1.* & *3. h. t.* Iudæorum, die Sabbathi, & reliquis, sub tempore quo Iudæi cultus sui reuerentiam seruant, *l. 8. h. t.* Reliqua petantur ex *titulo de exactionib. 7. infr. lib. 11.*

I. (a) Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Florianum Consularem (b) Venetiæ.

Die Solis, (qui dudum (c) faustus habetur,) neminem Christianum ab Exactoribus volumus conueniri; contra eos, qui id facere ausi sint, (d) hoc nostri statuti interdicto (e) periculum sancientes. Dat. XI. Kal. Maii, Triueris, Valentiniano & Valente AA. (f) conss.

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Concordat huic, *lex 3. inf.* Repetita autem vtraque & hæc *lex* & *d. l. 3. lege* 10. & 13. *tit. de exactionib. 7. inf. lib.* 11. GOTHOFR.

P. 590 (b) Quid si reponamus, *Comitem rei priuatæ,* vt *l.* 11. *infr. de exactionibus?* Qui idem Florianus comes est, cui inscribitur A. 371. *lex* 10. 11. *inf. de accusat. lex* 8. *inf. de famos. libellis.* IDEM.

(c) Iam inde a Constantino M. si feriarum *Iudiciariarum* rationem spectes: vide *l. 1. sup. de feriis:* iam olim enim solemnis is dies semper inter Christianos fuit. *ID.*

(d) Sunt, *d. l.* 10. *ID.*

(e) Abest hæc vox a *d. l.* 10. *ID.*

(f) II. id est, An. D. 368. quo sane anno Valentinianus Senior *Treuiris* constitit, vt ex Consularib. Theod. constare potest & Ammiano Marcellino *lib. 27. c. 8.* & 10. neque enim Anno 365. ibi constitit: Possis quoque referre ad III. coss. id est. A. 370. vel *IV.* i. e. 373. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Solis die exactiones fieri prohibet *hac l.* Valentinianus Sen. A. D. 368. vel 370. vel 373. quæ repetita extat *l. 10. inf. de exactionib.* cui etiam concordat Valentiniani Iunioris *lex 3. infr.* (quæ & ipsa repetita est *l. 13. d. t. de exactionib.*) Exactiones inquam publicas: eo enim pertinet hæc *lex:* quod patat ex ipsius *legis* verbis ibi, *ab Exactoribus*, iuncta Inscriptione, *ad Florianum Comitem rei priuatæ*, quomodo Inscriptionem restituendam quis non immerito credat: & quia de priuatis debitis & exactionibus iam constabat ex Constantini M. *l. 2. Cod. Iust. de feriis:* & *l. 1. sup. de feriis.* Quas Constantini M. constitutiones etiam hic Valentinianus iudicare videtur, cum ait, *diem solis* dudum faustum *haberi:* vbi & *faustum* vocat, a quo infausta iurgia, & exactiones abesse oportet. Eoque sensu dies solis dudum faustus habitus: alioquin enim etiam ante Constantinum M. inde a nascentis Ecclesiæ primordiis dies hic solemnis inter Christianos habitus, & conuentibus precibusque celebratus: de quo alibi. Priuatæ igitur primum actiones exactionesque a Constantino M. die Solis prohibitæ, quo pertinent apertissima verba *legis* illius 1. *de feriis. Altercantibus iurgiis & noxiis* Partium *contentionibus* [an *conuentionibus* vt *leg. 3. h. t.*] *occupari indignissimum videbatur.* Atenim Valen-

Valentinianus Sen. iam publicas quoque exactiones die Solis vetat *hac l.*

Neque id tamen indistincte, verum nominatim respectu ad Christianos; quare & Paganos & Iudæos eo die exigi siuerit Valentinianus Sen. Post quem demum Valentinianus Iun. *l. 3. inf. h. t.* omnes exigi vetuit, Iudæos etiam & Paganos. *Debitum*, inquit, *publicum priuatumque* NVLLVS *efflagitet:* Hac proculdubio ratione, quod nil intersit, cuius hominis exactione faustus dies & religiosus violetur. Sane Honorius postea Iudæos die quoque Sabbathi & reliquis cultus Iudaici exigi vetuit, *l. 8. inf.* Atque hac deinceps distinctione & obseruatione Annales Ecclesiasticos illustrari cupio, in quos alioquin hæc *lex* recte relata est.

Illud addo, Libanium quoque sub Theodosio M. circa A. D. 386. *orat. περὶ τῶν δεσμωτῶν p. 62.* indicare, quosdam dies ab actionibus seu exactionibus immunes fuisse. Quod commode de his & similibus constitutionibus accipi potest, vt *ad eum locum* iam notaui. Illud tandem adiicio si nihil in Inscriptione mutandum, ad *Venetiam*, hanc *legem* Ecclesiasticam pertinere; Ad quam & illud hoc ipso tempore pertinet, quod in Epistola Synodica Romana de *Venetia* memoratur apud Theodoretum, *lib. 2. cap. 22.* & Sozomen. *lib. 6. c. 23.*

II. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Potitum Vic. (b)

QVISQVIS fuerit exhibitus, vsque ad negotii terminum, ab eo cui primum traditus fuerat obseruari eum, Apparitore (c) decernimus. Si qua præsumptione fuerit hæc Mansuetudinis Nostræ posthabita præceptio, Primiscrinio qui iussa temerauerit, quinque librarum auri condemnatione multando. Dat. (d) VIII. Kal. Nouemb. Auxonio & Olybrio CONSS. [379.]

NOTÆ.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. de sportulis & sumptibus in diuersis iudiciis faciendis & de executoribus litium.* Est autem hæc *lex* fugitiua ab hoc *titulo.* GOTHOFREDVS.

(b) *Potito* huic Vicario Vrbis Romæ scilicet inscribitur præterea hoc ipso anno *lex 1. sup. de Princip. agentium in rebus*, *lex 2. sup. de re iudicata*: & A. D. 381. *lex 2. sup. vnde vi. ID.*

(c) *σύγχυσις* hic quam Tribonianus recte euitauit hoc ordine verborum, *ab eo Apparitore, cui primum traditus fuit, obseruari eum decernimus. ID.*

(d) *Dat. Kal. Iul. Mediolani* Cod. Iust. Quod non probo. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE CVSTODIA reorum (de qua suo *titulo*, *inf. lib. 9.*) adductorum, traditorum criminis alicuius per Appatitores pendente iudicio criminali, est hæc siue Gratiani, siue Valentiniani Iun. lex: ab hoc *titulo* fugitiua, quæque melius in *titulum, de custodia reorum*, vel in *tit. de exhibendis reis*, coniecta fuisset: quod ostendunt tres voces inter se collatæ. *Exhibitio* scilicet (de qua *hac l.*) & Comprehensio, & Adductio rei criminis de quo *Paratitlo dict. tit. de exhibend. reis:* Item *Tradendi* vox eodem pertinet: vt docet *lex 1. §. 26. D. de quæstionib. l. 5. infr. de exhibend. & transmittend. reis.* Traditus dicitur, qui criminis reus custodiendus datus erat Apparitori, vt docet vel *lex 1. D. de custod. reor.* & Symmachus *lib. 10. ep. 36.* Denique & *Obseruandi* vox, pro *custodiendi*, eodem pertinet.

Est ergo, quod dixi, hæc *lex* de criminalibus & de custodia reorum criminum, quod Accursius primum suspicatus est, & Baldus mox recte firmauit. Quare neque Tribonianus hanc *leg.* melius posuit sub *titulo de sportulis & sumptibus in diuers. Iudiciis faciendis & Executorib. litium.*

Sententia *huius legis* hæc est. Eundem Apparitorem cui primo traditus fuit reus obseruandus seu custodiendus, deinceps vsque ad negotii criminalis P. 598
terminum, reum custodire oportere, neque alium & nouum ei subinde custodem apponendum. Cuius rei ratio hæc, ni fallor, est, ne videlicet per huiusmodi succedaneas mutationes facile reus elabatur: Et pœnam Primiscrinio quinque librarum auri imponit Imp. si hæc iussa temerauerit. Nempe *Primiscrinius*, qui in officio variorum Magistratuum erat, vt docet Notitia *Imperii*, fuit nominatim tum in officio Præfecti Vrbis, de quo vide *l. vlt. inf. de Suariis:* Symmachum, *lib. 10. ep. 47.* & Auctarii *ep. 21.* tum quoque in officio Vicarii vrbis, vt ostendis dicta *lex vlt. inf de Suariis:* quo & hæc *lex* pertinet, quæ muneris eius fuisse docet Apparitores ex officio reis exhibitis custodiendis apponere: de quibus etiam accipi possit *Nouella* Iustin. *de Iudicibus 82. c. 7.* Quod & ipsum de Primiscriniis Præfecti Prætorio apparet ex *l. 4. infr.* nempe ab his Apparitores missos ad exactiones & executiones faciendas. De Primiscriniis in commune dicam ad *d. l. vlt. infr. de Suariis.* Et ita quidem hæc *lex* perspicue intelligenda est, quam *Iustinianei Codicis* Interpretes ferme aut non capiunt, aut turbide exponunt.

III. (a) Idem AAA. (b) ad Principium PF. P. (c)

SOLIS die, quem *Dominicum* (d) rite dixere maiores, (e) omnium omnino litium, negotiorum, conuentionem (f) quiescat intentio: (g) Debitum publicum priuatumque nullus efflagitet: Ne (h) apud ipsos quidem Arbitros (i) (vel in Iudiciis flagitatos,

(k) vel

(k) vel sponte delectos) (l) vlla sit agnitio (m) iurgiorum. Et non modo notabilis, (n) verum etiam sacrilegus iudicetur, qui a Sanctæ religionis instituto (o) rituue deflexerit. PP. (p) III. Non. Nouemb. Aquil. Acc. (q) VIII. Kal. Decemb. Rom. Honorio Nobilissimo Puero & Euodio V. C. CONSS. [386.]

INTERPRETATIO. *Die Solis (qui* Dominicus *merito dicitur,)* (r) *omnium hominum actio conquiescat, vt nec* (s) *publicum nec priuatum debitum requiratur, nulla iudicia neque publica neque priuata fiant. Quod qui non obseruauerit, reus sacrilegii teneatur.* (t)

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* nisi quod nonnulla hinc infarta in *l. 7. Cod. eod. de feriis.* Repetita vero extat *l. 13. inf. de exactionib.* Eam Baronius in annum suum non retulit. Denique concordat huic, *lex 1. sup.* GOTHOFREDVS.

(b) Ita quoque *d. l. 13.* Atenim rescribendi hi Imppp. VALENTINIANVS. *Theodosius, & Arcadius.* ID. Cod. Goth. *Imppp. Gracianus & Valentinianus & Theodosius*, quomodo & habet antiquus Wurceburg. & omnes impressi. Sichardus solus edidit *Valentinianus & Valens*, & ad marginem ex alio *Valentinianus Gratianus & Theodosius.* RITTER.

(c) Italiæ. GOTHOFRED. Nomen *PFP.* etiam in Sichardina corruptum, vbi legitur ad *Precipuum PFP.* RITTER.

(d) Hoc infartum a Tribon. dictæ *legi 7.* Hemistichion porro hic excidit Quæstori Valentiniani Iun. GOTHOFREDVS.

(e) Cod. Wurceb. *merito dixere maiores*, Sichard. *merito odixere maiores.* Sed Gothan. Cod. *quem Dominicum recte diximus maior est omnium omnino* &c. RITTER.

(f) Cod. Goth. *Conuentionumque.* ID.

(g) *Intentio* pro actione: qua voce & hic vtitur Interpres. GOTHOFR.

(h) Infarta hæc quoque *d. legi 7.* ID. Cod. Wurceb. *Nec apud ipsos*, & ita Sichardin. Cod. Iust. etiam legit, *vt nec apud ipsos.* Sed Cod. Goth. *ne apud istos quidem.* RITTER.

(i) *Arbitrorum* duo genera. Nempe vel in iudiciis flagitati, vel sponte delecti: id est ex compromisso sumpti, compromissarii. GOTHOFREDVS.

(k) Cod. Goth *vel Iudices flagitatas.* Sichardus edidit, *vel e iudiciis flagitatos.* Et Cod. Iust. habet, *vel a Iudicibus flagitatos.* RITTER.

(l) Cod. Wurceb. *nec sponte delectos.* Cod. Goth. *vel sponte electos*, quomodo etiam habet Cod. Iust. ID.

(m) Id est *cognitio*, vt substituit Tribonianus, *d. lege 7.* GOTHOFREDVS. Cod. Goth. *Agnacio iurgiorum.* RITTER.

(n) *Notabilis*, id est, *infamis.* vid. *Gl. Th.* GOTHOFR.

(o) *Instinctu*, ita *d. l. 13.* IDEM. *Instincto ritu deflexerit*, habet Sichardin. Cod. Wurceb. *institutum rituue deflexerit.* Cod. Gothan. *relegionis institutum ritumque* &c. RITTER.

(p) Pro *Data.* GOTHOFR. Quidam recentior rudis in iure cum non intelligeret, quid esset in Cod. Goth. pp superaddidit *populo* quod sæpius iteratum. Cæterum sic legit MS. ille: *pp. Data IV. K. Nou. aquilegia. VIII. K. Roma Honorio & Euocio Coss.* confuse. Neque Sichardus intellexit notam. *NBP.* qua vsi sunt librarii, hinc edidit *Honor. Nep.* Denique *VC.* ab Anianeis MS. & impresso abest. RITTER.

(q) Hinc supplenda subscriptio *dictæ legis 13.* GOTHOFR.

(r) Cod Goth *diem solis qui dominicus dicitur merito.* Recens manus supra *τὸ diem* adscripsit *per.* RITTER.

(s) Cod. Wurceb. *ita vt nec priuatum nec publicum*, ita etiam Cod. Goth. in quo librarius loco *vt nec* scripserat *veniet*, quod ab antiqua manu iam correctum. IDEM.

(t) Additum hic in Edit. quæ in 4to. prodiit glossa: *quod est violator legis.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE SOLIS die, seu Dominico, prohibitaque eo die omni actione, contentione, executione, est hæc Valentiniani Iunioris Constitutio: quæ repetita extat *l. 13. inf. de exactionib.* cui etiam concordant ad aliquid leges Constantini M. puta *lex 2. Cod. Iust. de feriis*, & *l. 1. sup. de feriis;* itemque Valentiniani Sen. *lex 1. sup. h. t.* ad aliquid inquam: nam hæc nostra in hoc argumento, omnium plenissima & expressior est: tum ratione causæ, tum respectu personarum agentium, tum ratione iudicum. I. Ratione inquam *Causarum:* in quo quidem concordat hæc lex *legi 1. sup.* nempe vt omnium omnino litium, negotiorum, contentionum, quiescat intentio actioque, & vt debitum ne quidem publicum eo die efflagitari possit. II. Ratione *Personarum*, puta vt nullus efflagitare quidquam eo die possit a quoquam, etiam a Iudæo scilicet vel Pagano, cum antea tamen Christianis tantum hoc priuilegii datum fuisset, Valentiniani Sen. Constitutione, puta *l. 1. sup.* III. Tandem & ratione *Iudicum:* Nempe vetat etiam apud Arbitros de vllo iurgio cognosci, siue illi in Iudiciis flagitati, id est, a Iudicibus seu Magistratibus petiti (vt sæpe petiti in plerisque litium articulis, vt docet *lex 9. D. qui satisdare: l. 2. Cod. Iust. de vsuris & fructib. legatorum: l. 27. D. de reb. auctor. iud. possid.*) siue sponte delecti, id est, ex compromisso sumpti (quæ duo *Arbitrorum* genera sunt) Quod omnium maxime singulare est: cum alioquin Arbitrii via a pacis studio proficiscatur, seu negotium pacis sit; quod vtique a Dominicæ diei religione & sanctimonia tantum abest abhorrere videatur, vt contra ad eam maxime accedat. Sane Leo Imp. postea in *l. vlt. Cod. Iust. de feriis*, id admisisse videtur: *Dominico*, inquit, *die respirent a controuersiis litigantes & habeant foederis interuallum, ad sese simul veniant aduer-*

sarii non timentes, subeat animos vicaria pœnitudo, pacta conferant, Transactiones loquantur. Verum id Valentiniano Iun. *hac l.* ita visum, quod vel sola de iurgiis cognitio, quæ neque sine iurgio esse ferme potest; ab eius diei veneratione eatenus aliena videretur, quod eo die totæ Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur, (occuparique debeant) vt loquitur Theodosius Iun. *l. vlt. inf. de spectaculis.* Quare & *sacrilegii* crimen pœnamque hoc facto incurri vult. Nempe ne tantillum quidem ab officio pietatis cultuque Christianos eo die abduci voluit, seu (vt ipse loquitur) *a sancta religionis instituto* vel *instinctu, ritune*, instituto, vt habet hæc *lex:* id est, sacra præceptione
P. 592 & traditione incorrupta: quo ipso sensu vox hæc accipienda *l. 1. 2. Ne Sanctum Bapt.* quomodo & *Institutionis* vox effertur *l. 45. de hæreticis.* Instinctu, vt habet *d. lex 13. inf. de exactionib.* id est, deuotione. Neque dubito, quin Iustinæ matris impulsu Valentinianus Iun. hæc sanxerit, cui hoc tempore is obnoxius erat.

Illud obseruandum hanc *legem* diei *Acceptam Romæ.* Et sic Valentinianum Iun. hanc *legem* dixisse Religioni diei Dominicæ, quæ Romæ celebrabatur, & sic sanctitatem eius diei hac Sanctione sanxisse Romæ: quo tempore *Siricius* Papa erat.

Obiter quoque obseruandum, quod ait, *Solis die, quem Dominicum rite dixere Maiores* (hemistichio, quod etiam Triboniano infarcire visum *legi 7. Cod. Iust. de feriis*) scilicet etsi solis diem Christiani dicere perseuerauerint etiam sub Impp. Christianis, attamen iam olim quoque *Dominici* diei appellatio Christianis placuit, non iam dico *Syluestro*, quod faciunt nonnulli, verum inde ab Apostolicis temporibus, & deinceps: videnda saltem Apocalypsis *c. 1. v. 10.* Ignatius *ad Trallianos, ep. 2.* Hippolytus *Ep. Canone Paschal. pag. 40. edit. Fabricii.*

ΕΤΕΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ
ΤΩ Α. ΑΡΧΗ
ΑΙ ΚΥΡΙΑΚΑΙ ΤΟΥ ΠΑΣΧΑ ΚΑΤΑ ΕΤΟΣ.

Item *pag. 38.*

ΑΠΟΝΗΣΤΙΖΕΣΘΑΙ ΔΕ ΔΕΙ ΟΤΑΝ ΕΝΠΕΣΗ ΚΥΡΙΑΚΗ.

IIII. (a) Idem AAA. (b) ad Eusignium PF. P.

NVLLVS Appatitor Amplitudinis (c) Tuæ, vel de Officiis Palatinis, (d) ad eam prouinciam ex qua oriundus est, vel in qua conlocauerit larem, (e) obtemptu publicæ necessitatis, vel exsecutor priuati negotii, dirigatur: Etenim Officii Celsitudinis Tuæ Primiscrinius (f) tres libras auri fisci vtilitatibus sine dilatione persoluet, si statuta fuerint temerata; Appatitor vero qui huic se muneri passus est deputari, solutus (g) militia, Mancipum (h) corpori sociabitur. Hæc vero pœna etiam ceteris inrogata est, vt si Domesticus (i) aut Protector, Strator, (k) vel Agens (l) in rebus, vel Palatinus vtriusque (m) officii, vel ad eam (n) prouinciam, in qua natus est, vel ad eam in qua conlocarit larem, cum huiusmodi vsurpatione perrexerit, matriculis quidem exemptus ipse qui se voluit (o) mitti auri libram vnam fisci viribus (p) inferre cogetur. (q) Adiutores (r) vero officiorum (s) Palatinorum, ac Numerarii (t) Comitum inlustrium virorum, siue Actuarii, libram fisci viribus (v) soluant, nisi statuta fuerint custodita. Dat. III. (x) Non. Decemb. Mediol. Honorio Nobilissimo Puero & Euodio. V. C. CONSS. [386.]

NOTAE.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. de diuers. officiis.* GOTHOFRED.
(b) Rescribendi VALENTINIANVS *Theodosius & Arcadius.* Vid. *not. h. leg. antecedent. & Chronolog.* RITTER.
(c) Præfecti Prætorio. GOTHOFREDVS.
(d) An vtriusque officii vt *inf.* id est Comitis S. L. & R. P. An vero Palatinis quæ sub Magistro officiorum fuerunt? *ID.*
(e) *Vel qui iam in huiusmodi officio fueris commoratus* addit *Cod. Iust.* ex *l. 8. Cod. eod. de offic. Rector. prou* quæ hoc ipso Anno data dicitur. *ID.*
(f) *Primiscrinii* huius Præfecti P. nulla fit in *Notitia Imperii* mentio: de Primiscriniis dixi ad *l. 2. sup. h. t. ID.*
(g) *Militia spoliabitur*, ita Cod Iust. neglectis illis de *mancipatu. ID.*
(h) Vide *l. 9. 16. 19. sup. de diuers. officiis. ID.*
(i) De *Domesticis & Protectoribus*, fuit *supra, tit. lib 6. IDEM.*
(k) *Aut Strator*, Cod. Iust. de *Stratoribus* fuit *sup. tit. lib. 6. ID.*
(l) De *Agentib. in rebus*, & eorum *Principibus* fuerunt *sup. lib. 6.* duo *Titull. ID.*
(m) Id est Comitis S. L. & R. P. de quibus *lib. 6. suo tit. IDEM.*
(n) *Eandem*, Cod. Iust. *ID.*
(o) *Voluerit*, Cod. Iust. RITTER.
(p) *Iuribus*, Cod. Iust. *ID.*
(q) *Cogatur*, Cod Iust *ID.*
(r) De *Adiutoribus* dixi ad *l. 10. sup. de cohortalib.* GOTHOFR.
(s) Id est, quæ sub Magistro officiorum fuerunt. Male, *Cod. Iust. officiorum & Palatinorum. ID.*

(t) De

(t) De *Numerariis* & *Actuariis* suo *titulo sup.* 1. *hoc lib. ID.*

(v) *Libram auri fisci iuribus.* Cod. Iust. *RITTER.*

(x) *Il. Cod. Iust.* *GOTHOFR.*

COMMENTARIVS.

IN PROVINCIA sua Executio cuiquam demandari vetatur, hac Valentiniani Iun. Constitutione A. D. 386. Quomodo & prouinciæ suæ administratio, vel in prouincia sua adsidere olim prohibitum, propter notissimam potentatus rationem, de quo *alibi* iam sæpe. In prouincia, inquam, sua, siue quis ex ea oriundus sit, siue in ea larem collocauit; id est, siue eius municeps sit, siue incola. Quæ quidem breuis *huius legis* sententia est, in qua tria tantum notanda sunt.

Primo varia officiorum nomina & genera, numero sex, quibus executio olim in prouinciis mandari solita, quique missionibus parebant; Numerantur scilicet inter eos, 1. *Apparitores* Præfectorum Prætorio, 2. Domestici, 3. Protectores, de quo vide *Paratitlon de Domest. & Protect.* & *l. 27. sup. de erogat. milit. ann.* 4. Stratores, qui scilicet ad probandos equos mittebantur; de quo *l. vn. sup. de Strator.* 5. Agentes in rebus, qui missionib. Principis parebant, de *quibus suo tit.* 6. Palatini vtriusque officii, id est, Comitis S. L. & R. P. de quibus *suo* quoque *titulo*.

Secundo indicantur *hac l.* & ii quibus executionis & missionis rite demandandæ cura incumbebat: nempe 1. *Primiscrinius* Præfecti Prætorio, de quo ad *l. 2. sup.* 2. Adiutores officiorum Palatinorum, de quibus dixi ad *l. 10. sup. de cohortalib.* id est, P. 593 Officiorum, qui sub Magistro officiorum erant. 3. Numerarii siue Actuarii Comitum S. L. & R. P. de quibus *sup. Paratitlo de Numerar. Actuar.*

Tertio loco Pœnæ obseruandæ, quas Valentinianus Iun. *hac l.* vtrisque comminatur tam Executoribus in prouinciam suam missis, quam id fieri patientibus: & quidem eo grauiores, quo maioris auctoritatis vtrique essent. Tanto conspectius in se crimen habet, quanto maior qui peccat habetur: Nempe iubetur Apparitor Præfecti Prætorio mitti se patiens militia sua solui & Mancipum corpori sociari (de qua pœna dixi ad *l. 9. 16. 19. sup. de diuers. off.*) Primiscrinio vero Præfecti Prætorio (quem hic Græci Πριμισκήριον vocant, trium librarum auri pœna imponitur, si statuta hæc temerata fuerint: de quo Primiscrinio eiusque officio dixi ad *l. 2. sup. h. t.* & *ad l. vlt. infr. de Suariis.* Cæteris vero tam missis quam mitti patientibus vnius tantum libræ auri pœna imponitur.

V. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Dextro PF. P. (b)

SIVE a Palatinis (c) petantur, quæ sunt Sacris Largitionibus inferenda, siue quid res priuata nostra desideret, vel si quod subsidium publicarum necessitatum (d) Magnificentia Tua per Apparitionem suam arcæ (e) nomine deposcit, remota exigentium permixtione, per Rectorem prouinciæ, instantibus Officiis memoratis, exactionem celebrari decernimus: qui ad se intelligit (f) vel desidiæ inuidiam vel industriæ gloriam pertinere. Dat. XVII. Kalend. Iun. (g) Med. Olybrio & Probino CONSS. [395.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* prælata *l. prox. infr.* quæ *huic* iungenda est. *GOTHOFR.*

(b) *Dexter* PP. sub Honorio Imp. Italiæ scilicet cui Dextero PP. plures aliæ *leges* inscribuntur hoc ipso Anno. Mentio quoque eius apud Hieronymum 2. *apol. adu. Rufinum pag.* 151. *Tom. II. Oper. edit. Francf. Gensebian. Ante annos ferme decem*, inquit, *cum Dexter amicus meus qui Præfecturam administrauit Pratorii, me rogasset &c.* Hic ille est cui idem *Librum de Scriptorib. Eccles.* petenti inscripsit. *ID.*

(c) Sacrarum Largitionum & rei priuatæ: vtriusque officii, vt vocantur *l. 4. supr.* de quibus suo *tit. sup. de Palatinis. ID.*

(d) Ita principales necessitates, *l. 11. inf. de Excutionibus. ID.*

(e) Præfecti Prætorio: de qua *Arca* vide quoque *l. 3. 6. 9. 16. 17. infr. de indulg. debitor.* & Synesium *ep.* 127. & *Nouellam* Maioriani *de Curialib.* 1. & *de indulgent. reliquorum* 4. & *l. 6. Cod. Iust. de exactorib. tributorum.* Dixi plenius ad *l. 14. inf. de Susceptorib. IDEM.*

(f) Pro, *intelligere debet. ID.*

(g) Iul. *l. prox. ID.*

VI. (a) Idem AA. ad Prouinciales, & ad Proconsules. (b)

NE per diuersas Prouinciarum partes, aut Palatinus exactor accederet, aut Illustrium (c) virorum Apparitor vagaretur, vel Militaris terror inferret formidinem, hac lege sancimus, Vt omnis (d) memoratis intentio ad Prouinciæ Rectorem fit, cum (e) eo agant, illo insistente, disponente, atque (f) agnoscente suo periculo rem peragendam compleant vniuersa. Dat. XVII. Kalend. Iul. (g) Med. Olybrio & Probino CONSS. [395.]

riam redeundum esse non nesciant. Dat. IIII. Id. Decemb. Aquil. Arcadio A. I. & Bautone CONSS. [385.]

NOTAE.

(a) *Lex 5. Cod. Iust. de Numerariis.* Iungenda forte *lex 17. inf. de extraordin.* GOTHOFRED.
(b) Italiæ. Eidem inscribitur quoque *lex prox. 16. sup.* ID.
(c) De *Exceptorib. suo tit. sup. hoc libro.* ID.
(d) *Prouincialibus* additum Cod. Iust. RITTER.
(e) *Cohortalem* add. *Cod. Iust.* GOTHOFR.
(f) *Sustinere videntur* Cod. Iust. ID.
(g) *Dare* Cod. Iust. ID.

COMMENTARIVS.

DE EXCEPTORIBVS qui Iudicib. seu Rectorib. prouinciarum obsequebantur, est hæc Valentiniani Iunioris constitutio, de quibus *suo titulo 1. huius libri*, id est de his qui actis scribendis operam nauabant: de quibus etiam videnda *lex 5. supr. de Palatinis S. L.* & *l. 2. supr. de numerar.* & inter alia, *Acta Collationis Karthagin.* & Notitia *Imperii.* Et id quidem *hac lege*, pro suo ergo officia replenda, quæ deserta tum erant, studio (quod duabus superiorib. *legibus* extulit) statuit Valentinianus Iun. vt quamlibet Decuriones ad hoc Exceptoris munus adspirauerint, eo in orme fungi prohibeantur, dummodo munia ciuitatis durante Exceptoris munere agnoscant, & peracto Exceptionis munere ad Curiam redeant. Qui Princeps tamen alias Curias deseri sis quocunque obtentu noluit: (de quo fidem faciunt tot eius Constitutiones *inf. tit. de Decurionib.*) sæpe scilicet extra ordinem etiam non Cohortalini cohortali ministerio aliquo fungi permittebantur, veluti Tabularii, *l. 20. sup. de cohortal.* Decuriones *hac l.* sic vt neque militiam cohortalem sustinerant, neque etiam a fisco annonas consequerentur, quas Cohortalini accipiebant. Id inquam sæpe tulere Principes, exhaustis officiis hac ratione prouidentes. Quod Arcadio displicuit, *d. l. 20. sup. de Cohortalib.* iis rationibus quas ad eam *legem* dixi.

XVIII. (a) Idem AAA. & Arcadius A. (b) ad Eusignium PF. P. (c)

NVLLVS, ex his quos claruerit militare, solutus (d) indebita denuo sacramenta (e) suscipiat. Si quis autem id per obreptionem forte meruerit, quinque librarum auri multetur incommodo. Dat. Prid. Id. Iul. Mediol. Honorio NB. P. & Euodio CONSS. [386.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.
(b) Non nunc demum Arcadius Imperator factus est: verum iam ab A. D. 383. cuius nomen duabus superioribus *legibus* iam conuenit. Neque quatuor nobis hic fingendi sunt Impp. (quos etiam exprimit Cod. Iust, *Gratianus, Valentinianus, Theodosius, & Arcadius*) quod alienum ab historiæ veritate. ID.
(c) Italiæ, cui plures tum hoc anno tum proximo constitutiones inscribuntur: de eo vide & Symmachum, *lib. 4. ep. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75.* IDEM.
(d) Ita l. 4. *inf. tit. prox.* solutus militia. *Militia resolutus* Cod. Iust. hic legit. Ego nil mutem. ID.
(e) *Sine Augusti affatibus*, add. Tribonian. ID.

COMMENTARIVS.

EXPVNCTVM seu DISCINCTVM semel, seu militia solutum (Officialem scilicet) ad eandem militiam admitti, proposita quinque librarum auri pœna, vetat *hac l.* Valentinianus Iun. pariter vt Thesaurenses speciatim semel euersores probatos Valens Imp. admitti vetat, *l. 14. sup.* vbi dixi: Apparitores item (Præfecti Vrbi) ob culpam vel negligentiam discinctos, Honorius *l. 20. infr.* (quæ proprie est de altera militia) Idemque & circa Susceptores & Tabularios decoctores statutum *l. 27. inf. de susceptor.* (vnde desumpta est *lex 12. Cod. Iust. eod. tit.*) Idque, etsi per obreptionem quis officio suo restitui meruerit; beneficio scilicet seu rescripto Principis, quod & nominatim additum in Susceptoribus & Tabulariis *d. l. 27.* & in Apparitoribus P. V. *d. l. 20. inf.* Quare fucum facit Valentiniano Tribonianus *l. 2. Cod. Iust. eod tit.* cum in ea *lege*, quæ hinc alioquin desumpta est, addit *sine Augusti affatibus*, Principis scilicet beneficium hac parte contra Valentiniani Iun. sententiam admittens. Sane Theodosius Iun. postea Cohortalinos expunctos, tum demum admitti rursum rescripto Principis permisit, si rescriptum Præfecti Prætorio allegatum & ab eo probatum fuerit, *l. 25. sup. de Cohortalib.*

XIX. (a) Impp. Arcadius & Honorius AA. Florentino P. V. (b) Postalia.

Cuiuslibet Iudicis Apparitores, (inter quos etiam Præfectianos (c) locamus,) ad quamcumque aliam militiam, vel Palatinam vel militarem ambiendo transierint, retrahendi hos copiam illis quos deseruere tribuimus; ita vt vilissima qualibet officia, ac Mancipatus (d) quoque, si modo ab his cui nati sunt, Ordo exegerit, administrent. In quorum idem seruandum quod * in Curialium successione decernimus, vt etiam si patres hæc fugerint, (e) teneatur agnatio; (f) & cetera. Dat. XII. Kal. Iun. Med. Cæsario & Attico CONSS. [397.]

NOTAE.

(a) Abest potissima *huius legis* pars a Cod. Iust. Iungendæ autem ei *lex* 153. 154. 155. 156. *inf. de Decurion.* & *lex* 2. *sup. de Comitib. rei milit.* & *lex* 9. *sup. de Senator.* Imo & *lex* 1. *Cod. Iust. vbi quis de Curiali.* *GOTHOFREDVS.* Lex 1. Cod. Iust. *vbi quis de Curial.* & in *Inscriptione* & *Subscriptione* variat. Inscripta est *Floro PFP.* & Data dicitur *XII. Kal. Aug. Med.* Sed hæc esse facta librariorum errore, euincunt ipsa legis verba, omnino cum hac nostra coniungenda. *RITTER.*

(b) Romæ. *GOTHOFREDVS.*

(c) Præfectianus, officialis Præfecti Prætorio, vel Præfecti Vrbi vide *inf. tit. ne Præfectianus.* *IDEM.*

(d) Vide *l.* 9. & 16. *sup.* *IDEM.*

* *Lex* 48. *Cod. Iust. de Decurion.* hinc desumpta est. *ID.*

(e) *Decesserint*, Cod. Iust. contra mentem Honorii. Vide vel *l.* 3. *sup. de fil. mil. apparit.* *IDEM.*

(f) Successio, *sup.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Honorii Imperatoris duæ *leges* sequuntur circa diuersa Officia occupatæ. Priore hac DESERI militiam officialem vetat; cuiuscunque tandem dignitatis, siue Palatinæ, siue militaris obtentu: de quo & in quod ipsum fuerunt iam quoque *supra* octo leges: puta *lex* 2. 3. 9. 11. 12. 14. 15.
P. 58 16. *sup.* Idemque cauetur *l.* 156. *inf. de Decurionibus*, & *l.* 1. *Cod. Iust. vbi quis de Curiali*, (quæ inter alias *huic l.* coniungendæ sunt, de quo mox) Ita quidem, vt desertorem ad vilissima quæque officia retrahi iubeat; etiam Mancipatus: quod & ipsum de Mancipatu statuitur *d. l.* 9. 16. *sup.* & *l.* 4. *inf. tit. prox. de exsecutorib.*

Duo tantum, quæ hic adduntur notanda sunt. Primo ad *Præfectianos* quoque *hanc l.* pertinere, & in his idem obtinere, id est, in Apparitoribus Præfectorum vrbis, vel prætorio, quod & ipsum quoque expressum *l.* 9. & 11. *sup.*

Additur Secundo, *fine leg.* (quod vnum retiouit Tribonianus) vt etiamsi patres Apparitores seu Officiales munia officialis fugerint, seu quacunque ratione euitauerint, iam muniis etiam forte omnibus defuncti, nihilominus eorum agnatio teneatur: id est, vt filii eorum ad cohortalem militiam teneantur, idque exemplo Curialium successionis: id enim *Agnationis* appellatione *hic* accipiendum est, pariter vt tot aliis *legibus*: inter cæteras *l.* 1. *inf. de Collegiatis*, *l. vn. sup. de comm. diuid.* Et vero idipsumquoque cautum olim a Constantino M. *l.* 3. *sup. de filiis militarium Apparitorum*, quæ huic quam simillima est. Tandem hanc huiusce *legis* sententiam firmat exemplum Curialium: vbi pariter successio, id est, filii in parentum Decurionum excusatorum quacunque ratione locum Curiæ necti iubentur: *l.* 155. *inf. de Decurionib.* Et vero, quod maximo argumento est (& notandum maxime) coniungenda hæc *lex* venit cum *d. l.* 155. vt & cum *l.* 153. 154. 156. *eod. tit. de Decurionib.* *l.* 2. *sup. de Comitib. rei mil.* *l.* 9. *sup. de Senatoribus*, Imo & cum *l.* 1. *Cod. Iust. vbi quis de Curiali*: quæ *leges* omnes desumptæ sunt ex eadem *Honorii* constitutione, qua is curiis & officiis replendis enixe neque vna ratione consultum fuit. Inter alias vero rationes curiis & officiis, liberis Curialium & Officialium parentibus excusatis substitui iussis. Verba *d. legis* 155. quo hæc *lex* sese refert, sunt hæc: *Quisquis horum* (honorum) *emensus curialia onera, vel honestis, vel administrationis, vel quarumcunque aliarum dignitatum infulas impetrauerit, ipse quidem decoretur insignibus, sed* LIBERI *omnisque successio paterna dignitatis obiecta Curialia vincula non exuant*, &c. Quare hinc apparet & de flagitio Triboniani, qui ad casum mortis patrum hanc *legem* retulit: loco illorum *hæc fugerint*, substituta voce *decesserint*: vt & de Cuiacii aliorumque errore, qui *Agnationis* voce hic postumos accipiunt, & proinde hunc *legi* seorsum affingunt, non tantum natos, sed etiam postumos sequi curialem fortunam patris.

XX. (a) Impp. Honorius & Theodosius AA. Gracco P. V. (b)

Quicunque Apparitores, (c) ob culpam vel neglegentiam fuerint iudicato discincti, ad nullam militiam adspirandi habeant facultatem: nec ex Rescripto his vllus aditus referetur, quos congruit pœnæ grauissimæ subiugari, si contra inhibita quoque sacratissimis Constitutis + adspirare præsumpserint. (d) Dat. VIII. Kal. Aug. Rau. Honorio X. & Theodosio VI. AA. CONS. [415.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) *Lex 5. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.
(b) Vide *Commentar.* IDEM.
(c) P. V. vt videtur. ID.
+ Veluti *l. 14. sup. h. t.* ID.
(d) *Contempserint*; male *Cod. Iust.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DISCINCTOS semel Officiales, seu officio expunctos ob culpam vel negligentiam (hæ scil. duæ discingendorum Officialium causæ) iudicato, id est, Iudicis cognitione ab omni militia submouentur *hac l.* ab Honorio Imp. non tantum pristina de quo sunt *lex 14. 18. sup. lex 27. inf. de suscep-torib.* verum neque alia vlla; de quo est quoque ex parte *d. lex 14.* Idque licet Rescriptum impetrauerint, quod & ipsum cauetur in sp. *d. legis 18. sup.* & *d. l. 27. inf. de susceptorib.*

Quod inscriptionem *huius l.* attinet, meminit quoque Gracchi istius P. V. Hieronymus (qui Anno 420. decessit) *ep. ad Latam 7.* Tom. I. Oper. pagin. *35.* edit. Francf Geoschian. de institutione filiæ; *Ante paucos annos propinquus vester Gracchus, nobilitatem patriciam sonans nomine, cum Præfecturam gereret vrbanam, nonne specum Mithræ, & omnia portentosa simulacra, quibus corax, Niphus, Miles, Leo, Perses Helios, Bromius pater initiantur, subuertit, fregit, exussit: & his quasi obsidibus ante præmissis impetrauit Baptismum Christi.*

XXI. (a) Impp. THEODOSIVS & Valentinianus AA. Hierio PF. P. (b)

NEMO aliter ad Tuæ (c) Sublimitatis admittatur Officium, nisi eum emissa ex sacris scriniis probatoria (d) consecrarit: Quod & in ceteris (e) Officiis, quibus similis erat consuetudo militiæ, diuerso quidem modo, sed pari diligentia Sublimitas Tua iubeat custodiri: sed (f) in * his quoque, id est Virorum Spectabilium, Proconsulis (g) Asiæ, (h) Comitis Orientis, Præfecti Augustalis, & Vicariorum, quos etiam monuimus sub viginti (i) interminatione librarum auri. Hirenarchas (k) quoque & Actuarios (l) & Cornicularios (m) tam classium vrbis Constantinopolitanæ, quam Thymelæ, (n) equorumque (o) curulium ciuitatum diuersarum, non aliter nisi, vt consueuerat, manus sanc- P.187 xerit Principalis præcipiat ordinari. Quin si quis talis sub tua fuerit iudicatione conuictus, profecto initiis his, quæ vetita contrectauit, etiam congruam indignationem incurret. His retentis in suo ordine & gradu militiæ, qui qualitercunque ad præsentem diem admissi sunt; & cetera. Dat. X. (p) Kal. Iul. Nicomediæ, DD. NN. Theodosio XII. & Valentiniano II. AA. CONSS. [426.]

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata est, tum perturbato sententiarum ordine, tum expunctis tribus sententiis: 1. de Officialibus Præfecti Prætorio 2. de officiis ceteris, in quibus similis erat custodia, 3. de Irenarchis, &c. Quæ tertia sententia relata est *in l. 7. Cod. Iust. de Numerar.* Iungendæ autem huic *legi* duæ *leges* proximæ. GOTHOFREDVS.
(b) *Hierius* sub Theodosio Iun. Præfectus P. Orientis scil. vid. Prosopogr. ID.
(c) Præfecti P. ID.
(d) *Probatoriæ* huius mentio quoque in *Rubrica, & duabus legibus proximis.* ID.
(e) Iudicum seu Rectorum prouinciarum. ID.
(f) *Sed & in his quoque,* &c. ID.
* Incipit hic lex 6. Cod. Iust. *In his officiis id est Virorum Spectabilium* &c. IDEM.
(g) *Dignitatum* harum idem ordo in Theodosii M. & Arcadii *legibus*, puta *l. 1c* & 16. *inf. de pœnis.* idemque & in *Notitia* obseruatur, quæ hoc ipso ferme tempore conscripta fuit, sub Theodosio Iun. ID.
(h) Proconsulis Achaiæ nulla mentio fit *hac l.* quæ data est A. D. 426 cuius decennio post, A. D. 435. mentio fit *l. vlt. sup. de Princip. Agentium in rebus*: vnde videatur hoc tempore Achaïa detrimentum aliquod passa. ID.
(i) *Triginta* vulgat. Cod. Iust. alii *Viginti.* RITTER.
(k) De his *titulus 14. inf. lib. 11.* GOTHOFR.
(l) De *Actuariis* in genere *sup. tit. 1.* ID.
(m) De *Corniculariis*, sup. ad *l.* . ID.
(n) De *Thymelicis* dixi ad *l. 5. infr. de Scen.* de quibus etiam agitur *leg. 12. eod. tit. lib. 15.* ID.
(o) De *Equis Curulibus* erit *titul. 10. infr. lib. 15.* IDEM.
(p) Delendum hoc, vt apparet ex duabus proximis *legibus.* ID. Codices Iust. tamen constanter seruant hanc notam numeralem. RITTER.

XXII.

XXII. (a) Idem AA. Theofilo P. V. (b)

Nemo aliter ad Tuæ Sublimitatis in postero (c) admittatur officium, nisi eum emissa ex sacris scriniis probatoria consecrarit. Actuarios quoque Thymelæ & equorum curulium Suarios (d) etiam & Optiones per omnes Regiones (e) vrbis Constantinopolitanæ, & alia omnia, quæ vel in militia, vel gradibus actibusque nutum pro solemnitate priscæ institutionis desiderant Principalem, non aliter nisi, vt consueuerat, manus sancxerit Principalis, præcipiat ordinari. Quin si quis talis sub tua fuerit iudicatione conuictus, profecto inritis his, quæ vetita contrectauit, etiam congruam indignationem incurret. His retentis videlicet & in suo ordine & gradu militiæ, qui qualitercunque ad præsentem diem videntur (f) admissi. Dat. Kalendis Iul. Nicomediæ, Theodosio XII. & Valentiniano II. AA. conss. [426.]

NOTAE.

(a) Iungendæ duæ *leges* proximæ, inter quas media hæc iacet. *GOTHOFRED.*

(b) Theophilo huic P. V. (Constantinopol. scil.) inscribitur quoque anno superiore 425. *lex vn. sup.* de Professoribus qui in Vrbe Constantinopol. *ID.*

(c) Pro *in posterum. IDEM.*

(d) De *Suariis* erit *inf. lib.* 14. *tit.* 4. *ID.*

(e) Quatuordecim. *ID.*

(f) Ita quoque *lex proxima inf.* Sed *lex* 21. *sup.* habet, *sunt. ID.*

XXIII. (a) Idem AA. Acacio (b) Comiti S. L.

Comitum (c) thensaurorum diœceseos prouectiones, & ipsos Thensaurenses (d) vetus obseruatio Principali dexteræ (e) reseruauit; nec aliter voluit eos vel in Iudicum suorum obedientiam, vel in committendis publicis necessitatibus, habere progressum, nisi militiam eis emissa ex sacris scriniis probatoria condonet. (f) Quod ita esse decretum, ad notitiam eorum quibus hoc videtur esse conueniens, peruenire Tua Magnitudo constituet: non absque indignatione arbitrium principale passura quorundam temeraria vsurpatione diminui; his retentis videlicet in suo ordine & gradu militiæ, cui qualitercunque ad præsentem diem videntur admissi. Dat. Kal. Iul. Nicomediæ, DN. NN. Theodosio A. XII. & Valentiniano II. AA. conss. [426.]

NOTAE.

(a) Iungenda *hæc* vt dixi *duabus superioribus. GOTHOFR.*

(b) *Acacio* huic Comiti S. L. inscribuntur hoc Anno duæ adhuc constitutiones, puta *lex* 16. *inf. de murilegulis lex* 18. *sup. de proximis Comit. dispositionum. ID.*

P.588 (c) De Comitibus Thesaurorum diœceseos dixi *ad l.* 6. 14. *sup. h. t.* & ad *l. vn. sup. de Consular. & Præsidib. ID.*

(d) De *Thesaurensib.* dixi *ad d. l.* 14. *ID.*

(e) Triumphalis dextera, *l.* 14. *de annon. ciu.* [*l.* 16. *de muril.*] *ID.*

(f) *Condonare*, pro simplici, *donare*: vid. *Gl. Th. ID.*

COMMENTARIVS.

De Probatione seu Promotione Officialium diuersorum sunt hæ tres Theodosii Iun. per orientem *leges*. Quæ vnius eiusdemque constitutionis partes sunt, ad diuersos tantum Magistratus, eodem alicubi exemplo, seu iisdem sæpe verbis, quatenus ad cuiusque *iudicationem* (vt hæ *leges* loquuntur) iurisdictionem, res ea pertineret, emissæ: ad Præfectum inquam Prætorio ad Præf. V. & ad Comitem S. L. Nempe ad Comitem inquam S. L. *lex vlt.* de Comite Thesaurorum & Thesaurensib. qui sane sub eius dispositione & officio fuerunt: Ad Præf. Vrb. *lex* 22. de Actuariis Thymelæ & equorum curulium, suariis, Optionibus per Regiones vrbis Constantinopolitanæ: quia & hi omnes sub dispositione Præfecti Vrb. Constantinopol. fuerunt. Ad Præfectum Prætorio *lex* 21. quia in ea agitur de Officialibus Præfecti Prætorio Rectorum Prouinciarum, Spectabilium (puta Proconsulis Asiæ Comitis Orientis, Præfecti Augustalis, Vicariorum) idem de Irenarchis, Actuariis & Cornicularis tam Classium Vrbis Constantinopol. quam Thymelæ & equorum Curulium ciuitatum diuersarum: quæ omnia officia ad eius dispositionem pertinuerunt: Ac nominatim *Thymelæ & equorum curulium* cura per diuersas ciuitates Orientalis Præfecturæ: (sicut ad Thymelæ & equorum Curulium vrbis, ipsius Constantinopol.) imo & Classium vrbis Constantinopolitanæ: quæ vt ex *hac l.* colligitur ad dispositionem Præfecti V. non pertinuerunt; verum ad Præfecti P. vtpote quæ com-

commeantibus in Orientem & Ægyptum, qoæ sub dispositione Præfecti Prætorio erant, destinatæ essent. Quæ quidem omnia notatu digoissima sunt, vt quæ alibi vix occurrant. Vt & ordo Magistratuum Spectabilium, qui recensentur *l. 21.* ad eandem plane seriem qoa in *Notitia Imperii.* Deoique & nomina illa diuersa Officialium, & Officiorum, quæ alibi pariter non occurrunt: Nempe Actuarii, & Cornicularii Classium Vrbis Constantinopol. Thymelæ, equorum curulium tam in vrbe Constantinopolitana, quam in ciuitatibus diuarsis: Item Optiones per omnes Regiooes vrbis Constantinop. De quibus videndum est, nam de Irenarchis Suariis, & Thesaurensibus, suis *locis* & *titulis* egimus, vel agemus, quos in *notis* indicaui.

De *classibus* primum. Classes igitur vrbis Constantinop. hic memorantur, quæ scilicet anaonam ex Ægypto & Oriente Coostantiaopolim aducherent: de Orientalibus oauarchis est *lex 7. 14. 32. infr. de Nauicular.* de Ægypciacis *l. 7. 14 18. 20. 33. d. tit.* seu de Alexandrinis: vnde Alexandrinus stolus, *d. l. 7.* seu Alexandrina classis, *d. l. 32.* de quo plene dicam ad *l. 7. infr. de nauicular.* etiam ex Eunapio, Themistio, veteri Orbis descriptione, Claudiano. Ergo harum classium Actuarii & Cornicularii quidam fuerunt. Actuarii inquam proculdubio, qui Susceptorum seu annonæ ad vrbem Constantinopol. subuectæ ex Oriente vel Ægypto rationes conficiebant. Nam & hoc alias Actuariorum muneris fuit rationes conficere, de quo *sup. tit. de Numerar. Actuariis.* Cornicularii vero classium Vrbis Constantinop. qui, vt existimo, Præfecto Prætorio ius dicente super classibus Vrbis Constantinopol. cornibus Secretarii præsto erant: nam & hoc in commune Cornicularii officium fuit, ad cornu Secretarii Iudicum præsto esse de quo ad *l. 10. sup. de cohortal.* Et hæc de Classibus Vrbis Constantinopol. earum Actuariis & Cornicula- riis.

Eademque ratio fuisse videtur Actuariorum Thymelæ, id est, Scenicorum seu Scenicæ artis: ex quibus qui per Regiones Vrbis Constaotinopol. erant, Præfecti V. dispositioni suberant: qui per ciuitates diuersas, sub Præfecti Prætorio vt ex *l. 21.* & *22.* collatiooe constat. De Thymela, & Thymelicis dixi plene *inf. tit. de Scenicis.*

Hinc interim apparet, quanta fuerit tum temporis in Oriente harum Scenicarum voluptatum copia, curaque; quæ peculiares Actuarios & Cornicularios babuerint: sicuti per Africam Tribunus *Voluptatum* peculiaris fuit: de quo *l. vlt. infr. de scan.* His adde & Circensium Voluptatum, seu equorum Curulium Actuarios, tam in vrbe Constantinopolitana, quam in aliis ciuitatibus, de quibus equis curulib. *inf. tit. peculiari lib. 15.* Adduntur & *l. 22.* Suarii, & Optiones per omnes regiones Vrbis Constantinop.

De *Suariis*, id est, de his qui porcinam carnem suscipiebaot, atque in populum diuidebant, est *infr. tit. 4. de suariis, lib. 14.* Optiones vero non alii sunt quam erogatores annonæ militaris, de quibus dixi plene *ad l. 1. sup. de erogat. militar. annon.* Ergo Optiones par regiones Vrbis Constantinopolitanæ proculdubio fuerunt, qui annonam in milites vrbanos erogabant, per omnes regiones vrbis: de quibus Regionibus, vide *veterem Vrbis Constantinopolitana descriptionem* præfixam *Notit. Imper.* & apud *Gyllium*, vbi tamen nulla horum mentio fit. De his ergo omnibus id cauetur, eos probandos, seu promouendos a Principe, probatoria e sacris scriniis emissa. Perperam vero ex his duabus *legib.* colligebat vir doctus Iuretus in Symmachum *lib. 6. ep. 33.* ludorum Artifices ex variis Regionibus educi, Romamque mitti solitos.

P.589

DE EXSECVTORIBVS ET EXACTIONIBVS.

TITVLVS VIII.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. LXI. *De executorib. & exactorib.* Concordat huic omnino titulus *7. lib. XI. de exactionibus*: quo etiam duæ leges *huius tit.* repetuntur: Quod inter errores Conditorum *huius Codicis* quoque deputo. Cæterum tres *hoc Titulo* Constitutiones ad ECCLESIASTICAM Historiam spectantes continentur. Valentiniani Sen. *lex 1.* Valentiniani Iun. *lex 3.* Honorii *lex 8.* *GOTHOFREDVS.* Inscriptio Tituli huius in Cod. Wurceburg. conuenit cum Cod. Iust. Cod. Gothan. legit. *De Exsecutoribus & Exactoribus*, quam lectionem etiam habet Codex vnus, quo vsus est Sichardus. Breuiarium legis Rom. Gvelferbyt. *De adsecutoribus & actoribus* habet, quod sensu caret. *RITTER.*

PARATITLON.

EXSECVTORES *Rubr. huius tituli*, & *l. 4. h. t.* sunt, quibus exactio, *Rubr.* & *l. 4. h. t.* (qui & ideo quoque EXACTORES, *l. 6. 7. h. t.*) commissa erat, seu a quibus exactio celebrabatur, *l. 5. h. t.* vel executio, siue debiti publici *l. 3.* & *4. h. t.* publi- carum

carum necessitatum, *d. l. 3. 4.* & *5. h. t.* fiscalium commodorum, *l. 8. h. t.* debitorum publicorum, *l. 10. h. t.* cuiuslibet tituli, *l. 7. h.t.* id est siue sint ea sacris largitionibus inferenda, siue quid res priuata Principis desideret, vel si quod subsidium publicarum necessitatum PP per apparitionem suam Arcæ nomine deposcat, *l. 5. h. t.* cuiusmodi erant Compulsores, Admonitores, Portitoresue præcepti, *l. 7. h. t.* Apparitores, *l. 2. 4. 5. h. t.* Inlustrium Virorum, *l. 6. h. t.* Illustrium Potestatum, *l. 7. h. t.* (puta Præfecti Prætorio, *l. 4. 5. 9. h. t.* seu ex Prætoriano officio, *l. 9. h. t.*) Palatini, *l. 4. 7. h. t.* Domesticus, Protector, Strator, Agens in rebus, *l. 4. h. t.* Palatinus exactor, *l. 6. h. t.* vtriusque Officii, *l. 4. h. t.* id est, Comitum S. L. & R. P. *l. 5. 9. h. t.* vel quæcumque Apparitio, *l. 9. h. t.* siue priuati negotii, *l. 4. h. t.* litigiorum priuatorum: *l. 8. h. t.* priuatorum debitorum, *l. vlt. h. t.* Iidem & Intercessores dicti, *l. 1. de pignoribus:* & intercessio, pro exactione, *l. 1. de lucris offic. l. 4 de Princip. Agentium.*

De his vero quinque capita *hoc titulo* continentur. Primo, Quinam Executores & Exactores, & vnde sumi possint? Scilicet non ex ea prouincia, vnde quis oriundus est, vel in qua larem conlocauerit, *l. 4. h. t.* Item ipsa exactio facienda ab officiis Rectorum prouinciarum (quamlibet alii Compulsores & Susceptores missi fuerint) *l. 5. h. t.* Secundo Mandati fines diligenter seruandos, *l. 7. h. t.* Tertio, non alium pro alio exigendum, *l. vlt. h. t.* Quarto, extra ordinem missos Exactores intra anni metas collectis ratiociniis remeare oportere, & Iudici efficaciam suam ostendere, *l. 9. h. t.* Quinto, executio nulla Officialibus absque adnotatione Principis [Officii] mandari potest: *l. 1. 3. 4. de Princip. Agent.* Postremo, quo tempore executio & exactio fieri non possit: Christianorum, solis die seu Dominico, *l. 1.* & *3. h. t.* Iudæorum, die Sabbathi, & reliquis, sub tempore quo Iudæi cultus sui reuerentiam seruant, *l. 8. h. t.* Reliqua petantur ex *titulo de exactionib. 7. infr. lib. 11.*

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Florianum Consularem (b) Venetiæ.

DIE Solis, (qui dudum (c) faustus habetur,) neminem Christianum ab Exactoribus volumus conuenniri; contra eos, qui id facere ausi sint, (d) hoc nostri statuti interdicto (e) periculum sancientes. Dat. XI. Kal. Maii, Triueris, Valentiniano & Valente AA. (f) CONSS.

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Concordat huic, *lex 3. inf.* Repetita autem vtraque & hæc *lex* & *d. l. 3. lege* 10. & 13. *tit. de exactionib. 7. inf. lib.* 11. GOTHOFR.

(b) Quid si reponamus, *Comitem rei priuatæ*, vt *l. 11. infr. de exactionibus?* Qui idem Florianus comes est, cui inscribitur A. 373. *lex* 10. 11. *inf. de accusat. lex* 8. *inf. de famos. libellis.* IDEM.

p.590 (c) Iam inde a Constantino M. si feriarum *Iudiciariarum* rationem spectes: vide *l. 1. sup. de feriis:* iam olim enim solemnis is dies semper inter Christianos fuit. *ID.*

(d) Sunt, *d. l. 10.* *ID.*

(e) Abest hæc vox a *d. l. 10.* *ID.*

(f) II. id est, An D. 368. quo sane anno Valentinianus Senior *Treuiris* constitit, vt ex Consularib. Theod. constare potest & Ammiano Marcellino *lib. 27. c. 8.* & 10. neque enim Anno 365. ibi constitit: Possis quoque referre ad III. COSS. id est. A. 370. vel *IV.* i. e. 371. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

SOLIS DIE exactiones fieri prohibet *hac l.* Valentinianus Sen. A. D. 368. vel 370. vel 373. quæ repetita extat *l. 10. inf. de exactionib.* cui etiam concordat Valentiniani Iunioris *lex 3. infr.* (quæ & ipsa repetita est *l. 13. d. t. de exactionib.*) Exactiones inquam publicas: eo enim pertinet hæc *lex:* quod patet ex ipsius *legis* verbis ibi, *ab Exactoribus*, iuncta Inscriptione, *ad Florianum Comitem rei priuatæ*, quomodo Inscriptionem restituendam quis non immerito credat: & quia de priuatis debitis & exactionibus iam constabat ex Constantini M. *l. 2. Cod. Iust. de feriis:* & *l. 1. sup. de feriis.* Quas Constantini M. constitutiones etiam hic Valentinianus indicare videtur, cum ait, *diem solis* DVDVM FAVSTVM *haberi:* vbi & *faustum* vocat, a quo infausta iurgia, & exactiones abesse oportet. Eoque sensu dies solis DVDVM FAVSTVS habitus: alioquin enim etiam ante Constantinum M. inde a nascentis Ecclesiæ primordiis dies hic solemnis inter Christianos habitus, & conuentibus precibusque celebratus: de quo alibi. Priuatæ igitur primum actiones exactionesque a Constantino M. die Solis prohibitæ, quo pertinent apertissima verba *legis* illius 1. *de feriis. Altercantibus iurgiis & noxiis* PARTIVM *contentionibus* [an *conuentionibus* vt *leg. 3. h. t.*] *occupari indignissimum videbatur.* Atenim Valen-

Valentinianus Sen. iam publicas quoque exactiones die Solis vetat *hac l.*

Neque id tamen indistincte, verum nominatim respectu ad Christianos; quare & Paganos & Iudæos eo die exigi siuerit Valentinianus Sen. Post quem demum Valentinianus Iun. *l. 3. inf. h. t.* omnes exigi vetuit, Iudæos etiam & Paganos. *Debitum*, inquit, *publicum priuatumque* NVLLVS *efflagitet:* Hac proculdubio ratione, quod nil intersit, cuius hominis exactione faustus dies & religiosus violetur. Sane Honorius postea Iudæos die quoque Sabbathi & reliquis cultus Iudaici exigi vetuit, *l. 8. inf.* Atque hac deinceps distinctione & obseruatione Annales Ecclesiasticos illustrari cupio, in quos alioquin hæc *lex* recte relata est.

Illud addo, Libanium quoque sub Theodosio M. circa A. D. 386. *orat. περὶ τῶν δεσμωτῶν p. 62.* indicare, quosdam dies ab actionibus seu exactionibus immunes fuisse. Quod commode de his & similibus constitutionibus accipi potest, vt *ad eum locum* iam notaui. Illud tandem adiicio si nihil in Inscriptione mutandum, ad *Venetiam*, hanc *legem* Ecclesiasticam pertinere; Ad quam & illud hoc ipso tempore pertinet, quod in Epistola Synodica Romana de *Venetia* memoratur apud Theodoretum, *lib. 2. cap. 22.* & Sozomen. *lib. 6. c. 23.*

II. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Potitum Vic. (b)

QVISQVIS fuerit exhibitus, vsque ad negotii terminum, ab eo cui primum traditus fuerat obseruari eum, Appatitore (c) decernimus. Si qua præsumptione fuerit hæc Mansuetudinis Nostræ posthabita præceptio, Primiscrinio qui iussa temerauerit, quinque librarum auri condemnatione multando. Dat. (d) VIII. Kal. Nouemb. Auxonio & Olybrio CONSS. [379.]

NOTÆ.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. de sportulis & sumptibus in diuersis iudiciis faciendis & de executoribus litium.* Est autem hæc *lex* fugitiua ab hoc *titulo*. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Potito* huic Vicario Vrbis Romæ scilicet inscribitur præterea hoc ipso anno *lex 1. sup. de Princip. agentium in rebus*, *lex 2. sup. de re iudicata*: & A. D. 381. *lex 2. sup. vnde vi. ID.*

(c) *σύγχυσις* hic quam Tribonianus recte euitauit hoc ordine verborum, *ab eo Appatitore, cui primum traditus fuit, obseruari eum decernimus. ID.*

(d) *Dat. Kal. Iul. Mediolani* Cod. Iust. Quod non probo. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE CVSTODIA reorum (de qua suo *titulo*, *inf. lib. 9.*) adductorum, traditorum criminis alicuius per Appatitores pendente iudicio criminali, est hæc siue Gratiani, siue Valentiniani Iun. lex: ab hoc *titulo* fugitiua, quæque melius in *titulum, de custodia reorum*, vel in *tit. de exhibendis reis*, coniecta fuisset: quod ostendunt tres voces inter se collatæ. *Exhibitio* scilicet (de qua *hac l.*) & Comprehensio, & Adductio rei criminis de quo *Paratitlo dict. tit. de exhibend. reis:* Item *Tradendi* vox eodem pertinet: vt docet *lex 1. §. 26. D. de quæstionib. l. 5. infr. de exhibend. & transmittend. reis.* Traditus dicitur, qui criminis reus custodiendus datus erat Apparitori, vt docet vel *lex 1. D. de custod. reor.* & Symmachus *lib. 10. ep. 36.* Denique & *Obseruandi* vox, pro *custodiendi*, eodem pertinet.

Est ergo, quod dixi, hæc *lex* de criminalibus & de custodia reorum criminum, quod Accursius primum suspicatus est, & Baldus mox recte firmauit. Quare neque Tribonianus hanc *leg.* melius posuit sub *titulo de sportulis & sumptibus in diuers. Iudiciis faciendis & Executorib. litium.*

Sententia *huius legis* hæc est. Eundem Apparitorem cui primo traditus fuit reus obseruandus seu custodiendus, deinceps vsque ad negotii criminalis p. 592
terminum, reum custodire oportere, neque alium & nouum ei subinde custodem apponendum. Cuius rei ratio hæc, ni fallor, est, ne videlicet per huiusmodi succedaneas mutationes facile reus elabatur: Et pœnam Primiscrinio quinque librarum auri imponit Imp. si hæc iussa temerauerit. Nempe *Primiscrinius*, qui in officio variorum Magistratuum erat, vt docet Notitia *Imperii*, fuit nominatim tum in officio Præfecti Vrbis, de quo vide *l. vlt. inf. de Suariis:* Symmachum, *lib. 10. ep. 47.* & Auctarii *ep. 21.* tum quoque in officio Vicarii vrbis, vt ostendis dicta *lex vlt. inf de Suariis:* quo & hæc *lex* pertinet, quæ muneris eius fuisse docet Apparitores ex officio reis exhibitis custodiendis apponere: de quibus etiam accipi possit *Nouella* Iustin. *de Iudicibus 82. c. 7.* Quod & ipsum de Primiscriniis Præfecti Prætorio apparet ex *l. 4. infr.* nempe ab his Apparitores missos ad exactiones & executiones faciendas. De Primiscriniis in commune dicam ad *d. l. vlt. infr. de Suariis.* Et ita quidem hæc *lex* perspicue intelligenda est, quam *Iustiniani Codicis* Interpretes ferme aut non capiunt, aut turbide exponunt.

III. (a) Idem AAA. (b) ad Principium PF. P. (c)

SOLIS die, quem *Dominicum* (d) rite dixere maiores, (e) omnium omnino litium, negotiorum, conuentionem (f) quiescat intentio: (g) Debitum publicum priuatumque nullus efflagitet: Ne (h) apud ipsos quidem Arbitros (i) (vel in Iudiciis flagitatos,

(k) vel

(k) vel ſponte delectos) (l) vlla ſit agnitio (m) iurgiorum. Et non modo notabilis, (n) verum etiam ſacrilegus iudicetur, qui a Sanctæ religionis inſtituto (o) rituue deflexerit. PP. (p) III. Non. Nouemb. Aquil. Acc. (q) VIII. Kal. Decemb. Rom. Honorio Nobiliſſimo Puero & Euodio V. C. CONSS. [386.]

INTERPRETATIO. *Die Solis* (*qui* Dominicus *merito dicitur,*) (r) *omnium hominum actio conquieſcat, vt nec* (s) *publicum nec priuatum debitum requiratur, nulla iudicia neque publica neque priuata fiant. Quod qui non obſeruauerit, reus ſacrilegii teneatur.* (t)

NOTAE.

(a) Abeſt hæc lex a *Cod. Iuſt.* niſi quod nonnulla hinc infarta in *l. 7. Cod. eod. de feriis.* Repetita vero extat *l. 13. inf. de exactionib.* Eam Baronius in annum ſuum non retulit. Denique concordat huic, *lex 1. ſup.* GOTHOFREDVS.

(b) Ita quoque *d. l. 13.* Atenim reſcribendi hi Imppp. VALENTINIANVS. *Theodoſius, & Arcadius.* ID. Cod. Goth. *Imppp. Gratianus & Valentinianus & Theodoſius*, quomodo & habet antiquus Wurceburg. & omnes impreſſi. Sichardus ſolus edidit *Valentinianus & Valens*, & ad marginem ex alio *Valentinianus Gratianus & Theodoſius.* RITTER.

(c) Italiæ. GOTHOFRED. Nomen *PFP.* etiam in Sichardina corruptum, vbi legitur ad *Præcipuum PFP.* RITTER.

(d) Hoc infartum a Tribon. dictæ *legi 7.* Hemiſtichion porro hic excidit Quæſtori Valentiniani Iun. GOTHOFREDVS.

(e) Cod. Wurceb. *merito dixere maiores*, Sichard. *merito edixere maiores.* Sed Gothan. Cod. *quem Dominicum recte diximus maior eſt omnium omnino* &c. RITTER.

(f) Cod. Goth. *Conuentionumque.* ID.

(g) *Intentio* pro actione: qua voce & hic vtitur Interpres. GOTHOFR.

(h) Infarta hæc quoque *d. legi 7.* ID. Cod. Wurceb. *Nec aput ipſos*, & ita Sichardin. Cod. Iuſt. etiam legit, *vt nec apud ipſos.* Sed Cod. Goth. *ne apud iſtos quidem.* RITTER.

(i) *Arbitrorum* duo genera. Nempe vel in iudiciis flagitati, vel ſponte delecti: Id eſt ex compromiſſo ſumpti, compromiſſarii. GOTHOFREDVS.

(k) Cod. Goth *vel Iudices flagitatos.* Sichardus edidit, *vel e iudiciis flagitatos.* Et Cod. Iuſt. habet, *vel a Iudicibus flagitatos.* RITTER.

(l) Cod. Wurceb. *nec ſponte delectos*, Cod. Goth. *vel ſponte electos*, quomodo etiam habet Cod. Iuſt. ID.

(m) Id eſt *cognitio*, vt ſubſtituit Tribonianus, *d. lege 7.* GOTHOFREDVS. Cod. Goth. *Agnacio iurgiorum.* RITTER.

(n) *Notabilis*, id eſt, *infamis.* vid. *Gl. Th.* GOTHOFR.

(o) *Inſtinctu.* ita *d. l. 13.* IDEM. *Inſtincto ritu deflexerit*, habet Sichardin. Cod. Wurceb. *inſtitutum ritumue deflexerit.* Cod. Gothan. *relegionis inſtitutum ritumque* &c. RITTER.

(p) Pro *Data.* GOTHOFR. Quidam recentior rudis in iure cum non intelligeret, quid eſſet in Cod. Goth. pp ſuperaddidit *populo* quod ſæpius iteratum. Cæterum ſic legit MS. ille: pp. *Data IV. K. Nou. aquilegia. VIII. K. Rome Honorio & Euocio Coſſ.* confuſe. Neque Sichardus intellexit notam. *NBP.* qua vſi ſunt librarii, hinc edidit *Honor. Nep.* Denique *VC.* ab Anianeis MS. & impreſſo abeſt. RITTER.

(q) Hinc ſupplenda ſubſcriptio *dictæ legis 13.* GOTHOFR.

(r) Cod Goth. *diem ſolis qui dominicus dicitur merito.* Recens manus ſupra *τὸ diem* adſcripſit *per.* RITTER.

(s) Cod. Wurceb. *ita vt nec priuatum nec publicum*, ita etiam Cod. Goth. in quo librarius loco *vt nec* ſcripſerat *veniet*, quod ab antiqua manu iam correctum. IDEM.

(t) Additum hic in Edit. quæ in 4to. prodiit gloſſa: *quod eſt violator legis.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE SOLIS die, ſeu Dominico, prohibitaque eo die omni actione, contentione, executione, eſt hæc Valentiniani Iunioris Conſtitutio: quæ repetita extat *l. 13. inf. de exactionib.* cui etiam concordant ad aliquid leges Conſtantini M. puta *lex 2. Cod. Iuſt. de feriis*, & *l. 1. ſup. de feriis*; itemque Valentiniani Sen. *lex 1. ſup. h. t.* ad aliquid inquam: nam hæc noſtra in hoc argumento, omnium pleniſſima & expreſſior eſt: tum ratione cauſæ, tum reſpectu perſonarum agentium, tum ratione iudicum. I. Ratione inquam *Cauſarum:* in quo quidem concordat hæc lex *legi 1. ſup.* nempe vt omnium omnino litium, negotiorum, contentionum, quieſcat intentio actioque, & vt debitum ne quidem publicum eo die efflagitari poſſit. II. Ratione *Perſonarum*, puta vt nullus efflagitare quidquam eo die poſſit a quoquam, etiam a Iudæo ſcilicet vel Pagano, cum antea tamen Chriſtianis tantum hoc priuilegii datum fuiſſet, Valentiniani Sen. Conſtitutione, puta *l. 1. ſup.* III. Tandem & ratione *Iudicum:* Nempe vetat etiam apud Arbitros de vllo iurgio cognoſci, ſiue illi in Iudiciis flagitati, id eſt, a iudicibus ſeu Magiſtratibus petiti (vt ſæpe petiti iis plerisque litium articulis, vt docet *lex 9. D. qui ſatiſdare: l. 2. Cod. Iuſt. de vſuris & fructib. legatorum* & *l. 27. D. de reb. auctor. iud. poſſid.*) ſiue ſponte delecti, id eſt, ex compromiſſo ſumpti (quæ duo *Arbitrorum* genera ſunt) Quod omnium maxime ſingulare eſt: cum alioquin Arbitri via a pacis ſtudio proficiſcatur, ſeu negotium pacis ſit; quod vtique a Dominicæ diei religione & ſanctimonia tantum abeſt abhorrere videatur, vt contra ad eam maxime accedat. Sane Leo Imp. poſtea in *l. vlt. Cod. Iuſt. de feriis*, id admiſiſſe videtur: *Dominico*, inquit, *die reſpirent a controuerſiis litigantes & habeant fœderis interuallum, ad ſeſe ſimul veniant aduer-*

sarii non timentes, subeat animos vicaria pœnitudo, pacta conferant, Transactiones loquantur. Verum id Valentiniano Iun. *hac l.* ita visum, quod vel sola de iurgiis cognitio, quæ neque sine iurgio esse ferme potest; ab eius diei veneratione eatenus aliena videratur, quod eo die totæ Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur, (occuparique debeant) vt loquitur Theodosius Iun. *l. vlt. inf. de spectaculis.* Quare & *sacrilegii* crimen pœnamque hoc facto iocurri vult. Nempe ne tantillum quidem ab officio pietatis cultuque Christianos eo die abduci voluit, seu (vt ipse loqoitur) *a sanctæ religionis instituto* vel *instinctu, rituue,* instituto, vt habet hæc *lex:* id est, sacta præceptione
P. 592 & traditione incorrupta: quo ipso sensu vox hæc accipienda *l. 1. 2. Ne Sanctum Bapt.* quomodo & *Institutionis* vox effertur *l. 45. de hæreticis.* Instinctu, vt habet *d. lex 13. inf. de exactionib.* id est, deuotione. Neque dubito, quin Iustinæ matris impulsu Valentinianus Iun. hæc sanxerit, cui hoc tempore is obnoxius erat.

Illud obseruandum hanc *legem* dici *Acceptam Romæ.* Et sic Valentinianum Ion. hanc *legem* dixisse Religioni diei Dominicæ, quæ Romæ celebrabatur, & sic sanctitatem eius diei hac Sanctione sanxisse Romæ: quo tempore *Siricius* Papa erat.

Obiter quoque obseruandum, quod ait, *Solis die, quem Dominicum rite dixere Maiores* (hemistichio, quod etiam Triboniano infarcite visum *legi 7. Cod. Iust. de feriis*) scilicet etsi solis diem Christiani dicere perseuerauerint etiam sub Impp. Christianis, attamen iam olim quoque *Dominici* diei appellatio Christianis placuit, non iam dico *Syluestro*, quod faciunt nonnulli, verum inde ab Apostolicis temporibus, & deinceps: videnda saltem Apocalypsis *c. 1. v. 10.* Ignatius *ad Trallianos, ep. 2.* Hippolytus *Ep. Canone Paschal. pag. 40. edit. Fabricii.*

ΕΤΕΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ
ΤΩ Α. ΑΡΧΗ
ΑΙ ΚΥΡΙΑΚΑΙ ΤΟΥ ΠΑΣΧΑ ΚΑΤΑ ΕΤΟΣ.

Item *pag. 38.*

ΑΠΟΝΗΣΤΙΖΕΣΘΑΙ ΔΕ ΔΕΙ ΟΤΑΝ ΕΝΠΕΣΗ ΚΥΡΙΑΚΗ.

IIII. (a) Idem AAA. (b) ad Eusignium PF. P.

NVLLVS Apparitor Amplitudinis (c) Tuæ, vel de Officiis Palatinis, (d) ad eam prouinciam ex qua oriundus est, vel in qua conlocauerit larem, (e) obtemptu publicæ necessitatis, vel exsecutor priuati negotii, dirigatur: Etenim Officii Celsitudinis Tuæ Primiscrinius (f) tres libras auri fisci vtilitatibus sine dilatione persoluet, si statuta fuerint temerata; Apparitor vero qui huic se muneri passus est deputari, solutus (g) militia, Mancipum (h) corpori sociabitur. Hæc vero pœna etiam ceteris inrogata est, vt si Domesticus (i) aut Protector, Strator, (k) vel Agens (l) in rebus, vel Palatinus vtriusque (m) officii, vel ad eam (n) prouinciam, in qua natus est, vel ad eam in qua conlocarit larem, cum huiusmodi vsurpatione perrexerit, matriculis quidem exemptus ipse qui se voluit (o) mitti auri libram vnam fisci viribus (p) inferre cogetur. (q) Adiutores (r) vero officiorum (s) Palatinorum, ac Numerarii (t) Comitum inlustrium virorum, siue Actuarii, libram fisci viribus (v) soluant, nisi statuta fuerint custodita. Dat. III. (x) Non. Decemb. Mediol. Honorio Nobilissimo Puero & Euodio. V. C. CONSS. [386.]

NOTAE.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. de diuers. officiis.* GOTHOFRED.

(b) Rescribendi VALENTINIANVS *Theodosius & Arcadius.* Vid. *not. b. leg. antecedent. & Chronolog.* RITTER.

(c) Præfecti Prætorio. GOTHOFREDVS.

(d) An vtriusque officii vt *inf.* id est Comitis S. L. & R. P. An vero Palatinis quæ sub Magistro officiorum fuerunt? ID.

(e) *Vel qui iam in huiusmodi officio fuerit commoratus* addit *Cod. Iust.* ex *l. 8. Cod. eod. de offic. Rector. prou.* quæ hoc ipso Anno data dicitur. ID.

(f) *Primiscrinii* huius Præfecti P. nulla fit in *Notitia Imperii* mentio: de Primiscriniis dixi ad *l. 2. sup. h. t.* ID.

(g) *Militia spoliabitur,* ita Cod Iust. neglectis illis de *mancipatu.* ID.

(h) Vide *l. 9. 16. 19. sup. de diuers. officiis.* ID.

(i) De *Domesticis & Protectoribus*, fuit *supra, tit. lib. 6.* IDEM.

(k) *Aut Strator,* Cod. Iust. de *Stratoribus* fuit *sup. tit. lib. 6.* ID.

(l) De *Agentib. in rebus*, & eorum *Principibus* fuerunt *sup. lib. 6.* duo *Tituli.* ID.

(m) Id est Comitis S. L. & R. P. de quibus *lib. 6. suo tit.* IDEM.

(n) *Eandem,* Cod. Iust. ID.

(o) *Voluerit,* Cod. Iust. RITTER.

(p) *Iuribus,* Cod. Iust. ID.

(q) *Cogatur,* Cod Iust. ID.

(r) De *Adiutoribus* dixi ad *l. 10. sup. de cohortalib.* GOTHOFR.

(s) Id est, quæ sub Magistro officiorum fuerunt. Male, *Cod. Iust. officiorum & Palatinorum.* ID.

(t) De

(t) De *Numerariis* & *Actuariis* suo *titulo sup.* 1. *hoc lib.* *ID.*

(v) *Librum auri fisci iuribus.* Cod. Iust. *RITTER.*

(x) *II. Cod. Iust.* *GOTHOFR.*

COMMENTARIVS.

IN PROVINCIA sua Executio cuiquam demandari vetatur, hac Valentiniani Iun. Constitutione A. D. 386. Quomodo & prouinciæ suæ administratio, vel in prouincia sua adsidere olim prohibitum, propter notissimam potentatus rationem, de quo *alibi* iam sæpe. In prouincia, inquam, sua, siue quis ex ea oriundus sit, siue in ea larem collocauit; id est, siue eius municeps sit, siue incola. Quæ quidem breuis *huius legis* sententia est, in qua tria tantum notanda sunt.

Primo varia officiorum nomina & genera, numero sex, quibus executio olim in prouinciis mandari solita, quique missionibus patebant; Numerantur scilicet inter eos, 1. *Apparitores* Præfectorum Prætorio, 2. Domestici, 3. Protectores, de quo vide *Paratitlon de Domest. & Protect.* & *l. 27. sup. de erogat. milit. ann.* 4. Stratores, qui scilicet ad probandos equos mittebantur; de quo *l. vn. sup. de Strator.* 5. Agentes in rebus, qui missionib. Principis parebant, de *quibus suo tit.* 6. Palatini vtriusque officii, id est, Comitis S. L. & R. P. de quibus *suo* quoque *titulo*.

Secundo indicantur *hac l.* & ii quibus executionis & missionis rite demandandæ cura incumbebat: nempe 1. *Primiscrinius* Præfecti Prætorio, de quo ad *l. 2. sup.* 2. Adiutores officiorum Palatinorum, de quibus dixi ad *l. 10. sup. de cohortalib.* id est, P. 593 Officiorum, qui sub Magistro officiorum erant. 3. Numerarii siue Actuarii Comitum S. L. & R. P. de quibus *sup. Paratulo de Numerar. Actuar.*

Tertio loco Pœnæ obseruandæ, quas Valentinianus Iun. *hac l.* vtrisque comminatur tam Executoribus in prouinciam suam missis, quam id fieri patientibus: & quidem eo grauiores, quo maioris auctoritatis vtrique essent. Tanto conspectius in se crimen habet, quanto maior qui peccat habetur: Nempe iubetur Apparitor Præfecti Prætorio mitti se patiens militia sua solui & Mancipum corpori sociari (de qua pœna dixi ad *l. 9. 16. 19. sup. de diuers. off.*) Primiscrinio vero Præfecti Prætorio (quem hic Græci Πριμικήριον vocant, trium librarum auri pœna imponitur, si statuta hæc temerata fuerint: de quo Primiscrinio eiusque officio dixi ad *l. 2. sup. h. t.* & *ad l. vlt. infr. de Suariis.* Cæteris vero tam missis quam missi patientibus vnius tantum libræ auri pœna imponitur.

V. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Dextro PF. P. (b)

SIva a Palatinis (c) petantur, quæ sunt Sacris Largitionibus inferenda, siue quid res priuata nostra desideret, vel si quod subsidium publicarum necessitatum (d) Magnificentia Tua per Apparitionem suam arcæ (e) nomine deposcit, remota exigentium permixtione, per Rectorem prouinciæ, instantibus Officiis memoratis, exactionem celebrari decernimus: qui ad se intelligit (f) vel desidiæ inuidiam vel industriæ gloriam pertinere. Dat. XVII. Kalend. Iun. (g) Med. Olybrio & Probino CONSS. [395.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* prælata *l. prox. infr.* quæ *huic* iungenda est. *GOTHOFR.*

(b) *Dexter* PP. sub Honorio Imp. Italiæ scilicet cui Dextero PP. plures aliæ *leges* inscribuntur hoc ipso Anno. Mentio quoque eius apud Hieronymum 2. *apol. adu. Rufinum pag.* 151. *Tom. II. Oper. edit. Francf. Genschian.* *Ante annos ferme decem*, inquit, *cum Dexter amicus meus qui Præfecturam administrauit Prætorii, me rogasset &c.* Hic ille est cui idem *Librum de Scriptorib. Eccles.* petenti inscripsit. *ID.*

(c) Sacrarum Largitionum & rei priuatæ: vtriusque officii, vt vocantur *l. 4. supr.* de quibus suo *tit. sup. de Palatinis.* *ID.*

(d) Ita principales necessitates, *l. 11. inf. de Excutionibus.* *ID.*

(e) Præfecti Prætorio: de qua *Arca* vide quoque *l. 3. 6. 9. 16. 17. infr. de indulg. debitor.* & Synesium *ep.* 127. & *Nouellam* Maioriani *de Curial lib.* 1. & *de indulgent. reliquorum* 4. & *l. 6. Cod. Iust. de exactorib. tributorum.* Dixi plenius ad *l. 14. inf. de Susceptorib.* *IDEM.*

(f) Pro, *intelligere debet.* *ID.*

(g) Iul. *l. prox.* *ID.*

VI. (a) Idem AA. ad Prouinciales, & ad Proconsules. (b)

NE per diuersas Prouinciarum partes, aut Palatinus exactor accederet, aut Inlustrium (c) virorum Apparitor vagaretur, vel Militaris terror inferret formidinem, hac lege sancimus, Vt omnis (d) memoratis intentio ad Prouinciæ Rectorem fit, cum (e) eo agant, illo insistente, disponente, atque (f) agnoscente suo periculo rem peragendam compleant vniuersa. Dat. XVII. Kalend. Iul. (g) Med. Olybrio & Probino CONSS. [395.]

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iust. de Executorib.* Iungenda autem huic, *lex superior*. *GOTHOFR.*

(b) Atquin in Occidente, cuius Imp. fuit Honorius vnus tantum Proconsul, Africæ scilicet fuit. *IDEM.*

(c) Præfecti Prætorio. *ID.*

(d) *Vt omnes memorati intenti sint*, &c. ita Tribonianus. Verum locus hic sanus est: *Omnis intentio memoratis sit ad prouinciæ Rectorem.* Quomodo & in Bibliis, *Ad virum tuum erit desiderium tuum.* Item Caini; *Ad te desiderium illius, tu dominaberis ei.* *ID.*

(e) *Et cum eo*, Cod. Iust. *RITTER.*

(f) *Et agnoscente & suo periculo rem peragant & impleant vniuersa.* Cod. Iust. *IDEM.*

(g) Iun. *l. sup.* *GOTHOFR*

COMMENTARIVS.

RECTORIBVS prouinciarum omnem Exactionis curam suo periculo iniungit Honorius Imp. *hac* vtraque *lege* (quæ ad diuersos super eadem re datæ inter se coniungendæ sunt) & rursum *l. 6. Cod. Iust. de Exactorib. tribut.* Siue de sacris largitionibus, siue de rebus priuatis agatur, siue denique de his quæ Arcæ Præfecti Prætorio debentur (de quibus postremis dicam ad *l. 14. infr. de Susceptorib.*) Palatinos equidem a Comite S. L. & R. P. vi & Apparitores Præfectianos a PP. mitti in prouincias patitur, sed hactenus, vt Exactores illi Rectori prouinciæ immineant, instent, & vt loquitur hæc lex, *omnis memoratis intentio ad Prouinciæ Rectorem sit:* cum illo agant, illo insistente [exactione] disponente & agnoscente suo periculo rem agendam impleant vniuerse: non vt ipsi exigant. Cuius rei rationem vtraque *lex* indicat, ad exigentium scilicet permixtionem euitandam ait *lex 5.* ex qua vtique enascitur vel confusio, vel prouincialium miserorum concussio: quod etiam *l. 6.* eleganter ita effert, ne per diuersas prouinciarum partes aut Palatinus exactor accedat, aut Illustrium virorum Apparitor vagetur, vel militaris terror inferat formidinem. Et hæc ita quidem *hac l.* Honorius, cum tamen rei priuatæ exactionem Rectoribus Prouinciæ ademerit Valentinianus Sen. *l. 11. inf. de exactionib.* Sane Præfectiani sæpe ab exactione sub- P. 594 moti, veluti a Valentiniano Sen. *l. vn. infr. tit.* *Ne Præfectianus exactoris fungatur officio:* a Maioriano *Nouella 4. de indulg. reliquorum;* vbi eius rei ratio his *legibus* conueniens pluribus eleganter edisseritur, de quo ad *d. l. vn.* plenius.

VII. (a) Idem AA. Andromacho P. V. (b)

QVICVNQVE e Palatio nostro, cuiuslibet tituli ad prouinciam (c) conmearit Conpulsor, (d) Exactor, Admonitor, portitorue (e) præcepti, Agens (f) in rebus, vel Palatinus, (g) vel Apparitor Inlustrium (h) potestatum, hoc tantum potestatis arripiat, quod mandatum curæ (i) suæ specialiter adprobatur, nec (k) quod iniunctum alteri fuit, (l) collegii iure præsumat: (m) ne, dum hoc sibi inuicem, mutui officii licentia, partiuntur, agant cuncti quod singulis credebatur; & cetera. Data Prid. Id. (n) Iul. Med. Olybrio & Probino CONSS. [395.]

NOTAE.

(a) *L. 2. Cod Iust. dict. eod. tit.* Iungenda autem *huic*, est *lex 3. sup. de commeatu*: & *lex 6. sup. de cognitorib. & procuratorib.* *GOTHOFR.*

(b) *Andromachus* sub Honorio Imp. in septem *legibus*, & sic omnibus ad eum datis dicitur *P V.* sed malim *P P.* *IDEM.*

(c) *Prouincias, Cod. Iust.* *ID.*

(d) De *Compulsore* dixi ad *l. 34. inf. de annona & tributis.* *ID.*

(e) *Gerulis* vide *l. 4. inf. ne quid publ. lætitiæ.* *ID.*

(f) De Agentibus in rebus *suo titulo.* *ID.*

(g) Comitis S. L. & R. P. de quo suo *tit.* *ID.*

(h) Id est Præfecti Prætorio. *IDEM.*

(i) *Curiæ*, male in vulgat. Cod. Iust quod a Cuiacio mutatum. *RITTER.*

(k) *Ne quod*, Cod Iust. *GOTHOFR.*

(l) *Fuerit*, Cod. Iust. *IDEM.*

(m) *Præsumant*, Cod. Iust. *IDEM.*

(n) *Prid. Non. Iun.* d. l. 3. *prid. Non. Iul.* d. l. 6. *ID.*

COMMENTARIVS.

ΑΛΛΟΤΡΙΟΠΡΑΓΜΟΝΙΑ Palatinorum & Officialium Comitis S. L. & R. P. vel etiam Præfecti Prætorio occurrit *hac l.* Honorius Imp. quæ pars est prolixioris constitutionis Honorianæ, vnde desumpta est præterea *lex 3. sup. de commeatu* & *lex 6. sup. de cognitorib. & procurat.* quæ proinde huic *legi* coassandæ veniunt: qua constitutione Honorius in vniuersum ἀλλοτριοπραγμονίᾳ Palatinorum & Officialium *hac l.* & Militum occurrendum putauit, *d. l. 3.* & *6.* nisi & hæ ipsæ *leges* de Palatinis

tinis & Officialibus quoque accipiendæ sint. Nempe *d. l. 6.* prohibet Honorius, militantum aliquem fieri susceptorem defensoremque causarum, & ad cognitionem alieni iurgii suffragitorum accedere. Et *d. l. 5.* vetat eum, qui vacationem seu commeatum impetrauit, aliquid necessitatis sibi vsurpare, & aliquorum actibus se miscere, aliquid inter prouinciam agere.

Ergo & *hac l.* vetat Honorius Imp. a Palatio missum in prouinciam ad exactionem alicuius tituli, compulsionem, &c. item Agentem in rebus, Officialem Comitis S. L. & R. P. & Apparitorem Præfecti Prætorio aliud quidquam agere quam quod fidei suæ commissum est; sic vt ne quidem quod collegæ forte suo iniunctum est, præsumere possit: addita ratione, quæ nimis *pol* vera est, *ne dum hoc sibi inuicem mutui officii licentia partiuntur, agant cuncti quod singulis credebatur.* Distincta munia cuiusque esse oportet, ne alioquin iniuriarum occasio inde enascatur, & tumultus plena omnia sint, denique actus sui & administrationis quemquam sui memorem & executorem esse oportet, non ἀλλοτριοπράγμονα.

VIII. (a) Impp. Honorius & Theodosius AA. Ioanni PF. P. (b) Post alia.

Die Sabbato, (c) ac reliquis, sub tempore quo Iudæi cultus sui reuerentiam seruant, neminem aut facere aliquid vlla (d) ex parte conueniri debere præcipimus, cum fiscalibus commodis & litigiis priuatorum constet (e) reliquos dies posse sufficere; & cetera. Dat. VII. (f) Kalend. August. Rauenn. Honorio VIII. (g) & Theodosio III. AA. conss.

NOTAE.

(a) *Lex 13 Cod. Iust. de Iudæis.* Repetita totidem verbis *l. vlt. sup. de feriis*: vbi dicta sufficiunt, quæque etiam hac alicubi emendatior est: Iungendaque huic *lex 20. inf. de Iudæis.* GOTHOFREDVS.

(b) *Iouio PP.* Cod. Iust. alii *Iouiano* vid. not. b. *d. l. vlt. de fer.* recte Cod. Gothan. *Iohanni.* RITTER.

(c) Sabbathi *d. l. vlt.* & *d. l. 13.* Cod. Iust. GOTHOFR.

(d) *Aut vlla,* &c. ita *d. l. vlt.* & *d. l. 13. C. I.* recte. IDEM.

(e) *Constat, d. l. vlt.* male. ID. *Constet* d. l. 13. C. Iust. RITTER.

(f) Abest *nota numeralis* a d. l. 13. Cod. Iust. IDEM.

(g) *γρ.* IX. & *Theodosio* V. id est A. D. 412. vt ostendi ad *d. l. vlt.* GOTHOFREDVS.

P. 595 IX. (a) Idem AA. Palladio PF. P. (b)

Siue ex Prætoriano officio, (c) siue Inlustris Comitiuæ sedis (d) largitionum, necnon & rei priuatæ nostræ; (e) vel ex quacunque Apparitione ad quamcunque necessitatem profligandam quis fuerit destinatus, (f) sciat, (g) intra anni metas debere collectis (h) ratiociniis ad proprium (i) Iudicem remeare, eique suam efficaciam (k) ostendere, *Quid* (l) *eius instantia exactum fuerit. quidue in debitis* (m) *habetur, vel penes quos resederit,* vel *cuius culpa aut* (n) *causa in eadem prouincia fuerit derelictum.* Quod si, exacto spatio anni, (o) eius Regionis visceribus prædator insidens (p) deprehensus fuerit remorari, tunc absolutus cingulo, militia (q) abicietur; Primoribus eiusdem (r) militiæ decem librarum auri multa proposita. Sin (s) redire dissimulet, (t) ligatus ferreis (v) nexibus cura Prouincialis Officii sub (x) elogio ad debitum mittatur examen; Nec ei liberum sit, vt hoc se priuilegio aut occasione defendat, quod sibi aliud negotium vel aliam necessitatem post iniunctam esse causetur, cum hisdem licentiam auferamus in eadem Prouinciis iterare (y) exactionem; & cetera. Dat. X. Kal. Octob. Rauenn. (z) DN. Theodosio A. VII. & Palladio conss. [416.]

NOTAE.

(a) *Lex 9. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Palladius* sub Honorio, vid *Prosopogr.* ID.

(c) Præfecti Prætorio. IDEM.

(d) *Sacrarum Largitionum,* Cod. Iust. RITTER.

(e) *Militiæ* in Cod. Iust. hic additum. ID.

(f) In prouinciam. seu Regionem *inf. vers. quod si.* GOTHOFR.

(g) *Sciat se,* vulgat. Cod. Iust. RITTER.

 (h) Col-

(h) Collecta ratiocinia. *GOTHOFR.*
(i) Qui eum destinauit, seu misit. *IDEM.*
(k) *Efficacia* vox hac in re propria, vide *l. 33. D. de vsuris.* & mox: *instantia*; sic & *Nouella Valentiniani 15. de Suariis* Diligentiam & efficaciam huic operi commodabunt. *ID.*
(l) *Et quid in eius*, in Cod. Iust. vulgat. editum. *RITTER.*
(m) *In reliquis debitis*, pro reliquis debitorum: vide *Gloss. GOTHOFR.* Cod. Iust. *in debitis habeatur & penes quos* &c. *RITTER.*
(n) *Aut qua*, Cod. Iust. *ID.*
(o) *In eius*, Cod. Iust. *ID.*
(p) *Insidians*, Cod. Iust. quo nil opus. *GOTHOFR.*
(q) *Cingulo militia* Cod Iust. *RITTER.*
(r) *Eius*: Cod. Iust. *GOTHOFR.*
(s) *Si redire*, Cod. Iust. *RITTER.*
(t) *Et per vices officiorum legatus*, &c. ita Tribonianus. *GOTHOFR.*
(v) De his ferreis nexibus & vinculis in exhibendo reo vsitatis, dixi ad *titul. infr. de exhib. reis*: & *l. vn. infr. de Mensis oleariis. IDEM.*
(x) *Sub elogio*, absunt a *Cod. Iust.* Elogium *hic* & *l. 6. D. de custod. reor.* est notoria criminis, de quo nota iam omnia. Isidori Glossæ, *Elogium textum malorum dictorum, quod Notoriam dicunt. ID.*
(y) *Continuare*, Cod. Iust. *IDEM.*
(z) Vrbis nomen abest a Cod. Iust. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

DE TEMPORE Exactionis implendæ, eiusque muneris ITERATIONE (vel, vt maluit Tribon. *continuatione*) est hæc Honorii Imp. Constitutio. Nempe vetat is exigendi alicuius Tituli seu tributi gratia missos ex Officialibus Præfecti Prætorio vel Comitis S. L. aut R. P. vel quoscunque alios Apparitores *vltra annum* in prouincia residere; e contra iubet eum intra anni metas ad ratiocinia reddenda ad Iudicem a quo missus fuit redire, cuius rei rationem indicat expressis verbis: *Quod si exacto spatio anni eius regionis visceribus prædator insidens deprehensus fuerit remorari.* Quod & ipsum de Susceptoribus, siue his, siue aliis, cautum *l. 4. 7. 10. 11. 22. inf. de susceptorib.* qua *leg. 22.* similis ratio redditur, explananda huic; *ne alioquin continuato munere vexandorum prouincialium potestatem Susceptor habeat, & in concussionum dominatione teneatur*, vt *ea l.* dicitur: ad quam plura. Et pœnam comminatur Honorius huiusmodi Temerario, cinguli seu militiæ amissionem: imo & Primoribus eius officii vnde missus est, multam decem librarum auri, eo quod scilicet eius reuocandi curam neglexerint: Imo & si redire dissimulet, id est, nolit, detrectet, renitatur, eum ligarum ferreis vinculis sub Elogio seu Notoria (vt dicitur etiam *l. 31. infr. de Episcopis*:) ad Iudicem suum mitti iubet: de quibus ferreis vinculis in transmittendis reis vide *l. vn. infr. de mensis oleariis.* Sed & Prætextum prædicit: In tantum scilicet intra annum redire vult exactorem, vt obtendere non possit aliud sibi negotium, vel aliam necessitatem post iniunctam. Nempe semel actum hoc munus publicæ disciplinæ sufficit, neque idem munus iterari potest: De Officiis quæ repeti seu iterari non possunt, dixi fuse, deque eius rei ratione *ad l. 2. inf., ad leg. Iul. de Ambitu.*

X. (a) Idem AA. Ioanni PF. P. Post alia.

NVLLAM possessionem alterius pro alienis debitis publicis siue (b) priuatis præcipimus conueniri; & cetera. Dat. v. (c) Idus Iul. Rauennæ, Honorio XIII. & Theodosio X. AA. CONSS. [422.]

NOTAE.

(a) *Lex 4. Cod. Iust. eod. tit.* Iungendæ autem *huic* sunt quinque aliæ puta *lex vn. sup. de officiis* ... *ad potent. translatis*: *lex vn. sup. de pecun. sequestr. lex vn. sup. quod iussu*: *lex vn. sup. de peculio*: *lex 2. sup. de pignorib. GOTHOFRED.*
(b) *Vel.* Cod. Iust. *RITTER.*
(c) *VIII. Id. Iul.* d. l. vn. de pecun. sequestr. *VI. Id. Iul.* d. l. vn. quod Iussu. *Id. Iul.* d. l. 2. de pignor. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

P.596 ALTERIVS possessionem pro alienis debitis siue publicis siue priuatis conueniri seu alium pro alio exigi vetat, *h. l.* Honorius Imp. pariter vt Constantinus M. *l. 2. inf. de exactionib.* & idem Honorius duab. aliis præterea constitutionib. *l. 31. infr. de annona & tributis*: & *l. 186. infr. de decur.* de quo est titulus peculiaris Cod. Iust. *vt nullus ex Vicariis*, &c. de quo prolixius ad *eas leges.* Illud enim hic nunc notare iuuat esse hanc *legem* partem prolixioris Constitutionis Honorianæ; qua creditorum voracitati & exactionum iniquitati variis rationibus occursum iuit: 1. prohibita videl. pecuniæ sequestratione, *l. vn. sup. de pecunia sequestr.* 2. Denegata actione creditoribus alienorum seruorum conductorum, procuratorum possessionum, nisi pro peculii modo *l. vn. sup. quod iussu. l. 2. sup. de pignorib. l. vn. sup. de peculio.* 3. Actionum in potentio-

tentiores translatiooe prohibita, *l. vn. sup. de actionib. ad potentes translatis.* Quæ *leges* qoinque *huic* nostræ coaſſandæ veniunt, ceu vnius & eiuſdem Constitutionis partes: quibuſque argumentum huiuſce *legis* iam optime reſpondet: Quarta videlicet iam ratione creditorum & Exactorum iniquitati *h. l.* occurritur, probibita alterius pro altero pignoratiooe ſeu ἀνεχυριασμῷ.

DE LVCRIS OFFICIORVM.

TITVLVS IX.

Nullus talis *Titulus* extat *Cod. Iuſt.* Extat quidem Titulus *de lucris Aduocatorum & concuſſionibus Officiorum, ſiue Apparitorum:* verum congruit id potius *proximo tit.* mox.

De ACTIBVS *ad* DECVRIALES *pertinentibus, & vt his ſe Officiales Rectorum non immiſceant.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Pacatianum. (b)

ORDINES Decuriarum Scribarum, Librariorum, & Lictoriæ Conſularis, oblatis precibus meruerunt, *Vt in ciuilibus cauſis & editionibus libellorum, Officiorum ſolennitate fungantur*, ita vt vetuſta (c) ætate ſeruatum eſt, hucuſque prærogatiua veniente, vt militares interceſſiones (d) procul vſque a liberalibus cauſis ſeſe contineant. Rectores itaque quæ iuſſimus, obſeruabunt. Dat. XV. Kal. Maii, Conſtantinop. Conſtantio & Albino CONSS. [335.]

NOTAE.

(a). Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFREDVS.

(b) *Pacatianus* hic eſt proculdubio PP. cui inſcribuntur anno ſuperiore 334. *lex* 1. *inf. de Suariis: lex* 2. *inf. de Aduocatis fiſci:* Et anno 332. *lex* 4. *de ſponſalibus.* IDEM.

(c) De *vetuſtate* in huiuſmodi rebus ſeruanda mox. *ID.*

(d) *Interceſſiones*, id eſt executiones, actus, de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE DECVRIIS eſt hæc *lex* Conſtantini M. Decuriæ erant Collegia, vt vocantur *l. 4. inf. de Decuriis V. R.* corpora certorum hominum, qui in ciuilibus cauſis & editionibus libellorum, io publicis & Iudicialibus actibus operam nauabant, vt docet hæc lex: de cuiuſmodi Decuriis Vrbis Romæ erit *infr. peculiaris tit. 1. lib. 14.* vbi dicam plene. Occurrunt & de his Decuriis tria loca io *Digeſtis:* puta *lex 3. §. 4. D. de bonor. poſſ. l. 22. D. de fideiuſſ. & mandat. l. 25. §. 1. D. de adquir. hareditate*, quibus locis Decuriæ iunguntur Municipibus, Collegiis, Corporibus, Societatibus: Qui & *Decuriarum ordines* hic dicuntur: Quique etiam per prouincias fuere, de quibus nominatim eſt hæc *lex*, vt docent extrema *legis*, io quibus agitur de *Rectoribus* (prouinciarum ſcilicet) Cum autem variæ Decuriæ fuerint, & io his quoque Decuriæ fiſcalium, ſiue Cenſualium, quarum meminit *lex 1. inf. de Decur. V. R.* eſt hæc *lex* nominatim de tribus Decuriis, pota de Decuria Scribarumq, Librariorum, & Lictoriæ conſularis: *Librariorum* Decuriæ fit quoque mentio *d. l. 1. inf. de Decur. vrbis Romæ.* Hi vero procul dubio eraot, qui tranſcribendis actis iudicialibus libellis operam nauabant: arg. *l. 92. D. de R. I.* vid. & Symmachum *lib. 2. ep. 35. (lib. 5. ep. 85. 86.) Scribæ* vero de quibus dicam *inf. ad l. 3. de Decurionib.* & pleniſſime ad *l. 1. de Decuriis V. R.* quorum Scribarum Decuriæ io muoicipiis & colonis meminit quoque Suetooius *in vita Claudii cap. 1.* eraot, qui ipſi Acta excipiebant, libellos conſcribebant, Ac proinde hic tanquam digniores Librariorum decuriæ præponuntur. In *Librariis* etſi literatura quædam requireretur, non tanta tamen eru- P.597
ditione & exercitatione ſtudiorum liberalium opus fuiſſe docet *dicta lex 1. de Decur. V. R.* vt ſane non tanta literaturæ opus eſt in tranſcribendo, vt in ſcribendo, id eſt cooſcribendo.

Memoratur *hac l.* & Tertia Decuria, Lictoria conſularis: cuius mentio fit in *veteri Inſcriptione* apud Gruterum DCXXXI. 2. quæ Romæ, ſi vera.

PERSICVS. LIBERTVS. MANVMISSVS. AT CONSILIVM. PROCVRATORIO. NOMINE. APVD. DOMITIAN. CÆS. IN. SECVN. COS. EXERCVIT. DECVRIAS. DVAS. VIATORIA. ET LICTORIA CONSVLARES, &c.

Io quibus Inſcriptionibus, frequens etiam meotio *Lictoris* III. IIII. *Decur:* Hi procul dubio occupati erant in citationibus & id genus aliis in cauſis Ciuilibus. Similiter etiam quædam *Decuria Prætoria* fuit. Vetus Inſcriptio apud eundem DLXXXVI. 6.

VIAT. HONOR. DEC. COS. ET PRAEF. Cur autem hæc Decuria Lictoria Consularis dicta? Quia scilicet in specie *huius leg.* agebatur procul dubio de alicuius prouinciæ consulari. Fuit & Decuria Iulia, de qua vetus Inscriptio XXXVI. 6. De aliis decuriis suo peculiari *titulo*, & ad *l. 46. de cursu publ.* Ergo de his tribus Decuriis est hæc *lex* Constantini M. deque eorum *Prærogatiua* (vt *hac l.* differte vocatur) seu priuilegio quod & vetusta ætate his seruatum esse, hucusque & ad eorum preces a Constantino firmatum ipsemet testatur. Nempe vt hi soli in *causis ciuilibus* (id est pecuniariis) & in *editionibus libellorum* officiorum solemnitate fungerentur. Contra Rectorum Apparitores (qui militares viri vt erant ita & *hac l.* vocantur) ab his causis liberalibus sese abstinerent, non intercederent: militaris proinde intercessio hac parte cessaret. Intercessio est executio. Quo sensu *Intercessores* pro executoribus accipiendi, *l. 1. sup. de pignoribus:* (collata cum *l. 7. Cod. Iust. qua res pignor.*) & intercessio pro executione, *l. 4. sup. de Princip. Agentium.* Editiones libellorum sunt confectiones: præsentationes libellorum, qui Magistratibus offerebantur, & ad quos Magistratus respondebat. Ergo officium hac in re seu in his *liberalibus causis*, præstabant hæ tres Decuriæ, id est, per eos hæc scribebantur, edebantur, reddebantur: ceu literarum & iuris aliquatenus seo forensis peritos, studiosos, vel vt *hac l.* dicitur *liberalium causarum.* Quibus sane liberalibus causis seu studiis & literaturæ quam maxime fautum iuisse Constantinum M. & quidem ad suggestionem Pacatiani illius hoc tempore, ex altera insuper ad *eundem Pacatianum* constitutione colligere est, quæ superiore anno data est, puta *l. 2. inf. de Aduocatis fisci.* Hanc igitur prærogatiuam *hac leg.* firmat Constantinus M. eo iure Apparitoribus Rectorum interdicto. Vnde iam apparet, hanc *legem* melius adhuc relatum iri in *Titulum de Decuriis:* nisi quod *Titulus* ille proprie est de *Decuriis Vrbis Romæ.* Quanquam neque male in hunc *Titulum* coniecta ea: *Officiis* enim lucrum quoddam ex liberalibus causis offertur. Quod Sanctionem eius attinet, similis est Honorii *l. vlt. de Decur. V. R.* Denique est hæc *lex* de earum numero, quibus officia actusque distinguuntur, quibus id agitur, ne alii in aliorum actus inuolent, *C'est vn Reglement d'offices, & Estats:* Qua parte vetustatem, seu morem fidelissimum vetustatis, antiquitatem consuetudinem potissimum pro regula spectari voluerunt Imperatores, vt in simili, *l. vlt. de Decur. V. R. l. 4. sup. de testamentis, seu l. 18. Cod. Iust. eod.* vid. & *l. 5. sup. de Princip. Agent. in reb.*

De lucris PRINCIPVM *officiorum.*

II. (a) Imppp. Gratianus, VALENTINIANVS & Theodosius AAA. ad Seuerum P. V. (b)

EMOLVMENTA, ceteraque compendia, quibus Magnitudinis Tuæ Apparitio (c) sustinetur, neque his auferri sancimus, quibus pro eiusdem Officii liberalitate conlata sunt, neque in eos veluti ex necessitate transferri futura ætate permittimus, quos huiusmodi largitate vel præmio opinantur (d) indignos: modo vt nihil ab (e) eo necessarii moris aut ordinis pandat (f) antiquitas, sed volentium potius fuisse doceatur, quam Principatus ipsius absque Administrationis, officium. Dat. Kalend. Aug. Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Seuerus* hic P. V. quoque dicitur hoc ipso anno in inscriptione *legis 8. inf. de Legatis:* (quæ tamen in subscriptione dicitur PP. Karthag. & in corpore *legis* ostendit omnino Præfectum Prætorio fuisse) *legis 4. inf. de calcis coctorib.* in qua agitur de Calce Vrbis Romæ: *legis 1. inf. de mendicantibus non inualidis:* quæ dicitur data *Patauii*, Atenim hoc ipso pariter anno dicitur *l. 6. de desertor.* Dat *Romæ.* & *l. 13. sup. de cohortalib.* Dat. *Med.* Quare & hic nullim Præfectum Prætorio accipere. ID.

(c) Principatus *inf. in fin.* ID.

(d) Officiales scilicet, admissa hic ἀναλογῇ numeri sup. officii liberalitate. ID.

(e) Id est, ex hoc, ἀπὸ τούτου. IDEM.

(f) *vt. pendat.* ID.

COMMENTARIVS.

DE PRINCIPATVS officiorum seu Officialium est hæc *lex* Valentiniani Iunioris obscurissima, vel certe intricata maxime, de quibus suo *titulo sup. de cohortalib. Princip. &c.* qui scilicet officiorum primi gubernabant officia, vt dicitur *l. 6. sup. de Princip. Agentium:* vnde his administratio tribuitur *h. l.* & administratiuncula, *l. 10. sup. de cohortalib. Principib.* Nempe his Auctoribus & ordinantibus, Officiales mittebantur in munus & necessitates publicas, & priuatas, *l. 1. & 3. sup. de Princip.* exhibitio personarum sine his cuiquam Officialium mandari non poterat, *d. l. 3.* nulla executio sine adnotatione huius Principis vsurpatione officii concedi poterat, *l. 4. & 6. sup. de Princip.* &c. Hac igitur de causa officii totius volentis liberalitate, largitate, præmio; emolumenta quædam & compendia accipiebant, quibus sustinerentur, vt hæc *lex* singularis hanc in rem docet. Verum, cum hæc largitas seu liberalitas in necessitatem a Principibus istis verteretur, secuti quo animo comparati essent erga Officiales, & in indignos quosdam hæc conlata fuissent, Valentiniano ad querelam super ea re ad se perlatam visum *hac l.* non quidem auferri seu reuocari quæ conlata fuissent, verum

P. 598

rum meræ *αὐτοκρατίας* hanc largitionem in posterum facere: sic vt meræ liberalitati id Principes adscriptum irent, More equidem & ordine antiquo durante; atenim volentibus nonnisi Officialibus, non vi ipsa officii Principatus seu Administrationis scilicet (quæ ratio hic fuit) vt ita discerent Principes cum Officialibus moderate agere. Nihil quippe est ad insolentiam hominum opportunius, præmii necessitate: qua submota, sperata largitas in officio & ciuilitate quemque facile continet.

Notetur interim istud *sportulæ* genus, quod Officiales Principibus, id est, Primis in officio suo, largiebantur: cuiusmodi sportulæ ab aliis gregalibus, Ducibus & primis in grege suo, datæ: cuiusmodi sunt stillaturæ Ducibus & Tribunis datæ a militibus; de quo vide *sup. tit. de erogat. milit. annon. l. 28. 29. Nouellam Theod. 31.* Spartianum, *Adriano: & Pescennio Nigro.* Lamprid. *Alex. Seuero.* Libanium *περὶ τῶν προσταστιῶν, pag. 22.* Et hæc quidem de emolumentis Principum ex officialium aliorum præbitione. Alioquin iidem Officialium Principes, non hoc tantum emolumenti genus consequebantur, verum etiam ex missionibus Officialium. *Nouell.* Valentin. *inter Theodosianas 37.* Item ex introductionibus causarum, *l. 4. infr. de Princip. Ag. in rebus.*

DE CONCVSSIONIBVS ADVOCATORVM (a) SIVE APPARITORVM. (b)

TITVLVS X.

LIB. XII. COD. IVST. TIT. LXI. De Lucris Aduocatorum & concussionibus officiorum siue Apparitorum. Concordant huic *Titulo,* duo præterea *Tituli,* scilicet *de superexactionibus:* & Tit. *ne damna prouincialibus infligantur.*

(a) Vide *l. 1. 2.*

(b) *L. 1. 2. 3. 4.*

PARATITLON.

CONCVSSIONES *Rubr. h. t.* & *l. 20. infr. de exactionib.* iniuriæ *l. 1.* & *2. in fin. h. t.* deprædationes, *l. 3. h. t.* calumniæ, *l. 1. infr. de Aduoc. fisci:* cupiditates, *l. 1. sup. de exact.* prouincialium, *l. 2. h. t.* seu possessorum, *d. l. 20.* variæ diuersarum personarum, hoc *titulo* notantur & puniuntur: puta 1. *Aduocatorum* fisci, *l. 1.* & *2. h. t. l. 1. infr. de Aduoc. fisci.* 2. Exactorum *d. l. 20.* (Ducenariorum Centenariorum, *l. 1. h. t.*) 3. Compulsorum, *l. 3.* & *4. h. t.* 4. Scholasticorum, 5. Officialium, quod præter solemnes & canonicas pensitationes multa a prouincialibus indignissime postulare solerent, etiam in mansionibus, puta vt sibi & animalibus suis alimoniæ sine pretio ministrarentur, *l. 2. h. tit.*

In hos omnes censuram suam non vna ratione exercuerunt Imperatores, Constantinus M. *l. 1. h. t.* Constans, *l. 2. h. t.* Honorius, *l. 3. 4. h. t.* & *d. l. 20.* Ac nominatim per Africam. quo pertinent omnes *huius tituli leges,* & *d. lex 20.* Igitur Iudicibus præcipitur, vt prouinciales tueantur, nec iniurias illas inultas transire permittant, *l. 2. h. t.* Contra, in hos conuictos in deprædatione velint competenti seueritate vindicare, *l. 1.* Inconsulto etiam Principe eos pœnam subire competentem, *l. 3. h. t.* ab his sublata prouincialibus restitui, *l. vlt. h. t.* (in quadruplum, si exactores quid diripuerint, *d. l. 20.* vbi dixi:) quin & capitali pœnæ illico subiici, *d. l. 20.* Imo *Compulsores* nominatim propter frequentes eorum deprædationes nec quicquam repressas, sublati per Africam penitus, *d. l. vlt. h. t.*

p.599

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. Proc. (b) Africæ.

SI quis se a Ducenariis, vel Centenariis, ac (c) præcipue fisci Aduocatis, læsum esse cognoscit, adire Iudicia, (d) ac probare iniuriam non moretur, vt in eum qui conuictus fuerit competenti seueritate vindicetur. Dat. VI. Id. (e) Nouemb. Trieris. Acc. (f) XV. Kal. Mart. Carthagine, (g) Constantino A. IIII. & Licinio IIII. CONSS. [315.]

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda autem huic, *lex 1. inf. de Aduocato fisci.* Imo etiam, vt autumo, *lex 2. infr. de annon. & tribut. & lex 1. infr. de exactionib.* GOTHOFR.

(b) *Æliano* Proc. Africæ. Ita supplendum hoc ex *d. l. 1. de Aduoc. fisci*, vt etiam habetur *Cod. Iust.* De hoc *Æliano* dicam ad *d. l. 1.* ID.

(c) *Vel fisci Aduocatis* ita *Cod Iust.* omissis illis, *ac præcipue.* ID.

(d) Id est iudices. v. *Gloss. Th.* IDEM.

(e) *Kal. Nouemb.* vulgat. Cod. Iust, RITTER.

(f) Hinc supplenda subscriptio *d. legis 1. de Aduocat. fisci.* GOTHOFR.

(g) *Karthagine* PC. Africæ consistebat. vid. vel *Saluianum lib. 7. de Gubernat. Dei cap. 16. pag. 170. edit. Baluz.* IDEM.

COMMENTARIVS.

EXACTORVM (quorum numero fuere Ducenarii & Centenarii, quorum fit quoque mentio *l. 1. 9. infr. de exactionibus* : & *l. 8. sup. de Agentib.* quibus locis dixi) & ADVOCATORVM fisci concussionibus occurrit Constantinus M. *hac l.* quæ pars est prolixioris Constantinianeæ constitutionis, ex qua superest quoque *lex 1. infr. de Aduocat. fisci.* Imo (vt ipse existimo) quoque *lex 2. infr. de annonis & trib.* & *lex 1. inf. de exactionib.* quæ proinde omnes huic *legi* coassandæ veniunt, quin & argumento quoque respondent. Ergo Constantinus *hac l.* læsis animum dedit concussores accusandi: Iudices vero seueriter in eos vindicare iubet, tum *hac l.* tum *d. l. 1. de exactionib.* quibus verbis capitalem pœnam indicari puto: de quo dixi *ad l. 1. inf. de superexact.* Et præcipue quidem in *Aduocatos fisci*, quibus etiam pœnam comminatur vel fisci causam prodentibus, vel fisci obtentu priuatis calumnias nectentibus, *d. l. 1. inf. de Aduocatis fisci*, vbi plura. Qua parte Constantinus fisci sui non magis vtilitati consultum iuit, quam prouincialium securitati aduersus ioanem fisci obtentum. Apud quem Principem cæteroquin (quod ipse profitetur, *l. 2. inf. de Aduocat. fisci*) potior priuatorum causa fuit quam fisci tutela. Atque eo pertinet, quod hic ait, *ac præcipue fisci Aduocatis*: quæ verba, *ac præcipue* Tribonianus omisit.

II. (a) Imp. Constantius A. (b) Eubolidæ V. C. Vicar. Africæ.

PRÆTER sollemnes & canonicas (c) pensitationes, multa a Prouincialibus Afris (d) indignissime postulantur ab Officialibus, & Scholasticis, non modo in Ciuitatibus singulis, sed & Mansionibus: (e) dum ipsis & animalibus eorundem alimoniæ sine pretio ministrantur. Nec (f) latet Mansuetudinem nostram, sæpissime Scholasticos vltra modum acceptis honorariis, in defensione causarum omnium, & annonas & sumptus accipere consuesse; quibus tantis commodis fulti itinere (g) suam auaritiam explere nequeunt. Prouinciales itaque cuncti Iudices (h) tueantur, nec iniurias (i) inultas transire permittant. Dat. III. Kal. Iul. Leontio & Sallustio, CONSS. [344.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod.* GOTHOFRED.

(b) Addendum & *Constantis* nomen cui hæc lex tribuenda. Vid *Chronolog.* ID.

(c) *Canonicæ* pensitationes. ID.

(d) Abest a *Cod. Iust.* IDEM.

(e) De *Mansionibus* dixi. ID.

(f) Tota hæc sententia abest a *Cod. Iust.* ID.

(g) Malim *interim*, pro interea, nihilominus, vel pro interdum. ID.

(h) Africæ, qui sub diœcesi Vicarii Africæ fuere. ID.

(i) Concussiones. ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

OFFICIALIVM, vt & SCHOLASTICORVM concussionibus pet Africam pariter occurrit *hac l.* Constans. Imp. (cui sane in partitione Imperii, ac maxime fratre cæso, *Africa* cesserat) Iudicibus seu Rectoribus prouinciarum prouinciales tueri & concussiones punire iussis. Duo porro vt concussorum, ita & concussionum genera *hac l.* nominatim perstringuntur. Primum est *Superexactionis* crimen: nempe quod *Officiales* ad exactiones missi (de quo ad *tit. de exactionib.*) multa præter solennes & canonicas pensitationes a prouincialibus exigerent, de quo alioquin in commune, superexactionis crimine, *inf. tit. 8 de superexactionib. lib. 11.* ac speciatim, quod *alimonias*, id est, anno-
P.600 nas sibi, & animalibus suis sine pretio, seu gratuito a prouincialibus indignissime postularent, & ministrari vellent; idque non tantum in ciuitatibus, sed etiam in mansionibus. Quo concussionis genere, & alia damna prouincialibus infligere soliti, xenii & munusculi obtentu, de quo *l. vii. infr. ne damna prouincialibus infligantur*, vbi de huiusmodi exquisitis concussionum nominibus plene dixi.

Alterum concussionis genus est, quod a *Scholasticis* exercebatur: de quibus ipsis prius videndum est: Sane vel ex *hac l.* apertissime liquet, quinam ii fuerint; nempe non alii, quam Aduocati, qui defensionem causarum in se suscipiebant, & eo nomine honoraria accipiebant. Augustinus quoque id ostendit, *tractat. 7. in Ioannem: Qui habent causam & volunt supplicare Imperatori, quærunt aliquem Scholasticum Iurisperitum, a quo sibi preces componantur*, &c. Qui in *Concilio Sardicensi can. 10.* [vel 13. *pag. 645. Tom. I. Concil. Harduin.*] *Scholasticus de fora* dicitur, vbi prohibetur diues vel Scholasticus e foro Episcopus fieri, nisi functus prius munere Lectoris, Diaconi & Presbyteri: eum Zonaras *ad d. can. 10.* interpretatur τὸν περὶ λόγους σχολάζοντα: Sed ipse *can. 10. pag. 643. Tom. I. ed. citat.* ad verbum σχολαστικὸν ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς. Ita qui a Patribus Africanis in *Concilio Carthaginensi* (quod habitum A. D. 407. seu *Canone 97. Codicis Africani pag. 921. Tom. I. Concil. Harduin.*) *defensores Scholastici* vocantur in actu vel munere defensionis causarum, eos interpres Græcus ἐκδίκους σχολαστικοὺς vertit: & Honorius Imperator *l. 38. infr. de Episcopis*, rescribens ad illam ipsam Episcoporum postulationem, vno verbo *Aduocatos* vocat. Macharius quoque, *homilia 15. §. 42. pag. 226. edit. Pritii Lips.* Scholasticum δικολόγον interpretatur. ὅταν γένηται σχολαστικός, ἄλλων τῶν δικολόγων ἀρχάριος καὶ ὕσχατός ἐστι. *Vbi fuerit Scholasticus, omnium Caussidicorum est nouitius & vltimus.* quo loco ἀρχάριος pro nouitio, Hesychio teste. Videndus idem Macharius rursum *homilia 26 §. 17. pag. 355. 356. edit. cit.* Hoc sensu & Agathias Scholasticus dictus: de quo vide Suidam *voc.* Ἀγαθίας. nam & ipse de se *in Præfatione Operis p. 7. edit. Venet.* Τέχνη δέ τοι Ῥωμαίων νόμιμα, καὶ αἱ τῶν δικαστηρίων ἀγῶνες. *Ars vera, Romanarum instituta & leges, & fori certamina.* & *lib. 3. initio, pag 52. edit. Venet.* Ἔγωγε ἥμενος ἐν τῇ βασιλείῳ στοᾷ βιβλίδια παλλὰ δικῶν ἀνάπλεα καὶ πραγμάτων ἐξ ἑωθινῦ μέχρι καὶ εἰς ἥλιον, καταδύντα ἀκμελετῶ καὶ ἀνελίττω *Ego sedens ad porticum regiam, libellis, litibus forensibus & molestiis pluris a mane in vesperam vsque tractandis & versandis sum occupatus.* In *Epigrammate* quoque eius in Citharistriam *Antholog. lib. VII. pag. 464.* & *ad calcem histor. num. 78. ed. Ven.*

ἀλλά με θεσμοὶ,
Εἴργουσιν ζαθαῆς τηλόθι Δορκαλίδος.
. . . . . . *Sed me leges*
Cohibent, tenera procul a Dorcalide.

Synesius quoque *ad Domitianum Scholasticum* scribens *ep. 155.* eius munus satis inculcat, eum ei defensionem cuiusdam mulieris iniuriam passæ, & pupilli simul iniungens, ὅρα τοίνυν inquit, ὅπως ἐπαμυνεῖς τῇ γυναικί. Id est. *Quamobrem vide, vt mulierem defendas*: & *ep. 156.* τὰ δίκαια χρῄζει συμμάχων, καὶ γένοιντ' ἂν αἱ βοηθοῦντες αὐτοῖς εὐδαίμονες, ταῖς ὀρθῶς ἔχουσι συμπονοῦντες, εἰλόμην δή σε τούτων πρόβολον, γνώμῃ τε ἀμύνοντα καὶ τέχνῃ. Id est. *Iusta desiderant adiutores: & hi quidem qui his opitulantur, beati, vtpote qui recte se habentibus collaborent. Quare delegi te harum defensorem, & anima & arte patrocinaturum.* Idem quoque *fine ep. 105.* Scholasticorum meminit loco alioquin satis obscuro. γενοῦ δὴ τοῦ τοὺς σχολαστικοὺς εἰδέναι ταῦτα, καὶ πρὸς ἐκεῖνον ἐξαγγεῖλαι. *Quamobrem cura, vt hæc a Scholasticis intelligantur, & ad illum perferantur.* Quo quidem loco id vult Synesius, velle se detrectandi a se Episcopatus causas, quas ea epistola enarrauerat, & ad Theophilum Episcopum Alexandrinum perferri, & ad Scholasticos inquam, id est Aduocatos, Defensores Ecclesiarum & Ecclesiasticarum rerum, de quo Scholasticorum genere dicam plene ad *l. 38. inf. de Episcopis.* Eodem sensu Helpidium Scholasticum accipio apud Leontium Mechanicum *de Sphæra Arati*, *init.* (a) Imo & apud Basilium *ep. 221.* Extant & quatuor Theodoreti epistolæ ad *Scholasticos* istos puta *ep. 12. 21. 46. 124* quarum priore omnium apertissime describit & insinuat quænam horum professio fuerit: τὴν ῥητορικὴν ἀσκοῦσι τέχνην οἱ τὸν δικανικὸν ἀσπαζόμενοι βίον· ἵνα ταῖς δικαίας δεομένοις βοηθείας συνηγορῶσι: καὶ λόγων ταῖνυν ῥητορικῶν, καὶ τῆς τῶν νόμων ἐπιστήμης μεταλαχών, &c. *Et qui forensem vitam sequuntur, dicendi artem exercent, vt iusta ope indigentibus patrocinentur. Tu igitur, qui & eloquentiam & legum Scientiam adeptus es*, &c. Extant & complurimæ Isidori Pelusiotæ epistolæ.

Concussio igitur Scholasticorum seu Aduocatorum duplex hæc in Africa notatur *hac leg.* Primo (quod Officialibus, vt dixi, commune est,) quod sibi & animalibus suis a prouincialibus ministrari sine pretio postularent alimonias: idque non in ciuitatibus tantum, sed & in mansionibus: De quibus iam *supra.* Quod quidem accipiendum videtur de Scholasticis seu Aduocatis publicas causas tractantibus, veluti Ciuitatum, Templorum, Ecclesiarum, (de quibus postremis dixi ad *l. 38. infr. de Episcopis: & l. 46. inf de Decurionibus:*) Nam & hic iunguntur Officialibus: & quo alioquin obtentu, sibi & animalibus suis annonas exigere potuissent? Et de mansionibus hic agitur, & de animalibus, ac proinde de Scholasticis ex vno loco ad alium pergentibus officii ergo. Certe ex *l. 189. inf. de Decurionibus* Aduocatis peregrinationis onus impactum: vbi vide quæ notaui.

Secunda concussio est, quod vltra modum *honoraria*

(a) Locum integrum habet CL. MEVRSIVS *in Glossar. voc.* σχολαστικοί, cuius obseruationibus Gothofredus vsus est. Adi etiam CVIACIVM *ad leg. 2. Cod. Iust. h. t.* DEMPSTERVM *in Paralipom. ad Reg. secund. Vrb. R. pag. 25. edit. Traiectin.* & CL. DV FRESNE *Glossar. vtroque voc. Scholasticus.*

raria acciperent pro defensione caussarum singularum, idque in Annoois & in sumptibus; vbi *sumptuum* appellatione pecunia proprie intelligenda videtur, vt apud Graecos ἀνάλωμα. Donatus ad Terentii illud *Adelph. V. 3. 68. hunc sumamus diem. Non accipiamus, inquit, sed impendamus & consumamus. Unde & sumtum dicimus pecuniam qua insumenda est.* Idem ad *Phormionis Actum 1. sc. 1. v. 13. Nam & plagam, damnum, & sumtum, sanguinem nostrum dicimus.* qui antea ad v. 12. dixerat, *& res sanguis noster dicitur,* Ita & Spartianus, *Hadriano cap. 7. Faeminas nonnullas ad sustentandam vitam sumptibus iuuit:* vbi recte CL. Salmasius interpretatus est pecuniam, non alimenta, vbi & hanc ipsam legem allegat: Eodemque trahit recte *Paulini* illud in *vita Ambrosii: Cui non minimum solati, sacerdos praebuit, dando sumptus, vel alia quae erant necessaria.* Eodem sensu apud Senecam 2. *de benefic. 10. Ne hoc quidem consitenti deesse sibi IN SVMTVM ad necessarios vsus, cum clam succurrendum iudicasset, puluino eius ignorantis saculum subiecit.* Eodem sensu *sumptum diurnum* exercere, & quaestum diurnum exercere, & pecuniam colligere ex mercedibus operae diurnae. Ergo id *hac l.* Aduocatis vitio vertitur, quod Honorarii nomine *vltra modum* & annonas & pecuniam a Clientibus exigerent, hisque tantis commodis fulti noterim vix auaritiam suam explere possent: cui rei intercedero inbet Imperator Iudices. Quare non admittenda est Viri docti Menllii Obseruatio, *lib. 5. c. 25.* qui censet eo nomine Imperatorem *h. l.* Aduocatos perstringere, quod acceptis honorariis a clientibus, nihilominus annonas & sumptus acciperent e fisco; atque inde colligit, ad haec vsque tempora permansisse eum morem, quo Aduocatis qui gratis agebant, annonae dabantur e fisco. Neque enim (vt omittam alia) *hac l.* honoraria ab annonis & sumptibus, separantur: Verum eo nomine perstringuntur Aduocati, quod honorariis acceptis, id est, honorarii nomine, & annonas & sumptus, id est, pecuniam acciperent *vltra modum* a clientibus. De Aduocatorum alioquin concussionibus dixi semel ad *l. 1. sup. de postulando.* Io eos est quoque prolixus excessus Am. Marcellini, *lib. 30. cap. 4.*

P.601 III. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Pompeiano (b) Proconf. Africae.

QVOTIENS Conpulsor arguitur in depraedatione conuictus, non (c) consulta Clementia Nostra, poenam subeat legibus conpetentem. Dat. Prid. Kal. Ian. Med. Stilichone & Auriliano (d) CONSS. [400.]

NOTAE.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda huic *lex 27. infr. de susceptorib. & lex 28. inf. de annona & tributis.* Imo & *lex 2. infr. ad Leg. Iul. de ambitu: lex 166. infr. de Decurionib. lex 18. infr. de lustrali collat.* Tandem & *lex 60. infr. de appellat.* GOTHOFREDVS.

(b) *Pompeianus* Proconsul Africae sub Honorio. vid. *Prosopogr. ID.*

(c) *Etiam non*, Cod Iust. RITTER.

(d) *vr. Aureliano*, vt habet Cod. Iust. & leges cum hac coniungendae. GOTHOFREDVS.

IIII. (a) Impp. HONORIVS & Theodosius AA. Euchario (b) Proconf. Africae.

VNIVERSA Conpulsorum genera ex Africanis prouinciis constituimus esse pellenda, his videlicet restitutis, quae forsitan per temeritatem (c) sustulerant. Dat. VI. Id. Aug. Rau. DD. NN. Honorio IX. & Theodosio V. AA. CONSS. [412.]

NOTAE.

(a) Abest haec *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) *Eucharie* huic PC. Africae complures aliae leges hoc anno inscribuntur: vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Temeritas* de depraedatione *hic*, & de vi omni, seu violentia, *l. 2. si cert. pet. de suffrag.* ID.

COMMENTARIVS.

DE COMPVLSORVM, id est, Exactorum, qui, expleto solutionis tempore, ad compellendos prouinciales exigendosque mittebantur, quos Graeci ἐκπελευςὰς dixerunt, (de quibus plene semel agam ad *l. 34. infr. de annona & tributis:*) concussionibus, sunt hae duae Honorii Imp. Constitutiones; quarum priore modus eorum cupiditati & concussioni ponitur: posteriore vero cum iam amplius teneri non possent, Compulsores omnino abolentur. Et quidem per Africam, non tantum proconsularem, verum etiam per alias prouincias Africanas: Quae exactorum concussionibus maxime subiacuerunt (vtpote a Sole, sic vt dicam, seu Imperatore remotae, interiecto aequore, de quo mox) Quae caussa quoque est, cur omnes *huius tituli* leges *ad Africam* pertineant.

De duabus his *legibus* ordine videndum est. Ergo Honorius Imp. Compulsores in depraedatione conuictos puniri vult a Rectoribus prouinciarum inconsulto Principe, *lege 3. h. t.* Quae pars est prolixioris constitutionis Honorianae, vna cum illis omnibus, quas in *Notis* cumulaui, quaeque proinde huic coassandae veniuot, quae emissa fuit ad Africanorum querelam & Legationem Mecilio Legato misso, vt ostendit ex earum *legum* numero *lex 166. inf. de Decurionibus.* Inter caeteras porro querelas ali-

aliquammultæ rem Tributariam respexere, qua Africani non vna ratione atterebantur: partim Susceptorum & Tabulariorum fraudibus, quo pertinet *d. l. 27. inf. de Susceptoribus*; partim immunitate Potentiorum, quo spectat *d. lex 28. inf. de annona & tributis*: & *d. lex 18. inf. de lustrali collat.* quæ *leges* omnes huic, vti dixi, coniungendæ sunt, & argumenti etiam similitudine pariant. Tandem & Compulsorum deprædationibus, de quo est hæc *lex 3.* Ergo eum compulsorum depradationibus Afri vexarentur, & per Legatum de eo questi apud Honorium fuissent, Honorius rescripsit, deinceps super compulsorum deprædationibus querelas ad se amplius non deferendas, verum ilico pœnæ eos a Rectorib. prouinciarum subiiciendos. Quod quidem & alias statutum, vbi ilico quem supplicio subiici publice interesset: sic vt huc non male aptari posset, quod alias in prærupta seditiooe & abrupto periculo dici solet; primo puniendum, deinde rescribendum: sæpe scilicet relationis mora & rescripti expectatione Iustitia eluditur: & vero hic cummaxime eludi poterat, interiecti æquoris tractu. vt loquitur lex *33. supr. de erogat. militar. annon.* Idque comprobat exemplum Tripolitanorum apud Ammianum Marcellinum *lib. 28. cap. 6.* Hinc interim ad praxin colligimus, Rectoribus prouinciarum seu Iudicibus ordinariis iurisdictinnem competere etiam in eos, qui extra ordinem ex Comitatu Principis in prouincias mittuntur, peccantes.

Et hæc quidem de priore *lege* & remedio aduersus Compulsores: verum quia nec quicquam hi reprimerentur, porroque prædas suas & concussiones peragerent, visum Honorio eos penitus ex Africa submouere, *hac l. vlt.* Quos tamen stetisse porro docent *lex 186. inf. de Decurion. lex 34. inf. de annona & tributis.* Certe vniuersa Præfectura prætoriana Italiæ postea submoti, *Nouella Maioriani 4. de indulg. reliqu.* At Anastasii Imp. constitutione *l. vlt. C. Iust. de exact. tribut.* inductum, vt Compulsores non prouincialibus ipsis, verum Iudicibus eorumque officiis & canonicariis imminerent. Iustiniani tandem constitotione sublati sunt penitus *Nouell. 128.* Quomodo & hic ab Honorio pelli iubentur: Repetundarum tamen lege prius exercita, id est, restitutis prius quæ ab ipsis ablata. Alioquin:

Quid enim saluis infamia nummis?
Et vbi victrix prouincia plorat?

P.602 # NE QVID PVBLICÆ LÆTITIÆ NVNTII EX DESCRIPTIONE, VEL AB INVITIS, ACCIPIANT.

TITVLVS XI.

Titulus hic, velut boni ominis claudit Codicem *Iustin.* vbi ita plenior extat: *Publicæ lætitiæ, vel Consulum nunciatores, vel insinuatores Constitutionum, & aliarum sacrarum vel Iudicialium literarum, ex descriptione vel ab inuitis ne quid accipiant immodicum.* Cæterum recte superioribus duobus de *lucris Officiorum*, & de *concussionibus Aduocatorum siue apparitorum:* optime cohæret, velut eodem pertinens. *GOTHOFR.* Cod. Goth. *Lætitiæ nuntiis ex descriptione* &c. *RITTER.*

PARATITLON.

PVBLICÆ LÆTITIÆ *Rubr.* & *l. 2. h. t.* faustorum nunciorum gaudia, *l. 3. h. t.* puta victoriæ, *l. 2. 3. & 4. h. t.* strages hostium, *d. l. 3. h. t.* Triumphi Principum, *d. l. 3. h. t.* prospera Principum, *l. 4. h. t.* bella cum desinebant, *l. 4. h. t.* compositæ pacis tranquillitas, *d. l. 4. h. t.* Item cum nouorum Consulum nomina, *l. 2. h. t.* seu anni exordia certis inchoanda Consulibus essent, *l. 1. h. t.* siue consulatus essent, quos gesturi erant ipsi Principes, *l. 3. h. t.* honorque fastis datus esset Regalium trabearum, *l. 4. h. t.* siue Consulatus aliis delatus a Principe fuisset, *d. l. 3. h. t.* Ea per terrarum orbem, *d. l. 3.* prouincialibus, *d. l. 3.* & *l. vlt. h. t.* per prouincias, *l. 1. h. t.* gratulationis ergo, *l. vlt. h. t.* nunciari solebant, *l. 1. 2. 4. h. t.* perferebantur, *l. 2. 3. h. t.* efferebantur, *l. 4. h. t.* intimabantur, *l. 3. h. t.* disseminabantur, *d. l. 3. h. t.* vniuerso orbi inlucescebant, *l. 1. sup. de Veteranis*, missis nuntiis, *Rubr.* seu Indicibus, *d. l. 4.* quin & Edictis, *d. l. 1. sup. de Veteranis.* Sed & Sacri vultus inhiantibus quandoque populis inferebantur, *l. 4. h. t.* per quosdam gerulos, *d. l. 4. h. t.* Quod cum fiebat, soliti hi Nuntii, Indices, Geruli, gratulationis nomine, *l. vlt. h. t.* a prouincialibus, etiam tenuioribus, *l. 1. h. t.* pauperibus, *d. l. 1.* inuitis,

Rubr. & *l. vlt. h. t.* necesſitate, *l. t.* ſportulas quaſdam, *l. 1.* & *3. h. t.* velut legitima munera, *l. t. h. t.* ſpecie conlationis, *d. l. 1.* ex deſcriptione, *Rubr.* deſcriptione facta pro capitatione aut iugatione, *d. l. 1. h. t.* ex conlatione, *l. 2. h. t.* ex indictione viritim diſſoluta, *d. l. 2. 3. h. t.* ex adſcriptione, *l. 1. h. t.* facta per Rectorem ptouinciæ, *l. 1. 2. 3. 4. h. t.* vtpote ad quem Indictionum cura pertineret) exigere, *l. 2.* & *vlt. h. t.* exprimere, *l. 1. h. t.* poſtulare, *l. 2. h. t.* accipere, *Rubr.* & *l. 4. h. t.* Id quod Imperatorum conſtitutionibus ſæpe inhibitum: puta a Valente, *l. 1. h. t.* a Valentiniano Sen. *l. 2. 3. h. t.* Theodoſio M. *l. 4.* & *5. h. t.* Ne ſcilicet tenuiores & pauperes adſcriptione facta quidquam ſportulæ nomine conferre tenerentur, *l. 1. h. t.* ne ex miſeris pretium gaudiorum quæreretur, *l. 4. h. t.* ſeueriſſima etiam pœna Rectoribus prouinciarum eorumque Officiis impoſita, *d. l. 1. 2. 3. 4. h. t.* Et accipienti quoque infamiæ & fortunarum, *l. 4 h. t.*

- Sponte ſane, *l 2. h. t.* ſeu arbitratu ſuo, *d. l. 1. h. t.* ex arbitrio ſuo, *l. 3. h. t.* Honoratis tantum, *l. 2. 3. h. t.* ſeu viris per prouincias emerito honore pollentibus, *d. l. 1.* Curialibus item *d. l. 1.* qui in vrbibus ſuis eminentes erant, *l. 3. h. t.* quantum mens cuiuſque tuliſſet, *d. l. 3. inf.* tribuere aliquid, *l. 1. h. t.* ſeu largiri, *d. l. 1.* & *3. h. t.* offerre, *l. 2. h. t.* dare, *d. l. 2.* iidem Imperatores conceſſerunt.

I (a) Impp. Valentinianus & VALENS AA. ad Eugramminum. (b)

CVM anni exordia (c) certis inchoanda Conſulibus (d) nuntiantur, a tenuioribus *ſportulæ* (e) ſpecie conlationis neceſſitas ſeparetur, ne ſcilicet deſcriptione facta pro capitatione (f) aut iugatione quicquam hisdem (g) veluti legitimi muneris (h) exprimitur. (i) Iubemus (k) tamen, vt Viri per prouincias emerito (l) iam honore pollentes, præterea Curiales, (quos his, gradus honore, & in conlationi-
P.603 bus honeſtate functionis, conuenit eſſe finitimos) arbitratu ſuo tribuant, quantum putauerint largiendum. Porro (m) tenuioribus ab hac forte iniurioſæ neceſſitatis alienis. Quod quidem interdicti ſeueritate fieri vetamus in poſterum, vt Rectores prouinciarum vicenis auri libris, porro (n) officia quadragenis conſtituamus eſſe multanda, ſi quicquam pauperes hac (o) adſcriptione præbuerint, vel his extorqueri quicquam paſſi fuerint, aut æque quos contra vetitum feciſſe cognouerint, taciturnitate alicuius diſſimulationis aboleuerint. Dat. XVII. Kal. Ian. Conſtantinop. (p) Diuo Iouiano & Varroniano CONSS. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Eugrammini* huius vel *Eugrammimi*, nulla alibi mentio mihi occurrit: Præfectum Prætorio fuiſſe quis colligat ex eo, quod Rectorum prouinciarum *in ea l.* mentio fit, qui vtique ſub diſpoſitione Præfecti Prætorio erant. *ID.*

(c) De hoc ipſo igitur *l. 2. 3. 4 inf.* *ID.*

(d) *Conſules* annum inchoare, *aperire* dicti. Vide quæ ad *l. vn. ſup. de oblat. votor.* Pacatus Panegyr. *c. 16. conſul creatur? Habiturus eſt nomen annus.* Saluianus *lib. 6. c. 2.* *Qui annis nomina tribuunt, & a quibus anni ipſi exordium ſumunt.* Sidonius ad *Anthemium* COS. *Carm. 2. v. 3. Annum pande nouum Conſul.* Caſſiodorus *II. Var. 1. Felix a Conſule ſumat annus auſpicium:* vide & elegantem Caſſiodori formulam *lib. VI. Var. 1.* Plura non addo. *IDEM.*

(e) *Sportularum* harum mentio quoque *l. 3. inf.* ſic & ſportulas vocabant, quas noui Magiſtratus veluti Conſules amicis mittebant, de quibus *l. 1. inf. de expenſis ludor.* *Legitimum munus* mox vocantur. *ID.*

(f) Id eſt, pro modo poſſeſſionum. vide *Gloſſ. Theod.* *IDEM.*

(g) Nunciis; qui tamen *ſupra* non nominantur. *ID.*

(h) *Legitimum* munus hic & *l. 3. inf.* munus, ſportula *ſupra* & *d. l. 3.* *IDEM.*

(i) *vg. exprimatur*, niſi hunc locum integrum ita emendemus: *nec liceat ab hisdem, &c. exprimi.* *IDEM.*

(k) *Indulgentes tamen*, vel, *Non inhibemus tamen.* *ID.*

(l) Honorati, *l. 2. 3. inf. h. tit.* de quibus dixi ſemel ad *l. 1. ſup. de off. iud. ciuil.* *IDEM.*

(m) Porro, id eſt deinceps. *IDEM.*

(n) For

(n) Forte, *horum*. *ID.*
(o) Non est hæc vox quod censebat nonnemo, inducenda. *ID.*
(p) Hinc apparet hanc legem, *Valentem* Authorem habere. *IDEM.*

II. (a) Idem AA. Prouincialibus (b) salutem dicunt.

SI quando Victoriæ, (c) si quando lætitiæ publicæ nunciantur, (d) vel nouorum Consulum (e) nomina perferuntur, conlationi nullus locus, nulla sit licentia: nihil quisquam exigat, nihil audeat postulare. Si quis vero Honoratorum (f) sponte quid offerre voluerit, id tantum recte dandum iudicamus. Cæterum quidquid expostulatum, quidquid fuerit indictum, Rector quidem prouinciæ eius in qua res ita gesta erit, duplum quod indixerit, quodue dare coëgetir, ex suo fisci viribus pendet: Officium autem quadrupli summam pro eadem necessitate persoluet. Dat. III. Id. Ian, Med. (g) Valentiniano & Valente AA. CONSS. (365.)

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFR.*
(b) Quibus? *ID.*
(c) Vide & *inf. l. 3. & 4.* *IDEM.*
(d) De his Victoriarum *Nuntiationibus* vide & Idacianos fastos, A. 379. 380. *ID.*
(e) De hoc ipso agitur *l. 1. sup. & l. 3. 4. inf.* *IDEM.*
(f) Vide & *l. 1. sup. & l. 3. inf.* Hac *honoratorum* appellatione hic Curiales comprehendi videntur: arg. *l. 1. sup. & l. 3. inf.* *IDEM.*
(g) *Valentinianum* huius *leg.* Auctorem esse hinc apparet. *ID.*

III. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Mamertinum PF. P. (b)

SI quando faustorum nuntiorum gaudia Prouincialibus intimantur, (c) quotienscunque quid per terrarum Orbem disseminatur, seu militum inlustres Victorias, (d) seu strages hostium, (e) aut nostri Triumphi perferuntur, (f) vel hi quos geremus, aut deferimus Consulatus, nulli publica distributione & arbitrio Iudicis munera, quæ vocant *sportulas*, (g) deputentur. Ceterum si quis Iudicum vim decretorum nostrorum violauerit, eius rei quæ viritim distributa fuerit & coacta, duplicem pœnam subibit, aut (h) Officium quoque ei paruerit, in quatuor partibus multa exaggerata constringat. Honorati (i) vero & Vrbibus suis eminentes (k) ex arbitrio suo, quantum mens tulerit, largiantur. Missa (l) a PPō. die Id. Febr. Med. Valentiniano NB. P. & Victore V. C. CONSS. [369.]

P.604 **NOTAE.**

(a) Abest hæc quoque *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFR*
(b) *Mamertinus* sub Valentiniano Imp PP. Italiæ, Illyrici Africæ, quod Ammianus Marcellinus diserte scribit *lib. 26. cap. 5.* De vrbe Roma testis *lex 1. sup. de Equ. dign. lex 2. 4. inf. de annonis ciuilis*: de Italia, lex 1. *inf quibus equorum vsus: l. 9. infr de annon. & tribut.* de suburbicariis regionibus *d. l. 9. de annon. & trib* de Africa, *l. 1. sup. de milit. veste: & l. 4. infr. de susceptoribus.* Mihi tamen non fit verosimile, hoc Anno eum Præfectum Prætorio fuisse: Itaque malim, *ad Probum PP.* *ID.*
(c) Id est significantur. *v. Gloss.* *ID.*
(d) *γρ. Victoria*, vide & *l. 2. sup & l. 4. h. t.* *ID.*
(e) Veluti Alemannorum, cum quibus res fuit hoc tempore Valentiniano in Galliis: vide *librum* Ammiani Marcellini 28 *cap. 2. & 5.* *ID.*
(f) Nunciantur. Vid *leg. 1. supr.* *ID.*
(g) *Sportulæ specie* leg. 1. supr. *RITTER.*
(h) *γρ. At officium quod*: vel *quoque quod.* *GOTHOFREDVS.*
(i) Vide & *l. 1. 2. sup.* *ID.*
(k) *Eminentes* in vrbibus suis, id est Curiales, vt *l. 1. sup.* *ID.*
(l) Notanda hæc subscriptio quæ indicat, acceptam antea a Præfecto Prætorio constitutionem, & ab eo hoc die ex vrbe Mediolano si (vbi Præfectus P. erat) missam per prouincias. Ita scilicet solitæ mitti a Principe, sed emitti Principum constitutiones & Edicta a Præfectis Prætorio. Quare non est viri docti emendatio admittenda, qui voculam *a*, expungebat. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

PRIVS quam Legum istarum Interpretationem adgredior, sternenda hic sunt loca seu testimonia quædam exterorum Scriptorum in hoc ipso argumento de Iudicibus, seu de *Nunciis publicæ lætitiæ* seu *Euangelii*, eorumque lucris, de quibus est hic *Titulus*. Spartiani primum locus prodeat, *in Vita* Adriani *cap. 2. Traiano*, inquit, *a Nerua adoptato, ad Gratulationem exercitus missus, in Germaniam superiorem translatus est: Ex qua festinans ad Traianum, vt primus nuntiaret excessum Neruæ, a Seruiano sororis viro diu detentus, fractoque consulto vehiculo tardatus, pedibus iter faciens, eiusdem Seruiani beneficiarium anteuenit.* Duo quoque loca insignia de his occurrunt apud Libanium. Prior est in *orat. pro Aristophane Antiochia habita ad Iulianum Imp.* A. D. 361. *p. 213. edit. Morell.* ὁ δὲ, ὢν ἤδη στρατιώτης, σώματι μὲν ἀπείρῳ τοιούτων πόνων, διῆλθεν ἐφ' ἵππων πολλάκις τὴν οἰκουμένην ἐν ταῖς ἐπείγουσι τῶν καιρῶν, εἰσφερόμενος τάχος, καὶ οὐδὲν ὧν ἦν ἀνάγκη θᾶττον μαθεῖν. βραδύτερον παρὰ τὴν τοῦ δὲ μέλλησιν Κωνσταντίου ἥκουσε. πλὴν εἴπου συνετρίβη καταπεσών. ἃ καὶ αὐτὸ τοῦ σπεύδειν σημεῖον ἐπαινούμενος δὲ τῶν πόνων, τὰ προτεινόμενα κέρδη διεθεῖτο. καὶ οὐκ ἔστιν ὅστις ἐπιδείξει τοῦτον, οὐκ ἐπιμελητὴν ὁρίων. οὐκ ἀγγελον ὑπάτων, ἢ νίκης μηνυτήν. οὐκ ἄλλο τῶν τοιούτων ὑπηρετηκότα οὐδέν. ὃ τὰς μὲν πόλεις ἀπώλλυεν. τοὺς δὲ δοκοῦντας διακονεῖν, μετὰ ἁμαξῶν χρυσὸν ἀγόντων ἀπέπεμπεν. Id est, *Hic vero cum iam Miles esset, corpore quidem eiusmodi laboribus inexperto, emensus sæpe est equis totum orbem, temporum necessitate vrgente quam velocissime, neque eorum quæ cito addisci necesse erat, quidquam serius propter cunctationem Constantini audiuit: nisi forte contritus esset concidendo, quod & ipsum festinantis indicium est. Qui collaudatus ob labores, propositos quæstus spreuit: Neque quisquam est qui probare possit, eum aut limitum Curiosum aut Consulum nuntium, aut victoria Iudicem, aut tale aliquod aliud ministerium obiisse, quod ciuitates quidem profligabat. Eos vero qui ministrare videbantur cum vehiculis auro onustis dimittebat.* Alter locus est in *Epitaphio Iuliani, pag. 305. ed. cit.* vbi de Legum seu Edictorum nunciis agens ait, καὶ τούτους οἱ κομίζοντες τοὺς νόμους, καὶ πολλὰ ἕτερα γράμματα. τὰ μὲν οὐ χείρω, τὰ δὲ καὶ βελτίω, τοσοῦτο ἀπεῖχον τοῦ μισθὸν ἐπὶ τούτοις αἰτεῖν, ὥσθ' ἑκόντων διδόντων οὐ προσίεντο. τοσοῦτος ἐπῆν κίνδυνος τοῖς οὐ καλοῖς λήμμασι. καὶ ἦν δῆλον ὡς εἰληφότι λαθεῖν οὐκ ἔσται, καὶ δοῦναι δίκην ἀνάγκη. οὕτως ἀγαθοῦ βασιλέως οὐ κατῃσχύνετο δόξα τῇ τῶν ὑπηρετούντων κακίᾳ. id est, *Ceterum qui leges hac perferebant & multa alia* [Principis] *Edicta, quædam vero nihilo inferiora, nonnulla etiam meliora, tantum abstinuerunt a mercede pro his petenda, vt vltro etiam dantes non admitterent: adeo periculum imminebat inhoneste quid accipienti, perspicuumque erat non posse fieri vt is qui accepisset lateret pœnamque dare necesse erat: sic boni Imperatoris gloria non dedecorabatur ministrantium malitia.* Qui quidem postremus Libanii locus pertinet nominatim, ad Nuncios quarumcunque sacrarum literarum, ὑπὲρ τῶν ἐμφανιζομένων θείων ῥημάτων, ἢ γενικῶν προστάξεων, de quibus est lex 2. *Cod. Iust. Publicæ lætitiæ vel Consulum nunciatores, vel insinuatores constitutionum & aliarum sacrarum vel iudicialium literarum, ex descriptione, vel ab inuitis ne quid accipiant immodicum:* & lex 26. §. 2. *Cod. eod. de Episcopali audientia.* Est & tertius hic de iisdem Nunciis Libanii locus, *epist. ad Richomerem.* quæ incipit τῆς ἡμέρας. ἢ ἐπὶ ταῖς σαῖς εὐπραξίαις ἡδονῇ σὺ μὲν γὰρ ἐργαζόμενος ἔχαιρες καὶ κρύπτων τὰ πεδία τοῖς ἀπὸ τῶν ἐναντίων νεκροῖς. ὑμεῖς δὲ παρ' ἀγγέλων ἀκούοντες τὰς νίκας, ἔχαιρεν δὲ οὐ μόνος ἀλλὰ μεθ' ὅλης τῆς πόλεως, &c. Est de his Themistii locus *orat. 4. pag. 53. edit. Harduin.* ἡνίκα ἧκον οἱ ἄγγελοι, προευαγγέλλοντες τὴν πανήγυριν. *Tum cum nuncii venere, qui ludos indicerent.* Porro *Euangelii* vox hac in re propria, qua vsus iam olim Cicero *ad Atticum lib. 2. ep. 3. init.* Quare (quod Conttius recte monuit) potuit hic *Titulus* vno verbo inscribi περὶ εὐαγγελίων. Ad hos publicæ lætitiæ seu Euangelii nuncios & Apostolos respicit *Euangelii* vox, quæque de eo prædicantur in sacra Scriptura quamplurima: & quidem frequentissime apud D. Paulum Apostolum qui sæpe ostendit (& quidem in Præfationibus Epistolarum suarum) quanto excellat Euangelium Saluatoris nostri, mundanis: nempe, Euangelium istud seu publicæ lætitiæ nuncium & Apostolatum, non ab homine seu Imperatore orbis, scilicet Romani, proficisci, verum a Deo: non subitanei casus alicuius nuncium esse, sed diu multumque expectatum: non de regno mundano, vel filio Imperatoris nato, sed de regno Dei filioque Dei exhibito: eoque consecratu post mortem non vano figmento, sed consecrato per resurrectionem eius: non ad nudam gratulationem, sed ad obsequium fidei; non vni ciuitati aut genti proprium, verum toti Orbi commune: denique nuncium salutis, Indulgentiæ debitorum, muneris & gratiæ & pacis, & quidem pauperibus etiamque mortuis: vnde & cum additamento εὐαγγέλιον vocatur τῆς βασιλείας, addita interdum voce τοῦ θεοῦ; Matth. *cap. 4. v. 23. cap. 9. v. 35. cap. 24. v. 14.* Marc. *cap. 1. v. 14.* Εὐαγγέλιον εἰρήνης Ephes. *cap. 2. v. 17. cap. 6. v. 15.* Actor. *cap. 10. v. 36.* Addere lubet quæ de hac voce Chrysostomus *homilia 1.* in Matthæum *pag. 4. Tom. VII. Oper. edit. Benedictin.* Εὐαγγέλιον δὲ αὐτοῦ τὴν πραγματείαν εἰκότως ἐκάλεσε. καὶ γὰρ κολάσεως ἀναίρεσιν, καὶ ἁμαρτημάτων λύσιν, καὶ δικαιοσύνην, καὶ ἁγιασμὸν, καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ υἱοθεσίαν, καὶ κληρονομίαν τῶν οὐρανῶν, καὶ συγγένειαν πρὸς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, πᾶσιν ἦλθεν ἀπαγγέλλων τοῖς ἐχθροῖς, τοῖς ἀγνώμοσι, τοῖς P. 609 ἐν σκότῳ καθημένοις. τί τοίνυν ἴσον τῶν εὐαγγελίων τούτων γένοιτ' ἄν; &c. *Opus autem suum iure Euangelium inscripsit. Siquidem sublatam vltionem, peccatorum veniam, iustitiam, sanctificationem, redemtionem, adoptionem, cælorum hereditatem & cognationem cum filio Dei, omnibus enunciatum venit, inimicis, improbis, sedentibus in tenebris. Quid tam bono nuncio possit æquari?*

Nunc de his tribus *Legibus* ipsis videndum est quæ omnes absunt e *Cod. Iust.* Hæ vero Valentem & Valentinianum Sen. Auctores habent. Et prima quidem, Valentem, duæ sequentes Valentinianum: qui ad eundem finem conspirant; Quæ caussa est, cur harum *legum* interpretatione coniunctim defungamur. Constant ex tribus partibus; Prohibitione ipsa, Limitatione, & Pœnæ sanctione. 1. Nempe publicæ lætitiæ nuncios *Sportulas* seu munera legitima, EVANGELIA, quæcumque a Prouincialibus inuitis exigere vetant, adscriptione facta, quod fieri solitum: sic vt pro modo capitationis, seu iugationis, id est, possessionum, adscriptio & collatio fieret; & Rectore Prouinciarum viritim hanc adscriptionem ferme faciente, *in prouinciarum damna* vt Valesius tuetur Marcellini lectionem *lib. 16. cap. 12.* De quo fuit etiam *supra* Libanii locus *orat. pro Aristophane*, ibi, ὃ τὰς μὲν πόλεις ἀπώλλυεν. Nempe malum istud frequenter

ter sub Imperatoribus inualuit: sub Constantio, de quo est & hic Am. Marcellini locus *d. lib. 16. c. 12.* Tunc & ROICTIS *propositis arroganter satis multa mentiebatur* (Constantius) & *si verbis gratia eo* (Constantio) *agente tunc in Italia, Dux quidam egisset fortiter contra Persas, nulla eius mentione per textum longissimum facta, laureatas literas* AO PROVINCIARVM DAMNA *mittebat*, &c. At sub Iuliano cessauit, si Libanio credimus loco superius allegato, saltem apud nonnullos. Quare subinde malum hoc repressum: Quæ omnino *concussionis* species erat. Qua causa etiam hic *Titulus* immediate post Titulum *de lucris Officiorum* proxime cohæret titulo *de Concussionibus Aduocatorum, siue Apparitorum.* At enim (quæ limitatio his *legibus* proponitur) sponte his aliquid donari permissum. Idque a duobus tantum hominum generibus, id est *ab Honoratis* (qui satis describuntur *l. 1.* emerito scilicet honore per prouincias pollentes, & de quibus plene semel dixi ad *l. 1. sup. de off. omnium Iudicum*) & a Curialibus (qui honoratis gradu in prouinciis finitimi erant:) Non ergo a tenuioribus & pauperibus. Publicæ autem lætitiæ species de quibus ad *l. 4. 5.* his *tribus legibus*, duæ memorantur: & adhuc Valentis *lege*, vnica tantum, nempe Consulum creatorum nuncius, de qua agitur quoque *l. 2. 3. & 4.* De quo est etiam prior ille Libanii locus ἡκ ἀγγελον, inquit, ὑπάτων: Quo etiam respexit Ausonius in *Gratiarum actione cap. 14.* ad festiuitatem, quæ nuncium de Consulibus creatis secuta: *celebrant quidem solemnes istos dies omnes vbique vrbes*, &c. Neque tantum ipsius Imperatoris Consulatus publica lætitia excipiebatur, verum & aliorum seu priuatorum, quod vt satis indicant indefinita verba Valentis *l. 1.* Valentiniani *l. 2.* & Libanii locus prior ita diserte id Valentinianus exprimit *l. 3.* Symmachus de suo Consulatu *lib. 2. ep. 62.* *Agens in rebus mihi apportanit sacras literas spei & desiderio congruentes, quibus cognoscerem clare* IN AVRES PVBLICAS *designationem Consulatus mei debere* PROFERRI [perferri *l. 2. 3. sup.*]

Illud notandum, Valentis *legem* latam, appetente proximo nouo Consulatu, sedecim diebus ante, puta XVII. Kal. Ianuarias: Nempe vt ita concussioni quæ a nunciis propediem exerceri poterat, in tempore occurreret, modumque huic rei qui seruaretur statueret: quod verba *legis* aperte ingerunt. Scilicet post 16. dies A. 365. Consulatum auspicaturus erat Valens cum Valentiniano fratre, De quo Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap. 5.* his verbis: *Valentinianus Mediolanum:* CONSTANTINOPOLIM [vbi data hæc *lex 1.*] *Valens discessit*, &c. *Agentes igitur in memoratis vrbibus Principes, sumpserunt primitus trabeas* CONSVLARES, &c. Atenim Valentiniani *leges* duæ, siue datæ, siue missæ, post cœptum iam nouum Consulatum *3. Id. Ian.* & *die Id. Februar.* siue quia de concussionibus nunciorum Consulatus forte querelæ recentissime ad eum perlatæ fuissent: siue quia de nunciis Victoriarum & triumphorum, quorum Libanius quoque superiore loco meminit νίκης μηνυτὴν in iis quoque agitur, quas scilicet hac tempestate nullo certo die Valentinianus de Alemannis in Gallia obtinuit: de quo videndus Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 2. & 5.*

In *Pœna* (quæ tertia harum *legum* pars est) huic concussioni ponenda variant Valens & Valentinianus: Nempe Valens *l. 1.* Rectores prouinciæ qui adscriptionem hanc fecerint, (nam hi adscriptiones faciebant seu indictiones collationum) vel hanc exactionem simulauerint, viginti libris auri multari iubet: Officiales eorum, quadraginta. At Valentinianus *l. 2. & 3.* dupli pœnam eius scilicet quod viritim distribuerint, imponit: Officialibus eorum, quadrupli. Nullam vero pœnam positam ipsis Nunciis exigentibus, vel accipientibus, *his tribus legibus*; istud est quod miror. Atenim Theodosius M. in hanc quoque partem cauit, *l. 4. infr.* Quam ideo, & quia plenior ea esset, solam Tribonianus retinuit, inque *Codicem* suum retulit.

IV. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & THEODOSIVS AAA. Floro PF. P. (b)

QVidquid nostrorum vmquam nuntiari cœperit prosperorum (c) bella (d) si desinunt, (e) si oriuntur Victoriæ, fastis (f) si honor datus fuerit Regalium (g) trabearum, (h) compositæ (i) pacis si erit efferenda tranquillitas, sacros (k) vultus inhiantibus si forte populis inferemus, (l) hæc sine pretio (m) nuntiari excipique sancimus. Gerulum (n) iubemus esse castissimum, (o) Indices (p) nummarios (q) esse prohibemus; Iudices statuimus esse sollicitos, *Ne turpi concludio quæratur ex miseris* (r) *pretium gaudiorum.* Quod si id sacrilega fuerit dissimulatione violatum, & accipientem (s) pudoris fortunarumque manebit excidium, & cogentem (t) par pœna multabit, & Officium triginta librarum auri vexatione quatiatur. (v) Dat. IV. Non. Feb. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino CONSS. [383.]

NOTÆ.

P.605

(a) *Lex vn. Cod. Iust. hoc titulo.* Videtur hanc *legem* suam indicare Theodosius M. *lege prox.* GOTHOFR.

(b) *Florus* hic PP. fuit sub Theodosio M. A. 380. 381. 382. 383. vide *Prosopogr.* Fuisse antem mihi videtur PP. Illyrici, vbi Mœsia prouincia: cuius mentio fit *l. 96. inf. de Decurionib.* quæ huic Floro PP. inscribitur A. 383. *ID.*

(c) *Prospera* Imperatoris, suntne hæc tria? pax, victoriæ, & Consulatus Imperatorum. *ID.*

(d) *Vt bella*, Cod. Iust. quo nihil opus erat: nam hoc elegantius *desiderns*. *ID.*

(e) *Desinunt*, Cod. Iust. *IDEM.*

(f) Hinc Cod. Iust. recte emendauit Cuiacius *Fastis si honor datus fuerit regalium trabearum*, vbi erat: *si oriuntur victoriæ fastus, si honor datus fuerit regalium, vel Consulum, vel trabearum.* Alciatus quoque perperam *fastus honor*, reponebat, qui in *libro Fastorum* refertur. *ID.*

(g) Id est Imperatoriarum. *ID.*

(h) Vide Comment. *ID.*

(i) *Compositaue*, Cod. Iust. *ID.*

(k) Id est Imperatorios: de quibus mox. Martialis, *lib. 8. epigram.* 24.

Qui fingit SACROS *auro vel marmore* VVLTVS
Non facit ille Deos, qui rogat, ille facit.

Cæterum Cod. Iust. hic legit, *si sacros. IDEM.*

(l) *Inferimus*, Cod. Iust. *IDEM.*

(m) *Hæc sine immodico pretio*, ita Tribonianus, propter *l. 2. illius tituli.* de quo mox. *ID.*

(n) *Gerulus*, vide & *l. 19. 31. infr. de appellat. ID.* In Cod. Iust. hæc ita leguntur: *Actum esse iubemus castissimum, indigentibus, non numerariis esse prabendum; Iudices* &c. quæ Cuiacius ab editione sua abesse voluit, retenta lectione Cod. Thaodosian. *RITTER.*

(o) *Castitas*, & *Castum*, de abstinentia omni a præda etiam & rapinis. Varro Andabatis: *Nec manus visco tenaci tinxerat viri casta.* Auctor subditus *Notitia Imperii, cap. 4. Si prouincias* CASTI *& integritatis cupidi moderentur:* vide plura in *Gloss. GOTHOFRED.*

(p) *Iudices* hic recte: non Iudices, vt nonnulli. Libanius in *loco citato ad l. super.* ὁ ὑπὲρ φωνῶν *ID.*

(q) *Nummarii* sunt lucri auidi, nummorumque exactores. Sueton. *Domitian. cap. 8. Nummarios Iudices cum suo quemque consilia notauit.* Hieronymus *Epist. ad Onasum* pag. 249. Tom. II. Oper ed. Francf. Volo *in nummarios inuehi sacerdotes.* Hinc in *Glossis*: *Namaria cupiditas*, ἀπληστία, φιλαργυρία, vbi nescio an *Nummaria*, absolute ponatur pro cupiditate, quod voluit Claud. Salmasius ad *Trebell. Pollion. Zenobiam cap. 30.* ibi: *nata est Hispanorum cupiditate.* an vero *nummaria cupiditas* iunctim. *ID.*

(r) *Miseros* vocat, prouinciales pauperes & tenuiores, vt vocantur *l. 1. sup.* iam satis aliunde attritos. *ID.*

(s) *In* addit. in nonnullis edit. Cod. Iust. mala. *ID.*

(t) Iudicem scilicet; quanquam forte hic reponat quis *conniuentem*, quod non adeo puto; nam hoc illi respondere videtur, quod repetit *l. vlt.* ab inuitis prouincialibus. *ID.*

(v) *Quaeritur*, Cod. Iust. *ID.*

V. (a) Imppp. Valentinianus, THEODOSIVS & Arcadius AAA. HABE (b) Tatiane (c) K. NB.

LEGEM † nostram, qua (d) nihil ab inuitis Prouincialibus gratulationis (e) nomine exigendum esse decreuimus, volumus custodiri. (f) Dat. IIII. Kal. Maii, Med. Timasio (g) & Promoto CONSS. [389.]

INTERPRETATIO. *Quando gaudia publica nuntiantur, nihil inuitis Prouincialibus gratulationis nomine exigatur.*

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust. GOTHOFREDVS.*

(b) De hac Inscriptione in *Prolegomenis*: vide Cuiacium *l. Obs. 15. in fin. ID.* Obseruauit ibidem Cuiacius, habere aditiones & Codices, *Habetatiane Kn.* quod videbis etiam in Sichardina. Cod. Gothan. legit *Habetaciane Kmo*, per *o* caudatum vtroque verbo. Quæ vitia barbaris sunt adscribenda temporibus. Rectissime hic Cod. Wurceb. *Habe Tatiane K. N. RITTER.*

(c) *Tatianus* hic PP. Orientis fuit sub Theodosio M. vide *Prosopogr. GOTHOFR.*

† An intelligit *legem 4. sup?* Non puto. *ID.*

(d) *Quam nihil*, Cod. Goth. *RITTER.*

(e) De hac *Gratulationis* voce dicam mox. *GOTHOFR.*

(f) *Custodire* Cod. Goth. *RITTER.*

(g) *Timotheo* Cod. Goth. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. duæ constitutiones sequuntur, eandem in sententiam: quarum posterior priorem aliquam tantum confirmat. Occasionem vero his duabus *legibus* præbuit alia atque alia causa, vtpote sexennii interuallo inter se distantes.

Ac vt de priore dicam, quæ elegantissima est, quamque vnam Tribonianus ex hoc *titulo* retinuit, duo ei causam præbuisse videntur 1. *Gothi*, quorum vniuersa gens se Theodosio tradidit, quam traditionem Idacius *Chronico*, & Marcellinus superiori consulatui adscribunt, ac nominatim Idacius in *Fastis* adscribit diei *V. Non. Octobr.* anni superioris II. Arcadius qui in Imperium adscitus a Theodosio paulo ante his ipsis COSS. A. D. 383. XVII. Kal. Febr. 16. Ianuarii, vt diserte testatur Socrates *lib. 5. cap. 10.* Sozomenus *lib. 7. c. 12.* & Idacius in *Consularibus*: adde & Idacium *Chronico*, & Marcellinum & Prosperum: (a) cuius proculdubio tum imagines inhiantibus populis illatæ.

Poste-

(a) Vide hic *Chronicon histor.* ad an. 383. & ea quæ a *Pagio* ibi dicta sunt. Errauit enim *Socrates*, quando scribit

Posterior *lex* lata videtur occasione Victoriæ de *Maximo Tyranno:* qui sane superiore Aono 388. a Theodosio M. deuictus fuit VI. Kal. Sept. teste Socrate *lib. 5. c. 14.* de quo pleoius ad *l. 6. inf. de infirmand. his quæ sub Tyrannis.* (b) Quicquid horum fit, de ipsa horum Theodosii M. constitutiuoum sententia videamus: quatum sane prior vt dixi, elegantissimo stilo conscripta est, qui vere Theodosii seculo congruit: quo etiam Ammianus Marcellious, Symmachus, & Ambrosius eriguntur, & quorum pleraque iam *in Notis* illustrauimus.

Primo loco in ea notandæ veoiuot publicæ lætitiæ species, & occasiones, & quidem sex oumero: puta, ob *Prosperorum nuntium*, ob *belli* alicuius *finem*, ob *victoriam*, ob *pacem:* quæ quatuot interpretatione vel illustratione ooo egent. De victoriarum seu ἐπινικίων nunciis, iuxta *legem 2. 3. 4.* est quoque Chrysostomi locus *in Matth. homilia 20.* (*19. edit. Benedict. Tom. VII. pag. 257.*) Symmachi, *lib. 10. ep. 61.* aooo post hanc *legem* proximo 384.

Sequuntur duæ siogulates species: Quarum prior, quæ in aliis quoque *legibus* occurrit, est, *fastis si honor datus fuerit Regalium Trabearum.* Vbi *fastis* dati Consules *d. l. 4. sup.* dicuntur, quod Consulum nomina Fastis Consularibus adderentur, de-
P.607 que eorum nomine anni in Fastis notarentur. Res volgata: lo veteri quoque lapide quem adduxit etiam Cl. Sauaro *not. ad lib. 2. ep. 7. Sidonii.*

TER VICE QVI SACRA OISCINXIT IVRGIA IVDEX
CONSVL ET AETERNO DECORAVIT NOMINA FASTVS.

Vbi *decorauit*, respondet illis *d. leg. 4. supr. Fastis si honor datus fuerit.* Lactantius *lib. 6. c. 4. Qui ad gerendos Magistratus omnem vita sua operam curamque conuertunt, vt* FASTOS *signent, & Annis imponant nomen.* Claudianus io Consulatu Olybrii & Probini *vers. vlt.*

Longaque perpetui ducent in secula FASTI.

In 4. Consul. Honorii. *v. 154.*

- - - *Inter cunabula Consul*
Proueheris, signas posito modo nomine FASTOS,
Donaturque Tibi qui Te produxerat, Annus.

Sidonius *lib. 1. ep. 9. Kalendæ Ianuariæ, quæ Augusti Consulis mox futuri, repetendum* FASTIS *nomen operiebantur.* Idem Sidonius *Carmine 2.* ad Anthemium *Cos. II. v. 3.*

Annum pande nouum, Consul vetus, ac sine fastu,
Scribere bis FASTIS.

Cassiodorus *II. Var. 1. Admonet nos consuetudo solennis dare* FASTIS *nomen ornatum proprium Romæ.* Vnde & *Fasti dari* dicebantur, cum nouorum Consulum nomina publice nunciarentur: Sidonius *lib. 8. ep. 6. Itaque, vt primum breui peracta, nec breuis sportula,* DATIQVE FASTI, *acclamatum est ab omni Galliæ cætu, primoribus Aduocatorum, vt festiuitate præuentas horas antelucanas, qui diem serum, cum silentio, præstolarentur, congrua meritorum fascium laude honestarent.* Neque enim cum viro docto putem ibi *fastos* dici tabulas eburneas, Consulum nomioe insctiptas, seu diptychas, de quibus *lege 1. inf. de expens. ludor.* sed potius nomioatim Fastorum seu Consulum: *dare*, pto edere, quod sane sequentia iodicant, de acclamatione: statim scilicet vt data editaque Consulum nomina, acclamatio secuta. Ita enim *hac l. fastis honor* DATVS dicitur *Regalium trabearum.* In genere veto de eo quod de Consulum nomine Annus designaterur, iofioita testimonia occurrunt: vide vel Senecam *de breuitat. vit. cap. 19.* Pacatum *Panegyrico cap. 16.* Apuleium *Apol. 2. pag. 318. edit. Lugdun. Bat. apud Ioan. Maire, 1623.* Claudianum *non vno loco* & significantissime, *in Prob. & Olybr. Consul. v. 204. Felicemque vterum, qui nomina parturit anni.* Cassiodorum *VI. Var. 1. IX. Var. 22.* Iustinianum *Nouell. 105.*

Sequuntur illa *Regalium Trabearum. Trabea* scilicet vestis Consularis fuit, seu παράσημον Consulum, quod aliunde iam notissimum. Sidonius *prædicto loco: Consul Asterius anni sui fores votiuum* TRABEATVS *aperuerat.* (c) Ammianus Marcellinus *loco ad super. leges laudato lib. 26. cap. 5. Agentes igitur in memoratis vrbibus Principes sumpserunt primitus* TRABEAS *Consulares.* Vide Ausonium *Gratiar. action. cap. 21.* Claudiaoum, vbi de Eutropio Eunucho Cos. *lib. 1. v. 9.*

- - TRABEATA *per vrbes*
Ostentatur anus, titulumque effæminat anni.

Idem *in 4. Cos. Honorii*, agens de Consulibus, qui ab aratro antiquitus sumpti *v. 417.*

- - *Collecta Consule messis,*
Et sulcata diu TRABEATO *rura colono.*

Et rursum *v. 638.*

- - - - *Semper venere Triumphi*
Cum TRABEIS.

Idem in consulatu Olybrii & Probini *v. 178.*

Iam parat auratas TRABEAS - -

Et in 3. Consulatu Honorii *v. 5.*

Succedant armis TRABEÆ - -

Et in 4. Consulatu Honorii *v. 12.*

Iam TRABEAM *Bellona gerit* - -

vide & Cassiodorum *II. Var. 1.* & *IX. Var. 23.* Trabeæ Consularis Schema referunt Nummi horum temporum. Trabeata quies, *l. 33. infr. de petitionib.* vbi plura dixi.

Postrema siogularis lætitiæ occasio, *d. l. 4. sup.* his verbis exprimitur: *Sacros vultus inhiantibus si forte populis inferimus.* Quanquam & illa aliarum accessio: veluti post victoriam, & Tyraono superato, vel cum Imperium sumereot: vt omittam quæ de more proponendi Principum imagines in Circo, ab aliis iam notata. Per Gerulos subinde destinatæ a Principibus imagines in prouincias, quæ a Prouincialibus magno applausu, *inhiantibus populis* (vt hæc *lex* loquitur) excipiebantur. Zosimus de Constaotino M. *lib. 2. cap. 9.* Εἰ δὲ τῇ Ῥώμῃ τῆς εἰκόνος αὐτοῦ δειχθείσης κατὰ τὸ σύνηθες, *Eius imago Romæ cum pro more exhibita esset*: de Maaentio per Carthaginem & Africam *l. 2. cap. 12.* τοὺς τὴν εἰκόνα τοῦ αὐτοῦ περιιόντας ἔπεμπεν. *Misit qui eius imaginem circumferrent.* Huius moris

XVII. Kal. Febr. Arcadium Augustum factum esse. Factum enim id tantum *XIV. Kal. Febr.* sine Die *XIX. Ianuar.* vt patet ex Chronico Alexandrino, qui dies ideo electus, quia eodem acceperat imperium Theodosius M. Cæterum *in annum 383.* incidunt Theodosii M. *Quinquennalia*, quæ non tantum illa in *lege 4. Siquid nuntiari cœperit nostrorum* PROSPERORVM illustrant, sed etiam Arcadii ad Augustale culmen euectionem stabilire possunt.

(b) Etiam legem 5. illustrari posse existimarem, ex *Decennalibus* Theodosii M. quæ in annum 389. incidunt. Sed maius est momentum. Nimirum hoc eodem anno Romæ *Triumphum* egit Theodosius, vid PAGI *in Crit. h. a. n. 6.* Cum vero propter hos, ad prouinciales perlatos, vt loquitur *lex 3. supr.* sportulæ exigerentur, nullum est dubium, occasione Triumphi huius legem hanc datam esse.

(c) Vide ad hunc locum CL. SAVARONEM, it. *ad lib. 8. ep. 8.* & *Carm. 2. ad v. 3. 4.* qui alia cumulauit, quæ superiora illustrant de *Fastis Consularibus*, & de *trabea* quoque disputauit.

ris multa mentio, vt vetustiora omittam, superiore sæculo apud Capitolinum *in vit. Gordianorum cap.* 10. *Peractisque rebus in castris Gordianorum & litera & VVLTVS sunt propositi.* Hoc seculo non vna meotio; Libanius *epistola* 841. ad Seuerinum de Theodosio M. cuius hæ sunt Leges. Σοὶ δὲ χρήματα μὲν ὀλίγα, πολλαὶ δὲ εὐφημίαι πανταχοῦ, καὶ τὸ μᾶλλον ἑτέρων, πιστεύεσθαι παρὰ τοῦ τῷ τρόπῳ κοσμοῦντος τὴν βασιλείαν, ὃν οἱ ποιήσαντες θεοὶ τοῦ Τυράννου κρείττονα καὶ δεῦρ᾽ ἀγάγοιεν. ἡδὺ μὲν ἡμῖν θέαμα, καὶ αἱ εἰκόνες, οὐδὲν δὲ οἷον τὸ αὐτόν τε ἔχειν καὶ φωνῆς ἐκείνης ἀκούειν, καὶ κάλλους μὲν ψυχῆς ἐγγύθεν ἀπολαύειν, κάλλος δὲ ὁρᾶν σώματος διὰ τῆς πόλεως ἀστράπτον, id est, *Tibi vero pecunia quidem pauca, multa vero vbique fausta acclamationes, maiorque præ aliis tibi fides ab eo qui moribus Imperium ornat: quem vtinam Dii, qui eum Tyranno superiorem fecere, huc adducant.* IMAGINES *quidem iucundo nobis sunt spectaculo, nihil vero tale est quam & ipsum habere, & vocem illam audire, & animæ pulchritudine comminus frui, pulchritudinem autem corporis videre per vrbem micantem.*

Extat quoqoe sub Honorii nomioe *epistola* ad Arcadium *relata A.404. n.80.* a Barooio, & *inter Oper. Chrysostom. Tom. III. pag. 524. edit. Benedictin.* vbi *imaginem muliebrem* (Eudoxiæ scilicet) *nouo exemplo per prouincias circumlatam* ait, & exprobrat. Apud Chrysost. non vno loco. Primus *Orat. 7. de Laudib. S. Apost. Pauli, Tom. VIII. Sauilian. pag. 57. Tom. II. edit. Benedictin. pag. 512.* Ὅταν οἱ τὰ σημεῖα βαστάζοντες τὰ βασιλικὰ, σάλπιγγες πρὸ αὐτῶν ἠχούσης, καὶ πολλῶν στρατιωτῶν προηγουμένων, εἰς τὰς πόλεις εἰσίωσιν, ἅπας ὁ δῆμος συντρέχειν εἴωθεν, ὥστε καὶ τῆς ἠχῆς ἀκοῦσαι, καὶ τὸ σημεῖον ἰδεῖν ἐφ᾽ ὑψηλοῦ φερόμενον, καὶ τοῦ βαστάζοντος τὴν ἀνδρείαν *Quoties ii, qui portant signa regalia clangentibus ante se tubis, & acie militum præeunte, ingrediuntur vrbes: omnis populus consueuit accurrere ad audiendum buccinæ sonum, vel signum, quod in sublime fertur videndum, ipsius etiam virtutem ferentis.* Ait Chrysostomus, Gerulis imaginem Imperatorum in vrbes inferentibus tubicinem præcessisse, multosque præterea milites & vniuersum populum concurrisse visendæ imaginis studio, quæ ferebatur in sublimi, & vt loqueretur Tertullianus, *in suggestu*, & vt Geruli fortitudinem viderent. Vnde apparet, graues admodum fuisse has imagines. Imo idem Chrysostomus *ibid.* Gerulos ipsos munde vestitos auroque ornatos fuisse ait: οἱ μὲν οὖν παρὰ τῶν ἔξωθεν ταύτης ἠξιωμένοι τῆς τιμῆς (vt scilicet Geruli sint Imaginum) ἱμάτια περίκεινται καὶ περιαυχένιον κόσμον χρυσοῦν, καὶ πανταχόθεν εἰσὶ λαμπροί. *Et illi quidem qui in exercitu hoc honore donati sunt, ornantur veste pretiosa, aureis torquibus colla subnixi, nitentes vndique & vndique refulgentes.* Formam horum Imaginum depiogit idem Chrysostomus *T. VI. Sauilian. pag. 725. Tom. III, edit. Benedictin. pag. 54. Homil. 5. in Inscript. altaris:* οὐχ ὁρᾶτε καὶ ἐπὶ τῶν εἰκόνων τούτων τῶν βασιλικῶν, ὅτι ἄνω κεῖται μὲν ἡ εἰκὼν, καὶ τὸν βασιλέα ἔχει ἐγγεγραμμένον, κάτω δὲ ἐν τῇ χοίνικι ἐπιγέγραπται τοῦ βασιλέως τὰ τρόπαια, ἡ νίκη, τὰ κατορθώματα; οὕτω δὲ καὶ ἐπὶ τῶν γραφῶν ἐστιν ἰδεῖν, γέγραπται μὲν ἡ εἰκὼν ἡ βασιλικὴ ἄνωθεν. κάτωθεν δὲ ἐπιγέγραπται ἡ νίκη, τὰ τρόπαια, τὰ κατορθώματα πάντα. *Nonne hoc videtis in regiis quoque imaginibus, vt sursum quidem posita sit imago, quæ regis nomen inscriptum habet, inferius in basi triumphos, victorias & præclara facinora inscripta habet? Idem in scripturis licet cernere. Sursum quidem depicta est imago regia: inferius autem victoria inscripta est, & tropæa, & res omnes præclare gesta.* Est & de hoc mote alter hic eiusdem Chrysostomi locus *Homil.* εἰς τίμιον σταυρόν. (a) Βασιλέως ἀπόντος εἰκὼν βασιλικὴ, πληροῖ χώραν βασιλέως καὶ προσκυνοῦσιν ἄρχοντες, καὶ ἑορτὰς νεμηνίαν ἐπιτελοῦνται, καὶ ὑπαντῶσι δῆμος καὶ προσκυνοῦσι, οὐ πρὸς τὰς εἰκόνας βλέποντες, ἀλλὰ πρὸς τὸν χαρακτῆρα βασιλέως. Ait Chrysostomus in occursum iuisse populum his Imaginibus (quod respondet illis *iubiantibus populis*) ado P.608 ratas a Magistratibus & a populo: de quo in commune Imaginem Imperatorum adoratione dicam ad *l.vn. infr. de imaginib. Imperialibus.* Græcorum vulgus apud Constantinopolim hæc *imperialia signa* vocauit *Regum Laurata.* Nicæna Synodus II. Action. I. *pag. 46. Tom. IV. Concilior. edit. Harduin.* Εἰ γὰρ βασιλέων λαυράτοις καὶ εἰκόσιν ἀποστελλομέναις ἐν πόλεσι καὶ χώραις, ἀπαντῶσι λαοὶ μετὰ κηρῶν καὶ θυμιαμάτων, οὐ τὴν κηρόχυτον σανίδα τιμῶντες, ἀλλὰ τὸν βασιλέα. *Si enim regum Laurata & iconas missas ad ciuitates vel regiones, obuiæ adeunt populi cum cereis & incensis, non ceræ perfusam tabulam, sed imperatorem honorantes.* (quem locum quidam male tanquam ex Optato citant, quia Balduinus eum ad Optatum Mileuitanum laudaueret.) Vbi vides obuios populos Imaginibus his cum cereis & incensis occurrisse. Gregorius Papa, *Epist. I. ad Leonem Isaurum, de sacris imaginibus, Tom. IV. Concil. Harduin. pag. 11, 12.* Διὰ τοῦτο

(a) Locum, quamuis repetitum *leg. 1. infr. de imagin. imperial.* non inuenio. Est *εἰς τίμιον σταυρὸν oratio spuria* inter Opera Chrysostomi *Tom. VIII. pag.* 200. *edit. Benedict.* in ea tamen nihil de imaginibus imperatoris, vti nec in alia *de Cruce Tom. eod. ed. cit. pag.* 136. neque in illo *de venerabili cruce Tom. II pag.* 820. neque in duabus *de Cruce & Latrone Tom. eod. pag.* 397. 405. Sed vt sunt alia multa spuria inter venerabilis Patris Chrysostomi Opera, ita quidem superesse quandam adhuc Homiliam *de Cruce* non dubitauerim, quam tamen dum ad manus non est Sauiliana editio accurate citare non potui, inferius vero *l. c.* denuo sollicitudinem adhibiturum me confidas, ne elegans locus negligatur. In gratiam nonnullorum ita latine verto: *Absentis imperatoris Augusta imago, loco est imperatoris, & Magistratus eam adorant, & festiuum mensem agunt, & obuiam procedit populus adorans, non imaginem respiciens, sed Augusti dignitatem.* Illustrant hæc, illa Seueriani Episcopi Gabolorum *orat. 6. de mundi creation. inter Opera Chrysostomi Tom. VI. edit. Benedictin. pag.* 500. Καὶ ἐπειδὴ βασιλεὺς πᾶσιν οὐ πάρεστι, δεῖ παρεστάναι τὸν χαρακτῆρα τοῦ βασιλέως ἐν δικαστηρίοις, ἐν ἀγοραῖς, ἐν συλλόγοις, ἐν θεάτροις ἐν παντὶ δὲ τόπῳ, ἐν ᾧ πράττει ἄρχων, δεῖ παρεῖναι, ΙΝΑ ΒΕΒΑΙΩΤΑΙ ΤΑ ΓΙΝΟΜΕΝΑ. *Quia autem Imperator non omnibus adest, necesse est imperatoris effigiem in tribunalibus, in foris, in cœtibus, in theatris exhiberi In omni ergo loco, in quo negotia tractat præfectus, effigiem esse oportet,* VT QVÆ FIVNT AVCTORITATEM HABEANT. Sed exstantissima sunt verba Gregorii M. ex *lib.* 10. *Epistol.* quæ produxit CL. DV FRESNE *Glossar. Latin. voc. Lauratum. Venit autem icona suprascriptorum Phocæ & Leontiæ Augustorum Romam VII. Kal. Maii, & acclamatum est eis in Lateranis in Basilica Iulii ab omni Clero & Senatu: Exaudi Christe: Phocæ Augusti & Leontiæ Augustæ vita. Tunc iussit ipsam iconam Dominus Beatissimus & Apostolicus, Gregorius Papa reponi in Oratorio S. Cæsarii Martyris, intra palatium.* Quibus addo Philostorgium *lib. 12. cap. 12.* Αἱ δὲ τοῦ Κωνσταντίου εἰκόνες, ὡς ἔθος ἦν τοῖς ἄρτι παρελθοῦσιν εἰς βασιλείαν πράττειν, ἀνεπέμποντο πρὸς τὴν ἕω. *Constantii igitur imagines, vt moris erat eorum, qui recens ad imperium promoti erant, missæ sunt in orientem.*

το καὶ τὰ λαυράτα σῦ κατεδέξαντο, καθὼς πρέπει βασιλεῦσι βασιλέας τιμᾶν. *Idcirco etiam Laurata Tua receperunt, vt reges a regibus honore affici conuenit.* Et paulo post: Τότε ῥίψαντες τὰ λαυράτα σῦ κατεπάτησαν, καὶ ἀνασκαφὴν τῦ προσώπυ σῦ ἐπειήσαντο. *Tunc proiecta laurata tua conculcarunt, & faciem tuam conciderunt.* Concilium Chalcedonense anno Christi 451. *Action. 3.* in libello Sophronii Christiani ad Leonem Papam de criminibus Episcopi Dioscori, *pag. 337. Tom. II. Concilior. ed. Harduin.* Τῶν γὰρ θείων λαυράτων ἐπ' εὐτυχίᾳ οἰκυμενικῇ εἰσερχομένων καὶ ἐν τῇ μεγαλοπόλει Ἀλεξανδρείᾳ, ἐ παρῃτήσατο ἐρανα διανέμαι πλείσοις δι' Ἀγοράσε, καὶ Τιμοθέυ καὶ ἑτέρων τινῶν, καὶ ταῦτα παρασκευάσαι διωχθῆναι. *Nam & sacra Laurata, cum & pro felicitate orbis terræ & in Alexandrinam ciuitatem introissent non recusauit multis dispergere pecunias per Agorastum & Timotheum & alios quosdam, vt ea de ciuitate depelleret.* Iohannes Damascenus *Orat. 3. pro Imaginib. p. 362. Tom. I. Oper. edit. Paris. Mich. Lequien.* Εἰ γὰρ βασιλεῦσι, φθαρτοῖς πολλάκις, καὶ ἀσεβέσι, καὶ ἁμαρτωλοῖς, καὶ τοῖς ὑπ' αὐτῶν χειροτονυμένοις ἄρχυσι, καὶ τοῖς τύτων λαβράτοις προσκυνῦσιν ἄνθρωποι. *Nam si reges, qui interitui obnoxii sunt, quinimo plerumque impii & peccatores, nec non præfectos a regibus constitutos, & imagines ipsorum homines adorant.* Ex his iouterim apparet, sequiore seculo has Imagines *Labratas* dictas. Quare & Basilicorum Ecloga *lib. 56. t. 17. cap. 65.* hunc *huius leg.* locum ita reddit: ὥστε λαβράτα καταγγέλλειν. Præter superiora loca, de Labratis, est & istud *Chronici Alex.* Pufæo & Ioanne Coss., *pag. 748. edit. Rader.* ἐβασίλευσεν Ἀνθήμιος, καὶ ἀπῆλθεν εἰς Ῥώμην καὶ εἰσῆλθεν τὰ λαβράτα αὐτῦ ἐν Κωνσαντινυπόλει διὰ Φηρεντίυ ἐπάρχυ τῆς πόλεως. *Imperauit Anthemius, Romam profectus. Illius Labrata Constantinopolim per Pherentium Præfectum vrbi illata sunt.* Huius vero nominis triplex hactenus origo redditur. 1. Alii tanquam *Laureatas* dictas volunt. 2. Alii vt Glossæ Nomicæ, κατὰ συγκοπὴν quasi *Laboratas* affabre Λαμβράτυμ (λάβρατον) ἐκ τῦ λαβόρατον καὶ κατὰ συγκοπὴν λάβρατον, τυτέστιν ὁ εἰργασμένος καὶ χειροποίητος ἄρος. 3. Alii a *Labris*, quod adoratione exciperentur, quæ adoratio fiebat apud Antiquos religioso cultu, manu ad labra admota: (de quo adorationis genere dixi quoque ad *Libanium*) Sane in *Glossis*, *Laboratum* φίλημα βασιλικόν, vel ἀσπασικὸν βασιλέως dicitur. Ergo pariter *Labratum*, Imaginem Principis dictum volunt; quia sic, labrato inquam, adoratæ Imagines Principum. Mox & *Labratum* dictum de quouis simulacro & effigie. Sic enim Iohannes Pediasimus Bulgariæ Chartophylax *in libello MS. quem laudat Cl. Salmasius not. ad Flau. Vopisci Probum cap. 23.* περὶ γεωδαισίας. ἐν τοῖς τῶν χωραφίων ἀρχαῖς εἰώθαμεν πέτρας ὀξείας ἢ ταῦρυς, ἢ λάβρατα τιθέναι ὡς σύνορα. Etsi ego hanc litem meam non facio, mihi tamen magis probatur noua hæc sententia: (a) Nempe *labrata* ideo dicta, quia sacri hi vultus, vt hic signate dicuntur, & *l. vlt. infr. de excus. artif.* & *l. vn. infr. si quis solidi circulum*: seu sacrum os, *l. 6. de indulg. crim.* seu *Labra* iis exprimerentur. Quomodo & quæ exprimebantur pectore tenus thoracides & σηθάρια dicta: de quib. thoracidibus clypeis & προτομαῖς iam alii obseruarunt. Sane *Vultus* vox hac in re vsurpata. Capitolinus *Maximo & Balbino cap. 17. Vbique terrarum iam vultus vestros adorant*: Vopiscus *in Probo cap. 23. Imperatores nostri & consecrandam* VVLTIBVS, *& ornandam templis, & celebrandam ludis Circensibus indicarunt.* v. *sup.* alterum Capitolini locum *in v. Gordianorum, cap. 10.* Nazarius *Panegyrico cap. 12. Abolere hic* VVLTVS *non potest, vniuersorum Pectoribus infixus est, nec commendatione cera, aut pigmentorum fucis retinet.* Ambrosius 6. *Hexamer. cap. 9. Principum capita, & ducti* VVLTVS *de are adorantur.* Hos vultus inter insignia quoque Magistratuum nonnullorum exhibet *Notitia Imperii* io hasti, puta Præfectorum Prætorio, Proconsulum,

(a) Nimirum CL. SALMASIVM sequitur Gothofredus, cuius sententiam quoque tetigi *ad legem 1 de terris limitan.* Sed pauca hic ex notis eius ad Vopisci *Probum cap. 23.* exscripsisse iuuabit. Ita vero ille: „*Labrata* sunt „imagines imperatoris. Vnde vero dicta illa λαβρατα? Putant docti homines λαβράτον scribi, pro λαυράτον. „Et esse *lauratum* latine, hoc est *imaginem imperatoris laureati*, & triumphantis. Sed quis vnquam *lauratum* „ex Latinis, pro *laureatum* dixit? Hoc vt probent, citant Optatum Mileuitanum, & hæc illi verba affingunt: „*laurati & iconibus quæ mittuntur ad ciuitates, vel regiones, obuii adeant populi cum cereis & incensis, non ceræ* „*perfusam tabulam, sed imperatorem honorantes.* Si hæc Optati verba sunt, nec ipse dubitauero, quin lauratæ „sint laureatæ imagines. Totum mihi Optatum semel iterumque versanti, nusquam locus ille occurrit: quem „tandem inueni in notis Balduini ex versione græci auctoris, quem nisi fallor adduxit in suis annalibus Baro„nius. *Lauratis* igitur posuit, quod in græco esset λαυράτοις. Sed λαυράτον cum scribitur apud Græcos, scias „id esse pro λαβράτον vt ταῦρας pro λάβρος: interdum scriptum reperitur apud Græcos. Vera igitur huius „vocabuli scriptura λαβράτον. Latine *Labratum*. Glossæ. *Labratum*, ἀσπαστικὸν βασιλέως. *Labratum*, φίλημα „βασιλικόν. *labratum* ἀσπασικὸς est, nam integrum erat, *labratum osculum.* Sed adiectiuum in substantiuum tran„siit. *Labrata* autem *oscula* sunt, labria impressa, vt loquitur Minutius Felix in Octauio. *Cæcilius simula„cro Serapidis denotato, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admouens, osculum labris impressit.* Nam is erat „adorationis ritus apud veteres, vt iam omnes sciunt. Plinius: *in adorando dextram ad osculum referimus.* „Apuleius Apologia: *Nulli Deo ad hoc aui supplicauit: nullum templum frequentauit: si fanum aliquod prætere„at, nefas habet adorandi gratia manum labris admouere.* Hinc *labratum osculum* eius, qui in adorando ma„num labris admouebat, & osculabatur. Sic *numina* sua olim, sic *Imperatores* suos adorabant, & *imperato„rum imagines*, haut minus, quam Deorum simulacra. Et notandum est, ab auctore Glossarum, *labratum* „non simpliciter exponi φίλημα aut ἀσπαστικόν, sed ἀσπαστικὸν βασιλέως, & φίλημα βασιλικόν. quia scilicet soli im„peratores hoc genere *labrati osculi* salutarentur, id est adorarentur.„ Deinde: „*Labrata* autem *oscula* di„ximus ea dici, quibus in adorando vtebantur, & inde dici quod *manum labris admouerent* cum adorabant. „At *imperatorum imagines & sacri vultus*, qui *populis inhiantibus*, vt lex loquitur, *inferebantur*, quod ab omni„bus adorarentur, & huiuscemodi *labratis osculis* excipi solerent, *Labrata* etiam vt dicerentur inualuit. „*Labratum* proprie est *salutatio* vel *adoratio*, qua imperator vel imperatoris imago excipitur. Glossæ ἀσπα„στικὸν βασιλέως interpretantur. Verum ipsa etiam *imago imperatoris*, quæ labratis adorabatur, ita dicta est, „hinc passim Græci λαβράτα vocarunt *imagines regias.*„ Adde his MEVRSIVM *in Glossar. voc.* λαβράτον, quem & Salmasius & Noster notarunt, quod male locum, tanquam Optati esset, produxerit, sed inprimis contra eum disputat laudatus Salmasius, quod laureatas sibi Imperatorum imagines fingat. CL. DV FRESNE *in Glossario vtroque voce.* λαυράτον, & *Lauratum*, non loca tantum collegit alia, huc pertinentia, sed & de imaginibus imperialibus latius exposuit.

lum, Comitum quorundam, Vicariorum, Consularium, Correctorum, Præsidum. Quæ quidem Imperatorum Imagioes procedentibus illis præferebantur. Ita quoque Iulianus iam Cæsar Constantii Imaginem præferre iussus in Galliis, solitusque, vt ipse testatur *orat. ad S. P. Q. Ath. pag. 278. edit. Spanhem. Lipsiens.* Sic tamen vt in solius Præfecti Prætorio hastili parte inferiore *Tubicen* exprimatur, quod Chrysostomi locus superior explicare videatur. Sed & Cassiodorus. *VI. Var. 20.* in formula Consularitatis *Vultus quin etiam regnantium geniata obsequii pompa præmittit: vt nan solum summi Iudicis, sed & Dominorum reuerentia cumulatus orneris*: & mox: *de Principum imagine metuendus.* Cæterum *Labra* pro *Vultu* vsurpata videntur sequiore illo æuo. Grammatici sane recentes inter *labium* & *labrum* distinguunt: fœminis labia, *labrum* masculis tribuuot. Sic & *rostrum* de hominis vultu dictum; quomodo & hodie Hispaois *Rostro* pro vultu & facie, si & nobis diuinare liceat in vocabulo mediæ vetustatis Græco, in quo ipsi Græculi dissensere: *Nomici* inquam *Glossarii*, & *alterius* qui Philoxeno tribuitur, Auctor. Eædem & Φάροι d'ctæ antequam *Labratarum* vsus inoleuisset sub Theodosio Iun. Isidorus Pelusiota *lib. 1. ep. 337.* ὡς μεχρὶ νῦν αἱ τῶν βασιλέων εἰκόνες τῷδε Φάροι προσαγορεύονται. *Quemadmodum ad hunc vsque diem Imperatarum imagines huius aut illius fora nuncupantur.* Qui ridere volet, videat *ibi* Isidorum ab his Φάροις forum Appii deducentem.

In *d. lege 4.* Interpretationem quoque desiderant illa, gratulationis oomine. Nempe id significant proprie, publicam lætitiam & applausum ob gratum nuncium & εὐφημίαν: Eodem prorsus sensu quo Spartianus *Hadrian. c. 2.* eo loco, quem hic quoque repetere iuuat, & in quo Interpretes hactenus laborant: *Traiano a Nerua adoptato, ad gratulationem exercitus missus in Germaniam superiorem translatus est: ex qua festinans ad Traianum, vt primus nunciaret excessum Neruæ*, &c. *Ad gratulationem exercitus missus*, id est, ad gratum nuncium exercitus perferendum, & εὐφημίαν plausumque prouincialium: Sic & tertio loco M. Antoninus in oratione apud Vulcatium Gallicanum *in Auidio Cassio cap. 12. Habetis igitur P. C. pro gratulatione victoriæ generum meum consulem, Pompeianum dico.* Sic Nazarius *panegyrica c. 33. Hæ victoriarum gratulationes: nec minus vberes fructus reliquarum virtutum fuerunt.*

Quod ipsammet Theodosii M. sententiam attinet; seuerior adhuc in *tribus* Theodosius M. *his legibus* fuit hac parte, quam Valentinianus & Valens *superioribus legibus*. Primum in eo, quod sine vlla exceptione sportularum harum vsui gratulationis nomine omoibus interdicit, noo exceptis Honoratis & Curialibus vt in superioribus *legibus*. Secundo quoad pœnam: nempe Accipientis pudoris & fortunarum excidium, id est, infamiam & bonorum proscriptionem minatur: cum nullam videam *accipienti* comminatos Valentem & Valentinianum. Tertio, quod maiorem adhuc quam illi pœnam Iudici comminetur conniuenti, nempe bonorum pariter proscriptionis & infamiæ: Officio vero eius 30. librarum auri, cum alias pœnas & mitiores quidem Valens & Valentiniaous *illis legibus* imposuerint.

Neque illud tandem omitteodum, Theodosium *l. 4.* oonnisi de Consulatu Imperatorio agere: Vnde putem, morem nunciandi Coosulatus priuatis delati tum exoleuisse, cum antea aliter obtineret, vt exerte docuit *lex 3. sup.* vel certe de Consulatu priuato noo dubitarum, quin gratulationum nomine quid exigi non posset: dubitatum tantum de Consulatu Imperatoris. Illud sane his *legibus* conuenit cum superioribus, quod *cogi* quemquam vetat, seu ab inuitis tantum prouincialibus exigi.

P. 669

DE DONATIONIBVS.

TITVLVS XII.

LIB. VIII. COD. IVST. TIT. LIV. Ad hunc *Titulum* allusisse videtur ipsemet Theodosius Iun. *Nouella I. de Theodosiani Cod. auctoritate.* Hinc vero incipit *Secundum* huius libri membrum seu argumentum de *Donationibus*: quo pertinent quoque tituli sequentes, *de reuocandis donationibus, & de ingratis liberis; & de iis quæ administrantibus vel officium publicum gerentibus distracta sunt, vel donata:* Addantur ad hanc materiam sex insuper alii *Tituli*, puta *tit. de inoffic. donationib. de quibus est* & *l. 9. de infirm. h. q. sub Tyr.* & *l. 6. de inoffic. testam. l. vn. si certum pet. de Suffragiis:* Tit. *de sponsalibus, & ante nuptias donationib.* Tit. *de collat. donatar. vel relcu. poss.* Tit. *de petitionib. & vltro datis:* Tit. *si petitionis socius sine hærede defecerit.*

PARATITLON.

DONATIO *Rubr.* & *l. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9 h. tit.* seu liberalitas, *l. 8. h. t.* Alia est directa, *l. 1. h. t.* Alia mortis causa instituta, *d. l. 1. h. t.* Alia conditionibus faciendi, aut non faciendi suspensa, *d. l. 1.* Alia ex aliquo notato tempore promissa, *d. l. 1. h. t.* Alia, animo dantium accipientiumue sententiis, quantum ius finit (id est, dummodo

modo non in fraudem legum fiat) cognominata, (id eſt contractus alicuius nomine velata) *d.l.1.b.t.* Alia denique fit retento vſufructu, *l.8.* & *9. b.t.*

Regulæ autem, ſeu conditiones certæ in donationibus ſeruandæ ſunt, vt pondere aliquo deferantur, vt loquitur *Nouella 1. Theodoſii*, ſeu vt firmæ eſſe poſsint. Nam Primo: ſpectandum, quæ ea perſona ſit, cui donari poſſit. Nam in adminiſtratione aliqua vel officio poſitis, adminiſtrationis, vel officii ratione nil donari potuit, *d. tit. 15. infr. de iis quæ adminiſtr.* Secundo: cauſa donationis ſpectanda: Hinc donata quoque pro ſuffragio honoris alicuius repeti non potuerunt, quia inhoneſte data, *l. 1. ſi certum. pet. de ſuffrag.* Tertio: Num ſponte facta donatio? Hinc per potentiam extorta infirmatur, *l. 9. de contrah. empt.* contra, hinc & ſub tyranno facta valet, *l. 9. de infirm b. q. ſub Tyr.* Quarto: Res num donari poſſit? Litigioſa enim res donari non poteſt, *l. vn. de litigioſis.* Quinto: *conditiones* tandem pactioneſque ſecundum leges tantum interpoſitæ valent, *d. l. 1. b. t.* Sexto: Scriptura in his requiſita, *d.l 1.* ſeu inſtrumentum, *l.3.* & *8. b. t.* Septimo: Traditio corporalis aut mancipatio interuenire debet, neque nuda voluntas ſufficit ad excludendam vim & irruptionem ſi res mobilis ſit; ſi immobilis vacuanda poſſeſſio, *d. l. 1. 4. 5. in fin. 7.* & *8. b.t.* Inter extraneos ſcilicet; nam hac parte exceptæ fuerunt donationes inter liberos & parentes, *d. l. 4. 5.* & *7. b. t.* in his enim nuda voluntas ſufficit, *d. l. 4. b. t.* Cæterum hac parte olim retentio vſusfructus, habita eſt pro traditione; Quod a Theodoſio Iun. abrogatum, *l. 8. b.t.* reſtitutum mox ab eodem, *l. 9. b t.* Octauo: Palam, non occulte vel per imperitos aut priuatim facienda eſt ſcriptura & traditio, ſed ſcientibus plurimis & aduocata vicinitate, arbitrioque adhibitis, *d. l. 1. b. t.* Nono: Acta ſeu Geſta in donationibus requiruntur, ſeu inſinuari donationes oportet: de qua donationum inſinuatione ſunt *lex 1. 3. 5. 6.* & *8. b. tit. l. 1. 3.* & *vlt de ſponſal. l. 9. de infirm his quæ ſup. Tyr.* de hac vero hæc notentur; 1. In quibuſcumque Donationibus inſinuationem requiri, ex *l. 1. b. tit.* apud Acta, & quidem apud Iudicem ordinarium vel Magiſtratus Municipales inſinuationem fieri oportebat, *d. l. 1. b.t. in fin. d. l. 3. 5. 6. 8. b. t. l. 1. 3. vlt. ſupr. de ſponſal.* & *l. 9. infr. de infirm. b. q. ſub Tyr.* & quidem apud Iudices locorum vbi donator domicilium habet, & poſſeſſiones donandæ conſtitutæ ſunt, *d. l. 3. b. t.* Exceptis tantum hac poſtrema parte donationibus inter liberos & parentes (nam in quocunque ſolo inter hos, donationes fieri poſſunt *d. l. 4. b. t. init.*) At poſtea omnibus conceſſum, acta ſuper rebus etiam alibi collocatis facere, *d. l. 8. in fin. b. t.* ſiue ante, ſiue poſt traditionem, inſinuationem fieri poſſe, *leg. ead.* non inter minores, *l. 3.* & *vlt ſupr. de ſponſalib.* nullo perſonarum diſcrimine, ſeu inter omnes perſonas, *dictis leg. b. t.* & *l. 1. ſup. de ſponſalib.* 2. etiam inter liberos
P.610 & parentes, *l 5. b. tit.* 3. nullo ſummæ diſcrimine, *dd leg. 4.* cuiuslibet rei, *l 4. b. tit.* 5. in ſponſalitia donatione varie ius conſtitutum, *l. 1. 3.* & *vlt. de ſponſalib.* 6. Rationes huius Inſinuationis faciendæ, *l. 5. b. tit.* & *l. 3. de ſponſal.* De forma donationis in Emancipatum minorem, infantem, eſt peculiaris *lex 2. b. t.* Tandem obſeruandum, eodem iure vti Donatarium, quo donatorem, argumento *l. vn. de quinquenn. præſcript.*

Formae & Solemnia *octo numero, quæ* Constantinus *M. ad perficiendam rite donationem præſtituit.*

I. (a) Imp. Constantinus A. ad Maximum P. V. (b)

Donatio ſiue directa (c) ſit, ſiue mortis cauſa inſtituta, ſiue condicionibus (d) faciendi ac (e) non faciendi ſuſpenſa, ſiue ex aliquo notato (f) tempore permiſſa, (g) ſiue animo (h) dantium accipientiumue ſententiis, quantum ius ſinit cognominata, ſub hac fieri debet obſeruatione, * vt quas leges indulgent actiones, (i) condiciones, pactioneſque contineat: hiiſque (k) penitus cognitis, (l) vel recipiantur, ſi conplacitæ (m) ſunt: vel reiciantur, ſi ſunt moleſtæ: (n) Ita vt minorum * defenſores, ſi per eos donationum condicio neglecta eſt, rei amiſſæ (o) periculum præſtent. In conſcribendis autem donationibus, *nomen* donatoris, *ius* (p) ac *rem* notari oportet: Neque id occulte, aut (q) per imperitos, aut priuatim; Sed vt (r) tabulæ, (s) aut quodcunque (t) aliud materiæ (v) tempus dabit, vel ab ipſo (x) vel ab eo quem ſors miniſtrauerit, (y) ſcientibus plurimis (z) perſcribatur; (aa) Et (bb) corporalis traditio ſubſequatur ad excludendam vim atque (cc) inruptionem, (dd) aduocata vicinitate, (ee) omnibuſque (ff) arbitris adhibitis, quorum poſtea fide probabitur, donatam rem, ſi eſt mobilis, ex voluntate traditam donatoris: vel ſi inmobilis, abſceſſu (gg) donantis nouo domino pateſactam, (hh) actis (ii) etiam adnectendis, quæ (kk) apud Iudicem vel Magiſtratus (ll) conficienda ſunt. (mm) Dat. III. (oo) Non. Feb. Romæ, Sabino (pp) & Rufino conss. [316.]

Inter-

INTERPRETATIO. * *Donatio aut directa est, aut mortis causa conscribitur. Directa* (qq) *donatio est, vbi in præsenti res donata traditur. Mortis* (rr) *causa donatio est, vbi donator dum aduiuit* (ss) *rem quam donat* (tt) *sibi reseruat, scribens*, Si prius mortuus fuero quam tu, res mea ad te perueniat, *vt postea ad illum cui donat,* (vv) *non ad heredes donatoris* (xx) *res donata perueniat. Quod si prius moriatur cui res mortis causa donata est,* (yy) *res in iure permaneat donatoris. Est & alia donatio, vbi donator* (zz) *obligat* (aaa) *illum cui donat, vt aliquid faciat aut non faciat, id est, si aliquid iubeat fieri, quod impossibile iudicetur, aut quod honestati contrarium videatur; aut si id ordinet fieri, quod honestum est, & posset impleri: quia tunc infirmatur* (bbb) *donatio, quando condiciones honestatis* (ccc) *possibilis impletæ non fuerint: Nam si inhonestæ* (ddd) *& impossibiles condiciones ponantur,* (eee) *remotis* (fff) *condicionibus firma donatio est. Est* (ggg) *item & alia, in qua sibi donator certum tempus possessionis* (hhh) *reseruat.* (iii) *Quæ* (kkk) *tamen omnes donationes superius comprehensæ, si modum excesserint lege conscriptum, vnde possint certæ personæ de immodica* (lll) *donatione proponere, hoc est si quartam sibi facultatis suæ donator non reseruauerit, non valebunt. Sed* (mmm) *præterea illa donatio contra legem est, si quis rem in lite positam quæ repetitur, aut* (nnn) *recto ordine donet, aut condicionem contra bonos mores, hoc est, causam cuiuslibet criminis, donator in donatione* (ooo) *conscribat. Minoribus* (ppp) *vero si quid fuerit per donationem a quocunque* (qqq) *oblatum siue conlatum, Tutores vel Curatores eorum debent studere, ne quid firmitati* (rrr) *donationis desit. Quod si eorum negligentia donatio ad effectum perducta non fuerit, ad eorum dispendium pertinebit, ita vt quidquid minores de donatione perdiderint, Curatores vel Tutores illis de propria facultate restituant. In conscribendis autem donationibus* (sss) *hic ordo seruandus est, vt donatio nomen prius contineat donatoris,* (ttt) *vel* (vvv) *illius cui donatur: deinde res quæ donatur,* (xxx) *siue in agris, siue in mancipiis, siue in quibuslibet rebus atque corporibus; nominatim in* (yyy) *donatione conscribendæ sunt, non occulte, sed publice, non priuatim vel secrete, sed aut in tabulis,* (zzz) *aut in chartis, aut vbicunque legatur facta donatio.* Quam (aaaa) *tamen donationem, si literas nouit donator, ipse subscribat: si vero ignorat, præsentibus plurimis eligat, qui pro ipso subscribat: & hanc ipsam donationem gestorum* (bbbb) *solemnitas & corporalis traditio subsequatur, ita vt si mobilia donantur, præsentibus plurimis tradantur. Si vero ager vel domus donatur, quod moueri non potest, vt inde* (cccc) *donator abscedat, & nouo domino pateat res donata, si* (dddd) *tamen sibi de his rebus vsumfructum donator non reseruauerit. Gesta vero donationum aut apud Iudicem, aut apud Curiam* (eeee) *allegandasunt.*

NOTAE.

(a) *Lex 25. Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est. Iungenda autem huic *lex 1. sup. de pactis: & lex 2. sup de administr. & periculo tutor.* quæ ex *hac leg.* desumptæ sunt. GOTHOFR.

(b) *Maximo* huic P. V. non aliæ leges his COSS. inscribuntur (excepta leg. 1 de pact & transact.) & sane Auctor *Notitiæ veteris Præfectorum Vrbis*, non Maximum, sed Vectium Rufinum hoc tempore Præfectum Vrbis fuisse indicat: cui etiam hoc ipso anno inscribitur *lex 1. sup de longi temp. præscript.* ID. Cod. Iust. *ad Maximum PP.* quomodo & habet inscriptio *leg 21. Cod. eod. de administr. tut.* RITTER.

P. 611

(c) *Directa* donatio *h. l.* simplex, *l. 21. Cod. Iust. de donat. ante nupt.* pura, vera & absoluta, *l. 56. D. de donat. int. vir. l. 35. §. 1. D. de mortis causa don.* vbi in præsenti res donata traditur, Interpres ad *h. l.* GOTHOFR.

(d) *Conditione*, Cod Iust. ID.

(e) Pro, *aut*: quomodo habet Cod. Iust & Interpres quoque. IDEM.

(f) *Ex tempore notato*, id est, præstituto, quomodo Interpres quoque explicat: ibi, *Est item & alia, in qua sibi donator certum tempus possessionis reseruat*: de quo mox. IDEM. Cod. Wurceb *Siue ex aliquo notato ius tempore.* Cod. Goth. *siue ex alio* (*aliquo* recens manus) *notato* &c. it. Sichard. *siue ex alio*, &c. RITTER.

(g) *vel promissa*, vt *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS. Cod Goth *Promissa*, it. edit. Sichard. RITTER.

(h) *Donatio* cognominata animo dantium accipientiumue sententiis, *h. l.* quid? de eo mox. GOTHOFR. Cod. Goth. *Siue animo donantiom & accipientium.* RITTER.

* *Lex 1. sup. de pactis*, hinc contracta videtur: certe huic *legi* ea iungenda est, & huius sententiæ congruit. GOTHOFR.

(i) *Actiones*, quid hic sint? mox explanabo. IDEM.

(k) *In hiisque* Edit. Sichard. Goth MS. & impressi legunt, *hisque*. RITTER.

(l) Edit. Sichard. *Cognita*. ID.

(m) *Complacita*, id est, quæ placere possunt, & sic tolerabiles, probabiles, quibus *molesta* mox opponuntur: sic Symmacho *lib. 1. ep 15.* declamatio complacita: *ep. 51.* oratio complacita: Item homo complacitus, *lib. 2. ep. 72.* Complacitum apud eundem non *vno loco*. GOTHOFR. MS. Goth. legit, *Sicut placita sunt.* RITTER.

(n) *Mo-*

(n) *Molestæ*, id est, graues, & onerosæ. GOTHOFRED. MS. Goth. *Si molestæ sunt*. RITTER.

[a] Hæc resecata a *leg. 25. Cod. Iust. eod. tit.* Sed coniecta in *legem 21. Cod. eod. de administr. tutorum*. Repetita etiam *hoc ipso Cod. in l. 2. de administr. tutorum*. GOTHOFREDVS.

(o) *Admissa*, Cod. Wurceb. Edit. prima Cuiac. & illa in 4. RITTER.

(p) Hoc interpres non explicat. GOTHOFR. Cod. Wurceb. *nomen donatoris eius ac rem*. Cod. Goth. *nomen donatoris prius prænotari oportet*. RITTER.

(q) *Aut per Imperitos*: absunt hæc a Cod. Iust. GOTHOFREDVS.

(r) *Aut tabula*: Cod. Iust. ID. Edit. Sichard. in margin. *aut tabula*. RITTER.

(s) *γρ. Tabula*, vt *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(t) Cod. Wurceb. *aut quocumque*. RITTER.

(v) *Genus*: add. Cod. Iust. GOTHOFRED. Cod. Goth. *Aut quodcumque aliquid materiæ ad tempus dabit*. RITTER.

(x) Donatore. GOTHOFREDVS.

(y) *Ministrauit, perscribatur*, ita *Cod. Iust.* resecatis cæteris, vsque ad, *Actis etiam*. ID. Cod. Goth. ad verbum *ministrauerit*, glossam habet adscriptam, *instituerit*. RITTER.

(z) Absunt a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(aa) Sichardin. *præscribatur*. RITTER.

(bb) Sequens sententia recisa a *Cod. Iust.* vsque ad, *Actis etiam*. GOTHOFRED.

(cc) MSS. & Sichard. *atque*. RITTER.

(dd) An *irreptionem*? Non. *Irruptio* proprie de vi in re immobili, cui opponitur mox *abscessus* donantis: *vis*, in re mobili. GOTHOFRED.

(ee) MS. Goth. *aduocatam viciniatem*. RITTER.

(ff) *Plurimis*, vt Interpres. GOTHOFREDVS.

(gg) *Addidisse* MS. Goth. RITTER.

(hh) Vacuatam. GOTHOFR.

(ii) Cod. Goth. *vel actis*. RITTER.

(kk) Cod. Goth. *quæ ea*. IDEM.

(ll) Municipales: vide *legem 3. 4. 5. 6. inf.* GOTHOFR. *Magistratum* edidit Sichard. RITTER.

(mm) *Vbi hoc leges expostulant*: additum a Tribon. de quo mox. GOTHOFREDVS.

(oo) *IIII.* Cod. Goth. RITTER.

(pp) *γρ. Seuero & Rufino*, id est A. 323. quo sane Consulatu ad mensem Septembrem vsque Maximum P. V. fuisse colligitur ex *veteri Notitia Præfectorum Vrbis*. Et vero ita habet hic expresse *Cod. Iust. Seuero & Rufino Coss.* Quin & eo anno 323. extat *lex 2. sup. de liberali causa*, quæ huic Maximo P. V. inscribitur. Quare hic πρωθύστερον admissum ab *huius Codicis* Conditoribus. GOTHOFR.

[*] *Interpretatio* hæc singularis est, & multa habet præter textum. ID.

(qq) *Directa* donationis definitionem nota. ID. Cod. Goth. *Donatio directa*. RITTER.

(rr) *Mortis causa donationem* recte describit. GOTHOFR.

(ss) *Aduiuit*. v. *Gloss. Theod.* ID.

(tt) *Donauit*, Cod. Goth. RITTER.

(vv) *Cui donata est*. Cod. Goth. IDEM.

(xx) *Donantis*, Cod. Goth. & edit. Sichard. IDEM.

(yy) Sequentia ita leguntur in Cod. Goth. *ea quæ donata est res in iure permaneat donatoris*. ID.

(zz) *Quæ donatur. Obligat* &c. Cod. Goth. ID.

(aaa) Ergo Obligatio contrahitur ex huiusmodi donatione: & sic contractus quoque quidem est, quia negotium aliquid ei immixtum est, *l. 35. §. 3. D. de mort. caus. donat.* GOTHOFR.

(bbb) Id est donatio donatario non acquiritur. IDEM.

(ccc) *Honestatis possibilis*. id est honestæ, & possibiles. ID. *Honestates possibiles*, Cod. Goth. eleganter, si æuum hoc respicias. RITTER.

(ddd) Male *honesta* Cod. Goth. ID.

(eee) *Componantur* Edit. Sichard. IDEM.

(fff) Condicio impossibilis & inhonesta non vitiat, sed vitiatur. GOTHOFR.

(ggg) Interpres his verbis describit & explicat illa, *siue ex aliquo notato tempore promissa*. ID. *Item & alia* excluso *est*, legit Cod. Goth. Sichard. *Est item alia*, & ita quoque priores Cuiacian. RITTER.

(hhh) Huic superaddita in Cod. Goth. a recente manu, vox *Donationis*. ID.

(iii) *Seruat*, Edit. Sichard. & priores Cuiacian. ID.

(kkk) Interpres hæc de suo peculio addit: neque enim illorum, *siue animo* &c. hic sensus est. GOTHOFRED.

(lll) De inofficiosis donationibus, hæc de suo Interpres, de quibus *sup. lib. 2. tit. 20.* ID.

(mmm) De *Litigiosæ* rei donatione, hic de suo Interpres. ID.

(nnn) *γρ. haud*. ID. MSS. Wurceb. & Goth. *aut directo ordine*. RITTER.

(ooo) Cod. Goth. *in donationem*. ID.

(ppp) Addatur hic altera Interpretatio ad *d. l. 2. sup. de administr. tutorum*. GOTHOFR.

(qqq) *A quocumque*, hæc absunt a Cod. Wurceb. RITTER.

(rrr) *Firmitatis donationis derogent*. Cod. Wurceb. ID.

(sss) *Eorum donationibus*, Cod. Goth. ID.

(ttt) *Donacionis donateris*, Cod. Goth. IDEM.

(vvv) *Vel*, pro *&*. huius æui ſtylo. *GOTHOFR.*
(xxx) *Deinde de his quæ donantur*, Cod. Wurceb. *RITTER.*
(yyy) *yg. nominatim donationes. GOTHOFR.*
(zzz) *Sed vt aut in tabulis* Cod. Wurceb. *Sed vt aut tabulis* Cod. Goth. *RITTER.*
(aaaa) *In quam*, Cod. Wurceb. *ID.*
(bbbb) *Et geſtorum*, Cod. Goth. *ID.*
(cccc) *Et inde*, Edit. Sichard. *IDEM.*
(dddd) Hoc de ſuo peculio addit Interpres, ex *l. vlt. infr. GOTHOFR.* Cod. Goth. mutato ordine, *Si tamen vſumfructum ſibi de his rebus donator* &c. *RITTER.*
(eeee) Immo Magiſtratus : ſed ex æui ſui vſu loquitur Interpres. *GOTHOFR.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. quinque ordine Conſtitutiones de Donationibus ſequuntur, ex quibus apparet, quod *Primo* hic loco in anteceſſum notandum eſt, quanto ſtudio Princeps hic, qua profuſis, qua fraudulentis, qua extortis donationibus occurſum, fibulamque adeo modumque impoſitum his voluerit. Ad hunc quippe triplicem finem, (quod *ſecundum*) collineant omnes eius *leges*. Fraudulentis, inquam, donationibus, ſiue in fraudem *legum*, ſiue in fraudem creditorum. Vbi etiam notandum *Tertio*, Tres Conſtitutiones Præfectis Vrbis inſcribi, pariter vt inſcribitur Conſtantis *lex 6. infr. h. t.* Hic ſcilicet de donationibus Romæ ius dixiſſe videtur: ac nominatim de inofficioſis donationibus, aliaue qua ex cauſa reuocandis: quæ cauſa quoque eſt, cur Præfecto Vrbis inſcribatur *lex vn. ſup. de inoff. donat.* & *l. 3. 4. inf. de reuoc. donat.*

Ad eos igitur, quos dixi, fines collineant tot illa, quæ Conſtantinus M. de OBSERVATIONE, vt ipſemet loquitur, ſeu de FORMA donationum *h. l.* conſtituit: quam Cuiacius recte cæterarum Principem, & veluti Arcem totius *Tituli* recte vocauit. Vbi *primo* notandum, hanc *legem* ad omnes donationes pertinere: cuiuſmodi quinque genera enumerantur, quo nomine quoque hæc *lex* ſingularis eſt; *Directa* ſcilicet, *Mortis cauſa*, *Conditionalis*, *in diem*, *velata* denique alterius contractus nomine. De quatuor prioribus, liquida res eſt quidnam ea ſint.

Quod poſtremam attinet, dicitur ea, *Donatio cognominata animo dantium accipientiumue ſententiis*, vt Theodorus recte interpretatus eſt, donatio velata alterius contractus titulo: veluti ſi venditio donationis cauſa, aut conductio imaginaria fiat: vt in ſp. *l. 46 D. locati: l. 66. D. de iure dot. l. 3. Cod. Iuſt. de contrah. empt. l. 23. § 1. 2 Cod. Iuſt. mandati.* Scilicet contractus non tam nomine, quam animo contrahentium æſtimantur, *l. 15. §. 4. D. locati:* vt cæteroquin plus valet quod agitur quam quod ſimulate concipitur, *tit. Cod. Iuſt. plus valere:* cuius *lex 3.* potiſſimum videnda eſt. Hunc vero locum non intellexit Interpres *verſ. Quæ tamen omnes*. Et addit tamen Conſtantinus *h. l.* (quod quintum hic) taxationem *quantum ius ſinit*; velatos ſcilicet ſeu ſimulatos contractus non impugnat lex, niſi in fraudem legum fiant, vt puta in fraudem *legis Cinciæ:* de quo *l. 4. infr.* Hunc vero quoque locum non percepit Interpres *d. verſ. quæ tamen omnes:* & *verſ.*
P.612 *ſed præterea.*

Nunc de ipſamet Conſtitutione. In his igitur omnibus donationibus Conſtantinus M. complures cautelas ſeu obſeruationes præſtituit, certiſque adeo frænis eas cohiberi voluit, ne alioquin in irritum eæ deducerentur: Quod & olim fecerat lex *Cincia*, de qua ad *l. 4. infr.*

Prima cautio ſeu Obſeruatio (vt loquitur) hæc eſt, *verſ. ſub hac:* vt nihil legibus aduerſum donationes contineant, & vt ipſemet loquitur, *vt quas leges indulgent actiones, conditiones, pactionesue contineant*, vel vt id effertur *l. 1. ſup. de pactis*, (quæ ex *eadem lege* deſumpta, *huic* conferenda venit;) *vt cum legibus conſentiant.* De quo ad eam *l. 1. Actiones* hic interpretatur Theodorus πράξεις, id eſt, actus, vt ita, inhoneſti actus his verbis prohibeantur, quomodo etiam Interpretem accepiſſe, exempla ab eo allata oſtendunt. De actibus vero legitimis accepit Cuiacius *Comment. ad leg. 25. Cod. Iuſt. h. t.* cui accedendum non eſt, quia *hic* dicitur *quas leges indulgent actiones:* atqui actus legitimos non INDVLGENT leges, ſed præſcribunt. Eſt qui tria hæc ita diſtinguat: *actiones*, de faciendo aliquo: *conditiones*, de dando: *pactiones*, de vtroque & de aliis inſuper, veluti de modo & die, &c. Verum hic *actiones* ſunt proprie accipiendæ, pro iure agendi: quod ſcilicet competit & deſcendit non tantum ex conditionibus & pactionibus additis donationi, verum ex ipſo iure.

Secunda cautio eſt, *verſ. his cognitis:* vt donationes vel recipiantur a donatario volente (neque enim donatio non Acceptata valet, quod notum, & Acceptatio eſt de eſſentia Donationis,) vel reſpuantur. Nempe eam vel recipere integrum eſt, ſi lex & conditio donationis complacita ſit; vel reſpuere, ſi moleſta ſit & grauis. Neque cuiquam aut acceptandæ donationis neceſſitas incumbit, aut ob perperam admiſſam periculum aliud imminet. Excepto vnico caſu, quo & recipiendæ donationis complacitæ, ſeu ſub bonis conditionibus oblatæ, neceſſitas incumbit; neque perperam admiſiſſe periculo vacat: Quod in Tutoribus & Curatoribus euenit. Hi quippe ſi conditionem donationum neglexerint, rei amiſſæ periculum præſtare iubentur. Quod repetitum extat *l. 2. ſup. de adminiſtr. & periculo tutorum:* vbi de eo plura.

Tertia Conſtantini M. cautio eſt, *verſ. in conſcribendis*, vt donationes in *Scripturam* ſeu inſtrumentum redigantur, ſeu conſcribantur. In *conſcribendis*, inquit, *donationibus notari oportet:* Item *tabulæ*, *&c. perſcribantur*; quod etiam ſtatuitur in *ſp. l. 2. & 3.* & *l. 8. infr.* Atenim id non præciſe requiritur ex Theodoſii Iunioris *leg. 29.* & Zenonis *leg. 31. Cod. Iuſt. eod. tit.* Et ſic hac parte Conſtantini M. conſtitutio hæc abrogatur. Cæterum tam præciſa ſunt hac parte Conſtantini verba, ſcripturam in donationibus pro forma depoſcentis, vt mirer ſcribentes, formam tantum conficiendi inſtrumenti hic proponi, vbi id inter partes conuenit, non vero decidi an donatio fieri debeat in ſcriptis necne.

Quarta cautio eſt, *eod. verſ.* circa *Formam* ipſius ſcripturæ. Primo igitur Conſtantinus M. iubet nomen donatoris exprimi, itemque *Ius* eius, id eſt, ex qua cauſa, quo titulo dominii rem eam quam donat habeat, ne forte rem alienam donet, de alieno largiatur temere, & imponat donatario, remque notari vult. Secundo Scripturam illam non occulte aut per Imperitos, aut priuatim fieri debere conſtituitur: Sed aut Tabulæ, aut in quacumque materia oblats (id enim indifferens eſt, haud aliter atque in teſtamento *l. 15. Cod. Iuſt. de teſtam. leg. ead. Cod. eod. de teſt. milit.*) vel ab ipſomet donatore conſcribi oportere, vel ab eo quem ſors miniſtrauerit, nam & hoc indifferens, quis Scriptor inſtrumenti ſit.

Idque (quæ Quinta Cautio eſt) *eodem verſiculo*, *ſcientibus plurimis*, quod Tribonianus reſecauit, id eſt, teſtibus aduocatis, adhibitis: de quo mox plura.

Sexta Obseruatio, seu cautio a Constantino M. præscripta hæc est, *vers. & corporalis:* vt Traditio corporalis (vt vocatur *l. 1.* & *§.* & *l. 2. sup. si cert. pet. de suffrag.*) sequatur, id est, si res mobilis sit, donatario tradatur: si immobilis, abscessu domini donantis nouo domino *patefiat:* scilicet quod in rebus mobilibus est traditio, id in immobilibus præstat possessionis vacuatio, & ab ea abscessus, & patefactio nouo Domino. Quod & ipsum de Traditionis necessitate statuitur *in l. 2. 4. 5. in fin.* & *l. 7. inf.*

Idque *hac l.* generaliter & indefinite statuitur a Constantino M. cum tamen Constitutionibus aliis, excepti hac parte fuerint & quidem a Constantino ipso *d. l. 4.* parentes & liberi: inter quos nuda voluntas sufficere visa. Imo hæc traditionis necessitas, lege Cincia inducta, e Repub. postea penitus sublata, vt refert Iustinianus *Nouella 162. c. 1.* Quare *leges*, vel *legum* capita omnia, quæ de traditionibus donationum loquuntur, & hoc quidem, a *Cod. Iust.* absunt.

In peragenda porro *Traditione*, quæ Septima Obseruatio est, Constantinus Magnus *vers. ad excludendam vim:* vicinos aduocari vult, & arbitros adhiberi: quorum vidd. fide postea probari possit, ex voluntate domini rem traditam, & vt eleganter loquitur, *ad excludendam vim atque irruptionem:* ne videlicet donator postea dicere possit, vt sese coactum rem mobilem tradere, vel irruptionem factam in rem immobilem. Sane idem quoque Constantinus *l. 2. sup. de contrahenda empt.* eruptionem & venditionem rei familiaris, etiam vilissimæ, vduti scabellorum, aduocata vicinitate fieri voluit; verum alio fine: Nempe ad ostendendæ proprietatis probationem, seu vt certa ac vera proprietas a vicinis demonstretur, denique ne fraudulenta venditio in exquisitis cuniculis rei forte furtiuæ fiat; quod Interpres recte vidit. Quod & olim in venditionibus obtinuisse ex Pomponio apud *Nonium, c. 2. num. 650.* colligi potest: *Quidam apud forum præsente testibus mihi vendidit.* Verum Zeno postea hanc vicinorum & testium adhibendorum necessitatem remisit: & sic hac quoque parte Constantini *legem* abrogauit *l. 31. Cod. Iust. hoc eod. tit.* Quare etiam prælata illa Zenonis *lege*, Tribonianus hanc huius *legis* fantentiam a *Codice* suo abesse voluit.

Octaua obseruatio a Constantino M. hæc præstituitur *infr.* vt donatio apud Acta insinuetur. Quod & ipsum statuitur *l. 3. 5. 6. 8. inf. h. tit.* Et *l. 1. 3.* & *vlt. sup. de sponsalibus*, & iodicatur *l. 9. inf. de infirm. h. q. sub Tyr.* De hac eadem donationis apud Acta Insinuatione, est quoque Symmachi locus *lib. 10. ep. 41.* Idque Constantinus ipse *hac l.* & *l. 3. 5. infr.* requirit, nulla personarum, a quo videlicet, vel cui donatio facta fuerit, nullo item rerum vel summarum discrimine habito, inter Minores etiam, in specie *leg. 3. sup. de sponsalib.* Quinimo & mortis quoque causa donationem insinuari debere satis indicat *hac l.* quod postea abolitum a Iustin. *l. vlt. Cod. Iust. de mortis causa donat.* (quod etiam probauit Henricus II. Fr. Rex A. D. 1549.) Neque Tertio distinguitur, mobilis ne, an immobilis res sit; Item cuius summæ donatio sit; Cum tamen postea modus huic rei adhibitus fuerit a Iustiniano *l. 34. init. 36. in fin. Cod. Iust. de donationib.* & *Instit. hoc eod. tit. §. 2.* & *Nouella Leonis 50.* & quoad res, & quoad summam, etiam Theodosii Iun. *lege vlt. sup. de sponsalibus*, quæ causa fuit cur Tribonianus *fine huius legis* adiecerit, *Vbi hoc leges expostulant.* P. 613

Huius porro Insinuationis, seu Insinuandæ apud Acta donationis necessitatis quis Auctor fuerit, quæri potest? Certe nullum eius moris vestigium extat in *Digestis*, vel in *Codice* ante Constantinum M. Ipse sane Constantinus A. 316. promulgatam super eo *legem* NOVVM ait, *l. 3.* Idemque A. 333. suæ *legis* iam pridem super hoc datæ meminit *l. 5.* Constans quoque filius eius, *l. 6. inf.* Patri suo id acceptum fert: *a Venerabili*, inquit, *Parente nostro statutum est:* & idem tamen Constantinus M. id diserte accepto fert Patri suo, *l. 1. sup. de sponsalib.* Verum, vt ad eam *leg. 1.* iam ostendi, videtur ipsa *lex 1. de sponsal.* potius Constantium Authorem habere, quam Constantinum: Ergo Constantinus M. Insinuationis huius Author omnino fuit. De ratione eius inducendæ, ad *l. 5. infr.*

Cæterum huius donationum Insinuationis formulam, quæ in Galliis iam olim obtinuit, (& postea retentata) exhibet *Marculphus lib. 1. c. 12.* & *lib. 2. c. 7.* exhibent alii *Formularii.* Ex quibus apparet iam, quam parum Constantinus M. ipse ab hac *lege* sua recesserit, quam modice etiam insecuti Principes in nonnullis recesserint. Sane fatendum est, magnam fuisse hac parte Constantini M. prouidentiam seu prouisionem, cui obrogari tantum euenit, non vero eam omnem abrogari, plerisque ex ea retentis, quorum tamen magnam partem ex vetustiore iure deriuatam non dubito. Sane Traditionis necessitas lege Cincia inducta fuit, de qua mox ad *l. 4. inf.*

Ex his quæ iam diximus, apparet quam in multis huic Constantini M. constitutioni derogatum fuerit, etiam ab ipsomet Iustiniano, in cuius *Codice* hæc *lex* partim mutilata, partim interpolata extat: additis & detractis quamplurimis, & quatuor quidem locis: Rectene, an secus? viderint quibus circa *Donationum* materiam ex professo siquando versari continget. Tandem neque Interpretatio *huic legi* subdita omnino negligenda est, quæ multa habet bonæ frugis ad *huius l.* illustrationem, quæque aliunde deque peculio suo addidit: etsi non recte semper.

Donationis in MINOREM EMANCIPATVM *faciendæ modus & solemnitas.*

II. (a) Idem A. Aconio Catullino (b) Proconf. Africæ.

Si quis in emancipatum (c) minorem, priusquam fari (d) possit, aut habere rei quæ sibi donatur affectum, (e) Italicum (f) siue stipendiarium fundum, crediderit conferendum, (g) omne ius (h) compleat, instrumentis ante præmissis, & (i) inductione corporaliter impleta. Quod, (k) propter (l) adtestationem fidei, per eum seruum quem idoneum esse constiterit, transigi placuit: (m) Qui eo vsque in statu (n) suo permanebit, donec is (o) cuius facultatibus cesserit, (p) annos Lætoriæ legis egressus, legitimam complеuerit ætatem: Quo, tunc demum, si eius integritas ac fides fuerit comprobata, si ita se-

derit (q) poſſidentibus, (r) libertatis præmium conſequatur. Dat. XII. Kal. Maii, Serdicæ, Sabino & Rufino CONSS. [316.]

NOTAE.

(a) *Lex 26. Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc interpalata eſt. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Catullino* huic Proconſuli Africæ inſcribitur ſuperiore Anno 315. *lex vn. infr. de frum. Karthag.* & Anno prox. 317. *lex 1. infr. ad Leg. Iul. de vi:* & An. 319. *lex 1. inf. de extraord. mun. IDEM.* *Catillino* legit Cod. Iuſt. male. *RITTER.*

(c) Filium ſcilicet, *GOTHOFR.*

(d) Infantem ſeu minorem quatuordecim annis, pupillaris ætatis. *ID.*

(e) Id eſt, ſcientiam, cognitionem: ſimilia verba *in l. 3. Cod. Iuſt. de adquir. poſſ. ID.*

(f) *Italicum, ſiue ſtipendiarium,* reſecauit hæc Tribonianus: de quo mox. *IDEM.*

(g) Id eſt, donandum. *ID.*

(h) Id eſt, donationem perficiat. *ID.*

(i) Et hæc de *inductione corporali* ſuſtulit Tribonianus: de cuius rei ratione mox. *ID.*

(k) *Quod ius,* Cod. Iuſt. *ID.*

(l) Et hæc reſecauit Tribonianus: de cuius rei ratione mox. *IDEM.*

(m) *Vt per eum infanti adquiratur:* hæc addita *Cod. Iuſt.* reſecatis ſequentibus omnibus: de cuius rei ratione mox. *IDEM.*

(n) Seruili, ſic vt manumitti non poſſit. *ID.*

(o) Minor. *ID.*

(p) Id eſt acceſſerit. *ID.*

(q) Id eſt placuerit. *ID.*

(r) Dominis. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE Donatione, quæ fit a patre FILIO EMANCIPATO Minori, eſt hæc Conſtantini M. conſtitutio: quomodo videlicet ea compleri, tranſigi, ſeu perfici poſſit. Hoc vt intelligatur, primo tenendum eſt, ſolitos parentes, cum filios ſuos emancipant, aliquid eis donare, & velut patrimonio quodam inſtruere, quo vitam tolerarent, ſeque exhiberent, iam ipſi ſuæ potentis facti patreſque familias, fundo forte aliquo donato, vt ex *hac l.* apparet, & *l. vlt. infr. de reuocand. donat. l. 8. inf. de bonis proſcript. l. 2. & vlt. Cod. Iuſt. de emancip. liber. l. 3. §. 3. de adminiſtr. rerum ad ciuit. pert.* Spartianus *in Didio Iuliano cap. 8. Filiam,* inquit, *dato patrimonio emancipauit:* & multi alii: vel etiam delegato aliquo nomine, vt *l. 11. Cod. Iuſt. de donat.* Quæ quidem donatio in filium collata valebat, cum alias in filium famil. collata donatio perfecta non eſſet, propter vinculum ſcilicet poteſtatis, *l. 11. 17. Cod. eod. de donation.*

P. 614 Secundo ſciendum, Minores quoque emancipari ſolitos: quod hæc *lex* teſtatur; Minores inquam, iique in duplici genere, partim qui nondum fari poſſent, partim qui rei, quæ ſibi donatur, affectum adhuc non haberent; hæ enim duæ ſunt infantum ſeu pupillorum ſpecies, id eſt vel nondum ſeptennes, vel ſeptennibus maiores: ſcilicet quoad actus iuris ciuilis, ſeptennes nondum fari poſſe videntur, etſi naturaliter fari ſoleant; quia FARI eſt eius actus qui ſolemnibus perficitur, notitiam habere, & ſic fari vt ſciat quid fatur. Hinc adeo multa in Iure noſtro & diſtincta mentio pupillorum qui fari poſſunt, & non poſſunt: vt *l. 5. D. de regulis iuris:* adde *l. 5. 18. Cod. Iuſt. de iure deliber.* Septennibus maiores, & ipſi quoque minores ſunt: nam etſi fari poſſint, actum tamen rei non intelligunt, *d. l. 5. D. de R. I.* vel (vt *hac l.* eleganter dicitur) *rei quæ ſibi donatur affectum habere non poſſunt:* vel vt non minus eleganter Paulus *l. 9. D. de adquir. hered.* (quæ *lex* conſerenda eſt *d. legi 5.*) *Huius ætatis eſt, vt cauſam non intelligat, neque videtur ſcire huiuſmodi ætatis puer; neque talis ætas ſcire aut decernere poteſt, non magis quam furioſus.* Quam in ſententiam plura cumulata occurrunt in Interpretibus ad *d. l. 5.* His ita poſitis, fingamus minorem a patre emancipari, eique aliquid ſimul, & eodem emancipationis momento patrem donatum velle. Sane, non poteſt ipſe minor ſibi donationem adquirere, ſeu acceptare, (quod vtique requiritur) quia & ſenſu caret, & in patris poteſtate adhuc eſt: & quanquam poneremus paulo poſt emancipationem, patrem filio infanti ita emancipato donatum velle, pater tamen idemque legitimus tutor ei hac parte auctor eſſe non poſſet, quia in rem ſuam tutor auctor eſſe non poteſt. Quid igitur? εὑρηματικῶ ſeu cautela hac parte opus fuit, quandoquidem neque per patrem tutorem, neque per minorem ipſum res expediri ſeu donatio acceptari poterat: Cuiuſmodi cautela *hac* Conſtantini M. *lege* continetur; nempe poſt inſtrumenta præmiſſa, ſeu poſt ſcripturam (nam hæc requirebatur, de quo ad *l. 1. ſup.*) item poſt corporalem inductionem in fundum (nam & ea hoc caſu requirebatur, de quo ad *d. l. 1.* quod hic Tribonianus omiſit, nempe quod ſola voluntate inter liberos & parentes donatio perficiatur. Quod idem admiſſum ab eo in *l. 5. inf.*) actum hunc expediendum ſeu Negotium hoc contrahendum per ſeruum idoneum, vt per eum nomine minoris donatio adquiratur & acceptetur. Sic & olim ſi pupillus fari non poſſet, ſeruus eius, pro eo rem pupilli ſaluam fore ſtipulabatur, *l. 1. §. 15. D. de magiſtr. conu.* & *l. 2. D. rem pupilli ſaluam fore.* Vel ſi ſeruum non haberet, ſeruus ei emendus erat; ſi neque hic emi poterat ſeruus publicus ſtipulabatur, *dictis ll.* addatur & *lex 18. D. de adoptionib.* Et hæc quidem ita, ſi (vt dixi) pater ipſe, filio emancipato minori donaret, nam (quod Ioannes recte vidit *leg. 3. D. de adquir. poſſeſſ.* notante Cuiacio,) ſi extraneus huiuſmodi emancipato donaret, donatio perficiebatur tutore auctore, vt ait *lex 5. D. de dolo,* ipſo patre, ſi emancipatione pater tutor extiterit, Paulus *lib. 5. ſententiar. tit. 11. §. 5.* ſiue *leg. 34. D. de donationib.* vel auctore eo qui manumiſſor extiterit, vt apud Vlpianum *lib. Regularum, tit. 11. de Tutelis §. 5.* (a)

Quod vero ad cauſam poſſeſſionis attinet (quæ pluri-

(a) Hæc omnia, vix verbo mutato, exſcripta erant a CVIACIO *in Comment. ad leg. 26. Cod. Iuſt. h. t.* retentis etiam peruerſis legum allegationibus.

plurimum facti habet) donatarum rerum possessio tradita infanti, corpore eius adquiritur, licet animi plenum non habeat affectum (quod ex Papiniano proculdubio sumptum omnino congruit huius legis verbis, ibi, *aut habere rei quæ sibi donatur affectum*) *l. 3. Cod. Iust. de adquir. possess.* Et hac quidem cautela res expediti potuit, & donatio adquiri & acceptari prominore seu pupillo, qui fari non potest, per seruum videl. pupilli. In quo illud quoque singulari iure statutum a Constantino M. *h. l.* ob pupillorum vtilitatem, vt huiusmodi seruus manumitti seu libertatem consequi non posset, vsque quo legitimam ætatem pupillus complesset, verum in statu suo permanere eum oporteret *propter attestationem fides*, id est, ne quæstioni subducatur ad comprobandam eius fidem & integritatem: Quæ quidem *lex* dura, sed ita scripta, (vt in simili plane loquitur Vlpianus *l. 12. D. qui, & a quibus manumissi:*) Sane & aliis similibus casibus ita quoque olim constitutum, ne serui intra aliquod tempus manumitti possent, veluti *leg. Iulia de Adulteriis*, ne serui intra 60. dies a die diuortii manumitterentur, ne alioquin quæstioni subducerentur, *d. l. 12. qui & a quib.* & *l. 17. §. 2. eod. tit. l. 3. Cod. Iust. ad leg. Iul. de adult.* Sic & in aliis causis antiquitus cœpta aduersus aliquem cognitione, si qua per seruorum quæstionem eruendæ veritatis spes erat, reo imperari solitum, vti seruos in potestate haberet: ex Liuio *lib. 8. c. 15.* & Ascon. Pediano *in argument. orat. pro Milon.* Atenim ibi angustissimum tempus fuit, hic prolixum, vsque quo videl. minor legitimam ætatem complesset. Quod velut a Iustiniano improbatum Tribonianus ideo a *leg.* sua hinc interpolata abesse voluit.

Superest de duobus quæ obiter adspersa, *hac leg.* videamus. Primo de *Fundis Italicis* & *stipendiariis*; quorum *h. l.* mentio fit, vt & variis aliis locis. Fundorum scilicet in Orbe Romano alii Italici dicti, iurisque Italici erant; Stipendiarii alii. Italici, quorum etiam pars magna in prouinciis, pleno iure priuatorum erant ex iure Quiritium, itque immunes a censu. *Stipendiarii* vero, ex quibus bello captis & occupatis Populus Romanus tributa colligebat, quique adeo non optimo iure ad priuatos pertinebant, verum priuato partim, partim publico: nempe (quod Aggenus Vrbicus docet *de limitib. agror. pag. 47. edit. Goes.*) quia dum priuatus laborabat in proprio, & tributum seu stipendium publico, & sibi alimoniam arua excolendo procurabat: sic illorum fundorum domini dicebantur *ex iure Quiritium*: horum domini *bonitarii*: Illud dominium legitimum, hoc naturale: Etsi vtrique fundorum possessores Domini essent: vnde stipendiariorum quoque fundorum vindicatio erat, *l. 12. §. 2. D. de Publ. in rem act.* seruitus eis imponi poterat, *l. 3. Cod. Iust. de seruit. & aqua.* nouum opus eorum nomine nunciari, *l. 3. D. de operis noui nunc.* Ac vt vario iure fundi isti censebantur: ita & varia ratione alienabantur, seu alio atque alio actu legitimo: nempe prædia Italica nexu, mancipio, seu mancipatione: at stipendiaria, nuda traditione: hinc adeo illa rebus mancipi connumerabantur, hæc nec mancipi. Simplicius *pag. 76. edit. Goes. agri*, inquit, *Stipendiarii, qui nexum non habent.* Nexum mancipiumque facere scilicet erat alienationis species, Italici soli possessoribus propria: Erat enim mancipatio actus solemnis & legitimus (vnde mancipationis solemnitas, *l. 4.*) quæ fiebat per æs & libram, quinque testibus superstitibus ciuib. Rom. puberib. & libripende, certisque & solemnibus verbis, de quo omni XII. Tabularum Interpretes, Vlpianus *Regular. Tit. 19.* Gaius *Instit. tit. 6.* Boëtius *Lib. 3. Commentar. ad Topic. Ciceron.* est & locus Suetonii *in Ottone, cap. 4.* & *l. 4. D. de euiction.* (a) Hinc adeo Mancipatio & Traditio iunguntur, *l. 4. 5. 7. inf. h. t.* & apud Paulum I. *Sent. 13. §. 4.* II. *Sent. 17. §. 3.* non quasi in promiscuu hæc fuerint, aut concurrerent; verum alternate: eo quippe pertinet id, vt intelligamus mancipationem ad alienationes fundorum Italicorum & similium rerum mancipi pertinere, Traditionem vero ad fundos stipendiarios, & reliquas res nec mancipi. Verum sublata hæc omnis differentia a Iustin. *l. vn. C. de vsucap. transform.* & *§. 40. Inst. de rerum diuis.* p. 615 Ideo Tribonianus in *hac l.* in *Codicem* suum relata, induxit mentionem fundorum Italicorum & Stipendiariorum.

Secundo, de *lege Lætoria*, & *legitima ætate* deinceps videndum est. Ait Constantinus, *donec annos Lætoria legis egressus, legitimam compleuerit ætatem*. Legitima ætas est 25. annorum, *Lætoria* scilicet *lege* inducta, definita. Lex *Lætoria* (quæ lata CCCCXCVII.) minoribus 25. annis, iam puberibus, (vnde lex *Quinauicenaria* dicta Plauto *Pseudolo Actu 1. scen. 3. v. 69.*) variis rationibus prospectum iuit: Cuius hæc tria capita reperio. *Primum*, Vt curatores minoribus 25. annis darentur, si lasciui essent, si dementes: Capitolinus *Vit. M. Antonini cap. 10.* *De Curatoribus cum antea nonnisi ex lege Lætoria, vel propter lasciuiam, vel propter dementiam darentur, ita statuit, vt omnes adulti curatores acciperent, non redditis causis.* Secundum *Lætoriæ legis* caput istud reperio: Ne minores 25. annis *stipularentur*, id est, spondendo se obligarent; passiua *stipulari* ἐπερωτᾶσθαι, Prisciano Interprete, pariter vt *l. vlt. D. de administ. tutor.* Suetonius *in IV. Pratorum* apud Priscianum *lib 8. p. 794. edit. Putsch.* *Lætoria, quæ vetat minorem annis XXV. stipulari*, adde eundem ex eodem Suetonio *lib. 18. pag. 1164. ed. cit.* ad quod caput allusit quoque aperte Plautus *d. loco*;

Perii, an non tum lex me perdit Quinauicenaria?
Metuunt credere omnes.

Et *Rudent. Actu 5. sc. 3. v. 24.*

\- - - *Cedo qui cum habeam iudicem*
Ni dolo malo instipulatus sis, niue etiam dum siem
Quinque & viginti natus annos.

Vnde apparet *lege Lætoria* etiam comprehensum fuisse, Vt creditor qui minori 25. annis credidisset, creditum amitteret. Atque hæc illa est circumscriptio adolescentiæ, quæ *lege Lætoria* plectebatur publico iudicio, teste Cicerone 3. *officiorum cap. 15.* & 3. *de natura Deorum cap. 30.* quod *Tertium* caput *legis Lætoria* obseruo. Ab hac igitur tandem *lege*, Legitima ætas dicta maior 25. annis, quod vt Brissonius 3. *Antiquit. 2.* recte probauit, ita hic locus euidentissime comprobat.

(a) Vide hic etiam CL. BRVMMERVM *ad leg. Cinciam cap. 13.*

INSINVARI *donationes* VBI *oporteat.*

III. (a) Idem A. ad Cassium P. V. (b)

PROMVLGATVM + dudum est, *Donationes nullo alio modo firmas posse detineri* (c) *nisi apud actorum contestationem* (d) *confectæ fuerint.* Sed, quia multi aliena, vel

non pleno iure ad se pertinentia, donantes, extra patriam & prouinciam, in qua possident acta conficiunt, placet, Vt nulli liceat, extra prouinciam laremque suum donationum instrumenta apud Acta adlegare, sed in quo domicilium habuerit, atque possessiones constitutæ sunt apud suum Ordinarium Iudicem; Vel, si eum abesse contigerit, apud Curatorem, (e) Municipalesue (f) eiusdem ciuitatis: Nam si hoc prætermissum fuerit, nullam firmitatem habere donationes sancimus. Dat Kal. Maii, Romæ (g) Sabino & Rufino CONSS. [316.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* prælata sententia quadam super hoc Theodosii Iun. *l. 8. inf.* qua hoc abrogatur. *GOTHOFRED.*

(b) *Cassium* hunc P.V. non memorat *his* Coss. Vetus Auctor *Notitia Præfectorum Vrbis*: Anno quippe demum 319. *Licinio* V. & *Crispo Cæs.* Coss. notat scriptor ille ex die III. Id Iul. in Idus Augusti vice Septimii Bassi cognouisse Iulium Cassium, eo quod ad Augustum profectus esset Septimius Bassus, qui mox regressus Præfectus Vrbi fuerit. Quare malim hic *PPV.* id est *pro præfecto Vrbi*, rescribere. *ID.*

1 Quando? (Nam *lex* 1. *sup. h. t.* hac posterior est) a Constantini M patre, vt ipsemet testatur. *l. 1. sup. de sponsalib. & ante nuptias donat. ID.*

(c) *Detinei firmas*, id est firmas haberi, censeri. *IDEM.*

(d) Id est testificati nem, vt *l. 5. inf. & l. 1 sup. de sponsalib.* Contestatio, est scriptura, libellus, *l. 8. infr. de famos. libell. IDEM.*

(e) *Curator* ciuitatis. vid. & *l. 8. inf. & Gloss. Th. ID.*

(f) *Municipales* ciuitatum pro Magistratibus municipalibus. *ID.*

(g) De hac subscriptione vide quæ dicta sunt in *Chronolog.* In Galliis enim constitutus erat tunc temporis Constantinus, non in Italia *RITTER.*

COMMENTARIVS.

DE INSINVATIONE donationis (quam *dudum* exactam ait, de quo & ad *l. 1. sup. de sponsalibus*: & ad *leges superiores*) est hæc Constantini M. Constitutio: de qua sunt *hoc Codice* in vniuersum sex *leges*, ex his, tres Constantini, puta *lex 1. sup.* (quæ tamen hac, tempore posterior est, vt in *Notis* ibi ostendi) hæc *lex 3.* & *lex 5.* Constantis item *l. 6. inf.* Honorii *l. 9. inf. de infirm. his quæ sub Tyr.* & Theodosii Iun. *l. 8. inf. h. t.* Et hac quidem nominatim est de LOCO, seu de EO IVDICE apud quem insinuari donationem oportet. Ibi nempe donationem insinuari vult Constantinus M. vbi domicilium habet donator, & possessiones constitutæ sunt: Addita ratione, *Ne alioquin*, quod eueniebat, *multi aliena, & ad se non pleno iure pertinentia, donent, extra patriam & prouinciam in qua possident, acta conficientes.* Quod quidem etiam in Gallia obtinet, iudicatumque frequentibus Arrestis, quæ exhibet CL. Fisci Aduocatus Seruinus, *tomo 1. Orationum forensium, orat. 22. a p. 310. ad pag. 329.* Atenim Theodosio Iun. id postea displicuit, *d. l. 8. in fin. inf.* (quod etiam prætulit Tribonianus, assumendo, quod ex *ea l.* desumptum falso Constantini *legi 27. in fin Cod. Iust. eod. tit.* attexuit.) Vt & Leoni *l. 30. Cod. Iust. d. t.* Sane ita quoque venditiones etsi in alio loco quam in quo possessiones constitutæ sunt, fiant, non ideo initæ esse creduntur, *l. 1. Cod. Iust.*
p.615 *de contrah. empt.* & *l. 4. sup. de contrah. empt.* vnde translata est *lex 15. Cod. Iust. de rescind. vendit.* At ex hac Constantini mente ibi insinuandæ sunt donationes, vbi domicilium donator habuerit atque possessiones constitutæ sunt. Quo loco domicilium, & locus in quo possessiones constitutæ sunt, pro eodem ponuntur: nempe *domicilium* in eo significatu est, vbi quis *larem suum* (vt hæc *lex* loquitur) & domicilium fortunarum constituit. Alioquin si nudum domicilium vno loco habere donatorem singas, alibi vero possessiones constitutas, sane vbi possessiones constitutæ fuissent, ex huius constitutionis mente donationes insinuari oportuisset. Quod etiam Henrici II. R. Galliarum constitutione, nominatim cautum reperio. Et hæc de loco.

Secundum caput *huius leg.* est de EO IVDICE apud quem, seu apud cuius Acta donationes insinuari debeant. Nempe 1: Apud ordinarium Iudicem, id est, Rectorem prouinciarum; quod & ipsum cauetur *fine legis 1. sup. & l. 8. inf.* 2. vel eo absente, apud Curatorem (quod abrogatum *d. l. 8. inf.* vbi dicam) & Magistratus municipales eiusdem ciuitatis, *h. l. & d. l. 1. sup. & d. l. 8. infr.* vbi dicam fusius. In Gallia vero in tantum apud loci Iudicem donationes insinuari oportere iudicatum, vt apud primæ instantiæ Iudicem insinuari eas oporteat, non apud Iudicem appellationis *en la Preuosté, & non au Brilliage.* Bouchel & Ioly *lib. 2. art. 44.*

Inter LIBEROS *&* PARENTES *donationes omnes nuda voluntate citra mancipationem & traditionem perfici.*

IIII. (a Idem A. ad Bassum P. V. (b)

IVXTA Diui Pii, + consultissimi Principis, instituta, valere donationes placet inter liberos & parentes, in quocunque solo, (c) & cuiuslibet rei, (d) liberalitas probabitur extitisse, licet neque mancipatio (e) dicatur, neque traditio subsecuta, sed nuda tantum

tum voluntas claruerit, quæ (f) non dubium consilium teneat, nec incertum, sed iudicium animi tale proferat, vt nulla quæstio voluntatis possit inrepere; (g) & (h) conlata (i) inter ceteras, exceptas Cinciæ (k) legi, personas obtinere propriam firmitatem, siue mancipationis decursa fuerit solennitas, (l) vel certe res tradita doceatur. Quam legem ad lites volumus pertinere, quocunque tempore iussionis nostræ inueniuntur esse suspensæ, & quæ post futuræ sunt; ne transacta negotia resricentur. Dat. Non. Octo. Constantino A. V. & Licinio Cæs. CONSS. [319.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* propter traditionis necessitatem sublatam. Hanc *leg.* intelligit Constantius *l. 7. inf.* GOTHOFREDVS.

(b) *Basso* huic P. V. aliæ plures *leges* inscribuntur, A. 317. & hoc 319. Memorat hanc eius Præfecturam vetus Auctor *Notitia Præfectorum Vrbis* An. 317. 318. vsque ad Kal. Sept. A. 319. quibus Valerius Maximus P. V. fuit: quo mirum huic *legi* ad Bassum P. V. *data* subscribi Anni D. 319. Non. Octo. itaque alterutrubi error in die. *ID.*

† Constitutio hæc Diui Pii non extat, neque alia alibi eius mentio fit. *ID.*

(c) Italico, stipendiario seu prouinciali. *ID.*

(d) Mancipi scilicet, nec mancipi. Nam Ranchino non est accedendum, qui II. *var.* 7. his verbis intelligi putat cuiuscunque modi & quantitatis rem, vt ita suam coniecturam tueatur de *Cinciæ legis* modo a Constantio sublato: de quo ad *l. 1. sup. de sponsalib.* *ID.*

(e) Dixi de *Mancipatione*, ad *l. 2. sup.* *ID.*

(f) Voluntatis manifestæ descriptio. *ID.*

(g) Interuenire. *ID.*

(h) *γρ. at:* de quo mox. Certe Marcillos *ad tit. Inst. de donat. p.* 224. quid sibi voluerit nescio, cum totum hunc locum ita refingeret: *Et collatis inter ceteras exceptas Cincia legi personas obtinere propriam firmitatem sicut mancipationis*, &c. Racconetus legebat, *inter exceptas Cincia lege personas.* *ID.*

(i) Id est donationes collatæ. *ID.*

(k) Id est *Cincia* lege. *ID.*

(l) De *Mancipationis* solemnitate dixi ad *l. 2. sup.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE MANCIPATIONIS & TRADITIONIS in donationibus, necessitate (de qua dictum fuit semel plene, ad *l. 1.* & *2. sup.*) est hæc Constantini M. Constitutio; Qua quidem, personæ quædam ab ea excipiuntur; *Iuris priuilegio*, vt loquitur *lex 5. in fin. infr.* sic vt donatio citra eas facta valeat: Aliæ vero ad alterutrum tantum adiguntur. Excipit scilicet Constantinus M. donationem inter parentes & liberos, tum *hac l.* (quam memorat & firmat *lex 7. inf.*) tum *l. 5. in fin. infr.* Idque iuxta anteriorem Diui Pii constitutionem, cuius nulla alibi mentio extat; quem etiam *consultissimum Principem* vocat: insinuata his verbis tacite ratione huius exceptionis. Nempe hac parte optimo iure consultum donationibus inter parentes & liberos factis: id est, donationibus collatis a parentibus in liberos, de quo mox plura. Sane paulo post D Pium Paulus *libro sentent. IV. tit. 1. §. 11. Sufficit*, inquit, *inter coniunctas personas, quibuscunque verbis, vt in donatione, voluntas expressa.* Inter coniunctas personas ait *lex*, vt *infr. l. 5.* coniunctissimas personas, id est, parentes & liberos. *Cincia* scilicet *lex* muneralis (de qua mox) cohibendis donationibus lata Mancipationis & Traditionis in donationibus necessitatem regulariter induxerat, exceptis nonnullis personis, puta liberis & parentibus, sub quadam locorum & rerum distinctione. At Diuus Pius parentibus & liberis plenissimam traditionis necessitatem remisit: Ipsa inquam *lege Cincia* excepti fuere parentes & liberi sed non indistincte. Hactenus enim id eis relaxatum fuerat lege *Cincia*, vt si res Italici iuris essent, resque Mancipi, sine mancipatione & traditione donatio hoc casu perficeretur. D. Pius vero indistincte eos excepit, (quod Constantinus M. hic probat) nempe non distincto solo (Italicumne P. 617
id esset, an Stipendiarium) item non distinctis rebus (resne mancipi, an non mancipi essent) Paulus V. *sentent. t. 11. §. 4. Cum vnius rei in duos donatio confertur, potior est ille, cui res tradita est, nec interest posterior quis, an prior acceperit: & Excepta nec ne persona sint.* (quibus scilicet mancipationis & traditionis necessitas remissa est.) Denique & *l. prox. in fin.* vocatur id IVRIS *priuilegium:* quibus sane verbis vetusto iure aliquo id concessum indicatur. Quod sane etiam firmant ea, quæ mox subiiciuntur de cæteris personis exceptis *Cincia lege.* Nempe, cum lege *Cincia* aliquot personæ necessariæ & coniunctæ exceptæ fuissent, inter quas scilicet in donandis rebus mancipi, mancipatio vel traditio non requirebatur, sub distinctione rerum & locorum, D. Pius parentibus & liberis plenius consultum iuit, & post eum Constantinus M. *h. l.* sublata rerum & locorum distinctione, abrogata hac parte *Cincia* lege. (a) Pristinum vero ius legis *Cincia* quoad cæteros seruauit, nempe vt his Alterutrius

(a) FRIDERICVS BRVMMERVS *ad leg. Cinciam cap. XV.* *Correctio legis Cinciæ*, auctorem habet *Antoninum Pium.* Is enim primus constituit, vt donationes inter *Parentes & Liberos* nudo consensu perficerentur, cuius tamen constitutio desideratur, laudata tantum & confirmata a Constantino in *Leg. 4. C. T. de donat.* Correxit *D. Pius* in eo legem Cinciam, dum vtriusque, tam *mancipationis*, quam *traditionis* necessitatem in donationibus coniunctarum personarum (quo nomine Paullus *Lib. IV. sentent. tit. 1. §. 11.* parentes & liberos complectitur) sustulit. Dico *vtriusque, non alterutrius* seu traditionis solum, quod placet ICto alioquin præstantissimo *Iacob. Gothofredo*, dum ad hanc legem commentatur: *mancipationis remissionem* in donationibus liberorum & parentum ex ipsa lege Cincia esse. Donatio enim Voconio a matre sua facta, quam Plinius *Lib. X. ep. 3.* adduxit, perspicue hanc sententiam refellit,

vtrius necessitas incumberet, vel inquam Mancipationis, vel traditionis. Quænam autem hæ personæ *cæteræ* sunt exceptæ legi *Cinciæ*, vt hæc lex ait, vel vt Paulus, *excepta persona?* Nempe coniunctæ aliæ personæ, vt *altero loco* Paulus ait: proculdubio ex ipsæ, de quibus *lege Iulia* publicorum Iudiciorum cauebatur, ne inuitis iis denunciari posset, vt testimonium aduersum se dicerent, *l. 4. D. de testibus.* Ergo & mancipationis & traditionis necessitas *hac leg.* remittitur parentibus & liberis: alterutrius saltem necessitas iniungitur cæteris, exceptis *Cincia* lege personis.

Insinuationis alia ratio est & a contrario: Nam imo propter fraudis suspicionem vehementem inter coniunctissimas potissimum personas insinuatio requiritur, *l. 5. inf.* vbi plura. Differentiæ ratio hæc est, quod Traditionis necessitas eo tantum fine in donationibus inducta fuit, ne improuida profusione quidam bonis suis euoluerentur: neque enim melius ab hac inconsulta facilitate homines cohibeantur, quam si suas res corporaliter & reuera a se ad alios migrare videant. Hac eadem ratione manumissiones nominatim fieri voluit *lex Ælia Sentia.* Vide etiam *Theophilum ibi.* Hac ratione omnium bonorum, vel saltem quotæ partis, donatio non valebat; verum singulares res donator percensuisse & pronunciasse debebat, *l. 1. & 2. Cod. Hermogen. de donationib.* id quod Tribonianus a *l. 11. Cod. Iust. de donat.* abscidit. Quod summam habuit rationem, & prouide constitutum fuit. Ne quis stulte, insipienter, inconsulte bona sua, eorum nescius forte, donaret. Simili ratione, memorat Historia Florentina, Ducis filium a patre ab effusa profusione traductum ad parsimoniam, numerandæ pecuniæ necessitate, si quid largiretur, ei imposita. At *Insinuationis* necessitas creditorum fauore introducta est, quorum semper interest donationes insinuari, ne quid in fraudem eorum admittatur.

Nunc de *Lege Cincia* cuius *h. l.* mentio fit, paulo plenius: Nempe vt lex *Falcidia* legatis, *Caninia* manumissionibus (quæ & ipsæ duæ donationis seu liberalitatis species sunt, vnde & legatum donatio quædam dicitur: manumissio datio seu donatio libertatis) ita & *Cincia* lata A. V. C. 549. a M. Cincio Alimento Trib. pleb. qua aliis donationibus fibula imposita fuit, quam *Muneralem* vocauit *Plautus* apud Festum, *voc. Muneralis.* Huius legis non vnum tantum caput fuit (quod hactenus censent, qui legum fragmenta & catalogos scripsere) verum varia capita eius fuere: e quorum numero hæc repero (quæ omnia teneremus si saltem superesset Paull ad *leg. Cinciam* liber commentarius, e quo vnicum tantum fragmentum extat *l. 29. D. de legibus.*) Primum istud, *In quot donationes fieri non possint.* Qua parte & illud cautum; Ne quis ob causam orandam pecuniam donumue acciperet, teste Tacito *Annal. XI. cap. 5. XIII. cap. 42. XV. 20.* Quod caput firmatum renouatumque sub Augusto, Dione Auctore, *lib. 54. ad an. V. C. 737.* Καὶ τὲς ῥήτορας ἀμισθὶ συναγορεύειν, ἢ τετραπλάσιον ὅσον ἂν λάβωσιν ἐκτίνειν ἐκέλευσε. *Oratores iussit caussas, nullo accepto præmio, agere: qui secus fecissent, quadruplum acceptæ mercedis pendere.* & a Traiano plenius, vt ex Plinio discere est *lib. 5. ep. vlt.* Secundo, *Modus* seu Quantitas & Mensura certa donationibus præfinita, vltra quem donare non liceret: Qui modus sæpe inculcatur *Titulo, de donationib.* & *Tit. de mortis causa donat.* Tertio, *Forma* donationibus præscripta: inter cætera Mancipationis Traditionis necessitas: exceptis personis, de quibus *supra.* Quæ legis *Cinciæ* necessitas postea sublata e Republica, teste Iustiniano *Nouell. 162. c. 1.* Et ita quidem versiculum, *& conlata inter cæteras exceptas Cinciæ legi personas obtinere propriam firmitatem*, accipiendum puto: Non vero quasi hæc verba accipienda sint de *modo* donationum, a quo personas quasdam lex *Cincia* exceperit. Etsi verum sit, *Cinciam* legem a modo quoque donationum excepisse quosdam cognatos, vt testatur Vlpianus *fragm. l. tit. 1. §. 1.* Nam lex *Cincia* quæ donationibus modum seu quantitatem præscripsit, & formam, vtroque capite cognatos excepit.

Vt ad hanc *legem* redeamus. Ergo *hac l.* circa Traditionis solemnitatem seu necessitatem in donationibus, vnica differentia proponitur inter parentes liberosque, & inter cæteras personas exceptas lege *Cincia.* Nempe *Cincia* lege æque omnium illorum ratio habita fuerat, remissa videl. his ex æquo Mancipationis necessitate, sola traditione exacta. Atenim Constantinus M. vt vt *hac l.* parentibus & liberis etiam traditionis necessitatem remittat, at non & cæteris illis personis exceptis *Cincia* lege remittit: In illis denique nudam voluntatem sufficere ait, dummodo certa ea sit. Differentiæ rationem hanc Constantinus habuit, quam haud obscure indicat: Quod si de actibus inter parentes & liberos agatur, satis sit voluntatis *radicibus* eos niti, vt in simili de diuisione inter libsros facta in minus solemni testamento, idem Constantinus M. loquitur & definit *l. 1. sup. de familia erciscunda.* Quare iuris istius progressus ita notandus:

Cincia lex remiserat mancipationis necessitatem Parentibus & liberis & aliis quibusdam personis: at non & traditionis.

D. Pius etiam traditionis necessitatem parentibus & liberis remisit.

Quod Constantinus *hac l.* sequitur: traditionis necessitate a cæteris personis exacta.

Quod igitur *hac l.* de *Cincia* lege dicitur, id pertinet ad caput *Cinciæ* legis de *mancipationis & traditionis necessitate.* Non vero ad caput *Cinciæ* legis, de modo seu quantitate donationis, quod putabat Ranchinus II. *Var. 7.*

quippe quam Plinius diserte ob mancipationis interponendæ moram a donatrice commissam, *nondum satis legitime peractam fuisse*, ait, quod recte, si nudo consensu etiam ex lege Cinciæ donationes Parentum & liberorum perfectæ fuerint, Plinius nonnisi cum turpi iuris, in quo versabatur, ignorantia dicere potuisset; cum donatio ista iam diu consensu matris Voronii, quem codicillis ad Neruam scriptis testata fuerat, perfecta & hoc ipso legitime facta fuisset, nec proinde mancipationis solemnibus indiguisset. Neque quicquam pro Gothofredi sententia facinnt, vt putat, verba in *d. l. 4. in quocunque solo & cuiuslibet rei liberalitas probabitur exstitisse*, quasi his significetur: *donationem* non solum *mancipi*, vt antea ex lege Cincia, sed etiam *non mancipi* ex Constitutione Pii, nudo consensu inter liberos & parentes consistere; cum verborum istorum is potius sensus sit: *donationem* inter parentes & liberos, siue ea fundi Italici, siue prouincialis, siue rei mancipi, siue nec mancipi esset, a mancipationis & traditionis necessitate, quam generaliter lex Cinciæ omnibus donationibus proposuerat, iuxta constitutionem D. Pii, excipi debere. Tangit hanc Pii constitutionem Paullus *lib. IV. Sentent. tit. 1. §. 11.* dum ait: *Filio quibuscunque verbis a patre fideicommissum relictum iure debetur. Sufficit enim inter coniunctas personas quibuscunque verbis, vt in donatione, voluntas expressa.* Ratio autem, cur *Pius* mancipationem & traditionem in donationibus parentum & liberorum sustulerit, in *d. l. 4.* adicitur: *quia in actibus inter parentes & liberos nuda voluntas, si modo certa sit, videtur sufficere*; nam eandem ob caussam fideicommissum filio a patre quibuscunque verbis relinqui posse, Paullus in loco iam dicto respondet.

Ea quæ in Commentar. Noster *de Capitibus Cinciæ legis* disputat, illustrabit omnia laudatus BRVMMERVS, quem vide: eique adde CL. HEINECCIVM *in Antiquit. Rom. Lib. II. Tit. VII.* cuius *nota ad §. 12.* iis lucem affundet, quæ Noster *de Modo Donationum* dixit.

Inter

P.618

Inter Liberos *&* Parentes *quoque donationes* Insinvari *apud Acta oportere.*

V. (a) Idem A. ad Seuerum (b) Comit. (c) Hispaniarum.

Data iampridem Lege † statuimus, *Vt donationes interueniente actorum testificatione conficiantur*: Quod vel maxime inter necessarias coniunctissimasque (d) personas conuenit custodiri: siquidem *clandestinis ac domesticis fraudibus facile quiduis pro negotii opportunitate confingi potest, vel id quod vere gestum est aboleri.* Cum igitur, ne liberos quidem ac parentes Lex nostra ab actorum confectione secernat, id quod necessario super donationibus apud acta conficiendis, iampridem statuimus, vniuersos teneat: Saluo (e) tamen iuris priuilegio, quod liberis & parentibus suffragatur, scilicet ne traditionis vel mancipationis solemnitas sit necessaria. Dat. IV. (f) Non. Maii, Constp. Dalmatio & Zenofilo Consulibus [333.]

NOTAE.

(a) *Lex 27. Cod. Iust. eod. tit.* Iungendaque huic, *lex 2. infr. de fide testium & instrumentorum.* GOTHOFR.

(b) *Seuerus* Comes Hispaniarum sub Constantino M. cui etiam inscribitur Anno prox. 334. *lex 3. inf. de maternis bonis.* Imo & *lex 8. inf. de Nauicular.* An. 336. ID.

(c) De *Comitib.* Hispaniarum dixi ad *l. 14. infr. de accusat.* ID.

† Intelligit vt puto vel *legem 1 sup.* (quæ ante decennium lata est,) vel potius *l. 3. sup.* ID.

(d) *Coniunctasque* Cod. Iust. de his personis dixi ad *l. 4. sup.* ID.

(e) Sequentia resecauit Tribonianus assumento alio addito ex *l. 8. inf.* ID.

(f) *III. Non. Mai.* Cod. Iust. male, quod etiam testatur *d. l. 2. de fid. test.* RITTER.

COMMENTARIVS.

De Insinvandæ donationis necessitate est hæc quoque, pariter vt duæ *supra*, *lex 1. & 3.* Constantini M. *lex*: quæ pars est prolixioris Constantinianeæ constitutionis, de validitate donationum, vnde desumpta est quoque *lex 2. infr. de fide testium & instrumentorum*, quæ proinde *huic* coassanda venit, ad *quam* etiam ostendam, quomodo species eius ad donationes referenda sit. Ergo *hac l.* id statuitur, insinuationem inter necessarias quoque & coniunctissimas personas (de quibus iam dixi *ad l. 4. sup.*) veluti parentes & liberos, requiri, etsi traditionis vel mancipationis necessitas remissa sit. Nam hæc huiusce *legis* sententia & σύ·έχημα est: simul & ratio dubitandi. Dubitari nempe cœperat, num sicut mancipationis vel traditionis necessitas inter parentes & liberos remissa esset, ita quoque remitteretur inter eos Insinuationis necessitas. Quod *hac l.* Constantinus negat. Rationem differentiæ seu diuersitatis satis indicat, dum hanc rationem insinuationis inter eos requisitæ addit, *siquidem clandestinis ac domesticis fraudibus facile quiduis pro negotii opportunitate confingi potest, vel id quod vere gestum est, aboleri.* Ac si diceret, insinuationis necessitatem inductam, vt fraudibus occurreretur, quæ scilicet in fraudem siue legum, siue creditorum fieri possent. Multo magis igitur insinuationem requiri inter parentes & liberos, quia inter eos fraudibus magis locus esse potest, clandestinis videlicet. Traditionis aliam esse rationem, quæ tantum ad profusas luxuriosorum hominum liberalitates cohibendas pertinet, vt ferme luxuria, liberalitatis specie imponit.

Cæterum, cum ea quam dixi ratione donationum insinuatio inducta fuerit, quæri potest, etsi neque *legi*, neque creditoribus fraus facta fuerit, cum donatorum quoque ipsorum respectu, donatio non valeat reuocarique adeo iure possit? Id vero hoc iure obtinuisse quis putet? Quandoquidem absolute *lex 6. inf.* ait donationes actis non insinuatas irritas esse: *lex 3. sup.* donationes nullo alio modo firmas esse, quam insinuatas: *lex 8. infr.* nullius momenti donationes esse. In sponsalitia equidem largitate, respectu viri, donationem non insinuatam nihilominus valere voluit in fauorem minoris fœminæ Constantinus M. *leg. 3. sup. de sponsal.* Intra 200. solidos Theodosius Iun. *l. vlt. de sponsal.* Absolute vero Iustinianus *Nouel. 127. c. 2.* De Iure Gallico vide Additionem Brissonii *lib. 6. tit. 4. Antiq. 1.* Seruini *Orationes*, Louetium *in Arrestis.*

Quod Tempus quoque attinet, nulla Insinuationi faciendæ intercapedo Imperatorum constitutionibus præstituta: verum in ipsa donationis celebratione eam requisitam satis ostendunt: sola *lex 8. infr.* definit, posse eam fieri vel ante, vel post traditionem: Iure sane Gallico quatuor mensium spatium indultum.

De Insinvandis *Donationibus,*

VI. (a) Impp. Constantius & Constans AA. ad Celsinum. (b)

Venerabili Parente (c) Nostro statutum † est, *imitas donationes esse quæ actorum indicia non haberent*: nec segnius etiam Lenitudinis Nostræ cura succedit. Dat. IX. Kal. Ian. Marcellino & Probino conss. [341.]

Y 619

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.
(b) Da hoc Celsino mox. *ID.*
(c) Constantino M. *ID.*
† L. 1. 3. 5. *sup.* & *l.* 1. *sup. de sponsalibus*, imo & a Constantio Chloro *d. l.* 1. de quo ad *l.* 1. *sup. h. tit.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE INSINVANDÆ donationis necessitate est hæc quoque Constaotis Imp. constitutio, vt Constantioi M. *lex* 1. 3. 5. *sup.* quo se Constans refert, seu quas *leges* hic confirmat quibus proinde locis dicta sufficiant. Elegantia tantum stili poëtici hic ootanda: *Nec segnius etiam Lenitudinis nostra cura succedit.* Sic Virgil. 9. *Æneid.* *v.* 441. *Instat non segnius:* Vel vt alii, *non secius*, & 3. Georg. *v.* 138. *Cura patrum cadere, & succedere matrum incipit.* Dixi porro hanc *leg.* esse Constantis Imp. Id vero probat inscriptio *legis* ad Celsioum, *Celsinus* scilicet hic, sub Constante Imperatore P. V. fuit, vt docet Auctor *Notitia Præfectorum Vrbis*, a V. Kal. Martias Anni huius 341. vsque ad Kal. Aprilis Anni proximi. Anno 338. & 339. Fuerat idem Præfectus Prætorio Italiæ, in qua & Africa, vt docet *lex* 4. *inf. de petitionib. bonor.* & *lex* 27. *inf. de Decurion.*

De MANCIPATIONIS & TRADITIONIS *necessitate in donationibus inter extraneos.*

VII. (a) Idem AA. (b) ad Orsitum P. V. (c)

CVM Genitoris (d) Mei scitis euidenter expressum sit, *Nullam donationem inter extraneos firmam esse, si ei traditionis videatur* (e) *deesse solemnitas*, & idem † *huiusmodi necessitatem liberis tantum ac parentibus relaxauit*, in omnibus deinceps obseruari negotiis oportebit, vt donatio inter extraneos minus firma iudicetur, si iure mancipatio & traditio non fuerit impleta. Dat. VIII. Kalend. Maii, Arbitione & Lolliano CONSS. [355.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* propter traditionis necessitatem sublatam. GOTHOFRED.
(b) Imo reponendus *hic* solus Imp. CONSTANTIVS A. *ID.*
(c) De hoc *Orsito* P. V. vide *Prosopograph.* *ID.*
(d) Constantini M. *l.* 1. 2. 4. & 5. *infr.* *ID.*
(e) Id est, *desit.* *ID.*
† *Lege* scilicet 4. *sup.* ante 37. annos A. 319. lata. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. hæc Constitutio est in argumento de Donationibus, vt & altera his ipsis COSS. ad eundem Orsitum P. V. data, vno tantum meose ante hanc *legem*, puta famosa *lex* 8. *Cod. Iust. de reuoc. donat.* Ex quibus apparet, quomodo effusis donationibus Princeps hic occursum iuerit. Qui & ipse Princeps alioquin facilis erat adimere quæ donabat, teste Amm. Marcellioo *lib.* 21. *extremo.* Hac sane *lege*, quæ est de TRADITIONIS necessitate illud definit, nempe Traditionis necessitatem liberis tantum & parentibus remittendam; inter extraneos quoscumque scilicet alios vel Mancipationem vel Traditionem requiri: aduocato Constantini M. patris exemplo, seu constitutione, puta *l.* 4. & 5. *in fin. sup.* qui pariter a Traditionis oecessitate solos illos excepit (nam Mancipationis solemnitas iam his remissa fuerat *ipsa lege Cincia*) (a) In cæteris omnibus vel Mancipationem vel Traditionem desiderari, pro rerum videlicet diuersitate, imo quarundam personarum priuilegio: de quo ad *d. l.* 4. Hinc interim discere licet, Extraneorum aliquando appellatione cootineri Agnatos & Cognatos, liberisque adeo & pareoübus opponi.

(a) Vide quæ ad legem 4. contra Nostrum disputat CL. BRVMMERVS.

I. *De* TRADITIONIS *necessitate in Donationibus: eiusque vim non habere* VSVSFRVCTVS *retentionem.* II. *De* INSINVATIONIS *necessitate: quando ea & vbi ea fieri possit & debeat.*

VIII. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Aureliano PF. P. (b)

DONATIONES debere sortiri perpetuam firmitatem, quas corporalis (c) *Traditio* fuerit subsecuta, sancimus, ne (d) vsusfructus exceptio pro traditione possit intelligi. Qui enim

enim post liberalitatem re donata perfrui concupiscit, hoc sibi quo voluerit modo, consignata videlicet possessione, debet præcipuum custodire, ne inperfecta vacillet donatio.
P.640 *Gestorum* (e) quoque *confectionem*, siue ante traditionem, siue post traditionem, fieri oportebit, vt instrumentum quo continetur munificentia, apur acta publicetur. In hac quidem Vrbe, apur Magistrum census; in prouinciis vero, apud prouinciarum Rectores: vel, si præsto non fuerint, apur Magistratus municipales: vel, si Ciuitas ea vel Oppidum, in quo donatio celebratur, non habeat Magistratus, apud Defensorem plebis, in qualibet ciuitate fuerit repertus: Curatores enim ciuitatum ab huiuscemodi negotio temperare debebunt, ne tanta res eorum concidat vilitate; Sed iam allegatas apud Curatores donationes, & gesta confecta valere necesse est: In posterum omnibus, quæ statuta sunt obseruandis: quoniam si quid fuerit prætermissum, nullius momenti videbitur (f) esse donatio. Gesta (g) autem confici super rebus, etiam alibi conlocatis, vbicunque sufficiet, ita vt traditio corporalis in locis vbi res donata consistit, omnimodo celebretur. Dat. X. Kal. April. Constantinop. DD. NN. Honorio X. & Theodosio VI. AA. conss. [415.]

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Quem & ipse Theodosius Iun. mox biennio post abrogat *l. prox. vlt.* GOTHOFR.
(b) *Aurelianus* PP Orientis sub Theodosio Iun. v. *Prosopogr.* ID.
(c) *Corporalis* traditio *hic*, & *fine leg.* & *l. 2. sup.* Inductio corporaliter impleta. ID.
(d) *Nec.* IDEM.
(e) Huc respexit Papianus respons. *t. 24.* ID.
(f) Erit. IDEM.
(g) *Legi 27. Cod. Iust. eod. tit.* hanc sententiam subtexuit Tribon. IDEM.

Vsvsfrvctvs *retentionem in Donationibus vim habere Traditionis: abrogata in eo* lege 8. supr.

IX. (a) Idem AA. Monaxio PF. P. (b)

Legis † a nobis paulo (c) ante latæ cetera (d) quidem cautio necessaria nobis admodum visa est; sublata vero in donationibus species traditionis, quam olim retentio vsusfructus induxerat, (e) non sine magna ratione desiderata est, cum *obseruationem* (f) *iuris contrahere potius quam propagare debeamus*: Ideoque ius pristinum renouamus, (g) vt Quisquis * rem aliquam donando, vel in dotem dando, (h) vsumfructum eius retinuerit, etiam si stipulatus non fuerit, eam continuo tradidisse credatur; ne (i) quid amplius requiratur, quo magis videatur facta traditio; sed omnimodo idem (k) sit, in his causis, vsumfructum retinere, quod (l) tradere. Dat. Prid. Id. (m) Mart. Constantin. DN. Honorio A. XI. & Constantio V. C. II. (n) conss. [417.]

Interpretatio. *Quicunque de rebus propriis seruato vsufructu* (o) *cuilibet aliquid quacunque donatione contulerit, vel in dotem dederit & sibi vsumfructum reseruet, rem tradidisse cognoscitur; quia reseruatio vsusfructus* (p) *etiam si stipulatio inserta non fuerit, pro traditione habeatur.*

N O T A E.

(a) Abest huius *legis* principium vtpote Historicum, a *Cod. Iust.* GOTHOFR.
(b) *Monaxius* PP. Orientis scil. sub Theodosio Iun. v. *Prosopograph.* Aureliani is successor in ea Præfectura fuit. ID. *Ad Maximum pfu* Cod. Goth RITTER.
† *Legem 8. supr.* intelligit. GOTHOFR. *Leges a nobis*, Cod. Wurceb. Goth. & Sichard. RITTER.
(c) *Paulo ante*, id est, ante biennium A. D. 415. GOTHOFR.
(d) *Cetera* fœminino singulari, id est, reliqua. ID.
(e) *Indulserat*, Cod. Goth. RITTER.
(f) *Obseruatio*, *hic*, & *l. 1. sup.* Iuris est, & scrupulositas Iuris, ritus & solemnitas. GOTHOFR. *Ergo cum obseruatione iuris*, Cod. Goth. RITTER.
* *Lex 28. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(g) *Reuocamus* Cod. Goth. manus recentior, *reuocamos*. *ID.*

(h) *Vel vendendo:* add. *Cod. Iust.* de quo mox. *ID.*

(i) *Nec quid*, Cod. Iust. *ID.*

(k) Male librarius Goth. *id est fit.* *RITTER.*

(l) *Quam*, Cod. Goth. *ID.*

(m) *II. Id. Mart.* Cod. Iust. *ID.*

(n) *Constantino*, Cod. Wurceb. *Constantio Coss.* Cod. Goth. neglecta numerali nota, & dignitate *V. C. ID.*

(o) *Seruato vsufructu* absunt ab Edit. Sichard. & quibus Cuiac. *IDEM.*

(p) *Reseruato vsufructo*, Cod. Goth. *reseruationes vsusfructus*, Edit. Sichard. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris duæ constitutiones hæ sunt circa donationes: sic quidem vt posteriore, prioris pars puta fictione Traditionis per retentionem vsusfructus in donatione reuocetur, pristino iure reuocato.

Duo vero capita sunt prioris *legis*. Prius est, de TRADITIONIS necessitate, de qua fuerunt quoque *supra* quinque *leges*, puta *lex 1. 2. 4. 5. 7.* Circa quod quidem Theodosius Iun. *l. 8.* ita traditionem requirit, vt præcise eam requirat, sublata hac parte fictione traditionis per vsusfructus retentionem: *olim* scilicet seu *iure pristino*, seu antiquo ciuili, retentio seu exceptio VSVSFRVCTVS, pro traditione habebatur, quod vtraque hæc *lex* testatur, id est, qui donando rem, vsumfructum eius sibi reseruasset, recepisset, (quod in donationibus sæpe factum, cuius rei exemplum extat quoque in *l. 42. in princ. D. de mortis causa donat.*) extone

P. 621 tradidisse videbatur, & sic perfecta donatio: Per fictionem scilicet breuis manus, κατὰ συντομίαν, vt Isidorus Basilicorum Interpres loquitur, *compendio quodam*, & celeritate coniungendarum actionum, qua vna actione alia subripitur & occultatur, vt ait *lex 3. §. pen. D. de donat. inter vir. & vxor.* Ergo olim perfecta donatio hoc casu censebatur, etsi traditio reuera secuta non fuisset, pariter vt si donatam a me rem precario recepissem, aut conducto: *l. 28. D. de adq. poss. l. 77. D. de rei vindicatione.* Quibus adde & alias fictæ donationis, traditionisque species, *l. 43. §. 1. D. de iur. dot. l. 11. l. 15. D. de reb. credit. l. 10. D. de donat. l. 9. §. 5. D. de acqu. rer. dom. l. 8. Cod. Iust. comm. vtriusq. iudic. l. 12. Cod. eod. de contrah. empt. l. 2. Cod. eod. si quis alteri: l. 2. C. eod. de acqu. possess. l. 11. C. eod. de donat.* In vsusfructus vero retentione peculiaris ratio hæc est; quia scilicet vsusfructus & Proprietas inuicem se non compatiuntur in eadem re ab eodem, *l. 5. D. si vsusfruct. petatur.*

Ergo, quæ *Regula* iam notanda est, Retentio vsusfructus speciem Traditionis inducit, vt loquitur *lex 9. in pr.* seu idem omnimodo est in his causis vsumfructum retinere quod tradere, vt eadem *lex* ait *in fin.* Et tamen id Theodosio Iun. aliquando mutare visum, *l. 8.* circa donationes requisita præcise Traditionis necessitate: Ratione addita, quod *qui post liberalitatem* [id est, donationem] *re donata perfrui concupiscit* [cupit] *hoc sibi quo voluerit modo, consignata* [tradita] *possessione, præcipuum custodire* [& excipere, recipere lege dicta] *debet; ne alioquin imperfecta vacillet donatio.* Donatori scilicet etsi rem tradat, vsumfructum nihilominus recipere licet & reseruare alia ratione, etsi traditio fiat, quomodo etiam apparet ex specie *leg. 42. in pr. D. de mortis caus. donat.* Cum igitur alia via pateat huic Exceptioni & reseruationi, traditioni satisfaciendum est ad perficiendam donationem. Et vero Traditionis necessitas in donatione, submota fictione breuis manus, requiri oportera proculdubio visa primum Theodosio Iun. *l. 8.* vt ita hoc freno quoque profusis donationibus occurreretur: quæ sane causa fuit Traditionis exigendæ in Donationibus. Hac inquam ratione motus Theodosius Iun. fictam traditionem sustulit in Donationibus; non vero quod Vir doctiss. putabat, quod qui donat, si eo animo est, vt velit vsum fructum retinere, non perfecto quodam animi consilio donare videatur: ideoque vt perfecte mens eius eluceat, Imperatorem decreuisse vt ad hoc res naturaliter traderetur. Verum idem Theodosius Iun. biennio post *l. 9. seu vlt.* ad pristinum ius rediit. Quod etiam Interpres ad *l. 1. sup.* probauit, & Iustinianus magis probauit, non tantum relata *posterioris legis* parte suom in *Codicem*, vbi iam famosa ea *lex* est, eiusque materiæ sedes, puta *l. 28. Cod. Iust. de donat.* verum etiam expressa Iustiniani sanctione, puta *l. 35. §. vlt. Cod. eod. tit.* Idque etiam iure Gallico obtinet: de quo vide vel *art. 275. Consuetudinis Parisiensis*, qui ex *h. l.* mutuatus & *art. 1. tit. de donat. Consu. Niuern.* & *art. 446. Normand. Aruerniæ tit. 39. art. 21.* & Coquille *en ses Institut. tit. des donations, p. 241.*

Rationem porro addit Theodosius Iun. posterioris suæ cogitationis simul & pristini iuris. Nempe non sine magna ratione id ita constitutum, *quod obseruationem iuris contrahere potius quam propagare debeamus.* Quorum verborum hic sensus est, scrupulositatem iuris amputandam, quæ Traditionis necessitatem præcise requirebat in Donationibus, neque præfracte exigendam, cum ei per viam fictionis satis commode satisfieri possit. Ita enim hic locus accipiendus est, & nec quicquam mutandus, vt faciebat Vir doctus, qui inuerso more legebat, *cum obseruationem iuris potius quam contrahere, propagare debeamus.* Obseruatio, *h. l.* & *l. 1. sup.* est solemnitas iuris, seu scrupulositas: Et hæc quidam ratio, quemadmodum in cæteris quoque iuris articulis, seruanda est; ita postrema hæc quoque Theodosii Iun. sententia moribus institutoque eius apptime conuenit; vtpote qui passim veteris iuris *obseruationem* variis modis contractum & abolitum iuit; veluti circa impetrationes & formulas Actionum, *l. vn. sup. de omissa actionis impetr.* circa ritus & solemnia Nuptiarum & Dotium, *l. vlt. sup. de dotibus: l. vlt. sup. de nupt.* Sponsalitiarum item donationum, *l. vlt. sup. de sponsalibus:* circa naturales liberos, *l. vlt. sup. de naturalib. filiis:* circa legitimas parentum successiones, *l. vlt. sup. de legitimis heredit.* Imo & alia quoque parte circa Donationes, *l. 29. Cod. Iust. de donationibus*, quæ omnes *leges* inter se coassandæ sunt, veluti vnius *Theodosianæ* Constitutionis partes, qua obseruationem seu scrupulositatem iuris contractum iuit. Denique ab eodem quoque testamentorum per æs & libram solemnitatem abolitam, doceo ad *l. 1. sup. de testament.* Etsi in donationibus haud ita facile hæc Regula obseruanda videatur, ne alioquin effusis & inconsultis donationibus locus fiat.

Vt ad Traditionis necessitatem in Donationibus redeamus, quæ ex postrema quoque Theodosii Iunioris mente, retentionis vsusfructus figmento

mento seu remedio inducitur, idem sane Theodosius Iun. *d. l. vlt. sup. de sponsalibus*, Traditionis necessitatem in sponsalitiis donationibus omnino remittendam putauit. Vnde apparet, paulatim sub Theodosio Iun. Traditionis necessitatem in donationibus obsolescere cœpisse: Vsquequo tandem penitus Traditio in donationibus (*lege Cincia* primum inducta) e Republica sublata est, quod docet exerte Iustiniani *Nouella 162. cap. 1.* Et hactenus quidem de Regula qua retentio vsusfructus pro Traditione habetur: deque eius ratione.

Sequantur tertio loco *Ampliationes* duæ Regulæ scilicet huic, seu fictioni locum esse vult Theodosius Iun. Primo quidem in *Dotis datione:* de qua tamen nihil exprimitur in *d. l. 8.* ea quippe in donationibus tantum hanc Traditionis fictionem per retentionem vsusfructus Theodosius Iun. aboleuit: sed tenendum dotis dationem speciem esse donationis.

Secunda Ampliatio est; huic fictioni locum esse *etiamsi stipulatio non intercesserit*, in recipiendo scilicet vel retinendo vsufructu: Quod & ipsum illi quod dixi Theodosii Iun. instituto respondet, obseruationem iuris contrahentis potius quam propagantis. Ergo simplici lege, pacto, & conuentione satis est, si donator sibi vsumfructum retineat, citra vinculum, solemnitatem & obseruantiam stipulationis. Qui & ipse casus aliis addendus est, quibus stipulatio non requiritur: Cum tamen olim vbi traditio non intercederet, stipulatio desideraretur; & viceuersa: donatio quippe olim perficiebatur, vel traditione, seu re, vel interposita stipulatione, & ita quidem hic locus intelligendus est, quomodo etiam recte accepit Interpres. Et hæc de Ampliationibus.

Limitatio Regulæ contineri videtur *fine leg. vlt.* puta fictionem hanc, seu vsumfructum retinere & tradere idem esse IN HIS CAVSIS, seu in donationibus & in dotis datione sufficere. An igitur in aliis Iuris articulis huic fictioni locum esse noluit Theodosius? Fictioni certe breuis manus in aliis
P.622 iuris articulis semper locum esse procul dubio voluit; sed fictioni per retentionem vsusfructus, toto Iure, non in alia materia vestigium occurrit quam in donationibus, & in dotis datione. Et ideo de his tantum cautum videmus: Et sane vix est vt huic retentioni in aliis contractibus vel quasi locus esse possit. Et Tribonianus tantum *huic legi* addidit in *d. l. 28. C. I. vel vendendo:* Quæ verba etiam nonnulli accipiunt de omni alienatione, vt *venditionis* appellatione omnes aliæ species alienationis contineantur, *l. 29. §. 1. de Statu liber.* Verum vt in venditione sola præter donationem & dotis dationem huic fictioni locus quandoque esse potest, (potest enim quis ita rem vendere alicui, vt sibi vsumfructum retineat vel ad dies vitæ, vel ad certum tempus) sed in aliis contractibus id nunquam euenire potest: v. g. quis ita locaret rem suam, vt vsumfructum sibi recipiat. Et hæc quidem de primo capite *legis 8.* simul & de *leg. vlt. huius tit.* vnde desumpta est *d. lex 28. C. Inst. eod. tit.* quæ ex *hac integra leg.* & *superiore 8.* ei opposita, & ex dictis a me iam nouis nonnullis obseruationibus instructior & illustrior deinceps procedet.

Alterum *legis 8.* caput est, de INSINVANDÆ donationis necessitate, de qua sunt quinque præterea *hoc Cod.* leges, de quo ad *l. 1. supr.* quam etiam confirmat *lex vlt.* Circa quam Tria definiuntur, de TEMPORE, de MAGISTRATV, apud quem gesta sunt conficienda, de LOCO denique.

De *Tempore* id statuitur, Insinuationem donationis fieri posse, siue ante Traditionem, siue post Traditionem donationis: Nullo certo interea tempore præstituto, intra quod id fieri oporteat post donationem factam. Quod in Galliæ *Edictis* & *Consuetudinibus* præstitutum est.

De *Magistratu* (de quo est quoque *lex 1. in fin. sup.* & *lex 3. sup.*) apud quem insinuanda est donatio, id statuitur insinuandam donationem seu gesta conficienda in vrbe Constantinopoli apud Magistrum census: de quo Magistro census in vtraque vrbe Roma, dixi semel *ad l. 5. sup. de Senator.* & *ad l. 1. inf. de stud. lib. V. R.* Sane & ita testamenta apud hunc insinuabantur, *l. 4. sup. de testam. l. 41. Cod. Iust. de Episcop. & Clericis. leg. 23. Cod. eod. de testament.* studiosorum item nomina Romam venientium, *d. l. 1. de stud. lib. Vrbis R.* Item contractus, & ea quæ a Tabellionibus perscribebantur, *Nouell. Iustin. 44. c' estoit là le Greffe des Insinuations:* denique bona de quo *ad d. ll.* ex *l. 4. D. de Censib. l. 10. D. de com. diu. l. 10. D. de probat. l. 7. Cod. Iust. de donat.* vt & de censuali professione. In prouinciis vero, apud Iudices seu Rectores prouinciarum, quod ipsum statuitur *l. 1. in f.* & *l. 3. sup.* vel si Iudices non fuerint præsto, & absentes sint apud Magistratus municipales scilicet, id est, Duumuiros: quod & ipsum statuitur *d. l. 1.* & *3.* de quibus *suo titulo, de Decurionib. infr.* ac nominatim de gestis municipalibus apud hos faciendis *ad l. 151. inf. de Decurionib.* Et id quidem, si Ciuitas vel Oppidum vbi donatio celebratur, habeat Magistratum huiusmodi: verum quia non in omnibus Ciuitatibus vel Oppidis Magistratus erant; verum *Defensores* tantum (de quibus peculiari *titulo lib. 1.*) apud eos donationes insinuari, seu Acta super his, confici debere definit Theodosius Iun. *h. l. 8.* (quam sententiam memorat Papianus *lib. Responsorum tit. 23.*) Sic sane & Inuentaria rerum pupillarium coram iis conficiebantur, *l. vlt. sup. de administr. tutor.* Acta conficiebantur cum Fabricensium consortio iungi se quis postularet, *l. vlt. inf. de Fabricensibus.* Donationes ergo pariter apud eos insinuabantur. Cuius insinuationis vt testamentorum, ita & donationum formulam, iuxta consuetudinem Romanam exhibet Marculphus *lib. 2. form. 37.* Atenim Theodosius Iun. donationes apud curatores Ciuitatum fieri vetat *h. l.* quod tamen Constantino placuerat *d. l. 3. sup.* de quibus Curatoribus plene dico ad *l. 20. infr. de Decurionib.* Et rationem addit Theodosius, *Ne tanta res eorum concidat vilitate.* Vnde apparet, vile hoc *Curatorum* fuisse munus, non Magistratibus non defensoribus æquandum, sed inferius, de quo *ea l. 20.* Ergo apud Curatores in posterum insinuari donationes vetat, valere iussis quæ antea gesta apud hos confecta fuerant: vt cæteroquin leges præteritis calumniam non faciant: de quo *supra tit. de Constitut.*

Tertia obseruantia circa Insinuationem Donationis est respectu *loci:* Nempe Gesta confici super rebus etiam alibi collocatis posse definit *h. l.* Theodosius Iun. Etsi traditio nonnisi ibi fieri possit, vbi res sitæ sunt. Et sic differentiam facit inter Traditionem quæ præsentiam rei donatæ omnino requirit; insinuatio haud item. Atque ita *hac l.* abrogat Theodosius Iun. Constantini *legem 3. sup.* vbi plura. Et Theodosii Iun. Sententia Constantinianea repudiata, placuit Iustiniano, *l. 27. Cod. de donat.* eo assumente quod ex *hac l.* subiexuit Constantini *legi*, quam alioquin desumpsit ex *l. 5. h. t.*

DE REVOCANDIS DONATIONIBVS.

TITVLVS XIII.

LIB. VIII. COD. IVST. TIT. LVI.

PARATITLON.

REVOCANTVR, *Rubr.* & *l.* 1. 2. & *vlt. h. t.* reposcuntur; *l.* 4. *h. t.* eripiuntur, *d. l.* 1. *h.t.* ad donatorem reuertuntur, *l.* 3. *h. t.* donationes certis casibus: formata videlicet actione, *l.* 1. & 5. seu iudicio: tribus ex causis, quatenus *huius tituli legibus* continentur.

Primo ob IMPIETATEM: putasi filii, *l.* 1. 4. 6. *h.t.* liberi, *l.* 2. *h. t.* nepotes, neptes, pronepotes, proneptes *l. vlt. h. t.* in patrem, *l.* 2. & *l. vlt. h. t.* Auum, Proauum, *d. l. vlt.* quo-
P. 623 rum largitatem perceperunt, *l.* 4. *h. t.* seu munificentiam, *l.* 2. *h. t.* (veluti emancipationis tempore, *l. vlt. h. t.* vel in matrem, *l.* 1. & 4. *h. t.* impii, *l.* 1. 2. 4. *h. t.* ingrati, *l. vlt. h. t.* contra ipsam venire pietatem, *d. l. vlt.* arguantur, probentur, *d. l.* 1. *h. t.* declarentur in iudicio, *d. l.* 2. *h. t.* detegantur, *l.* 4. *h. t.* Ne videlicet pietatis præmium apud scelestos & flagitiosos animos permaneat, *d. l.* 2. *h. t.* Ingratitudinis porro huius causæ *legibus* continebantur, neque aliæ præterea parentis querelæ admittebantur, *l. vlt. h. t.* Estque hæc actio personalis, & vindicationis tantum effectum habet, nec in hæredem, nec hæredi datur, *d. l.* 1. *h. t.* Et omnia quidem indistincte, quæ donata sunt hoc casu reuocantur, *l.* 1. & 4. *h. t.* Etsi Matri aliquando dimidiæ tantum portionis reuocandæ ius fuit, *d. l.* 1. *h. t.* quod reuocatur, *l.* 4. *h. t.* Certe præter istud quod modo dixi in Matre quatuor hæc specialia fuerunt. *Primo*, quod ei quæ secundo nupsisset, nullo modo reuocandæ donationis ius fuerit, *d. l.* 1. & 4. *h. t.* *Secundo*, item quod ciui Romanæ tantum hoc ius reuocandæ a filio ingrato donationis competierit, *d. l.* 1. *h. t.* *Tertio* honeste viuenti tantum, *d. l.* 1. *h. t.* *Quarto*, Mater, ea tantum, quæ eo tempore, quo actio intentari cœpit, ingratus habebat, reuocare poterat, non vero ea, quæ ante cœptum iurgium, ab eo iure alienata fuerunt, *d. l.* 1. *h. t.*

Secundo ob AGNITIONEM liberorum reuocabantur quoque donationes, veluti si patronus filios non habens, bona sua omnia, vel partem, liberto donauerit, & patronus postea liberos susceperit, *l.* 3. *h. t.*

Tertio ex POENITENTIA, soloque iuris defectu, donationes inter virum & vxorem, cum ipso iure non valeant, reuocantur: *l.* 5. *h. tit.*

Denique *summarii* cuiusdam vice notandum, *hoc titulo* agi de Donatione Matris, *l.* 1. 4. *h. t.* Patris, *l. vlt. h. t.* Patroni, *l.* 3. *h. t.* Mariti, *l.* 5. *h. t.* & sic de donationibus ab his speciatim personis reuocandis, in quibus peculiare quid constitutum peculiari ratione.

De MATRIS *donatione, & quatenus ea reuocari ob liberorum ingratitudinem possit.*

I. (a) Impp. CONSTANTIVS & Constans AA. ad Philippum PF. P. (b)

LICEAT (c) Matribus, si impios filios probare se posse confidunt, publice (d) adire iudicia, (e) Matrem autem ingenuam, liberam, (f) libertam, libertinam, (g) cui scilicet Ciuitatis Romanæ iura quæsita sunt, ita vt queri (h) antiquo iure poterant, accipi audirique decernimus. Itemque filios, filias, ingenuos, ingenas, libertos, libertas, libertinos, libertinas, Ciues pari condicione Romanos. Secludimus mulierem, quæ in secundi matrimonii fœdus innubserit, (i) & vnius tantum matrimonii mulieribus reuocandarum donationum pro (k) dimidia parte decernimus facultatem. Hic autem qui a matre impietatis arguitur, quidquid ex eo quod titulo donationis tenet, eo die quo controuersiæ qualecunque principium iussu Iudicantis datur, habere repperitur; huius dimidium (victo) eripiatur: Cæterum, quæ ante, adhuc matre pacifica (l) iure perfecta sunt, & ante inchoatum cœptumque iurgium vendita, donata, mutata, (m) in dotem data, ceterisque causis legitime alienata, minime reuocamus. Actionem vero matris ita personalem esse volumus, vt vindicationis (n) tantum habeat effectum, nec in heredem detur, nec tribuatur

tur heredi. Quare de ceteris vel alterius (o) ftatus, vel portentuofæ (p) vilitatis, abiectæque pudicitiæ, fatis etiam tacite cautum putamus. Quis eft enim, qui his aliquid arbitretur tribuendum effe, cum etiam illis, quæ iure, (q) fecundas tamen, (r) contraxerunt nubtias, nihil ex his priuilegiis tributum effe vellemus? (s) Dat. XII. Kal. Octob. Limenio & Catullino CONSS. [349.]

NOTÆ.

(a) *Lex 7. Cod. Iust, h. t.* hinc defumpta, multis mutatis. Iungenda autem ei *lex 2. prox. inf. h. t.* & *lex 1. sup. de dotib.* quæ & ipfa *huius legis* argumento, ac nominatim *versic. actionem* congruit. Hanc *leg.* fuam memorat, & ex parte abrogat idem Conftantius *l. 4. inf. h. t.* Ad hanc *legem* & *prox.* refpexit Papianus *tit. 1.* GOTHOFR.

(b) *Philippus* fub Conftantio PP. Orientis fcilicet: de hoc dicam plene femel ad *l. 20. inf. de appellat.* & in *Profopogr.* Eidemque infcribitur *d. lex 2. prox.* IDEM.

(c) *Caput* primum hoc *huius l.* recidit Tribonianus. ID.

(d) Vel *publica.* IDEM.

(e) Id eft, Iudices. IDEM.

(f) Videtur hic fupereffe vox *liberam*: nam & cum de filiis mox agitur, abeft. ID.

(g) *Libertini* hic, & mox rurfum, a libertis diftinguuntur, recte: vide Sueton. *Claudio, cap. 24.* & Hefychium in ἀπελεύθεροι. ID.

(h) Id eft conqueri de filii impietate & ingratitudine. ID.

(i) *Innubere*: dixi ad *l. 1. sup. de secund. nuptiis,* in *Cod. Iust. nupserint.* ID.

(k) Recidit hæc Tribonianus, *pro dimidia parte*: de quo mox. IDEM.

(l) Id eft antequam impietatis dicam & litem fifco mouiffet, antequam egiffet de reuocanda donatione & vt mox dicitur:
P.624 *ante incohatum* (ab ea) *coeptumque iurgium.* ID.

(m) *Permutare,* Cod. Iuft. ID.

(n) *Vindicatiuis,* id eft vindictæ & vltionis, de quo mox plura. ID.

(o) *Alterius status,* quam ciuis Romanæ: Recidit autem hæc Tribonianus pari ratione, qua primum *huius legis* caput. IDEM.

(p) γρ. *portentosa,* vt habet Cod. Iuft. ID.

(q) Iuftæ funt nuptiæ fecundæ. IDEM.

(r) *Tantum,* Cod. Iuft. male. ID.

(s) γρ. *Velimus* vt *Cod. Iust.* etiam habetur. IDEM.

De PATRVM *Donatione: Reuocari eam ob ingratitudinem in totum posse.*

II. (a) Idem AA. (b) ad Philippum PF. P. (c)

AVI (d) noftri pro patribus firma lege fancxerant, Vt fi quid patres in liberos (e) munificentiæ titulo contuliffent, fi eos impios in iudicio declaraffent, omne id effe (f) reuocandum; *ne pietatis* (g) *præmium apud sceleftos* (h) *& flagitiofos animos permaneret.* Dat. XII. Kal. Oct. Limenio & Catullino CONSS. (349]

INTERPRETATIO. *Donatio in emancipatum filium* (k) *a patre facta, si læsum pater se* (l) *esse probauerit, reuocatur.* (m) *Hic de iure* (n) *requirendum* De reuocandis donationibus.

NOTAE.

(a) Abeft hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendaque ei, *lex 1. sup. h. t.* & *lex 1. sup. de dotibus.* GOTHOFR.

(b) Male Cod. Goth. *Constantinus & Constans.* Recte Cod. W. & Edit. Sichard. RITTER.

(c) *Philippus* PP. Orientis fub Conftantio, cui & *d. lex 1. sup.* infcribitur: v. *Profopogr.* GOTHOFREDVS. Male Cod. Goth. *ad Philippum PF. V.* RITTER.

(d) Diocletianum, Maximianum, Galerium, & Conftantium intelligit Conftantius: quorum tamen *lex* fuper hac re non extat. GOTHOFR.

(e) *Emancipatos,* vt habet Interpretatio, ID.

(f) *Esset,* Ed. Sichard. RITTER.

(g) *Nec pietatis,* Goth. MS. ID.

(h) *Sceleratos,* Cod Goth. ID.

(i) *Liminio,* Cod. W. & Ed. Sichard. *Liminio & Catelino* Cod. Goth. ID.

(k) *In emancipato filio,* Cod, W. Goth. & Sichard. IDEM.

(l) Si

(l) *Si læsum se pater esse*, Cod. Goth. Ed. Sich. *Si læsus pater sese probauerit. ID.*

(m) *Reuocetur*, Cod. Goth. a quo absunt sequentia. *IDEM.*

(n) Ad ius antiquum seu veterem Iurisprudentiam sese remittit hic Interpres, vt alibi sæpe, de quo in *Prolegom. GOTHOFR. Hinc de iure* &c. legit Cod. W. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

PATRIS & MATRIS differentiæ in reuocanda donatione liberis facta ob ingratitudinem his duabus *legibus* continentur. Nempe Constantius Imp. MATRIBVS, reuocandæ donationis a se in liberos factæ Ius ob impietatem seu ingratitudinem eorum, quando & quatenus competat, & quam plenius hac parte esse debeat ius PATRIS quam Matris, definit his duabus *legibus*. Quæ quidem duæ partes sunt prolixioris Constantianæ constitutionis ad *Philippum PP. Orientis* emissæ. Ex qua superest & Tertium fragmentum, puta *lex 1. sup. de dotib.* quæ hisce duabus coassanda venit, & vero etiam his *legibus* argumento respondet.

Ex quibus omnibus inter se collatis colligo, Constantium Imperatorem ea constitutione integra vim & naturam actionum quæ causam doloris & vindictæ continent, definitum iuisse; actionis inquam, qua ob ingrati vitium donatio reuocatur: de quo sunt *hæ duæ leges*: actio de moribus, quæ coniugibus datur; de quo est *d. l. 1. sup. de dotibus.*

Ergo cum antiquo iure, æquo iure hac parte fuissent habiti Pater & Mater (quod *lex 1.* ac maxime collata ea cum *l. 2.* ostendit,) Constantius constitutione sua differentiam induxit inter Patrem & Matrem, limitato videlicet in quamplurimis hac parte Matris iure: triplici respectu; tum respectu *Personæ* ipsiusmet matris, tum respectu *Rerum*, denique respectu *Heredum* eius.

Personæ inquam matris respectu, triplici rursum ratione, status videlicet eius, Nuptiarum, & vitæ. *Status* inquam, nempe Matri ciui tantum Romanæ reuocandæ donationis, ab ingratis liberis, iisdemque ciuibus Romanis tribuit Constantius: sic tamen vt hac parte non distinguat inter ingenuos, libertos, & libertinos, dummodo mater ciuis Romana sit, & liberi eius ciues Romani. Quod quidem singulare matrum Ciuium Romanarum priuilegium notandum est: Nempe quia matres Latinæ vel alterius status quam ciues in matronatum censu via starent, vilitate sua abiectæ: quare indignæ visæ Constantio quibus hoc ius competeret. Quod quidem Constantio rursum placuit *l. 4. inf.* Iustiniano vero displicuisse apparet ex eo, quod Tribonianus cum hanc *legem* in *Codicem suum* referret, primum hoc caput expunxit; exæquata hac parte, vt in aliis, matre patribus: vt & altera Latinorum & Ciuium Romanorum hac etiam parte differentia sublata. Et hæc de statu personæ.

Secundo, *Vniuiræ* tantum μονογάμῳ matri hoc ius reuocandæ donationis ab ingratis liberis tribuit *hac l.* & repetita *l. 4. inf.* Constantius: denegato eo iure secundo nuptæ. Quod quidem Vniuiræ priuilegium (cuiusmodi multa olim fuere; quo pertinet & locus Tertulliani *exhort. ad cast. cap. vltim.* & *Nou. Iustin. 2.*) & secundo nubentium matrum odium notandum est; Non quasi secundas nuptias damnaret Constantius, vel huius sæculi disciplina, ait enim ia diserte *fine huius legis*, IVRE *nuptias secundas contrahi*: verum nouissima ratione, quod liberorum charitatem exuant ferme secundo nubentes, & mutato concubitu a sobole deprauentur: de quo ad *l. 3. inf. de maternis bonis.* Et sic prior ipsa filios, vel non minus quam filii, se ipsam hoc facto læserit. Qua ipsa causa voluit Constantinus M. patrem vsumfructum amittere in bonis maternis filio quæsitis, si is nouercam ei superinducat, *d. l. 3.* Quæ causa est tot fibulatum, ne dicam pœnarum secundo nubentibus positarum, de quibus suo *titulo*, *sup. de secund. nupt.* Istud sane etiam Iustinianum probasse docet hoc *huius legis* caput, in eius *Codice* positum, nisi quod postea ex tribus grauissimis causis etiam biuiræ hoc ius tribuit *Nouell. 22. c. 35.* Vnde *Auth. Quod mater*, legi huic in *Codice Iust.* subiecta, desumpta est. At non idem in patribus spectari Constantius voluit, aut Iustinianus: vt cæteroquin ad secundas nuptias festinantibus vitis non eædem fibulæ impositæ: de quo *ad l. 2. sup. de secundis nuptiis.* P. 649

Tertio, & *Vitæ* discrimen hac parte induxit Constantius Imp. *h. l.* quod & confirmat *l. 4. inf.* & quidem argumento a superiore limitatione, ceu a maiore ad minus, desumpto. Nempe vilibus matribus & impudicis hoc ius denegat, quæ *portentosæ vilitatis sunt & abiectæ pudicitiæ.* Quibus verbis intelligit & lenas, & publicæ libidinis victimas: cuius alioquin eiusdem Constantii in lenones odii testis est Constitutio eius, *l. 1. inf. de lenonib.* In Patre idem a Constantio cautum non video. Et hæc quidem de tribus circa matrem limitationibus ratione eius personæ.

Secundo respectu quoque RERVM donatarum Constantius minus priuilegium Matribus quam Patribus tribuit *hac l.* & *l. 2.* Nempe Patres ob ingratitudinem, OMNEM seu integram donationem reuocare posse, quod & ipsum sanxerant Aui sui (nempe Diocletianus, Maximianus, Galerius & Constantius) addita ratione (quæ tamen generalis est, & nihilominus filiis in matres ingratis aptari posset) Atenim matribus nonnisi pro dimidia parte reuocandæ donationis ius tribuit. Quod discrimen eidem Constantio postea displicuit, qui & ideo hac parte hanc *legem* suam abrogauit *l. 4. inf.* Sed & Iustiniano displicuisse, huius *legis* hac parte interpolatio a Triboniano facta edocet. Sed & alterum istud respectu *Rerum* seruari vult hac parte Constantius: vt inquam, dimidiam partem reuocare possit Mater earum tantum rerum, quas cœptæ litis tempore filius ingratus possidebit, non vero quæ antea quocumque titulo alienauit, aut venditionis, aut donationis, permutationis, in dotem dationis, & cæteris causis & titulis; quod & ipsum firmauit *l. 4. inf.* Qua parte proculdubio maius aliquod priuilegium patri tribuisse videtur Constantius; forte, vt ego quidem censeo, vt reuocare posset res omnes quas contractæ ingratitudinis & reatus tempore possidebat, non tantum quas cœptæ litis tempore. Sane & ita reatus tempus spectatur in reuocandis his quæ donata, vel aliter alienata sunt ab his, qui ob reatum bonis postea multati fuerunt, *l. 1. infr. de bonis proscript. lex 15.* & *l. 31. §. 4. D. de donation. l. vlt. Cod. Iust. ad leg. Iul. maiestatis: l. 20. D. de accusat.* Quod si ita est, tum id velut Singulare admodum notetur. Sane id ita esse, ex eo colligo, quod quæ *hac l.* de Matre statuuntur, omnia κατ' ἀντιδιαστολὴν patrum statuuntur, vt ex *coll. legis 1.* & *2.* colligitur.

Tertium *huius legis* caput HÆREDES donatarii & Matris respicit. Nempe statuit *hac l.* (quam & hac parte tacite confirmat *lex 4. inf.*) Constantius hoc priuilegium Matribus, Ciuibus Romanis, vniuiris, pro dimidia tantum parte reuocandæ donationis concessum, personale omnino esse, nec in hæredem filii ingrati dari, nec hæredi Matris. Quod & ipsum circa actionem de moribus inter coniuges statuitur *l. 15. §. 1. D. soluto matrimonio:* Imo a Constantio ipso *d. l. 1. sup. de dotibus*, quæ vt antea ostendi *huic l.* coassanda venit: Id tandem ipsum generaliter a Iustiniano constitutum, *l. vlt. Cod. Iust.* eod.

eod. in omni donationis reuocatione, *vt hoc ius*, quomodo ipse loquitur, *vsque ad primas personas*, donatorum scilicet, *stet, nulla licentia concedenda donatoris successoribus huiusmodi querimoniarum primordium instituere, & a posteritate eius suscitare, vel aduersus eum qui ingratus esse dicitur, vel aduersus eius successorem.* Ratio porro *h. l.* hæc redditur, quod hæc actio *vindicationis* tantum effectum habeat, id est, vt recte Cuiacius, vindictæ & vltionis propriæ: Quæ & ipsa causa redditur in iudicio de *Moribus*; quia ad pecuniariam causam non respicit, sed coërcitionem continet *d. l. 15. §. 1. D. sol. matr.* & *l. 5. D. de pactis dotalib.* vindictam persequitur, causam doloris agit. Similisque ratio est actionis iniuriarum, *l. 2. §. 4. D. de collat. bon. l. 10. § 2. D. siquis cautiensb.* & querelæ inofficiosi, de quo omni plura ad *d. l. 1.*

Cæterum videri possit, & istud *hac l.* non minus quam *superiore*, καὶ ἀντιδιαστολὴν patris dici, seu constitui: tum argumento *harum duarum ll.* inter se coniunctarum; tum quod diserte de Matre id statuitur: *Actionem vero Matris*, inquit, *personalem esse volumus:* sic vt contra voluerit Constantius, hanc actionem patris quoque hæredibus & aduersus hæredes competere.

De LIBERORVM *superuenientia: deque reuocanda eam ob causam Patroni in libertum donatione.*

III. (a) Idem AA. (b) ad Orfitum (c) P. V. (d)

SI vnquam, libertis patronus, filios non habens, (e) bona omnia, vel partem (f) aliquam facultatum, fuerit donatione largitus, & postea susceperit liberos, totum quidquid largitus fuerit, (g) reuertatur, (h) in eiusdem donatoris arbitrio ac ditione (i) mansurum. Dat. v. Kal. April. (k) Arbitione & Lolliano (l) CONSS. [355.]

INTERPRETATIO. *Si quis filios non habens, bona sua, vel partem bonorum, libertis donauerit, & is* (m) *qui donauerat, filios postea habuerit, donationes in libertis* (n) *factas* (o) *ad integrum* (p) *vacuantur.* (q)

ALIA. *Si patronus filios non habens, & aliquid libertis dederit & postea susceperit liberos, quidquid largitus fuerit reuertatur in eiusdem donationis arbitrium.*

NOTAE.

(a) *Lex 8. Cod. Iust. eod. tit. de reuocandis donat.* GOTHOFREDVS.

(b) Ita quoque Cod. Iust. verum, reponendum hic vnius CONSTANTII Imp nomen: vtpote Constante A. fratre, dein & Constantio Cæs. id est Gallo, iam ante hanc *leg.* defunctis: vide *Consularia nostra Theodosiana. ID.*

P.626 (c) *Orfito* huic P. V. inscribuntur his ipsis Coss. *lex 7. sup. de donationibus: lex 2. inf. de pistoribus:* & superiore Anno 354. *lex 7. sup. de Prætoribus: lex 1. infr. de rapta, vel matr. sanctim.* Anno 356. *lex 3. inf. de sepulcb. viol.* Anno 358. *lex 4. inf. prox. hoc ipso titulo.* A. 359. *lex 1. inf. de calcis coctoribus.* De eo plura in *Prosopogr. ID.*

(d) Recte, *P. V.* male in Cod. Iust. & quidem expensis literis, *Præfecto Prætorio.* Cur vero Præfecto vrbis hæc *lex* inscribatur? mox dicam. *ID. Ad Orfitum P V.* legunt MS & impressi omnes. *RITTER.*

(e) Et desperans de his: Augustinus *in Sermon. 2. de Vit. Clericor.* loco relato *Can. vlt. C. 17. quæst. 4.* & Edicto Regis Longobard. Rotharis *cap. 171. pag. 28. edit. Murator.* siue Leg. Longobard. *Lib. 2. tit. 14. l. 11.* GOTHOFRED. Cæterum in Cod. Gothan. legitur. *Si quisquam libertis paternos filios non habens. RITTER.*

(f) Puta dimidiam. quomodo *Partis* appellatio sæpe in iure accipitur, *l. 164. D. de V. S. l. 43. D. de vsufr.* vel etiam aliam partem considerabilem, *per modum Quotæ*, vt loquuntur. GOTHOFRED.

(g) *Fuerat*, Cod. Iust. *IDEM.*

(h) *Reuocatur* Cod. W. *RITTER.*

(i) *Hac dictione*, Cod. Wurceb. *IDEM.*

(k) Supplendum hic videtur, *Mediolani*: ibi enim hoc tempore agebat Constantius Imp. vid. *Chronolog. nostram.* GOTHOFRED.

(l) Consulum nomina in Cod. W. male leguntur ita: *Arbatione & Iuliano. RITTER.*

(m) *Si is*, Cod. Goth. *Et si is, qui donauit*, Edit. Sichard. *ID.*

(n) *In libertos*, vel, *libertis.* GOTHOFR.

(o) *Facta. ID.* Cod. Goth. recte. *in libertis facta. RITTER.*

(p) *In integro*, Cod. Goth. in quo tamen receptam lectionem notauit recentior manus. *ID.*

(q) *Vacuari*, id est reuocari, irritari. v. *Gloss.* GOTHOFR. *Euacuantur* legunt, Cod. W. & Goth. Altera vero interpretatio abest a MSS. & editis. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

DE SVPERVENIENTIA, vt loquuntur, seu de ADGNATIONE liberorum, donatori, post donationem meram & simplicem ab eo factam, deque reuocanda eam ob causam donatione, est hæc singularis & famosa Constantii Imp. constitutio: *Constantii*, inquam, qui vt verus *huius leg.* Author est non Constantinus, vt quidam allegant, ita vnus hoc tempore Augustus erat, vt

iam *in Notis* ostendi: & sic non *Constantius & Constans*, quod ex hoc *Codice* Tiraquellus volebat: Cuius eiusdem alioquin Imperatoris duæ iam fuerunt *supra* Constitutiones *hoc ipso titulo*, in eodem argumento de reuocandis donationibus occupatæ: puta *lex 1. & 2. sup.* & quarta insuper *lex 4. prox. inf.* eæque omnes de reuocanda donatione ob ingratitudinem. De quo alioquin Principe Amm. Marcellinus *extremo lib. 21.* scribit, eum *facilem fuisse adimere quæ donabat.* Et hæc quidem dicta sint de argumento, simul & de Conditore *huius leg.*

De *specie* seu hypothesi eius nunc. Ponitur ea in patrono & liberto: definiturque adeo donationem bonorum omnium, vel partis etiam, a patrono in libertos collatam, quo tempore is orbus erat seu liberos non habebat, susceptis postea liberis reuocari. Quæ quidem *lex* quotidiana, omniumque ore decantata, versataque etiam virorum doctorum commentariis & repetitionibus, & in his Ripæ, Tiraquelli, Paponis, Caroli Molinæi, qui eam vt loquuntur, sua & legitima dote honestarunt, illustrata; imo etiam in causa prædicti Caroli Molinæi in foro Parisiensi illustrior euasit, multa habet de quibus quotidie quæri solet.

Nos de illo nunc, sed potissimo, videamus: Num hæc constitutio ex Constantii mente, vel ex iuris principiis, & sic si ad merum ius respiciamus, extra hypothesin suam trahenda sit, vt ita hoc priuilegio seu *huius leg.* beneficio potiantur, quicumque tandem, orbi donatores bonorum omnium, vel partis eorum, si post donationem liberos susceperint. Qua parte tres alioquin extant sententiæ.

Prima est Affirmatiua, quæ etiam in communem vsum & praxim euasit, existimantium omni donationi hanc tacitam conditionem inesse, & consequenter natis liberis, quasi conditione defecta condictionem ob causam competere: atque adeo Imperatorem in sp. *huius leg.* ex facto tantum consultum de patrono scilicet & liberto, seu de facti contingentia hæc verba inserta, sed nihilominus ad alios eam porrigendam.

Secunda sententia est Negantium.

Tertia inter hos distinguentium media inter eum qui donauit desperans de filiis, vt is donationem reuocare possit: non item, si non desperans. Mihi certe spretis aliis, ex iuris Rom. principiis Negatiua semper placuit: quæ iam olim Azonis quoque fuit, Accursii, Innocentii, Odofredi, Cyni, Guilelmi de Cuneo, Raphaël, Saliceti, & Baldi, Philippi Cornei, *non vno cons.* & aliorum complurium: quos allegat Tiraquellus in *verb. libertis, num 26. & 40.* quam & secuti postea quamplurimi. & in his Corasius in *suis epistol. cap. 30.* Hotomannus, Antonius Faber. *7. Conject. 14. & 15.* & Tiraquellus tandem ipse *num. 74 in d. v. libertis*, in puncto iuris, seu de mero iure veriorem esse agnoscit: vt in ea scilicet tantum donatione hæc lex procedat quæ a patrono facta est liberto, de quo nuncupatim loquitur, & itaquidem nuncupatim, vt si filium phrasimque consideres, facile intelligas de ea tantum donatione loqui velle. Huius rei argumenta hæc, ex *hac* ipsa *leg.* desumpta habeo, quæ omnino suadent, & inculcant, hanc *leg.* singulare priuilegium continere & ad patronos libertos restrictam: denique hanc *leg.* exorbitantem a iure, seu regulis iuris commun esse.

Primum quidem, indicio esse potest *Inscriptio* ipsa *legis*; inscribitur ea scilicet, seu data ea est, ad Orfitum *Præfectum Vrbis*; male enim in *Codice Iustinianeo* id mutatum in *Præfectum Prætorio*, vt in *Notis* iam ostendi: vnde tamen, ex hac inquam praua lectione, parum acuti nonnulli Sententiæ negantis, quam nos tuemur, & ipsi defensores argumentum, nescio qua ratione, sumebant. Nempe enim Præfectus vrbi proprius olim, patronos inter, & libertos, Romæ Iudex seu cognitor erat: vt docet *lex 1. §. 2. & 10. D. de off. Præfecti vrbi*: ac nominatim, quod ad speciem *huius leg.* proprie facit, si patroni egerent: *Sed & Patronos*, inquit Iurisconsultus in *d. l. 1. §. 2.* EGENTES *de suis libertis audiet, maxime si ægros se esse dicant, desiderentque a libertis exhiberi.* Quare in proposita specie patronus, qui bona sua in libertum contulerat, susceptis iam liberis, agens apud Præfectum vrbis Orfitum, de liberto suo questus videtur, quod se ad inopiam per effusam liberalitatem perductum, liberisque suis exhibendis non idoneum, tumidus adspiceret, retentis quæ ipse olim desperatione liberorum donasset, denique *inofficiosum* ita quodammodo peragebat. Quomodo etiam in vniuersum Romæ apud Præfectum vrbis querelæ seu accusationes officii male præstiti, & inofficiositatis, instituebantur, vt ostendunt *lex 4. inf. prox. lex vn. sup. de inoff. donationibus: l. 4 sup. de inoff. testam. lex vn. inf. tit. prox. de ingratis liberis: lex 87. §. 3. & 4. D. de legatis 2.*

Secundo, de *Donatione* vera & absoluta. vt vocatur *l. 35. §. 2. & l. 42. §. vlt. de mort. caus. don.* hic agi meminerimus: cuius sane natura seu conditio ea in commune est, vt perpetua sit & irreuocabilis, *l. 18. §. vlt. D. de donat. l. 17. Cod. Iust. eod. l. 5. Cod. eod. hoc tit.* δόσις ἀναπόδοτος, vtque nullam tacitam conditionem ex vnius donatoris voluntate toto iure admittat: difficiliusque adeo semel perfecta reuocetur, vel pro donatoris arbitrio conditionem recipiat: nam etsi donatio non sit contractus proprie, *l 14. D. de precario*: perinde irreuocabilis est: atque si esset contractus, vtpote quæ vtriusque consensu constet & perficiatur, vt docet inter alias eleganter *lex 6. 7. Cod. Iust. de condict. ob causam datorum*: eoque fine donatio fit, ne donator recipiat *l. 1. §. 1. D. de donat.* & vt nullo P.627
casu ad donatorem reuertatur, *d. l. & l. 35 §. 2. D. de mortis causa donat.* Vnde etiam generalius traditum est, perfectam donationem nullas conditiones admittere, *l. 5. Cod. Iust. de donat. quæ sub modo.* Vnde etiam infertur, casum *hac l.* contineri a Regula exorbitantem, qui proinde temere ad alias personas interpretatione trahendus non est.

Et profecto, quod Tertium argumentum esse potest, si extra hanc hypothesin hæc *lex* obtinere deberet, ecquis dubitaret, mentionem eius aliquam fieri oportuisse, cum Imperatores data opera causas reuocandæ donationis recenserent, *tit. de inoff. donat. & tit. de reuoc. donat.* quod tamen nuspiam fit. Imo diserte ab iis definitum, nullam aliam ob causam meram & simplicem donationem reuocari posse, quam si reuera & proprie *inofficiosa* ea sit, vel ex ingratitudinis causa, vel ob conditionem non impletam: Quare neque nostrum est, nouas causas & conditiones extra speciem & hypothesin eius comminisci, vel legibus superaddere.

Quartum & validissimum argumentum præbent *Personæ* illæ, de quibus agitur in sp. *huius leg.* puta liberti & patroni: ac proinde peculiaris harum personarum inter se σχέσις: & per hoc ipsum vera & genuina *Ratio*, qua singulare beneficium *huius l.* nititur. Notum est scilicet, quanto olim liberti vinculo patronis eorumque liberis coniuncti, nexique fuerint, propter grande videl. beneficium, vt vocatur *l. 1. D. de bon. libert.* Summum beneficium, vt Tullius, summumque libertatis pretium, vt Terentius, rem inæstimabilem denique ab his acceptam: Omitto quæ reuerentiam Patronis debitam spectant, notissima etiam sunt obsequia, operæque & ministerium: imo & bona libertorum Patronis certis casibus debita; Certe Liberti & Patronos, defectos facultatibus & Patronorum liberos, vtrosque inquam, egentes exhibere seu alere de suo cogebantur: non minus, inquam, patroni liberos

quam

quam patronos ipsos, *d. l. 1. §. 2. D. de off. Præf. vrbi: l. 73. D. de adquir. hæred. l. 5. §. 18. 19. 20. &c. D. de agnoscendis liberis: l. 41. D. de operis libertorum. l. 1. Cod. Iust. eod.* Etiamsi filii Patroni hæredes non extitissent, *d. l. 73.* in tantum, vt si paupertate laborantes relinquerent, iis ministrare cogerentur, vel etiam vendi possent, *l. 6. §. 1. D. de agnosc. liber.* Quæ omnia constituta sunt ad remunerandum tam granda libertatis præmium. Quare & nunc Constantio Imp. minus ferandum visum, si libertus Patrono præ Patroni liberis funus quodammodo superstiti ducaret, opimis eius spoliis ditatus: bonisque adeo ipsius incumberet, qui de suo eum, aiusque *liberos* si quando egenos exhibere, seu alere cogeretur: Præsertim quod Liberti vt iam olim, ita & hac ætate apud Patronos gratia præualentes *blanditus* nihil non in propinquorum necem emerabantur, bonaque eorum ad se pertrahebant, diuitiisque augebantur immodicis, quod sæpe factum docet vetus *historia*, quam in rem vid. & *l. 12. §. 8. D. mandati:* & quæ scribo ad *l. 10. inf. de pistoribus.* Quare etiam deprehendere licet, hoc sæculo frequentibus constitutionibus libertis occursum, ne vel aduersus Patronos ceruices erigerent, vel Patronorum sanguini, vel consanguinitati per hos iniuria fieret. Hinc adeo, *leuem* etiam ob offensam sub Patroni imperium & ditionem reuocari eos primus voluit Constantinus M. Constantii nostri pater, *l. 1. sup. de libertis & eorum liberis* seu, *l. 2. Cod. Iust. eod.* quod in liberis emancipatis haud æque obtinuit, vt docet *l. vn. vtroque Cod. de ingratis liberis.* Hinc, quod *huius l. fini* affine est, liberto hærede instituto a Patrono, fratrem, fratris testamentum per querelam inofficiosi euertere posse, velut notata persona instituta, definit idem Constantinus M. *l. 3. sup. de inoff. testam.* quæ cum *d. l. 1* coassanda est, quam *legem* vt deformarit Tribonianus, vid. *l. 27. Cod. Iust. eod. tit.* Hinc & alias donationem in libertum collatam facilius reuocari potuisse ostendit *lex 1. C. Inst. eod. tit. de reuocandis donat.* veluti ob obsequia tantum neglecta, & insolentiam: Vnde iam colligitur, beneficium in libertos, ciuili nexu, eoque tam enixo, patronis patronorumque liberis deuinctos coniunctosque, collatum reuocari facillime, leuiqua de causa potuisse hoc sæculo: beneficium, inquam, libertatis, *d. l. 1. de libertis*, Successionis, *d. l. 3. de inoff. test.* donationis, *h. l.* idque in gratiam Patroni, Patronique liberorum, & consanguineorum. Adde & illud quod nonnullis olim visum in sp. *l. 17. Cod. Iust. de legatis.* Item quod cum donatio inofficiosa reuocetur a filiis ad legitimam vsque, facta a liberto reuocetur in totum, de quo *postea*. Vt omittam etiam grauem libertorum hac ætate conditionem publico respectu, si quid a dominis testamento vel donatione meruissent, in sp. *d. l. 10. inf. de pistoribus.* Item quod omnibus honoribus omnique Palatina militia liberti excluderentur, *l. vlt. sup. de libertis.*

Tota proinde huius Constitutionis *Ratio* vertitur in σχέσει seu relatione personarum, Patroni inquam, & Liberti, seu in *iure patronatus*, ex quo alioquin iure obsequia, operæ, alimenta, ministeria, iuraque successionum Patronis debentur: cuius patronatus, cum amplissimum sit, pars & ista quoque est. Inde igitur etiam *lex* tacitam illam conditionem, *si liberos non susceperit*, & præsumptionem hoc casu facile induxit. Non vero, quod vulgo creditur *huius l.* & beneficii ratio vertitur in pietatis coniectura, seu amore & affectu parentum in liberos, vel coniecturata mente aut voluntata donantis, vel etiam errore donantis: verum vt dixi in sola σχέσει seu *coniunctione* liberti, cum Patrono Patronique filiis. Quomodo diserte Papinianus *l. 72. §. 1. D. de condit. & demonstrat. libertum coniunctum patroni liberis*, dixit: id est singulari nexu obstrictum, alligatum: Quomodo etiam in Græca constitutione Iustiniani, *de iure patronatus*, dicuntur liberti Patroni liberis videri συγγενεῖς. Cuiacio enim non adsentiendum, qui *coniunctum* a Papiniano in *d. §. 1.* dici tradit, coniunctum hospitio, familiaritate, conuictu, vt sic coniunctio intelligatur hospitii atque consuetudinis: addito, non alia coniunctione libertum patroni liberis coniunctum: etsi idem tandem fateatur *Recit. in Cod.* libertum esse coniunctiorem quam alios, quia sit ex eadem familia, ex eodem nomine, quia idem nomen habebat cum Patrono. Hinc igitur quoque facilior donationis in libertum collatæ reuocatio, fortiorque in eo & maior ratio: vt mirari satis non possim tentantes, fortiorem essa rationem in extraneo, ad reuocandam donationem, cum maior sit affectio & amicitia in libertos quam extraneos: Nam imo dico, libertum magis *coniunctum* esse, nexumque Patrono, & ideo facilius reuocari donationem in eum factam. Quare tandem dicamus, quod in simili ait Iurisconsultus in *l. 28. D. de Legatis 2.* quod Patroni personæ præstaretur, hoc nequaquam ad alium pertinere oportere. Et ita quatuor iam argumentis ostendimus *huius leg.* beneficium ad alios quam Patronos non pertinere.

Sequuntur alia argumenta, quæ suppeditat ipsa *legis* huius dispositio. Ac primo quidem; quod hæc *lex* procedat per modum *Regulæ* vniuersalis: *Si vnquam*, inquit, *libertis Patronus*, vnde a contrario efficitur, secus esse, si donatio fiat alteri quam liberto. Denique hæc *lex* etsi intra formam generalem dispositionis concepta ad speciem tamen suam restricta est, alioquin enim Imperator, si generaliter id in omni donatione intellectum voluisset, nedum in ea quæ fit libertis a Patrono, hoc nuncupatim expresso, & sic si ad omnes promiscue personas *hanc leg.* porrigi voluisset, cur non vniuersali pariter enunciatione personarum quarumcunque id indicasset? quod vtique factu facillimum erat, ita; *Si quisquam vnquam filios non habens*, vel simili formula: veluti, *siue libertus, siue patronus:* vt *l. 12. Cod. Iust. de procuratoribus:* vel non libertis tantum, sed etiam ingenuis; vt *l. 17. Cod. eod. de Legatis.* Quomodo certe vniuersalem vocem *initio legis* vsurpauit, ad perpetuitatem iuris indicandam, & ne intra indiuiduam speciem seu facti contingentiam, casum, & consultationem *huius legis* dispositio restringeretur; verum ad similes de Patronis & libertis casus si quando deinceps apparetur. Denique hæc *lex* regulam quidem ponit vniuersalem, verum in donationa Patroni tantum. Et sic *hic* iure obtinent illa, verba legis inspicienda esse, neque vltra ea dispositionem illius trahendam: item statutum quod non dicit, nec nos dicere debemus: vel verbis statuti seruiendum sine alia interpretatione: Tandem statuta tantum disponere, quatenus loquuntur. Quæ omnia, & similia latissima refert Tiraquellus, tenorem priuilegiorum ad vnguem seruandum.

Sequitur alterum Argumentum ex ipsamet *huius l.* dispositione: Nempe Constantius Imp. definit, *etiam* PARTE *tantum aliqua bonorum donata*, donationem a Patrono in libertum collatam, reuocari oportare. Quid enim? hoccine idem admittendum quis putet in alterius vel extranei aut ingenui donatione, puta vt partia tantum bonorum donatio facta ab eo qui liberos non habebat, susceptis postea liberis reuocetur? Imo contrariam colligimus ex *l. 5. Cod. Iust. de inoff. donat.*

Adde & Tertium, quod TOTAM donationem reuocari vult Imperator. Quid enim? Hoccine idem in extraneo admittas, vt videlicet donatio in solidum reuocetur? Atquin inofficiosæ etiam donationes a patre in filium emancipatum factæ, susceptis postea liberis reuocantur tantum, quoad debitum bonorum subsidium, *d. l. 5. Cod. Iust. de inoff. donat:* Secus si donatio facta sit a liberto, vt colligitur ex *l. 6. D. si quid in fraud. patr.* Præcipuum ergo istud

istud in Patrono: quomodo & præcipuum hoc fuit patri, vt omnem donationem ob ingratitudinem filiorum reuocare posset, mater nonnisi dimidiam, ex *l. 1. 2. sup.*

Et his quidem argumentis, extra hypothesin seu speciem suam *hanc leg.* trahendam nego ex Constantii mente, deque mero iure seu principiis iuris. Neque enim adeo vrgeam, quod pro authoritate quoque adduci posset, & vero adduci posse putauit Tiraquellus *in V. libertis, num. 40.* Interpretationes *huic l. in hoc Cod. Theodos.* subditas, vel etiam Græcorum præiudicium: qui sane & ipsi intra *huius l.* hypothesin sese continent: quia Interpretes tantum illi agunt, non vero iustos Commentatores. Atenim vrget postremo loco solemnis iam Augustini locus, *sermone 2. de vita Clericorum*, qui etiam in Decretum relatus est *c. vlt. c. 17. qu. 4.* vbi Augustinus diu post hanc *legem* scribens, ait, Ecclesiam donatariam susceptis post donationem a donatore liberis, in potestate habuisse IVRE FORI, ne eam redderet: Verba Augustini sunt de Aurelio Carthaginiensi agentis: *Quidam cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes retento sibi vsufructu donauit Ecclesiæ: nati sunt ei filii postea, & reddidit Episcopus, nec etiam opinanti illi qui donauerat: In potestate habebat Episcopus non reddere, sed* IVRE FORI, *non iure cæli.* Vbi vides etiam *ius fori* allegari, atque adeo ius promiscuum & commune, ne quis alioquin id ad Ecclesiam donatricem restringat, quasi illi tantum hoc priuilegium datum fuerit, ne donator susceptis liberis ab ea donationem auocaret.

Neque mouent contraria argumenta pro communi sententia affirmante: Non mouet, inquam, argumentum ab vltimis voluntatibus seu dispositionibus & fideicommissis, vbi coniectura pietatis promiscue admittitur ad auocandum emolumentum, ne quis videl. alienas suis successiones prætulisse videatur, vt in f. *leg. 102. D. de condit. & demonstr. l. 30. Cod. Inst. de fideicommissis, l. 6. §. vlt. Cod. eod. de instit. & substitutionibus:* Nam neque in verisimili voluntate donantis, neque in coniectura pietatis nititur *huius leg.* ratio seu dispositio, verum in sola *σχέσει* personarum, iureque patronatus fundata ea est, vt superius ostendi. Ac proinde huc aptantur Brocardica illa, *vbi eadem est ratio, idem quoque ius statui oportere. Vbi eadem est ratio, non dicitur extensio, sed proprius intellectus. Non videtur omissum, quod eadem ratione concludit. Ratio legis, mens illius dicitur. Ratio legis est potior ipsius pars. Ratio legis potius inspicienda quam verba. Ratio statuentium praualet verbis statuentium. Lex exorbitans extenditur cum est fauorabilis.* Sed & alia longe ratio est vltimarum voluntatum, quæ cum ab vnius testantis voluntate pendeant, coniecturam illam pietatis Prudentum interpretatione facile admittunt, vt auocari emolumentum speratum queat, non ita donationes, quæ vt dixi ex consensu vtriusque consistunt, & perficiuntur.

Non mouet etiam *lex 40. §. vlt. D. de pactis:* qua potissimum etiam mouebatur Molinæus: vbi agitur de pactione quam socer eum dotem promitteret, fecerat, vt hæredi suo consuleret, fratri scilicet suo, quod nullos eo tempore libertos haberet, quia in *eius leg.* specie, vt alia omittam, aperta fuit paciscentis mens, non tam fratri suo quam *hæredi* consultum eum voluisse. Vide de *hac l.* plura apud Ant. Fabrum *7. coniect. 15. in f.*

Non mouet tertio *Lex Longobardica*, duobus locis, *lib. 2. tit. de successionibus 12. l. 13. tit. 20. l. 1.* De ea enim vltro id fateor porrectam *huius leg.* dispositionem & æquitatem ad omnes, aliquo tamen filiorum & filiarum discrimine.

Non igitur ad alios extendenda *huius l.* dispositio, ex mero iure, & Constantii Imp. mente. Non magis quam *legem 72. §. 1. D. de condit. & demonst.* aut *legem 1. Cod. Inst. de reuocandis donat.* alio seu ad alios quam libertos, trahi feram; quod tamen voluit, imo & in argumentum pro adfirmante sententia attulit Cuiacius *Obseruat. lib. 20. c. 5.* & *Recitationibus in Codicem.* Nam imo conditio illa, *si a liberis non decesserit*, de qua agitur in *d. l. 72.* in persona equidem liberti locum habet, qui Patrono eiusque liberis *coniunctus* est, id est, nexus, alligatus, vt superius ostendi: Nam & ita libertus quandoque cogi potest cum Patrono morari, eumque sequi, *l. 20. 38. in fin. D. de operis libertorum, l. 12. Cod. Inst. eod.* itemque certo loco morandi conditio ei a Patrono iniungi potest, *l. 18. in f. D. de alim. legatis: l. 71. §. 2. D. de condit. & dem.* vel ab aliquo loco non recedendi, in aliqua ciuitate domicilium habendi. His inquam conditionibus lo- P.619
cus est in libertis defuncti; At non in aliis, quia per eas ius libertatis infringitur, *d. l. 71. §. 2. D. de condit. & demonstr.* Atque adeo neque illa, *si a liberis non discesserit.* Quare vt dixi *d. l. 72. §. 1.* ad alios quam libertos porrigi non potest. Etsi verum alioquin sit, quod ibi interiungitur, de his quæ ex pecunia donatoris comparata sunt, in aliis quoque, donationibus obtinere, vt in sp. *l. 32. § 1. D. de donat. inter vir. & vx. l. 18. Cod. Inst. famil. ercisc.* Similiter neque principalis *dicta legis 1. Cod. Iust. de reuoc. donat.* definitio ad alios pertinet, quam ad libertos, alii quippe præter libertos *ad obsequia* non tenentur; illa saltem, ob quæ denegata donatio ibi reuocatur.

Et sic de potissima ad *hanc leg.* quæstione. In alias enim nunc me non diffundo, ne iusti Commentarii modum egrediar, & quia pleraque iam ab aliis occupata. Maneat proinde hæc *huius leg.* definitio, perfectam seu collatam a Patrono orbo in libertum a spe successionis submotum donationem, subcrescente postea sobole patrono donaturi, reuocari. Quod etiam Politico forte schemate seu arcano constitutum, ne ingenuarum videlicet & Nobilium ferme familiarum patrimonia seu bona, ad libertinos tam promiscue, tam facile, inconsulta seu effusa patronorum liberalitate transirent, commearent, cum illas stare florentes, his contra deiectis publice intersit. Quæ ratio non insubtiliter ad superiores adiici potest.

De MATRIS *iure in reuocanda donatione ob ingratitudinem liberorum, altera Constantii Constitutio, qua in vno capite derogat legi 1. sup.*

IV. (a) Idem (b) AA. ad Orfitum (c) P.V.

SI quis forsitan (d) filiorum maternam (e) munificentiam consecutus in matrem impius detegitur, (f) non iam dimidiam portionem, vt ante fuerat iussum, † rei donatæ, sed omnem substantiam proprietatis amittat. Matres vero quæ in secundas conuenerint nuptias,

nubtias, reposcere vetamus a filiis, quæ earum perceperint largitate. Quinetiam identidem (g) commonemus, alia (h) omnia iuxta prioris Legis † tenorem debere seruari. Dat. VIIII. (i) Kal. Iul. Sirmio, Datiano, (k) & Cereale CONSS. [358]

INTERPRETATIO. (l) *Si quis filius donatione matris fuerit* (m) *aliquid consecutus, & eam postmodum læserit, probatis in iudicio læsionis* (n) *causis, donationem mater si voluerit in integrum reuocabit. Quod si mater hæc,* (o) *quæ filio donauit, ad secundas nuptias transierit, contra donationem per quamcunque occasionem veniendi nullam habeat potestatem, seruatis* (p) *de reliquo legibus, quæ sub titulo De* (q) *secundis nuptiis continentur.*

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Eam memorat Papianus *respons. t. 1.* GOTHOFRED.
(b) Rescribendi Impp. CONSTANTIVS *&* *Iulianus C.* ID.
(c) De hoc *Orsito* P. V. dixi ad *l. 3. sup.* quæ & ipsa illi inscribitur. ID.
(d) *Fortasse*, Cod. Goth. RITTER.
(e) *Materna munificentia*, Cod. Goth. ID.
(f) *Detegetur* Ed. Sichard. ID.
† *Legem* suam *1. sup.* intelligit. GOTHOFREDVS.
(g) *Idem commonemus*, Cod. Goth. RITTER.
(h) *Eaque omnia*, Cod. Goth. ID.
† *D. Legis 1.* GOTHOFREDVS.
(i) *VIII.* Cod. Goth. RITTER.
(k) Male Cod. Goth. *Donatiano.* ID.
(l) Aberat interpretatio ab exemplare, quam impressi omnes & MSS. seruant, & ad quam notauerat etiam noster. En insigne exemplum incuriæ Maruillianæ in edendo opere, quod humeris eius longe maius erat. ID.
(m) *Aliquid fuerit*, MSS. W. & G. ID.
(n) *Læsionum*, Cod. Goth. ID.
(o) *Cum hæc quæ*, Cod. W. ID.
(p) *Seruatur*, Cod. W. ID.
(q) Error hic est Interpretis, neque enim Constantius hic intelligit leges sub *titulo*, *de secundis nuptiis*, positas, verum *d. l. 1.* suam. GOTHOFREDVS.

COMMENTARIVS.

DE MATERNO iure in reuocanda donatione ob ingratitudinem filiorum, est hæc altera Constantii Imp. constitutio, qua vnico capite primæ *legi* suæ, quæ prima est *hoc titulo sup.* derogatum it; nempe vt non dimidiam tantum donationis ab ingrato filio reuocet mater (quomodo cauerat *d. l. 1. sup.*) verum totam. In cæteris *d. l. 1.* confirmata, de ea quippe sentit Constantius *h. l.* non de aliis legibus, quæ sub titulo *de secundis nuptiis* continentur; quod Interpres perperam tradit: ac nominatim in eo, vt mater biuira, seu quæ secundo nupsit, a filio quamuis ingrato reuocare donationem non possit, quam ex hac ipsa *lege* sententiam Papianus in *Responsa sua* retulit *tit. 1.* Proculdubio autem id ita mutata sententia definitum nunc a Constantio ad suggestionem *Orsiti P. V.* qui, teste Ammiano Marcellino *lib. 14. cap. 6.* vir prudens fuit, & *forensium negotiorum oppido gnarus.* Et certe, cur hac parte matris ius deterius esse debeat, nulla iuris ratio patitur: cum æquam matri liberi pietatem & reuerentiam præstare debeant atque patri.

De MARITI *donationibus reuocandis, per viam actionis.*

V. (a) Imppp. THEODOSIVS, Arcadius & Honorius AAA. Victorio (b) Proconſ. Asiæ.

MARITVS donationes, quas instabiles (c) esse testatur, (d) formata legibus † repetat actione. Dat. V. (e) Kalend. Iul. Constp. Theodosio A. III. & Abundantio CONSS. [393.]

NOTAE.

P.630

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem ei *lex 4. sup. de cognitor. & procuratorib.* Fortean & *lex 50. inf. de appellationib.* GOTHOFREDVS.
(b) *Victorius* Proconsul Asiæ sub Theodosio vid. *Prosopogr.* ID.
(c) Non valere. IDEM.
(d) *Testatur*, id est contestatur, protestatur, prætendit. ID.
† Iulia & Papia. ID.
(e) XV. *d. l. 4.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE DONATIONE *inter virum & vxorem*, & quidem io specie *huius leg.* de donatione a marito io vxorem profecta, quam vtique *instabilem esse* (vt hæc *lex* loquitur: de quo *tit. de donat. inter virum* & *vxorem*) solaque pœniteotia atque adeo diuortio, reuocari liquet, est hæc Theodosii M. *lex:* quæ pars est prolixioris constitutionis Theodosianæ super retentionibus rei vxoriæ soluto matrimonio (de quibus dixi plene semel ad *l. 1. sup. de dotibus:*) vode desumpta est quoque *lex 4. sup. de cognitorib. & procurator.* ac proinde huic coassanda venit, & huic etiam argumento respondet. Nam vt illa pertinet ad retentiones rei vxoriæ, ob vtiles *impensas*, quatenus eæ mandato seu voluntate vxoris a marito factæ sunt; ita hæc ad retentiones seu deductiones & compensationes, quæ pignoris nomine fiebant ob res donatas a marito constante matrimonio: de quibus alioquin retentionibus Vlpianus *fragm. tit. 6. §. 9. lex 7. §. 5.* & *l. 15. §. 1. D. soluto matrim. lex 20. D. de pactis dotal. l. 66. §. 1. D. de donat. inter vir. & vxorem: l. 27. §. vlt. de rei vind. l. 5. D. de dote prælegata.* Ergo id *hac l.* nunc statuit Theodosius M. maritum ob res a se donatas vxori, soluto matrimonio, retentione rei vxoriæ vti non posse, verum donationes quas instabiles esse restatur, repetere eum oportere *formata legibus*, seu secundum leges, *actione:* Ita enim hæc lex apertissime accipienda est: Nam quod ait, *formata legibus actione repeti donationes oportet*, id ab eo dicitur ad ἀντιδιαστολὴν retentionis: ac si diceret, non per retentionem, vt olim, dotis, seu rei vxoriæ. Quare non probo eorum sententiam, qui hanc *leg.* accipiunt de eo casu, quo scilicet vxor indotata est, vt ita negent retentiones ob res donatas a Theodosio M. sublatas, atque adeo, vt velificentur Iustiniano, qui *l. vn. §. 5. Cod. de rei vxoriæ actione:* has retentiones a se sublatas gloriatur. Cuius & hæc alibi iactantia fuit, vt quæ anterioribus Principibus visa fuerunt, in suum ipse nomen alicubi transcriberet.

De PATRVM *&* AVORVM *donatione in liberos tempore emancipationis collata, quatenus & reuocari ob ingratitudinem possit.*

VI. (a) Impp. Theodosius & VALENTINIANVS AA. ad Senatum. (b) Post alia.

DONATIONEM (c) circa filium filiamue, nepotem neptemue, (d) pronepotem proneptemue, (e) emancipationis (f) tempore celebratam, (g) pater, seu (h) auus, vel proauus reuocare non poterit, (i) nisi edoctis manifestissimis caussis, quibus eam personam, in quam (k) conlata donatio est, contra ipsam venire pietatem, & ex caussis, quæ Legibus continentur, fuisse constabit ingratam. Quas (l) tamen caussas in cognitione discuti oportebit, & nostro (m) admitti Iudicio, cum hoc inter partes competenti (n) visum fuerit Cognitori: Alias iubemus, non audiri parentis (o) querelas; & cetera. Dat. VII. (p) Id. Nou. Rau. DD. NN. Theodosio XII. (q) & Valentiniano II. AA. CONSS. [426.]

INTERPRETATIO. *Si quis filio, filiæ, nepoti ex* (r) *filio, vel pronepoti* (s) *ex nepote mancipationis* (t) *tempore aliquid donauerit, id nisi probatis in iudicio manifestis offensarum caussis reuocare* (v) *non poterit.*

NOTAE.

(a) *Lex 9. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda autem huic, *lex vn. sup. de responsis Prudentum: l. vn. de cretion. l. 8. sup. de legitimis hereditarib. lex penult. & vlt. infr. de maternis bonis: lex vn. infr. de bonis quæ filiis familias.* Item *lex 3. Cod. Iust. de Legibus: lex 7. Cod. eod. de precib. Imperator off. Lex 18. Cod. eod. de Iure delib.* GOTHOFREDVS.

(b) Vrbis Romæ. *ID.*

(c) *Donationes celebratas*, Cod. Iust. *ID.*

(d) Cod Goth. *Neptem vel.* Cod. Iust. *neptemue vel pronepotem.* RITTER.

(e) *Proneptem &*, Cod Goth. *ID.*

(f) *Emancipatos*, ita Cod. Iust. GOTHOFRED.

(g) *Deliberatam*, C. W. & male Ed. Sich. *celebrata.* RITTER.

(h) *Vel auus*, Cod. Iust. *ID.*

(i) Non poterunt. GOTHOFREDVS.

(k) *Qua*, Cod. G. RITTER.

(l) Reliqua resecauit Tribonianus. GOTHOFR.

(m) *Vestro*, Edit. Sich. RITTER.

(n) *Competentes*, Ed. Sichard. *ID.*

(o) *Parentum*, Cod. Goth. *ID.*

(p) *V. Id. Nou.* Cod. Iust. male. GOTHOFRED.

(q) *XIII. & Valentiniano II.* Cod. Iust. male. *ID.*

(r) Ex

(r) *Et filio* Cod. W. *RITTER.*
(s) *Vel nepoti ex nepte.* C. Goth. *ID.*
(t) *Emancipationis*. Codd. W. & G. *IDEM.*
(v) *Reuocari*, Cod. G. *ID.*

P. 691

COMMENTARIVS.

DE CAVSIS INGRATITVDINIS, ex quibus donatio a patre, Auo, Proauo facta, emancipationis videlicet tempore (de quo donationis genere dixi ad *l. 2. sup. de donationibus*: & *l. 8. infr. de bonis proscript.* & aliis:) celebrata, an reuocari possit? & quomodo in hoc Ingrati iudicio procedendum sit? est hæc accurata & æquissima Valentiniani III. *lex.* Quæ quidem pars est prolixioris *Orationis* Valentinianeæ ad Senatum Vrbis Romæ emissæ, de bonis potissimum liberorum, & quodnam ius in iis habeant parentes: vt apparet ex illis quinque *legibus*, quas ex eadem *Oratione* desumptas *huic* coassaodas, *in Notis* iam dixi.

Ergo non tantum patriæ potestatis ius esse vult vt propria auctoritate a filio emancipato donationem auocare Pater, Auus, Proauus possit, verum comious constitutis partibus in Iudicio *l. 2. sup.* caussaque ingratitudinis probata in cognitione discussa, & vt loquitur Iustinianus *l. vlt. Cod. Iust. h. t. in iudicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbata*; vt *hac l. edoctis manifestissimis caussis, & ex caussis quæ legibus continentur.*

Addit Secundo Valentinianus (qood a Triboniano repudiatum propter Relationum vsum antiquatum) etiam Principis Iudicio hanc cogoitionem discutiendam, si hoc *Cognitori*, id est, Iudici visum fuerit, id est, *si* forte hac in re hæserit Iudex, & ad Principem retulerit: de quo relationis genere *inf. suo tit. lib. 11.*

Ergo tria singolaria hic ootentur. Primo ingratitudinis caussas *legibus* definitas, ob qoas videl. donatio reuocari posset, quas Iustinianus ad Quatuor ingratitudinis caussas reduxit, *l. vlt. Cod. Iust. h. t.* nam Quinta quæ ibi numeratur, non ingratitudinis caussa est, verum ob non impletam conditionem. Sic & definitæ ingratitudinis caussæ, ob quas filii & parentes exhæredari possent. Et merito, ne alioquin vaga hæc res, neque definita, nimiæ præstaret occasionem licentiæ, falsisque accusationibus & inanibus querelis fenestra aperiretur: vid. ipsam Iustiniani *Nouell. 115. cap. 3.* & quæ *ibi* Interpretes.

Secundo, rem adhuc, seu caussas *in iudicio disceti oportere*, & manifestissime probari vult Valentinianus, *nisi edoctis*, inquit, *manifestissimis caussis*. Quod & ipsum in aliis ingratitudinis caussis obtinet.

Postremo, etiam Principis iudicio qoandoque cognitionem hanc reseruandam, si hoc visum fuerit inter partes Iudici: id est, si rem id mereri Iudex cognouerit. Tanti scilicet momenti hæc res Valentiniano visa, vt non *aliter audiri parentis querelas* voluerit, quæ sæpe nimio plus delicatæ, dum delinimentis forte nouercalibus, aliorumue blanditiis abripiuntur, quamlibet vel leuem offensam in occasionem reuocandæ donationis arripiunt, siue pœnitentia ducti. Vnde etiam *lex* hæc *negatiuis* verbis & sententiis concepta est.

DE INGRATIS LIBERIS.

TITVLVS XIV.

LIB. VIII. COD. IVST. TIT. L.

Hic *titulus* proxime superiori *tit. de reuocandis donationibus*, recte cohæret, attento fine: quia & reuocandæ donationis (emancipatiotionis inquam) casus eo continetur. In *Cod. Iust.* vero *titulus* hic alio loco positus, & quidem ante tractatum *de donationibus*, de quibus *supra tit. 12.* & *13.* in censu *titulorum*, de modis patriæ potestatis adquirendæ, remittendæ, recuperandæque.

De EMANCIPATIS *liberis ingratis, in patriam potestatem reuocandis, Valentiniani Sen.* lex.

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens, & Gratianus AAA. ad Prætextatum (b) P. V. (c)

FILIOS (d) contumaces, qui patres, (e) vel aceruitate (f) conuicii, vel cuiuscunque atrocis iniuriæ dolore, pulsassent, (g) Leges, + emancipatione (h) rescissa (i) damno libertatis (k) immeritæ multare (l) voluerunt. Dat. XV. (m) Kal. Sept. Ambianis, (n) Lupicino & Iouino CONSS. (o) [367.]

INTERPRETATIO. *Filii emancipati, si iniuriam grauem (p) patri, quæ probari possit,*

possit, intulerint, & conuicti fuerint hoc fecisse, rescissa emancipatione, in familiam reuocentur.

p.632

NOTAE.

(a) *Lex vnica, Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) De *Pratextato* hoc P. V. dixi iam non vno loco. Mentio eius apud Ammianum Marcellinum, Symmachum, in veteri lapide. Eidem hoc ipso anno (siue quod malim *anno* 366.) inscribitur *lex* 10. *inf. de pœnis*: *l.* 4. *infr. de suariis*: *l.* 7. *de priuil. eorum qui in S. palat.* anno prox. 368 *lex* 8. *infr. de Medicis.* ID.

(c) Male PP. in Cod. Iust. *Præfecto vrbis* inscribitur hæc lex, quia vt Patronorum de libertis ad eos querelæ perlatæ (de quo ad superiorem *titulum*) ita & de parentum aduersus liberos. IDEM.

(d) Et *filios, ceterosque liberos*, add. *Cod. Iust.* IDEM.

(e) *Parentes*, Cod. Iust. RITTER.

(f) Id est, *acerbitate*, (vt legit Cod. Iust & MS. Goth.) GOTHOFR.

(g) De hac *Pulsandi* voce, mox dicam. IDEM. MS. Goth. legit, *pulsauerint*; male. priores Cuiacian. *dolo repulsassent.* RITTER.

† Quæ. GOTHOFR. Male *Legis*, MS. Goth. & Edit. Sich. RITTER.

(h) Recte *emancipatione*, non *mancipatione*. vt habent priores Cuiacian. ID.

(i) *Excissa*. Cod. W. ID.

(k) *Libertatis*, id est emancipationis. GOTHOFR.

(l) *Multari*, Cod. Iust. ID. MS. Goth. ita: *damno libertatis immerito multa reuoluantur* confusa literæ. RITTER.

(m) *XII. Kal. Sept.* Cod. Iust. GOTHOFR. *V. Kal. Sept.* MS. Goth & hanc subscriptionem facile omnibus aliis prætuleris, rectamque & genuinam pronunciabis quando cogitas, Gratianum *IX. Calend. Septemb.* demum *Augustum* a patre creatum. Vid. hic Commentar. RITTER.

(n) *Mediolani*, in *Cod. Iust.* male: de quo mox. GOTHOFREDVS.

(o) Male Consules expressi in MS. G. *Lupicino & Taciano.* RITTER.

(p) *Patri grauem.* MS. G. ID.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris hæc in Ingratos liberos & quidem Emancipatos Constitutio est; in liberos inquam ingratos emancipatos: idque non tam noua pœna sancita, quam veteri in vsum reuocata, & vt puto, firmata. Nempe aitis, *legibus* (veteribus scilicet) ingratum & contumacem filium emancipatum sub potestatem patris reuocati iussum & emancipationem rescissam, denique libertate immerita multatum. Quænam vero hæ *leges* sint? difficile dicto; vtrum, inquam, lex XII. *Tabul.* hic accipienda sit, an vero alia. Sane huc non pertinet *lex* illa Regia, quam tamen hic nonnulli adferunt, *Romuli.* apud Festum *voc. plorare, si parentes puer verberassit, ast olla plorassint, puer Diuis parentum sacer esto; si nurus, sacra Diuis parentum esto.* Nam neque hæc *lex* nostra est de iis qui manus patri intulerunt (quod Cuiacius voluit) in hos quippe grauiores pœnæ sancitæ: verum de contumacibus filiis deque acerbitate conuicii & quacumque alia atroci iniuria. Neque *pulsandi* voce hic manus inlatio, quod vulgo putant, accipienda est; verum conuicium & iniuria atrox, vt *hic* expresse dicitur, quibus Parentes percelluntur: *Pulsare* scilicet pro percellere, fatigare, vexare passim: Forma loquendi huius seculi, *l. vn. sup. de his qui pot. nom.* apud Symmachum sæpe *lib. III. ep. 69. VI. ep. 72. IX. ep. 125. X. ep. 47.* Claudianus, *de bello Gildonico v. 170.*

Crimine pulsatur falso. - - Et alibi.

Ammianus Marcellinus quoque sæpe inter alia *lib. 15. c. 3. graui mole criminis pulsabatur*: & *eod. lib. cap. 6. vetitus pulsare quemquam insontem*; Arnobius *lib. 4. adu. gent. pag. 151. ed. Lugd. B. 1651. in 4.* omnium appositissime, de famosu carmine: *ne vestras aures conuicio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis iniuriis.* Imo Virgilius *Æn. VI. v. 608.*

Hic quibus inuisi fratres dum vita manebat,
Pulsatusue parens, & fraus innexa clienti.

Plura vide *in Glossario.* Ergo par pœna in ingratos liberos irrogata, quæ in libertos, qui & ipsi libertate ob ingrati vitium multari: de quo ad *l. 1. sup. de libert. & eor. liber.* Et hæc quidem de *huius l.* sententia. Est enim ea singularis quoque alioquin, ob subscriptum ei locum vna cum die & Consule, *Dat.* XV. *Kal. Sept. Ambianis Lupicino & Iouino Coss.* vbi loco *Ambianis* male Codex Iustin. *Mediolani.* Ambianis scilicet (quæ *vrbs* in secunda Belgica *inter alias eminens* hoc æuo erat, teste Ammiano Marcellino, *lib. 15. cap. 11.* data hæc *lex* eo die, iis COSS. a Valentiniano Sen. ibi tum consistente; vbi & paucis post diebus Gratianum filium suum Augustum creauit. Quæ omnia colligere quoque est ex Amm. Marcellino, *lib. 27.* collatis scilicet iis quæ memorat *cap. 6.* cum iis quæ *cap. 8.* Hieronymus quoque *in Chronico* diserte A. 368. (id est, reuera hoc ipso Anno 367.) Gratianum Ambianis Imperatorem factum scribit Socrates, *lib. 4. c. 11.* nulla loci mentione facta. Consules recte adscribit Lupicinum & Iouinum, & diem 24. Augusti: (diem nonum Calendas Septembres) Chronicon Alexandrinum pariter his ipsis Coss. *pag. 701. edit. Raderi.* Gratianum in Galliis Imperatorem creatum memorat, sed nulla Ambianorum facta mentione. Nos hæc omnia hic ferme habemus: adeo vt si alia abessent testimonia, vel argumenta, firmandæ temporum rationi hæc lex suffectura esset: nempe Valentinianum Sen. Ambianis constitisse Lupicino & Iouino COSS. Gratiano Augusto seu Imperatore creato: & quidem mense Augusto: Dies tantum XV. *Kal. Sept.* in subscriptione *huius leg.* abit ab Inscriptione, simul & a Socrate Chronicique Alexandrini Auctore: Hi quippe Scriptores IX. *Kal. Augusti* primum Gratianum Augustum creatum memorant: Atquin in *hac l.* cui subscriptus anterior ille, quam dixi, dies XV. *Kal. Augusti*, Gratianus Augustus iam sociatur Valentiniano & Valenti. Quare errorem alicubi residere necesse est: & forte etiam Gratiani nomen hic, vt alibi non semel, irrepsit: Ergo malim dicere, vitium in *die* residere. Ad Valentiniani motam Ambianis reuertamur. Eo igitur is hoc Consulatu Remis digressus per *Nemasum*

ſtam (Nemay hodie*)* Pridie Nonas Aug. (vbi data tum *lex 3. ſeu vlt. inf. de ponderatoribus.)* hoc tempore profectus fuit, Bononiæ Galliarum ita Britaoniiſque propior futurus: cum hinc Picti & Scoti Britannias tum vexarent: inde Franci & Saxones terra, mari, tractus eos infeſtarent: qoibus ideo prohibeodis, compeſcendis, a Valentiniano miſſus tum his coss. Theodoſius Dux, Boooniam atque inde Britanniam traiecit, teſte Am. Marcellino, *d. lib. 27. cap. 8.* Quibus omnibus narratiooibus firmandis, ſtabiliendæ ſaltem temporum rationi hæc *lex* apertiſſima aptiſſimaque.

Neque illud tandem omittere poſſum etſi fabulis contaminatum, quod Sigebertus *in Chronico* memorat, de Valentiniani Imp. in Ambianorum vrbem ſtudio.

Ex *hac* tandem *leg.* diſcimus, Valentiniannm, etſi tam longe diſſitum ab vrbe Roma, in extremis Galliarum, non ideo vrbanarum rerum ſtatum abdicaſſe, quin potios ad relationem ad ſe ex vrbe Roma factam, haoc ad Præfectum V. R. conſtitutionem ſeu reſcriptum dediſſe.

* * * * * *

P. 633 Hic Folium integrum deeſt in MS. vbi & Rubrica Tituli ſequentis continebatur; ſimul & legia, quæ ibi primo loco occurrebat, inſcriptio.

DE IIS (a) QVÆ ADMINISTRANTIBVS VEL OFFICIVM PVBLICVM GERENTIBVS DISTRACTA (b) SVNT VEL DONATA.

TITVLVS XV.

Hic *Titulus*, vt dixi, intercidit in MS. Reſpondet *huic* Titulus LIII. *lib. 1. Cod. Iuſt. de Contractib. Iudicum, vel eorum qui ſunt circa eos & inhibendis donationib. in eos faciendis; & ne adminiſtrationis tempore proprias ædes ædificent ſine ſanctione pragmatica.* Quo tamen *titulo* nulla *huius tituli* lex relata eſt: verum vna *lex* Iuſtiniani.

Hunc *titulum* abrogat Valentinianus *Nouell. 10. de confirmandis quæ adminiſtrantibus vel officium publicum gerentibus diſtracta ſunt, vel donata.* Et quidem allegata ad mentem ſuam Honorii Imp. conſtitutione ad Palladium. Quæ hic intercidit. Ad huius *tituli* Interdictionem pertinet *lex 6. §. 3. D. de off. Proconſul. lex 46. lex 62. D. de contrah. empt. l. 24. D. de pignorib. l. 8. D. ad Leg. Iul. rep. l. 46. §. 2. D. de iure fiſci.* Et Ciceronis locus 4. *Verrina*, ſeu de *ſignis, cap. 5. Quæ fuit cauſa, cur tam diligenter nos* (id eſt Magiſtratus*) in prouinciis ab emptionibus remouerent? Hæc, Iudices, quod putabant ereptionem eſſe, non venditionem, cum venditori ſuo arbitratu vendere non liceret.* GOTHOFR.

(a) *De his*, MS. G. & Edit. Sichard. *RITTER.*

(b) *Tradita*, Cod. W. & priores Cuiacian. *ID.*

PARATITLON.

ADMINISTRANTES *Rubr.* & *l. Agrippina.* Adminiſtratores *l. omnis,* vel officium publicum gerentes: *Rubr.* Adminiſtrans prouinciam prouinciaſue, atque indifferenter ſub quoquo apice poteſtatis, *l. quicumque:* etiam ampliſſimæ poteſtatis, *l. omnis:* Iudex altior, mediæ dignitatis, minimus, *d. l. omnis:* in omni adminiſtratione conſtituti, *d. l. Agrippina,* publicum munus agitantes, *l. vim illius,* præpoſiti pagorum, locorum, *dict. l. Agrippina.* Adminiſtrantium item ſocii atque participes ſeu Adſeſſores, *d. l. omnis.* Iudicum item vxores, filii, filiæ, nepotes, neptes, & deinceps in infinitum, emancipati, vel in ſacris, matres, patres, fratres, ſorores, ſoceri, ſocrus, *l. quicumque:* Qui in conſilio

lio sunt, id est, domestici, *d. l quicumque.* Patroni fisci, *d. l. omnis:* Principes officiorum, *l. princeps:* qui principatum officiorum gerunt, *d. l. omnis:* seu corniculum, *d. l. omnis:* id est, cornicularii, *d. l. princeps:* Commentariensis, *d. l. Princeps.* & *d. l. omnis.* Tabularii prouinciarum & vrbium singularum, *d.l.omnis:* Numerarii siue Præfectorum, siue Vicariorum, siue qui diuersis Rectoribus obsequuntur, *l. damus*, & *d. l. Princeps, d. l. omnis, l. numerariis.* Ordinarii per singula officia, *d. l. Princeps:* Officiales, & Municipes qui Exactiones qualescunque susceperint, *d. l. omnis:* vt & ii quibus *discussionis* indago mandatur, *d. l. omnis:* vel officium censuale, *d. l. omnis:* Principales, *d. l. omnis:* Curatores, *d. l. omnis:* vetiti comparare aliquid, *l. Agrippina, l. omnis:* emere. *d.l. omnis:* venditiones
P.634 extorquere, *l. damus:* emptionis titulo consequi *l. omnis:* mercari, *l. vim. 4.* emere, *l. numerariis*, comparatio possessionum, ædium, mancipiorum eis præclusa, *l. Princeps:* a comparationibus temperare debebant, *dict. l. Princeps: nihil* contrahere, *d. l. numerarii:* donatum accipere, seu donationis titulo consequi: *Rubr. l. quicumque.* & *d. l. omnes.* Administrationis suæ tempore, id est omnes in officio, *l. omnis:* siue priuatim, siue publice, *d. l. omnis:* tum in suo quam alieno pago; ex *l. Agrippina.* Et per prouincias, in quibus militarent, *l. Princeps:* in prouincia quam tuerentur, *l. omnis:* donec in ea commorabantur, *d. l. omnis:* siue in ipsis prouinciis, in quibus memorata officia sustinent, progeniti sint, siue in aliis: *l. Princeps:* siue priuatim, siue publice, *d. l. omnis:* siue ciuiliter, siue turbide, *d. l. omnis:* siue per se, siue per alias personas, *d l. omnis.* Rebus tantum Paternis exceptis, quas memorati mercari obseruatis nonnullis potuerunt, *l. Princeps:* Alioquin si inlicitus atque detestandus huiusmodi emptor extiterit, *l. damus, in fin.* si turpibus nundinis his non abstinuerint, *d. l. omnis:* Pœnæ hæ constitutæ. In irritum scilicet gesta reuocantur, *l. omnis*, res ad venditoris dominium reuertitur, *l. damus, l. omnis:* liberum corporis prosequendi arbitrium habet, *d. l. omnis:* venditor, *l. omnis:* donator, *l. quicunque:* a quocunque possessore, *l. Agrippina* & *l. omnis, vers. nec obsit:* intra quinquennium integrum postquam emptores cœperint esse priuati, *l. omnis*, & *l. quicunque:* post id tempus fiscus id sibi vsurpat, *d. l. omnis:* Emptor vero pretium amittit: *l. Agrippina*, & *l damus*, & *l. omnis:* pecuniæ taxatione quam dederunt exuuntur, *d. l. omnis:* non etiam secundi emptores, qui bona fide eam postea emerunt, *l. Agrippina*, quæ *hoc tit.* primo loco occurrit.

CONSTANTINI *M. constitutio.*

* * *

AGRIPPINA (a) D. (b) *τῷ τόπῳ ἐκείνῳ ὐκ ἐπάρχει* (c) *Constantinus A. D.* (d) Sed iure † continetur, *Ne quis in administratione constitutus aliquid compararet:* Vnde quidem nihil interest, an in suo pago, (e) an in alieno comparauit; (f) cum constet, contra ius eundem comparasse. Et *adiecit:* (g) Ignoratis, (h) fiscale effici totum, quidquid Administrantes comparauerint? *Agrippina dixit τῦ τόπυ ἐκεινυ πραιπόσιτες ὐκ ἦν? ἐγὼ* (i) *ἠγόρασα παρὰ τῦ ἀδελφῦ αὐτῦ εἰδεαίωναι.* (k) *Constantinus* A. D. (l) Recipient a venditore, (m) Codia (n) & Agrippina, competens pretium. (o)

N O T A E.

• • •

* Huius *Constantini* M. constitutionis, vt iam monui ad *finem tituli superioris*, in MS. inscriptio & initium eius interciderunt, inscriptionem sic restituam: PARS *Actorum habitorum in Consistorio apud Constantinum*, de quo mox. *GOTHOFR.*

(a) Vna ex secundis emptoribus. *ID.*

(b) Id est dixit; vt *infr.* quoque exerte, & expansis literis. *ID.*

(c) Aperte MS habet, *ἐπαγάρχει* vt inf. *πραιπόσιτος ὐκ ἦν*; de quo mox. *ID.*

(d) Id est dixit. *ID.*

† *Ius* hic & mox rursum allegatur, de quo mox. *ID.*

(e) De *Præpositis pagorum*, dixi ad *l. 1. sup. de pignorib.* *IDEM.*

(f) Primus emptor, in administratione constitutus. *ID.*

(g) Constantinus A. scilicet. *ID.*

(h) Duas scilicet personas seu duos secundos emptores alloquitur Constantinus, nempe Codiam & Agrippinam, vt in *fine leg.* *ID.*

(i) Hæc altera iam ratio est, quæ allegabatur. Porro Agrippina hic in persona sua tantum loquitur, cum tamen a duabus emptio facta fuerit, vel certe in rem duarum, vt docent extrema *Legis.* *IDEM.*

(k) De huius loci restitutione mox. *ID.*

(l) Dixit. *IDEM.*

(m) Fratre Præpositi pagi seu Pagarchæ primi emptoris. *IDEM.*

(n) Forte Clodia. *ID.*

(o) Datum huius *legis*, seu temporis locique Characterismum non habet MS. *ID*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. duæ *hoc titulo* Constitutiones primo loco occurrunt: quarum prior hæc inscriptione suique proculdubio initio, sed & subscriptione caret, plurimumque difficultatis habet. Illud *initio* satis liquet, illam partem esse *Actorum habitorum in Consistorio* apud Constantinum A. & vero hanc Inscriptionem illi restituam: cuiusmodi Actorum in Consistorio principum habitorum, & interlocutionum Principis super re vel negotio cognoscentis, multa alia exempla occurrunt vel *hoc Codice*, vt *l. 5. 8. inf. de fide testium*, *l. 3. sup. de off. Iudicum omnium: l. 2. sup. qui bonis ex leg. Iulia cedere*. Addatur & *Cod. Iust. lex 2. de excus. mun.* & *lex 12. de pœnis:* & in *Digestis, lex 13. quod metus causa:* & *l. pen. ad leg. Iul. de vi*.

Species *huius legis* hæc est: Cuiusdam loci, seu pagi Præpositus, πάγαρχος (vt *initio leg.* indigitatur) πραιπόσιτος τȣ̃ τόπȣ (vt *fine legis*) *in pago aliquo in administratione constitutus, administrans*, (his enim quatuor appellationibus *hac l.* idem de-
P.635 signatur) fundum quemdam comparauerat: & comparauerat non in suo quidem pago vbi administrabat (ἐπαγάρχει vt habet hic diserte MS. de quo mox) verum in alieno, vicino forte pago, τȣ̃ τόπȣ ἐκείνȣ πραιπόσιτος ȣ̓κ ἦν, mox decesserat, fratre hæreda relicto: Ab eo fratre, Agrippina, imo duæ mulieres Clodia & Agrippina, eum fundum postea bona fide emerant: Delatum id fuit ad fiscum; nempe enim iam olim fundum illum perperam & contra ius seu leges emptum fuisse a Præposito pagi: Quare fiscus fundum illum sibi vindicabat a Clodia & Agrippina vtpote semel a Pagi Præposito male emptum; cui proinde vitium male quæsitæ possessionis semper adhærebat: Quomodo sane vitium rei furtiuæ, vi possessæ, rem afficit. Vnde expresse definitum, huiusmodi res ab officium publicum gerentibus vsucapi non posse, vsque quo vitium elutum fuerit, resque in domini potestatem vel hæredum eius peruenerint, vel refusæ fuerint, *l. penult. D. ad leg. Iul. repetund.* quam *leg.* notandum est coniungendam esse cum *l. 4. D. de vsurpat. & vsucap.* vbi agitur de rerum furtiuarum vique possessarum vsucapione prohibita.

Ad rem. Empirices hoc comperto, vel cum ea de re tractatum fuisset ad Constantinum M. iueta, vel remissæ fuere Consistorio sibi dato, duabus se rationibus tuebantur: nempe, aiebant, a se locum illum & iure & bona fide emptum: *iure*, inquam, neque enim vitium in re esse: hac ratione allata, quod is a quo fundus ille proficisceretur, præpositus quidem fuisset, at non in eo *pago* vbi fundus ille erat, verum in alieno: Cæterum hoc casu deficere videri rationem, quæ interdicto illi locum fecisset: puta ratio potentatus, & extortæ sub auctoritate publica emptionis præsumptio. Cui Constantinus interlocutione sua respondet, discrimen hoc nihili esse: nihil enim interesse, cuiusnam pagi seu loci Præpositus fuerit, & in quo pago fundum comparauerit: satis enim esse, quod Præpositus pagi cum esset emerit; cui indistincte quicquam comparare non liceret.

Quare, quæ secunda est *huius legis* sententia, fiscalem hunc fundum effici. Replicabat Agrippina, non modo quod iam antea dixerat, nempe non fuisse illum Præpositum illius pagi, in quo fundum emisset, & sic vitium in re nullum esse, verum insuper allegabat causam iam suam agens, sese bona fide & ignaram vitii a fratre ipsius emisse: Atque si diceret, si prior emptio non consistebat, suam certe emptionem iustam esse, neque alterius malam fidem sibi nocere oportere: quare tanquam bonæ fidei emptori sibi nil imputari posse. Hac ratione iam motus Constantinus, definit venditorem (hæredes scilicet fratris Præpositi) pretium Clodiæ & Agrippinæ restituere debere: & sic fundum fiscalem quidem semper effici, velut contra legum interdicta emptum: at non & pretium bonæ fidei emptorem etiam in hac specie amittere; imo contra, id illi restituendum.

Hæc *huiusce legis* species & sententia est, omnibus expensis: in qua conuenit omnino interlocutioni sententia, neque quicquam ea parte aut supplendum, aut mutandum venit; quod fecere nonnulli. In Græcis tantum pro ἐπάρχει reponendum ἐπαγάρχει, quod exerte habet MS. idque in eo feliciter deprehendi, ȣ̓κ ἐπαγάρχει, vt mox *inf.* τȣ̃ τόπȣ ἐκείνȣ πραιπόσιτος ȣ̓κ ἦν. Παγαρχεῖν est præpositeram loci pagique gerere, administrare: vnde & Præpositi pagorum πάγαρχοι apud Isidorum Pelusiotam *lib. 2. ep. 91.* πάγαρχοι καλȣ̃νται παρά τισι, οἱ τῶν κωμῶν ἢ τόπων τινῶν ἄρχοντες: *Pagarchi appellantur, qui oppidulis aut locis quibusdam imperant.* & in Iustiniani *Nouellis*, & *in edicto 13. in præf.* & *cap. 24.* De quibus alioquin pagorum Præpositis plene semel dixi ad *l. 1. sup. de erogat. mil. ann.* Huiusmodi Præpositos locorum memorat quoque Athanas. *epist. ad solit. vit. ag. pag. 858. Tom. I. Oper. edit. Lips.* ἔγραψε τοῖς κατὰ τόπον πραιποσίτοις καὶ στρατιωτικοῖς ἐξȣσίαις. *Singulorum locorum præpositis & militaribus præfectis literas misit.* Nisi de Præpositis militaribus potius hic locus accipiendus sit.

Atque ita vno iam loco corruptam *huius l.* lectionem restitui: Sequitur altera textus inemendati emendatio. In *fine* scilicet *legis* legendum, vel ἠγόρασα παρὰ τȣ̃ ἀδελφȣ̃ αὐτȣ̃, ȣ̓κ εἰδέων, καὶ vel ȣ̓κ εἰδήμων, καὶ id est *ignarus omnino.* Pro quo Doctissimus Valesius, literis ad me datis restituebat ἰδȣ̀ αἱ ὠναί. *Ecce tabulas venditionis:* vel minore mutatione ἴδε αἱ ὠναί: certe *cum* satteore inspicio MS. post primam vocis Syllabam, ει, duas litteras desiderari video: Quare rescribendum potius fuerit ita εἰσὶ δὲ αἱ ὠναί: Sed prior nostra forte emendatio magis complacitura est.

Hæc cum ita sint, tria iam Axiomata Iuris ex *hac l.* educenda nobis deinceps erunt. Primo Constantini M. tempore simpliciter & absolute in officio publico παγαρχίας constitutis emptione interdictum fuisse, non in eo tantum loco seu pago, vbi quis officium gereret, verum etiam in alio, forte vicino, cum postea tamen, & antea aliter obtinuerit: In suo enim tantum loco, vbi ministrarent, ii quibus emptione comparatione interdictum mercari seu contrahere prohibiti, vt docet exerte *hoc ipso titulo, lex Princeps,* & *lex omnis:* etsi non in eo loco, verum alibi nati. Sane, in Modestini quoque *l. 62. D. de contrah. empt.* addita limitatio, *in eadem prouincia*, & in Hermogeniani *l. 46. §. 2. D. de iure fisci, in ea prouincia in qua administrat.* Quod & ipsum de militibus statuitur; *l. 13. D. de re militari:* Et ita tamen quoque Curialibus extranearum etiam ciuitatum in quibus Decuriones non essent, fundos, vel saltus Reipublicæ conducere vetitum, *l. 2. inf. de locat. fund. iuris emphyt.*

Secundum Axioma ex *hac l.* educendum, istud est: locum ita perperam emptum, *fiscalem* fieri, suo fisco adquiri. Inquies, in dispendiumne primi emptoris, qui concussionem, vel vim passus est? item aduersus alios iuris textus, quibus non fisco res empta quæritur, sed vel pretium tantum, vel pœna. Hinc sese iam expedire opus est, & labor. Sane & in Milite simile exemplum occurrit, qui aduersus Interdictum in prouincia in qua militat, emit. Alias regulariter constitutum, vt res ad venditoris dominium reuerteretur, & ab eo vindicaretur: Hermogenianus *l. 46. §. 2. D. de Iure fisci: l.*

damus prouincial. h. tit. & *l. 11. Cod. Iust. de his qui vi metusue causa:* & *l. omnis, inf. h.* 1. Si videlicet intra quinquennium is repeteret: alias fiscus sibi vsurpabat, *l. omnis, inf.* In pretio sane variatum: modo enim id fisco illatum, *d. l. 46. §. 2. D. de iure fisci*, modo retentum a venditore, *l. 11. Cod. Iust. de his quæ vi metusue causa.* Modo in genere dicitur emptorem pretii amissione puniri: *l. damus prouincial. h. t.* seu pecuniæ taxatione exui *l. omnis, infr.* Tandem & in quadruplum conueniri emptorem, ait *lex 46. D. de contrahendis emption.* Circa pretium nil mirum, variatum ea parte a Principibus, prout scilicet prouincialium vtilitati, vel sui fisci commodis obnoxii fuere.

Quod rem ipsam venditam attinet, sane vetusto iure, veterum inquam I. Consultorum qui per *Digesta* extant, quodque stetit etiam aliquandiu sub Constantino M. fiscalis locus fiebat. Mox vero idem Constantinus & filii eius (in quorum tempora incidit Hermogenianus, vt alibi probo) & insecuti, ad venditorem eum reuerti voluerunt. Atque ita hoc expedio: vnde se aliter expediebat Cuiacius XVI. *Obseru.* 13.

Tertium axioma ex *hac l.* educendum, quod pro summario & paraphrasi esse potest. In hoc casu, vbi videlicet officium publicum gerens, administrans, aduersus interdictum quid emit, bonæ fidei tamen emptorem, qui ab hærede primi emptoris forte emit, rem tantum emptam dimittere oportere: id est nihilominus fundum vindicari, siue a fisco, vt in sp. *huius leg.* siue a Domino, *l. omnis, inf. vers. nam vtcunque:* verum pretium ei reddendæ a venditore, cui fundus eripitur. Ita scilicet disciplinæ publicæ consultum oportuit, vti ne bona fides in damno versaretur; vel mala in lucro. Hæres denique malæ fidei emptoris in vitium succedit non omnino qui ab hærede eius emit, nisi hactenus, vt re carere necesse habeat. P.636

CONSTANTINI *M. altera lex, in Numerarios nominatim.*

(a) Idem A. ad Veronicianum (b) Vic. Asiæ. Post alia.

DAMUS prouincialibus facultatem, (c) vt quicunque sibi a Numerariis, (d) qui diuersis Rectoribus obsecuntur, conquesti fuerint, aliquas venditiones extortas, irritas (e) inanesque efficiant, (f) & male vendita ad venditoris dominium reuertantur: amissione etiam pretii inlicitis ac detestandis (g) emptoribus puniendis. Dat. XIIII. Kal. Iun. (h) Optato & Paulino CONSS. [334.]

Hæc (i) *lex interpretatione non indiget.*

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Inst.* Iungenda autem ei, *lex 4. sup. de Numerariis.* GOTHOFR.

(b) Ita quoque *l. 6. infr. de extraord. mun.* & *l. 1. Cod. Inst de Numerariis.* Male *d. l. 4.* Benoricianum. *ID.* Male etiam in MS. Goth. *Verocianum*, & in Edit. Sich. *Veronicianum.* RITTER.

(c) *Potestatem*, Cod. Goth. *ID.*

(d) *Nummulariis*, hic legit Sichard. in duobus Codd. male. *ID.*

(e) *Inmeritas* (nou. man. *inritas*) Cod. Goth. *ID.*

(f) *Efficiuntur*, Cod. G. & Ed. Sich. male. *ID.*

(g) Similia emptorum aliorum elogia vide *l. vlt. infr. ne Christ. mancip.* aliaque quæ cumulat Iuretus in Symmachi *lib. 2. ep. 87.* GOTHOFR.

(h) In MS. Goth. *Kal. Ian.* RITTER.

(i) In MS. Reg GOTHOFR. Apparent hæc verba etiam in MSS. W. & G. & Ed. Sich. quæ male absunt ab editis. Videbantur etiam ab editione Gothofredi abesse, cum iniuria Maruilliana, in mediam notam *a* ea transiissent. RITTER.

COMMENTARIVS.

DE NVMERARIIS est hæc *lex:* Quæ pars est maioris constitutionis Constantinianeæ, latæ in Numerarios: Vnde desumpta est quoque *lex 4. sup. de Numerariis*, quæ proinde *huic* conferenda venit. Numerarii (de quibus prolixe *suo titulo supra*) vt id breuiter moneam, erant officiales Iudicum & Rectorum, qui publicas rationes ciuitatum tractabant seu chartas publicas administrabant, chartarum notitiam habebant, penes eos publicarum rationum notitia consistebat, ratiocinia tractabant, &c. His igitur quoque Numerariis emptione interdictum: & inter alios a prouincialibus, quamdiu in officio erant, quidquam emere prohibiti *h. l.* & *l. Princeps. l. omnis, l. Numerarii.* & sic quatuor hac de re constitutiones extant. Adeo Numerariorum vorax & fraudulentum propositum fuit, quomodo loquitur *d. lex 4.* fraudibusque subtelis & impressionibus famosi fuere, fastusque eorum & rapaces quæstus noti, *l. 11. sup. de priu. eorum qui in S. Palatio l. 6. 7. sup. de Numerariis*, de quo plura *in Paratitlo eius tituli:* Vt variis subinde constitutionibus reprimi eos oportuerit, & hac quidem parte nominatim, ne venditiones a prouincialibus extorquerent, quod facere plus nimio soliti: vnde & *inliciti, & detestandi emptores* dicuntur. Quare etiam *hac leg.* non tantum res male bis vendita ad venditoris dominium reuerti iubetur, verum ipsi pretii amissione multantur. De quo dixi *ad l. superiorem.*

VALEN-

Valentiniani *Sen. prima e tribus lex.*

(a) Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Iouinum P. V. (b)

Princeps, (c) Cornicularius, (d) Commentatienfis (e) Numerarius, (f) & Ordinarii (g) per fingula Officia, poffeffionum adque ædium, necnon etiam mancipiorum (h) comparationem fciant fibi effe præclufam. Siue igitur in ipfis prouinciis, in quibus memorata Officia fuftinere (i) nofcuntur, conftiterit eos effe progenitos, feu in aliis, omnimodo a prædictis conparationibus per prouincias, in quibus militant, temperare debebunt. Solas tamen res paternas memoratos mercari poffe præcipimus; ita, vt apud Rectorum prouinciæ, non minoribus pretiis quam ratio æquitatis expofcit venditio celebretur. Dat. III. Id. April. Conftantinop. (k) Diuo Iouiano & Varroniano conss. [364.]

N O T A E.

(a) Abeft & hæc *lex* a *Cod. Iuft.* GOTHOFRED.

(b) *Iouino* huic P. V. infcribitur quoque paucis ante hanc *leg.* diebus, *lex* 1. *infr. de annonicis ciuicis*: vbi tamen *Iolus* vocatur. Et vrbi Conftantinopolitanæ Præfectus fuiffe videtur. *ID.*

(c) De *Principe* officii *fup tit.* 4. *de cobortalib. principibus* vide & *l. omnis, inf.* ID.

(d) De *Corniculario*, fup. *tit.* 4. *de cobortalib princip. cornicular.* & *l. omnis, inf.* ID.

P.637 (e) De *Commentarienfi*, infr. *leg.* 5. *de cuftod. reor.* & *l. omnis h. t.* ID.

(f) De *Numerariis*, fup. *tit.* 1. *de Numerariis*: & *l. damus, fup.* & *l. omnis, l. Numerarii infr.* ID.

(g) De *Ordinariis*, dixi ad *l.* 16. *fup. de Cobortalib.* ID.

(h) Mancipiorum eadem ratio, quæ fundorum: *b. l.* & *l. omnis, inf.* ID.

(i) *Suftinere nofcuntur*, id eft fuftinent: vid. *Gloff Theodof.* ID.

(k) Valentinianus, Nicea & Nicomedia Bithyniæ (vbi fratrem Valentem ftabulo cum Tribunatus dignitate præfecit) Conftantinopolim profectus Ammianus Marcellinus, *lib.* 26. *cap.* 4. Zofimus, *lib.* 4. *cap.* 1.

Valentiniani *Sen. fecunda e tribus lex.*

(a) Idem AA. Senecæ. (b) Poft alia.

Vim illius Legis † afpicito, eique pareto, qua proxime conftitutum eft, *Vt publicum munus agitantes nihil in fufcepto mei carentur officio.* Dat. V. (c) Kal. Iul. Valentiniano & Valente AA. conss. [365.]

N O T A E.

(a) Abeft hæc *lex* a *Cod. Iuft.* Iungenda ei *lex* 1. *Cod. Iuft. de defenforib ciuitatum*: quæ eidem Senecæ infcribitur. GOTHOFREDVS.

(b) Defenfori fcilicet, quomodo habet infcriptio *d. legis* 1. ID.

† An intelligit *legem. Princeps fup.* quod fuadet *lex* proxima: Quanquam non de Officialibus tantum eam *leg.* fuiffe oportet, verum de omnibus publicum munus agitantibus. ID.

(c) XV. *Kal. Ian. Terici* (id eft Treuerici) *d. l.* 1. Quod fi ita eft, fubfcriptio *Treuirici* fuadeat hanc *legem* referendam effe ad A. D. 368. Nifi locus alius fit inter Parifios & Remos. An vero Cyzici? ID.

Valentiniani *Sen. Poftrema e tribus* lex, *omnium pleniffima.*

(a) Idem AA. ad Probum PF. P. (b)

Omnis fe turpibus nundinis (c) Adminiftrator (d) abftineat, idem fibi altior (e) Iudex, idem mediæ (f) dignitatis, idem quicunque (g) vel minimus putet effe præfcriptum. Nemo in prouincia quam tuetur, (h) donec in eadem commorabitur, aliquid conparandi fumat adfectum. Similiter, adminiftrantium focii adque participes (quædam enim vniufcuiufque portio videtur adfeffor) (i) Patronis (k) etiam fifci ab his contractibus iubemus inhiberi, & qui Principatum (l) officiorum gerunt, feu Corniculum, (m) quique Commentarienfium (n) nomine exofa miferis clauftra cuftodiunt, Tabularios (o) quoque prouinciarum & vrbium fingularum pari condicione conftringimus: iden.

identidem (p) Numerarii (q) Præfecturæ vel Vicariæ (r) potestatis obseruent. Præterea Officiales, anque Municipes, (s) qui exactiones (t) quascunque susceperint; eos etiam quibus vel Discussionis (v) indago, vel negotium Censuale (x) mandatur: insuper Principales, (y) a quibus distributionum (z) omnium forma procedit: Curatores (aa) etiam Lex ista continest. Verum, si qui ex his medio muneris sui tempore, vel priuatim aliquid emisse, vel publice, detegetur, in irritum gesta reuocentur, Comparatores autem contra interdicta, non modo his quæ per semetipsos vel per aliam fuerint empta personam (siue agri sint, siue domus, siue mancipia, (bb) seu quæcunque mobilia,) sed etiam ea pecuniæ taxatione (cc) quam dederint, exuantur. Nec vllus inquirat, vtrum ciuiliter rem actam constet, an turpide. (dd) Nec obsit propria reposcenti vel venditio interiecta, vel largitas, vel mentio vlla legati: nam vtcunque (ee) in alterum res fuerit a comparatore translata, quam emi in Officio non oportuit, liberum corporis (ff) persequendi præstamus arbitrium. Adiungimus autem, vt si domini corporum (gg) venditorum, postquam emptores ceperint esse priuati, quinquennio integro in repetitione cessauerint, continuo sibi fiscus vsurpet quæ contra hoc vetitum vendita docebuntur. Dat. III. Non. Aug. Sirmio, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) *Probus* PP. sub Valentiniano Sen. Illyrici scilicet vide *l. vn. infr. ne damna prouincialibus infligantur*: vbi dixi; vid. & *Prosop.* *ID.*

(c) *Nundinas* vocat, vendendi, emendi commercium. *ID.*

(d) *Administrator*, id est Iudex, Magistratus: vid *Gloss. Theod.* *ID.*

(e) Illustris. *ID.*

(f) Spectabilis. *ID.*

(g) Clarissimus. *ID.*

(h) *Tueri prouincias* dicuntur Magistratus. *ID.*

P.638 (i) Vide *sup. tit. de Assessoribus.* Notandum porro istud, quod Assessores definiuntur *administrantium socii atque participes*: & rursum, quod dicantur *vn ascaiasque administrantis portio*, pariter vt *l. vn. sup. si prouinciæ Rector*, administrantium participes; vbi recte a Tribon additum & *Consiliarius*, ad quam *leg.* plura. Sane Libanius quoque *Orat. κατὰ τῶν ἀσόντων, p. 82. p. 422. edit. Lugd. B. 6.5.*) Adsessorem vocat τὸν κοινὸν κεκοινωνηκότα θρόνου, id est *idem tribunal sortitus*, & rursum ὧς ὁ κοινωνία τοῦ θρόνου. *Quibus communio Tribunalis est.* Sed falluntur qui Luciani quoque locum promercede conductis, *p. 513.* de Adsessoribus accipiunt: Est enim is de *Hypomnematographo* Præfecti Ægypti. *ID.*

(k) γρ. Patronos. *ID.*

(l) Vide *l. Princeps*, *sup.* *ID.*

(m) Vide *d. l. Princeps*, *sup.* *ID.*

(n) Vide *d. l. Princeps*, *sup.* Cæterum de *Commentariensi* dicam plene ad *l. 5. inf. de custod. reorum.* *ID.*

(o) *Tabularii* alii prouinciarum, alii vrbium singularum: de his dixi ad *l. 1. sup. de Tabulariis.* *ID.*

(p) Pro, *idem*, *itidem.* *ID.*

(q) De *Numerariis*, vide & *d. l. princips*, *sup.* & *l. damus*, *sup* & *l. Numerarii*, *infr.* *ID.*

(r) De Numerariis Vicariorum, vide quæ in *Paratitlo de Numerariis.* *ID.*

(s) *Municipes* id est Curiales: vide *Paratitlon de Decurionib.* *ID.*

(t) De *Exactoribus* vide *infr. tit. de Exactionib* & *sup. hoc lib. tit de Executorib. & exactionib.* Hinc interim discimus, sumptos Executores vel ex Officialibus, vel ex Municipibus, id est Curialibus: de quo in *Paratitlis illorum titulorum.* *ID.*

(v) De Discussoribus, vide *inf. tit. lib. 11. tit. 26.* *ID.*

(x) Vide *inf. titulum, de Censitoribus.* *ID.*

(y) De Principalibus & hoc eorum officio, quod hic describitur vide *Paratitlon, inf. tit. de Decurionib.* *ID.*

(z) Adscriptiones a Principalibus fiebent (exceptis distributionibus munerum extraordinariorum, *l. 4. inf. de extraordinar.* vbi dicam) *& l. & l. 117. inf. de Decurionib.* Saluianus *lib 5. c. 4.* vide & Symmachum *lib. 9. ep. 10.* *ID.*

(aa) De Curatoribus vide *l. 3. 2. sup. de donationibus*: & dixi plene ad *l. 20. inf. de Decurionib.* *ID.*

(bb) Vide & *l. Princeps. sup.* *ID.*

(cc) Id est pretium. Pretium quid est? pecuniæ taxatio. *ID.*

(dd) γρ. *turbide*: vide Iuretum *in Symmachum lib. 10. ep. 36.* *ID.*

(ee) Id est vt maxime. De hoc autem vide *l. 1. sup.* *ID.*

(ff) Id est rei, *hic & vers. adiungimus*: *infr.* *ID.*

(gg) Id est rerum venditarum. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. tres Constitutiones sequuntur, puta *lex*, *Princeps*: *lex vnus*: *lex*, *omnis*: (quas vna ideo fidelia dealbare libet) in eos qui in officio publico constituti aliquid comparant. Vnde

Vnde apparet, quantopere res hæc Valentiniano huic curæ furrit. Ac maxime, si quis accuratam & exquisitissimam omnium, alegantissimamqua *legem*, *Omnis*, perpendat. Deoique si quis attendat speciem *legis*, quæ incipit, *Vim*: quæ *defensori Seneca* inscripta fuit, vti discere est ex coniunctione *legis 1. Cod. Iust. de defensorib. ciuitatum*: Nempe cum receoter Defensores ciuitatum a Valentiniano, clementissimo prouinciarum tutore, instituti fuissent (quorum oon aotiquior vlla mihi meotio occurrit quam *hac ipsa l.* & *d. l.* 1.) qui vtique instituti fueruot, vt tenuiores seu plebem a potentioribus defenderent (vti docuit *Paratitlon supr. de defensorib. ciuitat.*) hoc saoe Maodatorum capite potissimum Valeotinianus Sen. *Defensorem Senecam* instruendum credidit, vt vim *legis* illius adspiceret, eique pareret, qua constitutum est, vt publicum munus agitantes nihil in suscepto officio mercarentur. Quod quidem formulæ Defensorum seu mandatorum Defensori datorum *caput* cootinentur *d. l. vim h. t.* sicut alterum quoque *caput* continetur *d. l. 1. Cod. Iust. de defensoribus ciuit.* quæ *d. leg. vim*, (vt dixi) coassanda ast: vbi definitur de quibus causis Defensores cognoscere possint, quas vero forensi magnitudine dignas, ordinario Iudici seu Rectori pruuinciæ insinuara drbeaot. Sane tam olim hoc ipsum *caput* Mandatis quæ Rectoribus prouinciarum dabaotur, comprehensum fuisse docet *lex 6. §. 3. D. de offic. Proconsulis*. Ergo quam late sese Valentiniani censura hac parte exeruerit, indicio sunt hæ tres *leges* & omoium maxime *lex omnis*.

I. Primo quidem tatione *Personarum*, Nempe omnes, nulla dignitatis quamlibet amplissimæ (quod & *l. vlt.* definitur) aut officii, aut gradus distinctione ab huiusmodi emptione atceri vult Valentiniaous: vbi notanda obiter est *Notitia*, sic vt dicam, Dignitatum & officiorum publicorum. Nempe Iudicum seu Administratorum tres species memorantur: *Altiores*, id est, Illustres: *mediæ* dignitatis, id est Spectabiles; *minimi*, id est, Clarissimi. Deinde recensentur ordine. 1. Rectorum prouinciarum Adsessores: 2. Aduocati fisci. Nam & his postremis hoc quoque interdictum conuenit: Quumodo saoe fisci aduocatio, seu officium & administratio *fiscalis* eo pariter interdicto comprehenditur, quo quis in ea prouincia, ex qua originem ducit, officium administrare prohibetur: Paulus *V. Sent. tit. 12.* vbi nota, in *Sichardi* editiona adponi *titulum* de *fisci Aduocato*: etsi Interpres *ibi* id explicat de Iudiciaria potestate. Et ita quidem expresse *Aduocatus fisci*, in hac *l. omnis* hoc interdicto comprehenditur: At non in *l. 46. §. 2. D. de iure fisci*: ibi enim qui *Procurator* vna cum Præside memoratur, est Procurator Cæsaris, vel Ratiooalis. Quare V. C. Bretii error est, *decis. 6. lib. 2.* cum de Procuratoribus Regiis, qui hodie vocantur, vel de Aduocatis fisci id accepit Hanc solam enim, expressam in id *legem* puta *legem*, *omnis*, allegari oportuit. Ad rem, subiiciuntur *h. l.* huic etiam interdicto 3. Principes offiriorum: 4. Cornicularii: 5. Commeotarienses: 6. Tabularii, tiquedouum generum (nempe prouinciarum & vrbium singularium:) 7. Numerarii Præfectorum Prætorio & Vicariorum & Rectorum prouinciarum: 8. Ordinarii per singula officia: 9. Exactores (siue ex Officialibus, siue ex Municipibus, id est, Curialibus sumpti:) 10. Discussores 11. Censitores: 12. Principales: 13. Curatorrs. De quibus ferme singulis obiter multa & elegantia quæ ad eorum siue officium siue species pertinent, quæ singula suis *titulis* & *Paratitlis* excussimus, quod & in *Notis* iam indicauimus. Ergo his omnibus intetdictum voluit Valentioianus nundinis (vt ipse ait) seu iure emendi in prouinciis. Nudis itaque & simplicibus Officialibus id interdictum non fuit, quod ex hoc toto *titulo* ferme videre est. Et sane neque interdici oportuit: Nam & ita cum hisdem illis quos dixi interdictum fuisset fœnebrem pecuoiam exercere, vel mutuam pecuoiam dare, eadem ratione Officialibus exercere licuit, quia perpetui essent, *l. 34. D. de rebus creditis*: quibus vtique commercio interdici sine summa iniquitate noo potuit. Et hæc de Personis.

II. Quod Secundo *Res* attinet: cum Valenti- P.639
niaous *l. Princeps*: nonnisi possessionum, ædium, mancipiorum emptione iis quos dixi interdixisset, posteriore *l. omnis*, etiam quorumcunque mobilium emptione ioterdixit: Exceptis tantum rebus Paternis, quarum emendarum potestatem his fecit. Quæ & ipsa exceptio proponitur in *leg. 62. D. de contrah. emptione*. Id quod æquum fuit excipi, oe bona ex familia exirent, quæ nostra interest nobis seruari (Quæ æquitatis species & alibi spectatur, de qua vide famosam *l. 22. Cod. Iust. de administr. tutor.* & *l. 35. D. de minorib. l. 1. §. 15. D. si quid in fraud. patronon.*) Ita sane & milites, qui similiter prædia comparare in prouinciis in quibus militarent, prohibiti, si paterna eorum fiscus distraheret, emere potuerunt: hanc quippe speciem Seuerus & Antooinus remiserunt, *l. 9. D. de re militari*. Vbi obseruandum, pariter vt *in d. l. 62.* agi oominatim de emptione fundorum paternorum, *fisco distrahente*: quia scilicet hoc saltem casu emptione interdici æquum oon videretur, quandoquidem satis & abunde sibi cauere posset fiscus, oe officium gerens non suo pretio rem emeret: a quo metu non satis tutus esset priuatus venditor.

Et vero hac ipsa de causa Valentinianus huic Exceptioni duas *Limitationes* addidit in *d. l. Princeps*: nempe paternorum bonorum apud Rectorem prouinciæ celebrari venditionem oportere, sioque & iusto pretio: Præsidis saltem præsentia in hac æquitatis specie, quam excludi non oportuit, fraudis suspicionem excludere potest. Ergo non quasi fauorabilior sit emptio quæ a fisco fit, (quod nonnulli censent) sed quod facilius fisco vendente ab impressione caueri possit. Quæ causa etiam videtur, cur Harmeoopulus *lib. 3. tit. 3.* in ea ipsa sententia de re empta a fisco noo expresserit *paterna*, quasi in omni venditione a potentatu & impressione satis viodicaretur fiscus, si fisci procuratores interuenirent. Et hæc quoque de Rebus.

III. Tertia Valentinianeæ sententiæ latitudo est, circa LOCA. Nempe id solum spectari hac parte vult *l. Princeps*, num qui in prouincia officium, vnum ex iis quæ dixi, sustineat seu militet nullo discrimine ibi natus seu progenitus sit, an vero alibi. Quod discrimen tamen nonoullis admittendum videbatur: nempe quod apud suos quis magis gratiosus esse possit, parentelis & clientelis etiam fuerit subnoxius, quam alibi vbi cœlo lapsus videretur. Sed vt dixi hoc discrimen non admittit Valentinianus: Vbique scilicet idem metus est, ne qui officium gerunt terribiles aliis esse possint, deoique potentatus ratio eadem vbique, ex sola officii ratione: sed tamen in eo semper loco, in quo administrat; cui contrarium est quod *prima huius tituli leg.* statuitur.

IV. Quarto & circa *Formam* emptionis multa constituit Valentinianus Sen. quamplanissime hanc io partem consultum cupiens. Primo scilicet, nihil interesse definit in *d. l. omnis*, publicene quis ex prædictis emat, an priuatim: etsi quod antea ostendi) publica venditio videtur ab insidiis & impressione tutior. Secundo, per se, an per alium quis emat: quod & ipsum in hac specie cauetur a Iustiniano *l. vn. Cod. Iust. § 3. de contractib. Iudicum*: vt cæteroquin suppositiciarum personarum interuentui ad fallaciam tegendam legibus occurritur, vide saltem *l. 20. infr. de Episcop. l. 49. infr. de hæreticis*. Tertio nihil iotéresse definit, ciuiliterne, an turbide rem actam constet: *ciuiliter* inquam, seu vt loquitur, (idque admisit etiam Valentinianus Tertius)

tius) *Nouell. 10. iure communi:* sic vt omnioo impressioois suspicio abesse videatur; veluti si coouocata vicinitate, arbitris adhibitis, æstimatione arbitru boni viri facta, suo iustoque pretio definito, & conscripta pecunia, publica fide (quibus formulis hac io re vtitur Valentiniaous *d. Nouell. 10.*) semper enim idem metus subest: *Turbidi* alioquin vox hac io re propria; Symmachus *lib. 10. ep. 36. Quis dubitaret, eam Præfecturam quæ Romæ superior est cæteris*, TVRBIDVM *aliquid pro potestate fecisse.* Et libr. 6. ep. 66. *circa rem nostram Siculam turbidum esse Nestorium.* Augustinus quoque *ep. 100.* (*siu. ep. 159. num. 2. edit. Benedict. Tom. II. pag. 564.*) *Non interest, quam ordinate vel turbide fiat.*

V. Postremo loco POENAS quoque hac parte iotendit Valentinianus Imp. triplici ratione. Primum ratione, seu pro commodo miseri venditoris: vindicatione scilicet rei veoditæ, simul & pretii retentiooe venditori indulta, de quo ad *l. 1. sup.* Secundo, vindicatiooe eius domino iodulta, etsi res ea postea per aliorum manus ambulauerit, veluti si booa fide quis a primo inlicito & detestando emptore (vt vocatur *l. 2.*) emerit, de quo etiam ad *d. l. 1. sup.* Tandem & fisco vindicationem eius rei cooecdit, si quioquennio post depositum ab emptore officium, eam viodicare ipse prouincialis venditor oeglexerit. Quæ quinquennalis silentii præscriptio quoad priuati veoditoris repetitiooem, nempe vt is amplius eam vindicare noo possit, probata quoque postea in donatiooe eodem casu facta a Theodosio M. proxima *l. quicunque*: oulla tameo ibi facta mentiooe iuris quo post quioquenoium fiscus vti possit. Sane Iustiniaous quoque *d. l. vn. Cod. Iust. de contractibus Iudicum §. 1.* huius quioquennalis præscriptionis, rationem habuit vno casu circa vrbanos Magistratus, nam eum his donatiooís acceptione regulariter ioterdiceret, quioqueonali tamen dooatoris silentio tutos eos esse voluit; At non & altero circa prouiocisles: nam eum his & emptione & donatione penitus ioterdiceret, illud simul cauit, ne quinquennali quidem sileotio emptiooem vel donatiooem vtilem fieri posse.

THEODOSII *M. prima lex e duabus.*

(a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEODOSIVS AAA. Floro PFP. (b)

QVICVNQVE Administranti Prouinciam, (c) Prouinciasue, (d) anque indifferentes (e) sub quoquo apice (f) Potestatis quid donauerit, repetendi vsque ad quintum (g) annum proximum, ex quo idem priuatus esse cœperit, habeat facultatem. Adque hoc scito (h) nostro non vnam (i) Iudicis personam conprehendimus; sed latius, studio prouisionis, excurrimus. Siue igitur ei, siue eius vxori, filio filiæue, nepoti nepti & deinceps in infinitum, indiffidenter, (k) emancipato an in sacris (l) agenti, matri patri, P.640 fratri sorori, socero socrui, & qui in consilio (m) erit domesticoue, (n) coacta (o) quis, (seu palam vi adhibita, seu clam & latenter inposita) prompserit (p) largitate, (q) eam non secus repetere (r) queat intra quæ præscribsimus tempora, (s) ac si de (t) iure ipsius, nullo, vel inchoatæ alienationis, titulo recessisset: ita vt ad repetendam possessionem ne denuntiatione (v) quidem opus sit, sed sufficiat apud Iudicem, cuius ea de re notio erit, docuisse tempus, quo liberalitas sit parata. (x) Quo patefacto, non secus ad eundem possessio cum fructibus reuertatur, ac si ex eius nunquam iure migrasset. Donatoris autem *heredibus* similem relinquimus actionem, si donator eo tempore obierit quo adhuc in potestate is degerit, (y) cuius (z) obtentu videtur (aa) expressa donatio. Sin autem donator superstes fuit, quamdiu is abierit potestate, tum heredum extinguimus actionem; maxime, cum donator non stantem (bb) ab initio donationem taciturnitatis suæ videatur firmasse consensu. Dat. XV. Kal. Iul. Thessal. Gratiano A. V. & Theodosio A. I. CONSS. [380.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem ei est *lex vn. sup. si quæcunque præditus potestate:* quæ tamen Neotherio PP. inscribitur: vt & *lex vn. sup. si prouinciæ Rector. l. 6. sup. de sponsalib. lex 2. infr. ad Leg. Iul. repetund. lex 16. Cod. Iustin. de testamentis*, quæ tamen omnes Eutropio PP. inscribuntur vna cum *l. 8. 9. infr. de bonis proscriptorum, l. vn. sup. de vsuris rei iudicatæ.* GOTHOFR.

(b) *Floro* huic PP. inscribitur & *lex prox.* Mihi tamen videtur protious hæc *lex* inscribenda Eutropio PP. de Floro dicam *ad eam leg.* ID.

(c) Rectori prouinciæ. *ID.*

(d) Vicario, &c. qui diœcesin, id est plures in vnum iunctas prouincias administrabat: *IDEM.*

(e) *Hic, & vers. siue igitur. vt. indifferenter.* IDEM.

(f) Præfecturæ Prætorianæ, &c. Apex potestatis seu summa dignitas Præfecti Prætorio. *ID.*

(g) Vide *leg. prox. omnis, in fin. sup.* ID.

(h) Constitutione nostra. *IDEM*

(i) Id est solam. *IDEM.*

(k) vt.

(k) γρ. & hic, *indifferenter*: qua voce vtitur & *d. l. 8. infr. de bonis proscriptor.* *ID.*
(l) ὑπεξουσίῳ in potestate agenti. *ID.*
(m) Id est Adsessoribus Iudicum, dictum ad *d. l. omnis.* *ID.*
(n) De *domesticis* bis vide *sup. tit. de adsessorib. domesticis*: qui adsessoribus proxime cohærebant, vt ex *d. tit.* apparet, & *h. l.* & *d. l. vn. si prouincia Rector*: Omissi hi *d. l. omnis, supr.* *ID.*
(o) γρ. *coactus*, vel *coactam*. vt cohæreat cum *largitatem*: Coactum porro dicit, quia ei actus omnino præsumitur. *ID.* *Coactus*, si cui placet legere, non repugno: sed *coactam largitatem promere*, vix tolero, imo nihil hic mutatum vellem, recte enim, *coacta largitate promere*, siue *depromere*, is dicitur, qui inuitus dedit. *RITTER.*
(p) De hac *Promendi* voce vide *Gloss.* *ID.*
(q) γρ. *largitatem.* *ID.*
(r) Repetundarum accusatione *d. l. 2. inf. ad Leg. Iul. Repet.* *ID.*
(s) Quinquennium. *ID.*
(t) Id est *ex*, vt inf. *ID.*
(v) Vide *sup. tit. 4. lib. 2. de denunciatione vel editione Rescripti.* *ID.*
(x) *Peracta*, vel *patrata.* *ID.*
(y) Degeret. *ID.*
(z) Potestatis. *ID.*
(aa) Id est expressa fuit. *ID.*
(bb) Inutilem. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. duæ constitutiones sequuntur in eos qui obtentu potestatis (vt *hac lex* loquitur) quid a prouincialibus siue donatione siue emptione exprimunt: Ac nominatim hæc *prior*: Quæ sane pars est prolixioris Constitutionis Theodosianæ, qua is potentiorum seu potestatem aliquam gerentium impressioni, rapinis, occursum voluit: vt apparet ex totidem *legibus*, quas ceu eiusdem Constitutionis partes *huic* nostræ coassandas ostendi, etsi ad diuersas personas emissas: Scilicet Repetundarum semel conuictos idem officium repetere *d. l. 2. infr. ad leg. Iul. Repetundarum*: Nuptias eum prouincialibus eos contrahere vetat, *d. l. vn. sup. si prouincia Rector*: & *l. vn. sup. si quacunque præditus potestate*: tandem & DONATIONES ab his accipere *hac l.* etsi ex testamento capere possint, *l. 16. Cod. Iust. de testam.* Nempe vt emere, ita & donato quid accipere potestatem in prouincia gerentes vetiti: de quo præter *Rubricam*, & *hanc leg.* rursum agitur *l. omnes, infr.* & *variis Iuris locis.*

Ergo de hoc Donationis acceptandæ interdicto varia constituit *h. l.* Theodosius M. & circa id, quod ipsemet ait, latius studio prouisionis excurrit, vnde tandem apparet quam enixam eius rei curam Theodosius M. gesserit: tum ratione personarum, tum ratione repetitionis.

Personarum ratione, in duobus. *Primo* quidem indistincte omnibus Iudicibus sub *huius leg.* interdicto comprehensis, siue ii prouinciarum Rectores, siue diœceseon, siue etiam Præfecti Prætorii fuerint. Quod & ipsum circa emptiones statutum, *l. omnis, sup.* vbi dictum. *Secundo*, non ipsis tantum Iudicibus, verum & vxoribus eorum liberisque (indistincte rursum cuiuscunque gradus, sexus, potestatis:) parentibus item, fratribus, sororibus, socero, socrui, Adsessoribus domesticis. Denique non ipsos tantum Iudices castos esse vult, verum & familiam domumque integram. Nam vt illas personas omnes splendor dignitatis & potestatis, vna cum eo qui potestatem gerit perfundit, sane & impressionis ab iis æque metus subit. Quo pertinet similiter *lex penult. Codicis Iust. de his quæ vi, metusue causa*: *lex 4. §. 2. D. de off. Proconf.* Et quæ iam olim Iuuenalis *Satyra 8. v. 127. seqq.* vbi inter alia præcepta quæ Rectoribus prouinciarum dat:

Si tibi sancta COHORS *Comitum, si nemo tribunal*
Vendit acersecomes, si nullum in CONIVGE *crimen*
Nec per conuentus, & cuncta per oppida curuis
Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno.

Et hæc de Personis.

Ratione vero *Actionis*, seu Repetitionis donatori eiusque hæredibus competentis, hæc statuit. P.641
Primo, Intra Quinquennium a deposito officio, donatoribus repetitionem rei donatæ tribuit: de qua quinquennali præscriptione iam dixi ad *l. omnis, sup.* Secundo statuit Theodosius M. in hac *actione* nil opus esse, vt in cæteris, Denunciatione; sed sufficere apud Iudicem de tempore fidem facere, quo donatio facta fuit: de quo *sup. tit. de denunciatione.* Nempe cum regulariter alteri actionem moturus, eam prius solemni more aduersario denunciare oporteret, de quo *eo tit.* casus tamen quidam singulares fauorabiles & celeritatem desiderantes excepti fuerunt, quibus denunciandæ litis necessitas remittebatur, rectaque ad Iudicem iri poterat, veluti momenti beneficium, *l. 5. & 6. sup. de denunciatione*: fideicommissi petitio & interdictum *d. l. 6.* & *l. vn. sup. vtrum vi*: inofficiosi querelæ, tutelæ, negotiorum gestorum actio, modicæ causæ intra summam centum solidorum, *d. l. 6.* Actio si certum petetur de chirographis *l. 3. & 6. d. t.* Actio de dolo, in sp. *l. vn. sup. de dolo*: Ecclesiasticæ causæ & actiones, *l. vlt. de denunciat.* omnes scilicet istæ causæ celeri iudicantur disceptatione finiri, nullis temporum moris eludi, nullis denunciationum & temporum obseruationibus differri debebant. In hunc censum, istud actionis genus retulit Theodosius M. *h. l.* Tertio, vim huic Actioni eam tribuit Theodosius M. vt possessio donata cum Tractibus ad donatorem recurrat, atque si ex eius iure nunquam migrasset: vt cæteroquin malæ fidei possessores rem cum fructibus restituere coguntur. Quarto, & hæredibus donatoris hanc condictionem seu repetitionem tribuit Theodosius M. excepto, Nisi post depositum a donatario officium donator superstes taciturnitate, seu silentio suo donationem firmauerit. Nempe vt quinquennali silentio superstiti donatario ipsi condictio hæc denegatur, ita & cuiuscunque temporis silentio, hæredi eius.

Cæterum, quæ *hac l.* dicta sunt, & alibi quoque dicuntur, donationis acceptatione Iudicibus in prouincia interdici, id accipiendum est de donatione, quæ inter viuos perficitur, non vero de liberalitate & donatione testamentaria. Quod hac eadem constitutione definiuit Theodosius *l. 16. Cod. Iust. de testamentis*, quæ *huic legi*, ceu eiusdem con-

constitutionis pars coassanda est. *Non dubium*, inquit, *nec incertum est, sicut Imperatoribus, ita qualibet dignitate vel potestate decoratis viris, tam hereditatem quam legatum seu fideicommissum relinqui posse.* Ratio scilicer dubitandi in *ea l.* hæc erat, quod in Dignitate vel Potestate positi in prouinciis donationis incapaces essent: verum hanc donationis speciem ab illa excludit; Nempe Imperator Theodosius definit, a donationibus, quæ inter viuos perficiuntur ad vltimas voluotates hac parte argumentum oon recte duci. Alioquin enim si potestatis ratio id efficerat, oe legati aur testamenro relinqui iis posset; sane Imperatori multo minus relinqui testamento posse. Atque ita *lex illa 16. Cod. Iust. de testamentis*, innexa & coassata *huic leg.* intelligenda est; ratioque dubitandi ad eam assumenda præ illa quæ hactenus adfertur, quod sanæ mentis non videatur, qui ditioribus relinquit. Quod (dixisse liceat) ridiculum est.

THEODOSII *M. altera lex in Numerarios nominatim.*

(a) Idem AAA. Floro PF. P. (b)

NVMERARII (c) nihil emant, nihil contrahant: (d) & cetera. Dat. XVIII. Kal. Octob. Constantinop. Antonio & Syagrio CONSS. [382.]

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* Iungenda autem ei *lex 13. sup. de Numerariis.* GOTHOFRED.

(b) *Florus* hic PP. fuit sub Theodosio M. A. 380. 381. 382. 383. Puto autem fuisse PP. Illyrici Orientalis, vbi Moesia, cuius mentio fit *l. 96. inf. de Decurion* quæ huic Floro PP. inscribitur A D. 383. *ID.*

(c) Vide *l. damus, l. Princeps: l. omnis, sup. ID.*

(d) *γρ. comparent. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

DE NVMERARIIS nominatim ab emptione submouendis, vt fuerunt Tres iam *hoc titulo* Constitutiones, puta Constantini M. *lex damus:* Valentiniani *lex princeps*; & lex *omnis*, ita & hæc Quarta est Theodosii M. quæ pars est prolixioris constitutionis Theodosianæ in Numerarios, vt apparet *l. 13. sup. de Numerariis*, quæ indidem desumpta *huic* coassanda est. Nempe ea constitutione Numerariorum, tum fastui, tum rapacibus quæstibus (quæ duo Numerariorum elogia exerte sunt *l. 11. sup. de priuil. eorum qui in sacro palat.* quibus similia consule in *Paratitlon sup. de Numerariis:*) occurrit Theodosius M. fastui inquam Numerariorum *d. l. 13.* rapacibus vero quæstibus *h. l.* Illud *hac l.* additur, Numerarios *nihil contrahere posse*, quod aliis *huius tituli legibus* non continetur.

P. 642

ARCADII *Constitutio.*

(a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Cæsario PF. P. (b)

OMNES quos olim Legum forma conplectitur, Amplissimæ etiam potestatis, (c) nihil Administrationis suæ tempore aut emptionis aut donationis titulo consequantur. Dat. III Id. Iul. Constantinop. Cæsario & Attico VV. CC. CONSS. [397.]

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) Orientis. *ID.*

(c) Sustineri potest: nisi malis *potestatis*, pro *potestates*. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

ARCADII hæc Constitutio est in eandem sententiam in quam *superiores.* Huic sane *legi* occasionem præbuisse videtur, quod Amplissimæ potestates administrationis suæ tempore aliquid emere aut donationis titulo consequi posse viderentur: quasi in hos non caderet suspicio impressionis. Verum imo Amplissimas quoque potestates hoc interdicto contineri vult Arcadius pariter, vt voluit Valentinianus Sen. *l. omnis, sup. Idem sibi*, inquit, *alterior Index putet esse præscriptum.* & Theodosii M. *lege, quicunque, sup. indifferenter*, inquit, *sub quoquo apice potestatis.* Quibus verbis Principes hi omnes, Præfectos Prætorio indicant. Quorum frequentissime *amplissima potestas* dicitur, *altioresque Iudices* nominantur, denique Præfectura Prætoriana, *Apex dignitatum:* de quo *suo loco* plene.

HONO-

HONORII *constitutio.*

Impp. HONORIUS & Theodosius AA. ad Palladium PF. P.

* * * * * * * * *

COMMENTARIVS.

HONORII legem *ad Palladium PP.* hic positam fuisse testatus Valentinianus *Nouella 10. de confirm. his quæ administrantib. vel publicum officium gerentibus distracta sunt, vel donata.* Verba eius hæc sunt: *Quæ plerique,* inquit, *in legibus constituta dissimulant, necesse est* [ea] *præsenti iussione sanciri, vt omni ambiguitate submota instauratione solidiora reddantur. In administratione enim & militia positis emendi licentiam denegatam, superflua nonnullorum dicitur esse persuasio, cum* [tamen] LEX DIVI HONORII AD PALLADIVM PF.P. MISSA IN THEODOSIANVM REDACTA CORPVS, *hanc copiam talibus legatur dedisse personis.* Quod quidem indicio esse potest hunc *Codicem,* vt alibi, ita & hic quoque mutilum esse; Etsi in MS. nullum hic lacunæ vestigium extet.

Quod ipsam *legem* attinet, abrogatæ fuerunt *ea* superiores omnes *leges,* quas hactenus *hoc titulo* explicauimus, eiusque exemplo Valentinianus *d. Nouella 10.* iterum abrogauit. Quo mirum magis *huius Codicis* Conditores tot *leges* referre sustinuisse, quæ vna sic vt dicam, Honorianæ Constitutionis plaga resoluuntur, & litura expunguntur.

Cæterum *Palladius* cui hæc *lex* inscribitur, PF. P. fuit Italiæ A. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. vti videre est in *Prosopogr.* nostra. Neque improbabiliter hæc *lex* coniungenda videatur cum *l. 4.* seu *vlt. infr. ad leg. Iul. de ambitu,* quæ data est Anno 416. ad hunc Palladium PF. P.

p. 641

DE INFIRMANDIS POENIS * COELIBATVS ET ORBITATIS. **

TITVLVS XVI.

LIB. VIII. COD. IVST. TIT. LVIII.

Hinc incipit *Tertium* huius *libri* membrum seu argumentum de *Maritorum & parentum priuilegiis,* ratione bonorum & successionis, quo pertinent tres præterea postremi *Tituli.*

* De his pœnis vide *cap. 12. 13. 14. 23.* legis Iuliæ de maritandis Ordinibus; vbi plene dixi.

** *Et de Decimariis sublatis:* add. Cod. Iust. propter *l. 2. 3. infr. tit. prox.*

PARATITLON.

LEGE PAPIA, *l. 2. infr. de iure liberorum: l. 2. sup. de inoff. dotib. l. 9. infr. de bonis proscript.* seu lege Iulia & Papia, *l. 7. infr. de Nauiculariis:* (quod *Ius vetus* vocatur, *l. vn. h. t.*) præmia Maritis & Parentibus proposita fuere: contra, pœnæ cœlibatus & orbitatis constitutæ, *Rubr.* pœnæ inquam, quæ *legum terrores* vocantur, *h. l. vn.* proposita damna *d. l. vn.* imposita iuris imperia velut iuga, *d. l. vn.* Idque nominatim circa successionum iura.

I. COELIBIBVS suæ pœnæ impositæ; contra, maritis sua præmia proposita fuere, in successionibus, *l. vn. h. t.* quas Cœlibatus pœnas sustulit Constantinus M. *d. l. vn. h. tit.*

II. ORBIS item; partim circa successiones aliorum, partim coniugum inter se. Ex alterius extranei scilicet bonis orbus dimidium tantum capere poterat; vt contra, liberos habens, solidum *l. vn. h. t. leg. 2. de iur. liberor.* (Hinc itaque *Ius liberorum,* de quo *tit. prox.* capacitatis priuilegium & modus, *l. 1. infr. de bonis proscriptorum,* fœcunditatis, seu Papiæ legis priuilegium, *l. 8. 9. infr. de bonis proscript.*) Quam pœnam sustulit Constantinus M. *l. vn. h. t.* Ex coniugis pariter bonis coniux orbus nonnisi decimas capere poterat, *l. 2. inf. de iure liber. tit. prox.* Idque quocunque titulo, siue legati titu-

lo *d. l. 2.* siue dotis, *l. 2. sup. de inoff. dotibus:* siue donationis inter viuos, quæ morte conficiuntur, *l. 1. inf. de bonis proscriptor.* Atque hæc est illa *prisca legum auctoritas*, quæ dicitur *sine l. vn. h. t.* vt contra interuenientibus liberis ex testamento solidum inuicem capere poterant, *l. 7. inf. de Nauiculariis:* & *l. 2. infr. tit. prox. de iure liberor.* Hanc vero pœnam, seu has *leges* Decimarias probauit Constantinus M. nisi quod ab iis Nauicularios orientis singulari priuilegio immunes fecit *d. l. 7.* Theodosius M. Curiales vxores *l. 124. inf. de Decurion.* At quod & antea fecerat Claudius, teste Suetonio *in Claudio cap. 19.* Theodosius Iunior tandem eas penitus sustulit: *l. 2. infr. tit. prox.* cuius *leg.* meminit ipse *l. vlt. sup. de legitimis hered.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS (b) A. ad populum. (c)

QVI iure † veteri *Cælibes* habebantur, imminentibus Legum terroribus, (d) liberentur: atque ita viuant, ac si numero maritorum, matrimonii fœdere, (e) fulcirentur: sitque omnibus æqua condicio, capessendi (f) quo (g) quisque mereatur. (h) Nec vero quisquam *Orbus* habeatur: proposita (i) huic nomini (k) damna non noceant. Quam rem & circa feminas (l) æstimamus, (m) earumque ceruicibus inposita iuris imperia, velut quædam iuga, soluimus promiscue omnibus. Verum (n) huius beneficii maritis & vxoribus inter se vsurpatio non patebit. *Quorum fallaces plerumque blanditiæ vix etiam opposito iuris rigore cohibentur:* (o) sed maneat inter istas per-
P.644 sonas Legum † prisca auctoritas. (p) Dat. Prid. Kal. Febr. Serdicæ. PP. Kal. April. Romæ Constantino A. VI. & Constantio C. CONSS. [320.]

N O T A E.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* Memorat hanc *leg.* Auctor *vitæ Constantini, lib. 4. cap. 26.* & Sozomenus, *lib. 1. cap. 9.* Iungendaque ei *lex vn. sup. de Commissoria rescind.* Imo & *lex 3. infr. de exactionib.* GOTHOFR.

(b) *Imppp. Constantinus, Constantius, & Constans. AAA.* Cod. Iust. male; de quo mox. *ID.*

(c) Vrbis Romæ: vt subscriptio quoque *legis* docet. *PP. Romæ*, Sozomenus quoque, *d. l.* καὶ νόμον, inquit, τῷ δήμῳ προσεφώνησεν. *Et legem dedit ad populum. ID.*

† Lege Iulia & Papia *IDEM.*

(d) Id est, *Terroribus*, pœnis; *damna* mox vocat. *ID.*

(e) *Fœdus* matrimonii. *ID.*

(f) *Capessendi*, id est, capiendi ex testamentis. *ID.*

(g) γρ. *quod:* vt habetur etiam *Cod. Iust. ID.*

(h) *Merendi* vox de successionum & testamentorum lucro. *ID.*

(i) *Et proposita*, Cod. Iust. RITTER.

(k) *Nomen*, pro ipsa re passim in constitutionibus. GOTHOFRED.

(l) In quibus scil maior liberorum numerus requirebatur, vt solidum capere possent: de quo mox. *IDEM.*

(m) *Æstimamus*, id est, iustum censemus, statuimusque: male Cod. Iust. *existimamus. ID.*

(n) Sequentia omnia recidit Tribonianus, propter leges Decimarias pariter sublatas, *l. 2. infr. tit. prox.* quam *legem* in suum *Codicem* retulit. *ID.*

(o) Vide *l. vlt. sup. de legitim. hered. ID.*

† *Legum*, id est, Iuliæ & Papiæ Decimariæ. *IDEM.*

(p) Subscriptio in Cod. Iust. hæc est: *Dat. Prid. Calend. April. Romæ Constantio II. & Constante AA. Coss.* RITTER.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. hæc *lex* est: quæ pars est Edicti Constantinianei, quod ad populum vrbis Romæ datum, ibidemque propositum est: Cuius Edicti duo præterea alia ἀποσπασμάτια supersunt, puta *lex vn. sup. de Commissoria rescind.* & *l. 3. infr. de Exactionib.* quæ proinde *huic l.* coassanda veniunt. Eo Edicto, humanitatis plenissimo, Constantinus varia iuga a populi ciuiumque ceruicibus depulsum iuit: tum *legum*, quo pertinet hæc *lex vn.* tum *creditorum*, quo spectat *d. lex vn. sup. de Commiss. rescind.* denique Exactorum, fiscique; quo pertinet *d. lex 3. infr. de Exactoribus:* Imo & *lex 3. ad SC. Claudianum*, quæ indidem desumpta, atque huic coassanda videtur: qua & ipsa iugum varium & multiplex, a mulierum capitibus depellitur, quod Senatusconsulto Claudiano inductum fuerat. Et sic varia iuga depulsum iuit eo Edicto Constantinus: tum ratione *Bonorum*, quo spectat *hæc lex*, & *d. lex vn. de Commiss. rescind.* Tum ratione *Corporis*, quo spectat *lex 3. de Exactionibus:* Tum ratione *status personæ*, quo pertinet *d. lex 3. ad Senatus Consultum Claudianum.* Et vero in vniuersum eo spectat omnino, quod Publius Optatianus Porphyrius *Panegyrico ad Constantinum*, hoc ipso tempore, inter cæterea Constantini elogia canebat *v. 39. pag. 349. int. Epigrammat. veter. Petr. Pithœi,*

- - Permulcens aspera legum
Iustitia æterna - -

Nunc

Nunc de hac *lege* nostra. COELIBATVS, seu *ἀγαμίας*, vt & orbitatis, seu *ἀπαιδίας* pœnas nemo est qui nesciat, lege *Iulia Papia* (marita, seu de maritandis Ordinibus,) exhausta videlicet tum per bella ciuilia pube Romana, Romæque adeo ciuibus replendæ, constitutas, auctas saltem fuisse. Hinc adeo Tacitus *Annal. III. cap. 25. Papiam Poppæam Senior Augustus, post Iulias rogationes incitandis cælibum pœnis sanxerat.* Vbi *Incitandis pœnis*, id est, intendendis, augendis. Et Suetonius, *Octauio, 34.* diserte Augustum, *legem Iuliam de maritandis Ordinibus* non sanxisse, sed *seuerius emendasse*, pœnasque auxisse. Pœna vero *illis legibus* proposita potissimum successionum iura respexit: nempe, Cœlebs nihil prorsus ex eo, quod testamento sibi relictum fuisset, capere poterat: Orbus vero (cuius minor culpa, si culpa,) relicti sibi ab extraneo non solidum, verum semissem tantum seu dimidium, (quo pertinet etiam Tertulliani locus *de Monogamia c. 16.*) ex bonis vero coniugis, nonnisi decimas pro casuum varietate. De quo omni latius videndum est *capus 12. 13. 14. 23.* Legis Iuliæ & Papiæ, a nobis iam olim editæ notisque illustratæ. (a) Et steterunt hæ pœnæ, seu *lex Papia* hac parte (quæ in aliis antea haud parum abrogata, a Claudio & Seuero Impp. fuerat) ad Constantinum M. vsque cuius hæc *lex* est, quam & extare negabat Balduinus: Et *Cod. Iust.* perperam Constantini filiorum nomina præfert. Is igitur primus *legem* hanc *Iuliam & Papiam* hac parte abrogauit: Sublatis, inquam, hoc peremptorio Edicto (ad populum Romæ emisso, ibique proposito) Cœlibatus atque orbitatis pœnis: sic vt Cœlebs iam orbusque ex extraneis bonis ex hoc Constantini Edicto solidum capere possit, sitque omnibus æqua conditio CAPESSENDI, id est, capiendi quod quisque meretur. Cuius *legis* meminit quoque Auctor *vita Constantini M. lib. 4. c. 26* vbi tamen a vero aberrat cum ait, veteres *leges* τοὺς παλαιοὺς νόμους (Iuliam scilicet & Papiam) *ἀπαίδας* (quo nomine complectitur promiscue non *Orbos* tantum proprie dictos, sed & cœlibes, vt sequentia ostendunt) multasse *στερήσει τῆς τῶν γονίμων διαδοχῆς*. Primo scilicet peccat, cum cœlibes & Orbos eadem pœna multatos credere nos vult: Secundo, cum *γονίμων* id est propinquorum genere (nam primum ita *γονίμους* interpretor, non fœcundos, *γόνιμος* ita *γνήσιος υἱὸς γεγονὼς* ad differentiam adoptiui) successione Orbos & cœlibes multatos tradit: Constantinum vero indulsisse *κληρονομεῖν τοὺς προσήκοντας*, id est statuisse, vt propinquis succederent. Quæ meræ fabulæ sunt. Memorat hanc quoque Constantini *legem* Sozomenus *lib. 1. c. 9.* multo quam Auctor *vitæ Constantini* sincerius. In eo primum, quod Cœlibes ab Orbis recte distinguit *ἀγάμους* & *ἀπαίδας*: Item in eo, quod ait cœlibibus genere proximis capiendi seu successionis iura *veteri lege* (Papia scilicet) seruata fuisse, *τοὺς γένει*, inquit, *ἐγγυτάτω προσήκοντας*. Quod vtique verum est, & tamen Interpres Sozomeni in contrarium plane sensum vertit, quasi cœlibes etiamsi proximi essent a successione submotos veteri iure dixisset Sozomenus. Tertio; verum est quod ait: Cœlibes nihil capere potuisse; at Orbos dimidio relictorum multatos. Sed in eo peccat, quod matrimonio contrahendo annum 25. ætatis præstitutum fuisse ait, cum hæc ætas liberis suscipiendis præstituta fuerit, vt ex Vlpiani *fragm. tit. 16. §. 1.* discere est: cum quo componere soleo quoque locum Tertulliani *Apologet. cap. 4.* nempe eo loco indicat Tertullianus Seuerum Imp. longiorem liberis suscipiendis ætatem tribuisse, quam *lex Papia*.
P. 645 Illud quoque non recte Sozomenus cum *huius leg.* sententiam ita generaliter nimis expressit: *καὶ νόμον τῷ δήμῳ προσεφώνησεν, ὥστε ἐπίσης πάντων τῶν ὁμοίων ἀπολαύειν τοὺς ἀγάμους καὶ ἀπαίδας. Et legem dedit ad populum, vt cælibes & orbi, pari iure quo reliqui omnes fruerentur.* Nempe enim & Limitationem, quæ vltimo *huius legis* capite continetur omisit: & diffuse nimis ad præmia quoque hanc *leg.* extendit. Nam Constantini mens non fuit, vt Cœlibes Orbique eadem præmia haberent, quæ patres: Sed tantum vt pœnis Cœlibum, & Orborum, orbitatis denique soluti essent. Et sic exemplum habemus illustre eius, quod in *Prolegomenis* proprio capite adstruimus, quam ieiune, imo quam falso sæpe veteres Scriptores minime Iurisconsulti Principum constitutiones memorent.

Causam vero *huius l.* sanciendæ fuisse ait vterque Auctor, virginitatis studium, quod tantum abest pœna dignum sit, vt contra præmiis afficiendum videatur, *ἄξιον ὑπερθαυμάζειν, ἀλλ' οὐ κολάζειν*, & vero præmiis affecisse Constantinum idem Sozomenus *ibidem* addit. Addit Auctor vitæ Constantini, neque id æquum fuisse, vt orbi ex naturæ imbecillitate *τῆς φύσεως ἀσθενείᾳ* multarentur: Contra, miseratione dignos penitus esse, *ἐλεεῖσθαι ἀλλ' οὐ τιμωρεῖσθαι προσήκειν*. Facile has causas admitto, inualescente iam Cœlibatu, & quidem Romæ, ad cuius *populum* hoc Edictum emissum, Romæque adeo propositum est, vt ex Inscriptione *huius l.* simul & subscriptione liquet.

Et hæc quidem de prima *huiusce legis* parte. Posteriore continetur *Ampliatio*, dein & *Limitatio* quædam. *Ampliatio* inquam; Nempe Cœlibatus & Orbitatis pœnas ex æquo *fœminis* quoque remittit *hac l.* Constantinus: quibus tamen minus remittendæ viderentur, vtpote quarum ad prolem educendam potiores partes essent, velut in id creatæ. Et sane lege *Papia* discerniculum erat inter fœminam & masculum hac parte: nempe *solitarius* pater, id est, qui vel vnicum filium filiamue haberet, ex aliorum testamentis solidum capere poterat, vt ex Iuuenalis *satyra IX. v. 86 seqq.* colligitur: vt & ex eo quod de solitario patre agitur apud Vlpianum, *tit. 13. de Cælibe, Orbo, & solitario patre.* Atenim fœmina ingenua, non nisi tres liberos enixa, seu trino partu fœcunditati publicæ gratiosa: libertina, quatuor: solidum ex testamento capere poterat; vide Dionem *lib. 55. p. 621.* & *lib. 62. p. 662.* & *667.* & *l. 9. inf. de bonis proscriptor.* (b) Item lege *Papia* patronæ ingenuæ duobus liberis honoratæ, libertinæ tribus, id iuris datum, quod Patronus habebat ex Edicto, teste Vlpiano *tit. vlt. §. 6.* Item Patroni filiæ si ius trium liberorum haberet, eadem iura tributa in bonis liberti paterni, quæ & ipse patronus patronique filii ex edicto Prætoris habebant: de quo Vlpianus, *fragm. dicto tit. vlt. §. 5.* & Terentius Clemens *l. 39. D. de bonis libert.* Atque ita iam accipiendum est, quod ait Constantinus *hac l. fœminarum ceruicibus imposita fuisse iuris imperia, velut quædam iuga.* Item quod dicit idem Constantinus *se hanc rem circa fœminas quoque æstimare.* Scilicet exæquatis hac parte masculis & fœminis: item quod ait, iuga illa *se soluere promiscue omnibus fœminis*, nempe nullo Ingenuarum, aut Libertarum discrimine. Et hæc de Ampliatione.

Sequitur *Limitatio* (quam Tribonianus omisit, propter *l. 2. infr. tit. prox.*) Nempe ait Constantinus sese Cœlibibus & Orbis pœnas *legis Iuliæ & Papiæ* remittere, quod ad extraneorum equidem testamenta attinet, non vero Orbis remittere pœnas quoad coniuges inter se: id est quoad *leges Decimarias*, ex quibus, per legem *Iuliam & Papiam*, pro causarum

(a) Superauit Gothofredi diligentiam Ictus elegantissimi Ingenii IO. GOTTL. HEINECCIVS *in Commentar. ad Leg. Iul. & Pap. Poppæam*, qui huc pertinentia omnia cum multis aliis illustrat.
(b) Vide hic V. C. HEINECCIVM ad Leg. Iul. & Pap. Poppæam *Lib. II. cap. 20. pag. 293.*

rum & casuum varietate non nisi Decimas coniuges inter se capere poterant. De quibus legibus *Decimariis* plene ad *d. l. 2.* qua tandem *lex* ista *Papia* Decimaria quoque sublata est a Theodosio Iun. Et rationem addit Constantinus: *quod coniugum plerumque blanditia vix etiam opposito iuris rigore cohibeantur.* Cui apprime conuenit illa Theodosii Iun. *l. vlt. sup. de legitimis hereditatib. Desiderium* [inquit coniugale] *ita sensu leniore concipitur, vt antiqui nec quod extraneis, ac saepe ignotis in donationibus successionibusque tribuatur, coniugibus concesserint: reprimendum inter hos potius, vt in loco ancipiti, quam incitandum fauorem mutuum arbitrati.* Nempe non tam facile liberalitates coniugum admittendae sunt, aut incitandae, imo cohibendae & reprimendae, propter blanditias & inconsultam facilitatem; Quod egregie quoque cernitur in interdicto donationum inter virum & vxorem. Et sic cohibentur hoc casu blanditiae maritales, at non in sp. *l. vlt. D. si quis aliquem testari.*

Vt ad *huius l.* beneficium simul & Constantini mentem redeamus: Ergo *Poena* tantum ab eo Coelibibus & Orbis *hac l.* remittuntur: quae scilicet commune & ordinarium ius successionum testamentariarum his vel adimebat penitus, vel arrodebat seu delibabat. Quae *damna* proprie *hac l.* vocantur: item, *poenae legumque terrores* (nempe enim patrimonii ita imminutione & successionum iure multati:) quo sensu *damni* vox exaudienda, *l. 2. §. 1. D. qui petant tutores:* & *l. 3. D. de damno inf.* At non etiam omnia illa priuilegia, honores, iisdem Coelibibus & Orbis communicauit, quae maritis vel parentibus iure singulari tributa fuerunt: quod *ius liberorum* proprie dicitur, de quo *inf. tit. prox.* Imo ne foeminis quidem iura successionum legitimarum: in quibus deinceps quoque numerus liberorum spectatus fuit, *l. 1. 3. 7. 8. sup. de legit. heredit. l. 2. sup. de secund. nuptiis: l. 8. 9. inf. de bonis proscript.* Atque ita haec intelligenda sunt, ne quis alioquin haereat, si quando, & sicubi priuilegia parentibus tribui porro post *hanc leg.* videt: de quo *tit. prox.* Atque adeo hanc *leg.* extra speciem suam tractat. P.64

P.646

DE IVRE LIBERORVM.

TITVLVS XVII.

LIB. VIII. COD. IVST. tit. vlt. Huc pertinet quoque lex *vn. infr. de his qui num. liberorum.*

De iure Liberorum scripsit librum singularem, MARCVS VERTRANIVS MAVRVS, qui prodiit cura *Ioachimi Cluten*, Argentorati apud *Ioh. Carolum* 1610. in 8vo.

PARATITLON.

IVS LIBERORVM, *Rubr.* & *l. 1. 3. h. t. l. 8. 9. infr. de bonis proscript. l. 7. 8. sup. de legitim. hereditatib. l. 9. inf. de infirmandis his quae sub Tyrannis* (iuncta *l. 6. sup. de inoff. testament*) seu suffragium liberorum; *l. 3. sup. de legitimis haeredit.* & auxilium, *l. 1. h. t.* & *l. 7. sup. de legit. haered.* foecunditatis priuilegium, *l. 8. infr. de bonis proscript.* Papiae legis priuilegium, *l. 9. eod. tit.* Aliud erat natiuum, cum videlicet reuera quis liberis seu numero liberorum, *l. vn. infr. de his qui numero liberorum:* quod & ipsum δικαίωμα τῶν τέκνων dictum, de quo accipiendus Palladius *in Melan* subnixus esset: veluti mulier trino partu foecunditati publice gratiosa *l. 9. infr. de bonis proscriptor.* Item quinque liberorum numero subnixus, *d. l. vnica*, Pater 13. liberorum, *l. 55. infr. de Decurionib.* Aliud vero datiuum, beneficio videlicet Principis, quod miseri desperatione liberorum, *l. 1. h. t.* non interuenientibus liberis, *l. 2.* precibus a Principe impetrabant, *l. 1. 3.* & *l. vlt. h. t.* In quo olim certum tempus certaque aetas definita erat, qua impediebatur quis supplicare quod tollitur ab Arcadio, *l. 1. h. t.* Huius iuris liberorum varia commoda fuere: veluti, vt quinque liberorum numero a personalibus muneribus quis excusetur, *l vn. inf. de his qui numero liberorum:* Ac nominatim Mulieres eo subnixae circa iura legitimarum successionum actiua, de quo est *lex 8. 9. inf. de bonis proscript. l. 3. 7. 8. sup. de legit. hereditatib.* Sed & impetratum a coniugibus ius liberorum (quod ius commune liberorum vocatur *l. vlt. h. t.* & *l. 9. inf. de infirm. his quae sub Tyr.*) eo pertinebat, vt coniuges ex suis testamentis solidum, ac non Decimas tantum ex *leg. Papia*, caperent, *l. 2.* & *l. vlt. h. t.* Atque hic, ius Liberorum petendi, impetrandi a Principe mos stetit in Oriente ad Theodosium Iun. vsque, vt docet *lex 1.* & *2.* & *3. h. t* qui ius liberorum simul omnibus dedit *d. l. 2.* & *3.* In Occidente vero deinceps stetit (etiam post *d. l. 2.* & *3.*) sub Honorio, vt docet *d. lex vlt. h. t.* & *l 9. de infirm his quae sub Tyr.* qua statuitur, vt ius commune liberorum impetratum sub Tyranno valeat.

PETI *quacunque aetate, ob desperationem liberorum, ius liberorum posse.*

I. (a) Imp. ARCADIVS & Honorius AA. ad Caesarium PF. P. (b)

SANCIMVS, vt sit in petendo iure liberorum, sine definitione temporis, licentia supplicandi: nec implorantum preces, aetas vel tempus impediat, sed sola miseris ad poscendum

dum auxilium sufficiat desperatio liberorum. Dat VIII. Id. Maji. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. conss. [396.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) *Cæsarius* PP. Orientis sub Arcadio: vid. *Prosop.* IDEM.

COMMENTARIVS.

ARcadii IMP. hæc Constitutio est, *de postulatione Iuris liberorum*, qua impedimentum iuris veteris tollitur, quo scilicet fiebat, vt ætate seu tempore quodam ius liberorum a Principe peti, supplicari, implorari, non posset. Scilicet ætas certa huic rei olim definita fuit, antequam ius liberorum peti non posset. Peti inquam a Principe singulari beneficio. Neque enim huc pertinet (quod tamen viri docti putabant) quod lege *Iulia*, mox & *Papia Poppæa*, certa quædam ætas statuta fuit, ante quam pœnis ἀτεκνίας coniuges non
P.647 subiiciebantur. Quæ quidem ætas liberos exigens fuit in viro 25. annorum, in vxore 20. vt docet Vlpianus *in fragm. tit. 16. in pr.* (a) ex Seueri Imp. constitutione, vt puto, de qua accipio Tertulliani locum *cap. 4. Apologetici: Nonne vanissimas*, inquit, *Papias leges, quæ ante liberos suscipi cogunt, quam Iulia matrimonium contrahi, post tantæ auctoritatis senectutem heri Seuerus constantissimus Principum exclusit?* Nempe lex *Papia* citeriorem ætatem statuerat, quam, exclusa *leg. Papia*, produxit Seuerus ad 20. annum. De quo accipiendus Sozomeni locus *lib. 1. cap. 9.* vt iam notaui ad *l. vn. sup. tit. prox.* Vice versa neque huc pertinet quod *eadem leg. Papia* constitutum fuerat, vt sexagenarius masculus, quinquagenaria fœmina, post eos annos pœnis Orborum non tenerentur; ipsisque legibus post hanc ætatem liberarentur; id est si vtrique *lege Papia* finitos 10 matrimonio annos excessissent, vt testatur Vlpianus *fragm. tit. 16. §. 3.* & Augustinus *lib. 3. contra Iulianum pag 372. edit. Benedict.* Huc inquam hæc duo capita *leg. Papiæ* non pertinent, de Ætate videlicet, ante quam, vel post quam nemo pœnis *legis Papiæ* subiiciebatur, duabus rationibus: 1. Quia hæc ipso iure obtinebant, citra postulationem vllam. Atquin *hac l.* agitur de impetrato iure liberorum. 2. Quia ad pœnas *l. Iuliæ & Papiæ* euitandas hæc pertinent, & sic ad *l. vn. sup. de infirm. pœnis cœlib.* non vero ad Ius Liberorum: quo continentur præmia parentum, de quo est hæc *lex*. Quid ergo? Nempe vt Adrogationes olim non temere nec inexplorate committebantur: Verum in iis causæ cognitio desiderabatur, cuius videl. ætatis esset adrogaturus: num forte minor 60. annis quis adrogaret, quia magis liberorum procreationi studere, seu de liberis procreandis cogitare eum melius esset, filiumque γνήσιον habere, quam ex aliena familia quemquam sibi adsciscere, redigereque in potestatem suam, *l. 15. §. 2. l. 17. §. 2. D. de adoptionibus.* denique vt Gellius ait, *lib. 15. c. 19.* ætas eius qui adrogare volebat considerabatur, an liberis potius gignendis idonea esset. Eadem inquam ratione, certa quædam ætas statuta, antequam ius liberorum petere a Principe non liceret. Atque illud est, quod Augustinus scribit *lib. 3. contra Iulianum.* Iure fuisse constitutum, *ne quisquam ius liberorum haberet, nisi eum amborum anni computati, & simul ducti, centum transisse dicerentur.* Nisi potius ad caput de *Sexagenariis* id pertineat. Verum quemadmodum & in adrogationibus, etsi certa ætas præstituta esset, vt quis adrogare posset, attamen si morbus, aut valetudo in causa esset, quæ desperationem liberorum induceret, adrogare ante eam ætatem permittebatur, *d. l. 15. §. 2. de adoptionib.* ita quoque Arcadius *h. l.* implorantium, seu ius liberorum poscentium preces impediri vetat, si qui poscerent, qui de liberis desperarent, quacunque tandem ætate aut tempore: *sola*, inquit, *miseris ad poscendum auxilium sufficiat desperatio liberorum.* Ac si diceret, ad ius liberorum petendum vnam causam esse desperationem liberorum; quare quacunque tandem ætate quis de liberis desperaret, ad ius liberorum petendum admittendum esse; & quidem vt videtur in specie *huius leg.* ius communium liberorum, vt in sp. *l vlt.* a coniugibus MISARIS. Nempe *miseri* sunt coniuges, qui de liberis desperant & miseratione digni: miseria denique est haud vulgaris, *expers liberum*, quod ille ait, *esse*. Cuius miseriæ solatium est *Ius liberorum:* vnde suffragium liberorum dicitur *l. 3. sup. de legitim. hereditat.* auxilium, *h. l.* & *l. 7. sup. de legit. heredit.* παραμυθία, solatium. Plinius *lib. 10. ep. 95.* de iure trium liberorum pro Suetonio; *quod fortuna*, inquit, *malignitas denegabat.* Martialis *lib. 2. ep. 91.* ad Domitianum:

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar vt esse trium:
Hæc si displicui, fuerint SOLATIA *nobis,*
Hæc fuerint nobis præmia, si placui.

Ita Dio *lib. 55.* scribit, Liuiæ extincto filio Druso datum ius trium liberorum ἐπὶ παραμυθίᾳ. Cæterum ad hanc quoque Iuris liberorum per Coniuges apud Principem postulationem, pertinere censeo Symmachi *epistolam 62. lib. 7.*

(a) Vide hic CL. SCHVLTINGIVM *in not. adiectis. not.* 6. adde *not.* 27. qua, quid de Augustini loco, mox citato, sentiendum sit, videre potes.

DECIMARIÆ *leges abrogantur a Theodosio Iun.*

II. (a) Impp. Honorius & THEODOSIVS AA. Isidoro P. V. (b)

IN (c) perpetuum hac lege decernimus, inter virum & vxorem rationem cessare ex lege Papia decimarum: (d) & quamuis non interuenirent liberi, (e) ex suis (f) quoque eos solidum capere testamentis; nisi forte Lex aliam (g) inuenerit derelicta. Tantum igitur posthæc (h) maritus vel vxor sibi inuicem derelinquant, quantum superstes (i) amor exegerit. Dat. Prid. Non. Sept. Varane V. C. CONS. [410.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. de infirm. pœnis cælib.* Iungenda autem huic, *lex prox.* 3. *GOTHOFR.*

(b) *Isidorus* P. V. Constantinopol. scilicet sub Theodosio Iun. vid. *Prosop. ID.*

(c) *In perpetuum hac lege*: hæc recidit Tribonianus. *IDEM.*

(d) *Decimaria* lex inde dicta, de quo mox. *ID.*

(e) Honorio mens alia. vide *leg. vlt. infr. IDEM.*

(f) Mutuis: non aliorum tantum, quod Constantino iam visum fuerat *l. vn. in fin. sup. tit. prox. IDEM.*

(g) In MS. ita continuis literis, ALIAMINVENERIT *γρ. alia minuerit*: in Cod. Iust. *alia imminuerit*. Lex autem alia, puta *Falcidia, Glicia. ID.*

(h) *Posthac*, Cod Iust. *IDEM.*

(i) Ita recte: male *Cod. Iust. superstitis. Superstes amor* est, inter superstites. *IDEM.*

P.648 **IVS LIBERORVM** *omnibus indulget Theodosius Iun.*

III. (a) Idem AA. Isidoro P. V. (b)

NEMO posthæc (c) a nobis ius liberorum (d) petat, quod simul (e) hac lege detulimus: (f) & cetera. Dat. prid. Non. Sept. Varane V. C. CONSS. [410.]

NOTÆ.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit. de iure liberorum.* Iungendaque huic, *lex superior.* Meminit huius *leg.* siræ Theodosius Iun. *l. vlt. sup. de legit. heredit.* Meminit & Iustinianus *fine Novella* 78. quæ est apud Iulianum 72. *GOTHOFREDVS.*

(b) Constantinop. *ID.*

(c) *Posthac*, Cod. Iust. *ID.*

(d) Communium. *ID.*

(e) Et semel. *ID.*

(f) *Omnibus concedimus*, Cod. Iust. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. hæ duæ *leges* sunt, inter se etiam coassandæ, ceu eiusdem Constitutionis Theodosianæ partes: Quas perperam a se inuicem diuiserunt *huius Codicis* conditores. Et si diuellendæ fuerunt, certe priorem, in superiorem *Titulum, de infirmandis pœnis cælibatus & orbitatis*, conici oportuit, quod a Triboniano recte factum: & quidem subiicienda *legi 1. eius tituli*, ceu eiusdem quoque correctoria.

Priore *lege* Theodosius Iun. *Legem Papiam* DECIMARIAM tollit, quam Constantinus M. quamlibet pœnis aliis orbitatis sublatis, tollere noluerat; ea ratione quam reddit *l. vn. sup. tit. de infirm. pœnis cælibatus.* Definiuerat scilicet lex *Papia*, quantum coniux tum ex extraneis, tum ex coniugis bonis capere posset, quod *capacitatis priuilegium & modus* vocatur *l. 1. infr. de bonis proscript.* Capacitas pariter a Gaio *lib. 1. (2.) ad leg. Iul. & Papiam*, in *l. 55. §. 1. D. de legat. 2.* Vnde & *solidi capacitas* apud Vlpianum *fragm. tit. 16. §. 1.* Ac nominatim quantum ex coniugis bonis coniunx capere posset: Decimas videlicet pro casuum diuersitate, vel vnam, vel plures. Error enim grauis est eorum, qui Decimas ex relictis a coniuge coniugi fisco applicatas tradunt, atque has esse leges Decimarias censent. Quod quidem caput *Legum Decimariarum* appellatione a Triboniano. *Rubr. Cod. Iust. de infirm. pœnis cælib. & orbit.* designatum reperio, pariter a Thalelæo *legis* Papiæ Decimariæ *lib. 45. Βασιλ. t. 1. ad l. vn. Cod. Iust. vnde vir. & vxor.* & ratio Decimarum ex *leg. Papia* a Theodosio Iun. *hac l. 2.* Nempe lex *Papia* coniuges ex suis inuicem testamentis solidum capere passim noluerat, verum nisi liberi interuenirent bonorum tantum Decimas, quas vnus Vlpianus memorat *fragm. tit. 15.* Quanquam & ad eas pertinet, quod Terentius Clemens *lib. 4. ad Leg. Iul. & Papiam* scribit, de his qui solidum capere non possunt, *l. 72. D. de heredib. inst. l. 6. D. de vulgari*: *l. 62. de condit. & demonstr. 67. D. ad Leg. Falcid.* vt & quæ Gaius *lib. 3. ad Leg. Iul. & Pap. l. 5. D de vulgari.* Ad easdem Decimas respexit Trachallus vetus Orator contra Sparthalem, apud Quintilianum *lib. 8 cap. 5. Placet*, inquit, *hoc ergo, o leges diligentissimæ pudoris custodes, Decimas vxoribus dari, Quartas meretricibus.* Sed & Iurisconsultus quoque secundum hoc ius locutus est in *l. 18. D. de auro arg legat.* cum poneret, maritum vxori suæ bonorum suorum Decimam legasse. Vt autem liquido sciri posset, an & quando fraus facta fuisset (quomodo facta sæpe etiam per tacita fideicommissa, quo pertinet *lex vn. inf. de his qui se deferunt*: vbi dicam) Decimariis his legibus, ad bonorum defuncti coniugis æstimationem necessario deueniendum erat. Eo itaque pertinet, quod Vlpianus *lib. 4.* (ita enim repono) *ad Leg. Iul. & Pap. l. 62. D. ad Leg. Falcid.* Terentius Clemens, *lib. 4. in l. 67. D. eod.* Paulus *lib. 3.* (ita scribo) *in l. 63. D. d. tit.* de bonorum æstimatione rerumque pretiis, accurate tractarunt: quæ ipsa, quia & in *Leg. Falcidia* locum obtinerent, ideo legibus *Decimariis* sublatis, *leges* illas Tribonianus in *tit. de Leg. Falcidia* recte posse transferri putauit.

Capere porro in *hac leg. Papia Decimaria* est, quoquomodo capere, non hæreditatis tantum, aut legati; verum & mortis causa capionis titulo, vt docet *lex 1. inf. de bonis proscript.* quo etiam pertinet, quod Marcellus *lib. 1. ad leg. Iul. & Pap. l. 38. D. de mortis causa don.* & Terentius Clemens *l. 4.* (ita *γρ.*) *ad leg. Iul. & Papiam, l. 25. D. de donat. inter vir. & vxor.* de mortis causa capionibus & donationibus tractant. Quare & quod conditionis implendæ causa datur, modo *lege Decimaria* concesso imputabatur, teste Vlpiano *lib. 8. ad leg. Iul. & Pap. l. 36. D. de mortis causa donat.* Addebat Thalelæus, vxorem, *hac leg. Papia decimaria*, ab intestato quoque

que daficientibus agnatis & cognatis Decimas bonorum mariti tantum; abrogato iure veteri, quo vxor in solidum succedebat, cepisse: deque eo *legem* 1. *Cod. Iust. vnde vir. & vxor.* accipiendam. Quod a Cuiacio *III. Obs. 12.* recte refellitur. Huc sane pertinet quoque species *l. 2. sup. de inoff. datibus* (vt in *Notis ad leg. Iul. & Papiam* iam olim A. D. 1617. ostendi) ex qua apparet, ne dotis quidem dotalisque pacti titulo, plusquam *leg. Papia Decimaria* præstitutum erat, virum ex coniugis bonis capere potuisse.

Huiusce porro *legis Papia Decimaria* vacationem post Claudium, teste Suetonio *cap. 19.* Nauticularis Orientis primum concessit Constantinus M. *l. 7. infr. de Nauicular.* (retentis alioquin iis) Concessit & Theodosius M. Decurionibus in sp. *l. 124. inf. de Decurionib.* sic vt ii solidum capere possent ex suis testamentis: quamuis non essent his liberi: Cum alias *leg. Papia* regulariter solidum capere non possent, nisi liberi interuenirent: puta si filium filiamue communem haberent: aut quatuordecim annorum filium, vel filiam duodecim, amisissent; vel si duos trimos, vel si tres post nonum diem intra annum matrimonii & sex menses amisissent; vel si vnum cuiuscunque ætatis impuberem amisissent. Quæ omnia Vlpianus memorat *fragm. tit. 16.* Quid igitur? Voluit Theodosius Iun. coniuges indifferenter, indiscriminatim, etsi liberorum iure non subnixos solidum ex suis testamentis capere. Quatenus videl. aliæ *leges* paterentur, quæ relicta non imminuerent, veluti Falcidia, Gli-
P. 649 cia, de qua taxatione dicendi locus erit ad *l. vlt. inf.* Indulsit igitur hac parte Coniugum amori Theodosius Iun. sic vt tantum post hæc maritus vel vxor sibi inuicem derelinquere possent, quantum superstes amor exegerat, & quod ipse ait, hanc *leg.* tulisse, & *l. vlt. supr. de legit. heredit.* vt auxilium matrimoniis impartiret: Quod non fecerat Constantinus, qui fallaces coniugum blanditias opposito iuris rigore cohibendas credidit, *d. l. vn. sup. de infirm. pœnis cælib.*

Decimariis igitur *legibus* sublatis, coniugibus orbis auxilium hoc tribuit, Theodosius Iun. remissa iuris liberorum petendi necessitate quam simul omnibus deferre sciit, *l. 3.* Quæ sane *lex* perperam a *Codicis Theodos.* Conditoribus diuulsa, ductim accipienda ita est: de iure inquam communium liberorum coniugibus indulto. Quod in Occidente deinceps quoque peti oportuisse ostendit Honorii *lex vlt. inf. h. t.*

Neque enim putandum est *hac l.* in commune ius liberorum tributum, id est, omnibus omnia illa priuilegia & προνόμια concessa, quæ parentibus publice data: verum id ius liberorum tantum quod coniugibus solidi capiendi ius dabat: vt proinde Ius liberorum aliter atque aliter & per gradus quosdam concessum dicendum sit, & quidem per hos: 1. *Constantinus* ius liberorum omnibus concessit, ad pœnas scilicet tantum euitandas Cœlibatus & Orbitatis, quibus ex extranei testamento cœlebs quidquam, orbus vltra semissem capere vetiti, *l. vn. sup. de infirm. pœn. cælib.* 2. Theodosius Iun. ius liberorum coniugibus concessit, abrogatis legibus Decimariis ad solidi capiendi ius ex suo testamento, *b l. 2. & 3.* cuius meminit, non ipse tantum *l. vlt. sup. de legit. hereditat.* vbi diserte ait, se *legem* hanc tulisse, vt Matrimoniis auxilium impertiret, verum & Iustinianus *Nouell. 78.* quæ apud Iulianum est 72. Καὶ ἄγε Θεοδόσιος ὁ νέος μετὰ Κωνσταντῖνον τὸν μέγαν τὸν τῆς ἱερᾶς ταύτης πόλεως οἰκιστὴν, τὰ τῶν παίδων δίκαιον πρότερον αἰτούμενον ἐν κοινῷ δέδωκε τοῖς ὑπηκόοις. *Et Theodosius Iunior post Constantinum maximum sanctissima huius ciuitatis conditorem, filiorum prius ius petitum in commune dedit subiectis.* Quamquam comparatio quam ibi instituit ciuitatis Romanæ ab Antonino Pio omnibus in orbe Romano constitutis indultæ, & iuris aureorum annulorum omnibus libertis a se concessi, cum hoc Theodosii Iun. facto suadere videntur, Iustinianum hanc *leg.* accepisse de omni liberorum iure. Id quod etiam *huius l. 3.* verba sonarent, nisi superiori *legi* coassata eum & peculiarem sensum quem dixi, præberet. Quid quod ipsemet Iustinianus *l. 2. Cod. Iust. de iure liberorum*, non omne ius liberorum a Theodosio Iun. omnibus concessum aperte ostendit, cum trium vel quatuor liberorum ius quod Senatus consulto Tertulliano requirebatur, ipse primus omnibus matribus concessit; de quo videri cupio quæ tradit Vertranius Maurus *cap. 27. & 28. de iure liber.* Et sane Ius liberorum ita quoque in hac materia Senatus consulti Tertulliani restringi videmus ad ius successionum maternarum, a Paulo *lib. 4. sent. t. 9. de SC. Tertull. §. 1. 2. 7. 9.* Ius liberorum scilicet pro subiecti varietate accipi oportet. Et huc iam spectat definitio illa iuris liberorum, quam tradit Isidorus *Originum Lib. V. cap. 24.* proculdubio ex Codicis Theodosiani reliquiis desumpta: *Ius liberorum est coniugum sine liberis inuicem pro loco pignorum hereditatis alterna conscriptio:* Quæ definitio nisi ad subiectam materiam restringeretur, falsa omnino foret. Et quis negare posset sua semper quædam προνόμια liberos habentibus in Republ. Roman. competiisse, iusque liberorum eatenus stetisse? Denique hoc sensu Ius liberorum hoc titulo ferme accipiendum est, qua non agitur nisi de *communium* liberorum iure, de quo ad *l. vlt. infr.*

Ex his iam apparet de Alciati errore, qui *hac l.* sublata *omnia* priuilegia liberos habentibus iure concessa, & sic liberos habentes in nullo præ orbis habitos, quod vt tot iuris textibus in Iustinianeum ius relatis refellitur, ita iure refellit Duarenus, 1. *Disput. 40.* Sed & eiusdem Duareni error est, qui *hanc l.* accipiebat de his qui legitimum numerum liberorum trahebant, sed qui tamen, vacationem & immunitatem a Principe impetrare debebant. Quod inuita Iurisprudentia omni dicitur: Nam qui legitimum numerum liberorum habebant, ipso iure vacationem & immunitatem habebant, neque ius liberorum impetrare necesse erat: Contra qui liberis subnixi non erant, ii ad Principem confugiebant, eius priuilegii adipiscendi ergo. Neque quidquam hæc sententia iuuatur *l. vn. inf. de his qui numero liberor. seu l. vlt. Cod. Iust. eod.* vt ad eam *legem* ostendi.

IV. (a) Idem AA. Ioanni PF, P. (b) Post alia.

QVOD inpetratum (c) ius conmunium (d) liberorum superstite Catullino Clarissimo Viro minus allegatum esse cognoscitur, nec succedenti (e) obesse permittimus; (f) nec vlli vnquam in simili causa statuimus nociturum; & cetera. Dat. XIII. (g) Kal. Mart. Rau. Honorio (h) IX. & Theodosio V. AA. CONSS. [412.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* prælata *l. 2. & 3. sup.* Iungenda autem huic *lex vlt. sup. de diuers. rescript. & l. 6. sup. de inoff. testam. & leu 19. Cod. Iust. de testament.* GOTHOFR.

(b) *Ioannes* PP. fub Honorio & quidem Italiæ, vide de eo & Paulinum *in vita Ambrofii*, & *Profopogr.* *I D.*

(c) A Principe feu refcripto Principis, vt diferte docet *d. l. vlt. fup. de diuerf. refcriptis*, quæ huic coaffanda eft: vide Vlp *fragm tit.* 16. §. 1. *I D.*

(d) Inter virum & vxorem. Ita quoque vocatur *l. 9. infr. de infirm. his quæ fub Tyrannis*; & in *veterib. infcriptionib.* apud Gruter. CCCXXII. n. 8. *I D.*

(e) *Succedenti*, id eft, fucceffori, id eft, hæredi, vt docet *d. lex vlt.* *I D.*

(f) Cur? ratio redditur *d. l. vlt.* *I D.*

(g) XII. *d. l. 6. fup. de inoff. teftam.* & *d. l.* 19. *Cod. Iuft. de teftam.* (quanquam in Aniano Regio VIIII.) XVI. *d. l. vlt. fup. de diuerf refcript.* XIII. *h. l.* *I D.*

(h) Ita quoque *d. l. vlt.* At, *Poft Confulatum Honorii.* &c. *d. l.* 6. & *d. l.* 19. Quare adnotandus A. D. 413. *I D E M.*

P.650 COMMENTARIVS. P.6

HONORII Imp. conftitutio ifthæc eft: fi hypothefim eius fpectes, *de Iure liberorum*: fi thefim, *de vi refcriptorum*: pariter vt *lex vlt. fup. de diuerf. refcript.* & *lex 6. fup de inoff. teftam.* cum quibus & nuda precum oblatio comparatur: *l. 19. Cod. Iuft. de teftamentis*: Quæ quidem tres *leges* huic noftræ coaffandæ veniunt, ceu vnius & eiufdem conftitutionis Honorianæ partes: de vi fcilicet refcriptorum Principis & precum Principi oblatarum.

Et quidem, vt hypothefin nunc ingrediamur (nam quæ ad thefim faciunt, ea iam cumulauimus, ad *d. l. vlt.* & *d. l. 6.*) fuper mutuis CONIVGVM qui liberos non habebant Teftamentis. Nempe mutua Coniugum teftamenta, qui liberos non habent duplici nihilominus ratione fubfiftunt. Primo, fi iunctis precibus mutuam fui inftitutionem Principi in confiftorio infinuauerint, neque eas preces Princeps refutauerit: nam vt maxime fuper hoc non refcripferit Princeps, attamen teftamentum hoc mutuum fuftinetur. Quæ fententia eft *d. l. 19 Cod. Iuft. de teftamentis*: quam etiam expreffit Valentinianus *Nouella de teftam.* 4. qui & ipfe ab eadem mente eft: Quam pluribus illuftraui *ad d. l. 6.* Secundo, fi communium liberorum ius coniuges Refcripto Principis impetrauerint: Communium inquam liberorum, quomodo etiam vocatur, *l. 9. infr. de infirm. his quæ fub Tyrannis*: Imo & in veteri Infcriptione, quæ Pifauris, *in Corp. Infcript.* CCCXXII. o. 8.

ALBIAE. C. F. BALBINAE
FLAMINICAE. PISAVRI. ET
ARIMINI. PATRONAE. MVNICIPI
PITINATIVM. PISAVRENSIVM
HVIC. ANNO. QVINQVENNAL. PETINI
PRISCI. MARITI. EIVS. PLEBS. VRBANA
OB MERITA. EORVM. . . . .
. . . . . CVI IMP. . . . .
. . . .
IVS. COMMVNE. LIBERORVM. CONCESSIT.
L. D. D.

Vbi *ius Commune liberorum* proculdubio male expreffum: fcriptum fuerat, vel fcribendum IVS COMMVNE, (id eft, communium) *liberorum.* (a) Ergo de Refcripto quo Honorius coniugibus ius communium liberorum concefferat, eft hæc *lex*: & quidem in fpecie *huius leg.* Catullino C. V. eiufque coniugi cefferat. Nunc finge, Catullinus impetratum pro fe vxoreque fua Refcriptum, quo communium liberorum ius iis tributum fuerat, in iudicio non allegauerat, forte cafu, morteque præuentus. Regulariter qui Refcriptum a Principe impetrauerat, id in iudicio edere, allegare tenebatur: vid. *tit. de denunciat. vel edit. Refcript.* Rurfum finge eum, cum ab vxore hæres inftitutus fuiffet, deceffiffe: Quæritur, vtrum id fucceffori feu hæredi eius obeffet: an vero nihilominus inftitutio illa ad hæredem eius peruenire poffet? Id quod *h. l.* afferitur: fimul & *d. l. vlt. fup. de diuerfis refcript.* adfumpta generali Regula; feu thefi, etiam ab hæredibus & pro hæredibus poffe refcripta Principis allegari, nec excludi temporibus, nec aboleri cafibus impetratum. Ad quam *legem* plura. Ee taxationem tamen feu limitationem addit *Honorius* conftitutione fua, Teftamentum fcilicet quod dixi, vt & impetratum ius communium liberorum ita firmum effe, vt tamen querelæ Inofficiofi locus fuperfit, *d. l. 6. fupr. de inoffic. teftam.* & *fine d. l. 19.* quæ vt ipfa limitatio eft *legis Theodofianæ 2. fup.* ibi: *Nifi forte minuerit derelicta*: & Valentiniani *dicta Nouella 4. verf. ne tamen*: de quo ad *d. leg. 6.* pleniffime.

(a) Vide hic ANTON. SCHVLTINGIVM *ad Vlpian. Tit.* 16. *not.* 13.

DE MATERNIS BONIS ET MATERNI GENERIS, ET CRETIONE * SVBLATA.

TITVLVS XVIII.

LIB. VI. COD. IVST. TIT. LX.

* Omiffa hæc *Rubricæ* pars *Cod. Iuft.* quia non tantum in maternis fucceffionibus, verum in omnibus Cretio poftea fublata: de quo agitur *Cod. Iuft. de iure delib. & de adeunda vel acquirenda hereditate.*

PARA-

PARATITLON.

MATERNA, Maternique generis bona, olim ante Imperatorem Constantinum M. cæterosque Christianos Principes, filiis delata, pleno iure statim patribus acquirebantur. Et ideo Cretionis necessitas incumbebat, quia pater in his bonis extraneus esset. Verum Christianorum Imperatorum constitutionibus, Constantini M. primum *l. 1. 2. & 3. h. t.* dein, Constantii *l. 4. & 5.* Gratiani & Valentiniani Iun. *l. 6. h. t.* Honorii, *l. 7. h. t.* Arcadii, *l. 8. h. t.* Valentiniani III. *l. 9. & l. vlt. h. t. & l. vn. infr. tit. prox.* ius istud accisum atque immutatum sequentem in modum fuit: Scilicet, cum de Maternis, maternique generis bonis, quæ filiis delata sunt quæritur, vel de eo iure quæritur, quod Patres superstitibus filiis in iis bonis habent, vel de eo quod Mortuis fi-
P.651 liis. Rursum cum de superstitibus filiis agitur, vel de iis quæritur, qui in potestate positi sunt, vel de emancipatis.

Primo: De bonis quæ in potestate positis liberis deferuntur, & quodnam Ius in iis bonis patres habeant filiis superstitibus, hæc constituta fuerunt. 1. In Maternis nempe bonis duntaxat, ad filios in potestate positos deuolutis, patribus proprietatis ius ademit Constantinus M. atque adeo cretionis necessitatem in his remisit, *l. 1. 2. & 3. h. t.* Quid igitur? Patres quamdiu eos in potestate retinerent, neque nouercam iis superducerent, vsusfructus ius seu dominium possessionis in iis bonis quamdiu vixissent habebant ex Constantini M. constitutione, *l. 1. 2. h. t.* vt & *l. 5.* proprietate videlicet ad liberos pertinente, *d. l. 1. & 2. h. t.* sic quidem, vt ea bona mortuo patre præcipua haberent, & a patre alienata, ab emptoribus, nulla præscriptione obstante, vindicare possent, *d. l. 1. h. t.* si vero patres Nouercam filiis suis superduxissent, vsumfructum donec minores tantum essent, filii, neque vltra, obtinerent: *l. 3. h. t.* si vero patres filios post delata his bona materna emancipassent, non iam vsumfructum amplius, verum trientem bonorum maternorum, pleno proprietatis iure, quasi pro præmio libertatis & emancipationis consequebantur, *d. l. 1. & 2. h. t.* Hæc de bonis duntaxat maternis Constantinus ita statuerat: in cæteris antiquo iure seruato: sic vt Aui materni, vlteriusque materni generis bona filiis in potestate positis delata, ad patrem pleno iure adhuc pertinuerint, atque adeo cretionis in iis amplectendis solemnitas necessaria fuerit, *l. 5. h. t.* Verum & hoc postea immutatum fuit a Gratiano & Valentiniano Iun. 2. Materni quippe etiam generis successionem (Aui inquam & Proaui materni, Auiæ, Proauiæque maternæ) filiis in potestate patris positis delatam vsus fructus tantum titulo ad patres pertinere voluit, alienandi, obligandiue ea iure adempto *l. 6. h. t.* quod etiam confirmatum postea ab Honorio *l. 7. h. t.* & Arcadio *l. 8. h. t.* qui & ideo Cretionis necessitatem, pariter vt in bonis maternis in his remisit, *d. l. 8. h. t.* Et hæc de bonis maternis, maternique generis, ita constituta fuerunt. 3. At Valentinianus Tertius tandem, etiam ea bona quæ liberis ex Matrimonio adquirerentur, patri adquiri noluit, *l. vn. inf. tit. prox.* Et sic de bonis delatis filiis in potestate positis.

Secundo; *Emancipatis* vero filiis, materna maternique generis bona si deferrentur, patrem in iis virilis tantum portionis vsumfructum habere voluit Valentinianus Tertius *l. 9. h. t.* Eademque omnia seruari voluit, si partim in potestate positis, partim emancipatis filiis materna maternique generis bona delata fuissent: *d. l. 9.* si Nepotibus, Pronepotibusque, in potestate Auorum vel Proauorum positis, vel emancipatis prædicta bona delata fuissent: *d. l. 9.* Et hæc de eo iure quod parentes superstitibus liberis in maternis, maternique generis bonis habent.

II. At si MORTVI postea, post delata inquam semel bona, fuerint liberi, olim quidem indistincte, seu sine temporis distinctione, filiorum successio ad patrem pertinebat: Verum Constantius hanc distinctionem induxit *l. 4. h. t.* Vel filii, quibus quæsita fuit successio materna maternique generis, intra sextum ætatis annum decedunt, & tum successio illa ad proximos materni generis pertinet: vel post sextum annum, & tum ad patrem iure patrio, vel ad patris genus transmittitur, *d. l. 4.* Eademque etiam obtinent in bonis ex paterno genere, vel amicis paternis: *d. l. 4. h. t.*

III. Et hæc de iure quod habent patres in bonis filiorum maternis, maternique generis. Nempe de FORMA successionis huius amplectendæ. *Cretionis* igitur solemnitas, si materna filiof. hæreditas deferretur, remissa fuit, *l. 1. 2. 4. 5. 8. h. t.* Mox & si alia materni videl.

videl. generis, *d.l.8.h.t.* Quid igitur? si filius nondum septem annorum esset, pater bonorum possessionem implorare debebat, vel qualibet alia testatione actis successionem amplecti: si vero filius *septennis* esset, suam ipse voluntatem exponere debebat, vel Edicti beneficium petere, *l. 8.h.t.*

P.632 SCHEMATISMVS *de bonis Maternis, Maternique generis, & ex Matrimonio quæsitis. Quodnam ius in his* Patres *habeant, ex Christianorum Impp. constitutionib.*

- 1. *Superstitibus* filiis: Hoc casu ita distinguendum. Vel bona illa delata fuerunt.
  - 1. *In potestate positis*, & tum pater vsumfructum tantum in his habet, quamdiu filii viuunt, Cretionis solemnitate in his remissa, siue ea sint.
    - 1. Materna quod vnum Constantinus M. constituit, *l. 1. 2. & 3.* probauit Constantius, *l. 5.*
    - 2. Materni generis: quod Gratianus & Valentinian. addidit, *l. 6.* probauit Honorius, *l. 7.*
      - Excipe: nisi pater
        - 1. *Emancipauerit* postea filium; quod facere ferme solebant, vbi filii legitimam ætatem attigissent; quo casu pater trientem proprietatis iure consequitur. *d. l. 1. & 2.*
        - 2. *Nouercam* filiis superduxerit. Hoc casu pater nudam bonorum filii tutelam habet, seu administrationem, *l. 3.*
    - 3. Matrimonialia: Quod Valentinianus III. constituit, *l. vn. tit. prox.*
  - 2. *Emancipatis*: & tum viril's tantum portionis vsumfructum in his pater habet, *l. 9.*
- 2. *Mortuis* filiis: Hoc casu ita distinguendum; vel filii illi quibus bona illa delata fuerunt moriuntur
  - 1. *Non relictis* fratribus & sororibus, & tum si mortui fuerint
    - 1. *Intra sextum* ætatis annum, bona illa pertinent ad proximos materni generis ex Constantii *l. 4.*
    - 2. *Post sextum* ætatis annum, Cretionis quoque solemnitate remissa; bona illa spectant ad patrem & proximos paterni generis, *d. l. 4.*
  - 2. *Relictis*: de eo vide *l. vlt.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. Consulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, Senatui salutem (b) dicit.

PLACVIT, (c) salua reuerentia & pietate sacris (d) nominibus debita, vt potestas quidem & ius (e) fruendi res (f) liberorum suorum in sacris (g) constitutorum in maternis dunraxar faculraribus penes patres maneat: destituendorum (h) autem liberorum (i) eis licentia derogetur. Cesset itaque in maternis duntaxat successionibus commentum (k) cretionis; (l) & res (m) quæ ex matris successione (n) fuerint ad filios deuolutæ, ita sint in parentum (o) potestate atque dominio, vt fruendi (p) pontificium (q) habeant, (r) alienandi eis licentia derogetur: nam maternum patrimonium; quod filiis in potestate constitutis obuenerit, eum patre mortuo sui iuris fuerint, præcipuum habere eos, & sine cuiusquam consortio placuit. Quod (s) si pater suum filium (t) patrem familias videre desiderans, eum *emancipauerit* repræsentare & (v) maternam debebit (x) substantiam, ita vt filius accepto munere (y) libertatis, reique suæ dominus effectus, ne videatur ingratus, tertiam partem custoditæ (z) sibi rei, muneris causa, parenti offerat: æstimatione, si res diuidi cœperint; (aa) bonorum virorum (bb) arbitrio permittenda; quam tertiam alienare quoque parer si hoc maluerit, habebit (cc) liberam potestatem. *Ante emancipationem* autem parentes, penes quos maternarum rerum vtendi fruendique potestas est, omnem debent ruendæ rei diligentiam adhibere, & quod iure filiis debetur, in examine (dd) poscere, & sumptus ex fructibus impigre facere, (ee) & licem

litem inferentibus resistere, adque ita omnia agere, tamquam solidum (ff) perfectumque dominium (gg) & personam gerant (hh) legitimam; (ii) ita, vt si, quando rem alienare voluerint, (kk) emptor, vel is cui res donatur, (ll) obseruet, ne quam (mm) partem earum rerum quas alienari prohibitum est, sciens accipiat vel ignorans: docere enim pater debet, proprii iuris eam rem esse quam donat aut distrahit: & (nn) emptori, si velit, sponsorem (oo) aut fideiussorem licebit accipere; quia nullam poterit (pp) præscri-
P.653 ptionem opponere filiis, quandoque (qq) rem suam vindicantibus. Dat. XV. (rr) Kal. Aug. Aquileiæ, (ss) Recitata apud Vettium Rufinum (tt) P.V. (vv) in Senatu, (xx) Non. (yy) Septembr. Constantino A. V. (zz) & Licinio CONSS.

INTERPRETATIO. *Legis istius reliqua pars in aliis legibus continetur;* (aaa) *hoc tantum de* (bbb) *reliquis legibus plus habet,* (ccc) *vt patres, qui filiorum res gubernare iussi sunt, negotia eorum summo studio & integritate agere procurent, vt* (ddd) *nihil per negligentiam eorum filiis pereat, sed fructus rerum maternarum sine aliqua negligentia redigi vel vendi faciant, vt ex tempore competenti, sicut lex Nouella dicit, portiones suas filii sine aliqua imminutione percipiant. Res filiorum patribus alienare non liceat, hoc est nec* (eee) *vendere, nec donare.* (fff) *Quod si fortasse præsumpserint, emptor vel qui donator accesserint,* (ggg) *grandi se sollicitudine & cura custodiant, ne filiorum res a patre venditas,* (hhh) *aut donatas accipiant, aut scientes, aut etiam nescientes. Sed compellant patrem, qui venditor vel donator fuerit, & filiorum res in sua retinet potestate, vt probet suum esse quod tradidit.* (iii) *Etiam vt suspicionem* (kkk) *suam possit abstergere, fideiussorem a patre venditore percipiat,* (lll) *qui obligatione rerum suarum damnum emptori non* (mmm) *faciat: quia* (nnn) *defuncto patre licet filiis res suas a quibuscunque personis, siue venditæ, siue donatæ a patre fuerint, in suum dominium reuocare.*

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* hinc mire interpolata est. Huius *leg.* meminit Valentinianus III. *l. 9. infr.* & Iustinianus *l. 6. §. 3. Cod. Iust. de bonis quæ liberis.* GOTHOFRED.

(b) Similis inscriptio *legis 12. sup. de Iurisdict. legis 2. sup. de libertis*: & *legis vlt. inf. de accusation.* (de qua in *Prolegomenis.*) quæ omnes inter se coaßandæ sunt. *ID.*

(c) Principium huius *legis* deest in Cod. Iust. vsque ad, *Res quæ ex matris.* *ID.*

(d) *Sacra nomina* patrum filiis: seu sacri quodammodo filiis patres: quo referri possunt quæ Simplicius *in Epictetum* scribit: de θεῷ ὑπεροχῇ τῶν γονέων καὶ τάξιν ἣν τοὺς γονέας ἔχειν πρὸς τοὺς παῖδας ἀναλογοῦν ὑπειλήφαμεν. Quodque Pisidæ, apud Stobæum *Sermon. 42. pag. 292. edit. Tigurin. 1559.* dicuntur parentibus quasi Diis libasse: quodque idem ait, *Sermon. 77. pag. 461.* parentes post Deos plurimi fieri, quasi secundos ac terrestres Deos esse, & quasdam velut Deorum imagines: τοὺς δευτέρους καὶ ἐπιγείους τινὰς θεοὺς καὶ τῶν θεῶν εἰκόνας. & Sermon. eod. pag. 457. Καὶ μετὰ τὸ θεῖον καὶ δαιμόνιον πλεῖστον τιμᾶσθαι λέγειν γονέας. Huc proxime spectat quod Vlpianus *l. 9. D. de obsequiis parent. & patronis præst.* scribit: *Liberto & filio semper honesta & SANCTA persona patris ac patroni videri debet.* IDEM.

(e) *Potestas quidem omnis fruendi,* Edit. Sich. RITTER.

(f) *Frui,* cum accusatiuo. Ita & *l. 2. sup. de Veteranis, beneficia perfruantur*: vide *Glossar.* GOTHOFR.

(g) In *sacris constituti* filii, *hic* & *l. 9. inf. h. t.* & *l. vlt. sup. de incest. nupt. l. vlt. infr. quemadm. muner. ciuil. l. quicunque 6. sup. de iis qui administr. l. 7. inf. de Decurion.* id est, in potestate constituti: vt vel hæc *lex* docet. Vide plura in *Gloss.* & Balduinum *in XII. Tabul.* ex Scæuola, vbi de *sacris priuatis.* *ID.*

(h) *Destituere,* est re aliqua priuare. *ID.*

(i) *Liberorum,* abest a Sichard. RITTER.

(k) *Conuentum,* Cod. W. *ID.*

(l) De *Cretione* fuit *sup. titulus 1. lib. 4.* vbi dixi plene: de eadem agitur *l. 1. 2. infr. h. t.* GOTHOFR.

(m) Hinc incipit *lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* *ID.*

(n) *Siue ex testamento, siue ab intestato*: add. *Cod. Iust.* *ID.*

(o) *Parentum voluntate, atque potestate vel dominio,* Cod. Goth. RITTER.

(p) *Vtendi, fruendi,* Cod. Iust. GOTHOFR.

(q) *Pontificium,* pro iure, potestate, (vt *infr.* vocatur) facultate (quam vocem *hic* substituit Tribonian.) quatuor locis *huius Codicis*, puta *h. l.* & *l. 3. inf. de fide Cathol. l. vlt. inf. de Episcop. iudicio: l. 2. Inf. de Apostatis.* De quo vide *Gloss.* & accuratam notam Iureti *in Symmach. lib. 7. ep. 17.* Vt omittam recentiora testimonia; eodem sensu *Pontificii* vox apud Gellium *1. cap. 13.* Solinum *c. 26.* Arnobium *Commentar. in Psalm. 68. Hi accipiunt Pontificium iudicandi & corripiendi.* Symmachum *lib. 3. ep. 17. lib. 7. ep. 27.* *ID.*

(r) *In diem vitæ,* add. *Cod. Iust.* Mox cætera resecata ad ea, *parentes penes quos.* *ID.*

(s) Hoc *huius leg.* caput allegat Valentinianus *l. 9. infr.* & Iustinianus, qui id abrogat *l. 6. §. 3. Cod. Iust. de bonis quæ liberis.* & *§. 2. Instit. per quas personas.* *ID.*

(t) *Filium,* abest a MS. Goth. RITTER.

(v) Id est, etiam: vel reponendum, *ei.* GOTHOFRED. *Ei,* recte legit Cod. Goth. & Edit. Sichard. RITTER.

 (x) *Habe-*

(x) *Habebit*, Cod W. *debet*, Cod. G. & Edit. Sich. *ID.*
(y) *Emancipatio*, munus libertatis. *GOTHOFREDVS.*
(z) Administratæ, seruatæ, *inf* mox tuendæ. *ID.*
(aa) Nil hic mutandum, id est, vbi ad diuisionem ventum fuerat: neque audiendi sunt, qui hic mallent, *nequiuerint*, vel *nescierint*, quasi de re agatur hic, quæ diuidi commode non potest. Sic *infr. l.* 2. faciendæ diuisionis arbitrium. *ID.*
(bb) Ita quoque *l. prox.* *ID.*
(cc) *Habet*, Ed. Sich. *RITTER.*
(dd) Id est, in iudicio, ἐν δικαστηρίῳ Basil. vide *Gloss.* Add. autem Cod. Iust. *per se, vel per procuratorem.* *GOTHOFR.*
(ee) Male *facile*, Cod. W. *RITTER.*
(ff) Est enim aliud dominium possessionis, de quo *ad l. prox.* *GOTHOFREDVS.*
(gg) *Eis adquisitum fuisset*, add. *Cod. Iust.* Forte *hic* reponendum: *dominum. ID.* *Dominum*, legit Cod. G. *RITTER.*
(hh) *Gerent*, Cod. W. *ID.*
(ii) Vide *tit. Cod. Iust. de his qui legitimam personam.* *GOTHOFREDVS.*
(kk) *Rem alienam emere voluerint*, Cod. Goth. manus recens, *alienare voluerint.* Cod. W. *alienare voluerint emptori.* *RITTER.*
(ll) *Donantur*, Cod Goth. *ID.*
(mm) *Vnquam*, Cod. Iust. *GOTHOFREDVS.*
(nn) Abest *Et* a Cod. Goth. *RITTER.*
(oo) Vide & *l. vn. sup. de fidei-ss. dot.* vbi dixi: omissa autem hic *Cod. Iust.* ista, *sponsorem, aut.* *GOTHOFRED.*
(pp) Emptor. *IDEM.*
(qq) *Quandocumque*, Cod. Iust. *ID.*
(rr) *V. Kal.* Cod Goth. *RITTER.*
(ss) *Aquileiæ* Constantinus M. constitutus hoc tempore. *GOTHOFREDVS.*
(tt) *Vettius Rufinus* P. V. fuit a die XIII Kal. Septemb Constantino A IV & Licinio IV. COSS. vt testatur vetus Auctor *Notitiæ Præfectorum Vrbis.* Eidem inscribitur Anno prox 316. Sabino & Rufino COSS. *lex* 1. *sup. de longi temp. præscript.* qui dicitur *PP. X. Id. Ian. Romæ.* Sane in *Codice* quoque *Iust.* in buius legis subscriptione add. *Sabino & Rufino* COSS. ibi: *Dat. X Kal. Aquileia Sabino & Rufino* COSS. Quare putem omnino COSS. huic *legi* subscriptos irrepsisse ex occasione sequentis constitutionis. *ID.*
(vv) PP. in nonnullis male. *ID.*
(xx) *Recitata in Senatu* lex, quæ ad Senatum data *h. l.* & *l.* 14. *sup. de Senatorib. & glebali coll.* seu Lecta, *l.* 8. 9. *sup. de Prætorib.* *ID.* Cod Wirceb. *Recitata in Senatum*, sed Cod. Goth. hic multum a librario corruptus, habet: *Recitata Aquileia secundum apud Rccium Rufinum pp. in indicanti natum Sep. Constantino Aug. & Licinio Coss* En ineptias Senatu! *RITTER.*
(yy) Nonis ergo Senatus coactus, cum ex August. instituto tantum Kalendis & Idibus cogeretur. *GOTHOFR.*
(zz) Abest nota numeral. a Cod. W. & G. *RITTER.*
(aaa) *Habetur*, Cod. Goth. *ID.*
(bbb) Præ. *GOTHOFREDVS.*
(ccc) *Habebit*, Cod. Goth. *RITTER.*
(ddd) *Vt*, abest a Cod. Goth. & Sich. *ID.*
(eee) *Vt nec*, Cod. Goth. *ID.*
(fff) *Alienare*, Cod. Goth *ID.*
(ggg) *Donator accesserit*, Cod. W. Edit Sichard. & priores Cuiac. Cod. Goth. *& emptor, vel cui res donatur accesserit* *IDEM.*
(hhh) *Comparatae*, MSS. & impressi, præter vltimam Cuiacian. *ID.*
(iii) *Tradit*, MS. W. *ID.*
(kkk) Suspicionem abstergere. *GOTHOFRED.*
(lll) *Suscipiant*, Cod. Goth. *percipiat*, recens manus. *RITTER.*
(mmm) Reficiat, resarciat. *GOTHOFR.* *Non faciant*, Cod. Goth. *RITTER.*
(nnn) *Et quia*, MSS. W. & G. *ID.*

II. (a) Idem A. Iulio Seuero, (b)

P.654 CVM ad patrem aliquid ex materna successione, interposita (c) cretione, (d) peruenerit, & ad liberos maternarum rerum successiones defluxerint, (e) ita eas haberi (f) placet in parentum potestate, vt dominium tantum possessionis (g) vsurpent, alienandi vero licentiam facultatemque non habeant, (h) vt cum ætates legitimæ (i) liberorum ad emancipationem parentes inuitauerint, & patresfamilias videre liberos suos (k) voluerint, tertiam partem maternorum bonorum eis filiis (l) tanquam muneris (m) causa offerant: quam si suscipiendam patres (n) putauerint, faciendæ diuisionis arbitrium permitti oportebit iustitiæ (o) bonorum virorum: per quos facta diuisione tertiam partem oblatam parentes ita accipient, (p) vt alienandi quoque eius patres (q) habeant facultatem, si modo vllus (r) potuerit inueniri, cui placeat hanc amplecti licentiam: *cum omnimodo filios conducat* (s) *adniti, vt pio sedulitatis affectu mereantur accipere* (t) *eam quam patribus dederint portionem.* Dat. VII. (v) Id. Sept. Mediol. Accept. Non. Octob. Constantino A. V. (x) & Licinio Cæs. CONSS. [319.]

Interpretatio. *Materna bona filiorum defuncta vxore ita pater possideat, vt vsumfructum de his habeat: sed quantum aut quandiu habeat, lex Nouella* (y) *constituit: Distrahendi tamen aut donandi ex his nullam pater habeat potestatem. Sane si filium mortua matre emancipauerit, de bonis maternis, id est, de emancipati filii portione, ipse filius* (z) *muneris causa de maternis bonis tertiam offerat portionem: quæ tamen* (aa) *in ipsius proprietate mansura est ita, vt eam pater bonis viris diuidentibus consequatur. Si tamen tantum patris nomen* (bb) *ad hoc adduci poterit,* (cc) *vt rem filiorum impia cupiditate suscipiat, aut aliis derelinquat:* (dd) *studere tamen filios decet, vt id quod parentibus causa emancipationis obtulerint, seruitio* (ee) *& pietate recipiant.*

NOTAE.

(a) Abest hæc *Lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.
(b) Hic *Seuerus* Vicarius est: cui his ipsis COSS. inscribitur *lex 9. inf. de appellat.* ID.
(c) Id est, seposita, semota. IDEM.
(d) De *Cretione* ad *l. super.* ID. *Creatione*, Cod. G. hic & in Rubric. Titul. æui huius vitio. Certe vocabuli antiquissimi significatus ita fugiebat hos homines, vti mox *creatio*, mox, *greatio*, mox aliud, in Codd. inueniam. RITTER.
(e) Id est peruenerint, deuolutæ fuerint. GOTHOFR.
(f) *Habere*, Cod. Goth. RITTER.
(g) *Dominium possessionis*, pro vsufructu: Possessio vsusfructus: *l. 3. D. si vsusfr. petatur*: Proprietas redituum, *leg. 14. circa f. Cod. Iust. de SS. Ecclesiis.* Ita dominium possessionis, *l. 1. Cod. Gregor. si sub alterius nomine, tit. 4. lib 3.* Aliud scilicet est dominium possessionis, aliud dominium proprietatis. (quod & solidum & perfectum dominium dicitur, *l. super 1.*) *l. 4. Cod. Iust. de probation. & l. 17. D. quibus modis vsusfr. amitt.* dicitur & Dominium vsusfructus *l. 15. §. 8. quod vi aut clam.* Ita Prætor dominium tribuere dicitur, id est, possessionem, *l. 1 D. de bonor. poss.* Prætor enim dominium facere non potuit, sed bonorum possessorem tantum. Verum de hoc plura V. apud Dock. Galuanum *de vsufructu, diss. 27.* GOTHOFR. *Possessoris*, Cod. Goth. RITTER.
(h) *Habens*, Ed. Sich. IDEM.
(i) *Legitima* ætas, maior 25. annis: dixi ad *l. 2. sup. de donat.* GOTHOFRED. *Ætas legitima*, Ed. Sichard. & mox *inuitauerit.* RITTER.
(k) Cod. W. *suos filios.* ID.
(l) Cod. W. Edit. Sichard. & prior. Cuiac. *eis filii*, Cod. Goth *eius filii.* ID.
(m) Muneris causa, *l. 1. sup.* GOTHOFRED.
(n) *Suscipiendam partem*, Cod. Goth. RITTER.
(o) Arbitrio bonorum virorum, *d. l. 1. sup.* Quamquam hoc Anianismum sapiat. GOTHOFR.
(p) *Accipiant*, Cod. Goth. & Edit. Sichard. RITTER.
(q) *γρ. Partis* quomodo MS habuit vbi Syllaba, *tis* aperte superest. GOTHOFR. *Partis*, legit Sichard. RITTER.
(r) Pater. GOTHOFREDVS.
(s) *Condecet*, Sichard. RITTER.
(t) *Recipere*, quomodo Anianus habet. GOTHOFR.
(v) Al. VIII. al. II. ID. Cod. W. *III.* Edit. Sichard. *VIII.* RITTER.
(x) Abest *nota numeralis* a Cod. Goth. & a Cod. W. *Cos.* dignitas. ID.
(y) Vt supr. in *interpret. l. 1.* GOTHOFRED.
(z) Cod. Goth. Edit. Sichard. & prior. Cuiac. hic addunt, *superius emancipatus.* RITTER.
(aa) *Tam*, Cod. W. ID.
(bb) *Nomine*, Cod. Goth. ID.
(cc) *Potuerit*, Ed. Sich. IDEM.
(dd) *Aut aliis derelinquere studeat, tamen filios*, &c. Cod. W. ID.
(ee) *Aut seruitio, aut gratia & pietate*, Cod. Goth. IDEM.

III. (a) Idem A. ad Seuerum (b) Com. (c) Hispaniarum.

Insinvatvm (d) est, quosdam patres principalis (e) coniugii copulatione destitutos in perniciem filiorum vltra misericordiam (f) sanguinis properare, & receptis (g) deinceps aliis matrimoniis maiorem sibi in rebus filiorum vindicare personam: *(h)* qui quoniam in his vsufructuarii remansisse (i) videntur, vsurpare ea ac peruertere confidunt, vt per hoc his qui in orbitate (k) remanserunt, nulla nec possidendi nec litigandi (l) tribuatur occasio. Ideoque placet, ne quis pater receptis (m) deinceps matrimoniis, earum rerum quæ prioris coniugis fuerunt, sibi ius defendendum existimet, nisi tutelæ vice, donec minores probata (n) ætate esse (o) videantur: His autem moderatio nostra cuncta iubet seruari atque restitui. PP. III. Kal. April. Constp. (p) Optato & Paullino conss. [334]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.
(b) Eidem inscribitur superiore Anno 333. *lex 2. inf. de fide testium, & lex 5. sup. de donat.* (quæ inter se coniungendæ sunt.) ID.
(c) De *Comitibus* Hispaniarum dixi ad *l. 14. infr. de accusat.* ID.

(d) Id

(d) Id est relatum, vide *Glossar.* *IDEM.*
(e) Id est primum: *Principale* pro primo: nam & ita inf. *prioris coniugis.* *ID.*
(f) *Misericordia* sanguinis. *IDEM.*
(g) *Receptis*, hic & inf. id est, repetitis. *Recipere*, pro reincipere, & repetere. *ID.*
(h) *Persona* pro potestate, auctoritate, pontificio, iure personali, portione. *ID.*
(i) Id est remanserunt, vt *inf. esse videantur*, id est, sint. *ID.*
(k) Id est, filiis matre orbis. *IDEM.*
(l) Id est, iudicio repetendi. *IDEM.*
(m) Id est, repetitis, vt *sup.* *ID.*
(n) Veteris iuris vestigium hic contineri nonullis videtur, quo masculorum pubertas inhonesta corporis adspectione seu corporis habitudine probabatur. Quod non puto. Ætatem quippe probari vult, non pubertatem. *Probata ætas*, pro legitima. *ID.*
(o) Id est, *sint.* *ID.*
(p) Vel reponendum hic *Cordubæ*, (quæ sedes Comitis Hispaniarum,) vel *sup.* reponendum *loco PP.* (id est, proposita,) *Dat.* *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. tres hæ sunt constitutiones de *Maternis bonis* filio in potestate posito delatis: Quodnam videl. ius pater in iis habeat filio superstite. Qua parte veteris iuris duritiem Constantinus primus emolliuit. Nempe iure veteri ante Constantinum M. sicut alia bona aduentitia (Castrensibus exceptis) filio in potestate posito delata, ita & materna patri pleno iure adquirebantur, sic vt ea pater alienare posset. Quod etiam Thalelæus *ad hanc l. lib. 45. βασιλικῶν, tit. 4.* & Accursius optime notarunt. Quorum sententia euidentissime probatur, *l. 6. §. 2. D. de adquir. hered. l. 1. §. 6. D. ad SC. Tertullianum: l. 3. §. 4. D. de donat. inter vir. & vxor. l. 1. Cod. Iust. de liberis exhib.*

Quibus nequicquam obstat *lex pen. D. ad SC. Tertull.* Quia verum est, olim quoque successionem matris filio delatam, sed commodum eius patri adquirebatur, de quo *ea l.* nihil dicitur: Imo probatur euidentissime *hac l. 1.* & *l. 2.* quæ omnino abrogatorias veteris iuris formulas aperte continent, nouique ioris indices sunt. Vide & Cretione (de qua dixi *ad tit. de Cretione, sup.*) hac in re olim opus erat: Quandoquidem in his bonis extraneus esset pater, & filii persona subducta, patris tantum cui successionis emolumentum quærebatur, persona inspiciebatur. Cæterum in extraneis heredibus tantum Cretio requirebatur teste Vlpiano *tit. 22. §. 25.* Atenim Constantinus M. vt proprietatis ius patri abrogauit, ita cretionis necessitatem remisit.

Et quidem cum præfatione honoris; *salua*, inquit, *reuerentia & pietate sacris nominibus debita.* Nempe, ne quis alioquin putaret se patriæ potestati (cuius hic olim inter alios neque postremus effectus fuit, vt omnia per filium patri adquirerentur) vel saltem pietati, ideo detractum quid velle & reuerentiæ, quæ tam sacro nomini debeatur: & ne contumaciam filiorum in patres erexisse putaretur. Cui etiam occurrit altera cautione quæ continetur *fine l. 2. Cum omnimodo*, inquit, *filios conducat adniti, vt pio sedulitatis affectu mereantur accipere eam, quam patribus dederint portionem:* de quo postea. Nempe Constantinus M. quemadmodum ab vna parte veteris patriæ potestatis duritiem ratione bonorum emolliendam putauit, ita parte altera filios in officio continere annisus est. Quod Christianæ disciplinæ temperamentum hic secutus est Constantinus: qui & cæteroquin perfractam veteris patriæ potestatis duritiem infregit. Et hac quidem parte profligata ea iniquitatis specie, qua fiebat, vt liberi a parentibus spoliarentur, vel nequitia (vt habebat vetus Interdictionis formula) vel etiam iniustitia, dum ea in alios vltro conferrent quæ natura liberis eorum destinasset & addixisset. Quam rationem suo instituto hac in re reddit eleganter *l. 6. Cod. Iust. de bonis quæ liberis: Et Inst. per quas personas nobis adquir. §. 1. 2.* Quare huic rei fibulam imponi æquum ei visum.

Ergo a *Maternis bonis* initium duxit Constantinus M. neque enim vltra, eius censura hac parte sese extulit, verum vt ipsemet bis profitetur *l. 1.* In *maternis* DVNTAXAT *bonis*, seu *facultatibus* nouum & æquabile ius induxit, quo & parentibus simul & liberis consultum esse posset. Secuti enim postea Principes hanc æquitatis speciem ad alias quoque traduxerunt, vt cæteroquin ius paulatim crescere solet: de quo postea. Constantini igitur temperamentum illud est, vt dominium bonorum maternorum penes filios, quamlibet in patris potestate positos, manere velit, soloque vt loquitur *l. 2. dominio possessionis*, de quo in *Notis* iam dixi: id est, vsufructu vniuersali eorum, penes patres quamdiu superstites sunt, relicto. Et sic Cretionis necessitate hic sublata, vt antea dixi. Sub his tamen adhuc quatuor conditionibus, & limitationibus.

Primo, vt pater omnem tuendæ rei diligentiam adhibere debeat: vt quod filiis debetur ratione bonorum illorum in iure poscat, vt sumptus ex fructibus impigre faciat, vt litem inferentibus seu ex iis bonis quid petentibus resistat, denique vt ita omnia agat tanquam solidum perfectumque dominium & personam domini gereret legitimam. Ex quo animaduertere licet, quodnam genus Vsusfructus hoc fuerit, nempe plenissimæ potestatis, plenissimæ administrationis & dominio proximæ: & quidem cum onere actionum & expensarum eorum bonorum ratione. Quod in vsufructu vniuersali obseruandum est: nempe vt commoda, ita onera omnia vsufructuario incumbere actionum mouendarum, excipiendarum, sumptuum in id faciendorum ex fructibus impigre.

Hæc prima conditio & lex est, quam huic vsuifructui posuit Constantinus M. cum alias fructuarii non teneantur impensas facere in proprietatem, nisi ad reficiendum, *l. 7. §. 2. D. de vsufructu. & quemadm.* in litem autem si de ipso vsufructu ei lis moueatur, non etiam si de proprietate. Sed non exigit cautionem a Patre Constantinus M. quod Thalelæus rursum recte hic notauit, cum alias cautio ab vsufructuario exigatur, *se boni viri arbitratu vsurum fruiturum & suo tempore restituturum.* Idque aperte Iustinianus cauit *l. 6. & l. 8. Cod. Iust. de bonis quæ liberis.* Eoque etiam aptari posset *huius leg.* Præfatio, *salua reuerentia*, &c. Quæ & ipsa aptari possit ei quæstioni, vtrum pater *Inuentarium* facere teneatur? Item vtrum male administrans remoueri possit?

Secunda conditio est; in tantum hæc bona extra dominium patris esse, vt ea alienare non possit quocunque titulo, & emptori vel donatario, siue scienti, siue ignoranti euincere, siue necessario, puta venditionis, siue voluntario, puta donationis. Quod P. 656
& ipsum statutum de materni generis bonis *l. 6. 7. inf. h. t.* eo addito, quod nec obligari possint, de quo ad *d. l. 7.* Quare alienata filium vindicare posse non obstante quacunque temporis præscriptione (Quanquam 30. annorum præscriptionem postea hac parte excepit Iustinianus *Nouell. 22. cap. 24.* Ex qua vide etiam *cap. 30. de bonis primi matrimonii filiis seruandis.*) Quare pro cautela suggerunt emptori & donatario

donatario

donatatio Constantinus, vt si securus esse velit, sponsorem aut fideiussorem a Patre accipiat, vt ita indemnis seruati possit.

Ex his duabus conditionibus collatis inter se, liquet hoc casu fallere regulam, qua dicitur, *absurdum esse, vt cui alienatio interdicitur, ei permittatur actiones exercere, l. 7. §. 2. D. de iure deliber.* Sed vitium huic Regulæ iure facit plena & quidem patris administratio, dominio proxima.

Tertia conditio est, vt si pater filium postea emancipet, vsusfructus hic amittatur, Vt pote qui iure patriæ potestatis tantum debebatur: Et sic maternam substantiam *repræsentet*, id est, in præsenti tradat filiis. Sed tamen hoc casu Constantinus M. pro Emancipationis præmio, gratitudinis ergo, & muneris cuiusdam specie, trientem seu tertiam bonorum matris partem patri tribuit, *l. 1. & 2. h. t.* Quam Constantini M. constitutionem memorat Valentinianus Iun. *l. 9. inf. h. t.* & Iustinianus *l. 6. §. 3. Cod. Iust. de bonis quæ lib.* & *§. 2. Inst. per quas personas nobis adquiritur.* Qui eam abrogat, interpolata *hac l.* vt recte indicauit Contius 1. *var. lect. 9* tributa inuicem dimidia vsusfructus bonorum: & sic vsumfructum hunc pro parte emancipatione finiri voluit, pro parte vero retineri: cum antiquo iure totum peculium aduentitium penes patrem remaneret, nisi in emancipatione pater ei donasset, *l. 1. D. quando de peculio actio annalis: l. 31. §. 2. D. de donationib.*

Cæterum pleno dominii iure hanc tertiam Constantinus M. ad patrem pertinere iubet, sic vt eam alienare quoque possit. Addita eleganti ratione: *Quod omnimodo filios conducat admiti, vt pro sedulitatis affectu mereantur accipere eam, quam patribus dederint portionem.* Nempe soluta potestate ferme euenit, vt etiam pietas frigescat. Quare vt in officio contineantur emancipati, publice omnino conducit & bonum est, vt a patribus quid illi sperare possint, idque *pro sedulitatis affectu emereri*, (id est sedulitatis officiis: quo ipso sensu Tertullianus *1. ad Nationes c. 4. nouam sedulitatem* dixit, sedulum vxoris officium vt omittam, alia de sedulitatis voce) Nempe humani ingenii vitio sedulitas ferme flaccescit, sublata spe præmii, quæ contra excitatur, si quid ab altero expectes. Quod vt alias tum ad filiorum sedulitatem & pium affectum excitandum apprime facit. Idque est quod Ambrosius dicebat *ep. 20. Vsu humano hereditatis pecuniaria gratiam facere, vt venerabiliora sint iura pietatis, quia hoc quoque plus defertur parentibus, ne læsa pietas patris vlciscatur se exhæredatione, vel abdicatione contumaciæ pignoris.*

Hoc interim loco notandum est. quod *l. 2.* dicitur, nempe cum ad ætatem legitimam, id est, maiores annos, peruenissent liberi; filios ferme a parentibus emancipari solitos, seu vt ait *ætates legitimas liberorum parentes ad emancipationem inuitasse:* Sic & Aristoteles 1. *magnorum moralium 34* scribens, filium patris quandam esse portionem, subiicit: πλὴν ὅταν ἤδη λάβῃ τὴν τῆς ἀνδρὸς τάξιν, καὶ χωρισθῇ ὑπ' αὐτῆς. *Nisi iam virilem induerit ætatem, qua ab ipso separetur.* (quamquam & minores quoque interdum & infantes emancipatos ostendit *lex 2. sup. de donationib.* vbi & de legitima ætate dixi) Nempe quia administrandis iam rebus suis sufficerent. Atque hoc sensu, *l. 1.* dicitur, *filius rei suæ dominus effectus.*

Quarta lex siue conditio vsusfructus in bonis maternis patri concessi, quam Constantinus M. apponit, hæc est, quæ continetur *l. 3.* quod si pater Nouercam filiis istis superducat, seu ad secundum matrimonium festinet, vsufructu isto penitus excidat, bonaque ea tantum tutoris vice administret, vsque quo puberes facti fuerint, quo tempore filiis & conseruentur & restituantur. Notissima ratione, quod mutato concubitu parentes a sobole deprauentur. Quam rationem hic satis aperte indicat Constantinus M. *In perniciem*, inquit, *filiorum vltra misericordiam sanguinis properare, & receptis* [id est, repetitis] *matrimoniis mariti rem sibi in rebus filiorum vindicare personam.* Hæc indicti secundis nuptiis odii causa Constantino M. fuit in hac specie: fuit & filio eius Constantio in specie *l. 1. sup. de reuocand. donat.* quæ ob eandem causam matri secundo nubenti reuocandæ donationi ob ingratitudinem a filio denegat. Fuit & Valentiniano Tertio in *sp. l. vlt. inf. h. t.* Etsi alioquin non tam facile patri secundas nuptias contrahendi pœnæ positæ fuerint, de quo *ad l. 2. sup. de secundis nuptiis.* Et vero caput hoc abrogatum a Leone & Iustiniano *l. 13. Cod. Iust. de legitim. hæred. l. vlt. Cod. eod. communia de successionib. l. vlt. Cod. eod. de maternis bonis. Nouell. 22. c. 43.* qui volunt vsumfructum patri porro constare, etsi ad secunda vota migrauerit, nouercamque filiis superduxerit. Sane moribus quibusdam hodie in Gallia veluti Bituricensi, *t. 1. art. 30.* vbi Guardiæ seu Bailliæ locus est, pater administrationem bonorum suorum habens, si ad secundas nuptias migret, vsufructu tum bonorum ad liberos pertinentium priuatur: Eadem prorsus ratione qua *hac lex* nititur.

IV. (a) Imp. CONSTANTIVS A. ad Dionysium. (b)

CRETIONIS (c) obseruantiam præcipimus remoueri, per quam filii patriæ potestati subiecti res ex materna hereditate, vel ex diuersis (d) successionibus, ad se deuolutas, antehac his in quorum potestate fuerant adquirebant; Vt intra sextum annum facultates ad se pertinentes (e) . . . . si quidem superstites (f) . . . . intra præfinitum tempus (g) . . . . ex materna hereditate vel genere (h) . . . . ad ipsos deuoluta sunt, ad proximos (i) . . . . pertineant: Quoniam priorem nostram (k) iussionem, quæ *sine temporis distinctione filiorum successiones ad patres iusserat pertinere*, æquitatis ratio corrigi persuasit. Si quis vero ex paterno genere, vel amicis paternis, quacumque ratione reliquerit, id simili iustitiæ moderamine ad patrem, aut ad patris genus pertineat; vt ex vtraque familia manantes facultates singulis quibuscunque cessisse potius, P.657 quam adepta esse videantur. Post emensum vero sextum ætatis suæ annum, adæque sine eiusdem cretionis necessitate, delatas sibi qualicunque successionis genere facultates, ad eos, in quorum potestate sunt, iure patrio transmittant. PP. Prid. Id. Mart. Heliopoli, Constantio A. II. & Constante CONSS. [339.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem ei *lex* 8. *Cod. eod. qui admitti ad bonorum possess.* GOTHOFRED.
(b) De hoc *Dionysio*, mox. *ID.*
(c) Vid *l.* 1. 2. *sup.* *IDEM.*
(d) Et deuolutas. *ID.*
(e) 1. Nouemdecim, vel Viginti literæ hic desiderantur: Sic tamen vt ante, *siquidem*, internoscam adhuc, *tinere*. Quare hanc lacunam ita suppleo, *ad patres nouerint pertinere.* *ID.*
(f) 2. Et hic totidem literarum lacuna est: quam sic expleo, *vltra eum annum fuerint, si vero.* *ID.*
(g) 3. Et hic totidem literæ desiderantur, quas ita repleo, *decesserint illa que.* *IDEM.*
(h) 4. Et hic par ferme lacuna: quam ita expleo, *vel genere diuerso successionis.* *ID.*
(i) 5. *Eorundem.* *ID.*
(k) Hæc vox *nostram* omissa in prioribus editionibus *que* tamen in *MS.* extat. *IDEM.*

V. (a) Idem A. ad Leontium (b) Comitem Orientis.

QVI se patris (c) negat heredem, defuncti aui (d) suscipere facultates non potest: maxime emancipatus, nisi per bonorum possessionem (e) ad huiusmodi beneficium (f) peruenerit: Et, quod maternus auus relinquir, patri adquiritur: Etsi legatum fideicommissumue esset solutum, (g) bonorum patris effectum est: Quod si fideicommissi dies legatiue iam cesserat, (h) ad heredes patris petitio deuoluta est. Si vero filius familias ab auo suo materno heres ostenditur institutus, patre cernere (i) iubente, filioque cernente, persona filii media (k) hereditas peruenit ad patrem; Dudum (l) * siquidem placuisse (m) .... gi temporis, in heredi (n) .... inefficax esse, adque patrib. (o) .... la sollemnitas, cretionis adq (p) ;............... excepta causa maternorum (q) .... bere certissimum est, (r) in quibus vis ac vocabulum cretionis (s) expulsum est. Nec vero dubitari potest, si prius quam legati vel fideicommissi cederet dies, aut iussu patris dicerer (t) cretionem, propriæ potestaris effectus est, arbitrio suo eundem hæc potuisse conquirere. Dat. VIII. Id April. Limenio & Catullino CONSS. [349.]

NOTAE.


(a) Ex huius *legis* priore sententia deformata est *lex* 3 *Cod. Iust. vnde liberi.* Ex postrema, *lex* 15. *Cod. eod. de iure deliberandi.* Est autem hæc *lex* proculdubio emissa ad consultationem, quod eius verba abrupta ostendunt, & ad factum se referentia. GOTHOFR.
(b) De Leontio vid. *Prosopogr.* forte hic est cuius meminit Epiphanius *hæres.* 75. Cæterum *d. Leg. C. I.* Leontius Com. R. P. male, quod etiam testatur *d. l.* 15. RITTER.
(c) *Post auum intestatum defuncti*: hæc add. Tribonianus. GOTHOFR.
(d) *Materni*, vt tota *lex* ostendit. *ID.* *Mortui aui paterni suscipere*, &c. male Tribon. Vid. *Comment.* RITTER.
(e) Contra tabulas. GOTHOFR.
(f) Separationis. *ID.*
(g) Vel etiam pure relictum, nondum tamen solutum. *ID.*
(h) Contra si non cesserat; vide finem *legis.* *ID.*
(i) De *Cretione*, vide *l.* 1. 2. 4. *sup.* *ID.*
(k) Et sic actu eius legitimo, & cretione per eum peracta, denique ministerio eius. *IDEM.*
(l) Hinc incipit noui folii lacinia in MS. *ID.*
(m) Viginti tres vel quatuor literæ arrosæ, sic tamen vt post vocem placuisse literæ P. vestigium extet, itaque repleo, *probatumque nouimus more longi* temporis. *ID.*
(n) Viginti & duæ ferme literæ arrosæ, ideoque repleo, *in hereditate solum patris imperium.* *ID.*
(o) Quatuordecim ferme literæ arrosæ, ideoque restituo, *non adquiri nisi illa.* *ID.*
(p) Sedecim ferme literæ arrosæ, quare restituo, *adque 6. n. seruata fuerit,* *ID.*
(q) Quatuordecim vel quindecim ferme literæ arrosæ, itaque repono, *in his n. vsum eos habere.* *ID.*
(r) De bonis maternis, vsusfructus titulo patri quæri, vide *l.* 1. 2. 3. *sup.* *IDEM.*
(s) Vide *l.* 1. 2. 3. 4. *sup.* *ID.*
(t) *Dicere cretionem*, est solemnia cretionis verba dicere, quæ vide apud Vlpianum *fragm. tit.* 22. §. 28. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. duæ hæ leges sunt: in quarum lacunis supplendis, tum sensu earum educendo, Delionatatore opus esset, atque Oedipo: nos lacunas quantum potuimus, suppleuimus. De sensu nunc videndum, quem non aliter eruere licet, nisi scopo vtriusque proposito.

Prior *lex* 4. est de *successione*, *seu bonis filiorum* defunctorum; eo scopo, seu fine, vt Patris, & paterno-

ternorum propinquorum hæredum in successione filii concurrentium, intra discingat: id est, Quidnam iuris pater in bonis filii eo decedente habeat, quid heredes eius: in bonis, inquam, filii, siue ea ex materna hereditate, maternoque genere promanent, siue ex paterno genere, aut amicis paternis. Hi duo scilicet fontes sunt, hæc duo ferme aduentitiorum bonorum genera, quibus filii in po-P.656 testate positi locupletantur: Ergo cum antea sine temporis distinctione filiorum successiones ad patres pertinerent, Constantius *l. 4.* ita distinguit; vel, inquit, ea bona delata fuerunt filio intra sextum ætatis annum, vel post: si inter sextum ætatis annum delata fuerunt, vel de bonis paternis quæritur, vel maternis: si de maternis tum distinguendum, an post sextum ætatis annum decesserint, & tunc ad Patres ea pertinent: an intra, & tunc ad hæredes materni generis. Si de bonis *paternis*, quandocunque filius decesserit, bona illa ad patrem, vel patris genus pertinent. Si vero bona filio delata fuerint post sextum annum, quæcumque tandem bona sint quandocunque is decedat, bona ea ad patrem iure patris transmittuntur.



Et commendat hanc temporis distinctionem Constantius ab Aequitate. *Æquitatis*, inquit, *ratio corrigi persuasit.* In paternis equidem bonis, vel paterni generis, eam distinctionem non induxit, siue ea filio delata fuissent intra sextum ætatis annum, siue post sextum: item vtrum delatis illis, intra sextum decesserint, vel post sextum. At in Maternis, maternique generis bonis, eam duplicem differentiam induxit: Nempe vt post sextum ætatis annum delata patri cederent; intra sextum delata, filio intra eundem sextum decedente, ad materni generis heredes transmitterentur: si post, ad patrem. Cur vero hæc tam diuerse, & quænam ratio harum differentiarum; delatorum inquam bonorum maternorum intra sextum ætatis annum, & post? item decedentis filii intra sextum, vel post sextum annum? Quænam, inquam, ratio Ætatis istius sex annorum? Certe septimum quemque annum ætatis signum imprimere dixit Seneca *7. de benef. c. 1.* Et post septimum quemque annum aliquid noui naturam ostendere creditum, teste Censorino *de die Natali, c. 14.* vide & Artemidorum, *2. ὀνειροκρ. c. 75.* Itaque & Stoici septimo anno seu prima hebdomada infantiam terminabant, qua ætate videlicet homini dentes cadebant, & qua plene absoluebatur integritas loquendi, teste Varrone apud Gellium *Noct. lib. 3. c. 10.* Censorin. *cap. 7.* Macrob. 1. *in Somn. Scipionis cap. 6.* Isidoro XI. *Origin. c. 2.* & sic Iurisconsulti infantium septimanam terminabant, *l. 1. §. 2. D. de admin. tutor.* Imo & *l. 8. infr. h. t.* quæ in hanc rem & expressissima est. Quare visum mihi aliquando hic loco, *sextum*, reponendum, *septum*, id est, *septimum*: Nam & ad eum annum vsque pater ipse bonor. possessionem petere debebat, *d. l. 8. infr.* Et huic sententiæ suffragari videatur, quod Constantius *initio huius legis* de Cretionis obseruantia remissa ait. Vel sane, quia ita visum Constantio Impp. infantem a sexto anno iam fari posse. Ergo quæcunque ratio sit, nondum firmis nixa radicibus in filii persona, ante eum ætatis annum bona delata videntur vsque adeo maternorum naturam semper sapere: neque propter Quinquennalem tantum, aut sexennalem forte filii educationem, bona tam cito ex vna familia in aliam ea migrare voluit. Sic familiarum tuendarum & conseruandarum in his bonorum rationem haberi voluit Constantius *l. 4. vt ex vtraque*, inquit, *familia manantes facultates singulis quibuscunque cessisse potius, quam adeptæ esse videantur.* Quod exemplum notandum hic *Regula* in foro notissimæ: *Paterna paternis, Materna maternis*: Cui & iure ciuili locus est in fratrum successione, *l. 13. §. 1. Cod. Iust. de legit. hæredib.* & *Nouell. 84. c. 1.*

Sane huc referri potest Quæstio illa, inter Bartolum & Baldum agitata, num iure Ciuili parentes diuersæ lineæ ita succederent, vt quique bona illa quæ a linea sua peruenerunt consequantur, an vero sine distinctione bonorum æqualiter succedant?

Vt vt sit hæc lex ex intima Iurisprudentia petita videtur, quam proculdubio hausit Constantius a Berytiensib. IC. quod suadent etiam *huius l.* Inscriptio, & subscriptio, quæ vtique ad Phœniciam, vbi Berytus, pertinent. Nempe Proposita hæc lex *Heliopoli*, & data ad *Dionysium*: qui Dionysius idem ille videtur, qui sub Constantino M. Comes in Syria Phœnice fuit, cui etiam inscribitur *lex 4. infr. de famosis libellis*: eademque dicitur *PP. Tyro*, quique in Synodo Tyria præsedit: de quo vide Auctorem *vita Constant. lib. 4. c. 42.* Socratem *lib. 1. cap. 28.* Theodoretum *lib. 1. c. 29.* Athanasium *Apol. 2. pag. 728. 730. 734. Tom. I. Oper. edit. Lips.* Sane & hæc *lex* in Syria Phœnice data *Heliopoli*, vbi Constantius tum erat. Imo & hoc ipso mense Martio data ad Prouinciales Fœnices, *l. 1. sup. de incestis nuptiis.* Quin & superiore mense in eadem Fœnice data Laodiceæ, *lex 9. Cod. Iust. qui admitti ad bon. possess.* Denique hoc tempore in Phœnicia positus Constantius multa de iure sanciuit, ac nominatim multas inanes verborum & rerum solemnitates abrogatum iuit; vt docet præter hanc legem, *lex 15. Cod. Iust. de testamentis: lex 21. Cod. eod. de legatis: d. lex 8. & 9. Cod. qui admitti ad bon. poss.* Neque dubito quin hæc omnia Berytiensium Iurisconsultorum suggestione, qui tum in fama erant; de quo dixi nuper *ad veterem Orbis descriptionem*, ac nominatim Anatolii Berytiensis IC. de quo Eunapius *in Proæresio, p. 150. edit. Commelin.* Et hæc de lege *Quarta*.

Quinta lex est de *Materni generis bonis* per filium patri quæsitis, quodnam ius in illis habeat filius patre mortuo, si patri hæres non existat. Finge enim filium patri hæredem non existere, sed alios hære-P.657 des

des esse: An Materni generis bona ille filius sibi vindicare poterit, petereque vt a paternis bonis separentur? definit *hac l.* Constaorinus regulariter ad hæredes patris ea pertinere, non vero vindicari a filio tanquam propria posse: Filium, inquam, nullum ius in Aui materoi facultatibus, per se patri quæsitis habere, si se patris hæredem neget, si hæreditatem patris amplecti oolit, vel si patri hæres non sit. Nempe cum id quod maternus Auus relinquir, patri adquiratur, sane consusio paternorum bonorum fit: neque hæredicas sciodi, seu pro parta hæreditas adquiri, pro parte repudiari a filio etiam hoc casu potest: quæ vulgata Iuris Regula est. Cum tamen, quæ dubitandi ratio pro filio faciebat, videretur filio coocedenda hoc casu separatio bonorum, vt per quem ea bona patri quæsita suissent, & sine cuiusquam tniuria ad suum Anctorem redire oportere viderentur.

Sed notaodum hac tempestate eo progressam veteris paternique iuris censuram, vri huiusmodi materoi generis bona per filium pleno perfectoque domini iure quærerentur, neque proprietas eorum vllo casu filio conseruaretur. Ergo filio vel repudiaoti patris hæreditatem, vel hæredi non existenri ea bona vindicare non licuit: Ac maxime emancipato. Ita enim retinenda est lrctio, quomodo etiam retinet *Cod. Iustin.* non vt Vir doctus faciebat rtanspositis verbis, *maxime nisi emancipatus per*, &c. Et hæc quidem regulariter.

Exceptionem tamen addir Constantius hoc casu, nisi hlius per bonorum possessiooem ad huiusmodi beneficium peruenerit: id est, vt accipio, nisi eemere & perperam a parre exhæredatur filius, vel frandulenter emancipatus, bonorum possessiooem contra tabulas exerceat. Cuius beoeficium seu exitus erit, vt Aui saltem materni saculiates nanciscatur. Et ita quidem Prima *huius leg.* sententia nullo negotio accipienda est: quam & Tribonianus *leg. 3. Cod. Inst. Vnde libert:* (quam hinc interpolauit) contaminauit, oeque Interpretem adhuc commodum nacta est, ne Cuiacium quidem *IV. Obsernat. 6.* & *Recit. in eam leg.* qui videre non potuerunt ex toto *huius l.* contextu, hic agi de *Aui materni bonis.*

Ergo Aui marerni bona semel cum patris boois confusa, coomixta, incorporata, ab iis separari non possunt; arque ideo cum bonorum patris effecta semel fueriot, ad hæredes patris eorum petitio deuoluta est. Cæterum confusa reuera & commixta seu iocorporaca ea esse oportet patris bonis: Finge enim legatum aut fideicommissum purum ab Auo materoo filio relictum fuisse, vel finge in diem relictum, eiusque diem cessisse patre superstite? Sane mortuo patre filius Aui materoi booa sibi relicta, verum per se patri quæsita, tanquam propria vindicare non poterit. Quæ vindicare potest duobus adhuc casibus quos excepit *hac l.* Constantius.

Primus casus est, si hæreditatem Aui materni filius nondum creuerit, etsi pater eam filium cernere iusserit: scilicet vt patri hoc casu bona materoi generis per filium adquirantur, bonisque eius commisceaotur, non satis est ei delata fuisse, imo oec satis est patrem, cum id sciret, filio iussisse, vt eam hæreditatem cerneret (sane enim non potuit olim filius f. hæreditatem adire, vel repudiare, nisi præcedente iussu patris, *l. 6. leg. 4. §. vlt. D. de adquir. har.*) sed vt hæc bona patri adquirerentur, vtrumque concurrere oportuit, & patris iussum, & filii executionem. Finge enim bonis Aui materni, nepoti quæsitis, patrem iussisse vti filius hæreditatem illam cerneret, & antequam id facerer patrem mortuum fuisse, vel filium ab eo emancipatum, denique filium propriæ potestatis effectum aotequam diceret Cretionem (id est, antequam ceroerer hæreditatem, seu verba solemnia Cretionis perageret, de quibus oota iam sunt omnia) antequam solemnitatem Cretioois obseruaret? Sane bona illa ad filium pertioent, eaque proprio arbitrio conquirere potest. Non ante scilicet in corpus & censum patrimonii versa videntur, quam actus ille legitimus perfectus fuerit: & soluui patris imperium inefficax est, ad adquisitiooem horum bonorum: quia etsi reuera patri deferatur hæc hereditas, attamen persona filii media hæreditas peruenit ad patrem, vt hic dicitur: Cretionis proinde actus hic legitimus peragi debet. Denique tempus ooo delatæ hæreditatis, verum editæ *hic* spectatur. Et hæc est huius prioris exceptionis sententia, quam etiam Tribonianus hioc transtulit in *l. 15. Cod. Inst. de iure deliberandi.*

Altera Exceptio est, si aote diem legati vel fideicommissi cedentem, filius propriæ potestatis effectus fuerit: Huiusmodi quippe legata non ante debentur, & sic non ante in corpus matrimonii redacta ceosentur, quam die legati vel fideicommissi cedente. De quo plane dixi ad *l. 18. D. de regulis iuris:* quæ huc facit, vna cum *l. 13. 14. D. quando dies legator. l. 4. D. de condit.* & *demonstr. l. 21. D. de stipul. seruor.*

VI. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Hesperium PF. P. (b)

QVEMADMODVM maternas (c) facultates venditione vel donatione transcribere in alias personas patribus non liceat, (d) ita ea quæ pater (e) matris ac mater, (f) quæque auus (g) matris aut auia (h) nepotibus pronepotibusue donauerint, siue ab intestato reliquerint, patribus alienare non liceat. Delatæ vero ab extraneis siue ex transuersa linea, facultates præterquam ab his (i) necessitudinibus (k) quas locuti (l) sumus, patribus conferant, quidquid (m) filiis positis in eorum potestate detulerint. Dat. prid. Kal. Aug. Acc. IV. Kal. Sept. Auxonio (n) & Olybrio VV. CC. CONSS. [379.]

INTERPRETATIO. *Pater, vxore mortua, filiorum bona ita possidebit, vt* (o) *ex his ei nec vendere aliquid liceat, nec donare, nec quolibet alio ordine alienare: Similiter & quæcunque aui vel proaui materni, nepotibus, pronepotibus, neptibus* (p) *proneptibusue vel donauerint, vel fortasse reliquerint, in alias personas transferre patri quolibet ordine non licebit. Sane si quid extraneorum donatione vel munere filiis* (q) *in familia* (r) *positis facultatis accesserit,* (s) *vel alii parentes quam qui supra nominati* (t) *sunt contulerint, id totum patribus adquiratur, vt faciendi ex hoc quod voluerint habeant potestatem.*

NOTAB

P.660

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Forte *huic* iungenda *lex vlt. Cod. Iust. quemadm. testam. aper.* Ad hanc *leg. & prox.* respexit Papian. *resp. tit.* 13. *GOTHOFR.*

(b) Italiæ: de quo *Prosopogr. ID.* *Ad Experium*, Cod. W. & Sichard. *ad Hisperium pfu.* male Cod. G. sed repetita vice hæc lex in hoc Cod. scripta post *leg.* 9. vbi recte, *ad Esperium* ppo. *RITTER.*

(c) Vid. *l.* 1. 2. 3. & 5 *sup.* *GOTHOFREDVS.*

(d) Ita solus W. alter MS. & impressi *licet.* *RITTER.*

(e) *Pater matris*, id est, Auus maternus. *GOTHOFR.*

(f) *Mater matris*, id est, Auia materna. *ID.*

(g) Id est, proauus maternus. *ID.*

(h) Id est, proauia materna. *ID.* Aliter hic Cod. G. *ita ea que pater matris ac materna qae auus matris aut auia nepotibus pronepotibus donauerint.* Ed. Sichard *ita ea qua pater matri, ac mater quoque uno matris, aut auia nepotibus &c.* Sed Cod. Goth in repetita lege: *ita & ea que pater matris aut auus matris, aut auia nepotibus pronepotibusue donauerint.* *RITTER.*

(i) *Aliis*, Cod. Goth. recens manu, *ab his*, quomodo etiam in repetita lege. *ID.*

(k) *Necessitudines* de Auis, Proauis. *GOTHOFREDVS.*

(l) Id est, quas supra expressimus. *IDEM.*

(m) *Quicquid filius possedit in eorum potestate*, Cod Goth. sed in repetita lege recepta est lectio. *ID.*

(n) Ausonio. *GOTHOFREDVS.* Male *Auxilio* Cod. G. sed recte in repetita lege, *Ausonio.* *RITTER.*

(o) *Vt exinde ei*, Cod. Goth. *IDEM.*

(p) *Neptibus pronepotibusue*, absunt a Cod. Goth. *IDEM.*

(q) *Ad filios in familia positis*, Cod. Goth. in repetita lege, recepta est lectio. *ID.*

(r) *Vel casu*, additum in Edit. in 4. *IDEM.*

(s) MS. W. *facultates accesserint*, MS. Goth. *facultates successerint*, recens man. *accesserint*, & ita quoque in repetita lege. *IDEM.*

(t) *Memorati*, Cod. Goth. in repetita lege *nominati.* *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

GRATIANI & VALENTINIANI Iunioris Constitutio isthæc est, cui forte iungenda & *lex vlt. Cod. Iust. quemadm. testam. aper* qua exemplo bonorum maternorum (& sic exemplo *legis* 1. 2. 3. 5. *sup.*) etiam AVORVM & Auiarum, PROAVORVM & Proauiarum maternorum bona filiis delata, a patribus alienari quocunque titulo vetantur: atque adeo vsusfructus tantum titulo ad patrem pertinere iubentur. Materna primum bona duntaxat Constantinus M. *l.* 1. 2. 3. mox & Constantius *l.* 5. *sup.* hoc iure esse voluerant.

Verum vt ius paulatim crescere solet, *l.* 11. §. 4. *D. de legat.* 3. Ita hac parte quoque creuit, ac maxime Christiana disciplina paulatim patriæ potestatis duritiem emolliente. Igitur posteaquam semel initium fecere Constantinus & Constantius a bonis maternis, non ibi stetit exemplum, vbi & cœperat. Mox enim casus quidam inducti a Constantio, *l.* 5. *sup.* quibus auorum maternorum bona filiis derelicta non patri, non heredibus eius adquirerentur. Quod nunc *hac l.* pure & simpliciter constituitur, nempe vt ea patribus alienare non liceat. Quod repetita sanctione Honorius quoque *l. prox.* constituit. Quas constitutiones intellexit Valentinianus *l. vn. infr. tit. prox.* Ergo voluit *hac l.* imperator, nonnisi delatas ab extraneis; siue ex transuersa linea facultates patribus adquiri. Verum postea Valentinianus Iun. *l. vn. inf. tit. prox.* etiam bona filiisf. ex matrimonio quæsita, patri adquiri vetuit, & quidem argumento ducto ab Auitis maternis, de quibus *h. l.* & *l. prox.* sicut *hac l.* exemplum ducitur a Maternis ad Auita. Tandem ab his omnibus exemplum duxit Iustinianus ad bona ex matrimonio quæsita, *l.* 4. 5. *Cod. Iust. de bonis quæ liberis:* & posterius *l.* 6. *Cod. eod. de bonis quæ liberis*, ad omnis generis bona aduentitia: vbi fastigium huic rei imposuit. vid. *Instit. per quas personas.*

VII. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Florentino P. V. (b)

QVIDQVID auus, auia, proauus proauia, (c) nepoti nepti, pronepoti pronepti cuiuslibet (d) tituli largitate contulerint (id (e) est testamento, (f) fideicommisso, legato codicillo, (g) donatione, (h) vel etiam intestati successione) (i) pater filio filiæue integra, (k) inlibataque custodiat; vt (l) vendere, donare, relinquere alteri aut (m) obligare (n) non possit, (o) vt (p) quemadmodum ipse super his (q) licentiam potestatis totius amittit, (r) defuncto (s) eo filio filiaue (t) præcipua conputentur, nec ab illius (v) qui ex (x) patre sunt consortibus, (y) vindicentur. Supplicandi (z) etiam in futurum contra hæc licentiam submouemus: &c. Dat. Id. (aa) Octob. Mediol. Olybrio & Probino conss. [395]

INTERPRETATIO. *Quicquid ad nepotes vel pronepotes, auorum vel auiarum maternarum munere* (bb) *testamento vel successione, aut qualibet scriptura peruenerit,* (cc) *id præcipuum, hoc est proprium post patris obitum vindicabunt, neque in coheredum* (dd) *communione mittendum est, quod auorum expressis nominatisque personis maternorum fuerit largitate conlatum.*

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust. eod. tit.* Hanc *legem* refert Consultatio vetus *c.* 7. vsque ad, *custodiat*, &c. Vbi tamen male ex *Theodosiani Cod. lib.* 9 refertur. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Florentino* huic P. V. inscribitur hoc ipso Anno *lex* 5. *sup. de Senatoribus*: & biennio proximo plures aliæ. Ad eundem extant plures Symmachi *epistolæ lib.* 4. In *Cod. Iust.* hic male editum *Præfectum Prætorio. ID.* *PF. P.* etiam male in MS. Goth. & Sichardin. Ed. *RITTER.*

(c) *Ex materna linea venientes*, add. *Cod. Iust.* Quod tamen per se satis intelligitur, vt & *initio legis 5. sup.* GOTHOFREDVS.

(d) *Cuiuslibet tituli largitate*, hæc absunt a *Cod. Iust.* aliis eodem sensu mox substitutis. *ID.* *Largitione*, Ed. Sich. RITTER.

(e) Abest a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(f) Id est, institutione. IDEM.

(g) Abest a *Cod. Iust.* *ID.* *Donato codicello*, Cod. Goth. recens man. *legato cod.* RITTER.

(h) *Vel alio quolibet titulo largitionis*, add. *Cod. Iust.* GOTHOFR. *Donationem*, legit Cod. G. RITTER.

(i) *Successionem*, Cod. Goth *ID.*

(k) *Integrum inlibatumque*, Cod. G. *ID.*

(l) *Vt*, abest a Cod. W. & Edit. Sich. *ID.*

(m) Abest a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(n) *Sicut nec materna bona*, add. *Cod. Iust.* *ID.*

(o) *Vsufructu duntaxat ad eum pertinente*, add. Tribon. *ID.*

(p) *Ita vt*, Cod. Iust. *ID.*

(q) *Rebus*, add. *Cod. Iust.* *ID.*

(r) *Habeat*, Cod. W. *habet*, prior. Cuiacian. RITTER.

(s) *Ita defuncto*, Ed. Sich. IDEM.

(t) *ve filiaue*, vt etiam habet *Cod. Iust.* GOTHOFR. *Filiaue*, MS. Goth. & Edit. Sichard. RITTER.

(v) *Illis*, Cod. Iust. GOTHOFREDVS. *Illis*, Edit. Sich. RITTER.

(x) *Ex parte*, Cod. Iust male: *ex patre*, id est, a patre, seu patris latere, ἀπὸ τοῦ πατρὸς Græci. GOTHOFRED.

(y) *Coheredes*, C. Iust intelligit autem fratres & sorores: nam extraneo coheredi non fit collatio, sed fratri consortique. IDEM.

P.661 (z) Hinc supplendus C. Iust. Recidit enim hanc sententiam Tribonianus. *ID.*

(aa) *Prid. Id. Octobr.* in veteri Consult. *ID.*

(bb) *Vel testamenta*, MS. G. RITTER.

(cc) *Deuenerit*, MS. W. *ID.*

(dd) *Heredum*, Edit. Sich. *Quo heredum*, MS. G. *ID.*

COMMENTARIVS.

HONORIANÆ huius constitotionis de Auitis bonis maternis quam Tribonianus prætulit *legi* superiori quod specialior esset, eadem est sententia quæ Gratiani *l. 6. sup.* Specialia igitur tantum & singularia in hac sectabor. Primo quod Auitorum bonurum maternorum proprietatem abiudicat patri, quocumque titulo ea filiis relicta fuerint. quod etiam voluit *lex* superior. Verum his paulo specialius modum exprimit: siue, inquit, *testamento* (quo scilicet hæredi instituto adscribitur) siue *fideicommissi*, *legato*, *codicillo*; *donatione*, *vel etiam intestati successione*. Codicillo inquam, (quod Tribonianus omisit) id est, etiam minus solemni voluntate. Ergo nullo discrimine. 1. Testamentariæ successionis, & legitimæ. 2. Nullo discrimine tituli, siue institutionis, siue legati, siue fideicommissi. 3. Nullo discrimine actus siue solemnis testamenti siue Codicilli. 4. nullo discrimine liberalitatis, siue inter viuos, siue vltima voluntate. Qui omnes modi sunt quibus res Auitæ ad filios peruenire possunt.

Secundum singulare est, quod non tantum alienare, sed nec obligare bona illa pater posse dicatur, id est, pignori, vel hypothecæ dare: quia & per hanc, ad bonorum alienationem peruenitur; quare alienationis nomine sæpe pignoris datio comprehenditur, etsi expressa non fuerit, *l. vlt. Cod. Iust. de reb. al. non alienand.*

Postremum est, quod addit, supplicandi contra hæc licentiam in futurum prohibitam esse. Nempe erant quidam ex parentibus, qui necessitate forte aliqua vrgente a Principe peterent, vt filiorum bona Auita his alienare, vel saltem obligare liceret: qua re sæpe fiebat vt miseri filii bonis suis fraudarentur. Quare noluit Honorius etiam ex rescripto Principis ea in necem filiorum alienari vel obligari, forte patre necessitates suas obligante. Verum Iustinianus postea *l. vlt. §. 5. Cod. Iust. de bonis quæ liberis:* ex inopiæ causa vendi, obligari permisit. Ex qua sane causa hac tempestate ipsos filios suos vendere patri licuit: de quo *l. vn. sup. de patribus qui filios distrax. l. vnic. sup. de his qui sanguinol.* quibus locis de eo, Libanii, Basilii, Hieronymi loca adduxi.

VIII. (a) Imppp. ARCADIVS, Honorius & Theodosius AAA. Anthemio PF. P. (b)

CERTIS annorum interuallis, in bonorum possessione maternæ hereditatis a patre poscenda, aut successione amplectenda, infantia filii ætatem nostra auctoritate præscribimus; vt siue maturius, siue tardius, filius fandi sumat auspicia, intra septem annos ætatis eius, pater aut bonorum possessionem imploret, aut qualibet actis testatione successionem amplectatur: hac vero ætate finita, filius Edicti (c) beneficium petat, vel de successione suscipienda suam exponat voluntatem. (d) Dum tamen intra annum ad impetrandam bonorum possessionem præscribtum, vterque de possessione amplectenda (e) suum prodit arbitrium. *Cretionum* † autem scrupulosam sollemnitatem, siue materna filiofamilias, siue alia (f) quædam deferatur hereditas, hac lege emendari penitus amputarique decernimus. Dat. XVI. Kal. April. Constantinop. DD. NN. Honorio VII. & Theodosio II. AA. CONSS. [407.]

NOTAE.

(a) Abest potissima pars *huiusce legis* a *Cod. Iust.* retenta tantum postrema *huius l.* sententia, quæ conlecta est in *legem, 17. Cod. Iust. de iure deliberandi.* GOTHOFREDVS.

(b) Orien-

(b) Orientis. *ID.*
(c) Id est bonorum possessionis. *ID.*
(d) *Hactenus* MS Pithœanus. *ID.*
(e) Cognoscenda. *ID.*
† Lex 1. *Cod. Iust. de iure deliberandi*, hinc interpolata est. De Cretione vide *l. 1. 2. 4. & 5. sup. h. t. & l. vn. sup. de Cretione. ID.*
(f) Materni generis. *ID.*

COMMENTARIVS.

ARCADII Imp. constitutio isthæc est (non Theodosii, vt hactenus vulgo allegatur) de modis ADQVIRENDÆ maternæ hæreditatis, vel materni generis, filio fam. delatæ. Primo obseruetur (quod vltimo tamen loco proponitur *h. l.*) *Cretionum* solemnitatem ab Arcadio penitus hac in re tolli, siue materna filio fam. siue alia quædam deferatur hæreditas materni generis. Quod iam etiam cautum fuerat in bonis maternis a Constantino M. *l. 1.* & *2. sup.* & a Constantio, *l. 5. sup.* Imo & in bonis materni generis ab eodem Constantio aliquando *l. 4. sup.* Quæ omnia ab Arcadio *hac l.* statuuntur, amputata penitus in huiusmodi hæredate filiof. delata. Neque enim, quod credere nos vult Tribonianus in *l. 17. Cod. Iust. de iure delib.* quam hinc interpolauit, Arcadius omnem Cretionis solemnitatem in omnibus hæredibus remisit: etsi ex suo sensu eam *legem* ita accipi velit ipse. Ear nunc aliquis, & Triboniani fide, hunc vel illum huius aut illius iuris Auctorem faciat. Sed recte monitum iam duplicem sensum afferendum
P.662 hodie nobis ad *leges* Corpore *iuris* inclusas: vnum primigenium, alterum ex Triboniani ipsius sensu: Quare cautius deinceps loqui velim Iuris Interpretes, qui & a Theodosio sublatam, & penitus quidem Cretionem putant: cum neque Theodosii hæc *lex* sit, neque *hac l.* omnis Cretio sublata sit: verum in successionibus filiof. delatis tantum, ea ratione, de qua *ad leg. 1. sup. h. t.* & ad *l. vn. sup. de Cretione:* vbi & de scrupulosa Cretionum solemnitate dixi.

Secundo iam igitur obseruetur, filiof. delata ea quam dixi hæreditate, satis esse, si bonorum possessio (quod etiam Edicti beneficium *h. l.* vocatur) petatur: vel etiam, si qualibet actis testatione successio suscipiatur, deque ea suscipienda voluntas exponatur, & arbitrium prodatur.

Tertio obseruetur, *Infantis* filii nomine iam olim patrem bonorum possessionem petere potuisse: quod præter hanc *leg.* expresse testatur *lex 3. Cod. Iust. qui admitti ad bonorum possessionem:* & *lex vn. sup. de Cretione:* Et quidem ita, vt nisi pater petisset, decedente postea filio non succederet: quod abrogatum tamen *ad l. vn.* (quæ coassanda est *duabus legibus prox. huius tituli.*) Atenim ipsummet iam filium vel hæreditatem cernere, vel bonorum possessionem petere oportuisse. Quod postremum quoque indicatur *l. 1. C Iust. ad SC. Tertull.* eodemque pertinent *lex 5. D. de R. I.* & *lex 9. D. de adquir. hæredit.* quæ inter se coassandæ sunt. Vtrumque confirmatur & *l. 18. Cod. Iust. de iure delib.* quæ *duabus sequentib. legib. h. t.* coassanda venit.

Verum, quod Quartum (& quod potissimum *huius legis* argumentum est) Ætas hæc *Infantiæ* hac in re olim non certis annorum interuallis circumscribebatur, eo quod alii maturius, alii vero serius fandi auspicium sumerent. Quare determinata infantis hæc ætas non erat: Verum *hac l.* Arcadius certis annorum interuallis in bonorum possessione a patre vel filio ipso poscenda, infantis ætatem præscribit, intra septimum videl. annum: sic vt intra eam ætatem pater bonorum possessionem petat, & post eam ætatem ipsemet filius. Quod & ipsum deinde constitutum: *d. l. 18. Cod. Iust. de iure delib.* Quomodo scilicet pubertas olim non certis annorum interuallis circumscribebatur, eo quod alii serius, alii maturius pubescant; postea vero circumscribi cœpit. Ita quoque hac parte in infantis ætate circumscribenda euenit: quod vtique satius, quam si incerto iure agatur. Ergo infantis ætatem septimo anno circumscribit Arcadius *hac l.* Quæ & ipsa olim Vlpiani sententia fuit *l. 1. §. 2. D. de administr. tutar.* & Modestini *l. 14. D. de sponsal.* si fides Triboniano: nam imo vtrobique emblemati Triboniani accepto ferendum id est. Et sane cum passim in Iuris consultorum *legib.* mentio fiat eius qui fari non potest, vel potest, ætas tamen certa non exprimitur: velut *d. l. 5. D. de R. I. l. 1. Cod. Iust. ad SC. Tertull. l. 9. D. de adquir. hæredit.*

Sane si ad Philosophos itur, & Stoicorum iam olim sententiam, ipsi vt cæteroquin septimum quemque annum ætati adsignare seu imprimere voluerunt, vt Seneca dixit *7. de benef. 1.* Ita hanc Infantis ætatem prima ætatis hebdomada definiuere, quod ea dentes homini cadant, mox renascantur, verba homines dicant antequam suo loco ea dicere possint, siue non loquantur, sed vt loquantur: Qua de re sunt notissima iam loca Varronis, *5. de lingua latina pag. 39. edit. Gothofred.* Censorini, *de die natali cap. 7. & 14.* Artemidori *2. ὀνειροκ. 75.* Addatur & hic Aristophanis locus ἑπταέτης ὢν ὀδόντας οὐκ ἔφυσεν. Iuuenalis quoque *14. Satyr. v. 10.*

- - - - Cum septimus annus
Transierit puerum, nondum omni dente renato.

Post hanc sane *legem* exerte iam Macrobius *1. in somnium Scipionis, c. 6* *Eodemque anno, id est, septimo*, inquit, *plene absoluitur integritas loquendi:* videatur & Isidorus *XI. Originum 2.* & Græci interpretes ἀνήπιος ὁ ἑπταέτης καὶ ὁ ἥττων τῶν ἑπταετῶν.

Quinto obseruetur Tempus petendæ bonorum possessionis, nempe intra annum bonorum possessionem peti oportere. Liberis scilicet annus hac parte datus etiam olim: Vlp. *fragm. t. 28. §. 10.* & *Iust. de bonor. poss.* &c.

IX. (a) Impp. Theodosius & VALENTINIANVS AA. ad Senatum Vrbis Rom. Post alia.

SIVE (b) vxor intestata (c) defecerit, superstitibus communibus filiis in patria potestate degentibus, vtitur maritus prisco beneficio iuris ac legum, circa vsumfructum retinendum, quandiu filii in potestate consistunt, aut in præbenda (d) aliis liberalitate circa trientem sibi ex Constantinianæ † legis beneficio conquirendum. Si vero viua matre emancipati sunt filii, tunc demum quia (e) omni commodo destituitur (f) pater, nec retinet vsumfructum virilis (g) ei inter filios, seu vnus seu plures sunt vsusfructus tribuimus portionis. Si vero mulier moriens alios ex filiis emancipatos a patre, (h) alios in patria potestate dimiserit,

ferit, in casu dispari vtitur (i) maritus defunctæ beneficio, quod casui vtrique perscribimus, (k) id est circa eorum quidem portionem, quos adhuc in sacris retinet vsumfructum ex legum auctoritate tenebit (l) & præmium (m) debitæ cum volet (n) emancipationis accipiet: In eorum vero parte, (o) quos exisse de potestate viua matre constiterit vsumfructum virilis (p) inter eos portionis secundum præscripta (q) percipiet. In Nepotibus etiam vel neptibus hoc obseruandum esse censemus, (r) vt maritus, qui vxore mortua, extantibus (s) filiis, cum solis nepotibus vel neptibus ex hac lege ad emolumentum vocandus est, si vnus vel vna, pluresue nepotes ex filio vno vel pluribus qui in potestate defecerunt, (t) procreati sunt, hoc iure vtatur, quod de filiis constitutum est: nam licet hoc nouum præsens Lex constituat in nepotibus, (v) non est tamen (x) abre, vt in hoc (y) casu deteriores esse nepotibus filii non sinantur. Habeat igitur auus veniens cum nepotibus in potestate durantibus vsumfructum bonorum omnium, quæ ex defunctæ auiæ successione delata sunt. Cum vero iis (z) quoque libertatem emancipatione largitur, similiter &
P.663 ab ipsis, sicut de filiis constitutum est, trientem (aa) pro præmio manumissionis (bb) accipiat: vel si ex pluribus alteros manumittit, alteros retinet, ex parte manumissorum trientem, ex parte vero in potestate manentium retineat vsumfructum. Quod si nepotes sint, neptesue, aut ex emancipato filio, aut ex filia procreati, aut ex (cc) ipso in sacris (dd) auia viuente dimissi, idem auus virilis (ee) cum ipsis portionis habeat vsumfructum. Si vero ex nepotibus neptibusue tempore quo in auiæ successionem (ff) vocantur, alii in aui sunt potestate, id est mariti defunctæ, alii sui iuris sint, circa personam quidem eorum qui in potestate consistunt, & in vsufructu (gg) consequendo, & in trientis ex emancipationis præmio conquirendo ratio supradicta seruetur. In his vero qui sui iuris sunt, facultas capiendi vsus fructus virilis (hh) inter eos portionis habeatur. Eadem autem & de pronepotibus sexus vtriusque sancimus, manente definitione. (ii) quæ de singulis sancta (kk) est, si filii sint pariter ac nepotes &c. Dat. VII. (ll) Id. Nou. Rau. DD. NN. Theodosio XII. & Valentin. II. AA. CONSS. [426.]

INTERPRETATIO. *Vxor si superstite marito defecerit, & omnes filios in patris potestate dimiserit, pater de maternis filiorum bonis vsumfructum habeat, vsque ad illud tempus, quod lex* Nouella (mm) *constituit. Quod si post matris obitum filios* (nn) *vel filium pater emancipauerit, de eorum portionibus, quos liberos facit, trientem a filiis pro collata libertate percipiet,* (oo) *iuri suo* (pp) *perpetuo vindicandum. Quod si superstite matre pater filium* (qq) *vel filios emancipauerit, quia non potest matre viua de filiorum portionibus vindicare tertiam portionem, necesse erit vt post matris obitum, si superstes pater fuerit, a singulis emancipatis filiis virilem, id est de vno mediam, de duobus tertiam, de tribus quartam percipiat portionem in vsumfructum, quoadusque* (rr) *vixerit, possidendam.* (ss) *Quod si aliqui filii viua matre a patre emancipati fuerint, & aliqui fortasse non fuerint, circa emancipatos, vel non emancipatos eadem, quæ superius comprehensa est, a patre forma seruetur. Quod si mortua vxore filii non fuerint, & neptes* (vv) *vel nepotes ex filiis auus paternus habuerit, qui omnes in aui potestate consistunt, eadem quæ de filiis, & circa nepotes in omnibus forma seruetur. At vero si aliquos ex ipsis nepotibus auus emancipare voluerit, tertiam similiter partem* (xx) *sicut & de filiorum partibus accipiat portionem: nam & de pronepotibus similiter obseruari* (zz) *lex ista constituit.*

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Quibus autem *legibus* hæc coniungenda sit; dicam in *Interpretatione*. *GOTHOFRED.*
(b) *Si vxor*, MS. W. & G & Edit. Sichard. *RITTER.*
(c) *Intestato*, Cod. G. *ID.*
(d) Vel reponendum hic, *a filiis*, vel pro *liberalitate*, scribendum *libertate*, quod Anianus suadet. *GOTHOFRED.* Vtramque viri beati coniecturam firmant Codices mei, W. enim legit, *in prabenda filiis liberalitate*, & G. *in prabenda filiis libertate*. Sichard, *in prabenda filiis liberalitate*, quomodo etiam habent Cuiacian. omnes. Fere mutassem lectionem, restituta illa, quæ est in Parisina vltima, (ad quam expressum Exemplar Maruillianum) nisi hic nostri aliam forte ex Cod. Reg. lectionem animaduerterem, quam tamen nec ipse probabat. *RITTER.*
✝ *L. 1.* sup. intelligit. *GOTHOFREDVS.*
(e) *Cum omni*, Cod. Goth. Ed. Sich. *quoniam omni*. *RITTER.*
(f) *Destituetur*, Cod W. & Ed. Sichard & prior. Cuiac. *ID.*
(g) *Viriles*, Cod. Goth. & mox, *vsusfructus portiones*. *ID.*
(h) Vide *l. 1. sup.* & *inf. vers quod si*. *GOTHOFREDVS.*
(i) *Vtetur*, Ed. Sichard. *RITTER.*
(k) *Præscribimus*, Ed. Sichard. *ID.*
(l) *Retinebit*, Codd. W. & C. & impressi omnes, præter vltim. Paris. *ID.*
(m) Trientem: vide *d. l. 1.* & vide *inf. vers. cum vero*; & *inf. vers. si vero*. *GOTHOFR.*
(n) *Voluerit*, C. Goth. *RITTER.*
(o) *Partem*, Cod. Goth. *ID.*
(p) *Viriles*, & mox *portiones*, Cod Goth. *ID.*
(q) *Præscripturam*, Cod. Goth. *perscripta*, prior. Cuiac. *ID.*
(r) *Censuimus*, MS. G. & Ed Sich. *ID.*
(s) *re. non extantibus*: Quod Aniani Glossa edocet. *GOTHOFRED.* *Non extantibus*, legit Edit. Sich. Cod. Goth. *Instantibus filiis*. *RITTER.*
(t) *Defecerint*, Ed. Sich. *ID.*
(v) *In nepotes*, MS. W. & G. Sichard. & prior. Cuiacian. *ID.*

(x) *Tamen*

(x) *Tamen habere*, Cod. G. recens man. *ab se. ID.*
(y) *Vt in statu vel in occasu*, Cod. G. *ID.*
(z) *His*, MS. G. *hiis*, Ed. Sich. *ID.*
(aa) *Triantem*, MSS. W. & G. *ID.*
(bb) Vide *sup. vers. si vero*, & *inf. vers. si vero.* GOTHOFR.
(cc) *Ab ipso*, MSS. W. & G. & Edit. Sich. RITTER.
(dd) Vid. *leg.* 4. *supr. de incest. nupt. ID.*
(ee) *Viriles portiones*, Cod. Goth. Edit. Sich. *Viriles eum ipsis portiones habeat & vsumfructum. ID.*
(ff) *Successionem.* Edit. Sich. *ID.*
(gg) *Vsumfructum consequendum*, Cod. Goth. *ID.*
(hh) *Viriles inter eos portiones habentur*, Cod. Goth. *ID.*
(ii) *Menente definitionem*, Cod. W. *ID.*
(kk) *Sancita*, Cod. Goth. *ID.*
(ll) *XIII.* Cod. G. *ID.*
(mm) *Nouellarum*, Cod. Goth. *IDEM.*
(nn) *Filium vel filiam*, Cod. Goth. *filios vel filias*, Sichard. & prior. Cuiac. *IDEM.*
(oo) *Percipiat*, Cod. Goth. *IDEM.*
(pp) *Iure suo*, Cod. Sich. & prior. Cuiac. *ID.*
(qq) *Filium vel filiam.* Cod. Goth. *IDEM.*
(rr) *Quousque aduixerit*, Cod. Goth. *ID.*
(ss) *Possidendam*, Cod. Goth. *ID.*
(vv) *Et nepotes vel neptis*, Cod. Goth. *ID.*
(xx) Abest a MSS. W. & G. *ID.*
(zz) *Obseruare*, Cod. Goth. *ID.*

X, (a) Idem AA. ad Senatum. Post alia.

SI (b) sine liberis vnus vel vna morietur e (c) filiis, & superstitem fratrem vel fratres, sororem vel sorores, & patrem relinquat, siue is emancipatus, siue in potestate defecerit, eius portionem, quam ex bonis maternis, vel vnde (d) iure quæsiuerit, pater sine dubio consequatur, iure dominio possidendam. Quod (e) si nouercam superduxerit, ea quidem quæ filius defunctus extrinsecus adquisierat, sibi habeat pater, perpetuo (f) iure dominii possidenda: Bonorum vero ex matris patrimonio filio qui defunctus est quæsitorum (g) solum vsumfructum retentet, (h) ad alios (i) ex eodem matrimonio natos post eius obitum proprietate reditura: (k) Et si ante mortem filii domum secundis nubtiis occupauit, (l) similem casum (m) sequatur, vt filio extrinsecus adquisita perpetuo iure possideat: maternarum autem rerum eius solum vsumfructum retentet. (n) Quod (o) si filius filiaue extantibus liberis adhuc positi (p) in potestate defecerint, portionis eorum totius solum vsumfructum morientis retentet, (q) nepotibus, id est defuncti filiis proprietate seruata. Si vero nepotes tempore mortis maternæ extra aui sint potestatem, ipsi illico in patris sui matrisue successionem vocentur, (r) & cetera. Dat. VIII. (s) Id. Nou. Rau. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. CONSS. [426.]

INTERPRETATIO. *Si amissa matre, patre superstite, vnus vel vna de filiis siue emancipatus, siue non emancipatus sine filiis moriatur, pater* (t) *mortuo filio in totam illius portionem iure succedit. Quod si aliam vxorem duxerit, hæc quæ de maternis bonis mortuus filius derelinquit,* (v) *pater vsufructuario tantum ordine possidebit. post eius obitum ad fratres mortui, ex eodem matrimonio natos, quod ille de maternis bonis habuit, reuertatur. Aliunde vero filio qui moritur adquisita, in proprietate patria* (x) *resideant. Quod si filius vel filia, viuo patre habentes filios* P.664 *moriantur* (y) *pater res nepotum, sicut filiorum, iure vsufructuario retinebit. Si vero hii qui moriuntur, emancipatus vel emancipata moriantur, in portionibus eorum in integrum filii sui sine vlla aui potestate succedant.*

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Inst.* Quibus autem ea iungenda sit? dicam mox in Interpretatione. GOTHOFREDVS.
(b) *Primum* caput de concursu Patris cum fratribus defuncti. *ID.*
(c) *Moriatur ex filiis*, Cod. Goth. & Edit. Sich. RITTER.
(d) *Vnde vnde.* GOTHOFREDVS. *Vnde vnde*, Edit. Sichard. Cod. Goth. *vel inde cumque iure.* RITTER.
(e) *Secundum* caput de Patre qui secundas nuptias contraxit. GOTHOFR.
(f) Cod. W. & G. & Edit. Cuiac. prior. *& perpetuo iure dominii possideat.* Edit. Sichard *perpetuo iure dominioque.* RITTER.
(g) *Inquisiturum*, Cod. Goth. *inquisitorum*, Edit. Sich. *quæsiturum*, Cuiac. prior. *ID.*
(h) *Solum volumus vsumfructum retineat*, Cod. Goth, *ID*
(i) *Ad alios filios*, Cod. W. Ed. Sich. & prior. Cuiac. Cod. Goth. *& ad alios filios. ID.*
(k) *Proprietas reddatur*, Cod. Goth. *ID.*
(l) *Occupauerit*, Cod. Goth. *ID.*
(m) *Causam.* Edit. Sichard. *ID.*
(n) *Retentant*, Cod. W. & prior. Cuiac. Cod. Goth. *retineat. IDEM.*
(o) *Tertium* caput huius *legis* de concursu Aui cum nepotibus GOTHOFREDVS.
(p) *ve positis* nam ita mox *infr.* si vero nepotes tempore mortis maternæ extra Aui sint potestatem. *ID.*
(q) *Retineat*, Cod. Goth. RITTER.

(r) *Successione reuocentur*, Cod. Goth. *ID.*
(s) *vg.* VII. vt *leg. super.* & aliis. *GOTHOFR.*
(t) *A patre mortuo*, Cod. W. & mox, *succeditur*, Cod. Goth. autem *succedat.* *RITTER.*
(v) *Dereliquit*, Cod. Goth. *ID.*
(x) *Patris.* Sichard. & prior. Cuiac. *ID.*
(y) *Moriatur.* Cod. W. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Tertii, Placidiæ filii, qui hoc tempore octennis tantum erat sunt hæ duæ *leges*: quæ partes sunt prolixissimæ Constitutionis (vt diserte etiam vocatur *l. vn. sup. de Cretione*: & *l. 3. Cod. Iust. de legib.*) Valentiniani huius ad Senatum Vrbis Romæ; cuius duo summa capita fuerunt. Priore quidem is recensum Iuris & Constitutionum instituerat, vt apparet ex *l. vn. sup. de respons. prudentum*: *d. l. 3. Cod. Iust. de legib. l. 7. Cod. eod. de precib. Imp. offer.* Secundo vero capite, de Bonis Liberorum, Iureque Parentum in his prolixe cauerat. Ac *primo* quidem quid facto opus sit, si infanti vel pupillo filio delata fuerit hæreditas, *l. 18. Cod. Iust. de iure delib.* Secundo, Quod ius pater habeat in bonis liberorum. Et primo quidem in his quæ a se profecta sunt; quando videl. & quomodo pater donationem a se factam ob ingrati vitium reuocare possit, *l. vlt. sup. de reuocand. donat.* Deinde quod ius habeat in bonis filiorum ex matrimonio adquisitis, *l. vn. inf. tit. prox.* Quod ius habeat in bonis maternis, & materni generis pater superstitibus seu viuis filiis, *l. 9. h. t.* Quo iure patres liberis mortuis succedant, num etiam his succedant si eorum nomine non creuerint hæreditatem filiis delatam, vel bonorum possessionem eorum nomine non petierint? *l. vn. sup. de Cretione* Quomodo succedant liberi in concursu cum fratribus defuncti? item si nouercam superduxerint, denique in concursu cum liberis defunctis filii? *l. vlt. h. t.* Et hæc de Patre. De Matre, quando & quomodo liberis succedat? agit *lex 8. sup. de legitimis hæreditat.* & *l. 11. Cod. Iust. de suis, & legitim.* Et hæc quidem fuit continentia Orationis Valentinianeæ ad Senatum Vrbis Romæ: vnde *hæ duæ leges* desumptæ sunt, & *decem* insuper illæ, quarum argumentum iam edisserui, quæque omnes his *duabus* coassandæ sunt, ceu ex eadem oratione desumptæ. Nunc de duabus his sigillatim, & breuiter quidem.

Ergo *priore lege 9.* definitur. Quodnam ius Patres vel Aui habere debeant in bonis maternis & materni generis, quæ delata sunt filiis: Nempe in iis quæ delata sunt filiis in potestate positis, si eos in potestate retineant, vsumfructum bonorum eos habere, si vero postea emancipent trientem bonorum pleno iure consequi, confirmata hac in re Constantini M. constitutione *l. 1. 2. sup.* si vero bona delata fuerint filiis iam emancipatis viua matre, vel Auo materno, virilis perceptionis vsumfructum patri cedere. Eademq; omnia obseruanda si filii partim in potestate positi, partim emancipati sint: vt singulorum ratione quæ superius statuta separentur. Rursum eadem omnia dicenda sunt circa bona nepotibus vel pronepotibus delata: sub eadem semper distinctione. Et hæc quidem sententia est λογοδαιδάλου constitutionis nonæ.

Posterioris *legis*, quæ vltima est, *hoc titulo*, sententia hæc est. *Primo*, Patrem cum fratribus vel sororibus defuncti filii, ei succedere pro virili portione pleno proprietatis iure. *Secundo*, si nouercam superduxerit liberis, siue post, siue ante obitum filii, de cuius bonis agitur, in extrinsecus quidem quæsitis plenum dominium portionis suæ habere, in maternis solum vsumfructum proprietate salua, exteris liberis seu fratribus defuncti. Quæ quidem pœna secundis nuptiis posita a Valentiniano III. in *hac sp.* vt in simili, in eodem argumento maternorum bonorum, Constantius *l. 3. sup.* vindixi.

Postremo legis vltimæ *capite* Valentinianus quoque definit, quid iuris habeat pater in bonis filii decedentis relictis liberis in potestate sua positis, nempe vsumfructum pariter omnium bonorum, nullo iure patribus concesso, si extra eorum potestatem fuerint constituti.

P. 66.

DE BONIS QVÆ FILIIS FAMILIAS EX MATRIMONIO ADQVIRVNTVR.

TITVLVS XIX.

LIB. VI. COD. IVST. TIT. LXI. Vbi *Titulus* ita extat: *De bonis, quæ liberis in potestate patris constitutis, ex matrimonio, vel alias acquiruntur, & eorum administratione.* Qua mutatione nil opus erat: *Filiifamilias* enim iidem sunt cum liberis in potestate patria constitutis.

Ex

Ex MATRIMONIO *quæsita filiisfam. bona, patribus non adquiri.*

I. (a) Impp. Theod. & VALENTINIANVS AA. ad Senatum. Post alia.

CVM venerandæ (b) Leges + vetuerint, patribus iure poteſtatis conquiri, (c) quidquid eorum filiis auus auia, proauus proauia, alio (d) modo a linea materna veniente, (e) quocumque titulo contuliſſent, (f) hoc quoque conuenit obſeruari; Vt quidquid vel vxor (g) marito non emancipato, vel maritus vxori (h) in poteſtate poſitæ, quocumque titulo vel iure contulerit, ſiue tranſmiſerit, hoc patri nullatenus (i) adquiratur: adque ideo in eius tantum cui delatum eſt, iure durabit: & cetera. Dat. VII. (k) Id. Nouemb. Rauen. DD. NN. Theodoſio XII. & Valentiniano II. AA. CONSS. [429.]

INTERPRETATIO. *Sicut id quod auus vel auia materna nepotibus pronepotibus poſitis in patris poteſtate donauerint, patri non adquiritur, ita & quidquid maritus vxori, vel vxor marito in patris poteſtate poſitis donauerint, aut teſtamento dimiſerint, id ad patris dominium minime pertinebit, ſed hoc ſibi filii ad integrum vindicabunt.*

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Inſt. de bonis quæ liberis*, &c. Meminit huius legis Theodoſius Iun. Valentiniani collega *l. 2. 3. Cod. Inſt. de bonis quæ liberis*: & Leo Imp. *l. 5. eod. tit.* Meminit & Papianus, *Reſponſ. t. 23.* Quibus autem ea *Legibus* iungenda ſit, iam dictum eſt ad *duas* poſtremas ſuperioris tituli *leges*, quæ & ipſæ de earum numero ſunt. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Venerandæ* leges. v. *paratitl. de Conſtit. Principum. ID.*

† Conſtantini M. *lex 1. 2. 3.* Conſtantii *l. 4. 5.* Gratiani & Valentiniani potiſſimum *lex 6. ſup. tit. prox. ID.*

(c) *Conquiri*, pro adquiri: vt mutatum *Cod. Inſt.* quod factum non oportuit. Sic quoque apud Symmachum *lib. 2. ep.* 84. & alibi. *IDEM.* *Adquiri*, Cod. Goth. & Edit. Sich. *RITTER.*

(d) *Alioue modo.* Abſunt hæc a *Cod. Inſt.* *GOTHOFREDVS.* Abſunt etiam a Cod. Goth. & Edit. Sichard. *RITTER.*

(e) *Venientes.* C. Iuſt. *GOTHOFRED.* Hanc lectionem habet MS. G. *RITTER.*

(f) *Contulerint.* Cod. G. *ID.*

(g) Idem in ſponſo & ſponſa, *l. 5. Cod. Inſt. de bonis quæ liberis.* *GOTHOFREDVS.* Male W. MS. *vxori.* *RITTER.*

(h) *Vxoris*, male Cod. Goth. *IDEM.*

(i) Dominii ſcilicet, vel proprietatis iure. *GOTHOFR.*

(k) *IV. Kal. Non.* male Cod. G. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Tertii, Placidiæ F. hæc conſtitutio eſt quæ extat *l. 1. C. Inſt. de bonis quæ liberis*, cuius meminit quoque Theodoſius Iun. Valentiniani in Imperio Collega; *l. 2. & 3. Cod. Inſt. d. tit. de bonis quæ liberis*: vt & Leo Imp. *l. 5. Cod. eod. tit.* quæ omnes cum *l. 4. eiuſdem tituli*, ad *huius leg.* interpretationem pertinent.

Eſt autem ea, pars, ſeu *capitulum*, (quomodo vocatur *d. l. 2. Cod. Inſt.*) prolixioris Valentinianeæ Conſtitutionis, ſeu Orationis ad Senatum vrbis Romæ emiſſæ: cuiuſmodi Orationes *hoc Codice* plures occurrunt, de quibus ſemel *in Prolegomenis*: & in *Paratitlo, de conſtitutionib. Principum.* Eſt inquam hæc lex *Valentiniani*, vt ex ſubſcriptione patet, in qua hæc lex *Rauennæ* data dicitur: quanquam Leo Imp. *d. l. 5.* eam *Theodoſii & Valentiniani* conſtitutionem vocat: quia ſcilicet vtriuſque nomina pro more tum recepto inſcriptio *legis* præferre & communi ferme conſilio imo ſolius ferme Theodoſii imperio, cum Valentinianus hoc tempore Octennis tantum eſſet, omnia peragerentur, ſic vt non minus Theodoſio, quam Valentiniano ea re adſcribi hæc Oratio & Conſtitutio poſſit.

Cuius quidem Orationis, quod & ipſum præ-noſci oportet, vndecim præterea capitula extant, quæ ad duo ſumma capita referuntur: Quorum p. 666
priore continetur *ἀνάκρισις* iuris, quo pertinent quinque *leges*: puta *lex vn. ſup. de Reſponſis prudentum*: *l. 2. 3. Cod. Iuſt. de legibus*: *l. pen. Cod. eod. ſi contra ius*: *l. 7. Cod. eod. de precib. Imp. offerendis*: Poſteriore actum de iure patrio & materno: quo ſpectant *ſeptem aliæ leges*: præter hanc leg. *lex vn. ſup. de Cretione*: *l. 8. de legitim. heredit. l. pen. & vlt. ſup. de maternis bonis*: *l. vlt. de reuoc. donat. l. 18. Cod. Iuſt. de iure deliber.* Quæ *leges* omnes ceu eiuſdem Orationis partes *huic* coaſſandæ ſunt. Ac nominatim ibi diligentius cautum, quid iuris parentes in bonis, quæ liberis adquirunt, habeant. De bonis maternis & materni generis actum fuit aliis *capitibus*.

Hoc capite (vt ad eius ſententiam accedamus) agitur de bonis quæ filiis familias, ſeu liberis in poteſtate patria conſtitutis ex matrimonio adquiruntur: Qui Titulus *huic legi*, hoc *Codice*, & *Iuſtin.* præfixus eſt. Et continet hoc *capitulum* iuris incrementum ſeu argumentum & extenſionem a bonis maternis, & materni generis, ad bona ex matrimonio adquiſita. Igitur, quemadmodum exemplo mater-

maternorum bonorum, de quibus fuit iam olim Constantini M. *lex 1. 2. 3. sup. de bonis maternis:* & Constantii *lex 4. 5. eod. tit.* materni quoque generis bona quæcunque, patri, dominii iure adquiri vetuerunt Gratianus & Valentinianus *l. 6. eod. tit.* & deinceps Honorius (non Arcadius, vt Cuiacius voluit) *l. 7. eod. tit.* seu *l. 2. C. Iust. eod.* ita hoc capitulo Valentinianus III. bona quoque (*hoc quoque*, inquit lex, *conuenit obseruari*) filiis familias ex matrimonio adquisita patribus dominii iure adquiri vetuit: tertio pedato & incremento, quomodo ferme ius paulatim crescere solet, & incrementum capere, & hac quidem parte, hoc æuo, quod ἄκρον & præfractum patriæ potestatis ius magis magisque exolesceret: ac nominatim in hac specie, fauore matrimonii: Nam etsi matrimonio, filii filiæque quod hæc ipsa *lex* testatur, non emanciparentur, seu iuris sui non efficerentur, attamen eius occasione quæsita non eodem iure haberi oportere visum fuit, quo cætera. Igitur, quidquid vxor marito in potestate patris posito, quidquid maritus vxori in potestate positæ quocunque titulo vel iure *contulisset*, veluti donatione; vel *transmisisset*, testamento scilicet, vt recte hic interpres, seu vltima voluntate, vt Theodosius ipse *d. l. 2. Cod. Iust. de bonis quæ liberis:* vbi *hanc l.* explicat, id patri nullatenus adquiri, verum in eius tantum, cui delatum esset, iure durare voluit.

Atque hæc quidem plana est & perspicua *huius l.* interpretatio, quæ vlteriori non egere iam olim videri poterat explicatione: Et tamen vt hæc Constitutio de bonis ex matrimonio quæsitis in hoc argumento matrix est, primaque huius materiæ sedes, vtpote qua ius hoc nouum primum inductum fuit; ita varias deinceps Interpretationes & Ampliationes nacta est; tam a Theodosio ipso, quam a Leone, quatuor *legibus*, puta *l. 2. 3. 4. 5. Cod. Iust. de bonis quæ liberis:* vt cæteroquin ius interpretationem desiderare solet. Scilicet Theodosius *d. l. 2.* duabus clarioribus Interpretationibus eam illustrauit.

Primo enim definiuit *huius leg.* dispositionem minime pertinere ad dotem, vel donationem a patribus perfectam, eam quippe soluto matrimonio ad patrem donatorem reuerti.

Secundo, cum *hac l.* definiatur, hæc bona ex matrimonio quæsita patri *nullatenus* adquiri, sed in eius *tantum* cui delata sunt iure durare, id ita explicat, quoad dominium & proprietatem: eorum enim vsumfructum nihilominus ad patrem pertinere definit: quod & ipsum Leo constituit *d. l. 4.* alienandi tantum vel obligandi iure ei adempto.

Tertio; Idem Theodosius, *d. l. 3.* hanc Constitutionem hoc addito confirmauit, vt si filii morerentur in potestate patris adhuc constituti, relictis huiusmodi bonis ad liberos eorum ea bona iure hæreditatis transmitterentur, non ad patres iure peculii.

Quarto Leo Imp. *d. l. 4.* in tantum ad filios coniuges hæc bona pertinere voluit, vt eadem ad filios eorum transmitti voluerit, etiamsi ex eodem matrimonio procreati non essent, verum ex alio: imo & portiones fratrum ex eodem matrimonio progenitorum decedentium ad fratres superstites peruenirent.

Quinto, idem Leo *d. l. 5.* hoc ius porrexit quoque ad *Sponsos*, cum de eo dubietas inducta fuisset; eo quod hæc *lex* ῥητῶς de *vxore* & *marito* ageret. Et hæc de *huius leg.* interpretatione, deque bonis ex matrimonio quæsitis. Et sic illustre hic exemplum habemus iuris semel constituti receptique, quam late id sese processu temporis diffundere soleat, nouisque interpretationibus illustrari, & argumentationibus ad alia extendi desideret. Atque ita etiam Iustinianei Codicis Interpretes *leg. 1. Cod. Iust. de bonis quæ liberis:* quæ hinc desumpta est, vna cum *quinque sequentibus eiusdem tit.* ex his quæ modo dicta sunt, deinceps clarius adhuc, ni fallor, illustrare, vnaque fidelia & continuo spiritu explicare potuerunt.

Tandem, quod modo vidimus Iuris incrementum circa eandem speciem bonorum ex matrimonio quæsitorum, vbi ea semel exemplo bonorum maternorum materniqu generis inducta fuit: idem & ad aliam speciem eodem exemplo postea a Iustiniano porrectum est, nempe ad alia bona extrinsecus quæsita, *l. 6. Cod. Iust. eod. tit.*



VARIAN-

VARIANTES
EX COD. GOTHANO.

LIBER I.
TIT. I.
LEX I.

Deprehensa, deprehensæ. Non male refereodo ad Constitutiones.
Probiano. Robiano.

LEX II.

Arcadius, Archadios.
Illyrici, Illyriæ
Perpensas, Perpensa. Quam lectionem notauit quoque Gothofredus & habet quoque Codex Wurceb. atque Marcellini auctoritas eam confirmat. Noua manus supra vocem *perpensa* notauit *considerata*.
Vincentio Tatiano & Symmacho COSS. Vincencio & Afiano Cho Cunful. Noua manus supra *τὸ Cho* scripsit *Sima*.
Interpretationem a librario omissam ad marginem scripsit recentior manus.

LEX III.

Aureliano, Ariliano.
PF. V. po.
Dat. III. Dat. Quarto.
Constantinopoli, Constantinopolim.
Domino, Donno: *quomodo hoc æuo solebant.*
Theodos. Aug. III. Theodosio tertio.
Abundantio, *Habundantio*.

Interpretatio.

Anteriore, anteriori.
Damnant, dampnant.

LEX IV.

XII. Cal. Sept. Constantinopoli. Theod. Aug. III. & Abundantio V.C. Coss. Vndecimo Cal. Sept. Constantinopolim Theodosio Aug. & Habundantio V. C. Cons.

Interpretatio.

Quæ communiter omnes tenet, quam omnes communiter tenent. male.
Vacuet, Euacuet.

TIT. II.
LEX I.

P. P. IV. Cal. Sept. pp data *IV.* Cal Sept. librarius recentior *τὸ PP*, ad marginem notat *populo* indicare.
Romæ, Romano.

Interpretatio.

Quæcunque, hic superaddidit recentior manus *rescripta*.
A Principibus fuerint obtenta, fuerint a Principe optenta.

LEX I.

Non fuerint. Recentior manus his superaddidit vocem *patentes*.
Fata, Facta.
Allegare, Alligare.
Successoribus emolumenta conquirantur, Sucressoribus eorum exequi liceat, *quomodo & Tilianus habet.*
P. P. data, *vti Cod. Til.*
Constantino Aug. V & Licinio V.C. Coss. Constantio Aug. V. & Licinio Cons.

LEX III.

Seuero PF. V. Seuero ppo. *vide Not. B. in notis ad h. l.*
Quoties, quotiens
Præiudicium, per Iuditium.
Remittitur, Remittetur.
Totius negotii, Ius negotii. recentior manos supra *τὸ Ius* scripsit *iure*.
Principalis, Principales.
Exauoritate, exautoritate.
Nec præscriptionis igitur peremtoria relaxatio petatur, nec contra edictum supplicetur, Peremtoria relaxatio petatur, nec resriptiones igitur, nec contra edictum sublimium subplicetur.
Nicia, Nicea *recte*, vt Cod. Iust. *vid. Not. M. h. l.*
VV. CC. absunt.

Interpretatio.

Præscriptio, perscriprio
Concessa fuerit concessa fuerint, *ad marginem hic a recentiori manu hæc addita leguntur*, Ordo verborum. A principe Moratoria præscriptio quæ causam prolongat concedi potest supplicantibus, peremtoria vero quæ causam tollit principalem concedi non potest aut si concessa fuerit nil valet.

LEX IV.

Zenophilo, Signofilo.
VV. CC. absunt.

Interpretatio.

Huic iterum in fine additum, Dalmatio & Zenofilo.

LEX V.

P. F. P. Præfectum.
A. IX. Aug. sexto.

Interpretatio.

Data, abest.

LEX VI.

Cum sint acerbius perurguendi. Cum sit acerbius perurguendis: *pro perurguendus. Cod. W. habet* perurgendus, supra *τὸ acerbius* legitur *Fortius*, & supra perurguendis scriptum *dampnandis*, ab antiqua manu.
Pudore, pondere *cum Tiliano*.
Conueniret, conuenerit
Constantinopoli, Constantinopolim.
Antonio & Syagrio VV. CC. Anthemio & Sagrio.

Interpretatio.

Differendam solutionem, differendas solutiones.
Cautionem, cui hic superadditum *conuentionem*.

LEX VII.

Abest.

LEX VIII.

Impp. Arcadius & Honorius AA. Remigio PF. P. Augustal. Id Aug Remigio po Aug.
Contestationem, fi e ius a ditum *litem*.
Vel ab herede, vel ad heredem.
Quæ testatori competiisse, Glossa his superaddita *actione sua complacuisse*.
Firmatur, extimatur.
Constantinopoli, Constantinopolim.
In subscriptione consulum lacuna est & verba nescio quæ apparent, Gosda... quarto... duobus.

Interpretatio.

Contestatus, hic superadditum *confessus*.
Actio &, abest *&*.
Pulsus, suprascriptum *acclamati*.
Auctor, & hic superadditum *testator*.
Præsens, ad presens
Heres eius, heredes eius.
Propofuit, proposuerit.
Prohibetur, prohibeantur.

TIT. III.
LEX I.

Fusignium, Fusenium.
Scriptis, præscriptis.
Sacris nostris literis, sacras nostras literas.
Esse credendum, esse credendo.
Decimo quinto, quinto decimo.
Verona, Romæ.
Prid. Kal. II Kal.
Saturnino, Saturnido.

Interpretatio.

Minime quicquam, nemini quicquam.
Probauerit, probauerit, noua manus emendare voluit, *probauerint*.
Nec ullius dignitate &c. ad finem vsque hic desunt, imo & interpretatio altera abest.

TIT. IV.
LEX I.

Ex omni Opere, ex omni eius corpore.
Recitatur, recitentur.
Scientium, scientia.
Censemus, censuimus.
Eius partis præcedat, eius partisse cedat.
Emineat, immineat.
Sequi debeat sequi debeant.
Septimo Id. sexto Id.
DD. NN abest
Theodos. XII Theodos Aug. septimo.
Valentiniano II. Aug. Coss Valentinianus secundus CS. pos. recens manus, hæc mutare studuit, in *posuis*.

Interpretatio.

Papiani, Papiniani.
Sabini, Sauini.
Diuersæ prolatæ, prolatæ diuersæ.

Vnum senserit, vnum conferit.
Quod si forsitan aequalis numerus in vtraque parte est, quod si forsitan in vtraque parte aequalis numerus sit.
Papianus, Papinianus.
Et Hermogenianum, & ermogeniarum.
Suis, in fuia.
Auctoritatibus, auctoribus.
Priore, priori.
Papiano, Papiniano.

Tit. V.
Goth. Kap. V.

Praetorio, Praetorii.

Lex I.

P. F. P. ppu.
Qui, quae.
Internis negotii, inter negotia.
Sententiam, Sententia.
Consentanea fit legibus iam prompta sententia, Consentanea fit legibus prouida inprompta sententia, *supra τὸ inprompta positum, iam.*
Aut etiam, abest, etiam.
Retrahendas, detrahendus.
Dat. XIII. Data sexto.
Ablauio, Albino.

Interpretatio.

Qui antea addictus est fuerit legibus lata, qui ante est legibus addictus fuerit lata.
Nam si & apud, nam etsi apud.
Persona fit, persona est.
In exilium, in exilio.
Et media facultatum, & medietatem facultatum.
In metallum, in metallo.
Deputetur, adputetur.

Tit. VII. Kap. VI.

Velum, verbum.
Non infamet, non infamet.
Litigatoribus, litigationibus.
Absit ab inducendo, hic glossa est *vt ab seductione.*
Nullus litigatoribus, vlla litigatoribus. super litigatnribus apparet glossa *detur.*
Eorundem officii primatum, eorundem officium principum *Glossa supra eorundem*, f. pauperum, *supra officium*, per fiuum.
Poscentiam intolerandi impetus oblidantur, poscentium impetus obligandus est, *supra impetus legitur, dum.*
Eorumque, eorum qui.
Super eandem, super eandem.
Conquaerendi, conquirendi.
Praef. Praetorio, Praef. Praetorium.
Ablauio, Albino.
VV. CC. abest.

Interpretatio.

Neque pretium, nec pretium.
Audiantur, audiatur.

Lex II.

Haue, habeat.
Iudex sibi, sibi iudex.
Ac discingendis, aut discernendis.
Popularitati, popularitate
Et spectaculorum, & expectaculorum.
Ludicris, lucris.
Seriis, seriei.
Aquileiae, Aquilegia.
Diuo Iuliano & Varroniano Coss. Diuo Iuliano & Vrsino Coss.

Interpretatio.

In Secretis, in secreto.
Domus suae, suae *abest.*

Lex III.

Vicarium, VV. CC.
Se receperint, se reciperint.
Prelata, Data.
AA. Coss. abest AA.

Interpretatio.

In domum suam, in domo sua.

Lex V.

Iidem AAA. ad Probum PF. P. Id. Aug. & Gratianus ad Probum ppu.
Compulsor, compulsus.
Valentiniano NB & Victore V. C. Coss. Val. (& supra hoc *Valentino*) septimo V. C.

Interpretatio.

Dare, reddere.
Et per, vt per.

Lex VI.

Abest.

Lex VII.

Theodoro, Theodoto.
VIII. Kal. abest VIII.
Rauennae, rauenna.

Tit. VIII. Kap. VII.
Lex I.

Arcadius, Archadius.
Curtio, Curiio.
Horis, honoribua.
Panduntur, penduntur.
Residendi, resedendi.
Quina, quinque.
Cognoscat, cognoscat.
III. Non. IIII. Non.
Romae, abest.

Interpretatio.

Sunt constituti, sint constituti.
Aliorum, illorum.
Resideant, resedeant.
Aliud, aliter.

Tit. IX. Kap. VIII.

Arcadius, Archadius.
Magistris, magistratibus.
Prid. Id. Prid. Kal.
Aug. III. Aug. IIII.
Abundantio, Habundantio.

Interpretatio.

Prima abest.

Tit. X. Kap. IX.

Cuius Rubrica, *de officio Iudicum, omnium Imperatorum.*
Officialem, ex officialibus.
Agit, habitat *addidit alia manus.*
Existimet, estimet.
In publicum, in publico.
Citra vllam, vllam citra.
Dat. III. Dat. IIII.
Rufino, Rufo.

Interpretatio.

Ad publicum, in publicum.
Aestimet, extimet.
Cum si quid, quod si quid.
Possit, posse.
Supplicio, subplicio.

Lex II.

Andronico, Anthronico.
Memorati, Glossa hic *vel pupilli & caetera.*
Testes vel, testes sunt vel *&c.*
Seruentur, sruentur,
Ne terminos, nec terminos.
Aliique, aliaeque.

Interpretatio.

Et aegrotos, & infirmos.
Vsquam, non vsquam.
Vt ibi, & ibi.
Consulimus, Consolemus.

Lex III.

Aug. dixit, dixit *abest.*
Vt praetorium, & praetorium.
Caeterum comiti, caeterum nullus comiti.
Praestabitur, praestabit.
Seu cellariis, siue cellariia.

Tit. XI. Kap. X.
Lex I.

Eufignio, Euxenio.
Hi, hii.
Reiectum, abest
Honorii NB. P. & Euodii V. C. Coss. Honorii Ang. pratebi VC. Consul.

Interpretatio.

Hi, hii.
Si quis, si qui.
Probabitur, probatur.

Lex II.

Arcadio A. II. & Rufino V. C. Coss. Archadio II. & Rosino Coss.

Interpretatio.

Iustitia & aequitate, iustitiae aequitate.

Lex III.

Coalescere, coalescere vel conualescere.

Tit. XII. Kap. XI.

De assessoribus domesticis & cancellariis, de accessoribus domesticia & ancillabus. absurde.

Lex II.

Post alia, abest.
Condonare, condonare.
X. Kal X. abest.
DD. NN. Honorio XIII. & Theodos. X. AA. Coss. Domno Honorio VII. & Theodosio Consul.

Interpretatio.

Vindicat, vindicet.

Lex III.

VARIANTES EX COD. GOTHANO.

Lex III.

Asclepiodoto, Asfliplodoto.
Ad prouinciam sibi commissam ad patrocinia vel prouintiam sibi commissa.
Ne famæ, nec famæ.
Periculo, periculum.
Cancellarius, cancellarius.
Applicari, abplicare.
Quo voluntatibus, quod voleotibus.
Facilitas, facuitas.
Exegerit, exigeret.
Detegenda, dirigenda.
Asclepiodoto. Asfliplodoto.
VV. CC. abest.

Interpretatio.

Aut domesticum, vel domesticum.
Domesticum fortasse coniungere, domesticum præsumet fortasse coniungere.
Nisi qui ei publice, nisi qui publica.
Vt postquam, visi postea.
Is qui, vel iis qui.
Triennio, trieanium.

Liber II.

Tit. I.

De Iurisdictione & vbi quis conueniri debeat, de inre dictlonum vbi quos connenire prouinciarum volumenosum.
Eustasium Po. Eustasium ppu.
Vna Actores, vna auctoritas.
Teneat disciplina, teneat tormenta disciplinæ.
Carceres, carcere
Dilacerent, delarerent.
Si intelligant, sicque intelligant.
Cum ceteris, quam cæteris.
Limenio, Linmio.
Catulino, Catolino.

Interpretatio.

Exegerit, exigerit.
Nullo contra dicente patrimoniorum, nullam contra diecndi a patrimoniorum.

Lex II.

Taurum PF. P. Taurum ppu.
Notionem, Ordinationem.
Si miles, si militaris.
Reum, rem
Et Iuliano, & Tulliano.

Interpretatio.

Quoties, quo iens.
Prouocauerit, vocauerit.
Causam audiat, causam suam audiat.
Vel cui arma, vel arma.

Lex III.

Iulianus, *Cesar*, Iulianus Consul.
Taurum PF P. Taurum ppu.
In agentes in rebus, gentes 10 rebus.
In alios, in aliis.
Hominei, hominibus.
Detineri, deteneri.
Palluerit, palluerit.
Constantino A. VIII & Iuliano Cæs. II. Coss. Constantino nono & iulio cerax secundus Consul.

Interpretatio.

Violenter præsumpta, violenter admissa.

Lex IV.

Actor, auctur.
Eo, eum.
Cognitore, cognitorem.
Actiones, actiones.
Mediolani abest
Ioniano, Iobiano.

Interpretatio.

Proponendum, proponendi.

Lex V.

Rationali, rationale.
Quo, quod.
Omnis, abest.
AA. abest.

Interpretatio.

Quoties, quotiens.
Aliqua, Cod. MS. *aliq* supra hoc vero alia manus ue adscripsit.

Lex VI.

Neoteris, Neutterio.
Iudicatum, iudicatum, addito *n* quasi iudi antum.
Appellatio excluserit, appellatione excluserint.
Æstimationem, æstimatione.
Primores, primoris.
Deportationis, deputationis.
Depromatur, deprometur.
Mediolani, Mediolano.

Arcadio A. I. & Bautone V. C. Coss. Archadio aug. ipso I. aug. & Bautone Coss.

Interpretatio.

Aliam, aliquem.
In initio, inicium.
Crediderit, credidit.
Per superbiam, superbia.

Lex VII.

Arcadius, Archadius.
Honore, honorem.
Eisdem, hisdem.
Constantinopoli, Constantinopolim.
Arcadio II. Archadio secundo.

Interpretatio.

Fœminas, feminas.
Vbi est maritum secuta, vbi est maritus secuta.

Lex VIII.

Arcadius, Archadius.
Pasiphylo suo, Pasilibo filio suo.*
De fugaci seruo aut manifesto aut non manifesto directi etiam animalis non manifesto serui vel rei mobilis instituentes, instituentes de fugaci seruo aut manifesto furto aut non manifesto directi etiam animalis serui vel res mobiles ac mouentes.
Vt raptorum, curaptorum, *apparet* ì *supra τὸ* cu.
Paruula etiam terra fini, paruo etiam terræ finium. *Ab alia manu supra τὸ paruo*, *scriptum* an
Vt & paruula casa, & paruulæ causæ.
Pulsant, pulsat.
Possessionis, possessiones.
Pertinet, pertineant.
Vt mox, vt *abest*.
Sine inscriptione mereatur, si inscriptionem mereantur.
Abacti, abiecti
Iniuria, iniuriæ.
Dignus & meritus honor, dignitas & meritus earum horror.
Inscriptionis, inscriptiones.
Alterutram, alterutrum.
Digna, dignum.
Austeritas, auctoritas.
Hi, hii.
Mediolani, Mediolano.

Interpretatio.

Quoties, quotiens.
Serui fuga, serui fugacis, *aut etiam* fugatis, *correctum enim hoc vocabulum a duobus librariis.*
Peruenti, addit us hic *a sc. asi.*
Vindictam, id est vindictam.
Fini rei, huius rei.
Inscriptione, scriptione.
Vel maior, vel si maior.
Libras, librarum.

Lex IX.

Pref. Aug. ppo auct.
Intelligat, intellegat.
Nihilominus, nihilbominus.
Libris, librarum.
Constantinop. Cæsario & Attico Coss. Cæsareo Datiano & Adtieu Coss.

Interpretatio.

Quisquis, si quis.
X. libr. auri esse damnandum, decem lib. auri se dampnandum esse.

Lex X.

Eutichianum, Euticianum.
Iudæi, Iudæos.
De his, in his.
Legis ac iura, legis iura.
Adeant, habeant
Solemni, solempni.
Si qui, si quis.
Per compromissum, per commissum.
Sortiri, fortiri
Iudicium. iudicium.
Eorum etiam, earum etiam.
Arbitri, arbitrii.
Dat III. Dat. IIIi.
Constantinopoli Honorio Aug. IV. & Eutichiano V. C. Coss. Constantinopolim honorio X. aug. IIII. & Euticiano Consul.

Interpretatio.

Hebreis, Ebreis.
Eo quo omnes iure eius quo omnes iure.
Confligant, confligat.
Ambæ partes, ambæ partes elegerint.
Audiri, audire.

Lex XI.

Minime, neminem.
Exhibendis, exhibendi.
Rationali, racionabili.

Latebris, latebras.
Reus, reos.
Iudicii, iudicis.
Dilatio, dilata.
Dat. IX. Kal. Iun. Dat. Kal. Ian.
Mediolani, Mecholane.
Eutichiano, Euticiano.

Interpretatio.

Criminosum potuerit conueniri, criminosos potuerit inuenire.
Subdi iubeat, subiiciat.

LEX XII.

Impp. Honorius & Theodosius AA. Consulibus, Imp Honorio & Theodosio Aug. Consul. *& incipit Lex cum voce Praetoribus.*
Tribunis, abest.
Quinqueviralis, quinque viriles.
Seruabitur, seruabuntur.
In qua, in qua.
Legere, legare.
Sortita, sortiti.
Alterius iudicio, alterius iudicium.
Rauennae, rauenna
Asclepiodota, Asclipiodoto.

Interpretatio.

Ne studio, ne aliquo studio.
Re aut innocentia, reatu innocentia.
Videantur, videatur.

TIT. II. KAP. II.

Valentinianus, Valerianus
Ad Gracchum PF. P. Grecum ppo.
Sententia Lelia Kal. Decembr. sententiae electae data Kal. Decembr.
AA. abest.

Interpretatio.

Praeceptio nostra constringat, praecepta nostra constringant.

TIT. III.

De omissa action. impetrat
De obmissa action impetrat.

LEX I.

Nulli prorsus non, nulli prorsus nostris.
Impetrato, impetratae.
Exceptio, except.
Si aptam rei, si apta re.
Constantinopoli, Constantinopolim.

Interpretatio.

Per hoc praeiudicium, per hoc praeiuditio.
Rationabilis, rationalis.

TIT. IV. KAP. IV.

De denunciat. vel editione Rescripti, de denunt. vel editione Rescripti.
Ad Symmachum, ad Symmachum Barroniacum.
Sollicitudo, sollicitudo.
Dati sint, dati sunt
Vel iisdem, vel hisdem.
Solenni, solempni
Diuisio, diuisium.
Prouincias, prouintias.
Inferri litem, inferre litem.
Eam prouinciam, eam prouiutiam.
Iudicio, iudinia.
Non. Febr Nonas Februarias.
Sirmio, Firmo.
Accepta VIII Accept VII.
Corintho, Corindo *aut* Corinto, duplex enim hic manus.
Constantio Aug. V. Constantino aug quinto.

Interpretatio.

Tempora, tempore.
Minoris, minores.
Seu exceperit, siue exceperit.
Vt si, vt *abest*
Istius officii homines sunt, istiusmodi homines sunt.
Fuerint, fuerit.
Probatur, perturbatur.
Hoc de iure adiect. est, haec absunt.

LEX II.

PF. P. ppo.
Actorum, auctorum.
Affigat, affigant.
Sirmio, Firmia.

Interpretatio.

Contestari, Contestaturi.
Potuerit, potuerint.
In litis, in *abest.*
Recipiat, recipiant.

LEX III.

Valens & Gratianus, Valens & Gratianus Aug.
Ad Ampelium, ad Empelium.
PF. P ppo
Chyrographo, cirografo.

LEX IV.

Arcadius, Archadios.
Ad Romulum consularem Aemiliae & Liguriae, ad romolum constantinum emiliae & ligoriae.
Seu edicta, siue edicto.
Editione, edictione.
Quod tamen, quo tamen.
Litis, bis.
Non modo, non modum.
Temporum quaerum eruat, temporum quaerant.
Friuolum, fribulum.
Arcadio, Archadio.
V. C. abest.

Interpretatio.

Tunc lis, quia tunc lis.
Dicatur, dicitur.
Litigantium, litigaotum.
Aetates, aetatis.
Prolongari, prolongare.

LEX V.

Exordium, exordio.
Ne peruasionibus, in peruasionibus.
Cognitioni, cognitionis.
Moris esseludendum, mortibus esse claudendum.
Decernimus, discernimus.
VI. Non. V. Non.
Mai Mart.
Timasio, Ermario.

Interpretatio.

Licet, leeet.
Differre, deferre.

LEX VI.

Arcad. Honor. & Theodos. Archadius & Honorius & Theodosius
Vel quod, vel *abest.*
Peruasione vi latam, peruasione peruasam sine violatam.
Quodlibet, quolibet.
Flagitat, efflagitet.
In officio suum, in officio suum.
Allegationes, alligationes.
Iubeatur, iubeantur
Quam in ceteris ciuilibus causis, quarum tamen aestimatio centum solidorum summam excedat volumus custodiri, quam rem etiam in ceteris ciuilibus causis praecipimus obseruari, quarum tamen estimatio C solidurum summam excedat volumus custodire.
Constantinopol. Constantinopolim.
Arcadio A. II. & Probo V. C. Coss. Archadio & Probo Coss.

Interpretatio.

Pro repetenda, pro reparando vel repetendo.
Alleget, alliget
Quodlibet, quolibet.
Beneficium, beneficio.
Aliquid proponat, aliquid requiratur.
Non expectetur, non spectenir.
Scriptus, inscriptus
Tamen minus, tamen non minus.
Hoc de iure adiectum est, abest

LEX VII.

Iauia, Iobio.
Rauennae, rauenna.
Honorio VIII Honorio IX.
Theod. III abest nota numeralis. Legem praeterea librarius multa diligentia scripsit, & ad marginem adiecit, *Defensio Ecclesiae.*

TIT. V.

De Dominio Rei, quae poscitur vel consortibus ab eo cui denunciatum fuerit postulandis, de dominio rei quae petitur vel a consortibus ab eo cui denunciatum fuerit nominand a.

LEX I.

Post alia, abest.
Expulsis, Expulsis.
Obtentu, obtentu vel obtutu.
Disceptationis, descriptionis.
Nec, ne.
Amputatam, postposita.
Possidentum, possidendum.
Antiochiae, anthiociae.
Nemitta, Neuittiano.

Interpretatio.

Obiectionibus, adiectionibus.
Quibus consortes se, quibus se consortes.
Repetentem, se, petentem, *superius additum rem, vt legere debeas* se rem petentem.

TIT. VI.

LEX I.

Exemptum, exceptum.
Praeberi oportet, praebeat oportet.

Suppli-

Supplicatione, subplicatione.
Vienna, bienes.
Sabino & Rufino, Ambrosio & Ruso.

Interpretatio.

Intercedente vel casu, intercedente vel veniente vel casu.
Obtinuerint, obtinuerit.
Audiuntur, audiatur.

LEX II.

Differentis, differentem.
Indemnitas, indempnitas.
Lites, lites.
Altercationem, altercatione.
Cos. abest.

Interpretatio.

Negligentiam, neglegentiam *& sic ubique, quod porro non notaui.*
Vsque eo, vsque adeo.
Iuste potuit, iuste sibi.
Reddantur, reddatur.

LEX III.

Sirmio, in antecedente lege *Sirmio* & in hac *Sirmia*.
Constantin. II. C. Coss. abest C.

Interpretatio.

Per scripturam, per scriptum.
De hoc loco, abest.

LEX IV.

Acindinum PF. P. Aquindinum ppu.
Vltimum diem, vltimo die.
A decedentium, ad decidentium.
Sed ex, sed *abest*.
Adita, additæ.
Renouari, renouauerit.
Pertentetur, pertempietur.
Solemnia, solempnia *& ita semper quod non noto.*
P. P. abest.
Antiochia, Anthiocie.

Interpretatio.

Heredi, heredes.
Acceperat, acceperit.
Tempori, temporis.
Supputentur, sub putentur.
Cum interpretatione hac coniunxit immediate *leg. 3. de dilationibus*, & ad verba finalia *rem tenuit*, addidit, *Dat. Id. Aug. ad Petronianum V.C. Africæ.* Desideratur itaque *Rubrica Tit. VII. De Dilationibus*, item *L. 2* & 3. eius tituli, item in inscriptione *Leg. 3.* illa *Impp. Constantius & Constans AA.*

LEX III.

Actionem, accionem *& ita semper quod non noto.*
Vero fiscus, vero si fiscus
Vtrique parti, vtriusque parati.
Aquileia, aquileia.
Acindino, accindino.
Proculo, poculo.

Interpretatio.

Repetendum, ad repetendum.

LEX IV.

Huic Legi præposita demum Rubrica de Dilationibus, cum legem antecedentem cum priori titulo coniunxerit librarius.
Post alia de statu atque patrimonio: post alia ingenuitatis de statu atque patrimonio.
Litigantibus, a litigantibus.
Spatium, spacia.

Interpretatio.

Quoties, quotiens *ita semper, quod non noto.*
Negotii, negocis.

TIT. VIII.

LEX I.

Diem solis, diem solis. *Ante vocem diem, alia manus adscripsit minusculis literis* vt.
Et noxiis, innoxiis.
Et super, & *abest*.
Prohibeantur, prohibeatur.
Crispo, Crispio.
Constantino II. Constantinus II.

Interpretatio.

Sancta, sancto.
Manumittere, manum mittere.

LEX II.

Theodosius, & Theodosius.
Iuridicos, iuredicos.
Fas erit, vel fas insserit
Indulgentior animus, indulgenti ue anim tamnus. *Et hic a recentiore erasa sunt nonnulla, forte quæ homo rudis non capiebat.*
Otio fruimur, octo mancimus. *Cod. Iust. hic mancipamus legit.*
Adiicimus, adicimus.
Natalitios, natalitias.

Constantinopolis, Constantinopolim.
Ab ipsis, ab his.
Pascha, pascæ.
Sequuntur, secuntur.
Haberi, habere
Romæ Timasio & Promoto Coss. roma etermatio & promato Coss.

Interpretatio.

Præcipimus, petimus *superius* præcipimus.
Quatuor, quatuor. } *& ita semper quod non noto.*
Colligendos, collegendos. }
Pro prouinciarum, pro *abest*.
Qualitate, qualititate.
Vsque in X Kalend. Septembr. vsque XI. in KL Septembr.
Dies etiam, dies autem.
Ab audiendis, ab *deest*.
Pascha, pascæ.
Et septem, vel septem.
Sequuntur, secuntur.

LEX III.

AA. abest.
Ioanni, Iohanni.
Aut vlla, aut nulla.
Conueniri, conuenire.
Rauenna, rauenna.
Honorio VIII. & Theodosio III. Coss. Honorio VII. & Theodosio Aug. IV. Consul.

Interpretatio.

Nullum Iudæorum, nulli Iudeorum.
Debet, debent.

TIT. IX.

LEX VIII.

Imp. Arcadius & Honorius, Impp. Honorius & Archadius.
Aduersus, aduersum.
Transactiones, transacciones.
Vel interpellando iudice, vel interpellandum iudicem.
Et quæ, & quæ.
Imminutur, minoratur.
Emolumento, emolumentum.
Omnia mox eorum commodo, omnia eorum mox quomodo.
Intemerati pacti, intemeratæ pacti.
Initarum, in. iorum.
Constantinopoli, Constantinopolim.
Probino, Prunnio.

Interpretatio.

XXV. vicesimum & quintum.
Dignoscitur, dinoscitur.
Fuerit, fuerat.
Emissa, emissa.
Definitionem, diffinitione.
Definita, & definita.

TIT. X.

LEX I.

Imp. Imppp. *male.*
PPO. ppu.
Aduocatos, aduocatus.
Consceleratis, cum sceleratis.
Depactionibus, depactionibus.
Spoliant, expoliat.
Denudant, denudat.
Non iuratæ causæ, non iuratæ causæ.
Pecorum, peccorum.
Possunt coacta, posunt in quo acta.
Transscribi, transscripsit.
Ab honestorum, ex honestorum.
Conspectu, conspectis.
P. P. data.
VIII. Id. VI. Id.
Constantinopoli, Constantinopolim.
Constantino Aug. III. Constantino Aug. VII.

Interpretatio.

Susceptos, quorum causas agunt, susceptorum causam acturis.
Peroribus, peccoribus. *ita solet quod non noto.*
Defensione, definitione.

LEX II.

P. V. PPO.
Quisquis vult, si quis vult.
In causis agendis, in causas agendi.

Interpretatio.

Ne velit in eo negotio, quod susceperit, ne velit in eo quod suscepit.

LEX III.

Fustuario, cutasio.
Altero beneficio, alterius beneficio.
Conquisierint, quesierint vel conquisierint.
Peculium castrense, pecculium castrensse.
Præcinctis, præcinctos.

Cinguli, finguli fingulis.
Detulit, intuii.
Conftantinopoli, Conftantinopolim.
Theodofio X. abeft nota numeralis.

Interpretatio.

Quicquid, quicunque.
Caufarum, caufæ.

TIT. XI. KAP. XI.

LEX I.

Conftantino A. VI. & Conftantio Cef. Coff. Conftantinopolim Aug. Conftamino Conful.

Interpretatio.

Si in fufcepti caufa aliquid in praeiudicium, fi in fufcepta caufus alii quid in pezeiuditio.

TIT XII.

De cognitoribus & procuratoribus, de cognitionibus & procuratoribus.

LEX I.

Secundo, fecundino.
Vtpote, vtpute.
Dominum, dominn.
Veteres iuris voluerunt conditores, veteris iuris voluerint conditores.
Apud acta prid. apud acta data prid
Iuliano Aug. III. & Saluftio Coff. Iuliano IIII. & Saluftio Conful.

Interpretatio.

Qui, abeft.
Petitione, repeticione.
Etiam fi ille, fibi etiam fi ille.
Fecerat, fecerit.
Ei rem, ei *abeft*
Sibimet ipfi defenfare, fibi & defenfare.
Qui repetat vt dominus ordinare atque actionem ad heredes, qui repetat aut dominus ocius ordinare aut actionem ad he edes
Pulfantes, pulfantes manent.
Nec non & domini, non domini.

LEX II.

Salluftio PP abfunt.
Cavere, capere
Iudicatum, iudicato.
PP da a.
Varroniano, Vacraniano.

Interpretatio.

At omnia, aut omnia.

LEX III.

Pancratio P. V. Prancatio pfo.
Et verum, qui vtrum.
Mandato vtatur accepto, mandatum vtatue acceptum.
Rite, recte.
Et folemniter, *abeft* &.
Praeteritis autem his, præteritis autem quis vel his.
Conftantinop Conftantinopolim.
Antonio & Syagrio, Antonino & Sacritio.

Interpretatio.

Requiratur, inquiratur.
Vt is, vt *abeft*.
Sufceperat, fufciperat.
Proferre procuret, proferat.

LEX IV.

Maritus fit, fit *abeft*.
Emiffa, miffa.
Abundantio, Habundantio.

LEX V.

Idem AAA. Imp Aug.
Conftantinopol. Conftantinopolim *& fic vbique quod notare nolo.*
Theodofio A. III. & Abundantio V. C. Coff. Theodofio Habundantio Conful.

LEX VI.

Andromacho, Anthronico.
Militantium, milita num.
Defenforque, defenforque.
Alieni iurgii, alieniuris vel iuegil.
Mediolani, Mediolano.

LEX VII.

Af lepiodoto, Afelipindoti.
Quaerantur, requiranitue.
Neue, ne vel.
Superuacua, fuperuacuum.
Fuerat, fuerit.
Super eo, fuper eum.
Nomine, nomina.
Vel factorum litis, vel pactarum lites.
Cognitori, cognitorem
Manifeftum fit fi cognitor, manifefte fit cognitu.
Praefentes, præfentes.
Fuerit, abeft.
Profperiore fortuna, profperioris fortunæ.

Actionem, actione.
Cunctatione, cognitione vel cunctatione.
Dari, data.
De litis miniftro, delictis miniftro.
Edixiffe, dixiffe.
In rei, in re
Abunde, habunde.
Veterum obferuatione, veterum vel noftrarum.
Quo fi in rem quoque fuam, quod fi in rem quoque fuam.
Quis fuerit, qui fuerit.

Interpretatio.

Vel domino, vel in domino.
Procuratore feruandam, procuratoria feruandi.
Factus fuerit, factus *abeft*.

TIT. XIII.

De act. ad potent. translatis, de act. ad potent. translatas.
Ioanni, Iohanni.
Si cuiuscunque modi cautiones ad potentum fuerint delatae perfonas, cuiuscunque cautiones ad cuiuscunque potentum fuerit dilatatæ perfonas.
Creditores, creditoris.
Iactura, iactucam.
V. Id VI Id.
Rauennae, rauenna.
Theodofio X. Theodofio XI.

Interpretatio.

Omnes, omne.
Non debet, debeat *abeftque* τὸ non.

TIT. XIV.

De his qui potentiorum nomina in lite praetendunt, de his qui putiorum nomina inlicita peætendunt.

LEX I.

Hiis, his.
In ius, inlufte.
Opponere, apponere.
At ne, ac ne.
Hiis, his.
Qui huiusmodi dolo, qui pec huiusmodi dolos.
Continent, conhibent.
Fuerint, fe erint.
Lite pulfatus, a lite pulfatue.
Inlata, intrfolata.
Contradictoris, contradicturie.
Nomen, nomine
Aut euitare tentauerit, aut euitare vel hereditare temptauerit.
Vel probabilis, vel *abeft*.
Facultatem, poteftatem.
Hiis, his.
Oportebit, opoctebat.
Mediolani, Mediolano.

Interpretatio.

Excufare, excufari.
Hiis, his *& ita per integram legem.*
Aliquid, aliquis
Contradictoris, contradictor his.
Metallum, metallo.
Vnde quacunque de re conuentus, vnde quacunque de re conuictus.
Et reus, & rem.

TIT. XV.

Symmachum V. C. Symmachum Vicarium.
Anni, annum.
Deferri, differri.
Ita vt fi, ita fi
Longius vllo, longe vllo.
Petitor uteretur, petere honoretue.
Aberit, abierit
Expetita appetita.
Ita vt impetrata, aut impetrata.
Ratione, ratio. *Hic nouam Periodum librarius conftituit.*
Coepta, peæcepta.
Perpetuo, perpetuum.
Intra continuum biennium, cottidiano biennio.
Incipienda poft biennium neque ante completum biennium coepta poft biennium finienda doli actionis, incipiendam poft biennium quod fequitue neque ante completum biennium finiendi doli accionis.
Naffo, Nacfo.
A. V. Augufto quinto.
Licinio, Licinio.

Interpretatio.

Vt confentire, confentire.
Inducitur, vel inducitur τὸ vel ab alia eft manu.
His fimilia, hiis fimilia. Supra hæc alia manu *hisque fimilia*, & ad marginem *aliter familia.*
Qui dolum, dolum *abeft*
A tempore, effe a tempore.

TIT. XVI.

De integri reftitutione, de integris ceftitutionibus.

LEX I.

VARIANTES EX COD. GOTHANO.

Lex I.

In integrum reſtitutione, integram reſtitutionem.
Venditiones, vinditiones.
Induſias, inducias.
Idem, eidem.
In fraudem, in fraude.
Et Conſtantino Ceſaro IV. & Cæſare Coſſ.

Interpretatio.

Quas minoribus, quæ ſi minoribus.
Aliquibus, aliquid.
Quicquid, quicquam.

Lex II.

Id. Aug. ad Baſſum, ad Baſſum id. Aug.
Placuit poſt completum XX & V annum, placuit poſt viginti & quinque annos expletos.
Illuxerit, inluxerit.
Prorogari, progari.
Centeſimum, tricelimum.
Omnis, omnia.
Finiendas integri reſtitutionum decidendasque cauſas, finienda ſint integrum reſtitutionum decedendas cauſas.
Cuſtodiri, euſtodire.
Siquando ſane, ſi quis ſane.
Quintum & viceſimum, quartum & viceſimum.
Integri reſtitutionis, in integrum reſtitutionis.
Illibato, inlibatos.
Integri, in integrum.
Extitiſſe, exteciſſe.
Reliquum, ad hanc vocem ab alia manu additum *ſt.*
Cum creta fuerit vel adita hereditas, concreta accepta fuerit *hiatus eſt linea integra. Errori vò* fuerit, *mox iterum apparens, occaſionem dedit.*
Integri reſtitutionis, in integris reſtitutionibus.
Diminatione, dominatione.
Regionibus, & religionibus.
PP. ppo. *male.*
Conſtantino A. VIII. & Conſtantio Caſ. Coſſ. Conſtantino Aug. V. C. Conſul.

Interpretatio.

Depoſita, depoſitam.
Conteſtatione, conteſtationem.
Ea que, & quæ.
Vitio, citium.
Pro ætatis infirmitate, pro pietatis firmitate.
Reſtitui, reſtitutionis.
Nam & qui, hic etiam qui.
Quod in ſequenti lege, quod ſi in conſequenti lege.
Comprehenſum eſt, comprehenſum.
Vsque ad conſtitutum. quantum ad conſtitutum.
Proprietatem, proprietate.
Vnde illi competebat, vnde illi rerum competebat.
Interpoſita conteſtatione, interpoſitam anteſtationem.
Requirat, recipiat vel requirat.
Sin vero, ſi vero.
Pupillo, pupillorum.
Transeat actionem, transaccionem.
Dignoſcitur, dinoſcitur.

Lex III.

Iuliano II. abeſt.
Prid. non. IIII. Non.
Rauenna, cauenna.

Interpretatio.

Ita, abeſt.
In multis rebus, in multis reliquis.
Negotiis ſubſcripſerint, negotiis ſuis forte ſubſcripſerint.
Exequantur, exequatur.
Si ſe ſcripſerit, ſe eſſe ſcripſerit.
Reliqui, reliqua.

Tit. XVII.

De his qui veniam ætatis impetrarunt, de his qui veniam ætatis impetrabunt.
Qui honeſtate morum prediti, qui in honeſta temporum prædìti.
Rectius gubernare cupiunt, ſecius gubernatione cupiunt.
Indigere, degere
Viceſimi anni, vigenti annis.
Adoleſcentia, adoliſcentiæ.
Ad firmiſſimæ, ac firmiſſimæ.
Iidem, idem.
Allegantes, alligantes.
Preſcriptorum, præſcriptoribus.
Potiore dignitate, potuere vel aut potiere dignitate.
Probitatemque animi teſtimonio vitæ honeſtioris, probitate quæ animi teſtimonium vitæ honeſtiores.
Effecerint, effi erint.
In alienatione, in alia natione.
Ætatis, legitimæ ætatis.
Dimenſiones, dementiones.
Legis natura leges & natura.
Deferri, differre.

Biennio, biennium.
Sed iam, ſi eas.
Morum honeſtas, morum ætas.
Et certa fama, quas certa fama.
Cogimus, cogemus.
Tabulis, tabulis vel abillis, pro *vel tabellis.*
Præſcripſimus, præcipimus.
Et honeſtas, & de honeſtate.
Vigilum, præ vigilium.
Nauicularii, Cubicularium.
Cui ætati, ciuitatis.
Media eſt firmata ætatis, mediæ firmitate ætatis.
Adoleſcentia, aduleſcenciæ.
Firmata, firma.
Hac appellatione, & appellatione.
Firmata ætatis, firmitate ætatis ſit.
Firmata, firmitate, *alia manus* firmatæ.
III. Kal. IIII. Kal.
Iun. Ian.

Interpretatio.

Vir XX annorum eſſe cœperit, Vir XX annorum ætate eſſe comprobauerit.
Allegare, alligare.
Honeſta conuerſatione, honeſtam conuerſationem.
Cum decreti, transferre eum decreti.
Interpoſitione, interpſitionem transferre.
Habeant, habeat.
Minores ſunt, minores ſint.
Et honeſtatis, & *abeſt.*
In publico, in publicum.
Ne prædia, nec prædia.

Tit. XVIII.

Lex I.

Contentiones, contentionis.
Occurſu, occurſum.
Compreſſerint, compreſſerint vel contemſerint.
Nam quid, ne quid.
Allegationibus, alligationibus.
Contentione, contentione vel diſcuſſione.
Ad alterutrum, abeſt *ad.*
Sine, & ſine.
Referendu, referendam.
Indiget, indigeat.
Prid. Id. IIII. Id.
Conſtantino II. Conſtantino ſecundo.

Interpretatio.

Iam nihil amplius in contentione habuerint, ſi iam in contentione non habuerint.
Et tamdiu actio ventiletur, abſunt hæc.
Sin vero, ſi vero.
Data, datue.

Lex II.

Continentiam, continentia.
Alium, aliem.
Poſſeſſione, poſſeſſionem.
Alium, aliam.
Principali quæſtione, principali queſtionem.
Rei, res.
Ciuitatis, ciuitati.
PP. data.
Iuliano & Paulino, Paulino & Iuliano.

Interpretatio.

De quantum, quantum.
Poſſederis, poſſidere poterat.

Tit. XIX.

Lex I.

Iniuſtas, iniuſtas.
Aguatione, hacnatione.
Durante, ducantes.
Aug. V. abeſt nota numeralis.

Interpretatio.

Diuerſis, de diuerſis.
Affectu, effectu.
Aut certo timelicis, aut temelicis.
Is, his.

Lex II.

Doceant, doceantur.
Vt hiis probatis, vt pro his orbatis.
Nulla iuſta, nulla ex iuſta.
Teſtamento remoto, teſtamentum remotum.
Matri, matris.
Agnati, ac nati.
Indecedentibus, indigentibus.
Adpetiit, expetit.
Vel, & vel.
Probato, probatum.
Filii, Iæſi filii.
CC. abeſt

Interpretatio.

Teſtamento, teſtamentum.

Vt de, vnde.
Testamento, testamentum.
Debita, dabita.
Inofficiosum, inofficioso.
Requiri, inquiri.
Consilium, conludium.
Filio, filius.
Voluntate, voluntatem.

LEX III.

Bizacenorum, Baianorum.
Quia non. qui non.
Inofficiosi, inofficiosis.
Is, his
Ita in, ita *abest*.
Voluerut, voluit.
Colonia Agrippino, Agrippino.
Hilariano, Illariano colonia.

Interpretatio.

Necessitate, necessitatem.
A bonis, ab omni vel a bonis. *Glossam hanc antiqua manus in MS. indicauit.*
Fraterna hereditatis, fraternitate hereditatis.
Excludunt, excludant.
Reliquerit, reliquerint.
Vindicabit, vindicabunt.

LEX IV.

Iulianus, abest.
Arbitrantur, arbitrantur.
Filiis, bonis filiis.
Quarte, noua manus addidit *portionis*.
Id ipsum ab herede, id iustum ad heredem.
Eisdem, de isdem.
Compleatur, impleatur.
Super testamento, super testamentum.
Eadem, eandem.
Redit, redigit.
Taxatio iusta, accio iuxta.
XIV Kal. XII. Kal.
Iun. Iul.

Interpretatio.

Filiis, filiis familias.
Et hoc in nummo, & aut in nummum.
Nullum, nulla.

LEX V.

Hypatio, Sipasio.
Quod de, abest *de*.
Curricula, carricula.
Praestituta, restituta.

Interpretatio.

Ac Voluntatem, hac Voluntate.

LEX VI.

Ioanni, Iohanni.
Censuimus, censemus.
Vt competentibus, aut competentibus.
Clauderemus, clauderimus.
Rauenna, rauenna.
Post consulatum Honorii VIII. post consolato Honorio VIII. Coss.

Interpretatio.

Superiore, superiori.
Et si quis, si quis.

LEX VII.

Asclepiodotum PP. Asclipiodotum PV.
Prohibetur, prohibemus.
Victore Coss. victore si Consul.

Interpretatio.

Vendicauerit, vindicauerit.
Habebit, habeat.

TIT. XX. KAP. XX.

LEX I.

Dubitare, dubitari.
Omnis querela, omnem querelam.
Inducta, iudicatum.
Temporibus, tempore.
Iun. Iul.
Florentino, Florentio.

Interpretatio.

De inofficioso testamento, de inofficiosi querela testamenti.
Querela, abest.
Contra, & contra.
Praetermissus, praetermissis.
De inofficio testamento, inofficiosum testamentum.

TIT. XXI. KAP. XXI.

Exhausta, explicata expleta & euacuata exhaustae. *Recens manus adscripsit triplici hic vice*, Glossa.
Conquerentibus, conquirentibus.
Emolumenta debita deferantur, emolumenta, emolumentum dicitur fructum lucrum praemium vel mercis laboris, siue fructus laboris, debita referentur. *Hanc lectionem noua manus notauit, septies adscribendo vocem*, Glossa.
XIV. Kal. Iun. IV. Kal. Iun.
Cereali, Cerali II.

Interpretatio.

Vt quarta, vt si quarta.
Repetere, recipere.

LEX II.

Filios, filius.
Neque in fraudem, nullus in fraude.
Kal. Ian. Kal. Iun.
Subscriptionem ad marginem recens manus adscripsit.

Interpretatio.

Papiam, papiae.
Hic de iure addendum &c. absunt haec vt & in Sichardina.

TIT. XXII. KAP. XXII.

LEX I.

Et Caesar, Caesar.
Vrbi, abest
Si is qui, si quis.
A patrono, ad patronum.
Disceptationem veluti hereditaria, disceptationem litis vel hereditariae.
Sed is, sed his. *Recens manus supra τὸ his adscribit* vindicetur, *quod vocabulum postea in textum admissum a Sichardo.*
Aug. Vtl. & Caes. Coss Augusto & tesunt Coss.

Interpretatio.

Prioris status, primi status.
Si filios, sibi filios.

TIT. XXIII. KAP. XXIII.

De rei Vendicatione, ... Vindicatione.

LEX I.

Comminutus, comminutus.
Amisisse, amissa.
Si probatum, vt si probatum.
A militia ratione, simili ratione.
In alios, in alia.
Ne quis sane post, si quis tamen post.
Nominis, nominis.
Poenam, poena.
Rauenna, rauenna.
Asclepiodoto, Asclipiodoto.

Interpretatio.

Exstruxerit, confiruxerit.
Idem similes, id est similes.
Cui miles, cui similes.
Exstiterit, extiterit.
Possideat, possedeat.
Si subreptum, sibi subreptum.

TIT. XXIV.

De Fam. herciscunda, de fam herciscundae.

LEX I.

Consensum, concessium.
Spectat, expectat.
Quos, quos.
Solis, vel solis.
Nexu, nexe.
Capta, capti.
Dispositiones, dispositionis.
Legum, legem
Proclinem, ve proclinem.
Vt suis, cum suis
Defuncti, defunctis.
Etiam si inceptum, ac si inceptum.
Considerari, considerare
Detegatur, detegitur.
Violetur parentis, violentur parentes.
Dirimantur, derimantur.
Constantino II. abest nota numeralis.

Interpretatio.

Allegetur, alligetur.
Alteri consorti, alterius consorti.

LEX II.

P. P. PPV.
Vsurpandis, obseruandis.
Virorum, virorum.
Omnifariam, benefariam.
Constantio, Constantino.

Interpretatio.

Virorum, virorum.

TIT. XXV. KAP. XXV.

De communi diuidundo de commune diuidendum.
Gerulo Rationali. Ierole rotionale.
Integra, integram.
Feris, referat.
Sorores, sororem.
Qui dissociata, quod dissociata, *noua manus veram lectionem restituit.*

Trans.

Traxerunt, adtraxerunt.
Reddantur reddatur.
Aliqua, aliquam.
Posthac, posthæc.
III. kal. \ II. Kal.

Interpretatio.

Diuisione, definitione.
Custodire, custodiri.

TIT. XXVI.

Finium regundor. de finium regundorum.

LEX II.

P. F. V. p. fo.
Retulerit, detulerit.
Quo magis, quod magis.
Suo rem, suam rem.
Inreptor, inruptor.
Dat. XII. Lata *abest.*

Interpretatio.

Inuasisset, inuasisse.
Vnusquisque, vnus quis.
Præsumpsit, querebat, *recens manus accuratam lectionem indicauit.*

TIT. XXVII. KAP. XXVII.

Si certum pet. de chirograph. Si rectum petitur de cyrografis.

LEX I.

Constantius, Constantinus.
Chyrographis, cirographie
Perpetua observatione, pespetuæ observationis.
Iuge, iure.
Publicauerit, publicauerint.
Debitoris heredes, debitores. Si heredes.
Intra tempora, infra tempora.
Manum, manu.
Cantatum, adscripsit manus recens, *lectum.*
Prolatur, probator, *manus recens*, prolator.
Non sola, non solum.
Si publicam, si publica.
Aditionem, aditione.
Impetrauit, inpetruit.
Saltem, saltim.
Testes audierint, testis audiuit.
Agnouerit, agnuuit.
Si se forsitan, si forsitan.
Causetur, causentur.
Maioribus, præsertim maioribus.
Promissæ, promissæ.
Solutiones, solutionis.
Epistulari rescripto, epistolare rescriptum.
Fingit, fecit.
In medium, in medio
Hereditarii, hereditariis.
Fidem, noua manus adscripsit, *finem.*
Baiulos, nova manus. *portitores.*
Si destituetur, se distutis, *noua manus* institutio.
Veteratorum, veteratores } noua manus veram lectionem indicat.
Cohibendus, corrigendus }
Facta, acta.
Ex falso, & falsum.
Inficiandi, inficiendi
Tum conuenict, ita conuenit.
Alioqui, alioquin.
Conuenict, conuenit.
Tunc reposci, & tunc reposci.
Sin vero suam, si vero sua.
Manum, manu.
Oportebit etatem, oportet veritatem.
Quo nouationi longior absit absentia, quoniam vocatione longiore absistas absentia
Aditi iudicis, aditis iuditiis.
Nullus enim per tanta, neque enim post tanta. *Supra vò* neque *a noua manu adscriptum*, nullus.
Inclamatus, declamatus.
Debere, debitorem.
Petitorum, petitoris, *noua manus* petitorum.
Protelctur, postoletur, *noua manus*, protelctur.
Ludatur, lauda ur, *noua manus*, lædatur.
Nescire, nesciri.
V. Kal. abest V.
Rauennæ, abest. *Interpretatio.*
Debiti affigere, debeat affigere
Homines illius, homines loci illius.
Desinat, desinent.
Peregrinatur, peregrinantur.
Longi temporis habere non possit, habere non possint longinqui temporis.
Suam esse dixerit, dixerit suam esse.
Vt si, quod si.
Conscripta, scripta.
Cognoscatur, cognoscitur.
Transactio, si transactio.

TIT. XXVIII. KAP. XXVIII.

De pecun. sequestr. prohibita, abest *prohibita.*

LEX I.

Ioanni, Iohanni.
Postolatur, postu'etur.
Conuinci, rognosci, *noua manus*, conuinci.
Tum ipsa, tam ip'a.
Probationes, probationis.
VII, VIII.
Honorio XIII & Theodosio X. AA. Coss. Honorio XII. & Theodosius Aug. Consul.

Interpretatio.

Adhibita adprobatione, adprobata probatione.

TIT. XXIX. KAP. XXIX.

Si c. petatur de Suffrag.
... petitur . . . . . .

LEX I.

Fœdis commentis que, fides commentisque.
Merito, meritorum.
Deferuntur, defferantur.
In republica, noua manus hic addidit, *vel in iure.*
Quæ tunc donauerant, quæ tanto donauerint.
Crediderint, crediderunt.
Omnem, omnis, *noua manus* omnem.
Repetendi eorum, repetendorum.
Et quod dedit, abest *&*
Manebit, mandauit.
Inferre, inferri.
Mamertino & Neuitta, Archad & neuita Coss.

Interpretatio.

Dederant, dederint.
Prohibemus, præcipimus.
Pro præstandis, pro præstandi.
Petiit, petit.
Aut certe si, aut si certe.

LEX II.

Theod. Arcad. & Honor. Theodos & Honorius Archadius.
Ferri sibi a quoquam suffragium postularint, ferri sibi suffragio a quocunque postulauerint.
Sponsione, sponsionis.
Necleuit, necierint.
Coarctandi, quo artandi.
Eu nomine, eorum nomine.
Vel argento, vel in argento.
Habebit, habebis.
Perpetem, perpetim.
Integra, integraque.
Transferat emittatur, trans ferre nitatur.
Testentur, testantur.
Quod si quis, nam si qui.
Commonitoria, communitorie.
Nititur, recens manus, *nituntur.*
Duxerit, noua manus, *duxerent.*
Reos, eos
Reducetur, reducitur.
Non debuisset abest *non.*
IV. Non. IV. abest.
Constantinop. abest.
Arcadio III. & Honorio II. AA. Coss. Archad. II. & Theodos. II. Coss.

Interpretatio.

Expedire, expetere.
Se commodi, commodi se.
Mobilibus, moutlibus
Et de completis omnibus velre tradita gesta confecta proferantur, & de completis vel traditis gesta confecta proferantur.
Sine tali, sibi tali.

TI. XXX. KAP. XXX.

LEX I.

A rectoribus, a *abest.*
Abstrahant, abstrauntur.
Retardatur, reddatur.
Aut præfectus pacis, vel præfectus pacis.
Subingetur, iudicetur.
Non Iun. Non Iul.
Constantino A & Licinio IV. Coss Constantino Constantinopolim IIII. & Licinio Coss.

Interpretatio.

Si quis creditor, si quis intercessor.
Vel curialis, aut curialis.

LEX II.

Post alia abest.
Faciat, facit.
Iure, in iure.
Obligari, oblegari.
Rau rauenna.
Honorio XIII. Honorin XVI,
Theod. X. abest nota numer.

Interpretatio.

Qui proprius dominus esse dinoscitur, qui proprius esse dominus dinoscitur,

Per procuratorem, per curatorem.
Siue colonum, nec colonum.

TIT. XXXI.

Quod iussa.
De quod iussum.

LEX I.

Certum numerari, certum nominari. *Clausit librarius periodum in voce mox sequente*, seruo.
Lege, legi.
Procuratori alicuiue possessionis pecuniam commodat sciat dominos possessionum cultores esse terrarum obligari non posse, procuratoriue possessionis pecuniam commendati (*noua manu* commodati) sciat dominus possessionem cultores veterarino obligari non posse.
Familiares, per familiares
Homines plerumque, hominum nonnunquam plerumque.
Trahere, extrahere.
Non rogatur, non *abest*.
Mentiatur, noua manu, *nuatiatur*.
Nisi, nihil
Commodet, commedata. *nou. man.* commendata.
Creditaque quantitate, creditanque quantitatem.
Creditores, creditoris.
Nec fideiussoribus, nec pro fideiussoribus.
VII VI.
Rauenna, rauenna.
A.1. abest.

Interpretatio.

Conuicerit, conuincitur.
Colono, coloni.
Procuratori vel actori, abest.
Dominos, dominum.
Teneri, tenere.
Reposci, reposci, alia hoc quoque creditoribus non negamus. *Sed haec verba sunt initium Leg. 1. tit. sequentis. Quae male librarius coniunxit cum hac interpretatione. Voluit scribere*, postalia, *sed deceptus a vocabulo reposci, id post neglexit. Coniungenda enim haec lex cum sequenti, quod te docet Gothofredus, quem hic vide.*

TIT. XXXII.

LEX I.

Post alia, post.
Non negamus, non *abest*.
Vt si libertationibus fuerit, vt si libertacionibus fuerat.
Regebat, gerebat.
Procuratoriue, abest τὸ ve.
Rauenna, rauenna.
XIII. abest.

Interpretatio.

Creditore, creditoribus.
Debuerit, debuerint.
Reddat, reddant.

TIT. XXXIII.

LEX I.

Dracilianum Agentem vices PP. Dracilianum actorem agentem vices praefectus praeturio.
Superfluum consequatur, superfluum consequatur.
Id est, vsque ad consequantur, absunt.
Recuperare, recipere.
Noluerit, noluerint.
Creditor vetatur, creditoribus non vetatur.
PP. Caesarea XV. Kal. Mai. data XI. K. Mai. cesaria.

Interpretatio.

Et oleum, vel oleum.
Accepit, accipit.
Debitum suum abiecto tertio modo a debitore recipere, etiam debitum perdat, debitum suum perdat abiecto tertio modo a debitore suo accipere.
Exigi, exigere.

LEX II.

Eruerit, seruauerit.
Poena obligatione, poena & obligatione.
Sine cessatione sine requie, sine requie sine cessatione.
Redhibebit, redemit.
Is vero, his vero.
Cessati, cessari.
Denegentur, denegentur.
VIII Kal. VII. kal.
NB P. VIII.
Euodio, Theodosio.

Interpretatio.

Legitima centesima, legitimam centesimam.
Id est, hoc est.
Afferre, offerre.

LEX III.

Eutychiano, Euticiano.
Constitutorum, constitutorum
In stipulationem deduxit, stipulatione deducti, *noua manus* in stipulatione.
Data XI. Kal. Decembr. data lex XVII. Kal. Decem.
Attico, adgrecio.

Interpretatio.

Debitum cum vsuris, cum vsuris debitum.

LEX IV.

P. V. ppo. vrbis.
Medietatem, medietate.
Censemus, censuimus.
Poscere, petere.
Nominis, nominis.
Censurum, censuram.
Prid. Id. Ian. IIII. Id. Iun.
V. C. abest.

Interpretatio.

Centesimam, centissimam.
Forte, nisi forte.
Amplius ab eis, ab eis amplius.

Explicit Theodosius Liber II. Incipit III. de contrahenda emptione.

K. I. LEX I.

Constantinus, Constantinus Aug.
Praefectum annonae, ppu, anno.
Venditionis, vinditionis
Factum rumpi minime, factarum minime.
Litigiosa, litigiosus.
PP. Id. Aug. data I. Id. Aug.
Liciano Coss. vel Licinio VII. Coss.

Interpretatio.

Et vendentem, atque vendentem.
Res fuerit definito pretio comparata, qua fuerit res definita precio comparata.
Violentiae, volentiae.
Egit, egerit.
Probatur, comprobatur.

LEX II.

Comparato, comparare.
Autem, aut.
Defertur, desertur.
Vero, abest.
Pretium, precio.
Accedere, liceat accedere.
Concurrente, currente.
Subsellia, subiectae.
Offendentis, offendite.
Nec inter, neque inter.
Exquisitis, adquisitis.
Feliciano, Felice.

Interpretatio.

Se comparasse, quam se comparasse.
Cognoscat, agnoscat.
Illi agrum, agrum nulli
Aut comparare aut vendere, aut vendere aut comparare.
Nouerat, nouerit.
Secreta, noua manus adscripsit *celebrata*.
Iubetur, iubet.
Esse debeant, debeant esse.
In vsum venditur, in vsum est venditor.
Vicinis, vicinis scientibus.

LEX III.

Iulianum Com. Orientis, Iulianum Constantinopolitanum Commitem Orientis.
Quo, qui.
Celebrare, celebrari.
Mancipes, mancipes.
Eis, eius.
Obligari, sublegari.
Iure ipso non valente propriae res, iure non valeant res propriae.
Ab iis, ab his.
Mamertino & Neuita, Mamertino & nauita.

Interpretatio.

Haberent, habuerint.
Possent, possint.
Aliqua de facultatibus suis vendere, de facultatibus suis aliqua.
In aanis, inanis.
Constituti, constitutis.
Seu viri seu foeminae, siue vir siue foeminae.
Qui comparare, seu qui comparare, *noua manus*, quid comparare.
Voluerit, voluerint.
Venditio facta, facta venditio.
Valebit, valeat.

LEX IV.

Hypatium, eppatium.
PF. P. ppu.
Maior aetate, ob maiorem aetatem.
Conprobatus, conprobatur.
Sita, posita
Distraxerit, contraxerit.
Praedii forte, praediis forte.
Facta distractio est, fit facta distractio.
Reliquum, reliquam.

Obiectio

Obiectis vt viret, obiectu fuaui rer.
Causetur locorum incognitas, locorum causetur incognitas.
Mediol. mediolano.

Interpretatio.

Habita, habeat.
Valebat, valeat.
Positus, positum.
Potuit, poterit.
Venderet, vendidit.
Vendenda, vendita.

LEX V.

Ne quis, nec quis.
Neue ex Christiano iudaicis Sacramentis adtaminet, ne christianum iudeis Sacramentis adtaminet, *recens manus*, iuda icis.
Facinori poene, facinoris pœna.
Subiaceant, subiaceat.
Si qui, si quis.
Soluto, solutio.
Regio, memigio.
Ricomere, Recomere.
Clearco, Quearco.

Interpretatio.

Vt Christianum fit, vt si Christianum.
Præsumat, præsumpmat.
Dignam pœnam, pœnam dignam.
Vt pro, abest *pro*.
Fuisset, fuerit.
Suiret sibi, oouerit sibi.
Permaneret, permaneat.

LEX VI.

Consortibusque, consortibus.
Colore, scelere
Superioro, superiori.
Cassata, cessata, *alia manus* caosata.
Vnusquisque, & vnusquisque.
Arbitratu quærere vel probare possit emptorem, arbitratu iubemus vt quærere vel probare possit empore.
VI. Kal. V. Kal.

Interpretatio.

Quacunque, pro quacunque.
Extraneus emendi licentiam, extraneus licentiam, *Addidit nova manus* adhibendi
Liberum habeat, habeant liberam.

LEX VII.

Augustali, austali, *neglecta lineola quam solebant superinducere olim.* Austali, *enim antiqui Codd. pro Augustali.*
Empti. emptionis.
AA. abest.

Interpretatio.

Precio, precil.
Valebat res, res valebat res.

LEX VIII.

Sibi nihil, nihil sibi.
Theodor. V. C. Const. Theodosius Aug. Conf.

Interpretatio.

Qui emorint, qui ei dederint, *recens man.* eis.

LEX IX.

XII. Kal. XIII. K.
Honorio X. abest X.

Interpretatio.

Quicunque, quæcunque.

TIT. II.

De commiss. rescindenda, - - - - rescendenda.

LEX I.

Omnem eius, eius omnem.
Respiret. non man. superaddidit, fecerit.
Quæ cum, quæcunque.
Et Constantio Cæs. & Theodosio Conf.

Interpretatio.

Ad marginem hic librarius addit, quid sit commissoria cautio.
Penitus fieri, fieri penitus.
Rem de bitoris sub tali, rem a debitore suo sub tali.

TIT. III.

De patr. qui filios distraxerunt, - - - - distraxerint.

LEX I.

Et Arcadius, Archadius.
Requirunt, adquirit
Addixit, adduxit, *non. man.* indixit.
Cui etiam minimi, cui oon minimi.
Spatio, spatium.
Satisfecit ingenui, satisfacit ingenuus.
V. Id. V. Kal.

Interpretatio.

Quemquam, quemcuoque.
Seruitio suo, suo *abest*.

TIT. IV.

De ædilitiis action.
De œdeliciis actionum.

Nibridio G. V. Nimbrio ppo.

Potestas est ei, quæ potestas est &.
Honorio N. P. IX. & Euodio V. C. Coss. Honorio VII. & auocio Coss.

Interpretatio.

Conscripta, facta vel conscripta.

TIT. V.

LEX I.

P. F. P. ppu.

Interpretatio.

Qualibet alia, qua libet alias, *man. non.* quas.
Valere potest, valere non potest.
Allegata, obligata.

LEX II.

Sponsam, sponsas.
Animo, animus *non. man.* animo.
Esse iuris, iuris esse.
Aliquid sibi, quid sibi *non. man.* aliquid.
Sortiri noluerit, noluerit sortiri.
Resedit, residet.
Submotis, remotis.
Matrimonii non contrahendi causa, matrimonium non tradendi causa.
Ab sponsa, ad sponsam *non. man.* ab sponso.
Potestate, potestatem.
Detegatur, detegitur.
Redhibeantur, reddebuntur.
Oportet & si, oportet si.
Sponsa in sponsam donatio, sponsæ eius sponso donatio.
Moros, mortis.
Opponatur, apponatur.
Existimat, estimat.
Contrahantur, trahantur.
Immutata, mutata, *non. man.* Inmutata.
Sententia, sententiam.
Repetitionem. nou. man. adiecit, *reparationem*.
Cansationibus, cautionibus.
Incolumi, incolumis.
Eo, eum.
Functo, defuncto.
Eo etiam qui donauerat ante nuptias mortuo mox infirmari, eum etiam cui donata sunt ad eum qui donauerat mortuum ante nuptias mox infirmari.
Detrahi, detraheret.
Ac matris, aut matris.
Etiam, etiam eius.
Persona. nou man. voluit *personit*.
Erit, habeatur.
Donationes, donationis.
XVII. XVI.
P. P. VI. Kal. Sept. abest.
Aug. V. abest V.

Interpretatio.

Sponsalitie, Sponsaliz.
Solemnitate firmauerit, firmitate solempniter adstrixerit.
Vt & gesta, vt gesta.
Et iam, etiam.
Postea, abest.
Quam depectus est, de qua depectus, *antiqua hic manus volebat*, despectus.
Cartis, cartas.
Explanare, explanari.

LEX III.

Vicariam præfecturam, Vicarium ppo.
Soluta, solutam.
Caritate, caritatem.
Posse eas, eas posse.
Quia, quid.

Interpretatio.

Possint, possint.
Negligenter, negligentes.
Noluerit, noluit.
Pupillaribus, puellaribus. *non. man.* pupillaribus.
Sponsalitiam largitatem. sponsalitia in largitate.
Allegauerit, alligauerit.

LEX IV.

Patri aut matri puellæ aut tutori, patri puellæ aut totori.
Vel curatori, aut curatori.
Desponderit, disponderit.
Si cotra bienn um, nou. man. hic voluit, *fit* intra b.
Relegetur, religetur.
Desponderit, disponderit.
Tradiderit, tradidit.
Marcianopoli, marciano ppo.
Pacatiano & Hilariano Coss. paccatiano & Illariano Csul.

Interpretatio.

Et cum patre, cum patre.
Curatore, procuratore.
Definitionem, difinitionem.
Si atas permittat, abest.
Tarditate aut negligentia, tarditatem aut negligentiam.
A calumnia, calumnia.

Sequente, ſequenti.
Cognoſcetur, cognoſcitur.

LEX V.

Si ab ſponſo rebus, ſi ab Sponſoribus.
Hunc vel illam, huc vel puella.
Gradus ſint, gradus ſit.
Donatori ſponſo, donatori ſiue ſponſo.
Siue heredibus, vel heredibus.
Accept. XIII. accept. XIIII.
Hiſpali, Spaniis.
Nepotiano, Nepoſiano.

Interpretatio.

Aliqua, aliquid.
Forſitan Sponſus, Sponſus forſitan.
Poterit, potuerit.
Vendicare, vindicare.
Acquirunt, acquirant.
Quocunque per gradum, quocunque gradus per gradum.
Aliquid ſponſo donatum, forſitan ſponſo aliquid donatum.
Aut non intercefferit oſculum, oſculum aut non intercefferit.
Totum parentes, totum ſibi parentes.

LEX VI.

Gratian. Valentinian. Valentinian. Gratian.
Puellæ annum, annum puellæ.
Pœnam, pœna.
Et ſi interea, vt ſi interea.
Deceſſerit, diſceſſerit.
Quiſue, quis vel.
Ante duodecim annos, ante duodecimum annum.
Id eſt vsque, idem vsque.
In vndecimi metas, ad vndecimum ætas.
Retinenda, reddenda.
Quadrupli ſiat obnoxius, quadrupli pœna ſiat obnoxius.
Cui, cum.
Veteri, vetere.
Si mater, ſiue mater.
Tutorem curatorem eamue, Tutorum Curatorumue.
Et ex quo, & æquo.
Reſeruatur, reſeruetur.
Arrarum, rerum.
Ab hiis, ab eis.
Compulſum, conpulſam.
XV. Kal XII. Kal.
A. I. abeſt I.

Interpretatio.

Defuerit pater, pater defuerit.
Renuere, renouere
Suſceperant, ſuſciperant.
Addicuntur, addicantur.
Sunt ſuſcepta, abeſt *ſunt*.
Reddunt, reddant.
Sin vero tam puella, ſi quidiam vero puella,
Renuant, renuunt.
Suſcepit, ſuſcepit.
Impleatur, compleatur.
Pertimeſcant, pertimeſcat.
Per ætatem, propter ætatem.
Renuere, renuuere
Tunc quæcunque, hæc quæcunque.
Sponſaliorum, ſponſalicıorum.
Aetatis ſuæ annum. annum ætatis ſuæ.
Si pater. quodſi pater.
Et de nuptiis, abeſt *&*.
Aliquis, aliquid
Malueris, voluerit.
Ipſa ſponſo, ipſi ſponſo.
Satisfaciat in quadruplum, quadruplum ſatisfaciat.
Suſcepit, ſuſcipiat.

LEX VII.

PF. P. ppu.
Nuptiis filia, filiæ nuptiis.
Iaierit, finierit. *nou. man.* ingerit.
Quod cum defenſore, quodcumque defenſore.
Minoris, minores *nou. man.* minora.
Per iniquum per initium. *Hicque librarius periodi finem facit.*
DD. NN abeſt
Theod. X. abeſt *X.*

Interpretatio.

Mutare, mutari.
Aut tutor, abeſt *aut.*
Fortaſſe voluerint, voluerint fortaſſe.

LEX VIII.

Hierio, Hieto.
Inſtrumentum, inſtrumenta.
Prætermiſſa, intermiſſa.
Confecti ae, confectionem.
Nec ſi & imperite, ætati imperitæ.
In dotem, in dote.
Hiis, his
Ab heredibus, heredibus.
Deſtituta ſint. deſtituta ſit.
X. Kal. XI Kal.
Felice, Felice II.

Interpretatio.

Non poteſt, non poterit.
Infra. intra.
Defuerint, non fuerint.
Commoueri, ſubmoueri.
Sed qualiscunque cum die & tempore ſcriptura ſufficiet, ſed qualicunque die & tempore ſcripta ſufficiat.
Seu illa, ſiue illa.
Infra, intra.
Summam, ſumma.
Vacuentur, vacuerentur.
Iubentur, iubetur.
Allegata, alligata.

TIT. VI. KAP. VI.

LEX I.

Prouinciarum adminiſtrandarum, adminiſtrandarum prouinciarum.
Contractura, contractæ.
Poteſt eſſe terribilis, poteſtates ſe terribilia.
Dederit, dederunt.
Siue eadem mutauerint, ſiue alii eandem mutauerint.
Librrentur, liberantur.
Expertes ſint, expertæ ſunt.
Statuit, ſtatuiſſet.
Putent, putauerint.
Late patere, late repatere.
Adminiſtrantes, adminiſtratores.
Sed & circa, ſed circa.
Filiis, filiorum.
Cenſeamus, cenſemus.
Quod tempore poteſtatis, quo poteſtatis tempore.
Ob eas, vt eas.
Puerat, fuerit
Theſſalonica, teſalonica.
DD. NN. Gratiano A. V. & Theodoſio A. I. Coſſ. domno Gratiano V. Aug. & Theodoſio Conſul.

Interpretatio.

In adminiſtratione, in eadem adminiſtratione.
Aliqui, aliquos
Adultos filios ſecum, adultos ſecum filios.
Ad obligandam, aut obligandam.
Aut ipſa, vel ipſæ.
Renuere quod ita, renuere. Quod ſi ita, *nouam nimirum hic conſtituit periodum.*
Viſa, viſa
Nam ſi poſt, nam poſt.

TIT. VII.

LEX I.

Gaudent, gaudeant.
In oppugnationem, aut in obpigneratione.
noua manus, in oppugnatione.
Conſulatur, conſuleatur.
Affinitas, adfinitas.
Delictu, delictum.
Certat, certa.
Vt in pupillarum, pupillorum.
Auctoritatem, auctoritate.
Ac moribus, aut moribus.
Is, his.
Potior. pocius.
Adprobant, adprobaret. *nou. man.* adprobauerit.
Forte hii, forte alii.
Proximo, proximi.
Succeſſiones, ſucceſſionem.
Impediunt, Inpediant.
XVII. Kal. VI. Kal.
Probo VC. probino.

Interpretatio.

Parentibus, patribus.
Tametſi, tamenetſi.
Emancipationes, emancipaciones.
Libertatem, libertatis.
Poteſt te, voluntate
Familiarium, familiarum.
Sint, ſunt.
Qui voluntatem, quo voluntatem.
Honeſtiore, honeſtiori.
Duntaxat, dumtaxat.
Mulieris mortem, mortem mulieris.
Intercedit, intercedat.

LEX II.

Arcadius, Archadius, *& ita ſemper quod non noto.*
Cynegio, Cinegio
Libertate, libertatem.
Relaxata, relaxatam.
Prid. Id. Mart. Id. Mr.
Theſſalonica, teſalonice.
VC abeſt.

Interpretatio.

Legis huius. Poſt hæc verba lacuna eſt octo foliorum, vt patet ex numeris arabicis, ſingulis foliis additis. Deſunt

funt itaque fequentia omnia usque ad lib. IV. tit. 8. Leg. 1. interpretationis verba fequentia.

Erunt a multa condemnatione fecuri, erunt, multa con. dempnatione fecuri.
Vitio perftiterunt, vitium preftiterunt *nou. man.* perftiterunt.
Tutor, nou. man. *auctor.*
Profequi, perfequi.
Periculo fuo, periculi fui.
Vindicatur, vincatur.
Sufceptorum, fubfcriptorum nou. man. *fufceptorum.*
Ipfos, ipfas.
In peculio, de peculio.

LEX II.

P. V. pfo vrbis.
Libertati, libertis.
Necisque poteftas, nec his quibus poteftas.
Actum maior, actuum maiore.
Emptionis, emptionem.
Præfcriptio, præfcriptionem.
Pene, pœnæ.
Extremam, exftremam.
Neque maior, nec maior.
Venditionem, vinditionem.
Adminiftrati profcriptione, admioiftrante præfcriptionem.
Vtrique, vtrisque.
Paria etiam, pari etiam.
Seruitutem rurfus, rurfus feruitutem.
Exceptione, nou. man. *adfertione.*
Vt qui inpuberes, vt puberes *nou. man.* inpuberes.
Annum, annos.
Seruitio, feruitium.
Affertione, adfercione.
Ignoratio, ignorantibus, *nou. man.* ignoracio.
Vt ubliuio, aut obliuio, *recte fecundum mentem Gothofredi.*
Venditioni, vindicione.
Qui rem his, quibus rem.
Proclamauerit, proclamauerint.
Dubitatur, nou. man. hic adiecit, *dicat.*
Si id fuerit negotiatione controuerfum, fi adfuerit nega. tionem controuerfiam.
Affertoris, adfertoris.
Comprehenfum, conprehenfum.
Propria libertas, expoliata libertas.
Seruitute detruſus, feruituta repulfa.
Quondam fuerat habeat, quod fuerat commendatus habeat.
Seruo domini, feruus domini.
Compendiis, conpendiis.
Parta, parata *noua man.* peruafa.
Aut donatione, vel donatione.
Earum rerum, earundem rerum.
Quo a fupradictis, quia fupradictis.
Sequeftri effe, nou. man. *fequeftores.*
Hiis, his.
Eorum, nou. man. *ad eadem.*
Contendat, concedant.
Kal. Jan. Kal. Mart.
Theffalonica, teffalonica.

Interpretatio.

Seruierit, fi feruierit.
Vtilitates, vtilitatibus.
Maioribus, minoribus.
Præcepit, precipit.
In maiore, in maiori.
Aetate pofiti, ætati propofita.
Patronorum, patronum *nou. man.* patronorum.
Præiudicet, præiudicent.
Aut de ingenuitate, abeft *aut.*
De libertinitate, abeft *de.*
Effe fe, fe effe.
Reclamandi, proclamandi.
Recipiat, recipiant.
Ille eis, eis ille.
Quacunque, quæcunque.
Profecit, proficerit.
Perfonis, perfona.
Conlatum, collatum.
Profecit, proficit.
Ingenuos, vel ingenuos.
Libertinos, libertos.
Vendi, vendenti.
In ea, in eadem.

LEX III.

P. F. P. ppoum.
Qua, qui.
Defendit, defendi.
Opitulatur, opitulantur.
Hiis, hii.
Id tempus, idem tempus.
Affectu, affatum.
Perdurarint, perdurauerint.
Initio, integro *nou. man.* initio.
A feruitute, ex feruitute.
Affignatio, adfignatio.
Qui tituli, nou. man. *qui tolli.*
Famulatus, pro famulatus.
Ea iis, ex is.
Libertate, libertatem.
Effet, & fint *alia man.* effent.
Demoratur, demonftratur.
Vt & fi berilem, vt fi virilem.
Domino, dominum.
Partum, partem.

Interpretatio.

Et poftea, abeft *&*.
Quos, quod.
Et colonis, vel de colonis.
Procreatos, procreatus.
In confortio, in conforcium.
Si vero patres hoc fe perfoluiffe non doceant, fi vero patres aut vicaria mancipia aut quæ fupra dicta funt fe per. foluiffe non doceant.
Conditionem matrum, matrum conditionem.
Dominis deperire, dominis de proprio alia reddere, *noua man.* aliena reddere.
Etiamfi de propriis dominis nafcantur, fimiliter etiamfi de propriis dominis nafcuntur.
Poffit, poffunt. *Reliqua omnia ad finem vsque abfunt, fimul cum Leg. 4. Quam etiam Cod. Wurceb. non agnofcit.*

LEX V.

Rufino, ad Rufinum ppo.
Super ftatu fuo, fuper ftatum fuum.
Quiue iis præfentibus, quia vel his præfentibus.
Erit, enim.
Affertoris, adfertoria *nou. man.* affertionis.
Affiftat, adfiftat.
Ne fluctuet, nec fluctuet.
Si de, idem, *nou. man.* fi de.
Superfcriptione, fuper fcriptio.
Prædicti, nec prædicti.
Militare, meditare.
VII. Kal. V. Kal.
Conftantinopoli, Conftantinopolim.
Theodof. A. III. Theodoro Aug. III.

Interpretatio.

Libertate, libertatem.
Aliquid, alicuius *al. man.* aliquid.
Officii, officium *al. man.* officii.
Militiæ, al. man. *munia.*
Eos neceffitas, eorum neceffitas, *al. man.* eis neceffitas.
Aduerfus, aduerfum.
Competit, conpetit.
Exequatur, exequantur.

Titulus IX. abeft, neque in Wurceb. MS. & Ed. Sich. extat.

TIT. X. KAP. IX.

LEX I.

Hiis, his.
Impetrabitur, inpetrabitur.
Reftituto, reftituta
Confcientiam, confcientia.
Cuiusmodi, huiusmodi.
Conftiterit, vt conftiterit.
Potius, pocius *nou. man.* fæpius.
Amiffi, amiffa.
Prop. data.
Id. Iul. Prid. Id. Iul.
Conftantino A. V. & Licinio Cæf. Coff. Conftantinopol. Aug. II. & Licinio Conful.

Interpretatio.

Si aliquis, fi quis.
Hac pœna, hæc pena.
A domino, ad dominum.
Artificii, artificio.
Eft manumiffus, manumiffus eft.
Scierie dare cogatur, fcire cogatur.
Præfcriptione, infcriptione.
Vt iam, vt etiam.
Ad pœnam, vt impleat pœnam.
Repetit, repetitur.
Incurrerit, incurrit.
Aut taciturnitate, per taciturnitatem.

TIT. XI. KAP. X.

LEX I.

Byzacinorum, Bizancinorum.
Leuis offenfa leui offenfa.
VI. V.

Interpretatio.

In feruitium, in feruitio.
Abeft Lex 2. & 3.

TIT. XII. KAP. XI.

LEX I.

Iunium, al. man. *Iouinum.*

Consularem Aemilia, consolarem emiliæ.
Licitatione, lecitatione.
Exigendis, exigendi.
Conductionemque recreari, conductionumque segregari, *nou. man* recreari.
Et hanc, ad hanc.
Alius, alios.
Quam, quæ.
Exegisse, exigisse.
X abest.
Constantino II. Constantio.

Interpretatio.

Litoreis, litore his *al. man.* litoris.
Nauibus, nauibus conductoribus.
Merces, mercis
Strenuus, extraneas.
Præcipit, præcepit.
Obtulerint, obtulerit.
Si quis plus, is qui plus.
Aut mercatorem, ita vi mercatorem.
Aut prouincialem, vel prouincialem.
Grauare cœperit, grauauerit.
Capitis, captis.

TIT. XIII. abest, & TIT XIV. in MS. est XII. maleque Rubricam præfert, *de Vectigalibus & commissis.*

LEX I.

P. FO. ps. post alia.
In rem speciales, in re speciali est.
Personales actiones, personalis accionis.
Vltra, vt vltra
Postuletur, postulatur.
Qualiscunque, qualiscumque.
Nihilominus, nihilhominus.
Hypothecam, epotheca *nou. man.* cellarium.
A suo, abest *a*.
Possidente, possedente.
Nitetur, nititur.
Quod nunc, quo nunc.
Durabit, durauit.
Qua ergo, quæ eo.
Actiones, actionis.
Competere, compete.
Speciale, specia.i.
Adnotationem, adnotatione.
Allegasse, alligassent.
Nisi allegato sacro rescripto, si allegatos agros rescripto.
Eandem rationem, eadem ratione.
Illis, illis.
Recusatis, recusari.
Quæ post litem contestatam in iudicium actione deducta habitoque inter partes de negotio principali conflictu, inter rapaces de negotio principali coonflicto. *alia absunt.*
Tradita, traditæ.
Ex, &.
Comprobantur, conprobatur.
Defendendam, defendenda
Sed pupillari ætate, sub pupillaritate.
Nam cum, et iam cum.
Curatoris, curatores.
Ei similiter, eis similiter.
Vt aliis, & aliis.
Hæ autem actiones, hæc autem accionis.
Annis abest.
Qua, qui.
Illa, ilia.
In demensionem, in diminutiume.
Reducantur, redigantur.
Ante, antea.
Fiducia, fiduciam.
Actionem, actiore
Commemorat, cum memoras.
Post hanc, abest *post*.
Præfinitos, præfinitor.
Ea tempora, ea *abest*.
Actori, acturis.
Continuum, continuo.
Tempore, temporis.
Numeretur, numerentur.
Illis annis, iliis annis.
Videbuntur, videantur.
Vlterius, alterius.
Decurrente, decurrens
Ad XXX, & ad XXX.
Vsque consummationem, usa consummacione.
Spatio, spatium.
Contentum, contemptum.
In annis, abest *in*.
Sed infra decem eorum, in fraudem eorum.
Sic, abest.
Tantum, abest.
Integer numerus, integri numero *nou. man. addit* anni.

Impleatur, compleatur.
Hac definitione, hanc definitionem.
Facultatem patere, facere patere.
V. C. & Symmacho, abest.

Interpretatio.

Tricennio, trecennio.
Debeat, debeant.
Possent, possunt.
Tricennalis, tricennales.
Hac obscurius inter cætera posuisse, obscuris in cetera posuisse.
Dicit, dicet.
Diuæ, diuæ.
Perpetua erant, perpetuæ sunt.
Ad tricennium iussa suas reuocari, a tricennio tempore constituta sunt, *integra ergo hic linea hiatus est.*
Vt quæcumque, quæcumque.
Seu de decennio, abest.

TIT. XV. KAP. XIII.

De quinquen. *præscriptione.*
- - - - perscriptione.

LEX I.

Palladio, abest.
Competitorem, Cumpetitorem.
Petitor, nou. man. *possessor*.
Fortassis, fortasse.
Iudices competitionis, ordinarius iudex competitionis.
Pulsatis, pulsatus.
VIII. VIIII.
Agricola, Agricula.

Interpretatio.

Quicunque, quicumque.
Exinde a nullo, a nullo exinde.
Sibi petere a principe voluerit, sibi petierit a principe.
Ferre, referre.
Excludi iussit, iussit excludi.

TIT. XVI. KAP. XIIII.

LEX II.

Ne quenquam litigatorum sententia, vt nullus alterius quemquam litigatorum sententia.
Constringat, nou. man. *consurgat* addidit.
Ausonio, Auzonio.

Interpretatio.

Iudicis, iudex.
Sui, sua.

TIT. XVII. K. XV.

De Sententiis ex periculo recitatis.
De sententiis & periculis recitandis.

LEX II.

Imppp. Gratianus Valentinianus & Theodosius AAA. Impp. Valentinianus, Valens Gratianus aug. aug. aug *Et hæc est inscriptio legis antecedentis.*
Periculo, periculis.
XVI. XV.
Iun. Iun.
Siagrio, Siacrio.

Interpretatio.

Constitutis, nou man. *institutis*.

LEX V.

Timasio, Timotheo.
X. Kal. abest X.
N. B. P. abest.
Enodio, Euocio.

Interpretatio.

Partibus in causis, in causis partibus.
Plenissimam habebit, habebit plenissimam.

TIT. XVIII. K. XVI.

LEX I.

Vrbi, vrbis *& ita solet.*
Prædonemue, prædonemque.
Constabit, constabat.
Incubarit, incubat.
Alienæ, aliena.
Redhibitione, redibitione, *nou. man.* imminoratione.
Ipsorum, eorum.
Percepit, percipit.
Fructus, fructos
Redegisse, redigisse.
Prædoni, prædonis.
Tenet, tenuit.
Quo re, quod re.
Iudicium, iudicio.
Heredis, heredes.
Par habenda, par habendi.
Addemus, addidimus.
Impensas, expensas.
Re, rem, *male*.
Ipsius, istius.
Cautionis, cautione *nou. man.* auctionis.
Sumptus, sumptos.

Impen-

VARIANTES EX COD. GOTHANO.

Impensas, inpensas.
Claruerit, crediderit.
Cessit, recessit.
Valentiniano NB. P. & Victore Coss. Valano VII. Victore Coss.

Interpretatio.

Quisquis, si quis.
Sibi rem, rem sibi.
Conuentus, nou. man. superaddit, *contentus*.
Ille etiam, illi etiam.
Scienter, scientes.
Præsumpserit, præsumpseriot.
Exigatur, exigantur.
Similiter, simpliciter,
Re, res
Possideat, possedeat.
Addemus, addimus.
Huiusmodi, eiusmodi.
Cæperint, cœperit.
Possidentes, possidentibus.
Repetant, repetantur.

Lex II.

Asclepiodoto, Asclipiodoto.
Ex rescripto, ex perscripta *n. m.* rescripto.
Qui de, quidem.
Comminus, cumminus.
Iuridica, iuredica.
Super hiis, super his.
III. Kal. IIII. K.
Asclepiodoto, Asclipiodoto.
Mariniano, Mariniano.

Interpretatio.

Iudicio, iudicium.
Quicunque, quæcumque.
Petit, petit.

Tit. XIX. Kap. XVIII.

Lex I.

Per legis, legis *n. m* locis·
Solutionem, persolutionem.
Patrati, præfati *n. m.* impetrati.
Quo obnoxii redditi sunt, quod obnoxii sunt hereditate.
Quo debitum solutione, quod debitam solutionem.
Diluerint, diliberent.
Aequabili, equali.
Ex iuri prisci, ex iure prisdem.
Est formu ii, est *abest*.
Debitores, debitor est.
Simile damni, similis dampni.
Persequatur, persequantur.
Debebit, debitam.
Adhibita, nou. man. superaddidit, *debita*.
Tarditatis. tarditatis adiicientes.
Ne iudicatis, nec iudicantis.
Spe dupli, spem dupli.
Quamquam, quicquid.
Festinet. festinent.
Casu, abest
Duple, duplex.
Simple, simplex.
Kal. Iul. Kal. Ian.
Theod. I. abest I.

Interpretatio.

Solutionis se nouerit, solutionis fuit se nouerit.
Ita tamen, id tamen.
Et hoc, ex hoc.
Debitores, n. man. adscrips. *creditores*.
At non velint, si non velint,
Duplicande, duplicandi.
Debebit, debet.
Et ille, & *abest*
Duplandarum, duplarum.
Detur, debetur.

Tit. XX. Kap. XVIII.

Qui bonis ex leg. Iul. ced. poss.
De quibus bonis ex lege Iul. cedere possunt.

Lex I.

In argento, in *abest*.
Effagiat, efficiat.
Acerbitate, acerbitate.
Dilapidationem, dilapidatione *addit alia manus* dilatione.
Abrogatam, abrogatum.
Fortasse, forte.
Incendiisque, incendiisque.
Quolibet, quotlibet.
Maioris impetus, maiores inpetus.
Prop. rom. proposita data romæ.
Ausonio, audoxio.

Interpretatio.

Fiscali, fischali
Sed si aurum, si aurum.
Argentum, si argentum.

Quodcunque, quodcumque.
Se credat, credat se.
De rebus suis, heredibus suis.
Adflictus, afflictus.
Quæcunque, quæcumque.
Exoluere, exoluere.
Huiusmodi, eiusmodi.
Impetu, inpetu. *Et immediate adscripsit* apud Acta *quæ est inscriptio legis sequentis*.

Lex II.

Apud acta Imp. Theod. Aug. dixit. Imp. Theod. Aug.
Idem dixit, dd, *qua absurde noua manus per* dandi, *explicauit*.
VIII. abest.
NB. P. pc.
Et abest.

Interpretatio.

Omni firmitate, omni *abest*.

Tit. XXI.

Quorum bonorum,
De quorum bonorum.

Lex I.

Vicario, viro clarissimo.
Quod possit, quid possit.
Mediolani, mediolano.

Interpretatio.

Competit, competit.
Actione, accione.
Putauerit, potuerit.

Tit. XXII. Tit. XX.

Lex I.

Obiciant, obiciant.
Illibatis, inlibatis.
Nec hos, ne his.
Ipsi causa dictio, ipsius dictlo causa.
Experiunda re, experiundo rei.
Serui sint, serui sunt.
Reiiciant, reiciant *n. m.* requirant.
Personas, personam.
Huiuscemodi, huiusmodi.
Possessioni, possessionis.
Largiri, largire.
Possessioni, possessionis.
Negligentes, neglegentes.
Possessioni, possessionis.
Sublatus, subleuatus.
Ad disceptationem, a disceptatione.
Immutilata, immaculata.
Mediolani, mediolano.
A. VII. Aug. VI.
Coss. abest.

Interpretatio.

Causatur, causetur.
Illi, ille.
Peregrinantur, peregrinatur.
Commiserint, commiserit.
Nec procurator, vel procurator.
Domino, domini.
Iniungente, iubente.
Hiis, his
Domino absente, absente domino.
Negligentiam, neglegentiam.
Redierit, redigerit.
Beneficio. beneficiis.
Duntaxat. duntaxat.
Integra ætate, integritate.

Lex II.

Potitum, oppidum.
Vicarium, V. C.
Solenniter, solemniter.
In perpetuum, in perpetuo.
Cum precibus poposcisset, quæ precibus poposcit.
Interlocutione suppressa, interlocutiones suppressas.
Curatores vel tutores, curatoris vel tutoris.
Iurgandi, ingrandi.
Copia, copiæ.
Et fructus, abest *&*.
Iis. his.
Atterat, iterato.
Damno, dampnum.
Octobris, octubris. *quæ vox ex* Treuiris *ita conflata, quod vrbis nomen abest*.
Eucherio, Eucerio.

Interpretatio.

Actione, accio non.
Conturbauerit, turbauerit *n. m.* perturbauerit,
Negotio ipso careat, negotium ipsum gerat.
Nunquam, numquam.
Voluit, voluerit.
Quam diximus, qua diximus.

Lex III.

VARIANTES EX COD. GOTHANO.

Lex III.

Messanum, Missianum.
Com. R.P. VC. Lusp.
Plerosque, plerumque.
Quæsierat, quæsierat.
Contumacius, contumaces.
Quam decus, quoe decus.
Ereptos, ereptos.
Spernerent, spernere.
Audacia, audaciæ.
Cedat, cedat.
Operiri, operire.
Illi vero quos in tantum fauorem, ille vero in tanto fauore.
Audacia, audaciam.
Iurgaturi, iurgatur.
Temerarent, temerari.
Cogantur, cogatur.
Priuatis, priuandis.
Litem expectare, exspectare litem.
Fisci, fischi.
A iudice, iudicis.
Præsumpsit, præsumpserit.
Aestimatione, exstimatione.

Lex IV.

Consulari, Consuli.
Commoda tueri, commodaueris vel commodauerit.
Quæ comprobantur, ad quæ comprobantur.
Consulere, al. man. adiecit, *consoluere*.
Qui vtenda, quia vtendæ.
In militia, in militiam.
Constiterit, constiterint.
Repetitione, reppeticione.
Iun. Iul.
Mediolani, Mediolano.
Ad. abest.

Interpretatio.

Quicquid, quidquid.
Quo vsque redeat, qui vsque dum.
Vindicentur, vindicetur.
Quæcunque, quæcumque.
In militia, in militiam.
Iubemus relationi, distinctione iubemus.
Hispaniarum, Spaniarum.
Responsum, rescriptum.
Interpellare, interpellatore.
Eo qui, eum qui
Partium, parcium.
Vitia, vicia.
Successorum, al. man. adiecit, *successionem*.
Mediolani, Vediolano.
Attico, Adtico.

Interpretatio.

Vllius, illius.
Conuenit, conuenire.

Lex VI.

Quamcunque, per quamcunque.
Obrepta, al. man. huic voci superaddit, *subreptio*.
Opitulatur, opituetur.
Rauenna Constantio & Constante Coss. Rauenna Constaotias & Constans Consul.

Interpretatio.

Infra, intra.
Facta petitio, acta peticio.
Nihil, nichil.
Valet, valeat.

Tit. XXIII. K. XXI.

Lex I.

Impp. Arcad. & Honorius Ad Vincentio P P F. Galliarum Impp. Honorius & Theudosius aug. Vincentio pfu galliæ.
Possedit, possedet.
Necessitatem, necessitates.
Tentauerint, temptauerint.
Tunc, hanc.
Agitari, agitare.
Solenni, solemni.
In his, in his.
Habebunt, habebunt & cætera.
Aureliano, Aurilia.io.

Interpretatio.

Momentariam, momentum *al. man.* momentariam.

Explicit Liber IV. Incipit lib. V. De Legitimis heredibus. *Impressi, legitimis hereditatibus, habent.*

Lex I.

Bassum, passum.
Agnationis, quam vocem n. m. absurde mutauit in, *agnitionis*.
Porriguntur, corriguntur, *n. m.* perriguntur.
Quotiescunque, quotiescumque.
Quam & nepoti, dumtaxat nepoti.
Agnationis minime durante, accionem enim durante.
Licet habeat, & licet habeat.
Diremta, direpta.
Ne multis, nec multis.
Matri, matris
Eorumque filius, eorumque filios.
Neptesue, & neptesue.
Deferenda est, defensa est.
Tertia bonorum, tertiam bonorum.
Debebit, debet.
Existentibus, extantibus.
Vt sibi delata, vt si delatæ.
Adrepto, arrepto.
Destinatione, distinatione.
Consequentur, consequantur.
Successores, successiones.
Complectetur, complectitur.
Penes, pœnis.
Manere, al. man. adscripsit hic, *tenere*.
PP. XIV. data XIII.
Romæ, roma.

Interpretatio.

Quatuor, quattuor.
Certe patrui, certe patruum.
In filii, abest *in*.
Liberorum ius, ius liberorum.
Superfuerint, superstites fuerint.
Defuerint, desuerint patrui.
Patruos, & patruos.
Quæ si, quod si.
Hereditas, abest.
Et hii, & hi.
A successione, ad successionem.
Aditæ, additæ.
Lex ista, hæc lex.
Absunt illa, *hic de iure &c.*

Lex II.

PF. P. pu. po.
Filius consanguineus, filios consanguineos.
Quæsitus, quæsitos.
Diminutione, deminutione.
Patiatur, paciatur.
Diminutione, deminutione.
Ineatur, instiatur.
Nam constitutio, nam si constitucio.
Præf. Vrbis, ppo.
Vt si, quod si.
Siue filius filiæue eorum, siue filii filiæque eorum.
Componant, conponatur.
Vt in, abest *vt*.
Qui frater, quibus frater.
Suum teneat robur, suum roborem teneat.
Kal. Ian. Kal. Iun.
Constantinopoli, Constantinopolim.
NS P. quod pessime al. man. explicat *nobili præfecto*.
VC. abest.

Interpretatio.

Relinquat, reliquerit.
In totum, in toto.
Excludunt, vsque ad *superstitibus emancipatis* exclusiue absunt.
Vt si ius liberorum mater, vt si mater ius liberorum.
Esse superstites, abest *esse*.
Consequatur, consequatur.
Duas partes, abest *partes*.

Lex III.

Gratian. Valentin. & Theodos. Valentinianus, Gratianus & Theodos.
Quoties, quotiens.
Seu eam, siue eam.
Seu etiam, siue etiam.
Intestata, intestata.
Incolumes, incolomes.
Optabili, optabi.
Mediolani, Mediolano.
Merobaude II. abest nota numeral.

Interpretatio.

Filia, si filia.
Superstitum, superstites.
Hereditate succedant, hereditatem succedant.
Fiducia, Fiduciata.

Lex IV.

Constantiano PF. P. Galliarum, Constantino pfo Galliæ.
Reliquerit filios & ex filia defuncta cuiuscunque sexus aut numeri: aberant hæc sed addita sunt a recentiore manu.
Eius partis, ex eius parte
Quam defuncti, qua defuncti.
Superstes, superstis.
Sororibusue eius, sororibus vel eius.
Commodo, quomodo.
Legem, lege.
Accrescat, adcrescat.

Sed

VARIANTES EX COD. GOTHANO.

Sed qui, qui.
Quantam Falcidiam, quartam falcidiam.
Auie materna, auia materna.
Paterna, paterna.
Elogia, logia.
Inurenda, inurendam.
Iusta semolat, iuxta se motus.
Monstrauerit, monstrauerint.
Si intestatus auus auiaue defecerit hac de nepotibus qua sancimus iura seruamus, in auos si cum auia intestatus defecerit hæc nepotibus quæ sancimus iura reseruamus.
Obierint, obuiauerint.
exheredaerint, exheredauerint.
poterant vel de re, poterint vendere.
competere, conpetere.
deferemus, deferimus.
Competunt, conpetunt.
Timasio, Thiadio.

Interpretatio.

Fratrem & sororem, fratres & sorores.
Ac neptes, vel neptes.
Consequuntur, consequantur.
Vel matris, vel de matris.
Perdunt, perdant.
quam patruis & amitis ex auie paterna bonis auunculis & materteris ex auia materne bonis sicut & de aui materni conquirunt, nam si patruus vel amita vel auunculus & matertera fortasse defuerit ad fratres vel sorores auiarum tres vncia & ad nepotes nouem perueniant, pro paruis & amicis ex auiæ paternæ bonis auunculis & materteris ex auiæ maternæ bonis auunculis sicut & aui, materni conquiruut. Nam paruus & amita tres vncias & ad nepotes nouem perueniant. *Super hac verba recens manus sequens glossema addidit.* Quam de patruis testamentis & amitis ex auiæ maternæ bonis sicut & de aui materni conquirunt nam si patruus & amita & auunculis & matertera fortasse desiterint ad fratres vel sorores auiarum.
Hereditate, hereditates
Ac neptes, vel neptes.
Exheredauerint, exeredauerint.
Competere, conpetere.
Tribuetur, tribuatur.

Lex V.

Aureliano, Auriliano.
Auis, aui.
patris, n. m. adiecit, *patris*.
Qua, quia
Patrum, patruum.
Matrum, matris.
Hereditatem, hereditate.
Quam lex, qua lex
Partiantur, parciatur.
Amplius bis, amplius is.
Quidquam, quam.
Tertia partis eius, partis eius tertia.
Iungeret debebatur. iungere debeatur.
Noluerint, voluerint.
Aliena iam familia esse procreatos, alienam in familia esse procreatis.
AA. Conf. abest.

Interpretatio.

Quidquid, quicquid.
Post mortem, cum post mortem.
Vt de dote, vt dote.
De eo, de id.
Contenti, contempti.

Lex VI.

Maximo PP. Maximiano & Archadio pfo. Vrb.
Casu, occasu.
Diminutio, diminutione.
Personæ spectatur, personæ exspectatur.
Quoties, quotiens.
Rauenna, rauenna.
Theod. A. IX. & Constantino III. Coss. Theodosio Consule.

Interpretatio.

Emancipatio, & mancipatio.
Ac matris, aut matris.
Impediat, inpediat.
Triente, trientem.
Quam lex eis, quæ lex eius.

Lex VII.

Subnexa est, abest *est*.
Diminute, deminuto.
Tertiam, tercia.
Nullo, in nullo.
Falcitur, fulciatur.
Vnciis, vncias.
Matris, matri.
Sicuti, sicut.
Vnquam, vmquam,
Superioris, priora.

Probatorum, probaturium
Nepoti, nepote.
Omnibus reliquis, contra omnes reliquos.
Potior, pocius.
Diminutus, deminutis.
Nihil, nichil.
Consequitur, consequatur.
Quatuor, quattuor.
Sanctione, sanccione.
Ambigua, ambiguam.
Fata, facta.
Febr. Septembr.
Roma, abest.
II. AA. abest.

Interpretatio.

Istam, ista.
Quod amplius, hoc amplius.
Hoc de adoptiuo, quod & de adohtiuo.

Lex VIII.

Patri, pari.
Thorum, tutorem.
Secundo, secundum.
Mutarit, mutaret.
Delata, delicta.
Filium vel filiam, filiasque.
Censuimus, censuimus & cætera.
Iure, proprio.
VII. VIII.
Rauenna, abest.
Valentiniano, Valentinianus.

Interpretatio.

Si superstites, abest *si*.
Alias, alteras.
Et filiam non habuerit, & filios non habens
Quod voluerit, quæ voluerit.
Mortui aliunde, mortua aliunde.
Adquisitum, adquesitum.
Vindicet, vendicet.
post matris, post patris.
Vindicabunt, vendicabunt.
Filias aut filia, filios de filia.
Sed tamen, & tamen.
Integra, integram.
Facultate succedunt, facultatem succedant.

Lex IX.

Abroganda, adscripsit n. m. *absoluta*.
Natura legisque, natura legis quæ.
Defendit, deffendit.
Quod interdum, quod si interdum.
Successionibusque, successionibus.
Tribuatur, tribuetur.
Concesserint, cesserint.
Tulimus, n. m. superius addit, *colimus*.
Credidit, credit.
Et hac lege, abest *&*.
Defertur, deferitur.
Nisi si, abest *si*.
Vindicare, vendicare.
Fisco, fischo.
Matrimonii præponamus, matrimonio præponantur

Interpretatio.

Hac lex, lex hæc.
Fisco, Fisho.
Succedant, succedat.

Tit. II.

De bonis Decurionum.
Decurionum, id est, curialium. *& n. man. adiecit*, bonis.

Lex I.

Alio quo iure, aliquo iure.
Exemptus, exceptus.
Vt vacantia, aut vacantia.
Omni, omne.
Beneficis, beneficium.
Siquod, sicut.
Infirmando, Infirmandum.
Kal. Dec. X. Kal. Dec.
A. V. & Licinio & Cæs. Coss. A. & Licinio Coss.

Interpretatio.

Ordine subdacitur, ordini subditur.
Reliquerit, relinquerit.
Vindicabit, vendicabit.

Tit. III.

de bonis Clericorum & monachorum.
de Clericorum & Monachorum.

Lex I.

Et Valent. abest *&*.
P F. P. pfu.
Subdiaconus, Subdiaconissa.

Decesserit, discesserint.
Ei, eis.
Siqui, siqua.
Cognationisue, conditionisque.
Fuerat, fuerit.
Omnifariam omnifaria.
Iis facultatibus. his facultatibus.
Cuiuscunque, cuiuscumque.
Relinquunt, relinquuntur.
Iustum est, est iustum.
Ecclesiis, ecclesiasticis.
Competentes, competere.
Sacrosanctis ecclesiis reseruatis, Sacrosanctæ ecclesiæ reseruatis.
Obnoxius, obnoxiis.
Petitori post huius, petitori aut post huius.
œconomis, economis, *al m.* dispensatoribus.
Ipsa petitione, ipsam petitionem.
Fuerant, fuerint.
Ariouindo, ariouendo.

Interpretatio.

Testari, testare.
Habebunt, habeat.

Tit. VI.

Lex I.

Vniuersis, vniuersi.
Vexillationibus, vexillacionibus.
Comitatensibus, comitantibus.
Cunctis, cunctis.
Vt cognoscant, vt cognoscant.
Ad vexillationem, ad vix illacione.
Peruenire, pertinere.
V. Id. Mai. Id. Maias.
Rufino, Rufo.

Interpretatio.

Si milites sine, milites qui sine.
Militans vindicabunt, militantum dieabunt.

Tit. V.

De Postliminio.
De postliminium, id est post captiuitatem regressi.

Lex I.

Irruptionis, inruptionis.
Postliminii, postliminium.
Fisco, Fischo.
In aliquem, in aliqua.
Quisquam, quicquam
XVI. Kal. Iul. XV. Kal. Febr.
A. I. A. II.
Dagalaifo, Degalaifo.

Interpretatio.

Quicunque, quicumque.
Necessitate captiuitatis, captiuitatis necessitate.
Quæcunque, quæcumque.
Vel mancipiis, siue mancipiis.
Vindicent, vendicent.
Se detentos, detentos se.

Lex II.

Retineat. reteneat.
Impensum, inpensum.
Humanitati, humanitate.
Victualis, victuali.
Exceptis iis exceptis his.
Emptos esse, emptus esse.
Redhiberi, rediberi.
Decet redemptos, de cetero redemtus.
Aut datum pro se pretium, aut dato pro se pretio.
Beneficiis, beneficio.
Habituros, habiturus.
Incolumem eam in qua nati, incolumem si in ea qua nati.
Reddantur, & hic librarius periodum claudit.
Sedibus, in Sedibus.
Seruata, reuocata.
Actor, auctor
Dominus, dominus est.
Fisco nouerit vindicandam, nouerit fischo vendicandam.
Seque, seu.
Christianos, Christianis.
Curiales, Curialis.
Vniuersi, vniuersis.
Libras, librarum.
A se & tantundem a suis apparitoribus exigendas, a se tantum & de suis apparitoribus exigendum.
Rauenna, abest.
VIII. VII.

Interpretatio.

Hi, hii.
Vestitum, vestimentum.
Minime. a nemine.
Emptor probauerit, se empor probauerit.
Quinquennio, quinquennium.

Sine pretio ingenuitati reddatur, ingenuitati sine pretio reddatur.
Tentauerit, temptauerit.
In exilio deputandum, in exilium deportandum.
Ista sollicitudo, sollicitudo ista.
Vt omnes, abest *vt*.
Libras, librarum.

Tit. VI.

Lex I.

Si quos, si quis.
Aliorum indiciis recognoscunt, aliarum indices recognoscant.
Contra conscientiam, contra id conscientiam.
Certissima, non. man. *per certissima.*
Per iniuriam, per iniurias.
Prop. VIII. Kal. Mar. Rom. Volusiano & Anniano Coss. data VII. K Mart. romæ III. Volusiano Consul.
Temporibus tyranni, tiranni temporibus.
Hoc ordine sciens, sciens hoc ordine.

Tit. VII.

Lex I.

Ad Ablauium, Ablauio.
Robur, robor.
Recollectum, collectum.
Domo, dominis.
Abiecerint, amauerint.
XV. V.
Constantinop. Constantinopolim.

Interpretatio.

Et si adoptare voluerit, absunt hæc & reliqua vsque ad finem Interpret.

Lex II.

Theodosius, Theudosius.
Militio, Miledio.
Quodammodo, quodadmodum.
Amica, amici.
Contempsit, contemsit.
Testes, testis.
XIIII. XII.
Rau. rauenna.
N. B. VIIII. VII.
AA. abest.

Interpretatio.

Collegerit, colligerit.
Contestationi, contestacionem.
Clericique, clericumque.
Subscripserint, suscripserint.
Postea suum, suum postea.

Tit. VII.

De H. Q. Sanguinolent. emptos vel nutriendos accep. abest a rubrica *emptos.*
A sanguine quoquo modo, sanguinei quoque modum.
Nov. man. receptam lectionem addit.
Comparauerit, conparauerit.
Ad libertatem, abest.
Repetat, reppetat,
Præstet, prestat.
Competens, conpetens
Pœna subiiciendis iis, panam subiiciendi his.
Tentauerint, temptauerint.
Prop. XV Kal. data V Kal.
Serdica, Syrdice
Constantino VIII. & Constantio IV. AA. Coss. Constantinopol. Aug. Coss.

Interpretatio.

Liberam, abest.
Pater, mater.
recipere voluerit, recipere voluerit qui nutritus est.
Nutritor pretium, pretium nutritor.
Voluerit qui nutritus est consequetur, valuerit consequatur.

Tit. IX.

Lex I.

Apud, aput.
In seruilem conditionem, in seruili conditione.
Vt officia, & officia.
Merito, meritum.
Compellantur, conpellantur.
Pacatiano, Pacacio.

Interpretatio.

In domo sua, in domum suam.
In seruitium, in seruicio.

Lex II.

Erit, erat.
Auri vncias, vncias auri
VIII Kal. XVII. Kal.
NB. P. abest.
Euodio, Euuocio.

Interpretatio.

Occultauerit, n. man. *susceperit.*
Auri vncias, vncias auri.

Imple.

VARIANTES EX COD. GOTHANO.

Implere, inplere.

Tit. X.

Lex I.

Originalis', orriginalis.
Triginta annos, annos XXX.
Silentii continuatione repetitus est, silentii repetitione petitus est. *n. man.* continuatione repetitus.
Originarius, Orriginarius.
Discessit, discesserit.
Siue per fug. seu par fug.
Agrorum iuri, agrum iuris.
Decessit, recessit.
Executione, exaccione.
Itaque mulierum, his itaque mplierum.
Cesset, cessit.
Earum vero, eorum vero.
Ac de conditione, hac de condicione.
Dominis, domini.
Ea tamen conditione, attamen conditione.
Vicaria, vicariæ.
Ad alienum, abest *ad*.
Prædium, præiudicium.
Intra præf. infra præf.
Solemniter, sollemniter.
Rauen. abest.
Monaxio & Plinta, Maximo & plenta.

Interpretatio.

Vindicet, vendicet.
N. requiratur, n. queratur.
Et de alieno colono filios, & filios de alien. colon.
Sequuntur, secuntur.

Tit. XI.

Ne colonus inscio dom. suum alien. vel pecul. vel. lit. infer. ei ciuil. Ne colonis inscio domino suo alienentur peculium (n. m. alienetur) vel litem inferat ciuilem.

Lex I.

Valentinian. & Valens, Valens & Valentinianus.
Clearcum, 'Cusarcum
Vt & si qua, vt si qua.
Prop. habeant, prop. habuerint.
Et Valente, & Valens.

Interpretatio.

Dominis, a Dominis.

Tit. XII.

Disciplina, disciplinam.
Nihil, nichil.
Iuliano A. IV. Iulio IIII.

Interpretatio.

Publicis, iudicis.
Impedit, inpedit.

Explicat Lib. V. feliciter, Incipit Lib. VI. Vt Dictatum (nou. man. dignitatum) ordo seruetur.

Lex I.

Imp. Gratianus Valentin. & Theodos. Imp. Gracianus & Theodosius Valentinianus.
Clearcum, *P. V.* Clearum ppo.
Potius, poscius.
Quod videtur, id quod videtur.

Interpretatio.

Honores, honnrem.
A principe ipse non meruerit, a principe non meruit.

Lex II.

P. V. ppo.
Numinis, nomInis.
Ignoratione, ignorantia.
XII. Kal. Iun XII. Kal Ian.
Mediolani, Medinlano.
Richomere, Ricnmero.
Clearcho V. C. C. C. Coss. Clearco *Coss.*

Interpretatio.

Meruerit, meruit.
Hic de iure addendam &c. abest.

Reliqua suo loco vide inserta.

ADDENDA & EMENDANDA.

In Tom. I.

Pag. 3. lin. 17. lege, *leg. 15. de Numerar.*
- ead. lin. 18. supple lacunam, & lege, *leg. 21 sin. vlt. de exactionib.*
- 8. *not. a.* de Leg. 11. D. de pœn. & leg. 13. de test. monui, quas leges lineola inclusas vides in Commentar. Est autem vt iam video, vtraque ex Digestis, & male typographus Lugdunens. τὸ *ff* mutauerat in *infr.* quod mihi fucum fecerat. Itaque *notam* (a) sic velim restituas. *Sine dubio est intelligenda lex 11. D de pœn. vbi legitur, sed perpenso iudicio. Alteram legem 13. frustra etiam in hoc Cod. quæsieris, sed intelligenda est lex 13. D. de test. in fin vbi legitur, eius quoque testimonii fidem, quod integræ frontis homo dixerit, perpendero.*
- 32. in leg vn. de Respons. Prudent. in leg fin. ita lege: *Pauli quoque sententias semper valere præcipimus, & cætera.*
- 44. col. 1. lin. 8. lege, *Leg. 2. infr. de Veteranis*
- 144. in leg. 3. de ter. in fin. lege, *DD. NN. Honorio VIII.*
- 180. in not. a. lege, *neque ante completum biennium.*
- 195. in not. * leg. *a Cod. Iust.*
- 284. in leg. 5. lin. 2 lege, *Iudaicis Sacramentis adstringat.*
- 288. in leg. 8. fin. lege: *Theodoro V. C. Cos.*
- 317. in Interpret. leg. 1. de Nupt. lin. 5. lege, *non quorumcunque.*
- 404. in leg. 2. de liberal. caus. lin. 24. lege, *quæ ex eorum rerum quæstu.*
- 439 in Interpretat. leg. 1. de fructib. & Lit. expens. lin. 3. lege, *pro hac ipsa re reddenda.*
- 457. colum. 1. lin. 37. lege, *Pacati cap. 25.*
- 465. in Interpretat. leg. 1. de legit. hæreditat. lin. 2. lege, *viuos & libertina quatuor.*
- 471. in leg. 6. de legit. hæredit. lin. 2. lege: *tunc enim in huiusmodi.*
- 475. in leg. 9. de legit. heredit. lin. 4. lege: *sanctitas inter eos sit digna.*
- 521. in Interpretat. leg. 1. ne colon. lin. 2. lege: *neque de peculio suo.*

In Tom. II.

In Præfatione ad Lector.

Fol. 4. vers. lin. 53 scribe: *tot tantasque.*
& lin. 64. scribe: δοφεκτόρων.
Fol. 6. 1. lin. 19. scribe: πολιτεία.
Fol. 10. 1. lin 19 ducenta exemplaria, male habent, *tandem claudri*, lege: tandem claudit.


* * * * * *

Pag. 50. col. 2. lin 40. adde, *Concilii Arausicani II, pag. 1102. Tom. II, Concilior. Harduin.*
- ead. lin. 41. adde: *in Valentiniani rescripto ad Agentium Vicarium V. R. quod attulit Cl. Iuretus Miscellaneorum ad Symmachum Lib. X. ep. 37. pag. 282. edit. Paris. 1604 in 4.* Sed ipsum velim consulas Iuretum, & obseruabis non tantum Gothofredum hic omnia excerpsisse, sed & multa præterea esse in his obseruationibus, quæ ad intelligentiam accuratiorem Dignitatum *Clarissimatus & Illustratus* faciunt.
- 58. in not. l lin. 2. dele parenthesin. Recte enim secundum Pariiinam ex Symmacho *lib. 1. ep.* 18. citatum est: quæ *epistol.* 44. est ordine in edit. *Iacob. Lectii* in 12. qua hactenus vsus fui. Alia loca in eadem nota ex Symmacho adducta & lineolis inclusa, recte restitues ex obseruatione Cl. Iureti Miscellan. ad Symmach. lib. X. ep. 36. pag. 280.
- 86. in not. e. adde: *teste Seruio ad Æn. VI. v. 53.*
- 89. col. 1. in Commentar. lin. 29. adde, *Sozomenus lib. 9. cap. 8.*
- 99 col. 1. lin. 57. locus Iuliani *Ep.* 10. lineolis inclusus, nam ibi nulla Sebastiani mentio, vti nec in aliis ad Alexandrinos datis epistolis. Legendum itaque puto: *De quo sensisse videtur Iulianus Ep. 10. ad Alexandrinos, vbi* στρατηγὸν τῆς Αἰγύπτου, *memorat.* Nam dubitandum non est, ibi intelligi *Sebastianum*, qui Georgium pulso *Athanasio* in sede Alexandrina armis imposuerat, quod satis docet *Athanasius* locis citatis, & *Cl. Valesius* notauit ad Marcellini *loc. cit.*
- ead. lin. 65. col. 1. lege. *occurrit mentio*: & lin. 66. dele colon, & lege: *cuius mentio fit.*
- 117 in Commentar. colum. 2. lin. 36. dele parenthesin & lege: *Orat. 4. pag. 118. edit. Petau. Orat. 13. pag. 293. edit. Harduin.*
- ead. colum. ead. lin. 39. lege: *recte retulit Petauius ad codicillos in not. pag. 522. edit Harduin.* Adde ibidem Harduini notam, qui probat locum ad honorarios Codicillos non pertinere, quod dudum Gothofredus noster ibidem obseruauerat (aduersus opinionem Cl. Petauii,) cuius tamen nomen raro laudare solet doctissimus ille Gallus.
- 124. in Commentar. col. 2. lin. 2. leg. *pag. 76. & 78. edit. Morell.* & pag. ead. lin. mox seqq. in pagin. cit. ex orat. Liban. intellige edition. Gothofredian.
- 192. col. 1. lin. 61. dele parenthesin, & scribe: *lib. II. Var. epist. 31.*
- 197. colum. 2. lin 38. lege, *definitum nunc it.*
- 203. in leg. 12. not e. leg. *vid. infr. de exhib. reis.*
- 250. lin. 32. lege: *& tit. 23. lib. 10. leg. un. de Classicis.*
- 261. lin. 61. lege, *non diu emanere.*
- 273. colum. 2. lin 32. scribe, *Marcellinus lib. 26. cap. 5.*

Pag. 277. col. 2. lin. 16. lege *Oper. edit. Francf.*
- 279. col. 2. lin. 15. leg. *qui aderant.*
- 280. not. h lin. 6. leg. *adfectans.*
- 283 col. 1. lin. 37. leg. *nontamen.*
- 283. in Commentar. ad leg. 15. de Re mil. col. 2. lin. 11. adde : *ad Timotheum Homil.* 13. ἐν τῷ ἠθικῷ *in fin. pag.* 1593. *edit. Commelin.* Adde etiam si placet versionem: *nam si miles intentus negotiis, veluti desertor militiæ iure damnatur.*
- 286. in Commentar. col. 1. lin. 49. adde: *Concil. Turonens. III. can.* 14. *pag.* 1025. *Tom. IV. Concil. Harduin.*
- 293. ad inscript. Leg. substitue pro num. XI, *n. II.*
- 294. col. 2. Auctoritatem Turcii Aproniani PV. vide integram *apud Gruterum Inscript. DCXLVII. num.* 6.
- 296. in not. a. Commentar. subiecta, lin. 3. lege, ἀκου-σίως.
- 297. not. g. ad leg. 6. lin. 3. scribe, *Marcellinum*, & lin. 12. not. ead. *fuit Constantius.*
- 309. in not. d. ad leg. 17. lin. 4. leg *Ammianum lib.* 15. *c.* 6. & consule ibidem notas Cl. Lindenbrogii, alia enim huc pertinentia vir doctus suppeditauit.
- 311. in not. c. ad leg. 18. lin. 2. scribe: *lib.* 5. *cap.* 10.
- 329. in Comment col. 1. lin. 31. leg. *Historiæ Aug.*
- 365. in not. f. ad leg 1, lin. 1. adde: *Marcellinus lib.* 30. *cap.* 1.
- 369. in not. a. Commentar. subiect leg. *Aduersar. lib.* 4.
- 376. in Commentat. leg. 5. col 2. lin 9. adde: *Plutarcho in Lysandro de Philocle Atheniensium Duce, pag.* 438. *edit. Xylandr. apud Wechel.* & lin. 10. ibid adde: *Histor. Miscell lib* 16. *pag.* 110. *Tom. I. Script. Rer. Ital.* Cæterum huc pertinentia nonnulla collegit. Cl. Kuhnius in not ad loc. Ælian. cit.
- 377. col. 1. lin. 6. leg. τὰ Ῥήγια.
- 391. in Commentar. leg. 8. col. 2. lin. 1. locum citatum Chrysostomi *Homil.* 111. *in Ioannem*, quære *pag.* 59. *edit. Benedictin. Tom. VIII.* adde interpretationem si placet: *Rex quidem conservos suos, qui eandem naturam participant, non dignatur in exercitum regium adscribere, si servi quidem illi fuerint.* Lin. 5. adde: *de statuis* 21, *quæ est ad illuminandos Catechesis* 2. *in edit. Benedict. Tom. II. pag.* 239. adde etiam versionem. *Non hæc autem sola militiarum oportet habere, verum & libertatem, si quis enim sit seruus reiicitur.*
- 430. in inscript. Leg. ad not. numeralem II adde, lit. (*a*) & ad Dignit. vocab. A. scribe (*b*) In ipsa lege lin. 15. post illud, *perfruantur*, dele *, & reiice in lin. 18. post illa, *labores perfruatur* *
- 470. lin. 10. post illa, *in Not. Imp.* dele parenthesin, & lineolam adscribe post illa, lin. 11. 30. 33. 36.)
- 471. in Comment. col. 2. lin 22. lege: *Cassiodorus XI. Var* 25.
- 479. in Commentar. ad leg. 8. col. 2. lin. 23. lege. *Ptochotrophii cuiusdam, misso ad eos Chorepiscopo.*
- 492. not. (ii.) ita legas: *Hanc vocem vnus ex Codd. Sichardi non agnouit. MS. Goth. autem hic mutilus erat; nam post verba, colonus ille vel seruus, negligentia librarii reliqua vsque ad fisci viribus aberant, quæ tamen recentior manus ad finem folii adscripsit.*
- 504. in Commentar. col. 2. lin. 20. leg *Conditionales.*
- 526. in Commentar. col. 1. lin. 33. corrige; *instituit, Vehicularium*, & lin. 34. lege, *sublevans.*
- ead. col. 2. lin. 25. & 26. scribe; *Seuerum Sulpit. Dialog.* 2. *cap.* 3.
- 529. not. b. lin. 8. dele paginam, & scribe, *Augustinus lib.* 1. *de sermon. Dom. in monte cap.* 16. *num.* 50. *edit. Benedict. pag.* 168. *Tom. III. part.* 2.
- 532. in Commentar. col. 2. lin. 7. scribe: ξυλίνοις *Libanio.*
- 534. in Commentar. ad leg. 4. col. 2. lin. 16. adde: *CCCLXXXIX. n.* 7.
- 542. in Comment. col. 1. lin. 18. lege; δέματα
- 578 in not. a. lin. 2. lege: *Sagmarium.*
- 579. in not. a. lin. 21. lege, *Suidam in* λιβέρνος, & mox, *in voce enim* λιβερνὰ.
- 595. ad fin. not. a. adde sequentia: *de Tractoriis autem plura vide apud Steph. Baluzium in not. ad Capitular. Tom. II. pag.* 1194. *& ad Lupum Ferrariensem p.* 400. *Filesacum in Comment. de sacr. Episcop. auctor. c.* 1. *§.* 20. *Sirmondum in not. ad Capitul. Caroli Calu. p.* 796. *Correctores Roman. in Cap. placuit quotiescunque, distinct.* 18.
- 600. in Commentar. col. 1. lin. 1. scribe, *deferi.*
- 602. in Comment. ad col. 2. de Pædagogis, adde elegantissimam inscriptionem, quam ex hortis illustrissimi Marchionis Francisci Ricardi, publicauit Cl. Mabillon. in Museo Ital. *pag.* 191.

D. M.
FAVSTVS. AVG. LIB.
ADIVTOR. AB EPIS
TVLIS. LAT. VIXIT
ANNIS. XVIIII. M. IIII.
DIEB. XVI. FECIT.
ARTEMISIVS. PAE
DAGOGVS. ET LIB.
PVERO
KARISSIMO

- 612. in not. m. ad leg. 21. adde: *supr. ad leg.* 10. *de cohortalib.*
- 636. in not. a. de loco Chrysostomi dixi, ὡς τίμιον ταυρὸν qui multum me vexauit: sed dum post impressas pagellas euoluo *S. Ioan. Damascenum*, locum hunc inuenio in eius *orat.* 3. *de imaginib.* (inter Patrum veterum testimonia) *ex orat.* 4. *Seueriani Gabalonem* εἰς τὸν σταυρὸν *pag.* 355. *edit. Paris. Mich. Lequien.* En, habes hic integrum, vt possis conferre verba cum iis, quæ pag. cit. impressa exstant: Εἰ γὰρ βασιλέως ἀπόντος εἰκὼν ἀναπληροῖ χώραν βασιλέως, καὶ προσκυνοῦσιν ἄρχοντες, καὶ ἑορτὰς ἐπιτελοῦνται, καὶ ἄρχοντες ὑπαντῶσι καὶ δῆμοι προσκυνοῦσιν, οὐ πρὸς τὴν σανίδα βλέποντες, ἀλλὰ πρὸς τὸν χαρακτῆρα τοῦ βασιλέως, οὐκ ἐν τῇ φύσει θεωρούμενον, ἀλλ' ἐν γραφῇ παραδεικνύμενον. *Nam si absente imperatore eiusdem imago locum supplet imperatoris, eamque proceres adorant, menses festiui aguntur, obuiam procedunt magistratus, & adorant populi: non quidem in tabulam respicientes, sed ad figuram imperatoris, non qui in sua natura conspiciatur, sed in pictura proponatur.*



V. LUFFREDO



